BEATI
ALBERTI
MAGNI,
RATISBONENSIS EPISCOPI,
ORDINIS PRÆDICATORVM,
COMMENTARII IN IV. LIB. SENTENTIARVM.

Recogniti per R. A. P. F. PETRVM IAMMY, ſacræ Theologiæ Doctorem, Conuentus Gratianopolitani, eiuſdem Ordinis,

NVNC PRIMVM IN LVCEM PRODEVNT.

Operum Tomus Decimus-Sextus.

LVGDVNI,

Sumptibus { CLAVDII PROST. / PETRI & CLAVDII RIGAVD, Frat: / HIERONYMI DELAGARDE. / IOAN. ANT. HVGVETAN. } *Via Mercatoria.*

M. DC. LI.

CVM PRIVILEGIO REGIS.

A.30023
7121 G95



CORNELL UNIVERSITY.
The President White Library
RECEIVED 1891.

INDEX

Distinctionum & Articulorum, in quartum Librum Sententiarum.

DISTINCTIO I.

Art. 1. VTRVM Sacramentum sit necessarium. 3
2. Vtrum sint septem Sacramenta, vel etiam plura, & an Sacramentum substantialem ordinem habeat ad veniale. 4
3. Quæritur de ordine Sacramentorum. 7
4. Quæ sit differentia int r gratiam donorum & virtutum, & eam quæ confertur in Sacramentis. ibid.
5. Quæritur de definitionibus Sacramenti. 9
6. Vtrum in Sacramentis signum sit res aliqua. 11
7. Vtrum ea quæ significandi gratia tantum instituta sunt, sint solum signa, & non Sacramenta. ibid.
8. Vtrum offerre sacrificia carnalia sit bonum in genere, & an fuerit iuris naturalis, & an iustificabant. 12.
9. Vtrum veniale virtute Sacramentorum veteris legis remittebatur. 14
10. Quare in noua lege non est aliquid curans irregularitatem sicuti in veteri. ibid.
11. Vtrum oblationes & sacrificia debuerint esse ante legem, & vtrum tunc omnes tenebantur cognoscere rationes figuræ in qua positi erant. ibid.
12. Quis sit effectus cineris vitulæ rufæ, & aquæ quæ fiebat per commixtionem eius. 15
13. Vtrum triplex causa institutionis Sacramentorum à Magistro sit bene assignata. 16
14. Vtrum in omni Sacramento sint duo, scilicet verba & res. 17
15. Vtrum Sacramenta veteris legis dederunt salutem sicuti Sacramenta nouæ legis. ibid.
16. Vtrum testamentorum fuit grauius. 18
17. Vtrum circuncisio à Dam. sit bene definita. ibid.
18. Vtrum circuncisio etiam impresserit characterem. 19
19. Vtrum circuncisio iustificabat. 20
20. Quid dicatur sinus Abrahæ, & an paruuli decedentes sint in aliqua pœna. 21
21. Quare fœminæ non circuncidebantur. ibid.
22. Vtrum omnes tenebantur ad circuncisionem. 23
23. Vtrum tres causæ tactæ à Magistro sint bene assignatæ. ibid.

DISTINCTIO II.

Art 1. VTrum contra omnes pœnas debeant ordinari Sacramenta, & quæ sit eorum diuisio. 24
2. Quare non fuerunt Sacramenta instituta mox post hominis lapsum. 26
3. Vtrum baptismus Ioannis contulit gratiam. 27
4. Vtrum baptismus Ioannis erat in pœnitentiam, & non in remissionem peccatorum. 28
5. Quare baptismus dicitur esse baptismus Ioannis. ibid.
6. Vtrum baptismus Ioannis erat Sacramentum. 29
7. Vtrum baptizati à Ioanne fuerint rebaptizandi. 30

DISTINCTIO III.

Art. 1. VTrum definitiones baptismi sint bene assignatæ. 31
2. Vtrum sit aliqua forma baptismi, & de singulis verbis positis in forma baptismi. 35
3. Quando baptismus est institutus. 39
4. Vtrum aqua sit conueniens materia baptismi. ibid.
5. Vtrum in baptismo necessaria sit trina immersio, aut vna sufficiat. 41
6. Vtrum adueniente baptismo cessauit circuncisio. 42
7. Vtrum baptismus aperuit cælum. 43

Index Distinct. & Articulorum.

DISTINCTIO IV.

Art. 1. VTrum paruulis qui recipiunt rem & Sacramentum sit æqualis effectus baptismi. 45
2. Quid sit fictio. 46
3. Vtrum fictio possit impedire baptismum. 47
4. Qualiter redeat effectus cessante fictione. ibid.
5. Vtrum verum sit illud dictum Apostoli: Quotquot baptizati estis, Christum induistis. 48
6. Vtrum baptismus sanguinis, & pœnitentiæ suppleat vicem baptismi qui fit in aqua. 50
7. Vtrum latro in cruce fuit martyr, & baptizatus baptismo sanguinis. 51
8. Vtrum paruuli qui in vtero matris moriuntur, vel nati sine baptismate decedunt, æterno supplicio vel sensibili pœna puniantur, aut pœna damni tantum. 52
9. Vtrum sit orandum pro paruulis. 53
10. Vtrum vnus & æqualis sit effectus baptismi in omnibus baptizatis. 54
11. Vtrum pœnalitas cui per peccatum addicti sumus, per baptismum non tollatur. ibid.
12. Vtrum fictè baptizato res præcedat Sacramentum, & vtrum non recedente fictione sit vere signum. 55
13. Vtrum paruulis in baptismo datur gratia, & vtrum habeant virtutes. 56

DISTINCTIO V.

Art. 1. VTrum ille qui debet baptizare, debet habere ordinem iurisdictionum, & an debeat esse iustus. 58
2. Vtrum ebriosus, homicidæ, adulter possunt baptizare. 59
3. Vtrum hæreticus & schismaticus possunt baptizare. 60
4. Quæ sit potestas quam Dominus sibi retinuit, & quid ministris dedit, & quam potuit dare & non dedit. 61
5. Vtrum Ioannes nouit Christum, & quid de eo nouit. 62
6. Vtrum Christus homo habuit potestatem dimittendi peccata. 63

DISTINCTIO VI.

Art. 1. VTrum quilibet potest esse minister Ecclesiæ. 66
2. Vtrum hæreticus potest baptizare. ibid.
3. Vtrum character est in aliquo genere, & in quo genere, & si in genere qualitatis, in qua specie. 67
4. Vtrum definitiones characteris sint bene assignate. 69
5. Quæ & quot sunt Sacramenta imprimentia characterem. 72
6. Vtrum à tribus Sacramentis imprimentibus characterem character impressus sit vnus, & si plures, quis eorum est plures. 74
7. Quomodo se habeat character Sacramentorum Christi ad characterem bestiæ. 75
8. Quis sit effectus characteris. ibid.
9. Quæ gratia est sanctificatio in vtero, & quando datur, & quantum valet, & an talis esset baptizandus si nunc nasceretur. 76
10. Vtrum aliquis inuitus, amens, dormiens potest baptizari. 78
11. Vtrum aliquis potest iocando vel mimice baptizari. ibid.
12. Vtrum electis baptizandis debeant semper seruari duo tempora. 79
13. Vtrum venientes ad baptismum, fidem debent profiteri, & an illa professio sit votum. 80
14. Vtrum paruulus ad ætatem veniens, tenetur ad ea quæ pro ipso vouerint patrini, & an patrini obligati sint tanquam fideiussores fidei eorum, & quo sensu patrini dicant paruulo, Credo. 81
15. Quare catheciżantur paruuli, & ad quid valet catechismus. 82

DISTINCTIO VII.

Art. 1. VTrum Sacramentum confirmationis sit necessarium. 83
2. Vtrum sit aliqua materia determinata confirmationis, & quæ sit illa. 84
3. Vtrum materia Sacramenti confirmationis sit chrisma. 86
4. Vtrum non ordinatus potest confirmare, & an ordinatus non Episcopus. 88
5. Vtrum Sacramentum confirmationis conferat gratiam, & an sit gratum faciens, & an sit gratia distincta à gratia baptismi, an confirmatio tantum. 89
6. An Sacramentum confirmationis debeat dici maius Sacramentum aliis. 93
7. Vtrum detur confirmatio in digniori parte corporis. 94
8. An Sacramentum confirmationis debeat dari vtrique sexui, & in qua ætate conferri, & qualiter sint præsentandi ad confirmationem, & an ieiuni sint confirmandi. ibid.
9. Vtrum confirmatio imprimat characterē. 95

DISTINCTIO VIII.

Art. 1. VTrum Eucharistia sit Sacramentum maioris gratiæ quam baptismus. 97
2. Quare Eucharistia & baptismus magis habent figuras quam alia Sacramenta. 98
3. Quæ sit causa cur hoc Sacramentum viaticum dicatur. 100
4. An Sacramenta Christianorum sint ante omnia Sacramenta Iudæorum. ibid.
5. Vtrum Sacramentum Eucharistiæ sit debito & congruo tempore institutū à Christo. 101
6. Vtrum ista sit debita forma, Hoc est enim corpus meum. 103

7. Quæritur

7. Quæritur de forma quæ dicitur ſuper vinum, & de ſingulis verbis in ea poſitis. 107
8. Vtrum forma quæ dicitur ſuper panem, expectat formam quæ dicitur ſuper vinũ. 110
9. Vtrum ſacramentum Euchariſtiæ ſit frequentandum ſiue celebrandum poſt cœnam, ſicut Chriſtus ipſum inſtituit. 111
10. Vtrum hoc ſacramentum poſt prandium celebretur, & quæ comeſtio ſiue potatio arceat à perceptione ſacramenti. 113
11. Vtrum Euchariſtia ſit etiam ſacramentum an non. 115
12. Quid ſit ſacramentum, quid res; & quid ſacramentum & quid res ſimul. 116
13. Vtrum ſacramentũ ſit vnum vel plura. ibid.

DISTINCTIO IX.

Art. 1. VTrum ſint duo diſtincti modi manducandi ſacramentum, vnus ſacramentalis, alius ſpiritualis. 119
2. Vtrum ſit aliquis modus ſpiritualis ſumendi Euchariſtiam, & quid ſit in tali modo vnde dicitur manducatio. 121
3. Quare tantum ſint duo modi manducandi prædicti, & penes quid differant. 122
4. Qualis vnio requiratur, vt aliquis manducet corpus Chriſti, ſiue ſpiritualiter, ſiue corporaliter. ibid.
5. Vtrum corpus Chriſti ſumptum tranſeat in ventrem, & quandiu maneat. 123
6. Vtrum antiqui Patres aliquo modo comederunt ſacramentaliter. 124
7. Vtrum mali accedentes aliquid accipiant corporis Chriſti, & quomodo maneat in ipſis corpus Chriſti. 125
8. Vtrum mali percipiant corpus Chriſti. 127
9. Vtrum malus plus peccet communicando, quam alio genere peccati. 129
10. Vtrum pollutio nocturna impediat à communione. 140
11. Vtrum aliqua fæditas corporalis, vt menſtruum, vel huiuſmodi impediat à perceptione corporis Chriſti. 133
12. Vtrum indignè ſumens corpus Chriſti id efficiat, vt malum fiat quod accipit. ibid
13. Vtrum Sacerdos petat, vt Chriſtus qui nunc ſub ſpecie panis accipitur, manifeſta viſione accipiatur. 134

DISTINCTIO. X.

Art. 1. VTrum corpus Chriſti vere ſit in altari, aut ſolum ſicuti ſignatum in ſigno. 136
2. Vtrum verum ſit quod dicit Magiſter, Non hoc corpus, quod videtis, comeſturi eſtis. 238
3. Vtrum hoc verum ſit quod dicit Magiſter, Ipſum quidem, & non ipſum corpus quod videbatur, manducabatur. 140
4. Vtrum ſacramentum Euchariſtiæ bene dicatur componi ex viſibilibus elementorum, & carne Chriſti. ibid.
5. Vtrum cato ſit ſacramentum carnis, & ſanguis ſacramentum ſanguinis. 141
6. Vtrum communicantes ſumunt Dominum ſuum, & an corpus Chriſti quotidie formetur. 142
7. Vtrum virtus verborum conſecrationis ſit virtus creata vel increata, & quando datur illa virtus, vtrum in principio, medio, vel fine verborum. 144
8. Vtrum maioris potentiæ ſit facere de pane corpus Chriſti, quam de nihilo facere aliquid. 146
9. Vtrum oporteat quærere naturæ ordinem in Chriſti corpore. 147
10. Vtrum in ſacramento Euchariſtiæ poteſt dici creari corpus Chriſti per Spiritum ſanctum, & vtrum per Spiritum fiat tranſſubſtantiatio. ibid

DISTINCTIO XI.

Art. 1. VTrum in ſacramento corporis Chriſti ſit aliqua conuerſio ſiue tranſmutatio. 148
2. Qualis ſit huiuſmodi tranſmutatio ſiue conuerſio. 150
3. An illa tranſmutatio fiat ſubito vel ſucceſſiue. 152
4. Quomodo hæc tranſmutatio ſe habeat ad operationem naturæ, creationis, & mirabilium ſiue miraculorum. 154
5. Vtrum mutatio quæ eſt in ſacramento Euchariſtiæ, ſit ſimilis mutationi quæ dicitur augmentum, & an adiuncta ſit loci mutatio. 156
6. Vtrum iſtæ locutiones ſint concedendæ, panis poteſt eſſe corpus Chriſti, panis mutatur in corpus Chriſti, corpus Chriſti fuit panis, panis erit corpus Chriſti. 247
7. Vtrum panis in conſecratione annihiletur, aut in præiacentem materiam redigatur. 159
8. Vtrum in ſacramento Euchariſtiæ cum corpore Chriſti maneat ſubſtantia panis & vini. 161
9. Vtrum in hora immolationis aperiantur cæli, & ad quid cæli ſunt aperti. 172

DISTINCTIO XII.

Art. 1. QVare Chriſtus ſub alia ſpecie quam propria dedit corpus ſuum. 163
2. Vtrum in ſacramento Euchariſtiæ neceſſaria ſit duplex ſpecies. 165
3. Vtrum bene dicat Magiſter, quod vinum operatur in ſanguine. 166
4. Vtrum ſub vtraque ſpecie ſumatur totus Chriſtus. 167
5. Vtrum bene dicatur quod non debet dici, iterari ſacramentum. ibid.
6. Quare hoc ſacramentum datur ſub ſpecie panis & vini. 168
7. Vtrum ſacramentum debet dari ſub ſpecie panis & de frumento, & an grana alia poſſunt admiſceri. 170
8. Vtrum debeat fieri confectio in azymo vel fermentato. 172

Index Distinct. & Articulourm.

9. Vtrum aqua debeat admiſceri vino, & quantum aquæ, & qualiter peccent qui omittant. 173
10. Vtrum ſpecies ſacramentales aliis liquoribus admixtæ corrumpantur, an maneant ſaluæ. 175
11. Vtrum aqua & vinum quæ miſcentur in calice, poſſunt ſeparari. 177
12. Vtrum calix poteſt eſſe aqua ſola, aut vinum ſolum, aut mixtum ex vtroque. 178
13 Quale corpus Chriſtus dedit diſcipulis ſuis, an mortale & paſſibile, vel immortale & impaſſibile. 178
14. Quid de corpore Chriſti eſſet factum ſi ab aliquo diſcipulorum fuiſſet conſecratum in triduo, aut ſeruatum in pixide, & an anima exiſtens in limbo etiam potuit eſſe in corpore conſecrato. 179
15. Vtrum Chriſtus in cœna in propria perſona ſumpſit corpus ſuum. 181
16. Vtrum in ſacramento Euchariſtiæ maneant accidentia ſine ſubiecto. 182

DISTINCTIO XIII.

Art. 1. VTrum poſſibile ſit aliquid frangi in ſacramento. 188
2. Vtrum fractio prædicta ſit in corpore Chriſti, aut in formis tantum. 189
3. Vtrum quando Chriſtus oſtendit ſe diſcipulis in via in ſpecie peregrini, fecit actum ſimulatorium ſiue illuſorium. 190
4. Vtrum conſecratione facta maneant omnia accidentia, & etiam ſoliditas mathematica ſecundum eſſe reale. 191
5. Vtrum fractione facta maneat vnum ſacramentum, & an plures efficiantur ibi formæ. 192
6. Vtrum opinio illa ſit vera quæ dicit corpus Chriſti eſſentialiter frangi & diuidi, & tamen integrum & incorruptibile manere. ibid.
7. Vtrum confeſſio Berengarij, qui confeſſus eſt coram Papa panem & vinum quæ in altari ponuntur, poſt conſecrationem non ſolum ſacramentum, ſed etiam verum corpus Chriſti eſſe, ſit vera. 193
8. Vtrum opinio illorum ſit vera, qui dicunt, quod in ſacramento nulla fractio vel partitio ſit, quæ non ſit in ſubſtantia ac in ſacramento. 195
9. Vtrum poteſt dici, quod accidentia poſt conſecrationem maneant in aëre. ibid.
10. Quomodo totum corpus Chriſti ſub tantilla forma contineatur in ſacramento. ibid.
11. Vtrum quiſque fidelium communicans accepit totum Chriſtum, vel partem ſuam, & an totus Chriſtus ſit in qualibet parte hoſtiæ. 198
12. Vtrum quando manducatur Chriſtus per partes in ſacramento, ipſe maneat integer totus in cælo, & integer totus in corde tuo. 199
13. Vtrum vbi pars corporis eſt, ibi ſit & totum ſecundum Hilarium, & quale ſit illud vbi, quando dicitur, vbi eſt princeps, ibi Rex. 200
14. Quid ſignificent partes hoſtiæ quæ diuiduntur à ſacerdote celebrante. 202
15. Vtrum communio & fractio hoſtiæ ſint ſignum eiuſdem, vel diuerſorum, & quid ſignificet quælibet. 204
16. Vtrum aliquis exiſtens in peccato mortali poteſt accedere ad communionem, & accipere corpus Chriſti. ibid.
17. Vtrum Sacerdos debet repellere aliquem in mortali peccato exiſtentem. 205
18. Vtrum habenti peccatum mortale liceat videre corpus Chriſti & quomodo. 206
19. An ille qui aliter celebrat quam inſtitutum eſt à Chriſto, peccet mortaliter. ibid.
20. Vtrum Sacerdos debet dare illi qui eſt in peccato mortali, & petit ſibi dari ſacramentum, & an tali poſſit dari hoſtia non conſecrata. 207
21. An communicaturus tenetur primo dimittere debitoribus. ibid.
22. Vtrum Magiſter bene dicat, quod ſpiritualiter manducat qui innocentiam ad altare portat. 208
23. Vtrum Chriſtus immolatur in omni ſacrificio. 209
24. Vtrum Chriſtus quotidie immolatur in ſacramento. ibid.
25. Vtrum ſacramentum Euchariſtiæ valeat contra venialia peccata. 210
26. Vtrum ſacramentum Euchariſtiæ congruo tempore ſit inſtitutum à Chriſto poſt cœnam. 212
27. Vtrum quotidie ſit communicandum. 213
28. Vtrum ter in anno ſit communicandum. 214
29. Vtrum malus Sacerdos etiam conficiat. 218
30. Vtrum præciſus ab Eccleſia etiam poteſt conficere. 219
31. Vtrum miſſa boni Sacerdotis ſit melior quam miſſa mali Sacerdotis. 221
32. Quare ſpecialiter prohibetur à canonibus quod miſſa, vel ſacramentum non recipiatur ab hæreticis, ſimoniacis, ſchiſmaticis, ſiue notoriis fornicariis. 221
33. Vtrum corpus Chriſti verum ſit melius corpore Chriſti myſtico. ibid.
34. Vtrum bene dicatur miſſa, quia celeſtis miſſus eſt ad conſecrandum vel viuificandum. 222
35. Quomodo intelligendum ſit illud Gregorij, Maledicam benedictionibus veſtris. 223
36. Quare dulcedo ſacramenti non ſentitur à ſumentibus. ibid.
37. Vtrum Sacerdos extra altare, & ſine ſacris veſtibus poteſt celebrare. ibid.
38. Vtrum mus, vel aliud animal brutum poteſt ſumere Chriſti corpus in ore, vel in ventre. ibid.
39. Quis ſit hæreticus & vnde dicatur. 225

DISTINCTIO XIV.

Art. 1. VTrum ſacramentum pœnitentiæ bene ordinetur quantum in ordine

dine sacramentorum. 228
2. Vtrum pœnitentia sit secunda tabula post naufragium. 229
3. Vtrum pœnitentia sit virtus. ibid.
4. Vtrum pœnitentia sit virtus generalis vel specialis. 232
5. Vtrum pœnitentia sit in vno genere vel in pluribus. 234
6. Vtrum pœnitentia sit iustitia. 235
7. Vtrum pœnitentia sit charitas. 236
8. In qua vi animæ est pœnitentia. 237
9. Vtrũ pœnitẽtia sit prior aliis virtutibus. 238
10. Qualiter pœnitentia timore concipiatur. 239.
11. Quare pœnitentia non concipiatur amore, fide, vel alia virtute. ibid.
12. Vtrum definitio pœnitentiæ sit bene assignata ab Amb. ibid.
13. Vtrum verè pœnitens possit cadere, & de cætero damnabiliter peccare. 242
14. An aliquis lauari possit per pœnitentiam ad munditiam. 243
15. An illis qui iterant peccata, prosint priora lamenta. ibid.
16. Vtrum ille qui commissa plangit, tamen non deserẽs, pœnæ grauiori se subiicit. 144
17. Vtrum velle non peccare, aut cessare à peccato sit vera pœnitentia. ibid.
18. Vtrum peccata deleantur per pœnitentiam secundum quod est virtus vel sacramentum, & an habeat duos actus, plangere & odire. ibid.
19. Vtrum eleemosyna auferat culpam, & peccatorem mundum facit. 245
20. Vtrum omnia ante acta bona per pœnitentiam sequentem viuificentur. 247
21. Vtrum omnia mortificata possunt viuificari. 248
22. Vtrum opera mortificata quoad omnia quæ sunt in ipsis, viuificentur. 249
23. Per quid iustificentur opera mortificata. 250
24. Quomodo & secundum quem modum dicitur vita, quando dicitur, quod opera mortificata sunt viua. ibid.
25. Vtrum tertia diffinitio pœnitentiæ sit bene assignata. 251
26. An peccator semper debet dolere, & de dolore gaudere. 252
27. Qui dicantur perfecti, & quæ est pœnitentia perfectorum. 254
28. Quot sint modi pœnitentiæ. 255
29. Vtrum sæpius iterata pœnitentia semper de criminibus datur venia toties quoties. ibid.
30. Vtrum resurgens per pœnitentiam à peccato, resurgat in maiori charitate quam prius habuit. 257
31. Vtrum sit aliquod summum malum ad quod possit quis deuenire. 259
32. An mali possunt venire ad virtutem per pœnitentiam. 260
33. Vtrum ad primum statum sit reditus per pœnitentiam. 262
34. Vtrum Dauid debuit puniri propter populi numerationem. 263

DISTINCTIO XV.

Art. 1. VTrum de vno peccato potest agi pœnitentia, alio peccato in delectatione retento. 264
2. An pro vno peccato potest consurgere duplex tribulatio. 266
3. Vtrum pœnæ quæ commutant in bonum, & iunguntur in satisfactione, sint iustæ an non. ibid.
4. Vtrum quinque modi quibus flagella contingunt, sint bene assignati. 267
5. Vtrum Deus puniendo peccata seruet mensuram debitam. 270
6. An per sententiam iudicis priuetur sententia sacerdotis. ibid.
7. Vtrum propter leuem culpam, vti in sabbato colligere ligna, debuit infligi mors. ibid.
8. Vtrum sine fide aliqua pœna sit satisfactoria. ibid.
9. Vtrum satisfaciens in peccato mortali satisfecerit. 271
10. Vtrum satisfaciens indigeat gratia gratum faciente vt satisfaciat. 273
11. Vtrum oporteat quemlibet satisfacere qui deliquit. 274
12. Vtrum definitio satisfactionis sit bona. ibid.
13. Quomodo differt opus satisfactionis ab aliis operibus pœnitentiæ. 276
14. Vtrũ eleemosyna sit in genere virtutis. ibid.
15. Vtrum eleemosyna sit bene definita. 278
16. Vtrum eleemosyna sit de præcepto vel consilio, & si de præcepto, sub quo. 379
17. Vtrũ eleemosyna sit pars satisfactionis. 280
18. Qualiter eleemosyna distinguitur ab aliis partibus satisfactionis. 281
19. Vtrum eleemosyna magis constet in voluntate interiori vel exteriori. ibid.
20. Vtrum eleemosyna possit esse sine compassione, & an compassio sit ei substantialis. 282
21. Vtrum sepultura sit eleemosyna, vel species eleemosynæ. ibid.
22. Vtrũ docere sit eleemosyna spiritualis. 284
23. An eleemosynæ spirituales corporalibus sint meliores. ibid.
24. Ex quo potest vel debet fieri eleemosyna. 285.
25. Vtrum vxor de bonis mariti sui aut econtra, an monachus, aut filius, an famulus aut famula possint dare panem dominorum suorum. 287
26. Vtrum daturus eleemosynam, debet ordinatè incipere. 288
27. Vtrum verum est illud, Qui diligunt iniquitatem, odiunt animam suam. 289
28. Vtrum immundis nihil est mundum. 289
29. Vtrum verum sit quod nihil prodest orare, ieiunare, & alia bona facere, nisi mens reuocetur à peccato. ibid.
30. Vtrum satisfactio extra charitatem sit iteranda redeunte charitate. 290
31. Vtrum bonum mortuum factum extra charitatem, vnquam possit reuiuiscere. 291
32. Vtrum bona opera facta per aliquem extra charitatẽ, diminuant incendiũ inferni. 292
33. An Deus potest sanare de vno peccato, & non de alio. 293

34. Vtrum omnes quos Christus sanauit in corpore sanauit etiam, & in anima. 294
35. Vtrum repugnet iustitiæ ab ea sperare mediam veniam. ibid.
36. Vtrum aliquæ sint lachrymæ mentis, & an damna temporis sint plus flenda quam tempora. ibid.
37. Vtrum hoc dictum Magistri : Cum ergo pœnites cur facis quæ male feciſti, bene valeat. 296
38. Vtrum duo modi falsæ pœnitentiæ sint bene assignati. ibid.
39. Vtrum sit aliqua vera pœnitentia. 297
40. Vtrum perfecta pœnitentia cogat peccatorem omnia libenter sustinere. 298
41. Vtrum possit dici quod aliquis nequiuerit emendare peccatum. ibid.
42. Restitutio quid sit. ibid.
43. Quid est quod debeat restitui, & qualiter est restituendum. 300
44. Cui debeat fieri restitutio. 301
45. Qualiter habent se opera restitutionis ad opera pœnitentiæ. ibid

DISTINCTIO XVI.

Art. 1. VTrum Sacramentum pœnitentiæ sit vnum. 304
2. Vtrum Sacramentum pœnitentiæ habeat partes, & quæ sint illæ partes. 306
3. Vtrum pœnitentia prædicetur de omnibus partibus suis simul in summa an sigillatim. 307
4. Vtrum sicut Deum tribus modis offendimus, scilicet corde, ore & opere, ita tres partes pœnitentiæ respondent istis tribus modis offendendi. ibid.
5. Vtrum tribus differentiis peccati quæ sunt cor, factum, & consuetudo correspondeant tres partes pœnitentiæ. 308
6. Quid sit contritio in genere. 310
7. Quid sit contritio propria definitione. 312
8. Quæ sit differentia inter compunctionem, attritionem & contritionem. 315
9. Cuius partis animæ est contritio. 317
10. Vtrum contritio semper eodem modo fuerit in nouo, & veteri testamento. ibid.
11. Quid sit primum mouens ad contritionem. 318
12. Vtrum confessio sit in Sacramento, & obliget omnes. ibid.
13. Vtrum confessio sit de iure naturali vel positiuo. 321
14. Quam differenter confessio fuit in lege naturali, veteri & noua. 323
15. Vtrum confessio sit actus virtutis vel tantum Sacramenti. ibid.
16. Vtrum definitiones pœnitentiæ sint bene datæ. 324
17. Vtrum aliquis & quis articulus fidei moueat ad confessionem. 328
18. Cui attributo innititur confessio. ibid.
19. Vtrum sufficiat per Ioannem facta institutio ad satisfactionem. 329
20. Vtrum satisfactio sit in præcepto. ibid.
21. Vtrum idem sit satisfacere, & dignos fructus pœnitentiæ facere, & qui sint fructus digni pœnitentiæ. 331
22. Vtrum circunstantiæ aggrauent peccatum. 332
23. Vtrum circunstantiæ aggrauent peccatum relinquendo actum in eadem specie. 333.
24. Vtrum pœnitens tenetur confiteri omnia peccata sua, & circumstantias suas. 334
25. Vtrum pœnitens tenetur reuoluere circumstantias in contritione & satisfactione. 335
26. Quæ & quot sunt circumstantiæ aggrauantes peccatum. 336
27. Quæ circumstantiarum vitium magis aggrauant. 339
28. Vtrum pœnitens debeat se ponere omnino in iudicio, & potestate Sacerdotis nihil sui iuris sibi reseruans, & an teneatur ingredi religionem si Sacerdos pœnitenti iniungat. 341
29. Vtrum contritio potest intendi. 342
30. Vtrum per aliquid & penes quid attenditur contritionis intensio. 344
31. Quanta debeat esse contritio. 345
32. Vtrum contritio debeat esse de omnibus peccatis. 346
33. Vtrum contritio possit esse breuis & finita. 347
34. Quanta debet esse quantitas contritionis respectu voluntatis peccandi vel non peccandi. 348
35. Vtrum sit aliquis status vltra quem non intenditur neque crescat contritio. 349
39. Vtrum oportoat confessionem esse integram. 350
37. Vtrum hypocrisis sit bene definita. 352
38. Vtrum hypocrisis sit speciale peccatum, an generale coniunctum aliis. 353
39. In quibus operibus frequentius apparet hypocrisis, & in quo actu sit peior. 354
40. Quomodo hypocrisis se habeat ad inanem gloriam. ibid.
41. Vtrum hypocrisis semper sit peccatum mortale, vel veniale. 355
42. Vtrum bonæ conscientiæ confortatio requiritur in eo qui debet communicare. ibid.
43. Vtrum ludi sint peccatum mortale, & qui sint & qui non sint. 356
44. Vtrum digni fructus virtutum dicantur digni fructus pœnitentiæ. 357
45. Vtrum pœnitentiæ quæ non imponuntur pro qualitate criminis secundum auctoritates canonum debeant dici falsæ pœnitentiæ. 358
46. Vtrum militia, negotiatio publica, vectigalia, pedagia sint licita vel illicita. 359
47. Vtrum bene diuidantur principia à Magistro. 361
48. Vtrum pœnitentia sit ante baptismum. 362
49. Vtrum pœnitentia sit fundamentum, & qualiter sit fundamentum. 363
50. Quæ sunt ista quæ sunt in isto fundamento pœnitentiæ, & an pœnitentia quæ est fundamentum sit virtus vel Sacramentum, 369
51. Vtrum idem sit fundamentum rerum sperandarum

randarum Christianæ religionis, & præmij æterni. 366
52. Vtrum fides præcedat pœnitentiam. ibid.
53. Vtrum omne peccatum exprimatur in decalogo. 367
54. Vtrum bonorum sit pœnitentia, & vtrum boni & humiles de venialibus debent agere pœnitentiam. ibid.
55. Vtrum aliquis non habens debitum, possit dicere orationem Dominicam. 368

DISTINCTIO XVII.

Art. 1. VTrum in sola contritione peccatum dimittatur. 370
2. Vtrum votum debet pro operatione reputari. 373
3. Vtrum sufficiat confiteri soli Deo. 374
4. Vtrum per gemitum pœnitentiæ ante oris confessionem dimittatur peccatum. ibid
5. Vtrum omnes teneamur ad oris confessionem. ibid.
6. Vtrum confessio necessario debet fieri in charitate. ibid.
7. Vtrum sicut anima est vita corporis, ita Deus est vita animæ. 376
8. Vtrum in pœnitente confessio præcedat iustificationem. 377
9. Quid sit iustificatio impij. ibid.
10. Quæ sunt illa quatuor quæ requiruntur ad iustificationem impij. 379
11. Quis sit ordo eorum quæ requiruntur ad iustificationem impij. 381
12. An iustificatio impij est naturalis vel miraculosa. 383
13. Cuius attributi sit iustificatio impij. 384
14. Vtrum iustificatio impij sit effectus iustitiæ vel misericordiæ. ibid.
15. Quid sit motivum ad iustificationem impij. 385
16. Quomodo habeant se adinuicem dilectio, prædestinatio, vocatio, electio, iustificatio & magnificatio. ibid.
17. Quid sit sanatio mentis. 387
18. Vtrum renouatio mentis fiat per virtutes & per gratiam. ibid.
19. Vtrum sanitas mentis siue renouatio imaginis sint eadem an differant. 388
20. Vtrum sanitas mentis fiat per gratiam præuenientem. ibid.
21. Vtrum sanitas mentis fiat per gratiam sacramenti. 389
22. An prædicta sanitas fiat subito vel successiue. ibid.
23. Sanatio & renouatio in quo differant. 390
24. Vtrum confessio liberet animam à morte. ibid.
25. Vtrum modi purgationis à peccato secundum Magistrum sint bene distincti. 391
26. Vtrum pœnitens debet soli sacerdoti innotescere in sua confessione. 392
27. Vtrum teneamur confiteri in conspectu populi. ibid.
28. Quare dicatur aliquid peccatum veniale. 393
29. Vtrum desperatio veniat ex contemptu, vel ex timore ibid.
30. Vtrum verum sit quod dicit Magister, Nullus debito grauioris pœnæ accepit veniam. 393
31. Vtrum confessio sit virtus. 394
32. An oporteat confiteri homini. 395
33. Vtrum verum sit hoc dictum Magistri dicentis, Lauant lachrymæ debitum, quod voce pudor est confiteri. 396
34. Vtrum recognoscens peccata sua potest proximo mala cogitare. 398
35. Vtrum aliquis potest confiteri suo conseruo. ibid.
36. Qualis debeat esse confessio. ibid.
37. An temporalibus pœnis mutantur æterna supplicia. 402
38. Vtrum aliquis possit agere pœnitentiam nescientibus aliis, & seipsum aliquis possit excommunicare. ibid.
39. Vtrum soli Sacerdoti sit confitendum, & an valeat confessio facta cuilibet alteri. 404
40. Vtrum Sacerdoti proprio sit confitendum, & an valeat confessio facta cuilibet alteri Sacerdoti. 406
41. Vtrum plures possint esse proprij Sacerdotes. 409
42. Vtrum posito quod vnus proprius Sacerdos habeat plures coadiutores, facta confessione vni, teneatur confessus alteri confiteri si ille præcipiat. 410
43. Vtrum aliquis ex priuilegio potest audire eos qui sunt alterius subditi. 413
44. Vtrum aliquis priuilegiato confessus teneatur etiam confiteri proprio Sacerdoti. 414
45. Vtrum aliquid vtilitatis consequatur si quis confiteatur priuilegiato. 414
46. Vtrum definitiones scandali sint bonæ. ib.
47. Vtrum scandalum bene diuidatur in actiuum & passiuum. 417
48. Vtrum scandalum sit speciale peccatum distinctum ab aliis peccatis. ibid.
49. Vtrum scandalum semper sit mortale peccatum. 418
50. Vtrum scandalizare aliquo modo conueniat bonis. 419
51. Quorum sit scandalizari. 420
52. Quæ sunt illa quæ dimittenda sunt propter scandalum. ibid.
53. Vtrum indulgentia concipiatur in contritione vel confessione. 421
54. Vtrum per signa siue scripta possit fieri confessio, & an per interpretem. 422
55. Vtrum peccata aliquando dimittantur in contritione, aliquando in confessione. ibid.
56. Vtrum sola iustitia vtatur Deus, vel etiam misericordia in condemnatione. 423
57. Vtrum semper necessarium sit confiteri suo Sacerdoti. ibid.
58. Vtrum aliquis possit confiteri suo socio, & ad quid valeat illa confessio. 425
59. Vtrum confessio facta Laico socio sit sacramentum. ibid.
60. Qualis Sacerdos est quærendus, & quæ sint condtiones Sacerdotis confitentis. 426
61. Vtrum volenti confiteri, sed morte præuento vorum reputatur pro facto. ibid.
62. Vtrum diuersa sollicitudo sit habenda penes pœnitentes. ibid.

63. Vtrum excommunicatus ab Ecclesia, & non à Deo sit vitandus. 427
64. Vtrum teneamur ad confitenda venialia peccata, & an iteranda sit confessio eorum quæ dicta sunt. ibid.
65. Vtrum superbia sit fons aliorum malorum. 429

DISTINCTIO XVIII.

Art. 1. VTrum in Ecclesia sunt aliquæ claues necessariæ. ibid.
2. An definitio clauis à Magistro data sit bona. 431
4. Quot sunt claues. 432
5. Vtrum scientia discernendi inter lepram & lepram, sit clauis Ecclesiæ. 434
5. Quæritur de secunda claue, quæ est ligandi & soluendi potestas, & an sit communicabilis. 435
6. Vtrum hæreticus habens ordinem, etiam habeat clauem. ibid.
7. Vtrum Sacerdos valeat absoluere à culpa, & à reatu pœnæ æternæ. 436
8. Vtrum peccatum debeat, & possit dici tenebra. 438
9. Vtrum fiat absolutio à debito æternæ pœnæ per absolutionem à Sacerdote facta. 440
10. Vtrum verbum Dei dimittat peccata. ibid.
11. Quæ & qualis sit potestas Sacerdotum super peccatis dimittendis. 441
12. Vtrum charitas Ecclesiæ dimittat peccata. 443
13. Vtrum Sacerdos Euangelicus differat à Sacerdote legali. 444
14. Vtrum Sacerdos legalis habuerit etiam claues. ibid.
15. Vtrum dictum illud saluatoris sit verum, Quodcunque ligaueris super terram. 446
16. Vtrum definitio excommunicationis data à Magistro sit bona. 447
17. Quot modis fiat excommunicatio. ibid.
18. In quem ferenda est excommunicatio. 448
19. Vtrum quilibet qui habet claues, possit excommunicare. 439
20. Qualiter ferenda sit excommunicatio 450
21. Vtrum participare cum excommunicato sit peccatum mortale. ibid.
22. Vtrum macula, caligo, fomes, & alia quæ sunt in peccatore, possunt dici esse à Deo. 452

DISTINCTIO XIX.

Art. 1. VTrum Christus habuit claues. 453
2. Vtrum clauis æquè sit ad claudendum quam aperiendum. ibid.
3. Quomodo clauis se habeat ad ordinem. ibid.
4. Vtrum ostiarij habeant claues. 454
5. Vtrum reges inuncti habeant claues. ibid.
6. Vtrum congregatio habeat claues. 455
7. Vtrũ abatissæ & prioriſſæ habeãt claues. 456
8. Vtrum per clauem iurisdictionis valet aliquis plus vna vice ante absolutionem à priori excommunicari, & an absolutus ab vna sit etiam absolutus ab alia. ibid.
9. Vtrum Sacerdos potest vti claue iurisdictionis aduersus maiorem, æqualem, vel minorem se. 457
10. Vtrum aliquis claue iurisdictionis potest vti in subditos alienos. 458
11. Vtrum Christus possit absoluere nolentem. ibid.
12. Vtrum boni & mali habentes iurisdictionem, habeant etiam clauem. 459
13. Vtrum boni & mali æquè rectè & dignè habeant potestatem clauium, 461
14. Vtrum Moyses & Aaron fuerint Sacerdotes, & quam differenter. ibid.
15. Vtrum Cayphas bene dicitur prophetasse. ibid.
16. Vtrum hæretici, vel mali Prælati Christiani conferant benedictionem. 462
17. Vtrum fraterna correctio sit bene definita à Magistro. 463
18. Vtrum ille qui debet corrigere, debeat esse irreprehensibilis. 464
19. Vtrum omnes teneamur ad fraternam correctionem. 465
20. Vtrum correctio fraterna sit omnium in omnes. ibid.
21. Vtrum in correctione fraterna seruandus sit aliquis ordo. 466
22. Quomodo differant correctio fraterna & correctio iudicis. 467
23. Vtrum Deus iustè liberauit meretricem, non inuento qui proiiceret primum lapidem. ibid.
24. Vtrum in lege veteri per cerimonialia dimittebantur venialia. ibid.
25. Vtrum omnis qui ligat alios, sit iustus. 468

DISTINCTIO XX.

Art. 1. VTrum in fine vitæ dari potest pœnitentia. 469
2. Vtrum sanus pœnitens potest coniicere de certitudine charitatis, an odio, vel amore dignus sit. 470
3. Vtrum Deus seram pœnitentiam exaudiat. ibid.
4. Vtrum sero pœnitens habeat libertatem arbitrij. ibid.
5. Quid sit ignis purgatorij, an corporeus vel spiritualis. ibid.
6. In quo loco sit purgatorium. 472
7. Vtrum ignis purgatorius sit æternus vel temporalis. ibid.
8. Vtrum pœna purgatorij excellit omnem pœnam quam quis passus est, aut pati potest in hac vita. ibid.
9. Vtrum horrendum sit incidere in manus Dei. 475
10. Vtrum veniale peccatum possit mutari in mortale peccatum. ibid.
11. Vtrum si peccator semper viueret, semper peccaret. ibid.
12. Vtrum qui iniunctam pœnitentiam non perfecerit, tenebitur illam in purgatorio perficere. 476
13. Vtrum latro statim vt conuersus fuit, paradisum ingredi meruit. 477
14. Vtrum mensura temporis satis apertè prefigitur pœnitentibus ibid.

15. Vtrum

15. Vtrum notificari debeat confitenti quantum oporteat facere ſecundum canonem, non tamen iniungi. 478
16. Indulgentia ſiue relaxatio quæ ſit. ibid.
17. An relaxatio etiam habeat effectum, & an valeat 479
18. Vtrum indulgentia valeat exiſtenti in peccato mortali, & an valeat æqualiter ſeculari & religioſo, & an ſit vtriſque neceſſaria, & an valeat exiſtentibus in inferno & purgatorio 481
19. Vtrum indulgentia æqualiter valeat danti & facienti hoc quod Eccleſia requirit, & habenti voluntatem faciendi, ſed non facienti propter defectum facultatis. 483
20. Vtrum Papa exiſtens in peccato mortali, poſſit dare indulgentias, & an etiam ei qui ſit in peccato mortali. ibid.
21. Vtrum Chriſtus poſſit dare indulgentias. ibid.
22. Vtrum Sacerdos ſimplex poſſit conferre indulgentias, & an vnus Laicus poteſt alteri dare ſuas indulgentias. 484

DISTINCTIO XXI.

Art. 1. VTrum ſint aliqua venialia quæ dimittantur poſt hanc vitam. 486
2. Vtrum ſint aliqui qui ædificant lignum, fœnum, ſtipulam, & quid talia ſignificent. 487.
3. Vtrum lignum, fœnum, ſtipula ædificentur ſuper fundamentum. ibid.
4. Vtrum ignis purgatorius ſit, vel non ſit poſt mortem. 488
5. Quare inferni nominantur pluralibus nominibus. 490
6. Quid intelligitur per ædificantes aurum, lapides pretioſos, &c. 491
7. Vtrum exiſtentes in purgatorio purgentur voluntariè vel inuoluntariè. ibid.
8. Vtrum in damnatis veniale puniatur æternaliter. 492
9. Vtrum animæ puniantur per dæmones. 493
10. Vtrum error iſte Græcorum venit approbandus, qui dicunt nullum ante diem iudicij intrare cælum vel infernum, ſed in mediis locis conuerſari. ibid.
11. Vtrum in contritione aliquis tenetur recolligere peccata ſua vt valeat. 496
12. Vtrum piæ mentes debent ibi cognoſcere culpam, vbi culpa non eſt. 497

DISTINCTIO XXII.

Art. 1. VTrum peccata dimiſſa redeant per quodlibet recidiuum. 499
2. Vtrum peccatum veniale etiam redeat per ingratitudinem ſicuti alia. 502
3. Vtrum originale peccatum etiam redeat per ingratitudinem. 502
4. Vtrum ille cui plura dimiſſa ſunt, magis tenetur ad gratiarum actiones quam ille qui ſeruauit innocentiam. ibid.
5. Vtrum hoc ſacramentum habeat tria ſicuti cætera. ibid.
6. Quid in dicto ſacramento ſit res, & quid ſignum, & quid res tantum. 504
7. Vtrum in ſacramento pœnitentiæ ſignum ſit vnum vel plura. 505
8. Vtrum ſacramentum pœnitentiæ ſit vnum vel plura ibid.
9. Qualiter ſacramentum pœnitentiæ ſit vnum. 506
10. Vtrum ſacramentum pœnitentiæ indiguit inſtitutione. ibid.
11. Vtrum ſacramentum pœnitentiæ ſit inſtitutum ante ſtatum peccati. ibid.
12. Vtrum ſacramentum pœnitentiæ fuit inſtitutum in lege naturæ. 507
14. Qualiter ſacramentum pœnitentiæ fuit inſtitutum tempore legis Moſaicæ. ibid.
14. Qualiter inſtitutum eſt ſacramentum pœnitentiæ tempore legis Euangelicæ. 508

DISTINCTIO XXIII.

Art. 1. VTrum extrema vnctio ſit neceſſaria. 509
2. Vtrum vnctio extrema ſit bene definita. 510
3. Vtrum oleum conſecratum ab Epiſcopo ſit materia ſacramenti extremæ vnctionis. 511
4. Quæ ſit forma huius ſacramenti. 513
5. Vtrum ſacramentum extremæ vnctionis bene ordinatur inter alia ſacramenta. 515
6. Vtrum oporteat eum eſſe Epiſcopum qui conſecrat oleum, quod eſt materia extremæ vnctionis. 516
7. Vtrum ſit aliqua principalis vnctio, & an illa ſit quæ fit in baptiſmo, confirmatione, vel extrema vnctione. 517
8. Vtrum Reges debeant inungi in ſcapulis oleo, an chriſmate, & non in capite. ibid.
9. Vtrum ſolum infirmi ſint perceptibiles huius ſacramenti. ibid.
10. In qua ætate infirmus perceptibilis eſt ſacramenti extremæ vnctionis. 508
11. Vtrum in omni ægritudine aliquis ſit perceptibilis huius ſacramenti. ibid.
12. Quare furioſi & amentes, & alij ſimilibus infirmitatibus laborantes prohibentur à perceptione huius ſacramenti. 519
13. Vtrum ſacramentum extremæ vnctionis ab Apoſtolis, aut à Chriſto eſt inſtitutum. 520
14. Vtrum ſacramentum extremæ vnctionis bene dicatur à Magiſtro duplici de cauſa inſtitutum. ibid.
15. Vtrum infirmus percipiens hoc ſacramentum in aliquo loco determinato ſit inungendus. 521
16. In quibus partibus corporis infirmus ſit inungendus. 522
17. Vtrum extrema vnctio ſit vnum, vel plura ſacramenta. ibid.
18. Vtrum ſi Sacerdos inungens vngendo moriatur, alius inungens debet incipere à nono. 523
19. Vtrum in ſacramento extremæ vnctionis ſit aliquid, quod eſt ſacramentum tantum, & aliquid quod eſt ſacramentum & res, & aliquid quod res tantum, & an imprimat characterem. ibid.

20. Vtrum extrema vnctio possit iterari. 525
21. Vtrum in morbis chronicis debet,& possit semper iterari extrema vnctio. ibid.

DISTINCTIO XXIII.

Art. 1. VTrum Sacramentum ordinis bene sequatur Sacramentum extremæ vnctionis. 526
2. Quare istud Sacramentum præ cæteris diuiditur in partes. 527
3. Qua diuisione diuiditur hoc Sacramentum ordinis. 528
4. Vtrum Sacramentum sit vnum vel plura. ibid.
5. Quæ sit ordinum sufficientia. 529
6. Vtrum sint septem ordines propter septiformem gratiam. 530
7. Quæ requiruntur ad hoc quod aliquis possit suscipere ordines. 532
8. Quæ scientia requiritur ad promotionem ordinum. ibid.
9. Quæ vita requiratur ad hoc, quod aliquis sit idoneus. 533
10. Quantum peccatum committit promouens non idoneum,& an necessitate aliqua talis potest excusari. 534
11. Vtrum non idoneè promotus in quolibet actu officij sui peccet mortaliter. 535
12. Qualiter illius peccati remedia possunt acquiri. 536
13. Vtrum corona sit ordo,vel tantum dispositio ad ordinem. ibid.
14. Vtrum tonsura in veteri lege figurabatur in Nazaræis. 537
15. Vtrum clerici habeant ius hæreditatis inter parentes suos vel non. ibid.
16. Vtrum ordo ostiariorum sit primus, & habeat aliquem actum. 538
17. Vtrum ordo ostiariorum imprimat characterem. 539
18. Vtrum in Sacramento istius ordinis sit aliqua specialis forma. 540
19. Vtrum ordo lectoratus sit bene ordinatus inter ordines. 541
20. Quæritur de differentia lectoratus & psalmistatus. 542
21. Quis sit actus ordinis lectoratus. ibid.
22. Quid sit actus exorcistarum. 544
23. Vtrum ordo exorcistarum colligat duos præcedentes secundum naturam totius potestatiui. ibid.
24. Vtrum acolitatus sit ordo. 545
25. Quando acolitis imprimitur character. 546
26. Quis sit actus diaconi ad quem imprimitur character. 547
27. Vtrum ordo subdiaconatus præcellat omnes alios ordines. 547
28. Quare isti tres ordines dicuntur sacri. 548.
29. Quis sit actus principalis ordinis diaconatus. 349
30. Vtrum tam diaconus quam alij priores præexigant alia Sacramenta. 550
31. Vtrum vestis sacra exigatur ad hoc vt fiat actus ordinum. 551
32. Vtrum Sacerdotium conferatur consecratione, vel merito sanctitatis. 552
33. Vtrum Sacerdotium veteris legis & nouæ sit idem Sacerdotium. ibid.
34. Qualiter character Sacerdotij vniat sibi characterem ordinum præcedentium. 553
35. Vtrum tres actus Sacerdotij positi à Magistro,sint sufficienter assignati. ibid.
36. Vtrum canones bene appellent duos sacros ordines. ibid.
37. Vtrum ordo bene definiatur in litera à Magistro. 554
38. Quid sit in Sacramento ordinis pro materia & forma. 555
39. Vtrum Episcopatus, & alia quæ Magister enumerat,sint ordines. 556
40. Quando & qualiter prædicta conferantur. 557

DISTINCTIO XXV.

Art. 1. VTrum hæretici ab Ecclesia præcisi possunt conferre ordines. 560
2. Quid sit simonia. 541
3. Vtrum simonia sit hæresis. 562
4. Vtrum inferior cum superiore potest committere simoniam. ibid.
5. Quibus modis committatur simonia. 563.
6. Quare venditores spiritualium dicuntur simoniaci, cum tamen non sequantur Simonem, sed potius Giezi. 565
7. Vtrum canones bene disposuerunt de ætate ordinandorum, cum tamen non seruetur. 566

DISTINCTIO XXVI.

Art. 1. QVare matrimonium sit institutum. 567
2. Vtrum Adam doluerit in ablatione costæ. ibid.
3. De qua parte costæ Eua sit formata, vtrum de osse,vel carne. 568
4. Vtrum Adam propheticè dixit, Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea. 569
5. Vtrum matrimonium potest institui pluribus vicibus. 570
6. Vtrum in paradiso fuissent nuptiæ & matrimonium. 570
7. Vtrum in paradiso fuisset conceptus sine ardore libidinis. 571
8. Vtrum matrimonium sit remedium contra morbum concupiscentiæ. 572
9. Vtrum concupiscentia sit mortalis, & cum concupiscentia inhæreat coitui, an sit semper mortalis. 573
10. Vtrum propria institutio matrimonij habuit præceptum. 574
11. Vtrum actus matrimonialis habet indulgentiam & præmium. 576
12. Vtrum permissio in Nouo Testamento sit de bonis moralibus. 577
13. Vtrum opinio hæreticorum dicentium coitum cum vxore esse peccatum, sit toleranda. 578

14. Vtrum Magiſter bene determinet rem Sacramenti matrimonij, & quæ ſit illa res, & an matrimonium ſit Sacramentum, & à quo trahat virtutem ſui effectus. 580
15. Vtrum matrimonium ante carnalem copulam ſit perfectum. 583

DISTINCTIO XXVII.

Art. 1. VTrum matrimonium bene nominetur duobus modis, ſcilicet matrimonium & nuptiæ. 584
2. Vtrum definitiones matrimonij ſint bene aſſignatæ. 585
3. Vtrum alter coniugum ſine altero poteſt continere. 587
4. Vtrum mutuus conſenſus per verba, vel ſigna expreſſus ſit cauſa matrimonij 588
5. Vtrum talis conſenſus ſemper efficiat matrimonium. 590
6. Quare in hoc Sacramento potius quam in alio requiritur conſenſus. 591
7. Vtrum coniugium dicatur conſiſtere in vnione animorum vel corporum. 592
8. Vtrum & quando eſt neceſſe reddere debitum. 593
9. Vtrum vir poteſt vxorem ſuam dimittere. 595
10. Vtrum vir poſt introitum religionis & votum continentiæ emiſſum poteſt redire ad vxorem, & an vxor teneatur eum recipere. ibid.
11. Vtrum impotentia coeundi, vel aliud impedimentum poteſt dirimere matrimonium. 596
12. Vtrum definitio ſponſalium ſit bene aſſignata à Magiſtro. 598
13. Quorum ſint ſponſalia. ibid.
14. Quis ſit effectus ſponſalium. 601
15. Quibus modis ſponſalia contrahantur. 602
16. Quibus modis ſponſalia dirimuntur. 605
17. Vtrum dicantur ſponſalia à ſponſa de futuro vel de præſenti, & an à ſolemnitate nuptiarum. 609
18. Vtrum in ſponſalibus debet eſſe terminus ad ſolemnizandum matrimonium. 610
19. Vtrum definitio bigamię ſit bene aſſignata. 611
20. Quot modis ſit bigamia. 612
21. Vtrum bigamiæ adiungatur irregularitas. 616
22. Vtrum bigamia admittat diſpenſationem. 518

DISTINCTIO XXVIII.

Art. 1. VTrum iuramentum cum ſponſalibus faciat matrimonium. 620
2. Vtrum accedente copula carnali ſponſio de futuro faciat matrimonium. 621
3. Quæ pœnitentia venit iniungenda ei qui exprimit verba conſenſus, & non intendit: & ita decipit eam cum qua videtur contrahere. 622
4. Vtrum filiafamilias poteſt inuitis parenti bus tradi marito ſuo. 623
5. Vtrum conſenſus qui fit in occulto, ſanciat matrimonium, vel ſolum ille qui fit in publico. 624
6. Vtrũ conſenſus fit in carnalem copulã. 625
7. Vtrum vir ſit dominus ſuæ vxoris. 626

DISTINCTIO XXIX.

Art. 1. QVomodo definitur vis ſiue coactio. 628
2. Quomodo diuidatur coactio. 629
3. Vtrum metus cadat in conſtantem virum, & quis ſit vir conſtans. 632
4. Vtrum vis euacuat matrimonij conſenſum. 633
5. Vtrum metus in eo qui vim patitur, aliquod relinquat peccatum. ibid.

DISTINCTIO XXX.

Art. 1. QVid ſit error. 635
2. Vtrum error ex ſui natura euacuet & impediat matrimonium. 636
3. Quid ſit error perſonæ. ibid.
4. Vtrum erroris diuiſio quam ponit Magiſter in litera, ſit bene aſſignata. 637
5. Vtrum Lia coniugens ſe Iacob quando conſenſerat in Rachel, mortaliter peccauerit, & adulterum commiſerit. 638
6. Vtrum aliquis adorans diabolum peccet mortaliter. ibid.
7. Vtrum ſuſcipiens hæreticum peccet mortaliter. ibid
8. Vtrum erat verum matrimonium inter Ioſeph & glorioſam Dei genitricem Virginem. 639
9. Vtrum Sacramentum matrimonij inter Mariam & Ioſeph fuit perfectum, & an iuſtè Ioſeph voluit Mariam dimittere. 641
10. Vtrum bonum matrimonij iſtius fuit bonum prolis. 641
11. Vtrum votum caſtitatis beatæ Virginis contrariebatur conſenſui matrimoniali. 643
12. Vtrum inter beatam Virginem, & Ioſeph fuit indiuiduitas vitæ. ibid.
13. Vtrum matrimonium poteſt fieri pluribus de cauſis. 645

DISTINCTIO XXXI.

Art. 1. IN quo genere boni ſit matrimonium. ibid.
2. Vtrum bona matrimonij ſint in eodem genere cum matrimonio, aut ſint in genere boni honeſti. 646
3. Quod bonorum matrimonij ſit præſtantius. 647
4. Vtrum iſta bona conueniant matrimonio inquantum eſt remedium. 648
5. Vtrum hæc bona matrimonij habeat omne matrimonium. ibid.
6. Vtrum iſta bona conueniant matrimonio inquantum initiato rato vel conſummato. 649

7. Vtrum bonum nuptiale sit tripartitum. 649
8. Vtrum fides secundum quod est bonum matrimonij, bene definiatur. 650
9. Quis sit actus fidei. ibid.
10. Vtrum matrimonium operetur bonitatem prolis vel substantiam matrimonij. 651
11. Quid sit diuortium. 652
12. Qui sint qui possunt denuntiare causas diuortij. ibid
13. Vtrum & quando potest matrimonium accusari. 654
14. Vtrum matrimonium imprimat characterem. 656
15. An conseruatio continentiæ sit de confirmantibus matrimonium, & essentiam eius. 656
16. Vtrum matrimonium habeat bona matrimonij. 657
17. Vtrum inter illos est matrimonium qui causa libidinis exercendæ copulantur. ibid.
18. Quæ pœnitentia debetur illis qui venena sterilitatis procurant. 658
19. Vtrum actus reddendi debitum sit meritorius. 659
20. Vtrum ardentior amator suæ vxoris potius comparetur adultero quam fornicatori 660
21. Quando coitus est bonus. 661
22. Vtrum prægnantibus sit reddendum debitum. 663
23. Vtrum sit mortale peccatum tempore orationum statuto petere debitum. 665
24. Vtrum in coniuge propria potest esse vsus contra naturam, & an coeuntem contra vsum debitum contingit peccare moraliter. ibid.
25. Vtrum coitus procedens vltra necessitatem sit mortale peccatum. 666
26. Quæ sint illa quæ Apostolus secundum veniam concessit. 667
27. Vtrum omnis coitus sit vitium vel peccatum, & vnde habet illud peccatum vel vitium. 668
28. Vtrum cognoscens vxorem suam aliquo casu sit repellendus ab Ecclesia. 669
29 Vtrum coniuges matrimonialiter coniuncti sint inter se æquales. 679

DISTINCTIO XXXII.

Art. 1. VTrum semper & æqualiter contingit reddere debitum. 672
2. Vtrum soluere debitum sit de perfectione sanctitatis matrimonij. ibid.
3. Vtrum debitum debet solui non exigenti 673
4. Vtrum vir potest vouere non reddere debitum sine consensu vxoris. 673
5. Vtrum alter coniungum potest abstinere à reddendo debito, vt vacet orationi. ibid.
6. Vtrum si mulier aliquid vouerit viro consentiente, ipsa teneatur ad obseruationem viro postmodum repugnante. 674
7. Vtrum mulier quæ permittente viro vouerit continentiam, viro postea prohibente teneatur reddere debitum. ibid.
8. Vtrum in matrimonio debitum semper sit reddendum. 675
9. Vtrum liceat in matrimonio in temporibus nominatis in litera coniuges conuenire. 676
10. Vtrum in qualibet hora dictorum festorum semper sit abstinendum. ibid.
11. Vtrum quando vacandum est orationi, possit aliquis reddere debitum. 677
12. Vtrum alter coniugum soluens debitum eodem die edere carnes agni possit, & an etiam exigens possit accipere corpus Domini, & an eodem die quando acceptum est corpus Domini, possit reddere debitum. 678

DISTINCTIO XXXIII.

Art. 1. VTrum matrimonium sit naturale vel de iure gentium. 682
2. Vtrum habere plures vxores sit naturale. 683
3. Vtrum vnam mulierem habere plures viros sit contra naturam. 685
4. Vtrum ante legem gratiæ solum libidinosi fuerint bigami. 686
5. Vtrum aliquando licuit habere concubinam. ibid.
6. Qualiter bonum Sacramenti in coniugiis antiquorum saluabatur. 687
7. Vtrum vnquam licuerit alicui viro habere plures vxores. ibid.
8. Vtrum concubitus Loth cum suis filiabus licuit. 688
9. Vtrum immoderatus vsus nostri temporis fere imitetur turpitudinem fornicationis temporis antiquorum. 689
10. Vtrum difficilius fuerit continere temporibus antiquis quam his temporibus. ibid.
11. Vtrum sub diuersis legibus eodem modo excusabantur qui habebant plures vxores. ibid.
12. Vtrum concubitus moderatus possit abesse à libidine. 690
13. Vtrum gula sit bene definita. ibid.
14. Vtrum gula sit peccatum carnale. 692
15. Vtrũ gula sit circa delectabile gustui. ibid.
16. Vtrum omnis motus gulæ sit peccatum, & an semper gula sit peccatum mortale, & an sit magis peccatum quam luxuria. 693
17. Vtrum gula sit vitium capitale. 694
18. Vtrum quinque species gulæ à Gregorio sint bene assignatæ. 695
19. Vtrum filiæ gulæ sint bene assignatæ. 696
20. Vtrum bene sentiunt sancti qui dicunt bonum esse omnes homines esse virgines. 698
21. Vtrum concubinæ Patriarcharum ancillæ fuerint vel vxores. ibid.
22. Vtrum patres antiqui habentes vxores, & ancillas, seruabant fidem thori. 699
23. Libellus repudij cuiusmodi fuit, & quid scribebatur in ipso, ibid.

24. Quare libellus repudij fuit permissus, 700
25. Vtrum dimittens vxorem per libellum repudij, & repudiata poterant saluari. 701
26. Vtrum aliquæ vxores dicuntur, & quæ sint illæ. 702

DISTINCTIO XXXIV.

Art. 1. QVid sit legitimitas personarum contrahentium, & à qua lege dicantur legitimi. 704
2. Quid sit numerus eorum qui matrimonium impediunt. 705
3. Quare hoc solum Sacramentum habet impedimenta. 706
4. Vtrum frigiditas sit impedimentum matrimonij. 707
5. Vtrum mulier volens separari à viro propter impotentiam, debet iurare septima manu amicorum quod non sit cognita à marito. 706
6. Vtrum separatione facta propter impotentiam, & postea compertum est per iustum iudicium non fuisse impotentiam si contraxerint cum aliis, an debeant separari. 708
7. Vtrum si vir cui imputatur impotentia, asserit se reddidisse debitum, mulier vero negat, an sit standum assertioni viri. 709
8. Vtrum maleficij impedimento aliquis potest impediri à potentia coeundi. ibid.
9. Vtrum maleficium sit excludendum per maleficium. 710
10. Vtrum maleficiati debeant separari. 711
11. Vtrum furia impediat matrimonium. ibid.
12. Vtrum ille qui cognouit vnam sororem, potest aliam ducere in vxorem. 712
13. Vtrum aliquis potest dimittere vxorem quantulacunque causa, dempta sola fornicatione. 713

DISTINCTIO XXXV.

Art. 1. VTrum ius vtriusque in separatione est æquale. 713
2. Vtrum viri mulieres suas adulteras debent accusare ad Sacerdotes. ibid.
3. Vtrum adulteri teneantur se dimittere & separari, vel an possint simul habitare. 715
4. Vtrum vir qui fornicationis expers fornicariam dimiserit, potest alij copulari. 716
5. Vtrum vir potest fornicariam dimittere, & alteri copulari, sicuti falso imponitur Ambrosio qui hoc senserit. 717
6. Vtrum vir teneatur dimittere adulteram. 718
7. Qualiter debeat fieri adulterij accusatio. 719
8. Quando admittitur maritus ad accusationem vxoris adulteræ, & an potest fieri per sodomiam, & an de hæresi, & reliquis casibus. ibid.
9. Vtrum effectus separationis sit præcisio à thoro. 720
10. Vtrum septem casibus non debet nec potest fieri accusatio ad separationem thori, & qui sint illi septem casus. 721
11. Vtrum post latam sententiam de separatione tenetur vir recipere adulteram si ipse adulterauerit. 723
12. Vtrum mulier adultera teneatur viro reuocanti eam reconciliari post sententiam de separatione thori etiamsi noluerit. ibid.
13. Vtrum mulier adultera post sententiam adulterij potest repellere virum ab accusatione. 724
14. Vtrum vir adulteratus occultè sine peccato potest agere ad separationem thori contra mulierem adulteram manifestè. ibid.
15. Vtrum mulier post reconciliationem amisit ius petendi debitum. 725
16. Vtrum adultera valeat duci in coniugio. 726

DISTINCTIO XXXVI.

Art. 1. QVid sit conditio impediens matrimonium. 727
2. Vtrum seruitus impediat matrimonium. 728
3. Vtrum impediat ex iure naturali vel positiuo. ibid.
4. Vtrum seruus vnius potest contrahere cum ancilla alterius. 730
5. Vtrum vir potest se dare in seruum alteri sine consensu vxoris, & absolui per hoc à redditione debiti. 731
6. Vtrum masculi ante xiv annos, & puellæ ante xii. annum inire possint matrimonium. 733

DISTINCTIO XXXVII.

Art. 1. VTrum ordo impediat matrimonium 734
2. Vtrum ordo sit impedimentum matrimonij temporale, locale, particulare, vniuersale vbique & semper. 736
3. Vtrum omnis ordo sacer impediat matrimonium. ibid.
4. Vtrum habēs vxorem, si vxore consentiente sit ordinatus, ipsa vxor teneatur intrare religionem. 737
5. Vtrum ordinatus, vxore reclamante teneatur reddere debitum non obstante ordine. 738
6. Vtrum clerici orientales reclamantibus vxoribus possunt ordinari. ibid.
7. Vtrum vxores orientalium consentientes ordinationi suorum maritorum teneantur continere post mortem eorum. 739
8. Vtrum verum sit, quod in aliquibus ordinibus potest contrahi matrimonium nisi habitus religionis obsit. ibid.
9. Vtrum aliquis talium teneatur ducere virginem. ibid.
10. Vtrum aliquis talium potest ducere viduam aut repudiatam. ibid.
11. Vtrum impedimentum sit alicuius, & quantæ virtutis. 749

12. Quot & quæ sint crimina matrimonium impedientia. ibid.
13. Vtrum in tribus casibus qui polluit aliquam per adulterium, post mortem vxoris potest eam ducere in matrimonium. 740
14. Vtrum liceat maritis vxores adulteras interficere. ibid.

DISTINCTIO XXXVIII.

Art. 1. VTrum definitiones voti sint bene assignatæ. 743
2. Vtrum votum est eorum quæ sint sub consilio. 744
3. Qui sunt qui possunt vouere, & an Monachus, an vxor, & an filij siue cæteri de familia. 745
4. Vtrum votum reddere sit necessitatis. 746
5. Vtrum votum sit magis obligatorium quam iuramentum. 747
6. Vtrum votum habeat vim suæ obligationis. ibid.
7. Vtrum votum dicatur de voto, secundum vnam rationem. 749
8. Vtrum transgressio voti communis facit speciale peccatum. ibid.
9. Quare aliquod votum dicatur commune, aliquod singulare. 750
10. Vtrum votum commune recipiat dispensationem. 751
11. Vtrum diuisio voti singularis in priuatum & solemne sit bona. 752
12. Vtrum votum priuatum æqualis sit obligationis cum solenni. 753
13. Quis sit modus solennizandi votum. ibid.
14. Vtrum omne votum perpetuum potest solemnizari. 754
15. Vtrum votum priuatum continentiæ impedita matrimonium. ibid.
16. Vtrum omne votum recipiat dispensationem. 755
17. A quo voto potest fieri dispensatio. 756
18. Vtrum cum omnibus potest dispensari. 757.
19. Vtrum votum conditionale debeat impleri simpliciter. 758
20. Quæritur de voto interpretatiuo, an aliquis intrans religionem, & manens vltra tempus probationis, sit professus, & an sit compellendus, vt maneat & profiteatur. 759
21. Vtrum adulterium homicidio, & aliis peccatis sit grauius. 760
22. Quid faciendum sit mulieribus quæ putant maritos suos mortuos esse. 761
23. Vtrum redeunte marito alter potest manere cum ea quam putat vxorem propter scandalum. 761

DISTINCTIO XXXIX.

Art 1. VTrum dispar cultus faciat personam illegitimam. 762
2. Quare hoc potius conueniat fidei quam alteri virtuti. ibid.
3. Vtrum fides ratione alicuius articuli facit personam legitimam. 763
4. Vtrum si quis ducat hæreticam baptizatam, quæ nolit dimittere hæresim, debeat eam dimittere. 763
5. Vtrum dispar cultus matrimonio superueniens dissoluat matrimonium. 765
6. Vtrum aliquis in paganismo habens plures vxores, si conuertatur cum omnibus illis, omnes vel vna, & quæ sit vxor eius. 766
7. Vtrum propter infidelitatem potest vxor dimitti. 767
8. Vtrum propter mortale peccatum alter coniugum potest alterum dimittere. ibid.
9. Vtrum vnus coniugum fidelis potest alium dimittere ante mortem alterius. 769
10. Vtrum inter infideles sit verum matrimonium. 770

DISTINCTIO XL.

Art. 1. QVid sit consanguinitas. 771
2. QVnde dicatur consanguinitas. 772
3. Quid sit linea consanguinitatis. ibid.
4. Quæ sit lineæ diuisio. 773
5. Quid sit gradus. ibid.
6. Vtrum sint tres modi computandi gradus, & quis sit inter illos potior. 775
7. Vnde habeat Ecclesia audaciam prohibendi à matrimonio secundum istos gradus. 777

DISTINCTIO XLI.

Art. 1. VTrum affinitas sit. 778
2. Vtrum definitio affinitatis sit bene assignata. 779
3. Quot sint genera affinitatis. 780
4. Quomodo computantur gradus affinitatis. ibid.
5. Vtrum in æqualibus gradibus prohibetur & admittitur affinitas sicut consanguinitas. ibid.
6. Vtrum affinitas maneat post mortem illius gratia cuius est contracta. 782
7. Vtrum definitio publicæ iustitiæ sit bene data à Magistro. ibid.
8. Vtrum propinquitas hæc habeat aliquos gradus, & an sint illi gradus. 783
9. Quid iuris est de hac propinquitate. ibid.
10. Vtrum & qui filij sint legitimi. 785
11. Quis sit modus legitimandi. ibid.
12. Ad quid valeat legitimatio. 786

DISTINCTIO XLII.

Art. 1. VTrum sit aliqua spiritualis cognatio. 787
2. Quid sit spiritualis cognatio siue proximitas. ibid.
3. Vtrum spiritualis proximitas impediat matrimonium. 789
4. Quot sint species cognationis spiritualis. ibid.

5. Quibus Sacramentis contrahatur ista cognatio spiritualis 792
6. Quæ commatres,& qui compatres possunt contrahere. 793
7. Quid sit adoptio. 793
8. Quot sunt species adoptionis. 794
9. Qui possunt adoptari. 795
10. Vtrum quilibet potest adoptari. ibid.
11. Quis sit effectus adoptionis. ibid.
12. Quæ & quot sint species adoptionis. 797
13. Quid sit cognatio legalis. 797
14. Qualiter impediat matrimonium. ibid.
14. Vtrum geniti ante compaternitatem, vel post,sint illegitimi, vel solum in compaternitate. 798
16. Quot debent esse in pueri susceptione,& an non baptizatus potest suscipere baptizatum, & si confirmatus confirmatum. 799
17. Vtrum secundæ nuptiæ sint Sacramentum. 801
18. Vtrum matrimonium contra interdictum Ecclesiæ contractum sit separandum. ibid.

DISTINCTIO XLIII.

Art. 1. VTrum resurrectio mortuorum quandoque erit futura. 803
2. Quid sit resurrectio. 807
3. Vtrum resurrectio sit naturalis vel miraculosa. 808
4. Vtrũ causa resurrectionis erit vox tubę. ibid.
5. Vtrum Christus sit causa nostræ resurrectionis. 812
6. Vtrum vox tubæ erit vnius, aut plurium Angelorum. 813
7. Vtrum scibile sit tempus aduentus Domini. 814
8. Quota hora erit iudicium. 815
9. Quare citatio non præcedit iudicium. 816
10. Qualiter conscientiæ dicuntur libri. ibid.
11. Vtrum omnia peccata, vel quædam tantum contineantur in libris illis. ibid.
12. Vtrum propria, & aliena peccata patebunt omnibus. 817
13. Vtrum ex apertione illorum librorum erit aliquis cruciatus vel consolatio. 817
14. Vtrum iudicium extremum fiat in momento. 818
15. Vtrum sit possibile omnia mala in momento accusari. 819
16. Vtrum totum iudicium futurum sit in momento. ibid.
17. Vtrum electis adsit memoria & recordatio peccatorum. 820
18. Vtrum illa scientia est practica, vel speculatiua, quam habent electi de suis peccatis. 821
19. Qualiter dictum iudicium procedat per depositionem vnius testis. ibid.
20. Vtrum peccata electorum debent in iudicio propalari 822
21. Vtrum aliqui super mansuri sint viui & vestiendi immortalitate. 823
22. Vtrum resurrectio sit à morte, vel à cineribus. 824
23. Vtrum idem sit terminus resurrectionis à quo in bonis & malis. 825
24. Vtrum mali resurgent in mutilatione membrorum. 826
25. Vtrum dolores causati ex inæqualitate humorum manebunt. 827
26. Vtrum resurrectio Christi in omnibus resurgentibus appareat,cum sit causa nostræ resurrectionis. ibid.

DISTINCTIO XLIV.

Art. 1. VTrum resurgentibus sit statura vna vel diuersa. 829
2. Vtrum corpus glorioſum potest esse in minori loco, quam sit vel exigit. 830
3. Vtrum corpus glorioſum cum alio corpore non glorioſo possit esse in eod ẽ loco. 831
4. Vtrum duo corpora glorioſa possunt esse in eodem loco. 833
5. Qnid sit veritas humanæ naturæ. 834
6. Vtrum vna veritas humanæ naturæ sit in omnibus hominibus. 835
7. Vtrum aliquid de nutrimento vertatur in humanam naturam. ibid.
8. Quot sunt modi resolutionis:& in quo resurget costa, an in Adam vel in Eua,& quomodo resurgent qui vescuntur humana carne. 837
9. Vtrum homo resurget idem numero quoad materiam, ita quod materia cuiuslibet membri redeat. 838
10. Vtrum omnes capilli & vngues redeant in resurrectionem, & an veritas humanæ naturæ sit accidens. 839
11. Vtrum resurget idem homo qui mortuus fuit. ibid.
12. Vtrum latrones mutilati integro corpore resurgent. 840
13. Vtrum post resurrectionem mortuorum, sanctorum corpora sint impassibilia. ibid.
14. Quomodo corpora sanctorum dicantur impassibilia. 742
15. Vtrum omnia corpora glorioſa sint æqualiter impassibilia. 843
16. Vtrum sit idem vitio carere, deformitate & corruptione. ibid.
17. Vtrum agilitas conueniat corporibus glorioſis. ibid.
18. Quid sit dos agilitatis. 845
19. A quo causatur dos agilitatis. ibid.
20. Vtrum agilitas vno modo sit in omnibus Sanctis. 846
21. Vtrum corpora glorioſa mouebuntur. ibid.
22. Vtrum motus corporum glorioſorum erit in tempore vel in nunc temporis. 847
23. Vtrum corpori glorioſo conueniat subtilitas. ibid.
24. Vtrum talis subtilitas sit eadem cum spiritualitate. 848
25. Vnde causatur hæc subtilitas. 849
26. Vtrum æqualis sit hæc dos omnibus corporibus glorioſis. 850
27. Vtrum luminoſitas possit conuenire corpori humano. ibid.
28. Quid sit luminoſitas in corporibus humanis,& an interiora membra lucebunt. 851
29. Quanta sit luminoſitas glorioſorum corporum. 852

30. Vnde

30. Vnde cauſetur illa illuminoſitas in corporibus glorioſis. ibid.
31. Vtrum corpora glorioſa erunt æqualiter lucida. 853
32. Vtrum conuenienter in corportibus glorioſis ſint quatuor dotes. 854
33. Vtrum in damnatis maneant defectus naturales. ibid.
34. Vtrum corpora damnatorum ardeant, & non comburantur, 855
35. Vtrum anima patiatur in corpore vel à corpore. 856
36. Quare non poteſt attribui corporibus damnatorum alius modus paſſionis. 857
37. Vtrum ignis corporeus cruciat dæmones. 858
38 Vtrum ignis ſit corporeus. 859
39. Vtrum ignis corporeus ſit vel eſſe poſſit, vt non deſtruatur. 860
40. Vtrum idem ſit damnatis ignem videre, & in igne cruciari. 861
41. Vtrum anima ſit effigiata vt corpus. 862
42. Vtrum ſpiritus ſint in locis non corporalibus. ibid.
43. Vtrum verum ſit quod animæ priuentur ſenſibus. ibid.
44. Vtrum fœtus abortiui & monſtra reſurgent, & an tales habebunt dotes. 864
45. Vtrum ſint quinque receptacula animarum poſtquam ſeparantur à corpore. ibid.

DISTINCTIO XLV.

Art. 1. VTrum ſuffragia quæ facit vnus, alteri valeant. 866
2. Vtrum ſuffragia valeant defunctis. 867
3. An ſuffragia valeant decedentibus in mortali peccato. 868
4. Vtrum ſuffragia valeant his qui ſunt in purgatorio. 870
5. Vtrum ſuffragia profuerunt patribus in limbo. ibid.
6. Vtrum proſint ſuffragia pueris baptizatis. ibid.
7. Vtrum ſuffragia proſint ſanctis in patria. 871.
8. Quæ ſuffragia magis valeant. ibid.
9. Qui ſint illi per quos debent fieri ſuffragia. ibid.
10. Vtrum peccent illi qui pompas exequiarum faciunt. 872
11. Vtrum potior ſit conditio diuitis quam pauperis, & an melius ſit facere ſuffragia communia quam ſpecialia. 883
12. Vtrum Sancti audiant preces ſupplicantium. 875

DISTINCTIO XLVI.

Art. 1. VTrum diuiſio quam ſupponit Magiſter, ſcilicet quod aliqui ſint valdè boni, & aliqui valdè mali, ſit bona. 877
2. Quot ſint opiniones de ſuffragiis reſpectu damnatorum. 830
3. Vtrum in omni opere Domini ſit miſericordia & veritas. 882
4. Vtrum aliqua ſit vita æterna. 882
Quid ſit vita æterna. ibid.
6. Vtrum vita æterna conueniat ratione eſſentiæ vel ratione potentiæ ſpiritibus beatis. 883
7. Vtrum damnati viuant vita æterna. ibid.
8. Quid ſit mors æterna. 884

DISTINCTIO XLVII.

Art. 1. VTrum ſententia iudicis in extremo iudicio ſit vocalis vel mentalis. 885
2. Vtrum Sancti aliqui iudicabunt cum Domino. 885
3. Quis erit modus iudicandi ſanctorum. ibid.
4. Vtrum alij Sancti habebunt ſe alio & alio modo. 887
5. Vtrum in iudicio erunt quatuor ordines iudicandorum. 888
6. Vtrum ignis qui præcedit iudicium, ſit eiuſdem ſpeciei cum igne elementali. 890
7. Quis erit effectus ignis conflagrationis in mundo. ibid.
8. Quis erit effectus ignis conflagrationis in hominibus. 891
9. Quo abibit ignis conflagrationis. 892
10. Vtrum ignis conflagrationis aliquid moleſtiæ inferat bonis. ibid.
11. Vtrum præcedit iudicium ignis conflagrationis vel ſequitur. ibid.

DISTINCTIO XLVIII.

Art. 1. VTrum Chriſtus iudicabit in forma hominis. 893
2. Vtrum diuinitas ſine gaudio videri poſſit. ibid.
3. Vtrum omnes tam boni quam mali videbunt formam gloriæ humanitatis Chriſti. 895
4. Vtrum viſio Dei in patria debeat dici vita æterna. ibid.
5. Vtrum Chriſtus in forma ſerui iudicans videbitur à bonis & malis. ibid.
6. Vtrum ſit aliquis locus, in quo ſit Deus iudicaturus mundum. 897
7. Vtrum in iudicio extremo Sol & Luna eclipſim patientur. 898
8. Vtrum lux ſolis erit maior poſt iudicium quam fuit ante. ibid
9. Vtrum tunc erunt vices diei & noctis. ibid.
10. Vtrum Sol & Luna præſtabunt beatis lucem. ibid.
11. Vtrum infernus ſit in ſuperficie terræ. ibid.
12. Vtrum aliquid aëris ſit in inferno. 899

DISTINCTIO XLIX.

Art. 1. QVid ſit manſio. 900
2. Vtrum omnes beati habeant diſtinctas manſiones. 901
3. Quomodo & vbi diſtinguantur manſiones. 902

4. Quid ſit claritas animæ. 902
5. Quid ſit videre per ſpeciem. ibid.
6. Vtrum beatitudo ſit bene definita à Philoſopho. 904
7. Vtrum omnes velint eſſe beati. 907
8. Vtrum vnus beatorum cognoſcit aliud quod non cognoſcit alter. 908
9. Vtrum gaudium ab Auguſtino ſit bene definitum. 909
10. Vtrum in omnibus beatis ſit par gaudium. 910
11. Vtrum beatitudo ſanctorum erit maior poſt iudicium quam ante iudicium. 911
12. Vtrum anima iterum appetat vniri corpori. ibid.

DISTINCTIO L.

Art. 1. VTrum peccent damnati in inferno. 913
2. Vtrum dæmones peccent apud inferos. ibid.
3. Vtrum damnati poſſunt velle aliquid bonum. 914
4. Vtrum apud inferos erunt perpetuæ & exteriores tenebræ. 915
5. Vtrum damnati erunt penitus extra Deum. 916
6. Vtrum damnari odiunt Deum. ibid.
7. Vtrum mali habent notitiam eorum quæ hic fiunt. 917
8. Vtrum boni habent notitiam eorum quæ hic fiunt. ibid.
9. Quomodo intelligatur diuitem in inferno habuiſſe linguam. 918
10. Vtrum boni & mali videbunt ſe inuicem. 919
11. Vtrum beati vident omnia quæ aguntur in creaturis. 920
12. Vtrum corpus glorioſum ſenſus habeat, & qui dicuntur pedes & caput. 921

PRIVILEGE DV ROY.

LOVYS par la grace de Dieu, Roy de France & de Nauarre, à Nos Amez & feaux Conſeillers, les Gens tenans nos Cours de Parlements, Maiſtres des Requeſtes ordinaires de Noſtre Hoſtel, Baillifs, Seneſchaux, Preuoſts, leurs Lieutenants, & à tous autres de nos Iuſticiers & Officiers qu'il appartiendra, Salut : Noſtre cher & bien Amé IEAN-ANTOINE HVGVETAN, le fils, Marchand Libraire à Lyon, Nous a fait remonſtrer qu'il deſireroit imprimer les *Oeuures d'Albert le Grand*, ce qu'il ne peut faire ſans grand frais, deſquels il craindroit d'eſtre fruſtré s'il n'auoit Nos lettres ſur ce neceſſaires, leſquelles il nous a tres-humblement ſuppliés de luy accorder. A CES CAVSES, Nous auons permis & permettons par ces preſentes, à l'Expoſant d'imprimer ou faire imprimer, vendre & debiter en tous les lieux de noſtre obeiſſance ledit liure, en vn ou pluſieus Volumes, en telles marques, en tel Caractaire, & autant de fois qu'il voudra, durant vingt ans entiers & accomplis, à compter du iour que chaque Volume ſera acheué d'imprimer pour la premiere fois : & faiſons tres-expreſſes deffences à toutes perſonnes de quelle qualité & condition qu'elles ſoyent de l'imprimer, faire imprimer, vendre ny debiter en aucun lieu de noſtre obeyſſance ſoubs pretexte d'augmentation, correction, changement de tiltre, fauſſes marques ou autrement, en quelque ſorte & maniere que ce ſoit, ſans le conſentement de l'Expoſant ou de ceux qui auront droit de luy, à peine de quinze liures d'amande, payables par chacun des Contreuenans, & applicables vn tiers à Nous, vn tiers à l'Hoſtel Dieu de Paris, & l'autre tiers audit Expoſant, de confiſcation des Exemplaires contrefaicts, & de tous depens dommages & intereſts, à cõdition qu'il ſera mis deux Exemplaires dudit Liure en noſtre Bibliotheque publique, & vn à celle de noſtre tres-cher & Feal le Sieur Seguier Cheualier, Chancelier de France, auant que l'expoſer en vente à peine de nullités des preſentes. Du contenu deſquelles Nous voulons que vous faſſiez iouïr plainement & paiſiblement l'Expoſant, ou ceux qui auront ſon droit, empeſchant qu'il ne leur ſoit donné aucun empeſchement, Voulons auſſi qu'en mettant au commencement ou à la fin de chaſque Volume dudit Liure, vn Extraict des preſentes, elles ſoient tenuës pour duëment ſignifiées, & que foy y ſoit adiouſtée & aux coppies, collationnées par l'vn de nos Amez & feaux Conſeillers & Secretaires, comme à l'Original. Mandons au premier Noſtre Huiſſier ou Sergent ſur ce requis, de faire pour l'execution d'icelles, tous exploits neceſſaires ſans demander autre permiſſion, CAR TEL EST NOSTRE PLAISIR, nonobſtant Clameur de Haro, Chartre Normandie, & autres lettres à ce contraires. Donné à Paris le neufiéme iour Nouembre l'an de grace mil ſix cens quarante-quatre, & de noſtre Regne le ſecond.

Signé par le Roy en ſon Conſeil.

CONRART.

Ledit Huguetan a aſſocié au ſuſdit Priuilege Claude Proſt, Pierre & Claude Rigaud Freres, & Hieroſme de la Garde, pour en iouyr auec luy durant le temps porté par iceluy, conformément à leur Scrit du 7. Fevrier 1644.

Acheué d'imprimer pour la premiere fois le 15. Iuin 1650.

D. ALBERTI

D. ALBERTI MAGNI, RATISBONENSIS EPISCOPI, ORDINIS PRÆDICATORVM, COMMENTARII IN QVARTVM LIBRVM SENTENTIARVM.

PROLOGVS.

SAPIENTIA ædificauit sibi domum, excidit columnas septem. Prouerb. 9. *In isto verbo præposteró ordine narrantur materia huius libri, & diuisio. Domus enim sapientiæ nos sumus, quos ædificat ad perpetuam inhabitationem per corporum resurrectionem, de qua domo dicit Psalm. Domine dilexi de-* Psal. 25. *corem domus tuæ, & locum habitationis gloriæ tuæ. Decor enim domus tuæ sunt dotes corporis, quas habebimus in resurrectione. Et ideo etiam sapientia dicitur ista ædificare sapienter, & exemplariter, & effectiue. Sapienter, vt ipsa coniunctione limi immortalitatis cum spirituali parte quæ ad imaginem est, admirabilis decor resultet sapientiæ. Exemplariter autem: quia ipse re-* Philip. 3. *formabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. Effectiue vero: quia sicut dicit Gloss. 1. Corinth. 5. Christi resurrectio causa efficiens est nostræ resurrectionis. Et in hac parte agit magister à 43. distinct. vsque in finem.*

Sed tunc quæritur, Quare præposteró ordine hæ partes accipiuntur isto verbo? Et ad hoc dicendum, quòd duplex est res huius sacramenti, scilicet contenta significata & causata, quæ est gratia sacramenti: & determinatur cum quolibet sacramento in eadem parte. Et est quædam res non causata ab aliquo vno sacramento, sed potius in omnibus secundum aliqua quæ sunt in

eo figurata & ſignificata: & eſt gloria reſurgentium: & hæc intenta eſt per omne ſacramentum. Et quia intentio prior eſt in medico ante opus: ideo Salomon in verbo prædicto præpoſuit id quod intenditur. In ordine autem executionis id quod intenditur, vltimo acquiritur: & ideo poſt omnia ponitur à Magiſtro.

In ſecunda parte illius ſermonis accipitur prima pars libri per hoc quod dicit [excidit columnas ſeptem] *Columna enim eſt cui innititur domus, ſicut Eccleſia vtitur ſacramento: & etiam reficiens ruinam domus, ſicut Eccleſia refulcitur gratia ſacramentali. Septem ergo columnæ ſunt ſeptem gratiæ ſacramentales, quæ cum ipſis ſacramentis determinantur. Exciſæ autem ſunt: quia in ipſo Chriſto diligenter præparatæ. Et de illis agit Magiſter in primo. Et diuiditur illa pars in duas, in quarum prima Magiſter agit de ſacramento nouæ legis & veteris. Et hæc pars tota continetur in prima diſtinctione. In ſecunda autem agit de ſacramento nouæ legis: & hæc incipit in ſecunda ibi* [*Iam ad ſacramenta nouæ legis accedamus*] *Iſtam autem diſtinctionem primam diuidit Magiſter in quatuor, ſicut patet cuilibet in litera, ſcilicet quid ſit ſacramentum, Quare inſtitutum, In quibus conſiſtat & conficiatur, Et quæ ſit differentia inter ſacramentum veteris & nouæ legis. Et patet etiam vbi iſta incipiunt in litera.*

EPILOGVS

EPILOGVS BREVIS SVPRA DICTORVM.

His tractatis quæ ad doctrinam rerum pertinent, quibus fruendum est, & quibus vtendum, & quæ fruuntur & vtuntur, ad doctrinam signorum accedamus.

LIBRI QVARTI SENTENTIARVM, PETRI LOMBARDI,

DISTINCTIO PRIMA.

SAMARITANVS enim vulnerato appropians, curationi eius sacramentorum alligamenta adhibuit: quia contra originalis peccati & actualis vulnera sacramentorum remedia Deus instituit: de quibus quatuor primo considerandа occurrunt, Quid sit sacramentum, Quare institutum, In quibus consistat & conficiatur, Et quæ sit distantia inter sacramenta veteris & nouæ legis.

AATICVLVS PRIMVS.

An sacramentum sit necessarium?

INcidunt autem quæstiones ante literam quatuor, scilicet an sacramentum sit, & de differentia gratiæ sacramentalis ad gratiam quæ est in virtutibus & donis. Tertio, quot numero sint sacramenta. Quarto, de ordine ipsorum adinuicem.

Ad primum autem horum proceditur sic: Nihil superfluum est in natura: ergo multo minus in gratia: sed per virtutes & dona sufficienter curatur homo à peccato, & adiuuatur ad bonum: ergo superflua sunt sacramenta: ergo non sunt, quia superfluum non est in gratia. Prima constat. Media probatur ex hoc quod quodlibet peccatum expellitur per sibi optatam virtutem, & quælibet virtus ordinatur in bonum sui actus.

2 Item, Non est de ordine sapientiæ quòd fortius iuuetur ab infirmiori: corporalia autem elementa in quibus omne sacramentum consistit, infirmiora sunt anima hominis & inferiora: ergo videtur, quòd sacramentum esse non debeat.

3 Item, Aut debilior ostenditur artifex aut instrumentum suum, qui quandoque curauit vno instrumento morbum aliquem, & postea eget duobus: sed quandoque curauit Deus fide sola morbum, vt habebimus in sequenti distinctione, modo autem curat fide & sacramentis: ergo vel ipse vel fides debilior est, quod cum falsum sit, videtur quòd non sit necessarium sacramentum.

4 Item, Philosophus in 16. animalium. Si non tangit, non agit, & non sequitur alteratio: sed elementum corporale in quo omne sacramentum confertur, vt habebimus in litera, animam non tangit: ergo in ipsam non agit, & non sequitur alteratio sanitatis in anima: ergo sacramentum est inutile. Sed si forte tu dicas, quòd hæc ratio non valet nisi de his quæ sunt causa salutis, &

non de his quæ ſunt ſigna: quia ſpirituale bene ſignificatur corporalibus: licet illa ratio probat, quòd non poſſet curari in ipſo. Contra: Dicit Magiſter Hugo in 8. parte libri de ſacramentis, quòd illa ſacramenta quæ ſunt ſigna tantum, non ſunt ſacramenta niſi inquantum ſignificant illa quæ ſunt cauſa gratiæ: ſi ergo neceſſarium ſit cauſans, neceſſarium erit ſignans: ſed neceſſarium eſt cauſans, vt probatum eſt: ergo neceſſarium erit ſignans: & ſic omnino neceſſarium erit ſacramentum, vt videtur.

5 Item, Sacramentum videtur eſſe ritus idololatriæ, & quaſi imitamur in eis athletas Gentilium: quia dicit Apoſtolus Galat. 4. Quomodo conuerſi eſtis nunc ad infirma & egena elementa, quibus denuo ſeruire vultis?

Sed contra. SED CONTRA: In medicina corporum non eſt idem modus regendi ſanum, & curandi infirmum: ergo nec in medicina ſpirituali idem modus erit. Conſtat autem, quòd per virtutes & dona regitur ſanus: quia ſi homo non peccaſſet, ipſe haberet virtutes & dona: ergo non per illa debet curari, ſed per alia: & hæc ſunt ſacramenta: ergo ſacramenta ſunt neceſſaria.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd ſacramenta ſunt, & neceſſaria ſunt ad ſalutem, ſine quibus à tempore morbi nulla fuit ſalus.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd per virtutes & dona quantum eſt de ſe, non ſubſtantialiter curatur morbus. Duo enim ſunt quæ exiguntur in medicina curante morbum: vt per contrarietatem morbum expellat, & hoc ſolum habent virtutes & dona: & vt ſeniendo dolorem quaſi vngendo & fouendo naturam animæ ſanet, & hoc per ſe habent ſacramenta, in quibus vngit ſanguis Chriſti & operatur. Et hæc ſolutio eſt vera. Aliter dicunt quidam, quòd multa medicamina ad idem non ſuperfluunt: quia citius ſanitas per multa quam per pauca acquiritur. Sed licet hoc verum ſit: non tamen virtutes & dona ſunt ſubſtantialiter ordinata contra morbum peccati: quia etiam haberentur ſi non eſſet peccatum: & ideo quod ſanant eum quandoque, hoc eſt per accidens, ſcilicet quia inueniunt eum in ſubiecto. Vel dicatur ad hæc verius: & tunc ſoluitur totum, quòd eſt ſolutio morbi à parte noſtra: & hæc fit per gratiam quæ eſt in virtutibus & donis, per quæ nos meremur ſanitatem mentis, per peccatum perditam. Et ſolutio alia eſt per virturem Paſſionis Chriſti, ſine qua nullum meritum noſtrum aliquid valet, ſicut habitum eſt in tertio lib. & hæc ſolutio morbi fit in ſacramentis, in quibus Chriſti Paſſio operatur.

AD ALIVD dubium dicendum, quòd de ordine ſapientiæ eſt, vt per humilitatem reſurgat ſuperbus. Et niſi natura ſuperior ſe iniuſte ſuperiori ſe oppoſuiſſet, non inferiori ſubleuaretur: ſed quia oppoſuit ſe & ſubiecit ſeipſam, ideo ordinatiſſimum fuit vt per inferiorem ſe reſurgeret.

AD ALIVD dicendum, quòd nunquam fides ſine ſacramento legis nouæ ſalutem operata eſt: ſed tantum intererat, quòd ſanabat antiquitus ſacramentum in fide expectantium, & modo in opere exercitantium. Alij dicunt aliter, ſcilicet quod valuit quandoque fides ſe ſola ad iuſtificationem, hoc fuit per ſe: quòd autem modo non ſola facit, hoc eſt per accidens, ſcilicet gratia ſtatus: & non eſt ex hoc infirmior: ſicut præceptum ſufficit alicui ad ſalutem ſine voto conſiliorum: ſi autem votum ſuperuenerit, non ſufficit: & tamen propter hoc non eſt debilior obedientia in præceptis quam primum fuit: ſed hoc eſt propter alium ſtatum fidelis.

AD ALIVD dicendum, quòd ſacramentum tangit: & ideo ſequitur alteratio in anima: tangit enim inquantum eſt ſignum & cauſa. In ſacramento enim non eſt viſibile elementum tantum: ſed ſanctificatio coniuncta, cuius virtus per fidem pertingit in animam: & ideo alterat & ſanat eam. Et hoc infra magis patebit in litera, cum quæretur, Quid ſit ſacramentum?

Ad aliud dicendum, quòd in ſacramentis nullus eſt ritus athletarum idololatriæ: quia illi conuertebant ſe ad elementa, credendo eis ineſſe numen ex natura ſua. Et ideo diuerſimode: quia quidam virtutes naturales in elementis, & elementa Deos putabant: & cuilibet actui naturæ conſtituerunt proprium Deum, ſicut dixit Varro: & ſtellas Deos vocabant. Alij dicebant animam mundi diffuſam in toto orbe, & præcipue animam quæ eſt virtus intelligentiæ quam ponebant in decimo ordine, qui eſt ſub ſphæra lunæ. Et ideo dicit Apoſtolus: Quomodo conuerſi eſtis ad infirma (quoad primum) & egena elementa, quoad ſecundum: quia nec virtutem habent ex ſe, vt dij dicantur: nec animæ ſunt in eis, vt ſic dicantur egeni. Sed noſtra elementa ſunt virtuoſa & ditia: virtuoſa, quia Paſſio Chriſti operatur in eis: ditia vero, quia continent gratiam quam figurant: & ideo ſalubre eſt conuerti ad ipſa. Galat. 4.

ARTICVLVS II.

An ſint ſeptem ſacramenta, vel plura: & an ſacrament ſubſtantialem ordinem habeant ad venialem?

SEcundo quærirur de numero ſacramentorum. Videtur enim, quòd non ſit niſi vnum ſolum neceſſarium: quia baptiſmus delet totum morbum, delet enim quicquid inuenit: hoc autem eſt totus morbus: ergo non eſt neceſſaria medicina amplior, vt videtur.

2 Item, In Euchariſtia tota gratiæ plenitudo continetur, & ipſe gratiæ auctor: ergo videtur, quòd ſola Euchariſtia ſufficiat.

3 ITEM, Videtur, quòd non debeant eſſe niſi duo: quia non ſunt niſi duæ ſpecies morbi, ſcilicet naturale peccatum, de quo dicit Pſalm. Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum, &c. Et perſonale de quo dicit idem: Tibi ſoli peccaui, & malum coram te feci. Ergo videtur, quòd non debent eſſe niſi duæ ſpecies medicinæ: ergo non debent eſſe ſacramenta, niſi baptiſmus, & pœnitentia. Pſal. 50.

4 Item, Dicit Hieron. quod ſecunda tabula poſt naufragium eſt pœnitentia: naufragium autem illud eſt periculum fractæ nauis gratiæ baptiſmalis: ergo ante hoc non fuit nauis ſaluans niſi baptiſmus à periculo amiſſæ innocentiæ primæ in Adam: ergo non niſi duo ſacramenta ſunt neceſſaria.

VIDETVR autem, quòd ſint tria. Sacramentum enim inſtituitur propter morbum: morbus

bus autem non habet remedium nisi duobus modis, scilicet quia turpitudo quæ curari non potest, excipitur honestate aliqua & excusatur: & quia medela contra morbum ponitur. Primum autem sufficienter fit per matrimonium: secundum per baptismum & pœnitentiam. Ergo non videntur esse necessaria nisi tria sacramenta.

3 Item, Tres vires sunt in homine læso, scilicet rationalis, concupiscibilis, & irascibilis: ergo tribus triplex tantum apponenda est medicina: ergo non erunt nisi tria sacramenta, vt videtur.

VIDETVR iterum, quod debeant esse quatuor: quia omne sacramentum debet esse sacramentum Ecclesiæ: ergo debet in manu ministrorum esse: ergo necessarium est ad hoc sacramentũ quod constituat ministrum: & hoc est ordo. Et insuper triplex est morbus, scilicet duplicis culpæ, naturalis, & personalis, & pœnæ quæ relinquitur ex vtroque.

2 Item, Tres sunt status sub ministris Ecclesiæ, scilicet intrantes, viuentes, & exeuntes: ad ministrum autem consummandum exigitur ordo: sed intrantes accipiunt baptismum: viuentes, quia vita hæc polluta est, indigent pœnitentia: sed exeuntes vnctione extrema: ergo non sunt necessaria sacramenta nisi ista quatuor, vt videtur.

ADHVC videtur, quòd debent esse quinque: cura enim animæ est ad similitudinem curæ corporalis: in corpore autem cura multiplicatur secundum species morbi, & secundum nocumenta quæ intulit morbus: vt deperditionem curat sapiens medicus per restauratiua humiditatis, debilitatem autem per confortantia, & morbum per expulsiua morbi. Cum igitur sint in anima tres species morbi, scilicet naturalis, actualis mortalis, & actualis venialis: & duo damna illata, scilicet deperditio & consumptio naturalis boni in simplicitate animæ vel spiritualitate, & debilitas standi vel resurgendi: videtur, quòd contra ista quinque tantum debent ordinari quinque sacramenta.

ADHVC videntur debere esse sex: quodlibet enim genus morbi suam pœnam habet, & damnum adiunctum: cum ergo sit triplex culpa (vt dictum est) erit triplex pœna illi coniuncta. Cum igitur sacramentum sit inuentum, vt excludatur totus morbus in culpa & pœna: videtur, quòd tria debent esse contra culpam, & tria contra pœnam. Item, Creationi debet respondere secundum numerum recreatio: creatio autem fuit in sex diebus: ergo in sex sacramentis tota consistere debet salus recreationis.

QVOD AVTEM debeant esse plura sacramenta quam septem, videtur ex hoc quod sacramentum est causa & signum gratiæ: sed aqua benedicta causat, & signat gratiam: ergo est sacramentum. Eadem obiectio est de benedictione pontificali, in qua remittuntur venialia: ergo est sacramentum.

2 Item, Obiicitur fortius. In veteribus sacramentis fuit materia aqua in aspersione. Item oleum in multis sacrificiis. Item fuerunt ibi carnes & sanguis in sacrificiis. Cum ergo illa sacramenta sint signa nostrorum sacramentorum, videtur quòd alia debemus habere, in quibus materiale elementum sit caro & sanguis: & hæc non habemus: ergo sumus minuti in sacramentis.

Quæstiuncula.

VLTERIVS ad intelligentiam quæstionis quæritur, Vtrum aliquod sacramentum substantialem ordinem habeat contra veniale? Videtur, quod sic: quia est morbus: ergo recipit medicinam: ergo summe sapiens medicus parauit eam: ergo aliquod sacramentum substantialiter ordinatur contra veniale.

2 Item, Dicit Iacobus, Oratio fidei saluabit infirmum, & alleuiabit eum Dominus: & si in peccatis sit, dimittentur ei: hæc autem non sunt nisi venialia quæ adhæserunt ei, vt videtur: ergo illud est ordinandum contra venialia. Et hoc concedunt quidam. *Iacob 5.*

SED CONTRA. Venialia sunt in tota vita: ergo in tota vita debet habere remedium, & non in morte tantum: vel insufficiens est medicus. *Sed contra.*

2 Item, Eadem ratione dicitur Euchatistia valere contra venialia, sicut vnctio extrema.

3 Item, Quod curat maius, curat & minus: ergo pœnitentia valet contra veniale & mortale.

4 Item, Infra in tractatu de pœnitentia Magister specialem facit tractatum de confessione & satisfactione venialium: ergo videtur, quòd hæc sit contra veniale ordinata, sicut & vnctio extrema.

5 Item, Si aliqua res curatur æqualiter à plubus causis diuisis, nulla illarum erit substantialiter ordinata contra id: sed veniale à pluribus sacramentis diuisim curatur: ergo à nullo sicut substantiali medicina contra se ordinata.

SOLVTIO. Sine præiudicio hoc vltimum videtur mihi esse concedendum, quòd nullum sacramentum secundum se ordinatur contra veniale. Diuisio autem sacramenti multipliciter accipitur à Magistris, sicut patebit infra in principio secundæ distinctionis. Sed mihi videtur hic, quòd si vera deberet tradi diuisio, quòd oporteret eam sumi penes multiplicationem eorum quæ substantialia sunt sacramento: hæc autem sunt causa, & signum. Vnde penes diuisionem causæ dabimus vnam, & penes diuisionem signi dabimus alteram. Supponitur igitur id quod infra probandum est in quarto articulo quæstionis, quòd omnis gratia sacramentalis ordinatur contra morbum peccati. Item supponitur, quòd omne sacramentũ Ecclesiæ confert gratiam aliquam contra morbum, sicut est matrimonium. Tunc dico, quòd morbus est, aut secundum culpam, aut secundum pœnam relictam quidem ex culpa, licet etiam ordinantem ad culpam, sicut est pronitas concupiscentiæ. Culpa autem est duplex, scilicet originalis, & personalis mortalis. Pronitas autem peccandi duplex scilicet secundum hoc quod pronitas est, quia sic inducit pugnam: vel secundum effectum quem inducit ex frequentia inclinationis in malum: & hæc est duplex tantum, scilicet deperditio spiritualis boni in anima, ita quòd indigeat restauratione, & inhabilitas membrorum organicorum, ad hoc quod moueantur ab anima in bonum, & inhabilitas animæ ad mouendum: & hæc est quædam reliquia peccati inducens langorem in anima mouente, & corpore moto ad bonum, per omnem eundem modum sicut videmus incendium innaturalis caloris facere in corpore: hoc enim consumit humidum quod est radix vitæ, & stolida facit membra, & virtutes membris affixas debilitat, & aufert à membris flexibilitatem, & à virtutibus facilitatem mouendi. Pronitas autem quæ facit pugnam, iterum habet duas considerationes: se- *Solutio.*

cundum id quod corrupta tantum : vel ſecundum id quod corrupta & infecta in delectationibus, ſecundum concupiſcentiam quæ eſt in generatiua.

Dicimus ergo, quòd remedia multiplicantur ſecundum iſta vulnera. Morbus enim peccati aut eſt naturalis : & ſic contra eum ſubſtantialiter eſt baptiſmus per gratiam contentam & cauſatam. Aut eſt perſonalis mortalis, & tunc habet duplex remedium, ſcilicet ex parte clauium Eccleſiæ, facientium per meritum Chriſti taxabilem & proportionatam pœnam, & ideo eſt ordo qui ad hoc datur, vt ſit poteſtas ligandi atque ſoluendi in Eccleſia : aut commutandi æternam pœnam in temporalem per totius culpæ remiſſionem, & ad hoc eſt pœnitentia. Morbus autem concupiſcentiæ ſecundum quod inducit pugnam ex corrruptione communi, contra ſe remedium habet confirmationem : ſecundum autem quod ſuffocat ex corruptione ſimul & infectione, contra ſe oppoſitum remedium habet matrimonium. Effectus autem vel potius defectus relictus ex continuitate pugnandi, is quidem qui eſt deperditio boni ſpiritualis in anima quod erat quaſi humidum & fomentum ſiue radix vitæ, contra ſe remedium habet Euchariſtiam, quæ reſtaurat deperditum per cibum ſaginatiuum ſpiritualem. Reliquiæ autem quaſi immobilitantes membra, & virtutes animæ mouentes, contra ſe habent vnctionem extremam: & ideo etiam illa datur exeuntibus in remedium animæ & corporis: & ſi non tollit febrem à corpore, tamen alleuiat membra ab iſto contrarietatis habitu malo & diſpoſitione, prout eſt impedimentum ſuperueſtitionis gloriæ in reſurrectione : & ſimiliter facit in anima, quia vtrumque infirmatur ab altero. Hanc puto eſſe diuiſionem propriam ſacramenti.

Vel ſic : Malum mouens aut eſt in ſe, aut in altero. Si in altero, tunc non habet remedium niſi repreſſiuum : & ad hoc datur ordo : quia po-
1.Petr.2. teſtas eſt ad vindictam malorum, laudem vero bonorum, vt quietam ac tranquillam vitam agamus. Si in ſe, tunc vt prius, vel ſecundum culpam, vel ſecundum pœnam quæ ordinat in culpam: & habebuntur ſex alia.

Vel ſic: Sacramentum eſt contra defectum qui eſt ex peccato: aut ergo contra communem defectum Eccleſiæ, aut contra defectum perſonæ. Si primo modo iſte defectus eſt ex mortalitate quæ diminuit membra Eccleſiæ, & perimitur: aut ergo erit mortalitas corporalis, & contra hanc datur matrimonium quantum ad principale ſuum bonum prolis : aut ſpiritualis mors, & contra hanc datur ordo in ſpirituali generatione verbi, & per exhibitionem ſacramenti, & diſpenſationem. Si autem eſt contra defectum perſonæ: aut eſt à malo, aut contra difficultatem quæ eſt ad bonum. Si primo modo: aut à malo naturali, & tunc eſt baptiſmus: aut à malo perſonali, & tunc eſt pœnitentia. Si autem eſt contra difficultatem quæ eſt in bonum: aut per modum confortantis in pugna, & ſic eſt confirmatio : aut per modum reſtaurantis deperditum, & ſic eſt Euchariſtia: aut per modum ſanantis inflicta occulta, & ſic eſt vnctio exerema.

Et aliis modis poteſt diuidi penes ſignum: nunc autem dabimus diuiſionem ſecundum quod ſacramentum configurat nos capiti Chriſto. Sunt autem in Chriſto patiente & reſurgente omnia: quia paſſio ſua operatur in omnibus ſacramentis. Dicamus igitur, quòd Chriſtus patiendo pro nobis pugnauit fortiter, ipſe ſacerdos & hoſtia obtulit ſemetipſum, ſponſus Eccleſiæ per mortem & ſanguinem, & ſurrexit oleo gratiæ delibutus. Pœnitentia ergo trahit vim à Chriſto patiente & configurat nos ei, ordo à Chriſto offerente, & Euchariſtia à Chriſto hoſtia, matrimonium à Chriſto ſponſante Eccleſiam ſibi in ſanguinis arrha, ſicut dicitur Exod. 4. Sponſus ſanguinum tu mihi es: & ideo etiam quia ibi extenſus brachia in amoris ſummi amplexus, quando animam pro ea poſuit: & tertio, quia ſicut de latere primi Adæ dormientis fabricata eſt Eua : ita de latere morientis & mortui Chriſti fabricata eſt Eccleſia, quando duo ex latere eius principalia ſacramenta profluxerunt, ſcilicet ſanguis redemptionis, & aqua expiationis. Per vnctionem autem configuramur Chriſto reſurgenti: quia datur exeunti in figura delibationis gloriæ futuræ, quando tota abſcindetur mortalitas ab electis. Infra autem in principio ſecundæ diſtinctionis ad hæc reuertemur, & opponemus ad opiniones Magiſtrorum de numero ſacramentorum.

Ad primvm ergo dicendum, quòd licet baptiſmus deleat quicquid inuenit: non tamen ordinatur ſubſtantialiter contra omne genus morbi: & ideo de virtute ſua non delet niſi culpam originalem, & reatum ſibi annexum. Sed quia Deus non curat in parte, ſed in toto: ideo Deus curans in baptiſmo, curat totum quod inuenit. Sacramenta autem inuenta ſunt ad hoc vt ex ſubſtantiali ordine contra peccatum deleant ipſum, & defectus qui ſunt ex Chriſto.

Ad alivd dicendum, quòd licet in Euchariſtia contineatur Auctor omnis gratiæ: non tamẽ continetur ibi vt cauſans omnes gratias, ſed tantum vt cibus ſpiritualis cauſans vnam: & ideo alia ſunt neceſſaria.

Ad alivd dicendum, quòd vulnus peccati aliud eſt ab ipſo peccato : & ſacramenta non ſunt tantum contra peccata, ſed etiam contra vulnus, vt patet in diuiſione ſupra poſita.

Ad alivd dicendum, quòd Hieron. non loquitur de tabulis euadendi periculum pœnæ vel vulnerum, ſed tantum de his quæ euadunt culpam.

Ad alivd dicendum, quòd illa ratio bene procederet ſi medicina non poneretur niſi contra culpam : ſed hoc non eſt verum, vt iam patuit.

Ad alivd dicendum, quòd licet tantum ſint tres vires ordinatæ ad opus: tamen plures ſunt corruptæ quam tres: & dato quod non eſſent niſi tres corruptæ, non relinqueretur, quod deberent eſſe tantum tria ſacramenta: quia licet tres ſint corruptæ, tamen plures modi quam tres ſunt corruptionis earum.

Ad alivd dicendum, quòd pœna quæ eſt tertius morbus, exigit plures medicinas, eo quod pluribus modis variatur.

Ad alivd dicendum, quòd non accipiuntur ſacramenta ſecundum numerum ſtatuum Eccleſiæ : quia medius ſtatus qui eſt viuentium permanentium in hac vita, indiget pluribus remediis propter multos modos corruptionis.

Ad alivd dicendum, quòd nullum ſacramentum

mentum ordinatur contra veniale substantialiter: sed oratio, & alia multa, vt aqua benedicta, tunsio pectoris propter multiplicitatem illius peccati: sed plures sunt defectus quam illi qui enumerantur: & non est omnimo simile de cura corporis: quia anima in quadam parte est corrupta & infecta, & in quadam parte est incendium contra bonum naturæ pugnans: & penes huiusmodi sumitur confirmatio, & matrimonium, quæ necessaria sunt præter quinque enumerata.

Ad aliud quod videtur probare, quòd sint sex, dicendum quod penes illam diuisionem non accipitur numerus sacramentorum: quia hoc concedimus, quòd penes veniale nullum accipitur sacramentum, nec penes pœnam eius: & ideo illa ratio non procedit.

Ad illud quod obiicitur, quòd plura quàm septem esse debeant, dicendum quòd non debent esse plura: quia aqua benedicta & benedictio & huiusmodi non iustificant ex opere operato, sed potius ex opere operante. Item non habent specialem formam verborum in qua fiant. Item non sunt ad hoc instituta. Et hæc tria exiguntur in omni sacramento, scilicet vt ex opere operato iustificet, & ex institutione significet, & ex sanctificatione verbi conferat inuisibilem gratiam, vt dicit Magister Hugo.

Ad aliud dicendum, quod caro & sanguis non possunt esse materia in nostris sacramentis: quia nec in sacramentis veteris legis significabant sacramentum secundum rem nostri sacramenti, vt nunc habemus ea in re, scilicet in Eucharistia. Et per hoc patet fere solutio ad sequens: quia concedimus, quod veniale non habet vnum sacramentum substantialiter contra se ordinatum.

Ad quæstiunculam.

Ad primum autem dicendum, quod habet medicinam, sed non per se, non propter sui multiplicitatem & quia non est morbus per se: sed inquantum est dispositio ad mortale peccatum.

Ad aliud dicendum, quod hoc est de bene esse quod cadit sub pœnitentia, & non de esse, vt infra patebit.

ARTICVLVS III.

Quæritur de ordine sacramentorum.

Tertio quæritur de ordine sacramentorum. Videtur autem, quòd primum debeat esse ordo: quia in ipso imprimitur character excellentiæ: ergo instituit in gradu altiori quam alia: ergo dignius & prius. Item, Ordo habet omnia in dispensatione: ergo videtur, quòd ipsum sit prius aliis. Item, habet potestatem ad actum excellentissimum, qui est consecrare corpus Domini: & quod habet actum excellentiorem, est primum: ergo ipsum est primum sacramentum.

Sed videtur, quod pœnitentia: quia ab ipsa incipit Dominus prædicare: ordo autem operis respondet ordini doctrinæ: ergo est pœnitentia primo suscipienda. Item, Augustinus dicit, & infra ponitur in litera, quòd nullus nouam vitam inchoare potest, nisi pœniteat eum veteris vitæ: ergo pœnitentia est prior. Item, si quis adultus ad baptismum venerit, non recipit rem sacramenti sine pœnitentia, quia fictus est: ergo ipsa exigitur ante baptismum: ergo & ante alia sacramenta.

Sed adhuc videtur, quòd Eucharistia sit prior: quia illud à Sanctis vocatur sacramentum sacramentorum: ergo dignissimum est: ergo præcedit omnia alia. Item, ipsum continet Auctorem omnis gratiæ: sed Auctor gratiæ est ante gratiam quamlibet vniuersalem & particularem: ergo ipsum est ante omnia sacramenta: quia omnia alia imprimunt gratias spirituales.

Videtur autem, quod matrimonium: quia illud ante omnia in paradiso institutum est, vt dicit Magister infra.

Per Magistrum autem probatur, quod baptismus sit primũ, quia ipse primo agit de illo: & probat quod est fundamentũ omniũ sacramentorum.

Solutio. Ordinanda sunt sacramenta secundum ordinem defectuum contra quos ordinantur, inter quos prius est originalis culpa, & hanc tollit baptismus. Et consequens est pronitas ad malum, quam non tollit baptismus, sed diminuit: & ideo contra hanc ordinatur confirmatio. Ex pugna autem pronitatis, & quasi ex calore concupiscentiæ oritur deperditio bonorum spiritualium: & ideo contra hanc ordinatur tertio loco Eucharistia. Est autem prolapsus concupiscentiæ in actuali peccato, contra quod ordinatur pœnitentia. Reliquiæ autem debilitatis semper innascuntur, contra quas ordinatur extrema vnctio. Ordo autem & matrimonium sunt ordinata contra defectum communem: & ordo est ante matrimonium: quia secundum digniorem generationem est, vt patuit ex diuisione. Et hunc ordinem tenet Magister. *Solutio.*

Ad omnia autem obiecta est vna responsio, scilicet quod non probant ordinem simpliciter: se quoad hoc quod procedit ratio: sed hic penes illud ordo non consideratur à Magistro: quia nullum illorum est finis sacramenti nisi id qnod iam dictum est, scilicet id quod efficit in morbo contra quem ordinatur.

ARTICVLVS IV.

Quæ sit differentia inter gratiam donorum & virtutum, & eam quæ confertur in sacramentis?

Qvarto quæritur, Quæ sit differentia inter gratiam virtutum & donorum, & illam quæ est in sacramentis? Videtur autem, quòd in sacramentis non datur nisi gratia gratis data. Aut enim sacramentum recipitur à ficto, aut à non ficto. Si à ficto, ille nullam recipit gratiam. Si à non ficto. Contra: Ille habet iam accedens gratiam gratum facientem; sed nihil est in potentia ad id quod iam habet: ergo non potest eam vlterius recipere: ergo aut nihil recipit, aut recipit gratiam gratis datam. Si forte dicas, quòd recipit augmentum gratiæ. Contra: Si hoc est substantiale sacramento quod confert augmentum gratiæ: cum semper sit gratia augmentanda, videbitur, quòd semper sint sacramenta iteranda: sed hoc est falsum, quia principaliora non iterantur: ergo non sunt ad augmentum gratiæ.

Item videtur, quod in omnibus sacramentis non conferatur nisi vna gratia. Probatio: Vna

enim est gratia . cuius actus est vnus : sed actus vnus est remittere peccatum : cum ergo omne sacramentum sit ad hoc, videtur quòd omnis gratia sacramentalis sit vna.

Quæstiũcula. PRÆTEREA , In quo differt à gratia quæ est in donis & virtutibus ? Videtur, quòd in nullo : quia vtraque gratum facit habentem , & opus eius gratum reddit : ergo non differt. Si dicas , quòd gratia sacramentalis est contra peccatum : virtutum autem & donorum in bonum. Contra : In natura idem mouens numero est à termino & in terminum : ergo & in spiritualibus idem est mouens à malo & in bonum. Item , Idem & vnus motus non habet nisi vnam formam mouentem: à malo autem in bonum est idem & vnus motus: ergo mouet in eo gratia vna. Item, Gregor. dicit, quòd dona data sunt in adiutorium contra peccati defectum : ergo distinctio nulla.

Si fortè dicas, quòd eadem est gratia quæ confertur in his & in illis. Contra : Gratia in virtutibus & donis habet connexionem , ita quod qui habet vnam, habet alias : sic autem non est in sacramentis , quia habens vnum sacramentum, non habet omnia alia.

2 Item, Nullo existente præcepto siue peccato, adhuc erunt virtutes & dona & gratia quæ est in eis : sed non sic est de sacramentis : ergo differens est gratia.

Solutio. SOLVTIO. Bene concedo, quòd differt gratia sacramentalis ab illa quæ est in virtutibus & donis , duobus illis modis quibus probatum est, scilicet, quia habita vna sacramentali, non habentur aliæ necessario : & quia non existente peccato, non essent sacramenta. Et adhuc duobus aliis modis, scilicet, quia sunt contra defectum qui est ordinans in peccatum , vel contra ipsum peccatum: & quia in ipsis operatur passio Christi specialiter : quorum nullum per se conuenit gratiæ virtutum & donorum.

DICENDVM ergo ad primum , quod habita gratia virtutum non per se habetur gratia sacramentorum : quia virtutes ordinantur ad actus meritorios, sed sacramenta contra defectum peccati : & ideo licet non fictus habeat gratiam virtutum : non tamen oportet quin benè possit esse in potentia recipiendi gratiam sacramentalem: & hæc est sibi gratia prima, si ante non habuit : vel augmentum gratiæ , si ante habuit gratiam. Hoc autem quod augmentat gratiam ipsum sacramentum, non conuenit ei per se: sed in quantum aliam gratiam, non eãdem primum inuenit in subiecto. Et per hoc patet solutio ad primum.

ADALIVD dicendum, quòd supponitur vna falsa, quòd actus gratiæ sacramentalis sit vnus: licet enim genere sit vnus qui est gratum facere: tamen specialiter differt , vt patuit supra in diuisione : quia vna gratia per se tollit originale, & alia actuale, & sic de aliis. *Ad quæstiunculam.*

AD ALIVD dicendum, quòd differt à donis & virtutibus in hoc quod dona & virtutes dicunt perfectiones potentiarum ad actum : sacramentalis autem gratia dicit perfectionem contra morbum peccati : motus autem à malo ad bonum quandoque est vnus , & quandoque duo : quando enim per se intenditur bonum , tunc est motus in illud , & ille per consequens recedit à contrario , & tunc est motus vnus : sed quando sunt gratiæ non in motu consideratæ , sed vt habitus perficientes , tunc non oportet , quod sint contra malum per se : quia virtutes & dona non sunt contra malum per se, sed potius habitus perficientes potentias ad actus : sed sacramenta non , imo medentur vulneribus peccati per se.

AD ALIVD patet solutio per idem. Ad dictum Gregor. dicendum , quod adiutorium ipse non vocat per modum medicinæ , nec defectum talem notat qui est ex peccato & inclinans in id: sed vocat defectum pœnam , sicut est ignorantia faciendorum , & debilitas oparabilium. Sed sacramentum est medicina contra defectum inclinantem in malum vniuersaliter : & ideo nullum sacramentum vel gratia sacramentalis determinatum est speciali potentia animæ , sicut dona & virtutes.

Quid sit sacramentum ?

SACRAMENTVM est sacræ rei signum. Dicitur tamen sacramentum etiam sacrum secretum, sicut sacramentum diuinitatis : vt sacramentum sit sacrum signans , & sacrum signatum: sed nunc agitur de sacramento secundum quod est signum. Item sacramentum est inuisibilis gratiæ visibilis forma. Signum vero est res præter speciem quam ingerit sensibus , aliquid aliud ex se faciens in cognitionem venire. Signorum vero alia sunt naturalia , vt fumus significans ignem, alia data. Et eorum quæ data sunt , quædam sunt sacramenta , quædam non. Omne enim sacramentum est signum , sed non è conuerso. Sacramentum eius rei similitudinem gerit, cuius signum est. Si enim sacramenta non haberent similitudinem rerum quarum sacramenta sunt , proprie sacramenta non dicerentur. Sacramentum enim proprie dicitur quod ita signum est gratiæ Dei , & inuisibilis gratiæ forma , vt ipsius imaginem gerat & causa existat. Non ergo significandi tantum gratia sacramenta instituta sunt, sed etiam sanctificandi. Quæ

enim

enim ſignificandi gratia tantum inſtituta ſunt, ſolum ſigna ſunt, & non ſacramenta: ſicut fuerunt ſacrificia carnalia, & obſeruantiæ cerimoniales veteris legis, quæ nunquam poterant iuſtos facere offerentes: quia vt ait Apoſtolus, Sanguis hircorum & taurorum & cinis vitulæ aſperſus, inquinatos ſanctificabat ad emundationem carnis, non animæ. Nam inquinatio illa erat contactus mortui. Vnde Auguſtinus: Nihil aliud intelligo inquinationem quam lex mundat, niſi contactum mortui hominis: quem qui tetigerat, immundus erat ſeptem diebus, ſed purificabatur ſecundum legem die tertio & ſeptimo, & ita mundus erat vt iam intraret in templum. Mundabant etiam interdum à corporali lepra illa legalia. Sed nunquam ex operibus legis aliquis iuſtificatus eſt, vt ait Apoſtolus, etiamſi in fide & in charitate fierent. Quare? quia impoſuit ea Deus in ſeruitutem, non in iuſtificationem, & vt figura futuri eſſent: volens ſibiipſi potius offerri ea quam idolis. Illa ergo ſigna erant: ſed tamen & ſacramenta: licet minus proprie in Scripturis ſæpe vocantur: quia ſigna erant rei ſacræ quam vtique non præſtabant. Illa autem Apoſtolus opera legis dicit, quæ tantum ſignificandi gratia, vel in onus inſtituta ſunt.

Leuit. 6. Hebr. 9.

Rom. 3.

ARTICVLVS V.

Quæritur de diffinitionibus ſacramenti.

DEinde quæritur de his quæ dicuntur in litera: & quæritur primo de hoc quod dicitur ibi [Sacramentum eſt ſacræ rei ſignum] Et vt melius intelligatur quæſtio, congregentur omnes ſimul diffinitiones ſacramenti. Et prima eſt iſta, Sacramentum eſt ſacræ rei ſignum. Secunda ponitur infra in litera [ſacramentum eſt inuiſibilis gratiæ viſibilis forma, cuius ſimilitudinẽ gerat, & cauſa exiſtat. Auguſt. ſic diffinit, Sacramentum eſt, in quo ſub tegumento viſibilium rerum diuina virtus ſecretius operatur ſalutem. Hugo ſic, Sacramentum eſt corporale vel materiale elementum oculis extrinſecus ſuppoſitum, ex ſimilitudine repræſentans, ex inſtitutione ſignificans, & ex ſanctificatione inuiſibilem gratiam conferens.

Obiicitur autem contra primam: quia ſerpens in palo erectus Num. 21. fuit ſacræ rei ſignum. Item, crux, tabernaculum, templum: omnia enim hæc ſunt ſigna ſacratum rerum: & tamen non ſunt ſacramenta veteris legis vel nouæ: omne autem ſacramentum vel eſt veteris legis vel nouæ: ergo videtur, quod diffinitio ſit ibi pluſquam diffinitum: ergo mala eſt.

2 Item, Hugo dicit, quòd ſacramentum perficitur in tribus, ſcilicet verbis, rebus, & factis: verbis, vt orationes: rebus, vt oleum, aqua, chriſma, & huiuſmodi: factis, vt genuflectiones, benedictiones, & huiuſmodi: ergo videtur, quòd ſecundum hanc diffinitionem multo plura ſint ſacramenta quam illa quæ enumerantur.

3 Item, Vita bona eſt ſacræ rei ſignum & cauſa, quia vitæ æternæ: ergo videtur eſſe ſacramentum, quod falſum eſt.

Vlterius obiicitur de ſecunda. Cum enim dicitur viſibilis forma, non videtur omni ſacramento conuenire: quia in quibuſdam non eſt viſibile, ſicut in confeſſione potius eſt audibile quã viſibile.

2 Item, Character baptiſmalis (vt infra dicetur) eſt ſacramentum, & tamen non eſt viſibile: ergo videtur, quod non ſit generale, quod dicit de forma viſibili.

PRÆTEREA quæritur, Qualiter accipitur ibi forma? Aut enim eſt extra, aut intra. Si extra, tunc eſt exemplaris. Sed contra: Exemplaris eſt iuxta quam aliud fit ad formam eandem: ſed nullus demergitur vt ſicut ſit in baptiſmo, vel alio ſacramento: ita & ipſe faciat baptizando, vel aliud ſacramentum perficiendo: ergo non eſt ibi taliter ſumpta forma. Si autem eſt forma intra. Contra: Illa ſemper conſiſtit in verbis, ſicut Auguſt. dicit infra, Accedat verbum ad elementum, & fit ſacramentum: ergo non deberet dici viſibilis, ſed audibilis. Præterea, Loquendo ſecundum hoc eſt falſa: quia ſacramẽtum non eſt ſua forma, ſicut nec ſua materia: ſed eſt illud quod eſt ex vtriſque compoſitum. Si autem dicas, quòd forma dicitur quaſi foris manens, ſicut dicitur forma quarta ſpecies quantitatis: hoc nihil eſſe videtur: quia illa forma non videtur eſſe niſi alicuius quanti: eſt enim illa forma idem quod figura, ratione differens tantum: ſacramentum autem nullius eſt figuræ: ergo nec alicuius talis formæ. *Quæſtiũcula. 1.*

3 Item, Obiicitur de hoc quod dicitur, Cuius ſimilitudinẽ gerat. Similitudo enim (vt dicit Boëtius) eſt rerum numero differentiũ eadem qualitas: non autem eadem qualitas eſt ſpiritualium & corporalium: cum ergo elementum ſit materiale & corporale ipſum ſacramentum, non poteſt habere eandem qualitatem cum anima interius: ergo nec habet ſimilitudinem.

VLTERIVS quæritur, Cuiuſmodi cauſa exiſtit? Aut enim efficiens, aut formalis, aut materialis, aut finalis. Patet autem, quòd non efficiens: quia nihil eſt cauſa efficiens gratiæ niſi ſolus Deus, vt dicit Beatus Bernard. ſacramentum autem non eſt Deus. Item non formalis: quia tunc eſſet ſacramentum aliquod intraneum quod daret eſſe gratiæ, quod non poteſt eſſe. Item corporale *Quæſt. 2.*

non

non potest esse forma spiritualis : ergo sacramentum quod est semper corporale, non est forma gratiæ interioris. Similiter videtur non esse materialis : quia nec est materia in qua sit gratia, nec ex qua. Quod non in qua, hoc patet : quia nihil est materia in qua, nisi quod est subiectum gratiæ proprium : hoc autem nunquam est corporale, sed anima vel substantia rationalis alia. Quod autem non ex qua, hoc iterum patet : quia gratia non habet talem materiam, cum sit forma simplex. Similiter non est finalis : gratia enim non potest esse propter sacramentum, sed potius è conuerso : ergo nullo modo videtur esse causa.

2 Si autem tu dicas, vt supra suppositum est, quòd est causa disponens in subiecto : hoc non videtur : quia causa disponens debet attingere subiectum quod disponit : sacramentum autem non attingit animam in esse sacramentali, sed corpus tantum : ergo videtur, quod non sit causa disponens.

3 Item, Dispositio aut est vltima necessitas, aut est citra vltimam. Si autem est vltima : ergo talis forma nunquam est sine illa quod non est verum : quia gratia & salus (vt dicitur infra) non sunt alligatæ sacramentis. Si autem citra vltimam : ergo non est necessaria : sed potest contingere vt sacramentum suscipiatur ab aliquo non ficto, & non recipiatur gratia, vt videtur : ergo nullo modo est causa.

4 Si autem dicas vt fere omnes antiqui dixerunt, quòd sacramentum est causa sicut vas : dicitur enim sacramentum continere gratiam, vt pyxis medicinam : hoc nihil videtur : quia pyxis nulla causa medicinæ vel salutis est : ergo sacramentum secundum hoc non haberet aliquam causalitatem respectu gratiæ.

Vlterius obiicitur de tertia quæ est Augustini : non enim videtur esse proprium sacramento, quòd tegat, sed potius quod aperiat, cum debeat ostendere gratiam. Præterea, Quod hic dicitur diuina virtus, non videtur conuenire sacramento : quia sacramentum per se debet habere causalitatem : quia aliter male diffiniretur per rationem causæ.

Obiicitur etiam de quarta quæ est Hugonis : non enim videtur differētia inter repræsentare, & significare : ergo videtur, quòd superfluat vnum illorum.

Solutio. SOLVTIO. Istæ quatuor diffinitiones dantur de sacramento, ita quòd prima est de sacramento in genere, sequentes autem tres sunt datæ de sacramento nouæ legis. Et prima considerat ea quæ sunt proprietas materiæ & formæ ipsius sacramenti : ex materia enim habet signum esse, ex forma autem habet quod sit causa. Secunda autem considerat efficienter operans in omni sacramento. Sed quarta colligit omnia materialiter & formaliter existentia in sacramento : sicut corporale elementum est in sacramento materia, & huic coniuncta est proprietas naturalis qua aptitudinem habet repræsentandi gratiam : sicut refrigerium aquæ repræsentat refrigerium gratiæ ab incendio fomitis, & humidum aquæ vim ablutiuam gratiæ ad deponendas sordes spirituales in anima. Quod autem hæc repræsentatio actualiter ducat in gratiam, habet ex institutione diuina : sed ex sanctificatione formæ verborum habet conferre gratiam inuisibilem. Et sic patet solutio eius quod poterat quæri, Penes quid sumantur istę diffinitiones, cum vnius rei vnica sit diffinitio?

DICATVR ergo ad primum, quod in diffinitione sacramenti sacra res & signum sumuntur in coarctata significatione, scilicet vt dicatur res sacra, quæ ordinata est vt medicina contra morbum : & signum dicatur, quod ponit similitudinem ad illam ex institutione diuina : & tunc diffinitio illa non conuenit nisi sacramento veteris legis vel nouæ. Si tamen velit aliquis dicere, quòd sacramentū diffinitur pro quacunque re sacra, siue actiue siue passiue dicatur sacramentum, non peccabit quia hoc videtur velle Magister in litera per diuisiones sacræ rei, & per diuisiones signi quas subiicit. Sed tamen quia signum non est signatum, debet proprie loquendo differentia esse inter sacramentum quod signum dicitur, & sacram rem quæ dicitur esse signata : serpens autem, crux, & huiusmodi, non sunt instituta ad significandum huiusmodi sacramentum : sed potius ad fugandum dæmones, & ostendendam passionem in typo aliquo, vel ad ostendendam dispositionem Dei, sicut tabernaculum faciebat.

AD ALIVD dicendum, quòd Magister Hugo loquitur ibi de quocunque sacramento quod pertinet ad cultum, & non pro illa propria ratione accipit ibi sacramentum.

AD ALIVD dicendum, quòd vita bona est gratiæ causa & salutis : sed non ostendit ea in signo similitudinis, sed potius in signo quod est vt meritum est causa præmij : & de tali signo non intelligitur, quando signum ponitur in diffinitione sacramenti. Vel dicatur, quòd non habet bona vita significare salutem ex institutione, sed potius ex se. Vel iterum potest dici, quòd bona vita ex opere operante operatur salutem, & non ex opere operato : sacramentum autem ex opere operato : & sic patet, quòd bona vita non est sacramentum.

AD ID quod subiicitur de secunda, dicendum quod visibile extenso nomine ponitur in diffinitione pro sensibili, eo quod visus generalior sensus est quoad obiecta & dignior.

AD ALIVD dicendum, quòd character baptismalis accipitur vt res & vt signum : secundum quòd accipitur vt res, sic non est sacramentum : secundum autem quod accipitur vt signum, sic est sacramentum : & tunc licet sit in se inuisibilis, tamen relatus ad actionem exteriorem ipse est visibilis : ipse enim secundum se non est sacramentum, sed potius vt reductus in tinctionem exteriorem.

Ad quæstiunculam. AD ALIVD dicendum, quòd forma dicitur hic foris manens & transsumitur : quia sicut per figuræ conuenientiam configuratur res rei, ita per similitudinis conuenientiam configuratur actio exterior actioni interiori in sacramento : & ideo non procedit obiectio, quia transsumpto modo sumitur ibi forma.

AD ALIVD dicendum, quòd similitudo sumitur ibi secundum proportionalitatem : est enim secundum Boët. in 2. arithmeticæ, similitudo rerum differentium eadem quantitas, & proportio est similitudo habitudinis inter duo, sed proportionalitas est similitudo proportionum inter quatuor. Et tunc dicemus, quod sumenda est proprietas elementi exterioris ad effectum quem habet in corpore in parte vna, & proprietas gratiæ per effectum quem habet in anima in parte alia : & ponenda est allegorice vel metaphorice

phorice similitudo inter illas duas proportiones. Sicut se habet elementum in vi refrigeratiua & ablutiua ad corpus:ita gratia ad animam secundũ metaphoram. Et tunc cessat obiectio.

AD ALIVD dicendum, quòd causa est sacramentum vt disponens in subiecto,& est dispositio quæ est necessitas quantum est de se : non tamen sequitur, quod semper operetur,sed sequitur quod quantum est de se semper operetur: si enim ille fictus est, tunc ponit obicem. Ad id autem quod contra obiicit, dicendum quod attingit per similitudinem proportionabilitatis, & virtutem ex sanctificatione,vt dicit Augustinus infra dist. 3. Vnde est hæc vis in aqua vt corpus tangat, & cor abluat, nisi ex verbi inuocatione.

AD ALIVD dicendum, quòd non sequitur, quòd sit salus alligata sacramento:quia dicit Magister Hugo, In illis quidem est, sed non ex illis vt causa efficiente : & ita intelligitur, quòd non alligauit. Si autem quæritur, Ad quam causam reducitur illa dispositio, dicendum ad materiam: quia quicquid est ante formam de dispositionibus materiæ, totum subiicitur formæ cum ipsa materia, sicut patet in scuto quando dealbatur, asser enim cum albedine subiicitur auro quod postea superducitur albedini vel scuto albo.

AD ID autem quod obiicitur de vase, dicendum quod bene dicebant antiqui:sed ipsi accipiebant vasa medicinalia, quæ habebant vim disponendi ad sanitatem,sicut vasa de tamarisco vinum disponunt ad salutem contra epatis infirmitates. Vel dixerunt vasa operantia ad medicinam, sicut clyster, & embrotum, & huiusmodi: & tunc obiectum non habet locum.

AD ALIVD dicendum, quòd Augustinus vocat ibi tectum id quod non per se videtur, videtur tamen in similitudine, & hoc quod dicit Dionysius in Ecclesiastica hierarch. c. 1. Non possibile nostro animo ad immaterialem cælestiũ hierarchiarum ascendere imitationem & contemplationem nisi ea quæ secundum ipsum est materiali manuductione vtatur : visibiles quidem formas inuisibilis pulchritudinis imaginationes arbitrans. Sensibiles suauitates figuras inuisibilis distributionis.

AD ALIVD dicendum, quòd diuina virtus in sacramentis effectiue operatur:& ideo non tollitur quin in sacramento remaneat causalitas dispositionis. Et hoc est quod dicit Hugo in. 8. parte libri sacramentorum sic: Non ad hoc sunt instituta sacramenta vt ex eis esset quod in eis esset : sed vt peritiam suam medicus ostenderet, in illo remedium præparauit, à quo occasionem morbi languidus accepit.

AD ID quod obiicitur contra vltimam, dicendum quòd repræsentare & significare differunt, sicut aptitudo per naturam, & complementum per artem:aqua enim de aptitudine naturali habet significare refrigerium fomitis & loturam culpæ: sed vt hoc actu faciat, oportet institutionẽ adesse: sicut materia aliqua aptitudinem habet ad aliquid,& completur per opus artificis.

ARTICVLVS VI.

An in sacramentis signum sit res aliqua?

DEinde quæritur de hoc quod dicit ibi[Signũ vero est res quæ præter speciem quam ingerit sensibus, &c.] In primo enim libro diuidit Magister tractatum sacræ Scripturæ,qui est de rebus & signis : ergo videtur, quòd signum non sit res.

2 Item, Videtur, quòd falsum dicat in hoc quod dicit, ex se:quia sacramentum non facit ex se, sed ex institutione, vt videtur.

SOLVTIO. Magister accipit hic signum prout cadit sub intentione rei : quia, sicut dictum est in primo libro,quando diuiditur tractatus in res & signa, diuisio illa potius est per diuersos modos rei quam per diuersas res, & tantum valet sicut absolutum & relatum ad aliud significandum. *Solutio.*

AD ALIVD dicendum, quòd signum facit ex se, hoc est, ex se signo, siue formaliter accepto: hoc enim facit res ex se, quod facit ex sua forma, & quod cadit in sua diffinitione. Et hoc non repugnat suæ institutioni : quia signum à Deo & præcipue sacramentale, formam accipit ab institione, licet aptitudinem habeat à natura, vt prius dictum est.

ARTICVLVS VII.

An ea quæ significandi gratia tantum instituta sunt, sint solum signa & non sacramenta.

DEinde quæritur de hoc quod dicit[Quæ igitur significandi tantum gratia instituta sunt solum signa sunt, & non sacramenta,&c.]Contra hoc videtur esse quod supra dixit,quòd sacramentum est inuisibilis gratia visibilis forma:illa autem quæ tantum signa erant, fuerunt talia, vt agnus paschalis, & alia quædam : ergo fuerunt sacramenta.

2 Item,Ipse infra diuidit sacramentum in sacramentum veteris & nouæ legis : ergo illa sunt sacramenta sicut & ista.

PRÆTEREA,Ipse vocat ea hic sacrificia carnalia, & obseruantias cerimoniales:& hoc non videtur, dicit enim Apostolus Rom. 4. Lex quidem sancta, & mandatum sanctum & iustum & bonum : ergo non erat carnale. Si dicas, quòd carnale erat carnaliter intelligentibus. Contra : quia intelligens suo intellectu nihil potest mutare de re : res enim in se est hoc quod est,non ex comparatione intellectus mei vel alterius. Præterea,Secundũ eandem rationem poterit etiam noua lex carnalis esse:quia aliqui carnaliter intelligebant, & adhuc intelligunt, sicut dicit Christus Ioan. 6. Spiritus est qui viuificat:caro autem non prodest quicquam.

PRÆTEREA,Quare vocantur cerimoniales?non enim potest dici, quòd dicuntur cerimonialia à carie quæ est putredo ligni, quia immunda erant: hoc enim habeo pro inconuenienti, quod aliqua de causa immunda præceperit Deus. Item, Nihil immundum pertinet ad cultum Dei:sacrificia autem illa pertinebant ad cultum Dei:ergo illa sacrificia nihil habebãt immundum. Præterea,Sæpe dicitur de sacrificio quod erat in odorem suauissimum Domino : ergo nihil erat ibi de carie. Si autem dicas, quòd dicuntur cerimonialia à cera, videtur quod hoc non sit verum : quia cera non dicit aliquid pertinens ad cultum diuinum.

SOLVTIO. Dicendum quod Magister determinat sacramentum secundum suum maximum posse: *Solutio.*

poſſe:& hoc non eſt niſi in ſacramento nouæ legis,quod eſt cauſa & ſignum:& ideo illa quæ tantum ſigna fuerunt dicit non eſſe ſacramenta:quia etiam in veritate illa non fuerunt ſacramenta,niſi ideo quia noſtra ſacramenta ſignificabant: & hoc infra probabitur per auctoritatem. Per hoc etiam patet ſolutio ad ſequens: quia infra ſumit generalius ſacramentum quam hic.

AD ALIVD dicendum,quòd carnalia erant propter carnalem ritum, & propter carnaliter ſeruiẽtium ſtatum:offerebantur enim tunc ſacrificia de rebus carnalibus , quæ ſignificabant res quæ ſunt
Pſal. 50. ſacrificia ſpiritualia, de quibus dicit Pſalm. Sacrificium Deo ſpiritus contribulatus : cor contritum & humiliatum Deus non deſpicies. Et tunc erat ſtatus carnalium,& ſi aliqui ſpiritualia offerebant, illi pertinebant ad nouum teſtamentum.

AD ALIVD dicendum , quòd lex dicitur ſancta, ratione moralium , & ratione figuræ:quia non ſanctificat niſi per fidem Mediatoris.

AD ALIVD dicendum , quòd cerimonialia dicuntur, vt mihi videtur,eo quod pertinebant ad cultum diuinum.Vnde Tullius in fine primæ rhethoricæ dicit, quòd religio eſt,quæ cuidam naturæ quam ſuperiorem vocant,curam cerimoniamque affert. Et eſt compoſitum à munia quod eſt obſequium vel cultus , & Cere quæ eſt dea frugum:quia forte illa primo colebatur:& à ſuo cultu ad diuinum cultum eſt tranſſumptum.

ARTICVLVS VIII.

An offerre ſacrificia carnalia ſit bonum in genere,& an fuit iuris naturalis,& an iuſtificabant?

DEinde quæritur de hoc quod dicit ibi [Quæ nunquam poterant iuſtos facere offerentes] Et quæruntur tria , quorum primum eſt , Vtrum offerre talia fuit bonum in genere? Secundo,Vtrũ fuit iuris naturalis ? Tertio , Vtrum iuſtificabant?

AD PRIMVM proceditur ſic:Bonum in genere eſt bonum ſecundum principium ſubiectum moris , & hoc eſt actus voluntarius ſicut debita materia , vt paſcere eſurientem , veſtire nudum: ergo ſimiliter erit offerre cui offerendum eſt:ergo videtur, quòd ſi informaretur charitate,quod erit meritorium:creaturam autem offerre Deo, eſt offere cui offerendum eſt:ergo hoc informatum charitate poterat eſſe meritorium vitæ æternæ.

2 Item,Nihil eſt in ſpecie quod non ſit in genere : ſacrificia offerre eſt in ſpecie virtutis latriæ: ergo eſt in genere boni:ergo eſt bonum in genere, vt videtur.

Sed contra. SED CONTRA:Occidere pecus vt comburatur, omnino videtur inutile.Pſalm.49.Nunquid manducabo carnes taurorum, aut ſanguinem hircorum potabo ? immola Deo ſacrificium laudis, &c.Ergo videtur,quod ſacrificia offerre nunquam fuit de genere bonorum.

AD SECVNDVM proceditur ſic : Oblatio ſacrificiorum in lege naturali incepit , & in lege Moyſi fuit:ergo videtur,quòd natura inclinauerit ad hoc:ergo eſt de iure naturali.

2 Item,Omnes tenebantur agnoſcere liberatorem futurum per naturæ inclinationem:ſed illum oſtendebant ſacrificia : ergo natura inclinabat ad ſacrificiorum oblationem.

Sed contra. SED CONTRA:Quicquid eſt de iure naturali,permanſit & permanet in lege noua:ſacrificiorum oblatio non permanet:ergo non fuit vnquam de lege naturali.

2 Item, Quod naturale eſt,idem eſt apud omnes : conſtat autem , quòd non omnes offerebant ſacrificia:ergo videtur , quòd non erat naturale.

AD TERTIVM proceditur ſic : Dicit Beda, quòd ſacrificia ſuo tempore conferebant vitam æternam : nihil autem confert vitam æternam niſi quod iuſtificat : ergo ſacrificia illa iuſtificabant.

Item , Quicquid præcipit Deus ad faciendum, ipſe vult fieri:& dico ad faciendum, propter præceptum factum Abrahæ , non ad faciendum , ſed ad probandum:ſacrificia præcepit Deus ad faciendum : ergo illa voluit fieri. Inde ſic : Quicquid Deus vult fieri,ſi fiat ex charitate, meritorium eſt: ſacrificia voluit fieri Deus : ergo ſi fiebant ex charitate, erant meritoria:ergo iuſtificabant. Si dicas, quòd hoc meritum eſt ex virtute charitatis , & non operis : hoc nihil eſt:quia omne meritum eſt virtute charitatis , & non operis. Item , Moralia etiam non iuſtificabant,niſi cum charitate fierent: ergo hæc non eſt ratio.

3 Si forte tu dicas, quod habebant hoc ex eo ipſo quod ſignificabant noſtra ſacramenta. Contra:Circunſcribamus ſignificationem,& remaneat præceptum de offerendis ſacrificiis : tunc præcipit ea Deus ad faciendum , & tunc eadem ratio quæ primum.

4 Item, In ſecunda parte diſtinctionis in tractatu de circunciſione dicit Gregorius,Quod apud nos valet aqua baptiſmi , hoc egit apud veteres circunciſio , vel virtus ſacrificiorum : ergo illa ſacrificia habebant virtutem abſoluendi à culpa : & hæc non abſoluitur ſine gratia : ergo conferebant gratiam,vt videtur.

Sed contra. SED CONTRA:Differentia eſt inter illa ſacramenta & nouæ legis , quòd illa non ſunt vaſa continentia gratiam,noſtra autem ſunt.Quod autem non eſt gratia in ſe, & non continet eam,non iuſtificat:ergo ſacrificia illa non iuſtificabant.

2 Item , Si iuſtificabant , quæritur, Ad quem effectum iuſtificabant?conſtat, quòd non ad collationem gratiæ:quia hoc negat Apoſtolus , & habetur in litera. Sed quòd nec ad dimiſſionem pœnæ , ſic probatur : quia pœna connexa eſt culpæ : ergo videtur , quòd nullo modo iuſtificabant.

3 Item, Iſa. 1. Holocauſta arietum & adipem pinguium nolui. Gloſſ. dicit,nunquam.

4 Item, Epheſ.5. ſuper illud , Obtulit ſemetipſum pro nobis in odorem ſuauitatis , dicit Gloſſ. quod ſacrificia alia non fuerunt in odorem ſuauitatis , niſi inquantum fuerunt figura illius: ergo de ſe nihil conferebant, vt videtur.

5 Item , Ierem. 7. Non ſum locutus patribus veſtris , & non præcepi eis de verbo holocauſtomatum:ergo nunquam voluit illa.

6 Item, Ezech.20.Dedi eis præcepta non bona, & iudicia in quibus non viuent : ergo non iuſtificabant, quia aliter vitam contuliſſent.

7 Item , Heſichius dicit , quòd grata non habebat, & loquitur de ſacrificiis.

8 Item , Auguſtinus in libro de ciuitate Dei. Non placet Deo ſacrificium occiſi pecoris , ſed contriti

contriti cordis: ergo videtur, quod non iustificabant.

SED ADHVC duo aut tria videntur esse contra hoc valde probabilia. Vnum est quod in Canone de sacrosancta hostia dicitur, postquam consecrata est, Supra quæ respicere digneris, & accepta habere, sicut accepta habere dignatus es sacrificium iusti tui Abel, & patriarchæ tui Abrahæ: & quod tibi obtulit summus sacerdos tuus Melchisedech: ergo videtur illud gratum fuisse:ergo iustificabant.

2 Item, Exod. 20. In eadem parte sacrificia coniunguntur cum moralibus:huius autem ratio non videtur esse alia, nisi quia iustificabant sicut illa.

3 Item, Hoc accipitur à traditione Hebræorum, qui dicunt non differre moralia à sacrificiis, nisi quod moralia audiuit populus per se à Domino, vnde dicitur ibi, quod cunctus populus audiuit voces: sed sacrificia non audiuit populus, sed audiuit Moyses tantum: & ideo sacrificia receperunt per ministrum, moralia autem (vt dicunt quidam Hebræi) à Domino:ergo sacrificia iustificabant,sicut & moralia ipsa.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum ad primum, quòd in genere bonum est offerre cui offerendum est: sed bonum in genere recipit determinationem circunstantiarum pro diuersitate actus:& ideo determinatio circa hoc bonum, præcipue per rationem determinatur ad statum,& ad tempus:tempus autem fuit, quando morbus fuit & tempus significationis medicinæ:& status fuit status in peccato. Et quoad hoc determinatur sacrificium. Et quia modo non est ita determinabile sacrificium tale: ideo modo pernicioſum est tale sacrificium. Licet enim offerre cui offerendum est sit bonum in genere:non tamen determinatio oblati, vt capra,vel ouis, respicit bonum in genere secundum determinationem quæ accipitur per cognitionem significationis.

AD ALIVD dicendũ, quòd illo tempore bene trahebatur ad speciem:sed hoc non erat virtute materiæ quæ est capra, vel ouis, sed potius ratione actus qui est oblatio. Et bene conceditur ab omnibus, quòd ille actus charitate informatus erat meritorius: quia ille est opus operans, non opus operatum.

AD ID quod obiicitur in contrarium, dicendum quod non erat inutile vt occideretur pecus hoc modo quo occidebatur: non enim cremabatur vt absorberetur ab igne, sed potius vt proprietate ignis spiritualitas & calor deuotionis ostenderetur circa sacrificium spiritus contribulati.

AD ID quod secundo quæritur, dicendum quod sacrificium in genere bene est de iure naturali: bene enim dictat hoc ratio hominis, quod liberatio sua debebat præsignari: sed non dictabat, quod hoc modo, vel illo, sed hanc determinationem addidit ratio conferens & inquirens, quomodo verum sacrificium melius possit præsignari.

AD ALIVD dicendum, quòd omnes tenebantur agnoscere suam liberationem,non explicite, sed implicite: sicut etiam se habebant circa articulos.

AD EA autem quæ in contrarium dicuntur, patet solutio: quia non sunt de iure naturali determinata: & ideo nec manent, nec eadem sunt apud omnes.

AD ALIVD dicendum, quòd triplex est status, scilicet ante idololatriam & legem scriptam, & sub idololatria & lege scripta,& sub gratia promissa & expectata in vtraque lege & naturali & Mosaica. Ante legem & idololatriam placebant sacrificia in figura futuræ oblationis quæ facta est per Christum:sub lege autem displicebant simpliciter,quia tunc erant oblata idolis: sed placebant secundum quid,scilicet vt sibi potius quam idolis offerretur. Sub gratia autem omnino displicent: quia nec tempus, nec status sub gratia permittunt ea determinari.

AD ID quod tertio quæritur,dicendum quòd Magistri bene dicunt, quod est opus operans, & hoc est actus qui pro tempore bonus erat, & hoc poterat informari charitate:& est opus operatum, vt hircus immolatus, & hoc nihil contulit quod intus adiuuaret supra meritum actus. Vnde dictum Bedæ intelligitur de primo modo, & non secundo.

AD ALIVD dicendum,quòd signa voluntatis fuerunt de talibus, & non beneplacitum quod dicit quietam voluntatem in bono: signa autem voluntatis vt præceptum & consilium bene erant ad faciendum, sed pro tempore & statu, ratione iam dicta.

AD ALIVD dicendum, quòd si circunscribatur signum futuræ liberationis, & sit præceptum de ipsis, adhuc erunt meritoria quoad actus operantes: sed licet circunscribatur significatio in hoc modo vel illo, necesse est vt præsignetur status liberationis aliquo modo quicunque sit ille:& tunc adhuc circunscripto signo futuri, dico quòd remanet meritum in opere operante virtute præcepti:sed non dictat ratio ea esse sic offerenda.

AD ALIVD dicendum, quòd virtus sacrificij refertur ibi ad futurum,& non ad opus operatum præsens. Et hoc patet ex hoc quod dicit Augustinus,quod nunquam sine fide Mediatoris salutem habuit à paruulo recenter nato vsque ad senem decrepitum. Ea autem quæ in contrarium obiiciuntur, bene concedo.

AD ALIVD dicendum, quòd id quod est in Canone intelligitur, vt collatio status ad statum, veritatis ad figuram.Vnde sic intelligitur,Vt sicut illud placuit in statu significationis & figuræ:ita placeat istud in statu veritatis & liberationis:non tamen tantum, sed multo amplius:quia etiam per illud, prout determinatum est, nemo habebat rationem placendi nisi per istud:sed bene verum est, quod semper placuit Deo oblatio in genere,quando illud quod Dei erat,sibi offerebatur:sicut etiam modo placet, licet non placeat idem modus qui tunc fuit.

AD ALIVD dicendum, quòd cum moralibus coniunguntur, non quod pertinerent in specie ad moralia: sed quia actus in genere moralis erat in cerimonialibus:actum enim in genere dictabat natura,sicut & actum moralium:sed species oblationis diuersificatur pro loco & tempore, vt dictum est.

AD ALIVD dicendum, quòd duplex est de hoc traditio Hebræorum, vt dicit Rabi Moyses Ægyptius in secunda collatione libri sui quem vocat ducem neutrorum:sapientiores enim Iudæi, vt ipse Rabi Moyses, & Rabi Iosua, & Rabi Heliazar

Heliazar dicunt, quòd audire populi nihil aliud fuit, quam populari ratione in illud cognoscendum posse; & ideo illi dicunt, quod populus non audiuit nisi vnum mandatum, quod omni homini etiam rudi statim dictat conscientia & ratio: & hoc est primum, scilicet illud. Audi Israël, Deus tuus vnus est, & non erunt tibi dij alij præter me. Alia autem nouem audiuerunt sapientes qui illustrationem reuelationis amplius parati erant recipere: quia hoc dictat ratio etiam naturalis, licet non adeo perspicaciter vt primum. Alia autem omnia non audiuit nisi solus Moyses: quia ille cognoscebat etiam illa per illuminationem Dei, quæ nullus de aliis ratione poterat inuestigare. Alij autem dicunt, quòd totus populus audiuit 10. mandata: quia illa dictat homini ius naturale, & omnes erant capaces illorum: sed non audiuerunt sacrificia: quia illa non sunt de iure naturali nisi in genere, ratione cuius etiam moralibus coniunguntur: sed determinata oportuit esse per Prophetam qui amplius cultum Dei pro statu & tempore intellexit.

Deut. 6.

ARTICVLVS IX.

An veniale virtute sacramentorum veteris legis remittebatur?

DEinde quæritur de hoc quod dicit ibi [Nihil aliud intelligo inquinationem quam lex mundat, &c.] Et quæruntur hic duo: quorum primum est, Vtrum veniale virtute illorum sacramentorum remittebatur? Secundum, Quare in noua lege non est aliquid curans irregularitates sicut in veteri.

Ad primum proceditur sic. Infra distinct. 19. Quare ergo dicit Augustinus, quòd venialia semper per sacrificia & cerimonias remittebantur: ergo videtur, quòd remittebant saltem aliqua peccata.

2 Item, Maiorem habet conformitatem cum gratia quod est non causa sed signum, quam id quod nec causa nec signum est: sed quædam quæ nec causa nec signum sunt, quia non sunt sacramenta, vt aqua benedicta, & benedictio pontificalis, remittunt veniale: ergo multo magis illa quæ signum erant & non causa: talia autem erant sacrificia veteris legis: ergo remittebant veniale.

Sed contra. SED CONTRA: Nunquam à Deo peccatum dimittitur sine gratia: nullam autem virtute propria gratiam illa sacramenta contulerunt: ergo virtute propria nunquam peccatum aliquod curauerunt: quod videtur esse concedendum, nisi per accidens, scilicet per opus operans, præcipue quia hoc expresse dicunt Sancti & Apostolus ad Hebræos.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd veniale sumitur æquiuoce: quia in lege veniale fuit, quod morte temporali non puniebatur, sed puniebatur per exitum extra castra, vel expiationem, vel alio modo: & de hoc loquitur Augustinus, & non de illo quod ex genere suo est venia dignum.

AD ALIVD dicendum, quòd illud argumentum non habet necessitatem, nisi probaretur primo, quòd aliquid secundum substantialem effectum vt sacramentum contra veniale esset ordinatum: nos autem hoc non confitemur, vt supra patuit.

ARTICVLVS X.

Quare in noua lege non est aliquid curans irregularitatem sicut in veteri?

AD secundum obiicitur sic: Perfectior est lex noua quam vetus: ergo sacramenta nouæ legis quam veteris. Cum ergo illa expiauerunt irregularitates, videtur, quod etiam ista hoc facere debeant, & multo amplius.

PRÆTEREA quæritur, Quare irregularitas maxime impedit ab hoc sacramento quod est ordo, & non ab aliis? nullus enim est irregularis ad baptismum, vel ad Eucharistiam, dummodo velit se præparare, nec ad pœnitentiam, & sic de aliis. *Quæstiuncula.*

SOLVTIO. Dicendum, quod hoc ipsum indicat maximam Noui Testamenti dignitatem & altitudinem. Quia enim in Veteri Testamento non erat nisi vmbra sacerdotij & actus sacerdotalis: ideo de leui paratur ibi remedium, per quod homo congruus illi actui efficitur. Quia vero hic est verus actus oblationis Christi & verum sacerdotium: ideo difficulter expiatur, & quandoque non potest expiari irregularitas. *Solutio.*

AD ALIVD dicendum, quòd ordo collocat hominem in duplici statu, scilicet sponsi & sponsæ: desponsatur enim tota Ecclesia in Prælato Deo, & Deus in Prælato coniungitur populo: & ideo medius est inter Deum & populum, & habet locum vtriusque, & ideo inquantum est sponsa habet anulum fidei & charitatis, & significatur quod non sit diuisus, sicut & Ecclesia indiuisa in corde & corpore significauit, & iungitur Deo: & quo ad hoc inidoneitatem & irregularitatem inducit bigamia. Quia vero ipse communionem totius populi facit in loco Dei qui communem facit populum: ideo irregularitatem inducit communio in excommunicatione. Ratione vero spiritualitatis & cultus qui statum prætendit, inidoneitatem facit effusio sanguinis. Et quod hæc non tolluntur, non est defectus legis nouæ: quia non sunt peccata, nisi forte per accidens, sed potius inidoneitas quarundam personarum ad actum excellentis dignitatis & significationis sponsæ & sponsi. *Ad quæstiunculam.*

ARTICVLVS XI.

An oblationes & sacrificia debuerunt esse ante legem: & vtrum tunc omnes tenebantur cognoscere rationes figuræ in qua posita erant?

DEinde quęritur de hoc quod dicitur ibi [Quia imposuit ea Deus in seruitutem. &c.] Secundum hoc enim videtur, quòd non debuerunt esse ante legem, quod non est verum, cum Abel obtulerit, & Abraham, & alij quidam Patriarchæ.

PRÆTEREA ratione secundæ causæ qua dicit, quod positæ sint in figura, quæritur, Vtrum quilibet *Quæstiuncula.*

libet tenebatur cognoscere rationem illius figuræ, an non? Videtur, quòd sic: quia aliter inutilis fuisset oblatio, vel nociua alicui figura: ille enim crederet, quòd esset per se Deo accepta: ergo videtur, quòd omnes tenebantur agnoscere figuræ rationem.

2 Item, Omnis homo tenebatur agnoscere venturam necessariam liberationem futuram: ergo illam tenebatur præsignare: sicut etiam nos modo corde credimus ad iustitiam, ore autem confitemur ad salutem: cum ergo præsignatio sit per sacrificia, ipse tenebatur scire rationẽ sacrificiorum.

Sed contra. SED CONTRA: Determinatam non habebant talem relationem ad passionem Christi quæ in illis significabatur, quod hoc dictaret ratio sine reuelatione: ergo nisi reuelaretur, videtur quòd nullus tenebatur illam significationem scire. 2 Item, Alius modus erat possibilis, vt dicit Augustinus. Detur ergo, quòd alius fuisset: ergo tunc illa sacrificia non figurassent Passionem Christi: ergo non tenebantur scire quod ista figurabant ea, scilicet quæ futura erant in Nouo Testamento. 3 Item, Vlterius videtur ex hoc sequi, quod non tenebantur ad sacrificia: quia spirituales cognouerunt se premi onere, & illa Deo non placere: ergo videtur, quòd poterant desistere à sacrificiis quando volebant, quod falsum est: ergo præcepta erant eis ad faciendum, & non tantum pro figura imposita, vt hic dicit Magister.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd secundum supra dicta triplex est status. Ante legem enim bene puto, quod simpliciter placebant Deo, inquantum cultus significabatur in illis & figura futuræ liberationis: & hoc modo obtulerunt Patriarchæ. Sed postquam populus didicit in Ægypto offerre idolis, non placuit Deo talis ritus, nisi secundum quid, scilicet vt sibi potius quam idolis offerretur.

Ad quæstiunculam. AD ALIVD dicendum vt supra, quod omnes tenebantur, sed non explicite, sed hoc modo vt intenderent illas offerre in significatione & ritu maiori qui futuram reuelationem intelligebant.

AD ID quod contra obiicitur: ad primum quidem patet solutio. Ad secundum autem dicendum, quòd modus liberationis significabatur in genere, scilicet quod oportuit ipsum esse in modo satisfaciendi, ita vt offerretur ex parte nostra cor contritum & humiliatum: & quicunque modus fuisset, semper illud exigebatur ex parte nostra: & sic semper remanet modus liberationis ex parte nostra in futurum significandus per sacrificia.

ARTICVLVS XII.

Quis est effectus cineris vitulæ rufæ & aquæ quæ fiebat per commixtionem eius?

DEinde quæritur de hoc quod dicit [illa autem Apostolus opera legis dicit, &c.] Specialiter dubitatur de cineribus vitulæ rufæ de qua fiebat aqua aspersionis per totum annum, sicut legitur Num. 19. Videtur, quod duo contraria fecerit aqua illa: quia sacerdotem immolantem immundabat, & præcipiebatur ei vt maneret extra castra, & immundus esset vsque ad vesperam: populum autem aspersum emundabat, & vasa tabernaculi, & ipsum tabernaculum, & librum, & omnia alia quæ per aquam aspergebantur. Si enim dicatur, quod hoc fuit ideo, quia tetigit morticinum immolando: non videtur: quia etiam aspersus sanguine morticino tangebatur, & tamen mundabatur: ergo videtur, quòd sacerdos immolans mundior ex hoc fieri deberet.

SOLVTIO. Hic est duplex solutio bona, & aliæ sunt trufæ. Augustinus enim dicit, quod cinis vitulæ qui est reliquiæ ignis, significat peccata iam infrigidata à concupiscentia, & combusta ab igne contritionis: sanguis autem est sanguis redemptionis Christi: aqua autem commixta, populi vnio cum Christo, vel fons lacrymarum: & ex his conficitur aspersio munda. Sed sacerdos immundus est: quia nunquam ita aspergimur quin immunditia nobis adhæreat venialium: ideo extra castra puræ societatis manebimus vsque ad vesperam, vt tunc lustrati purgatorio, puri ingrediamur in sortem & habitationem Sanctorum: & hæc est optima solutio. Aliam dant Magistri, quod sacerdos immolans significat sacerdotem nostrum celebrantem & sumentem corpus Christi: quod licet sanctissimum sit: tamen quia nos inidoneos reputare debemus respectu eius, ideo quando celebramus, lauamus manus, & reputamus nos extra castra Sanctorum vsque ad vesperam mortis. Et per hoc patet solutio ad contrarium.

Solutio.

De causa institutionis sacramentorum.

TRIPLICI autem de causa sacramenta instituta sunt: propter humiliationem, & eruditionem, & exercitationem. Propter humiliationem quidem, vt dum homo insensibilibus rebus quæ natura infra ipsum sunt, ex præcepto Creatoris se reuerendo subiicit, ex hac humilitate & obedientia Deo magis placeat, & apud eum mereatur, cuius imperio salutem quærit in inferioribus se, etsi non ab illis, sed per illa à Deo. Propter eruditionem etiam instituta sunt, vt per id quod foris in specie visibili cernitur, ad inuisibilem virtutem quæ intus est, cognoscendam mens erudiatur. Homo enim qui ante peccatum sine medio Deum videbat, per pec-

catum adeo habuit, vt nequaquam diuina queat capere: nisi humanis exercitatus. Propter exercitationem similiter instituta sunt: quia cum homo otiosus esse non possit, proponitur ei vtilis & salubris exercitatio in sacramentis, qua vanam & noxiam declinet occupationem: non enim facile capitur à tentatore, qui bono vacat exercitio. Vnde Hieron. monet, Semper aliquid boni operis facito, vt te occupatum diabolus inueniat.

In epistola ad Rusticum.

ARTICVLVS XIII.

An triplex causa institutionis sacramentorum à Magistro sit bene assignata?

DEinde quæritur de secunda parte illius partis, vbi dicit [Triplici autem ex causa sacramenta instituta sunt,&c.] Quæritur enim de istis causis. Videtur enim,quòd nullæ sint: quia contra ordinem rectum est hominem humiliari sub eo quod infra ipsum est: elementum autem corporale est infra dignitatem hominis: ergo contra rectum ordinem est hominem humiliari vsque ab hoc quod quærat salutem in elemento corporali.

Item non iuuatur ad surgendum qui amplius deprimitur quam ceciderat: ergo videtur, quod nulla sit causa quam quærit primo.

Similiter secunda causa nulla esse videtur:quia quãto aliqua eruditio est apertior,tãto erudit efficacius: ergo aliud quod aperte ostenderet & conferret gratiam, magis eruditet & conferret ad gratiam,quam sacramentum quod ostendit nobis in elemento corporali.

2 Item,Si eruditio illa est,est secundũ aliquam rationem vel viam rationis: nulla autem via rationis inuestigat gratiam in eo quod non est causa gratiæ,sed potius à Deo expectat qui est auctor omnis gratiæ: ergo videtur, quod nulla sit eruditio in sacramento.

2 Itẽ obiicitur de tertia causa quæ est exercitatio. Vnicus enim actus nõ potest dici exercitiũ:cũ igitur potiora sacramẽta non accipiãtur nisi semel, non sunt instituta ad exercitium, vt videtur.

Quæstiũcula.

2 Item,Virtutes vidẽtur dari magis ad exercitium:quia actus illarũ iteratur per totam vitam, & non actus sacramentorum ergo videtur, quod nulla harum causarum rationabilis sit.

ITEM quæritur,Penes quid accipiatur numerus harum causarum?

Solutio.

SOLVTIO. Dicendum ad hoc vltimum primo, quod in sacramento sunt tria,scilicet materia,ratio signi, & ratio causandi. Et penes materiam quæ inferior est accipitur causa prima. Penes rationẽ autem signi accipitur secunda: quia signum aliud facit venire in notitiam rei præter speciem quam ingerit sensibus. Penes rationem autem causandi accipitur tertia: quia causat gratiam cuius actus iteratur in exercitio vitæ.

AD PRIMVM ergo dicendum,quòd humiliatio existentis in peccato alia est ab humiliatione naturæ secundum se consideratæ. Dico ergo, quòd quia homo humiliando seipsum deiecerat: ideo conueniens fuit, vt humiliaretur sub hoc quod infra ipsum fuit, propter Deum; vt tanto humilior descenderet sub eo quod infra ipsum fuit per naturam, quanto ipse superbior se erexerat in id quod supra ipsum fuit, concupiscendo Dei æqualitatem.

AD ALIVD dicendum, quòd si humiliaretur sub elemento propter elementum, tunc illa ratio procederet:sed ipse humiliatur sub elemento propter Deum:& ideo illa humilitate resurgit.

AD ALIVD dicendum, quòd eruditio est ex nobis propriis,vt dicit Dionysius: quia noster intellectus non accipit diuina nisi materialibus velata: & ideo licet in se sit obscurior quam ipsa veritas,tamen nobis magis congruit: sicut etiam in philosophia sæpe facilior est doctrina ex ignoratioribus simpliciter, notioribus autem quoad nos,quam econtra.

AD ALIVD dicendum, quod illa eruditio est per viam rationis quæ contemplatur exigentiam peccati nostri: quia per rationem congrui, peccantem oportet manduci per connaturalia:sed, vt dicit Dionysius, vt per similitudines corporalium surgat ad incognita: & per ea quæ modo didicit, discat spiritualia quæ non nouit. Licet enim ratio quærat salutem in elementis corporalibus: non tamen quærit ex ipsis, vt supra notatum est in auctoritate Magistri Hugonis.

AD ID quod obiicitur de tertia causa, dicendum quod exercitium non refertur hic ad actum sacramenti, sed ad actum gratiæ sacramentalis,qui frequenter est iterandus.

AD ALIVD dicendum,quod exercitium non est in virtutis actu, sed est alterius rationis: quia non est ordinatum ita directe contra peccatum sicut actus gratiæ sacramentalis.

De triplici genere exercitationis.

DSVNT autem exercitationum tres species: vna ad ædificationem animæ pertinet, alia ad corporis fomentum, alia ad vtriusque subuersionem. Cum igitur absque sacramentis (quibus non alligauit potentiam suam) Deus homini gratiam donare posset, prædictis de causis sacramenta instituit. Duo autem sunt in quibus sacramentum consistit, scilicet verba, & res. Verba vt inuocatio Trinitatis. Res vt aqua, oleum, & huiusmodi.

ARTICV

ARTICVLVS XV.

An in omni sacramento sunt duo, scilicet verba, & res.

DEinde quæritur de tertia parte huius distinctionis ibi [Duo autem sunt in quibus sacramenta consistunt, &c.] Hoc enim non videtur esse generale in omnibus: quia in matrimonio consensus facit matrimonium, etiamsi desint verba: ergo videtur, quòd non omne sacramentum consistit in verbis.

2 Item, In contritione dolor contriti cum gratia delet peccatum: & non sunt ibi verba.

3 Item, Obiicitur de altera parte, de qua dicit, quod res est in sacramento. Est enim quædam res sacramenti chrisma: & hæc res non fuit in Veteri Testamento. Et quæritur, Quare, cum fuerit ibi oleum, & vinum, & panis, & aqua, quæ sunt res aliorum sacramentorum?

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd verba sunt in omni sacramento inquantum est sacramentum Ecclesiæ. Matrimonium enim multipliciter consideratur, scilicet inquantum est officium naturæ, & inquantum est bonum Ecclesiæ: & quoad hoc potest sufficienter effici per consensum in maritalem copulam: sed tertio modo est in remedium, & sic ponitur sub clauibus Ecclesiæ: & est in dispensatione ministrorum, & quoad hoc habet formam in facie Ecclesiæ expressam, & accipit benedictionem Ecclesiæ, & efficitur Ecclesiæ non quidem sacramentum secundum se, sed sacramentum Ecclesiæ, vt sit medicina ex vi clauium ipsius Ecclesiæ.

AD ALIVD dicendum, quòd verba sunt in pœnitentia, secundum quod ipsa in tribus suis partibus est vnum sacramentum, & hæc sunt verba quæ dicit sacerdos, quando ligando ad satisfactionem absoluit.

AD ID quod obiicitur contra aliam partem, dicendum, quòd in confirmatione datur Spiritus sanctus ad robur: & ideo etiam non nisi ab illo datur, qui est in altiori gradu Ecclesiæ: & ideo in statu imperfectionis non conueniebat esse suam materiam propriam.

De differentia sacramentorum veterum & nouorum.

E TIAM videre restat differentiam sacramentorum veterum & nouorum: & sacramenta vocamus quæ antiquitus res sacras signabant, vt sacrificia, & oblationes, & huiusmodi. Eorum autem differentiam breuiter Augustinus assignat, dicens: quia illa promittebant tantum & significabant, hæc autem dant salutem.

Super titulum Psal. 73.

ARTICVLVS XV.

Vtrum sacramenta veteris legis dederunt salutem, sicuti sacramenta nouæ legis?

DEinde quæritur de quarta parte, quæ diuiditur in duas partes, in quarum prima determinat differentiam sacramentorum Noui & Veteris Testamenti in genere. In secunda autem tangit excipiendo de circunsione: quia illa non videtur cadere sub dicta differentia. Prima incipit ibi [Iam videre restat distantiam, &c.] Secunda ibi incipit [Fuit tamen inter alia sacramentum quoddam, &c.

Incidit autem quæstio de primo quod dicit de differentia prima: videtur enim quod illa dederunt salutem sicut & ista: quia ita dicit Apostolus Gala. 6. Qui fecerit ea, viuet in illis. Non autem loquitur de vita corporali: ergo de spirituali: ergo dabant vitam spiritualem: ergo salutem per consequens.

2 Item, Magister Hugo. de sancto vic. in lib. de sacramentis parte 8. Ex quo homo lapsus est in peccatum, continuo Deus sacramenta adhibuit, alia ante legem, alia sub lege, alia sub gratia, differentia quidem in specie, sed vnum habentia effectum. Effectus autem nouorum sacramentorum est conferre salutem: ergo & illorum quæ fuerunt ante legem, & in lege: ergo omnia curabant, & dabant salutem.

3 Item, 1. Cor. 10. Nolo enim vos ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt, & omnes mare transierunt, & omnes in Moyse baptizati sunt in nube & in mari, & omnes eandem escam spiritualem manducauerunt, & eundem potum spiritualem biberunt: bibebant autem de spirituali, consequente eos, petra: Petra autem erat Christus. Ergo videtur, quòd idem effecerunt eis sua sacramenta quod nobis nostra.

4 Item, Augustinus. Idem valuit manna edentibus quod corpus Christi sumentibus: ergo eundem habuit effectum.

5 Item, Sapien. 16. Paratum panem de cælo præstitisti illis sine labore, habentem in se omne delectamentum, & omnem saporis suauitatem. Hoc autem non potuit esse nisi contineret totum spirituale bonum gratiæ, sicut & nostrum: ergo videtur, quòd idem faciebant illa quod nostra.

Sed contra: Hebr. 9. Quæ non possunt iuxta conscientiam emundare.

2 Item, Hebr. 7. Lex neminem duxit ad perfectum.

3 Item si data esset lex quæ posset iustificare, vere per legem esset iustitia.

SOLVTIO. Dicendum, quòd lex non iustificabat quoad sacramentalia, sed promittebat salutem. Et assignatur multiplex differentia: tamen tres tangit Magister Hugo hic: quarum prima est, quod nostra sacramenta sunt signa gratiæ: sed illa sacramenta non immediate sunt signa gratiæ, sed nostrorum sacramentorum. Secunda est: quia nostra sacramenta sunt signa & causæ: illa autem *Solutio*

ſunt ſigna tantum. Tertia: quia illa promittunt quod non continent: iſta autem dant quod continent. Alij aſſignant differentiam ex parte implentium, per Auguſtinum qui dicit, quòd differentia breuiſſima legis & Euangelij eſt timor & amor.

DICENDVM ergo ad primum, quòd Apoſtolus ibi loquitur de decalogo, & non de ſacramentalibus: tamen nec decalogus de ſe conferebat gratiam, ſicut Nouum Teſtamentum. Et ad hoc intelligendum, ſciendum eſt quòd legis latio vetus, tota fuit in timore in igne & fumo & terribilibus: ſed noua, tota in benignitate & gratia: & ipſe etiam Mediator gratiam ſanctificationis pro omnibus attulit & dedit.

AD ALIVD dicendum, quòd magiſter Hugo hoc intelligit de effectu ſigni, non de effectu cauſalitatis: quia ſcilicet idem omnia iſta ſignificabant.

AD ALIVD dicendum, quòd non biberunt ſacramentaliter patres, ſed in ſpiritu, ſicut dicit Chriſtus Ioan. 8. Abraham pater veſter exultauit vt videret diem meum, vidit, & gauiſus eſt: & ideo non procedit argumentum: quia illud erat potius virtus deuotionis, quam virtus alicuius ſacramenti.

AD ALIVD dicendum, quòd idem valuit in genere, & ſpiritualiter: ſed non in ſpecie, & ſacramentaliter. Nos enim dupliciter ſitimus, ſcilicet ſpiritualiter, & ſacramentaliter: ipſi autem ſpiritualiter, & in typo tantum: & hoc non habebant de ratione ſtatus, ſed potius ex priuilegio quodam, inquantum pertinebant per charitatem ad Nouum Teſtamentum.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc fuit in typo & ſpiritu, & non in veritate & ſacramento.

AATICVLVS XVI.

Vtrum Teſtamentorum fuit grauius?

SEd ad hæc incidit quæſtio, quod illorum ſit grauius? Videtur autem, quòd Nouum: quia magis eſt difficile relinquere omnia quæ ſunt in Nouo, quam ſubiicere omnia quæ ſunt in Veteri. Item, Chriſtus multa addidit veteribus Matth. 5. Quod autem habet tantum & amplius, illud eſt grauius: ergo Nouum eſt grauius quam Vetus. Item, Vetus cohibet manum, & non animum: Nouum autẽ manum, & animum: magis autẽ eſt difficile cohibere & manũ & animum, quam manum ſolam: ergo Nouum Teſtamentũ eſt grauius.

SED CONTRA: Dicitur act. 15: Hoc eſt onus quod nec nos nec patres noſtri portare potuimus: ergo grauius eſt quam Nouum. Item, Matth. 11: Venite ad me omnes qui laboratis, & onerati eſtis: & ego reficiam vos. Tollite iugum meum ſuper vos, & diſcite à me quia mitis ſum & humilis corde: & inuenietis requiem animabus veſtis. Iugum enim meum ſuaue eſt, & onus meum leue. Econtra igitur videtur, quòd ſint æqualiter leuia & grauia. *Sed contra.*

SOLVTIO. Omnia huiuſmodi argumenta leue eſt determinare: quia ſicut vadunt auctoritates & rationes, ita innuunt quandam diſtinctionem. Sciendum ergo, quòd Nouum & Vetus poſſunt conſiderari, vt typus, & veritas: & ſic eſt vnum in alio. Si autem conſiderentur quoad materiam præceptorum & motiuum ad implendum, tunc Vetus eſt multo grauius: quia plura habet præcepta, & timor mouet ad implendum ea. Si autem conſiderentur quoad perfectionem ſtatus eorũ quæ præcipiuntur, ſic Nouũ eſt magis difficile. Et per hoc iam patet ſolutio ad omnia. *Soluitur.*

De Circunciſione.

F

Ad Valerium lib. 2. de nuptiis & cõcupiſc. c. 11. in fine. Super illud Luc. 2. Et poſt quam impleti ſunt.

EVIT tamen inter illa ſacramenta ſacramentum quoddam, ſcilicet circunciſionis, idem conferens remedium contra peccatum, quod nunc baptiſmus præſtat. Vnde Aug. Ex quo inſtituta eſt circunciſio in populo Dei, quæ erat tunc ſignaculum iuſtitiæ fidei, ad purgationem valebat magnis & paruulis originalis veteriſque peccati: ſic baptiſmus ex illo valere cœpit ad innouationem hominis, ex quo inſtitutus eſt. Item Beda: Idem ſalutiferæ curationis auxilium circunciſio in lege contra originalis peccati vulnus agebat, quod baptiſmus agere reuelatæ gratiæ tempore conſueuit, excepto quod regni cæleſtis ianuam nondum intrare poterant: tamen in ſinu Abrahæ poſt mortem requie beata conſolati, ſupernæ pacis ingreſſum ſpe felici expectabant. His apertè traditur per circunciſionem: ex quo inſtituta fuit, remiſſionem peccati originalis & actualis paruulis & maioribus à Deo præſtitam, ſicut nunc per baptiſmum datur.

ARTICVLVS XVII.

An Circunciſio à Damaſceno ſit benè definita.

FVit tamen inter illa, &c.] Hic incipit Magiſter agere de circunciſione: & tangit quinque circa ipſam, quorum primum eſt de eius effectu. Secundum de ſuſcipientibus ibi [Quæritur autem de viris] tertium de inſtitutione ibi [Dicendum in quo inſtituta fuerit] quartum de ritu eius ibi [Fiebat autem octaua die, &c.] Septimum & vltimum eſt de quibuſdam quæſtionibus dubiis circa ritum ibi [Si vero quæritur.

Inci

Incidit ergo hic primo quæstio, Quid sit circuncisio? diffinit enim eam sic Ioan. Damasc. Circuncisio signum erat determinans Israël à Gentibus cum quibus conuersabatur. Sed contra hanc diffinitionem multipliciter opponitur. Primo sic: Sicut patuit prius ex dictis Hugonis, veteris legis sacramenta dicuntur sacramenta in comparatione ad sacramenta nouæ legis quæ significant: ergo videtur, quòd in comparatione ad illa deberent diffiniri: & hoc non fit de circuncisione.

Si forte dicas, quod aliud est de circuncisione: quia illa effecit quod figurabat. Contra: Ita dicit Damasc. ibidem, Circuncisio typus erat baptismatis: typus autem diffiniendus est in comparatione ad id cuius est typus. Item parum infra. Veritate apparente inutilis est typus & vmbra. Quare superfluum est circuncidi, & contrarium sancto baptismati. Ex hoc habetur idem quod prius.

3 Vlterius obiicitur de hoc quod dicit, determinans Israël à Gentibus, &c. Aut enim loquitur de distinctione conuersationis: aut de distinctione loci quoad habitationem. Si de conuersationis distinctione: Contra: Lex erat data ad hoc, sicut dicit Psalm. 147. Non fecit taliter omni nationi, & iudicia sua non manifestauit eis. Ergo videtur, quòd non ad hoc dabatur circuncisio. Si de habitationis distinctione loquitur: tunc videtur, quod postea habitantes in pace in terra promissionis non debebant circuncidi: quia tunc non erant permixti aliis Gentibus quod friuolum est: ergo nullo modo determinat.

4 Item, Omnis distinctio datur per signum manifestum: circuncisio est determinatio quædam: ergo deberet fieri in fronte, vel in alio loco manifesto, vt videtur.

5 Item, Cũ duo sint in sacramento: sanctificare, & signare: sanctificare, est principalius: ergo per illud magis est diffinienda circuncisio, quam per determinationem quæ competit signo. Si vero dicas, quod non sanctificat de se, sed virtute fidei. Contra: Ita dicit Hugo, Circuncisionis sacramentum semini Abrahæ sanctificando & signando datum est: ergo circuncisio data est ad sanctificandum: & sic principaliter per actum sanctificationis deberet diffiniri.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd principalis actus circuncisionis est remedium peccati originalis, & sanctificatio quædam temporis, scilicet qualis per circuncisionem tunc temporis poterat præstari.

AD HOC autem quod obiicitur de Damasc. dicendum quod non diffinit eam in comparatione ad baptismum: quia ipsa in lege effectum quendam gratiæ habuit in remedium contra originale: & talis effectus semper est principalis in sacramento: licet tamen aliter esset etiam typus baptismatis.

AD ALIVD dicendum, quòd intelligitur principaliter determinatio conuersationis ex gratia circuncisionis, & per consequens etiam determinatio habitationis: & ideo ipse Damasc. dicit, quod 40. annis quibus fuerunt in deserto, non circuncidebantur: quia tunc aliis gentibus non erant permixti: & in hoc tantũ tangit causam secundariam: quia causa vera erat, quod sub nube fuerunt, & oportebat eos moueri ad motum nubis, & non potuissent vulnera sanari si circuncisi fuissent. Et ad hoc quod contra hoc obiicitur, dicendum quòd lex dabatur ad conuersationem, vt regula morum & operum, sed circuncisio vt signum & mitigatiuum concupiscentiæ mouentis ad conuersationem malam.

AD ALIVD dicendum, quòd duo fuerunt in circuncisione: quia ibi erat signum, & remedium originalis: & ex vtroque coniunctim oportuit ei determinare locum, scilicet in loco propagationis originalis, vt infra dicet Magister: in fronte autem, vel alio loco non significasset per hunc modum.

AD ALIVD dicendum, quòd sanctificatio non conuenit circuncisioni nisi indirecte, vt patebit iam in sequenti quæstione: & ideo non explicite ponitur in diffinitione, sed implicite in hoc quòd dicitur, determinans, innuitur.

ARTICVLVS XVIII.

An circuncisio etiam impresserit characterem?

DEinde quæritur de hoc quod dicit ibi [Circuncisio in populo Dei quæ erat tunc signaculum iustitiæ fidei] Ex hoc enim videtur, quòd circuncisio impresserit characterem: quia character idem est quod signaculum.

2 Item, Adhuc sunt aliæ rationes: quia non iterari & imprimere characterem concomitantur se in omnibus sacramentis, sicut probatur per inductionem: circuncisio autem non iterabatur: ergo characterem imprimebat.

3 Item, Distinctio interior debet respondere distinctioni exteriori, cuius exterior est causa: cum ergo circuncisio sit distinctio exterior, videtur ei debere respondere distinctio aliqua interior.

4 Item, Illud sacramentum efficit quod figurat: ponamus autem, quòd aliquis fictus acceperit, constat quod recedente fictione ei valere incipit: ergo oportet, quod ponatur ei aliquid in quo manet sacramentum, sicut facimus in baptismo: hoc autem non potest esse nisi character: ergo impressit characterem, vt videtur.

Sed contra. SED CONTRA: Perfectissima sacramenta imprimunt characterem: sed circuncisio est sacramentum imperfectum, sicut patet, quia mutatum est in baptismum: ergo characterem non impressit.

3 Item, Detur quod impresserit characterem alicui, & ille postea sit baptizatus, constat quod iterum reciperet characterem: ergo haberet duos: & cum vterque sit fidei, quia baptismus (vt dicit Augustinus) est sacramentum fidei, & circuncisio (vt dicit Apostolus) signaculum fidei: ergo erunt in vno homine duo characteres eiusdem speciei, quod esse non potest: ergo non impressit characterem.

3 Item, Character est configurans Trinitati: & hoc conuenit tam masculis quam fœminis: circuncisio autem solis maribus: ergo circuncisio characterem non impressit.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd circuncisio characterem non impressit: quia character est configuratio spiritualis trinitatis creatæ quæ est in imagine ad Trinitatem increatam.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd erat

ſignaculum corporale, & non ſpirituale: ita ſcilicet quod in ipſa ſignificatur diminutio concupiſcentiæ à parte corporis, præter hoc quod imprimeret ſignum in anima.

Ad alivd dicendum, quòd illa propoſitio vera eſt de ſacramentis nouæ legis, quæ nullo modo poſſunt iterari: ſed non eſt vera de illis quæ non iterantur ſuper eandem materiam, licet iterentur ſuper aliam vt pœnitentia, & vnctio, & matrimonium, & Euchariſtia: ſed circunciſio non iterabatur, eo quod ſignificabat id quod non eſt iterandum, ſcilicet baptiſmum. Vel melius dicatur, quod non iterabatur: quia erat contra morbum originalis peccati, qui non iteratur, & non propter impreſſionem characteris.

Ad alivd dicendum, quòd non ſequitur, quod diſtinctio exterior ſit fruſtra, niſi ſit data ad hoc vt cauſa ad effectum: & hoc falſum eſt: quia habet actum alium reſpectu cuius non eſt fruſtra, ſed vtilis.

Ad id quod fictione recedente incipit valere circunciſio, dicendum quod non ideo eſt, quod gratia velut in vaſe in charactere aliquo contineretur: ſed potius ideo, quia Spiritus ſanctus obſtaculum non inuenit qui gratiam influit, & id quod corporaliter fieri debuit, eſt expletum: & ideo illud non tenetur reuocare: ſicut & in aliis corporalibus actionibus, ad quas aliquis tenetur, ſi peragit illas fictus, non oportet iterum facere. Si enim voui pauperibus dare centum libras, ſi do eas in mortali exiſtens, & poſtea pœniteo, non iniungitur mihi vt iterum dem: quia licet datio tranſeat, tamen damnum manet, & tamen illud poſtea ſecundum approbationem poteſt mihi valere. Ita dico etiam de circunciſione: quia fuit etiam ſignum corporale, ſi aliquis proſelytus eam fictus accepit, non oportebat vt non fictus iterum circuncideretur. Si forte obiiciatur, quod aliquis circunciſus dignoſcibilis eſt à non circunciſo à viſu Angeli vel ſpiritualis oculi: & hoc non poteſt eſſe niſi ſignum aliquod ſit in anima, ſicut etiam per characterem dignoſcitur anima baptizati ab anima non baptizati. Dicendum, quòd illa nota non eſt character: quia ſic etiam nota mortalis peccati character eſſet: ſed tantum character dicitur, quando eſt configuratio imaginis ad Trinitatem increatam, & hoc non eſt in circunciſione.

ARTICVLVS XIX.

An circunciſio iuſtificabat?

Deinde quæritur de hoc quod dicit ibi [Ad purgationem valebat magnis & paruulis originalis veteriſque peccati, &c.] Ex hoc enim accipitur, quod iuſtificabat: quod etiam videtur alia ratione: quia ad minus contra morbum in quem neceſſarium erat incidere, non ex voluntate, ſed ex natura corrupta, oportuit habere medicinam, præcipue propter paruulos quorum innumerabiles aliter fuiſſent damnati: hæc autem medicina non fuit niſi circunciſio: ergo circunciſio valuit contra originale peccatum, vt videtur.

3 Item, Circunciſio non erat ex lege, ſed ex patribus, & dabatur in ſignum iuſtitiæ Abrahæ iuſto: aliis autem in cauſam iuſtificationis, vt dicitur hic in litera: ergo valebat contra originale peccatum.

4 Item, Nihil dimittit peccatum niſi conferat gratiam: ſed circunciſio, vt patet in litera, dimittebat peccatum: ergo conferebat gratiam.

Sed contra. Sed contra: Morbus nunquam intermiſſus eſt: ergo ſi circunciſio fuit ſubſtantialiter contra morbum inſtituta, circunciſio etiam intermitti non debuit: ſed intermiſſa fuit 40. annis: ergo videtur quod cum tunc aliud remedium non fuit inſtitutum, quod non fuit ſubſtantialis medicina contra morbum.

2 Item, Morbus vniuerſalis eſt in maribus & fœminis: ergo & medicina ſi ſubſtantialiter eſt ordinata contra morbum, vniuerſalis eſſe debuit: ſed non fuit data niſi maribus: ergo non fuit vniuerſalis.

3 Item, In ſacramento ſunt duo, ſcilicet ſignum, & cauſa: & cauſalitas non ſe extendit extra vltra rationem ſigni: ergo quodlibet ſacramentum tantum cauſat de gratia quantum ſignat de ipſa: circunciſio autem nihil conferebat, ſed auferebat: ergo non cauſabat alicuius boni collationem, ſed tantum mali ablationem.

4 Item, In malo duo ſunt: culpa ſcilicet, & pœna: culpa autem ſi aufertur, in toto aufertur: ſed circunciſio non aufert niſi partem: ergo non ſignificat ablationem culpæ quæ in toto aufertur: ergo nec cauſat eam, cum cauſalitas nõ ſe extendat extra rationem ſignificandi: ergo videtur, quod circunciſio non cauſabat niſi illius pœnæ dimiſſionem, quæ in parte, & non in toto dimittitur: & hæc eſt pronitas concupiſcentiæ, & non reatus carentiæ viſionis: ergo non cauſabat niſi diminutionem fomitis, vt videtur.

Solutio. Solvtio. Dicendum, quòd peccatum dimittebatur in circunciſione: ſed circunciſio à poſteriori operabatur peccati dimiſſionem. Verbi gratia, in peccato ſunt tria ſibi connexa, ſcilicet culpa, & carentia viſionis Dei, & incenſio fomitis: & ſi aliquid debeat directe delere peccatum, oportet quod primam cauſalitatem habeat ad deletionem culpæ: & quia alia duo connexa ſunt illi, ideo remittitur poſterius pœna carentiæ viſionis in toto, & incenſio fomitis in parte. Et ſic operatur baptiſmus: quia potentia gratiæ lauat ſordes culpæ primo, & poſterius etiam cadunt pœnæ adiunctæ. Sed circunciſio, ſicut probat vltima obiectio, cauſalitatem ponit contra fomitis incenſionem, & ideo incipit delere peccatum à poſteriori: remittit enim incenſionem fomitis: & quia illa non poteſt diminui, niſi ceſſet reatus in toto, ideo ille in toto dimittitur: quia vero ille connexus eſt culpæ, ideo etiam culpa dimittitur. Et hoc eſt quod quidam de antiquis ſcripſerunt, quòd circunciſio de ſe operatur diminutionem pœnæ: ſed virtus fidei in ipſa operabatur remiſſionem culpæ: & ſic intelliguntur rationes primæ quæ probant., quòd fuit remedium originalis.

Ad id autem quod contra obiicitur, dicendum quòd fuit ordinata quidem contra morbum, ſed non ſubſtantialiter: & ideo aliqua de cauſa (quæ ſupra dicta eſt) poterat intermitti.

Ad alivd dicendum, quòd licet morbus vniuerſalis eſſet: tamen propagatio eſt in vno, & in altero paſſiue tantum: & ideo in illo remedium debuit poni. Et hoc infra magis patebit.

Ad

Ad alivd bene concedo, scilicet quod circuncisio à parte posteriori & non directe delere incepit peccatum.

ARTICVLVS XX.

Quid dicatur sinus Abrahæ: & an paruuli decedentes sint in aliqua miseria?

Deinde quæritur de hoc quod dicit ibi [Tamen in sinu Abrahæ post mortem requie] Quid enim hic dicitur sinus Abrahæ? Si forte dicas secundum Hier. quòd sinus Abrahæ vocatur requies bonorum patrum: hoc non videtur, quia requies illa est in cælo in quo non fuerunt patres ante aduentum Christi. 2 Item, Si dicas secũdum aliquos, quòd sinus dicitur protectio ab interiori & exteriori miseria: iterum non videtur conuenire: cum miseria non tollatur, nisi per suum contrarium, quod est beatitudo: & patres tunc beati non fuerunt, cum visione Dei non perfruerentur. 3 Præterea, Si diceres quòd dicitur protectio non vri igne, & non lædi verme conscientiæ: hoc iterum non videtur conuenire: quia etiam pueri ante baptismum decedentes (vt creditur) non cremantur igne, nec roduntur verme conscientiæ: cum nullum secum ferant delictum proprium, de quo solo est vermis: ergo videtur, quod non posset hoc modo dici hic sinus. 4 Præterea, Videtur, quòd sinus iste non fuerit in inferno: quia Luc. 16. dicitur, quòd eleuans oculos diues cum esset in tormentis, vidit Abraham à longe, & Lazarum in sinu eius: ergo sinus erat longe supra infernum: ergo non in inferno. Sed contra hoc est quod Christus in morte descendit ad limbum: & hoc fuit descendere ad infernum: ergo limbus iste & sinus est in inferno.

Sed contra.

Quæstiũcula. Item quæritur, Quare dicitur sinus Abrahæ potius quam Adam, vel Abel, vel alterius: cum ab Adam omnes multiplicati descenderunt, & ab Abel inceperit Ecclesia, vt dicit August.

Solvtio. Dicendum, quòd sinus dicitur proprie & communiter. Communiter est requies beatorum patrum, vt dicit Glossa Luc. 16. Proprie autem dicitur locus in ora inferni sequestratus ad habitationem electorum, quia ante Christi aduentum mortui, spe felici redemptionis pretium expectabant. Vnde etiam limbus vocatur. Limbus ora est vestimenti, sicut locus ille in ora fuit inferni. Et per hoc patet solutio ad primum.

Ad secvndvm dicendum, quòd protectio dicitur à puniente actualiter, & ideo vocatur miseriæ: non enim vocatur hic protectio omnis indigentiæ: quia hoc non fuit nisi per beatitudinem.

Ad alivd dicendum, quòd miseria est in pueris, scilicet desperatio visionis Dei: & ideo non ab omni miseria protegũtur: tamen bene concedo, quòd pueri non habent ignem nec vermem.

Ad alivd dicendum, quòd iste locus est in ora inferni superior, & longe ab inferno damnatorum, loco, & differentia mansionis: quia secundum spatium loci infernus longe est subtus, & secundum differentiam habitationis in inferno est pœna affligens æterna, & caligo densa, & vermis conscientiæ: quorum nihil fuit in limbo patrum, quia aliquam lucem habuerunt propter fidem & spem quam habebant.

Ad vltimvm dicendum, quòd dicitur sinus Abrahæ propter tria: quorum vnum est, quòd ipse obediuit exire ab idololatris & patria: & ideo vt esset pater in patria meruit. Secundum est, quia ipse benedictionem benedicti seminis primus accepit. Tertium est, quia Pater est credentium in circuncisione, & credentium in præputio: & in vtroque semen habuit per Ismaël & Isaac.

Ad quæstiunculam.

De viris qui fuerunt ante circunciſionem, & de fœminis quæ fuerunt ante & poſt.

Qværitvr etiam de viris qui fuerunt ante circuncisionem, G & de fœminis quæ fuerunt ante & post, quod remedium contra peccatum habuerint? Quidam dicunt sacrificia & oblationes eis valuisse ad remissionem peccati. Sed melius est dicere, illos qui de Abraham prodierunt, per circuncisionem iustificatos: mulieres vero per fidem & operationem bonam, vel suam si adultæ erant, vel parentum si paruulæ. Eos vero qui fuerunt ante circuncisionem, paruulos in fide parentum, parentes vero per virtutem sacrificiorum, scilicet quam intelligebant spiritualiter in illis sacrificiis, iustificatos. Vnde Gregor. Quod apud nos valet aqua baptismi, hoc egit apud veteres vel pro paruulis sola fides, vel pro maioribus virtus sacrificij, vel pro his qui ex Abrahæ stirpe prodierunt, mysterium circuncisionis.

Gregor. l. 4. moral. c. 2. de consc. di. 4. cap. Quod apud.

ARTICVLVS XXI.

Quare fœminæ non circuncidebantur?

Deinde quæritur de hoc quod dicitur [Quæritur autem de viris qui fuerunt ante circuncisionem, & de fœminis, &c.] Et est dubium, Quare fœminæ non circunciderentur, cum haberent originale, sicut & mares?

2 Item, Quare circuncisio in maribus fiebat circularis, & non abscissio cuiusdam portionis.

3 Item,

3 Item, Quare fiebat in membro generationis potius quam in alio loco?

4 Item, Cum Geneſ. 17. dicatur, Circuncidetis carnem præputij veſtri, videtur quod hoc nunquam fuit impletum: quia dicit Ambroſius, quòd caro præputij dicitur caro illa virgę, quæ eſt ante cartilaginoſos neruos: & illa non abſcindebatur, ſed pellicula.

5 Item, Si ad temperamentum æſtus concupiſcentiæ fiebat illa abſciſſio: tunc videtur, quòd debuit fieri inciſura in carne: quia in illa magis viget ſenſus & dèlectatio quam in pelle.

6 Item, Nihil eſt quod quidam videntur dicere, quare mulieres non circuncidebantur: quia ſcilicet id in quo damnatur libido in mulieribus ſit intus: quia in viris non abſcinditur id in quo damnatur libido: hoc enim vt dicunt phyſici ſermones non eſt pellicula, ſed caro in capite virgę: pellicula autem in muliere ita poterat abſcidi ſicut in viro.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd mulieribus non fiebat tribus de cauſis: quarum vna eſt: quia natura noſtra non eſt corrupta in muliere, quia in illa non fuit tota, ſed potius in Adam: & ideo in filiis ſimilibus illi conueniens fuit poni remediũ. Secunda cauſa eſt, quod vir principalis eſt in generatione, & in ſemine viri eſt virtus formatiua, & ſemen mulieris eſt ſicut materia formata & patiens: & ideo dicunt etiam Doctores, quod ſi Adam non peccaſſet, ſed mulier ſola: non transfuſum fuiſſet in nos originale quoad culpam, ſed quoad pœnam quæ vocatur paſſibilitas naturæ, non vitium: & ideo congruebat iterum in Adam poni characterem obedientiæ mandato circunciſionis. Tertia cauſa eſt, vt oſtenderetur imperfectio ſacramenti, & aliud generalius & melius expectaretur: & puto quod hæc cauſa melior eſt.

AD ALIVD dicendum, quòd circularis fiebat: vt notaretur circulus peccati: quia illud (vt dicit Apoſtolus) primo fuit in perſona in primis parentibus, & deinde ſerpens quaſi cancer corrupit naturam in ipſis, & ex illa naturam in paruulis, & corrupta natura in paruulis, corrumpit perſonam paruulorum: & ſic concluditur circulus à perſona in perſonam. Vel ſic: quia anima corrupit carnem in parentibus, & caro carnem ſeminatam in paruulis, & caro animam infuſam in eiſdem: & ſic iterum concluditur circulus maledictionis primæ.

AD ALIVD dicendum, vt Magiſter dicit in litera: quia inobedientia primo percepta eſt eo quod concupiſcentia loco illo corrupta ſit & infecta.

AD ALIVD dicendum, quòd illa abſciſſio eſt periculoſa, & contra bonum prolis in matrimonio: ſed inciſio fit in pellicula operiente carnem illam, vt notetur, quod eadem caro debet refrigeraari ab æſtu libidinis.

AD ALIVD dicendum, quòd mulieres non circuncidebantur ratione ſuperius dicta.

De inſtitutione & cauſa circunciſionis.

Gen. 17. HIC dicendum eſt, in quo inſtituta fuerit circunciſio, & quare, & cur mutata per baptiſmum. Abraham primus mandatum circunciſionis habuit ad probationem obedientiæ: nec ei ſoli præcepta fuit circunciſio, ſed ſemini eius, id eſt, omnibus Hebræis: quæ
Ioſ. 5. fiebat ſecundum legem octaua die lapideo cultro in carne præputij. Data autem fuit circunciſio pluribus de cauſis, ſcilicet vt per obedientiam mandati Abraham placeret Deo, cui per præuaricationem
Gen. 22. Adam diſplicuerat. Data etiam fuit in ſignum magnæ fidei Abrahæ, qui credidit ſe habiturum filium in quo fieret benedictio omnium. Deinde, vt hoc ſigno à cæteris nationibus diſcerneretur populus ille. In carne vero præputij ideo iuſſa eſt fieri circunciſio, quia in remedium inſtituta eſt originalis peccati, quod à parentibus trahimus per concupiſcentiam carnis, quæ in parte illa magis damnatur: & quia in parte illa culpam inobedientiæ primus homo ſenſit, decuit vt ibi ſignum obedientiæ acciperet.

Quare die Octauo, & petrimo cultro.

Gen. 14. & Ioſ. 5. & habetur 25. q. 1. §. His ita. FIEBAT autem octaua die, & petrino cultro: quia & in reſurrectione communi & octaua ætate futura, per petram Chriſtum omnis ab electis abſcindetur corruptio: & per Chriſti reſurrectionem octaua die factam, circuncidetur à peccatis anima cuiuſque in eum credentis. Duæ ergo res ſunt illius ſacramenti.

Quare

Quare in baptismum mutata sit circumcisio?

DEO autem mutata est circumcisio per baptismum: quia sacramentum baptismi communius est & perfectius: quia pleniori gratia accumulatum. Ibi enim peccata solum dimittebantur, sed nec gratia ad bene operandum adiuttix, nec virtutum possessio vel augmentum ibi præstabatur, vt in baptismo: vbi non tantummodo abolentur peccata, sed etiam gratia adiutrix confertur, & virtutes augentur. Vnde aqua refectionis vel regenerationis dicitur, quia aridos fœcundat, etiam fructificantes ampliori vbertate donat. Quia quantuncunque per fidem & charitatem ante habitam aliquis iustus ad baptismum accedit, vberiorem ibi recipit gratiam: sed non ita in circumcisione. Vnde Abrahæ per fidem iam iustificato signaculum tantum fuit, nihil ei intus contulit. Psal. 21.

De paruulis defunctis ante diem octauum.

SI vero quæritur de paruulis qui ante diem octauum moriebantur, antequam fiebat circumcisio ex lege, vtrum saluarentur vel non? Idem potest responderi quod sentitur de paruulis ante baptismum defunctis, quos perire constat. Vnde Beda. Qui nunc per Euangelium suum terribiliter & salubriter clamat, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum Dei: ipse dudum clamabat per suam legem, Masculus cuius præputij caro circumcisa non fuerit, anima illa peribit de populo suo, quia pactum meum irritum fecit. Forte tamen sub lege, ingruente necessitate mortis, ante octauum circuncidebant sine peccato filios, sicut modo fit in Ecclesia de baptismo. *Non tenetur hic Magister.* Super 2. Luc. Gen. 17.

ARTICVLVS XXII.

An omnes tenebantur ad circumcisionem?

DEinde quæritur de hoc quod dicitur [Hic dicendum, in quo instituta fuerit circumcisio] Videtur enim, quòd omnes tenebantur ad circumcisionem: quia in omnibus damnabatur libido. Item Genes. 17. dicitur, Tam vernaculus, quam emptitius: & nullus excipitur: ergo generatio Rachelis obligatur ad hoc, & generatio Esau Sed contra hoc est quod dicit Gloss. Ambros. Rom. 5. Non possumus dicere ad circumcisionem teneri nationum populos, nisi fuerint in domo Patriarcharum nutriti, vel pretio empti. Et breuiter quæritur, Qui obligabantur mandato circumcisionis, & qui non & qua ratione obligabantur?

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd ratio circumcisionis fuit diminutio concupiscentiæ in his qui pertinebant ad semen benedictum & promissum: pertinebant autem dupliciter, scilicet in hæreditate percipienda, & vt per quos semen descenderet: & ideo nulli alij obligabantur, vt dicit Ambr. nisi illi tantum: familia autem obligabatur quamdiu relationē habuerat per dominos suos ad hæreditatis obsequium & vsum, id est, quamdiu erant in domo eius qui verus erat hæres: & ideo Ismael & Esau & alij, quando separabantur à iure hæreditatis, & spe repromissi seminis, statim cessante in eis causa circumcisionis, absoluebantur à circumcisionis mandato, & amplius non tenebantur. Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICVLVS XXIII.

An tres causæ circumcisionis tactæ à Magistro sint benè assignatæ.

DEinde quæritur de hoc quod dicit ibi [Data autem fuit circumcisio pluribus de causis, &c.] Tres enim causas tangit hic, scilicet probationem obedientiæ Abrahæ, & signum magnæ fidei Abrahæ, & discretionem populi de quo Christus nasci voluit. His tribus adduntur duæ in Gloss. Rom. 5. scilicet vt castitatem mentis & corporis indicaret, & vt figura esset baptismatis. Et quæritur, Penes quid sumuntur causæ istæ?

Item

Item quæritur de prima: quia Adam tentatus est in re vna indifferenti: Abraham autem in duabus: vna sacrificiali, vt ita dicam, & alia sacramentali, & vtraque valde pœnali. Et quæritur, Quare hoc?

Item de secunda: quia signum & signatum debent habere aliquam similitudinem: sed circuncisio nullam videtur habere similitudinem.

Item contra tertiam: quia circuncisio figura est baptismi: & baptismus nullum distinguit, sed omnes vnit: ergo nec circuncisio aliquem debuit distinguere.

Item contra quartam: quia genus humanum aliis virtutibus defecerat, sicut & castitate: ergo videtur, quod signum ad illas valens debuit recipere, sicut & ad castitatem accepit. Item, Signum erat fidei, vt dicit secunda causa: ergo potius accipiebatur ad fidem indicandam, quam ad indicandam castitatem.

Item contra quintam: quia non videtur habere similitudinem cum baptismo, nec in materia, nec in forma: ergo non fuit signum eius.

Solutio. SOLVTIO. Ad primum dicendum, quòd istæ causæ quædam sunt sumptæ à parte suscipientis eam primo: & quædam ex ratione circuncisionis. Ex parte suscipientis tripliciter, secundum quod tria exiguntur ad consequendum semen promissum. Vnum ex parte vitæ quod facit dignum per modum congruitatis, & hoc est obedientia. Alterum ex parte rei promissæ, & hoc exigit fidem: & istæ sunt duæ primæ. Tertium est ex parte idoneitatis ad carnalem descensum benedicti seminis: & hoc est castitas, & hæc est causa quarta. Ex ratione autem circuncisionis duæ sumuntur quia ex parte illa qua signum est, sumitur materia: vt ille populus charactere carnali esset distinctus, & hæc est tertia. Ex parte autem effectus sumitur quinta: quia per effectum significabat baptismum.

DICENDVM ergo ad primum, quòd Adam tentabatur pro modo sui status, in eo in quo obedientia magna commendabilis erat: & non nisi vno, quia non indiguit multis adhuc, sed tantum vt experimentum acciperet suæ obedientiæ, indifferenti. Sed Abraham tentabatur, vt homo indigens liberatione & liberatore: & ideo in rebus difficilibus: & liberatotis indigentiam præsignabant tentatio de immolatione filij, liberationis autem tentatio de circuncisione.

AD ALIVD dicendum, quòd circuncisio est signum fidei, non quantum ad quemlibet articulum, sed vt dicit Augustinus. quia credidit se habiturum filium in quo fieret benedictio omnium: & quoad hoc per locum generationis ponit similitudinem ad rem creditam.

AD ALIVD dicendum, quòd est figura baptismi, sicut imperfectum eius quod est perfectum, & sicut particulare eius quod est vniuersale: & ideo distinguit, licet baptismus nihil distinguat.

AD ALIVD dicendum, quòd licet in aliis defecerat genus humanum: tamen quoad generationem seminis exigebatur præcipue reparatio in fide vt curaretur, & castitate vt congruenter reciperetur.

AD VLTIMVM dicendum, quòd conuenientiam habet in effectu cum baptismo, & quoad hoc figurat ipsum. Alia quæ quærenda sunt, Magister bene determinat in litera, præter hoc solum, quod Hebræi tradunt, quòd non nisi principales circuncisiones lapideis cultris factæ sunt, scilicet filij Moysi cum educi debebat populus filiorum Israël in colle præputiorum in terram promissionis: quia hoc significabat statum resurrectionis, quando per petram Christum omnis ab electis circuncideretur corruptio. *Iosue 5.*

DISTINCTIO II.

De sacramentis nouæ legis.

Non tenetur hic Magister. AM ad sacramenta nouæ legis accedamus: quæ sunt baptismus, Confirmatio, Panis benedictio, id est, Eucharistia, Pœnitentia, Vnctio extrema, Ordo, Coniugium. Quorum alia remedium contra peccatum præbent, & gratiam adiutricem conferunt, vt baptismus: alia in remedium tantum sunt, vt coniugium: alia gratia & virtute nos fulciunt, vt Eucharistia & ordo.

ARTICVLVS I.

An contra omnes pœnas debent ordinari sacramenta, & quæ sit eorum diuisio?

IAm ad sacramenta nouæ legis accedamus, &c.] Hic incipit tractatus in speciali, & diuiditur in septem secundum septem sacramenta: & satis patent loca inceptionis vniuscuiusque partis. Tractatus iste qui est de baptismo, diuiditur in duas partes, in quarum prima Magister agit de baptismo Christi: & hæc incipit in sequenti distinctione, scilicet tertia ibi [Post hæc videndum est, quid sit baptismus, &c.] Hæc distinctio iterato diuiditur

diuiditur in duas partes, in quarum prima tangit breuiter numerum sacramentorum & tempus inceptionis & institutionis. In secunda autem ponit tractatum breuem de baptismo Ioannis *ibi* [nunc vero de baptismi sacramento videamus, & cætera.

Circa primum nota, quòd præter diuisiones quas supra posuimus secundum diuisionem signi & causæ, alij quidem faciunt alias diuisiones. Et ideo obiiciamus sic: Supra suppositum est ex litera, quod sacramentum sit ordinatum contra peccatum: quia hoc probauit Lucas per parabolam vulnerati qui incidit in latrones: sed cum sint quidam defectus in quos incidit homo ex peccato, videtur, quòd contra illos sacramenta habere debeamus. Sunt autem quatuor, vt dicunt Gregor. & Beda, scilicet ignorantia agendorum, infirmitas faciendorum, concupiscentia noxiorum, & malitia contra bona. Nos autem nullum habemus sacramentum contra ignorantiam, & nullum contra malitiam inquantum huiusmodi.

2 Item, Etiam in operibus misericordiæ est septenarius contra defectus quos incidimus. Vnus quidem septenarius ex parte corporis, qui notatur in versu

Visito, poto, cibo, tectum do, colligo, condo.

Sex enim in verbis hic exprimuntur: sed primum accipitur in duplici significatione: in visitatione infirmorum, & pro visitatione captiuorum. Si forte tu dicas, quòd isti defectus sunt corporales, & contra eos non ordinatur gratia sacramentalis: tunc est quæstio de septem spiritualibus qui notantur alio versu.

Instrue, castiga, solare, remitte, fer, ora.

Hæc etiam sex verbis exprimuntur: sed castigare sumitur in redargutionem publice delinquentium, & admonitionem occultam delinquentium. Sic vero isti omnes spirituales videntur. Ergo videtur, quòd debeamus habere remedia contra illos, aut diminutus erit numerus sacramentorum.

Solutio. Solvtio. Hic assignabimus conuenientias Doctorum, & sunt tres. Quidam enim volunt accipere numerum sacramentorum penes numerum virtutum: vt baptismus sit sacramentum fidei: extrema vnctio spei, quia ille qui vngitur, sperat statum resurrectionis: Eucharistia autem sit sacramentum charitatis: confirmatio autem fortitudinis, propter pugnam ad quam ille confirmatur: pœnitentia autem iustitiæ, propter satisfactionem: & ordo prudentiæ, propter claues scientiæ quæ conferuntur ordinato: & matrimonium temperantiæ eo quod libido in illo sacramento honestate excipitur nuptiarum. Alij volunt ordinare contra septem capitalia vitia sic: vt baptismus sit contra superbiam, eo quod homo se ibi humiliat sub communiori elemento: contra inuidiam autem Eucharistia, quia inuidia contrariatur charitati, propter hoc quod inuidia dolet de quo charitas gaudet: contra acediam confirmatio, qua homo confirmatur, vt sit fortis in spiritualibus laboribus, in quibus tristatur quis, & sic dicitur acediosus: contra iram extrema vnctio, quia ira prouenit ex tumore cuius mitigatiuum est oleum: contra auaritiam est ordo, quia leuitæ solo Deo contenti, partem inter fratres suos non babebant, sicut & clerici quando coronam vel primam tonsuram accipiunt, dicunt per os Episcopi: Dominus pars hæreditatis meæ, &c. Contra gulam operatur pœnitentia per afflictionem carnis & abstinentiam: & contra luxuriam matrimonium, concupiscentiam turpem excipiendo honestate nuptiarum. Alij volunt accipere secundum status contemplantium & actiuorum in Ecclesia sic: Status actiuorum, est ingredientium, & pugnantium, & vulnera sanantium, habens supra se ducem & auxilium, vnde milites cadentes restituantur, & sunt egredientes emeriti. Status autem contemplantium est in gustu diuinorum. Dicunt ergo, quòd baptismus est intrantium, procedentium ad pugnam est confirmatio, sed sanantium sua vulnera est pœnitentia, & loco ducis est ordo siue ordinatus, exeuntes & emeriti vnguntur, & numerus eorum restituitur per matrimonium: sed contemplatiuorum gustantium est Eucharistia, vel etiam actiuorum intrantium propter hoc quod est viaticum.

Dicimvs ergo ad primum, quòd illæ pœnæ peccati quæ non directe ordinantur in peccatum, sed potius sunt promotiuæ in bonum, non habent contra se sacramenta ordinata, sicut fames, sitis, & huiusmodi. Et per hoc patet solutio ad secundum numerum defectuum. Aliæ autem pœnæ spirituales quæ sunt effectus: aut habent aliunde medicinam magis substantialem eis, vt ignorantia faciendorum cui prouidetur per doctrinam: aut reducuntur ad has contra quas sunt sacramenta, sicut infirmitas faciendorum curatur in confirmatione, concupiscentia autem præcipue in matrimonio: malitia autem non dicit specialem defectum, sed inclinabilitatem in malum, & illa curatur non in vno sed in pluribus sacramentis, eo quod ipsa est generalis defectus facilius inclinabilis in malum quam in bonum. Et per hoc patet solutio ad id quod obiicitur de prima diuisione pœnarum siue defectuum.

Ad vltimvm dicendum, quòd isti defectus omnes præter vnum reducuntur ad pœnitentiam: quia omnes illi consistunt in peccato actuali alterius hominis, qui est proximus nobis per naturam: ille autem est defectus ignorantiæ, qui substantialiorem causam habet, tam per doctrinam exteriorem quam per sacramentum: & ideo penes illos non multiplicantur gratiæ sacramentales, sed potius modi virtutis misericordiæ, quos nos habere possumus, subueniendo aliis qui nostri indigent.

Quare mox post hominis casum non fuerint instituta?

Si vero quæritur, Quare non fuerint hæc sacramenta instituta mox post hominis lapsum, cum in his sit iustitia & salus? Dicimus non ante aduentum Christi qui gratiam attulit, gratiæ sacramenta fuisse danda: quæ ex ipsius morte & passione virtutem sortita sunt. B Hugo li. 1. parte 2. c. 8.

ſunt. Chriſtus autem venire noluit, antequam homo de lege naturali & ſcripta conuinceretur, quòd neutra iuuari poſſet.

Quod ſacramentum coniugij fuit ante peccatum.

C Gen. 3. FVIT tamen coniugium ante peccatum inſtitutum: non vtique propter remedium, ſed ad ſacramentum, & ad officium: poſt peccatum vero fuit ad remedium contra carnalis concupiſcentiæ corruptelam: de quo ſuo loco tractabimus.

ARTICVLVS II.

Quare non fuerunt ſacramenta inſtituta mox poſt hominis lapſum?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Si vero quæritur, Quare non fuerunt hæc ſacramenta inſtituta mox poſt hominis lapſum, &c.] Videtur, quòd ſtatim debebant eſſe: quia facilius curatur morbus à principio quam in fine: ergo ſapiens medicus magis à principio adhibere debuit medicinam.

2 Item, Non valet ſolutio quæ ponitur in litera, quod homo debuit conuinci de lege naturali & ſcripta: quia morbus diu continuatus in ſubiecto, vertitur in ſoporem, vt dicit Bernard. in primo ad Eugenium Papam: ergo videtur, quòd quanto diutius expectauit, tanto minus homo morbum ſuum recognouit: & ſic nulla eſt cauſa quæ aſſignatur in litera.

3 Item, Hugo dicit, quòd quam cito eſt morbus, tam cito eſt tempus medicinæ: ſed morbus fuit à principio ex quo Adam peccauit: ergo ex tunc fuit tempus exhibendi ſacramenta in medicinam.

4 Item, Nulla videtur cauſa quam tangit, quòd ſacramenta habentia vim à Paſſione Chriſti, non debebant ante Chriſti aduentum inſtitui: quia etiam antiqui virtute Paſſionis in fide venturi ſaluati ſunt, vt habitum eſt in tertio lib. diſt. 35. ergo eodem modo Paſſio tradenda, licet non expleta in opere, potuit operari in ſacramentis veteris legis & legis naturalis.

Quæſtiũcula. VLTERIVS quæritur, Quare quædam ſacramenta patres habuerunt in lege naturæ, & Moyſi, ſicut & nos: quædam autem ſecundum partem, & non ſecundum totum: quædam autem in figura tantum: & quædam nec in toto, nec in parte, nec in aliqua figura determinata? Verbi gratia matrimonium in toto habebant: pœnitentiam in parte, quia conterebantur ſicut & nos, ſed non confitebantur ſicut & nos: ſed ordinem & Euchariſtiam habebant in figura: confirmationem & extremam vnctionem in nullo videntur habuiſſe: non enim poteſt dici, quòd in tribus vnctionibus Dauid ſignificetur ttiplex vnctio, ſed potius nulla: quia non vngebatur vnctione leuitarum, nec vnctione pugnantium, nec vnctione morientium vel infirmorum: ergo patet quòd nullam iſtorum figurabat. Præterea, Illæ vnctiones Dauid ſingulares erant: ſed iſtarum duæ, ſcilicet confirmatio, & extrema vnctio ſunt vniuerſales: ergo non ſignificabantur in illa, nec in alia aliqua regali vnctione, vt videtur.

ITEM quæritur de hoc quod dicunt quidam hic, quòd non tantum matrimonium ſit inſtitutum ante peccatum, ſicut Magiſter dicit in litera in hoc verbo, cum dixit, Quacunque die comederitis ex eo, morte moriemini; quod exponunt quidam Sancti de morte pœnitentiæ. Videtur enim non eſſe conueniens: quia pœnitentia eſt directa medicina actualis peccati: ergo ante peccatum non debuit inſtitui. Item, Si hoc intellexerit Dominus vt ibi inſtitueret homini caſuro tempus pœnitentiæ, ne totus periret, ſicut Angelus ſemel cecidit, & damnatus eſt: quare non dixit aperte, ſi comederitis dabo vobis ſpatium pœnitentiæ in alio loco quam in iſto: qui locus erit luctus, & mortis, & laboris? *Quæſtiũcula.* Gen. 2.

SOLVTIO. Dicendum, quòd à principio morbi fuit tempus medicinæ, vel in ſignando, vel in cauſando: erat enim aliter de morbo mentis, & de morbo corporis: quia oportet hominem præcognoſcere quod ægrotet, & deſtitutionem auxilij quod credit habere ex ſe: & oportet eum cognoſcere potentiam medici, & modum medicinæ. Et hoc ideo eſt: quia cura mentis dependet à conſenſu noſtro & deuotione: ſed non eſt ita de corporis morbo: & ideo morbus mentis longam ante præexigit moram: non enim cognoſcitur per experimentum, cum ſit in delectabilibus dulcibus concupiſcentiæ, ſed potius inueſtigatur ratione, diuina illuminatione eam ad hoc eleuante. Et per hoc patet ſolutio ad tria prima. *Solutio.*

AD ALIVD dicendum, quòd ſacramenta Chriſti non habebant vim ante Paſſionem: ſed Paſſio vim habuit in fide: & hæc non eſt vis ſacramentorum nouæ legis. Vis enim iſtorum ſacramentorum eſt in continendo, & dando ſtatim: ſed illis patribus totum promittebatur in futurum: & ideo non poterant eſſe ante Paſſionem actu pretium redemptionis ſoluentem.

AD ALIVD dicendum, quòd ego non dico, quòd totum effectum matrimonij ſecundum quod eſt ſacramentum, habuerunt ante paſſionem antiqui: quia ego puto, quòd confert gratiam, ſcilicet ſacramentum ordinatum ſub clauibus Eccleſiæ, & in fide naturatum vnitarum duatum in Chriſto celebratum. Sed verum eſt hoc, quòd integritatem ſuorum bonorum habuit antiquitus. Et tunc dicemus, quòd hoc contingit propter generalitatem illius defectus materialis, qui corporali actu reparatur. In aliis autem agit actus gratiæ ſpiritualis contra defectum: & tunc aut eſt ſacramentum pleniſſimæ gratiæ quoad ſtatum, aut non. Et ſi eſt pleniſſimæ gratiæ quoad ſtatum: tunc illud nullo modo habuerunt, ſicut in confir-

matione,

matione, quæ dat Spiritum sanctum ad robur: & extrema vnctio, in qua significatur plena puritas corporis & animæ per amotionem omnium impedientium gloriam vtriusque partis hominis. Dico autem plenissimæ gratiæ quoad statum: quia quædam sunt gratiæ plenæ quoad statum, vt duo dicta sacramenta: quædam autem quoad effectum, sicut baptismus: quædam autem quoad dignitatem rei contentæ & significatæ, vt Eucharistia: & quædam quoad gradum prælationis, vt ordo. Et per hoc patet solutio fere ad totum præter vltimum. Pœnitentiam enim antiqui ex parte habebant, & in parte non habebant, propter peccatum personale contra quod ordinatur pœnitentia. Et necessarium est, quòd quælibet persona per se satisfaciat interius & exterius si potest. Sed quia vim clauiũ non habebant, & pœnitentia in confessione se præsentat clauibus, non habebant confessionem nisi in figura: alia autem sacramenta habebant in figura.

Ad vltimvm dicendum, quòd pœnitentia: aut non fuit instituta in statu innocentiæ: aut si hoc inuenitur, & tunc fuit vt medicina purgatiua, & tunc non aperte significari debuit: ne ex præscientia casus desperatio angeret eos qui nondum adhuc peccauerunt: quia si Deus prædixisset aperte, cõcepissent æstimationem aliquã sui status futuri: & hoc impossibile esse mõstratur in secũdo. *Ad quæ est. 2a*

De baptismo.

Nvnc vero de baptismi sacramento videamus, quod inter nouæ gratiæ sacramenta primum est. Baptismum igitur Christi Ioannes suo baptismo prænuntiautt: qui primus baptizasse legitur, sed in aqua, non in spiritu, sicut ipse ait, Ego baptizo vos in aqua, id est, in pœnitentiam. Sola enim corpora abluebat, à peccatis vero non mundabat. Baptismus Ioannis erat in pœnitentiam non in remissionem: baptismus vero Christi in remissionem. Quia Ioannes baptizans homines, ad pœnitentiam vocabat: & quos baptizabat, pœnitere docebat secundum illud, Veniebant ad Ioannem in Iordanem, confitentes peccata sua. Sed in baptismo Ioannis non dabatur peccatorum remissio, quæ data est in Christi baptismo. D *De baptismo. Ioannis.* Matth. 3. & Mar. 1. Ian. 1. Mat. 3. Mar. 1. Luc. 3.

ARTICVLVS III.

An baptismus Ioannis contulit gratiam?

Deinde quæritur de hoc quod dicit [Nunc vero de baptismi sacramento videamus] Ibi enim tangit de baptismo Ioannis determinans de ipso quatuor per ordinem in litera, scilicet vtrum habuit effectum? & quare dicitur baptismus Ioannis? & an sit sacramentum? & vtrum rebaptizandi erant qui baptizabantur ab ipso?

Incidit autem quæstio circa primum, Vtrum baptismus Ioannis contulit gratiam vel non? Videtur autem, quòd non. Quicquid enim erat ante passionem à qua omnia sacramenta trahunt virtutem, hoc non conferebat gratiam, vt habitum est in præcedenti capitulo: sed baptismus Ioannis fuit ante passionem: ergo non conferebat gratiam.

2 Item, Ita est in charitate, quòd id quod introducit eam, non dat charitatem vel gratiam gratum facientem, vt timor seruilis: ergo naturaliter id quod est introductio baptismatis, non debet dare gratiam baptismatis: hoc autem est baptismus Ioannis; ergo non conferebat gratiam.

3 Item, Si contulisset gratiam, eadem ratione impressisset characterem: ergo postea baptizati baptismo Christi habuissent duos characteres, quod est impossibile.

Sed contra. Sed contra: Cessante vmbra debuit statim gratia venire: sed lex & Prophetæ fuerunt vsque ad Ioannem: ergo in baptismo Ioannis gratia debuit venire: ergo contulit gratiam.

2 Item, Constat, quòd non erat sacramentum veteris legis: ergo nouæ: ergo effecit quod figurabat: ergo contulit gratiam.

3 Item, Baptismus Ioannis vicinior erat baptismo Christi quam circuncisio: quia medium erat inter baptismum Christi & cicuncisionem: ergo videtur, quòd pleniorem gratiam contulit quam circuncisio: sed circuncisio aliquo modo contulit gratiam, vt prius habitum est: ergo multo magis baptismus Ioannis.

4 Item, Missus erat Ioannes vt pararet Domino plebem perfectam: sed perfecta plebs esse non poterat nisi suus baptismus conferret gratiam: ergo gratiam conferebat.

5 Item, Baptismus Ioannis est post legem: ergo aliud addit supra legis sacramenta: sed illa significabant gratiam: cum ergo proximum vicinius sit post agnitionem curatio, videtur quòd baptismus Ioannis curauerit.

Solvtio. Dicendum, quòd baptismus Ioannis nullam contulit gratiam, sicut communiter dicunt omnes sancti. *Solutio.*

Ad id autem quod obiicitur, dicendum quòd vmbra non cessauit ante passionom, sicut dicitur in sequenti distinctione: sed declinare incepit in baptismo Ioannis: & ideo dicitur, quòd lex & Prophetæ fuerunt vsque ad Ioannem: sicut dicitur cessare febris quando est in declinatione, & cessare vmbra quando est in declinatione.

AD ALIVD dicendum, quòd non proprie erat sacramentum, vt infra patebit: sed erat medium inter sacramenta nouæ legis & veteris, & ideo conueniebat cum vtrisque: cum illis in non conferendo gratiam, cum istis autem in actu & materia.

AD ALIVD dicendum, quòd erat vicinior baptismo Christi quoad quid, & remotior quoad quid quam circuncisio: quoad actum enim & materiam erat vicinior, sed quoad effectum erat remotior: & ideo non ponitur medium nisi in ratione significandi non causandi.

AD ALIVD dicendum, quòd perfectio quam fecit Ioannes erat perfectio doctrinæ non gratiæ. Vnde dicitur Ioannis 1. Non erat ille lux, sed vt testimonium perhiberet de lumine. Testimonium autem ex parte doctrinæ, & non ex parte gratiæ.

AD VLTIMVM dicendum, quòd erat post signationem circuncisionis: & non sequitur si addidit rationem signi, quòd addidit causalitatem, quia signo ad signum eiusdem est expressius: & illam expressionem addidit: & ideo non sequitur, quod contulit gratiam.

ARTICVLVS IIII.

An baptismus Ioannis erat in pœnitentiam, & non in remissionem peccatorum?

DEinde quęritur de hoc quod dicit [Baptismus Ioannis erat in pœnitentiam, & non in remissionem, &c.] Videtur, quòd potius pœnitentiam fuerit in baptismum, quam è conuerso: quia prius docuit pœnitere, & postea baptizabat: ergo potius pœnitentia erat in baptismum, quam è conuerso.

2 Item, Videtur fuisse baptismus in baptismum: quia habuit ordinem ad baptismum Christi: ergo erat in baptismum, & non in pœnitentiam.

3 Item, Si fuit in pœnitentiam, tunc videtur, quòd fuit occasio erroris: quia baptismus non exigit gemitum & planctum: ergo si baptismus Ioannis erat in pœnitentiam, hoc videtur esse doctrina in signo quòd baptismus gemitum & planctum requirat: ergo fuit erroris occasio, vt videtur.

SOLVTIO. Dicendum, quòd baptismus Ioannis dicitur in pœnitentiam quæ præexigebatur, ne baptismus Christi baptizandos à se fictos inueniret: & ideo pœnitentia sequebatur baptismum Ioannis ordine intentionis, licet forte tempore præcederet.

AD ALIVD dicendum, quòd non dicitur baptismus in baptismum nisi determinetur: quia aliter pro eodem baptismo acciperetur, & tunc idem esset: sed quia immediate ordinabat ad pœnitentiam quæ remouit obicem fictionis ad baptismum Christi, ideo dicitur in pœnitentiam.

AD ALIVD dicendum, quòd baptismus Christi non exigit gemitum & planctum exteriorem: sed tamen, vt dicit Augustinus, omnis qui voluntatis suæ est arbiter constitutus, nouam vitam inchoare non potest, nisi pœniteat eum veteris vitæ: & ideo exigit gemitum & planctum interiorem, ne ficti inueniantur qui sunt baptizandi.

Quid vtilitatis habebat baptismus Ioannis.

AD quid ergo vtilis erat baptismus Ioannis? Quia homines vsu baptizandi præparabat ad baptismum Christi. Sed quæritur, Quare dictus est baptismus Ioannis: sicut veritas dicit, Baptismus Ioannis vnde est? Quia ibi Ioannis operatio tantum visibilis erat, exterius lauantis, non inuisibilis gratia Dei interius operantis. Sed tamen & illa Ioannis operatio à Deo erat: & baptismus ille à Deo erat non ab homine tantum: sed hominis dictus est, quia nihil ibi gerebatur quod non ageret homo. Si vero quæritur, an sacramentum fuerit? satis potest concedi ex eo sensu, quo legalia signa dicuntur sacramenta. Significabat enim baptismus Ioannis rem sacram, scilicet baptismum Christi qui non tantum est pœnitentiæ, sed & remissionis peccatorum.

Matt. 21.

ARTICVLVS V.

Quare dicitur baptismus Ioannis?

DEinde quæritur de hoc quòd dicit ibi [Sed quæritur, Quare dicitur baptismus Ioannis &c.] Videtur enim, quòd eadē ratione dicatur baptismus Pauli: quoniam baptizauit & Paulus.

2. Item, Hoc videtur accipi ab eo quod dicitur 1. corinth. 1. Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego vero Cephæ: ergo gloriabatur in baptizatis: ergo cuiuslibet baptismus suus dicebatur.

3. Item, Dicitur Euangelium Pauli quod Paulus prædicabat, & Petri quod prædicabat Petrus: ergo à simili dicetur baptismus Pauli quo baptizabat Paulus, vt videtur.

4 Item, Si forte dicas, quia discipuli baptizabant in nomine Christi: & baptismus, vt dicit August. in eius nomine datur: ergo videtur, quòd non est baptismus Ioannis dicendus, sed Christi: quia ipse baptizabat (vt dicitur) in nomine

mine venturi, & venturus erat Christus.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd baptismus Ioannis, dicitur: quia nihil erat in eo nisi operatio Ioannis, vt dicit August. in litera: sed sic non erat in baptismo discipulorum, in quo principalis operatio tota fuit Christi, scilicet interior operatio vel baptizatio. Cum enim duæ sint operationes in baptismo, exterior, & interior: interior est principalior, & exterior varia: & ideo baptismus illius dicitur qui operatur principaliori operatione. Quia autem hoc deficit in baptismo Ioannis, ideo non dicitur nisi baptismus Ioannis.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd illa contentio reprehensibilis fuit, & cortigebatur ab Apostolo: vnde dicebat, Diuisus est Christus? aut nunquid Paulus crucifixus est pro vobis? Quasi diceret, Vos vestra contentione dimittitis Christum, tanquam baptismus diuidatur secundum merita baptizatorum: quod non est verum, cum Christus crucifixus in omni baptistarum baptismo baptizet.

AD ALIVD dicendum, quòd non est simile de Euangelio & baptismo: quia illud non habet ex re operata virtutem immediate à passione Christi: sed sæpe impeditur & promouetur verbum prædicationis ex meritis bonis vel malis prædicantiũ: ideo actus ille dicitur exercentis eum in ministerio: non autem sic dicitur in baptizando.

AD ALIVD dicendum, quòd Ioannes non baptizabat in nomine Christi tanquam in forma baptizantis: sed potius tanquam in nomine eius inquod dirigebat baptizatos à se. Apostoli autem baptizabant in nomine Christi vel Trinitatis tanquam in forma baptizantis. Si vero tu obiicias, quòd hoc est contra literam in qua dicitur, quòd hæc erat forma sua: quia baptizabat in nomine venturi. Respondeo, quòd non erat forma in qua esset inuocatio ad sanctificationem baptismi, sed potius forma, id est, modus in baptizando: quia scilicet venturum nominabat, & populum vt in eum crederet monebat: tamen nulla ex hoc sanctificatio baptismi ab illo alij conferebatur.

ARTICVLVS VI.

An baptismus Ioannis fuerit sacramentum?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Si vero quæritur an sacramentum fuerit &c.] Videtur enim fuisse sacramentum: quia fuit sacræ rei signum: ergo fuit sacramentum. Sed contra hoc videtur esse, quòd ad omne sacramentum exigitur institutio diuina. Baptismus autem Ioannis non erat institutus à Deo: ergo non erat sacramentum.

SOLVTIO. Ad hoc leue est respondere secundum prædicta. Dicendum enim, quòd est potius continuatio nouorum sacramentorum ad vetera: sed tamen propter similitudinem cum sacramentis in ratione significandi, accipit nomen sacramenti. *Solutio.*

AD ID autem quod contra obiicitur, potest dici quòd non erat sine institutione diuina: ita enim dicitur Ioan. 1. Qui me misit baptizare in aqua: ille mihi dixit, Super quem videris Spiritum descendentem & manentem, hic est qui baptizat.

De forma baptismi Ioannis, & de baptizatis ab eo.

HIc considerandum est, si baptizati à Ioanne iterum baptizati sunt baptismõ Christi, & qua forma verborum vsus sit Ioannes. F

Illi qui baptizati sunt à Ioanne nescientes Spiritum sanctum esse, ac spem ponentes in illius baptismo, postea baptizati sunt baptismo Christi. Baptismus autem Ioannis in nomine venturi tradebatur. Vnde Act. 19. Hieron. super Ioëlem. Qui dicit se in Christum credere, & non credit in Spiritum sanctum, nondum habet claros oculos. Vnde baptizati à Ioanne in nomine venturi, id est, Domini Iesu, quia dixerunt, Sed neque si Spiritus sanctus est audiuimus, iterum baptizabantur, imo verum baptisma accipiebant. Illi vero qui spem non posuerunt in baptismo Ioannis, & Patrem & Filium & Spiritum sanctum credebant, non baptizati fuerunt: sed impositione manuum ab Apostolis super eos facta, Spiritum sanctum receperunt. Alij vero qui non ita credebant, baptizati sunt baptismo Christi, vt prædictum est. Vnde Hiero. Qui Spiritum sanctum nesciebant, cum baptismum à Ioanne acceperunt, iterum baptizati sunt baptismo Christi, vt prædictum est, ne quis ex Iudæis vel Gentibus putaret aquam sine Spiritu sancto ad salutem posse sufficere. Act. 19. cap 3. De hoc etiam Ambro. in primo libro de Spiritu sancto. Quidam negauerunt se scire Spiritum sanctum, cum baptizatos se dicerent baptismo Ioannis, qui in aduenientis Iesu, non in suo baptizauit nomine. Isti ergo quia nec in Christi nomine, neque cum fide Spiritus sancti baptizati fuerant,

Ad cap. 2. *Hic non tenetur Magister*

Act. 8.

In ep. de vnius vxoris viro

rant, non potuerunt accipere baptiſmi ſacramentum: baptizati ſunt ergo in nomine Chriſti, nec iteratum eſt in his baptiſma, ſed innouatum.

ARTICVLVS VII.

An baptizati à Ioanne fuerint rebaptizandi?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Hic conſiderandum eſt ſi baptizati à Ioanne iterum baptizandi fuerunt &c.] Videtur enim, quòd Ioannes aliquos baptizabat, qui non erant baptizandi: quia dicitur in litera, quòd ſi aliquis baptizabatur à Ioanne, ſpem non ponens in ſuo baptiſmo, ſed fidem habens Trinitatis, quòd ille non rebaptizabatur: ergo non omnes erant iterum baptizandi.

2 Item, Act. 8. dicitur, quòd orauerunt pro conuerſis in Samaria, vt acciperent Spiritum ſanctum: nondum enim in quenquam illorum venerat: ſed tantum baptizati erant in nomine Domini Ieſu: tunc impoſuerunt manus ſuper illos: & acceperunt Spiritum ſanctum. Ergo videtur, quòd per manus impoſitionem tantum ſupplebatur quod illis defuit, & non iterum baptizandi erant.

3 Item, Ponamus, quòd aliquis baptizatus ſit tatum baptiſmo Ioannis, & habeat fidem totius Trinitatis: nunquid audemus dicere, quòd ille baptizatus ſit propter fidem quam habet? Videtur, quòd non: quia tunc nihil eſſet forma verborûm expreſſa, quæ exigitur in baptiſmo: ergo videtur, quòd tales fuerunt baptizandi.

4. Item, Nullus baptiſmus confert gratiam in quo non poteſt haberi ſpes gratiæ, ſicut habetur ſpes in ſacramento: ergo nihil eſt dictum, vt videtur, quòd ſpem non ponentes in ſuo baptiſmo conſequebantur in eo gratiam, ſpem autem ponentes non conſequuntur.

5 Item, Licet infra dicatur, quod verbum quod facit baptiſmum eſſe ſacramentum, ſit inuocatio Trinitatis: non quia dicitur, ſed quia creditur: tamen oportet exprimi tres perſonas, ſiue credatur, ſiue non: ergo videtur, quòd noſtra ſpes vel fides non confert baptiſmo formam ſanctificationis aliquam: ergo ſiue poſuerunt ſpem, ſiue non, erant ſemper baptizandi qui baptiſmate Ioannis fuerunt baptizati.

SOLVTIO. Super illa quæſtione inducere nituntur quidam opiniones, tanquam liceat alicui opinari, quòd ſine forma ſacramenti poſſit eſſe ſacramentum à noſtra fide, vel à noſtra ſpe. Vnde dicendum, quòd abſque dubio nunquam in baptiſmo Ioannis gratia conferebatur, vt dicunt omnes Sancti communiter: ſicut etiam ipſe dixit Ioann. 1. Ego baptizo vos in aqua &c. *Solutio.*

AD ID ergo quod dicitur in litera, ſic poteſt reſponderi, quòd baptizatus à Ioanne non ſpem ponens, & ex hoc ipſo aliud baptiſma quærens, vt diſcipulorum Chriſti poſt paſſionem, non baptizabatur.

AD hoc autem quod obiicitur de Actibus, nihil cogit: quia ibi loquitur de hoc quod eſt confirmationis, non baptiſmatis. Confirmatio autem ſupplet defectum baptiſmatis, vt videtur innuere Auguſt. non in eſſe ſacramenti, quia baptiſmus eſt perfectum ſacramentum: ſed potius in eo, quod baptiſmus diminuit fomitem, & non extinguit: ſed confirmatio amplius debilitat eundem. Et hoc patet in Actibus. 19. vbi inueniuntur baptizati à Ioanne non habentes notitiam Spiritus ſancti in auditu formæ baptiſmi: & ideo illi baptizati fuerunt.

AD ALIVD autem ego bene concedo, quòd fides & ſpes non dant eſſe baptiſmi: ſed tantum remouent fictionem, vt baptiſmus poſſit conſequi effectum iuſtificationis in nobis.

DISTINCTIO III.

Quid ſit baptiſmus?

POST hæc videndum eſt quid ſit baptiſmus, & quæ ſit forma & quando inſtitutus, & cauſa inſtitutionis. Baptiſmus dicitur, intinctio, id eſt, ablutio corporis exterior, facta ſub forma verborum præſcripta. Si enim ablutio fiat ſine verbo, non eſt ibi ſacramentum: ſed accedente verbo ad elementum, fit ſacramentum: non vtique ipſum elementum fit ſacramentum, ſad ablutio facta in elemento. Vnde Auguſtinus: Verbo baptiſma conſecratur: detrahe vetbum, & quid eſt aqua, niſi aqua? accedit verbum ad elementum, & fit ſacramentum. Vnde eſt hæc tanta virtus aquæ, vt corpus tangat & cor abluat, niſi faciente verbo, non quia dicitur, ſed quia creditur? Nam & in ipſo verbo aliud eſt ſonus tranſiens, aliud eſt virtus intus manens. In duobus ergo conſiſtit

Super Ioan. tract. 80

stit sacramentum baptismi, scilicet in verbo, & elemento. Ergo etsi alia desint quæ ad decorem sacramenti instituta sunt, non ideo minus est verum sacramentum & sanctum, si verbum sit ibi & elementum. Nam & in hoc sacramento & in aliis quædam solent fieri ad decorem & honestatem sacramenti, quædam ad substantiam & causam sacramenti pertinentia. De substantia huius sacramenti sunt verbum & elementum, cætera ad solennitatem eius pertinent.

DIVISIO TEXTVS.

POst hæc videndum est quid sit baptisma] Hic aggreditur Magister de baptismo. Et diuiditur in tres partes iste tractatus, in quarum prima agit de substantialibus baptismi. In secunda autem agit de baptismo ex parte susci-pientis:& hæc incipit in sequenti distinctione scilicet quarta *ibi* [Hic dicendum aliquos suscipere sacramentum, &c.] In tertia agit de baptismo ex parte dantis siue baptizantis:& hæc incipit in secunda distinctione *ibi* [Post hæc sciendum est sacramentum baptismi & à bonis & à malis ministris dari, &c.] In prima harum quinque determinantur circa baptismum : quorum primum est, quid sit baptismus, & quæ forma eius : quia hæc pertinent ad idem : quia penes formã datur diffinitio. Secundo agit de institutione *ibi* [De institutione baptismi quando cœpit, &c.] Tertio agit de materia *ibi* [Celebratur autem hoc sacramentum tantum in aqua, &c.] In quarta agit de modo immersionis, quæ est actus baptismi *ibi* [De immersione vero si quæritur, quomodo fieri debeat, &c.] In quinta & vltima agitur de cessatione circuncisionis, aduenientе baptismo *ibi* [Solet etiam quæri si circuncisio amisit, &c.] Prima harum diuiditur in tres, in quarũ prima agitur, quid sit baptismus in re & diffinitione. In secunda de forma baptismi quæ est, & quæ fuit quandoque *ibi* [Sed quod est illud verbum] In secunda facit quasdam quæstiones circa formam *ibi* [Hic quæritur an baptismus esset verus, &c.] Ex his patet sententia & ex sequenti disputatione.

ARTICVLVS I.

An diffinitiones baptismatis sunt bene assignatæ ?

INcidit autem primo hic dubium, quid sit baptismus ? Et in litera ponitur ista diffinitio, baptismus est intinctio in aqua facta, verbo vitæ sanctificata. Dionys. autem in Ecclesiastica hierarchia cap. 2. Baptismus est principium sanctissimorum mandatorũ sacræ actionis, ad aliorũ diuinorum eloquiorum & sacrarum actionum susceptiuam opportunitatem formans animales nostros habitus, ad supercælestis quietis anagogen nostrũ iter faciens, & sacræ ac diuinissimæ nostræ regenerationis traditio. Aliam iterum dat Damasc. in lib. quarto. cap. 1. Baptismus est per quod primitias Spiritus sancti accipimus, & principium alterius vitæ fit nobis, regeneratio, & sigillum, & custodia, & illuminatio.

ET QVÆRITVR primo, Cum vnius rei vnicum sit esse, penes quid accipiantur tres baptismatis diffinitiones? *Quæst. 1.*

ITEM OBIICITVR contra primam: quæritur enim, Quid secundum illam diffinitionem dicatur baptismus, aut aqua, aut tinctio, aut character, aut gratia? Videtur autem, quòd aqua: quia cum omne sacramentum sit ex similitudine significans, & sua causalitas non extendatur extra virtutem signi: videtur, quòd in illo tota substantia sacramenti sit, in quo est tota ratio significandi: hæc autẽ tota est in proprietate aquæ, quę abluit, nitere facit, refrigerat, viuificat etiam propter naturam perspicui quæ est in ipsa per conuenientiam cum cælo : ergo videtur, quòd ipsa sit sacramentum: ergo in recto debuit cadere in sacramenti diffinitione, & non in obliquo. Sed contra hoc videtur esse, quòd aqua non manet in baptismo: sed baptismus semper manet : ergo aqua non est baptismus. *Quæst. 2.*

Si forte dicatur, sicut Augustinus in litera videtur velle, quòd tinctio ipsa est baptismus. Contra hoc est eadem obiectio: quia tinctio transit postquam facta est tinctio : ergo cum baptismus maneat, non videtur quòd tinctio sit baptismus.

2 Item, Tinctio non videtur esse de omni baptismo : ergo non substantialiter ponitur in diffinitione. Quod autem non sit de omni, videtur: quia est baptismus sanguinis, & pœnitẽtiæ: quibus non conuenit baptismi tinctio in aqua : ergo tinctio non dicitur baptismus nisi accidentaliter: ergo non deberet diffiniri per tinctionem.

Item, Cum dicitur, Baptismus est tinctio, &c. Forma propria deberet exprimi in Baptismo : verbum enim vitæ est verbũ prædicationis, & omniũ aliorum sacramentorum: ergo sicut male diffiniret hominem, diffiniens materialiter sic, Homo est quod componitur ex corpore & sensu: ita male videtur diffiniri, cum dicitur, Baptismus est tinctio, &c. Quia verbum vitæ conuenit multis, & non soli baptismo.

Si forte dicatur, quòd character sit baptismus. Contra: Illi nullo modo conuenit diffinitio sacramenti: quia non est visibilis forma inuisibilis gratiæ: ergo ipse baptismus non dicitur.

Præterea, Videtur, quòd gratia debeat dici baptismus : quia vnunquodque denominatur ab vltimo & optimo sui : gratia autem est vltimum & optimum baptismi : ergo ipsa denominat baptismum: & baptismus habet diffiniri per eam, vt videtur. Sed contra hoc videtur : quia gratia est effectus baptismi: effectus autem & causa non sunt idem in substantia : ergo gratia non est sacramen-

tum. Item, In sequenti distinctione dicit, quòd quidam suscipiunt sacramentum, & non rem sacramenti: ergo sacramentum secundum substantiam potest esse sine gratia: ergo gratia non est sacramentum.

Obiicitur autem de secunda diffinitione: quia baptismus non dicitur esse principium mandatorum sacræ actionis: præcedũt enim ipsum confessiones, & abrenuntiationes: confitentur enim ibi fidem, & abrenuntiant diabolo & pompis eius ante baptismum.

2 Si forte dicas, quòd hoc faciunt patrini: hoc nihil est: quia si adultus foret, oporteret ipsum facerere per seipsum. Præterea, Ipsi patrini faciunt hoc in persona paruuli. Vnde dicit Dionys. in Ecclesiastica hierarch. cap. vltim. Neque enim hic, scilicet patrinus ait sic: Ego pro puero abrenũtiationes & sacras confessiones facio: sed quia puer abrenuntiat, hoc est, confiteor puerum credere in sensum sacrum venientem nostris diuinis anagogis, abrenuntiare quidem vniuersaliter contrariis, confiteri autem & cooperari diuinas confessiones. Ergo videtur, quòd hæc puer faciat, qui non est capax præcepti: & tamen capax est baptismatis, vt dictum est: ergo non debuit per hoc diffiniri, quòd sit principium mandatorum.

3 Item, Obiicitur de secunda parte: animales enim habitus formare, non videtur conuenire baptismo: sed cum animal, vt dicit Augustinus in Gloss. 1. Tim. 3. dicatur dupliciter: vita, & sensu, videtur animalem vitam formare virtus temperantiæ, & animalem sensum videtur formare fides, & non baptismus.

4 Item, De tertia parte obiicitur: quia ad supercælestis conuersationis anagogen magis facit nostrum iter contemplatio, quam baptismus: ergo non deberet poni in baptismi diffinitione.

De tertia diffinitione baptismi etiam obicitur: Si aliquis sanctificatus iam accedit ad baptismum vt Cornelius centurio, & alij multi: ille non accipit ibi primitias Spiritus sancti.

2 Præterea, Homo in natura habet sigillum quo configuratur Trinitati in imagine: ergo non accipit hoc in baptismo, vt videtur.

3 Præterea, Quare ponit ibi Dama. tot clausulas in diffinitione? illuminatio enim magis pertinet ad virtutes intelligibiles, vt fidem, scientiam, intellectum, sapientiam, prudentiam, & huiusmodi, quam ad baptismum pertineat, vt videtur.

Solutio Ad quæst. 1. Solvtio. Dicendum ad primum, quòd illa diffinitio quæ est August. & ponitur in litera per alia verba, colligit essentialia baptismo in materia & forma: quia tinctio in aqua secundum quod est ex parte tincti, non tingentis, est materia baptismi: sed forma in verbo vitæ. Secunda autem datur de baptismo, secundum quod est fundamentum omnium aliorum sacramentorum, sine quo non contingit intrare ostium Ecclesiæ: & hoc patebit in explanatione ipsius. Tertia autem quæ est Dama. datur per effectus generales baptismi: & hoc etiam infra patebit.

Ad quæst. 2. Ad alivd ergo quod quæritur, Quid dicatur baptismus secundum diffinitionem? iam possumus dupliciter respondere, scilicet vel quòd dicatur baptismus tinctio in aqua cum coniunctione ad characterem quem imprimit, & sic videtur velle Augustinus in litera, vel quòd dicatur è conuerso baptismus character, secundum quòd est à tinctione tali, & non absolute. Si primo modo dicimus, tunc respondemus ad argumentum dicendo, quod licet in aqua inueniantur huiusmodi proprietates: tamen illas non exercet in actu, nisi secundum quod est tingẽs: & ideo ipsa non est sacramentum, nisi hoc modo considerata, & tunc est materialis: ipsa autem tinctio dicit constitutum ex ipsa & verbo sanctificante.

Ad alivd dicendum, quod manent aqua & tinctio non in se, sed secundum coniunctionem ad characterem manentem, & ideo non simpliciter transeunt.

Ad alivd dicendum, quòd baptismus sanguinis & flaminis nõ absolute dicuntur baptismus, sed secundum quid tantum, scilicet inquantum supplent vicem baptismi: vbi articulus necessitatis, & non contemptus religionis sacramentum excludit.

Ad alivd dicendum, quòd verbum vitæ est vno modo in sacramentis, scilicet inuocatione Trinitatis, exceptis Eucharistia, & vnctione extrema, & pœnitentia, & matrimonio: in tribus enim inuocatio est Trinitatis. Sed hoc ideo est: quia non est ita de Deo, sicut de formis creatis: in formis enim creatis nullæ duæ æque speciales se habent vno modo ad suum formatum: sed Deus vno modo se habet ad omne quod est, & non omnia vno modo se habent ad ipsum: & ideo verbum vitæ quod est in aliis, scilicet inuocatio Trinitatis est etiam in baptismo: sed verum est, quòd aptatur baptismo per actum baptizandi & intentionem specialem. Vel possumus dicere, quòd vita est primus actus spiritus, & viuere est primum esse viuentibus: & quia in baptismo datur primum esse vitæ spiritualis, cum ipsum sit fundamentum totius vitæ, competit verbum vitæ spiritualiter baptismo magis quam aliis. Quod autem hoc verum sit, patet per Dionys. in Ecclesiastica hierar. cap. 2. vbi dicit sic: Si esse diuinitus est diuina generatio, nequaquam aliquando quid nouerit à Deo traditorum, neque quidem quid operatus sit, qui neque subsistere diuinitus habuit. Et intendit dicere, quòd sicut in naturis id quod non est, neque intelligit, neque operatur: sic etiam in diuinis qui non est primo per baptismum, non potest operari, nec bene intelligere.

Ad id quod obiicitur contra hoc, quòd character dicatur baptismus. Dicendum, quòd propriissime, meo iudicio, character baptismus dicitur. Et ad obiectum dicendum, quòd visibilis est, non in se, sed in comparatione ad tinctionem à qua imprimitur, vel in qua imprimitur à Deo, quod magis proprie dicitur.

Ad alivd dicendum, quòd gratia nullo modo potest dici sacramentũ. Et ad obiectũ dicendum, quòd ab illo vltimo est denominatio quod est perfectio rei intranea suæ essentiæ: gratia autẽ nihil est de essentia sacramenti, sed est effectus eius.

Ad id quod quæritur de secunda diffinitione, dicendum quòd illam melius possumus intelligere per verba alterius translationis, quæ dicit sic: Quæritur quod est principiũ venerãdissimorum præceptorum sacræ operationis, quod ad aliarum sanctarum locutionum & sanctificationum susceptionem format nostros animales habitus, & ad supercælestis situs sursum actionem nos conducit, quod sanctam & diuinissimam

mam noſtram regenerationem tradit. Ex hoc etiam patet, quòd ipſe vult, quòd baptiſmus ſit principium præceptorum, id eſt, quia pro nobis fieri præcipitur: quia per ipſum ingredimur in ianuam Eccleſiæ: & ordinat nos ad tria, ſcilicet ad eſſe per regenerationem, & hoc tangit vltimo: & ad operari, & hoc tangit ſecundo, quia ordinat animales ſenſus ad ſpiritualia in operibus & verbis ſecundum actiuam: & reordinat nos ad ſuperiora vt quieſcamus in eis tanquam in fine noſtrarum actionum in contemplatiua: & hoc eſt quod intendit. Dicendum ergo ad primum, quòd omnes illæ confeſſiones & ſacræ actiones contrahunt virtutem à baptiſmo, prout eſt in voluntate: vult enim Auguſtinus, quòd omne præcedens baptiſmum & ſequens virtute baptiſmi operatur: & ita ipſum ſecundum naturam eſt primum, licet ſecundum tempus ſequatur. Et quòd hoc verum ſit, accipitur à verbis ipſius in fine primi de nuptiis & concupiſcentia, vbi ſic dicit: Sic accipiendum quod ait Apoſtolus, Chriſtus dilexit Eccleſiam: vt verbo ſanctificationis omnia prorſus mala hominum regeneratorum mundentur atque ſanentur: non ſolum peccata quæ omnia nunc remittuntur in baptiſmo, ſed etiam quæ poſterius humana ignorantia vel infirmitate contrahuntur: non vt baptiſma quoties peccatur, toties iteretur: ſed quia ipſo quod in eo datur fit, vt non ſolum antea, verum etiam poſtea quorumlibet peccatorum venia fidelibus impetretur: quid enim prodeſſet, vel ante baptiſmum pœnitentia, niſi baptiſmus ſequeretur: vel poſt, niſi baptiſmus præcederet? Quaſi diceret, nihil. Et ex hoc patet propoſitum.

Ad aliud dicendum, quòd puer non eſt capax præcepti niſi ſecundum habitum & ordinem ad præcepta: & hoc modo etiam baptiſmus eſt principium operationis præceptorum.

Ad aliud dicendum, quòd animalitas ſumitur hîc large pro habituali obedientia concupiſcentiæ: format autem hic ſenſum baptiſmus conferendo generalem gratiam ſpiritualis vitæ, quæ incipit in ipſo debilitando fomitem vniuerſaliter.

Ad aliud dicendum, quòd per rem ſignificatam & non contentam ducit ad anagogen ſupercæleſtis quietis: hæc autem res nitor eſt & fulgor futuræ reſurrectionis, quando lauabimur ab omni corruptela, ſorde, & macula: vnde aliter ducit quam contemplatiua: quia contemplatiua ducit per confeſſionem & ſtudium, ſacramentum autem per ſimilitudinem quam habet cum æternis.

Ad id autem quod obiicitur de tertia diffinitione, dicendum prout iam patuit, quòd etiamſi primitiæ Spiritus ante baptiſmum dentur: illud tamen eſt in virtute baptiſmi in propoſito exiſtentis habitu, ſicut in Cornelio: vel actu, ſicut in aliis qui ſciunt & credunt articulos explicite.

Ad aliud dicendum, quòd homo in natura habet ſigillum ſimilitudinis quoad imaginem, ſed non quoad characterem configurantem in habitu tali, ſicut dat baptiſmus: & ideo obiectio non procedit.

Ad vltimum dicendum, quòd hæc quinque ponuntur in diffinitione baptiſmi, ſecundum quod quinque modis baptiſmus operatur contra originale: originale enim dicit pronitatem ad omne malum cauſa carentiæ iuſtitiæ debitæ: carentiam autem iuſtitiæ ſequitur diſſimilitudo noſtri ad Deum, & reatus ad mortem: pronitatem autem ad malum ſequitur inconſideratus caſus, vt excæcatio qua excæcatur per affectum boni commutabilis. Contra culpam ergo dat primitias Spiritus, contra reatum mortis dat principium vitæ per regenerationem, & contra diſſimilitudinem dat ſignaculum vel ſigillum, contra præcipitium caſus dat cuſtodiam, & contra cæcitatem ex parte noſtri dat illuminationem: & ſic patet quare has quinque clauſulas ponit in diffinitione.

De forma baptiſmi.

SED quod eſt illud verbum quo accedente ad elementum, fit ſacramentum? Veritas te docet, quæ huius ſacramenti formam tradens, ait diſcipulis, Ite docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti. Matth. vltim. Inuocatio igitur Trinitatis verbum dicitur quo baptiſma conſecratur: & hæc eſt forma verborum ſub qua traditur baptiſmus. Vnde Bonifacio Epiſcopo Zacharias Papa ait, Firmiſſime præceptum eſt in ſynodo Angelorum, vt quicunque ſine inuocatione Trinitatis merſus fuiſſet, quòd ſacramentum regenerationis non haberet: quod omnino verum eſt, quod ſi merſus in fontem baptiſmi quis fuerit ſine inuocatione Trinitatis perfectus Chriſtianus non eſt, niſi in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti fuerit baptizatus. Legitur tamen in Actibus Apoſtolorum, Apoſtolos baptizaſſe in nomine Chriſti: ſed in hoc nomine, vt exponit Ambroſius tota Trinitas intelligitur. Intelligitur enim cum Chriſtum dicis, & Pater à quo vnctus eſt, & ipſe qui vnctus eſt, & Spiritus ſanctus per quem vnctus eſt. Vnde Nicolaus Papa ad conſulta Bulgarorum,

B

De conſ. diſt. 4. cap. in ſynodo.

Act. 8. & 10.

De conſ. diſt. 4.

garorum, A quodam Iudæo multos baptizatos asseritis, & quid inde agendum sit consulitis. Hi profecto si in nomine sanctæ Trinitatis, vel
Act. 8. & 10. in nomine Christi, sicut in Actibus Apostolorum legimus, baptizentur, baptizati sunt: vnum enim idemque est, vt exponit Ambrosius.

Si in nomine Patris tantum vel Spiritus sancti possit tradi baptismus?

CHIC quæritur, An baptismus esset verus si diceretur in nomine Patris tantum, vel Spiritus sancti tantum, vt cum dicitur in nomine Christi? Ambros. videtur dicere, quòd si fide mysterium Trinitatis teneatur & vna persona tantum nominetur, plenum est
In lib. de Spiritu sancto cap. 3. sacramentum: & è conuerso si tres nominentur, & non recte de aliquo illorum sentiatur, vacuum fieri mysterium Trinitatis. Ait enim sic, Vbi non est plenum baptismi sacramentum, nec principium, nec species aliqua baptismi æstimatur. Plenum autem est si Patrem & Filium & Spiritum sanctum fatearis. Si vnum neges, totum subrues: & si vnum in sermone comprehendas, vel Patrem vel Filium vel Spiritum sanctum, fide autem nec Patrem nec Filium nec Spiritum sanctum abneges, plenum est fidei sacramentum. Ita etiam licet Patrem & Filium & Spiritum sanctum dicas, & Patris & Filij & Spiritus sancti minuas potestatem, vacuum est omne mysterium. Cum enim dicitur in nomine Christi, per vnitatem nominis impletum est mysterium: nec à Christi baptismate. spiritus separatur, quia Christus baptizauit in Spiritu.

Quæstio Ambrosij.

DNVNC considerem⁹, vtrum sicut in Christi nomine legimus baptismi plenum esse sacramentum, ita etiam Spiritu sancto tantum nuncupato nihil desit ad mysterij plenitudinem. Rationem sequamur: qui vnum dixerit, Trinitatem signauit. Si Christum dicas, & Patrem à quo vnctus est Filius, & ipsum qui vnctus est, sci-
Act. 10. licet Filium & Spiritum sanctum quo vnctus est, designasti. Scriptum est enim hunc esse Iesum à Nazareth, quem vnxit Deus Spiritu sancto. Et si Patrem dicas, Filium eius & Spiritum oris eius pariter indicas, si tamen id etiam corde comprehendas. Et si Spiritum sanctum dicas, Deum Patrem à quo procedit, & Filium eius cuius est Spiritus, nuncu-
Act. 1. Ioan. 1. Matt. 3. pasti. Vnde vt rationi copuletur auctoritas, Dominus dicit: Vos autem baptizabimini in Spiritu sancto: ex quo indicat nos recte posse baptizari in Spiritu sancto.

Perstringit præmissorum intelligentiam cum determinatione cuiusdam dicti.

EX his aperte intellexisti in nomine Christi verum baptisma tradi: vnde nihilominus insinuari videtur, verum baptisma tradi posse in nomine Patris tantum, vel Spiritus sancti tantum: si tamen ille qui baptizat, fidem Trinitatis teneat: quæ Trinitas in quolibet horum nominum intelligitur. Si autem aliquis

peruerse

peruerse credens, & errore inducere intendens, vnum de tribus tantum nuncupet, non complet mysterium. Quòd vero ait nominatis tribus vacuum esse mysterium, si baptizans minuat potestatem Patris vel Filij vel Spiritus sancti, id est, si male sentiat de potentia alicuius horum, non credens vnam potentiam trium: intelligendum est hoc super eum qui non intendit nec credit baptizare: qui non tantum caret fide, sed etiam intentionem baptizandi non habet. Qui vero baptizat in nomine Christi, baptizat in nomine Trinitatis, quæ ibi intelligitur. Tutius est tamen tres personas ibi nominare, vt dicatur in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti: non in nominibus, sed in nomine, id est, in inuocatione, vel in confessione Patris & Filij & Spiritus sancti. Inuocatur enim ibi tota Trinitas, vt inuisibiliter ibi operetur per se, sicut extra visibiliter per ministerium. Si autem dicatur in nominibus, non est ibi sacramentum, quia non seruatur forma baptismi.

ARTICVLVS II.

An sit aliqua forma baptismi, & de singulis verbis positis in forma baptismi.

Quæstiũcula 1. DEinde quæritur de hoc quod dicit ibi [Sed quod est illud verbum quo accedente ad elementum, fit sacramentum] Incidit enim hic quæstio de forma baptismi: & quæritur cum dicitur, Ego baptizo te in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti, vtrum pronomen ego sit de essentia formæ? Videtur quod sic: quia intentio baptizantis exigitur. Hæc autem non exprimitur nisi per demonstrationem intendentis, & non fit demonstratio nisi per pronomen ego: ergo pronomen est de forma.

2 Item, Baptizare conuenit ministro Ecclesiæ: ergo videtur, quòd ministrans exprimi debet: ergo cum non exprimitur nisi pronomine, ideo videtur ipsum esse de forma.

Sed contra. SED CONTRA hoc videtur esse regula Grammaticorum dicentium, quòd in verbis primæ & secundæ personæ certus & determinatus intelligitur nominatiuus: ergo non est necessarium quòd apponatur.

Quæst. 2. ITEM quæritur vlterius, Vtrum verbum baptizo sit de forma? Videtur quòd non: quia plus est exprimere facto quam verbo: ergo cum sit ibi expressio facto, non oportet quòd verbo dicatur.

2 Item, Cum Christus dicit, Ite baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Matth. vltim. videtur iniungere exercitium, & non præcipue expressionem actus: ergo virtute illius baptizationis non importatur quod sit de forma, nec virtute alterius potest haberi: ergo non est de forma.

3 Item, Ipse dixit, Ite, docete, baptizantes: sed cum doceret, non oportuit dicere ante, Ego doceo vos, sed tantum actum exercendo expleuerunt mandatum: ergo à simili etiam actum baptismi exercendo, expleuerunt mandatum baptismi.

4 Item, In aliis benedictionibus & signacu-lis, vt est benedictio panis, non exprimitur ante actus benedictionis: ergo etiam hoc non exigitur in actu baptizandi.

5 Item, Exod. 13. Quid clamas ad me? dicit Glos. quòd desiderio cordis clamabat: ergo videtur, quòd sufficit intendere, & non exprimere.

6 Item, Aqua est de substantia baptismi: & tamen non exigitur, quòd sermone exprimatur, vt sic dicatur, Ego baptizo te in aqua: ergo videtur, quòd nec exigitur expressio actus baptismi.

7 Item, Cum Christus sit qui vere & interius baptizet, videtur, quòd melius exprimatur dicendo, Baptizet te Christus, &c. quam ego baptizo te.

8 Item, Græci & Dalmatæ ita baptizant, Baptizetur seruus Christi in nomine, &c. Si forte dicas, quòd non sunt baptizati. Contra: Beatus Nicolaus & alij sancti ita sunt baptizati, vt dicitur. Item, Dominus Gregor. Papa super hoc consultus, de consilio respondit, quòd non rebaptizarentur illi qui sunt sub Ecclesia Romana in Dalmatia, sed caueretur ne amplius fieret: ergo videtur, quòd hoc sufficit ad formam: quia aliter rebaptizandi essent.

Si autem tu dicas, quòd propter intentionem exigitur expressio actus. Contra: Secundum hoc melius diceretur, Ego intendo te baptizare, &c.

Sed contra. SED CONTRA: Hoc sacramentum est sacramentum necessitatis ad quod exigitur intentio actus quod facit Ecclesia: ergo ad hoc vt excludatur omnis error, exigitur expressio actus per verbum primæ personæ & præsentis temporis indicatiui modi.

Quæst. 3 VLTERIVS quæritur, Quid dicat hoc quod dicit, in nomine? aut enim supponit essentiam, aut personam. Si supponit essentiam: ergo videtur, quòd essentia possit poni loco eius, vt dicatur, Ego baptizo te in essentia Patris & Filij & Spiritus sancti. Si autem supponit personam, tunc videtur, quòd debeat poni in plurali, vt dicatur, in nominibus Patris, &c.

Quæst. 4. VLTERIVS quæritur, Vtrum possint poni alia nomina idem significantia loco istorum? Et

videtur

videtur quod sic : quia dicit August. quòd eodem modo dicitur Filius Verbum, & Filius : & eodem Spiritus sanctus donum, & amor, quo Spiritus sanctus : ergo videtur, quòd possit baptismus sic fieri, Ego baptizo te in nomine Patris & Verbi & Amoris vel Doni.

2 Item cum genitor & genitus, idem sint quod pater & filius, videtur quòd possit fieri baptismus sic dicendo, Ego baptizo te in nomine genitoris & geniti & doni procedentis.

3 Item, Cum Pater & Filius & Spiritus sanctus vna indiuisibili operatione operentur in baptismo, & ad operandum ordinent potentia, sapientia, & bonitas, videtur melius dici, baptizo te in potentia sapientia & bonitate, quam in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.

Quæst. 5. ITEM quæritur de hoc quod dicitur à Luca, quòd Apostoli baptizauerunt in nomine Christi. Dicit enim Apostolus ad Ephes. Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma. Constat autem, quòd illud vnum est quod vnitate formæ vnum est, sicut quælibet res est vna : ergo videtur, quòd cum Christi baptismus est vnus, vnam semper debuit habere formam : sed constat, quòd si Apostoli baptizauerunt in nomine Christi, non eandem habuerunt formam quam nos habemus: ergo non fuit vnum baptisma : ergo baptismus Ecclesiæ non est vnus, & ita errat fides quoad hunc articulum, qui est vnum baptisma, quod est impossibile : ergo Apostoli male baptizauerunt in nomine Christi.

2 Item, Vnde fuerunt Apostoli tantæ audaciæ, quòd mutauerunt formam à Christo traditam, cum in baptismo nulla sit institutio habens valorem nisi diuina ?

Quæst. 6. ITEM, Nunquid in alio nomine idem poterat fieri vt in nomine Iesu ? Videtur, quod sic : quia Iesus & Christus nominat eandem personam: ergo quod poterat fieri in vno, poterat etiam fieri in alio.

Sed contra. SED CONTRA. In hoc nomine, Iesus, non ita exprimitur fides Trinitatis : quia Iesus interpretatur saluator, quod nomen sua vi non sonat nisi potentiam deitatis sine distinctione personæ: ergo non poterat fieri in illo.

Quæst. 7. ITEM quæritur à simili, Vtrum Papa modo posset idem instituere si vellet ? Videtur autem, quod sic : quia ipse est Vicarius Christi in terris: si ergo Apostoli fecerunt hoc, & ipse similiter videtur hoc posse.

Sed contra. SED CONTRA : In sacramentis operatur tantum institutio diuina : Papa autem non est Deus : ergo non potest instituere illud.

2 Item, Aqua in sacramento inferior est quam forma, quia ipsa est vt materia : & constat, quòd Papa non possit mutare materiam : ergo multo minus potest mutare formam.

Quæst. 8. VLTERIVS quæritur, Vtrum in nomine vnius personæ possit fieri baptismus ? Et videtur, quòd sic : quia ita dicitur in litera. Item, Relatiua posita se ponunt, & vnum intelligitur in alio: ergo videtur, quòd sufficit nominare vnum.

Sed contra. IN CONTRARIVM est, quòd non est forma in baptismo nisi inuocatio Trinitatis : Trinitas autem non est persona vna : ergo inuocatio Trinitatis non est inuocatio personæ vnius.

Quæst. 9. ITEM quæritur, Vtrum in nomine Trinitatis possit baptizari, vt dicatur sic, Ego baptizo te in nomine Trinitatis ? Videtur, quòd sic : quia tunc nulla personarum dimittitur, quæ non inuocetur super baptisma : ergo verus erit baptismus.

2 Item, In litera dicitur, dummodo fides sit integra, sufficit vnum nominare : ergo multo magis sufficit si ipsa Trinitas nominetur.

Quæst. 10. VLTERIVS quæritur de appositione, Vtrum licet aliquid apponere, vt dicatur baptizo te in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti & sanctæ Mariæ, vel aliud, vel plura huiusmodi ? Et videtur, quòd sic: quia hoc facit ad maiorem deuotionem, & tamen non tollit formam.

Sed contra. SED CONTRA : Secundum hoc dicam, In nomine Patris maioris, Filij minoris, & Spiritus sancti coæui vtriusque. Videtur, quòd esset baptismus, cum nihil dimissum sit de forma.

Quæst. 11. VLTERIVS quæritur de transpositione sic, Baptizo te in nomine Filij & Spiritus sancti & Patris. Et videtur, quia personæ sunt æquales: ergo videtur, quod non differt quæ earum sit prior in oratione vel posterior.

Sed contra. SED CONTRA : Secundum hoc non seruatur ordo naturæ quem Augustinus ponit in diuinis.

2 Item, Secundum hoc possemus dicere, Baptizo te in nomine Filij secundi, & Patris primi, & Spiritus sancti tertij : in qua forma per ordinem distinctionum ordinatum exprimitur Sabelliana hæresis.

Quæst. 12. VLTERIVS quæritur de corruptione, vt dicatur in nomine patria & filiabus & spiritibus sanctibus, vtrum sit baptismus ? Et videtur quod sic : quia alias illi qui non possunt proferre propter linguæ balbutiem & imperitiam, omnes male baptizarent : & secundum hoc multi paruuli damnarentur, & multi essent baptizandi.

Sed contra. SED CONTRA : Declinatio quædam est in principio, sicut & in fine : ergo si licet corrumpere in fine, licet etiam corrumpere in principio, quod nullus dicit : quia non est baptismus, si dicatur, Baptizo te in nomine atris & ilij, &c.

Solutio. SOLVTIO. Dico sine præiudicio, quòd aliud est de forma secundum statutum Ecclesiæ, & aliud secundum institutionem diuinam. Secundum statutum Ecclesiæ existens de forma, si violetur & seruetur institutio diuina, peccat baptizans & Ecclesia potest seueriter agere in ipsum: sed baptizatus non est rebaptizandus. Et hoc modo dicunt quidam, quod pronomen ego est de forma : quod tamen non puto, sed puto, quòd potest dimitti si vult aliquis, sine magna culpa: sed dico, quòd securius est apponere. Sed quoad institutionem Ecclesiæ dicunt multi, quòd verbum baptizo est de forma : ita vt reprehendatur tanquam pro criminali qui hoc dimiserit. Sed ego puto verius, quòd est de forma secundum necessitatem, ita quod si dimittitur, non sit baptizatus qui baptizatur : sed iudicio omnium inuocatio Trinitatis est etiam de forma secundum institutionem diuinam. Secundum hanc igitur meam opinionem quæ plurium est & celebrior hodie, responderi potest ad primum, quod intentio magis exprimitur in actu & pronuntiatione verbi : & hoc ideo, quia non exigitur intentio personæ quam determinat, sed potius Ecclesiæ in cuius persona ille baptizat : & per hoc patet solutio ad sequens.

Ad quæstiunculam 1.

AD

Ad quæstiunculam 2.

AD ID quod quæritur de verbo, baptizo, sine præiudicio aliorum dico, quòd est de forma necessitatis baptismi, & sine quo baptismus non est, nisi occurrat casus ptopter quem aliter ad tempus sit faciendum, sicut Apostoli fecerunt.

AD ID quod contra obiicitur, dicendum quòd non exprimitur ipso facto intentio baptismi: quia ille modus tinctionis etiam in aliis lauacris est, præcipue cum infra dicatur, quod infans semel vel ter possit immergi, & oportet exprimere verbo significante Ecclesiæ regenerationis actum, vt mihi videtur.

AD ALIVD dicendum, quòd Christus iniunxit eis exercitium cum determinatione modi, & vtrunque intellexit in hoc quod dixit, baptizantes eos in nomine, &c. Et hoc ideo: quia istud est sacramentum necessitatis, & ideo exigitur summa cautela circa ipsum.

AD ALIVD dicundum, quòd non est simile de doctrina: quia illa potest esse præter intentionem, nec est de necessariis ad salutem: & ideo non exigitur ibi expressio talis.

AD ALIVD dicendum, quòd illę benedictiones sunt orationes, in quibus non est magna vis intentionis.

AD ALIVD dicendum, quòd non est simile quia in oratione quæ est pius affectus in Deum directus, non respicitur principaliter nisi cor. In sacramentis autem inuisibili specie operatur virtus diuina: & ideo exprimitur intentio circa illud.

AD ALIVD dicendum, quòd non est simile de aqua: quia intentio non refertur ad aquam, sed ad actum, & ideo in actu debet exprimi.

AD ALIVD dicendum, quòd licet Christus operetur interius: tamen sua operatio non est nisi operatione ministri præexistente, & ideo illa requirit intentionis expressionem.

AD ALIA quæ obliciuntur de ritu Græcorum, puto quòd corrigendi essent si acquiescerent. De illis autem qui baptizati sunt, potest esse quod primo tradita fuit eis hęc forma, propter hoc quod putabant in baptismo nihil fieri nisi operationem hominis: & ideo sicut Apostoli baptizauerunt in nomine Christi: ita & consilio Spiritus sancti tradiderunt eis, vt actus ad Christum referretur, vel impersonaliter ad Christum & Ecclesiam: & hoc ad tempus: & ideo peccant obseruantes ritũ istum, sicut etiam peccaremus si nos in nomine Christi baptizaremus. Vel dicatur, quòd cum dicitur, baptizetur seruus Christi, &c. præintelligitur expressio vel intellectus verbi primæ personæ, & quoad hoc tolerari potuit ad tempus, propter scandalum, & ex imperio Spiritus sancti inspirante Ecclesiam. Tamen Papa in hoc dubius fuit: quia de illis qui sunt in Dalmatia primo respondit, quod rebaptizarentur, & postea permisit, & vt caueretur in posterum præcepit: quosdam autem fratres in ordine nostro existentes, tres ad minus in vrbe Romana rebaptizari præcepit.

AD ALIVD dicendum, quod non bene dicitur, ego intendo te baptizare: quia ex hoc non posset inferri, quod ego baptizarem secundum actum, vel quòd ille baptizatus esset secundum actum: quia multa intendimus quæ non facimus: & ideo expresse conuenienter fieri non potuit nisi in enutiatione actus baptismi.

Ad quæstiunculam 3.

AD ALIVD dicendum, quòd ly nomine dicit essentiam notam se reddentem in effectu gratiæ quam operantur indifferenter tres personæ: & ideo cessat obiectio, quia licet supponat essentiam, tamen supponit eam sub alio modo significandi: & ideo loco eius supponi non potest.

AD ALIVD dicendum, quòd nulla nomina possunt poni loco istorum: quia tantum exprimũt personas, vt sunt in se perfectæ & distinctæ ab inuicem, vt probatum est in primo lib. *Ad qu. 4.*

AD ALIVD quod contra obiicitur, dicendum, quòd verbum & filius differunt eadem ratione quæ est relatio, sed non eadem ratione nominis: quia verbum vt verbum non nominat personam in se perfectam, sed potius verbum vt in diuinis: & similiter donum, & amor: & ideo non possunt poni loco illorum.

AD ALIVD dicendum, quòd genitor & genitus dicuntur relatiua, quæ secundum intellectum sunt ab actu generandi: Deus autem Pater, & Filius dicunt personas distinctas: vnde omnis pater generat, sed non conuertitur: & similiter omnis filius genitus est, sed non conuertitur: & ideo patet, quòd differentis significationis sunt illa nomina & ista.

AD ALIVD dicendum, quòd potentia, sapientia, voluntas siue bonitas, licet nominent ea quæ exiguntur ad operandum: tamen non nominant nisi vnitatem essentiæ eo quod hæc in singulis personis sunt: sed forma baptismi secundum fidei confessionem distinctam, debet nominare vnitatem essentiæ & tres personas: & ideo illa nomina non conueniunt.

AD ALIVD dicendum, quòd tria concurrebant ad hoc quod Apostoli baptizarent in nomine Christi, quorum vnum est significatio nominis quæ implicite exprimit Trinitatem. Secundum autem fuit necessitas: quia odiosum fuit illud nomen salutare, in quo oportet omnem hominem saluari: & ideo vt videntes Spiritum sanctum visibiliter descendere ad inuocationem huius nominis, & sic amabile & reuerendum nomen ostenderetur, voluit Spiritus sanctus vt in illo nomine baptizaretur ad tempus, donec notum & venerabile fieret. Tertium est institutio diuina per instinctum & reuelationem Spiritus sancti, quæ licet non legatur, tamen puto quod Apostoli nunquam præsumpsissent, nisi Spiritus sanctus hoc fieri iussisset. *Ad quæstiunculam 5.*

AD ALIVD dicendum, quòd saluata est vnitas formæ implicite: quia in nomine Christi intelligitur vngens Pater, vnctus Filius, & vnctio quæ est Spiritus sanctus.

AD ALIVD patet solutio per ante dicta.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc nomen, IESVS, non ita conueniens erat: quia non ita exprimit Trinitatem: tamen nolo contradicere quin eisdem causis concurrentibus hoc fieri posset in alio nomine sicut in isto. *Ad quæstiunculam 6.*

AD ALIVD dicendum, quòd Papa non potest sicut nec Apostoli potuerunt, nisi per reuelationem Spiritus sancti, & magnam Ecclesiæ necessitatem. *Ad qu. 7.*

AD ID quod quæritur de nomine vnius personæ, dicendum quòd non potest fieri, nec vnquam factum est: & quod dicit Ambros. sic intelligitur: Qui vnum dicit exprimendo in fide Trinitatis, quæ fit in confessione etiam aliorum. Vel dicatur melius, *Ad qu. 8.*

melius, quòd loquitur in eodem casu in quo Apostoli in nomine Christi baptizauerunt: tunc enim fieri posset illis tribus concurrentibus, & aliter est absolute falsum quod dicitur in litera.

AD ALIVD dicendum, quòd licet relatiua se ponant per intellectum, tamen non sunt sic forma baptismi, sed potius expressa in voce: non enim sufficit cogitare vel intelligere, sed oportet exprimere voce.

Ad quæst. 9. AD ALIVD dicendum, quòd Trinitas non nominat personas nomine proprio: & ideo non est forma: quia in nominibus propriis sunt articuli fidei & forma baptismi.

Ad quæst. 10. AD ID quod quæritur vlterius de appositione, dicendum quòd peccat apponens. Si autem apponit quod non sonat corruptionem formæ, non est rebaptizandus. Et per hoc patet solutio ad sequens: quia illa appositio in nomine patris maioris, &c. Sonat formæ corruptionem: & ideo non puto illum baptizare qui sic baptizat.

Ad quæst. 11. AD ALIVD dicendum, quòd peccat qui transponit: tamen puto esse baptismum, si nihil amplius fiat nisi transpositio: si autem apponat quod sonat formæ corruptionem, tunc puto quòd non est baptismus, vt in nomine patris primi. Ad id quod contra obiicitur, dicendum quòd ordo naturæ etiã nominibus transpositis saluatur in intentionibus nominum: quia Pater semper dicitur qui non ab alio, à quo alius: Filius qui ab alio, à quo alius: & Spiritus sanctus qui ab aliis, à quo nullus.

Ad quæst. 12. AD ID quod quæritur vlterius de corruptione, dicendum cum Doctoribus quòd si propter linguæ impedimentum vel ignorantiam loquelæ corrumpit in fine, non officit baptismo. Si autem ex hoc intendat deridere & inducere errorem, tunc significat se non intendere quod facit Ecclesia, & tunc non baptizat. Ad id quod quæritur de corruptione in principio, communiter dicitur & verum est (vt dicunt Grammatici) quod declinatio in fine dictionis non variat nisi consignificatum, & non significatum: & ideo corruptio illa non aufert formam baptismi: declinatio autem in principio dictionis variat significatum, & ideo corruptio in principio dictionis tollit baptismi formam.

SI ADHVC quæritur, Quare dicatur hæc forma inuocatio Trinitatis, cum inuocatio habeat fieri in modo deprecatiuo: forma autem baptismi exprimitur in modo indicatiuo per modum enuntiationis de præsenti? Et ad hoc dicendum, quòd est quædam deprecatio habens vim indicationis, vt quidam Prophetæ quando prophetare, desiderabant quod prophetabant, sicut Isa. 64. Vtinam disrumperes cælos & descenderes. Ita etiam è conuerso sunt quædam enuntiationes, quæ habent vim inuocationum: quia quod enuntiatiue profertur, hoc est ideo quia intentionis expressio in eis exigitur, & sic est enuntiatio in sacramentis, & est sensus, baptizo te, &c. id est ego baptizo te exterius inuocans Patrem, &c. vt interius te baptizet. *Quæstiũcula.* *Solutio.*

SI AVTEM quæritur, Quare ita non dicitur, Inuoco te? Dicendum, quòd hoc fit vt non ponatur sub dubio aliquo quin Spiritus sanctus interius baptizet. Et per hoc patet solutio ad totum, *Quæstiũcula.* *Solutio.*

De institutione baptismi.

F DE institutione baptismi quando cœpit, variæ sunt æstimationes. Alij dicunt tunc esse institutum, cum Nicodemo Christus ait, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, &c. Alij dicunt institutionem baptismi factam, cum Apostolis dixit, Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. Sed hoc dixit eis post resurrectionem, præcipiens eis de vocatione Gentium, quos ante passionem binos miserat ad prædicandum in Iudæa, & ad baptizandum, dicens, In viam Gentium ne abieritis. Iam ergo institutus erat baptismus: quia baptizabant simul & prædicabant.

Ioan. 3. Matth. vltim. Luc. 10. Matth. 10.

De forma in qua baptizauerunt Apostoli ante passionem Christi.

G SI vero quæritur, In qua forma tunc baptizauerunt Apostoli? Sane dici potest, in nomine Trinitatis, scilicet in ea forma in qua postea baptizauerunt Gentes: quæ ante passionem potest intelligi fuisse tradita, licet non sit scriptum. Non ergo tunc illam formam Christus prius tradidit, cum ad Euangelizandum Gentibus misit: sed quam ante tradiderat mittens eos in Iudæam, post iterauit cum ad Gentes misit. Commodius ergo dicitur institutio facta, quando Christus à Ioanne baptizatus est in Iordane, quod dispen-

Mat. 3.

sauit,

sauit, non quia mundari voluit cum sine peccato fuerit, sed quia contactu mundæ carnis suæ vim regeneratiuam contulit aquis, vt qui postea immergeretur inuocato nomine Trinitatis, à peccatis purgaretur. Tunc ergo inuocato nomine Trinitatis institutus est baptismus Christi: in quo Trinitatis cuius mysterium ibi innotuit, interius hominem baptizat.

De conse. di. 4. Nunquã aqua.

ARTICVLVS III.

Quando baptismus est institutus?

DEinde quęritur de hoc quod dicit ibi[De institutione baptismi quando cœpit,&c.]Videtur enim,quòd baptismus debuit institui à principio:quia magis valet efficax medicina in principio, quam in fine morbi. Si dicas, quòd trahit efficatiam à passione Christi, & ideo ante passionem non debuit institui:videtur hoc nihil esse: quia in fide venturi profuit passio illis qui fuerunt ante Christi incarnationem:ergo & baptismus potuit prodesse:

Quæst. PRÆTEREA, Ista varietas quam Magister tangit in litera, habet reduci ad aliquam concordiam,quæ igitur est illa?

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd baptismus non debuit incipere ante Christi passionem: & huius causa est:quia baptismus est sacramentum pleni effectus, & plenæ curæ:cura autem morbi plenaria non fuit nisi post passionem & resurrectionem Christi:quia tunc reatus originalis in toto cessauit, & ianua cæli aperta fuit quoad beatitudinis perceptionem.

AD PRIMVM ergo dicendum, quod non habuerunt plenam liberationem qui fuerunt ante Christi incarnationem, sed tantum pro se quilibet satisfecit:sed reatus naturæ mansit vsque ad Christum quoad descensum ad limbum, & ianuæ clausionem.

Ad quæst. AD ALIVD dicundum, quod baptismus multipliciter institutus est, scilicet officialiter,& causaliter, & quoad effectum salutis. Officialiter Mat. 10 quando misit Apostolos baptizare in eadẽ forma in qua nunc baptismus fit, vt dicit in litera præcipiens eis ibi,In viam Gentium ne abirent, & in ciuitates Samaritanorum ne intrarent.Causaliter autem quatuor modis, scilicet materialiter Matth. 3. quando tactu suæ mundissimæ carnis vim regeneratiuam contulit aquis in baptismo, scilicet quo baptizatus est:in quo tamen baptismo res Trinitatis fuit, licet non sub forma verborum præscripta: quia Pater in voce, Filius in carne aquam tangente, Spiritus sanctus in columba. Quia etiam aqua materia non est nisi verbo vitæ sanctificata,nisi quis vocet materiam omnino indispositam: habet enim se materia tripliciter ad baptismum, scilicet vt materia tantum:& sic aqua à principio creationis est materia, cum Spiritus Domini ferebatur super aquas, vt dicit Chrysost. Habet etiam se vt materia dispositа:vt postquam Dominus tactu suæ mundissimæ carnis vim regeneratiuam aquis contulit. Habet etiam se vt materia informata, quando est sub inuocatione Trinitatis. Secundum causam autem formalem institutus est baptismus Matth.vltim.baptizantes eos in nomine Patris,&c. Et quoad causam finalem Ioan. 3. Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non intrabit in regnum cælorum. Efficienter autem & significatiue quoad causam operantem in baptismo, Ioan. 19. institutus est, vbi aqua fluxit & sanguis de latere Christi, ad ostendendum quod de latere Christi habet efficaciam salutis. Sed quoad effectum salutis, institutus est Matth. vltim. vbi dicit, Qui crediderit & baptizatus fuerit,saluus erit.

Quare in aqua tantum fiat?

CELEBRATVR autem hoc sacramentum tantum in aqua, non in alio liquore, vt ait Christus, Nisi quis renatus, &c. Ideoque vniformiter id fieri in aqua ptæcipitur, vt intelligatur quòd sicut aqua sordes corporis ac vestes abluit: ita baptismus maculas animæ, sordesque vitiorum emundando abstergit. Vel ideo, vt nullum inopia excusaret: quod posset fieri, si in vino vel oleo fieret: & vt communis materia baptizandi inueniretur apud omnes: quod aqua signauit quæ de latere Christi manauit, sicut sanguis alterius sacramenti signum fuit. Non ergo in alio liquore potest consecrari baptismus nisi in aqua. H Ioan.3.

ARTICVLVS IIII.

An conueniens materia baptismi sit aqua?

DEinde quæritur de hoc quod dicit ibi[Celebratur autem hoc sacramentum in aqua] Videtur autem, quod materia conueniens non sit aqua;baptismus enim vt supra habitum est, principium est nouæ vitæ:sed principium vitæ non est in gratia baptismi, nisi significetur in proprietate materiæ sacramenti:quia sacramentum nullius rei causa est cuius non est signum: causa autem vitæ

in elementis non est humidum cum frigido, sed potius humidum cum calido: cum ergo aqua sit frigida & humida, & oleum vel vinum calidum & humidum, videtur potius materia debere esse oleum vel vinum quam aqua.

2 Item, Gratia in sacramento habet aliquid simile lumini, sicut characterem: & aliquid simile sananti, quia gratia sanat peccatum: & reficit etiã gratia sacramentalis, vt dicit Magister infra distinctione sequenti, quod iam sanctificatos vberiori gratia reficit: cum igitur oleum (vt dicit) luceat & sanet, & reficiat, videtur conueniens materia baptismi esse oleum.

Sed contra. SED CONTRA est, quod status recreationis per conformitatem debet respondere statui creationis: in creatione autem maioris mundi anima viua prima apparuit in aquis, super quas ferrebatur: ergo in recreatione minoris mundi debet anima incipere viuere in aquis, super quas Spiritus ferebatur.

2 Item, Non habet virtutem generandi nisi quod tactum est mundissima carne Saluatoris: hoc autem elementum est aqua: ergo sola aqua est materia, & non aliud.

3 Item, Chrysostomus in homilia 26. super Ioan. Aqua assumpta est in baptismo, genitrix eius qui gignitur fœtus: quod matrix fœtui, hoc fideli aqua: in aqua enim plasmatur, & figuratur.

4 Item, Ibidem. Primum quidem dicebatur, educat aqua reptilia animarum viuentium: ex quo autem ascendit à Iordanis riuis dominator non adhuc reptilia animarum viuentium, sed animas rationales & spiritiferas aqua reddit.

5 Item, Ambrosius super epistolam ad Rom. Ideo vniformiter baptismus in aqua fieri præcipitur, vt intelligatur quòd sicut aqua sordes corporis ac vestes abluit, ita baptismus maculas animæ sordesque vitiorum emundando abstergit.

Quæstiũcula vltima. SED tunc fiunt quæstiones multæ à latere. In qua aqua potest fieri baptismus, vtrum in simplici, vel in cõposita? Si tantum in simplici, tunc in mari non posset: quia immixtum habet terrestre combustum, propter quod est salsum. Item in brodio non fieret, nec in ceruisia tenui, nec in medone, nec in aliis aquis mixtis. Item nulla aqua pluuialis, nec aliqua aqua apud nos: ergo in nulla aqua apud nos fieret baptismus, vt videtur. Quod autem omnis aqua apud nos sit mixta, probatur per hoc quod congelatur frigido, & hoc non fieret nisi esset permixta, vt dicit Alexander Philosophus.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum quod sola aqua est materia baptismi: cuius plurimæ sunt causę, sed sex sufficiant, quarum tres inueniuntur in litera, quarum prima sumitur ex proprietatibus aquæ: quia habet vim refrigerandi per frigidum, & ablutiuam sordium per humidum: & ideo significat gratiam abluentem maculas culpæ, & refrigerantem incendium quod est in æstu fomitis & concupiscentiæ: & isti sunt principales & primi effectus baptismi. Secunda sumitur ex leuitate habendi: quia nulli inopum prohibetur aqua, & hoc competit sacramento generalis necessitatis. Tertia sumitur ex communitate inueniendi: quia in omni parte mundi prope inuenitur vbi homines habitant, & hoc iterum competit sacramento generaliter necessario. Quarta etiam innuitur in litera: quia aqua non vinum vel oleum fluxit de latere Saluatoris. Quinta & sexta inducuntur in auctoritatibus Chrysost. in obiectionibus, scilicet quia spiritus viuificans primo super aquas apparuit: & quia Saluator in Iordanis riuis hoc elementum tetigit, dans ei virtutem vt spiritiferas animas facere possit.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd baptismus est principium vitæ nouæ: sed ille non est primus eius effectus, sed potius ablutio maculæ, & refrigerium fomitis, & per consequens gratia in vittutibus facit in anima nouam vitam. Et non oportet, quod sacramentum habeat similitudinem ad omne illud quod quocunque modo causat, sed ad id quod causat substantialiter & primo, secundum quod ordinatur contra defectum peccati.

AD ALIVD dicendum, quòd illuminationis quædam proprietas relucet in aqua quantum ad naturam perspicui, & hoc sufficit ad significandum characterem: oleum autem magis ponit similitudinem ad sanitatem pœnæ, & ideo assumitur pro parte materiæ in chrismate, vbi fit vnctio contra fomitis pœnam ne labatur in præceps, & in oleo infirmorum: sanitas autem baptismi perficitur potius per ablutionem culpę.

Ad quæstiunculam vltimam. AD ID quod quæritur de diuersitatibus aquarum, dico generaliter, quòd si est commixtio tollens speciem elementi, & trahens ad speciẽ aliam, in illa aqua non potest fieri baptismus, sicut est brodium pinguium vel aliorum quod infrigidatum congelatur. Et constat similiter, quòd ceruisia & vrina & lixiuia quædam quæ multam habet admixtionem acutorum corporum, & aquæ quas faciunt Alchimistæ ad mutanda metalla. Est autem quædam mixtio non remouens proprietates aquæ, quin ipsa remaneat in impetu refrigerandi, & virtute abluendi, abluendi, inquam, non dissoluendi corpus, sicut faciunt aquæ acutæ, vt vrina, & lixiuia quædam: & in talibus potest fieri baptismus, & non impedit: vnde in mari, pluuiis, aquis turbidis, & aliis huiusmodi potest fieri baptismus. Et etiam si esset brodium non remotum à specie elementi, ex eo quod coctum est, in eo bene crederem posse fieri baptisma.

De immersione quoties fieri debeat.

Leandro Episc. Epistola 41.

I DE immersione vero si quæritur, quomodo fieri debeat, præcise respondemus, vel semel, vel ter, pro vario more Ecclesiæ. Vnde Gregor. De trina immersione baptismi nil verius responderi potest, quam quod vosipsi sensistis: quia in vna fide nihil officit Ecclesiæ sanctæ consuetudo diuersa. Quia enim

enim in tribus subsistentiis vna substantia est, reprehensibile esse nullatenus potest infantem in baptismo ter vel semel immergere: quia & in tribus mersionibus personarum trinitas, & in vna potest diuinitatis singularitas designari. Nos vero qui tertio immergimus, etiam triduanæ sepulturæ sacramentum signamus. Secundum hoc licet non modo ter, sed etiam semel immergere. Ibi tamen duntaxat immergere semel licet, vbi consuetudo Ecclesiæ talis existit. Siquis vero id facere incipiat vbi consuetudo talis non est, vel semel tantum mergendum asserat, reprehensibilem se constituit. Vnde Haym. In suo sensu abundabat Cyprianus, cum semel mergebat in baptismo paruulos: qui quod intelligebat, studiose implebat bonis operibus abundando, licet in hoc nescius delinqueret: sed quia bonis operibus abundabat, postea correptus à Deo abundauit altiori sensu, ter illos mergendo. Ecce habemus, quia deliquit qui semel mersit. Sed hoc ideo, quia aliter se habebat consuetudo illius Ecclesiæ: vel quia vnam tantum faciendam mersionem asserebat. De trina mersione Augustinus ait: Postquam nos credere promisimus, tertio capita nostra in sacro fonte dimersimus: qui ordo baptizandi duplici mysterij significatione celebratut. Recte enim tertio immersi estis, qui accepistis baptismum in nomine Trinitatis. Recte tertio immersi: quia accepistis baptismum in nomine Christi, qui die tertia resurrexit à mortuis. Illa enim tertio repetita immersio, typum Dominicæ exprimit sepulturæ. Constat ergo baptizandos tertio debere immergi: & tamen si semel tantum immergantur, verum baptisma accipiunt. Et qui semel immergit tantum, non peccat nisi consuetudo Ecclesiæ obsistat, vel hoc modo tantum debere fieri asserat.

Super illud ad Rom. 41. *Vnusquisque in sensu suo abūdabat.*

Habetur de conse. dist. 4. c. Postquā.

ARTICVLVS V.

Vtrum in baptismo necessaria sit trina immersio, aut vna sufficiat?

DEinde quæritur de hoc quod dicit [De immersione si quæritur, &c.] Videtur enim semel esse immergendum tantum: quia per verbum exprimitur trinitas personarum: cum ergo etiam vnitas debet exprimi essentiæ, videtur quòd illa exprimenda sit in factis: ergo per modum immersionis: ergo semel immergendum est, & reuelandum, vt significetur vnitas essentiæ.

2 Item, Per immersionem configuramur sepulturæ: sed Christus semel sepultus est & resurrexit: ergo semel immergendum est, & releuandum.

3 Item, Hoc videtur dicere Chrysost. super Ioannem homil. 11. sic: Sicut in quodam sepulchro in aqua submergentibus nobis capita, vetus homo sepelitur, & submersus deorsum occultatur totus omnino: deinde respicientibus nobis ex aqua nouus ascendit. Rursus. Sicut enim facile baptizari & respicere: ita facile Deo sepelire hominem veterem, & monstrare nouum. Hoc autem totum potest fieri immersione vna. Ergo superfluæ sunt aliæ, vt videtur.

Sed contra. SED CONTRA: Chrysost. ibidem, Triplex fit immersio, vt discas quoniam virtus Patris & Filij & Spiritus sancti omnia hæc implet.

2 Item, Damasc. lib. 4. cap. 1. Quoniam typus mortis Christi baptisma, per tres immersiones tres dies sepulturæ significantur.

3 Item, Dionysius in lib. de Ecclesiastica hiarar. in theoria baptismi. cap. 2. Sacræ baptizandorum symbolica doctrina mystice docet tribus in aqua dimersionibus & eleuationibus diuinam triduo totidemque noctibus in sepultura IESV vitæ datoris imitari mortem, quantum possibile viris diuina imitatio. Ad hoc etiam Magister in litera plurima adducit.

Quæstiūcula 1. SED TVNC quæritur ratione Ecclesiarum semel tantum immergentium.

2 Item, Quædam Ecclesiæ non immergunt, sed semel vel bis aqua perfundunt: ergo videtur, quòd non sit baptismus qui sic exhibetur.

3 Item, Quidam sacerdotes diuidunt inuocationem Trinitatis secundum numerum immersionum: quia in prima immersione dicunt, in nomine Patris, & in secunda in nomine Filij, & in tertia in nomine Spiritus sancti.

Et quæritur secundum illos si decedat baptizandus in prima immersione facta ante secundam, vtrum sit baptizatus? Et videtur, quod non: quia non est inuocatio Trinitatis completa: ergo non est ibi forma.

Item, Sepulturæ Christi non est configuratus: ergo non mortuus peccato: ergo videtur, quod talis non sit baptizatus.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum ad hoc, quòd inter omnes consuetudines magis rationabilis est consuetudo Ecclesiæ Romanæ, quæ ter immergit: quia in illa cõsuetudine actus conformatur formę sepulturæ & effectui baptismi; quia sicut dicit Augustinus, vna sua morte nos Christus à duplici morte absoluit, scilicet culpę, & pœnæ æternæ; vel animæ, & corporis: quia licet corpus moriatur, tamen in morte detineri non potest. Si tamen semel tantum immergatur, puto corrigendum esse baptizantem: sed infans nullo modo rebaptizandus est: quia plenum habet baptismi sacramentum.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd actus debet respondere formæ: quia in forma exprimitur vnitas essentiæ per hoc quod dicitur in nomine, & in figura respondet huic vnitati vnitas baptismi, & trinitati trina immersio debet respondere.

AD ALIVD dicendum, quòd non tantum configurari debemus sepulturæ, sed etiam modo sepulturæ, vt habitum est in auctoritatibus inductis.

AD ALIVD dicendum, quòd vt patet in sequentibus, Chrysost. non intendit, quòd semel tantum sit immergendum, sed quod sit immergendum absolutè, & postea docet formam immersionis.

AD ID quod quæritur, Vtrum diuidenda sit forma secundum tres immersiones? Dico quòd non, sed continue pronuntianda est propter periculum infantum. Si tamen aliquis diuidat, & infans moriatur, Patre nominato, & vna immersione facta, dico quòd baptizatus est: quia supplet tunc summus sacerdos quod minister explere non potuit: & ideo puto esse dicendum, si nominato vno, sacerdos moriatur, quòd ille puer est baptizatus propter supplementum summi sacerdotis. *Ad quæstiunculam 1.*

AD ALIVD dicendum, quòd perfundens aqua totum corpus, vel quando potior pars, id est, caput immergitur & tingitur aquis, baptizatur: sed non videtur mihi esse laudabilis consuetudo, sed immergendi consuetudo laudabilior est.

Quod autem quidam quærunt, vtrum in balneo fiat baptismus, vel aqua calida vel thermis? Constat, quod sic: quin imo si sacerdotes facerent fieri aquam calidam, melius esset, quia quandoque ita penetrantur frigore aquæ paruuli, quod contrahunt mortales infirmitates & moriuntur. *Quæst 2. Solutio.*

Quando circunciſio amiſit vim ſuam?

K Ioan. 19. vbidicit, Consummatum est,

SOLET etiam quæri, Si circunciſio amiſit ſtatim vim ſuam ab inſtitutione baptiſmi? Ad quod dicimus in Chriſti morte terminata eſſe legalia omnia. Ex tunc ergo circunciſio perdidit vim ſuam, ita quod poſtea non profecerit, ſed potius obfuit obſeruatoribus ſuis. Sed vſque ad oblationem veræ hoſtiæ potuit prodeſſe. Si enim ante paſſionem legalia finem habuiſſent, non ea imminente vetus paſcha cum diſcipulis manducaſſet.

De cauſa inſtitutionis.

L CAVSA vero inſtitutionis baptiſmi, eſt innouatio mentis: vt homo qui per peccatum vetus fuerat, per gratiam baptiſmi renouetur: quod fit depoſitione vitiorum, & collatione virtutum. Sic enim fit quiſque nouus homo, cum abolitis peccatis ornatur virtutibus. Abolitio peccatorum pellit fœditatem: appoſitio virtutum affert decorem; & hæc eſt res huius ſacramenti, ſcilicet interior munditia.

ARTICVLVS VI.

An adueniente baptiſmo ceſſauerit circunciſio?

DEinde quæritur de hoc quòd dicit vltimo *ibi* [Solet quæri ſi circunciſio amiſit ſtatim &c.] Videtur enim, quòd adueniente veritate, debuit ceſſare vmbra: ergo adueniente baptiſmo, ſtatim ceſſauit circunciſio, & alia legalia: ergo videtur, quòd extunc mortua & mortifera fuerunt.

2 Item, Agnus typicus ad verum eſt terminatus in cœna, quia figura eius fuit: ergo ſimiliter cum circunciſio fuerit figura baptiſmi, ſtatim vt apparuit baptiſmus, debuit irrita eſſe circunciſio & ceſſare.

3 Item, Superfluum eſt ſeruari minus perfectum, cum perfectum habet ſtatum: ergo cum baptiſmus magis perfectus quam circunciſio habuit ſtatum, ſuperfluum fuit manere circunciſionem quæ minus fuit perfecta.

4 Item,

4 Item, Res quam fecit circuncisio, fiebat per baptismum: ergo permansit inutiliter.

Quæstiuncula 1. ADHVC autem redit quæstio, Quare alia legalia post passionem non permittebantur ab Apostolis exerceri in fidelibus conuersis, sed circuncisionem permiserunt permanere ad tempus aliquod post passionem?

Quæst. 2. ITEM, Quare Apostolus circuncidit Timotheum Act. 15. & non circuncidit Titum Galat. 2.

Quæst. 3. ITEM quæritur, Vtrum peccauit circuncidendo Timotheum, cum ipse reprehenderit Petrum, quòd cogebat Gentes iudaizare, & dixerit, Si circuncidamini, Christus vobis nihil proderit. *Gal. 5.*

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd veritate veniente, cessauit vmbra: sed veritas venit duobus modis, scilicet quoad ostensionem Filij in carne, & tunc non statim debuerunt cessare: venit etiam quoad operationem salutis, & hoc factum est in passione, & tunc legalia mortua fuerunt in se, licet non statim mortifera obseruantibus. Vnde adhuc vlterius distinguendum est, quòd aliud est esse mortuum, & aliud est esse mortiferum. Mortuum est, quod ex se non confert salutem: mortiferum est, quod facienti fert mortem æternam, & hoc fecerunt legalia, postquam diuulgatum est Euangelium, & exiuit sonus Apostolorum in omnem terram. *Psal. 18.* Et hoc iterum fit duobus modis, scilicet per auditum prædicationis, & per decursum temporis: per auditum prædicationis, sicut apud illos qui audiuerunt Apostolos: per decursum temporis, sicut apud nos est modo, etiamsi non audiuissemus prædicationem verbi Dei: quia non esset rationabile, quòd Deus populo proiecto & statu veteris legis, curam mundi reliquisset ita diu.

DICENDVM ergo ad primum, quòd Christus ante passionem (vt vult Magister Hugo) ritum baptismi familiari suo Nicodemo vt consilium reuelauit. Vnde ante passionem non fuit baptismus nisi consilium: qui tamen omnibus eum accipientibus valuit in medicinam, & ideo quia fuit in consilium, cum eo efficax cucurrit circuncisio. Sed post passionem soluto pretio vniuersalitatis, fuit in præceptum, præcipue post tempus resurrectionis postquam dictum est, docete omnes gentes baptizantes eos, &c. & tunc circuncisio mortua est, sed cum honore ad tumulum deferenda: sed spem ponentibus in ea non omnibus fuit mortifera, nisi quibus determinatum est tempus passionis vel auditu prædicationis, vel consideratione status temporis: illis enim si spem posuerunt, fuit mortifera: qui autem spem non ponebant, sed ex dispensatione Apostolorum propter scandalum Iudæorum, & ne vt sacrilega videretur abiicienda, ad tempus in ritu permanserunt, non fuit mortifera, sed mortua. *Mat. 28.*

AD ALIVD dicendum, quòd duo erant ante passionem ad idem non eodem modo: vnum in consilium vt inchoandum, & aliud in præceptum vt terminandum.

AD ALIVD dicendum, quòd illa ratio tenet ex quo determinata & præcepta est perfectio baptismatis, & ante non.

AD ALIVD dicendum, quòd secundum quosdam eadem ratio est de omnibus legalibus: secundum alios tamen præcipue circuncisio quoad tempus cucurrit, quia illa solum erat in remedium originalis: & secundum illos non est simile de agno & de circuncisione. *Ad quæstiuncul. 1.*

AD ALIVD dicendum, quòd Apostolus circuncidit Timotheũ, dictis de causis, quia non spem ponens in circuncisione, sed potius quia filius fuit mulieris Iudęæ, patre gentili, & præficere eum volebat Iudæis habitantibus in illis locis: gentilem autem Titum non circuncidit, quia Gentibus in Dalmatia habitantibus præficiebatur. *Ad qu. 2.*

AD ALIVD dicendum, quòd reprehendit Petrum, quia suum factum fuit coram infirmis, qui credebant spem esse ponendam in legalibus, qualis non fuit Timotheus. *Ad qu. 3.*

AD ALIVD dicendum, quòd Galathis iam erat prædicatum de Christo, & receperant, & postea auersi sunt ad fidem circuncisionis, & ideo erat eis mortifera.

Quæritur, An baptismus aperuit cælum, quod non aperuit circuncisio?

SI quæritur, Vtrum baptismus aperuit cælum, quod non aperuit circuncisio? Dicimus, quia nec baptismus, nec circuncisio regni nobis aditum aperuit, sed hostia Saluatoris: quæ si tempore circuncisionis oblata fuisset, illius temporis homines regnum intrassent. Res ergo huius sacramenti iustificatio est. M

ARTICVLVS VII.

An baptismus aperuit cælum?

DEinde quæritur de hoc quòd dicit *ibi* [Sed quæritur, Vtrum baptismus aperuit cælum, &c.] Et quæruntur hic duo, scilicet quid cælum aperuit? Supra enim distinctione 1. dixit Beda, Fuit tamen illa, &c. Et excipit dicens, Excepto quòd ianuam regni cælestis non aperuit. Ergo si illa exceptio bona quæ distinguit inter effectum circuncisionis & baptismi, videtur quod baptismus ianuam regni cælestis aperuerit.

2 Item, Matth. 3. super illud, Vox de cælo audita est, &c. dicit Gloss. Flammam vibrantem quæ viam paradisi prohibuit, aqua baptismi extinxit.

Item, Luc. 3. super illud, Baptizato Iesu & orante, apertum est cælum, dicit Gloss. Bedæ, Dum aquas Iordanis Saluator subiit, nobis ianuam cæli pandit: dum caro innoxia frigentibus aquis tangitur, opposita nobis quondã romphæa extinguitur.

4 Item, Marc. 1. Et ſtatim aſcendens de aqua, &c. dicit Beda, quòd virtute baptiſmatis aperiuntur cæli.

SI AVTEM hoc concedatur, contrarium hic dicitur in litera. Item, Coloſſ. 1. Pacificata ſunt cæleſtia & terreſtria. Ibi Auguſtinus in originali ſic dicit, Qua hora ſanguis redemptionis Chriſti de latere eius pendentis exiuit, dimiſſum eſt peccatum Adæ, & tunc patuit introitus in regnum cælorum. Sed videtur iterum hoc per hoc quod dixit latroni Luc. 23. Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiſo.

Sed contrà. SED CONTRA videtur quod in reſurrectione: quia ita dicitur in oratione paſchali, Deus qui hodierna die per vnigenitum tuum æternitatis nobis aditum deuicta morte reſeraſti, &c. Item videtur, quòd aſcenſio: quia tunc aſcendit pandens iter ante eos vt prædixerat Prophetia.

VLTERIVS quæritur de ſecundo, quid vocetur hic ianua? ſed hoc ſupra determinatum eſt. *Quæſtiuncula.*

SOLVTIO. Dicendum, quòd omnia hæc quodammodo aperuerunt differenter: quia baptiſmus quoad ſolutionem reatus impedientis & culpæ ex parte noſtra: paſſio autem quoad ſolutionem pretij quod ſtatutum erat ſoluendum ex decreto Patris: reſurrectio autem quoad adeptionem gloriæ in capite, quæ arrha eſt adipiſcendæ gloriæ in membris: ſed aſcenſio quoad ingreſſum in cælum, quæ determinat locum congruum beatitudini. Et per hoc patet ſolutio ad totum. *Solutio.*

AD ALIVD quod vlterius quæritur, Quid vocetur ianua? dicendum, quòd repagulum reatus ex parte noſtra, & ſtatutum debitum ex parte ſtatuti decreti Dei. Alij tamen aliter dicunt, ſed non eſt vis. *Ad quæſtiunculam.*

DISTINCTIO IV.

Quod alij ſuſcipiunt ſacramentum & rem, alij ſacramentum & non rem, alij rem & non ſacramentum.

De baptiſmo per comparationem ad recipientes. HIC dicendum eſt aliquos ſuſcipere ſacramentum & rem ſacramenti, aliquos ſacramentum & non rem, aliquos rem & non ſacramentum. Sacramentum & rem ſimul ſuſcipiunt omnes paruuli, qui in baptiſmo ab originali mundantur peccato: quamuis quidam diffiteantur illis qui perituri ſunt paruulis in baptiſmo dimitti peccata, innitentes illi verbo Auguſtini. Sacramenta in ſolis electis efficiunt quod figurant: non intelligentes illud ita eſſe accipiendum, quia cum in aliis efficiunt ſacramenta remiſſionem, non hoc eis faciunt ad ſalutem, ſed ſolis electis. Nam quod omnibus paruulis in baptiſmo remittatur peccatum per baptiſmum, Auguſtinus euidenter dicit: A paruulo, inquit, recenter nato vſque ad decrepitum ſenem, ſicut nullus prohibetur à baptiſmo, ita nullus eſt qui non peccato moriatur in baptiſmo: ſed paruuli tantum originali, maiores vero etiam omnibus quæ male viuendo addiderunt ad illud quod naſcendo traxerunt, niſi enormitas vitæ impediat, id eſt, fictio. Adulti quoque qui cum fide baptizantur, ſacramentum & rem ſuſcipiunt.

Lib. de baptiſ. paruul. 2.

In ench. c. 43.

DIVISIO TEXTVS.

HIc dicendum eſt aliquos ſuſcipere ſacramentum] Hic agitur de baptiſmo ex parte ſuſcipientis. Et ponitur hic quæſtio triformis, & ſubiunguntur dubia orta ex illis. Prima pars quæſtionis eſt de illis qui ſuſcipiunt rem & ſacramentum. Secunda eſt de his qui ſuſcipiunt ſacramentum & non rem *ibi* [Qui vero ſine fide accedunt] Tertia eſt de his qui ſuſcipiunt rem & non ſacramentum *ibi* [Sunt & alij vt ſupra poſuimus, &c.] Quæſtiones autem ex his conſequentes ſunt quatuor, quarum prima eſt, Quid ſuſcipiunt iam iuſti ad baptiſmum accedentes? quam tractat *ibi* [Solet quæri de illis qui iam ſanctificati, &c.] Secunda eſt, cur pœnalitas non tollitur in baptiſmo, ſicut omnis culpa *ibi* [Cum vero in baptiſmo peccatum deleatur

leatur & satisfactio exterior, &c.] Tertia est, Cuius rei sit baptismus, &c.] Vltima est, Quid paruuli accipiant in baptismo, vtrum gratiam tantum, vel virtutem tantum, vel vtrumque? ibi [Solet autem quæri, si paruulus in baptismo, &c.] Et hæc omnia prolixe determinantur & bene in litera: & ideo quæstiones hic sunt succinctæ.

ARTICVLVS I.

An in paruulis qui recipiunt rem & sacramentum, sit æqualis effectus baptismi?

QVæritur tamen primo circa primam partem quæstionis, Vtrum in paruulis qui recipiunt rem & sacramentum, sit effectus baptismi æqualis? Et videtur quod sic: quia dicit Philosophus, Causa vna eodem modo se habens, facit vnum: sed baptismus est causa vna, & eodem modo se habens: ergo facit vnum.

2 Item, Vna passio Christi operatur in baptismo, siue suscipiatur ab hoc, siue ab illo: ergo videtur, quòd æqualiter.

3 Item, Fides aliena operatur in omnibus paruulis ad iustificationem: ergo videtur, quòd æqualiter.

Sed contra. SED CONTRA hoc videtur esse, quòd secundum naturalia Angeli gratuita etiam differenter acceperint, vt dicit Magister in 2. huius voluminis: ergo videtur, quòd similiter & paruuli: ergo non receperunt æqualem gratiam.

2 Item, Nos videmus cum adolescunt, quòd non æqualiter dispositi sunt ad actus. Cum ergo actus sint ex habitibus, videtur quòd nec habitus æqualiter acceperunt.

3 Item, Quidam accipiunt gratiam finaliter in baptismo: alij autem non, vt præsciti: ergo videtur, quòd inæqualis sit effectus baptismi in omnibus paruulis.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd æqualis est effectus baptismi in omnibus paruulis, vt probant primæ obiectiones: sed non sic se habet in adultis, vt infra probabitur.

AD PRIMVM autem quod contra obiicitur, dicendum quòd non est simile de Angelis: quia illi multorum iudicio secundū differentiam ordinum differunt specie, sed paruuli sunt in specie vna: nec hominibus datur quantitas gratiæ, secundum proportionem naturalium, sed potius secundum modum præparationis, & hic æqualis est cum paruulis, quia non habent præparationem nisi ex merito Christi, & illa æqualiter exhibetur omnibus.

AD ALIVD dicendum, quòd differens vsus est, non ex difformitate habitus, sed potius ex difformitate liberi arbitrij.

AD ALIVD dicendum, quòd finalem habere gratiam, vel secundum præsentem iustitiam non dicunt gratiæ quantitatem, sed qualitatem: & ideo in illo argumento mutatur quid in quale.

De ficte accedentibus.

B QVI vero sine fide vel ficte accedunt, sacramentum, non rem suscipiunt. Vnde Hieron. Sunt lauacra gentilium, hæreticorum: sed non lauant ad salutem. In Ecclesia etiam qui non plena fide accipiunt baptisma, non spiritum, sed aquam suscipiunt. Ad c. 16. Ezech. Augustinus etiam ait, Iudæis omnibus communia erant sacramenta, sed non communis omnibus erat gratia, quæ est virtus sacramentorum: ita & nunc communis est baptismus omnibus baptizatis, sed non virtus baptismi, id est, ipsa gratia: Item, Omnis qui iam suæ voluntatis arbiter constitutus est, cum accedit ad sacramentum fidelium, nisi pœniteat eum veteris vitæ, nouam non potest inchoare. Ab hac pœnitentia, cum baptizantur, soli paruuli immunes sunt. His aliisque testimoniis aperte ostenditur, adultis sine fide & pœnitentia vera in baptismo non conferri gratiam remissionis: quia nec paruulis sine fide aliena, qui propriam habere nequeunt, datur in baptismo remissio. Siquis ergo ficte accedit non habens veram cordis contritionem, sacramentum sine re accipit. Videtur tamen Augustinus dicere, quod etiam ficte accedenti, qui etiam habet odium fraternum, in ipso momento quo baptizatur, omnia condonentur peccata, & post baptismum mox redeant. Sed non hoc asserendo dicit: imo hanc opinionem & præmissam sententiam conferendo: ait enim sic, His qui ficto corde baptizantur, aut peccata nullatenus dimittuntur: quia Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum: aut in ipso temporis puncto per vim sacramenti dimissa, iterum per fictionem replicantur: vt etiam illud verum

Lib. de pœnit. medicina, c. 2. & ponitur de conse. dist. 4. c. Omnis qui.

Lib. 1. de baptis. contra Donatistas c. 11. De cõse. dist. 4. c. Quomodo Deus.

sit,

Gal. 3. Sap. 1. sit, Quotquot in Christo baptizati estis, &c. & illud, Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum: vt induat eum Christum sanctitas baptismi, & exuat eum Christum pernicies fictionis. Nam redire dimissa peccata vbi fraterna charitas non est, aperte Dominus docet Mar. 19. Luc. 18. etiam in illo seruo, à quo Dominus dimissum debitum petiit, quia ille conseruo dimittere noluit. Sic non impeditur baptismi gratia quo minus omnia peccata dimittantur, etiamsi fraternum odium in eius cui dimittuntur, animo perseuerat. Soluitur enim hesternus dies, & & quicquid supereſt: & soluitur etiam ipsa hora momentumque ante baptismum, & in baptismo. Deinceps autem continuo reus incipit esse non solum consequentium, sed etiam præteritorum dierum, horarum, momentorum, redeuntibus omnibus quæ dimissa In initio cap. 12. De cõse. dist. 4. c. Ostenditur illos. sunt. Hoc autem vt prædiximus, non sub assertione dixit: quod ostenditur ex eo quod ait in eodem libro sic, Si ad baptismum fictus accedit, dimissa sunt ei peccata, aut non sunt dimissa: eligant quod voluerint. Ecce aperte cernis, si tamen attendis, id dixisse Augustinum non asserendo, sed quærendo, & aliorum opinionem referendo. Idem enim ait, Tunc valere incipit ad salutem baptismus, cum illa fictio veraci confessione recesserit: quæ corde in malitia perseuerante, peccatorum ablutionem non sinebat fieri. Non ergo ficte accedenti peccata dimittuntur.

ARTICVLVS II.

Quid sit fictio?

DEinde quæritur de secundo quod tangit *ibi* [Qui vero sine fide vel ficte accedunt, &c.] Et hic quæruntur tria, quorum primum est, Quid sit fictio? Secundo, Qualiter impedit baptismum? Tertio, Qualiter redit effectus baptismi cessante fictione?

AD PRIMVM proceditur sic: Fictus est (vt dicit Augustinus) qui non credit, vel indeuotus accedit, vel qui aliter celebrat sacramentum quam institutum est, vel qui contemnit suscipere: qui autem non credit, ille non se subiicit sacramento: ergo videtur, quòd ille non suscipit.

2 Item, Baptismus est sacramentum fidei: ergo videtur, quòd contrarium fidei sit contrarium sacramento: sed discredentia est contraria fidei: ergo contrariatur sacramento: ergo nihil suscipit qui non credit.

3 Item, Cum multi sint articuli fidei, potest aliquis non credere vnum, & credere alium: vt non credens resurrectionem, potest credere baptismum: & quæritur, Vtrum ille suscipiat baptismum? Et videtur, quòd sic: quia iste intendit suscipere quod exhibet Ecclesia: ergo videtur, quod suscipiet illud.

Sed contra. SED CONTRA: Sapient. 1. Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum: ergo Spiritus sanctus nihil operatur in baptismo: ergo nihil suscipit.

Quæstiũcula 1. VLTERIVS quæritur de secundo modo, qui dicitur indeuotio. Deuotio enim est quidam feruor animi in compunctione peccatorum, vel amore charitatis, vt dicit Ambrosius super epistolam ad Roman. sed multi sunt qui non ita accedunt ad baptismum: ergo videtur, quòd multi sunt qui non habent affectum mortalis peccati, qui tamen ficti sunt: & hoc nullus dicit.

Quæst. 2. VLTERIVS quæritur de tertio modo ficto: qui enim aliter celebrat, non seruat formam sacramenti: ergo non recipit sacramentum: & in contrarium eius dicitur in litera.

2 Item, Qui contemnit suscipere, non videtur proprie dici fictus, sed aperte malus: quia fictus simulat ad minus.

Quæst. 3. VLTERIVS quæritur de numero harum fictionum.

Solutio. SOLVTIO. Ad hoc vltimum primum respondeo, quòd quadruplex fictio colligitur à dictis Augustin. tamen triplex fictio ponitur præcipue in suscipiente sacramentum Eucharistiæ, sed per simile etiam est in suscipiente baptismum: & illa est aut ex parte dantis sacramentum, aut ex parte suscipientis. Vel aliter & melius, aut ex parte ritus siue actus sacramenti, aut ex parte operis operati quod facit Ecclesia. Si primo modo, tunc est qui aliter suscipit quam Ecclesia exercet ritum, & hoc intelligo de eo qui deridet ritum Ecclesiæ, & tamen intendit accipere quod facit Ecclesia, licet derideat: ille enim percipit sacramentum. Si autem ex parte operis operati: tunc aut est secundum rationem, & tunc non est non credens: aut secundum concupiscibilem, & tunc est indeuotus: aut ex parte irascibilis, & tunc est contemnens.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd est non credens, volens tamen suscipere idipsum secundum quod videt facere Ecclesiam: & ille est de quo loquitur Magister in litera, quòd suscipit sacramentam quoad characteris impressionem: si autem auerteret eum infidelitas vt nollet suscipe-

re

re nec susciperet, tunc non esset dubium, quòd nihil susciperet.

Ad aliud dicendum, quòd baptismus est sacramentum fidei quoad hoc quod est fundamẽtum sacramentorum, sicut fides ædificij spiritualis in vita. Sed quod contrariatur fidei dum modo intendat suscipere quod facit Ecclesia, non contrariatur nisi gratiæ sacramentali, & non characteri: & ideo suscipitur character.

Ad aliud dicendum, quòd discredulitas omnium articulorum impedit rem sacramenti, & si omnes simul discredat, & tamen velit suscipere id secundum quod nihil credit facere Ecclesiam, ipse suscipit characterem.

Ad quæstiunculam 1. Ad id quod quæritur de secunda fictione, dicendum quòd indeuotus hic dicitur à priuatione habitus deuotionis, & hoc est quando est in statu & effectu mortalis peccati: quia talis non recipit nisi characterem.

Ad quæstiunculam 2. Ad aliud dicendum, quòd qui aliter celebrat, si non seruat formam, nihil exhibet: sed hic principaliter accipitur ex parte suscipientis, qui scilicet susceperit aliter quam Ecclesiæ ritus sit, suscipit enim pro quadam abusione, tamen hoc ipsum abusiuum intendit suscipere, propter efficaciam sacramenti dicitur recipere characterem.

Ad aliud dicendum, quòd est contemptus abiiciens opus, & est contemptus vilipendens tanquam vile, quod tamen facere intendit. Et primus quidem nihil suscipit, quia sacramento se non subdit: secundus autem suscipit characterem.

ARTICVLVS III.

An fictio posit impedire baptismum?

Secundo quęritur, Qualiter impedit baptismum? Videtur enim, quòd non possit impedire: fortius enim non impeditur à minus forti: gratia autem sacramentalis fortior est fictione, & omni peccato: ergo videtur, quòd impedire non debeat, nec possit.

2 Præterea, Si peccatum impedit: tunc etiam peccatum originale in paruulis videtur impedire posse: & hoc non est verum.

3 Item, Peccata quædam venialia sunt in adultis non baptizatis. Ponamus ergo, quòd adultus aliquis nimis diligens vxorem, vel paruulos, & plus quam Deum, & tamen baptizetur: constat quòd ille amorem illum in baptismo non amittat, nec deponat: ergo peccatum manet: ergo videtur esse fictus: quia Deus aut nihil, aut totum indulget.

Solutio. Solvtio. Dicendum, quòd fictio impedit ex eo quod ponit obicem Spiritui sancto per dissensum actualem voluntatis ad effectum sacramenti: vult enim aliquid quod non potest stare cum gratia sacramentali.

Ad primvm ergo dicendum, quòd peccatum de se est debile, sed cum voluntate retinente gratiæ efficitur forte ad impediendum gratiam: quia qui creauit te sine te, non iusticabit te sine te: non enim vult malitiam Deus, vt dicit Damasc. nec compellit virtutem, quia iam sorderet laus boni, si etiam contra voluntatem daretur.

Ad aliud dicendum, quòd in paruulis non est voluntas renitens, quin potius est ibi præparatio meriti Christi contra peccatum alienum, vt prius dictum est.

Ad aliud dicendum, quòd nihil prohibet propter adhærentiam venialis veniale peccatum manere: quia hoc non facit fictionem: quia nec in eadem parte est cum gratia, nec etiam gratiæ contrariatur: & ideo tota venia habetur, & tota sanctitas etiam non habita remissione venialis.

ARTICVLVS IV.

Qualiter redeat effectus baptismi cessante fictione?

Tertio quæritur, Qualiter redit effectus baptismi cessante fictione? Quia videtur, quòd non redeat: opera enim mortua non viuificantur: opera autem in mortali peccato facta, sunt mortua: ergo non viuificantur: baptismus autem huiusmodi est in mortali peccato factus: ergo non redit baptismi effectus, sed iterum debet baptizari.

2 Si dicas, quòd in ficto imprimitur character, & gratia illius non debet baptizari. Videtur, quòd non imprimitur: quia Spiritus disciplinæ effugiet fictum: ergo non imprimit ei quicquam: ergo nec characterem.

3 Præterea, Character est lumen spirituale, vt infra habebitur, & lumen spirituale non potest stare cum spirituali tenebra: peccatum autem vt dicit Damasc. est tenebra spiritualis: ergo videtur, quòd ficto character imprimi non possit.

4 Item, Gratia sacramentalis est effecta à sacramento baptismi: sed quando non est, non efficitur: ergo non efficitur quin iste fictus baptizatur. Similiter videtur, quòd nec postea efficitur: quãdo enim non est causa, tunc nihil efficit causa: postea autem non est baptismus, quia iã transiit: ergo non efficit postea: ergo non efficitur vnquam à baptismo gratia illa: ergo non redit.

5 Item, Non redit quod nunquam affuit: sed isti ficto nunquam affuit gratia: ergo non redit ei postea cessante fictione.

6 Item, Ponamus, qnòd iste fictus inter baptismum suum, & ante pœnitentiam, multa committat peccata, & postea pœniteat de fictione: aut illa peccata remittuntur sine gemitu exteriori & planctu, aut non? Si sic: ergo peccatum actuale commissum post baptismum remittitur sine exteriori satisfactione, quod non dicitur à Doctoribus. Si non remittitur: ergo gratia baptismi non delet quicquid inuenit.

7 Præterea, Causa debet esse coniuncta effectui: sed gratia delens peccatum est effectus baptismatis: ergo debet esse coniuncta cum ipso: & hoc non est in talibus: ergo videtur, quòd necesse sit iterum baptizari. Si forte dicatur, quòd manet character, & ille est causa gratiæ in talibus: istud non videtur esse verum, quia character æqualiter est in bonis & in malis: ergo non est magis causa boni quam mali: quia causa per se boni non potest esse cũ malo, sicut nec bonũ: & causa mali per se & formaliter, non potest esse cũ bono, sicut nec malũ.

Solutio. Solvtio. Dicendum ad primum, quòd fictus recipit characterem: & aliter est de opere hominis, & aliter de opere Dei: opus enim hominis

nis potest per hominem esse mortuum & mortificatum, & hoc est quod procedit à libero arbitrio: opus autem Dei non potest esse mortuum, & hoc est sacramentum, in quo, sicut infra distin. 13. habebitur, diuina virtus sub tegumento visibilium specierum in baptismo salutem operatur: & ideo non tenet ista obiectio de sacramentis. Sed fictus ponit obicem siue repagulum gratiæ ne in eo fiat.

AD ALIVD dicendum, quòd Spiritus sanctus inquantum sanctus, effugiet fictum, quia non operatur in eo sanctitatem, sed non inquantum est spiritus operans in sacramentis.

AD ALIVD dicendum, quòd character lumen est spirituale ex parte imaginis creatæ distinguens fidelem ab infideli secundum fidei statum, vt infra dicemus in quæstione de charactere, distin. 6. sed illud lumen non habet contrarietatem ad peccatum, sicut nec lumen fidei informis: nec hoc ideo dicitur, quòd sit fides informis, sed est splendor quidam procedens à charactere increato in imaginem creatam, ad distinctionem baptizati à non baptizato: & ideo potest saluari cum peccato.

AD ALIVD dicendum, quòd baptismus manet in ficto per mansionem characteris, qui vocatur proprie sacramentum: & ideo non habens obstaculum operatur gratiam, eo modo quo ipsum est causa, scilicet disponens, & Deus tunc effieit gratiam in isto: vnde hæc fuit falsa, quòd baptismus transiit, quia mansit vt est character.

AD ALIVD dicendum, quòd effectus non dicitur redire: sed dicitur in litera, quòd baptismus ex eo tempore incipit valere, quod recedit fictio. Si tamen redire dicatur, tunc dicendum est, quòd prius affuit in causa disponente, licet non in se.

AD ALIVD dicendum, quòd virtute baptismatis non delentur in isto nisi quæ vsque ad horam baptismi commiserit: sed virtute pœnitentiæ delentur sequentia: & ideo pro istis debet recipere pœnitentiam exteriorem. Et quod dicitur, quòd baptismus delet quicquid inuenit, bene exponitur ab Augustin. in litera: quia deletur ibi externus dies, & ipsa hora ante baptismum, sed non ea quæ fiunt post, sed potius virtute contritionis & pœnitentiæ: quia non potest dimidia venia à Deo accipi: vt homo habeat gratiam simul, & culpam: & simul habitet in eo Deus, & diabolus.

AD VLTIMVM dicendum, quòd baptismus vt est causa gratiæ, manet in charactere. Et quod obiicitur de mansione causæ, dicendum quòd hoc est verum de causa formali: sed baptismus est causa disponens tantum, quæ tamen necessario inducit effectum, nisi à contraria voluntate impediatur.

Quomodo intelligatur illud, Quotquot in Christo baptizati estis Christum induistis?

Gal. 3. QVÆRITVR ergo quomodo illud accipiatur, Quotquot in Christo baptizati estis, Christum induistis? Potest dici, quòd qui in Christo, id est, in Christi conformitate baptizantur, scilicet vt moriantur vetustati peccati, sicut Rom. 6. Christus vetustati pœnæ: induunt Christum, quem per gratiam in Ephes. 4. habitatem habent. Potest & aliter solui. Duobus enim modis Chrstum induere dicimur, vel assumptione sacramenti, vel rei perceptione. Lib. 5. de bapt. contra Donatistas c. 24. Vnde Augustinus. Induunt homines Christum aliquando vsque ad sacramenti perceptionem, aliquando vsque ad vitæ sanctificationem: atque illud primum bonis & malis potest esse commune, hoc autem est proprium bonorum & piorum. Omnes ergo qui in Christi nomine baptizantur, Christum induunt, vel secundum sacramenti perceptionem, vel secundum vitæ sanctificationem.

ARTICVLVS V.

An verum sit illud dictum Apostoli, Quotquot baptizati estis, Christum induistis?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Quæritur ergo quomodo illud accipiatur, &c.] Christus enim non habetur vt indumentum nisi per habitum virtutis: ergo videtur, quòd tales accipiunt habitum virtutis. Item non induitur Christus nisi per nouum hominem, sicut videtur Ephes. 4. dicere Apostolus dicens, Induite nouum hominem, qui secundum Deum creatus est in iustitia & sanctitate veritatis. Fictus autem non innouatur. Ergo non induit Christum.

2 Item, Secundum ea quæ dicit in litera, tunc character est sacramentum: ergo est inuisibilis gratiæ visibilis forma: & hoc patet esse falsum, quia character non est sensibilis, neque visibilis. Si dicas, quod videtur à glorificatis & beatis: hoc nihil est: quia secundum hoc etiam gratia est visibilis, quia videtur ab eis.

3 Si dicas, quòd in alio videtur, hoc est, in tinctione facta in aqua: hoc nihil videtur esse: si enim aliquid in alio videtur, illo non existente in quo videtur, id quod videbatur in ipso, non videbitur: sed character non nisi in tinctione videtur:

ergo

ergo non existente tinctione, nullo modo videbitur: sed cessante tinctione non est tinctio: ergo tunc nulla est in isto visibilis forma : ergo nullum sacramentum.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quod licet character secundum nomen sit in prædicamento relationis, sicut signum distinguens : tamen secundum id quod est, est habitus cuiusdam luminis illustrãtis imaginem per modum dispositionis non omnino sufficienter ad salutem: & ille dicetur hic habitus, quo habetur sacramentum, & in eo secundum quid induitur Christus, & non simpliciter: & ideo etiam litera non dicit, quod simpliciter induunt Christum, sed cum hac determinatione, vsque ad sacramenti susceptionem. Per hoc patet solutio ad sequens : quia Apostolus loquitur de simpliciter induentibus Christum.

AD ALIVD dicendum, quod character est sacramentum, & est visibilis in tinctione.

AD HOC quod obiicitur contra, dicendum quod licet tinctionis actus exercitus transeat, tamen secundum suscepisse non transit, sicut quando de præterito ex præteritione sua non præterit: & ad illam tinctionem refertur visibilitas characteris : quia illa tinctio visibilis fuit in exercitio sui, & reliquit cognoscibilitatem characteris in ipsa sic peracta.

De illis qui suscipiunt rem, & non sacramentum.

SVNT & alij, supra posuimus, qui suscipiunt rem, & non sacramentum. Qui enim effundunt sanguinem pro nomine Iesu, etsi non sacramentum, rem tamen accipiunt. Vnde Augustinus. Quicunque non percepto regenerationis lauacro pro confessione Christi moriuntur, tantum eis valet ad dimittenda peccata, quantum si abluerent sacro fonte baptismi. Audistis quòd passio pro Christi nomine suscepta, supplet vicem baptismi. Nec tantum passio vicem baptismi implet, sed etiam fides & contritio, vbi necessitas excludit sacramentum : sicut aperte docet Augustinus dicens baptismi vicem aliquando implere passionem. De latrone illo cui non baptizato dictum est, Hodie mecum eris in paradiso, Beatus Cyprianus in libro 4. de baptismo non leue documentum assumit. Quod etiam atque etiam ego considerans, inuenio, non tantum passionem pro nomine Christi id quod baptismo deerat posse supplere, sed etiam fidem conuersionemque cordis, si forte ad celebrandum mysterium baptismi in angustiis temporum succurri non potest. Neque enim ille latro pro nomine Christi crucifixus, est, sed pro meritis facinorum suorum : nec quia credidit passus est, sed dum patitur credit. Quantum ergo fides valeat, sine visibilis baptismi sacramento, quod Apostolus ait, Corde creditur ad iustitiam, ore autem confessio fit ad salutem : in illo latrone declaratum est: sed tunc impletur inuisibiliter, cum mysterium baptismi, non contemptus religionis, sed articulus necessitatis excludit. Et baptismus quidem potest esse vbi conuersio cordis defuerit : conuersio autem cordis potest quidem inesse non percepto baptismo, sed contempto baptismo non potest : nec vllo modo dicenda est conuersio cordis ad Deum, cum Dei sacramentum contemnitur. Ecce hic habes non solum passionem, sed etiam fidem & contritionem conferre remissionem, vbi non contemnitur sacramentum : vt in latrone illo ostenditur, qui non per passionem, sed per fidem saluatus est sine baptimo. Sed dicunt quidam hoc retractasse Augustinum. Retractauit quidem exemplum, sed non sententiam. Ait enim in 4. lib. Cum dicerem vicem baptismi posse habere passionem, non satis idoneum posui illius latronis exemplum : quia vtrum non fuerit baptizatus, incertum est. Constat ergo baptismo aliquos iustificari & saluari. Vnde de Valentinia-

D

Lib.13. de Trin. cap.7.

Lib.4. de bapt. contra Donatistas c.22. De cons. dist.4. c. Baptismi vicem. Luc. 24.

Rom.1.

Lib.ret. cap.18.

Lib.de obitu Valentiniani.

no.Ventrem meum doleo,vt prophetico vtar eloquio:quia quem regeneraturus eram, amiſi: veruntamen gratiam quam ille popoſcit, non amiſit.

ARTICVLVS VI.

An baptiſmus ſanguinis & pœnitentiæ ſuppleat vicem baptiſmi qui fit in aqua?

DEinde quæritur de tertia parte primæ quæſtionis *ibi* [Sunt & alij vt ſupra poſuimus, &c.] Et ibi quæruntur diſtincti modi baptiſmatum, quos tangit Magiſter: quia ſi baptiſmus ſanguinis ſupplet totum baptiſma, tunc videtur, quòd imprimat characterem. Et eadem obiectio eſt de baptiſmo pœnitentiæ:ſed hoc non faciunt: ergo ſunt imperfectioris effectus quam baptiſmus aquæ.

2 Sed contra hoc videtur eſſe quod dicit Damaſc. quòd baptiſmus ſanguinis eſt valde bonus, eo quod ſecundis ſordibus non coinquinatur.

3 Item, Pœnitentia in iam adulto exigitur ante baptiſmum aquæ,& tamen tenetur ad baptiſmum:ergo videtur, quòd non poteſt ſupplere locum ipſius.

4 Præterea,Si ſupplerent iſta locum baptiſmatis, oporteret quòd aliquid haberent ſimile illi:& quid eſt illud? Si dicatur, quòd gratia remittens peccatum:hoc nihil eſt:quia ſecundum hoc quælibet virtus ſuppleret locum baptiſmi:nihil autem aliud inuenitur in quo aſſimilentur, vt videtur: ergo non ſupplent locum baptiſmi.

5 Item,Ioan. Damaſc. non ponit tantum tria genera baptiſmatum, ſed nouem, ſcilicet baptiſmum diluuij quo baptizatus eſt mundus, & baptiſmum maris rubri, de quo dicit Apoſtolus.Patres noſtri omnes ſub nube fuerunt, & omnes mare rubrum tranſierunt,& omnes in Moyſe baptizati ſunt & in nube & in mari. Tertius eſt baptiſmus luſtrationis in Veteri Teſtamento.Quartus, baptiſmus Ioannis. Quintus, baptiſmus quo Dominus baptizatus eſt. Sextus, baptiſmus Chriſti quo nos baptizamur.Septimus,baptiſmus in Spiritu ſancto & igne, de quo dixit Dominus diſcipulis, Vos autem baptizabimini in Spiritu ſancto & igne, non poſt multos hos dies. Octauus, baptiſmus pœnitentiæ. Nonus, baptiſmus ſanguinis. Quare igitur Magiſter tangit hic tantum tria genera baptiſmatum?

1.Cor. 10.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd Magiſter non tangit hic baptiſmata niſi ſimilia baptiſmo noſtro in effectu principali, qui eſt remiſſio peccati: & illa non ſunt niſi duo, ſcilicet pœnitentia, vbi articulus neceſſitatis, non contemptus religionis ſacramentum excludit: & effuſio ſanguinis, vbi etiam aqua baptiſmi, impediente tyranno, haberi non poteſt.

AD ID ergo quod primo obiicitur,dicendum, quòd non imprimunt characterem, quia character eſt pars ſacramenti: ſed effectum totum ſupplent, ſed ea quæ ſunt de ſacramento non exhibent: & ita intelliguntur auctoritates inductæ in litera.

AD ALIVD dicendum, quòd baptiſmus ſanguinis in hoc melior eſt, quod non inquinatur ſecundis ſordibus,& quia adducit meritum aureolæ,& quia radit falce acerbitatis venialium adhærentiam:quorũ nullum neceſſario facit baptiſmus aquæ:ſed non in hoc quod imprimit characterem, quia ille debetur inuocationi trinæ benedictionis in elemento aquæ.

AD ALIVD dicendum, quòd illa pœnitentia non exgitur propter baptiſmi imperfectionem, ſed potius vt tollatur fictio ab eo qui vult baptizari ne ponat obicem Spiritui ſancto.

AD ALIVD dicendum, quòd reſumenda eſt quædam auctoritas Auguſt. ſupra notata, per quam probat, quod quicquid ante & poſt baptiſmum culparum remittitur, totum fit virtute baptiſmi: & ideo pœnitentia non ſupplet vicem baptiſmi, niſi inquantum baptiſmus eſt in propoſito:& ſimiliter martyrium, & hoc eſt quod dicit in litera, vbi ſacramentum articulus neceſſitatis, non contemptus religionis excludit. Et per illud propoſitum non tantum efficitur ſimile, ſed idem operans differenter:quia in baptiſmo aquæ per ſe, in baptiſmo autem pœnitentiæ & ſanguinis operatur in propoſito,inquantum eſt in ipſo qui moritur præuentus neceſſitate mortis naturalis vel martyrij.

AD DIVISIONEM Ioannis Damaſc. dicendum quòd Magiſter non ponit hic niſi illa quæ accedunt ad ſimilitudinem baptiſmi ex parte cauſalitatis: & illa non ſunt niſi duo directe, & vnum quod accedit ad ipſum, inquantum eſt diminutiuum pœnæ quæ eſt infirmitas & pronitas concupiſcentiæ, quod eſt baptiſmus in igne & Spiritu ſancto, quando ſublata eſt ab Apoſtolis infirmitas & carnalitas: ſed Magiſter non tangit hoc, quia hoc potius eſt confirmationis quam baptiſmus.

Quæſtiũcula. SI AVTEM quæritur de ſufficientia diuiſionis Damaſc. dicendum quòd octo genera baptiſmatum ſumuntur ſecundum acceſſum propinquiorem vel remotiorem ad nouum, quod eſt baptiſma verum. Poſſunt autem accedere aut à parte ſigni,aut à parte cauſæ: quia verum baptiſma eſt ſignum & cauſa. Si eſt ex parte ſigni: aut illud ſignum eſt reſpectu aquæ tantum, & eſt baptiſmus diluuij: aut reſpectu aquæ & Spiritus & ſic eſt baptiſmus maris rubri, propter columnam ignis & nubis quæ Spiritum ſignificat: vnde etiam dicit Apoſtolus, quod in nube & in mari baptizati ſunt: aut ex parte aquæ & Spiritus & paſſionis operantis in ſacramento baptiſmatis, & ſic ſignum fuit baptiſma luſtrationis in veteri lege, in quo fuit aqua & cinis per ignem hoſtiæ quoad ſpiritum, & ſanguis immixtus propter figuram paſſionis. Aut accedit ex parte aquæ,ſpiritus,paſſionis,& actus: & ſic eſt baptiſmus Ioannis, in quo fuit forma in nomine venturi, præſignans Spiritum,& patientem,& aquam, & actum immerſionis. Aut poterat ponere ſignum ad formam & virtutem regeneratiuam ex parte materiæ, & ſic ſignum fuit baptiſma quo baptizatus eſt Dominus, vbi Trinitas apparuit in figura formæ,& vis regeneratiua collata eſt aquis.

Solutio.

1.Cor. 10.

Nec

Nec plura sunt in vero baptismo ex parte signi nisi aqua, passio, Spiritus operans, & actus, & vis regenerans, & forma: & ideo non sunt plura genera accedentia ad ipsum in ratione significandi. In ratione autem causandi est accessus vel ex parte diminutionis pœnæ, & sic accedit baptismus in Spiritu sancto & igni, quo baptizati sunt Apostoli in die Pentecostes: aut ex parte remissionis culpæ, & sic accedit baptismus pœnitentiæ & sanguinis: & hæc omnia iterũ colligit verum baptisma: quia remittit culpam totam, & partem pœnæ infirmitatis & pronitatis. Alibi autem de hoc plura quæsita inueniuntur, quæ hic ponere non oportuit.

ARTICVLVS VII.

An latro in cruce fuit martyr, & baptizatus baptismo sanguinis?

DEinde quæritur de hoc quod dicitur *ibi* [De latrone illo cui non baptizato dictum est, &c.] Videtur enim, quòd iste latro fuit martyr, & sic baptizatus sit baptismo sanguinis, non contritionis & fidei in pœnitentia. Dicit enim sic Hier. Christus de cruce latronem in paradisum intulit: & ne quis aliquando seram putaret conuersionem, fecit homicidij pœnam martyrium.

2 Item, Actus martyrij est pœna mortis illatæ in charitate Christi: sic autem patiebatur latro: ergo fuit martyr.

3 Item, Innocentes reputantur martyres propter actum sine voluntate: ergo multo magis latro martyr reputabitur, qui & actum habuit & voluntatem.

SED CONTRA hoc est, quod communiter dicitur, quòd causa facit martyrem non pœna: latro autem causam mortis martyris non habuit, sed latronis. *Sed contra.*

2 Item, Petrus, Si tanquam malefactores patimini, quam gloriam habebitis? Quasi diceret, Nullam. Ergo videtur, quòd martyr non fuerit.

SOLVTIO. Dicendum, quòd in rei veritate martyr non fuit: & quod dicit Hieron. primo est intelligendum quoad effectum quendam martyrij, scilicet quoad deletionem reatus culpæ: quia pœna temporalis informata charitate & fidei confessione deleuit sibi pœnam illam, quam iam pati debuit pro culpis suis: non tamen contulit cumulum gloriæ in aureola quam habet martyr. *Solutio.*

AD ALIVD dicendum, quòd actus martyrij est vnus in latrone & martyre: sed ille non facit martyrem, vt patet in obiiciendo.

AD ALIVD dicendum, quòd in infantibus cum actu fuit causa: quia in eis quærebatur Christus, & causa facit totam rationem martyrij, licet non facit totam gloriam martyris: quia charitas patientis & deuotio faciunt ad cumulum gloriæ patientis.

Quæ videntur obuiare prædictis.

HIS autem videtur obuiare quod Dominus dicit, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum cælorum: quod si generaliter verum est, non videntur esse vera superius posita. Sed illud intelligendum est de illis qui possunt & contemnunt baptizari. Vel ita intelligendum est, Nisi quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, id est, ex ea regeneratione quæ fit per aquam & Spiritum sanctum, non saluabitur. Illa autem regeneratio fit non tantum per baptismum, sed etiam per pœnitentiam & sanguinem. Vnde auctoriras dicit ideo Apostolum pluraliter dixisse fundamentum baptismatum, quia est baptismus in aqua, in sanguine, in pœnitentia. Hoc autem non ideo dicit, quod sacramentum baptismi fiat non nisi in aqua: sed quia ipsius virtus, id est, sanctificatio datur non modo per aquam, sed per sanguinem vel pœnitentiam interius. Ratio etiam id suadet. Si enim non valentibus credere paruulis sufficit baptismus, multo magis sufficit fides adultis volentibus, sed non valentibus baptizari. Vnde Augustus. Quæris quid sit maius, fides an aqua? non dubito quin respondeas fides. Si ergo quod minus est sanctificare potest, nonne quod maius est, id est, fides? de qua Christus ait, Qui crediderit in me, etiamsi mortuus fuerit, viuet. Sed dicunt aliqui nullum adultum in Christum credere vel charitatem habere sine baptismo, nisi sanguinem fundat pro Domino, subdita introducentes testimonia. Augustinus ait, Ex illo tempore quo saluator dixit, Nisi quis renatus fuerit, &c. absque sacramento baptismi, præter eos qui

E Ioan. 3.

Glos. super epistolã ad Hebr. 6.

De vnico baptismo.

Ioan. 11.

Lib. de fide ad Petrum. Ioan. 3.

in Eccleſia ſanguinem fundunt aliquis vitam æternam accipere non po-
In Eccleſiaſticis dogmatibus cap. 44. teſt. Item, Nullum cathecumenum quamuis in bonis operibus defunctum, vitam æternam habere credimus, excepto martyrio, vbi tota ſacramenta baptiſmi complentur. Item, Baptizatis iter tantum ſalutis eſſe credimus. Sed quod in his minus dixit, in aliis capitulis ſupra poſitis ſuppleuit. Et ideo hæc ſic intelligenda ſunt, vt illi ſoli habentes tempus baptizandi excipiantur. Si enim aliquis habens fidem & charitatem voluerit baptizari, & non valet neceſſitate præuentus, ſupplet omnipotentis benignitas quod ſacramento defuerat. Dum enim ſoluere poteſt, niſi ſoluat, tenetur: ſed cum iam non poteſt & tamen vult, non imputat ei Deus qui ſuam potentiam ſacramentis non alligauit. Quod vero inuiſibilis ſanctificatio ſine viſibili ſacramento quibuſdam inſit, aperte Auguſt. tradit ſuper Leuitic. dicens inuiſibilem ſanctificationem quibuſdam affuiſſe & profuiſſe ſine viſibilibus ſacramentis. Viſibilem vero ſanctificationem quæ fit ſacramento viſibili ſine inuiſibili, poſſe adeſſe, non poſſe prodeſſe: nec tamen viſibile ſacramentum ideo contemnendum eſt, quia contemptor eius inuiſibiliter ſanctificari non poteſt. Hinc Cornelius & qui cum eo erant, iam Spiritu ſanctificati baptizati ſunt. Nec ſuperflua iudicanda eſt ſanctificatio viſibilis, quia inuiſibilis præceſſit. Sine viſibili ergo inuiſibilis ſanctificatio eſſe poteſt & prodeſſe: viſibilis autem quæ fit ſacramento tenus, ſine inuiſibili prodeſſe non poteſt, cum illa ſit omnis illius vtilitas. Simoni mago viſibilis baptiſmus non profuit, quia inuiſibilis non affuit: ſed quibus inuiſibilis affuit, profuit: nec tantum valet fides aliena paruulo, quantum propria adulto. Paruulis enim non ſufficit fides Eccleſiæ ſine ſacramento: quia ſi abſque baptiſmo fuerint defuncti, etiam cum deferuntur ad baptiſmum, damnabuntur, ſicut multis ſanctorum auctoritatibus comprobatur. Ad quod hoc vnum ſufficiat. Auguſtinus, Firmiſſime tene paruulos qui vel in vteris matrum viuere incipiunt & ibi moriuntur, vel de matribus nati ſine ſacramento baptiſmi de hoc ſeculo tranſeunt, æterno ſupplicio puniendos: quia etſi propriæ actionis peccata non habuerunt, originale tamen peccatum traxerunt carnali concupiſcentiæ conceptione. Et ſicut paruuli qui ſine baptiſmo moriuntur, infidelium aſcribuntur numero: ita qui baptizantur, fideles dicuntur: qui à fidelium conſortio non ſeparantur, cum orat Eccleſia pro fidelibus defunctis. Fideles ergo ſunt non propter virtutem, ſed fidei ſacramentum. Vnde Auguſt. Paruuluum etſi nondum fides illa quæ etiam in credentium voluntate conſiſtit, iam tamen fidei ipſius ſacramentum, id eſt, baptiſmus, fidelem facit: ſicut credere reſpondetur, ita etiam fidelis vocatur, non rem ipſam mente annuendo, ſed ipſius rei percipiendo ſacramentum.

Super Leuit. q. 88.

Act. 10.

Act. 8.

Lib. de fide ad Petrum, & habetur de conſe. diſt. 4. cap. Firmiſſime.

Epiſt. 23. ad Bonifacium.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum paruuli in qui in vtero matris moriuntur, vel nati ſine baptiſmo diſcedunt, æterno ſupplicio, vel ſenſibili puniantur, aut pœna damni tantum?

DEinde quæritur de hoc quòd dicitur *ibi* [Firmiſſime tene paruulos, &c.] Ex his verbis videtur innui, quòd paruuli ſenſibilibus pœnis patiuntur: quia non vocatur ſupplicium niſi pœna ſenſibilis. Hoc etiam alia ratione videtur: omnis enim peccccati deformitas corrigitur per pœnam à iuſtitia iudicis: quia aliter peccatum remaneret inordinatum in natura: ſed fœditas peccati ſentitur in corpore paruulorum, & in anima, quia caro reſperſa eſt concupiſcentia quæ paruulum facit concupiſcibilem, & adultum

concu

concupiscentem, vt dicit August. ergo videtur, quòd sensibili pœna debeat puniri.

3 Item, Ignis purgabit mundum propter infectionem peccati: & si mundus in elementis haberet sensum, sensibiliter puniretur: ergo videtur, quòd multo magis corpora infantum infecta peccato, igne debent puniri, & etiam animæ.

Sed contra. SED CONTRA: Peccatum quod omnino præter voluntatem propriam contractum est, & quod necesse fuit incidere, nec euitari poterat, maximam meretur innocentiam: tale autem est peccatum paruulorum: ergo maximam meretur innocentiam: ergo non debet sensibili pœna puniri.

2 Item, Inuoluntarium per ignorantiam facti & per violentiam inuincibilem, meretur innocentiam, cum tamen in illo aliquo modo non volens sit faciens: sed in originali est inuoluntarium & impotentia, & nulla concomitantia cum actu: ergo debet multo plus excusari: ergo non debet aliqua pœna sensibili puniri.

3 Item, Augustinus dicit, quòd magis volunt sic esse quam non esse: constat autem quod illi qui sensibilibus pœnis æternaliter damnati sunt, optant mortem, & mors fugit ab eis: ergo videtur, quòd sensibiles pœnas non patiuntur.

Solutio. QVOD CONCEDIMVS dicentes, quòd non patiuntur nisi pœnam damni. Distinxerunt enim antiqui & bene inter pœnam damni, & pœnam sensus, dicentes quòd pœna damni est in ablatione alicuius, quod debetur nobis per ordinem naturæ, sicut est carentia visionis Dei, & carentia felicitatis æternæ: pœna autem sensus est, qua sentitur dolor contrarius ex aliquo afflictiuo, vt vstio ignis, vel constrictio frigoris, vel huiusmodi, quales pœnæ erunt in inferno.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd Augustinus improprie loquitur, vocans supplicium pœnam damni.

AD ALIVD dicendum, quòd malum illud in corpore punitur per necessitatem & amaritudinem mortis & incinerationem, & non per pœnam sequentem, nisi adsit reatus pœnalis, non naturalis tantum.

AD ALIVD dicendum, quòd ignis ille eremabit rubiginem actualis peccati inficientis elementa: quia paradisus in quo factum est originale, mundatus fuit per eiectionem peccatorum.

SED ADHVC obiicitur. Constat enim, quòd sciunt sibi ablatum esse regnum æternum propter peccatum originale: aut ergo dolent de amissione, aut non dolent. Si non dolent, ergo videtur, quòd stulti sunt & in malitia obstinati. Si dolent: ergo actualem habent pœnam.

2 Item, Aut vermis remordet eos, aut non. Si non: ergo non remurmurant contra omne peccatum. Si sic: cum ergo corrosio vermis sit quædam actualis pœna, videntur puniri sensibiliter & actualiter.

Et ad hoc dicendum, quòd sciunt se priuatos esse regno, sed sine culpa propria & ideo excusant se intrinsecus, & vellent habere regnum: sed illa voluntas non inducit angorem propter causam amissionis: eo quod non est propria, sed aliena cum excusatione sufficienti.

AD ALIVD dicundum, quòd vermis nunquam remordet de hoc quod non est ex propria culpa factum, sed potius ex culpa aliena cum seueritate decreti Dei: & ideo illa obiectio fundatur super falsum.

ARTICVLVS IX.

An orandum sit pro paruulis?

DEinde quæritur de hoc quod dicit ibi [A fidelium consortio non separantur, cum orat Ecclesia pro fidelibus, &c.] Talibus enim videtur fieri iniuria, quando oratur pro eis: quia tenetur, quòd illi immediate euolant. Et ad hoc dicendum, quòd orationes sunt laudes pro securis, & suffragia pro his quos remanserunt in via.

Quid prosit baptismus his qui cum fide accedunt?

SOLET etiam quæri de illis qui iam sanctificati spiritu cum fide F
& charitate ad baptismum accedunt: quid eis conferat baptismus? Nihil enim eis videtur præstare, cum per fidem & contritionem iam remissis peccatis iustificati sunt. Ad quod sane dici potest, eos quidem per fidem & contritionem iustificatos, id est, à macula peccati purgatos, & à debito æternæ pœnæ absolutos: tamen adhuc teneri satisfactione temporali, qua pœnitentes ligantur in Ecclesia. Cum autem baptismum percipiunt, & à peccatis si quæ interim post conuersionem contraxerunt, mundantur, & ab exteriori satisfactione absoluuntur: & adiutrix gratia omnisque virtus in eo augetur, vt vere nouus homo tunc dici possit. Fomes quoque peccati in eo amplius debilitatur. Ideo Hieron. dicit, quòd fides quæ fideles facit, in aquis baptismi datur vel Mat. 25.
nutritur: quia non habenti aliquando ibi datur, & iam habenti vt plenius habeat datur: sic & de aliis intelligendum est. Qui ergo mundus accedit, ibi fit mundior, & omni habenti ibi amplius datur. Quia

vero omnis exterior ſatisfactio ibi relaxetur, Ambroſ. oſtendit ſuper
Rom. 11. illum locum, Sine pœnitentia ſunt dona Dei & vocatio, dicens: Gratia Dei in baptiſmo non requirit gemitum vel planctum, vel aliquod opus: ſed & omnia gratis condonat. Quod quidem de exteriori gemitu vel planctu accipiendum eſt. Nam ſine interiori nemo adultus renouatur: ſed exteriores ſatisfactiones & afflictiones, ſcilicet ſordes pœnitentium ibi dimittuntur. Multum ergo confert ba-
Gen. 8. ptiſmus etiam iam per fidem iuſtificato: quia accedens ad baptiſmum, quaſi ramus à columba portatur in arcam: qui ante intus erat iudicio Dei, ſed tunc etiam iudicio Eccleſiæ intus eſt. Cum vero in baptiſmo peccatum deleatur, & ſatisfactio exterior non imputetur: quæritur cur pœnalitas cui pro peccato addicti ſumus, non tollatur? Hoc ideo tradunt fieri Sancti: quia ſi à pœna homines per baptiſmum liberarentur, ipſam putarent baptiſmi pretium, non æternum regnum. Ideo ſoluto reatu peccati temporalis pœna tamen manet: vt illa vita ſtudioſius quæratur, quæ erit à pœnis omnibus aliena. Ideo etiam manet, vt ſit fideli & certandi materia, & vincendi occaſio: qui non vinceret ſi non pugnaret, nec pugnaret ſi in baptiſmo fieret immortalis.

ARTCVLVS X.

An vnus & æqualis ſit effectus baptiſmi in omnibus baptizatis?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Solet de illis quæri qui iam ſanctificati, &c.] Et de ſanctificatione quidem in vniuerſo poſſet hic quæri, ſed diſputatum eſt in 2. diſt. 3. & late perſecutum. Videtur autem hic vnus eſſe effectus in omnibus accedentibus ad baptiſmum: vnius enim cauſæ vno modo cauſantis actus eſt vnus: baptiſmus autem eſt vna cauſa vno modo cauſans in omnibus baptizatis: ergo effectus eſt vnus.

2 Item, Omnes in merito paſſionis Chriſti iuſtificantur: ſed ho cvno modo ſe habet ad omnes: ergo æqualé omnes in baptiſmo gratiã recipiunt.

3 Item, Si dicas, quòd in baptiſmo exigitur præparatio: ſed præparatio non eſt niſi vt non inueniat obſtaculum: quia aliter paruuli non reciperent gratiam in baptiſmo: ergo videtur, quòd paruulus & adultus in baptiſmo æqualem gratiam recipiunt, & quilibet adultus non fictus cum quolibet non ficto.

AD HOC dicunt quidam, quòd triplex eſt actus gratiæ baptiſmalis, ſcilicet deletio vniuerſalis culpæ, & diminutio pœnæ, & ordo virtutum in meritis. Et quoad primos actus datur gratia æqualiter in omnibus, ſed non quoad tertium.

Sed contra. SED CONTRA hoc videtur eſſe, quia vni remittuntur centum & alij decem peccata: quia inæqualiter peccauerunt: ergo videtur, quòd actus remiſſionis culpæ non ſit æqualis in baptiſmo.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd ſolutio iſta bona eſt: & ad primum dicendum, quòd licet baptiſmus ſit cauſa vna, tamen non eodem modo ſe habent accedentes ad baptiſmum tanquam ad cauſam illam: & ideo ſit differens effectus quoad meritum: ſicut etiam ignis cauſa vna eſt incendij, tamen inæqualiter incendit ligna viridia & arida.

AD ALIVD eodem modo eſt reſpondendum: quia paſſio Chriſti non cauſat gratiam in nobis niſi continuata nobis: continuatur autem per fidem & deuotionem, & hæc differentiam magnam habent ex parte noſtra.

AD ALIVD dicendum, quòd non tantum eſt præpapatio in vitatione obſtaculi: licet enim illa ſufficiat quoad operationem baptiſmi, tamen multum operatur ad cumulum meriti quantitas contritionis & deuotionis, vt dictum eſt.

AD ID quod obiicitur contra ſolutionẽ, dicendum, Quòd in vno delet plura & in alio pauciora, hoc eſt per accidens, quia in ſubiecto inuenit plura vel pauciora: ſed eſt idem quoad efficaciam ſuam de vno & de mille.

ARTICVLVS XI.

An pœnalitas cui per peccatum addicti ſumus, per baptiſmum non tollatur?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Quæritur cur pœnalitas cui pro peccato addicti ſumus, &c.] Videtur enim, quòd cauſa illa nulla eſt quam tangit Magiſter: quia ſicut exercitium pugnæ valet ad diminutionem peccati, ita iucunditas iuſtitiæ valet ad augmentum meriti, & hoc eſt melius bonum quam diminutio debiti pro peccato.

2 Item, Alia cauſa nulla videtur eſſe, ne homines ſpem beatitudinis ponerent in baptiſmo: quia ſi omnis pœnalitas tolleretur, tunc etiam tolleretur ignominia, & ſic ſcirent bene quòd in alio eſſet beatitudinis ſpes ponenda.

3. Item, Videtur quòd deleatur pœna concupiſcentiæ, vel quod redeat originale: poſita enim cauſa

cauſa ſufficienti & efficienti ponitur effectus : ſed infectio carnis per pœnalitatẽ,& non culpam(pœnalitatẽ dico concupiſcentiæ) tota cauſa eſt quòd anima fœdatur originali culpa, quando infunditur:ergo ſi eadem cauſa manet in corpore poſt baptiſmum, redibit idem effectus : ergo inficietur originali culpa, ſicut prius. Si dicas, quòd tunc habet gratiam repugnantem formæ:& ideo inficere non poteſt. Contra : Tollatur gratia ſicut tollitur per ſequens actuale:ergo tunc cum peccato actuali redibit originale. Ne ergo hoc fiat videtur, quòd debuit tolli ad minus tota pœna concupiſcentiæ. Si forte hoc concedatur.Contra:Habens originale debet baptizari, vel non deletur in ipſo originale : ſed nullus iterato baptizandus eſt: ergo nullus recipit originale poſtquam ſemel eo carnit.

Solutio. SOLVTIO.Præter cauſas hic aſſignatas conſueuerunt Doctores ponere 7. alias, quarum prima eſt vt homo hnmilietur. Vnde Iob 6. Sagittæ Domini in me ſunt, quarum indignatio ebibit ſpiritum meum, id eſt, ſuperbiam. Secunda, vt huiuſmodi timor incutiatur. Iob 6. Timores Domini militant contra me. Tertia eſt, vt detur exemplum non peccandi ex veſtigio plagarum antiquarum. Zach. 13. Adam exemplum meum ab adoleſcentia mea.Quarta eſt, vt homo ſeipſum recognoſcat. Iſa. 28. Tantummodo ſola vexatio dabit intellectum auditui. Quinta ſtimulatio eunti ad Dominum. Michææ 2. Surgite, & ite, quia non habebitis hic requiem. Sexta, amicitiæ oſtenſio. Hebr.12. Flagellat autem omnem filium quem recipit.Oſeæ 11.In funiculis Adam traham eos in vinculis charitatis.Septima,virtutum exercitatio.Iudicum 3.Hæ ſunt gentes quas dereliquit Dominus:vt eruditet in eis filios Iſraël.Alias cauſas cauſat Magiſter in litera, vt patet.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd homini punito & facto ſuperbo per diſpoſitionem ad peccatum:nihil eſt melius & cautius quam cauſa humiliationis:quia ſi non haberet vnde humiliaretur, tunc eſſet diſpoſitus ad malum : ſic vt oportet poſt lapſum primum nunquam crederet, quòd caderet per appetitum ſublimium, ſicut primo cecidit. Vnde aliud poteſt eſſe melius in ſe, & tamen non eſſe melius homini ſic diſpoſito.

AD ALIVD dicendum, quòd non poteſt tolli tota pœnalitas in hac vita, nec iſte poteſt eſſe effectus ſacramenti, ſed potius eſt effectus gloriæ : ſed Magiſter aſſignat quandam cauſam quare noluit Deus vt eſſet effectus gratiæ ſacramentalis.

AD ALIVD dicendum, quòd fomes manens in carne,non manet in eadem vi in qua erat prius: quia non manet in vi infectionis animæ cuius ipſe eſt ſubiectum.Sed verum eſt quod ab ipſo deſcindi poteſt ſemen quod inficiet animam quæ ſibi vnienda creabitur. Et hoc ideo:quia debilitatus eſt fomes quoad hanc animam,& non quoad aliã, per paſſionem Domini & ſacramentũ:& hoc bene contingit: quia cum granum excutitur à palea ad idem granum non producit paleam, ſed ad aliud. Similiter cum præputiatus eſt circunciſus,non poteſt amplius eſſe præputiatus, ſed bene generat præputiatum. Etſi quæritur cauſa huius, dico quòd hoc eſt,quia fomes virtutem inficiendi animam trahit à ſententia Domini,& à culpa:& ideo non poteſt inficere niſi vbi eſt in ratione originis primæ:in iſto autem qui purgatus eſt, non eſt in ratione originis primæ : quia non eſt in ratione ſeminali Adæ infecta : & ideo illum amplius non inficit, ſed alium in quo eſt in ratione originis primæ, ſcilicet in omni patre qui vt generat, eſt Adam reſpectu ſui geniti.

Cuius rei baptiſmus qui datur iam iuſto, ſit ſacramentum?

SI quæritur, Cuius rei baptiſmus ille ſit ſacramentum, qui datur iam iuſto. Dicimus ſacramentum eſſe & rei quæ præceſſit, id eſt, remiſſionis ante per fidem datæ, & remiſſionis temporalis pœnæ ſiue peccati ſi habetur quod interim committitur, & nouitatis ac omnis gratiæ ibi præſtitæ. Omnis etenim rei ſignum eſt, cuius cauſa eſt. Nec mireris rem aliquando præcedere ſacramentum, cum aliquando etiam longe poſt ſequatur : vt in illis qui ficte accedunt : quibus, cum poſtea pœnituerint, incipiet baptiſmus prodeſſe: in quibus fuit baptiſmus ſacramentum huius ſanctificationis, quam pœnitendo habent. Sed ſi nunquam pœniterent, nec à figmento recederent : cuius rei ſacramentum eſſet baptiſmus ab illis ſuſceptus? Poteſt dici, rei quæ ibi fieret (alias foret) ſi non eorum enormitas impediret. G

ARTICVLVS XII.

An in ficte baptizato res præcedat ſacramentum, & vtrum non recedente fictione ſit vere ſignum?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Nec mireris rem aliquando præcedere,&c.] Videtur enim, quòd ſolutio Magiſtri hic non ſufficiat:quia ponamus,quòd fictio nunquam recedat, tunc non videtur eſſe ſignum,nec cauſa:ergo non eſt ſacramentum.

2 Item,Omne ſignum eſt alicuius ſignum:ergo oportet illud ponere vel in futuro, vel in præſenti,vel in præterito:ergo ſi nullo horum modotum ponitur, videtur,quòd non ſit ſignum.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd eſt ſignum gratiæ

riæ quam causat quantum est de se: sicut sol semper causat splendorem quantum est de se, licet oppositione nubis impediatur: & per hoc patet solutio ad primum.

AD ALIVD dicendum, quòd ponitur effectus quoad ordinem causæ ad causatum: & hic nihil est inconueniens: quia multa futura sunt in ordine causarum, quæ nunquam euenient: & ideo etiam signum rei quæ futura est secundum quid, id est, in ordine causæ.

Si paruulis datur in baptismo gratia qua possunt in maiori ætate proficere.

HOLET etiam quæri, Si paruulis in baptismo datur gratia, qua cum tempus habuerint vtendi libero arbitrio, 2.Cor.6. possint bene velle & currere. De adultis enim qui digne recipiunt sacramentum, non ambigitur quin gratiam operantem & cooperantem perceperint: quæ in vacuum eis cecidit, si per liberum arbitrium post mortaliter deliquerint: qui merito peccati Heb. 10. gratiam appositam perdunt. Vnde dicuntur contumeliam Spiritui sancto facere, & ipsum à se fugare. De paruulis vero qui nondum ratione vtuntur, quæstio est, An in baptismo receperint gratiam, qua ad maiorem venientes ætatem possint velle & operari bonum? Videtur, quòd non receperint: quia gratia illa charitas est, & fides quæ voluntatem præparat & adiuuat. Sed quis dixerit eos accepisse fidem & charitatem? Si vero gratiam non receperint, qua bene operari possunt cum fuerint adulti, non ergo sufficit eis in hoc statu gratia in baptismo data, nec per illam possunt modo boni esse, nisi alia addatur: quæ si non additur, non est ex eorum culpa, quia iustificati sunt à peccato. Quidam putant gratiam operantem & cooperantem cunctis paruulis in baptismo dari in munere, non in vsu: vt cum ad maiorem venerint ætatem, ex munere sortiantur vsum, nisi per liberum arbitrium vsum muneris extinguant peccando: & ita ex culpa eorum est, non ex defectu gratiæ quod mali fiunt: qui ex Dei munere valentes habere vsum bonum, per liberum arbitrium renuerunt, & vsum prauum elegerunt.

ARTICVLVS XIII.

An paruulis in baptismo datur gratia, & vtrum habeant virtutes.

DEinde quæritur de vltimo capitulo huius distinctionis *ibi* [Solet etiam queri, &c.] Videtur enim, quòd habeant virtutes: quia virtus est bona qualitas mentis qua recte viuitur, qua nemo male vtitur, quam Deus operatur in nobis sine nobis: ergo habent virtutes.

2 Item, Constat, quòd innascitur in eis habitus malus peccati: ergo minus posset iam sacramentum Redemptoris quam peccatum Adæ, si non causaretur in eis habitus generaliter iustificans: ergo habitus virtutum.

3 Item, Potentia animæ semper respicit determinatum obiectum, siue procedat in illud, siue non: ergo perficitur habitu determinato: hoc autem est virtus: ergo paruuli habent virtutes, & recipiunt eas in baptismo.

Sed contra. SED CONTRA hoc est, quod dicit Glossa Ioannis super id, Nam pro bono quis audet mori, &c. Ibi enim distinguit Glossa inter bonum & iustum: quia bonus est innocentia vitæ, vt paruuli: iusti autem exercitio virtutum: ergo paruuli non habent virtutes.

2 Item, Si paruuli habent virtutes, & qui habet vnam, habet omnes: tunc habent fidem & spem, quod Aug. notat, quia dicit, Non habent fidem nisi secundum quod baptismus est fidei sacramentum.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd leue est hic determinare prolixitatem, quam quidam ponunt hic magnam. Et Magister optime soluit in litera, scilicet quod habent virtutes in munere, & non habent eas in vsu: & hoc non contingit propter imperfectionem virtutum, sed potius propter imperfectionem liberi arbitrij quod est subiectum virtutum: vnde in primo argumento vis est in eo quod dicitur, qua recte viuitur: si enim intelligatur qua recte viuitur in habitu, verum est: quia vt dicit Aug. in lib. de bono coniugali, habitus est quo quis aliquid agit, cum tempus sit: & ita paruulus habet apud se vnde potest bene viuere: vt

dist.

dicit Dion. In sensũ veniẽs, id est, in vsũ lib. arbitr.

AD ALIVD dicendum, quòd habent virtutes in munere habitus, vt dicit Magister. Et per hoc etiam patet solutio ad sequens.

AD ID quod contra obiicitur, dicendum quòd nihil videtur: quia dicit Gloss. iustum in exercitio virtutum, & exercitium dicit actum: sed paruuli dicuntur iusti ab habitu.

AD ALIVD dicendum, quòd fidem habent in habitu: & sacramentum baptismi pro tanto dicitur esse sacramentum fidei, quia dat fidem in habitu, licet non in actu.

DISTINCTIO V.

Quod baptismus aque sanctus est à bono & à malo datus bono vel malo.

POST hæc sciendum est sacramentum baptismi à bonis & à malis ministris dari, sicut à bonis & à malis sumitur. Nec melior est baptismus qui per meliorem datur, nec minus bonus qui per minus bonum datur, nec malus qui per malum datur, nec maius munus datur in baptismo dato à bono, nec minus in baptismo dato à malo, sed æquale: quia non est munus hominis, sed Dei: quod totum subditis declaratur testimoniis. August. ait, Baptismus talis est qualis ille in cuius potestate datur, non qualis est ille per cuius ministerium datur. Item, Prius fieri potest vt aliqui verum habeant baptisma, & non habeant veram fidem. Item, Si inter bonos ministros cum sit alius alio melior, non est melior baptismus qui per meliorem datur: nullo modo malus est qui etiam per malum datur, quia idem baptismus datur: & ideo per ministros dispares Dei munus est æquale, quia non illorum, sed eius est. Idem, Cum baptizat malus, illud quod datum est, vnum est, non impar propter impares ministros, sed par & æquale propter hoc, Hic est qui baptizat. Item, Ego dico & nos dicimus omnes, quia iustos oportet esse per quos baptizatur: iustos oportet esse tanti iudicis ministros. Sint ministri iusti si volunt: si autem noluerint esse iusti qui sedent in cathedra Moysi, securum me facit Magister meus, scilicet Christus, de quo Spiritus sanctus dicit, Hic est qui baptizat. Item, Quos baptizauit Iudas, Christus baptizauit. Siquos ergo baptizauit ebriosus, homicida, adulter: si Christi erat baptismus, Christus baptizauit. Non timeo adulterum, nec ebriosum, nec homicidam: quia columbam attendo per quam mihi dicitur, Hic est qui baptizat. Item, Homicida dedit baptismum Christi: quod sacramentum tam sanctum est, vt nec homicida ministrante polluatur. Item, Si in hæresi quacunque vel schismate quisquam in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti baptismi sacramentum acceperit, integrum sacramentum accepit: sed salutem quæ virtus est sacramenti, non habebit si extra Ecclesiam catholicam ipsum sacramentum habuerit. Debet ergo ad Ecclesiam redire: non vt sacramentum baptismi iterum accipiat, quod nemo debet in aliquo repetere: sed vt in societate Catholica vitam accipiat. Baptismus enim extra Ecclesiam

A

Super Ioan. tract. 5. & habetur de conse. dist. 4.

Ioan. 1.

Mat. 23.

Ioan. 1.

nequit

nequit prodesse. Ibi enim cuique prodesse potest baptismus, vbi potest prodesse eleemosyna, scilicet in Ecclesia. Item, Isidorus, Romanus Pontifex non hominem iudicat qui baptizat: sed spiritum Dei subministrare gratiam baptismi, licet paganus sit qui baptizat. In his perspicue cernis baptismum verum bonis & malis dari, & à bonis & à malis: & ipsum tamen æque sanctum esse, & munus eius æquale in bonis siue à bonis, siue à malis baptizentur.

DIVISIO TEXTVS.

POst hæc sciendum est sacramentum baptismi] in hac distinctione tertia quærit Magister, siquis possit baptizare? quia bonus & malus æqualiter: secundo quod potestas auctoritatis manet apud Deum: potestas autem ministerij apud homines est *ibi* [Quia ministerium tantum habent, &c.] Tertio determinat quæ sit potestas quam potuit dare & non dedit *ibi* [Hic quæritur quæ sit illa potestas, &c.

ARTICVLVS I.

An ille qui debet baptizare, debet habere ordinem & iurisdictionem & esse iustus?

INcidit autem hic quæstio circa principium, quis debeat baptizare: & quæruntur tria, scilicet vtrum oportet habere ordinem & iurisdictionem ad hoc quod baptizet? Secundo, Vtrum oportet habere vitam bonam? Tertio de quibusdam casibus qui eueniunt quandoque circa baptizatos.

AD PRIMVM obiicitur sic: Baptismus Ecclesiæ sacramentum est: ergo consistit in dispensatione ministrorum: ministri autem sunt habentes ordinem & iurisdictionem: ergo videtur, quòd non debet nec potest baptizare, nisi habens vtrumque.

2 Item, Isidorus, Constat baptismum solis sacerdotibus esse traditum eiusque ministerium: nec ipsis diaconibus esse permissum: ergo videtur, quòd non debet nec potest baptizare, nisi sacerdos habens iurisdictionem.

3 Item, Inter sacramenta vnum est quod est sacramentum sacramẽtorum, & hoc est ordo: ergo qui hunc non habet, non habet potestatem baptizandi: cum baptizare sit dispensare maximum sacramentum.

4 Item, Ordo Ecclesiæ est sicut ordo corporis: sed in corpore non descendit nutrimentum ab ore ad quodlibet membrum, sed ad stomachum, & ab illo per venas ordinate ad epar, & cor, & alia membra per consequens: ergo similiter debet esse in corpore mystico: ergo si non seruatur ordo ille, non consequitur baptizatus gratiam: ergo videtur, quòd non debet baptizare, nisi qui in gradu ab Ecclesia constitutus est.

Sed contra. SED CONTRA: Vetula baptizat & baptizatum est: ergo non exigitur quod dictum est.

SED VLTERIVS quæritur de secundo: dicit enim August. & habetur in litera, quòd iustos oportet esse baptizantes: iustos oportet esse tanti iudicis ministros: ergo videtur vnum duorum sequi: aut quòd iniusti non baptizant, aut si baptizant, quòd peccant mortaliter baptizando. *Quæstiũcula 1.*

2 Item, In baptismo est actus hominis & actus Dei: actus autem hominis nunquàm est gratus nisi ille sit in gratia qui facit eum: ergo cum iste peccator intingit, ingratum est Deo opus suum: quia intinctio est opus hominis: ergo aut nihil confertur puero vel baptizato, aut baptizans peccat mortaliter: quia super alterum aut super vtrumque necesse est cadere offensam ingratitudinis diuinæ.

3 Item, Nos videmus in corpore nostro, quòd membrum aridum quamuis officiale ex forma & figura, tantum propter defectum spiritus in eo non deriuatur ab eo vita & sensus ad alia: sed potius si est de principalibus, omnia aila membra moriuntur: sed dispensantes sacramenta sunt Ecclesiæ membra, per quæ transfunditur vita gratiæ & sensus intelligentiæ Dei in totam Ecclesiam: ergo ipsis arescentibus in vita, omnia alia membra corrumpuntur: ergo necesse est quòd ministri sint boni.

4 Item, Quando Christus determinauit ministros, ipse determinauit eos per signa sanctitatis, sicut habetur Marc. vltimo, & Hebr. 2. Contestante Deo signis, & portentis, & variis virtutibus, & Spiritus sancti distributionibus secundum suam voluntatem. Sed non licet transgredi determinationem Christi. Ergo necesse est adhuc esse tales vt non possint dispensare sacramenta.

5 Item, Malach. 2. Maledicam benedictionibus vestris. Et ibidem Glossa Ierem. Quidquid à vobis benedicitur, à me maledicitur. Ergo videtur etiam, quòd periculosum sit tales permittere baptizare.

Sed contra. SED CONTRA: In litera habẽtur quod baptizauit Iudas, & baptizatum est.

2 Item siue sit ebriosus siue homicida, &c. quod semper baptizatum est si baptizat.

Quæst. 2. VLTERIVS quæritur hic de sacerdote simoniaco qui vendit sacramenta, & non vult baptizare nisi pretio conductus, vtrum in tali casu debet permitti? Videtur, quòd non: quia non sunt facienda mala vt eueniant bona: sed emens efficitur simoniacus, sicut & vendens: ergo videtur, quòd talis potius debet mori sine baptismo. Si forte dicas, quòd in illo casu alius potest baptizare. Contra: Ponamus, quòd non sit alius nisi sacerdos, & adultus baptizandus: tunc videtur, quod potius debet mori quam sic baptizari.

2 Item, Ponamus quod nullus habeat aquam nisi sacerdos, & Pater pueri videat puerum periclitari:

clitari: aut emet, & tunc committit simoniam: aut non, & tunc permittit puerum perire cum possit adiuuare: videtur autem, quòd debeat permittere perire: quia nullus debet se committere discrimini etiam per veniale vt alius euitet mortem æternam: ergo multo minus propter liberationem pueri debet se committere discrimini simoniæ.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum ad primum, quod verus minister quoad Dominum & Ecclesiam est habens ordinem & iurisdictionem & vitam: tempore autem necessitatis est quælibet etiam vetula, nec sexum virilem, nec ordinem, nec iurisdictionem, nec vitam habens.

AD ID quod contra obiicitur, dicendum quòd illæ rationes non probant, nisi qualis debet esse minister: sed in isto sacramento aliquid reformat peccatum, scilicet necessitas: & ideo largissima pietas Dei, quæ neminem vult perire: sicut prouidit communem materiam quæ ab omnibus potest haberi, & vbique inueniri: ita etiam voluit vt tempore necessitatis quilibet alium posset immergere.

DICENDVM tamen ad primum, quòd dispensatio duobus modis est, scilicet quoad officium, & sic verum dicit ratio illa: & quoad abundantiam misericordiæ Dei & necessitatem sacramenti, & sic non tenet.

AD ALIVD dicendum, quòd Isidorus istius auctoritatis excipit tempus necessitatis, dicens, nisi tempore necessitatis in quo omnibus permittitur.

AD ALIVD dicendum, quòd laicus baptizans vel vetula, baptizat, & non habet potestatem baptizandi ex ordine. Est enim potestas ex ordine, & de illa procedit obiectio: est etiam potestas ex necessitate salutis, & hæc immediate in quemlibet descendit à Deo qui potestatem suam sacramento ordinis non alligauit.

AD ALIVD dicendum, quòd illa similitudo Apostoli corporis mystici ad naturale, non attenditur nisi in ordine officiorum, & non in descensu gratiæ: quia gratiam quilibet immediate habet à Deo: & ideo etiam actus ministerij salutis, necessitate cogente, quilibet à Deo suscipit.

Ad quæstiunculam 1. AD ID quod vlterius quæritur in parte siue distinctione, respondendum est, quod & tempora oportet distinguere: quantum enim ex parte baptismi æqualis est baptismus siue à bono siue à malo detur: sed ex parte baptizantis, si est in mortali peccato, dico quòd aut illud peccatum est notorium, aut occultum. Si notorium, aut est in loco necessitatis, vt scilicet non sit alius baptizans, & sic periculum: tunc dico, quòd cum timore propter necessitatem baptizans non efficitur reus, sed benefacit. Si autem non est tempus necessitatis: tunc scandalizat, & vsurpat actum sacramenti indignus, & puto, quòd peccat mortaliter vel grauiter. Si autem est occultum, aut timetur scandalum si non baptizat: & est tempus necessitatis, vel non necessitatis: aut non timetur ex hoc scandalum ad hoc si non baptizat. Si autem timetur scandalum præsumptionis peccati contra famam eius, & est tempus necessitatis, potest baptizare sine peccato. Item si non est tempus necessitatis, & timetur scandalum, puto quòd adhuc cum timore potest baptizare. Si autem nullum timetur scandalum, nec tempus est necessitatis, puto quòd grauiter peccat præsumens baptizare: & per hoc satis patet solutio ad duo prima.

AD ALIVD dicendum, quòd non est simile de membris officialibus in corpore nostro, & de gratia sacramentali: quia nostra membra dant & præparant interiori præparatione nutrimentum sibi inuicem: sed in Ecclesia minister non operatur nisi exterius; & ab ipso non est gratia, sed immediate à Deo: & ideo sine corruptione transit gratia ad animam per ministerium hominis quod est tantum exterius.

AD ALIVD dicendum, quòd Christus non tam determinat ministrum quoad idoneitatem quam etiam secundum optimum statum ministrorum: tamen quia Iudam non repulit, innuebat tolerandos etiam quandoque fore ministros malos.

AD ALIVD dicendum, quòd pronomen notat discretionem, scilicet maledicam benedictionibus vestris, scilicet quia ita sunt vestræ, quod non sunt meæ: tales autem benedictiones non sunt sacramenta, quia illa sunt benedictiones diuinæ.

AD GLOSSAM Hieron. dicendum eodem modo, quòd cum dicitur, Quicquid à vobis benedicitur, notat discretionem in pronomine.

Ad quæstiunculam 2. AD ID quod vlterius quæritur de casibus, sunt qui diuersimode respondent: quidam enim concedunt obiecta sicut concludunt. Sed mihi videtur, quòd non sunt concedenda: eo quod quærens baptismum non emit aquam, nec actum baptizandi emit: sed tempore necessitatis potest redimere vexationem sui iuris, & per se si baptizandus est, sicut dicit primus casus: & pro paruulo, si filium vel alium habet quem velit baptizari. Et tunc non fiunt mala vt eueniant bona, nec committitur simonia ex parte quærentis baptismum, nec etiam committit se discrimini pro salute alterius. Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICVLVS II.

Vtrum ebriosus, homicida, adulter possunt baptizare?

DEinde quæritur de hoc quod dicitur *ibi* [Si quos ergo baptizauit, baptizauit homicida, ebriosus, & adulter] Ebriosus enim dicit oppilationem discretionis: & si non habetur discretio, non habetur intentio, sed peruersitas in actu baptizandi: non habita autem intentione & actu debito, non est baptismus: ergo ebriosus baptizare non potest, vt videtur.

Quæstiuncula. IVXTA hoc quæritur, Cum aliquis est ita ebriosus vt ligata sit lingua, & non amissus sit vsus rationis & discretionis, vtrum possit baptizare? Si sic: tunc non prolata forma verborum ab eo qui gnatus est latini eloquij potest esse baptismus, quod videtur esse falsum, quia forma est de substantia sacramenti. Si non: hoc videtur falsum: quia ponamus, quòd sit tempus necessitatis, & nullo modo adsit qui possit baptizare, nisi talis, & ille non amisit discretionem per vinum: ergo dictat ei conscientia quia debet isti subuenire:

ſubuenire : ergo ſi non facit, peccat mortaliter: ergo eſſet perplexus, quod eſt contra Doctores qui dicunt neminem eſſe perplexum.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum ad primum, quòd aliud eſt de ebrio & ebrioſo : ebrioſus enim non ſemper eſt ebrius : & ideo quando ſobrius eſt, habens tamen peccatum ebrietatis, poteſt baptizare non reſiſtente peccato : & in tali caſu loquitur Auguſt. Ebrius autem in quo ſuffocata eſt ratio, non videtur poſſe baptizare.

AD ALIVM caſum dicendum, quòd ſi non eſſet alius, tunc talis debet baptizare : quia etſi ebrietas talis percutiat neruos inordinato motu linguæ, tamen poteſt formare dictiones cum ſtudio : & quia diſcretionem habet, ad hoc ſtudere poteſt & debet : ſed ſi nullam poſſet exprimere formam, ſecus eſſet : ſed tantum effectum non valet habere talis ebrietas quæ non ligat rationem.

ARTICVLVS IV.

An hæreticus & ſchiſmaticus poſſunt baptizare?

DEinde quæritur de hoc quod dicit ibi [Si in hæreſi quacunque vel ſchiſmate, &c.] Contra enim hoc eſt, quòd qui non credit, non videtur poſſe intendere : ergo hæreticus non baptizat, cum intentio exigatur ad ſacramentum.

2 Item, In vltim. Matc. primo præmittitur fides, & ſequitur baptiſmus, cum dicitur, Qui crediderit & baptizatus fuerit, &c. ergo fides neceſſaria eſt ad ſacramentum : ergo hæreticus non poteſt baptizare.

3 Si dicas, quòd hoc verum eſt ex parte Eccleſiæ vel baptizati, ſed non ex parte baptizantis: hoc nihil eſt : quia ibi etiam præmittitur de baptizante : cum præceperat prædicari Euangelium, poſtea ſubiungit, baptizantes eos, &c. ergo ex parte baptizantis exigitur fides.

4 Item, Baptiſmus dicitur ſacramentum : ergo videtur, quòd fides exigatur ad ſacramentum illud. Item, Confeſſio fidei requiritur etiam à baptizante cum baptizat, vt ſeruetur debita ſolennitas baptiſmi, ſicut patet in interrogationibus patrinorum : ergo videtur, quòd etiam ipſe debet habere fidem : ergo hæreticus non baptizat.

Sed contra. CONTRARIVM autem huius probatur multipliciter in ſequenti diſtinctione.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd hæreticus baptizans in forma hæretica, non baptizat : & ſecundum hunc intellectum dixit Cyprianus martyr non baptizare hæreticos : ſed hæreticus baptizans in forma Eccleſiæ, etiam cum intentione baptizat in forma fidei & fide Eccleſiæ : & ideo baptizatum eſt quod ſic baptizat. Et Auguſt. in libro contra Donatum, de hoc dat conueniens exemplum : quia ſicut Iacob ſemen benedictum non tantum genuit per vterum liberatum, ſed etiam per vterum ancillarum : ita Chriſtus non tantum regenerat miniſterio fidelium, ſed etiam miniſterio infidelium : eo quod actus ſuus eſt, non hominis : & in hoc oſtenditur efficacia ſacramenti.

DICENDVM igitur ad primum, quòd qui non habet fidem, poteſt intendere facere quod facit Eccleſia, licet non intendat effectum baptiſmi inducere : talis autem intentio actus quam facit Eccleſia, ſufficit ſacramento baptiſmi.

AD ALIVD dicendum, quòd illa fides quæ exigitur ad baptiſmum, eſt fides Eccleſiæ, & non baptizantis.

AD ID quod contra obiicitur, dicendum quòd prædicare Euangelium non præcedit baptiſmum tanquam neceſſarium, ſed tanquam expediens, in quo docemur, qualiter baptiſma ſeruabitur : & ideo facit ad bene eſſe, & non ad eſſe ſacramenti.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc totum eſt de bene eſſe, & non de eſſe, quod ſacramentum dicitur eſſe ſacramentum fidei non dantis, ſed ſuſcipientis : etſi ille etiam infidelis eſt, & tamen in forma Eccleſiæ ſuſcipit ſacramentum, dicitur fidei quæ deberet eſſe, non quæ ſit, ſicut Magiſter dicit ſupra de ficto permanente in fictione vſque ad finem vitæ.

De poteſtate baptiſmi & miniſterio.

B QVIA miniſterium tantum habent, non poteſtatem baptiſmi: poteſtatem enim ſibi retinuit : quod nouit Ioannes cum vidit columbam deſcendentem ſuper Chriſtum. Vnde Auguſt. *Tract. 5. ſup. c. 1. Ioan.* Quid nouerat Ioannes Baptiſta? Dominium. Quid non nouerat? poteſtatem Dominici baptiſmi in nullum hominem à Domino tranſituram, ſed miniſterium plane tranſiturum. Poteſtatem à Domino in neminem, ſed miniſterium in bonos & malos. Non exhorreat columba miniſterium malorum : reſpiciat poteſtatem Domini. Quid *1. Cor. 1.* facit tibi miniſter malus, vbi bonus eſt Dominus? Neque qui plantat neque qui rigat eſt aliquid, ſed qui incrementum dat Deus. Si ſuperbus fuerit miniſter, cum diabolo computatur : ſed non contaminatur donum Chriſti : quod per illum fluit, purum eſt. Per lapideum canalem tranſit aqua ad areolas : in canali lapideo nil generatur, ſed hortus fructus plurimos affert. Habent ergo non modo boni, ſed etiam

mali

mali ministerium baptizandi, sed neuter potestatem baptismi. Ministerium enim dedit Christus seruis, sed potestatem sibi retinuit, quam si vellet poterat seruis dare, vt seruus daret baptismum suum tanquam vice sua. Et potestatem suam constituere poterat in aliquo vel in aliquibus seruis suis, vt tanta vis esset in baptismo serui, quanta est in baptismo Domini: sed noluit, ne seruus in seruo spem poneret. Baptizat seruus vt minister, baptizat Dominus tanquam potestatem habens: quam si daret seruis, vt scilicet ipsorum esset quod Domini erat, tot essent baptismi quot serui: vt sicut dictus est baptismus Ioannis, sic diceretur baptismus Petri, vel Pauli. Quod ne fieret retinuit sibi Dominus potestatem baptismi, seruis autem ministerium dedit. Si ergo seruus dicit se baptizare, recte dicit: sed tanquam minister baptizat, & ideo non differt, siue bonus siue malus baptizet. Inde etiam nemo dicit, baptismus meus: cum tamen dicat Euangelium meum, prudentia mea, licet sint hæc à Deo in quibus differentia est. Alius enim alio melius operatur in euangelizando, & alius alio prudentior est. Alius autem alio magis minusve baptizatus siue ab inferiori siue à maiori baptizetur, dici non potest.

ARTICVLVS IV.

Quæ est potestas quam Dominus sibi retinuit, & quam ministris dedit, & quam potuit dare & non dedit?

DEinde quæritur de hoc quod dicitur *ibi* [Quia ministerium tantum habent, non potestatem baptizandi] Quæritur hic quæ potestas est quam Dominus sibi retinuit, & quam ministris dedit, & quam potuit dare & non dedit? Videtur enim, quòd potuit dare potestatem cooperationis ad emundationem interiorem: vt sicut cooperatur Domino exterius, quod ita secum mundaret interius: primo quia hoc dicit Magister in litera sequentis capituli.

Secundo: quia dedit homini potestatem expellendi dæmones: sed minus est expellere effectum quam causam: cum igitur peccatum sit effectus dæmonis, ipse potuit hoc conferre homini vt expelleret peccatum.

3 Item, Dignior est creatura quæ est substantia quam illa quæ est accidens, & inter substantias dignissima est rationalis: sed gratia est accidens, & homo est substantia rationalis: ergo homo dignior est quam gratia: gratiæ autem contulit Deus potestatem expellendi peccatum: ergo multo magis potuit hoc conferre homini vel animæ rationali.

4 Item, Ioan. 1. super illud, Hic est qui baptizat, dicit Glos. id est, à peccatis mundat. Item, Ibidem August. dicit quod Ioannes didicit à Christo, quòd potestatem mundandi à peccatis potuit dare ministris, & non dedit: hoc autem est per potestatem remittendi peccatum, & cooperationis ad munditiam interiorem: ergo hanc potuit dare.

5 Item, Obiicitur communiter, quòd dedit herbis & verbis & lapidibus quibusdam potestatem curandi morbos spirituales.

SED CONTRA hoc videtur esse quod dicit August. quòd maius est de impio facere pium, quam creare cælum & terram: sed potestatem creandi cælum & terram non potuit dare, vt dicunt: ergo nec potestatem faciendi de impio pium. *Sed contra.*

2 Item, Non fit impius pius nisi aliqua creatura de nihilo creata, scilicet gratia: cum igitur actus omnipotentiæ sit creare, vt in principio 2. probatum est, non potuit hoc conuenire alicui creaturæ; ergo non potuit communicare potestatem illam.

3 Item, Esto quod dederit homini potestatem illam: ergo potest exire in actum mundandi: ergo potest mundare peccatorem velit nolit peccator, quod esset inordinatum: ergo non potuit illam potestatem conferre homini.

4 Item, Si dicas, quòd Deus potuit conferre, sed nullus ministrorum potuit recipere: hoc nihil est, quia hic quæritur de potestate quam potuit dare & minister recipere, sed non dedit eam Deus.

SOLVTIO. Doctores dinstinguunt hic multiplicitatem potestatis, scilicet auctoritatis, inuocationis, excellentiæ, ministerij, & cooperationis. Auctoritatis qua Deus vt prima causa iustificationis in baptismo, & sine qua nulla alia potestas aliquid potest: & hanc (vt dicunt) non potuit ita alij communicare: sicut non potest alij communicare, quod sit Deus: & hoc habetur in litera. Potestas autem inuocationis est, vt daret nomini alicuius hominis potestatem, vt ad inuocationem sui nominis efficeretur sanctificatio, & effectus baptismi: sicut fit ad inuocationem Trinitatis, sicut etiam fit quandoque ad inuocationem nominis Christi: & hanc (vt dicunt) potuit conferre, sed noluit: & hoc sapienter ne spes salutis & adiutorij poneretur in homine, & sic paulatim pro Deo coleretur, vel coli inciperet. Potestas autem excellentiæ dupliciter à diuersis exponitur. Communis expositio est, vt scilicet *Solutio.*

ſecundum merita & gradus baptizantium eſſet excellentior, vel minus excellens effectus baptiſmi: vt melior eſſet à meliore vel maiore in Eccleſia datus: & hanc iterum (vt dicunt) potuit dare, ſed noluit ne tot eſſent baptiſmi quot baptizantes: quia vnum debuit eſſe baptiſma, ſicut vna paſſio quæ operatur in ipſo, & vnum originale peccatum quod ſubſtantialiter curatur in ipſo. Alij quidem pauci aliter exponunt poteſtatem excellentiæ, ſcilicet quod ſit excellentiæ in actu, vt ſcilicet ſine ritu baptiſmi ille poſſet abſoluere à peccato, quaſi ſine claue regnum aperire; & hanc dicunt ſoli Chriſto eſſe collatam. Et prima expoſitio melior & communior eſt. Hanc autem non dedit niſi Chriſto qui eſt Deus & homo: vt non ſint plura capita Eccleſiæ, ſicut Eccleſia tantum vna eſt. Poteſtas autem miniſterij eſt vt committatur diſpenſationi ritus exterior baptiſmi: & hanc Deus omnibus Eccleſiæ miniſtris contulit. Poteſtas autem cooperationis eſt illa quam Magiſter tangit in litera, ſcilicet vt homo haberet miniſterium intus curandi vel cooperandi Deo, ſicut habet exterius: & hanc potuit ſecundum Magiſtrum conferre, ſed noluit ne ſpes ſalutis crederetur in alio eſſe, vel ab alio dependere quam à Deo: & ne gratia putaretur dependere ab actu hominis, ſi Deus opus hominis ad conferendum gratiam requireret. Poteſtatem igitur auctoritatis nec potuit conferre, nec contulit: poteſtatem autem miniſterij exterioris in quo cooperatur miniſter Deo, potuit conferre & contulit. Poteſtatem autem inuocationis excellentiæ & cooperationis interioris potuit conferre, ſed non contulit prædictis de cauſis. Secundum hanc diſtinctionem,

AD OBIECTA dicendum, quòd prima obiecta videntur probare, quòd potuit conferre homini vt iuſtificaret: & hoc non eſt verum: ſed potuit conferre vt operatione aliqua poteſtatis ſpiritualis diſponeret ad iuſtificationem, ſicut ſacramentum operatur diſponendo. Vnde dicendum ad primum, quòd Magiſter in litera intelligit de cooperatione diſpoſitionis.

AD ALIVD dicendum, quòd dæmonem expellere ab infeſtatione corporis, minus eſt quam expellere peccatum: quia ſolus Deus peccatum dimittit per hoc quod ſolus Deus creat gratiam, qua formaliter dimittuntur peccata.

AD ALIVD dicendum, quòd tales rationes nihil valent: quia dignitas gratiæ & creaturæ rationalis eſt æquiuoca. Dignitas enim rationalis creaturæ eſt inter ſubſtantias, quia ipſa beatificabilis eſt, & in hoc præfertur gratiæ. Dignitas autem gratiæ eſt dignitas formæ per contrarietatem expellentis peccatum, & gratia in hoc præfertur homini, quia homo vel rationalis creatura talis forma eſſe non poteſt.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc intelligitur de poteſtate diſpoſitionis ad emundationem, & non de poteſtate dandi vel creandi gratiam.

AD ALIVD dicendum, quòd nihil eſt ſimile de curatione corporum, & animatum: quia lapides & herbæ ex virtutibus conſequentibus contrarietates complexiones ſuas habent ad cauſas morborum corporalium: ſed nullam poteſt homo habere talem comparationem ad cauſam morbi ſpiritualis: verba autem non curant niſi per inuocationem.

AD ALIVD quod in contrarium obiicitur, dicendum, quòd omnia illa non probant niſi de poteſtate effectiua iuſtificationis & viuificationis & non diſpoſitiua. Et bene conceditur, quòd illam dare non potuit, nec Chriſto homini, nec alij, nec etiam poteſtatem creandi: & ratio huius expedita eſt in tertio huius voluminis diſtinctione 34.

ARTICVLVS V.

An Ioannes nouit Chriſtum, & quid de eo nouit?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Quid nouit Ioannes, & quid non nouit, &c.] Dicit enim Aug. quòd nouit eum eſſe agnum tollentem peccata mundi: ſed non nouit, quòd poteſtatem baptizandi eſſet ſibi reſeruaturus & non aliis daturus. Hieron. autem & Chryſoſt. contrarium huic dicunt, ſcilicet quòd non nouit eum eſſe Chriſtum in mundo natum, & per mortem ſuam eſſe redempturum mundum. Ergo contrarietas videtur eſſe inter eos.

SOLVTIO. Dicendum, quòd vtrumque verum eſt: quia eſt notitia Chriſti ſimplex, & eſt notitia eius in hac vel in illa forma qua venit ad Ioannem. Sciuit ergo ipſum eſſe natum & mundum redempturum: ſed neſciuit, quòd iſte homo qui venit ad eum inter alios fuit Chriſtus antequam vidit columbam deſcendentem: ſicut dixerat ei Deus in eremo: & tunc dixit, Rabbi, ego à te debeo baptizari & tu venis ad me? Et huius cauſam aſſignat Chryſoſt. in commento, dicens quòd in iuuentute nouerat eum: ſed longo tempore conuerſatus in eremo amiſerat imaginationem faciei: & ideo non cognouit eum ſub forma venientis ad ſe, & cognouit eum talem natum eſſe in mundo. *Solutio.*

Quæ fuit poteſtas baptiſmi quam potuit Chriſtus dare ſeruis?

CHIC quæritur, Quæ ſit poteſtas baptiſmi quam Chriſtus ſibi retinuit, & potuit dare ſeruis? Hæc eſt, vt plurimi volunt, poteſtas dimittendi peccata in baptiſmo: ſed poteſtas dimittendi peccata quæ in Deo eſt, Deus eſt: ideo alij dicunt hanc poteſtatem non potuiſſe dare alicui ſeruorum: quia nulli potuit dare vt eſſet quod ipſe eſt, vel vt haberet eſſentiam quam ipſe habet, cui hoc

eſt

est esse quod posse. Dicunt enim, Si hanc potentiam alicui dare potuit, potuit ei dare creaturas creare: quia non est hoc maioris potentiæ quam illud. Ad quod dici potest, quia potuit eis dare potentiam dimittendi peccata, non tamen ipsam eandem qua ipse potens est, sed potentiam creatam qua seruus posset dimittere peccata: non tamen vt author remissionis, sed vt minister: nec tamen sine Deo authore: vt sicut in ministerio habet exterius sanctificare, ita in ministerio haberet interius mundare: & sicut illud facit Deo authore, qui cum eo & in eo operatur illud exterius, ita interius mundaret Deo authore, qui eius verbo velut quodam ministerio vteretur. Ita etiam posset Deus per aliquem creare aliqua, non per eum tanquam authorem, sed ministrum cum quo & in quo operaretur: sicut in bonis operibus nostris ipse operatur & nos: nec ipse tantum, nec nos tantum, sed ipse nobiscum & in nobis: & tamen in illis agendis ministri eius sumus, non authores. Ita ergo potuit dare seruo potestatem dimittendi peccata in baptismo, id est, vt in mundatione interiori seruus cum Domino operaretur: non seruus sine Domino, nec Dominus sine seruo: sed Dominus cum seruo, & in seruo: sicut in exteriori ministerio Dominus operatur cum seruo, & in seruo. Vnde & Dominus dicitur sanctificare, & seruus: sed Dominus inuisibili gratia, seruus visibili sacramento. Vnd August. super Leuit. Dominus ait, Ego Dominus qui sanctifico. Et de Moyse etiam dictum est, Et sanctificabis eum. Sed Moyses sanctificat visibilibus sacramentis per ministerium: Dominus autem inuisibili gratia per Spiritum, vbi est totus fructus visibilium sacramentorum. Sine hac sanctificatione visibilia sacramenta nil prosunt. Siquis hoc melius aperire poterit, non inuideo.

Hic non tenetur Magister.

Cap. 84. Leuit. 21.

Exod. 19.

ARTICVLVS VI.

An Christus homo habuit potestatem dimittendi peccata?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Ita ergo potuit dare, &c.] Videtur ergo, quòd Christus homo habuit potestatem dimittendi peccata: quia Mar. 9. dicitur, Vt autem sciatis quia Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata. Filius enim hominis est Christus secundum humanam naturam. Ergo videtur, quòd etiam alij homini possit conferre.

2 Item, In tertio libro supra distin. 8. habitum est, quòd Christus secundum humanam naturam est redemptor: sed redimere non potuit nisi peccatum dimitteretur: ergo videtur, quòd ipse secundum hanc naturam peccata dimittere potuit. Item, Plus est redimere quam creare, vt dicit August. Si ergo potuit redimere secundum humanam naturam, potuit etiam secundum eam creare gratiam qua iustificatur homo.

Sed contra. SED CONTRA: Dicit Bern. quòd gratia non est ab homine Christo, sed solum à Deo: ergo non potuit habere potestatem mundandi animam: sed sæpe supra probatum est, quòd creare est actus infinitæ potentiæ, & solius omnipotentiæ diuinæ: Christus autem secundum hominem non fuit susceptibilis illius potestatis, quod iustificaret animas interius.

Solutio. SOLVTIO. Quasi omnes dicunt, quòd Christus secundum hominem non fuit susceptibilis illius potestatis.

AD ID ergo quod contra obiicitur, dicendum quod Filius hominis probare ibi voluit suam deitatem: & ideo hoc conuenit Filio hominis inquantum Deus est.

AD ALIVD dicendum, quòd redemptor est Deus, & homini attribuitur baptismus: quia in humana natura pertulit passiones, quibus pro nobis satisfecit.

Quæstiuncula. Solutio. SI AVTEM quæritur quæ fuit potestas quã dedit ei Pater præ aliis? Dicendum secundum Doctores, quòd illa fuit potestas excellentiæ ad actum, scilicet vt solueret sine officio clauium tanquam Dominus vniuersæ Ecclesiæ. Christus enim non legitur recepisse ordinem, sed dedisse: nec habuisse potestatem ad mensuram, sed ad omnia: & hæc potestas excellentiæ data est Christo. quæ aliis in virtute clauium & ordinis & limitata est & tradita.

DISTINCTIO VI.

Quibus liceat baptizare?

A *Quibus est collata potestas baptizandi.*

NVNC quibus liceat baptizare addamus. De hoc Isidorus ait, Constat baptismum solis sacerdotibus esse traditum, eiusque ministerium nec ipsis diaconibus implere est licium absque Episcopo vel presbytero, nisi his procul absentibus, vltima languoris cogat necessitas: quod etiam laicis fidelibus permittitur. Ex concilio Charthaginensi quinto: Item, Mulier quamuis sancta, baptizare non præsumat, nisi necessitate cogente. De illis vero qui ab hæreticis baptizantur, vtrum rebaptizandi sint quæri solet. Ad quod breuiter dicimus, quia quicunque sit qui baptizet, si seruatur forma à Christo tradita, verum baptismum dat: & ideo qui illum sumit non debet rebaptizari. Vnde Beda, Siue hæreticus, siue schismaticus, siue facinorosus quisque in confessione sanctæ Trinitatis baptizet, non valet ille qui baptizatus est à bonis Catholicis rebaptizari, ne confessio & Trinitatis inuocatio videatur annullari. Item, Augu. Quamuis vnum sit baptisma & hæreticorum, scilicet eorum qui in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti baptizant, & Ecclesiæ Catholicæ: qui tamen foris Ecclesiam baptizantur, non sumunt ad salutem baptismum, sed ad perniciem: habentes formam sacramenti, virtutem autem eius abnegantes, & ideo Ecclesia non eos rebaptizat, quia in nomine Trinitatis baptizati sunt: & ipsa est forma sacramenti. Item, Rebaptizare hæreticum qui hæc sanctificationis signa perceperit, omnino peccatum est: Catholicum vero, immanissimum scelus est. Ex his aperte colligitur, quod qui etiam ab hæreticis baptizati sunt, seruato charactere Christi rebaptizandi non sunt: sed tantum impositione manus reconciliandi, vt Spiritum sanctum accipiant, & in signum detestationis hæreticorum. Sunt tamen nonnulli Doctorum, vt Cyprianus, & alij quidam, qui dicere videntur ab hæreticis non posse tradi baptismum: & eos esse rebaptizandos cum veniunt ad Ecclesiam, qui ab illis dicuntur baptizati. Sed hoc de illis verum est qui extra formam Ecclesiæ baptizare præsumunt. Cyprianus tamen ibi à veritate deuiasse videtur: qui ait de hæretico, Quomodo sanctificare aquam potest, cum ipse immundus est, & apud quem Spiritus sanctus non est? cum Dominus dicat in lege, Quæcunque tetigerit immundus, immunda erunt: quis potest dare quod ipse non habet? Hoc ergo ex ignorantia eum dixisse Aug. innuit dicens, Martyrem Cyprianum glorioſum qui apud hæreticos vel schismaticos datum baptismum nolebat cognoscere, dum eos nimis detestaretur, tanta eius merita vsque ad triumphum martyrij secuta sunt, vt ex charitatis qua excellebat luce, obumbratio illa fugaretur, & si quid purgandum erat, passionis

Libro de officiis: & habetur de cons. dist. 4. c. Constat.

De cons. dist. 4. c. Mulier.

In homil. 36. & habetur de cons. dist. 4. c. Siue.

Ad quæstiones Orosij & habetur de cons. dist. 4. c. Quãuis.

Num. 19.

De vnico baptismo.

falce

falce tolleretur. Nec nos qui baptismi veritatem & hæreticorum iniqnitatem agnoscimus, ideo Cypriano meliores sumus: sicut nec Petro, quia Gentes iudaizare non cogimus.

Hieronymus super Epistolam ad Romanos.

B De conf. dist.4. eodem modo. Lib. de summo bono c.23. De conf. dist.4. Qui in materno. Ad Dardanum de Ioãne bapt. Epist.57. Ierem.1. & Luc.1.

HOc etiam sciendum est, quòd licet ter immergatur propter mysterium Trinitatis, tamen vnum baptisma reputatur. Illud etiam ignorandum non est, quod in materno vtero nullus baptizari potest, etiamsi mater baptizetur. Vnde Isidorus, Qui in maternis vteris sunt, baptizari non possunt: quia qui natus adhuc secundum Adam non est, secundum Christum non potest renasci: neque regeneratio in eum dici potest, quem generatio non præcessit. Item, Aug. Non potest quisquam renasci antequam natus sit. Si vero opponitur de Ieremia & de Ioanne Baptista, qui ab vtero sanctificati leguntur: quod etiam de Iacob quidam putant. Dicimus, si sanctificatio ibi accipitur interior emundatio, in miraculis diuinæ potentiæ esse habendum, vt Aug. ait, ambiguè super hoc loquens. Si vsque adeo, inquit, in illo puero acceleratus est vsus rationis & voluntatis, vt intra materna viscera iam posset agnoscere & credere, quod in aliis paruulis expectat ætas vt possint, in miraculis habendum esse diuinæ potentiæ, non ad humanæ trahendum exemplum naturæ. Nam quando voluit Deus, etiam iumentum locutum est. Idem de Ieremia legitur, Priusquam exires de ventre sanctificaui te. Illa tamen sanctificatio qua efficimur templum Dei, non nisi renatorum est. Nisi enim quis renatus fuerit ex aqua & Spiritu sancto, non potest intrare in regnum Dei. Nemo autem renascitur, nisi prius nascatur. Vnde illa sanctificatio potest secundum prædestinationem accipi. Ecce videtur dubitanter loqui, qui etiam in eodem dicit, Non dictum est quia credidit infans in vtero, sed exultauit: nec Elizabeth dicit, Exultauit in fide, sed Exultauit in vtero meo. Et potuit esse hæc sanctificatio, tantæ rei à maiori cognoscendæ indicium, non à paruulo cognitæ. Absque assertione de hac sanctificatione loquitur, non diffiniens qualiter intelligenda sit illa sanctificatio: an sit signum futuræ rei, an veritas iustificationis per Spiritum factæ. Sed melius est vt dicamus illos præter communem legem in vteris iustificatos, & gratia præuentos: dimissis omnibus peccatis, quod etiam multis Sanctorum testimoniis edocetur.

Num 22. Ierem.1. 2.Cor.3. Ioan.3. Luc.1.

Si baptismus sit verbis corrupte prolatis.

C De conf. dist.4. c. Retulerunt.

QVÆRI etiam solet, Si corrupte proferantur verba illa, an baptismus sit? De hoc Zacharias Bonifacio scribit, Retulerunt mihi nuntij tui, quòd fuerit sacerdos in eadem prouincia, qui Latinam linguam penitus ignorabat: & dum baptizaret, nescius Latini eloquij, infringens linguam diceret, Baptizo te in nomine patria & Filia & Spiritus sancta: & propter

hoc conſideraſti rebaptizare. Sed ſi ille qui baptizauit non errorem inducens vel hæreſim, ſed pro ſola ignorantia Romanæ locutionis, infringendo linguam baptizans dixiſſet: non poſſumus conſentire vt denuo baptizetur.

DIVISIO TEXTVS.

NVNC quibus liceat baptizare addamus, &c.] In hac vltima parte de baptiſmo agit ex parte baptizantis. Et diuiitur hæc diſtinctio in duas partes,in quarum prima tangit quinque quæſtiones circa baptizantes & baptizãdos. In ſecunda autem parte agit de ſacramentalibus *ibi* [Porro cuncti ad baptiſmnm venientes, &c.] In prima harum(vt dictum eſt)quinque ſunt quæſtiones, ſcilicet de poteſtate baptizantium. Secunda eſt, Vtrum in matris vtero habitum gratiæ baptiſmalis aliquis conſequatur *ibi* [Hoc etiã ſciendum, quod in materno vtero, &c.] Tertia eſt de corruptione verborum ex ignorantia linguæ *ibi*[Quæri etiam ſolet, ſi corrupte, &c.] Quarta eſt de hoc quòd dubitatur, an ſit baptiſmus *ibi* [Præterea ſciendum, quòd illi de quibus nulla exiſtunt indicia, &c.] Quinta de iocoſe baptizatis *ibi* [Solet etiam quæri de illo qui iocans, &c.] Etiam ibi adiunguntur aliqua de intentione baptizantium, & de tempore baptiſmi.

ARTICVLVS I.

An quilibet poteſt eſſe miniſter Eccleſiæ?

INcidit autem dubium circa primam partem, Vtrum miniſter baptiſmi ſit quilibet, ſicut in litera dici videtur. Videtur autem,quòd non:quia baptiſmus eſt ſacramentum Eccleſiæ:ſed ſacramẽta Eccleſiæ committuntur diſpenſationi miniſtrorum Eccleſiæ:ergo & baptiſmus. Cum igitur miniſtri Eccleſiæ non ſint niſi Prælari,videtur quòd non habeant poteſtatem baptizandi niſi ſoli Prælati.

2 Item, Inter ſacramenta eſt vnum quod eſt ſacramentum ſacramentorum, ſcilicet ordinis: ergo videtur, quòd adminiſtratio omnium aliorum pertinet ad ordinatum:non ergo ad quemlibet, vt videtur in litera dici.

3 Item, Matth. In fine non miſit Chriſtus niſi Apoſtolos & diſcipulos ad baptizandum:ergo videtur, quòd non habent poteſtatem baptizandi niſi ſucceſſores illorum: hi autem ſunt Prælati: ergo videtur, quòd non debeat baptizare niſi Prælatus.

4 Item, Non eſt poteſtas niſi à Deo, vt dicitur Rom. 13. quæ autem à Deo ſunt, ordinata ſunt: ergo videtur, quòd ſub ordine illo cadit baptiſmi poteſtas: nullus autem actus ordinatus ex poteſtate aliqua committitur omnibus indifferenter:ergo nec actus baptizandi:ergo non quilibet poteſt baptizare,vt videtur.

Rom.12. 5 Item, Apoſtolus dicit, quòd ſicut in vno corpore multa membra habemus, omnia autem corporis membra, cum ſint multa non eundem actum habent: ita multi vnum corpus ſumus in Chriſto:ergo ſicut eſt in corpore naturali, ita debet eſſe in corpore myſtico:ſed in corpore naturali in vno membro digeritur nutrimentũ & tranſmittitur ad alia, quod non immediate datur ſingulis: ergo ſimiliter debet eſſe in corpore myſtico:ergo determinati erunt miniſtri per quos detur baptiſmus & gratia baptiſmalis, & non quilibet erit baptizans, vt videtur.

SED CONTRA hoc eſt quod dicitur in litera. *Sed contra.*

2 Item quia baptiſmus eſt ſacramentum neceſſitatis:& ſi quibuſdam committeretur,cum illi non poſſint eſſe proximi omnibus, multos contingeret periclitari, quod eſſet contra Dei miſericordiam,& prouidentiam Eccleſiæ: ergo poteſtas baptizandi debebat omnibus committi.

SOLVTIO. Dicendum, quòd eſt poteſtas & commiſſio poteſtatis.Debita poteſtas eſt in eo qui habet poteſtatẽ ex ordine,& auctoritatẽ ſiue iuriſdictionẽ ex auctoritate,& idoneitatẽ ex vitę merito:& talis ſolus eſt digne & vere miniſter:ille autẽ qui habet ordinẽ & iuriſdictionẽ & non vitã vere quidem miniſter eſt, ſed non idonee vel digne:& hoc modo procedunt rationes primo inductę. Sed propter neceſſitatem huius ſacramenti & modum culpæ contra quam eſt, accipit illud ſacramentum adminiſtrationem à quocunque:& neceſſitas eſt à generalitate periculi, ſicut dictum eſt in obiiciendo, ſed modus culpæ eſt originalis pro quo ſatisfecit Chriſtus quoad ſe, & ſufficit fides aliena vt valeat baptizatis illa ſatisfactio. Hæc autem fides poteſt eſſe proteſtata in actu cuiuſcunque: & ideo tempore neceſſitatis quilibet poteſt baptizare. *Solutio.*

DICENDVM ergo ad primum, ſecundum, tertium, & quartum, quòd hoc verum eſt quoad ordinem ex iuriſdictione & idoneitate: ſed aliud reformat pactum in baptiſmo, vt dictum eſt.

AD ALIVD dicendum, quòd gratia quæ eſt nutrimentum corporis myſtici, quoad vitam ſpiritualem,immediate à Deo datur cuilibet membro & ideo quoad hoc non eſt ſimile. Sed eſt quædam vtilitas in gratiis exterioribus quæ ſunt ad bene eſſe,vt prophetia,ſcientia, & huiuſmodi:& quoad illas eſt ſimile inter corpus myſticum & naturale: & talis gratia eſt ordo poteſtatis & iuriſdictionis. Et ideo in talibus gratiis vnum membrum myſtici corporis recipit ab alio.

ARTICVLVS II.

An hæreticus poteſt baptizare?

DEinde quæritur de hoc quod dicitur *ibi* [De illis vero qui ab hæreticis baptizati, &c.] Videtur enim, quòd hæreticus non poſſit baptizare. Dicit enim Pſalm. Paſſer inuenit ſibi domum, & turtur nidum vbi reponat pullos ſuos. Ergo extra domum non eſt repoſitio pullorum: Pſal. 83.

conſtat

constat autem, quòd hæreticus est extra domum: ergo non reponit pullos Ecclesiæ : ergo non baptizat.

2 Item, Leuit. 15. Quicquid tetigerit immundus, immundum erit. Et hæc auctoritas inducitur in litera : ergo videtur, quòd non baptizat.

3 Item, Apoc. 21. Vidit Ioannes Ierusalem terrestrem descendentem à cælesti : ergo qui à cælesti non descendit, non est de terrestri Ierusalem, id est, de Ecclesia militante : ergo videtur, quòd cum Ecclesia malignantium hæreticorum non descendat secundum ordinem à cælesti, quòd nihil conferat in terrestri.

4 Item, Stomachus vel epar eiectum extra corpus hominis, in nullo actu potest subseruire membris remanentibus : sed hæreticus est sicut membrum eiectum extra corpus : ergo in nullo subseruit corpori mystico : ergo non potest conferre characterem baptismalem.

5 Item, Dionysius loquens de charactere sacramentali, dicit quod datur accipienti à hierarcha : hierarcha constitutus est in sacro ordine in Ecclesia, & talis non est hæreticus : ergo videtur, quòd ipse sacramentalem characterem conferre non possit.

PRÆTEREA, ad Ecclesiæ generationem exigitur Ecclesiæ vterus : non est autem idem vterus Ecclesiæ, & vterus conuenticulorum hæreticorum : ergo videtur, quòd qui in conuenticulis hæreticorum sacramenta suscipiunt, non accipiunt characterem.

Sed contra. SED CONTRA hoc est quicquid dicitur in litera præter auctoritates Cypriani.

2 Item, Ioanni dictum est, vt habitum est in præmissis, quòd hic est qui baptizat : ergo à quocunque dicatur forma verborum præscripta in debita materia, semper Deus baptizans est intrinsecus : ergo imprimitur character : quia constat, quòd gratia non confertur in baptismo quem confert hæreticus qui scitur esse præcisus, si baptizatur adultus qui nouit eum esse extra Ecclesiam.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd quicunque baptizat intendens & seruans formam Ecclesiæ, siue sit hæreticus, siue non, ipse confert characterem baptismalem, ad minus, sicut supra habitum est de induentibus Christum vsque ad sacramenti susceptionem.

AD PRIMVM autem quod contra obiicitur, dicendum quod nidus Ecclesiæ est forma sacramentorum : & non sunt hæreticorum nidi illi: & ideo cum in eis reponunt suos pullos, reponunt non extra Ecclesiam, sed in ea : etsi postea conculcantur à diabolo, hoc non est propter imperfectionem sacramentorum, sed potius propter perniciem fictionis.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc intelligitur de tactu qui est similis tactui physico : vt si in tactu imitetur tactum secundum quantitatem tangentis, hoc est quòd hæreticus tangat ad imitationem hæresis : sic enim verum est, quòd ipse immundus erit qui tangitur : sed quando hæreticus tangit in forma sacramentorum Ecclesiæ, assimilatur tactus iste sicut leproso habenti manus inuolutas in panno candido mundissimo, & ideo immundare non potenti.

AD ALIVD dicendum, quod licet ritus hæresis & conuentio ab Ecclesia triumphanti non descendit : tamen vsurpat hoc quod ab Ecclesia triumphante descendit, quando vsurpat Ecclesiæ sacramenta.

AD ALIVD dicendum, quòd non est simile: quia hæreticus non in toto est extra Ecclesiam: quia vsurpat actum membri interioris & ministerium, quando accipit formam sacramentorum Ecclesiæ : vnde non in omnibus est simile de dependentia membrorum spiritualium adinuicem, & de dependentia membrorum corporalium ad inuicem, vt dictum est in anteriori quæstione.

AD ALIVD dicendum, quòd Dionysius loquitur de ministro secundum ordinem potestatis, auctoritatem administrationis, & idoneitatem ad actum : & ille est qui completum habet ministerium ad salutem suam : & non intelligitur, quòd aliter non possit imprimi character.

AD ALIVD respondet Augustinus, quòd Donatus non generat per hoc quod est extra, sed per hoc quod est intus, quando seruat formam Ecclesiæ conferendo sacramenta : & ideo non sequitur, quòd ipse sit intus, sed potius quòd ipse sit extra, & generet per hoc quod est intus.

AD ALIVD dicendum, quòd Ecclesia secundum Augustinum semen benedictum suscipit ex semine viri sui Christi : & hoc quandoque per vterum proprium, vt Rachel, & Lia : & quandoque per vterum ancillæ, vt in ancillis Rachel & Liæ, quæ peperterunt super genua earum : per quas significantur hæretici vtentes forma Ecclesiæ in conferendis sacramentis. Quandoque autem in vtero proprio perit semen, sicut Esau reprobatus est : quandoque in vtero ancillæ sicut Ismaël reprobatus est : per quos significantur falsi Christiani & hæretici in forma hæresis & non Ecclesiæ baptizantes. Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICVLVS III.

An character est in aliquo genere, & in quo genere : etsi in genere qualitatis, in qua specie?

DEinde quæritur de hoc quod dicitur *ibi* [Seruato charactere Christi, &c.] Gratia enim illius inducenda est hic quæstio de charactere baptismali. Et quia scientia de charactere facilior est si de eo hic disputetur in genere, scilicet confirmationis, & ordinis, & ideo faciemus de charactere disputationem generalem. Quæratur igitur de charactere tribus viis, scilicet in se, & ex parte effectus, & ex parte suscipientis : quoniam ex parte dantis idem est quærere de dante characterem, & de dante sacramentum, & hoc iam habitum est. De charactere autem in se quærantur quinque, scilicet in quo genere sit, & quid sit diffinitiue, & quæ & quot sacramenta imprimant characterem, & quarto de numero & ordine characterum, & quinto de comparatione sacramentorum Christi ad characterem bestiæ.

AD PRIMVM proceditur sic : Fere ab omnibus dicitur, quòd character spiritualis sit qualitas. Obiiciatur ergo sic : Nihil est in genere quod non sit in aliqua eius specierum, character

est in genere qualitatis: ergo est in aliqua specierum: aut ergo est habitus & dispositio, aut naturalis potentia vel impotentia, aut passio vel passibilis qualitas aut forma vel circa hoc aliquid constans figura: & omnes hæ species opinionem habuerunt circa materiam istam. Videtur autem, quòd non sit habitus vel dispositio: quia dicit August. in lib. de bono coniugali, quòd habitus est quo quis aliquid agit cum tempus sit: ergo omnis habitus est ad actum aliquem potentiæ in qua est: character autem non est ad actum potentiæ, sed ad distinctionem vel consignationem vel vtrunque: ergo videtur, quòd non sit habitus vel dispositio.

2 Item, Habitus animæ est naturalis, aut infusus, aut acquisitus. Naturalis vt habitus visus in potentia visiua: infusus autem vel acquisitus diuidi consueuit in scientiam & virtutem: character autem nec est scientia, nec virtus: cum igitur non sit habitus naturalis, non erit habitus, vt videtur.

Sed contra. SED CONTRA hoc videtur esse quod dicit Philosophus, quod tria sunt in anima, scilicet passiones, potentiæ, & habitus: constat autem, quod character non est passio: ergo si est in anima, est habitus, vt videtur.

VIDETVR autem, quòd etiam non sit naturalis potentia vel impotentia. Naturalis enim potentia vel impotentia causatur à naturalibus causis: sicut quidam dicunt, quòd naturalis potentia causatur à victoria formæ super materiam, & naturalis impotentia ab imperfectione victoriæ eiusdem: sicut durum naturalem potentiam habet ad non secari, & molle eiusdem impotentiam. Constat autem, quòd à tali causa non causatur character: ergo non est naturalis potentia vel impotentia, licet hoc quidam dixerunt.

2 Item, Naturales potentiæ consequuntur naturam: character autem non consequitur naturam: ergo non est in specie potentiæ naturalis.

VIDETVR etiam non esse in passione vel passibili qualitate: quoniam hæc secundum Philosophum aut est infusa in animam sensibilem sicut sunt obiecta sensuum, aut illata in sensu vel sensibili anima, vt delectatio & tristitia: constat autem quod character circa animam intellectualem est: ergo non est passio vel passibilis qualitas, licet hoc etiam quidam dixerint.

2 ITEM, Videtur quòd non sit forma vel circa hoc aliquid constans figura: quia illa secundum Philosophum non est in spiritualibus, sed in quantis? figura enim est superficies vna vel pluribus lineis contenta siue terminata: nihil autem talium conuenit spirituali naturæ: ergo nec character in specie illa est, vt videtur, cum sit tantum in spirituali natura.

Propter hoc quidam dixerunt, quòd etiam in spirituali natura est spiritualis quantitas, & secundum illam attenditur character. Sed hoc ridiculum videtur multis rationibus, quarum vna est: spiritualis quantitas virtutis attenditur penes intensionem virtutis ad actum: hæc autem intensio non mutat genus: ergo quantitas virtutis non dicit aliquid in quo saluetur ratio figuræ: quia illa non saluatur sine quantitate continua.

2 Item, Omnis figura attenditur penes vltimum ad hoc terminatum: virtus autem licet diffiniatur per vltimum potentiæ, non tamen diffinitur per vltimi terminationem: ergo videtur, quòd quantitas virtutis non potest habere rationem figuræ, & sic non est character figuralis vel forma circa hoc aliquid constans.

3 Item, Si virtus terminetur in vltimo, non est ille terminus ambiens substantiam virtutis intra, sed potius vltimum in quod potest ex parte obiecti in quod agit virtus, sicut virtus Herculis potest in triginta quos vincit: figura autem est terminus ambiens substantiam terminati claudendo intra se: ergo etsi virtus terminus potentiæ dicatur, ille terminus æquiuoce dictus est ad terminum figuræ: ergo character si est in quantitate virtutis, non tamen est de ratione figuræ.

4 Item, Virtus est terminus potentiæ terminatus ad vltimum: figura autem secundum rationem figuræ est terminus terminans vltimum: ergo terminus in ratione figuræ & in ratione virtutis dicetur æquiuoce: & ita solutio illa nulla est, quam quidam posuerunt, & quam fere omnes sunt secuti.

Ideo quidam alij accipientes verbum Philosophi quod dicit in prædicamentis, Fortassis autem & alij apparebunt qualitatis modi, dicunt quòd character est qualitas extra quatuor species qualitatis: quia Aristot. innuit, quòd aliæ sunt species qualitatis. Sed quod hoc nihil sit, facile probatur: licet enim omnis forma prædicet quale, non tamen omnis forma est in prædicamento qualitatis secundum rem, sed forma realiter ens in prædicamento qualitatis non excedit quatuor species ipsius: ergo pater, quòd nihil est quod isti dicunt: quia si realiter esset qualitas, oporteret quòd esset in aliqua specie qualitatis.

Videtur autem esse in relatione: ad aliquid enim sunt, quorum hoc ipsum esse quod sunt, ad aliud sunt: sed characteris sicut & signaculi vel signi hoc ipsum esse quod est, ad aliud est: ergo est in prædicamento relationis, & non qualitatis, vt videtur.

Quæst. SED QVIA hoc ab omnibus bene intelligentibus conceditur, quæratur, Vtrum esse relatiui fundetur super aliquid aliud vel non? Videtur autem, quòd fundetur in aliqua alia natura: quia dicit Augustinus, quòd omne relatiuum est etiam aliquid aliud præter relatiuum, vt pater est substantia in qua est relatio. Si ergo character est relatiuum, videtur etiam esse aliquid aliud præter relationem in quo fundetur relatio.

2 Item, Character vt dicunt Magistri, consignat nos Trinitati increatæ per quandam assimilationem: similitudo autem est rerum differentium eadem qualitas: ergo videtur, quod fundetur in aliqua qualitate quæcunque sit illa.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum videtur sine præiudicio, quòd character secundum esse quod importat, non dicit ens in prædicamento relationis, sicut paternitas. Est enim duplex relatiuum, scilicet ipsum quod ad aliud est & dicitur, vt pater: & accidens quod absolute & in abstractione significat, vt paternitas, & hoc dicit modum dispositionis quo relatiuum dicitur ad aliquid: ita character est etiam ad aliquid, & characterizatum.

AD

Ad hoc autem quod vltimo quæritur, oportet primo respondere, scilicet vtrum fundetur supra potentias imaginis nudas ex ipsa susceptione baptismatis, vel habeat à materia qualitatem subiectam. Dicendum, quòd vtrumque dicitur à diuersis: sed tamen probabilius videtur, quòd habeat à materia qualitatem subiectam in qua fundetur, & hanc puto esse habitum quendam luminis spiritualis, quod se habet ad modum habilitatis ad fidem & ad gratiam per lucem & calorem spirituales, vt lux habilitet ad fidem & calor ad mores.

Et secvndvm hanc responsionem oportet primo obiectis respondere, dicendo, quòd character fundatur in habitu sicut similitudo in qualitate: sed habitus duplex est, scilicet perfectus & distinctus, & imperfectus & indistinctus: primus est sicut habitus determinatus ad hanc materiam, & ille diuiditur in scientiã & virtutem: & de illo verum est quod dicit Augustinus, quòd habitus est quo quis aliquid agit cum tempus est. Imperfectus autem & confusus & indistinctus est præcedens illum, & habilitans ad illum. Et huius simile possumus videre in oculo, in quo in pupilla & humido crystallino est quoddam perspicuum cum luce sibi connaturali & inseparabili, & tamen non sufficit per se ad videndum distincte nisi adueniat spiritus ex anima determinatus ad colores: ita etiam intellectui est connaturale lumen confusum ad quod examinat audita & accepta secundum Philosophum, & tamen illud non sufficit ad distincte intelligendum hoc vel illud. Ita possumus dicere, quòd est quodammodo lumen indistinctum inseparabiliter infusum baptizatis, in quo lucet assimilatio quædam ad Trinitatem increatam, licet non sit sufficiens sine fide: & hoc lumen est in quo fundatur character, & est in genere gratiæ gratis datæ. Et hoc attenderunt, vt puto, qui characterem posuerunt in specie habitus & in genere qualitatis: vnde illa quæ obiiciuntur contra alias qualitates, videntur esse concedenda. Et quod quidam dixerunt de figura intellectuali, aut non intelligo, aut non est verum quod dixerunt. Et per hoc patet solutio ad omnia quæsita de hoc articulo.

ARTICVLVS IV.

An definitiones characteris sint bene assignatæ?

Secundo quæritur, Quid sit character diffinitiue? Dicunt autem quidam beatum Dionysium in Ecclesiastica hierarchia cap. 2. ita diffinire: Character est signum sanctum communionis fidei & sacræ ordinationis datum accedenti à hierarcha. Licet autem ita dicant: tamen in nulla Dionysij translatione inuenitur hæc diffinitio, nec per verba, nec per sensum: & hoc scit bene quicunque literam Dionysij inspicit. Ibi enim vnde trahere voluerunt illa verba, dicit sic secundum veterem translationem, ostendens quid significet, quòd ordinandus venit ad summum sacerdotem, id est, ad Episcopum, &c. Eum vero, scilicet ordinandum, sic accedentem, scilicet ad Episcopum suum hierarcham, diuina beatitudo in suam participationem recipit, & proprio lumine tanquam quodam ipsi signo tradit, diuinum perficiens & communicantem diuinorum partes & sacræ ordinationis: quorum est symbolum sacrum à summo sacerdote donatum signaculum, & sacerdotum salutaris descriptio, in saluatis eum commemorans & memoriis sactis. Vt autem intelligantur verba quæ obscura sunt, sic sunt exponenda. Eum vero, scilicet ordinandum sic accedentem in acceptione ordinum ad hierarcham, suscipit ad partes potestatis diuina beatitudo, id est, Deus, & hoc significatur in hoc quod partem suæ potestatis dat hierarcha, id est, Episcopus, quando suscipit eum: & proprio lumine, id est, de proprio lumine tradit ei: tanquam quodam signo, id est, in quodam signo, quia in sacramento susceptο: diuinum perficiens, hoc est, quod scilicet lumen perficiens eum diuinum, id est, vt sit diuinus in potestate ad minus, id est, habet potestatis diuinæ partem: & communicantem diuinorum partes, id est, perficit ipsum vt communicet partes, id est, in parte diuinorum quoad potestatem sacræ ordinationis, id est, perficit eum vt sit communitas sacræ ordinationis, id est, in sacra ordinatione: quia Græci non habent ablatiuum: quorum est symbolum, id est, quorum, scilicet diuinæ perfectionis & communionis diuinorum partis, & communionis ordinationis symbolum, id est, signum à summo sacerdote donatum, id est, id quod datum est à summo sacerdote: quia sacramentum ab Episcopo datum, est signum quòd detur ei diuina potestas & gratia à Deo. Et subiungit, quid sit illud quod datum est ab Episcopo, hoc est scilicet signaculum, id est, quòd signat eum pontifex, manus imponendo, & radendo, & huiusmodi: & descriptio sacerdotum, id est, quòd describit eum sacerdotem faciendo per ordinem: commemorans eum si bene vsus fuerit potestate in saluatis & sactis memoriis. Si autem hæc (vt puto) est Dionysij intentio, patet quòd illa diffinitio non est sua, & nunquam alibi reperitur: & ideo non sumo eam vt à sancto, & sicut à Doctoribus approbatam.

Dant autem quidam & aliam, hanc scilicet, Character est distinctio à charactere æterno impressa animæ rationali secundum imaginem, consignans trinitatem creatam Trinitati creanti & recreanti, & distinguens à non consignatis secundum statum fidei.

Obiicitvr autem multipliciter de istis diffinitionibus Magistrorum: Contra primam sic, Character est signum sanctum: omne autem signum est naturale, vel ad placitum: constat autem, quòd character non est signum ad placitum: quia tunc non esset idem apud omnes, & variaretur ad voluntatem: ergo est naturale: omne autem signum naturale similitudinem habet aliquam cum signato, vt fumus cum igne habet conuenientiam: ergo videtur, quòd character aliquam habet conuenientiam cum charactere increato. Et quæritur, Quæ sit illa? Videtur autem, quòd nulla sit: quia homo habet conuenientiam per characterem: ergo videtur, quòd character sit dispositio inuenta in vtroque extremorum, scilicet in homine signato, & charactere increato cui consignatur: sicut si duo sunt similes in albedine, albedo est dispositio inuenta in vtroque: & hoc falsum est hic: quia Filius Dei non habet characterem, vt infra probabitur. *Quæst. 1.*

Item

Quæst 1. ITEM. Signorum aliud est principium prænosticum futurorum: sicut signa quæ habent diuinatores in astris & aliis, & medici in ægritudinibus. Aliud est rememoratiuum præteritorum, vt anulus fidei datus sponsæ à sponso, & monile continentiæ thori, & huiusmodi. Aliud est determinatum in præsenti, sicut substantia præsens significatur accidentibus quæ cadunt in sensum. Quæratur ergo, Si character sit signum, cuiusmodi signum sit? Non enim videtur esse signum nisi gratiæ: & hanc non necessario significat, nec in præsenti, nec in futuro, nec in præterito, sicut in ficto qui moritur in fictione: ergo videtur, quòd character non sit signum gratiæ.

2 Item, Si est signum, non erit nisi signum sacramentale; signum autem sacramentale est inuisibilis gratiæ visibilis forma vel sensibilis ad minus: ergo videtur, quòd character sensibilis quædam forma sit, cuius contrarium habitum est in præcedenti quæstione, & iterum postea habebitur, quando probabitur quòd character non imprimitur nisi in anima rationali.

3 Item, Secundum Magistrum Hugonem in lib. de sacramentis, signum accipitur in proprietatibus corporalis elementi: character autem neque est corporale elementum in sacramento, nec proprietas eius: ergo character non est signum, vt videtur. Item, Si est signum sacramentale: aut est vetus, aut nouum. Constat autem, quòd non est vetus: quia nihil loquitur lex vetus de charactere spirituali, licet loquatur de circuncisione vt carnali charactere dato carnali populo, vt supra habitum est in tractatu de circuncisione: ergo erit signum nouæ legis.

Sed contra. SED CONTRA: Non necessario efficit quod figurat, vt patet in fictis: ergo nec est signum veteris legis nec nouæ: ergo nec est signum sacramentale.

Quæst. 3. VLTERIVS quæritur de hoc quod dicit, Communionis fidei. Videtur enim hoc non esse verum: quia fictus non credens recipit characterem baptismalem: & tamen non communicat fidem. Præterea, Communio fidei potest esse quoad participationem articulorum, vel fidelium, vel habitus fidei: & videtur non posse esse pluribus modis. Constat autẽ, quòd non necessario facit communicare fidelibus, vt patet in adultis ab hæreticis scienter baptizatis, qui fidelibus non communicant. Item, Non est communicatio quoad articulos: quia fictus discredens articulos, recipit characterem, dum se offert non contradicens ad id quod facit Ecclesia, licet hoc ipsum nihil credat esse vel valere. Item videtur, quod non communicat habitum fidei: quia infidelis potest esse, vt iam dictum est: & tamen suscipit characterem: ergo videtur, quòd non sit signum communicationis fidei.

Quæst. 4. ITEM quare plus diffinitur per signum communicationis fidei, quam alterius virtutis? Videtur enim, quòd dispositio sit ad omnem virtutem & signum. Tria enim sunt in sacramento, scilicet signum tantum, vt tinctio facta in aqua: & res & signum, quod est character: & res tantum, quod est gratia cum omnibus virtutibus. Si ergo est signum rei sacramenti, & res sacramenti est plenitudo virtutis & non fidei: tunc videtur character esse signum omnis virtutis, & non signum fidei: ergo male diffinitur per hoc quod sit signum fidei.

Quæst. 5. VLTERIVS quæritur de hoc quod dicit, Et sacrę ordinationis. Hoc enim non videtur conuenire nisi characteri ordinis: ergo per illud male diffinitur character in genere, secundum quod est in confirmatione & baptismo & ordine in communi.

PRÆTEREA, Character ordinis & confirmationis non videtur esse signum fidei: sed character confirmationis videtur esse signum fortitudinis ad pugnandum, & character ordinis videtur esse signum potestatis ad spirituales actus, vt est conficere Eucharistiam, ligare, & soluere: ergo iterum male diffinitur per signum fidei & sacræ ordinationis.

Quæst. 6. VLTERIVS quæritur de hoc quod dicit, Datum accedenti à hierarcha. Videtur enim hoc esse falsum: si enim rusticus baptizat, characterem recipit baptizatus: ergo non oportet vt detur à hierarcha, vt videtur. Præterea, Si dicas, quòd hierarcha dicit debitum ministerium: iterum falsum est: quia hierarcha est summus sacerdos siue Pontifex: & debitus minister baptismatis non est, sed etiam simplex sacerdos, vt dicitur in litera in hac distinctione: ergo non oportet accedere ad hierarcham, vt videtur.

Quæst. 7. VLTERIVS quæritur de secunda diffinitione: & primo de hoc quod dicit, Character est distinctio. Si enim est distinctio, & signum distinctiuum aliter distinguit baptizatum à non baptizato: aut ergo Ecclesiæ militanti, aut triumphanti, aut Deo: sed non Ecclesiæ militanti, quia illa non distinguit nec discernit per signa inuisibilia, cum iudicet secundum faciem, & non secundum ea quæ sunt in corde: nec etiam distinguit quoad Ecclesiam triumphantem, quia illa non indiget, cum sufficientem distinctionem accipiat baptizatus à non baptizato in contemplatione Verbi: item quoad Deum non oportet, quia Deus non cognoscit per signa, sed per seipsum scit omnia.

Quæst. 8. VLTERIVS quæritur de hoc quod dicit, A charactere æterno impressa. Character enim est Filius vt habetur Hebr. 1. Qui cum sit splendor gloriæ & figura substantiæ eius. In alia litera, & character substantiæ eius: ergo videtur, quòd Filius Dei imprimat characterem.

2 Item ad idem, Similitudo Patris est Filius: cum igitur character creatus sit assimilans, videtur quòd congruenter imprimatur à Filio.

3 Item, Sacramentum baptismi est sacramentum regenerationis, quo efficiuntur filij gratiæ: sed filiario gratiæ habet similitudinem aliquam cum generatione æterna: ergo videtur, quòd character regenerationis à Filio vt æterno charactere imprimatur.

Sed contra. SED CONTRA: Per inuocationem Trinitatis in elemento imprimitur character: ergo impressio non magis pertinet ad Patrem quam ad Filium, nec è conuerso, sed ad totam Trinitatem.

2 PRÆTEREA, Si propter sacramentum regenerationis Filio debetur impressio characteris in baptismo: ergo etiam propter sacramentum spiritualis potestatis Patri debetur impressio characteris in ordine, quod falsum est, quia per rationem congruentiæ omnis impressio characteris erit appropriata vni personæ.

3 Item,

3 Item, Plus debetur Patri quam Filio, quia Patris est generare: ergo etiam characterem spiritualis regenerationis imprimere: ergo non imprimitur à charactere æterno, vt videtur.

Quæst. 9. VLTERIVS quæritur de hoc quòd dicit, Impressa animæ rationali secundum imaginem. Nihil enim numero vnum imprimitur diuersis subiectis numero: sed character est vnum aliquid numero: ergo non potest imprimi tribus potentiis imaginis, nisi mulriplicetur secundum numerum.

2 Item, Sicut se habet signum præcedens in sacramento, & res sequens: ita se debet habere medium quod est signum & res simul: sed signum perfectæ ablutionis totius animæ, & res sequens perfecte curat & perficit totam animam secundum omnes potentias: ergo etiam medium quod est signum, debet imprimi secundum omnes potentias, & non secundum potentias imaginis tantum: medium autem est character: ergo secundum omnes potentias debet imprimi character in anima.

3 Item, Eiusdem est dispositio & habitus: sed habitus est res sacramenti sequens: cum igitur ille habitus sit in tota anima, videtur etiam quòd dispositio quæ est character, secundum totam animam debeat inesse.

3 Præterea, Videtur si character imprimitur in imagine (vt dicit secunda diffinitio) quod non sit lux tantum: quia voluntas quæ est præcipua pars imaginis, non perficitur luce, sed potius amore: ergo videtur, quòd character in se supponat diuersos habitus & diuersarum rationum.

Quæst. 10. VLTERIVS quæritur de hoc quod dicit secunda diffinitio, Consignans trinitatem creatam Trinitati creanti & recreanti. Non enim consignat nisi faciat imitari: non autem imitamur nisi per gratiam gratum facientem: ergo videtur, quòd character sit gratia gratum faciens.

2 Item, Vno habitu non sunt consignabilia plura, nisi sint vnius rationis: sed potentiæ imaginis non sunt vnius rationis: ergo non sunt consignabiles vno habitu.

3 Item, Ex parte Trinitatis increatæ non est appropriatum vnum: ergo videtur, quòd si character est lumen quoddam, quod non consignat Trinitati increatæ, sed tantum vni personæ in Trinitate.

Quæst. 11. VLTERIVS quæritur de hoc quod dicit, Distinguens à non consignatis secundum statum fidei. Videtur enim, quòd characteris subtilius sit distinguere quam signare: quia character, vt dicit sæpe Damasc. idem est quod distinctiuum: ergo character est distinctio: ergo videtur, quòd in diffinitione prius debuit poni vltima particula quam penultima.

2 PRÆTEREA, Quare dicit, Secundum statum fidei, potius quam secundum fidem? prior enim est distinctio secundum fidem, quam secundum fidei statum.

Solutio. SOLVTIO. Sine præiudicio videtur mihi secunda melior quam prima: neutra tamen habet robur auctoritatis, nisi quantum facit vsus Magistrorum: quia de charactere in sensu quo Magistri disputant, de eo parum inuenitur in dictis Sanctorum.

Ad quæstiunculam 1. SVSTINENDO igitur primam diffinitionem, dicendum est ad primum, quòd character est signum naturale gratiæ quæ est effectus sacramenti. Ad obiectum autem contra, dicendum quòd duplex est similitudo, scilicet duorum in tertio, & sic oportet quòd vna qualitas in qua fundatur similitudo, sit in vtroque: quandoque autem similitudo est inter aliqua, ita quod vnum dicit rationem similitudinis alterius ad alterum, sicut imago quæ dicit rationem similitudinis huius statuæ ad Herculem: & tunc non oportet, quòd idem sit in vtroque similium, sed quòd vnum sit exemplar, & aliud imitetur ipsum: & sic est similis character: quia dicit assimilationis rationem animæ ad Deum.

Ad qu. 2. AD ALIVD dicendum, quòd est signum demonstratiuum & causatiuum gratiæ in præsenti quantum est de se, & quod non demonstrat, hoc est per accidens, scilicet quia inuenit obicem in subiecto resistentem.

AD ALIVD dicendum, quòd licet character non sit visibilis vel sensibilis in se: est tamen visibilis in relatione ad tinctionem in qua imprimitur, sicut supra in quæstione de sacramentis dictum est.

AD ALIVD dicendum, quòd character non fundatur in elemento corporali, sicut in subiecto, sed sicut in causa inducente ipsum: & hoc sufficit ad hoc vt sit signum sacramentale nouæ legis.

AD HOC autem quod contra obiicitur, solutum est.

Ad qu. 3. AD ID autem quod vlterius quæritur, dicendum quòd est signum communionis fidei secundum fidei statum, vt dicit secunda diffinitio: & bene potest esse, quòd aliquis non participet habitum secundum communionem fidelium, vel articulorum fidei, & tamen secundum statum, quia ille participatur etiam secundum fidei sacramentum. Vnde patet solutio ad totum.

Ad qu. 4. AD ALIVD dicendum, quòd aliæ virtutes non distinguunt quæ sunt in affectu, sed fides sola quæ est in intellectu: & ideo distinctio accipitur solum secundum statum fidei, licet sit dispositio ad omnes virtutes. Vel dicatur & melius, quòd status fidei distinguit characterem sacramentorum: quia fides est fundamentum spiritualis ædificij, & penes primam distinctionem ipsius primo accipitur distinctio totius vitæ.

Ad qu. 5. AD ILLVD quod vlterius quæritur, dicendum quòd illa diffinitio quoad illud membrum tangit characterem excellentiæ, qui est in ordine: & quia character excellentiæ est, ideo aliquid speciale habet in diffinitione.

AD ALIVD dicendum, quòd character confirmationis non est fortitudinis nisi in relatione ad fidem: quia scilicet sine rubore prædicat fidem, etiam sine timore confitetur eam coram regibus & principibus. Ita etiam character ordinis non est spiritualis potestatis, nisi propter fidem propagandam, & multiplicandam, & confitendam: & ideo semper respicit statum fidei. Qualiter autem differenter respiciat, infra dicetur in quæstione de numero characterum & ordine.

Ad qu. 6. AD ID quod vlterius quæritur, dicendum quod in illa diffinitione debitus minister ex potestate & auctoritate & idoneitate determinatur. Quod autem aliter datur, hoc contingit ideo, quia est sacramentum necessitatis, sicut in principio huius distinctionis dictum est.

Ad qu. 7. AD ID quod vlterius quæritur, dicendum quòd

quòd ſecunda diffinitio melior eſt quam prima: quia tangit proprium actum qui eſt conſignare, & ſecundarium qui eſt diſtinguere, & cauſam efficientem quæ eſt character increatus, & materialem quæ eſt ex parte ſubiecti proprij, quia imprimitur ſecundum mentem in anima rationali: & cauſam finalem, quia propter ſtatum fidei. Dicatur ergo ad primum, quòd diſtinguit in ſe, & non oportet quòd alij diſtinguantur, licet in ipſa anima indelebilem notam decoris relinquit, quæ in beatis eſt ratio gloriandi in aliqua aſſimilatione ſui ad Trinitatem, & in damnatis conuictio & teſtimonium iuſtæ condemnationis: & ideo non eſt otioſus.

Ad quæſtiunculam 8.

Ad id quod vlterius quæritur, dicendum quòd bene conceditur hoc quod primo probatur: quia licet communi opere perſonarum imprimatur character à tribus perſonis: tamen per congruentiam & appropriationem debetur Filio, cuius plures cauſæ tactæ ſunt in opponendo. Vna etiam eſt: quia character (vt ſupra dictum eſt) eſt lux quædam per attributionem ſapientiæ genitæ quæ eſt Filius.

Ad id autem quod contra obiicitur, dicendum quòd inuocatio operatur ibi communiter in perſonis: ſed tamen appropriatum opus eſt Filij, & hoc fere in omnibus operibus ſæpe eſt diuinis.

Ad aliud dicendum, quòd licet in confirmatione & ordine ſint fortitudo & poteſtas: tamen referuntur ad ſtatum fidei: & fides dicit quid cognitionis, & ideo Filio appropriatur.

Ad aliud dicendum, quòd licet Patris ſit generare: proprie tamen regenerare magis per congruentiam eſt Filij: quia regeneratio non fit ſine miſſione & redemptione: & horum vtrunque conuenit Filio, & neutrum Patri: & ideo illa ratio ex falſis procedit.

Ad quæſtiunculam 9.

Ad id quod vlterius quæritur de hoc quod dicit, Impreſſa animæ rationali ſecundum imaginem, dicendum quòd per hoc tangitur immediatum ſubiectum characteris: imago autem licet ſit in tribus potentiis, tamen principaliter eſt in potentia cognoſcendi. Vnde Auguſtinus dicit, quòd homo habet imaginem in potentia cognoſcendi, & ſimilitudinem in potentia diligendi. Vnde imago principaliter eſt ſecundum memoriam & intellectum: & hæc duo ſequitur voluntas. Similiter perfectio cognitionis eſt in actu ſecundum intellectum, & non ſecundum memoriam, & ideo character, meo iudicio, eſt impreſſus ſecundum intellectum, ſcilicet ſecundum quòd intellectus eſt formatus ex memoria & eliciens voluntatem, & ita vt in ſubiecto eſt in intellectu, tamen ordinem habet ad memoriam & voluntatem.

Ad aliud dicendum, quòd character eſt diſpoſitio ad gratiam in qua ſunt omnes virtutes: ſed tamen in genere magis conuenit cum fide: & hoc non eſt inconueniens: quia ſicut ſæpe in corporalibus eſt diſpoſitionibus, ita & ſpiritualibus: ſicut calor eſt diſpoſitio ad totum ignem quoad omnes proprietates ignis, & tamen in genere non conuenit niſi cum ardore: & ſimiliter eſt in ſpiritualibus: ſicut enim dictum eſt ſupra, licet character eſſentialiter ſit lux quædam, tamen habet etiam calorem.

Ad aliud dicendum, quòd hæc propoſitio, cuius eſt diſpoſitio eſt habitus, poteſt intelligi tribus modis: & duobus modis vera eſt, tertio modo falſa eſt. Poteſt enim ſic intelligi, cuius eſt diſpoſitio, id eſt, cuius eſſentiæ eſt diſpoſitio eſt habitus, id eſt, habitus qui ſit ex illa diſpoſitione, eſt eiuſdem eſſentiæ: & tunc eſt vera de diſpoſitione ex qua generatur habitus, vt ſcientia facile mobilis & difficile mobilis, poſtquam confortatur, ſunt eiuſdem eſſentiæ, & differunt in accidente. Alio modo poteſt intelligi, id eſt, cuius ſubiecti eſt diſpoſitio, eiuſdem eſt habitus: & tunc iterum vera eſt: quia in eodem ſubiecto inducitur habitus. Tertio modo poteſt intelligi, cuius, id eſt, partis ſubiecti eſt diſpoſitio, illius eſt habitus: & tunc non ſemper vera eſt: quia diſpoſitio frequenter eſt in parte vna, & habitus non totus inducitur in parte illa: & hoc ideo contingit, quia illa diſpoſitio non ex æquo reſpicit habitum quoad omnes partes ſui, ſicut character reſpicit fidem ſecundum conuenientiam in genere, & non alias virtutes niſi per conſequens: quia vna non datur ſine alia, quando cum gratia infunditur.

Ad aliud patet ſolutio per ante dicta.

Ad quæſtiunculam 10.

Ad id quod vlterius quæritur, dicendum quòd eſt conſignatio in nota indelebili, quæ eſt imperfecta & gratiæ gratis datæ: & hanc facit character: ſed conſignatio in actu imitationis, verum eſt quod ponit obiectio; quia illam non facit niſi virtus formata.

Ad aliud dicendum, quòd licet potentiæ imaginis non ſint eiuſdem rationis: tamen extremæ ordinantur ad mediam, & è conuerſo: & ideo in illo poſſunt conſignari.

Ad aliud dicendum, quòd ex æquo per characterem non conſignatur homo Trinitati quoad ea quæ diſtincte ſunt perſonarum proprie: ſed character licet eſſentialiter ſit lux conſignans Filio: tamen virtute in ſe habet duo, ſcilicet poteſtatem in fide vel pugna vel gradu, & bonitatem in hoc quod eſt diſpoſitio ad gratiam: & per hæc duo reſpicit perſonam Patris & Filij & Spiritus ſancti.

Ad quæſtiunculam 11.

Ad id quod vlterius quæritur, dicendum quòd character principaliter conſignat, & per conſequens diſtinguit: & cum nominatur character, accipit nomen ab actu notiori non principaliori, ſicut ſæpe nomina imponuntur ab eo quod notius eſt apud nos.

Ad aliud dicendum, quòd character non diſtinguit fidem, nec aliquid in fide, ſed dicit diſtinctionem ſtatus fidei ſecundum quod fides eſt incipientium vel proficientium vel perfectorum impletione, & ideo potius dicitur ſecundum ſtatum fidei quam ſecundum fidem ſimpliciter.

ARTCVLVS V.

Quæ & quot ſunt ſacramenta imprimentia characterem?

Tertio quæritur, Quæ & quot ſacramenta quæ imprimunt characterem? Videtur autem, quòd omnia, quia ſicut aliqua nota baptizatus diſtinguitur à non baptizato: ita aliquo communicans à non communicante, & coniugatus à non coniugato, &c. ergo videtur, quod character imprimatur in quolibet.

2 Item,

2 Item, Si baptismus propter dignitatem imprimit characterem, cum dignissimum sacramentum sit, vt dicit Ambros. sacramentum Eucharistiæ, ipsum debet imprimere characterem, vt videtur.

3 Item, Si Christi inuocatio in quibusdam sacramentis imprimit characterem in inuocatione Trinitatis, eo quod prius habitum sit, quòd character creatus imprimitur à charactere increato, videtur quòd vbi sumitur totus Christus, quòd ibi maxime imprimat characterem: in Eucharistia autem sumitur totus Christus: ergo maxime ibi imprimit characterem.

4 Item, Sacramenta in quibus imprimitur character, habent suas vnctiones, scilicet baptismus, confirmatio, & ordo: ergo cum sit quartum quod similiter consistit principaliter in vnctione, sicut vnctio extrema, debet etiam illud imprimere characterem.

5 Item, Character respicit statum fidei: status autem fidei diuersificatur secundum legem naturæ & Moysi & gratiæ, sicut significatur in his qui præibant & sequebantur Dominum, clamantes, Osanna in excelsis. Ergo videtur, quòd & aliquid in legibus illis imprimebat. Fuit autem circuncisio in legibus illis testimonium magnæ fidei Abrahæ, vt dicitur in Gloss. Rom. 5. Ergo videtur, quòd circuncisio imprimebat characterem. Si forte dicatur, sicut supra in tractatu de circuncisione solutum est, quòd circuncisio habuit characterem corporalem, non spiritualem. Contra hoc est quod dicit Orig. quòd circuncisio non tantum corporalis, sed & spiritualis erat, & spiritualiter intelligebatur à Iudæis. Præterea, videtur, quòd omne sacramentum imprimat characterem: quia quod potest quod maius est, potest & id quod minus est: gratia autem maius est quam character: cum ergo omne sacramentum det gratiam: etiam videtur per locum à minori, quòd etiam imprimat characterem. Item, Sacramentum est sufficiens ad agendum, cum possit quod plus est, vt iam probatum est: & anima est receptibilis siue sit ficta, siue non: quia fictus bene recipit characterem: ergo omne sacramentum imprimit characterem, vt videtur.

Quæstiuncula. VLTERIVS quæritur iuxta hoc, Quæ sit causa, quòd in baptismo aquæ & confirmatione & ordine dicitur imprimi character? Aut enim causa huius est materia specialis, aut inuocatio Trinitatis, aut gratia, aut Passio Christi operantis in istis sacramentis, aut intentio dantium sacramenta, aut fides Ecclesiæ: non enim plura inuenimus operari in sacramentis. Si dicatur, quòd materia specialis est causa, non videtur: quia materia diuersificatur in tribus sacramentis, nec habetur in ordine materia aliqua quæ sit de necessitate sacramenti, nisi tantum ordinatus: ergo videtur, quòd ista operatio non sit ex materia. Si autem dicitur, quòd in baptismo hæc operatio sequitur materiam, videtur falsum: quia eadem materia est in baptismo Christi & in baptismo Ioannis, & tamen in baptisino Ioannis non imprimebatur character.

Si autem dicatur, quòd hæc operatio sit inuocatio Trinitatis, videtur sequi duplex inconueniens, scilicet quòd si inuocatio Trinitatis fiat in aliis sacramentis, quòd etiam in eis imprimitur character. Aliud est, quòd illi qui baptizabantur in primitiua Ecclesia in nomine Christi, non habebant characterem.

Et si etiam tu dicas, quòd in Christi nomine intelligitur Trinitas. Contra: Idem est baptizare in nomine Christi, & in nomine venturi, quia venturus erat Christus: si ergo ad inuocationem Christi imprimebatur character: ergo etiam imprimebatur character ad inuocationem nominis venturi: quod falsum est: quia sic in Ioannis Baptismo character fuisset impressus. Si forte tu dicas, quòd in baptismo Ioannis Baptistæ character imprimebatur. Contra hoc est, quòd illi baptizabantur iterato ab Apostolis: ergo non habebant characterem: quia aliter fuisset facta iniuria characteri sacramenti. Præterea, Si vnum characterem accepisset à Ioanne, & alium ab Apostolis, & ad idem, id est, ad initium status fidei: alter superflueret, quod est inconueniens: ergo inuocatio Trinitatis non imprimit characterem.

Si autem tu dicas, quòd hoc facit Passio Christi operans in sacramento. Videtur, quòd tunc magis baptismus sanguinis imprimit characterem: quia in illo maior est expressio Passionis: & ille est melior, eo quod secundis sordibus non inquinatur: & de hoc habitum est supra. Præterea, Passio Christi in omnibus sacramentis operatur: ergo in omnibus imprimit characterem, quod non dicitur ab aliquo Doctorum.

Si autem dicas, quòd hoc facit intentio: videtur falsum esse: quia intentio vt hic habetur in litera, exigitur ad omne sacramentum: ergo in quolibet imprimeret characterem. Si autem fides Ecclesiæ operatur. Contra: Fides Ecclesiæ non sufficit nisi in baptismo, & tantum paruulis, non adultis: ergo nullus recipiet characterem nisi in baptismo, & tantum paruuli, non adulti, quod falsum est: ergo videtur, quòd super nihil fundatur illa disputatio de impressione characteris.

Quæstiuncula 1. VLTERIVS quæritur iuxta hoc, An virtutes imprimant characterem? Videtur, quòd sic: quia imprimunt quasdam notas consignantes nos Deo: & hæc est ratio characteris: ergo imprimunt characterem.

2 Item, Magis distinctiua est virtus quam sacramentum, quia sacramentum non distinguit bonum à malo: ergo videtur, quòd cum distinguere sit primus actus characteris, vel consignare, vt habitum est, quòd virtus magis imprimat characterem quam sacramentum.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd tantum tria sacramenta quæ statum fidei respiciunt, imprimunt characterem, secundum triplicem distinctionem quam faciunt inter fideles qui sunt de familia regis cælestis, vt infra patebit, cum de numero characterum disputabitur.

DICENDVM ergo ad primum, quòd aliud est discerni recipientem aliquod sacramentum à non recipiente illud, & aliud habere notam indelibilem ad hoc: notam autem indelibilem non imprimit nisi triplex sacramentum. Et si tu obiicias, quòd coniugatum impossibile est non fuisse coniugatum, & ita nota est indelebilis. Dicendum, quòd illa ratio sophistica est: quia illud non est per notam indelebilem vel perpetuam in subiecto: sed potius est dictum de præterito verum, & ideo necessarium, & ideo quamuis res mutetur, dictum tamen non mutatur: sed tria sacramenta in re

perpetuam notam relinquunt: & ideo illa est character: alia autem sacramenta nihil perpetuum in re relinquunt.

Ad aliud dicendum, quòd non est de dignitate sacramenti, quòd imprimat characterem, sed potius ex inuocatione Trinitatis ad statum distinctionis fidei, siue statum distinctum in fide, vt infra dicetur: & ideo illa obiectio nihil facit.

Ad aliud dicendum, quòd licet character increatus imprimat creatum: non tamen in quocunque sacramento, sed in eo in quo est inuocatio Trinitatis secundum statum fidei. Eucharistia autem non respicit statum fidei, sed potius charitatem, vnde etiam sacramentum charitatis vocatur.

Ad aliud dicendum, quòd in lege naturæ & Moysi non fuit status fidei explicitæ, sicut in noua: omnia autem sacramenta imprimentia characterem, imprimunt ipsum secundum statum fidei explicitæ non implicitæ. Et ratio quare circunciſio non imprimebat characterem, supra expedita est in quæstione de circunciſione: non enim erat nisi figura characteris baptismalis, sicut spirituale intelligitur in corporali signo.

Ad id autem quod obiicitur de dicto Origenis, dicendum quod ipse intelligit, quòd virtutem circunciſionis intelligebant quidam esse spiritualem, non quòd characterem imprimeret spiritualem, sicut Abraham, & alij, qui in lege intelligebant sacramenta Christi futura.

Ad aliud dicendum, quòd ista propositio, quod potest maius potest minus, non est vera nisi de his in quibus vna potestas est ordinata ad maius & minus: & ideo non est ibi locus à minori: quia posset sacramentum etiam minus, si ad hoc esset ordinatum. Alij soluunt aliter, dicentes quòd licet character aliquid minus sit quam gratia in valore ad salutem: tamen quoad hoc est maius, quia est indelebilis, cum gratia sit delebilis: sed prima solutio valet magis.

Ad aliud dicendum, quòd non quodlibet sacramentum est sufficiens ad operandum characterem, cum ad hoc non sit ordinatum, vt iam dictum est.

Ad quæstiunculam 1. Ad id quod vlterius quæritur, dicendum quòd causa impressionis characteris non est ex materia, sed ex inuocatione Trinitatis, non simpliciter, sed in sacramento quod ponit personam in statu fidei speciali: sicut est fides genita, defensa, & propaganda in alios, vel nutrienda in aliis.

Ad id autem quod obiicitur in contrarium, dicendum quòd in aliis sacramentis licet esset inuocatio Trinitatis: non tamen ponunt illa in speciali statu fidei: & ideo inuocatio Trinitatis etiamsi esset in eis vt forma sacramenti, quod tamen non est verum, non adhuc operaretur characterem.

Ad aliud dicendum, quòd in nomine Christi sicut supra patuit in explanatione Ambrosij, intelligitur Trinitas, & iterum hoc fuit ex dispensatione ad tempus, vt dictum est supra. Vnde tum propter iussum Dei, tum propter hoc quod in nomine illo saluabatur inuocatio Trinitatis quæ in eo intelligitur implicite: in illo, & non in Ioannis baptismo, in primitiua Ecclesia imprimebatur character.

Ad hoc autem quod obiicitur de nomine venturi, dicendum quòd licet idem fuerit in re baptizare in nomine Christi, & in nomine venturi: non tamen idem erat in modo significandi: quia venturus non habebat eundem modum significandi, sicut habet hoc nomen, Christus: & ideo in argumento de Ioannis baptismo incidit locus sophisticus accidentis.

Ad quæstiunculam 2. Ad id quod vlterius quæritur, an virtutes imprimant characterem? Dicendum, quòd non: quia virtus quicquid operatur in subiecto est delebile & non perpetuum: sed de ratione characteris est quod sit perpetuus. Et si obiicitur de dicto in præterito, iam supra patuit, qualiter est soluendum.

Ad aliud dicendum, quòd licet distinguant inter fideles: tamen hæc distinctio non est secundum specialem statum fidei, sed potius secundum ordinem ad mores: distinctio autem characteris est secundum statum fidei specialem. Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICVLVS VI.

An in tribus sacramentis imprimentibus characterem, character impressus sit vnus, & siquis eorum est plures?

QVarto quæritur de numero & ordine characterum. Iam enim ostensus est numerus per hoc quod non nisi tria sacramenta imprimant characterem. Videtur autem idem esse character in omnibus sacramentis: quia eadem est fides genita, roborata, & potens propagari ad alterum: ergo & idem character fidei, vt videtur: sed primus est baptismalis, secundus confirmationis, tertius ordinis: ergo videtur, quòd vnus sit character in tribus secundum substantiam.

Quæstiuncula. Præterea quæritur de ordine. Baptismalis enim est primus: quia si non habet quis baptismalem, & recipit ordinem, non reputatur ordinatus, sed iterato ordinatur post baptismum: ergo videtur, quòd cum character confirmationis sit medius, quod etiam necessario debet haberi ante characterem ordinis: & ex hoc sequitur, quòd non confirmatus non possit ordinari: & hoc non tenet Ecclesia.

Solutio. Solvtio. Multi multipliciter accipiunt numerum characterum: sed probabilior acceptio videtur penes numerum distinctionis in statu fidei: sicut in familia Dauid legimus tres fuisse distinctiones, quarum prima fuit generalis, scilicet populi Dei à non populo: quia Dauid erat rex super populum Dei, sicut dicitur in Psalm. 77. Sustulit eum de gregibus ouium, de post fœtantes accepit eum: pascere Iacob seruum suum, & Israël hæreditatem suam. Alia autem distinctio fuit fortium Dauid, de qua loquitur 2. Reg. penult. qui defendebant cultum & populum, viriliter pugnando: in quibus notatur distinctio characteris confirmationis. Ibidem etiam legitur, quòd quidam distincti erant in Prælatos, & sacerdotes, & scribas, & huiusmodi: & in illis significatur character excellentiæ in ordine. Est igitur status fidei duplex, scilicet primus, quando datur fides vt distinguantur fideles in sortem populi Dei: & hoc pet characterem baptismalem. Secundus, quando

in

in tyrones confirmantur, vt fides in eis stet & defendatur: & hoc est character confirmationis. Tertius autem vt propagentur: & hoc est ordinis: & non sunt plures status: & ideo non sunt plures characteres. Aliter potest dici, quòd Christus imprimens characterem sapientia est docens fidem, pugnans fortiter pro fide, & sacerdos ostendens sacrificium fidei: & penes hæc tria imprimit sanctæ fidei characterem. Inquantum est sapientia docens diuinam veritatem, quæ est in articulis fidei, imprimit characterem baptismi: inquantum autem pugnauit vt staret fides in nobis, imprimit characterem confirmationis: inquantum autem vt sacerdos obtulit sacrificium fidei, impressit characterem ordinis. Sed prima acceptio melior est.

DICENDVM ergo ad id quod primo obiicitur contra, quòd characteres differunt in essentia: sed fides non differt nisi per accidens: & hoc est ideo, quia character non est idem quod fides: sed distinctio accepta est penes statum fidei: status autem fidei est diuersus: & ideo character est diuersus: argumentum autem procedit ac si characteris diuersitas penes fidei diuersitatem accipiatur.

Ad quæstiunculam AD ALIVD dicendum, quòd duplex est ordo, scilicet necessitatis, & congruentiæ: character autem baptismalis ad alia sacramenta habet ordinem necessitatis & fundamenti: sed character confirmationis non habet ordinem necessarium ad characterem ordinis, sed congruentiæ tantum. Et si obiicitur de matrimonio quod est etiam in non baptizatis: dicendum quòd hoc non est tantum sacramentum Ecclesiæ, sed etiam officium naturæ: tamen secundum quod est sacramentum, non habet perfectam indissolubilitatem nisi secundum quod fundatur in baptismo & fide. Aliter enim aliquo casu cogente solui potest: vt si alter coniugum nolit cohabitare nisi in contumeliam Creatoris, vt infra dicetur: & per hoc patet solutio ad totum.

ARTICVLVS VII.

Quomodo se habet character sacramentorum Christi ad characterem bestiæ?

QVinto quæritur de comparatione characteris sacramentorum Christi ad characterem bestiæ, de quo charactere legitur Apoc. 13. Ne quis posset vendere, aut emere, nisi habeat characterem nominis bestiæ. Quæritur autem, Vtrum isti characteres fundentur in eodem. Videtur autem, quòd sic: quia contraria nata sunt fieri circa idem: character autem Christi & bestiæ sunt contrarij: ergo nati sunt fieri circa idem.

Quæst. 1.

Sed contra. SED CONTRA: Contraria non sunt simul actu in eodem: ponamus autem aliquem baptizatum peccare mortaliter, constat quòd ipse per peccatum non amittit characterem Christi: ergo tunc simul habentur actu in eodem character Christi & bestiæ siue diaboli, quod impossibile est si sunt contrarij, vt videtur.

Quæst 2. VLTERIVS quæritur iuxta hoc, Quæ sit causa perpetuitatis characteris Christi, & non bestiæ. Videtur, quòd non causa efficiens: quia Deus qui imprimit characterem, infundit etiam virtutem: & tamen virtus non est perpetua.

2 Item, Non videtur, quòd causa perpetuitatis sit non iteratio sacramenti: quia potius è contrario est, scilicet quòd perpetuitas characteris est causa quare non iteratur sacramentum: ergo videtur, quòd nulla sit causa nisi subiectum. Sed tunc character bestiæ erit perpetuus, sicut character Christi, cum in eodem sint sicut in subiecto.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd character bestiæ peccatum est mortale: & non est character secundum plenam rationem characteris, nisi quod efficitur indelebile: & tunc nec adhuc habet plenam rationem characteris, quia non configurat creaturam Trinitati, sed potius facit eam dissimilem: vnde æquiuoce dicitur character.

AD PRIMVM autem dicendum, quòd character Christi & bestiæ non sunt directe contraria, nec omnino sunt secundum idem: sed peccatum est secundum liberum arbitrium, & character secundum intellectum qui est pars imaginis: & quia non sunt contrarij, possunt simul esse.

Ad qu. 2. AD ID quod vlterius quæritur, Quæ sit causa perpetuitatis? dicendum quòd causa indelebilitatis est virtus inuocationis in sacramento fidei secundum subiectum perpetuum: ad hoc enim consequitur quòd ipsum sacramentum aliquid perpetuum operetur, quod aut sit dispositio ad melius bonum perpetuum, aut testimonium iustæ condemnationis si virtus sacramenti abiiciatur. Alia autem sacramenta quæ dant gratiam sine charactere, non habent talem inuocationem, nec relationem ad fidei statum: & ideo delebilis est totus effectus eorum: & ideo iterantur. Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICVLVS VIII.

Quis est effectus characteris?

DEinde quæritur de effectu characteris. Videtur autem ex præhabitis, quòd gratia sit effectus: quia signum in sacramento nouæ legis est causa: sed character est signum gratiæ, vt habitum est: ergo est etiam gratiæ causa.

2 Item, Character est medium inter primum quod est signum tantum, & vltimum quod est res tantum: cum igitur vltimum sit in ratione effectus tantum, & primum in ratione signi tantum: medium erit in ratione effectus & causæ: ergo medium quod est character, est causa vltimi quod est res tantum, scilicet gratiæ.

Sed contra. SED CONTRA hoc obiicitur per diffinitionem causæ: quia causa est (vt dicit Boëtius) cuius esse sequitur aliquid ex necessitate: sed esse characteris non ex necessitate sequitur gratia, vt patet in ficto: ergo videtur, quòd non sit causa gratiæ.

Solutio. Sed quia de hoc iam infinita dicta sunt & hic & supra vbi agebatur de fictione, dicendum quòd character est causa gratiæ hoc modo quo signum sacramentale est causa, scilicet disponens in subiecto, vt supra in diffinitione sacramenti habitum est.

Ad vltimum autem dicendum, quòd est causa quantum est de se: & sic sequitur gratia: sed impeditur per accidens ex parte fictionis.

ARTICVLVS IX.

Quæ gratia eſt ſanctificatio in vtero, & quando datur, & quantum valet: & an talis eſſet baptizandus ſi nunc naſceretur?

DEinde quærendum eſt de charactere ex parte ſuſcipientis: & de hoc infra determinabitur in hac eadem diſtinctione, & ideo vſque illuc differatur. Et quæratur de hoc quod dicit *ibi* [Illud ignorandum quoque non eſt, quod in materno vtero nullus baptizari poterit] Non enim eſt diſputatio de ſanctificatis in vtero, ſcilicet de Ioanne & Ieremia: de quo etiã diſputata ſunt plura in primo lib. diſt. 1. Quæratur ergo, quæ gratia ſit ſanctificatio in vtero, & quando datur, & quantum valet? & hæc quæſtio pertinet ad Ieremiam & Ioannem: quia de Beata Virgine ſupra habitum eſt: & vtrum baptizari deberet paruulus, ſi modo aliquis in vtero ſanctificatus naſceretur? *Quæſt. 1.*

Videtur autem, quòd gratia ſanctificationis in vtero non ſit gratia baptiſmalis: quia illa non poteſt dari, vt dicit Iſido. in litera, non nato ſecundum Adam: in vtero autem exiſtens non eſt natus ſecundum Adam: ergo ipſe gratiam ſacramentalem ſuſcipere non poteſt.

2 Item, Totum tempus conceptus deputatum eſt maledictioni primæ in Pſalm. 50. vbi dicitur Ecce enim in iniquitatibus conceptus ſum: & in peccatis concepit me mater mea. Ergo videtur, quòd tempus conceptus repugnet ſanctificationi: ergo videtur, quòd nullus poteſt in vtero ſanctificari.

3 Item, Quicquid trahitur à maſſa corruptionis, eſt infectum corruptione prima, ſi per cauſam ſeminalem fuit in illa, vt dicit Auguſtinus: ergo in tempore conceptionis videtur, quòd non ſit ſanctificatum vbi infectionis eſt totum tempus: tempus autem conceptionis eſt tempus tractus carnis pueri à carne parentum: contrahit autem continue aut ſubſtantiam aut nutrimentum de carne parentum infecta: ergo videtur, quòd iterum non poſſit ſanctificari: ergo nullus poteſt ſanctificari in vtero.

Sed contra. SED CONTRA hoc ſunt multæ Gloſſæ. Super illud Luc. 1. Ecce enim vt facta eſt vox ſalutationis tuæ in auribus meis: dicit Gloſſ. In ipſo momento quo vox intrat ad aures corporis, ſpiritus intrat cor audientis: & non ſolum matrem, ſed etiam ſobolem amore aduenientis accendit. Ergo videtur, quòd ſanctificatus fuit puer: quia aliter non fuiſſet accenſus amore charitatis.

2 Item, Ibidem alia Gloſſ. ſuper illud, Exultauit in gaudio infans in vtero meo, dicit ſic: Prior Ioannes exultauit, quia prior ſenſit gratiam: & ſicut illa Mariæ, ſic iſte aduentum Domini ſenſit. Non autem potuit ſentire niſi per excellentem gratiam ſanctificationis: ergo videtur, quòd ſanctificatus fuit.

Item, Ibidem alia Gloſſ. dicit ſic, Non prius eſt repleta Spiritu ſancto mater quam Filius. Ergo patet, quòd fuit plenus Spiritu ſancto: & hoc non poteſt eſſe ſine ſanctificatione: ergo fuit ſanctificatus in vtero.

Quæſtiũcula 2. SED TVNC quæritur vlterius, Quando datur? Videtur autem, quòd ante animationem, per illud Ierem. 1. Priuſquam te formarem in vtero noui te, & antequam exires de ventre ſanctificaui te: formatur autem puerperium, vt dicit Auguſtinus ſuper Exod. quando animatur embrio in vtero: ſi ergo fuit natus in vtero per gratiam ante formationem, ipſe fuit ſanctificatus ante animationẽ.

2 Hoc etiam videtur per quandam Gloſſam ſuper Luc. 1. quæ dicit, Nondũ erat illi ſpiritus vitæ, & iam erat ſpiritus gratiæ: ſpiritus autem vitæ eſt anima: ergo ante animationem fuit ſanctificatus.

3 Hoc etiam videtur per rationem: quia cauſa infectionis eſt materia in vtero: cum igitur pronior ſit Deus ad miſerendum quam ad condemnandum, videtur quòd ſanctificatio animam præcedere debuit.

4 Item, Sapiens medicus curat cauſam morbi à radice: ſed Deus ſapientiſſimus eſt: ergo videtur, quod ipſe inceperit curam morbi originalis à radice: radix autem in corpore eſt ante animam: ergo videtur, quod ibi incepit ſanctificationem.

Sed contra. SED CONTRA. Sanctificatio non eſt niſi per gratiam: gratiæ autem gratum facientis quæ eſt in virtutibus nihil eſt ſuſceptibile niſi rationalis ſpiritus: ergo ante ſpiritum rationalem non potuit eſſe ſanctificatio aliqua: ergo non fuit ſanctificatus ante animationem.

Quæſt. 3. VLTERIVS quæritur, Quantum valet illa gratia ſanctificationis in vtero? Vdetur enim minus valere quam gratia baptiſmalis: quia baptiſmus imprimit characterem: ſed gratia ſanctificationis in vtero non imprimit: ergo videtur, quod minus valeat.

2 Item baptiſmus operatur virtute paſſionis Chriſti, & diuina, & fidei Eccleſiæ: ſed gratia ſanctificationis in vtero non operatur niſi virtute diuina tantum: ergo videtur, quòd minorem relinquat effectum, quam gratia baptiſmalis.

Sed contra. SED CONTRA hoc videtur iterum eſſe: quia vigor ſingularis priuilegij ſemper tranſcendit beneficium commune: beneficium autem commune eſt gratia baptiſmalis: & gratia ſanctificationis in vtero non operatur niſi tantum virtute diuina: ergo videtur, quòd gratia ſanctificationis in vtero tranſcendat gratiam baptiſmalem.

Quæſtiũcula 4. VLTERIVS quæritur quarto, Si baptizandus eſſet aliquis, ſi hoc modo nunc naſceretur? Videtur autem, quod non: quia efficacior eſt virtus diuina quam virtus ſacramenti: ſed in ſanctificatis in vtero eſt virtus diuina operans: ergo non debet adhiberi ſacramentum.

2 Item, In natura nihil fit fruſtra: ergo multo minus in operibus diuinis: ſed fruſtra eſſet, ſi eſſent duæ operationes ad vnum habitum inducendum, cum per vnam ſufficienter haberetur: ergo cum ſufficiens habeatur gratia per ſanctificationem in vtero, videtur quòd fruſtra baptizaretur.

3 Item, Non iteratur ſacramentum ne fiat iniuria: ergo ſacramentum non debet conferri ne fiat iniuria operationi diuinæ in ſanctificatione in vtero.

Sed contra. SED CONTRA eſt, quòd ſi aliquis ſanctus accedat ad baptiſmum, ſicut Cornelius: nihilominus tamen neceſſe habet baptizari, ſicut ſupra habitum eſt de his qui ſancti veniunt ad baptiſmum: ergo à ſimili videtur, quòd etiamſi in vtero ſit ſanctificatus, baptizari adhuc teneatur.

2 Item, Conſtat, quòd characterem non habet: ergo tenetur eũ ſuſcipere: & non poteſt niſi per baptiſmum:

ptismum:ergo tenetur baptizari. Et hæc sufficiat ad præsens: quia plura de hoc quæsita sunt supra in distinctione tertia.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd gratia sanctificationis in vtero circa tres personas habuit locum, quæ spiritualem ordinem Spiritus sancti habebant ad illam sanctitatem in vtero, de qua dicitur Matth. 1. Quod enim in ea natnm est, de Spiritu sancto est. Et Luc. 1. Quod enim ex te nascetur sanctum, vocabitur Filius Dei. Et hic ordo super tertium expositus est.

Dist. 3. a. 8. Ad primum ergo quod in contrarium obiicitur, dicendum quòd natus secundum Adam est aliquis duobus modis, scilicet natiuitate in vtero quando formatum est puerperium, & natiuitate ex vtero quando procedit in lucem. Et de prima natiuitate verum est generaliter, quod dicit Isidorus propter sententiam Domini: quia omnes tenet lege concupiscentiæ conceptos, sicut dicitur Ephes. 2. Omnes nascimur filij iræ. Sed de secunda non tenet nisi de renatis per sacramentum, & non per beneficium spirituale sanctificationis.

AD ALIVD dicendum, quòd hæc est falsa, quod totum tempus conceptus deputatur maledictioni: quia sic à singulis momentis acciperet maledictiones diuersas, aut vnam traheret successiue: sed tantum vnum momentum maledictionis est, scilicet in quo inditur anima.

AD ALIVD dicendum, quòd licet embrio per totum tempus conceptionis trahat nutrimentum à matre corrupta, vel à parentibus corruptis: tamen trahit non causam nouæ corruptionis: quia nutrimentum non efficitur nouum corpus quod animetur, sed vnitur corpori iam facto & animato, & ideo non habet causam corruptionis nisi in illo.

Ad quæstiunculam 2. AD ID quod vlterius quæritur, Quando datur illa gratia? Dicendum, quod post animationem: in lumbis enim Adæ vel Abrahæ vel aliorum etiam in carne parentum, vel ante conceptū, non potest aliquis sanctificari: & hoc totum super tertium ostensum est: & causa dicta est ibidem.

In 3. dist. 3. a. 4. AD ID ergo quod contra obiicitur, dicendum quod notitia qua nouit Ieremiam ante sanctificationem fuit notitia prædestinationis: & ideo subiungit de sanctificatione præsentis iustitię, quando dicit, Antequam exires de ventre sanctificaui te.

AD ALIVD dicendum, quòd Glossa sic intelligitur, Nondum erat ei spiritus vitæ, id est, liber anhelitus quo ipse nutritur & fouetur separatus à matre: sed tamen ei erat spiritus qui est causa vitæ. Et probatur per dictum Angeli qui ad Beatam Virginem dixit, Hic mensis est sextus illi quæ vocatur sterilis: nullus autem conceptus est quin mense sexto sit formatus, præcipue in terris calidis, sicut est terra vltramarina, in quibus etiam quandoque septimus mensis statim partui deputatur.

AD ALIVD dicendum, quòd pronior est ad miserandum: sed tamen non facit quod non potest fieri. Omnis autem forma ad hoc quod sit determinata, quærit subiectum proprium: & ideo non dat gratiam antequam sit subiectum in quo possit recipi gratia & virtus: & hoc non est corpus. Præterea, spiritualis medicina à spiritu ad corpus secundum rationem congruitatis debet deriuari. Si autem obiiciat aliquis, quòd potuit Deus causam infectionis amouere à corpore: & tunc anima non inficeretur cum infunditur. Dicendum, quòd potuit Deus facere: sed non decuit iustitiam: qua omnes in peccatis concipiendos condemnauit. Præterea, ille qui sic conciperetur, non esset sanctificatus ex hoc, sed esset in statu innocentiæ primæ: & hoc non esset decor iustitiæ, sed esset deformitas, quod vnus indigeret redemptore & alter non.

AD ALIVD dicendum, quòd cura morbi culpæ non potest incipere in corpore: quia in corpore vt in subiecto non est culpa aliqua, sed pœna tantum: & illa in parte remanet post baptismum, sed non inficit post baptismum propter gratiam redemptionis, & propter characterem baptismalem, sicut dictum est super secundum in tractatu de peccato originali: & ideo congruissimo modo incipit medicina ab anima.

AD ID quod vlterius quæritur, dicendum est, quòd hæc gratia simpliciter maior est quam gratia baptizati: quia plus debilitat fomitem, sicut notatum est super tertium: sed gratia baptismalis secundum quid est maior: quia imprimit characterem, & secundum hoc est maior. Et sic patet solutio ad omnia obiecta contra istum articulum. *Ad qu. 3.*

AD ALIVD quod vlterius quæritur, dicendum quòd si nasceretur infans in vtero cum gratia sanctificationis, ipse deberet baptizari propter præceptum Domini, & propter characterem, sicut Ieremias fuit circuncisus, & Ioannes, & Beata Virgo, vt puto, fuerunt baptizati. *Ad qu. 4.*

AD ID autem quod contra obiicitur, dicendum quòd diuina operatio sufficientissima est ad hoc quod operetur: sed non operatur characterem baptismalem, nec solutionem præcepti sui: & ideo licet gratiam dederit, tamen restat adhuc necessitas baptizandi. Per hoc etiam patet solutio ad sequens.

AD TERTIVM dicendum, quòd nemo est adeo plenus gratia quin possit fieri plenior: & ideo ibi recipit gratiam pleniorem & characterem: & ideo diuinæ operationi non fit iniuria: sed si baptizaretur ad idem habendum quod habitum est per diuinam operationem, tunc teneret obiectio facta.

Leo papa.

PRÆTEREA sciendum est, quòd illi de quibus nulla extant indicia inter propinquos vel domesticos vel vicinos à quibus baptizati fuisse doceantur, agendum est vt renascantur ne pereant: in quibus quod non ostenditur gestum, ratio non sinit vt videatur iteratum. Conferendum eis videtur, quod collatum esse nescitur: quia non temeritas interuenit præsumptionis, vbi est diligentia pietatis. D *De consc. dist. 4. c. Si nulla.*

ARTICVLVS X.

An aliquis inuitus, amens, dormiens, poteſt baptizari?

DEinde quæritur de hoc quod dicitur ibi [Sciendum eſt, quòd illi de quibus nulla extant indicia, &c.] Et quæritur iuxta hoc, Vtrum ſi aliquis ſit mutus, vel dormiés, vel inuitus & reclamans: tamen poſſet baptizari? Videtur, quòd ſic: quia motus liberi arbitrij non exigitur ad baptiſmum, cum paruuli non habeant vſum liberi arbitrij, in quibus tamen operatur virtus baptiſmi.

2 Item, Pro peccato alieno videtur ſufficere fides aliena, id eſt, Eccleſiæ: originale autem peccatum alienum eſt: ergo videtur, quòd illi ſufficiat fides Eccleſiæ quæ æqualiter offertur inuitis & ſurdis & mutis & dormientibus & amentibus: ſicut paruulis: ergo videtur, quòd conſequitur characterem & gratiam baptiſmalem.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd aliter eſt in inuitis, & aliter in aliis. Diſtinguit enim Papa inter inuitum, & inuitum. Eſt enim inuitus non credens, tamen operationi Eccleſiæ non reclamando ſe ſubiiciens, vt hoc ipſum conſequatur quod credit facere Eccleſiam: & hic conſequitur characterem. Eſt etiam inuitus aperte reclamans, & non ſubiiciens ſe operationi Eccleſiæ: & hic nihil conſequitur, etiamſi milleſies immergeretur. De amentibus autem puto, quòd baptizandi ſunt, præcipue ſi filij ſunt Chriſtianorum: & etiamſi alij baptizentur, puto, quòd recipiant characterem & virtutem baptiſmi, ſi ſint amentes à natura. Si autem dum ratione vtuntur, reclamauerint, puto, quòd nihil conſequuntur, ſi baptizantur in amentia. De dormientibus idem dico, quòd ſi baptizantur, & reclamauerint in vigilia, non conſequuntur quicquam: ſi autem annuerint, vel interrogati non reclamauerint: puto, quòd baptizati conſequuntur characterem ad minus, & etiam gratiam ſi compuncti fuerint ante ſomnum: ſed non eſt faciendum niſi in extrema neceſſitate periculi.

De illo qui pro ludo immergitur.

Lib. de baptiſmo, & habetur de conſ. diſt. 4. Solet etiam quæri.

SOLET etiam quæri de illo qui iocans, ſicut mimus, commemoratione tamen Trinitatis immergitur, vtrum baptizatus ſit? Hoc autem Auguſtinus non diffinit ita inquiens, Si totum ludicre & mimice & ioculariter ageretur, vtrum approbandus eſſet baptiſmus qui ſic daretur, diuinum iudicium per alicuius reuelationis miraculum oratione implorandum eſſe cenſerem. Videtur tamen ſapientibus non fuiſſe baptiſma: vt cum aliqui balneum vel in flumen merguntur in nomine Trinitatis, non eſt tamen baptiſmus, quia non intentione baptizandi illud geritur. Nam in hoc & in aliis ſacramentis ſicut forma eſt ſeruanda, ita & intentio illud celebrandi eſt habenda. Illud etiam te non moueat, quòd quidam non ea fide paruulos ad baptiſmum ferunt, vt per ſpiritum ad vitam regenerentur æternam: ſed eos putant hoc remedio temporalem accipere ſanitatem: non enim propterea illi regenerantur, quia nec ab illis hac intentione offeruntur.

ARTICVLVS XI.

An aliquis poteſt iocando vel mimice baptizari?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Solet etiam quæri de illo qui iocans ſicut mimus, &c.] Videtur enim, quòd non ſit baptiſmus: quia ſicut ſtatim dicitur in litera, intentio exigitur in hoc, & in aliis ſacramentis: mimice autem immergens iocari & non baptizare intendit: ergo ille nihil confert. Sed contrarium videtur quod aliud conſequitur: quia Auguſt. ſuper hoc dubitat.

Item, Videtur quòd intentio nihil operatur ad ſacramentum: quia dicit Auguſtinus, quod baptizat ebrioſus, & baptizatum eſt: ebrioſus autem non poteſt intendere: quia ſicut notatum eſt ſuper ſecundum, intentio eſt voluntas cum fine, vel ratio determinans finem: & ebrioſus vſum rationis non habet: ergo intentio in ſacramento nihil operatur.

2 Item, In Euangelio non fit mentio de intentione, cum dicitur in fine Matth. Ite, baptizantes eos, &c. non autem dicitur, Intendite baptizare.

3 Item, Ex parte ſuſcipientis non exigitur intentio ſuſcipiendi: ergo videtur, quòd nec ex parte dantis intentio dandi.

4 Item, Omnes exponimur per hoc periculo, quia neſcimus, vtrum ſacerdos intendat aut non. Et videtur, quòd ex odio multos poteſt negligere non intendendo: ergo videtur, quòd cum baptiſmus ſit ſacramentum neceſſitatis, quòd intentio eſſe non debeat.

5 Item, De hæretico habitum eſt ſupra quod baptizat: & tamen ipſe non intendit facere quod facit Eccleſia. Quod autem opus hæretici imprimat

mat characterem, dicit Ambros. in lib. de lib. arbitr. de baptismo paruulorum sic, Characterem multi lupi infigunt: qui videntur esse intus, veruntamen ad illud ouile quod vnum est ex omnibus, non pertinere morum suorum fructibus cognoscuntur.

6 Item, Ibidem. Dominicus character cum ouis errans liberata ab errore, ad Christianam veritatem redit, agnoscitur, non improbatur.

7 Etiam in litera supra expresse habitum est. Ergo non intendens baptizat, vt videtur: ergo non exigitur intentio, sicut dicitur in litera: & ita mimice baptizatus, baptizatus est, etsi totum fuerit mimicum, vt videtur.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd intentio ex parte dantis exigitur ad baptismum: sed non intentio consecrandi aliquid, sed tantum faciendi quod facit Ecclesia: & hoc exprimitur per verbum baptizandi, cum dicitur, Ego te baptizo, vt supra dictum est in quæstione de forma baptismi. Vnde si ioculatie cum intentione faciendi quod facit Ecclesia super non baptizatum non reclamantem ante, vel tunc, proferatur, baptizatum est: & tunc non totum est mimicum: quia intentio in verbo primæ personæ expressa, mimica non fuit. Si autem mimicum est, & ille reclamat, tunc nihil ille consequitur.

AD ILLVD quod contra obiicitur, dicendum quòd aliud est baptizare ebriosum, quam ebrium: ebrius enim in actu non habet vsum rationis, sed ebriosus non necessario est ebrius.

AD ALIVD dicendum, quòd intentio significatur in actu baptizandi expresse: quia prætet intentionem non est ordinata actio à sapiente.

AD ALIVD dicendum, quòd ex parte suscipientis ponitur intentio ad factum Ecclesiæ, quando non reclamando se submittit: & talis intentio sufficit.

AD ALIVD dicendum, quòd ex hoc non exponitur periculo: quia exprimitur generalis intentio in verbo baptizandi: & illa expressio sufficit ad intentionem Ecclesiæ, scilicet ad faciendum quod facit Ecclesia: licet non credat hoc aliquid valere: talis autem intentio sufficit, vt iam dictum est. Et per hoc patet solutio ad totum.

Quod duo tempora erant in quibus baptizabantur homines.

AGNOSCENDVM est etiam in baptizandis electis duo tempora esse seruanda, id est, Pascha & Pentecosten, vt in sabbato Paschæ vel Pentecostes baptismi sacramentum celebretur. Qui vero necessitate mortis vel periculi vrgentur, omni tempore debent baptizari. F Leo Papa. De consec. dist. 4. c. Duo tempora.

ARTCVLVS XII.

An in electis baptizandis debent seruari duo tempora, scilicet Paschæ & Pentecostes?

DEinde quæritur de hoc quod dicitur *ibi* [In baptizandis electis] Quæ sit ratio illorum duorum temporum: quia videtur, quòd in Epiphania deberet esse baptismus: quia tunc baptizatus est Dominus, & vim regenerationis contulit aquis. Matth. 3. & Luc. 3.

2 Item, Tunc aperti sunt super eum cæli, sicut baptismus cælos aperit: ergo tunc magis est secundum congruentiam tempus baptizandi.

3 Item, In die natiuitatis videtur esse tempus: quia baptismus habet similitudinem cum regeneratione spirituali: ergo ordinatur ad natiuitatem magis quam ad resurrectionem, vt videtur.

4 Præterea, Cum sit sacramentum necessitatis quod differre est periculum, videtur semper esse tempus baptizandi.

Solutio. SOLVTIO. Tempus necessitatis est semper, quando nascuntur paruuli: sed tempus congruentiæ est bis in anno, vt tangitur in litera: quia per baptismum consignamur morti & resurrectioni, vt dicit Apostolus Rom. 5. Quoniam sepelimur cum illo per baptismum in morte, &c. & ter immergimur propter triduanam sepulturam: & nudi extrahimur propter testimonium resurrectionis. Hoc est quod dicit, consepulti erimus cum ipso per baptismum in morte, & quomodo surrexit Christus à mortuis per gloriam Patris, ita & nos in nouitate vitæ ambulemus. In Pentecoste autem: quia Spiritus sanctus operatur in baptismo, qui tunc missus celebratur.

AD ID ergo quod contra obiicitur, dicendum quòd vis regeneratiua est imperfecta ad regenerandum, quam contulit Dominus tactu suæ mundissimæ carnis frigentibus vndis, vt dicit Beda, & reducitur ad actum per veritatem Passionis & inuocationem Trinitatis: & ideo in Passione aqua cum sanguine de latere Christi exiuit, vt intelligatur sanguis in aqua operans.

AD ALIVD dicendum, quòd cælum tunc apertum fuit ad exitum gratiæ: sed ad introitum in gloriam apertum fuit in Passione & Resurrectione, & quoad locum in Ascensione, sicut supra determinatum est.

AD ALIVD dicendum, quòd vt dicit Petrus Gregorij discipulus, in benedictione cerei paschalis, nihil nobis nasci profuit, nisi redimi profuisset: & ideo spiritualis regeneratio magis pertinet ad resurrectionem, quam ad natiuitatem: quia in resurrectione Christus deposuit vetustam pœnalitatem, sicut homo deponit vetustatem peccati.

***

ARTICVLVS XIII.

An venientes ad baptiſmum, fidem debent profiteri, & an illa profeßio ſit votum?

DEinde quæritur de hoc quod ibi dicitur [Porro cuncti ad baptiſmum venientes, fidem profiteri debent] Ex hoc enim videtur eſſe votum ſponſio, quæ fit in baptiſmo: quia votum eſt ſpontanea promiſſio melioris boni, deliberatione & obligatione firmata: ſed conſtat, quòd peccans contra votum, peccat dupliciter vno peccato, quia actum illicitum committit, & quia contra votum facit: ergo videtur, quòd omnis baptizatus peccando poſt baptiſmum, dupliciter peccat: ergo baptizatus condemnationem ſuam deteriorem facit.

SOLVTIO. Dicendum, quòd non eſt votum niſi valde generaliter & improprie ſumendo: quia votum eſt conceptio melioris conditionis boni & promiſſio, deliberata obligatione firmata: non autem dicitur melius bonum niſi conſilij, non præcepti: baptizandus autem non promittit niſi bonum præcepti, ad quod tantum obligatus eſt: & ideo non eſt votum proprie, & ſic patet ſolutio ad totum. *Solutio.*

De reſponſione patrinorum.

PORRO cuncti ad baptiſmum venientes, fidem ſuam profiteri debent, & exponere quid petendum venerint ad Eccleſiam. Vnde etiam à baptizando quæritur, Quid veniſti ad Eccleſiam petere. Qui ſi adultus eſt, pro ſe reſpondet, Fidem, id eſt, ſacramentum fidei, & doctrinam. Ita etiam per ſingula interrogatus, reſpondet ſe credere in Patrem & Filium & Spiritum ſanctum. Si autem paruulus eſt, non valens credere vel loqui, alius pro eo reſpondet. Vnde Iſidorus, Paruuli alio profitente baptizantur, qui adhuc loqui vel credere neſciunt: ſicut etiam pro ægris, mutis, vel ſurdis alius profitetur dum baptizantur: ſic & de pœnitentibus agendum eſt. Si vero pro eo qui reſpondere poteſt, alius reſpondeat, non itidem valet: ſicut dictum eſt, Ætatem habet, pro ſe loquatur. Si vero quæritur, ex quo ſenſu pro paruulo dicatur, Credo, vel Fidem peto. Dicimus de ſacramento fidei id eſſe intelligendum, quod reſpondetur petere cum defertur ad Eccleſiam, & habere fidem cum baptizatur, vt ſit ſenſus cum dicitur, Fidem peto, id eſt, ſacramentum fidei præſto ſum recipere: Credo, id eſt, ſacramentum fidei ſuſcipio: quod eſt, hic paruulus præſto eſt ſacramentum fidei accipere. Vnde Auguſtinus, Nihil eſt aliud credere quam fidem habere: & ideo cum reſpondetur credere paruulus, qui fidei nondum effectum habet, reſpondetur fidem habere propter fidei ſacramentum, & conuertere ſe ad Deum propter conuerſionis (alias fidei) ſacramentum. Sed adhuc quæritur, ex quo ſenſu pro paruulo reſpondeatur, Credo in Deum Patrem, & in Ieſum Chriſtum, & Spiritum ſanctum. Nunquid de ſacramento fidei, an de fide mentis ibi agitur? Si de ſacramento, cur nominatim diſtinguuntur perſonæ? Si vero de fidei affectu, quomodo verum eſt cum ea paruulus careat? An illud facturus paruulus ſpondetur cum creuerit, ſicut & omnibus pompis diaboli ſpondetur abrenuntiare: quod ſi non ſeruauerit factus adultus, tenebitur ipſe, vel ſponſor? Sane etiam dici poteſt ibi ſponderi pro paruulo, quòd ad maiorem ætatem ſi venerit, & pompis diaboli renuntiabit, & ſanam fidem tenebit, cuius tunc ſacramentum recipit. Hac autem ſponſione paruulus pro quo fit, tenebitur, non ſponſor: ſi tamen vt cautio impleatur, quantum in ſe eſt, operam dederit, quia exigitur à patrino, vt ſit diligens circa eum, pro quo ſpopondit, ſolicitudo. De hoc Auguſtinus: Certiſſimam emiſiſtis cautionem, qua renuntiare pompis diaboli ſpopondiſtis.

Lib. 2. de offic. s cap. 24. De cõſe. diſt 4. c. Paruuli.

Ioan. 19.

Epiſt. ad Bonifac. 23. De conſe. diſt. 4. c. Nihil eſt aliud.

ARTICV

ARTICVLVS XIV.

An paruulus ad ætatem veniens, tenetur ad ea quæ pro ipso vouerint patrini, & an patrini obligati sunt tanquam fideiussores fidei eorum, & quo sensu patrini dicant, Credo?

DEinde quæritur de hoc quod dicitur *ibi* [Si autem paruulus est non valens loqui vel credere,&c.] Vtrum paruulus ad ætatem veniens, obligatur ad ea quæ pro eo spoponderunt patrini? Videtur autem, quòd sic: quia dicit Dionysius quòd sensus verborum quæ dicunt patrini est, quòd puer ille in sensum veniens, tenebit sacras confessiones,quæ ibi spoponderunt: ergo obligatur,vt videtur ad hoc.

2 Item, Maius est quod homo sit ordinatus ad bonum, quam ad malum: sed ad malum ligati sumus alterius transgressione: ergo etiam ad bonum obligari possumus alterius obligatione & confessione: ergo pueri obligantur per verba patrinorum, vt videtur.

Sed contra. SED CONTRA: Si aliquis vouet filium suum religioni ante annos discretionis, filius ad annos discretionis veniens, non est obligatus: ergo à simili non obligatur per responsa patrinorum.

Quæstiũcula. VLTERIVS quæritur, Vtrum patrini obligati sunt quasi fideiussores fidei eorum? Videtur autem quod sic: quia ita dicit Augustinus in quodam sermone, Vos autem omnes tam viros quam mulieres qui filios in baptismate suscipitis, moneo, vt vos cognoscatis fideiussores apud Dominum extitisse: monete ergo eos vt semper castitatem custodiant, iustitiam diligant, charitatem ament, ante omnia symbolum & Dominicam orationem discant: & vosipsi tenete,& illis quos suscepistis, ostendite. Ergo videtur, quòd obligantur.

2 Item, Ambros. Longe plus debemus diligere filios quos sacro fonte leuauimus, quam quos genuimus: constat autem, quòd nos obligamur prouidere pueris carnalibus bona: ergo multo magis spiritualibus: ergo tenemur tanquam fideiussores pro eis.

Quæstiũcula 2. VLTERIVS quæritur, Ex quo sensu patrinus pro paruulo dicit, Credo? aut enim loquitur in persona sui: aut in persona paruuli. Si in persona sui: hoc nihil est: quia sacerdos quærendo fidem, nominat paruulum, & quærit de paruulo. Si autem loquitur in persona paruuli: tunc videtur falsum dicere, quia paruulus non credit.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum videtur,quòd paruulus obligatur ad fidem, & ad mores qui continentur ex susceptione baptismi.

AD ID autem quod contra obiicitur, dicendum quòd nihil est simile: quia in baptismo non promittitur aliud pro paruulo, ad quod ex naturali lege non tenetur: sed in voto est vltra hoc spontanea obligatio: & ideo hoc non potest alius facere pro alio. Vnde paruulus in baptismo non facit nec accipit nouam obligationem: sed potius emolumentum accipit ex confessione fidei alienæ, quæ sibi debet fieri propria.

Ad qu. 1. AD ID quod vlterius quæritur, dicendum quòd patrini obligantur ad diligentiam, si alias non instruantur: sed quia in solenni Ecclesia cantatur, Pater noster, & Credo in Deum, & mores prædicantur, & ostenduntur in exemplis bonorum modo: idcirco non adhibetur tanta solicitudo,sicut in primitiua Ecclesia, quando paruuli inter fideles nutriebantur: & hoc intendit auctoritas Augustini.

AD ID quod obiicitur de Ambros. dicendum quòd secundum quid magis debemus diligere spirituales filios, sed carnales simpliciter: magis autem dico secundum quid, inquantum spiritualis filiatio nobilior est, quam carnalis: simpliciter tamen magis obligamur filiis carnalibus: & in ordine diligendorum carnales spiritualibus præponuntur,vt supra in tertio notatum est.

Ad qu. 2. AD ID quod vlterius quæritur de sensu verborum, dicendum quòd cum dicitur, Credo vel abrenuntio, in persona paruuli dicitur: & tantum valet ibi Credo, quantum sacramentum fidei paratus sum suscipere, cum non habeam obicem contrariæ voluntatis & dissensus:& ad huiusmodi credere non exigitur vsus liberi arbitrij. Vnde ex hoc potest patere solutio ad obiectũ in contrariũ.

De catechismo & exorcismo.

ILLA autem interrogatio & responsio fidei fit in catheciſmo, H cui additur exorciſmus. Ante baptiſmum enim fit catheciſmus & exorciſmus: poſt catheciſmum ſequitur exorciſmus, vt ab eo qui iam fide inſtructus eſt, aduerſaria virtus pellatur. Exorciſmus de Græco dicitur in Latinum adiuratio: catheciſmus, inſtructio. Cathecizare eſt inſtruere, vt de ſymbolo ac rudimentis fidei. Exorcizare eſt adiurare: vt Exi ab eo ſpiritus immunde. Symbolum eſt ſignum vel collatio. Signum, quia eo fideles ab infidelibus diſcernuntur. Collatio, quia ibi totius fidei ſufficientia & integritas eſt collata. Catheciſmus & exorciſmus neophytorum ſunt: magiſque ſacramentalia quam ſacramenta dici debent. Neophytus nouitius interpretatur vel rudis: & dicitur neophytus nuper ad fidem conuerſus, vel in diſciplina religioſæ

religioſæ conuerſationis rudis. Hæc ergo præcedunt baptiſmum : non quòd ſine iſtis non poſſit eſſe baptiſmus verus , ſed vt baptizandus de fide inſtruatur , & ſciat cui debitor fiat deinceps , & vt diaboli poteſtas in eo minuatur. Vnde Rabanus , Ante baptiſmum , catechizandi debet in homine præuenire officium clericorum : vt fidei catechumenus accipiat rudimentum , & ſciat cui debitor fiat deinceps. Item Auguſt. Paruuli exufflantur & exorcizantur , vt ab eis pellatur poteſtas diaboli , ne iam contendat eos ſubuertere , ne baptiſmum conſequantur. Non ergo ab infantibus creatura Dei exufflatur vel exorcizatur, ſed diabolus, vt recedat ab homine.

De inſtitutione clericorum, & habetur de cõſe. diſt. 4. c. Ante baptiſmum. Lib. de ſymbolo.

ARTICVLVS XV.

Quare catechizantur paruuli , & ad quid valet catheciſmus ?

DEinde quæritur de hoc quod dicitur ibi [Illa autem interrogatio & reſponſio fit in catheciſmo , cui additur exorciſmus] Quæritur enim , Quare cathecizatur paruulus , cum adhuc non ſit ſuſceptiuus diſciplinæ ? videtur enim deuiare Eccleſia.

Quæſtiũcula 1. ITEM quæritur , Ad quid valet exorciſmus? aut enim expellit dæmonem ab obſidione paruuli corporali, aut ſpirituali. Si corporali : tunc non deberet fieri niſi in corporaliter obſeſſis & furioſis ex oppreſſione dæmonis : & hoc non fit. Si autem fit ad expellendum ſpiritualiter à paruulo: aut habet effectum , aut non. Si habet effectum: ergo exorcizatus non baptizatus poteſt ſaluari, & in ſtatu eſſe ſaluandorum : quod falſum & hæreticum eſt. Si autem non habet effectum : tunc pro nullo & ridiculoſe fit.

Sunt autem quidam, qui ad hoc dicunt , quòd habet effectum non in ſe, ſed in baptiſmo , vt ſcilicet baptiſmus conſequatur effectum pleniorem. Sed hoc nihil mihi videtur : hoc enim eſſe non poteſt niſi confortando baptiſmum, vel diſponendo ſubiectum vt magis fiat habile ad gratiam percipiendam. Si primo modo : hoc eſt impoſſibile: quia quod non eſt, non poteſt conferri: baptizatus autem adhuc non eſt, quando exorcizatur paruulus. Nec ſecundo modo eſſe videtur : quia non poteſt diſponere ſubiectum , niſi aut ex parte pœnæ, aut ex parte culpæ. Non ex parte pœnæ : quia illa connexa eſt culpæ : & non debilitatur , niſi culpa debilitata. Nec ex parte culpæ : quia illa aut tota dimittitur , aut tota manet : conſtat autem, quòd non tota dimittitur in exorciſmo: ergo tota manet : ergo ſubiectum ante exorciſmum & poſtea æqualiter ſe habet : ergo in nullo diſponitur ab exorciſmo.

Quæſtiũcula 2. VLTERIVS quæritur hic de his quæ fiunt in exorciſmo & catheciſmo , quæ & quot ſint, & ſecundum quem ordinem, & quando fiant ?

Solutio. Ad quæſtiunculam 1. SOLVTIO. Dicendum ad primum , quòd duplex eſt vis dæmonis, ſcilicet interior , & exterior : vnde per exorciſmum puto , quòd debilitatur vis dæmonis exterior , & non interior : ſicut probat obiectio. Vis autem dæmonis exterior eſt qua commouet fomitem in adulto, ne conſequatur baptiſmum ; & in paruulo ponit actiones mortis ante baptiſmum : & contra hanc vim exteriorem puto valere exorciſmum. Et per hoc patet ſolutio ad primo quæſita : quia baptiſmus operatur contra vim interiorem , & exorciſmus contra vim exteriorem quæ eſt in fomite.

Ad quæſtiunculam 2. AD HOC autem quod vlterius quæritur de numero & ordine eorum quæ exiguntur in baptiſmo : dicendum quòd ſecundum diuerſas Eccleſiæ conſuetudines variantur in numero & in ordine. Sed vt frequentius , primo exufflatur : vt vis dæmonis exterior pellatur. Secundum, quòd ſignum crucis fit ei in pectore & in fronte : vt diabolus ſe cognoſcat pelli ab eo , tam in occulto cordis, quam in aperto confeſſionis. Tertio accipit ſal in ore : vt ſapori ſapientiæ præparetur , & fœtor fomitis reſtringatur. Deinde fit linitio narium & aurium cum ſputo : vt diſcretionem fidei habeat, & gratiæ , quæ per ſaliuam à capite deſcendentem ſignificatur, & ſenſus eius quoad doctrinam in auditu fidei , & diſcretione fidei ſignata in naribus , aperiantur Chriſto. Deinde fit vnctio in pectore propter cor Deo præparandum , & in ſcapulis propter onera Domini cum inuocatione Trinitatis , ſine cuius adiutorio nihil facere poſſumus. Poſt baptiſmum autem fit vnctio chriſmatis in vertice : vt aperiatur mens imputribilis Deo : ita quòd mente contempletur æterna : quæ per chriſma ſignificatur confectum ex oleo lucente & balſamo conſeruante à putredine. Deinde fit veſtitio de veſtimento candido in ſignum innocentiæ , quæ accipitur in baptiſmo , & gloriæ quæ accipitur in reſurrectione. Tandem accenſus cereus in manu ponitur, vt ſit lucerna pedibus eius verbum Dei , & lumen pedibus ſuis contra tenebras ſpirituales. Et hæc de baptiſmo dicta ſufficiant.

DISTIN

DISTINCTIO VII.

De confirmatione.

NVNC de sacramento confirmationis addendum est: A de cuius virtute quæri solet. Forma enim aperta est, scilicet verba quæ dicit Episcopus cum baptizatos in frontibus sacro signat chrismate. Sacramentum hoc ab aliis perfici non potest, nisi à summis sacerdotibus: nec tempore Apostolorum ab aliis quam ab ipsis Apostolis legitur peractum: nec ab aliis quam ab illis qui locum eorum tenent, perfici potest aut debet. Nam si aliter præsumptum fuerit, irritum habetur & vacuum, nec inter Ecclesiastica reputabitur sacramenta. Licet autem præsbyteris baptizatos tangere in pectore, sed non chismate signare in fronte. Virtus autem huius sacramenti est donatio Spiritus sancti ad robur: qui in baptismo datur ad remissionem. Vnde Rabanus, A summo sacerdote per impositionem manus paracletus traditur baptizato: vt roboretur per Spiritum sanctum ad prædicandum aliis illud, quod ipse baptismo consecutus est. Item, Omnes fideles per manus impositionem Episcoporum post baptismum accipere debent Spiritum sanctum, vt pleni Christiani inueniantur.

De cõse. dist.4. Presbyteri.

Rabanus de instit. cler.

De cõse. dist.5. c.Nouissime. Vrbanus Papa.

De cõse. dist.5.

DIVISIO TEXTVS.

NVnc de sacramento confirmationis,&c.] Hic secundo loco Magister tangit de sacramento confirmationis, de quo determinat tria, scilicet ministrum in principio capituli istius: secundo vbi etiam innuit formam & materiam & effectum *ibi* [Virtus autem huius sacramenti est donatio.] tertio loco tangit causam non iterationis, & suscipientem *ibi* [Hoc sacramentum à ieiunis debet tradi,& ieiunis.

ARTICVLVS I.

An sacramentum confirmationis sit necessarium?

INcidit autem hic quæstio ante literam, An sacramentum hoc, sit necessarium ad salutem, vel tantum ad bene esse institutum? Videtur autem, quòd sit necessarium: quia sine quo non est homo plenus Christianus,hoc est necessarium ad vitam Christianam: sed sine confirmatione non est homo plenus Christianus: ergo est necessaria ad Christianam vitam. Prima patet per se. Secunda scribitur supra vbi dicit Rabanus, Post baptismum accipere debent Spiritum sanctum,vt pleni Christiani inueniantur. Inde vlterius. Sine Christiana vita non est salus: ergo sine confirmatione non est salus. Si forte tu dicas, quòd fere omnes dicunt, quòd duplex est plenitudo, scilicet sufficientiæ,& copiæ: siue plenitudo gratiæ, & plenitudo roboris eius: & dictum Rabani intelligitur de secunda plenitudine. Contra: Secundum hoc idem posset dici de consiliis & operationibus supererogationis: quia sine illis non est plenitudo copiæ: ergo videtur, quòd confirmatio spectat ad plenitudinem necessitatis & sufficientiæ.

2 Item, Hugo de sancto Victor. dicit, Quid prodest si per baptismum erigeris, nisi per confirmationem ad standum confirmeris? Quasi diceret, nihil. Ergo videtur, quòd baptismus non prodest sine confirmatione ad salutem: ergo confirmatio necessaria est ad salutem.

3 Item, Sine expulsione morbi non est salus: quia semper remanet timor,& causa periculi manente morbo: sed omne sacramentum (vt supra dictum est) ordinatum est contra morbum peccati: ergo videtur, quòd causâ periculi non perfecte expellitur, nisi percipiatur gratia sacramenti: ergo oportet,quòd percipiatur gratia confirmationis.

4 Item, Cum duæ sint partes iustitiæ, scilicet declinare à malo, & facere bonum: illa pars quæ est facere bonum, substantialius operatur ad salutem, quam illa quæ est declinare à malo: quia vt dicit auctoritas, vitatio peccati non meretur palmam,

palmam, ſed euitat pœnam: ergo à ſimili cum gratia baptiſmalis ſit ablutiua peccati, & ſic eſt ordinata ad malum expellendum: quia gratia confirmationis habet ordinem ad bonum: videtur, quòd ſubſtantialius operetur ad ſalutem gratia confirmationis, quam gratia baptiſmalis Cum igitur ſine baptiſmate non ſit ſalus: nec ſine confirmatione ſalus erit in via.

Sed contra. SED CONTRA: Si confirmatio neceſſaria eſt ad ſalutem: ergo qui moritur baptizatus ante confirmationem etiam qui non eſt fictus, condemnatur: quod hæreticum eſt dicere.

2 Item, Supra habitum eſt, quòd in baptiſmo confertur gratia & plenitudo virtutum: habens autem gratiam & virtutem, habet omnia neceſſaria ad ſalutem: ergo ad ſalutem non neceſſario indiget confirmatione.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd neceſſitas eſt multiplex, ſicut determinatur à Philoſopho 5. metaphyſicæ. Eſt enim neceſſitas abſoluta: & hac neceſſitate non eſt neceſſaria confirmatio ad ſalutem. Eſt iterum neceſſitas conditionis, ſcilicet finis alicuius; vt ſi debeat homo manere in vita, neceſſe habet comedere. Ita poteſt dici, quòd neceſſaria eſt confirmatio ad ſalutem: ſi debeat fides robuſte & ſine pauore defendi in impugnationibus hoſtis: licet enim alias ex gratia in baptiſmo percepta habeat vnde ſtet: non tamen hoc habet ex gratia ſpecialiter ordinata ad robur contra debilitatem quæ eſt ex fomite deptimente, vt infra patebit: & ſi debeat hoc robur haberi, neceſſarium eſt confirmari.

DICATVR ergo ad primum, quòd iſta ſolutio Magiſtrorum legitima eſt de plenitudine ſufficientiæ & copiæ: ſiue plenitudine ad eſſe, & plenitudine roboris. Ad hoc quod contra obiicitur, dicendum quòd aliter eſt in gratiis ordinatis ad meritum quales ſunt in virtutibus & donis & beatitudinibus, vt ſupra dictum eſt: & aliter in gratia ſacramentali quæ ordinatur contra defectum ex peccato prouenientem. Quia illa dant plenitudinem copiæ mutantem ſtatum perſonæ: ſicut alius eſt ſtatus ſeruantis conſilia, & alius eſt ſtatus ſeruantis præcepta tantum. Sed illa quæ ſunt in ſacramentis, expellunt peccatum in quocunque ſtatu, vel defectum ex peccato prouenientem: & ideo ſine illis non eſt plenitudo ſimpliciter ordinata ad ſalutem vel ordinans. Vnde gratia ſacramentalis magis pertinet ad plenitudinem ſalutis Chriſtianæ, quam gratia perfectionis in conſiliis & ſupererogationibus.

AD ALIVD dicendum, quòd dictum Hugonis dupliciter poteſt intelligi: vno modo vt loquatur in caſu vbi contemptus religionis excludit ſacramentum: quia contemnere ſacramentum eſt condemnabile, quamuis in ſe non ſit neceſſarium, Alio modo poteſt dici, quòd non dicit hoc: quia ex hoc ſequitur condemnatio, ſed quia vt frequenter ſequitur ex debilitate cadendi in pugna ſpirituali.

AD ALIVD dicendum, quòd morbus dupliciter expellitur per gratiam ſacramenti: vno modo quoad culpam, & ſic expellitur in baptiſmo quoad originalem culpam, & in pœnitentia quoad ad culpam actualem: & ex hac expulſione habetur ſufficientia ſalutis. Alio modo expellitur quoad pœnam inclinantem in culpam, & quoad hoc expellitur in confirmatione, & ſacramento altaris, & extrema vnctione: & ex hoc habetur ſufficientia roboris ad pugnandum contra hoſtes ſpirituales.

AD ALIVD dicendum, quòd baptiſmus non conſiſtit in ſola ablutione ſordium: ſed circa corpus ponitur nitor & venuſtas ex ablutione, quæ ſignificat nitorem animæ in gratia poſita in ea & virtutibus. Licet etiam confirmatio ſonet ordinem in bonum: tamen gratia confirmationis principaliter dicit robur ex ablutione diſpoſitionis contrariæ audaciæ ſpirituali quæ eſt in confeſſione nominis Chriſti, vt infra patebit. Et ideo ex neutra parte ſimile eſt. Præterea, Obiectio falſum præſupponit: quia declinare à malo dicitur dupliciter, ſcilicet non facere malum negatione ſimplici: & hæc non eſt pars iuſtitiæ, ſed euitat pœnam. Alio modo declinare à malo dicit nolle facere malum, id eſt, velle non facere malum: & hæc ponit actum voluntatis interioris tendentis à malo, qui eſt actus interior in habente gratiam: & hæc eſt proprie pars iuſtitiæ generalis: & quoad illum meretur palmam: & cum hoc habet ſimilitudinem baptiſmus qui conſiſtit in ablutione & poſitione, & etiam confirmatio quæ aufert morbum & ponit robur ex gratia data ſimpliciter ad ſtandum in pugna. Obiectio autem ſupponebat, quòd primo modo declinare dictum eſſet pars iuſtitiæ, & haberet ſimilitudinem cum baptiſmo.

ARTICVLVS II.

An ſit aliqua materia determinata confirmationis, & quæ eſt illa?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Forma enim aperta eſt. &c.] Hæc enim verba dicit Epiſcopus cum confirmat, Confirmo te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti, Amen. Quidam autem habent hunc vſum, Confirmo te ſigno crucis, & confirmo te chriſmate ſalutis, &c. Sed primus modus generalior eſt.

Quæruntur autem multa circa hanc formam. Primo quia Apoſtoli nulla forma vſi videntur eſſe in actibus, ſed ſimplici manuum impoſitione confirmabant. Act. 8. Tunc imponebant manus ſuper illos: & accipiebant Spiritum ſanctum. Et videns Simon quia per impoſitionem manuum daretur Spiritus ſanctus.

2 Item, In Euangelio, Venientibus ad Ieſum paruulis, impoſuit illis manus. Et non legitur, quòd ſignauerit eos ſigno ſanctæ crucis, vel confirmauerit chriſmate ſalutis.

3 Hoc etiam videtur ratio poſtulare: quia in confirmatione datur Spiritus ad robur: & ideo datur ab illo qui excellentiorem gradum tenet in Eccleſia: ergo videtur, quòd Spiritus ab illo traduci ſignificatur in confirmandum: ergo non deberet retorqueri ad aliud: retorquetur autem ad aliud quando dicitur, Confirmo te, &c. non ergo debet dici, vt videtur.

4 Præterea, Si ſacramentum non habet inſtitutionem niſi diuinam, vt ſupra determinatum eſt, & omnes Doctores hactenus dixerunt: & Apoſtoli & Dominus confirmauerunt, non vtentes aliqua forma: videtur quòd nec Eccleſia vti debeat aliqua forma.

5 Item,

5 Item, Nusquam legitur in canone de institutione huius formæ confirmationis, qua vtuntur nostri temporis Episcopi: ergo videtur, quòd sit ad bene esse appositum ab Ecclesia, & non sit de forma.

Sed contra. SED CONTRA: Dicit Hugo de sancto Victore, quòd sacramentum est corporale & visibile elementum ex institutione significans, ex similitudine repræsentans, & ex sanctificatione inuisibilem gratiam conferens. Corporale autem elementum (vt supra habitum est) nihil est sine verbo ad elementum accedente: ergo in confirmatione oportet haberi verba quæ sunt forma sacramenti, quæcunque illa sint.

2 Præterea, In præhabita diffinitione dicit Hugo, quòd corporale elementum confert gratiã ex sanctificatione: sed sanctificatio non est nisi per verba inuocationis diuinæ: ergo in hoc sacramento exiguntur verba inuocationis diuinæ, quæ est forma sacramenti.

3 Item, Supra habitum est, quòd Deus non contulit ministris interius mundandi vel operandi potestatem, sed tantum exterius, ne spes poneretur in homine: ergo confirmatio consistit in interiori mundatione infectionis fomitis, trahentis in debilitatem & noxiam verecundiam confessionis fidei: sed Deus non contulit illam ministris: ergo non debet significari hæc gratia descendere à ministro, vt ante videbatur probari, sed potius à Deo per opus sacramenti: hoc autem fieri non potest nisi mediante forma verborum inuocationis Dei quæ operatur: ergo exigitur forma verborum.

Quæstiũcula 1. VLTERIVS hic quæritur de ipsis verbis quę sunt de forma: & quæritur de hoc quod dicitur, Consigno te signo crucis, &c. videtur enim, quòd hoc superflue ponatur: quia signatur in baptismo cruce & in pectore & in scapulis & in vertice.

2 Præterea, In verbo quod est de forma sacramenti proprius actus ministri exprimi debet, sicut cum dicitur, Baptizo te in nomine Patris, &c. sed proprius actus ministri in hoc sacramento non est signare, sed potius confirmare: ergo videtur, quod non debet minister in forma huius sacramenti vti verbo signandi.

Quæstiũcula 2. PRÆTEREA quæritur, Quare in confirmatione potius fit mentio de cruce, quam de glorificatione & resurrectione, vt dicatur consignari cruce?

2 Item, Vnius sacramenti non est nisi vnicus actus sacramentalis: confirmatio est sacramentum vnum: ergo vnicum actum sacramentalem habet: ergo in forma duplex actus non debet exprimi: ergo non debet dici, confirmo & consigno, quia hæc duo verba duos actus exprimunt.

Quæst. 3. ITEM quæritur de hoc quod dicitur, Confirmo te chrismate salutis, quare potius dicit salutis, quam gratiæ vel vitæ æternæ? Et videtur, quòd debeat dici, gratiæ: quia salus quæ dicit euasionem periculi non est nisi ex collata gratia: ergo gratia secundum intellectum est ante salutem: ergo immediatior est collatio gratiæ actui sacramenti quam salus: cum ergo actus sacramenti per terminum immediatum debeat determinari, videtur quòd deberet dici, chrismate gratiæ, & non salutis.

2 Item, In forma baptismatis nulla fit mentio de materia, vel fine, vel efficiente effectum sacramenti: sed simpliciter dicitur, baptizo te in nomine, &c. ergo videtur, quòd nec hic aliqua mentio fiet de materia, & efficiente: ergo non debet dici, chrismate salutis: sed simpliciter, confirmo te in nomine Patris, &c.

Præterea, omnes quæstiones quæ factæ sunt in tractatu de baptismo circa linitiones, additiones, diminutiones, & corruptiones, habent hic fieri: & eodem modo soluuntur vt ibi.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd hoc sacramentum est contra debilitatem ex fomite surgentem, ex eo quod non totus purgatur in baptismo, sed remanet debilitatus ad exercitium pugnæ: maior autẽ difficultas est in confessione nominis Christi & signi redemptionis, hoc modo quo confitendus est ore & opere procedentibus ex corde, sicut dicitur Rom. 10. Quia si confitearis ore Christum Dominum Iesum, & in corde tuo credideris, saluus eris. Hanc etiam confessionem non sustinet dæmon: sed surgit contra scandala: & ideo ad hunc actum necessaria est confirmatio.

DICENDVM ergo ad primum, quòd meo iudicio nunquam fuit celebrata confirmatio sine forma verborum ab Apostolis: Christus autem qui habebat & potestatem auctoritatis inquantum Deus, & potestatem excellentiæ inquantum homo vnitus Deo, poterat conferre vt voluit: quia ipse non tenebat locum ministri, sed capitis in Ecclesia. Sed, vt puto, Apostoli nunquam confirmabant sine forma verborum præscripta: licet hoc quidam dixerint & quæsiuerint rationem, quare ipsi sine forma verborum & materia determinata, nostri autem Pontifices cum forma verborum & materia chrismatis.

VNDE ad argumenta dicendum, quòd licet hoc non legatur: tamen instituta est forma à Domino, Apostolis tradita, sicut & baptismi: potest tamen dici, quòd confirmatio duplex: quædam est ad standum in bono vniuersaliter, & hæc fit ab alio quocunque, præcipue tamen à maioribus qui tenent locum maioris sanctitatis & vitæ meritorum per orationem: & hac confirmatione vtebantur Apostoli sæpius confirmantes eundem. Alia confirmatio quæ imprimit characterem sacramẽtalem ad expulsionẽ timiditatis ex fomite prouenientis, nunquam ab Apostolis facta est sine verbis & materia determinata: propter quod habemus capitulum speciale in Dionysio in Ecclesiastica hierarchia, qui cum Apostolis fuit, de perficiendis in myro, & in ipso offerendis: & loquitur de sanctificatione chrismatis.

AD ID ergo quod obiicitur contra per rationem, dicendum quòd gratia sacramentalis non descendit ex vitæ merito, nec à ministro, vt probatum est: sed ex opere sacramenti, & ideo ad opus in materia cum verbis est retorquenda.

AD SEQVENTIA duo patet solutio per ante dicta.

Ad quæstiunculam 1. AD ID quod vlterius quæritur de verbis formæ, dicendum quod altissimum in vita Christiana confessio fidei est: & hoc sic probatur, Licet enim amor sit altus: tamen innititur cognitioni fidei, & spes similiter: quia dicit August. Non amatur, nisi creditum, vel cognitum: nec etiam speratur, nisi quod aliquo modo est præsumptum & creditum. Difficile autem, quod est in cardinalibus, licet sit difficile potentiæ operantis, tamen ratio probat & suadet illud: hoc autem est difficile

difficile intus, & extra:& primo intus, quia abnegatur propria ratio: extra, quia hoc principaliter quæsitum est ab hostibus visibilibus & inuisibilibus: primo autem, quia fides est prima, & non innititur alij: ideo respectu huius actus principaliter operatur confirmationis gratia: oportet igitur haberi duplicem actum in confirmando: vnum qui sit initiatiuus & demonstratiuus, ad quem est confirmatio principaliter:& alterum qui exprimat propriam operationem confirmationis sacramenti: & ideo præmittitur per modum insinuationis, Consigno te signo crucis:& subsequitur, Confirmo:& primum est propter difficile interius, ad quod ordinatur confirmatio: & aliud propter difficile extra, ad quod confirmat ad standum.

DICENDVM ergo ad primum, quòd consignatio in baptismo est sacramentalis, & non sacramenti: & est ad expellendam vim hostis in fomite, ne impediat consecutionem baptismi: & vt meditetur de Deo baptizatus, & cogitet, & portet iugum Dei in scapulis, vt supra dictum est de sacramentalibus baptismi: sed hic fit confirmatio quasi insinuatiua vexilli, sub quo actus sacramenti confirmationis est exercendus.

Ad quæstiunculam 2.

AD ALIVD dicendum, quòd in incarnatione & sepultura & resurrectione non fuit pugna Christi, sed tantum in cruce: nos autem ascribimur vexillo crucis suæ per confirmationem:&ideo fit mentio de cruce tantum,& non de aliis.Hoc est quod dicit Apostolus 1.Corinth.1.Nos prædicamus Christum crucifixum, Iudæis quidem scandalum, Gentibus autem stultitiam, &c. ipsis autem vocatis Iudæis atque Græcis Christum Dei virtutem & Dei sapientiam. Vnde maxime fuit hoc à Iudæis impugnatum, & à Gentibus:& ideo confirmationis actus proprie est respectu illius. Secunda difficultas est eiusdem in pugna spirituali: quia dæmon ibi prædam amisit, quoad debiti solutionem, & satisfactionis impletionem:& ideo nos maxime impedit illi conformati, cum hoc sit tollere crucem, & sequi Saluatorem: & ideo fit mentio de cruce præcipue.

AD ALIVD patet solutio per ante dicta:quia primus actus per primum verbum importatus est: insinuatur etiam finis ad quem est confirmationis actus, & necessitatis huius vera causa est dicta. Et per hoc patet solutio ad sequens, quare necessarium est hic duplex verbum.

Ad quæstiunculam 3.

AD ALIVD dicendum,quòd vt patet ex habitis superius quæstionibus de gratia sacramentorum, omnis gratia sacramentalis est contra periculum:sed specialem ordinem habet confirmatio: quia est contra periculum intra, & contra periculum extra:intra, quia tollit debilitatem & verecundiam noxiam confitendi Christum ex fomite prouenientem. Extra autem, quia confortat ad standum coram regibus & principibus & dæmonibus:& ideo dicitur potius salutis, quam gratiæ: quia salus est ibi substantialiter quæ dicit euasionem periculi.

AD RATIONEM autem dicendum, quòd licet hoc fit per gratiam, tamen non fit per gratiam vt gratiam, id est, quæ facit gratum habentem, & opus eius gratum reddit: sed potius per gratiam vt saluantem interius, & saluantem extra à terroribus timiditatis.

AD ALIVD dicendum, quòd in baptismo est ordo contra generalem morbum in elemento vniuersali, ad quod non oportet habere insinuationem aliquam, quia non habet difficultatem ex parte sucipientis; sed in confirmatione necessaria est insinuatio,vt dictum est,Et quia sacramentum insinuat præcipue in similitudine inuenta, non in proprietate elementi materialis: ideo oportuit in forma huius sacramenti fieri mentionem de materia: quia secundum Magistrum, Hugonem sacramentum ex similitudine repræsentat. Et per hoc patet solutio ad omnia quæsita.

ARTCVLVS III.

An materia sacramenti confirmationis sit chrisma?

DEinde quæritur de hoc quod dicit ibi[Sacro signat chrismate, &c.] Et quæritur de materia huius sacramenti: & videtur, quòd materia huius sacramenti non debet esse chrisma:quia ad morbum generalem exigitur medicina quæ generaliter potest haberi:ergo videtur, quòd chrisma non debet esse materia.

2 Præterea, In baptismo quod est sacramentum ordinatum contra culpam originalem, materia est elementum simplex: videtur ergo, quòd in confirmatione quæ ordinatur contra debilitatem ex fomite originalis consequentem, debeat etiam esse materia simplex elementi.

ITEM,Quare in hoc sacramento potius quam in aliis est liquor commixtus materiæ? Videtur, quòd non debeat esse: quia vnicus est effectus sacramenti: ergo vnica materia debet demonstrati: ergo in vnico liquore. *Quæst. 1.*

VLTERIVS quæritur, Quare potius sumuntur hi liquores, scilicet oleum, & balsamum, quam alij? Videtur enim, quòd magis assumi deberet vinum: quia hoc bonæ spei reddit hominem, vt dicit Philosophus 4. Ethicorum: & audaces fortes facit,vt habetur Esdræ 4. Cum igitur confirmatio sit ad pugnandum; videtur quòd vinum tantum debeat assumi. *Quæst 2.*

2 Item,De pane dicitur,Et panis cor hominis confirmat: ergo panis est propria materia confirmationis, vt videtur.

3 Item, Oleum quod supernatat, magis videtur significare misericordiam & charitatem,quam corroborationem: ergo non est propria materia confirmationis,vt videtur.

4 Item, De balsamo obiicitur:quia sicut dicit Hugo, significat odorem bonæ famæ:fama autem potius in alio est quam in eo qui famosus est, sicut & honor: cum ergo materia sacramenti debeat habere signum in suscipiente sacramentum, & non in alio, videtur, quòd balsamum nihil operetur ad materiam huius sacramenti.

VLTERIVS quæritur si oleum & balsamum non consecrata, possunt esse materia huius sacramenti? Et videtur, quòd non: quia determinato tempore anni consecratur chrisma: & alio non possunt vti Episcopi in confirmando. *Quæst 3.*

SED CONTRA videtur: quia materia baptismi elementum est non consecratum: ergo videtur, quòd similiter materia huius sic debet esse. *Sed contra.*

2 Item, In Eucharistia panis & vinum non necessario

necessario prius benedicuntur, sed vna est forma consecrans & transsubstantians : ergo videtur, quòd in isto sacramento debeant liquores isti non consecrati esse materia sacramenti.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd hoc sacramentum sicut est contra morbum specialem, ita aliquid speciale habet in forma & in materia : & ideo parum valent huiusmodi argumenta : hoc est in illo vel illo sacramento : ergo & in alio debet esse : in isto autem speciale est, quòd est confirmatiuum & operatiuum : & ideo tres causas propter quas principaliter instituta sunt sacramenta, istud sacramentum sibi principaliter vendicat : quia ex materia & forma est ad eruditionem inquantum est insinuatiuum, vt prius dictum est : & iterum exercitio actus confert gratiam, & ex corporali elemento humiliat hominem vt in inferioribus se propter Deum & à Deo quærat salutem.

DICENDVM ergo ad primum, quòd substantialiter considerando neque necessitas sacramenti, neque generalitas causa sunt, quare habeat hanc materiam vel illam : sed illud habet pro materia in quo expresse inueniuntur signa sensibilia, rem sacramenti significantia & confirmantia, sicut patet supra ex diffinitione sacramenti : & ideo in sacramento baptismi aqua est sacramentum : quia est ablutiua sordium, faciens nitere abluta, & elementum super quo apparuit spiritus vitæ in creatione mundi & in quo primo apparuerunt animantia, & anima viuens & mobilis : per has proprietates habet conuenientiam cum re baptismi, in qua homo primo regeneratur ad vitam spiritualem, & datur sibi esse per Spiritum sanctum : & ideo non valet prima ratio, Si confirmatio est contra morbum generalem, quòd debeat habere pro materia elementum generale : quia hoc non est causa materiæ sacramenti, vt dictum est : sed habet chrisma pro materia : quia illud inter alios liquores expressiorem ponit insinuationem per signa ad rem confirmationis intelligendam. Per hoc etiam patet solutio ad sequens : hæc enim sunt argumenta quorundam, & ponunt non causam vt causam.

Ad quæstiunculam 1. AD ALIVD dicendum, quòd licet res sacramenti sit vna prima : hæc tamen est multiplex virtute & potentia, secundum ea ad quæ expedit hominem, sicut est pugna spiritualis, & confessio fidei in aperto sine tremore, & huiusmodi : & ideo in vno elemento non poterat repræsentari quoad hæc omnia, sicut iam dictum est de forma, quòd verbum duplex habet, scilicet confirmo, & consigno.

Ad qu. 2. AD ALIVD dicendum, quòd istud sacramentum habet hos duos liquores speciales, vt dicunt fere omnes sequentes Hugonem de sancto Victore, scilicet oleum conscientiæ propter gratiam, & balsamum bonæ famæ : & verum est quod dicunt si bene intelligatur : oleum enim in conscientia facit tria, præcipue oliuarum, quia aliud oleum non potest esse materia : hoc enim oleum lucet, vngit, & pascit : & lux eius refertur ad similitudinem characteris qui lumen quoddam est, sicut in anterioribus probatum est, vnctura autem refertur ad lenimentum doloris fomitis, cuius vulnus intulit timorem, & facit trepidare vbi non est timor : & ideo pugiles in agonibus olimpiarum antiquitus vngebantur, vt ab aduersario teneri non possent : pascit autem non per comestionem, sed per subintrationem in substantiam, & ministrando ei fomentum humoris, ne deficiat in laboribus, & rigescat in pugna. Ex natura autem arboris habet virorem in æstate & hyeme : & significat constantiam in prosperis & aduersis. Balsamum autem, vt dicit Moyses Ægyptius non nascitur nisi in oculo solis qui significat Christum, qui venit vnctus nobis princeps & dux belli : ex quo nos Christiani dicimur, quia similiter sumus vncti. Et conseruat balsamum à putredine ea quæ balsamo inunguntur, & habet similitudinem contra putredinem fomitis trahentem in pusillanimitatem & timorem Christiani nominis in persecutione. Patet igitur, quòd hi duo liquores simul coniuncti ponunt maiorem conuenientiam ad rem huius sacramenti quam alij.

AD ID quod obiicitur de vino, dicendum quòd vinum non sanat, nec ex robore confert audaciam : sed potius ex malitia & infirmitate, quia eleuat spiritus & sanguinem ad superiora, & oppilat vias discretionis ne discernatur periculum in quod præcipitat : & ideo nullam conuenientiam habet cum re sacramenti quæ ex robore collato confirmat.

AD ALIVD dicendum, quòd panis confirmat ad permanendum in esse & vita, sed non ad pugnandum ex robore quod ministrat : & ideo huic confirmationi respondet vnitas corporis mystici in charitate capitis & membrorum, ad quod confertur gratia in sacramento Eucharistiæ : & ideo panis est ibi sacramentum, & non hic.

AD ALIVD dicendum, quòd licet oleum quoad proprietatem supernatationis similitudinem habeat cum misericordia : tamen quoad alia habet similitudinem cum re confirmationis, vt dictum est : tamen etiam hæc proprietas potest reduci ad similitudinem rei, eo quod confirmatus non minis deprimitur & terroribus.

AD ALIVD dicendum, quòd Hugo tangit causam per accidens & ex consequenti : sed principalis est illa quæ supra dicta est : forma enim per accidens operatur ad actum huius sacramenti, vt scilicet sciatur quia non ex obstinatione & temeritate vel superbia sit intrepidus, sed ex robore Spiritus : hoc enim non scitur nisi per opinionem bonam quæ habetur de ipso.

Ad qu. 3. AD ALIVD dicendum, quòd oleum & balsamum non consecrata, non sunt nec esse possunt materia huius sacramenti : sicut enim est in virtutibus politicis, sic est etiam differentia in sacramentis. In virtutibus autem politicis sic est, quòd quædam non sunt perfectæ virtutes nisi delectationem habeant in actu, vt dicit Philosophus, Signum oportet accipere habitum non facientem in actu delectationem. Et illæ non consistunt simpliciter circa difficillimum, sed circa difficillimum suæ materiæ. Quædam autem sunt tales, quòd sufficit in actibus earum, si non contristantur ad rationis deductionem vel turbationem ; & illæ consistunt in difficillimo suæ materiæ & in difficillimo simpliciter. Ita est etiam in sacramentis, quod actus rei sacramentalis, id est, ad quem gratia sacramentalis est ordinata, est in maxima difficultate : & ideo exigitur in materia insinuante illum actum amplior præparatio quam in materia alterius sacramenti : & ita est hic confessio

fidei intrepida, triplicem rationem habens difficultatis, vt ſupra dictum eſt, propter quod oportet materiam eſſe conſecratam etiam ab eo qui tenet maiorem locum in Eccleſia : vt gratia abundans ſignificetur. Et ex iſta determinatione reſultat intellectus diſtinctionis materiæ quam dederunt antiqui, ſcilicet quod alter eſt de materia confirmationis, & aliter de materia baptiſmi: quia non tota aqua fluminis vel vaſis eſt materia baptiſmi, ſed tantum illa quæ adhæret per contactum baptizato, & non habet vim regeneratiuam niſi contingens baptizatum : ſed totum chriſma conſecratum eſt materia confirmationis: quia totum ad hoc præparatum eſt : & non oportet niſi quòd accedat forma, & eſt perfectum ſacramentum. Et ex hoc patet ſolutio ad ea quæ obiiciuntur in contrarium : quia non eſt ſimile de hoc ſacramento, & de aliis.

ARTICVLVS IV.

An non ordinatus poteſt confirmare, & an ordinatus non Epiſcopus?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi*[Sacramentum hoc ab aliis non poteſt perfici niſi à ſummis Sacerdotibus,&c.] Et eſt hic quæſtio de miniſtro huius ſacramenti, & eſſet diuerſificanda: aut deberet eſſe bonus, aut poſſet eſſe malus : & vtrum hæreticus vel non ? Sed hæc diſputata ſunt in tractatu de baptiſmo. Sed hic quæremus duo: primo, vtrum non ordinatus poſſit confirmare? Secundo, vtrum ordinatus, non Epiſcopus poſſit ?

AD PRIMVM obiicitur ſic: Ponamus,quòd aliquis ſit in neceſſitate, & deſideret ſacramentum, & non poſſit habere ordinatum vel Epiſcopum, videtur melius eſſe quòd accipiat à laico, quam quod decedat ſine ſacramento : præcipue cum non ſit plenus Chriſtianus qui hoc ſacramentum non habeat.

2 Item, In neceſſitate baptizat laicus, & baptizatum eſt : & audit confeſſiones, & ille abſoluitur à peccatis : ergo videtur, quòd in neceſſitate etiam aliquis poſſit confirmare.

3 Item, Quandoque eſt abundantior gratia in laico quam in Prælato : ſi ergo robur gratiæ debet transfundi à gratia abundanti, videtur quòd quandoque melius transfundatur à laico quam à Prælato vel Epiſcopo.

4 Item, In naturis eſt ſic, quòd vbi res eſt per eſſentiam & præſentiam, ibi operatur effectum, & non ibi vbi non eſt, ſed deberet eſſe : ſed cum ordo gratiæ non contrarietur ordini naturæ, videtur,quòd in gratia ſimiliter ſit : ergo vbi actu eſt abundans gratia, citius transfundit gratiam, quam vbi non eſt ſed eſſe debet : ſæpius autem eſt in laico abundans gratia,& non in Epiſcopo:ergo quandoque à laico poteſt fieri confirmatio melius quam ab Epiſcopo.

Quæſtiũcula 2. ITEM, Ponamus, quòd aliquis gerat ſe pro Epiſcopo, non eſt autem Epiſcopus, ſicut faciunt illi qui ſe dicunt Armenos : & aliquis veniat ad eum probabiliter putans eum eſſe Epiſcopum, & recipiat ab eo confirmationem : quæritur, vtrum ſit confirmatus? Videtur quod ſic : quia qui probabiliter credit ſe eſſe baptizatum, reputabitur baptizatus : & ſi decedat, euolat, niſi impediat eum peccatum actuale.

2 Similiter, Si aliquis illi quem putat eſſe ſuum ſacerdotem,confiteatur,& ille ordinem non habet, confeſſus reputatur : ergo videtur,quòd & ille confirmatus ſit.

SED CONTRA: Eccleſia poſtea ſcito quòd ille Epiſcopus non erat,confirmat eum iterum: quod non faceret ſi confirmatus eſſet, quia non eſt ſacramento facienda iniuria : ergo non eſt prius confirmatus. *Sed contra.*

VLTERIVS quæritur de ſecundo, ſi ſacerdos ſimplex poteſt confirmare? Et videtur quod ſic : quia Gregorius permiſit hoc propter ſcandalum, vt habetur in litera : ſi autem eſſet de veritate vitæ & doctrinæ, quòd hoc ſacramentum ab Epiſcopo conferretur, pro nullo ſcandalo fuiſſet permiſſum : videtur ergo,quòd ſi ſacerdos ſimplex confirmet, confirmatum eſt. *Quæſtiũcula 3.*

2 Item, Simplex ſacerdos vngit chriſmate, & in eminentiori loco quam ſit frons, quia in vertice : ergo videtur, quòd nec in materia, nec in loco ſit repugnantia, quòd ſimplex ſacerdos confirmare non poſſit.

3 Item, Si ſolus Epiſcopus confirmare poteſt: aut hoc eſt ex ordine,aut ex iuriſdictione. Si ex ordine : ergo ſacerdos poteſt : quia Epiſcopus nullum habet ordinem quem non habeat ſacerdos ſimplex. Si autem ex iuriſdictione : ergo electus ante conſecrationem hoc poteſt: quia electus totam habet iuriſdictionem etiam antequam habeat ordinem.

SOLVTIO. Dicendum, quòd ſolus Epiſcopus poteſt hoc ſacramentum conferre : & ratio huius eſt res & actus huius ſacramenti : res enim eſt ſpiritus collatus ad robur : & ideo conueniens eſt quoad ſignum ſacramentale, quòd à plenitudine deſcendat: actus autem excellentiſſimus eſt,vt prius dictum eſt : & quoad hunc etiam oportet habere miniſtrum excellentiorem. *Solutio.*

DICENDVM ergo ad primum, quòd non eſt melius quod accipiat à laico : quia deſideranti ſacramentum nihil deperit de virtute ſacramenti, licet characterem non habeat : ſed de baptiſmate ſecus eſt, vt patet ex ſupra dictis : quia baptiſmus non requirit actum liberi arbitrij, quia aliter non daretur paruulis : & eſt ſacramentum neceſſitatis.

AD ALIVD dicendum,quòd ſimplici neceſſitate baptiſmus eſt ſacramentum neceſſitatis : ſic autem non eſt de confirmatione.

AD ALIVD dicendum, quòd eſt gratia perſonæ ordinata ad meritum vitæ, & eſt gratia miniſtri Eccleſiæ ordinata ad poteſtatem clauium & operationes ſacramentorum : & de prima verum eſt quod obiicitur, & non de ſecunda : à ſecunda autem deſcendit gratia ſecundum ordinem in ſacramentis.

AD ALIVD dicendum, quòd in miniſtro Eccleſiæ gratia eſt præſens ſecundum actum, licet non ſit gratia perſonalis ad vitæ meritum ordinata, vt iam patuit.

AD ALIVD dicendum, quòd ille non eſt confirmatus, nec habet characterem confirmationis : & nihil valet obiectio de ſacramentis neceſſitatis de iſto,vt ſæpius iam dictum eſt. *Ad quæſtiuncũlam 2.*

AD ALIVD quod circa ſecundum quæritur, dicendum quòd ſimplex ſacerdos confirmare non poteſt:

potest: & non est hoc propter locum vel materiam, sed propter signum ad rem sacramenti, quod non conseruatur in eo in cuius clauibus est gratia contracta & diminuta, sicut in principio huius solutionis dictum est.

AD ALIVD quod obiicitur de Gregorio, dicendum quòd illa nunquam permisit vt esset confirmatio quæ collata fuit à simplici sacerdote: sed propter scandalum abusum & ignorantiam non correxit. Vel dicatur, quòd erat benedictio quædam data confirmandis, sicut panis benedictus datur quibusdam loco Eucharistiæ: & hoc permisit ad tempus Gregorius.

AD ALIVD dicendum, quòd nec ex ordine tantum, nec ex iurisdictione tantum id potest Episcopus: sed ex ordine simul & iurisdictione: hoc enim annexum est officio Episcopali, sicut & consecratio Ecclesiarum, & ordinatio clericorum, & velatio virginum, & huiusmodi: & sic obiectio non valet.

ARTICVLVS V.

An sacramentum confirmationis conferat gratiam, & an illa gratia sit gratum faciens, & distincta à gratia baptismi?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Virtus huius sacramenti est donum Spiritus sancti ad robur, &c.] Et quæruntur tria. Primum est, an hoc sacramentum conferat gratiam? secundum est, si conferat, an illa sit gratis data vel gratum faciens? Tertium est, an illa sit specialis, an eadem cum gratia baptismali?

AD PRIMVM proceditur sic: In naturis sic est, quòd id quod est in actu aliquo, quandiu est illum habens, non est in potentia ad illum, eo modo quo habet illum: baptizatus autem non fictus est in actu habens gratiam: ergo quandiu habet eam, non est in potentia ad eam secundum quod habet eam: ergo videtur, quòd per confirmationem & sequentia sacramenta nulla conferatur gratia: ergo illud sacramentum aut non confert gratiam, aut non semper confert eam.

2 Item, Supra in tractatu de baptismo distinctione quarta habitum est, quòd illi qui sancti accedunt ad baptismum non recipiant ibi gratiam quam prius habuerunt, & quod in talibus res præcedit sacramentum: ergo videtur, quòd nec in hoc sacramento ille qui habet gratiam, aliquam gratiam recipiat.

3 Item, Gratia non consideratur nisi in duplici ratione, scilicet in se, & in virtutibus: in se secundum quod informat animam, & reddit eam gratam: in virtutibus autem secundum quod perficit potentias animæ, & elicit actus: sed quoad vtrunque confertur plenitudo gratiæ in baptismo, vt sæpius habitum est: ergo non aliquid est de gratia quod recipiatur in confirmatione, vt videtur.

4 Item, Non potest intelligi, quòd idem subiectum quoad eandem partem sui susceptibile sit duorum accidentium eiusdem speciei: gratia autem gratificans est eiusdem speciei: ergo duæ non sunt in eodem secundum idem: anima autem secundum suam essentiam suscipit gratiam in baptismo: ergo manente illa, ipsa non est susceptibilis gratiæ in confirmatione: ergo non confert aliquam gratiam, vt videtur.

5 Item, Confirmationem recipit fictus, aut non fictus. Si fictus: constat, quòd gratiam non accipit: quia dicitur Sapient. 1. Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum. Si autem recipit eam non fictus, tunc habet gratiam ante confirmationem: nihil autem recipit id quod iam habet: ergo non recipit gratiam: ergo nulla gratia recipitur in confirmatione. Si forte dicas, quòd ille qui amisit gratiam baptismalem, & non fictus venit ad confirmationem, recipit in ea gratiam. Contra: Ille recipit gratiam virtute pœnitentiæ, & non ex virtute confirmationis: hoc autem patet, quia tenetur confiteri, & satisfactio iniungitur ei exterior: quod non fit accedenti ad baptismum, eo quod baptismus non exigit gemitum vel planctum exteriorem: ergo si accedens ad confirmationem, non ex virtute confirmationis recipit gratiam: ergo nulla gratia recipitur in confirmatione, vt videtur.

SED CONTRA: Sacramentum nouæ legis omnis rei causa est cuius est signum, vt supra determinatum est in textu: sed confirmatio est signum gratiæ, quia ad robur datur: ergo est causa eius: ergo confert gratiam. *Sed contra.*

3 Ad idem auctoritates in textu adductæ.

3 Præterea, Vnctio exterior attestatur vnctioni interiori: vnctio autem interior non fit nisi per gratiam: ergo confert gratiam.

QVÆRITVR vlterius, Vtrum illa gratia sit gratum faciens, vel non? Videtur autem, quòd sic: quia sacramenta data sunt in adiutorium contra peccatum: sed gratia ordinata contra peccatum est gratum faciens: ergo confirmatio & alia sacramenta conferunt gratiam gratum facientem. *Quæstiuncula 1.*

2 Item, Confirmatio sonat in robur spiritus: robur autem spiritus non est nisi per gratiam gratum facientem: ergo confirmatio confert gratiam gratum facientem.

3 Item, In litera dicitur, quòd spiritus cum omni plenitudine gratiæ in hoc sacramento datur: hoc autem non fit nisi per gratiam gratum facientem: ergo, &c. & quia hoc omnes concedunt,

OBIICITVR in contrarium sic: Sicut se habet esse naturale ad bene esse naturale: ita se habet esse spirituale ad bene esse spirituale; sed esse naturale sic se habet ad bene esse naturale, quòd potest esse sine illo: ergo & esse spirituale potest esse sine bene esse spirituali. Esse autem & esse robustum habent se sicut esse & bene esse: ergo esse spirituale potest esse sine esse robusto: esse autem robustum est per confirmationem: ergo sine confirmatione potest esse spirituale: omne autem sine quo potest esse salus, est de gratiis superadditis & gratis datis: ergo gratia data in confirmatione est gratis data, vel de gratis datis, & non gratum facientibus. *Sed contra.*

2 Item, Quicquid est quod non directe contrariatur peccato, illud est de gratiis gratis datis & non gratum facientibus: sed gratia data in confirmatione non directe contrariatur peccato: ergo ipsa est de gratiis gratis datis, non gratum facientibus. Probatio primæ: gratia contrariatur culpæ: vnde Glossa super Apostolum dicit,

quòd gratia est reconciliatio ad Deum: & gratia quæ in virtutibus est, contrariatur actibus peccatorum, & spiritualibus peccatis. Minor autem probatur ex eo quod gratia data in confirmatione, datur nullam habenti culpam: ergo videtur, quòd non ordinetur contra culpam: ergo non est de gratiis gratum facientibus, vt prius concluſum est.

3 Item, Gratia data ad expellendum infirmitatem corporalem, est gratis data non gratum faciens, sicut habetur 1. Corinth. 12. vbi gratia curationum numeratur inter gratias gratis datas, non gratum facientes: ergo etiam illa quæ expellit pœnam non culpam spiritualem, est de gratis datis non gratum facientibus: talis autem est gratia confirmationis: ergo non est gratum faciens, sed gratis data.

Quæst. 2. QVÆRITVR vlterius tertio quod est magis difficile, Vtrum sit distincta gratia confirmationis à gratia baptismi, vel tantum confirmatio illius? Videtur autem quod sit tantum confirmatio eius vel confortatio. Sic est in robore corporali, quod fundatur in virtute naturali, quòd nihil est aliud quam valor & confortatio illius ex quibuscunque causis proueniat: ergo similiter se habet in robore spirituali, quod nihil aliud est quam confortatio virtutis spiritualis: virtus autem spiritualis datur in baptismo, & robur in confirmatione? ergo videtur, quòd confirmatio nihil aliud sit quam valor & confortatio virtutis datæ in baptismo.

2 Item, Medicinæ operatio est sicut naturæ ministra, & natura confortata per medicinam operatur per se: ergo similiter est in spiritualibus: sacramentum autem est sicut medicina: ergo operatio sua est circa esse spirituale sicut ministra: ergo operatio sacramenti præstantis robur, erit circa materiam virtutis & gratiæ præexistentis, & non distincta per se.

3 Præterea, Simplex à simplici cum sit eiusdem rationis, non distinguitur in aliquo, sicut punctus à puncto: sed si esset diuersarum rationum, distingueretur, vt punctus ab vnitate: cum igitur gratia baptismalis simplex sit, siue consideretur in se, siue in virtutibus, non distinguetur à gratia data in confirmatione quæ est in se considerata vel in virtutitibus.

4 Item, Confirmatio videtur etiam hoc sonare: non enim confirmatur nisi quod iam est: cum igitur in ordine sacramentorum nihil sit ante confirmationem nisi baptismus: videtur, quòd gratia confirmationis sit confirmatio gratiæ baptismalis.

5 Item, Si distinguitur gratia à gratia, hoc erit penes causam vel subiectum vel actum gratiæ. Ex parte autem causæ efficientis non est distinctio aliqua: quia illa est Deus auctor omnis gratiæ. Similiter nec ex parte subiecti: quia illud est anima, & secundum eandem partem inest animæ gratia baptismalis & gratia confirmationis.

6 Item, Nec ex parte actus: quia in baptismo confertur gratia fortitudinis ad robur spirituale, sicut & aliæ virtutes, sicut in confirmatione. Ergo videtur quod nullam habeat distinctionem ab illa: & ita videtur quod non sit aliud nisi eiusdem generis habitus, positus circa istum & vnitus illi.

7 Vlterius videtur, quod superfluat omnino: in naturali enim virtute sic est, quòd ex eisdem generatur, nutritur, & confortatur: ergo etiam spiritualis virtus quæ datur in baptismo in se habet vnde confortetur sine omni alio sacramento addito: ergo superflue additur sacramentum confirmationis.

8 Item, Virtus politica ex eodem generatur, & confortatur, quia ex actibus: ergo & virtus infusa: ergo virtus data in baptismo confortatur ex se, vel actibus suis, & non alio sacramento.

SI FORTE tu dicas, quòd eam augeat gratia confirmationis: tunc quæritur, qualiter sit de illo augmento? Dicit enim Philosophus, Si simplex simplici addas, nihil maius efficies: sed gratia simplex est: ergo si addatur simplici gratiæ præcedenti, nihil erit inde maius: ergo nec auctum. *Quæstiuncula 3.*

2 Præterea, Ex hoc sequeretur, quòd non poneretur nisi circa gratiam baptismalem: quia augmentum existentis magnitudinis additamentum est: ergo etiam gratia confirmationis esset additamentum præexistentis magnitudinis gratiæ baptismalis.

3 Si autem tu dicas, quòd auget eam per modum separationis intensionis contrariæ: tunc est quæstio, Qualis sit intensio? aut enim per modum à contrario separationis, sicut albius est quod est nigro impermixtius secundum Philosophum: aut penes accessum ad terminũ aliquem, siue ad veram nominis impositionem: quod enim est in termino, non intenditur. Si dicas, quòd intenditur primo modo: hoc nihil est: quia per minimam gratiam separatur totum contrarium quod est peccatum: ergo minima gratia esset sicut maxima: quod falsum est. Si autem secundo modo, tunc quæro, Quomodo hoc fiat? Si enim omnino nihil habeat de contrario, tunc videtur esse in vera nominis impositione, & in termino suæ puritatis; ergo vitur, quòd non debeat intendi.

4 Præterea, Accidens quod non dependet à subiecto, nec ab actibus subiecti, nec à principiis subiecti, nullam causam suæ intensionis in subiecto potest habere: tale autem accidens est gratia: ergo videtur, quòd nulla talium causarum intenditur per actum sacramenti.

5 Si tu dicas, quòd intenditur per actum sacramenti. Contra: Idem actus debet esse intendens & generans secundum speciem, vt patet in virtute politica: sed actus baptismi generat gratiam: ergo si aliquis intenderet eam, deberet esse eiusdem speciei, quod falsum est.

6 Præterea, Vt dimittatur hæc disputatio, quæ per accidens hic inducitur, intendatur quocunque modo id fieri potest: intensio enim non ponitur nisi circa prius existens in baptismo, & non distinguitur ab illo: ergo videtur, quòd gratia confirmationis non distinguitur à gratia baptismali, sed ponatur circa illam.

7 Item, Videtur hoc ex actu ad quem ordinatur gratia confirmationis, scilicet confessione fidei intrepida: iste enim actus elicitur à fide, & imperatur à charitate secundum quod charitas est generalis motor virtutum, vt supra in tertio dictum est: fides autem & charitas datæ sunt in baptismo: ergo videtur, quod nihil datur in confirmatione, nisi forte aliqua melioratio & expeditio gratiæ datæ in baptismo.

SED CONTRA: Sicut se habet signum in sacramento ad signum, ita se habet effectus ad effectum: sed signum in confirmatione in nullo *Sed contra.*

dependet

dependet à signo in baptismo: ergo nec effectus ab effectu.

2 Item, Supra habitum est, quòd gratiæ sacramentales non sunt sic vnitæ, vt habita vna, habeantur omnes, sicut in virtutibus infusis: ergo gratia confirmationis in nullo dependet ad gratiam baptismalem.

3 Item, Characteres confirmationis & baptismi distincti sunt: nec vnus est confirmatio alterius: ergo & res.

4 Item, Quando confirmatur aliquis, non petitur confirmari baptismus, sed homo baptizatus: ergo videtur, quòd gratia confirmationis non refertur ad baptismum, sed ad hominem.

5 Item, Si indigeret baptismus confirmatione, iam esset in se debilis: quod est inconueniens dicere, cum sit necessarium & fortissimum sacramentum: ergo confirmatio non refertur ad baptismum, sed ad hominem baptizatum, qui multas rationes debilitatis habet, etiam postquam baptizatus est.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd sicut supra patuit in disputatione de communione sacramentorum, vbi distinguitur gratia sacramentalis à gratia in virtutibus & donis: vna gratia sacramentalis non dependet ab alia: nec habita vna, habetur alia: sed sunt diuisæ. Vnde ad id quod primo quæritur, dicendum, quòd hoc sacramentum confert gratiam ordinatam contra debilitatem relictam ex infirmitate fomitis deprimentis.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd baptismus non est in potentia ad gratiam baptismalem, sed ad aliam gratiam alterius speciei potest esse in potentia: sicut actu album potest esse in potentia dulce: & taliter dicimus specie differre gratiam confirmationis à gratia baptismali.

AD ALIVD dicendum, quòd Magister loquitur ibi de gratia baptismali contra culpam originalem ordinata: & hæc non datur in contritione nisi inquantum baptismum habet in voto, vt supra dictum est: & ideo est eadem cum illa, quare non potest eam recipere postea. Sic autem se non habet gratia baptismalis & confirmationis, vt infra patebit, sed differentes sunt secundum speciem.

AD ALIVD dicendum, quòd gratia baptismalis & confirmationis in quibusdam conueniunt, & in quibusdam differunt, & ex parte differentiæ trahuntur ad species specialissimas. Conueniunt autem in hoc quod gratum faciunt subiectum & opus gratum, & quod sunt in anima & virtutibus vt expedientes virtutes prout vna virtus & gratia expedit aliam: sicut etiam vna potentia animæ aliam expedit: vt sensus intellectum, & huiusmodi: sed differunt differentiis vltimis, scilicet inquantum sunt curatiuæ morbi huius vel illius, vt supra in distinctione sacramentorum est ostensum. Vnde cum gratia confirmationis curet morbum quem non curat baptismus, patet quod est alia gratia specie ab illa. Quod autem ita sit, supponitur hoc ex præhabitis in distinctione & sufficientia sacramentorum.

AD ALIVD dicendum, quòd non fictus recipiens confirmationem, recipit in ea gratiam quam prius non habuit: non quoad gratificationem sui, vel operis sui: quia hoc prius habuit: quia in hoc etiam non differt gratia confirmationis à gratia baptismali: sed quoad actum curationis morbi qui prius non fuit curatus: & hæc cura (vt supra dictum est) expulsio est debilitatis relictæ ex fomite retrahentis ab audaci fidei confessione.

AD ALIVD dicendum, quòd bene conceditur hoc quod gratia secundum actum illum qui est gratum facere, habetur virtute contritionis: sed gratuitus vna ratione, potest esse gratus etiam alia ratione, & quoad illam aliam rationem recipit gratiam in confirmatione, vt iam patuit.

AD ID quod secundo quæritur, dicendum quòd gratia data in confirmatione est gratum faciens, sicut probant primæ rationes. *Ad quæstiunculam 1.*

AD ID quod contra obiicitur, dicendum quòd sicut est in anima, sic est etiam in gratia: & sicut est in potentiis animæ, ita est in virtutibus, & cæteris gratiis spiritualibus: sed anima (vt dicit Philosophus in secundo de anima) est actus totius, & dans esse tori corpori: & partes animæ quæ sunt potentiæ, dant esse partibus corporis. Vnde ipse dicit, quòd si oculus esset animal, visus esset anima eius: & oculus cæcus æquiuoce dicitur oculus, sicut animal mortuum æquiuoce dicitur animal. Vnde patet, quòd sicut est esse primum ab anima in natura animalis in toto, ita est esse primum in partibus à partibus animæ. Et ita proportionaliter loquendo est in esse spirituali quod est à gratia, quæ dat spirituale esse animæ: & partes eius dant partibus animæ: & virtutes quidem dant esse spirituale potentiis quoad opera, gratia autem sacramentalis dat quoad contrarij expulsionem: vnde patet, quòd ad esse aliquo modo pertinet.

AD ID autem quod obiicitur, quòd non ordinatur hæc gratia contra culpam: dicendum, quòd ordinatur contra culpam, sed non immediate: ordinatur enim contra pœnam quæ est impeditiua boni, & incitatiua mali: & hoc habet similitudinem quandam cum culpa, vt dicit Augustinus, sicut filia cum matre: & de hoc multa in secundo tractatu de originali peccato notata sunt: & per hoc patet solutio ad quæsita contra secundum.

AD EA quæ quæsita sunt contra tertium, dicendum quòd gratia hæc distincta est à gratia sacramentali quæ est in baptismo, & semper est differens ab illa: sicut vna virtus differt ab alia in specie, licet omnes vniantur in gratia infusa: sed hic est maior differentia quoad hoc quod gratiæ sacramentales non omnes simul infunduntur. *Ad quæstiunculam 2.*

AD ID autem quod primo obiicitur, dicendum quòd ratio illa procedit tantum in his in quibus robur & roboratum ponuntur circa idem, & eiusdem rationis virtutem: sed hoc non est hic: quia nullus roboratur in confirmatione gratia baptismi: sed homo baptizatus, sicut patet per obiectiones factas in contrarium, quæ valde bonæ sunt, & illuminantes ad solutionem.

AD ALIVD dicendum, quòd gratia baptismi non se habet ad gratiam confirmationis vt natura ad medicinam: & ideo illa obiectio non valet, nec aliquid probat.

AD ALIVD dicendum, quòd simplex à simplici duobus modis potest differre, scilicet per naturam siue rationem: sicut vnitas & punctus: & positione siue respectu ad subiectum si habeat positiones: vt punctus initians à puncto terminante & continuante in medio. Et duas has differentias est inuenire in his duabus gratiis, scilicet baptismi,

& confirmationis, quæ sunt diuersarum rationum, vt habitum est: & etiam per ordinem ad subiectum differunt in effectu: quia vna substantialiter ordinata est contra culpam originalis peccati, altera autem contra pusillanimitatem relictam ex fomite, etiam post baptismum ad actus excellentis difficultatis: sicut est actus confessionis fidei, in quo triplex inuenitur difficultas, vt superius dictum est: & ideo patet, quòd ratio illa sophistica fuit.

AD ALIVD dicendum, quòd quoad illum actum qui est gratificare in genere, non distinguitur: sed quoad gratificare secundum specialem gratitudinis rationem: quia illæ speciales rationes multiplicari possunt: eo quod nihil prohibet gratum secundum vnam rationem, effici adhuc gratum secundum rationem aliam. Similiter licet fides eliciens actus confessionis fidei detur in baptismo, & fortitudo expediens in hoc quod non trepidet ad terrores: tamen nihil prohibet quin posset recipi gratia euacuans timorem ex fomite relictum: quia illum non euacuat fortitudo donum per modum medicinæ, nec etiam fortitudo virtus.

AD ALIVD dicendum, quòd nec superfluit, nec est confirmatio gratiæ baptismalis: illa enim enim confirmatur ex aliis causis: quoad radicationem enim in subiecto confirmatur ex vsu, ex quo ad augmentum confertur secundum congruitatem ex merito actuum, & secundum causam efficientem à Deo: & per hoc patet solutio ex magna parte ad disputationem posterius inductam.

AD ID autem quod quæritur de modo augmenti, est quidem alibi dictum super tertium & primum: sed quia hic est tactum, potest dici quòd gratia est sicut lux quædam quæ in anima est ex continua influentia lucis diuinæ: sicut videtur dicere Psalm. vbi dicit, Signatum est super nos lumen vultus tui Domine, &c. Et augmentum eius ego non intelligo posse esse nisi trium modorum vno: & omnes illi modi habent diuersas circa se opiniones. Cancellarius enim Philippus dicebat, quòd augebatur additione similis gratiæ, quam creando vnit, & vniendo cum præcedenti creat auctor gratiarum Deus: & hæc omnibus opinionibus mihi rationabilior & probabilior videtur. Alij autem dixerunt, quòd quoad feruorem crescit, sed non in se: & hæc opinio à paucis tenetur, eo quod minor gratia quandoque magis ferueat in deuotione quam maior. Terra opinio est, quòd Deus nihil addit, sed multiplicat gratiam in se, sicut multiplicauit quinque panes: & hæc opinio omnibus esset probabilior, si bene esset probatum, quòd aliquid sine omni additione essentiæ extrinsecæ, & sine conuersione in ipsum esset multiplicabile aliter quam per extensionem: quia non est ratum, quòd Deus multiplicando quinque panes ibi materiam sub forma panum non creauerit, vel materiam elementorum ad panes non conuerterit: & ideo illa opinio non placet: & bene teneret si bene probata esset ad intellectum. Sed hoc nihil est ad propositum: quia non ponimus, quòd gratia confirmationis augeat gratiam baptismi: sed potius vnitæ in actu gratificandi in genere, differunt in speciali modo gratificationis, & in speciali effectu contra morbum originalis peccati, & etiam in expeditione ad actum confessionis fidei, vt patet ex prædictis.

Ad quæstiunculam 3.

AD ID quod obiicitur de confessione fidei quam elicit fides, dicendum quod Antisiodorus super solutione talium argumentorum bonam inuenit solutionem, scilicet quòd actus dicitur esse gratiæ vel virtutis multis modis, scilicet elicitiue, sicut actus proprius elicitur ex habitu: & sic confessio actus fidei est virtutis quæ est fides. Dicitur etiam actus alicuius qui imperat vt fiat, & sic omnis actus virtutis potest esse charitatis quæ imperat eum vt fiat. Dicitur etiam esse expeditiuus alicuius: & sic iterum cum quælibet virtus expedit alteram, remouendo aliquod impedimentum ipsius, hoc modo actus vnius virtutis attribuitur alij: & hoc modo confessio fidei vt fidei, est fidei: vt propter Deum, est charitatis: vt autem sine timore & verecundia fiat, potest esse fortitudinis quoad magnanimitatem: & quoad remotionem morbi fomitis debilitantis, sic est istius, scilicet confirmationis sacramenti: & hoc est quod multi dicunt, & non multi considerant subtiliter, quòd gratia sacramentalis sanat, & gratia virtutum ordinat ad meritum: quia sacramenti gratia remouet dispositionem morbi per se, & per consequens ordinat ad actum: gratia autem virtutis ordinat ad actum per se & primo, in quo consistit meritum. Et per hoc patet solutio ad omnia quæsita.

Melchiades.

B De cõse. dist. 5. c. De his vero.

SICOTE vtrunique esse magnum sacramentum, sed vnum maiori veneratione tenendum, sicut à maioribus datur. Ecce maius dicit sacramentum confirmationis: sed forte non ob maiorem virtutem & vtilitatem quam conferat, sed quia à dignioribus datur, & in digniori parte corporis fit, scilicet in fronte, vel forte quia maius augmentum virtutum præstat: licet baptismus plus ad remissionem valeat. Quod videtur innuere Rabanus dicens, in vnctione baptismi Spiritum sanctum descendere ad habitationem Deo consecrandam: in hac vero eiusdem septiformem gratiam cum omni plenitudine sanctitatis & virtutis venire in hominem.

minem. Hoc sacramentum iantum à ieiunis accipi, & ieiunis tradi debet, sicut & baptismus, nisi aliter cogat necessitas. Nec debet iterari, sicut nec baptismus, vel ordo. Nulli enim sacramento faciendа est iniuria: quod fieri putatur, quando non iterandum iteratur. Sed vtrum aliqua vel nulla iterari possint, quæstio est. Nam de baptismo & ordine quòd non debeant iterari, aperte Augustinus dicit. Vtrumque sacramentum est, & quadam consecratione datur: illud quidem cum baptizatur, illud vero cum ordinatur. Ideoque in Ecclesia Catholica vtrumque non licet iterari, quia neutri facienda est iniuria: quod indubitanter etiam de confirmatione tenendum est. De aliis vero vtrum iterari valeant vel debeant, postea differemus. Lib. cõtra epist. Parmeniani 2. cap. 12.

ARTICVLVS VI.

An sacramentum confirmationis debeat dici maius sacramentum aliis?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Scitote vtrumque esse sacramentum magnum, sed vnum maiori honoratione tenendum, sicut à maioribus datur, &c.] Videtur enim hoc falsum: quia si dicatur maius ratione eius quod continet, tunc Eucharistia est maius omnibus. Si autem ratione eius quod efficit, tunc videtur baptismus esse maius. Si autem aliquis ad hoc velit dicere, sicut Magister videtur soluere in litera, quòd dicitur maius: quia à maioribus datur: adhuc non videtur esse verum: quia etiam à maioribus ordo datur, quia similiter ab Episcopis tantum: nec tamen maius dicitur sacramentum.

2 Præterea, Dans se habet ad sacramentum vt causa efficiens & ministrans: causa autem efficiens nihil est de re, sed tota est extra causatum: ergo ab illo non est quantitas rei: ergo ab illa non dicetur maior vel minor ex eo quod à maiore vel minore efficitur vel ministratur: ergo solutio Magistri non videtur esse conueniens.

3 Item, Contra auctoritatem Rabani in litera videtur esse illa solutio: qui dicit, quòd in vnctione baptismi Spiritus descendit ad habitandum, sed in vnctione confirmationis datur septiformis Spiritus cum omni plenitudine sanctitatis & virtutis: ergo videtur, quòd ratione rei effectæ dicatur hoc sacramentum maius.

Quæstiuncula. VLTERIVS etiam quæritur de auctoritate Rabani iam tacta: videtur enim septiformis Spiritus dari in baptismo: quia ibi dantur septem dona: & omnis virtus, quia qui habet vnam, habet omnes: ergo videtur, quòd hoc specialiter confirmationi non conueniat.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd vnum sacramentum dicitur maius altero quinque modis secundum distinctionem antiquorum quæ bona est: quorum vnus est res ipsa: & sic baptismus dicitur maius, quia gratia in baptismo remittit culpam & pœnam exteriorem, & non exigit gemitum vel planctum. Alio modo ratione eius quod continet, quod est res & sacramentum: & sic dicunt Eucharistiam maiorem inter sacramenta. Tertio modo ratione gradus in quo collocatur ex potestate characteris: & sic dicunt ordinem esse maiorem. Quarto modo ratione significatorum respectu rei non contentæ, sed signatæ tantum: & sic dicunt matrimonium esse maius inter sacramenta, quia significat vnionem naturarum in Christo, & vnionem fidelis animæ cum Deo. Quinto & vltimo modo dicitur maius sacramentum, quod à maiore ministro datur: & sic confirmatio est maior inter sacramenta.

DICENDVM ergo ad id quod contra obiicitur, quòd licet ordo à maioribus datur: tamen illa maioritas non attestatur roboti gratiæ ad actum, sicut in confirmatione cuius gratia expedit ad actum maximæ difficultatis: ibi enim attestatio maioritatis est in potestate, & non in robore ordinati.

AD ALIVD dicendum, quòd quædam causa efficiens omnino est extrinseca: sicut illa quæ suam proprietatem vel speciem non agit in effectu, vt causa efficiens æquiuoce: & de illa tenet obiectio. Quædam autem alia est causa efficiens, quæ speciem suam & proprietatem ponit in dante: & hæc assimilatur isti sacramento: quia per maiorem ministrum intelligitur, non quidem gratia maior, sed ad maius in robore spiritus esse collata: & ideo maioritatem ministri sequitur etiam quædam maioritas sacramenti.

AD ID quod vlterius quæritur de auctoritate Rabani, dicendum quòd secundum Philosophum differt dicere secundum omne, & secundum vnumquodque: omne enim respicit vniuersilitatem naturæ & speciei, vnumquodque autem numerum indiuiduorum & materiæ, sicut habere tres angulos æquales duobus rectis sequitur triangulum rectilineum per omnem triangulum, & tamen non per se sequitur eum secundum vnumquemque triangulum. Ita possumus dicere, quòd in baptismo datur secundum omnem speciem virtutis gratia: & tamen non secundum vnumquodque quod est gratiæ, sed in omnibus sacramentis simul datur quod secundum vnumquodque. Sed secundũ hoc etiam de confirmatione potest obiici: quia ibi non datur secundum vnumquodque: quædam enim in aliis sacramentis dantur, quæ non dantur in confirmatione. Et ideo dicendum, quod Rabanus vim facit in omni plenitudine: quia est plenitudo copiæ vt dictum est supra: & de hac loquitur Rabanus. Et est etiam plenitudo sufficientiæ quæ datur in baptismo: & de hac non loquitur Rabanus. Per hoc etiam patet solutio ad vltimum: quia licet septiformis Spiritus datur in baptismo, non tamen datur per plenitudinem copiæ. *Ad quæst. & ad 3.*

ARTICV

ARTICVLVS VII.

An detur confirmatio in digniori parte corporis, scilicet in fronte?

DEinde quæritur de hoc quod dicitur *ibi* [Et in digniori parte corporis sicut in fronte, &c.] Hoc enim videtur falsum: quia vertex dignior videtur quam frons, cum sit sedes rationis, & frons quasi sedes sensuum, vt dicunt Philosophi, quòd ab interiori parte capitis sensus descendunt, & à posteriori motus.

2 Hoc autem etiam videtur per illud Ierem.4. Filij Mempheos constuprauerunt te vsque ad verticem. Et dicit ibi Gloss. Hieron. vsque ad fidei euacuationem, quæ sedem habet in vertice in quo est ratio.

3 Præterea, Ex hoc videtur, quòd simplex sacerdos possit confirmare: quia vngit in loco digniori quam sit frons, scilicet in vertice: ergo & in fronte potest vngere.

4 Item, Cum confessio fidei sit in lingua in qua est vis motiua ad interpretandum, & confirmatio ordinat ad interpretandam fidei confessionem, videtur quod confirmatio sit facienda super linguam, & non super frontem.

5 Item, Si cor & firmum, totum est firmatum. Vnde Salomon. Omni custodia serua cor tuum: quoniam ex ipso vita procedit. Ergo videtur, quòd confirmatio sicut in radice firmitatis signanda sit in corde, & non in fronte.

Solutio. SOLVTIO. Quia sicut dicit Gloss. quædam super Apocal.7. sedes verecundiæ est in fronte: vnde ad tollendam malam verecundiam, & ad confirmandum ponitur signum crucis in fronte, quasi in aperto, vt pro honore illud in aperto portet, etiam cum fugatur.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd ratio nihil facit ad propositum: quia licet confirmationem fidei dicat ratio: tamen apertum signum non est in loco rationis: quia ille locus non est in omnibus in patulo, sed potius frons: nec confirmatio datur ad fidei confessionem quamcunque, sed apertam, postposito rubore & verecundia.

AD ALIVD dicendum, quòd fides in intellectu est: sed tamen signum confirmationis est in loco ad quem respiciunt homines: & hic est frons: & ideo ibi etiam sedes est verecundiæ quoad signum roboris.

AD ALIVD dicendum, quòd non est confirmatio vt expedite loquatur, quod pertinet ad expeditionem linguæ, sed vt aperte sine verecundia.

AD ALIVD dicendum, quòd illud argumentum procedit ac si confirmatio conferat gratiam cor custodiendi: & hoc non est verum: sed potius confert gratiam expellentem timorem & verecundiam nominis Christi, quorum sedes quoad hominum manifestationem est in fronte. Et per hoc patet solutio ad totum.

***

ARTICVLVS VIII.

An sacramentum confirmationis debeat vtrique sexui, & in qua ætate conferri, & qualiter confirmandus debeat præsentari?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Hoc sacramentum tantum à ieiunis accipi, & ieiunis debet tradi, &c.] Et quæruntur hic tria. Primum, Vtrum vtrique sexui sit conferendum hoc sacramentum? Secundo, In qua ætate? Tertio, Qualiter confirmandus debet præsentari à suis patrinis?

AD PRIMVM obiicitur sic: In tabernaculo Dei non scribebantur nisi mares ad ministrandum: ergo etiam non debent confirmari (vt veritas respondeat vmbræ) nisi mares.

2 Item, Expediti ad pugnam Genes.14. cum Abraham: & viri bellatores, de quibus habetur Num.2. fere per totum & Iosue: & fortissimi, vt dicitur 2.Regum penultimo, non erant nisi mares. Ergo videtur, quòd ad pugnam Domini non debent confirmari nisi mares, & non fœminæ propter mollitiem sexus.

Sed contra. SED CONTRA hoc est quod dicit Apostolus ad Galat.3. quòd in Christo non est seruus, neque liber, neque masculus, neque fœmina, sed noua creatura. Ergo fœminæ confirmandæ sunt sicut mares.

Item, 2.Machab.7. dicitur de matre septem fratrum, Supra modum autem mater mirabilis, & bonorum memoria digna, quæ pereuntes septem filios sub vnius diei articulo bono animo ferebat, propter spem quam in Deo habebat, singulos illorum hortabatur voce patria fortiter, repleta sapientia: & fœmineæ cogitationi masculinum animum inserens, &c. Ergo etiam fœminis dandum est sacramentum confirmationis. Sed quia hoc non cadit in dubium, leue est de hoc disputare.

Quæstiũcula 2. SECVNDO quæratur, In qua ætate sit conferenda confirmatio? Videtur autem, quòd tantum in adolescentia: quia pugna non indicitur nisi robustis, & in lege non computabantur nisi à 20.annis & supra, qui possent ad bella procedere. Ergo & pugna spiritualis intelligentibus & robustis est indicenda.

2 Præterea, Fides aliena non operatur nisi in sacramento baptismi: ergo in aliis operatur fides propria: non est autem propria ante ætatem adultam: ergo videtur, quòd expectanda sit ætas adulta.

3 Item, Stultus videretur qui armaret puerum: quia potius opprimeret quam institueret ad bellum: ergo videtur, quòd similiter sit in pugna spirituali.

4 Item, Iudicum 8. dixit Ieroboal Nephet primogenito suo, quòd surgeret & irrueret in Zebee & Salmana principes Madian & interficeret eos. Et sequitur, Qui non eduxit gladium; timebat enim, quia adhuc puer erat. Ergo videtur, quòd puerorum ætas non est ad pugnam spiritualem apta. Cum ergo confirmatio detur ad pugnam spiritualem, non debet dari paruulis vel pueris.

pueris. Si forte tu dicas, quòd aliter est in pugna spirituali,& aliter in pugna corporali:quia pugna spiritualis indicitur paruulis , sed non corporalis. Contra:Pugna spiritualis plura exigit quam corporalis:quia intellectum exigit astutiarum dæmonis, sicut dicit Apostolus 2. Corinth. 2. Non ignoramus cogitationes eius. Exigitur etiam spespecialis virtus. Vnde Psalm.44.Accingere gladio tuo super femur tuum potentissime. Ergo videtur,quòd si corporalis non indicitur pueris, quod multo fortius spiritualis non indicetur eis.

Quæstiũcula 3. VLTERIVS quæritur tertio, Qualiter præsentandi sunt:& videtur,quòd per seipsos accedere debeant:non enim exigitur anadochus nisi vbi sunt confessiones pro alio faciendæ:sed hic confitetur pro seipso , sicut dicitur Ioan. 6. Ætatem habet, per se loquatur. Ergo videtur , quòd per seipsum debeat præsentari.

2 Item videtur , quòd mulier nullum possit præsentare:quia in ipsa ostenditur fragilitas sexus, & ita impotens est statuere alium:ergo alium statuendum in pugna ipsa non debet præsentare, vt videtur.

Quæst. 4. ITEM quæritur de ratione ordinariorum antiquorum,in quibus inuenitur, quòd anadochus repræsentans alium, debet eum inter manus tenere, & pedem eius super pedem suum ponere , & nomen eius Episcopo exprimere , & postea ligare locum signatum chrismate:talis enim vsus modo raro vel nunquam obseruatur. Item, In ordinario antiquo inuenitur , quòd oratio præmittenda est de septem donis Spiritus sancti super confirmandos,& iterum postea alia subiunguntur, cum mittuntur armati ad pugnam spiritualem:& quæritur ratio huius.

Quæst. 5. PRÆTEREA quæritur de hoc quod dicit quidam Papa,quòd mulier repræsentet mulierem, & vir virum.Ex hoc videtur,quod de dispari sexu se non possint repræsentare.

Quæst. 6. ITEM quætitur de hoc quod dicit hic,à ieiunis & ieiunis conferatur : quare hoc enim modo non obseruatur ? Ergo videtur , quòd aliter celebretur hoc sacramentum quam debeat,aut quod omnino nihil fiat.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum ad primum , quòd istud sacramentum conferendum est viris & mulieribus æqualiter:quia vtrisque bellum indicitur. Ephes. vltimo, Non est nobis colluctatio aduersus carnem & sanguinem, sed aduersus spirituales nequitias in cælestibus. Ad omnia autem obiecta in oppositum , dicendum quòd tenent illæ obiectiones de illis qui emollitum habent animum,& arma Dei abiiciunt,quibus tamen conferenda sunt, vt sint in testimonium iustioris condemnationis eorum. Et hac ratione masculi antiquitus ducebantur ad bellum:tamen in pugna contra Sisaram Iahel deiecit hostem, & Iudith Holofernem , & Esther precibus vicit Aman : & primæ mulieri in typo gloriosæ Virginis dictum est, Et ipsa conteret caput tuum. Et per hoc patet solutio ad omnia quæsita quæ sunt de hac materia.

Ad quæstiunculam 2. AD ID quod secundo quætitur , dicendum quòd vtumque potest fieri : sed melius & tutius est, quòd prius confirmentur : neque tamen tunc indicitur eis pugna : quia tunc non intelligunt tentationes,& ætas immatura est ad fortes motus concupiscentiæ:sed præparantur, & dantur eis arma vt habeant vnde pugnare possint cum tempus sit:& bonum est esse paratum. Hoc autem significatur Genes. 14. vbi dicitur , quòd illi qui seruierunt , 14. anno rebellauerunt : quia in illo anno incipiunt stimuli concupiscentiæ , eo quod per Philosophum in 2. septemnario distillare incipit semen , & incipiunt aperiri viæ concupiscentiæ. Et per hoc patet solutio ad totum quod obiicitur. non enim armatur vt pugnet, sed dantur ei vt habeat præparata cum opus sit. Et hoc significatum est in Dauid, impensas templi parante Salomoni.

Ad tertium quæsitum dicendum, quòd nullus seipsum præsentare potest:quia confirmandus debet consignari , tanquam non habens virtutem propriam ad standum:sed statuendus est ab alio,& ideo ab alio præsentandus est. *Ad quæstiunculam 3.*

AD PRIMVM ergo dicendum , quòd hoc non fit vt pro eo confiteatur,sed vt significet eum aliena virtute, scilicet Christi, indigere ad hoc vt possit stare in pugna.

AD ALIVD patet solutio per ante dicta:quia mulier est habens animum emollitum , & cedens in omni pugna spirituali:& hæc repellitur ab exercitu Domini, vt habetur Num.10.

AD ALIVD dicendum, quòd ratio ordinariorum illorum optima est:& exprimunt modum Apostolorum & Patrum:quia enim confirmandus quærit virtutem corroboratiuam,ideo significatut non posse stare per se,sed in vestigiis alicuius confirmati quem imitetur in pugna:& ideo non confirmatus nullum debet præsentare quantum est de ratione conuenientiæ sacramentalis:& si præsumpserit,non est quidem irritum sacramentum,sed tamen ipse peccat & corripiendus est. Et quia contrahitur ibi confinitas spiritualis, mulier non debet tenere maritum , nec è conuerso : nec homo filium,sororem, vel fratrem, quia sufficit ad amicitiam conciliandam inter tales vinculum carnale. *Ad qu.4.*

AD ALIVD dicendum , quòd ille Papa dixit hoc propter periculum sequens euitandum:quia quandoque vir præsentabat mulierem , & postea contraxit cum ea , quod non potest fieri : & ideo voluit vt mulier præsentaret mulierem , & vir virum : ne fieret impedimentum in matrimonio. *Ad qu.7.*

AD ALIVD dicendum , quòd hoc dicitur propter sacramenti reuerentiam , si tamen aliter fiat propter carentiam Episcoporum non nocet: melius enim est confirmari post prandium cum potest haberi Episcopus , quam quod recedente Episcopo non possit confirmari. *Ad qu.6.*

ARTICVLVS IX.

An confirmatio imprimat characterem?

DEinde quætitur de hoc quod dicit *ibi* [Nulli enim sacramento facienda est iniuria , &c.] Hoc enim communiter dicitur , quod fit propter characterem quem imprimit.Videtur autem,quòd non imprimat : pugna enim spiritualis æqualiter indicebatur illis qui fuerunt in naturali lege,& in lege Moysi , sicut illis qui sunt in Nouo Testamento : & tamen illi non habebant confirmationem & characterem spiritualem : ergo videtur, quòd

quòd nec in Nouo Teſtamento diſtinguendi ſunt pugnantes per characterem.

2 Præterea, Quid eſt quod non eſt iterandum ſacramentum? Aut enim hoc ideo fit, quia ſacramentum:aut quia eſt ſacramentum nouæ legis:aut quia imprimit characterem:aut quia immobilem confert effectum. Et videtur, quòd nullo horum modorum. Si enim quia ſacramentum, non iteraretur: tunc nullum ſacramentum poſſet iterari, quod falſum eſt in pœnitentia & extrema vnctione, vt habebitur infra. Si autem quia eſt ſacramentum nouæ legis:iterum inſtantia eſt in extrema vnctione: quia illa non fuit in Veteri Teſtamento, niſi in typo & in figura. Nec quia imprimit characterem: quia per hoc circunciſio quæ non imprimebat characterem, potuiſſet iterata fuiſſe, quod falſum eſt. Nec etiam ideo quia effectus ſacramenti ſit immobilis:quia effectus ſacramenti eſt gratia, & hæc ſepe perditur: ergo videtur, quòd nulla cauſa ſit, quare non debeat iterari.

3 Item, Videtur, quòd neceſſarium ſit iterari: dicit enim Auguſtinus, & ponitur infra in tractatu de extrema vnctione, Si morbus non poteſt impediri ne redeat, medicina quare debet prohiberi? Ergo cum puſillanimitas & timiditas frequenter redeant ſuper aliquem, videtur quòd frequens ſit ei neceſſaria confirmatio, & ita debet iterari.

Quæſtiũcula. VLTERIVS quæritur, Quem ordinem habeat character confirmationis ad characterem ordinis & baptiſmi? Et videtur, quòd fundamenti: quia non debet ordinari niſi baptizatus: ergo videtur, quòd ſi non habeat characterem confirmationis, quòd inhabilis ſit ſuſcipere characterem ordinis:ergo ſi ordinetur non confirmatus,non eſt ordinatus.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, ad primum, quòd præcipue tria ſacramenta non ſunt iteranda,ſcilicet baptiſmus, confirmatio, & ordo:quia imprimunt effectum perpetuum & characterem:& illis fieret iniuria ſi iterarentur: quia aut duo characteres idem ſpecie erunt, quod non poteſt eſſe:aut alterum ſacramentum nihil conferret, & hoc eſſet inutile & iniurioſum ſi ſacramentum celebraretur. Alia autem ſacramenta, vt dicitur in litera, non iterantur ſuper eandem materiam, licet iterentur circa eoſdem homines illa ſacramenta ſuſcipientes.

AD OBIECTVM contra, dicendum, quòd antiqui pugnam habebant grauiorem vel adeo grauem,quam nos:& tamen non habebant ſacramentum,quia tempus ſacramenti non fuit:ſed habebant fortitudinem Domini & virtutis, quibus ſtare potuerunt: nec characterem habere potuerunt: quia adhuc non erat dux belli nobiſcum in acie,cui per characterem conſcriberentur: & hoc ſupra expeditum eſt in communi ſacramentorum quæſtione, quare ſacramenta cum Chriſto inceperunt.

AD ALIVD dicendum, quod duo concurrũt coniunctim non diuiſim ad hoc quod ſacramentum non iteretur, ſcilicet impreſſio characteris:& hæc eſt cauſa quare illa tria ſacramenta, Baptiſmus,confirmatio & ordo, non iterantur:& vnitas peccati contra quod ordinatur ſacramentum,ſicut originale,non eſt niſi vnum, & non inficit niſi ſemel & non plus:& hoc probatum eſt in ſecundo, vbi quæſitum eſt ſi originale redeat poſt baptiſmum ab infectione carnis, ſicut fecit in animæ infuſione.Et hæc eſt cauſa, quare circunciſio non iterabatur, & hæc cauſa concurrit cum prima, & maxime in baptiſmo, ſed non in aliis duobus ſacramenti.

AD ALIVD dicendum, quòd licet debilitas redeat, & fomes reſumat vires per iterationem peccati, vt dicit Auguſtinus:tamen character cum gratia recuperata ſufficit ad expulſionem illius:& ideo non debet iterari ſacramentum, ne videatur minus ſufficiens eſſe collatum.

AD ID quod vlterius quæritur, dicendum quod habet ordinem conuenientiæ ad characterem ordinis, & non neceſſitatis. Et quod dicitur, quod non debet ordinari niſi confirmatus, importat debitum congruentiæ:quia firmus eſſe debet, qui aliis debet ſacramenta diſpenſare: ſed tamen quia non dependet effectus ſacramentorum à virtute miniſtri,poteſt eſſe non confirmatus. *Ad quæſt.*

DISTINCTIO VIII.

De ſacramento altaris & Euchariſtiæ.

POST ſacramentum baptiſmi & confirmationis ſequitur Euchariſtiæ ſacramentum. Per baptiſmum mundamur, per Euchariſtiam in bono conſummamur. Baptiſmus æſtus vitiorum extinguit, Euchariſtia ſpiritualiter reficit. Vnde excellenter Euchariſtia dicitur, id eſt, bona gratia: quia in hoc ſacramento non modo eſt augmentum virtutis & gratiæ, ſed ille totus ſumitur, qui eſt fons & origo omnis gratiæ. Cuius figura præceſſit, quando

manna

Exod. 16. Psal. 77. manna pluit Deus Patribus in deserto, qui quotidiano cæli pascebantur alimento. Vnde, Panem Angelorum manducauit homo. Sed tunc qui panem illum manducauerunt, mortui sunt. Iste vero panis viuus qui de cælo descendit, vitam mundo tribuit. Manna illud de cælo, hoc super cælum. Illud scaturiebat in diem alterum reseruatum, hoc ab omni corruptione alienum. Quicunque religiose gustauerit, corruptionem non videbit. Illud datum fuit antiquis post transitum maris Rubri, vbi submersis Ægyptiis liberati sunt Hebræi. Ita hoc cæleste manna, non nisi renatis præstari debet. Panis ille corporalis populum antiquum ad terram promissionis per desertum eduxit. Hæc esca cælestis fideles huius seculi per desertum transeuntes in cælum subuehit. Vnde recte viaticum appellatur: quia in via nos reficiens, vsque in patriam deducit. Sicut ergo in mari Rubro figura baptismi præcessit, ita in manna significatio Dominici corporis. Hæc duo sactamenta Ioan. 19. demonstrata sunt, vbi de latere Christi sanguis & aqua profluxerunt: quia Christus per sanguinem redemptionis, & aquam ablutionis nos redimere venit à diabolo & à peccato: sicut Israëlitas per sanguinem agni paschalis ab exterminatore, & per aquam maris Rubri ab Ægyptiis liberauit. Huius etiam sacramenti ritum Melchisedech ostendit, Lib. 4. de sacramentis. cap. 3. vbi panem & vinum Abrahæ obtulit. Vnde, vt ait Ambros. intelligi datur anteriora esse sacramenta Christianorum, quam Iudæorum.

ARTICVLVS I.

An Eucharistia sit sacramentum maioris gratiæ quam baptismus?

POst sacramentum baptismi, &c.] Hic agit Magister per ordinem de tertio sacramento, quod est Eucharistia. Et diuiditur tractatus de Eucharistia secundum eum generaliter in duas partes, in quarum prima præmittit Magister quædam præambula, scilicet de vtilitate, & figuris. In secunda autem diuidit tractatum, & pertractat partes. Hoc autem incipit in secundo cap. *ibi* [Hic autem alia consideranda occurrunt] tangit autem in primo cap. primo vtilitatem, vbi dicit [per baptismum mundamur, &c.] Et videtur falsum: quia secundum eum videtur baptismus minoris esse gratiæ quam Eucharistia: mundare enim non dicit nisi mali remotionem: confirmari autem in bono dicit firmam boni adeptionem, & hæc adeptio est per se bona: remotio autem mali est priuatio: ergo minoris gratiæ sacramentalis est baptismus quam Eucharistia, quod Magister negauit in præcedenti distinctione.

2 Præterea, Confirmare in bono, videtur esse actus confirmationis, vt prius habitum est: ergo hic non debet poni effectus Eucharistiæ.

3 Similiter obiicitur de illo effectu: Eucharistia spiritualiter reficit: hic autem est actus omnis gratiæ: vnde videtur, quòd non sit speciale huius sacramenti.

4 Præterea, probatur ex hoc quod habetur Iob 1. quod ibant filij Iob, & faciebant conuiuia per singulos: quod exponit Gregorius de refectione donorum & virtutum.

4 Item per illud Isa. 4. Panem nostrum comedemus, & vestimentis nostris operiemur: quod est verbum 7. mulierum apprehendentium virum vnum: & Gloss. ibidem exponit de 7 donis.

6 Item, Matth. 6. Panem nostrum quotidianum da nobis hodie. Exponit Gloss. de pane verbi, & de pane gratiæ.

7 Item, Luc. 4. Non in solo pane viuit homo, sed in omni verbo quod procedit de ore Dei. Ergo per omnia hæc videtur, quòd nullo modo refectio spiritualis sit effectus proprius huius sacramenti.

SOLVTIO. Dicendum, quòd Magistri nostri assignant plurimas vtilitates huius sacramẽti. Prima autem est principalis & propria, scilicet vt sicut homo per esum pomi vetiti perdidit vitam, ita recuperet per esum ligni vitæ spiritualis: & hæc pro tanto dicitur propria. Quia homo multipliciter cecidit à vita, scilicet per culpam originalem, & actualem, & per vulnus concupiscentiæ debilitantis, & per deperditionem spiritualium in pietate & bonitate, & huiusmodi, quæ quasi humor quidam vegetãt & infundunt animam. Contra culpam autem sunt baptismus & pœnitentia: & contra debilitatem concupiscentiæ est confirmatio. Ad restaurandum autem spirituale robur deperditum, est cibus spiritualis Eucharistia. Et huius probatio subtilior est supra habita in distinctione sacramentorum. Secunda & quasi propinqua illi, vt sit nutrimentum hominis spirituale. Vnde panem Angelorum manducauit homo. Super quod dicit Augustin. Vt manducaret homo panem Angelorum, creator Angelorum factus est homo. Sapient. 16. Paratum panem de cælo præstitisti sine labore, habentem in se omne delectamentum & omnem sapo- *Solutio.*

ris ſuauitatem. Tertia eſt, vt vniat membra corporis Chriſto capiti per charitatem : aliter enim eſt in hoc cibo, & in aliis: quia alij cibi conuertuntur in cibatum: hic autem cibus conuertit cibatum ad ſe, & vnit ſibi membra cibata: & huius ratio infra dicetur. Vnde Ioan. 6. Qui manducat meam carnẽ & bibit meum ſanguinem, in me manet & ego in eo. Et Auguſtino dictum eſt, Crede, & manducabis me: nec tu me mutabis in te, ſed tu mutaberis in me. Quarta eſt non adeo propria & ſubſtãtialis ſacramento, ſed conſequitur ad ipsũ, ſcilicet vt augeatur meritum fidei quæ in hoc ſacramento ſupra omnia exaltatur, eo quod ratio hic ſine fide nihil poteſt: & hoc tangit Magiſter infra diſtinctione 10. vbi dicit, quare ſub alia ſpecie corpus ſuum dedit. Quinta eſt ſpei ſubleuatio. Vnde Matth. in fine. Ecce ego vobiſcum ſum omnibus diebus vſque ad conſummationem ſeculi. Sexta eſt dilatatio charitatis: quia eſt in memoriam redemptionis & liberationis noſtræ. Matth. 26. & 1. Corinth. 11. Hoc facite in meam commemorationem. Et ibidem. Quotieſcunque manducabitis panem hunc, & calicem Domini bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat. Septima eſt diminutio venialium, licet non propter venialia ſit principaliter inſtitutũ, vt ſupra probatum eſt. Et ideo Matth. 6. poſt, Panem noſtrum quotidianum da nobis hodie, ſtatim ſequitur, Dimitte nobis debita noſtra.

Poteſt ergo dici ad primum, quòd ſi remotio à malo & adeptio boni eſſent termini eiuſdem motus, & terminus à quo cauſaret baptiſmus, & terminus ad quem cauſaret Euchariſtia: tunc procederet obiectio. Sed hoc non eſt verum: quinimo baptiſmus remouet malum, & inducit bonum. Et confirmatio in tali bono non eſt terminus baptiſmi: ſed potius in alio bono gratiæ quod confert Euchariſtia, ſicut prius oſtenſum eſt: quia ſacramentales gratiæ non ſimul habentur.

AD ALIVD dicendum, quòd confirmatio in bono eſt duplex, ſcilicet ex Spiritu ſancto dato adrobur pugnæ, & hic effectus eſt confirmationis. Eſt etiam confirmatio in bono ad reſtitutionem virtutis deperditæ per inobedientiam, & hæc confirmatio habet fieri per cibum ſpiritualem, & eſt effectus Euchariſtiæ.

AD ALIA omnia eſt vera ſolutio, ſcilicet quod eſt refectio ſpiritualis cum ſigno & cauſa cibi, & refectio iſta non eſt niſi Euchariſtiæ. Eſt etiam refectio per continentiam virtutis ne decidat, & augmentum eius ſine ratione in ſigno cauſa, & hæc competit verbo Dei & gratiæ. Et de hac loquuntur auctoritates inductæ.

ARTICVLVS II.

De quatuor figuris Euchariſtiæ.

DEinde quæritur de hoc quod dicit [Cuius figura præceſſit, quando manna pluit Deus Patribus in deſerto, &c.] Hic enim tangit Magiſter quadruplicem figuram huius ſacramenti, ſcilicet manna, & ſanguinem Chriſti à latere eius profluentem Ioan. 19. & ſanguinem agni paſchalis qui liberabat ab exterminatore Exod. 18. & oblationem melchiſedech Geneſ. 14.

Quæſt. 1. QVÆRITVR autem de iſtis figuris. Primo quidem, quare baptiſmus & Euchariſtia habent figuras ſe manifeſtantes, potius quam alia ſacramenta. Videtur enim, quòd alia debent habere ſicut & iſta: quia dicit Magiſter Hugo, quòd ſtatim vt fuit morbus, conueniebat ſignificari per medicinam: ergo omne ſacramentum in figuris præſignari debuit.

Quod autem non ſtatim debuerunt exhiberi ſacramenta, ſatis eſt ſupra probatum, & ideo de hoc non eſt hic diſputandum.

Præterea, Cum ſint multæ aliæ figuræ huius ſacramẽti, præcipue illæ de quibus fit mentio in canone, ſicut oblatio Abel & Abrahæ qua obtulit filium, quare Magiſter non facit mentionem de illis ſicut de iſtis tribus? *Quæſt. 2.*

ITEM videtur, quòd manna non ſit figura Euchariſtiæ: quia manna habebat omnem ſaporem: ſed Euchariſtia non confert niſi gratiam ſaporis vnius: quia non niſi vnam: ergo non eſt figura proportionata figurato. Si autem dicas, quòd Euchariſtia omnem gratiam confert, ex hoc videtur quod ſacramenta alia & cæteræ virtutes eſſent ſuperfluæ, quod eſt inconueniens: ergo non confert niſi gratiam vnam.

2 Præterea, Panis in quo ſumitur Dominus noſter Ieſus Chriſtus, panis eſt oblationis & oblatus Deo: ille autem non offerebatur Deo: ergo videtur, quòd non ſignificat iſtum.

VLTERIVS videtur, quòd nec ſanguis fluens de latere Domini ſit ſignum huius ſacramenti: quia nihil eſt ſignum ſuiipſius ſecundum quod ſignum accipitur in diffinitione ſacramenti: ſed idem ſanguis qui profluxit de latere Chriſti, accipitur in ſacramento: ergo non eſt ſignum illius, ſed potius ſignum in ſacramento.

2 Item, Alia eſt ratio ſanguinis fluentis & effuſi, & alia ſanguinis potus: ſanguis enim fluens & effuſus effectum habet redemptionis & non potus, ſanguis autem in ſacramento effectus eſt potus: ergo videtur, quòd ſanguis effuſus non ſignificet ſacramentum Euchariſtiæ.

3 Præterea, In Euchariſtia non accipitur ſanguis fluens de corpore, ſed potius in corpore contentus: ſed in paſſione effundebatur ſanguis de corpore: ergo videtur, quòd nihil habeat ſimile quo poſſet Euchariſtiæ ſanguinem ſignificare niſi per idemtitatem, ſcilicet quia idem eſt, & hoc iam ſupra probatum eſt eſſe impoſſibile.

VLTERIVS quæritur de tertia figura quam inducit, ſcilicet de ſanguine agni paſchalis quo liniebantur poſtes filiorum Iſraël, vt liberarentur ab Angelo exterminatore: videtur enim, quòd ille non habebat ſimilitudinem aliquam cum ſanguine Chriſti prout ſumitur in Euchariſtia: quia ille ſpecialiter liberauit ab Angelo occidente primogenita Ægyptiorum, per quæ ſignificatur originale peccatum à quo liberat paſſio operans in baptiſmo, & non in Euchariſtia: ergo & ille ſanguis ſimilitudinem ponit ad ſanguinem in baptiſmo operantem, & non ad ſanguinem prout datur in potum ſpiritualem in Euchariſtia.

2 Item, Ille fuit ſanguis eductionis de Ægypto: Euchariſtia autem non educit de Ægypto, ſed baptiſmus: ergo ſignificat ſanguinem operantem in baptiſmo.

VLTERIVS quæritur de quarta figura quam inducit, ſcilicet oblatione Melchiſedech: in illa enim fuit oblatio facta Abrahæ, non Deo, ſicut patet

patet Genes. 14. vbi dicitur, quòd obtulit ei panem & vinum, scilicet Abrahæ, dicens, Benedictus Abraham Deo excelso, quo protegente hostes in manibus tuis sunt. In Eucharistia autem sumitur panis oblatus Deo. Ergo videtur, quod non habeat hanc figuram.

Quæst. 3. PRÆTEREA quæritur, cum forma sit in Eucharistia sicut res & species & situs, & habeamus figuram penes rem & speciem & situm: quare non præcessit aliquid quod significaret quoad formam? Videtur enim quod debuit esse figura penes formam: quia in baptismo Ioannis quædam figura præcessit formam baptismatis Christi: ergo etiam debuit præcedere in isto.

Quæst. 4. VLTIMO quæritur, Penes quid sumitur numerus harum quatuor figurarum?

Solutio. SOLVTIO. Dicendum ad primum, quod quatuor sunt sacramenta quæ præcipue sunt Noui Testamenti, scilicet baptismus, confirmatio, Eucharistia, & extrema vnctio. Alia tria etiam sunt Noui testamenti, scilicet quia in Nouo habuerunt effectus plenitudinem; licet aliquo modo præcesserint in Veteri. Inter quatuor autem quæ sunt Noui Testamenti, sunt duo quæ ita sunt Noui, quod nec figuram aliquam expressam ibi habere poterant. Vnum quidem propter Veteris Testamenti imperfectionem, vt confirmatio, in qua Spiritus datur ad robur: & ideo figuram habere non debuit in Veteri Testamento vbi fuit imperfectio status secundum spiritum. Aliud autem propter statum originalis peccati, cuius pondere ante Christi Passionem omnes trahebantur ad limbum: & ideo non potuit esse figura extremæ vnctionis, quæ tollit reliquias peccati ad hoc quòd euolet statim ad gloriã. Sed baptismus & Eucharistia sunt sacramenta, quorum vnum est directe contra originale, contra quod etiam remedium fuit in Veteri Testamenti, scilicet circuncisio, & habuit multas figuras. Aliud autem in quo nobis coniungitur liberator ille qui operatur in omnibus sacramentis: & ideo etiam conueniebat præcedere figuras illius: & hoc est Eucharistia. Pœnitentia autem est contra defectum actualis peccati, qui singulariter est cuiuscunque hominis in quacunque lege: & matrimonium ad materialem fidelium multiplicationem, quæ etiam semper fuit necessaria: & ideo semper fuerunt illa sacramenta, licet non adeo plena gratiæ sicut sub Christo. Ordo autem habet potestatem spiritualem quæ in vmbra fuit in Veteri, & in veritate in Nouo. Et sic patet qualis differentia est in sacramentis in communi.

Ad qu. 2. AD ALIVD dicendum, quòd licet aliæ sint figuræ Passionis Christi, vel effectus huius sacramenti, sicut oblatio quæ repræsentat Passionem Christi secundum naturam humanam in cruce, & sacrificium Abel quod repræsentat oblationem qua se Christus obtulit in cruce: tamen ista quatuor specialiter exprimunt non Passionem Christi, sed rem vel speciem sacramentalem, secundum quod sub sacramento accipitur res, vel species refertur ad rem sacramenti. Et hoc satis patet in manna, & oblatione Melchisedech. Sed quòd sanguis agni Ægyptiaci vel paschalis non accipiatur simpliciter, sed in vsu fidelium, patet ex hoc quod liniuntur postes liberatorum sanguine: & hoc modo Christus passus coniungitur fidelibus, non prout pependit in cruce, sed prout accipitur in sacramento, & linit postes intellectus & affectus. Sanguis etiam effluens de latere Christi, per hoc quod fuit cum aqua fluens quæ significat populum, habet relationem ad sanguinem in sacramento, vbi aqua coniungitur populum significans. Nulla autem aliarum figuratum sic exprimit speciem sacramenti, vel rem secundum quod est sub sacramento: & ideo de illis non facit mentionem Magister, sed canon Missæ, eo quod non tantum ponit substantialia sacramento, sed etiam exprimit ea quæ facta sunt circa Christum in Passione, vt dicit Innocentius, sicut patena lapidem sepulchri significat, extensio manuum sacerdotis extensionem Christi in cruce. Et ideo etiam facit mentionem de figuris quibusdam significantibus Christi Passionem, secundum quod repræsentabatur in cruce, & non sub sacramento.

AD ALIVD dicendum, quòd licet effectus huius sacramenti proprius non sit nisi gratia vna, & vnius substantialis actus: tamen id quod in hoc sacramento est res & sacramentum, est totus & perfectus Christus, qui plenus est gratia, de cuius plenitudine omnes accepimus gratiam pro gratia. Et hanc diuersitatem expressit manna in diuersitate saporis.

AD ALIVD dicendum, quòd manna fuit panis oblatus homini à Deo, & oblatus Deo ab homine: quod patet in vrna aurea, quæ plena mannate fuit in arca testamenti posita coram Domino: & ita est in sacramento Eucharistiæ, inquantum Deus rem sacramenti offert in edulium, & nos ei in pretium recompensationis delictorum.

AD ID quod vlterius quæritur, dicendum quòd nihil prohibet, quòd idem in diuersis dispositionibus acceptum, sit signum & figura suiipsius, non prout est idem, sed potius prout sumitur coniunctum speciebus diuersis: & ita est de sanguine fluente de latere Christi: per hoc ipsum enim quòd aquæ coniungebatur, habebat expressionem sui, prout populum sibi vnit in sacramento in quo aqua coniungitur vino in sanguinem transferendum. Vel dicatur melius, quòd duo sunt in sacramento, scilicet confectio & vsus: in vsu autem vnit sibi hominem, in confectione autem efficitur præsentialiter sub sacramento. Dicatur igitur, quòd sanguis Christi iunctus aquæ fluenti de latere Christi, habet similitudinem cum vsu in quo vnit sibi populum, licet idemtitatem habeat cum sanguine qui est in sacramenti confectione.

AD ALIVD dicendum, quòd sanguis secundum quod est in potum, est sanguis fluens ad nos. Licet autem in sacramento non sit sine corpore: hoc tamen non est de virtute sacramenti, sed potius de virtute indissolubilitatis sanguinis à corpore glorioso: vnde sacramentaliter accipitur vt fluens, licet contentus sit in corpore per vnionem ad corpus.

AD ALIVD dicendum, quòd vt prædictum est, quòd sanguis in sacramento in corpore continetur, hoc non est virtute sacramenti, sed potius de natura corporis glorioſi, in quo vnum ab alio non potest separari.

AD ID quod vlterius quæritur de tertia figura, dicendum quòd in veritate illa figura secundum diuersa exprimit duo sacramenta: quia in baptismo sunt tria, scilicet liberatio à dæmone, & tinctio in aqua, & remissio peccati. Et primum

horum facit Passio Christi, & hoc exprimitur per liberationem ab Angelo exterminatore. Secundum autem exprimebatur per transitum maris Rubri. Et tertium per submersionem Ægyptiorum: quia aliter etiam figura Eucharistiæ præcederet figuram baptismi, quod reputo inconueniens: sed non est inconueniens, quòd figura Passionis præcedat quæ in omnibus sacramentis operatur: sed tamen vsus sanguinis & carnium agni vsum rei sacramentalis Eucharistiæ exprimit.

AD ALIVD dicendum, quòd sanguis per hoc quod eduxit, figurat Passionem in baptismo operantem: sed vsus carnium & sanguinis inquantum confortabat & præparabat ad exitum de Ægypto ad patriam, figura fuit viatici in Eucharistia.

AD ID quod vlterius quæritur de quarta figura, dicendum quòd secundum præhabita, in Eucharistia est oblatio facta nobis à Deo, & Deo à nobis: & vtrumque exprimit Melchisedech: primum in offerendo Abrahæ post interfectionem regum per quos peccata significantur: secundum autem per hoc quod benedixit Deo excelso.

Ad qu. 3. AD ALIVD dicendum, quòd in forma huius sacramenti verbum increatum operatur in verbo creato, & non opere ministri sicut in aliis sacramentis: & ideo verba à Sacerdote proferuntur in persona Christi, quod non fit in aliis. Et propter hanc maximam perfectionem non potuit præfigurari forma.

Ad qu. 4. AD ALIVD dicendum, quòd quatuor figuræ diuiduntur ita, quòd duæ referuntur ad rem quæ est res & sacramentum, & duæ ad speciem sacramenti in materia. Potest autem species in materia absolute accipi, aut secundum comparationem ad effectum sacramenti quem significat per species: aut potest accipi in materia in comparatione ad effectum & ritum sacramenti. Si primo modo: tunc præfiguratur in manna, quod per speciem panis figurabat materiam, per saporem effectum. Si secundo modo: tunc figurabatur in oblatione Melchisedech: quia ibi fuit vtraque species, scilicet vinum & panis, & effectus confortationis cum ritu oblationis & benedictionis. Si autem referatur figura ad rem quæ est sacramentum & res: hæc iterum est duplex, scilicet prout est in vsu fidelium tantum, vel prout vnit nos capiti Christo per effectum spiritualis amoris. Et primo modo significatur in comestione agni paschalis, secundo modo in fluxu de latere Christi, vbi vnitus fuit sanguis cum aqua quæ vnionem populi cum capite Christo significat, vt dicit Gelasius Papa.

ARTICVLVS III.

Quæ sit causa, quare hoc sacramentum viaticum dicatur?

DEinde quæritur de hoc quod dicitur *ibi* [vnde recte viaticum appellatur] Supra enim dedit ei aliud nomen, scilicet Eucharistiam. Et quæritur ratio horum nominum. Et dicendum, quòd viaticum dicitur tribus de causis, scilicet quia viatorum est ad viam præparatio, vt dicitur in litera. Vnde 3. Reg. 19. Surge, comede, grandis enim tibi restat via: dictum est Eliæ: & comedit, & bibit, & ambulauit in fortitudine cibi illius vsque ad montem Dei Horeb. Secunda ratio est: quia non est sacramentum hoc nisi in via. Et ideo in quadam Collecta dicit Gregor. Præsta vt quod nunc in specie rerum gerimus, veritate capiamus. Et Dionysius in Ecclesiastica hierarchia cap. 3. Arbitramur Iesu participationis ipsam diuinissimæ Eucharistiæ assumptionem esse imaginem. Tertia causa est; quia est memoriale quoddam viæ Domini transeuntis ad Passionem pro nobis. Exod. 12. Est enim phase, id est, transitus Domini. Et Dionysius. Diuinissima vnius & eiusdem panis & vini & calicis communio & pacifica traditio similem conuersationem eis diuinam tanquam similiter edentibus promulgat, & dignissimam cœnam & principale symbolum perfectionis in memoriam sacram ducit. Eucharistia autem dicitur tribus de causis. Vna est: quia continet illum qui est arca & fons omnis gratiæ. Ioan. 1. Plenum gratiæ & veritatis. Secunda est diuersitas vtilitatis quam facit sacramentum: & de hoc in prima quæstione supra habitum est. Tertia est: quia principalis gratiæ, id est, amoris est sacramentum in hoc quia vnit nos capiti Christo, sicut charitas vnitiua est. *Secundum sensum.*

ARTICVLVS IV.

An sacramenta Christianorum sint anteriora sacramentis Iudæorum.

DEinde quæritur de hoc quod dicit Ambrosius *ibi* [Intelligi datur anteriora esse sacramenta, &c.] Aut enim hoc intelligitur quoad speciem, aut quoad rem: quia non sunt plura in sacramento. Si quoad speciem, istud non videtur verum: quia sacrificia quædam etiam erant in naturali lege facienda ad dimissionem originalis peccati, vt dicit Gregorius, vt supra habitum est in principio huius libri. Si autem quoad rem, tunc plane falsum est: quia res sacramentorum nouæ legis non fuit nisi post aduentum Christi.

PRÆTEREA quæritur, Quale sic specialiter fuit in isto, quòd istud antiquius dicitur etiam sacramentis veteris legis, potius quam alia? *Quæst.*

SOLVTIO. Dicendum, quòd intelligitur quoad speciem & ritum huius sacramenti: quia vtramque speciem & ritum oblationis & vsum sacramenti exhibuit in figura Melchisedech ante circuncisionem in naturali lege, antequam instituerentur sacramenta veteris legis. *Solutio.*

AD OBIECTVM autem contra, dicendum quòd illa sacrificia non fuerunt sacramenta, nec figuræ veteris legis, sed potius figuræ Passionis Christi & mortificationis carnis pœnitentium, vt dicit quædam Gloss. super Leuiticum.

AD ALIVD dicendum, quòd illud sacramentum specialem habet dignitatem suæ rei quæ est Christus perfectus in deitate & humanitate, quam perfectionem non habent sacramenta alia. *Ad quæst.*

* * *

De

De institutione sacramenti.

HIc etiam alia considerandа occurrunt quatuor, scilicet sacramentum, institutio, forma, & res. Sacramentum Dominus instituit, quando post typicum agnum corpus & sanguinem suum discipulis in cœna porrexit. Vnde Eusebius Emisenus, Quia corpus assumptum ablaturus erat ab oculis, & illaturus sideribus, necesse erat vt die cœnæ sacramentum nobis corporis & sanguinis consecraret: vt coleretur iugiter per mysterium quod semel offerebatur in pretium. B Mat.26. De cõse. dist.2. c. Quia corpus.

DIVISIO TEXTVS.

HIc etiam alia considerandа occurrunt quatuor,&c.] Hæc pars diuiditur per Magistrum in tres partes, in quarum prima agitur de substantialibus sacramento,quæ ante omnia considerandа sunt. In secunda agit de sacramento ex parte suscipientis, quæ incipit in dist.11. *ibi* [Et sicut sunt duæ res istius sacramenti] In tertia autem agit de sacramento ex parte celebrantis,ibi scilicet dist.14. [Post hæc quæritur si gerit sacerdos,&c.] Residua autem pars illius distinctionis à Magistro diuiditur in quatuor partes, in quarum prima agit de institutione,in secunda de forma *ibi*[Forma vero, &c.] In tertia quid sit res & sacramentum *ibi* [Nunc quid ibi sacramentum sit] In quarta vero tangit quod primo enumerat, scilicet sacramentum quod refertur ad species materiales huius sacramenti, quæ sunt species panis & vini *ibi* [Porro illa species visibilis est sacramentum, & cætera.

ARTICVLVS V.

An sacramentum Eucharistiæ sit debito & congruo tempore institutum à Christo?

INcidit autem quæstio circa primum, scilicet de institutione: videtur enim, quòd à tempore morbi competit medicina:& ita à principio mundi debuit institutum fuisse.

2 Item, Ad vitam deperditam per esum ligni vetiti non erat reditus nisi per esum ligni vitæ: ergo si mortem pellere cogitauit, sicut & fecit, omnibus à tempore primi casus Adæ debuit edulium ligni vitæ præstitisse: hoc autem est in Eucharistia: ergo extunc debuit instituisse.

3 Item, Via viatoribus semper indicebatur à principio seculi: ergo viaticum non debuit negari: sed viaticum est corpus Christi in sacramento: ergo à principio debuit esse hoc sacramentum.

Sed contra. SED CONTRA videtur, quòd post Passionem & Resurrectionem debuit institui: quia baptismus est ianua vitæ, & generatio vitæ spiritualis: nullus autem nutritur nisi prius viuat & generetur: ergo institutio baptismi debuit præcedere institutionem Eucharistiæ: baptismus autem post Resurrectionem formaliter institutus est, vt habitum est: ergo etiam Eucharistia multo magis.

2 Item, Sicut se habet perceptio Eucharistiæ ad perceptionem baptismi: ita se habet institutio Eucharistiæ ad institutionem baptismi: sed non percipitur Eucharistia nisi à baptizatis: ergo nec institui debuit Eucharistia nisi instituto baptismo, vt videtur.

ITEM videtur quòd nec à principio mundi nec post Resurrectionem debuit institui,sed potius in initio filiorum Israël in terra promissionis:quia hoc in litera dicitur, quòd post agnum typicum dedit corpus suum, vt per hoc significaret legalia cessasse,& Noui Testamenti sacramenta incipere: cum ergo expressior figura Eucharistiæ fuerit manna, vel oblatio Melchisedech, vt supra habitum est, in cessatione illorum hoc sacramentum debuit institui, & non post cœnam agni typici,vt videtur.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum ad id quod primo obiicitur, quòd tales obiectiones optime tenerent,si morbus & medicina essent corporalia:quia in illis & natura supponitur operans per necessitatem,& hanc iuuat medicina, & nisi cito iuuet, ex corruptione principiorum per morbum succumbit natura. Sed,sicut à principio huius quarti dictum est, secus est in morbo spirituali: quia in illo natura non agit per necessitatem, sed per voluntatem: ad voluntatem autem præexigitur cogitatio, & ideo oportuit præsignari morbum & medicinam multis signis & figuris, vt dicit Magister Hugo, vt postea gratia curaret quam iuuaret voluntas: & ideo remedium sacramenti nouæ legis non statim conueniebat dari.

AD ALIVD dicendum, quòd verum est, quòd non erat reditus nisi per esum ligni vitæ: sed infra habebitur, quòd duplex est modus edendi, scilicet spiritualis, & ille semper fuit in fide credentium. Vnde Augustinus,Vt quid paras dentem & ventrem? crede,& manducasti. Et per illum fuit reditus quoad satisfactionem, licet non quoad pretij susceptionem. Alius est sacramentalis, & illum non semper conueniebat esse, vt prius habitum est.

AD ALIVD dicendum, quòd viatoribus eo quod via spiritualis est, sufficiebat esus viatici spiritualis.

Ad alivd dicendum, quòd aliud est in isto sacramento, & aliud in baptismo: baptismus enim figura est Passionis, & sepulturæ, & resurrectionis: Passionis in subuersione peccati, sepulturæ in absconsione & mersione triplici sub aqua, & Resurrectionis in nitore abluti: & ideo ille formaliter institui non potuit, nisi post omnia hæc: sed Eucharistia est commemoratio Passionis tantum, & ideo immediate ante Passionem debuit institui: licet vsus Eucharistiæ non detur nisi baptizato. Et ideo nihil habet similitudinis vsus horum sacramentorum & institutio.

Ad alivd dicendum, quòd non est verũ, quòd sicut se habet perceptio, &c. Et huius ratio iam assignata est: & ideo proportio illa nihil valet.

Ad alivd dicendum, quòd illæ figuræ licet sint expressiores quoad species materiales, vt prius dictum est, quæ sunt signa tantum: non tamen magis conueniebat post istud quam post illa institui. Aliter etiam potest dici, quòd illa fuerunt signa, non sacramenta: & ideo species quæ in eis præfigurabatur, non debuit cessare, sed potius incipere ritus illius speciei: sed sacramenta legalia cessare debuerunt, vt supra in quæstione de legalibus habitum est. Et ideo post illud tanquam terminandum, debet institui Eucharistia, non post illa quæ per speciem in genere considerata non terminata sunt, sed adhuc frequentantur.

De forma.

C Forma vero est quam ipse ibidem edidit dicens, Hoc est corpus meum: & post, Hic est sanguis meus. Cum enim hæc verba proferuntur, conuersio fit panis & vini in substantiam corporis & sanguinis Christi: reliqua ad laudem Dei dicuntur. Vnde Ambros. Sermone Christi hoc conficitur sacramentum, quia sermo Christi creaturam mutat: & sic ex pane fit corpus Christi, & vinum cum aqua in calicem missum fit sanguis consecratione verbi cælestis. Consecratio quibus fit verbis? attende quæ sunt verba. Accipite & comedite ex eo omnes: Hoc est corpus meum. Et iterum, Accipite & bibite ex hoc omnes: Hic est sanguis meus. Per reliqua omnia quæ dicuntur, laus Deo refertur: oratio præmittitur pro populo, pro regibus. Item, Augustˢ. Credendum est, quòd in illis verbis Christi sactamenta conficiantur: reliqua omnia nihil aliud sunt quam laudes, vel obsecrationes fidelium & petitiones. Ecce quæ sit institutio & forma huius sacramenti. Vbi consideratione dignum est, quare illud sacramentum post cœnam dedit discipulis. Dominus igitur Iesus ad inuisibilia paternæ maiestatis migraturus, celebrato cum discipulis typico pascha, quoddam memoriale eis commendare volens, sub specie panis & vini: corpus & sanguinem suum ita eis tradidit, vt ostenderet legis veteris sacramenta, inter quæ præcipuum erat agni paschalis sacrificium, in morte sua terminari, ac legis nouæ sacramenta substitui: in quibus excellit mysterium Eucharistiæ. Ideo etiam post alia dedit, vt hoc vnum arctius memoriæ discipulorum infigeretur, & ab Ecclesia deinceps frequentaretur. Sed non exinde disciplinam sanxit in posterum, vt post alios cibos sumatur: sed potius à ieiunis sumi oportet, sicut Apostolus docet, vt singulari reuerentia diiudicetur, id est, discernatur ab aliis cibis, quod Dominus Apostolis disponendum reliquit. Vnde Augustinus. Apparet, cum primo acceperunt discipuli Eucharistiam, non eos accepisse ieiunos: non ideo tamen calumniandum est vniuersæ Ecclesiæ, quod à ieiunis sumitur semper. Placuit enim Spiritui sancto, vt in honore tanti sacramenti, prius in os Christiani Dominicum corpus intraret, quam alij cibi: ideo vbique mos iste seruatur. Non enim quia post cibos dedit Dominus, ideo pransi vel cœnati illud accipere debent, vt illi faciebant quos Apostolus redarguit. Nam saluator,

Mat. 26.

Lib 4. de sacramentis cap. 4.

De cõse. dist. 2. Vtrum sub fi.

Ad Ianuarium epist. 118. De cõse. dist. 2. c. Liquido apparet.

1. Cor. 11.

1. Cor. 11.

quomodo

quomodo vehementius commendaret mysterij illius altitudinem, vltimum hoc voluit infigere cordibus & memoriæ discipulorum, à quibus ad Passionem digressurus erat. Quo autem ordine deinceps sumeretur, Apostolis per quos Ecclesias dispositurus erat, reseruauit docendum.

ARTICVLVS VI.

An ista sit debita forma, Hoc est enim corpus meum?

DEinde quæritur de hoc quod dicitur in secunda parte *ibi* [Forma vero est quam ibidem edidit dicens, Hoc est corpus meum, &c.] Obiicitur enim multipliciter contra hanc formam sic: Forma sacramenti est faciens formaliter sacramentum, sicut dicit Augustus. Accedat verbum ad elementum, & fit sacramentum: sicut patet in baptismo in quo nihil facit forma, nisi ex parte accipientis exerceatur baptismus: ergo similiter hic cum dicitur, Hoc est corpus meum, non habebit effectum nisi cum exercetur in materia debita sacramento: ergo hæc oratio, Hoc est corpus meum, in cœna nihil significauit circa corpus Christi in cælo: & non potest dicere, Hoc est corpus meum, nisi demonstrato corpore in cælo, quod falsum est: ergo non debuit forma tradi per verbum est, sed potius per verbum notans transitum vnius ad aliud & mutationem.

2 Item, Aliud est significare aliquid factum esse, & aliud præcipere in suum vsum, & aliud facere. Cum autem dicitur, Hoc est corpus meum, significatur corpus Christi esse, vel factum esse. Et cum additur, Accipite & comedite ex hoc omnes: præcipitur vsus existentis. Ergo illa forma nihil importat de sacramenti confectione. Cum igitur forma sacramenti sit faciens & conficiens sacramentum, hæc non videtur esse forma sacramenti.

3 Item, Non contingit vti vocibus nisi duobus modis, scilicet materialiter & significatiue, siue vt ipsa vox est signum & res: signum secundum quod dico, homo est animal rationale: res siue materialiter, secundum quod dico, homo est duarum syllabarum & trium literarum & aspirationis. Ergo & hac voce, Hoc est corpus meum, non contingit vti pluribus modis. Constat autem, quòd non accipitur hic materialiter: ergo significatiue: ergo demonstratur corpus Christi iam factum, & non quòd ipsa vt forma faciat ipsum.

4 Item, Demonstratio siue sit ad sensum, siue ad intellectum, semper est ad significandum id quod est: ergo & hic, cum dicitur, Hoc est corpus meum, significatur corpus Christi esse, & non fieri.

ITEM obiicitur de prima particula quæ est pronomen, hoc: ex quo enim est pronomen, aut est demonstratiuum, aut relatiuum: quia aliter intellectus eius esset cassus & vanus: non autem relatiuum, cum non ferat relationem alicuius suppositi antecedentis in relatione: ergo est demonstratiuum: aut ergo demonstrat substantiam panis, aut corporis Christi sub accidentibus quæ videntur vel intelliguntur. Si substantiam panis: ergo sensus est, panis demonstratus est corpus Christi; & hoc falsum est: ergo & illa locutio falsa est. Si substantiam corporis Christi: ergo nihil aliud est dictum, Hoc est corpus meum, quam corpus meum est corpus meum: & hæc semper est vera, & nunquam faciens translationem alicuius. Ergo illa forma non refertur ad sacramentum, sed ad significandum corpus Christi semper sine conuersione aliqua in corpus Christi.

2 Item, Hæc est falsa, quòd panis erit corpus Christi. Probatio. Quæcunque propositio est vera de futuro, erit aliquod tempus in quo præsentialiter est vera: nunquam autẽ erit tempus in quo hæc est vera, panis est corpus Christi: ergo hæc nunquam est vera, panis erit corpus Christi. Causa autem falsitatis est discohærẽtia prædicati cum subiecto quod notatur cohærere in futuro: ergo cum vicinior cohærentia notetur per verbum præsentis temporis: illa est multo magis falsa quæ est, panis est corpus Christi: ergo & hæc, Hoc est corpus Christi, siue corpus meum, cum nihil demonstretur per ly hoc nisi substantia panis ante transsubstantiationem.

3 Item, aut est demonstratio ad sensum, aut ad intellectum. Si ad sensum: cum igitur oculis nihil subiiciatur nisi species panis & substantia panis, per accidens videtur, quod sensus sit, panis demonstratus est corpus meum, & hæc est falsa. Si autem demonstratio est ad intellectum: hoc iterum videtur non posse esse: quia tunc oporteret, quòd ad minus demonstratiuum cum re intellecta, esset similis speciei, sicut cum dicitur, hæc herba crescit in horto meo: sed nihil similis speciei est in pane cum corpore Christi: ergo non potest esse demonstratio ad intellectum.

4 Item, Nunquam esset hæc vera, hæc herba crescit in horto meo, nisi herbæ ratio vniuoce conueniret rei demonstratæ & intellectæ: sed nihil hic vniuoce est in pane & corpore Christi: ergo non potest esse demonstratio ad intellectum.

5 Item, Dupliciter, vt dicunt Sophistæ, contingit significari demonstrationem & negationem & quædam alia, scilicet vt conceptam, sicut significatur in pronomine hoc. Ergo cum dicitur, Hoc est corpus meum, significatur vt exercita: ergo vult cadere super accidentia sensibilia, siue sint eiusdem in numero, siue in specie, sicut distinguitur personalis demonstratio à simplici demonstratione. Constat autem, quòd vtroque modo locutio est falsa: ergo simpliciter falsa est, Hoc est corpus meum, demonstrato pane.

6 Si forte tu dicas, sicut quidam dixerunt, quod pronomen est hic pars orationis, & sua demonstratio non est separanda ab oratione, ideo demonstratur hic quod est ibi in termino finali orationis. Contra: Sicut se habet totum ad totum, ita pars ad partem: ergo si totum factum est in termino finali orationis, pars facta est cum profertur pronomen demonstratiuum hoc.

7 Item, In aliis orationibus non demonſtrat pronomen id quod futurum eſt poſt orationem in qua ponitur, ſed potius rem præexiſtentem: ergo ſimiliter & hic:ergo videtur, quòd demonſtratio cadat ſuper ſubſtantiam panis ſub talibus accidentibus.

8 Item, Prius eſt ſecundum intellectum accipere rem demonſtratam quam de ipſa aliquid affirmare vel negare: ergo cum dicitur, Hoc eſt corpus meum, prius ſecundum intellectum accipitur res conſecrationis ſubiecta ſenſui demonſtrata, quam de ipſa dicatur eſſe corpus Chriſti: ergo non videtur demonſtratio pronominis dependere à ſequenti parte orationis, vt dicit illa ſolutio.

9 Si forte tu dicas, vt quidam alij dixerunt, quòd demonſtratio refertur non ad ſignum, ſed ad ſignatum, ſecundum quod videtur Gloſſ. dicere ſuper illud Matth.27. Hoc eſt corpus meum, dicens, quòd ſub ſpecie panis videtur: ergo ſecundum hoc iam in prolatione pronominis corpus Chriſti fuit ſub ſpecie panis: ergo non virtute orationis efficeretur ſub ſpecie panis, quod falſum eſt, & contra dictum Auguſt. in quo dicit, Accedat verbum ad elementum, & fit ſacramentum.

10 Et ideo alij iterum dicunt, quòd demonſtrat ſignatum in termino finali tranſſubſtantiationis. Sed contra hoc etiam obiicitur, quòd terminus ſubſtantialis vel accidentalis ſupponens, verbo præſentis temporis reſtringitur ad ſupponendum vel copulandum pro tempore præſenti: in hac autem oratione pronomen ſupponit, verbo præſentis temporis non ampliato, nec confuſum tempus ſignificanti: ergo ſupponit pro præſenti tantum: præſens autem non eſt niſi ſubſtantia ſuppoſita quæ fuit ante prolationem orationis, & hæc eſt ſubſtantia panis: ergo non ſupponit niſi pro illa: & tunc locutio eſt falſa, vt prius probatum, eſt.

11 Item, Vnde habet hoc pronomen quod in hac locutione demonſtrat rem ſub finali termino potius quam in alia, cum nihil in hac ponatur quod in alia non ponitur.

Quæſtiũcula 2. VLTERIVS quæritur de hoc verbo, Eſt: eſt enim ſignificat rem in præſenti: hoc autem non admittit veritas locutionis: quia panis non eſt corpus Chriſti.

2 Item, In aliis ſacramentis ponitur verbum ſignificans actum miniſtri & Dei, vt baptizo: quia Deus baptizat interius, & exterius miniſter: ergo ſimiliter debet fieri in hoc ſacramento: ſed hoc verbum, eſt, nullum actum miniſtri vel Dei importat: ergo non debet eſſe de forma.

3 Item, Actus verbi in aliis ſacramentis aliquo modo dicit actum proprium materiæ: ſicut baptizo dicit actum abluendi, qui eſt actus aquæ proprius: & inungo dicit actum vngendi, qui eſt proprius actus chriſmatis & olei infirmorum: ergo videtur, quòd etiam in hoc ſacramento actus importari debeat, qui ſit proprius materiæ panis & vini, ſicut nutrio, vel cibo: & ita deberet dicere, Nutrio vos corpore meo: & non, Hoc eſt corpus meum.

4 Item, Sacramentum nouæ legis ex ſua forma efficit quod figurat: ergo videtur, quòd deberet poni in forma verbum denotans hanc efficientiam: & hoc non facit verbum ſubſtantiuum: ergo male ponitur in forma.

5 Item, In operibus creationis, vbi nullum fieri eſt medium inter creantem & opus, tamen vtimur verbo fiendi: ergo videtur, quòd ſimiliter & hic vti debeamus.

6 Item, Panis eſt tranſiens in corpus Chriſti: ergo male dicitur, quòd ſit corpus Chriſti: quia ſic non ſignificatur tranſitus panis.

7 Item, Verbum ſubſtantiuum notans inhærentiam prædicati cum ſubiecto, ſupponit ſubiectum cum forma & materia: ſicut cum dicitur, homo eſt animal, vel homo eſt albus: ergo ſimiliter facit hic: ergo panis qui eſt in forma & materia manens eſt corpus Chriſti, quod hæreticum & falſiſſimum eſt: ergo videtur, quòd ly eſt male ponatur de forma.

Quæſtiũcula 3. VLTERIVS quæritur de hac particula, Corpus: videtur enim, quòd conuenientius diceret, caro: quia cum loquitur Ioan. 6. de cibo huius ſacramenti, ponit carnem, dicens, Caro mea vere eſt cibus, &c.

2 Item, Corpus vt organizatum nullum eſt aptum comeſtioni, ſicut nec omnes partes eius: ſed caro ſola apta eſt, vel aptior cunctis aliis membris ſimilibus & diſſimilibus: ergo videtur, quòd carnem & non corpus debuit ponere.

3 Item, Panis eſt corpus ſimile in toto & in partibus, quod homogeneum vocatur: quia quælibet pars panis eſt panis, & quælibet pars vini eſt vinum: ergo videtur, quòd ſit ſignum cibi homogenei: ergo carnis, & non totius corporis organici: ergo debuit poni caro, non corpus.

4 Item, Vinum ex vi ſacramenti non conuertitur niſi in ſanguinem, qui eſt homogeneus: ergo eadem ratione panis non conuertitur ex vi ſacramenti niſi in carnem, quæ eſt pars homogenei.

Quæſtiũcula 4. VLTERIVS quæritur, Quare dicit, Meum? Videtur enim conuenientius dixiſſe, corpus Chriſti: quia ſi propter reuerentiam nominis etiam voluit Deus vt ad tempus baptiſmus fieret in nomine Chriſti: ergo etiam propter maiorem dignitatem huius ſacramenti debuit hic poni nomen iſtud.

2 Item, Maioris efficaciæ eſt forma in hoc ſacramento quam in aliis: quia hic corpus inanimatum & non glorioſum, conuertitur in corpus animatum & glorioſum vnitum diuinitati: ergo hic maior effectus deberet attribui digniſſimo nomini, ſcilicet Ieſus Chriſtus: ergo deberet dixiſſe, Hoc eſt corpus Ieſu Chriſti, vt videtur.

Quæſt 5. VLTERIVS quæritur de his quæ adduntur in Euangelio, de hoc ſcilicet, Accipite & comedite, vtrum ſit de forma? Videtur, quòd ſic: quia illa referuntur ad vſum ſacramenti: hoc autem quod dicit, Hoc eſt corpus meum, tantum ad tranſſubſtantiationis inſinuationem: ergo videtur, quòd æque vel magis, accipite & comedite, ſint de ſubſtantia formæ: ſicut hoc quod dicitur, Hoc eſt corpus meum.

2 Item, Actus notans exercitium & vſum baptizandi eſt de forma in baptiſmo, cum dicitur, Baptizo te, &c. ergo ſimiliter illa verba quæ notant vſum huius ſacramenti, de forma eſſe debent, vt videtur.

Quæſt. 6. VLTERIVS quæritur de mutatione, additione, & diminutione, & corruptione: ſicut in quæſtione de forma baptiſmi, & confirmationis.

SOLVTIO.

SOLVTIO. Dicendum, quòd hæc est forma, Hoc est corpus meum, meo iudicio, & non plus. Ad solutionem autem eorum quæ obiecta sunt, notandum quòd illa oratio in triplici vi habet considerari: habet enim vnam, secundum quod est vox significatiua rei: & ex hoc modo facit signum de re aliqua demonstrata. Item, habet vim, secundum quod est forma sacramenti ab institutione diuina: & secundum hoc est conuersiua panis in corpus Christi, & facit transitum siue panis transsubstantiationem. Tertiam habet vim, secundum quod in ea operatur Verbum increatum, in cuius persona profertur à sacerdote: quia quasi recitatiue à sacerdote dicta, refertur ad Verbum increatum, secundum quod ipsum in voce istius orationis operatur. Et hoc modo dixerunt de antiquioribus Theologis, quod vox habet referri ad rem, & res indiuisibiliter & indiuisibili vi operatur cum coniuncto sibi Verbo increato: & non est separare partem à parte, sicut in alia constructione: & licet habeat signare inquantum est vox creata: non tamen habet operationem sacramentalem inquantum huiusmodi, sed inquantum indiuisibiliter operatur in ea Verbum increatum signatum, ad quod reduci habet oratio ista vnde est, scilicet corpus Christi: licet pluribus vocibus exprimatur secundum modum suppositi & appositi & compositionis.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd ille triplex vsus formæ, secundum quod hæc verba accipiuntur cum significatione, institutione, & operatione Verbi increati, non est nisi in sacramento: licet argumentatio illa procedat ac si vsus huius orationis nihil habeat ab institutione & operatione Verbi increati: & hoc non est verum.

AD ALIVD dicendum, quòd etiam illa obiectio supponit falsum, scilicet quod oratio non sit nisi insinuatiua facti, & non faciens transitionem ex institutione & operatione Verbi increati, in cuius persona verba illa proferuntur. Quare autem Verbum notans transitum vel mutationem, non ponitur in oratione illa, infra vt poterimus determinabimus.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc est verum de vocibus ad solum vsum significandi institutis, sed non de vocibus quæ sunt formæ sacramentorum, in quibus institutio facit voces esse operatiuas gratiæ inuisibilis.

AD ALIVD dicendum eodem modo, quòd pronomen habet vires tres, secundum quod tota oratio: & illæ argumentationes quæ fiunt à communi vsu loquendi, ad orationes quæ sunt formæ sacramentorum, nihil valent.

AD ID quod obiicitur de prima parte orationis, quòd est demonstratiuum pronomen, sine præiudicio recitabo tres opiniones Magistrorum primo, & postea tangam quod melius mihi videtur. Prima opinio est eorum qui dicunt, quòd ly hoc facit demonstrationem ad sensum, & quòd illa cadit super substantiam panis, non simpliciter, sed prout est substantiatus in corpus Christi: & hi dicunt, quòd demonstrat contentum panis, prout est terminus transsubstantiationis. Et si obiicitur, quòd panis transsubstantiatus in corpus Christi, non est panis, sed corpus Christi. Dicunt, quòd hoc est verum: sed non simpliciter est corpus Christi, sed prout finis est conuersionis sacramentalis. Qualiter autem illa argumenta soluant, patebit posterius: quia vna solutio est omnium illorum secundum has omnes opiniones. Alij dicunt, quòd est ibi demonstratio ad intellectum, & cadit demonstratio super accidentia specierum panis & vini prout sunt species sacramentales, & non prout simpliciter species: & ideo sensus est, Signatum sacramentaliter in speciebus panis & vini est corpus Christi. Et isti dicunt, quòd talis demonstratio simpliciter non exigit idemtitatem in specie inter rem demonstratam & intellectam, sed tantum conuenientiam quæ est inter signum & signatum sacramentaliter. Et sic soluunt argumenta in contrarium obiecta.

Sed contra vtramque istarum solutionum & opinionum, videtur obiici. Contra primam quidem: quia impossibile est in se, vel vt terminum demonstrari, quod non est ante demonstrationem: corpus autem Christi nec in se, nec in altari, nec vt terminus conuersionis, est ante demonstrationem: ergo neutro modo potest demonstrari. Contra secundam autem videtur obiici: quia sacramentaliter demonstratur id quod actu est sub sacramento, demonstratione cadente super species sacramentales: sed corpus Christi non est contentum sub speciebus illis, demonstratione cadente super species illas: ergo non contingit ipsum sacramentaliter demonstrari.

Et ideo videtur mihi tertia via esse probabilior, quòd dicatur, quòd ly hoc est demonstratiuum simul & operatiuum siue conuersiuum: & hoc habet inquantum est pars formæ sacramentalis, ab institutione, & cum Verbo increato: & ideo non diuisim habet, sed potius voces referuntur ad res significatas in vocibus illis, & ad Verbum increatum simpliciter: & ita in virtute vnius indiuisibilis operantis, operatur oratio illa quæ est forma sacramenti, & operando demonstrat, & demonstrando operatur: sicut dicitur de creatione & infusione animæ.

AD ID ergo quod primo obiicitur, dicendum quòd demonstrat corpus Christi sub accidentibus, & faciendo ipsum esse ibi demonstrat: & ideo plus est dictum, Hoc est corpus meum, quam corpus meum est corpus meum: quia sensus est, Hoc est corpus meum, id est, contentum sub speciebus est corpus meum, & virtute huius orationis ibi factum est ex substantia panis.

AD ALIVD dicendum, quòd verum est hanc esse falsam, quòd panis est corpus Christi: & non est simile nisi nos diceremus, quod hoc verbum, est, non notaret nisi compositionis inhærentiam cum præsenti tempore consignificato. Nos autem dicimus, quòd ab institutione & coniunctione ad Verbum increatum, est conuersiuum sicut tota oratio: & ideo non notat inhærentiam hic, sed conuersionem & existentiam corporis Christi sub speciebus eius quod conuertitur in ipsum.

AD ALIVD dicendum, quòd siue dicatur ad sensum demonstratio, siue ad intellectum, semper diminute dicitur: sed si dicatur ad intellectum esse cum vi conuersiua demonstranti ad intellectum, tunc erit probabilius: & tamen non sequitur inconueniens quod concludit obiectio. Sunt tamen qui dicunt ad sensum esse demonstrationem, eo modo quo res sacramenti sensibilis dicitur sub speciebus sacramentalibus.

AD ALIVD dicendum, quòd cum dicitur, hæc

hæc herba creſcit in horto meo, non eſt niſi pars illius demonſtrationis: quia iſta eſt tantum oſtenſiua, illa autem factiua primo, & per conſequens oſtenſiua.

AD ALIVD dicendum, quòd demonſtratio ſignificatur hic vt exercita: ſed tamen hæc non eſt tota virtus eius, nec eſt prima: ſed potius illa quam habet inquantum eſt forma ſacramenti, & hæc eſt operatiua eius quod demonſtratur, & poſtea demonſtrat. Vnde ſicut licet anima infundendo creatur, & creando infunditur, tamen creatio ſecundum intellectum præcedit infuſionem: ita hic licet demonſtratio pronominis ſimul faciat demonſtrati & demonſtret, tamen virtus operatiua ſecundum intellectum præcedit demonſtrationem in forma ſacramenti: & ideo tales argumentationes nihil valent.

AD ALIVD dicendum, quòd verum eſt, quòd oratio non eſt diuidenda: & hoc eſt propter operatiuam virtutem quam non habet ex conſtructione vel ordine vel coniunctione partium, ſed potius ex inſtitutione diuina, ſecundum quod vox ad ſenſum refertur, & in ſenſu verbi Verbum increatum operatur. Et ideo obiectio facta in contrarium nihil valet: quia hoc verum eſt de oratione quæ non eſt niſi ſignificatiua: quia conſtructio illius dependet à modo ſignificandi & ſignificatione partium.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc ideo continet, quia aliæ orationes non operantur ſuum ſignificatum, ſed inſinuant tantum: & ideo nihil eſt ſimile.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc verum eſt de demonſtratione quæ tantum eſt oſtenſiua rei, & non factiua virtute orationis in qua ipſa eſt: hæc autem demonſtratio cum virtute aliorum verborum facit id quod demonſtratur ſub accidentibus, & demonſtrando facit ipſum.

AD ALIVD dicendum, quòd bene aſſentiendum eſt Gloſſæ, dummodo intelligatur, ſcilicet quòd id quod videtur ſub ſpeciebus illis, virtute orationis cum demonſtratione eſt ibi factum. Et patet ex prædictis, quòd id quod contra obiicitur, non valet, niſi daremus hoc quòd demonſtratio eſt ſignificatiua tantum demonſtrati, & non operatiua.

AD ALIVD dicendum, quòd verum eſt, quòd ly hoc ſupponit verbo præſentis temporis, & ſupponit id quod actu eſt: ſed hoc demonſtrando ibi efficitur, & efficiendo ibi demonſtratur: & ideo non ſupponit ſubſtantiam panis, ſed potius corporis Chriſti: & nihil eſt dictum, quod ly hoc faciat ibi partem, ſicut prius dictum eſt: quia hoc habet tota oratio indiuiſibiliter relata ad ſignatum, & ab inſtitutione: & ideo nihil eſt de termino finali vel termino initiali: quia totum operatur ad illum indiuiſibilem effectum vt vnum indiuiſibile.

AD ALIVD dicendum, quòd in hac relatione habet pronomen quod non habet in alia, propter hoc quod eſt forma ſacramenti operatiua per inſtitutionem diuinam.

Ad quæſtiunculam 2. AD ID quod vlterius quæritur, dicendum quòd ſicut dictum eſt de pronomine demonſtratiuo, quod non eſt tantum demonſtratiuum, ſed etiam operatiuum: ita dicendum eſt de verbo eſt, quòd non tantum notat cohærentiam: ſed eſt operatiuum & conuerſiuum, vt dictum eſt: & vna & ſimplex virtus operans eſt in omnibus illis verbis, inquantum referuntur ad vnitatem inſtitutionis, & Verbi increati operantis in verbis iſtis: & ideo ſicut hic admittitur id in quod conuerſus eſt panis in corpus Chriſti, ita admittitur hic, Hoc eſt corpus Chriſti: cum ſimul fiat conuerſio & ſignatio præſentis corporis Chriſti, & virtute eiuſdem orationis.

AD ALIVD dicendum, quòd ſecus eſt in iſto, & aliis ſacramentis: quia in aliis aliquid operatur miniſter ad minus in materia, vt tinctionem quæ fit in aqua facit miniſter: ſed hic nec ſuper materiam exteriorem quæ eſt panis & vinum, nec interius in effectu gratiæ, poteſt eſſe opus niſi diuinum: & ideo non potuit hic eſſe actus miniſtri ſignificatus in forma.

AD ALIVD dicendum, quòd in aliis ſacramentis conſecratur & conficitur ſacramentum cum recipitur, vt baptiſmus cum baptiſmus recipitur, & confirmatio cum aliquis recipit confirmationem, & ſic de aliis. In hoc autem ſacramento non eſt ſic: ſed conuerſio eſt ante receptionem ſacramenti: & non potuit poni verbum congruentem notans actum materiæ, quia iſte eſt in vſu ſacramenti poſt confectionem: & hoc tetigit Dominus, quando dixit, Accipite & comedite, & cætera.

AD ALIVD dicendum, quòd verbum notans motum vel mutationem, non competit in hoc ſacramento: quia omnis motus & mutatio ſupponunt materiam communem vtrique terminorum motus & mutationis ſuper quam fit: ſed hic nihil talium eſt: quia panis non eſt materia de qua fit corpus Chriſti, ita quòd conuertatur aliqua noua materia in corpus Chriſti, quæ ante non fuit ſub forma corporis Chriſti: quia hoc ſine augmento eſſe non poſſet: ſed hic fit tranſſubſtantiatio totius compoſiti panis ex forma & materia, in ſubſtantiam præexiſtentem corporis Chriſti, ſine aliqua mutatione media, & ſine interuallo temporis: & ideo competentius ponitur ibi verbum eſt cum potentia tranſſunſtantiandi, quam aliud verbum notans motum vel mutationem.

AD ALIVD dicendum, quòd in operibus creationis eſt ad minus ſubſtantia de nouo facta, quæ ante non erat, licet non ſit proprie motus vel mutatio: ſed hic nulla ſubſtantia perit, nec aliquid nouum corpori Chriſti aduenit: ſed tranſſubſtantiatio eſt huiuſmodi in hoc virtute verborum: & ideo non poſſunt hic proprie verba motum ſignificantia poni in forma.

AD ALIVD dicendum, quòd obiectio hæc procederet, ſi verbum eſſet tantum notans inhærentiam prædicati cum ſubiecto: dictum eſt autem iam ſæpius, quòd ipſum cum hoc, & per intellectum ante hoc, eſt conuerſiuum, hoc modo quod tranſſubſtantiatio totius panis in totum corpus Chriſti dici poteſt conuerſio: & ideo obiectio nihil valet.

Ad quæſtiunculam 3. AD ID quod vlterius quæritur de tertia particula quæ eſt corpus, dicendum quòd ſacramentum maximæ perfectionis non conueniebat eſſe partis: & ideo non poterat eſſe de carne forma, ſed de toto corpore. Et hoc quod dicit Dominus in Euangelio Ioan. 6. dicitur per ſynecdochen, & intelligitur de toto: ponitur tamen ibi caro mea vere: quia à minori per hoc oſtenditur de toto: ſi enim

si enim caro quæ est defectibilior pars viuificat, multo magis spiritus & totus Christus.

AD ALIVD dicendum, quòd illa obiectio sophistice procedit: hoc enim quod proponit, est verum de cibo qui conuertitur ad nos, non de eo ad quem nos conuertimur: sed de cibo isto verum est, quòd ad se nos conuertit, vt supra dictum est: & ideo melius ponitur ibi corpus in dissimilitudine partium quam caro: quia non in ratione vnius gratiæ vnit nos sibi in vsu: sed in isto operatur vsum spiritualis oculi, in altero vero vsum spiritualis scilicet pedis, & sic de aliis.

AD ALIVD dicendum, quòd licet panis sit corpus homogeneum: non tamen colligitur ex grano vno, sed ex diuersis: & hac similitudine sumitur in sacramento, vt dicitur in litera: & hoc modo magis ponit conuenientiam ad corpus dissimile in partibus, quam ad corpus simile.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc quòd vinum sacramentaliter non conuertitur nisi in sanguinem, non est propter homogeneitatem materiæ, sed propter rationem vsus: quia datur in potum spiritualem, & effectum redemptionis: tamen inquantum fidelibus diuersis datur, colligitur vinum ex diuersis granis vuæ. Sed de corpore non est sic: quia illud datur in figura corporis Christi mystici vniti capiti Christo: & hoc corpus habet diuersitatem vsus in gratiis membrorum: & huic operationi magis conuenit corpus dissimile, quam simile.

Ad quæstiunculam 4. AD ALIVD dicendum, quòd vlterius quæritur de quarta particula, quæ est meum, quòd melius ponitur ibi meum, quam Christi: quia illa verba quasi in persona Christi recitantur à sacerdote. Si autem poneretur ibi Christi: tunc videretur ad aliam personam ordinari: & sic alia persona significaretur operari in verbis istis: & hoc ostensum iam est non esse conueniens: quia Verbum increatum conuenienter operatur in verbo creato, vt habitum est.

AD ALIVD dicendum, quòd in baptismo aliud est: quia ibi operatur minister, & inuocat Deum: & illa inuocatio ad nomen Christi propter aliquam causam reducebatur: sed in hoc sacramento non operatur nisi Verbum Filius in verbo creato, quod ad hoc instituit: & ideo debet istud verbum pronuntiari tanquam suæ propriæ personæ, & non de ipso vt de altero fieri locutio: quod fieret, si poneretur ibi Christi, propter hoc quod personam aliam quam loquentis, vel in cuius persona sacerdos pronuntiat, nomen significaret.

Ad quæstiunculam 5. AD ID quod vlterius quæritur, dicendum quòd accipite & comedite pertinet ad vsum sacramenti, & non ad confectionem: & ideo puto, quòd non est de forma: hoc autem quod dicitur, Hoc est corpus meum, non est tantum insinuatiuum, sed operatiuum sacramenti, vt dictum est.

AD ALIVD dicendum, quòd ille actus quem significat verbum baptizo, non tantum dicit exercitium, sed etiam fieri baptismatis. Hic autem non sic est: quia confectio istius sacramenti est ante perceptionem, vt dictum est.

Ad quæstiunculam 6. AD ALIVD quod vltimo quæritur, dicatur sicut in præhabitis.

Ex hoc patet falsitas cuiusdam opinionis, & solutio cuiusdam quæstionis antiquorum, qui propter hoc nescierunt distinguere inter vsum & confectionem sacramenti: dixerunt enim, quòd Deus ipse aliis verbis secretis confecit corpus suum, & postea his verbis, Hoc est corpus meum, dedit virtutem conficiendi: hoc enim non est rationabile: sed quòd etiam tunc illa verba fuerunt non tantum significatiua corporis Domini, sed operatiua.

Si autem quæritur de ly enim quod in Romanis libris dicitur & in antiquis libris Patrum inuenitur, vtrum sit de forma? Dicendum est, quod tutum est apponere: tamen in Euangelio non inuenitur, & magis tangit causam vsus qui importatur in verbo accipiendi & comedendi, quam sit de substantia formæ. *Quæstiuncula.*

ARTICVLVS VII.

Quæritur de forma quæ dicitur super vinum, & de singulis verbis in ea positis?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Accipite & bibite ex hoc omnes, &c.] Quæritur enim de forma quæ dicitur super vinum. Et quæruntur duo, scilicet de verbis in ea positis, & de comparatione ipsius ad formam quæ dicitur super panem. Videtur enim, quòd non sit forma illa quam frequentat Ecclesia, scilicet hæc, Hic est enim calix sanguinis mei noui & æterni testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum. Hoc enim totum ponit Ecclesia: & constat, quòd in nullo Euangelistarum inuenitur. Cum ergo sacramentum non habeat formam nisi institutam à Deo, videtur hoc non esse de forma: quod patet currenti per singula Euangelia. In Matth. 26. habetur sic, Bibite ex hoc omnes, Hic est sanguis meus Noui Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. In Marc. 14. sic, Et accepto calice gratias agens dedit illis: & biberunt ex eo omnes: & ait illis, Hic est sanguis meus Noui Testamenti, qui pro multis effundetur. Lucæ 22. sic, Hic est calix Noui Testamenti, qui pro vobis effundetur. Patet ergo, quòd in nullo est Euangelistarum.

2 Præterea, videtur, quòd præsumptio fuerit ponere quod Dominus non apposuit: ergo videtur, quòd etiam peccant in tanto sacramento hanc formam tenentes.

3 Item, videtur, quòd id quod apponitur nullam habeat virtutem transsubstantiandi. Hanc enim virtutem non habent verba nisi inquantum sunt Verbi increati statuentis ea, vt infra dist. 9. habebitur in litera Ambros. quòd sermo Christi creaturam mutat. Ergo videtur, quòd non sint de forma ea quæ apposuit homo, & à Deo non inueniuntur instituta.

4 Item, Hieron. dicit, Non credatur mihi si dixero aliquid quod per nouum vel per vetus testamentum probare non possum. Quod autem in forma sit mysterium fidei, & æterni testamenti, nec per nouum nec per vetus testamentum potest probari: ergo non est credendum esse de forma, præcipue tanti sacramenti, quod totum supra hominem est.

VLTERIVS videtur, quòd non conuenienter ponitur *Quæstiuncula 1.*

ponitur ibi, Calix ſanguinis. Ea enim quæ ſunt de forma vel materia, ſunt de eſſentia ſacramenti: calix autem vas, ſacramenti nec eſt forma nec materia: ergo non eſt de eſſentia ſacramenti: ergo non debet poni in forma.

2 Item, Si dicas, quòd per tranſſumptionem ponitur calix in forma: ex hoc videtur ſequi multiplex inconueniens. Primum quidem: quia tranſſumptus intellectus præſupponit ſibi alium in quo fundatur qui eſt proprius: quia prius oportet conſiderare proprietates rei per quas fit tranſſumptio, antequam intellectus ad aliud transferatur: ergo ſimplex neſciens aliquid transferre vel tranſlationes facere, periculoſe poteſt ſe habere in ipſo: cum ergo in ſacramento iſto præcipue debeat caueri periculum erroris, eo quod ratio minime poteſt ſe iuuare in eo, videtur quòd in eo nihil debeat poni tranſlatiue. Secundo: quia omnis tranſſumptus intellectus: ex eo quod ſibi præſupponit alium, conſiſtit in quadam intellectuum multiplicitate: ſed multiplicitas intellectuum cauſa eſt euagationis: cum ergo in hoc ſacramento ad quod toto conatu vix fide attingit homo, neceſſarium ſit homini vt totum ſe in ſe recolligat, & non euagetur, videtur quod nihil in eo debeat dici per tranſlationem. Tertio videtur: quia tranſlatio fit ab vno ad aliud: ergo aut fit tranſlatio ad corpus, vel ad ſanguinem. Si ad corpus: ergo virtute illorum verborum efficitur ibi corpus: & hoc nemo dicit: quia licet ſit in calice corpus, tamen non eſt ibi ex vi ſacramenti, ſed ex vi connexionis quam habet cum ſanguine. Si autem ad ſanguinem fit tranſlatio: tunc non poteſt fieri tranſlatio, niſi ex proprietate illa qua bibitur de calice. Et tunc ſenſus erit, calix ſanguinis, &c. id eſt, potus ſanguinis, &c. ergo ſimiliter dixiſſe debuerat de corpore, Hic eſt cibus corporis mei: & hoc non dixit: ergo non hic videtur vſus tali modo tranſlationis.

3 Præterea, Si ponitur pro contento, vt quidam dixerunt: tunc non deberet in conſtructione eſſe modus diuerſitatis ex tranſſumptione quam notant obliqui: quia inter contentum & ſanguinem nulla eſt diuerſitas, vt videtur.

Quæſtiũcula 2. VLTERIVS quæritur de hoc quod dicit, Sanguinis mei: cum enim principale quod efficit forma, ſit ſanguis, videtur ibi poni debere in recto, & non in obliquo.

2 Hoc etiam videtur ex forma corporis: quia ibi dicitur, Hoc eſt enim corpus meum. Ergo & deberet dici, Hic eſt enim ſanguis meus.

3 Item, Ibi dicit Magiſter in litera eſſe factum: & duo Euangeliſtæ, ſcilicet Matth. & Marc. ergo videtur, quòd in recto deberet importari.

4 Item, Cum obliqui ſint tranſitiui, & notantes diuerſitatem, videtur eſſe diuerſitas inter rem ſacramenti & ſanguinem: cum autem ibi nulla ſit diuerſitas, videtur ſanguis male poni in obliquo.

Quæſtiũcula 3. VLTERIVS quæritur de hoc quod dicit, Noui & æterni Teſtamenti: nouum enim eſt, vt dicit quidam Philoſophus, quod quantum ad ſui initium eſt propinquum: ſed res iſtius ſacramenti eſt æterna, quia Filius Dei: ergo non eſt noua.

2 Præterea, Aut nouum eſt quoad rem, aut quoad ritum. Si quo ad rem: hoc falſum eſt: quia ſecundum hoc non eſſet æternum. Si quoad ritum: ergo falſum eſt quod dixit ſupra Ambroſ. quòd ſacramenta noſtra anteriora ſunt quam ſacramenta Iudæorum: & hoc dicitur gratia huius ſacramenti, cuius ritus præceſſit in Melchiſedech Geneſ. 14.

3 Item, Nouum & æternum ſunt oppoſita: quia nouum eſt, quod quantum ad ſui initium eſt propinquum, & æternum quod caret initio: cum ergo dicitur Noui & æterni Teſtamenti, oppoſita videntur poni circa idem.

4 Item, Teſtamentum non videtur eſſe ſanguinis, ſed potius mandatorum: vnde etiam tabulæ continentes mandata, tabulæ teſtamenti dicuntur: ergo videtur, quòd non debuit dici Noui & æterni teſtamenti.

Quæſtiũcula 4. VLTERIVS quæritur de hoc quod dicit ibi, Myſterium fidei: myſterium enim fidei in omnibus eſt ſacramentis, vt patet ex diffinitione ſacramenti quæ ſupra ex verbis Auguſt. in principio libri poſita eſt in notula, quòd ſacramentum eſt, quando ſub viſibili ſpecie diuina virtus ſalutem ſecretius operatur: myſterium autem tantum valet quantum ſecretum: ergo in quolibet ſacramento eſt myſterium fidei, & non tantum in iſto: ergo non debet ſpecialiter poni in iſto.

2 Item, Iſtud ſacramentum ſpecialiter dicitur eſſe ſacramentum charitatis. Vnde Chryſoſt. dicit, quòd dare carnem ſuam ad manducandum intimi amoris fuit indicium: ſacramentum autem baptiſmi præcipue dicitur ſacramentum fidei: ergo magis videtur competere illi quòd ſit ſacramentum fidei, & iſti quòd ſit ſacramentum charitatis vel myſterium: ergo male ponitur in forma myſterium fidei.

Quæſtiũcula 5. VLTERIVS quæritur de hoc quod dicit, Qui pro vobis & pro multis effundetur: effuſio enim potationi contrariatur, vt videtur: ergo non debet poni in ſacramento calicis quem iuxta corpus potamus in communicatione ſanguinis.

Quæſtiũcula 6. ITEM quæritur, Quare indiſtincte ponit, Pro vobis & pro multis effundetur: vna enim eſt ratio effuſionis pro omnibus: ergo non eſt diſtinctio quoad Apoſtolos & alios quantum ad cauſam effuſionis.

2 Item, Omnibus valuit ſanguis ad redemptionem quoad ſufficientiam: ergo non debet dici, Pro multis, ſed pro omnibus.

3 Item, Virtus vniuſcuiuſque determinatur ad maximum: cum igitur maxima ſit virtus ſanguinis Chriſti effuſi, debuit determinari ad maximum effectum: ergo melius dici videbatur, pro omnibus, quam pro multis.

4 Præterea, videtur hæc pars non eſſe de forma: quia non dicit quaſi eſſentiale ſacramenti, ſed potius ſacramenti effectum in nobis: ergo videtur, quòd in forma non debuit poni.

Quæſtiũcula 7. VLTERIVS quæritur de hoc quod dicit, In remiſſionem peccatorum: hoc enim dicit finem totius Paſſionis & Redemptionis ex parte liberationis à malo: ergo non magis debet poni in forma ſanguinis, quam in forma corporis.

2 Præterea, Lucæ 22. apponitur formæ corporis, quod tradetur pro vobis: & non dicitur eſſe de forma quæ dicitur ſuper panem: ergo etiam licet hic addatur, Qui pro vobis & pro multis effundetur in remiſſionem peccatorum, non tamen debet dici eſſe de eſſentia formæ.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum ad primum, quòd licet

licet in Euangelio vno non inueniatur & in loco vno forma ista quam tenet Ecclesia : tamen per partes ex magna parte inuenitur. Et præterea tradita inuenitur ab Apostolis qui acceperunt eam à Domino. Quod enim dicitur, Hic est calix mei sanguinis, accipitur à Luca. Et similiter quod dicitur, Noui testamenti, accipitur à tribus, scilicet Matth. Marc. & Luc Quod autem additur, Æterni, ex traditione Domini habetur : & similiter illud, Mysterium fidei. Dicit enim Apostolus 1. Corinth. 10. Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis. Quod autem Ecclesia ab Apostolis traditum acceperit, dicit Inno. 3. sic, Romana Ecclesia istud integra semper fide seruauit, quod ab ipsis Apostolis qui eam præsentialiter sacris instituere doctrinis, & Ecclesiastici ritus regulam docuerunt, accepit: ab ipsis enim Apostolis Petro & Paulo, quos & viuos Doctores habuit & defunctos custodes, hunc ritum sacrificij accepit, quem hactenus inuiolabili cultu seruauit. Et hoc est quod communiter dicitur à Magistris, quòd licet non sit scripta simul hæc forma: tamen intelligitur à Deo Apostolis tradita. Et per hoc patet solutio ad tria prima.

Ad id quod obiicitur de Hieronymo, dicendum quòd ipse non intendit, quòd omnia vera per verba sint scripta in nouo testamento vel veteri: sed sicut dicit Augustinus, Omnis veritas sacræ Scripturæ concordat, quæ sacræ Scripturæ non contradicit. Istud autem satis consonum est sacræ Scripturæ, quòd hoc frequentet Ecclesia, quod Christus tradidit : & trahitur de illo verbo 1. Corinth. 11. Ergo enim accepi à Domino quod & tradidi vobis. Vbi loquitur de ritu huius sacramenti. Et de illo, Imitatores mei estote sicut ego Christi.

Ad qu.1. Ad aliud quod vlterius quæritur, dicendum quòd calix ponitur ibi transsumptiue, & transfertur ad passionem: sicut dixit duobus fratribus filiis Zebedæi, Potestis bibere calicem quem ego bibiturus sum ? Et tantum valet calix sanguinis, quantum sacramentum passionis sanguinis, quod in vsu fidelium per participationem calicis frequentatur.

Ad id autem quod contra obiicitur, est dicendũ quòd dupliciter aliqua sunt de essentia, scilicet vt ingredientia rei constitutionem: sicut corpus & sanguis Christi sunt de essentia rei quæ est sacramentum in Eucharistia: quædam autem sunt illis essentialiter coniuncta, ita quòd sine his non potest ẽsse res: & hoc modo calix est de essentia ex parte nostra: quia in memoriam fit passionis cum sumitur hoc sacramentum. 1. Corinth. 11. Quotiescunque manducabitis panem hunc, & calicem Domini bibetis, mortem Domini annuntiabitis donec veniat. Et ideo calix in hoc sensu adiungitur formæ sacramenti, & est de forma.

Ad aliud dicendum, quòd solicitudo præcipua deuotionis & fidei debet esse in hoc sacramento: & ideo mentio calicis fit, vt passio ad memoriam reuocetur: & ideo si aliquis errat in significato primo, non excusatur: quia solicitudo debet inducere collationem : & ideo necessaria ad sacramentum propter alicuius negligentiam omittenda non erant.

Ad aliud dicendum, quòd licet multiplicitas intellectuum sit capsa cuiusdam discursus rationis ab vno in aliud: tamen solicitudo & deuotio quæ celebrantibus indicitur, continet eum: & ideo non est ibi periculum, nisi quoad culpabiliter negligentes: sed propter hoc nihil debuit omitti necessarium sacramento.

Ad aliud dicendum, quòd iam dictum est, ad quid transfertur ibi calix ad passionem: quia consuetus erat Dominus calicem vocare passionem suam. Matth. 26. Pater mi si non potest hic calix transire nisi bibam illum, fiat voluntas tua. Et passio præcipue est, quæ recolitur in sacramento, sicut prius dictum est.

Ad id autem quod quæritur, Quare cum corpore non ponitur in canone comtnemoratio passionis, sicut cum sanguine, cum in quibusdam Euangelistis adiungatur etiam corpori, Hoc est corpus meum, quod pro vobis tradetur : non tamen dicitur, Hic est calix corporis mei ? Dicendum, quòd in rei veritate potus calicis magis respondet passioni secundum effusionem sanguinis, quam secundum vulnerationem corporis : & hoc etiam patet ex vsu loquendi in Prophetis. Vnde Isa. 51. vbi consolatur Ecclesiam post tormenta martyrum dicit, Ecce tuli de manu tua calicem soporis: fundam calicem indignationis meæ, non adiiciam vt bibas illum vltra, & ponam illum in manu illorum qui te humiliauerunt. Et in multis aliis locis. Et hoc ideo fit: quia calix inebriat per potum, & ita facit passio per angustiam : & ideo conuenientius adiungitur calix potabili, scilicet sanguini, quam esibili quod est corpus.

Ad aliud dicendum, quòd calix transsumptiue refertur ad passionem sanguinis, & sanguis relatus ad passionem, habet aliquam diuersitatem rationis ad sanguinem ministratum in potum in sacramento : & illa importatur per obliquum.

Ad id quod vlterius quæritur de sanguine, *Ad qu.2.* dicendum quòd ratio illa dicta est, quare ponitur in obliquo : licet enim efficitur sanguis vi sacramenti, & non calix: tamen ad hoc quòd posset effici in sacramento sanguis, oportuit primo effundi in passione: & ideo in ratione primi operantis non ad sanguinem in sacramento, sed ad celebrationem sacramenti secundum se, melius dicitur calix sanguinis quam sanguis calicis.

Ad aliud quod obiicitur de Magistro in litera, dicendum quòd Magister in pluribus sacramentis non expresse determinat formam: sicut non facit in confirmatione, & in pœnitentia, & in extrema vnctione, & in ordine: & ita nec facit hic: quia Magistri intentio est tradere notitiam eorum in quibus consistit sacramentum materialiter : & ideo dicit, quòd forma est de sanguine, ante quam determinet formam : quia formam supponit Magister esse notam ex frequentatione Ecclesiæ.

Ad id autem quod contra obiicitur per Euangelistam, dicendum quòd Euangelistæ non intenderunt tiadere formam sacramenti scribendo Euangelium, sed simplicem notitiam tradere historiæ quoad vera ibi dicta & res gestas : & ideo non est efficax probatio illa.

Ad aliud dicendum, quòd transitio obliqui non importat hic diuersitatem sanguinis & rei sacramenti, se potius diuersam rationem sanguinis prout refertur ad passionem quæ contulit possibilitatem celebrationis sacramenti, & sanguinis prout est in sacramento ministratus ad

vſum fidelium, vt prius dictum eſt: & quia vtriuſque debuit fieri mentio in forma, melius fuit ponere obliquum quam rectum: in corpore autem non eſt ſimilis ratio, vt dictum eſt.

Ad quæſtiunculam 3. AD ID quod vlterius quæritur de hoc quod dicitur, noui & æterni teſtamenti, dicendum quòd nouum dicitur, quod ad vſum rei ſacramentalis ſub talibus ſpeciebus eſt.

AD ID autem quod obiicitur de ratione eius quod eſt nouum, dicendum quòd Filius Dei æternus eſt: ſed Filius Dei non eſt in calice ex vi ſacramenti, ſed ex connexione corporis & animæ cum deitate & ſanguine: & ideo adhuc aliquid remanet, quo vſus ſanguinis ſit ſub ſacramento nouus.

AD ALIVD dicendum, quòd iam patet ad quid refertur nouitas: ritus autem tantum in ſpeciebus ſine re præceſſit in oblatione Melchiſedech: & quoad hoc dicit Ambroſ. antiquiora eſſe ſacramenta noſtra quam Iudæorum.

AD ALIVD dicendum, quòd oppoſita nihil prohibet eſſe circa idem vel poni, dummodo non ponantur circa idem ſecundum idem: quod enim dicitur nouum, dicit quoad vſum rei ſub ſacramento: quod dicitur æternum, dicit quoad perſonam, vt quidam dicunt: aut quoad prædeſtinationem tantæ gratiæ quam Eccleſiæ ab æterno debuit Deus: & hoc probabilius eſt. Aut quoad vtrumque: & tunc nulla reſtat obiectio.

Ad quæſtiunculam 4. AD ID quod vlterius quæritur, Quare ponitur myſterium fidei? Dicendum, quòd licet in omnibus ſacramentis ſit aliquid fidei: tamen in iſto, per modum conuerſionis & ſumptionis, & accidentia quæ manent ſine ſubiectio aliquo, totum eſt fidei: quia nihil in eo poteſt ratio. Quod autem baptiſmus eſt fidei, non eſt ideo quòd plus ſit ibi agens fides & minus ratio: ſed quia confert primũ ſtatum fidelitatis. Vnde ſicut fides quodammodo eſt ianua virtutum: ita baptiſmus eſt ianua ſacramentorum. Iſtud autem ſacramentum ab alio dicitur myſterium fidei, & ab alio ſacramentum charitatis: myſterium fidei eo dicitur quod totum eſt fidei, vt dictum eſt: ſed charitatis propter ſimilitudinem effectus, & ſignum maximæ charitatis qua ſe dedit nobis. Dico autem ſimilitudinem effectus: quia ſicut charitas vnit membra, ita illud ſacramentum conuertit & vnit membra capiti. Et per hoc patet ſolutio ad omnia quæ quæſita ſunt circa iſtam partem.

Ad quæſtiunculam 5. Effuſio ſanguinis eſt ratio potationis. AD ID quod vlterius quæritur de hoc quod dicitur, Qui pro vobis & pro, &c. Dicendum, quòd licet vna ſit ratio effuſionis & ſumptionis in omnibus: tamen effuſio in qua ſanguis ſeparatus eſt à corpore, operata eſt ad ſacramenti celebrationem: ſacramentum enim non facit niſi ſanguinem: ſed quia quòd ita ſeparatus efficere poſſit id quod non eſt ſeparatus, hoc facit effuſio, & ideo mentionem effuſionis oportuit eſſe in forma ſanguinis.

Ad qu. 6. AD ALIVD dicendum, quòd ſacerdos in loco illo commemoratur vt offerens: & ideo repræſentat duplicem perſonam, ſcilicet Chriſti offerentis, & quoad hoc non indiget oblatione proſe: & repreſentat perſonam propriam, & ſic indiget vt pro ſua populique indigentia offerat: quia, ſicut dicit Apoſtolus, & ipſe circundatus Heb. 5. eſt infirmitate; & ideo vt notetur illa indigentia, voluit Dominus indigentiam Apoſtolorum in forma exprimi, qui primi ſacerdotes erant, & ritum ſacramenti aliis tradiderunt.

AD ALIVD dicendum, quòd licet ſufficienter valeat omnibus, non tamen efficienter: & ideo non dixit, pro omnibus, ſed pro multis.

AD ALIVD dicendum, quòd iſtud ſacramentum non operatur ſalutem ſine alio cooperante: & hoc eſt fides & deuotio quæ nobis effectum coniungit: & quia cooperans deficit in quibuſdam, ideo ad omnes non potuit determinari: ſed ſecundum maximum ſuum effectum eſt pro multis effundi.

AD ALIVD dicendum, quòd quidam antiquorum dixerunt propter illam obiectionem, quòd non eſſet de eſſentia formæ: ſed tamen peccaret qui omitteret. Sed alij quidam modernorum probabiliter videntur ſentire, quòd ſit de forma ſicut finis: & ratio coniuncta formæ facit perfectionem rei.

AD ID quod vlterius vltimo quæritur, dicendum quòd meo iudicio etiam illud eſt de forma, in remiſſionem peccatorum. Et hæc vtilitas ſanguinis ſpiritualiter commemoratur in Pſalm. 29. vbi dicitur, Quæ vtilitas in ſanguine meo dum deſcendero in corruptionem? Et hoc ideo eſt: quia ſicut anima videtur eſſe pretium redemptionis oblata Patri, ita tota paſſio eſt in extorſione violenta ſanguinis: paſſio autem ſatisfecit pro nobis, & ideo paſſio præcipue in ſanguinis effuſione in quo eſt vita corporis, ſecundum naturam ſignificatur: & ideo remiſſio peccatorum magis retorquetur ad ſanguinem, quam ad corporis paſſionem.

AD VLTIMVM patet ſolutio per idem.

ARTICVLVS VIII.

An forma quæ dicitur ſuper panem expectat formam quæ dicitur ſuper vinum?

SEcundo quæritur de operatione formæ ſanguinis, ad formam quæ dicitur ſupra panem: & hoc propter antiquos qui dixerunt, quòd iſtæ formæ ſe expectant in operando.

Obiicitur autem ſic: Iſtud ſacramentum eſt ſacramentum ſummæ & ſimplicis veritatis: ergo nihil debet oſtendi in ſacramento quod non aliquo modo ſit in re ſacramenti: cum autem dicitur ſuper panem, Hoc eſt corpus meum, oſtenditur ibi eſſe corpus ſine ſanguine, eo quod ex vi ſacramenti non eſt ibi niſi corpus: cum igitur corpus non ſit ſine ſanguine, falſum oſtenditur ibi in ſacramento veritatis, niſi efficacia verborum corporis expectet efficaciam verborum ſanguinis: ergo ſe inuicem iſtæ duæ formæ in operando expectant.

2 Item, Sicut ſe habet res ad rem in ſacramento, ita habere ſe debet forma ad formam: ſed res corporis ſimul eſt cum re ſanguinis, & è conuerſo: ergo forma corporis ſimul operatur cum forma ſanguinis, & è conuerſo: ergo ſe inuicem in operando expectant: quia conſtat, quòd non ſimul ſunt in prolatione.

2 Item, Si forma corporis operatur ſine forma

ma sanguinis, aut operatur corpus sine sanguine, aut cũ sanguine. Si sine sanguine: ergo operatur rẽ imperfectam, & operatur corpus Christi quale non est: quia constat, quòd est cum sanguine. Si autem operatur corpus Christi cum sanguine: ergo ex vi sacramenti est ibi sanguis: ergo superfluit forma postea dicta supra sanguinem: quod est iterum inconueniens: quia si natura non abundat in superfluis nec deficit in necessariis, multo minus facit hoc gratia.

4 Item, Infra hac eadem distinctione ostenditur, quód sacramentum istud vnum est: vnius autem vnicum est esse: ergo & vnica forma sacramentalis: quia forma dat esse: ergo vnica forma operatur super panem & super calicem: vnius autem formæ actus indiuisus est: ergo non operatur diuisim super panem & super calicem: ergo simul: non ergo opus vnius præcedit opus alterius.

Sed contra. SED CVM dicitur, Hoc est corpus meum: aut corpus est ibi ex vi orationis factum & demõstratum, vt supra dictum est, aut non. Si non: ergo locutio est falsa: non enim dicitur, Hoc erit corpus meum: sed, Hoc est. Si sic: ergo efficacia huius orationis non expectat aliam orationem in efficiendo.

2 Item, Secundum totum vsum Ecclesiæ & vtilitatem eleuatur corpus postquam dicta sunt ista verba, Hoc est corpus meum, & tunc adoratur à fidelibus. Aut ergo est ibi, aut non. Si sic, habeo propositum: quia adhuc non est dicta forma super calicem. Si non: ergo ministri Ecclesiæ faciunt adorari latria id quod non est Deus, & sic cogunt populum idololatrare, quod absurdum est dicere de Ecclesia.

3 Item, Quæ esset causa huius dependentiæ, quod vna dependeret ab alia? non enim diuisio Christi, quia Christus semper est perfectus: nec dependentia signati, quia vnius orationis significatio absoluta est, sicut & alterius: nec institutio, quia Christus sicut diuisim corpus & sanguinem suum dedit Apostolis, ita diuisim instituit: ergo nulla potest esse causa dependentiæ: ergo patet, quòd vna non expectat aliam.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum quòd istæ orationes diuisim explent suos effectus, & vna non expectat aliam.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd vt supra dictum est, oratio ista, Hoc est corpus meum, est in triplici vi: vnam enim habet ab institutione, & aliam secundum hoc quod profertur in persona Verbi æterni quod in ea operatur, & tertiam habet secundum quod est in ea veritas signi: & quoad primas verum est, quòd non extendat se operando nisi super corpus, & non super sanguinem. Tertia autem extendit se ad significandum corpus perfectum, non ex vi sacramenti, sed sub sacramento contentum: & ideo ostendit veritatem & corpus sicut est.

AD ALIVD dicendum, quòd hæc est falsa, quòd sicut se habet rés ad rem, ita forma ad formam: licet enim forma in sacramento sit effectiua rei, nõ oportet tamen formam dependere à forma. Et ita dicunt aliqui. Melius tamen potest concedi proportio præmissa in argumento: & potest dici, quòd aliud est sanguinem esse simpliciter, & aliud sanguinẽ esse ex vi sacramenti sub sacramento. Sic autem potest esse absque eo quod est corpus ex vi sacramenti esse sub sacramento: & licet sanguinẽ simpliciter esse sine corpore sit impossibile: tamen sanguinem ex vi sacramenti esse sub sacramento, potest esse absque eo quod esset corpus ex vi sacramenti sub sacramento: & hoc modo proprie accipitur res sacramenti vt sacramenti: & sic patet, quod sicut res non dependet à re, ita nec forma à forma.

AD ALIVD dicendum, quòd sacramentaliter operatur corpus perfectũ cum sanguine, vt dictum est: sed illũ sanguinẽ in illo vsu fidelium qui est potus redemptionis, non operatur forma dicta super panem, sed dicta super calicem. Et ideo non valet illa obiectio: quia licet perfectum corpus sit sub specie panis: tamen non est secundum quod congruit vtrique vsui fidelium, scilicet cibi & potus. Et ideo communiter dicitur à Doctoribus, quòd sanguis est ibi non ex vi sacramenti, sed ex connexione naturali sanguinis & corporis: quia corpus perfectum & viuum sanguinem habet in epate, & venis, & aliis partibus corporis quæ debent infundi sanguine. Instantia autem ad argumentum est de anima: quia aut operatur corpus & animam, aut non. Si non: ergo imperfectum, & sic non est. Si sic: ergo panis conuertitur in animam, quod est impossibile. Et de diuinitate est eadem obiectio.

AD ALIVD dicendum, quòd istud sacramentum non est vnum ab vnitate specierum vel formæ verborum, sed potius ab vnitate eius quod est ibi res & sacramentum, & ab vnitate eius quod est ibi res tantum, vt infra probabitur. Et ideo ad argumentum dicendum, quod forma dat esse hoc modo quo est forma: & ideo forma panis dat esse quoad continentiam corporis, & forma vini dat esse quoad continentiam sanguinis. Quia autem Christus est res & sacramentum in hoc sacramento, & ipse vere est vnus: ideo sacramentum est vnum. De hoc tamen infra erit disputatio quia magnam habet difficultatem, & diligenti indiget discussione.

ARTICVLVS IX.

An sacracramentum hoc sit frequentandum post cœnam sicuti Christus ipsum instituit.

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Vbi consideratione dignum est, quia sacramentum post cœnam, &c.] Videtur enim ex hoc quod etiam celebrandum sit & frequetandum post cœnam: plus enim est instruere facto, quam verbo: cum igitur ipse verbo & opere post cœnam istud instituerit: videtur etiam, quòd post cœnam sit celebrandum.

2 Item, Magis valet instructio Magistri, quam discipuli: ergo etiamsi Apostoli statuerunt contrarium, videtur eis non esse obediendum, sed potius Domino: & ita post cœnam est sumendum, vt videtur.

3 Item, Quanto minor est indigentia cibi ex parte corporis, cum sumitur cibus spiritualis, tanto magis signatur cibus spiritualis sumptus non sumi ad indigentiam corporis, sed animæ: sed facta refectione corporis, minor est indigentia corporis quam non facta: ergo si facta refectione sumatur

corpus Christi,ex ipso significatur,quòd non propter corpus,sed propter animam sumitur : constat autem , quòd hoc modo sumendum sit , scilicet propter animam, & non propter corpus:ergo magis congruit vt sumatur post prandium,quam ante.

4 Præterea,videtur,quòd nihil prohibeat post prandium sumi : non enim quod in os intrat, coinquinat animam,vt dicit Dominus Matth.15. Nihil autem impedit à perceptione huius sacramenti,nisi peccatum : ergo videtur, quòd post prandium celebrari & accipi possit.

Sed contra. SED CONTRA : Augustinus in litera dicit, quòd propter tanti sacramenti honorem , prius in os Christiani Dominicum corpus debet intrare,quam alij cibi.Ergo ante prandium sumendum est & celebrandum.

2 Item, 1.Cor.11. Conuenientibus vobis in vnum , iam non est Dominicam cœnam manducare. Vnusquisque enim suam cœnam præsumit ad manducandum. Ergo Apostolus ponit hoc pro ratione,quòd non est manducandum corpus Christi : quia præsumpta est propria cœna ad manducandum : ergo post cibum sumi non debet , vt videtur.

3 Item, Istud sacramentum ex parte suscipientis summam exigit deuotionem : summa autem deuotio maximam exigit sensuum & rationis sobrietatem : sobrietas summa exigit ieiunium: ergo ieiuno stomacho sumendum est corpus Christi.

Quæstiuncula. VLTERIVS quæritur hic de causis quas Magister tangit in litera , quòd Christus corpus suum dedit post cœnam. Prima enim non videtur valere , scilicet vt vltimum legalium quod est typicus agnus , terminetur ad Passionem quæ in sacramento isto recolitur : si enim duo secundum successionem sibi continuanda sunt , vltimum prioris debet esse cum primo posterioris : constat autem , quòd primum sacramentum Noui Testamenti non est Eucharistia , sed potius baptismus: ergo videtur , quòd debuit continuari ad baptismum.

2 Item , Sicut terminanda erat manducatio agni typici ad esum agni veri, sic terminanda fuit circuncisio ad baptismum : ergo eadem ratione debuit post cœnam vltimo circuncidere, & postea baptizare Apostolos, sicut dedit eis agnum typicum & postea verum.

Secunda causa etiam non videtur valere , scilicet vt arctius discipulorum memoriæ commendaret : id enim quod maxime necessarium est, maxime memoriæ commendandum est : baptismus autem & pœnitentia maxime sunt necessaria : ergo maxime memoriæ commendanda : ergo & illa & non Eucharistia post cœnam vltimo debebant institui.

2 Item etiam,Secundum Philosophos id quod primo occurrit memoriæ antequam alij motus facti sunt in ipsa, magis profundatur in memoria & magis tenetur : si igitur illud memoriæ commendandum erat, vt dicitur in litera , videtur eo ipso quòd ante alia dandum erat discipulis, & non vltimo.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum , quòd in veritate, sicut probat Magister in litera , aliter est de institutione huius sacramenti , & aliter de frequentatione fidelium : institutioni enim conueniebat vt post cœnam immediate ante Passionem institueretur : frequentationi autem , vt in reuerentiam & diiudicationem tanti cibi & sobrietatem deuotionis ante prandium percipiatur & celebretur: sicut enim dicit Apostolus 1.Cor.11. Qui manducat & bibit indigne,iudicium sibi manducat & bibit, non diiudicans corpus Domini. Vnde ille cibus diiudicandus est,vt dicitur in litera , & discernendus ab aliis cibis : & ad hoc exigitur vigor & sobrietas rationis : ratio autem post prandium propter fumos ad cerebrum eleuatos à loco digestionis oppilatur,& minus potens efficitur in discernendo , & impeditur deuotio : & etiam vix potest esse quòd non subrepat aliqua delectatio ad minus venialis in cibo , ex qua etiam efficitur homo minus idoneus : & ideo salubriter institutum fuerat , vt ante prandium frequentaretur. Causæ autem quare Dominus non tantum post prandium,sed etiam post cœnam instituit, sufficienter tanguntur in litera.

AD PRIMVM ergo dicimus,quòd Dominus non innuit per hoc , quòd post cœnam frequentaretur : sed in litera habetur quibus de causis post cœnam instituit , vt deinceps ante prandium frequentaretur.

AD ALIVD dicendum , quòd hoc est verum in illis vbi separatæ sunt instructio Magistri & discipuli : sed si Magister in discipulo statuit , vt primæ operationi Magistri quam per se facit secundum intentionem non contrarietur , tunc obediendum est discipulo sicut Magistro.

AD ALIVD dicendum, quòd saturitas contrariatur sumptioni Eucharistiæ ex incongruitate & inconformitate : cum autem etiam ante prandium fides supponat non ad nos conuertendum corpus Christi , sed nos ad ipsum , satis euidens est quòd nunquam sumitur propter indigentiam corporalem.

AD ALIVD dicendum , quòd maxima præparatio exigitur ad hoc sacramentum : & ideo oportet non tantum abstinere ab illicitis , sed etiam à licitis tanto sacramento non congruentibus : & hoc attendens Ecclesia statuit , vt fideles ieiuni ad sacramentum accedant : & ideo peccat pransus accipiens , non quidem prandendo , sed quia contra rationabilem Ecclesiæ prohibitionem accipit pransus tantum sacramentum.

Ad quæstiunculam. AD ID quod vlterius quæritur de causis datis in litera,dicendum quòd optimæ sunt : & vna sumitur ex parte ordinis veritatis ad vmbram : alia autem ex parte ingratitudinis dilectionis in signo Passionis & Eucharistiæ nobis exhibitæ : de illa enim dilectione qua passus est pro nobis , & seipsum in cibum pro nobis dedit , obliuisci est damnabilis ingratitudinis.

AD PRIMVM ergo quod contra obiicitur, dicendum quòd licet baptismus sit primum sacramentum ex parte sui effectus in nobis : non tamen est primus ex parte operantis in sacramentis omnibus : operans enim in sacramentis omnibus est Passio Christi & passus Christus: hoc autem , vt prius dictum est , recolitur in hoc sacramento specialiter.

AD ALIVD dicendum , quòd baptismus habet rem,quæ est nouitas vitæ spiritualis : & hæc exemplariter ostensa est in Resurrectione : & ideo magis conueniebat institui formaliter post Resurrectionem , quam immediate ante Passionem;

nem: & de hoc satis quæsitum est in tractatu de baptismo.

Ad id autem quod obiicitur contra secundam causam, dicendum quòd licet baptismus sit necessarius propter hoc quod est sacramentum spiritualis vitæ, & ianua sacramentorum, tamen non est frequentandus: quia datur contra originale quod tantum vnum est, & semel inficit animam: & ideo non oportuit esse memoriam illius. Sed in hoc sacramento exigitur frequentia, eo quod dicit Bernard. in epistola ad Chartusien. quòd est memoriale amici nostri abeuntis pro nobis ad Passionem: cuius nunquam debemus esse immemores.

Ad vltimvm dicendum, quòd notum est quòd prima magis profundantur in memoria ad retinendum, sed ad frequentandum super quæ redeat semper animus, commemorantur vltima: quia illa sunt quasi eminétia in mente quæ se memoriæ & meditationi per se citius offerunt: sicut in simili possumus videre, quod docet Tullius fortiores allegationes Rhetorum ponendas esse in fine: vt illæ eminentius aliis formis, quæ sunt in anima iudicis, magis se præsentent meditationi & rationi iudicis.

ARTICVLVS X.

An hoc sacramentum post prandium celebretur, & quæ comestio siue potatio arceant à perceptione sacramenti?

SEd adhuc vlterius quæritur, Vtrum post prandium possit celebrari hoc sacramentum? Videtur autem, quòd non: quia dicit Apostolus 1. Corinth. 11. Iam non est Dominicam cœnam manducare. Vnusquique enim suam cœnam præsumit ad manducandum. Aliud autem non est manducare, & aliud non debet manducari: quod enim non est manducare, non contingit manducare: & hoc ideo, quia non conficitur, vel quia non est præsto ad manducandum: ergo videtur, quòd non conficitur post prandium.

Sed contra. Sed contra hoc est: quia ad sacramentum non exigitur nisi forma & materia, & ex parte conficientis ordo & intentio: ergo istis suppositis videtur, quòd sacramentum conficiatur: ergo post prandium & ante prandium conficitur, vt videtur.

Quæstiũcula 1. Vlterivs quæritur, Quæ comestio arceat à perceptione corporis & sanguinis Domini? Dicunt enim medici, quòd quædam sunt medicina & non cibus, & quædam cibus & non medicina, quædam autem cibus & medicina simul: quæratur ergo si aliquis sumeret ea quæ sunt medicina & non cibus, quæ potius exhauriunt corpus quam conuertantur in corpus, vtrum ille possit sumere corpus Domini? Et videtur quod sic: quia non sumpsit cibum: & nihil aliud impediebat eum: ergo ex talibus non impeditur, vt videtur.

2 Item, Talia, vt dicunt, non soluunt ieiunium: ergo non impediunt celebrationem vel communionem.

Sed contra. Sed contra: Ex talibus bene prouocantur fumi & vapores ad cerebrum: ergo impediunt rationem à discretione & iudicio debito huic cibo: ergo videtur, quòd impediant à celebratione & communione.

Vlterivs quæritur de potantibus aquam, vtrum ipsi à celebratione & communione arceantur? Videtur quod non: quia simpliciter aqua non nutrit: ergo ieiunium non soluit, nec impedit celebrationem. *Quæst. 2.*

2 Item, Hoc dicunt quidam Doctores iuris in suis apparatibus, quod non impediat à celebratione potus aquæ.

Sed contra. Sed contra: Licet aqua inquantum huiusmodi non nutriat: tamen per actum humidi vehiculum est cibi: aut ergo vehit cibum commixta cibo, aut non. Si non commixta: ergo aqua pura flueret & reflueret ad membra, & super illam cibus, quod falsum est & absurdum: ergo vehit cibum commixta ei; commixta autem cibo conuertitur ad membra & corpus substantialiter: ergo aqua nutrit: ergo soluit ieiunium, & impedit à celebratione & communione, vt videtur.

Solutio. Solvtio. Sine præiudicio sententiæ maiorum dicendum videtur mihi ad primum, quòd si aliquis habens ordinem & intentionem seruando formam & materiam huius sacramenti, conficit post prandium quod confectum est: sed peccat mortaliter veniens contra Ecclesiæ Catholicæ & Apostolicæ institutionem.

Ad id autem quod contra obiicitur, dicendum videtur, quòd Apostolus dicit ibi, non est, id est, non debet: & non in eo sensu quòd non esset si conficeretur.

Ad quæstiunculam 1. Ad id autem quod vlterius quæritur, dicendum quòd meo iudicio omnis cibus quem communiter & vsualiter cibum vocamus, hoc est, qui transit in ventrem, & si non conuertatur ad corpus, impedit celebrationem.

Ad id quod contra obiicitur, dicendum quòd non est tantum institutum propter refectionem, quia refectio nullum malum est: sed etiam propter corporis vitium & animæ turbationem, quæ tanti sacramenti perceptioni non congruit: corpus autem & vires animæ magis quandoque turbantur in eo quod est medicina & non cibus, quam in eo quod est cibus: & ideo post susceptionem talium non est celebrandum sacramentum: infirmi tamen quibus non est lex posita, possunt in hora necessitatis sumere, siue post prandium, siue ante prandium.

Ad alivd dicendum, quòd aliud est de ieiunio: quia hoc fit ad corporis afflictionem: & ideo turbatio sensuum ieiunio non contrariatur. & ideo conceditur à quibusdam, quòd talia ieiunium non soluant.

Ad quæstiunculam 2. Ad id quod vlterius quæritur de potu aquæ, dicendum mihi videtur, quòd non est celebrandum post aquæ potum: quia materialiter etiam conuertitur in cibum, & multiplicat fumos ad caput.

Ad id autem quod contra obiicitur, dicendum quod simplex aqua manens simplex, non nutrit: sed per calorem digestiuum commiscetur cibo qui est in stomacho: & tunc nutrit, sicut ostendunt opera rusticorum qui miscent eam fimo quando volunt irrigare plantas: & tunc, sicut Philosophus dicit, incipit sic immixta esse nutrimento. Et quod in plantis fit extra per artificium, in homine fit intra per naturam melius commiscentem.

Ad alivd dicendum, quòd aliud est ieiunium

iunium ſimplex, aliud ieiunium ſolita reputatione Eccleſiæ: aqua enim abſque dubio ſoluit ieiunium ſimplex: ſed quia iuuamentum eius eſt modicum, ideo ab Eccleſia non ſolui ieiunium ex potu aquæ reputatur.

AD ALIVD dicendum, quòd Iuriſperiti non habent loqui de hoc, ſed potius Phyſicus vel Medicus: ſed Theologus hoc accipiens à Medico habet determinare, vtrum conficiendum ſit poſt potum aquæ vel non.

De ſacramento & re.

D NVNC quid ibi ſacramentum ſit, & quid res, videamus. Sacramentum eſt inuiſibilis gratiæ viſibilis forma. Forma ergo panis & vini quæ ibi videtur, eſt ſacramentum, id eſt, ſignum ſacræ rei: quia præter ſpeciem quam ingerit ſenſibus, aliquid aliud facit in cognitionem venire. Tenent ergo ſpecies vocabula rerum quæ ante fuerunt, ſcilicet panis & vini. Huius autem ſacramenti gemina eſt res: vna ſcilicet contenta & ſignificata, altera ſignificata & non contenta. Res contenta & ſignificata eſt caro Chriſti, quam de Virgine traxit, & ſanguis quem pro nobis fudit. Res autem ſignificata & non contenta eſt vnitas Eccleſiæ in prædeſtinatis, vocatis, iuſtificatis, & glorificatis. Hæc eſt duplex caro Chriſti, & ſanguis. Vnde Hieronymus, Dupliciter, inquit, intelligitur caro Chriſti & ſanguis eius: vel illa quæ crucifixa eſt & ſepulta, & ſanguis qui militis lancea effuſus eſt: vel illa ſpiritualis ac diuina, de qua ipſe ait, Caro mea vere eſt cibus, & ſanguis meus vere eſt potus. Et, Niſi manducaueritis carnem meam, & biberitis meum ſanguinem, non habebitis vitam in vobis. Sunt ergo hic tria diſtinguenda. Vnum, quod tantum eſt ſacramentum: alterum, quod eſt ſacramentum & res: & tertium, quod eſt res & non ſacramentum. Sacramentum & non res eſt ſpecies viſibilis panis & vini. Sacramentum & res, caro Chriſti propria & ſanguis. Res & non ſacramentum, myſtica eius caro. Porro illa ſpecies viſibilis, ſacramentum eſt geminæ rei: quia vtramque rem ſignificat, & vtriuſque rei ſimilitudinem gerit expreſſam. Nam ſicut panis præ cæteris cibis corpus reficit & ſuſtentat, & vinum hominem lætificat atque inebriat: ſic caro Chriſti interiorem hominem plus cæteris gratiis ſpiritualiter reficit & ſaginat. Vnde, Calix meus inebrians quam præclarus eſt. Habet etiam ſimilitudinem cum re myſtica, quæ eſt vnitas fidelium: quia ſicut ex multis granis conficitur vnus panis, & ex pluribus acinis vinum in vinum confluit: ſic ex multis fidelium perſonis vnitas Eccleſiaſtica conſtat. Vnde Apoſtolus, Vnus panis, & vnum corpus multi ſumus, &c. Vnde Auguſtinus, Vnus panis & vnum corpus Eccleſia dicitur, pro eo quod ſicut vnus panis ex multis granis, & vnum corpus ex multis membris componitur: ſic Eccleſia ex multis fidelibus charitate copulante connectitur. Hoc myſterium pacis & vnitatis noſtræ Chriſtus in ſua menſa conſecrauit: qui accipit hoc myſterium vnitatis, & non tenet vinculum pacis, non accipit hoc myſterium pro ſe, ſed contra ſe. Cuius etiam ſacramentum eſt corpus Chriſti proprium de Virgine ſumptum: quia vt corpus Chriſti ex multis membris puriſſimis & immaculatis conſtat: ita ſocietas Eccleſiaſtica ex multis perſonis à criminali macula liberis conſiſtit. In cuius rei typo facta eſt arca Domini de lignis Sethim, quæ ſunt imputribilia, & albæ ſpinæ ſimilia.

Aug. de ciu. Dei. 10. c. 5.

Cõmentario ad 1. cap. epiſt. ad Epheſ.

Ioan. 6.

1. Cor. 10.

De ſacramentis fidelium.

De cõſe. diſt. 1. c. Quia paſſus.

Eph. 4.

ARTICV

ARTICVLVS XI.

An Eucharistia sit etiam sacramentum an non?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi*[Nunc quid ibi sit sacramentum] Hic incidunt tria quærenda,quorum primum est, An sit sacramentum?quia hoc Magister supponit.Secundum,quid sit ibi sacramentum & quid res,& quid sacramentum & res ? & hoc tangit in litera. Tertium est consequens ad hoc, scilicet vtrum sit sacramentum vnum,vel plura?

Ad primum proceditur sic : Omne sacramentum efficit quod figurat : sacramentum in Eucharistia non efficit quod figurat : ergo id quod est signum vel sacramentum tantum(vt dicit in litera) non est sacracramentum nouæ legis ad minus. Prima supponitur ex habitis supra in principio libri. Secunda autem probatur ex hoc quod species panis & vini , quæ sunt signa,nihil efficiunt: ergo videtur, quòd sequatur conclusio.

2 Si forte dicas , quòd efficere est agere , & actio non debetur materiæ, sed formæ:species autem panis & vini materialia sunt in sacramento: & ideo non debetur eis actio,sed formæ sacramenti. Contra : In baptismo & confirmatione video, quòd ad minus materia habet actum corporalem in quo spiritualis actus sacramenti intelligitur: aqua enim sordes lauat , in quo accipitur ablutio peccatorum:& chrisma propter balsamum imputribile reddit id quod se perungitur, in quo intelligitur constantia confirmati:species autem panis & vini cum sint accidentia,nullam habent similitudinem cum actu nutriendi spiritualiter , quia accidens non nutrit:ergo videtur,quòd nullo modo sit sacramentum tantum.

Quæstiũcula. VLTERIVS quæritur de corpore Christi vero , Vtrum ipsum sit sacramentum?Et videtur, quòd nullo modo sit sacramentum : quia non est visibile vel sensibile : cum igitur sacramentum sit visibile & corporale elementum, extrinsecus oculis suppositum , &c. videtur non esse sacramentum.

2 Præterea , Sacramentum nouæ legis efficit quod figurat : corpus Christi verum non videtur efficere quod figurat : ergo corpus Christi verum non est sacramentum nouæ legis. Prima patet ex habitis sæpius. Maior probatur ex hoc quod effectus non est ante efficiens:sed corpus Christi mysticum & vnitas eius fuit ante corpus Christi verum:ergo non est effectus eius,vt videtur.

3 Præterea , In aliis sacramentis efficitur aliquid in nobis : ergo & in isto : sed corpus Christi mysticum non est aliquid in fidelibus , sed potius Christi fideles : ergo non est effectus sacramenti, sed potius res , vt videtur. Si autem dicas , quòd res est signata, non causata, nec contenta (vt quidam dicunt,& sicut videtur dici in litera)tunc sequitur,quòd respectu illius non debet determinari Eucharistia esse sacramentum nouæ legis:quia veteris legis sacramenta bene habebant res signatas non contentas,sicut & nouæ legis sacramenta.

Solutio. SOLVTIO. Absque ambiguitate dicendum, quòd Eucharistia non tantum sacramentum est, sed etiam sacramentum sacramentorum , vt consequenter probabitur.

AD PRIMVM autem dicendum , quòd in veritate, sicut dicit Magister in litera, & Hugo de sancto Victore, in hoc sacramento tria sunt,quorum primum est sacramentum in ratione signi tantum, scilicet species panis & vini. Secundum est sacramentum & res, & signum & causa tertij, & hoc est corpus Christi verum. Tertium est res tantum , & est virtus secundi , & signatum primi & secundi , & hoc est vnitas corporis mystici.

AD ID ergo quod obiicitur , quòd species nihil efficit , dicendum quòd non oportet , quòd species materialis sit effectiua , sed significatiua, secundum quod dicit solutio posita in obiectione.

AD ID quod obiicitur contra solutionem hanc, dicendum quòd est accipere speciem dupliciter, scilicet secundum id quod est, & in cõparatione & relatione ad id quod continet , & cuius fuit vt subiecti. Si primo modo : tunc verum est, quòd est accidens , & non nutrit. Sed si secundo modo:tunc continet cibum spiritualem , ad cuius actum ponit signum per hoc quod est accidẽs proprium panis corporalis & naturalis , in quo fuit vt in subiecto ante conuersionem:& ideo secundũ quosdam adhuc retinet post conuersionẽ aliquem actum panis : de quo tamen infra manifesta erit quæstio. Et hoc modo ponit similitudinem ad refectionem spiritualem , quæ nos vnit corpori Christi mystico.

AD ID quod vltetius quæritur de corpore Christi vero , dicendum quòd est sacramentum & res , & est causa & signum vnitatis corporis Christi mystici, & signatum & effectum primi,vt panis & vini cum forma transsubstantiante. *Ad quæst.*

AD ID autem quod contra obiicitur , dicendum quòd effectus sacramenti huius non est corpus mysticum (& obiectiones illæ proueniunt ex mala intelligentia literæ)sed potius vnitas corporis mystici.Vnitas autem illa efficitur multis modis, scilicet per spiritum vnientem, & per effectũ virtutum compingentium & connectentium & vnientium , sicut tangit Apostolus Ephes. 3. Et hoc modo vnitas corporis Christi mystici præcedit corpus Christi verum. Sed alia est vnitas ex gratia sacramentali secundum quam hoc sacramentum conuertit ad se , & vnit sibi quodlibet cibatum in isto sacramento:in hoc enim quod vnit quodlibet sibi , vnit omnes adinuicem : quia quęcunque vniuntur vni & eidem , inter se etiam vniuntur : & hoc modo vnitas est effectus corporis Christi veri , & sequitur ipsum sicut effectus suam causam. Per hoc etiam patet solutio ad vltimum , quod est efficere corpus Christi mysticum dupliciter : scilicet materialiter , & sic non est effectus alicuius sacramenti nisi forte matrimonij. Et est efficere vnitatem corporis quoad gratiam spiritualem ratione cibi ad se conuertentis:& hoc modo efficitur à sacramento vnitas corporis Christi mystici, & dicit gratiam contentam in fidelibus sumentibus corpus Christi verum, & non ipsos fideles.

***

ARTICVLVS XII.

Quid sit sacramentum, quid res, & quid sacramentum & res simul?

SEcundo quæritur, Quid sit hic sacramentum, & quid res tantum? Videtur autem, quòd species visibiles panis & vini non possunt esse sacramentum tantum: id enim quod est sacramentum tantum, expressionem signi habet ad id quod est sacramentum & res, & ad id quod est res tantum: sed species panis & vini non videntur habere talem rationem signi: ergo non sunt sacramentum. Prima constat ex prius habitis. Secunda probatur ex hoc quod panis & vinum sunt corpora homogenia: talia autem non habent similitudinem cum heterogenio, sed potius oppositionem quandam: ergo non significabunt istud.

2 Præterea, Cum maior sit similitudo naturalis ad naturale, quam artificialis ad naturale, videtur quòd id quod est signum corporis Christi veri quod est corpus naturale, debuit esse naturale corpus, & non artificiale: ergo videtur, quòd non debet esse species panis cocti & vini expressi.

3 Item, Dicit Hugo de sancto Victore, Cum vnum sit sacramentum, tria sibi discreta proponuntur, species scilicet visibilis, & virtus corporis, & virtus animæ spiritualis: & primum est signum secundi: secundum autem causa tertij: tertium autem effectus secundi, & signatum primi. Ergo videtur, quòd primum habeat rationem significandi & respectu secundi, & respectu tertii. Cum ergo conuenientissima debeant esse signa Noui Testamenti, & signa veritatis, videtur quòd magis signum debuit poni in heterogenio: quia heterogenium exprimit compositionem organorum in corpore vero, & vnitatem diuersorum fidelium in corpore mystico, quorum neutrum videtur esse in corpore homogenio.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum per auctoritatem Damasceni qui dicit, quòd quia hominibus moris erat aqua lauari, & oleo vngi, coniunxit oleo & elementis Spiritus sancti gratiam, vt efficeretur sacramentum spiritualiter lauans & spiritualiter vngens. Et quia hominibus moris erat vti pane in cibo, & vino in potu, fecit de his corpus & sanguinem suum vnitum deitati, & ministrauit in cibum spiritualem. Et ideo in aliis non adeo vniuersaliter & conuenienter inueniretur ratio significandi cibum spiritualem.

AD ID autem quod obiicitur primo, supra etiam obiectum & solutum est in quæstione de forma corporis Christi. Et dicendum, quòd duo sunt in pane, scilicet ratio cibi, & materia ex qua fit ratio cibi: vna est magis in homogenio quam in heterogenio: & quia corpus Christi cibus est vniuersaliter & simpliciter, quoad hoc magis conuenit homogenium quam heterogenium. Si autem materialiter consideretur: tunc conficitur ex multis granis discretis, & quoad hoc habet similitudinem cum operatione organorum corporis Christi veri, & cum aggregatione fidelium. Et quia vtrunque significari oportet in materia Eucharistiæ, propter hoc oportuit habere vtrunque quodammodo, scilicet heterogenium in materia panis, & homogenium in esse panis confecti, propter vnam in toto Christo rationem cibandi: & eadem ratio est de vino.

AD HOC autem quod obiicitur de artificiali, dicendum quòd Christus passus & passione nobis excoctus significatur in Eucharistia. In passione autem fuit opus hominis, & quoad hoc habet similitudinem opus artis, quod est opus voluntatis hominis in quo panis se habet vt patiens: & hanc expositionem tangit Magister Hugo de sancto Victore in quadam Epistola ad Bernardum de epistola paschali: & ideo Christus dicitur azymus synceritatis, eo quod est excoctus in innocentia passionis. Et per hoc patet solutio & responsio ad totum.

ARTICVLVS XIII.

An sacramentum sit vnum vel plura?

TErtio quæritur, Vtrum sit vnum sacramentum vel plura? & hoc est difficilius. Et obiicitur sic: Dicitur in collecta beati Greg. Purificent nos quæsumus Domine sacramenta quæ sumpsimus. Ergo sunt plura sacramenta.

2 Item, Perficiant in nobis quæsumus Domine tua sacramenta quod continent. Cum ergo non loquatur nisi de sacramento Eucharistiæ, videtur quòd sint plura sacramenta.

2 Item, In auctoritate Hugonis supra posita quæ dicit, quòd tria discreta in hoc sacramento proponuntur: tria autem discreta sunt plura: ergo hoc sacramentum est plura sacramenta, vt videtur.

4 Item, Esse signum est ad alterum: ergo si multiplex est signum, multiplex erit sacramentum: & si multa signa, multa erunt signata: sed hic duo sunt signa, scilicet species panis, & species vini: & corpus Christi mysticum, & corpus Christi verum sunt plura signata: ergo plura sacramenta. Si dicas, quòd vnum horum sacramentorum ordinatur ad alterum. Contra: Species panis non ordinatur ad speciem vini, licet hæc ambo ordinentur ad corpus & sanguinem Christi: sed species panis & vini sunt plura signa, & corpus Christi verum & mysticum sunt plura signata: ergo plura sacramenta. Si dicas, quòd corpus Christi verum & sanguis non sunt diuersa, sed vnum: & ideo non respondent eis plura, sed vnum, & ab illo vno signato est sacramentum vnum, sicut fere ab omnibus dicitur. Contra: Aliud est sanguinem esse simpliciter, & aliud est virtute sacramenti sanguinem Christi haberi in altari: & similiter est de corpore: sed cum fit confectio corporis Christi, virtute sacramenti non habetur sanguis, vt patet ex supra disputatis: & cum conficitur sanguis, virtute formæ sacramentalis non habetur corpus: ergo verum corpus & verus sanguis, licet vnita sint naturaliter, tamen sacramentaliter diuisa sunt: & hoc modo sunt signata speciei panis, & speciei vini: ergò hoc modo sunt plura signata, & secundum virtutem sacramentalis formæ diuisa: ergo plura erunt signa sacramentaliter: ergo plura sacramenta, vt prius.

5 Item, Nihil videtur esse quod dicitur communiter,

muniter, quòd ab vnitate vltimi signati sit sacramentum vnum: non enim aliqua ratio vnionis respectu præcedentium est vltima, vt videtur: quia prima præcedunt ipsum, & ideo etiam si prius sunt plura, & cum ipso sunt plura: & si ante sunt vnum, etiam cum illo sunt vnum.

6 Item, Causa vniuersalis & particularis confluunt in vnum effectum vltimum, sicut patet, cum dicitur quòd homo generat hominem ex materia & sol: sol enim est causa vniuersalis generationis, non huius hominis tantum, & homo causa particularis generationis hominis huius, non vniuersalis generationis: & tamen propter illud vnum quod efficiunt, non efficiuntur homo & sol causa vna, sed remanent plures causæ: ergo videtur, quòd ab vnitate vltimi effectus non efficiantur præcedentia illum effectum vnum, sed remanent plura.

7 Item, Vnum (vt dicit Philosophus) sequi esse: & à quo est esse, & ab eo est vnum: quia à forma est vtrunque: igitur vbi plura sunt dantia esse, plures sunt vnitates, & plura vna, vt ita liceat loqui: sed in hoc sacramento sunt plura esse, quia plures formæ: ergo plura vna: ergo plura sacramenta, vt videtur.

8 Item, Quæ nec genere nec specie conueniunt, illa sunt plura simpliciter: signa quæ sunt in hoc sacramento, nec specie nec genere conueniunt: ergo sunt simpliciter plura. Prima patet per se. Secunda probatur ex hoc quod species panis visibiles sunt signa corporis veri, vinum etiam signum est corporis mystici: & hæc signa nec sunt in eodem genere proximo, nec in eadem specie: ergo simppliciter plura. Item, Signata etiam plura sunt. Probatio. Id quod est simpliciter vnum, non est idem ei quod est vnum secundum quid, scilicet aggregatione tantum: sed corpus Christi verum est simpliciter & naturali vnitate vnum, Corpus autem Christi mysticum est vnum secundum quid & aggregatione tantum: ergo non sunt idem. Cum ergo nec vnitas sit in signis, nec vnitas in signatis, videtur sacramentum istud simpliciter esse plura, & non vnum.

9 Item, Ex duobus perfectis in eodem genere existentibus non fit vnum: sed Christus perfectus est sub ratione panis, & perfectus sub forma vini: ergo vtrobique perfectus: ergo non fit vnum ex eo quod est ibi & ibi: ergo plura remanent sacramenta.

10 Item, Nos videmus, quòd vnitas signati in impositione nominum quæ sunt signa rerum, non facit idem nomen, nec diuersitas facit diuersitatem: quia Marcus, Tullius, Cicero, sunt diuersa nomina & idem significant: & albus, alba, album, sunt idem nomen, & diuersa significant: ergo à simili idem erit in sacramentis: quia vnitas signati non facit vnitatem signorum, nec diuersitas diuersitatem: ergo videtur iterum, quòd nihil sit dictum, quòd licet hic sint species diuersæ & signa diuersa, quod tamen hæc sint vnum sacramentum propter vnitatem signati.

Sed contra. Si propter hoc dicatur, quòd ista sunt plura sacramenta. Contra: Supra probatum est, quod sacramenta nouæ legis non sunt nisi septem: sed si istud est plura, erunt plura quam septem: ergo istud non est nisi vnum.

2 Item, Vnum sacramentum est, quod est vnius gratiæ effectiuum: sed vnicam gratiam efficit hoc sacramentum, quia vnitatem corporis Christi: ergo est vnicum sacramentum, & non plura.

3 Item, Ambros. dicit, quòd sacramentum simplex est: simplex autem non est plura: ergo istud sacramentum est vnum, & non multa.

Solutio. Solvtio. Distinctio quorundam præcedentium nos Doctorum fuit, quòd est aliquid simpliciter vnum, sicut id quod vnius est formæ & vnius materiæ & vnius effectus, vt baptismus: & est aliud simpliciter multa: vt duo vel tria sacramenta quæ habent differentes formas & materias & effectus. Est autem medium horum vnum multipliciter, quod multis materiis & formis efficit vnum effectum: & ad hoc reduxerunt istud sacramentum. Sed hæc distinctio non placet, pro tanto quia vnus effectus non efficitur à duabus causis æque proximis, nisi altera sit imperfecta: & cum gratia non sit imperfectior quam natura, etiam in gratia mihi videtur absurdum dici, quòd vnicus omnino effectus à duabus causis æque proximis efficiatur. Et ideo videtur dicendum sine præiudicio, quòd istud sacramentum est simpliciter vnum, sicut & alia: sed tamen propter modum gratiæ quam efficit, sunt in ipso materialiter plura. Et ratio huius lucidius patebit in soluendo obiectiones.

Dicendvm ergo ad prima tria, quòd respiciunt ea quæ materialia sunt in sacramento. Et ideo dicunt sacramenta, pluralem numerum consignificando: non tamen dicunt plura sacramenta, significando pluralem numerum vt conceptum, vel duo, vel tria sacramenta, signando pluralem numerum in distinctione exercita. Si autem obiicitur, quod Magister Hugo dicit tria in hoc sacramento esse, & ita discretionem exercitam significare, dicendum quòd ipse significat eam oblique. Vnde dicit, quòd cum sit vnum sacramentum, tria sunt in eodem discreta: & ideo discreta referuntur ad materiam sacramenti, quæ tamen terminantur vna forma: sicut etiam distinctio membrorum corporis terminatur vnitate formæ totius, & corpus ab illa est simpliciter vnum: habet tamen in se plura membra materialiter.

Ad aliud dicendum, quòd in veritate esse signi est non ad aliud, sed ad idem: alio tamen modo refertur signum speciei panis & speciei vini, & tamen vnica relatione, quod tamen mirabile videtur: sed bene concedo si plura pluribus relationibus referrentur ad idem vel diuersa, quod erunt simpliciter plura. Idem autem ad quod refertur, est vnitas corporis, sed non eodem modo: quia species panis habet relationem conuenientiæ ad vnionem ad caput, vt membra ad caput colligantur, sicut etiam panis conficitur ex multis granis: species autem vini ad gratiam redemptionis quæ vnit per descensum à capite: vt quasi relatio nostri ad caput in pane significaretur, & relatio sui ad nos per redemptionem sanguinis ministrati significaretur in sanguine: & sine his duobus non est perfecta vnio. Et hoc notatur cum dicit, Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet, & ego in eo Ioan. 6. Vna autem relatione referuntur istæ species: quia illa relatio est relatio signi: sicut autem dicit Augustin. in lib. de doctrina Christiana,

nã, Signorum autem alia ſunt naturalia, & alia ad placitum, & alia ab inſtitutione diuina. Et verum eſt, quòd quantum eſt ex ſimilitudine naturali non eſt relatio vna in ſpecie panis & vini, quia ſimilitudo illa reſpondet diuerſo modo vnitati perfectæ: ſed ab inſtitutione quæ principalis cauſa eſt in ſacramentis, quare ſignificant & cauſant, habent relationem vnam: quia ab inſtitutione ſunt inſtituta ad idem ſignificandum diuerſimode. Et per hoc patet ſolutio fere ad omnia obiecta: & hæc eſt radix totius veritatis in hoc articulo quæſtionis.

Ad aliud dicendum, quòd ſacramentaliter non ſunt omnino diuiſa corpus Chriſti, & ſanguis: quia ſunt ad idem efficiendum, ſcilicet corporis myſtici vnionem, licet diuerſimode, vt dictum eſt.

Ad aliud dicendum, quòd prima non omnino ſunt diuerſa: quoniam in vno ſunt quatuor ab inſtitutione quæ principaliter prima eſt: ſed notum eſt, quòd ſi in nullo antecedentium vnirentur, tunc non poſſent vniri in vltimo.

Ad aliud dicendum, quòd non eſt ſimile de cauſa particulari & vniuerſali: quia illæ in nullo vniuntur per ſubſtantiam, ſed tantum in effectu, qui poſterior eſt vtraque cauſarum: ſed hæc inſtitutio præcedit omnia, & vnit ea in vno.

Ad aliud dicendum, quòd non ſunt ſimpliciter plures formæ in hoc ſacramento: & ideo ſicut alia eſt forma partis, & forma totius: ita alia eſt forma totius & alia forma partis ſacramenti: vtraque enim formarum relata ad vnitatem inſtitutionis, ſimul confert eſſe completum ſacramento: ſed quando diuiſim accipiuntur, ſunt materiales, & non conferunt eſſe completum ſacramento ſecundum quod eſt ſacramentum, licet conferant completum Chriſtum, vt iam inferius patebit. Et ideo relatæ ad vnitatem inſtitutionis qua Chriſtus intendit vnum inſtituere ſacramentum, non conferunt niſi vnum eſſe & vnitatem vnius ſacramenti.

Ad aliud dicendum, quòd eſt accipere id quod facit genus ſacramenti & ſpeciem, & eſt accipere id quod facit genus naturæ vel ſpeciem: & de genere naturæ procedit obiectio, ſed de faciente eſſe ſigni ſecundum quod eſt ſacramentum non procedit: quia ſic ſunt in eodem tantum genere & ſpecie, ſed etiam numero, vt dictum eſt prius. Similiter ſignata non ſunt in eodem modo vnitatis naturæ, ſed tantum in eſſe ſacramenti vnum ordinatum eſt ad alterum, ſicut ſignum & cauſa ad effectum ſignatum & cauſatum.

Ad aliud dicendum ſine præiudicio, quòd duplex eſt perfectio, ſcilicet Chriſti & ſacramenti ſecundum quod venit in vſum fidelium, & perficit & ſignat perfectam vnitatem corporis myſtici. Primo modo verum eſt, quod Chriſtus perfectus eſt ſub vtraque ſpecie, ſcilicet panis, & vini: ſed ſecundo modo videtur mihi falſum: quia non perfecte cauſatur & ſignatur vſus fidelium & vnitas corporis myſtici, niſi duplici ſigno, vt prius dictum eſt: & ideo virtute ſacramenti oportet haberi vtrumque: & hæc vnita in vna inſtitutione & vno ſigno, licet modi vnitatis ſint diuerſi, vt prius dictum eſt.

Ad aliud dicendum, quòd non eſt ſimile de nominibus, & ſignis inſtitutis à Deo ad gratias ſacramentales ſignificandas: quia licet quandoque idem ſit cui imponuntur plura nomina, non tamen inſtituens imponit ab eodem: quia cum nomen ſignificet ſubſtantiam cum qualitate, ad qualitatem reſpicit inſtituens, & hoc quoad Grammaticum ſufficit, ſi habeat etiam modum diuerſum ad diuerſam inſtitutionem: & ideo plura nomina à talibus modis qualitatum impoſita, poſſunt eſſe eiuſdem: & quia etiam vna qualitas & modus eſt in diuerſis, fit vna inſtitutio ad diuerſa ſignificata per idem nomen in conſignatis variatum, ſicut albus alba album. Sed non fit ſic in inſtitutione ſigni ſacramentalis: ibi enim reſpicitur perfecta ſignificatio vnius gratiæ, licet diuerſus ſit modus participandi eam: & ideo eſt vna inſtitutio ſuper omnia illa quæ valent exprimere vim illius gratiæ: & omnia illa vniuntur in inſtitutione illa: & per hoc patet ſolutio ad omnia.

DISTINCTIO IX.

De duobus modis manducandi.

De verbis Domini, & habetur de cõſe. diſt. 2. c. Quid eſt Chriſtum.

A T ſicut duæ ſunt res illius ſacramenti, ita etiam duo modi manducandi. Vnus ſacramentalis, ſcilicet quo boni & mali edunt: alter ſpiritualis, quo ſoli boni manducant. Vnde Auguſtinus. Quid eſt Chriſtum manducare? Non eſt hoc ſolum in ſacramento corpus eius accipere: multi enim indigne accipiunt: ſed in ipſo manere, & habere ipſum in ſe manentem. Spiritualiter enim manducat, qui in vnitate Chriſti & Eccleſiæ quam ſacramentum ſignificat,

significat, manet. Nam qui discordat à Christo, nec carnem Christi manducat, nec sanguinem bibit: etsi tantæ rei sacramentum ad iudicium sui quotidie accipiat. Spiritualem manducationem Augustinus distinguens à sacramentali, ait, Vt quid paras ventrem & dentem? crede, & manducasti. Credere enim in eum, hoc est comedere panem & vinum. Qui credit in eum, manducat eum. Item, Quomodo manducandus est Christus? Quomodo ipse dicit, Qui manducat carnem meam & bibit sanguinem meum, in me manet & ego in eo. Si in me manet & ego in eo, tunc bibit: qui vero in me non manet, nec ego in illo: & si accipit sacramentum, acquirit magnum tormentum. Item, Nulli ambigendum est tunc quemquam corporis & sanguinis Domini participem fieri, quando Christi membrum efficitur: nec alienari ab illius panis calicisque consortio, etiamsi antequam illum panem edat & calicem bibat, de hoc seculo in vnitate corporis Christi constitutus abscedat: quia illius sacramenti beneficio non priuatur, quando ille habere hoc quod illud sacramentum signat inuenitur. In illo enim sacramento corpus & sanguinem suum nobis commendauit, quod & fecit nosipsos. Nam & nos corpus ipsius facti sumus. Item, Qui discordat à Christo non manducat carnem eius, nec sanguinem bibit: etsi tantæ rei sacramentum ad iudicium sibi quotidie accipit.

Tr. 25. super Ioannem.

Tr. 26. Ioan. 6.

De remedio pœnitentiæ. De cõse. dist. 2. c. Quomodo.

De sacramentis fidelium.

DIVISIO TEXTVS.

ET sicut sunt duæ res illius sacramenti] Peractis his quæ pertinent ad substantiam sacramenti huius, tangit de ipso in ista parte secundum comparationem ad celebrantem vel conficientem *ibi* [Post hæc quæritur, si quod gerit sacerdos, proprie sacrificium dicatur] In ista autem parte tangit de sacramento ex parte suscipientis. Et diuiditur in duas partes, in quarum prima tangit duos modos sumendi, & opiniones & errores qui circunstant illos modos. In secunda tangit modum conuersionis, & quædam consequentia modum transsubstantiationis illius, sicut de accidentibus, & fractione, & huiusmodi: & hæc incipit *ibi* [Si autem quæritur, qualis sit illa conuersio, &c.] Prima harum diuiditur in duas, in quarum prima continet primum capitulum huius nouæ distinctionis, & tangit duos modos manducandi. In secunda autem ratione auctoritatum inductarum tangit errores qui sunt circa hanc materiam: & hæc incipit *ibi* [Hæc verba & alia huiusmodi de spirituali manducatione] In hoc ergo capitulo probat esse duos modos manducandi, scilicet sacramentalem, & spiritualem. Et de his modis possunt in communi tria quæri. Primum est de distinctione horum modorum. Secundum est de illo modo præcipue qui dicitur spiritualis. Tertium de numero eorum.

ARTICVLVS I.

An sint duo modi sumendi Eucharistiam, scilicet sacramentalis, & spiritualis, & quomodo distinguantur?

AD primum obiicitur sic: Videtur enim, quòd isti modi non sunt distincti ex parte sacramenti, sed ex parte nostra: in baptismo enim semper est acceptio spiritualis effectus, nisi sit fictio impediens. Et ideo baptismus de se operatur salutem: ergo similiter cum Eucharistia sit sacramentum nouæ legis, semper operatur gratiam spiritualem: ergo sacramentalem in ipso non est distinguere à spirituali.

2 Item, Rex terrenus non est minus potens vbi est per seipsum, quam vbi est per ministerium, sed magis: ergo similiter est de Rege cælesti: sed Christus per seipsum est in sacramento Eucharistiæ in tribus substantiis & vnitate personæ, in aliis autem sacramentis tantum virtute Passionis operatur: si ergo susceptio aliorum sacramentorum quantum est de se semper est spiritualis, multo magis erit semper spiritualis susceptio Eucharistiæ: & sic nulla est distinctio, nisi intelligatur à parte nostra.

3 Item, Operatio sacramenti distinguitur ab operatione virtutis & gratiæ: quia in sacramentis in elemento corporali diuina virtus secretius operatur salutem: ergo nisi præcedat operatio alicuius elementi corporalis, non contingit venire ad effectum spiritualem: ergo videtur, quòd spiritualis modus sumendi nunquam distinguatur à sacramentali.

4 Item, In baptismo licet fictus accedat: non tamen dicimus, quòd nihil accipiat de spiritu; quia

quia accipit characterem : ergo multo magis ita erit in ſacramento Euchariſtiæ : ergo qui manducat ſacramentaliter , manducat ſpiritualiter:& ita manducatio ſacramentalis non diſtinguitur à ſpirituali:& ſic iterum ibi videtur à parte noſtra euacuari diſtinctio.

5 Item , In litera habetur ab Auguſtino , Vt quid paras dentem & ventrem?crede , & manducaſti. Ergo iſte cibus non tranſit in corpus. Ergo non eſt elementi corporalis. Cum igitur in omnibus ſumentibus ſit aliquis cibus , oportet quòd ſit in omnibus ſpiritualis:ergo ſpiritualiter ſumere nunquam ſeparatur à ſacramentali ſumptione: ergo nulla eſt diſtinctio.

6 Item , Si eſt aliquis modus ſumendi ſacramentaliter tantum,hoc erit ratione alicuius quod fit in ſacramento:aut igitur ratione accidentium, & tunc etiam verius ſumeret ſacramentaliter qui ſumeret accidentia:aut ratione veritatis corporis Chriſti ſumpti, & tunc aut veritas corporis tranſit in ventrem , aut in mentem : non in ventrem, quia hoc negatur in litera:ergo in mentem : ergo menti vnitur, vel mens vnitur corpori Chriſti, & hoc eſt ſpiritualiter ſumere : ergo ſumens ſacramentaliter , ſumit ſpiritualiter , vt videtur : & ſic nihil valet diſtinctio.

7 Si forte dicatur,ſicut quidam hoc euadunt, quòd ſpiritualiter ſumere eſt Chriſto ſpiritualiter vniri, & in Chriſto manere.Contra:Vniri Chriſto non eſt actus ſacramenti : ergo vniri Chriſto non eſt ſumere ſacramentum ſpiritualiter. Probatio primæ eſt : quia ante inſtitutionem huius ſacramenti vniebantur fideles Chriſto & corpori myſtico. Item, Charitas Dei & proximi vnit Deo & proximo : non tamen omnis habens charitatem ſumit tem ſacramentalem ſpiritualiter:ergo videtur , quòd iſta ſolutio non eſt vera. Item , Licet gratia ſit res ſacramenti ſpiritualis , non tamen quæcunque gratia , ſed illa quæ propriè operatur in ſacramentis : effectus autem proprius alicuius rei nunquam habetur,illa re non habita:ergo nunquam habetur effectus ſacramenti huius proprius niſi ipſo ſacramento percepto.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum videtur ſine præiudicio,quòd iſti modi diſtincti ſunt quandoque, & quandoque coniuncti. Diſtincti ſunt quando fit perceptio veri corporis Chriſti ſine effectu gratiæ interioris, ſed potius nocumẽti ſpiritualis, ſicut dicitur in litera in ſecunda parte diſtinctionis, quòd qui indignus accipit hoc ſacramentum, acquirit ſibi magnum tormentum. Et iterum, quòd bonum malum eſt , dum male ſumitur bonum:& talis modus ſacramentalis ſumptionis diuiſus eſt à ſpirituali. Econtra quidam ſunt per memoriam vel habitudinem paſſionis Chriſti & ſacrificij ſpiritualis ſe vnientes Chriſto capiti ,& illi ſumunt ſpiritualiter , & non ſacramentaliter.

DICENDVM ergo videtur ad primum,quòd iſta diſtinctio non eſt tantum à parte noſtra , ſed etiam à parte ſacramenti : quia ſacramentum duplicem habet rem contentam : vnam ex vi conſecrationis , quæ eſt corpus Chriſti verum quod conficitur extra nos. Aliam habet rem contentam, ſicut cauſa continet in ſe virtute cauſatum : & illa eſt gratia ex parte noſtra : & ſic non eſt in aliis ſacramentis quæ non habent rem contentam, niſi ſicut in nobis cauſatam : & ideo in illis non eſt diſtinctio duplicis modi ſicut in iſto. Tamen hoc videtur concedendum , quòd licet habeat duplicem rem,vt dictum eſt, quod tamen non impeditur ab altera illarum quam cauſare debet in nobis, niſi ex parte noſtra.

AD ALIVD dicendum , quòd Chriſtus per ſeipſum in triplici ſubſtantia eſt res contenta in Euchariſtia virtute cõſecrationis,& non eſt ex ſuo defectu, quòd non inducitur vlterior res ſpiritualis , ſed potius ex defectu noſtro : ſed tamen quia vna harum rerum non dicit aliquid in nobis, nec efficitur in nobis , ſed extra nos virtute conſecrationis in ſacramento , alia autem in ſpiritu noſtro ſpiritualiter efficitur:ideo diſcretionis ratio eſt ex parte rei huius ſacramenti aliquo modo , vt dictum eſt.

AD ALIVD dicendum , quòd ſine dubio illud argumentum plus habet de probabilitate, quam alia:tamen ſine præiudicio dici poteſt,quòd illa obiectio teneret bene in aliis ſacramentis , & præcipuè in illis quæ imprimunt characterem:licet enim aliquid ſuppleat locum ſacramenti , tamen aliquis effectus adeo proprius eſt ſacramento , quòd non efficitur niſi à ſacramento : ſed in Euchariſtia modus ſumendi ſacramentalis totus refertur ad ſpiritualem , & eſt propter illum : & ideo ſpiritualis etiam per ſe operari poteſt eandem gratiam , licet præſentia Chriſti in ſacramento aliquam ferat delectationem quam non habet in ſe ſpiritualis modus manducandi.

AD ALIVD dicendum, quòd ſecus eſt in baptiſmo , & in iſto : quia baptiſmus ſpecialem & principalem ordinem habet contra originale quod eſt ab alio contractum, & ponit hominem in ſtatu fidei qui ſtatus eſt circa fidem informem & formatam , ſicut dictum eſt ſupra in quæſtione de charactere:& ideo fictus recipit characterem apud ſe manentem.In iſto autem recipit verum corpus Chriſti:eo quod iſtud non cauſatur in ſuſcipiente,ſed extra : & ideo inidoneitas ſuſcipientis illud non poteſt impedire.

AD ALIVD dicendum , quod Auguſtinus loquitur ibi de incorporatione & vnione per incorporationem, & non de præſentia veritatis corporis Chriſti : tamen poſtea erit quæſtio de hoc ſuo loco. Vnde puto eſſe concedendum,quòd verum corpus Chriſti tranſit in omnem locum , in quem tranſeunt ſpecies, manente ſpecie panis & vini.

AD ALIVD dicendum, quòd ſacramentalis modus ſumendi dicitur ratione præſentiæ veritatis corporis Chriſti in ſacramento , & bene concedo, quòd non tranſit in mentem:quia Chriſtus homo non illabitur menti : & quod obiicitur de tranſitu in ventrem, iam ſolutum eſt.

AD ALIA dicendum , quod ſpiritualiter ſumere eſt Chriſto vniri per ſpiritualem effectum huius ſacramenti:& hunc quidem non habuit ſacramentum antequam eſſet ſacramentum,ſed vnio qua vniebantur fideles , fuit vnio charitatis & fidei:poſtquam tamen ſacramentum eſt , poteſt per meditationem & deuotionem in anima fieri res ſacramentalis, quam Chriſtus operatur ſpiritualiter conjunctus,eo quod gratiam ſuam (vt dictum eſt in principio huius libri)non alligauit ſacramentis. Alij dicunt aliter,& forte melius,quod ſcilicet res ſacramenti & vnio dupliciter fit,ſcilicet gratia ſacramentali , & hanc non habet niſi digne ſumens

mens sacramentum : & sic etiam fieri potest in aliquo supplente vim sacramenti, sicut martyrium & pœnitentia supplent vicem baptismi quandoque : & hoc modo rem huius sacramenti suscipiunt fideles per deuotionem & amorem capitis & membrorum. Et per hoc patet etiam solutio ad sequens,& ad vltimum.

ARTCVLVS II.

An sit aliquis modus spiritualis sumendi Eucharistiam, & quid sit in tali modo vnde dicitur manducatio ?

SEcundo quæritur præcipue de illo modo qui dicitur spiritualis. Iste enim nullus esse videtur : licet enim dicatur à Sanctis & Magistris, quòd aliqua suppleant locum alicuius sacramenti quantum ad aliquid : non tamen conceditur,quod sacramentum istud in illis percipitur : baptismum enim nullus percipit in pœnitentia, nec in martyrio : ergo videtur,quòd res huius sacramenti similiter nunquam percipiatur, nisi per actum sacramenti, licet aliquid loco eius percipi possit.

2 Item, Licet pœnitentia suppleat locum baptismi : non tamen possum dicere, quòd pœnitens baptizatus est. Cum igitur proprius actus huius sacramenti quod est panis vitæ, sit manducari spiritualiter, sicut baptismi baptizari, videtur quòd propter nullam deuotionem debet concedi,quòd aliquis manducet spiritualiter : cum tamen dicatur contrarium in secundo cap. huius distinctionis.

3 Item, Per corporalia venitur ad spiritualia in rebus sacramentalibus : ergo vbi non præcessit corporale, nunquam est inuenire spirituale proprium istius sacramenti, vt videtur.

4 Item, Spiritualis modus manducandi, aut operatur omnino idem quod sacramentalis, aut minus operatur. Si ommino idem : cum ergo nobilius sit vno aliquid facere quam duobus, videtur, quòd spiritualis modus sit superuacuus. Si autem operatur minus aliquid quam ille : ergo non est modus sacramenti, sed alicuius quod supplet vicem eius.

Quæstiũcula. PRÆTEREA quæritur vlterius, Quid sit in spirituali modo manducationis, ratione cuius dicatur manducatio ? Videtur autem, quòd nihil: quia in manducatione corporali sunt quatuor, scilicet cibi diuisio, & traiectio cibi in locum digestionis, & digestio, & vnio siue incorporatio : nihil autem horum fit in spirituali manducatione Christi : Christus enim non diuiditur, nec transit ad locum digestionis, nec digeritur, nec incorporatur, sed potius nos sibi incorporat : ergo videtur, quòd spiritualis manducatio non est susceptio corporis Christi.

2 Item, Manducatio spiritualis, aut fit qualibet deuotione, aut quolibet actu charitatis, aut quibusdam actibus spiritualibus. Si dicatur,quòd qualibet deuotione fiat, & quolibet actu charitatis : tunc sequitur, quòd hæc manducatio fuit ab initio mundi, & fuit antequam esset sacramentum : quod non potest esse : quia cum modus percipiendi rem sacramenti sit post sacramentum, non potuit esse modus percipiendi Eucharistiam spiritualiter, nisi post sacramentum Eucharistiæ. Si autem est aliquis spiritualis actus & modus deuotionis & charitatis, quæratur quis sit actus ille ? Et si dicatur, quòd hoc est charitate offerentis pro nobis pretium mundi in caput Christum & in membra, videtur quòd hoc ab initio fuit mundi : ergo perceptio corporis Christi spiritualis fuit ab initio mundi, quod videtur absurdum.

SOLVTIO. Hic multi multa dixerunt : sed videtur mihi sine præiudicio dicendum, quòd triplex est modus spiritualis manducationis : vnus est communis, scilicet participatio effectus sacramenti in genere, & non ex eadem causa, vt participatio incorporationis corporis Christi mystici & capitis Christi non ex sacramento, sed ex fide & charitate capitis & membrorum. Et hoc modo ab initio fidelium percipiebatur, & percipietur. Secundo modo magis proprie,scilicet gustus dulcedinis gratiæ communionis corporis per meditationem & deuotionem eorum quorum signum est Eucharistia. Et hoc modo etiam percipitur gratia sacramentalis, non ex eadem causa sacramenti, sed ex alia, quia videlicet habet vim eius. Et hoc modo non percipiebatur spiritualiter ante sacramentum, nisi alicui esset reuelatus ritus & significatio sacramenti. Tertio propriissime, scilicet perceptio gratiæ communionis corporis mystici, & ex propria causa sacramentali. Et hæc manducatio spiritualis nunquam separatur à sacramentali : quia hoc modo spirituale accipitur in sacramento, sicut in vase medicina,& causatum in causa. *Solutio.*

DICENDVM ergo ad primum, quòd bene concedendum videtur, quòd in talibus non est perceptio rei sacramentalis proprie loquendo,sed communiter. Et hoc modo videtur esse dicendum ad secundum.

AD TERTIVM dicendum, quòd si spirituale accipiatur spirituale sacramenti vt sacramenti, tunc videtur mihi, quòd procedit obiectio. Si autem communiter vel secundo modo,tunc patet, quòd non valet.

AD ALIVD dicendum, quòd non omnino operatur idem, vt iam patuit : & ideo non sine causa sumitur sacramentum,sed potius cum maxima vtilitate.

AD ID quod vlterius quæritur, dicendum quòd illa quæ sunt in spirituali manducatione,aliquo modo sunt similia illis quæ sunt in manducatione corporali, sed non omnino : quotiescunque enim duo vniuntur, ita quod alterum debet mutari ad reliquum : tunc potentius mutat ad se id quod est debilius. Vnde cum cibus iste sit potentioris virtutis, quam ipsum manducantes, iste cibus manducantes mutat ad se, sicut dictum est Augustino : Non tu me mutabis in te sicut cibum carnis tuæ, sed tu mutaberis in me. Alia etiam ratio huius est : quia si mutaretur ad nos cibus iste, nihil nobis prodesset : quia nos nihil sumus nisi per ipsum : & ideo secundum ordinem gratiæ oportuit vt nos mutaremur in eum. Vnde diuisio quæ est in manducatione corporali, non est nisi referatur ad species : de quo tamen infra distinctione 12. erit tractatus. Sed masticatio aliquid habet simile : sicut enim crebro redeunt dentes super id quod masticatur, ita meditatio frequenti actu discretionis huius cibi & memoria *Ad quæst.*

Passionis operatur aliquid in spirituali manducatione. Traiectio autem cibi ad locum digestionis, non habet propriam similitudinem : sed digestio, quæ secundum Philosophum est completio à naturali & proprio calore ex contrariantibus passionibus, refertur ad nos : quia nos quasi digerimur charitate,& complemur : & separatur in nobis impurum à puro : & tunc sequitur vnio vt vniamur cibo quem sumimus.

Sed contra obiicitur : quia videtur alicui ex hoc quod frequenter debet masticari cibus iste, cum hic videatur esse periculum propter rimas dentium in quibus potest aliquid de speciebus adhære. Solutio. Ad hoc dicendum, quòd non oportet propter hoc frequentius masticari, sed potius frangi habet per linguam,& deglutiri : sed tamen ex hoc quod masticabiles sunt species, si non esset periculum, satis veniret in memoriam Passionis & charitatis Christi qua dilexit nos cum semetipsum dedit pro nobis.

Ad vltimvm patet solutio per distinctionem in principio solutionis positam.

ARTICVLVS II.

Quare tantum duo sunt modi manducandi prædicti, & penes quid differant?

TErtio quæritur de numero horum duorum. Videtur enim,quòd plures sunt quam duo.In sacramento enim sunt tria,scilicet vnum quod est sacramentum tantum, alterum quod est res & sacramentum, & tertium quod est res tantum:ergo his tribus videntur respondere tres modi manducandi : ergo sunt tres, & non duo.

2 Item, Indigne sumens est duobus modis, scilicet nec fidem habens nec charitatem : & habens fidem informem, sed non charitatem : ergo videtur, quòd vtrique respondet modus spiritualis : constat autem, quòd non sumunt tales spiritualiter:ergo duo sunt modi sacramentales.

3 Item, Istud dicitur sacramentum charitatis: ergo videtur, quòd ad minus spiritualis modus debeat esse distinctus secundum status charitatis: sunt autem tres status charitatis,scilicet incipiens, proficiens, & perfectus : ergo spiritualis modus sumendi videtur debere distingui penes hæc tria.

4 Item, In aliis sacramentis non distinguitur nisi duplex modus sumendi penes fictum, & non fictum : ergo nec in isto debet fieri distinctio nisi penes hoc, vt videtur : ergo non debet distingui sic, sacramentaliter, & spiritualiter : sed quidam sumunt ficti,quidam non ficti.

Solutio. Solvtio. Dicendum, quòd duo sunt modi distincti à Sanctis, vt habetur in litera, & sumuntur penes duplicem rem sacramenti, quarum vnam continet ex vi consecrationis, & alteram in nobis causat ex eo quod confert gratiam sicut alia sacramenta nouæ legis: & ideo patet penes quid sumatur numerus horum modorum.

Ad primvm ergo dicendum, quòd penes id quod est sacramentum tantum, nullus sumitur modus : quia hic non habet rationem cibi, sed potius est in vsu ostensionis & significationis cibi quem continet.

Ad alivd dicendum, quòd meo iudicio non habens fidem informem, nec sacramentaliter nec spiritualiter manducat, nisi in potentia : tamen de hoc erit quæstio infra. Et ideo cum nullo motu fidei à speciebus ad rem moueatur, videtur quòd non manducat sacramentaliter, & tamen manducat sacramentum : vel vt omnis cauillatio præueniatur,dicatur quòd sumere siue manducare sacramentaliter dicitur duobus modis.Primo modo ita quod ly sacramentaliter dicat modum cibi: & sic manducare sacramentaliter est manducare sacramentum : & hoc modo non quæritur hic de modo manducandi. Secundo modo potest dicere modum manducantis siue sumentis : & hoc modo non sumit sacramentaliter infidelis, qui nullo motu fidei mouetur. Meo autem iudicio ad hoc quod manducet spiritualiter siue sumat, oportet vt modum dicat ex parte sumentis.

Ad alivd dicendum, quòd ista distinctio est penes modos sumendi aliquo modo corpus Christi in genere : non tamen negatur quin multi sint modi particulares quibus vnus gratiam percipit maiorem,alter minorem, secundum quod diuersimode parati accedunt.

Ad alivd dicendum, quòd solutio illius iam habita est in præmissis:quia in isto sacramento vna est res extra, & alia intra animam : & ideo ratio distinctionis oritur ex his quæ sunt in sacramento, & patuit supra,quod sic non est in aliis sacramentis.

ARTICVLVS IV.

Qualis vnio requiratur vt aliquis manducet corpus Christi siue spiritualiter siue sacramentaliter?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Spiritualiter enim manducat, qui in vnitate Christi & Ecclesiæ quam sacramentum significat, manet, &c.] Et quæritur, Cuiusmodi vnio exigatur ad hoc quod aliquis manducet corpus Christi siue spiritualiter, siue sacramentaliter? est enim vnio secundum contactum corporum,& secundum conuenientiam naturæ Christi & hominis, & secundum conformitatem gratiæ fidei informis, & tandem iterum secundum conformitatem charitatis. Si autem prima sufficit ad sacramentaliter manducandum,tunc mus cuius corpus vnitur speciebus, manducaret sacramentaliter, quod infra negabitur in litera. Si autem exigatur insuper vnio naturalis, id est,conuenientia secundum naturam quæ possit vniri & intelligere, videtur quòd quilibet etiam infidelis sumat sacramentaliter corpus Christi : quod non videtur, cum sic conuerteretur in derisum à Iudæis & Paganis.

2 Præterea, In aliis sacramentis qui nihil credit, & protestatur se nihil credere, nec velle recipere quod recipiunt fideles,nihil omnino percipit : ergo multo magis hoc tenet in isto in quo debetur totum fidei : ergo videtur,quòd nihil credens quamuis habeat naturam ordinatam ad fidem,nihil percipiat, nec sacramentaliter,nec spiritualiter. Si autem sufficit habere fidem informem : tunc sequuntur supra habita inconuenientia, scilicet quòd ab initio mundi sumebatur corpus Christi.Præterea videtur, quòd habere Christum

ſtum in ſe manentem non ſit effectus ſacramenti, ſed virtutis : ita enim dicit de diligente ſe Ioan. 14. Pater meus diliget eum, & ad eum veniemus, & manſionem apud eum faciemus. Ergo in ipſo manere non eſt ſpiritualiter manducare, vt videtur.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd ſi ſtricte ſumatur ſpiritualis manducatio ſecundum diſtinctionem ſupra poſitam, tunc manere in Chriſto eſt in eo manere per charitatem & deuotionem prouenientem ex communicatione corporis Chriſti ſecundum actum vel ſecundum propoſitum & deſiderium.

ET SECVNDVM hoc dicendum ad primum, quòd ad ſacramentalem manducationem plus exigitur quam vnio corporis ad ſpecies ſacramenles, & plus quam vnio vel conformitas naturæ potentis intelligere ſignificationem ſpecierum : & puto, quòd exigitur fides informis, ſicut probat obiectio : tamen non nego quin ſit ibi corpus Chriſti verum, quandiu manent ſpecies, & tamen ille non ſumit vel manducat : quia ſumere & manducare dicunt vnionem & incorporationem manducantis ad cibum qui ſumitur : & hoc nullo modo fit in infideli.

AD ID autem quod contra obiicitur, dicendum quòd licet antiqui crediderunt in venturum & incarnandum : non tamen proprie loquendo ſpiritualiter acceperunt : quia accipere dicit refectionem deſiderij & propoſiti communicandi, quod non habuerunt antiqui, cum adhuc ſacramentum non eſſet.

ARTICVLVS V.

An corpus Chriſti ſumptum tranſeat in ventrem, & quandiu maneat ?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Vt quid paras dentem, & ventrem ? Crede, & manducaſti, &c.] Ex hoc enim videtur, quod iſte cibus tranſit in ventrem : quod etiam videtur ex hoc quod habetur Matth. 21. Omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur : quod indignum eſt & nefas cogitare de corpore Chriſti.

2 Item, Sicut ſe habet cibus corporalis ad corpus, ita ſe habet cibus ſpiritualis ad ſpiritum : ſed cibus corporalis intrando in corpus, reficit ipſum : ergo cibus ſpiritualis intrando ſpiritum, reficit ipſum, & ita non intrat in ventrem.

3 Item, Quod intrat ventrem, vadit ad officia ventris, quæ ſunt digerere, & tranſmutare : ſic autem non fit circa corpus Chriſti : ergo corpus Chriſti non intrat in ventrem.

Sed contra. SED CONTRA hoc videntur eſſe auctoritates & rationes. Dicit enim Clemens Papa, & ponitur in decretis in tractatu de conſecratione ſic, Qui reſidua corporis Dominici quæ in ſacramento relicta ſunt conſumunt, non ſtatim ad percipiendos communes cibos conueniant, nec putent ſanctæ portioni miſceri cibum qui digeſtus per ſeceſſum emittitur. Non autem eſſet ratio quare præciperet ad tempus abſtinere, niſi in ventrem traiiceretur hoſtia : ergo vadit in ventrem.

2 Item, Ibidem Clemens, Si mane Dominica portio editur, vſque ad ſextam ieiunent miniſtri qui eam acceperunt : ſi in tertia vel quarta hora acceperint, ieiunent vſque ad veſperam, vt ſacramenta ſanctificatione cuſtodiantur ſancta. Et ex hoc accipitur idem quod prius.

3 Item, Ibidem Beda, ſiquis per voracitatem vel ebrietatem Euchariſtiam euomuerit, quadraginta diebus pœniteat, clerici, vel monachi, diaconi, vel presbyteri, ſeptuaginta. Hoc item ſine ratione diceretur, ſi non tranſiret in ventrem.

4 Item, Hugo de ſancto Victor. quandiu corporalis ſenſus afficitur, corporalis præſentia non aufertur. Species autem in qua afficitur ſenſus corporalis viſibiliter, per os tranſit in ventrem : & ſic ſi fit vomitus, quandoque hoſtia vel pars eius inuenitur, & ſic iſte cibus tranſit in ventrem.

5 Item, Aut tranſit in ventrem, aut in mentem. Si in ventrem, habetur propoſitum. Si in mentem. Contra : Nihil illabitur animæ niſi Deus Trinitas : corpus Chriſti non eſt Deus Trinitas : ergo non tranſit in animam : ergo videtur, quòd nihil reſtat niſi quod tranſeat in ventrem.

IVXTA hoc vltetius quæritur, Quandiu manet corpus Chriſti ? Dixerunt enim quidam, quod ſtatim ab ore euolat : ſed ſi hoc verum eſſet, cum corpus Chriſti non ſit ſub forma panis niſi ex conſecratione, ſi aliquis remoueret hoſtiam ab ore, non eſſet ibi corpus Chriſti : & hoc non dicitur à Magiſtris. Item, Hugo vult, quòd tandiu manet præſentia corporalis, quandiu afficitur ſenſus : ſed ſenſus afficitur in re vomica : ergo in illa eſt præſentia corporalis. Vtrum autem animam nutriat, vel non, infra erit quæſtio. *Quæſtiuncula.*

Solutio. SOLVTIO. Sine præiudicio diſtinguendum mihi videtur in hac quæſtione : dupliciter enim aliquid in ventrem tranſire dicitur, & dupliciter dicitur tranſire in mentem : dicitur enim aliquid tranſire in ventrem, tranſiens ad actum organorum ventris : vt ſcilicet digeratur in ſtomacho, & per meſeraicas venas trahatur ad epar, & ibi formetur in ſanguinem, & in membris diſtribuatur, & aſſimiletur, & vniatur : & hoc modo corpus Chriſti non tranſit in ventrem : iſte enim tranſitus eſt cibi corporalis, deperdita corporis reſtaurantis. Dicitur etiam tranſire in ventrem : quia tranſit in ipſum, vt qualemcunque ſuæ continentiæ locum : & ſic videtur mihi corpus tranſire in ventrem : quia non video rationabiliter, qualiter corpus Chriſti non tranſit ad omnem locum, ad quem tranſeunt ſpecies panis & vini, ſub quibus ſecundum veritatem rei continetur totus Chriſtus. Eodem modo videtur etiam dicendum, quòd dupliciter aliquid tranſit in mentem, ſcilicet quod per ſubſtantiam illabitur : & ſic ſolus Deus Trinitas tranſit in mentem. Alio modo dicitur tranſire in mentem, cuius effectus venit in mentem per informationem perficiendo mentem ipſam : & hoc modo corpus Chriſti tranſit in mentem operando in mente gratiam ſacramentalem. Et per hoc patet ſolutio ad omnia obiecta : quia prima pars obiectionum procedit de primo tranſitu in ventrem, qui non competit corpori Chriſti. Secunda autem pars procedit de ſecundo tranſitu : & hoc modo tranſit in ventrem, vt mihi videtur. Et hoc dico ſine præiudicio : quia quidam Magiſtri dicunt oppoſitum.

situm. Vnde propter reuerentiam sacramenti iniungitur pœnitentia per incuriam vomentibus Eucharistiam. Et præcipitur, vt post communionem aliquantulum ieiunent, ne videantur commiscere cibum sacramentalem corporali.

Ad quæstiunculam. ADID quod vlterius quæritur, dicendum quòd Hugo dicit, Quandiu sensus afficitur, præsentia corporalis non aufertur, id est, quandiu valent discerni species, tandiu est ibi Christus. Tamen quidam aliter dixerunt: sed eorum ratio non est probabilis.

ARTICVLVS VI.

An antiqui Patres aliquo modo comederint sacramentaliter?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Quia illius sacramenti beneficio non priuatur, quando ille habere, &c.] Quæritur enim hic, Vtrum antiqui Patres comederint sacramentaliter aliquo modo. Videtur autem quod sic: quia dicit Augustinus in litera, Crede, & manducasti. Sed illi crediderunt: quia, vt idem Augustinus dicit, eadem fides fuit & est antiquorum & modernorum: tempora autem variata sunt, fides immutata permansit. Ergo manducauerunt.

2 Item, 1.Corinth.11. Omnes eandem escam spiritualem manducauerunt, & omnes eundem potum spiritualem biberunt: bibebant autem de spirituali consequente eos petra. Ergo ad minus spiritualiter intellexerunt.

3 Item, Glossa ibidem, Quia visibile spiritualiter intellexerunt, spiritualiter esurierunt, spiritualiter gustauerunt, vt spiritualiter satiarentur. Ergo videtur, quòd comederunt in sacramento, quod tamen spiritualiter intellexerunt.

4 Item, Apostolus, 1.Cotinth.10.dicit, quòd omnes in Moyse baptizati sunt, & in nube, & in mari, &c. Eodem modo & in spirituali esca, & potu spiritualiter manducauerunt Eucharistiam, & corpori & sanguini Christi communicauerunt.

5 Item, Ad manducare sacramentaliter non exigitur nisi præsentia signi, quod præter speciem quam ingerit sensibus, facit aliud in notitiam venire: & quod hoc intelligatur, antiqui Patres tale signum habuerunt duplex, scilicet carnes agni, & manna: ergo videtur, quòd cum intellexerint, vt dicit Gloss. præhabita, quòd ipsi sacramentaliter & spiritualiter manducauerunt.

Sed contra. SED CONTRA: Nihil in sacramento sumitur nisi quod est in sacramento contentum: sed Christus in sacramentis illorum non fuit contentus: ergo non sumebatur in sacramento. Si dicas, quòd contentus fuit, vt signatum in signo, & non vt causatum in causa? Contra. Res signata & non causata non percipitur in sacramento: Christus erat signatus, & non contentus in sacramentis antiquorum: ergo non percipiebatur in sacramentis eorum. Item probatur ex hoc quod baptismus significat ablutionem ab omni pœna per gloriam in Resurrectione; & tamen non percipitur hoc in baptismo: & sic de aliis sacramentis veteris & nouæ legis.

Solutio. SOLVTIO. Sine præiudicio videtur mihi non recedendum à superiori sententia, quòd proprie loquendo Patres antiqui nec sacramentaliter nec spiritualiter manducauerunt: & hoc præcipue propter rationem supra dictam: quæ est, quòd modus percipiendi quamcunque rem, sequitur existentiam rei illius in se, & non præcedit eam: cum igitur constet illud sacramentum non fuisse, nisi ex quo Christus dedit discipulis corpus suum: videtur mihi, quòd ante hoc nullus comedit nec sacramentaliter nec spiritualiter, proprie loquendo, nisi spiritualiter manducare sumatur large, vt supra determinatum est.

AD ID ergo quod primo obiicitur, dicendum quòd si Augustinus proprie loquitur, non intelligit de fide secundum quemcunque motum, sed secundum illum quo mouetur à signo memorato vel actualiter percepto ad signatum & contentum cum proposito & desiderio gustandi secundum rem incorporandi se rei contentæ: & hoc non conuenit nisi post sacramenti huius existentiam.

AD ALIVD dicendum, quòd Apostolus vocat spiritualem gustum, spirituales sensus in Scripturis, & potum sapientiæ in quo intellexerunt futurum.

AD ALIVD dicendum, quòd Glossa illa loquitur de sacramento non continente rem: sicut æquiuoce dicitur sacramentum, vt in principio huius libri habitum est. Vnde non fuit ibi gustus rei præsentis in signo continente, vel proposito, sed in fide sola: & hoc meo iudicio non sufficit proprie loquendo.

AD ALIVD dicendum, quòd nec baptizati sunt proprie loquendo: sed dicit eos baptizatos: quia in figura baptismi aliquid de efficacia futuri baptismi intellexerunt, & per deuotionem remissionem peccatorum perceperunt, & non ex virtute sacramenti. Et similiter concedendum videtur, quòd manducauerunt, id est, in typo Eucharistiæ futurum sacramentum intellexerunt, & ex deuotione capiti Christo & membris vniti sunt: sed hoc non sufficit: quia in Nouo Testamento in percipientibus sacramentum illam vnionem facit sacramentum ex vi rei contentæ (alias operatæ) & non tantum ex deuotione percipientium.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc verum est, quòd ad manducare sacramentaliter sufficit præsentia signi cum fide dirigente in signatum: sed hoc signum est significans & causans & continens: talia autem signa non fuerunt in Veteri Testamento & ideo non perceperunt sacramentum proprie loquendo.

***

De

De errore quorundam qui dicunt à bonis tantum corpus Christi sumi.

HÆc verba & alia huiusmodi, vbi de spirituali manducatione agitur, quidam obtuso corde legentes, erroris caligine inuoluti sunt adeo vt præsumpserint dicere corpus & sanguinem Christi à bonis tantum sumi & non à malis. Sed indubitanter tenendum est, à bonis sumi, non modo sacramentaliter, sed & spiritualiter: à malis vero tantum sacramentaliter, id est, sub sacramento, scilicet sub specie visibili carnem Christi de Virgine sumptam, & sanguinem pro nobis fusum sumi: sed non mysticam, quæ tantum bonorum est. Quod subditis probatur testimoniis. Gregor. Est quidem in peccatoribus & indigne sumentibus vera Christi caro, & verus sanguis: sed essentia, non salubri efficientia. Item, August. Multi indigne accipiunt corpus Domini, de quibus Apostolus ait, Qui manducat & bibit calicem Domini indignè, iudicium sibi manducat & bibit. Per quod docemur quam sit cauendum male accipere bonum. Ecce enim factum est malum, dum male accipitur bonum, sicut econtra, Apostolo factum est bonum, cum bene accipitur malum, scilicet dum stimulus Satanæ patienter portatur. Ergo & mala prosunt bonis, sicut angelus Satanæ Paulo, & sancta obsunt malis: bonis sunt ad salutem, malis ad iudicium. Vnde qui manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit: non quia res illa mala est, sed quia malus male accipit quod bonum est. Idem, Indigne quis sumens corpus Christi, non efficit vt quia malus est, malum sit quod accipit: vel quia non ad salutem accipit, nil accipiat. Corpus enim & sanguis Domini nihilominus erat in illis, quibus ait Apostolus, Qui manducat indigne, &c. His aliisque pluribus aperte ostenditur, quod etiam à malis verum corpus Christi & sanguis sumitur, sed sacramentaliter, non spiritualiter.

B De cõse. dist.2. c. Quia passus.

In lib.4. dialogorum.

Tr.26. super Ioannem. 1.Cor.11.

Tract.6. super Ioan. 1.Cor.11.

ARTCVLVS VII.

An mali accedentes, aliquid accipiant corporis Christi, & quomodo maneat in ipsis corpus Christi?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Hæc verba & alia huiusmodi, & cætera.] Tangit enim Magister duos errores, quorum primum determinat in hac distinctione, reliquum autem in sequenti, quæ incipit *ibi* [Sunt iterum alij præcedentium insaniam excedentes. Primus est, quòd mali non recipiunt corpus Christi: & hunc destruit in litera, & soluit auctoritates præstantes occasionem errandi, sicut patet in litera.

Vtiliter autem quæruntur hic quinque: quorum primum est, An mali aliquid accipiant accedentes ad corpus Christi? & hæc est quæstio literæ. Secundum, Vtrum recipiant ad suam damnationem, vel sine peccato? Tertium, Vtrum mali recipientes Eucharistiam plus peccent sumendo corpus Domini, quam alio peccato peccando. Quartum, Vtrum pollutus nocturna pollutione, vel dormiens cum propria vxore, possit percipere corpus Christi? Quintum & vltimum, Vtrum fœditas corporalis, vt menstruum vel fluxus seminis, impediat à perceptione corporis Christi, sicut quidam dicere videntur.

ADPRIMVM autem horum obiicitur sic: Maior est disconuenientia Christi ad peccatum, quam ad corpus: sed non transit in corpus, vt habitum est supra: ergo non transit in animam peccatricem: ergo nihil percipit in sacramento: quia statim euolat, vt dicunt quidam.

2 Item, Sapient.1. Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum: non est autem minoris sanctitatis Christus quam Spiritus sanctus: ergo etiam Christus effugiet eum: ergo malus nihil percipit de Christo in sacramento.

3 Item, Sapient.1. In maleuolam animam non introibit sapientia, nec habitabit in corpore subdito peccato. Ergo nec in corpore nec in anima peccatoris remanet Christus: ergo discedit ab vtroque: ergo nihil percipit quando accedit.

4 Item, Res huius ſacramenti excedit rem aliorum ſacramentorum, vt dicitur in litera, quia hic totus Chriſtus ſumitur & in aliis ſacramentis percipitur ſecundum effectum gratiæ: ergo minus videtur, quòd res aliorum ſacramentorum diſcedant à peccatore, quam res huius ſacramenti: & diſcedunt, quia nihil de re aliorum ſacramentorum percipit: ergo & ab iſto diſcedit: ergo nihil percipitur à malis niſi tantum ſpecies exterior.

5 Item, Indecens & nociuum non eſt opus ſapientis: ſed indecens eſt ſapientem eſſe in loco non competenti ſibi: ergo & nociuum ſi præſentia ſua nocet & non prodeſt: ſi ergo hoc non facit ſapiens, multo minus facit hoc ſapientiſſimus Dominus Ieſus Chriſtus: ſed indecentiſſimus locus eſt peccator, & iterum præſentia ſua noceret ei qui percipit: ergo videtur, quòd ſubtrahit ſe, & non percipitur à peccatore.

6 Item, Quod datum eſt ad peccati deletionem, non debet augere peccatum: perceptio autem Chriſti in ſacramento ad deletionem peccati inuenta eſt: ergo non augebit: augeret autem ſi maneret: ergo videtur, quòd Chriſtus in ſpeciebus non manet quando percipiuntur à peccatore.

7 Item, Minor eſt diſconuenientia Chriſti ad creaturam irrationalem quam ipſe creauit, quam ad peccatorem: ſed non dicimus, quòd brutum percipiat ipſum in ſacramento: ergo multo minus percipit ipſum in ſacramento peccator.

Pſal. 49. 8 Item, Pſalm. Peccatori autem dixit Deus, Quare tu enarras iuſtitias meas, & aſſumis teſtamentum meum per os tuum? Sed minor eſt laus Chriſti quam ipſe Chriſtus. Si ergo aufert laudem ſuam ab ore peccatoris, multo magis aufert ſeipſum.

9 Item, Eccli. 16. dicitur, quòd qui contra præceptum Domini die non debita, vel quantitate non debita, collegit manna, quod computruit & ſcaturiuit vermibus: ergo multo magis hoc erit verum de ſacramento Euchariſtiæ, quod incomparabiliter maioris ſanctitatis eſt: ergo accipiens indigne, nihil accipit: ſicut accipiens putridum manna vel ſcatens vermibus, non accipiebat manna. Verum iſtæ rationes & conſimiles occaſionauerunt errorem qui inducitur in litera, & auctoritates quas Magiſter apponit & exponit.

Sed contra. SED CONTRA: Dicit Hugo, quòd quandiu ſenſus corporalis afficitur, præſentia corporalis non tollitur: ſed in ore peccatoris ſenſus corporalis afficitur manentibus ſpeciebus: ergo non tollitur præſentia corporalis.

2 Item, Si peccatum percipientis fugit Deus, tunc multo magis peccatum fugit conficientis & conſecrantis: ergo ſecundum hoc mali ſacerdotes non poſſent conficere corpus Chriſti, quod eſt falſum.

3 Item, Cum nemo ſciat, vtrum odio vel amore dignus ſit: nemo ſciret ſecundum hoc, vtrum perciperet ſacramentum vel non: & ſic generaretur maxima dubitatio circa id quod præcipuum eſt in fide, quod ſtultum eſt dicere.

4 Item, Quæ eſſet ratio, quòd recederet? peccatum enim percipientis non incidit in Chriſtum, & non eſt alia cauſa: ergo non euolat à ſpeciebus, vt quidam minus caute dixerunt quando que.

SOLVTIO. Abſque omni ambiguitate tenendum & ſentiendum eſt, quòd mali accipiunt in ſacramento verum corpus Chriſti, quod de Virgine traxit, & quod in cruce pependit, & non euolat niſi quando de ſpeciebus panis & vini nihil amplius manet, ſed quando totum tranſiuit in alium humorem quod erat in ſpeciebus, ſcilicet color, ſapor, quantitas, & ſic de aliis: tunc enim ſenſus ſpeciebus afficit deſinit, & tunc præſentia corporalis deſinit, vt dicit Hugo. *Solutio.*

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd Chriſtus non tranſit à corpore percipientis, ſed non tranſit in corpus. Aliud enim eſt à corpore, & aliud in corpus tranſire: & bene concedo, quòd non tranſit in animam per gratiam, tamen habetur præſentia ſui in ſacramento: quamdiu ſpecies ſacramentales ſunt in corpore percipientis.

AD ALIVD dicendum, quòd Chriſtus effugit fictum quoad inhabitationem per gratiam, & ita intelligitur illud verbum: ſed propter efficaciam ſacramenti non effugit ſacramentum in quocunque ſit loco, quia ſacramentum ſemper retinet propriam ſanctitatem, & immunditia loci in quo eſt ſacramentum, non abolet eam.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc etiam intelligitur per inhabitantem gratiam, & non de receſſu Chriſti à ſpeciebus ſacramenti.

AD ALIVD dicendum, quòd res huius ſacramenti rem aliorum excedit: tamen non eſt ſimile: quia locus rei ſacramentorum aliorum eſt anima ſuſcipientis: & ideo non fit res in anima habẽte contrarietatem ad rem aliorum ſacramentorum: ſed locus rei huius ſacramenti, non eſt in anima, ſed potius ſpecies ſacramentales: & ideo illis formis manentibus, vbicunque ſint, eſt in eis Chriſtus. Habet tamen hoc ſacramentum etiam aliam rem, vt ſupra dictum eſt: & hæc non eſt in peccatore, quia illa eſt gratia.

AD ALIVD dicendum, quòd illud non eſt indecens nec nociuum niſi per accidens: indecens non eſt: quia iam oſtenſum eſt, quòd locus Chriſti non eſt anima peccatoris, ſed ſpecies ſanctiſſimorum ſymbolorum in quibus percipitur Chriſtus: quod autem ſpecies ſit in hoc loco vel in illo, fit ab ordinatione vſus ſacramenti, qui præſto eſt omnibus. Et in hoc conſideratur magna benignitas Domini, communiter ſacramentum ſuum omnibus cõcedentis ad vſum. Quod autem nocet, hoc eſt per accidens, inquantum ſibi aliquis præſtat cauſam nocumenti: ſicut etiam eſt de cibo corporali, qui ſumitur ad vtilitatem: ſi autem ſumpto cibo ſumat aliquid quod non permittit cibum digeri vel emitti, putreſcit cibus, & læditur corpus.

AD ALIVD dicendum, quòd ſacramentum de ſe ſemper valet contra peccatum: & ſi nocet, hoc eſt ex cauſa ſuſcipientis, vt iam dictum eſt.

AD ALIVD dicendum, quòd ſecundum aliquid eſt maior conuenientia in illa proportione, ſecundum aliquid eſt minor. Si enim comparatur natura ad naturam, maior eſt conuenientia hominis peccatoris cum Deo & ſacramentis, quam bruti: quia brutum in ſignis ſacramentalibus nihil ſuſcipit ſeu percipit, nec intelligit: ſed homo etiam peccator ad minus ratione mouetur & fide ex ſigno in ſignatum. Si autem attenditur

inido

inidoneitas quæ est ex parte peccati, tunc maior est disconuenientia: sed hoc non impedit, quia non attingit ad Christum cuius locus proprius est non anima suscipientis in peccato, sed potius species sacramentales: sed bene impedit effectum gratiæ, quia locus gratiæ est anima, quæ peecato informata non est susceptibilis gratiæ.

AD ALIVD dicendum, quòd non est simile de laude & corpore Christi in sacramento: quia cum laus sit præconium virtutis alicuius, aliquid est nostrum: actus enim præconij elicitur à libero arbitrio: & ex parte illa potest esse sœda in ore peccatoris: sed de sacramento nihil est nostrum, sed totum est virtutis diuinæ: & ideo à nullo tollitur, sed in omnibus in communi datur vsus: ipsi autem videant qualiter vtantur.

AD VLTIMVM dicendum, quòd manna non continebat Christum: vnde putrefactio mannatis significat nocumentum quod nos facimus nobis, Eucharistiam indigne percipiendo, & non significat corruptionem Christi.

ARTICVLVS VIII.

An mali percipiant corpus Christi?

SEcundo quæritur, An mali corpus Christi percipiant ad suam damnationem? Videtur autem, quòd non: ponamus enim, quòd aliquis sit in peccato mortali, & ignoret illud, hoc enim possibile est. Inde sic procedo: Ignorans morbum minus dispositus est ad sanitatem, quam sciens morbum suum: ergo à quo non prohibetur ignorans, ab eodē multo magis non prohibetur sciens: sed ignoranter in peccato mortali existens, non prohibetur: ergo nec scienter existens in peccato à corpore Christi prohiberi debet.

2 Item, Gloss. super Rom. 2. Grauissime peccas, quia ignoras. Ergo ignorantia potius facit ad peccati aggrauationem, quam ad medicinam: ergo iterum à quo non arcetur ignorans, non debet arceri sciens.

3 Item, Dato etiam, quòd ignorantia excuset à tanto, & non à toto, sicut ab omnibus dicitur, & scientia aggrauet: non se habebūt scientia & ignorantia ad peccatum, nisi sicut circunstantiæ: ergo per ipsas non distabit peccatum à peccato in infinitum, sicut differunt veniale & mortale. Si ergo in aliquo casu ignorans non arcetur à communione, in eodem peccato non debet prohiberi sciens, vt videtur.

4 Item alia via videtur concludi idem: quia quanto aliquis plus infirmatur, tanto magis opus habet medicina, & propter infirmitatem corporis à medicina non arcetur: ergo cum similiter sit de medicina spirituali, magis ægrotus in peccato præcipue debet vti medicina: ergo præcipue debet vti communione in qua continetur similis medicina.

5 Item, Augustinus facit diuisionem bonorū, scilicet in summa, quibus recte viuitur, & quibus nemo male vtitur: & in media fine quibus recte viui non potest, quibus tamen male vti potest: & in infima, sine quibus recte viui potest, quibus tamen bene vti potest. Et exemplum primi dat virtutes, secundi vires animæ rationalis, tertij autem species quorumlibet corporum. Cum corpus Christi non possit esse nisi de primis bono creator, videtur quòd corpore Christi nullus male vti potest: ergo nec peccator: quo autem quis bene vtitur, eo non peccat: ergo peccator non peccat, sumendo corpus Christi.

6 Item, Maior est diuinitas Christi, quam corpus eius vel humanitas ipsius: sed à deitatis accessu non prohibetur, sed potius monetur ad hoc: nec etiam ipsa deitas se subtrahit ei, imo continet eum, & in eo est, vt prius, essentialiter, præsentialiter, & potentialiter: ergo videtur, quòd multo minus arcendus sit à communione corporis & sanguinis Christi.

7 Item, Si propter peccatum aliquis arcetur à communione, tunc videtur sequi, quòd nullo modo homo permittendus sit communicare: quia sicut dicitur Eccl. 9. Nemo scit, an odio vel amore dignus sit. Ergo dubitat: dubius autem non se debet committere discrimini: ergo non debet communicare, quod nullus dicit: ergo nec peccator aliquis est à communione arcendus.

8 Item ad idem obiicitur alio modo sic: Qui indigne accedit, indignus accedit, & non conuertitur: ergo indignum accedere sequitur ad indigne acedere: in talibus autem accidens quod sequitur ad antecedens, sequitur ad consequens, præcipue in accidentibus indiuidius: sicut si homo est albus, animal est album: ergo si accedens indigne, peccat mortaliter: & indignus accedens, peecat mortaliter: sed hoc est falsum: quia secundum hoc ignoranter accedens in peccato mortali, peccat mortaliter: ergo & hoc falsum, quòd indigne accedens peccat mortaliter.

9 Item, Album & non apparens verius participat albedinem, quam apparens album & non existens: credens autem se in mortali peccato esse, non autem existens: & existens in peccato, nec tamen credens se esse: habent se sicut in veritate album non apparens, & apparens album non autem existens: ergo cum verius sit in peccato existens & non credens, quam credens & non existens, & cum existens & non credens non arceatur: videtur quòd credens & non existens non arceti debet: & sic nullus accedendo fit indignus: & sic nullus arcendus esset, vt videtur.

SED CONTRA: Qui indigne accedit, in dignus accedit, sed non conuertitur: ergo cum oppositio antecedentis verificatur consequens: ergo aliquis accedit indignus, & non indigne: hoc autem non potest esse nisi non habens conscientiam peccati, & tamen existens in peccato: ergo talis non est arcendus à communione, cum tamen indigne accedens arcendus sit. *Sed contra.*

2 Item, Peccaret grauiter, qui corpus Christi proiiceret in lutum: ergo cum vilius lutum sit spirituale quam corporale, multo magis peccat proiiciens in latrinam spiritualem quam corporalem: latrina autem spiritualis est peccator non pœnitens: ergo talis peccat sumendo Eucharistiam.

3 Item, Existens in peccato mortali scienter, & non pœnitens, etiam prohibetur à contactu altaris: ergo multo magis arcendus est à communione corporis & sanguinis Domini.

4 Item, Ioan. 13. de Iuda dicitur, quòd erat in proposito peccandi, & post buccellam introiuit in eum Satan: ergo communio auxit in eo peccatum: ergo non debet communicare.

5 Item, Luc. 12. laudatur Publicanus, quia nolebat oculos ad cælum leuare: ergo multo magis laudaretur si non communicaret: quia in infinitum maioris dignitatis est corpus Christi quam cælum: & tamen ille Publicanus fuit pœnitens: ergo multo magis se debet abstrahere peccator non pœnitens à communione.

Quæstiũcula. IVXTA hoc vlterius quæritur de eo cuius peccatum est occultum, & non habet gratiam vt proponat dimittere, vtrum in Pascha debeat communicare? Videtur, quòd sic: quia cum præceptum sit omnibus fidelibus communicare, tunc etiam facere confessionem tenetur & communicare iste, & scandalizat Ecclesiam si non communicat: tenetur autem non scandalizare: ergo tenetur communicare, vt videtur.

2 Item, Si non communicat, per hoc proditur peccatum suum, & efficitur infamis. Dicit autem Hieronym. quòd crudelis est qui famam negligit: ergo cum non possit retinere famam nisi communicando, videtur quòd debeat communicare.

3 Item, Habens peccatum non notorium potest prædicare si sit necesse, & alios quosdam spirituales actus facere: ergo à simili videtur etiam, quòd communicare.

Sed contra. SED CONTRA: Peccatum Iudæ fuit notorium, & tamen dicitur, quòd post buccellam introiuit in eam Satanas: ergo communicans in peccato occulto peccat mortaliter, vt videtur.

2 Item, 1. Corinth. 11. Non potestis mensæ Domini esse participes & mensæ dæmoniorum. Peccator autem occultus particeps est mensæ dæmoniorum. Ergo non debet participare mensæ Domini.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd existens in peccato mortali & scienter, non debet communicare aliqua ratione, etiamsi per excommunicationem cogeretur: quia indignus est & indigne accedit, vt Iudas: & hoc satis confirmatur ex duobus verbis 1. Corinth. 11. vbi in vno loco dicit, Qui enim manducat & bibit indigne, iudicium sibi manducat & bibit. Et in alio loco dicit, Reus erit corporis & sanguinis Domini. Et Gloss. distinguit ibi triplicem indignitatem, scilicet quod indignus est qui non credit: aut qui aliter celebrat sacramentaliter, quam institutum sit: aut qui indeuotus accedit. Et accipitur numerus harum indignitatum sic, Duo sunt quæ faciunt dignum, & tertium est effectus vtriusque. Primum est fides, quæ est fundamentum ædificij spiritualis: & à priuatione huius sumitur indignitas prima. Secundum est charitas operosa & implens legem. Rom. 13. Plenitudo legis est dilectio. Et ab huius priuatione sumitur indignitas tertia, quæ est cum aliquis indeuotus accedit: indeuotio enim ponit hic remorsum conscientiæ ex peccato existente vel credito in conscientia cum proposito non recedendi à peccato illo. Tertium quod est effectus vtriusque, est vnio & consensus cum corpore Christi mystico: qui enim communicat, communis est, & à communione capitis accipit refectionem: & à priuatione huius sumitur secunda indignitas, quæ est in schismaticis, qui non seruant ritum statutum in sacramentis celebrandis à Domino & ab Ecclesia. His habitis.

DICENDVM ad primum, quòd ignorantia duplex est, vt dictum est in secundo huius voluminis distinct. 22. vniuersalis, & particularis: siue iuris, & facti. Ignorantia autem particularis excusat à toto, & talis est in eo qui sentit, quòd peccauit recogitando annos suos in amaritudine animæ suæ, & aliquid remansit oblitum, quod tamen forte si recoleret non dimitteret: obiectio autem procedit de ignorantia iuris, & ideo non valet. Vel dicatur melius, quòd licet ignorans existens in peccato minus sit dispositus ad sanitatem, magis tamen idoneus est ad actum communicandi, propterea quod non contemnit, sed credens se esse contemnit: & ideo eo ipso efficitur indignus.

AD ALIVD dicendum, quòd grauissime, id est, periculosissime peccat ignorans: quia non quærit medicum: sed tamen contemptus non est par, quia in ignorante nullus est, sed in opinante magnus contemptus est.

AD ALIVD dicendum, quòd scientia & ignorantia secundum se considerata, non faciunt istam differentiam peccatorum: sed potius contemptus adiunctus scientiæ, qui est nouum genus peccati: & ideo non attribuitur hoc scientiæ nisi per accidens.

AD ALIVD dicendum, quòd etiam illud in simili falsum est: quia tanta potest esse vis morbi, quod non datur medicina purgatiua, sed tantum præseruatur ab omnibus natura nociuis, & confortatur ad pugnam morbi sustinendam: & ita fit peccatori: consulitur enim peccatori, quòd abstineat ab omnibus peccatis, vel saltem quibusdã, & faciat interim quicquid boni potest, vt Deus cor suum illustret. Adhuc autem etiamsi sic esset de morbo corporali, non tamen oporteret, quòd sic omnino esset de morbo spirituali: quia non omnino se habet medicina ad morbum spiritualem, sicut se habet ad morbum corporalem: & hoc quidem à principio libri determinatum est: quia spiritualis operatur tantum voluntate, corporalis autem necessitate cum natura. Et ideo accipiendo corporalem medicinam, si bona est, & recte data, non incidit in aliud genus morbi: sed accipiendo spiritualem medicinam, cum libera sit voluntas, & contemnere possit per indeuotionem præparationis, in nouum genus peccati potest incidere: & sibi efficitur malum quod in se est bonum, vt dicit Augustinus in litera eiusdem cap.

AD ALIVD dicendum, quòd licet corpus Christi sit maius bonum omni bono creato, præcipue secundum quod est in sacramento, quia ibi est per corpus & animam & deitatem: non tamen oportet, quòd eodem modo se habeat ad actum liberi arbitrij ordinandum, sicut facit virtus. Vnde quòd virtus dicitur summum bonum, hoc non est intelligendum simpliciter, sed secundum comparationem ad actus bonæ vitæ in his quæ bona participatiue dicuntur: quod etiã dicitur, quo recte viuitur, & nemo male vtitur, hoc non est ex hoc quod sit summum bonum, sed ex hoc quod informando ordinat & perficit liberum arbitrium in bonum: & hoc modo non informat liberum arbitrium Christus perceptus in sacramento, & ideo vsus boni nobis potest esse malus: & hoc non impedit quin sit maius bonum quam virtus.

AD ALIVD dicendum, quòd diuinitas Christi

Christi maior est humanitate Christi, sed non est contemptus aliquis respectu continentiæ & præsentiæ deitatis in nobis, sed potius est de pœna imperfectionis naturæ creatæ indigentis Creatore vt eam contineat & conseruet: sed respectu humanitatis ordinamur per voluntatem quæ libertatem habet, & ideo contemnere potest.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc non sequitur: quia cum dicitur, Nemo scit, vtrum odio vel amore dignus sit: hoc intelligitur de scientia recta quæ est infallibilis per deuotionem. Cum autem dicitur credens se esse in peccato mortali & non existens, sumitur credens pro eo qui habet aliqua signa & aliquam rationem qua timet se esse in peccato: & ideo patet, quòd non sequitur, quòd propter hoc omnis homo arcendus sit à communione.

AD ALIVD dicendum, quòd cum conuenientia sit inter antecedens & consequens, & postea accidens participatum ab antecedente infertur de consequente, non oportet, quòd consequens participet illud nisi pro tanto quo participatur ab antecedente: vt cum dicitur, si homo est albus, animal est album, non sequitur, quòd animal sit album in ambitu suæ communitatis & prædicationis, sed animal quod est homo albus. Ita etiam hic est cum dicitur, Qui indigne accedit, indignus accedit: & postea infertur, indigne accedens peccat mortaliter: ergo & accedens indignus: non oportet, quòd hoc verum sit generaliter, sed pro eo indigno tantum, qui indigne accedendo fuit indignus. Vnde cum postea infertur conclusio, quòd non generaliter sit verum consequens: ergo nec antecedens: patet, quòd nihil valet argumentatio: & tale argumentum, indignus indigne accedendo factus indignus peccat mortaliter: ergo similiter indignus peccat mortaliter: incidit fallacia siue peccatum secundum locum sophisticum consequentis.

AD VLTIMVM dicendum, quòd hoc bene sequeretur si aliud peccatum nouæ indignitatis non causaretur ex hoc quod accedit cum credulitate peccati: sicut non causatur albedo aliqua ex apparentia albedinis. Patet autem ex superius habitis, quòd nouum peccatum causatur: & ideo non valet argumentatio illa.

Ad quæstiunculam.

AD ID quod vlterius quæritur, dicendum quòd habens remorsum conscientiæ cum proposito non dimittendi peccatum, nullo modo debet sumere Eucharistiam.

AD ID autem quod primo obiicitur in contrarium, dicendum, quòd non communicare cum tali proposito, est de veritate vitæ quæ propter scandalum non est dimittenda. Si autem obiicitur, quòd ipse in tali statu est perplexus: dicendum, quòd hoc non est verum: quia alias facere potest, quòd euadat peccatum, scilicet dolendo de peccato cum proposito emendandi: si enim fecerit quod in se est, Deus infundet sibi gratiam, & tunc potest communicare.

AD ALIVD dicendum, quòd ipse non per hoc se prodit: quia multæ sunt causæ quibus differtur communio, vel etiam quibus aliquis se subtrahit à communione, scilicet immunditia corporalis, humilitas, & multæ aliæ causæ. Si autem obiicitur. Ponamus, quòd Prælatus præcipiat, quòd omnes communicent. Dico, quòd tale præceptum nullum est: quia est illicitum aperte: sed præcipere potest vt omnes se præparent ad communionem: & tunc bene concedendum esse videtur, quòd ille qui se non præparauerit, peccatum omissionis incurrit.

AD ALIVD dicendum, quòd non est simile de aliis actibus, & de actu communionis: alij enim actus sunt super membra Christi quæ indigent diuersis quæ pro tempore possunt suppleri ab his qui non sunt idonei. In communione autem percipitur ipse Dominus, & ideo maxima idoneitas requiritur, & ideo non idoneus peccat communicando, vt dictum est.

ARTICVLVS IX.

An malus plus peccet communicando, quam alio genere peccati?

TErtio quæritur, Vtrum malus plus peccet communicando, quam peccando alio genere peccati? Videtur autem, quòd sic: quia quanto minor est contemptus, tanto minus est peccatum: sed in aliis peccatis quibusdam non contemnitur Deus in se, communicando autem in se contemnitur: ergo magis peccat indigne communicando, quam fornicando, vel alio genere peccati peccando.

2 Item, Scienter peccat qui indigne communicat, & præter tentationem, & concupiscentiam: hæc autem aggrauant peccatum: alius autem peccat quandoque quidem scienter, sed tentatus per concupiscentiam: ergo magis peccat communicando, quam alio genere peccati peccando.

3 Item, Apostolus comparat hoc grauissimo peccato 1. Cor. 11. Qui manducat indigne, reus erit corporis & sanguinis Domini. Ergo videtur, quòd sit grauissimum.

4 Item, Hebr. 10. Irritam quis faciens legem Moysi, absque vlla miseratione duobus vel tribus testibus moritur: quanto magis putatis deteriora mereri supplicia, qui Filius Dei conculcauerit, & sanguinem testamenti pollutum duxerit, in quo sanctificatus est? Ergo deteriora supplicia meretur pollute communicans: ergo grauissimum est peccatum, vt videtur.

5 Item, Constat, quòd grauius peccaret qui corpus Christi in immundum lutum proiiceret, quam qui fornicatur vel auaritiam committit: cum igitur turpior sit latrina spiritualis, quam corporalis, grauius peccat in latrinam spiritualem recipiens corpus Christi, quam proiiciens in latrinam corporalem: sed quod est maius maiore, est maius minore: ergo grauius peccat pollute communicans, quam aliquo alio peccato, vt videtur.

SED CONTRA: Si duo sunt, quorum vnum facit appropinquare Deo, alterum autem remouet à Deo: & comparantur ad duo alia, quorum vtrumque remouet: magis remouent duo, quam vnum. In communione autem quæ fit ab indigno, ipsa communio non separat à Deo, sed adiungit, contemptus autem separat. In fornicatione autem vel alio peccato corporis, vtrumque separat & actus & contemptus: ergo magis separat à Deo, quam communio indigni. Sed maius peccatum est quod magis separat à Deo. Ergo

Sed contra.

aliud

aliud peccatum est maius, quam communio indigni. Si forte dicas, quòd non oportet: quia illud vnum quod facit distare in vno, facit longiorem distantiam, quam duo in alio. Contra: Id quod facit distantiam in communione indigni non est nisi contemptus: contemptus autem est etiam in alio peccato: ergo contemptus est in vtroque communi: ergo remoto communi in vtroque, quodcunque magis facit distare, illud similiter etiam appositio contemptu ad vtrumque, magis facit distare à Deo: sed remoto contemptu plus distare facit aliud peccatum: ergo & similiter magis distare facit à Deo, & sic habetur propositum.

2 Item, Ponamus, quòd aliquis communicet indigne, intendens per se per hoc non omnino alienari à Deo, sed propinquior fieri Deo: tunc videtur, quòd ille non tantum peccet, quantum ille qui fornicatur, vel aliud crimen committit.

3 Item, Aliquis casus potest esse, quòd etiam aliquis peccator potest accipere in manus corpus Domini, vt si inueniat illud in luto, & non sit alius qui subleuet: ergo videtur, quòd etiam aliquis casus potest esse, in quo communicans non peccet, vel non tantum peccet sicut alio peccato peccans.

4 Item, Quod per se est malum, magis fugiendum est, quam quod per accidens est malum: fornicari autem & cætera peccata quæ sunt contra decalogum, per se mala sunt: communicare autem per se bonum est, per accidens autem malum: ergo aliud peccatum magis est fugiendum, quam communio ab indigno.

5 Item, Quod in se malum est, magis fugiendum est, quam quod alicui est malum, & non in se: fornicari autem & cætera talia vitia in se mala sunt & facienti, communio autem non est in se mala, sed facienti: ergo fornicatio magis est fugienda, quam communio, vt videtur: ergo aliqua peccata sunt maiora, quam istud.

6 Item, Quod nunquam & nulli bonum est, sed semper & omnibus malum, maius est malum, quam quod quandoque & alicui est malum, & non semper, nec omnibus: sic autem se habent fornicatio, & cætera ad communionem: ergo illa sunt maiora peccata, quam istud.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum videtur ad hoc, quòd quoad aliquid communicans indigne plus peccat, & quoad aliquid alio peccato peccans plus peccat: quoad contemptum enim videtur mihi plus peccare indigne communicans, sed non quoad actum, & alias circunstantias, ex quibus causatur turpitudo peccatorum.

DICENDVM ergo ad primum, quòd cum dicitur, Vbi minor est contemptus, ibi minus est peccatum, quòd hoc non est verum simpliciter, sed quoad aliquid tantum, scilicet radicem peccati quæ contemptus est: quoad alia enim potest esse maius peccatum quod est ex minori contemptu. Eadem vero solutio fere est ad omnia: quia id iterum quod obiicitur secundo, non tenet nisi quoad hoc quod tentatus vel non tentatus peccat.

AD ALIVD dicendum, quòd Apostolus dicit, reum esse corporis & sanguinis indigne communicantem, eo quod reatum sanguinis incurrat, non tamen quod habeat reatum occidentis Christum: sed in hoc similis est occisori: quia vterque fit reus ex sanguine Christi.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc non intelligitur de indigne communicantibus, sed potius de abutentibus gratia baptismi: quia putabant, quòd cum aliquis rediret ad peccatum, quòd iterum eum baptizari oporteret: & hoc redundaret in pollutionem, id est, in infirmitatem sanguinis Christi, tanquam sacramenti in quo sanguis Christi operatur & lauat interius, nisi esset tantæ virtutis quòd faceret solubilia per pœnitentiam etiam peccata sequentia: & ita exponitur in Gloss. Si autem generaliter extendatur ad indigne communicantem, tunc dicendum, quòd indigne communicans meretur deteriora supplicia, inquantum peccat contra maiorem gratiam ex contemptu, quam ille qui legem transgrediebatur: non tamen simpliciter oportet, quòd mereatur deteriora.

AD ALIVD dicendum, quòd cum dicitur, Latrina spiritualis peior est, quam corporalis: locutio est metaphorica, & intelligitur non esse maioris fœditatis corporalis: sed inquantum peccata sunt contra maius bonum, etiam adimunt bonum melius, quam fœditas corporalis: vnde remanet maior munditia exterior in corpore peccatoris, quam in latrina corporali: & ideo plus peccaret corpus Christi in latrinam proiiciens, quam indigne communicans: quia maiorem contumeliam & contemptum faceret Christo. Et ideo dicit Magister in sententiis, quòd ex tropicis non valet argumentatio.

Idem autem modus respondendi est ad ea quæ obiiciuntur in oppositum: bene enim concedo, quòd vnum quandoque plus elongare potest, quam duo vel tria. Et quod obiicitur, quòd contemptus sit communis vtrique. Dicendum, quòd non est idem contemptus, sed maior, & minor, & diuersus in specie: quia contemptus specificatur secundum id quod contemnitur, & secundum rationem contemnendi.

AD ALIVD dicendum, quòd sciens se esse in peccato, non potest bene communicare: quia intentio est peruersa & stulta: sicut dictum est super secundum, distinct. 38. de eo qui intendit furari, vt det alicui, vt per hoc eam reuocet à meretricio vel adulterio.

AD ALIVD dicendum, quòd non est simile: quia tunc reuerentia & necessitas subleuandi excusat & cogit fieri: sed in communicando non est necessitas aliqua, nec reuerentia aliqua ibi exhibetur Christo, sed potius irreuerentia & contemptus.

AD ALIVD dicendum, quòd non tenet nisi quoad hoc, & non simpliciter: & ideo non valet in aliis argumentatio.

ARTICVLVS X.

An pollutio nocturna impediat à communione?

QVarto quæritur, Vtrum pollutio nocturna impediat à communione? Videtur autem, quòd sic: In decreto enim distinct. 6. dicit Gregorius in epistola ad Anglorum Episcopum Augustt.

Augusſt. Si ex turpi cogitatione vigilantis naſcitur in mente dormientis, patet omnino reatus ſuus: videat enim à qua radice inquinatio illa proceſſit: quia quod cogitauit ſciens, hoc pertulit neſciens. Et propter talem pollutionem ſacro myſterio abſtinere oportet eo die. Ex hoc accipitur, quòd pollutio impedit à communione.

2 Item, Iſidorus in primo ſententiarum, Qui nocturna illuſione polluitur, quamuis extra memoriam turpium etiam cogitationum ſeſe ſentiat inquinatum: tamen hoc vt tentaretur culpæ ſuæ tribuat, & ſuam immunditiam ſtatim fletibus ſtringat. Conſtat autem, quòd non eſt ſimul deflenda culpa, & ſtatim communicandum: ergo videtur, quòd abſtinere debet à communione, vt videtur.

3 Item, Leuit. 15. Qui patitur fluxum ſeminis, immundus erit. Conſtat autem, quòd fluxus ſeminis minus eſt in poteſtate hominis, quam pollutio nocturna. Ergo multo magis pollutus eſt immundus: ergo impedit à communione, vt videtur.

4 Item infra in eodem, 7. De quo egreditur ſemen coitus, lauabit aqua omne corpus ſuum, & immundus erit vſque ad veſperam. Conſtat autem, quòd minoris ſanctitatis erant ſacramenta veteris legis nouæ. Si ergo impediebat à perceptione ſacramenti veteris teſtamenti quam multo magis impediet à perceptione ſacramentorum noui teſtamenti.

5 Item, Deut. 23. præcepit Dominus, quòd egredientes ad ſubleuationem naturæ, ferant foſſorium in balteo, & ſuffodiant, eo quod Dominus tranſeat per caſtra, vt caſtra ſint munda. Et dicit ibi Gloſſ. quod amat Deus corporalem munditiam. Si ergo illa immunditia impedit decorem tranſitus Domini, multo magis à perceptione corporis & ſanguinis Domini.

6 Item, Minus videtur quòd corporalis immunditia impediat ab introitu tabernaculi quod minus ſanctum eſt, quam à communione corporis & ſanguinis Domini: ſed impediebat antiquitus: ergo hæc etiam impedit modo.

7 Item, 2. Reg. 6. dicitur, quòd cum calcitrarent boues qui trahebant arcam Domini, quòd extendit manum ſuam Oza vt teneret arcam, & percuſſit Dominus Ozam: & redditur ratio in Gloſſ. & à Magiſtris, quòd illa nocte dormierat cum vxore ſua. Cum igitur hoc meritorie facere potuerit, pollutio autem nunquam fiat meritorie, videtur quòd multo magis impediat pollutio communionem eius quod per arcam ſignificatur, ſcilicet corporis & ſanguinis Domini.

8 Item dicit Gregorius, quòd tempore concubitus mattimonialis Spiritus ſanctus non tetigit corda Prophetarum, propter inconuenientiam actus in quo totus homo caro efficitur, ad ſpiritualem actum: ergo cum multo maior ſit communio quam prophetia, videtur quòd illa delectatio quæ eſt in egreſſu ſeminis, impediat à communione.

9 Item, Vnio per ſpiritum & amorem ad Chriſtum, & deſcenſus ſecundum carnem per delectationem ſunt contraria: ergo non debent eſſe ſimul: ſed in pollutione eſt deſcenſus ſecundum carnem per vltimam delectationem, in communione autem eſt eleuatio intellectus per fidem, & vnio ſpiritus per charitatem: ergo iſta duo non ſeſe compatiuntur: ergo videtur, quòd dimittenda ſit communio propter pollutionem.

SED CONTRA: Dicit Gregorius ad Aug. Anglorum Epiſcopum, & ponitur in decreto diſt. 6. Et quidem cum ex naturæ ſuperfluitate vel infirmitate euenerit, tunc omnino non erit timenda pollutio: quia hanc animus neſciens pertuliſſe magis dolendus eſt quam feciſſe. Ergo non ſemper impedit pollutio à communione. *Sed contra. Greg. reſp. ad 11. interrogationes Auguſtini Cãthuarienſis Anglia Epiſcopi.*

2 Item, Gregorius ibidem, Cum vltra modum appetitus gulæ in ſumendis alimentis capitur, atque idcirco humorum receptacula grauantur, habet quidem ſexinde animus aliquem reatum, non tamen vſque ad prohibitionem percipiendi ſacri myſterij vel miſſarũ ſolennia celebrandi. Ex hoc patet, quòd quandoque etiam procedit ex aliqua culpa crapulæ, quæ non impedit à ſacra communione.

3 Item, Nihil impedit à ſacra communione niſi fictio, quia Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum: ergo in ſacramentis non fugit niſi fictum, vt dicitur Sapient. 1. Venialia autem non faciunt fictum: ergo etiamſi detur, quòd ex aliqua cogitatione turpi præcedenti quæ mortalis non fuit, pollutus ſit: non tamen ſequitur, quòd non poſſit communicare.

4 Item, Si venialia impedirent, nullus eſſet qui communicare poſſet: quia 1. Ioan. 3. dicitur, Si dixerimus, quòd peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt. Cum igitur pollutio procedit ex veniali cogitatione, non impedit à communione.

5 Item, Dicit Gregorius, quod ſpiritualia peccata maioris ſunt ponderis, licet carnalia ſint maioris infamiæ: venialia autem ſpiritualia non impediunt à communione: ergo nec carnalia: ergo pollutio non impedit, cum non ſit peccatum, aut ſit minimum: quia non eſt præſentis loci diffinire, vtrum ſit peccatum, an non?

6 Item, Aliquis vadit cubitum munitus ſigno ſanctæ crucis cum orationis deuotione, & ſic de aliis: tamen accidit ſibi pollutio: cum ergo nullus peccet dormiens, ille non habet vnde impediatur à communione: ergo poteſt communicare, vt videtur.

IVXTA hoc vlterius quæritur, Quandiu debet abſtinere? Dicitur Leuit. 15. quòd immundus erat vſque ad veſperam. Inter veſperam autem & mane non ſunt niſi 12. horæ æquales: ergo videtur, quòd poſt 12. horas poſſit communicare: & tamen hoc non ſeruatur, quia abſtinet per diem & noctem. *Quæſtiũcula.*

SOLVTIO. Dicendum cum beato Gregorio, quòd pollutio multis de cauſis accidit, de quibus alibi tractandum eſt, ſcilicet ex infirmitate naturæ in retinendo vel conuertendo ad membra: & hoc modo nullum eſt peccatum, nec peccati ſignum. Fit etiam ex illuſione diabolica, & tunc eſt negligentiæ ſignum, ſcilicet quod homo non ſatis deuotus iuit dormitum. Quandoque etiam eſt ex nimia repletione, præcipue ciborum qui venerea prouocant, ſicut calidorum & humidorum ſimul: quia calidum mouet, & humidum miniſtrat materiam: & tunc diſtinguendum mihi videtur in accidentibus ingurgitati: aut enim hoc accidit famelice ex ſurreptione: aut accidit, quia parauit laute cibos, & conſueuit epulari ſplendide. Et primo modo pollutio ſequens non indicat niſi negligentiam ex ſurreptione crapulæ: ſecundo modo indi- *Solutio.*

cat

cat peccatum. Alio modo fit pollutio peccatum ex cogitatione, ſcilicet quando aliquis cogitat de aliqua ſingulariter,& poſtea ſomniat ſe coire cum eadem : & tunc eſt ſignum fixæ cogitationis præcedentis in turpi. Quandoque autem fit ex coniunctione plurium cauſarum ſimul, vt ex cogitatione,& crapula:& tunc ſignificat vtraque.Quandoque ex cogitatione, & illuſione : & tunc eſt ſignum peccati propter quod meruit illud.Quandoque autem ſimul ex crapula, cogitatione, & illuſione:& tunc duo præcedentia cauſa ſunt meritoria tertij, & hoc totum oſtenditur in pollutione ſequenti, ſicut oritur cauſa occulta in effectu ſequenti manifeſto. Et iterum diſtinguendum in modo pollutionis, quod Gregorius meminit in præinducta Epiſtola, vbi dicit, quòd ex crapula veniens non impedit communionem, dummodo corpus in pollutione turpi delectatione non concutiatur.Ex hoc enim accipitur, quòd quidam polluuntur cum imaginatione & delectatione turpibus:alij autem per ſolam ſeminis emiſſionẽ: ſecundum Philoſophum autem in his qui delectantur vlterius, diſtinguendum eſt:quia quandoque eſt ex ventoſis cibariis, & in delectatione potius emittitur ſpuma ventoſa quam humor nutrimenti. His ergo ita diſtinctis, puto cum Gregorio ita dicendum, quòd in primo & ſecundo caſu non impedit à communione:ſed ſi humiliter propter fœditatem dimittit, laudandus eſt:in tertio autem modo ſi eſt ex ſurreptione & cibariis magis ventoſis,vt legumina ſunt, non puto impediri:ſed in quarto modo & deinceps quinto & ſexto puto eſſe abſtinendum à communione,propter dubium moroſæ delectationis in cogitatu præcedenti. Quãtum autem ad quartam diſtinctionem quam ponit Gregorius, videtur dicendum quòd in paucis & raro accidit ſine imaginatione turpi pollutio : & hoc ſatis planum eſt omni inſpicienti ſecundum librum de ſomno & vigilia Philoſophi: quia vult, quòd quædam ſomnia ſunt ſigna,quædam autem cauſam habent in corpore. Vnde & etiam modus & cauſa ægritudinis cognoſcuntur in ſomnis : cauſa autem illa cum ſit mouens, & actus actiuorum ſunt in patiente prædiſpoſito,vt dicit Philoſophus in 2.de anima,& hoc ſecundum poteſtatem patientis,& non ſecundum poteſtatem agentis, ſunt iſtæ cauſæ in anima ſenſibili quæ colligationem habet cum organis in quibus eſt cauſa mouens ad coitum, & materia per modum imaginum pertinentium ad coitum : & ideo illa imaginatio fit quandoque in ſomnis ſine culpa præcedenti. Et ideo quod Gregorius dicit eam eſſe ex culpa præcedenti, vel cogitatione puto intelligendum eſſe per modum ſigni:ſignum autem eſt delectatio ſequens, quòd in vigilia talia meditatus ſit : vnde non videtur mihi, quòd concuſſio ſemper impediat à communione.His autem habitis reſpondendum eſt ab obiecta.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd Gregor.loquitur de pollutione proueniente ex quarta cauſa, vel deinceps, ſicut ſatis manifeſtum eſt in auctoritate ipſa.

AD ALIVD dicendum,quòd Iſido. non ligat ad abſtinendum : quia bonarum mentium eſt ibi culpam agnoſcere,vbi culpa non eſt.

AD ALIVD dicendum, quòd talia in Veteri Teſtamento ſicut ibidem in Gloſſa Gregorij, & Gloſſ.Heſichij probatur,ſignatiue dicta ſunt:ideo exponitur hoc ibidem de verboſis, qui ſemper mendacij vel detractionis vel adulationis reatu polluunt lectum in quo quieſcunt.

AD ALIVD dicendum, quòd lex illa intelligitur de viro qui fornicario concubitu commixtus mulieri eſt, & ideo in eodem capitulo ſtatim adiungitur, Mulier cum qua coierit, lauabitur aqua, & immunda erit vſque ad veſperam, id eſt, vſque ad mortem pœnitebit.

AD ALIVD dicendum, quòd Deus amat munditiam etiam corporalem : ſed tamen omnia illa etiam figuratiue intelliguntur:quia Deus corporali immunditia non inquinatur, ſicut dicitur Sapient.8. Quia propter munditiam ſuam, nihil inquinatum incurrit in illam ſapientiam. Licet ergo amet munditiam corporalem, ſecundum quod atteſtatur munditiæ ſpiritus, & dilectioni pulchritudinis ſpiritualis:non tamen propter immunditias quibus neceſſario ſubiacemus, ipſe nos reprobat, vel arcet à ſacramentorum perceptione.

AD ALIVD dicendum, quòd omnia illa erant figuratiua,& oſtendentia quoniam mundum ſpiritualiter eum eſſe oporteret qui communicat Sanctis.

AD ALIVD dicendum, quòd forte Oza ex libidine cognouerat ſuam vxorem, ſecundum illos qui ponunt hoc pro cauſa : tamen ego puto ſenſum literalem eſſe,quòd ipſe cum eſſet de Leuitis quibus præcipiebatur arca portari propriis humeris, permiſit quòd committebatur periculo vecturæ boum recalcitrantium,& ideo merito interfectus fuit.

AD ALIVD dicendum, quòd actus prophetalis cum actu coitus habet aliquam deformitatem : ſed tamen matrimonium illum habet. Ita etiam bene conceditur hoc quod eſt quædam inconſonantia ex qua ſimul actu non debet eſſe, ſed ſecundum tempus ſucceſſiue vnum poſt aliud eſſe quandoque : non enim puto, quòd aliter prohibet.

AD ALIVD dicendum, quòd non probat niſi quandam inconuenientiam : & laudandus eſt qui ad tempus abſtinet à communione, ſed tamen ex hoc non arcetur, vt puto, & ſic Gregorius videtur dicere.

AD ID quod vlterius quæritur, Quandiu ſit abſtinendum?Puto diu eſſe per horas 24.in quibus reuolutio tota completur,excepto paruo quod ſol interim retro ceſſit. Dies enim naturalis eſt reuolutio æquinoctialis cum tanta parte quanta oritur cum arcu eclipticæ : quem motum 24. horarum naturali motu ſol occidendo ſigna præſcribit. Hic autem arcus eſt 70. minuta, & 8. ſecundæ fere. Huius autem talem dicunt quidam rationem:quia in illo tempore fit omnis ortus & occaſus imaginum & ſtellarum cæli,ſuper corpus ad reordinandum:quia licet cælum non habeat vim ſupra liberum arbitrium, habet tamen vim ſupra corpus ad immutandum & continendum:& hoc innuit Dominus Leuit. 15. vbi dicit, Mulier quæ redeunte menſe fluxum ſanguinis, &c. Fluit enim ſanguis quando non poteſt digeri : non digeritur autem diminuto calore:calor autem minuitur decreſcente lumine in luna. *Ad qu.1.*

Adhuc autem eſt vnus caſus quærendus,ſcilicet ponamus, quòd aliquis veniat ad locum celebrationis, & probabiliter dictet ei conſcientia, quòd *Quæſt. 2.*

quòd sacerdos in malo statu est, & peccabit mortaliter celebrando, & ipse pollutus in nocte sit sine conscientia causæ mortalis, vtrum pro eo celebrare debeat? Et ad hoc diuersimode respondetur. Quidam enim sentiunt, quòd non: quia etiam venialiter peccare non debet ad hoc quod alius vitet mortale. Mihi autem videtur, quòd ego in tali casu celebrarem, præhabita tamen confessione vel compunctione si sacerdos deesset, alia tamen oratione cum deuotione præhabita.

ARTICVLVS XI.

An aliqua fœditas corporalis, vt menstruum vel huiusmodi, impediat à perceptione corporis Christi?

QVinto quæritur, Vtrum aliqua fœditas corporalis, vt menstruum, vel huiusmodi, impediat à perceptione corporis Christi? Videtur autem quod sic. Leuit. 15. Mulier quæ redeunte mense patitur fluxum sanguinis, septem diebus separabitur: omnis qui tetigerit eam, immundus erit vsque ad vesperam, &c. Quia multa tangit ibi de immunditiis menstruatæ. Ergo videtur, quòd multo magis impediat à perceptione corporis Christi, cuius est maior sanctitas, quam tabernaculi veteris, vel hominis tangentis eam.

2 Item, Maior est fœditas menstrui quam pollutionis nocturnæ: ergo multo magis debet impedire communionem, quam nocturna pollutio: nocturna autem pollutio quandoque impedit, vt habitum est: ergo & menstruorum fluxus.

Sed contra. SED CONTRA: Fluxus iste est ex infirmitate vel superfluitate humorum: neutrum autem horum peccatum est: ergo videtur, quòd nec menstruorum immunditia impediat à communione.

2 Item Gregorius, Mulier dum ex consuetudine menstruum patitur, prohiberi Ecclesiam intrare non debet: quia non potest ei naturæ superfluitas in culpam cedere: sanctæque communionis mysterium percipere prohiberi non potest in illis diebus: si autem ex veneratione magna percipere mysterium non præsumit, laudanda est: sed si percipit, non est iudicanda: honarum quppe mentium est ibi culpam agnoscere vbi culpa non est. Ex hoc manifeste accipitur, quòd non est impediens à communione fluxus menstruorum.

AD HOC volunt quidam dicere, quòd quædã fluunt continuo, & in illis fluxus est ex infirmitate: quædam autem interpolatim, & illæ curabiles sunt, & debent expectare de communione vsque post fluxum, primæ autem non: & huius causam reddunt: & Augustinus videtur dicere, quòd accessus ad menstruatam non sit prohibitus in figuram alicuius futuri: sed etiam in se præceptum morale est, quòd non fiat concubitus cum menstruata. Vnde dicunt, quod menstruum dicit immunditiam impedientem à communione. Augustin. autem verba sunt super Leuit. 18. super illud, Ad mulierem quæ patitur menstruum, non accedas, &c. dicit enim ibi Gloss. sic, Hoc cum superius satis sufficienter prohibuisset, quid sibi vult quod etiam hic hoc eisdem præceptis voluit adiungere? An forte ne in superioribus quod dictum est, figurate accipiendum putaretur, etiam hic positum est, vbi talia prohibita sunt quæ etiam tempore Noui Testamenti, remota vmbrarum veterum obseruatione, sine dubio custodienda sunt. Sine præiudicio autem videtur mihi dicendum, quòd nunquam prohibenda est mulier à communione propter menstruum, sicut dicit Gregorius: eo quod sit indicium superfluitatis, vel infirmitatis, & non culpæ.

AD ID quod primo obiicitur, dicendum est quod in veritate figuratiue dicebatur de immunditia menstruatæ quantum ad ingressum tabernaculi, sicut ibidem in Gloss. exponitur: & ideo illa argumenta non cogunt.

AD ALIVD autem quod obiicitur de Aug. dicendum quod accedere ad menstruatam est mortale: quia accessus ordinatur ad conceptum: & si tunc mulier concipit, concipit prolem corruptam, vt elephanticam, vel leprosam, vt dicit Gloss. super Ezech. 18. super illud, Ad mulierem menstruatam non accesserit. Et quoad hoc morale est: sed hoc nunquam fuit morale, quod esset immunda per septem dies, & lauaretur aqua, & esset extra castra, & huiusmodi, quæ determinantur Leuit. 15.

ARTICVLVS XII.

An indigne sumens corpus Christi id efficiat, vt malum fiat quod accipit?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Ecce enim factum est malum, dum male accipitur bonum, &c.] Statim enim contrarium dicit in fine eiusdem capituli, Indigne quis sumens corpus Christi non efficit vt quia malus est, malum sit quod accipit.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd malum ex se dicitur multipliciter, scilicet formaliter, & sic intelligitur secũda auctoritas: quia sic corpus Christi non potest esse malum, sed semper est bonum. Dicitur etiam malum effectiue: & hoc dupliciter, scilicet vt causa per se, vel vt causa per accidens: & neutro istorum modorum corpus Christi dicitur malum: quia nec est causa mali per se, nec per accidens. Secundo modo dicitur malum occasio mali, sicut lux præsens dicitur occasio læsionis infirmi oculi: & ita corpus Christi est bonum, & occasio est mali ei qui indignè sumit.

De intelligentia quorundam verborum ambiguorum.

SECVNDVM hos duos modos sumendi, intelligentia quorundam verborum ambigue dictorum distinguenda est. Ait enim Augustin. Bonus accipit sacramentum & rem sacramenti, malus vero *In gl. 1. Cor. 2. Quotiescumquerem.*

ſacramentum & non rem. Sacramentum hic dicit corpus Chriſti proprium, de Virgine natum: Rem vero, ſpiritualem Chriſti carnem. Bonus ergo vtramque Chriſti carnem accipit. Malus vero tantum ſacramentum, id eſt, corpus Chriſti ſub ſacramento, & non rem ſpiritualem Item, Non manducans manducat, & manducans non manducat: quia non manducans ſacramentaliter, aliquando manducat ſpiritualiter, & è conuerſo. Et qui manducant ſpiritualiter, veritatem carnis & ſanguinis dicuntur ſumere: quia ipſam efficientiam habent, id eſt, remiſſionem peccatorum: pro qua videtur orari, cum dicitur, Perficiant in nobis Domine quæſumus tua ſacramenta quod continent: vt quod nunc ſpecie gerimus, rerum veritate capiamus. Rerum veritatem dicit ipſam efficientiam. Quaſi dicat, Per hæc ſacramenta præſta: vt ſicut ſacramentaliter carnem Chriſti ſumimus, ita ſpiritualiter ſumamus. Vel petit ſacerdos, vt Chriſtus qui nunc vere ſub ſpecie panis & vini ſumitur, manifeſta viſione, ſicut in eſſentia diuinitatis eſt, quandoque accipiatur. Conſtat ergo à bonis & malis ſumi corpus Chriſti: ſed à bonis ad ſalutem, à malis ad perniciem.

In Complenda Miſſæ.

Greg. in homil. Paſchali.

ARTICVLVS XIII.

An ſacerdos petat vt Chriſtus qui nunc ſub ſpecie panis accipitur, manifeſta viſione accipiatur?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Petit vt Chriſtus qui nunc ſub ſpecie panis & vini ſumitur, manifeſta viſione, &c.] Hoc iterum videtur faſum: quia ſacramentum non habebit rem in futuro: eo quod in futuro non indigemus viatico: quia tunc non erimus in via, ſed in patria: ergo videtur, quòd nihil ſit dictum: quia tunc capietur manifeſta viſione, ſicut capitur modo ſub ſpecie ſacramenti.

2 Item, Frui Deo per ſpeciem in aperta viſione non eſt actus ſacramenti vel ſuccedens ſacramento, ſed potius actus beatitudinis ſuccedens virtuti vini vel pluribus, vt determinatur in prima diſtinct. primi libri huius voluminis: ergo videtur, quòd in precibus Eccleſiæ inconuenienter hæc duo coniungantur, vt ſicut nunc per ſpeciem ſacramenti, ita quandoque per ſpeciem diuinitatis aperta viſione capiamus.

3 Item, Nunc capimus eum per guſtum corporis & ſanguinis eius: tunc autem ita non capiemus, ſed per contemplationem & fruitionem: ergo videtur, quòd nulla ſit oratio.

Sed contra. SED CONTRA: In eccleſiaſtica hierarchia cap. 3. dicit Dionyſius, quòd Ieſu diuinæ participationis ſymbolum eſt Euchariſtiæ ſanctiſſimæ aſſumptio. Conſtat autem quod intelligit diuinam participationem illam quæ eſt per fructum in gloria. Ergo videtur ſuccedere manducationi & ſumptioni ſacramentali.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd ſacramentum hoc ſicut & alia, habet duplicem rem: vnam quæ eſt contenta & ſignificata, & illam conſequitur in præſenti, & hæc eſt propria ſacramento: & de iſtis rebus ſacramentorum ſæpius dictum eſt ſupra. Aliam habet ſignificatam & non contentam: & quia ſacramentum eſt cauſa rei quam continet, Et illam rem non continet, conſequens eſt quòd etiam non cauſet eam: ſicut res baptiſmi eſt fulgor gloriæ in reſurrectione, & ita de aliis. Ita poteſt dici hic, quòd participatio per fructum diuinitatis in aperta viſione eſt res ſignificata, & non cauſata, nec contenta in hoc ſacramento, hoc modo quo ſignificatur fructus dulcedinis gloriæ in guſtu Dei per fructum: & guſtum dulcedinis ſpiritualis in ſacramento in quo eſt Chriſtus auctor gratiæ: & ita intelligit Dionyſius.

AD PRIMVM ergo quod obiicitur, dicendum quod non eſt opus tunc viatico, ſed eſt guſtus felicitatis vt finis, qui ſignificatur in guſtu viatici: ſicut ea quæ ſunt patriæ, ſignificantur ſæpius per ea quæ ſunt viæ.

AD ALIVD dicendum, quòd eſt actus ſacramenti vt ſignificantis, ſed non eſt actus ſacramenti vt cauſantis eum: ſicut etiam plena gloria in dotibus animæ & corporis dicitur eſſe res baptiſmi; & ſuper hoc fundatur intentio orantis.

DISTIN

DISTINCTIO X.

De hæresi aliorum qui dicunt corpus Christi non esse in altari nisi in signo.

SVNT item alij præcedentium insaniam transcendentes, qui Dei virtutem iuxta modum naturalium rerum metientes, audacius ac periculosius veritari contradicunt: asserentes in altari non esse corpus Christi vel sanguinem, nec substantiam panis vel vini in substantiam carnis & sanguinis conuerti: sed ita Christum dixisse, Hoc est corpus meum: sicut Apostolus dixit, Petra autem erat Christus. Dicunt enim ibi esse corpus Christi tantum in sacramento, id est, in signo, & tantum in signo manducari à nobis. Qui errandi occasionem sumunt à verbis veritatis, vnde prima hæresis facta est in discipulis Christi. Cum enim diceret, Nisi quis manducauerit carnem meam & biberit sanguinem meum, non habebit vitam æternam: illi non intelligentes dixerunt, Durus est hic sermo: quis potest eum audire? & abierunt retro. Illis discedentibus instruxit duodecim qui remanserant. Spiritus est, inquit, qui viuificat, caro nihil prodest: verba quæ locutus sum vobis, spiritus & vita sunt. Intellexisti spiritualiter? spiritus & vita sunt. Intellexisti carnaliter? etiam sic spiritus & vita sunt, sed tibi non sunt. Spiritualiter intellige quæ locutus sum. Non hoc corpus quod videtis manducaturi estis, & bibituri illum sanguinem quem fusuri qui me crucifigent. Sacramentum aliquod vobis commendaui: spiritualiter intellectum viuificabit vos: caro autem non prodest quicquam. Sunt etiam & alia illorum insaniæ fomitem ministrantia. Ait enim Augustinus. Donec seculum finiatur, sursum est Dominus: sed tamen etiam hic nobiscum est veritas Dominus. Corpus enim in quo resurrexit, in vno loco esse oportet: veritas autem eius vbique diffusa est. Item, Vna persona est Deus & homo: vbique per id quod est Deus, in cælo per id quod homo est Christus. Dicit etiam, Pauperes semper habetis vobiscum, me autem non semper habebitis. His aliisque vtuntur præfati hæretici in assertionem sui erroris.

A

1. Cor. 10.

Augustin. super Psal. 54. De cõse. dist. 2. c. Prima. Ioan. 6.

Loc. cit.

Aug. ad Dardanum ep. 57. Mat. 26.

DIVISIO TEXTVS.

SVnt & alij præcedentium insaniam, &c.] In præhabitis excluſit Magister errorem quorumdam dicentium corpus Christi non sumi à malis: qui fuit error minoris inconuenientiæ. Hic autem tangit errorem maioris inconuenientiæ, eorum scilicet qui negant corpus Christi esse in altari. Contra istud primo inducens quasdam auctoritates Canonis & Patrum, ex quibus habuit ortum: & secundo easdem soluens & determinans *ibi* [Ex eadem ratione omnia recipienda sunt] Tertio ponit sophisticas rationes quibus isti decipiebantur, & soluit, auctoritatibus improbans dictum eorum *ibi* [Satis responsum est hæreticis obiectionibus, &c.] Et hoc est quod dicit vsque ad sequentem partem, in qua tangit de modo conuersionis. Et per hoc patet sententia: & si quid minus est, per disputationem manifestabitur.

ARTICVLVS I.

An corpus Christi vere sit in altari, aut solum sicuti signatum in signo?

SIt ergo hæc prima quæstio de errore quem nititur Magister in litera elidere, scilicet an corpus Christi sit in altari, vel non? Videtur enim multis rationibus, quòd non sit: quicquid enim est immutabile, nihil abiiciens, & nihil recipiens, hoc non fit in aliquo loco per conuersionem alicuius in ipsum: corpus Christi gloriosum est immutabile, nihil abiiciens, & nihil recipiens: ergo non fit in aliquo loco per conuersionem alicuius in ipsum. Maior patet per se: & si aliquis dubitat, probatur sic, Omnis mutatio fit per alicuius abiectionem, & alicuius aduentum: ergo à destructione consequentis, quod nihil abiicit, aut nihil accipit, hoc est immutabile omnino. Si autem nihil suscipit, videtur sequi necessario, quòd nihil conuertitur in ipsum.

2 Item, Omne quod loco circunscribitur, non fit in alio loco nisi prius recedat à loco in quo est: corpus Christi loco circunscribitur: ergo non fit in alio loco, quam in cælo nisi prius recedat à loco cæli empyrei in quo est: non autem recedit vt Sancti omnes dicunt: ergo non fit in loco alio: ergo nec in altari: ergo non est in altari, vt dicit illa opinio.

3 Item, Secundum modum loquendi, maioris dignitatis & simplicitatis sunt spiritus quam corpora: nullus autem spiritus creatus potest simul esse in diuersis locis: ergo multo minus potest corpus simul in diuersis locis esse: corpus autem Christi est in cælo manens: ergo non in altari.

4 Item, De Deo hæc est falsa, Deus est alibi quam vbi ipse est, cum tamen Deus sit vbique: ergo multo magis falsa est de his quæ loco diffiniuntur & circunscribuntur: corpus autem Christi loco circunscribitur: ergo est in loco determinato, & non est alibi quam vbi est: ergo non est alibi quam in cælo, quia ibi est: ergo non est in altari.

5 Item, Si daretur, quòd posset esse alibi, & hoc simul & semel, videtur ex hoc sequi, quòd posset esse vbique: & hoc duabus rationibus, quarum vna est: quia, sicut alibi dicitur, si duo corpora possent esse simul in vno loco, eadem ratione & infinita: ita videtur sequi hic, quòd circunscriptio loci non magis repugnat ad esse simul in pluribus locis quam ad esse vbique: si ergo potest esse in pluribus locis, potest etiam esse vbique. Secunda ratio est: quia detur, quòd consecretur vbique, & in omni loco est vbi consecratur: ergo erit tunc vbique. Hoc autem si forte non videatur alicui inconueniens, ostendatur esse inconueniens sic. Augustinus dicit, quòd soli Deo proprium est esse vbique: corpus autem Christi non est Deus, sicut nec anima Christi Deus est, licet homo Deus sit: & sic corpori Christi non conuenit esse vbique: ergo videtur non esse in altari.

6 Item, Videtur, quòd non sit intelligibile corpus Christi esse in altari: loco enim circunscribitur, cui assignatur principium, medium, & terminus secundum diuersitates loci: constat autem, quòd id quod nunquam est extra terminos contentos, qui sunt termini locati intra, nunquam est extra terminos continentes qui sunt locus corporis: corpus autem Christi nunquam est extra terminos contentos in cælo empyreo, qui sunt dimensiones sui: ergo nunquam est extra terminos loci continentis: non autem potest esse in altari nisi sit extra terminos continentes scilicet loci: ergo nunquam est in altari, vt videtur.

7 Si forte dicas, sicut fere omnes dicunt, quòd corpus Christi tria habet, & per illa tria se habet ad locum. Est enim corpus dimensionem habens, & per hoc habet quod loco circunscribitur. Est idem glorioſum, & per hoc habet quòd potest esse cum alio corpore in eodem loco. Item est vnitum diuinitati, & ex hoc habet quod potest esse in pluribus locis simul. Sed illud videtur non posse stare. Primo quidem: quia corpus Christi antequam esset glorioſum, secundum hoc, non potuit esse cum alio corpore in eodem loco, quod est erroneum: quia ipse in cœna corpus suum dedit antequam glorificaretur: vnde illa distinctio nihil videtur valere ad propositum.

8 Præterea, Aliud est quærere, Quid Deus possit facere: & aliud, Quid in rebus possit fieri, vt dicit Augustinus. Quod enim quantum moueatur localiter in nunc siue in instanti, Deus potest facere: & tamen Deus non potest facere quin accipiatur necessario primum & vltimum: ergo necessario fit successio in motu ipsius, & motus in instanti non potest ei conuenire. A simili, licet corpus illud sit vnitum diuinitati: tamen hæc vnio non tollit ab eo dimensionem circunscriptibilem: sed illa remanente, videtur impossibile esse, quod simul sit in diuersis locis.

9 Item, Quæ est necessitas, quod Christus sit in altari cum corpore & anima? videtur enim glorioſius operari posse, vbi aliquis non est præsentialiter, quam vbi est: ergo Christo etiam glorioſius esset facere gratiam huius sacramenti, vbi non esset præsentialis, quam vbi esset præsens: ergo videtur, quòd cum ipse semper faciat melius, quod ipse non sit in altari.

10 Item, Supra in principio libri tactæ sunt causæ quibus instituta sunt sacramenta, & vna est ibi posita, quæ est causa humilitatis, vt scilicet in hoc homo humilietur, quod quærit salutem in inferioribus se. Si autem Christus dicatur esse in altari, nihil est in hoc sacramento inferius homine: ergo perit causa institutionis, & fructus sacramenti: ergo melius est ponere Christum non esse in altari, quam esse, vt videtur.

SI HOC conceditur, erit expresse contra fidem, sicut dicitur in litera.

2 Item, Esset contra gratiam: dicitur enim in Deuter. 32. quod Dei perfecta sunt opera: si ergo perfecta sunt opera creationis, multo magis perfecta esse debent opera gratiæ & recreationis in sacramentis: hæc autem gratia præcipue est vt nos coniungamur Deo, & ipse coniungatur nobis: ergo in aliquo sacramento debet ista coniunctio esse completa: ergo in aliquo sacramento nobis corporaliter debuit coniungi.

3 Item, In donis gratiæ gratum facientis quæ

est

quæ est gratuita virtus Spiritus sancti, essentialiter potentialiter & præsentialiter & per inhabitantem gratiam coniungitur & illabitur nobis. Cum ergo adhuc sit alia pars gratiæ gratum facientis in sacramentis, per illam debet coniungi his vnde trahit effectum: ille autem est Christus passus in corpore & anima, à quo omne sacramentum habet vim: ergo ipse idem in aliquo sacramento in corpore & anima nobis debet coniungi, vt videtur.

4 Item, Hebr. 2. Quia pueri communicauerunt carni & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem, vt esset conformis nobis in natura: sed ex eisdem secundum naturam generatur natura & cibatur: ergo videtur, quòd etiam in sua natura conformi nobis debuit esse noster cibus.

5 Item, Nos omnibus modis indigebamus sibi conformari: ergo oportuit hoc fieri per aliquid incorporans nos ei: hoc autem esse non potuit nisi ipse: ergo oportuit, quòd per ipsum incorporemur ei: ergo necesse fuit, quòd corpus suum in aliquo daret nobis: in nullo autem ita conuenienter datur sicut in edulio: ergo in edulio debuit nobis dari, vt videtur.

Solutio. SOLVTIO. Absque omni ambiguitate tenendum est, quòd Christus corporaliter est in altari: & quòd hæresis sit id quod recitat Magister in litera, scilicet quod Christus non sit in altari nisi sicut signatum in signo.

AD OBIECTVM autem primum contra hoc, dicendum quod absque dubio corpus Christi modo est immutabile nihil suscipiẽs nihilque abiiciens, quia est glorioſum: tamen non sequitur hoc quod pro consequenti, quasi adhuc vlterius inferatur, quòd non efficiatur alicubi per conuersionem alicuius in ipsum: aliter enim est de conuersione in aliud secundum totam essentiam: & aliter est de conuersione in aliud secundum partes: partes autem voco partes essentiales quæ sunt materia & forma: & hoc verum est, quòd nihil secundum materiam conuertitur in aliud, nisi cuius materia recipitur ab alio, & non forma, quia forma abiicitur. Sed hic non est ita: quia tota essentia panis non annihilata, nec manens substantia panis transit in totum corpus Christi secundum materiam & formam: & ideo necesse est eodem modo manere nihil recipiendo, & tamen effici ibi vbi fit talis transsubstantiatio. Ad probationem autem dicendum, quòd est mutatio quæ fit à motore imperfecto, cui non tota materia mobilis obedit, vt in ipsa inducatur id quod intendit: sicut est mutatio naturalis: & de illa tenet probatio. Est etiam mutatio mouentis virtute infinita, cui tota essentia quæ est composita ex materia & forma, obedit in conuersione in id quod intendit, & talis est in sacramento.

AD ALIVD quod obiicitur de loco, dicendum videtur, quòd hoc verum est de his quæ non habent comparationem ad locum, nisi vno modo, vt sunt ea quæ tantum diffinitiue vel circunscriptiue sunt in loco. Sed de corpore Christi non est sic: quia habet duplicem comparationem ad locum: vnam per se vbi est in propria forma, vt vbi circunscribitur loco, & assignatur ei primum & medium & vltimum in partibus loci, & vbi est primum, hic non est vltimum. Aliam etiam habet comparationem ad locum per aliud in quo ipse est totus in toto: sicut est forma hostiæ: quia ipse in tota hostia est totus, & in qualibet parte totus: & non est ei assignare primum & medium & vltimum secundum partes loci ipsius hostiæ: & hoc plenius habebitur infra. Vnde si Christus efficeretur in loco aliquo circunscriptiue, tunc bene concederẽ, quòd recederet à loco in quo erat circunscriptiue: sed ad hoc quod alibi efficiatur in loco aliter quam est hic, non oportet, quòd recedat vel moueatur in isto in quo est circunscriptiue.

AD ALIVD dicendum, quòd loci diuersitas, id est, quòd diuersimode potest esse in locis diuersis, non conuenit spiritui inquantum spiritus, eo quod neque corpori inquantum corpus: sed conuenit Christo inquantum in se & ad alios eosdem viuens operatur: secundum se autem est in loco circunscriptiue: ad alios autem comparatus quos vnit sibi, oportet quòd apud eos sit in ratione & forma cibi qui vnit per modum nutrimenti. Obiectio autem illa procedit, ac si ista attribuantur corpori per hoc quod est corpus.

AD ALIVD dicendum, quòd licet de Deo qui vbilibet est, ista sit falsa, Deus est alibi quam vbi est: eo quod ipse sit vbique, & in se per ly alibi importatur diuersitas loci ad vbique, & ideo falsa est: tamen hæc est vera, Deus est aliter in lapide & in Sanctis & in se, & aliter in templo & aliter in foro, ita quòd modus alteritatis retorquetur ad effectus. Ita etiam bene concedendum esse videtur, quòd hæc sit falsa, quod corpus Christi sit alibi quam vbi est: quia ibi notatur alteritas vel alietas loci ad vbi: in quo simpliciter est sine distinctione modi essendi vbi circunscriptiue vel sacramentaliter: & ideo ad illa sequuntur contradictorie opposita: quia cum ipse sit vbi est, & ipse sit alibi quam vbi est, oporteret quod in omni loco in quo est, etiam non esset, sed in alio. Sed tamen hæc est vera de corpore Christi, Corpus Christi est alibi quam vbi est circunscriptiue: quia est in sacramento in quo non est circunscriptiue, sed essentialiter in toto totus, & in qualibet parte totus.

AD ALIVD dicendum, quòd si detur Christum posse esse hic circunscriptiue, & in multis aliis locis sacramentaliter: ex hoc non sequitur, quòd possit esse vbilibet: & hoc patet, quia cum dicitur, Deus est vbique, sensus est, Deus continet omnem locum & omnem loci particulam, & influit ei virtutem qua locatum continere possit: hoc autem neutro modo se Christus habet ad locum: quia circunscriptiue existens in loco, non est ipse in qualibet particula loci totus. Similiter sacramentaliter existens in loco, licet sit in qualibet parte formæ totus: non tamen illa forma per quam Christus est in loco, tota est in qualibet parte loci. Et Christus in altari, vt puto, non habet comparationem ad locum nisi mediante forma sacramenti: & sic patet, quod non sequitur ex hoc ipsum esse vbique secundum quod Deo proprium est esse vbique. Præterea non in omnibus locis & partibus loci consecrari potest corpus Christi, vel etiam consecratum haberi: & ideo iterum ei non conuenit esse vbique: tamen hæc secunda ratio non probat corpus Christi vbique posse esse per se, sed per accidens. Prima vero probat per se vbique esse: quod ei non conuenit, sed conuenit ei posse esse in pluribus locis.

AD ALIVD dicendum, quòd in veritate quic

quicquid terminans intra, tangit locantis corporis terminatos extra, illud mensuratur quantitate interiori & exteriori:& si non habeat aliam comparationem ad locum,quam illam qua quantitate interiori conuertitur, sic quantitate exteriori non potest esse in diuersis locis simul, sed successiue tantum: & hoc ideo, quia dimensiones locantis quæ hic sunt, non possunt esse simul & semel alibi. Sed in corpore Christi non est ita, eo quod diuersis modis se habeat ad locum, vt præhabitum est:& ideo potest esse in diuersis locis.

Ad aliud dicendum, quòd ad hoc quod corpus Christi possit esse cibus nos ad se conuertens, oportet quòd sit diuinitati vnitum: & cum gratia illius conueniat ei esse in pluribus locis vbi sunt membra cibanda vel cibata,dixerunt quidam, quòd inquantum diuinum est corpus habet quod possit esse in locis pluribus:& bene concedo,quòd bene habet hoc:non inquantum est glorioſum,sed potius inquantum est cibus.

Hieron. in Epist. adEphesios. *Caro spiritualis atque diuina.* De cons. dist.2. c. Dupliciter.

Ad aliud quod contra hoc obiicitur, dicendum videtur, quòd licet diuinitas vnita non tollit quantitatem: tamen ab ipsa vnione confertur ei potentia quam non habuit, scilicet potentia cibandi spiritualiter:& per consequens confertur ei, quòd possit esse vbi cibanda membra sunt in diuersis locis: & ideo non est simile de quanto motu, cui non confertur noua potentia vltra diuisibilitatem quantitatis: quia necesse est in loco motus sui primum pertransire minus se aut æquale, quam pertranseat maius se, vt probatur in 9. Physicorum ante finem.

Ad aliud dicendum, quòd est necessitas magna:quia licet Christus absens possit dare gratiam: tamen gratia illa non haberet omnimodum complementum:eo quod ipsa non est ipse, & totum quod ipse est ipsa gratia:& ideo vt operetur in nobis se toto, necesse est se totum nobis dare in sacramento.

Ad aliud dicendum, quòd adhuc saluatur causa institutionis in sacramento, scilicet humilitas ratione specierum panis & vini post conuersionem, & ratione substantiæ panis & vini ante conuersionem:& ideo hoc non impedit.

ARTICVLVS II.

An verum sit quod dicit Magister, Non hoc corpus quod videtis, comesturi estis.

Deinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Non hoc corpus quodvidetis,comesturi estis,&c.] Hoc enim expresse falsum est: quia idem corpus comederunt & eundem sanguinem biberunt. Si forte tu dicas,quòd Magister videtur in litera soluere, vt non hoc corpus, &c. id est, non sub eadem specie qua crucifigetur, comedetis. Contra: Secundum hoc etiam in forma Eucharistiæ, cum dicitur, Hoc est corpus meum, possemus dicere, Non hoc est corpus meum: quia non est ibi sub specie corporis,sed sub specie panis.

2 Item, Pronomen significat substantiam & demonstrat eam: ergo cum substantialiter sint idem corpus, videtur, quòd non debeat dicere, Non hoc est corpus quod videtis, &c. sed potius sic, Hoc quidem corpus, sed non sub tali specie ministratum.

3 Præterea, Quid est hoc quod dicit, Caro non prodest quicquam?Si enim caro non prodest quicquam, tunc nihil quod fit in respectu sacramenti, prodest quicquam. Probatio. Virtute sacramenti nihil conuertitur ibi in spiritum increatum vel creatum:ergo de spiritu nihil est ibi virtute sacramenti, sed tantum caro & corpus: ergo si illa non prodest quicquam, videtur quod sacramentum non prosit quicquam.

4 Item per hoc quod dixit, Intellexistis spiritualiter, spiritus & vita sunt:videtur minime:quia Dominus instruxit discipulos,quod secundum intellectum spiritualem intelligant de mysterio sacramenti;& hoc est contra veritatem, quia Christus nobis corporaliter & essentialiter datur in sacramento, & non spiritualiter tantum.

5 Item, Modus spiritualis manducationis est sine præsentia sacramenti:ergo intelligendo spiritualiter, si referatur ad modum manducandi, de quo instruit ibi Dominus Apostolos, videtur quòd non intelligatur quicquam de ritu sacramenti, quod falsum est:& ideo nulla vel imperfecta videtur esse expositio Augustini.

Solvtio. Solvtio. Dicendum ad hoc quod August. optime exponit in litera:& quia hæretici non intellexerunt expositionem,ideo fomitem erroris in verbis illis acceperunt.

Dicendvm ergo ad primum,quòd comedere dicitur duobus modis:primo modo carnaliter secundum quod ponit virtutem fortiorem in comedente conuertente ad se cibum:& in tali comestione cibus diuiditur & patitur, & à se ad cibatum conuertitur: & istum intellectum acceperunt discipuli qui abierunt retro:& facti sunt hæretici & hæresiarchæ aliorum hæreticorum qui adhuc sunt, per doctrinam, vel per imitationem: & sic intelligit August.Non hoc corpus quod videtis, comesturi estis:& sic demonstratiuum pronomen demonstrat substantiam. Alio modo dicitur comedere, ita quòd sit cibus spiritualis spiritualiter reficiens, & cuius virtute cibatus conuertitur ad cibum spiritualiter per vnionem, & non corporaliter per idemtitatem: & hoc modo intelligit Dionysius & Augustinus: & hoc vocat spiritum & vitam: & Augustinus vocat spiritualem intellectum,id est, intellectum cibi spiritualis spiritualiter reficientis. Vnde Magister in litera sequentis capituli minus dicit: quoniam virtute verborum contineatur,relinquens legentibus materiam inquisitionis. Per hoc ergo patet solutio ad hoc quod obiicitur de forma, cum dicitur,Hoc est corpus meum.

Ad aliud dicendum, quòd pronomen substantiam significat:sed cum dicit August.quòd non hoc corpus quod videtis, &c. non intelligit ipse, quòd non essent manducaturi idem numero: sed potius, quòd illud idem numero non essent manducaturi secundum intellectum corporalis manducationis, sicut ipsi intellexerunt: sed quod idem numero comesturi essent sacramentaliter.

Ad aliud dicendum, quòd totum ad eundem intellectum refertur: quia si caro Saluatoris ad nos conuerteretur(sicut ipsi credebant)& diuideretur dentibus, non prodesset nobis quicquam: quia sic non vniret nos meliori quam nos sumus: sed potius ipsa deficeret in nobis, & periret: &ideo dicit Augustinus exponendo, & bene, quòd intellectus carnalis non prodest

deſt quicquam, ſed etiam nocet plurimum.

AD ALIVD dicendum, quòd illud quod dicit Auguſtinus, Intellexiſtis ſpiritualiter, ſpiritus & vita ſunt: non excludit ſacramentalem comeſtionem, ſed potius ſupponit eam: ſed excludit in comeſtione ſacramentali carnalis comeſtionis intellectum, vt iam dictum eſt. Et per hoc etiam patet ſolutio ad vltimum.

Determinatio præmiſſorum.

QVÆ ex eadem ratione omnia accipienda ſunt: non enim verbis his negatur verum corpus Chriſti à fidelibus ſumi, vel in altari eſſe: ſed his veritas Apoſtolos, & in eis nos inſtruxit; quòd ipſius corpus non per partes diſcerptum, vt putauerunt illi diſcipuli qui retro ierunt, ſed integrum: nec viſibiliter in forma humana, ſed inuiſibiliter ſub forma panis & vini corpus & ſanguinem nobis traderet. Quem ſenſum Auguſt. confirmat, dicens, Ipſum quidem, & non ipſum corpus quod videbatur, manducatur: ipſum quidem inuiſibiliter, non ipſum viſibiliter. Item. Etſi neceſſe eſt illud viſibiliter celebrari, neceſſe eſt tamen inuiſibiliter intelligi. Ita etiam intellligendum eſt corpus Chriſti eſſe in vno loco, ſcilicet viſibiliter in forma humana: veritas tamen eius, id eſt, diuinitas vbique eſt: veritas etiam eius, id eſt, verum corpus in omni altari eſt vbicunque celebratur. Sic etiam illud intelligendum eſt, Pauperes ſemper habetis vobiſcum, me autem non ſemper habebitis, ſecundum corporalem præſentiam ſcilicet qua cum eis conuerſabatur. Similiter per id quod homo eſt, in cælo eſt, ſcilicet viſibiliter: inuiſibiliter autem eſt in altari, quia non in forma humana apparet, ſed forma panis & vini operitur. Vnde & inuiſibilis caro eius dicitur, quæ vere eſt in altari: ſed quia in ſpecie ſua non apparet, inuiſibilis dicitur. Ait enim Auguſtinus, Hoc eſt quod dicimus, quod modis omnibus approbare contendimus, ſacrificium Eccleſiæ duobus confici, duobus conſtare: viſibili elementorum ſpecie, & inuiſibili Domini noſtri Ieſu Chriſti carne & ſanguine: ſacramento, & re ſacramenti, id eſt, corpore Chriſti: ſicut & Chriſti perſona conſtat & conficitur ex Deo & homine, cum Chriſtus ſit verus Deus & homo: quia omnis res illarum rerum naturam & veritatem in ſe continet, ex quibus conficitur. Conficitur autem ſacrificium Eccleſiæ duobus: ſacramento, & re ſacramenti, id eſt, corpore Chriſti. Eſt ergo ſacramentum, & res ſacramenti, idem corpus Chriſti. Ecce inuiſibilem dixit carnem Chriſti, quia forma panis operta ſumitur & tractatur. Idemque corpus Chriſti dixit eſſe ſacramentum & rem: ex quo confirmatur quod ſupra diximus. Deinde addit quod magis mouet lectorem, Caro, inquit, eius eſt, quam ſub forma panis opertam, in ſacramento accipimus: & ſanguis eius, quem ſub vini ſpecie ac ſapore potamus. Caro videlicet carnis, & ſanguis ſacramentum eſt ſanguinis: carne & ſanguine, vtroque inuiſibili, intelligibili, & ſpirituali ſignificatur corpus Chriſti viſibile & palpabile, plenum gratia & diuina maieſtate.

B

Ioan. 6.

In ep. ad Hirenæum. De conſ. diſt. 2. c. Non hoc.

Mat. 26.

In lib. ſententiarum Proſperi. De conſ. diſt. 2. c. Hoc eſt.

ARTCVLVS III.

An hoc verum sit quod dicit Magister, Ipsum quidem, & non ipsum corpus quod videbatur, manducatur?

DEinde quæritur de hoc quod dicit in sequenti capitulo [Ipsum quidem, & non ipsum corpus quod videtur, manducatur, &c.] Sedum enim hanc literam duo contradictoria videntur poni circa idem, cum ly ipsum in singulari demonstrat corpus, scilicet quod manducabatur, & non manducabatur: hoc autem videtur inconueniens: quia contradictio est oppositio cuius non est medium secundum se: & necesse secundum alteram esse falsam, & alteram veram. Si dicas, quòd non sunt contradictoriæ: quia respectu diuersarum formarum non est inconueniens idem numero corpus manducari & non manducari: videtur, quod hoc nihil sit: quia quædam formæ & actus & passiones conueniunt absolute secundum substantiam rei cuius sunt: quædam autem sunt relatiuæ. Verbi gratia, albedo est forma absoluta, & inest albo, siue comparetur ad aliud, siue non: similitudo autem est forma respectiua: ergo non inest nisi secundum comparationem ad aliud: & in his quæ conueniunt absolute, semper insistunt, & respectu omnium insunt: de sic autem conuenientibus est comestio corporis: ergo si corporis est vt sit comestum vel comedatur, conuenit ei & in forma panis & in forma humana, vt comedatur, & nunquam conuenit ei non comedi.

2 Item, Philosophus in 1. de generatione & corruptione, capitulo de augmento, vult quòd nihil nutrit nisi secundum id quod est substantia, & auget secundum id quod est substantia quanta: si ergo corpus Christi verissime nutrit & verius quam cibus carnalis, ipsum per substantiam comeditur: quod autem secundum substantiam comeditur, simpliciter comeditur: ergo de ipso non contingit vere dici, quòd vno modo comeditur, & alio non: & sic iterum nihil est quod dicitur in litera.

3 Item, Gustus secundum quod est sensus alimenti etiam quidam tactus est, vt dicit Philosophus: ergo non accipit speciem nisi cum tactu substantiæ quæ disponitur specie illa: ergo nihil est dictum, quòd secundum vnam formam comedatur aliquid, & secundum aliam non: quia nihil comeditur nisi secundum suam substantiam.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd in veritate August. accipit hic comestionem pro comestione sacramentali, in qua sunt duo, scilicet diuisio specierum per masticationem & fractionem, & incorporatio cibantis quæ fit in cibo, scilicet capiti Christo. Et vult Aug. quòd coniunctim vtrumque simul non potest referri ad corpus quod videbatur à discipulis in propria forma: & sic verificatur quod dicit, non ipsum visibiliter: sed vtrumque verificatur in eo in quo est inuisibiliter, scilicet in quo non videtur in forma propria: quia ibi fractio & diuisio referuntur ad speciem panis, & incorporatio ad virtutem corporis: & hoc est quod dicit ipsum manducare inuisibiliter.

AD ID ergo quod contra obiicitur, dicendum quòd licet comedere cadat super corpus Christi absolute acceptum: tamen secundum quod plura importat ly comedere, quæ non conueniunt corpori gratia vnius quod est in ipso, sed gratia diuersorum: sicut diuisio & fractio ex parte vna, & vnio siue incorporatio ex parte alia: sic bene potest ei attribui comedi secundum vnum modum, & non comedi secundum alium modum: quia non tota ratio comestionis sacramentalis est in corpore secundum substantiam corporis: sed quiddam quod est de ratione comestionis, est citra species panis & vini: ideo non contradicunt: sed si vtrumque respiceret corporis substantiam absolute, tunc videretur concedendum, quòd omnibus modis comederetur.

AD ALIVD dicendum, quòd corpus quidem nutrit nos secundum substantiam, & non secundum accidentia: secundum substantiam dico vnitam diuinitati: sed illud nutrimentum est secundum alterum tantum quod est in ratione comestionis, & non secundum id quod est masticatio & diuisio & fractio quædam cibi: & secundum hoc bene conceditur, quòd corpus Christi existens in forma humana nutrit, licet non sic exhibeatur in sacramento, quòd actus masticationis sit super speciem humanam.

AD ALIVD dicendum, quòd non est ita in hoc sacramento: quia accidentia habent hic virtutem quandam substantiæ in hoc quod sunt sine subiecto, & nutriunt corpora, & corrumpuntur, & conuertuntur: & de hoc infra erit quæstio: & ideo cum hic sit alimentum in solum accidentibus, non spirituale, sed corporale, sufficit gustui tactus accidentium tantum.

ARTICVLVS IV.

An sacramentum Eucharistiæ bene dicatur componi ex visibili elementorum specie, & carne Christi?

DEinde quæritur de hoc quod dicitur *ibi* [Hoc est quod dicimus, quod modis omnibus approbare contendimus, &c.] Videtur, quòd nulla sit hæc confectio siue compositio quam Magister tangit in litera, scilicet quòd sacramentum componatur ex visibili elementorum specie & Domini nostri Iesu Christi carne, sacramento videlicet, & re sacramenti: res enim sacramenti est effectus sacramenti: sed ex causa & effectu nunquam fit aliquid, præcipue ex causa efficiente & suo effectu: sed semper secundum essentiam differunt: ergo non fit vnum sacramentum ex visibili elementorum specie, & Domini nostri Iesu Christi carne.

2 Item, Vnum est in ratione signi, & alterum in ratione signati: ergo differunt, & opponuntur relatiue: ex correlatiuis autem & oppositis non fit vnum: ergo non conficitur aliquid vnum ex his duobus: ergo nec sacramentum vnum: & sic iterum nihil est quod dicit Augustinus in litera.

3 Item, Illa quæ enuntiant sacramentum vt partes essentiales, sunt vt forma & materia, sicut supra in omnibus aliis sacramentis ostensum est: sed visibilis elementorum species & Domini nostri

ſtri Ieſu Chriſti caro, non ſe habent adinuicem vt forma & materia: ergo non conſtituunt ſacramentum: ergo nihil videtur dicere Auguſt.

Solio. SOLVTIO. Ad hoc videtur dicendum, quòd non intendit hic Auguſt. determinare partes eſſentiales ſacramenti quod tantum eſt ſacramentum: ſed potius dicere ea quæ exiguntur ad veritatem & ſacramenti perfectionem, ſecundum quod eſt effectiuum veritatis corporis Chriſti myſtici quod eſt Eccleſia: ſpecies autem viſibiles operantur illam per modum ſignandi, vt dicit Magiſter in ſequenti diſtinctione: quia ſicut vnus panis fit ex multis granis depuratis, & vinum confluit ex multis vuis: ſic congregatur Eccleſia ex multis fidelibus catholice depuratis. Corpus autem Chriſti verum efficit illam per modum cauſæ talis, qualis cauſa eſt ſacramentum. Hoc modo ſacramentum vt eſt cauſa & ſignum gratiæ, conficitur ex his duobus, vt ab vno habeat rationem ſignificandi, ab altero autem rationem cauſandi.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd licet vnum ſit cauſa alterius hoc modo quo ſacramentum eſt cauſa: nihil tamen prohibet quin ambo habeant ordinem aliquem ad tertium, & in illo ordine vniantur: ſicut etiam eſt in baptiſmo vbi character cauſatur à tinctione exteriori, & cum tinctione exteriori eſt ſacramentum gratiæ interius tingentis & mundantis.

AD ALIVD dicendum, quòd illo modo quo opponuntur, non vniuntur: ſed potius illo modo quo ordinantur ad tertium, vt dictum eſt: & eſt exemplum in patre & filio qui opponuntur relatiue in diuinis & humanis: tamen poſſunt eſſe vniti reſpectu tertij quod aliquo modo eſt ab ambobus.

AD ALIVD dicendum, quòd non conficitur ſacramentum his duobus vt partibus eſſentialibus, quæ ſunt forma & materia: ſed potius modo prædicto.

ARTICVLVS V.

An caro ſit ſacramentum carnis, & ſanguis ſacramentum ſanguinis?

DEinde quæritur de hoc quod dicit Auguſtinus *ibi* [Caro videlicet carnis, & ſanguis ſacramentum eſt, &c.] Secundum enim quod dicitur in litera, videtur idem eſſe ſacramentum ſuiipſius. Quod autem hoc ſit magnum inconueniens, patet ex hoc ſi ita dicatur, quia caro carnis, & ſanguis ſanguinis: cum enim ſacramentum ſit ſignum & cauſa, erit idem ſignum & cauſa ſuiipſius. Quod autem hoc ſit magnum inconueniens, patet ex hoc ſi iſta diuidantur. Cum enim omne ſignum in eo quod ſignum, notius ſit ſignato. Si idem eſt ſignum ſuiipſius, idem erit notius ſeipſo, & minus notum ſeipſo, quod eſt impoſſibile.

2 Item, Cum cauſa ſit ante cauſatum, ſi idem cauſa ſuiipſius eſt, idem erit prius & poſterius ſeipſo: quod eſt impoſſibile. Si autem tu dicas, vt Magiſter in litera videtur dicere & ſoluere per metonymiam, quòd continens ponatur pro contento in vno iſtorum ſermonum, & ſignatum pro ſigno, vt ſit ſenſus: caro eſt ſacramentum carnis, id eſt, panis ſpecies, quæ dicitur caro, eo quod continet & ſignat carnem, eſt ſacramentum carnis vel corporis Chriſti: & eodem modo de ſanguine. Si inquam ſic dicas, non videtur poſſe ſtare quod dicitur, ſcilicet quòd vtroque, ſcilicet ſanguine & carne inuiſibili, & intelligibili, & ſpirituali ſignificatur corpus Chriſti viſibile, paſſibile, plenum gratia & diuina maieſtate: caro enim ſignans, quæ ſecundum iſtam expoſitionem eſt ſpecies panis continens carnem, non eſt inuiſibilis, & intelligibilis, & ſpiritualis: ſed potius viſibilis, & ſenſibilis, & corporalis, cum habeat omnia accidentia corporis, licet non habeat corporis prioris ſubſtantiam.

Si forte iterum ad hoc reſpondeatur, vt dicit Magiſter in litera, quòd ſpecies panis quæ corpus Chriſti continet, non ſimpliciter dicitur inuiſibilis: ſed quia caro Chriſti in ea non videtur in propria ſpecie, ſed intelligitur in ea ſicut ſignatum in ſigno, & ſpiritualiter, id eſt, in ratione cibi ſpiritualis tegitur in eo. Si, inquam, ſic dicas, videtur adhuc nihil eſſe quod dicit: quia dicitur in litera, quòd per illud ſignatur corpus viſibile, & palpabile, vt videtur dici ab omnibus.

Ad hoc iterum obiicit Magiſter in litera, quòd debet dici viſibile, & palpabile: non hic, ſed potius vbi in ſua forma apparet, ſcilicet in cælo.

Sed hoc nihil videtur eſſe: quia dicit Gregor. quòd omne viſibile & palpabile, corporale eſt: corpus autem Chriſti non eſt corporale: ergo nec vbiſibile eſt, nec palpabile.

Solutio. AD HOC dicendum videtur, quòd Magiſter bene exponit, licet difficilis ſit expoſitio: ſed hæc diſputando eſt declarata. Et ad vltimum tantum reſtat ſoluere, quòd viſibile & palpabile dicatur duobus modis, ſcilicet ſecundum poteſtatem ſentientis, & ſecundum poteſtatem ſenſibilis: ſicut innuit Ariſtot. in 2. de anima, vbi dicit excellentia eſſe inſenſibilia: ſicut lux in rota ſolis dicitur viſibilis ſecundum poteſtatem ſui, ſed non ſentientis. Et quod dicit Gregor. Omne quod eſt ſenſibile, eſt corporale, intelligitur de ſenſibili ſecundum poteſtatem ſentientis: quia ille ſenſus eſt per organum, quod habet armoniam proportionatam ad hoc ſenſibile vel illud: & talia ſenſibilia ſunt compoſita & corporalia. Quæ autem ſunt ſenſibilia in ſe, non oportet eſſe corporalia: vnde puto bene corpora glorioſa eſſe ſenſibilia de ſe: ſed quod non immutant ſenſum noſtrum, hoc eſt ex imperfectione ſenſuum corporalium, qui non poſſunt apprehendere lumen tantæ ſubtilitatis: de hoc tamen plenius erit ſermo in tractatu de reſurrectione.

ADHVC autem videtur falſum eſſe quod dictum eſt, quòd omne ſenſibile ſecundum poteſtatem noſtri ſenſus, corporale eſt: & ſecundum quoſdam eſt inſtantia de luce, ſecundum omnes autem de ſtellis quas videmus. Ad hoc tamen puto eſſe dicendum, quòd intelligitur de ſenſibili quod eſt tantum obiectum ſenſus, & non actus & complementum obiecti ſecundum quod agit in ſenſum viſus: ſicut eſt color in ſenſu viſus, cuius actus eſt lumen & lux: in aliis autem ſenſibus non eſt inſtantia: ſtellæ autem videntur ſub eo quod eſt actus lucidi & diaphani: & ideo non oportet vt ſint corporales.

Qua

Quæ ſit intelligentia præmiſſorum.

CATTENDE his diligenter, quia tropo quodam vtitur hic Auguſt. quo ſolent res ſignificantes, rerum ſortiri vocabula quas ſignificant. Hic enim viſibilis ſpecies panis vocatur nomine carnis, & viſibilis ſpecies panis vocatur nomine carnis, & viſibilis ſpecies vini nomine ſanguinis. Inuiſibilis vero & intelligibilis dicitur caro Chriſti: quia ſecundum illam ſpeciem non videtur caro, ſed intelligitur: ita & ſanguis. Caro ergo inuiſibilis dicitur eſſe ſacramentum carnis viſibilis: quia ſpecies panis, ſecundum quam illa non videtur caro, eſt ſacramentum carnis viſibilis, quia in carne inuiſibili, id eſt, ſpecie ſecundum quam caro Chriſti non videtur, caro ſignificatur corpus Chriſti, quod eſt viſibile & palpabile vbi in ſua forma apparet. Ita & de ſanguine accipi debet. Quem ſenſum confirmat Auguſt. aperiens qualiter prædicta intelligenda ſint, quia obſcure dixerat, conſequenter dicens ita panem vocari corpus Chriſti, cum vere ſit ſacramentum corporis Chriſti quod in cruce poſitum eſt: ſicut ipſa immolatio quæ fit manibus ſacerdotis, vocatur Chriſti Paſſio, non rei veritate, ſed ſignificandi myſterio: & ſicut ſacramentum fidei dicitur fides. Satis reſponſum eſt hæreticis, & obiectionibus eorum qui negant verum corpus Chriſti in altari eſſe, & panem in corpus, vel vinum in ſanguinem, myſtica conſecratione conuerti, dicentes, Quis audeat manducare Dominum ſuum? Quis etiam audeat dicere, quotidie formari corpus Chriſti de materia vel ſubſtantia, quæ non fuit caro Virginis?

De cõſe. diſt. 2. Hoc eſt quod dicimus. parag. Sicut ergo.

ARTICVLVS VI.

An communicantes ſumant Dominum ſuum, & an corpus Chriſti quotidie formetur?

DEinde quæritur de rationibus hæreticorum quas proponit Magiſter in fine ſequentis capituli: & primo de illa quam ponit [Quis audet manducare Dominum ſuum, &c.] Videtur enim bene moueri: aut enim illa manducatio eſt per conuerſionem corporis Chriſti ad nos, vel per conuerſionem noſtri ad corpus Chriſti. Si primo modo: tunc Chriſtus atteritur dentibus, & digeritur, & aſſimilatur nobis, & vnitur membris, vt alius cibus: quod eſt valde inconueniens: quia ſic nihil prodeſſet nobis, ſicut nec nos nobis prodeſſe poſſumus. Si autem eſt ſecundo modo: tunc oportet, quòd nos ei vniamur: quicquid autem vnitur alteri, neceſſe eſt quod remoueatur à ſpecie & à ſubſtantia propria: ſi ergo nos vnimur Chriſto, neceſſe eſt quòd nos recedamus à ſpecie naturali & ſubſtantia naturali, qua nos ſumus: hoc autem eſt falſum: ergo nec Chriſtum manducamus, vt videtur.

2 Item, Id quod conuertit ad ſe alterum eſt manducans: & id quod eſt conuerſum, eſt manducatum: ſed corpus Chriſti nos ad ſe conuertit: & non è conuerſo: ergo videtur, quòd corpus Chriſti magis manducat nos, quam è conuerſo nos ipſum: hoc autem nullus audet dicere: ergo procedere ratio videtur.

3 Item, Si Chriſtus vere eſſet in altari, quis auderet niſi præſumptuoſus & temerarius accedere: cum Moyſi Exod. 3. & Ioſue 5. dixerit, Ne appropinques huc, ſed ſolue calceamentum de pedibus tuis: locus enim in quo ſtas, terra ſancta eſt. Ergo multo magis ſi corpus Chriſti eſſet in altari, non eſſet appropinquantum ad ipſum, ſed procul recedendum. Item, Luc. 15. laudatur Publicanus, quia nolebat oculos leuare: multo magis laudaretur, ſi nollet corpus Chriſti attingere: & adhuc plus, ſi nollet comedere: ergo etiam quilibet alius laudandus eſt, qui comedere non præſumat Dominum ſuum: cum igitur omnibus Chriſti fidelibus præcipiatur, vt præparati accipiant corpus Chriſti, videtur non eſſe in altari niſi ſicut ſignatum in ſigno.

VLTERIVS quæritur de ſecunda ratione quam inducit, Quis etiam audeat dicere quotidie, &c. Videtur enim iſta ratio habere efficaciam, propter multa inconuenientia quæ videntur ſequi ſi detur oppoſitum: aut enim panis conuertitur in corpus Chriſti, aut non. Si ſic: tunc videtur procedere ratio, ſcilicet quòd de aliqua materia

Quæſtiũcula.

teria formatur corpus Christi, de qua ante non erat: aut ergo in toto, aut in parte. Si in toto: ergo generatur: ergo quotidie de nouo generatur, quod falsum est. Si in parte: tunc videtur necesse, quòd aliqua pars in eo restauratur, vel quòd plures habeat partes quam aliud corpus: quorum vtrumque est hæresis. Si autem dicas, quòd non conuertitur in corpus Christi materia panis: hoc primo est contra ea quæ dicuntur in litera. Secundo autem, quòd cum non conuertatur in aliud aliquid, vel non maneat in propria essentia, videtur necesse esse quod annihiletur.

Et si hoc datur, hoc quidem in litera improbatur infra in sequenti distinctione. Secundo etiam quia aliquid de materia vniuersali cedit in non ens: & sic iam diuturna frequentatione multũ esset diminuta materia: quod est inconueniens: quia oporteret, quod omnia contraherentur in locum minorem quam fuerunt propter annihilationem partium materiæ, quarum locum oporteret repleri, quia vacuum esse non potest.

2 Præterea, Inconueniẽs est ponere, quod Deus in sacramentis omnis pietatis & gratiæ aliquid annihilet: cum ipse nunquam sit causa destructionis, sed creationis & gubernationis & perfectionis omnis rei: ergo videtur, quòd conuenientissimum sit quod dicit hæc hæresis, scilicet quod non sit in altari nisi sicut signatum in signo. Infra autem vbi disputabitur de tribus opinionibus in sequenti distinctione, ponentur rationes contra annihilationem substantiæ panis: sed hoc modo soluuntur istæ: quia opinio in litera & supra satis improbata est.

VIDETVR igitur dicendum ad primum, quòd argumentatio hæretici nihil habet virtutis: eo quod aliter est in cibo spirituali, & aliter in corporali: spiritualis enim cibus sumitur vt nos ei incorporemur: & huius ratio supra assignata est in distinctione præcedenti: quia spirituale immutabile est, & ad aliud conuerti non potest: sed nos ad ipsum per vitæ conformitatem possumus conuerti: nec sequitur propter hoc, quòd ipse magis comedit nos, quã nos eum: quia hoc infertur ac si sit comestio corporalis, quod non est verum, sed potius est comestio spiritualis in sacramento. Ad aliud dicendum, quòd non recedimus à specie naturali, propter hoc quod spiritualia quæ sunt gratiæ non destruunt naturam in aliquo, sed potius perficiunt: vnde ambo illa sophismata procedunt ac si esset comestio corporalis & transmutatio in substantia corporali: & hoc non est verum.

AD ALIVD dicendum, quòd si condignitas accipiendi quæritur, nemo est dignus: nec aliquis adeo præsumptuosus est, quòd confidentia proprię virtutis accedat: sed licet non simus digni, tamen necessitatem accipiendi habemus, & confidentiam ex benignitate Dei, cum dixit, Accipite & comedite ex hoc omnes.

AD ID autem quod obiicitur de Moyse & Publicano, dicendum quòd humilitas illorum commendatur in recognitione humilitatis propriæ: sed fatuitas eorum reprobaretur, si adeo fuissent fatui, quòd non accessissent vocante eos Domino, præcipue cum sine ipso non sit salus: & ignorantia huius distinctionis quæ est inter dignitatem propriam, & necessitatem nostræ salutis ex accessu ad Christum, facit hæreticos errare.

AD ID quod obiicitur pro secunda ratione hæreticorum, grauius est soluere: tamen videtur vt ad primum, quòd argumentum non valet: quia non ponimus, quòd corpus Christi formetur de pane vt de maaeria: sed potius est transsubstantiatio totius in totum corpus, præter hoc quod corpus Christi aliquid nouum in se suscipiat. *Ad quæstiunculam.*

AD HOC quod obiicitur de annihilatione, dicendum quòd licet quidam antiquorum hoc concesserint: non tamen approbatum est hoc à celebriori opinione modernorum: non enim annihilatur quod in aliud præexistens conuertitur, sicut tota substantia panis conuertitur in corpus Christi, vt infra habet ostendi.

SED QVIA quidam licet pauci dicunt, quod annihilatur, quod tamen ego non puto esse verum: si aliquis vult sustinere opinionem illorum, potest respondere ad primum argumentum contra hoc factum, quòd non ex hoc sequitur cælum vel mundum restringi, si aliquid in nihilum redit de materia: quia materia (vt dicunt quidam) de se multiplex est, & in multiplicatione sui in se restituit semper seipsam in opere propagationis.

AD ALIVD dicendum, quòd Deus non est causa destructionis propter solam destructionem: quia illa esset operatio stulti, vel maligni: maligni enim est semper destruere id quod est vtile, stulti autem est destruere opus suum: sed nihil prohibet, quòd aliquid destruatur, vt aliud melius construatur: & sic est hic vbi substantia panis propter hoc destruitur, ne inhæreat ibi hominis opinio, sed transeat ab accidentibus in veram substantiam cibi spiritualis: & hoc non est pietati contrarium. Hæc autem responsio est non secundum me, sed secundum alios: quia ego non puto, quòd annihiletur aliquid de hoc, & infra ponam rationes.

Auctoritatibus probat verum corpus Christi esse in altari, & in id panem conuerti.

HÆC & his similia obiiciunt illi, in diuino mysterio legem naturæ sectantes: quorum perfidiam subdita conuincunt testimonia. Ait enim veritas, Accipite: Hoc est corpus meum. Item Ambrosius, Si tantum valuit sermo Eliæ vt ignem de cælo deponeret, non valebit tantum sermo Christi, vt substantias mutet? De totius mundi operibus legitur, quia ipse dixit, & facta sunt, &c. Sermo D Mat. 26. Lib. de his qui mysteriis initiantur. cap. 9 Genes. 1.

mo igitur, id est, Filius, qui potuit ex nihilo facere quod non erat, non potest ea quæ sunt, in id mutare quod non erant? Non enim
Ibidem. minus est creare, quam mutare nouas naturas rerum. Item, Si ordinem quærimus viro mixta fœmina generare consueuerat: liquet ergo, quòd præter naturæ ordinem virgo generauit: & hoc quod conficimus corpus ex Virgine est. Quid ergo hic quæris naturæ ordinem in
Ibidem. Christi corpore, cum præter naturam sit ipse partus ex Virgine? Item, Ante benedictionem alia species nominatur, post consecrationem corpus significatur: ante consecrationem aliud dicitur, post consecrationem sanguis nuncupatur. Tu dicis, Amen, id est, verum est. Quod sermo
In lib. sententiarum Prosperi. sonat, affectus sentiat. Item Augustus. In specie panis & vini quam videmus, res inuisibiles, id est, carnem & sanguinem, honoramus: nec similiter pendimus has duas species, sicut ante consecrationem pendebamus, cum fideliter fateamur ante consecrationem panem esse & vinum, quod natura formauit: post consecrationem vero carnem
In lib. 4. de sacramentis. cap. 4. Christi & sanguinem, quod benedictio consecrauit. Item Ambros. Panis est in altari vsitatus, ante verba sacra, vbi accessit consecratio, de pane fit Christi caro. Quomodo autem potest quod panis est, esse corpus Christi? Consecratione, quæ fit sermone Christi. Item, Si tanta vis est in sermone Domini, vt incipiant esse quæ non erant: quanto magis operatorius est, vt sint quæ erant, & in aliud commutentur? Et sic quod erat panis ante consecrationem, iam corpus Christi est post consecrationem: quia sermo Christi creaturam mutat: & sic ex pane fit corpus Christi, & vinum cum aqua in calicem mis-
In serm. quodam de verbis Euang. sum fit sanguis consecratione verbi cælestis. Item August. Sicut per Spiritum sanctum vera Christi caro sine coitu creatur: ita per eundem ex substantia panis & vini idem corpus Christi & sanguis consecratur. Corpus Christi & veritas est, & figura. Veritas, dum corpus Christi & sanguis virtute Spiritus sancti ex panis vinique substantia efficitur.
De cons. dist. 2. c. Quia corpus. Figura vero est id quod exterius sentitur. Item Eusebius Emisenus, Inuisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantiam corporis & sanguinis sui, verbo suo, secreta potestate commutat. Ex his aliisque pluribus constat verum corpus Christi & sanguinem in altari esse, imo integrum Christum ibi sub vtraque specie: & substantiam panis in corpus, vinique substantiam in sanguinem conuerti.

ARTICVLVS VII.

An virtus verborum consecrationis sit virtus creata, vel increata? Et quando datur illa virtus, vtrũ in principio, medio, vel fine verborum?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Si tantum valuit sermo Eliæ vt ignem de cælo &c.] Hic est quæstio difficillima de ista virtute verborum, quando infundatur verbis hæc virtus? & antequam hoc perfecte possit sciri, oportet quærere, Vtrum illa virtus sit creata, vel increata? Videtur enim quòd creata: virtus enim increata sine medio operatur; hæc autem virtus multiplex habet medium, quia sacerdotis prolationem, & substantiam panis & vini, & multa alia quæ in altari proponuntur: ergo videtur, quòd ipsa sit creata.

2 Item, Virtus creati est creata: oratio prolata à sacerdote omnino creata est: ergo virtus eius est creata: sed nullius nisi orationis virtus operatur in sacramento: ergo virtus creata est quæ operatur in sacramento.

3 Item, Forma est quæ operatur in omnibus, quia omnis actio & omnis operatio est à forma: sed forma cuiuslibet sacramenti est creata: ergo forma istius. Constat autem, quòd virtus agendi in omnibus sequitur essentiam & substantiam rei: ergo virtus istius formæ sequitur essentiam huius formæ: ergo ipsa est creata, sicut & forma.

Sed contra. SED CONTRA hoc videtur esse multiplex ratio, scilicet quia minor est distantia carnis gloriosæ Virginis à carne Saluatoris: & tamen caro Virginis in carnem Saluatoris conuerti non potuit, nisi virtute increata: ergo nec substantia panis in carnem Saluatoris conuertitur, nisi virtute increata, vt videtur.

2 Item, Philosophus dicit in 3. de anima, quòd agens in omnibus nobilius est patiente, & faciens facto: sed illa virtus quæcunque est, facit de pane corpus Christi: ergo ipsa nobilior est facto: ergo aliquid creatum nobilius est corpore Christi, quod absurdissimum reputabit fidelis homo.

3 Item, Si illa virtus creata est, aut datur orationi scriptæ, vel prolatæ. Si scriptæ: ergo in confectione Euchatistiæ non oporteret nisi habere librum, nihil dicendo, & sic fieret transsubstantiatio, quod hæreticum est: relinquitur ergo quòd debetur orationi prolatæ: sed nulla virtus radicata in aliqua essentia, extenditur vltra essentiam illam, ita quod sit essentia illa non existente: ergo videtur, quòd quando oratio prolata deficit, quod deficit etiam virtus illa: ergo est paruæ existentiæ & debilis esse, vt videtur: talia autem non possunt in id quod est perpetuum: ergo non potest in conuersionem alicuius in corpus Christi quod perpetuum est & sine fine durans.

Quæstiuncula. VLTERIVS etiam quæratur, scilicet si creata est, quando datur orationi prolatæ? Cum enim oratio illa sit quantitas discreta in qua est ordo partium, ita quod sonus vnius est post aliam, tam in literis quam in syllabis, quam etiam in dictionibus: & non sit aliquid continuans inter ista, eo quod oratio sit quantitas discreta: videtur, quòd successiue infundatur per successionem prolationis elementorum, literarum, & non infundatur simlu.

Si tu diceres (vt quidam dixerunt) quòd datur in termino finali orationis. Contra: Quicquid de oratione dictum est, hoc de oratione amplius sumi non potest, secundum Philosophum: in termino ergo finali aut intelligis vltimam pattem orationis prolatæ, aut terminum ad quem terminatur tota oratio prolata. Si primo modo: tunc residuum orationis ante prolatæ nihil accipit de virtute, cum nihil sit de illa oratione, eo quod dictum sit & amplius sumi non possit: constat autem, quòd non proferebatur nisi propter virtutem: cum ergo nullam habeat secundum hoc, inutiliter profertur in sacramento. Si secundo modo. Contra: In termino ad quem terminatur orationis prolatio, nihil est de oratione illa: quia quod dictum est, amplius sumi non potest: quod autem nihil est, nullam habet virtutem: ergo illa oratio in termino illo nullam accipit virtutem: cum ergo proferatur propter virtutem, incassum profertur.

Si propter hoc dicatur ei virtus successiue infundi. Contra: Aut ergo vnicuique parti orationis prolatæ datur tota, aut cuilibet parti pars sua. Si primo modo: cum igitur natura non abundet in superfluis, nec deficiat in necessariis, & multo magis hoc obseruetur in gratia: videtur, quòd prima parte prolata quæcunque illa sit, incassum proferantur aliæ partes, quod falsum est: non ergo vnicuique parti datur tota virtus. Si autem cuilibet parti datur pars sua: ergo illa virtus operatur successiue supra materiam sacramenti: ergo in prolatione primæ partis orationis aliquid de pane conuertitur in corpus Christi, & aliquid remanet non conuersum quod conuertitur in secunda parte: & hac absurditate nulla maior esse potest.

Si forte dicas, quòd illud argumentum etiam non valet: quia dato, quòd infundatur etiam successiue, prima pars orationis non conuertit, sed disponit, & sic omnes vsque ad vltimam quæ conuertit, sicut fit in generatione naturali, vbi alterationes præcedunt substantialis formæ transmutationem. Si, inquam, dicas sic: hoc absurdissimum est duabus rationibus: quarum vna est, quia ista virtus non est alteratiua panis, sed transsubstantiatiua: & ideo quælibet pars virtutis transsubstantiat. Secunda est: quia in omnibus alteratis substantia alterata aliter se habet in accidentibus quando est iuxta transmutationem, quam quando primo incipit disponi: nos autem videmus, quòd substantia panis in forma & accidentibus, vno modo se habet in principio & in fine orationis. Præterea, Virtus creata quæ successiua est, sicut exigit terminum à quo primo fit transmutatio: ita exigit terminum ad quem, qui primo fuit in potentia in eo quod transmutatur, & postea in actu: hæc autem virtus non habet huiusmodi terminum ad quem, sicut patet cuilibet fideli: ergo non est creata, & successiua.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum videtur mihi, quòd secretum Dei sibi sit committendum: sed tamen quia hæresis importuna est nostro tempore, sine præiudicio conabor respondere de his quæ tantum cum veritate fidei quæ rationem excedit, apponi deberent, eo quod plus virtutis habet verbum Dei quam nos intelligere possumus. Videtur ergo hic melius dicendum, quòd virtus huius orationis sit creata inquantum in ea est virtus increata: sicut supra etiam diximus, quòd in verbo creato operatur verbum increatum: & hoc est quod dicitur in litera per auctoritatem Eusebij in fine capituli inductam, scilicet quod inuisibilis sacerdos visibiles creaturas in substantia corporis & sanguinis sui secreta potestate commutat. Idem etiam inducitur auctoritate Ambrosij ante hæc parum inducta, scilicet quod sicut per Spiritum sanctum vera caro Christi sine coitu creatur in conceptione Christi: ita per eundem ex substantia panis & vini idem corpus Christi consecratur. Efficacia huius virtutis est ex hoc quod coniuncta est virtuti increatæ in ea operanti. Vnde dicimus hoc modo, quod creata est & coniuncta increatæ virtuti in ipsa.

AD ID ergo quod primo obiicitur, dicendum videtur, quòd minor distantia nihil operatur ad hoc quod facilior sit transmutatio: quia eorundem in specie non est transmutatio adinuicem, cum transmutatio non sit de actu in actum, sed potius de potentia in actum. Si autem obiicias quod dicit Philosophus, quòd habentium symbolum facilior sit transmutatio, dicendum quod illud symbolum non est secundum conuenientiam in specie, sed secundum conuenientiam in dispositionibus materiæ: sicut facilius transmutatur in aliquid id quod non habet contrarium nisi secundum contrarietatem vnam, vt aer in ignem, quam quod habet contrarium in contrarietatibus duabus, vt aqua in ignem: vnde id argumentum non concludit.

AD ALIVD dicendum, quòd illa propoſito Philoſophi etiam confirmatur ab Auguſtin. & intelligitur ſic, quod vbi agens ex tota virtute ſua & ſola producit effectum, quod ibi honorabilius eſt faciens quam factum. Sed vt ſupra probatum eſt per auctoritates ſanctorum Euſebij & Ambroſij, in iſta oratione operatur virtus diuina, & illa virtus creata quæ influitur in ipſam à diuina virtute: & ideo non oportet, quòd virtus creata ſit nobilior corpore Chriſti. Vel dicatur ſubtilius, quòd cum duo proponuntur virtuti illi quæ creata eſt, ſcilicet ſubſtantia panis, & corpus Chriſti, quòd operatio Chriſti non extendit ſe niſi ſuper ſubſtantiam panis: quia corpus Chriſti non fit: ſed panis tranſſubſtantiatur in corpus Chriſti, vno modo manens vt fuit ante: & ideo non ſequitur, quòd virtus illa nobilior ſit corpore Chriſti. Prima autem ſolutio licet non ita ſoluat ad propoſitum, ſicut ſecunda, tamen intelligibilior eſt.

AD ALIVD dicendum, quòd hæc virtus non datur orationi ſcriptæ, ſicut bene probatur in obiiciendo: ſed datur orationi prolatæ: ſed hoc non eſt verum, quòd virtus eius deficiat ipſa deficiente: virtus enim orationis radicatur in ſignificatione orationis prolatæ: & ſignificatio non deficit, vt probat Auguſt. de verbo mentis, quod non deficit cum prolatione motus vocis: ſed hæc virtus ſignificata per orationem remanet in effectu. Et tamen etiam argumentum non valet: quia non oportet, quòd ſi aliquid efficitur ab aliquo, quòd efficiens ſit tantæ permanentiæ vt effectus: & eſt inſtantia in cauſis efficientibus, quibus deſtructis, non propter hoc deſtruitur effectus.

Ad quæſtiunculam.

AD ID autem quod vlterius quæritur, magis eſt difficile bene reſpondere: ſine præiudicio tamen dicendum videtur, quòd illa ratio referenda eſt ad ſignatum, & ſignatum ad rem: res autem incomplexa eſt & virtus eius indiuiſibilis & vna: & ideo nihil eſt quærere, Vtrum pars eius poſt partem vel tota ſimul infunditur? Qualiter autem hoc ſit intelligendum, ſic patere poteſt: Cum dicitur, Hoc eſt corpus meum, in hac oratione eſt ſubiectum, & prædicatum, & compoſitio vtriuſque reſoluitur ad ſignatum: ergo erit ſignatum huius orationis hoc demonſtratum corpus Chriſti eſſe. Si vlterius hoc reducatur in eſſe totum, hoc non eſt niſi corpus Chriſti ſine compoſitione & completione: & ex parte illius vna eſt res illius orationis: & inquantum ſic reſpicit vnitatem rei ſine compoſitione & completione,

Solutio.

eſt ſua virtus vna ſine compoſitione & completione. Et ideo non videtur eſſe dicendum, quòd ſyllabatim vel literatim vel ſecundum ordinem prolationis dictionum infundatur: ſed cum dicta eſt, in termino finali totam virtutem habet.

AD ID autem quod contra obiicitur, dicendum, quòd intelligendo terminum ad quem prolatio orationis terminatur intra, ſiue ille terminus compoſitus ſit, ſiue ſimplex: quia de hoc nulla eſt mihi vis, dummodo accipiatur terminus orationis vltra quem nihil eſt de oratione, & in quo tota eſt prolata.

AD HOC autem quod obiicitur, quòd in termino orationis dictum eſt & amplius non poteſt ſumi, dicendum quòd hoc verum eſſet ſi oratio hic tantum ſecundum rationem prolationis acciperetur: ſed (vt dictum eſt) ad ſignatum refertur, & ſignificatio orationis non tranſit oratione tranſeunte: aliud enim eſt tempus in qua profertur omnino, & aliud pro quo profertur, ſicut cum dicitur, Ego dormio, impoſſibile eſt hanc orationem verificari pro tempore in quo profertur: ita dico hic, quòd ſignificatio orationis eſt indiuiſibilis res ad quam refertur tota oratio pro tempore finiente prolationem, & tunc habet virtutem quæ eſt in ea virtute ſuæ ſignificationis: & ſic patet, quòd prima pars non profertur incaſſum, quia ſine ipſa vt eſt ordinata ad vltimam non expleret vltima ſignificationem totius orationis: & per hoc patet ſolutio ad omnia obiecta præter vltimum.

AD QVOD dici poteſt, quòd hoc verum eſt de virtute creata cuius actus proportionatus eſt materiæ in quam agit quantum ad vtrumque terminum tranſmutationis: ſicut eſt virtus naturalis. Sic autem non oportet, quòd ſit hic: quia alter terminorum non ſubiacet virtuti: eo quod ille manet in vno modo ſemper: & ideo iſta virtus non habet niſi terminum à quo in quem operetur. Fuerunt tamen quidam qui dicebant, quòd nulla virtus creata in tranſmutatione ſubſtantiali operatur, niſi quoad terminum à quo: quia ponebant hic, quòd naturalis virtus quæ eſt in materia non daret formam ſpecificam ſpecialem, ſed tantum diſponeret materiam, & poſtea forma daretur à datore formarum, ſcilicet intelligentia prima vel aliqua ſecundarum: & ſecundum illos non valet argumentum: quia procederet ex falſis. Sed ego puto, quòd illa opinio falſa eſt: & ideo primam ſolutionem puto & iudico eſſe veriorem & meliorem.

ARTICVLVS VIII.

An maioris potentiæ ſit facere de pane corpus Chriſti, quam de nullo facere aliquid?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Sermo Chriſti qui ex nihilo potuit facere quod non erat, &c.] Videtur enim, quòd nihil dicat hic Ambroſius. Cum enim ex nihilo fit aliquid: licet infinita ſit diſtantia, id eſt, nullam habeat hic proportionem termini mutationis: tamen nihil eſt reluctans operationi diuinæ ex parte materiæ, ex qua eſt tranſmutatio in aliquid. Cum autem corpus Chriſti fit de pane, reluctantur forma panis & natura corporis Chriſti: quia corruptibile groſſum, inanimatum, & artificiale non habet conuenientiam cum ſpirituali, incorporali, glorioſo, animato, diuino: reluctantium autem magis eſt difficilis tranſmutatio, quam non reluctantium: ergo magis eſt de pane facere corpus Chriſti, quam de nihilo facere aliquid.

2 Item, Auguſtinus dicit, quòd magis eſt de impio facere pium, quam creare cælum & terram: ſed cum in infinitum maius ſit de pane facere corpus Chriſti, quam de impio facere pium: in infinitum erit maioris potentiæ de pane facere corpus Chriſti, quam ex nihilo facere ſubſiſtere creaturas: ergo nihil eſt quod dicit Ambroſius in litera.

3 Item,

3 Item, Hoc videtur ex hoc quod primum, scilicet ex nihilo facere aliquid, non adeo repugnat rationi sicut secundum: vnde multi Philosophorum deprehenderunt primum, nullus autem secundum: ergo videtur, quòd maioris potentiæ sit facere secundum quam primum.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum ad hoc, quòd ista duo opera virtutis diuinæ dupliciter possunt considerari. Vno modo secundum distantiam extremorum: & sic nulli dubium est, quin plus distet non ens ab ente quolibet, quam ens ab ente: & hoc modo creare aliquid ex nihilo maioris potentiæ est, quam quodlibet ens vertere in quodlibet aliud. Alio modo possunt considerari extrema mutationis, non secundum se & secundum distantiam sui adinuicem, sed secundum dispositiones quibus disponuntur ad motum: & sic verum est, quod nihil contrariatur Deo ex parte nihili in creatione, sed aliquid potest reniti conuersioni alicuius in aliquid: & sic procedunt rationes inductæ: & per hoc patet solutio ad totum.

ARTICVLVS IX.

An oporteat quærere naturæ ordinem in Christi corpore?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Quid ergo quæris naturæ ordinem in Christi corpore, &c.] Ex hoc enim videtur, quòd non licet quærere hic rationem, & sic peccant illi qui quærunt in disputatione de istis.

2 Ad hoc etiam facit, quòd non quæritur ratio in his quæ sunt contraria principiis rationis, quibus ratio accipit scientiam: rationis autem principium est accidens in subiecto esse, & sine ipso esse non posse, corpus locatum & locum esse æqualia secundum dimensiones, corpus vnum in aliud sine corruptione substantialiter conuerti non posse, transmutationem substantialem sine agentibus & patientibus siue physice fieri non posse, & huiusmodi: quæ omnino contrario modo se habent in isto sacramento: ergo videtur, quod sit contra rationis principium: ergo non est quærenda in eo ratio.

Sed contra. SED CONTRA hoc est communis omnium & Sanctorum & Magistrorum disputatio.

2 Item, Petrus in prima canonica dicit, Parati omni poscenti vos reddere rationem de ea quæ in vobis est fide & spe: ergo etiam abundans ratio debet esse apud nos de his quæ credimus: ergo ratio est inuestiganda.

3 Item, Nullum verum vero est contrarium: ergo omne verum cum quolibet vero saluatur: si ergo quæ credimus de sacramento, sunt vera, per nullum verum improbantur vel destruuntur: ergo possumus sustinere disputationem quæ fit contra sacramentum, ne improbetur veritas.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd absque dubio in hoc sacramento & in omnibus aliis articulis fidei multa sunt supra rationem, & nihil est in eis contra rationem: quia iam Deus esset sibi contrarius, si nobis rationem dedisset, & in sacramentis contra dictamen rationis ageret: supra rationem ergo sunt multa in sacramentis, vt impleatur illud Psalm. 138. Mirabilis facta est scientia tua, &c.

AD ILLVD ergo quod obiicitur ex litera primo, dicendum quòd res dupliciter considerantur, scilicet secundum causas suas proximas, & dispositiones, & proprietates, & virtutes: sicut sunt materia & forma, calidum & frigidum, & huiusmodi: & ratio progrediens ex illis & effectibus illorum sæpe & multum deficit à diuinis. Considerantur etiam ex relatione ad causam primam, & sic ipsa res & omnia quæ sunt rei, habent se in ratione obedientiæ ad causam primam: & fit in eis quicquid vult causa prima quæ magis influit quam aliqua secundarum: & hoc modo procedit ratio in operibus diuinis & miraculis, & aliis quæ sunt supra naturam. Ratio ergo quæ negatur quærenda esse in litera, est ratio primo modo procedens, & non ratio procedens ex principiis secundo modo acceptis.

AD ALIVD dicendum, quòd omnia illa principia secundum relationem ad causam primam se habent vt obedientia: & ideo ratio non supponit ea nisi secundum transmutationem physicam. Cum autem quæritur de transmutatione diuina, procedit ratio ex altioribus principiis: his quidem non contrariis, sed istis vtentibus potius ad libitum: quia se habent ad illa sicut obedientia.

ARTICVLVS X.

An in sacramento Eucharistiæ potest dici creari corpus Christi per Spiritum sanctum? & vtrum per Spiritum fiat transsubstantiatio?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Sicut per Spiritum sanctum vera caro, &c.] Hoc enim dupliciter videtur inconueniens. Primo quidem: quia creatur id quod fit de nihilo: Christus autem quoad carnis substantiam non est factus de nihilo, sed ex puriſſimis sanguinibus gloriosæ Virginis: ergo vera caro Christi per Spiritum sanctum non est creata.

2 Secundo autem quod magis est ad propositum: qnia per Spiritum non videtur esse transsubstantiatio in sacramento, sed potius virtute verborum: quia aliter ad nihil esset vtilis forma sacramenti.

3 Si forte dicatur, quòd oportet in verbo esse diuinam virtutem qua operetur, sicut etiam in aliis sacramentis: tunc videtur adhuc, quòd inconuenienter attribuitur Spiritui sancto: sed potius Filio erit hoc attribuendum, quod Verbum increatum symbolum habet ad hoc cum verbo creato: vnde virtus Verbi increati operantis est in verbo creato: non ergo hoc attribuendum est Spiritui sancto.

Sed contra. SED CONTRA: Idem eodem modo se habens, non est referendum nisi ad vnam causam operantem: caro Christi in sacramento eadem est quam traxit de Virgine, & eodem modo se habens in substantialibus: ergo referenda est in sacramento ad eandem causam operantem, ad quam refertur in Virgine: sed in Virgine attribuitur Spiritui sancto: ergo etiam in sacramento, sicut expresse dicit August. in litera.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum ad primum, quòd multa de hoc dicta sunt super tertium: quantum autem pertinet ad præsentem tractatum, dicendum quòd creare dicitur multipliciter, scilicet ex parte creantis: & sic creatio est actus diuinus non subiacens tempori: & hoc modo dicitur corpus Christi creatum. Alio modo dicitur creatio secundum quod est eius quod secundum suam rationem non fundatur in aliquo priori se, sed omnia alia fundantur in ipso: quia illud necesse est fieri ex nihilo si fit: & hoc modo dicit Philosophus, quòd prima rerum creatarum est esse, & non est ante ipsum creatum aliud. Et dicit ibi Commentator, quòd ens fit per creationem: bonum autem & verum per informationem: quia habent se ad ens, sicut ad fundamentum in quo fundantur. Tertio modo dicitur creari id quod secundum esse non est ex aliquo, licet secundum intentionem habeat aliquid prius se: & sic dicitur mundus & cælum creata esse de nihilo.

AD ALIVD dicendum, quòd in veritate operatio corporis Christi in sacramento principaliter attribuitur Verbo increato, id est, appropriate, sicut supra in quæstione de forma sacramenti dictum est: tamen secundum aliquid quod est in sacramento, Spiritui sancto appropriatur, scilicet quoad amorem vnitiuum corporis mystici, & quoad hoc intelligitur verbum August. in litera.

AD OBIECTVM aliud, dicendum quòd in vtero cato Christi fiebat secundum esse carnis quæ non fuit ante: & illa operatio propter attributionem gratiæ & bonitatis appropriate conuenit Spiritui sancto. In sacramento autem non fit sic: quia non fit caro quæ non fuit ante: sed potius illa eadem quæ est, & fuit ante. Vnde operatio transsubstantiationis non extendit se nisi super substantiam panis & vini: & hoc fit verbo creato in quo operatur Verbum increatum: & ideo non est idem modus operandi: & hoc est quod dicit Eusebius in vltima auctoritate in hoc capitulo inducta ibi, Inuisibilis sacerdos visibiles creaturas, &c.

DISTINCTIO XI.

De modo conuersionis.

AN autem quæritur, Qualis sit illa conuersio: an formalis, an substantialis, vel alterius generis? diffinire non sufficio. Formalem tamen non esse cognosco: quia species rerum quæ ante fuerant, remanent, & sapor, & pondus. Quibusdam esse videtur substantialis, dicentibus sic substantiam conuerti in substantiam, vt hæc essentialiter fiat illa: cui sensui præmissæ auctoritates consentire videntur.

DIVISIO TEXTVS.

SI autem quæris, Qualis sit illa. &c.] Hic incipit Magister agere de modo conuersionis: & diuiditur in tres partes, in quarum prima tangit conuersionem ex parte actus transsubstantiationis, & ex parte terminorum. In secunda autem tangit modum conuersionis ex parte formarum remanentium: & hæc incipit in distinctione 11. *ibi* [Sub alia etiam specie tribus de causis, &c.] Et ibidem tangit de materia huius sacramenti. In tertia autem tangit actus sacramentales: vt fractio, partitio, & comestio, super quid sint? vtrum super formam remanentem, vel super aliud aliquid in sacramento? & hoc tangit in distinctione 12. *ibi* [Solet etiam quæri de fractione & partitione, &c. [Circa primum autem in residuo huius distinctionis facit Magister in litera quæstionem: & ad solutionem huius tres opiniones inducit, aliquas probans, & aliam improbans per auctoritates. Quæstio autem est hæc, Vtrum illa conuersio sit formalis, aut substantialis? & determinat, quod non est formalis: quia forma remanet, transmutatum autem secundum formam non remanet. Et postea soluendo inducit tres opiniones, quæ patent in litera, & ex disputatione patebit intentio capituli: quia omnes tres opiniones in vno capitulo inducuntur.

ARTCVLVS I.

An in sacramento corporis Christi sit aliqua conuersio siue transmutatio?

QVæramus ergo circa principium capituli quatuor: scilicet an sit in hoc sacramento aliqua conuersio? Secundo, Cuiusmodi conuersio, vel transmutatio? Tertio, Vtrum illa transmutatio sit in tempore vel subito? Quarto & vltimo

vltimo quæritur, Qualiter se habeat ad transmutationem creationis, & operationem naturæ, & operationem illam qua fiunt miracula? & ibidem determinabitur, Vtrum sit mirabilis, vel miraculosa?

Ad primum horum sic proceditur: In omni transmutatione necesse est accipere subiectum, & duo extrema inter quæ fit transmutatio: subiectũ autem est quod est idem sub vtroque extremorum, licet differant secundum formam & esse: in sacramento autem non est accipere sic: ergo non est aliqua transmutatio in sacramento. Probatur autem prima per dicta omnium Philosophorum. Cum enim transmutatio sit via ad esse, oportet eã esse in aliquo sicut in subiecto. Similiter cum transmutatur, fit renouatio situs, vel esse, vel formæ alicuius accidentalis: & oportet esse duo extrema, vnum à quo, & alterum ad quod fit transmutatio. Secunda autem probatur per hoc quod nihil additur corpori Christi: nec aliquid secundum materiam est sub forma corporis Christi post consectationem, quod ante modo fuit.

2 Item, Si est transmutatio: aut est secundum totum, aut secundum partem. Si secundum totum, ita quod totum manens totum ad alium transfertur situm, tunc erit loci mutatio, quod est falsum. Si autem secundum partem: aut essentialem, & tunc erit generatio, vel corruptio: aut accidentalem, & tunc erit alteratio, vel augmentatio, vel diminutio. Constat autem, quòd nihil horum est. Ergo patet, quòd nulla transmutatio est in sacramento

3 Si forte tu dicas, quòd illæ rationes non tenent hic, sed tantum in mutatione naturali: hæc autem mutatio est mirabilis. Contra: In omnibus mirabilibus mutationibus video, quòd est potentia obedientiæ quæ postea terminata est sub actu mirabiliter inducto, & manet sub illo. Licet enim cæcus non possit videre, cum collata sit ei potentia, terminata illa & completa, manet sub visu restituto per miraculum. Ergo videtur, quòd etiam hic aliquid panis in quo fundatur potentia obedientiæ conuersionis in corpus Christi, maneat sub actu corporis Christi: nihil autem manet, vt dicunt Sancti: ergo non est hic aliqua conuersio, vel transmutatio, vt videtur.

4 Item, Boetius in libro de duabus naturis in persona Christi, dicit, quòd omnis transmutatio est secundum aliquid commune. Cum ergo Auctor dicat hoc tractando materiam fidei, videtur quòd teneat hoc etiam hic in sacramentis quæ fide accipiuntur: ergo si esset transsubstantiatio hic, oporteret aliquid vnum numero & substantia prius esse sub forma panis & vini, & postea sub forma corporis Christi.

5 Item, Idem eodem modo manens nullo modo mutatur: ergo à destructione consequentis, si mutatur aliquid idem & vnum, non manet eodem modo: diuersus autem modus non attenditur nisi penes diuersitatem formæ panis, & postea sub forma corporis Christi: ergo aliquid idem & vnum est primo sub forma panis, & postea sub forma corporis Christi: sed hoc falsum est, vt dicitur ab omnibus, & in litera probatur esse falsum per dicta Sanctorum: ergo nihil immutatur in sacramento: ergo nulla est in eo transmutatio, vt videtur.

6 Si forte tu dicas, quòd aliter est in operibus naturæ: quia Deus operando, non quærit materiam supra quam operetur: sicut creatio est actus diuinus non quærens materiam nec supponens, & ita potest facere transmutationem quæ non fundetur in aliquo transmutato. Si, inquam, sic dicas, illud videtur absurdum, & contra fidem, triplici ratione. Primo quidem: quia creatio est ex nihilo: sed transsubstantiatio est de pane & vino, vnde præsupponit sibi ens de quo fit, sed non creatio. Secundo: quia transsubstantiatio quæ est in sacramento, est alicuius, & non potest dici, quòd nullius: transubstantiatio autem quæ est alicuius, aut est illius vt ad quod, aut illius vt in quo & à quo: non autem est hic vt ad quod: quia sic non diceretur transsubstantiatio panis, sed potius corporis Christi: ergo dicetur alicuius vt in quo, & sic habetur propositum: & si est ibi transmutatio aliqua, videtur quòd manet ibi aliquid commune, quod prius improbatum est: ergo non est transmutatio aliqua. Tertio vero: quia non quæritur, in rebus quid Deus possit facere, sed quid in rebus possit fieri, vt dicit August. in quarto super Genes. ad literam: sed nec intellectus capit, nec natura sustinet, quòd transmutatio sit à tota substantia rei, id est, à forma & materia: quia potius esset annihilatio, quam transmutatio: ergo non est in sacramento aliqua transmutatio, vt videtur: quia si esset, à tota substantia rei esset.

Solvtio. Solvtio. Dicendum hic videtur sine præiudicio melioris sententiæ, quòd in sacramento isto est transmutatio, quæ proprie transubstantiatio vocatur: eo quod est à tota substantia rei in totam substantiam rei alterius, hoc est, à tota substantia panis & vini in totam substantiam corporis & sanguinis Iesu Christi quantum ad formam substantialem & materiam, & definit totum compositum panis & vini quantum ad substantialia, & est ibi totus Christus quoad materiam. Vtrum autem panis annihiletur, vel non: erit postea quæstio in hoc eodem capitulo, vbi disputabitur secunda opinio.

Dicendvm ergo ad primum, quòd in veritate in omni transmutatione necesse est habere duo extrema, sed non est necesse in omni transmutatione haberi subiectum. Et est instantia in creatione: cuius ratio est: quia non est vere transmutatio: transmutatio enim dicit fieri ipsius rei, & exitum eius de potentia ad actum. Cum autem res est in actu illo, tunc non est sub forma à qua est transmutatio, nec est sub illa ad quam est nisi in potentia tantum, & est ipsa transmutatio actus quidam imperfectus & permixtus potentiæ, & ideo tale fieri non est sine motu, & motus non potest esse nisi in eo quod mouetur, propter quod oportet aliquid subiici tali transmutationi. Est autem transmutatio quæ non est motus, sed mutatio sola. Et hæc est duplex, scilicet ab agente physico: & sic est generatio simplex absolute considerata, & sic iterum indiget subiecto, eo quod agens physice non agit, nisi subiecta sibi materia aliqua in quam agat. Est etiam agens primum infinitæ virtutis, cuius transmutatio est sine motu & indiuisibilis, eo quod nihil est ibi nisi existentia huius ex illo, & post esse suum substantiale: & ideo non oportet ibi subiici materiam aliquam: vnde meo iudicio illa transmutatio non

habet nisi terminos, & non subiectum commune quod est tertium in mutatione Physica.

Ad aliud dicendum, quòd bene conceditur, quòd nulla transmutatio quæ à Philosophis ponitur, est hic; quia nec ipsi posuerunt omnes: sed illas tantum in quibus est exitus de potentia ad actum, qui actus prius est in potentia mutari quam mutatum esse.

Ad aliud quod obiicitur de operibus miraculorum, dicendum quòd miracula sunt ad restaurandum defectiones naturæ, vt quando cæci illuminantur, & huiusmodi. Et ideo necesse est in eis esse potentiam naturalem perfectam, per actum inductum miraculose: quia si natura posset inducere sic actum, non alium induceret quam eundem: sed opus huius sacramenti totum est gratiæ ad nutrimentum spiritus, & ideo nihil coporeæ potentiæ potest in eo manere: sed in ipso accipimus spiritum cui sumus vniendi, non quidem mutatum in se vel in alio, quia sic non esset perfectus, sed eodem modo manentem.

Ad aliud dicendum, quòd Boetius loquitur contra Nestorium & Eutychetem hæreticos, ponentes quòd substantia diuina in vnione naturarum in Christo conuersa fuerit in humanam, sicut aqua in vinum conuertitur. Et hoc improbat ipse per illa principia, quòd non transmutantur adinuicem, nisi quorum est materia vna communicabilis vtrique: & non vult dicere, quòd nulla transmutatio diuina sit, quæ non supponat materiam aliquam quæ sit subiectum transmutationis. Vnde illud non contradicit isti, quod licet sit in materia diuina fidei, non tamen quantum ad eundem modum articuli vel mutationis.

Ad aliud dicendum, quòd bene conceditur, quòd panis non eodem modo se habet: sed est non eodem modo se habere quoad totam substantiam & formam, & non habere se eodem modo quoad partem substantialem vel accidentalem. Dico igitur, quòd non eodem modo se habet in tota substantia: quia transmutatur à tota substantia: Christus autem eodem modo se habet tunc, & ante, & post, eo quod nihil additur ei nec aliquid aduenit.

Ad vltimum est magis difficile respondere: quia hoc est contra totum quod hactenus suppositum est in solutione: dici tamen potest, quòd licet transubstantiatio præsupponat sibi ens ex quo fit: non tamen præsupponit sibi, vt materiam quæ vna sit in actu eius à quo & in quo fit transsubstantiatio: quia sic non esset transsubstantiatio à tota substantia, sed à forma substantiali tantum: & ideo nihil remanet: quia sicut actui creationis inquantum actio, nihil subiicitur vt subiectum, ita etiam isti transsubstantiationi nihil subiicitur vt subiectum: sed verum est, quòd dissimile est in termino à quo: quia ibi non præsupponitur ens, sed nihil, sed hic præsupponitur ens.

Ad aliud dicendum, quod in veritate transmutatio est alicuius non in quo, sed vt à quo, vnde denominat id à quo est: quia illud transmutatur, & illud est ens, & non cedit in non ens, licet sit mutatio à tota substantia. Ad hoc autem quod contra hoc obiicitur, dicendum quòd panis formæ accidentales manent, & non forma substantialis, & quoad hanc est ibi transmutatio. Si autem aliquis obiiciat, quòd species transmutationum magis distinguuntur penes terminum ad quem, quam à quo, vt generatio, & corruptio, & huiusmodi: ergo & ista debet distingui penes terminum ad quem. Dicendum, quòd non sequitur: quia illæ transmutationes sunt via in actu à quo specificantur, & inducunt illum, & actus ille est in potentia exeunte ad actum purum potentiæ non permixtum. Sed hic non est ita: quia non puto tutum esse concedere, quod hæc transmutatio aliquo modo attingat corpus Christi: vnde non fundatur nisi in altero terminorum secundum quod dicit mutationem. Tamen quidam sunt qui dicunt duos esse terminos huius mutationis, vt mutatio est à tota substantia existente, in totam substantiam existentem: de hoc autem infra inquiretur.

Ad vltimum dicendum, quòd August. loquitur ibi de institutione operum naturæ, scilicet qualiter aqua est super cælos, & huiusmodi: in quibus quidam ignorantes volunt euadere, quod essent potentiæ Dei attribuenda: & in illo casu est verum quod dicit: quia cum creauit mundum, non disposuit partes mundi secundum potestatem suam, sed potius secundum exigentiam vniuscuiusque naturæ, secundum quod hæc conseruatur ab illa, & iuuat ad mundi propagationem: hic autem totius cursus operis mirabilis est: & ideo non valet hic dictum illud, sicut nec in aliis miraculis.

ARTICVLVS II.

Qualis est huiusmodi transmutatio vel conuersio?

Secundo quæritur, Cuiusmodi mutatio vel conuersio sit ista quæ est in sacramento? Videtur enim, quòd non sit à tota substantia. Si enim sit mutatio à tota substantia, non manebit postea actus illius substantiæ proprius: ergo à destructione concedentis, si maneat actus substantiæ proprius, non est mutatio à tota substantia: sed manet actus substantiæ qui est reficere: ergo manet substantia vel aliquid substantiæ: & sic non est mutatio à tota substantia.

2 Item, Damasc. dicit, quòd sicut ex duplici sumus substantia, scilicet anima & carne: ita duplex est cibus, substantiæ enim panis coniunxit diuinitatem vt faceret nobis edulium: ergo videtur, quòd substantia panis manet.

3 Iem, In aliis sacramentis sicut in baptismo, confirmatione, &c. manet substantia materiæ: ergo videtur, quòd etiam hic manere debeat: cum ergo substantia panis sit materia, materia debet ibi manere, & non est mutatio ab ipsa, vt videtur.

4 Item, Fundamento non manente, nihil eorum quæ sunt superædificata, manent: accidens autem ædificatur quoad esse super substantiam, sicut super fundamentum: ergo substantia non manente, nec accidens illius substantiæ manet: sed manet accidens: ergo manet substantia illius accidentis, vt videtur.

5 Item, Communiter dicitur, quòd accidentalis forma manet, ideo quia aliter non duceret in rationem cibi: & hoc est contra rationem sacramenti,

menti,de cuius ratione est quòd sit sensibile signũ aliud faciens venire in notitiam. Constat autem, quod licet accidens faciat ad cognitionem eius quod quid est:tamẽ vnunquodque verius cognoscitur forma substantiali, quam accidentali: ergo ratio & cognitio cibi quæ in sacramento acipienda est, verius & melius accipitur per formam substantialem, quam accidentalem: ergo magis debet manere forma substantialis, quam accidentalis. Item, Omne quod mutatur, est aliter se habens quam prius: sed quod causatur à tota substantia, non habet se aliter post mutationem,quia annihilatum est:ergo non debet esse transmutatio à tota substantia, vt videtur.

6 Item, Non videtur esse intelligibile, quod aliquid mutetur à tota substantia: quod enim mutatur,hoc aliter se habet quam prius:quod autem aliter se habet quam prius, aliud est nunc quam prius fuit: ergo oportet, quod maneat aliquid eius nunc vt prius: non igitur est mutatio à tota substantia,vt videtur.

7 Præterea, Detur, quòd mutetur aliquid à tota substantia ipsius:ergo nihil manet: nec enim forma,nec materia:cuius autem nihil manet,nihil illius in aliquid conuertitur: substantiæ autem panis si mutatio est à tota substantia,nihil manet: ergo nihil eius conuertitur in aliud:ergo substantia panis non conuertitur in corpus Christi, quod est contra omnes, quia nulla est hic transsubstantiatio nisi panis & vini in corpus Christi, vt videtur omnibus.

8 Item, Aliud est hoc esse hoc,& aliud est hoc transmutari in hoc, & aliud est hoc esse post hoc. Cum igitur dicitur panis transmutari in corpus Christi, oportet quod secundum vnum illorum sensuum dicatur, scilicet quod panis sit corpus Christi sine transmutatione, & hoc est falsum: quia panis & corpus Christi disparata sunt, & vnum remouetur ab altero, vt homo & asinus. Aut quod mutatur in illud: & cum omne quod transmutatur, prius sit in fieri quam in facto esse, oporteret quod quandoque panis fieret corpus Christi, quod est falsum, quia sic corpus Christi esset in potentia & in exitu de potentia ad actum, & inciperet esse de nouo, omne enim quod exit de potentia ad actum, est nouum & generatum vel simpliciter vel secundum aliquid sui. Et hæc omnia fides circa corpus Christi abhorret. Si autem tertio modo dicatur, quod idem sit transmutari in hoc quod est hoc esse post illud. Contra: Non est intelligibile,quod de pane post panem fiat corpus Christi sine mutatione media: ergo videtur,quod non sit ille sensus.

9 Præterea, Si sic panis erit corpus Christi, tunc quandoque verum erit dicere, panis est corpus Christi: quicquid enim erit in futuro verum, in aliquo præsenti verificabitur:nunquam autem verum erit dicere, panis est corpus Christi:ergo hæc nunquam fuit vera, panis erit corpus Christi.

10 Præterea, Cum dicitur, hoc fit hoc, quid supponit ly hoc?Si panem, tunc panis erit corpus Christi, quod iam improbatum est:si aliud, tunc aliud quam panis conuertitur in corpus Christi, quod falsum est.

Solutio. Solvtio. Dicendum sine præiudicio, quòd in materia ista & in materia de Trinitate non sunt sufficientia verba quæ exprimant modum diuinæ operationis: sed balbutiendo inquantum possumus,excelsa Dei resonamus:vnde puto,quòd verius ista transmutatio vocatur transsubstantiatio,sicut etiam quidam antiquorum dixerunt: & modus eius est quòd sit à tota substantia panis quoad formam, & quoad materiam, ita scilicet, quòd de toto composito quoad essentiales partes nihil maneat.

Ad primvm ergo dicendum, quòd non oportet, quòd actus proprius substantiæ non maneat,non manente substantia: actus enim substantiæ est mediantibus viribus & potentiis: potentiæ autem sunt proprietates quæ non sunt de esse primo, sed secundo: & ideo in ista transsubstantiatione manet actus cibandi & reficiendi in potentiis, fundatus in his quæ immediate consequuntur compositionem panis, quæ sunt sapor, & quantitas,& huiusmodi: sed si illa non manerent, tunc verum esset, quòd actus proprius panis etiam non maneret. Si autem obiiciatur per auctoritatem qua dicit Damascen. quòd destructa substantia non manet eius actus proprius, videtur dicendum quòd ipse intelligit de destructione in toto quoad essentialia & potentias consequentes substantiam: talis autem destructio non est hic, & ideo mutatione facta à toto substantiæ, adhuc manet actus substantiæ.

Ad alivd dicendum, quòd dictum Damascen. intelligitur quoad formas & accidentia panis, quibus Deus Dominicum coniunxit corpus: ergo non quoad substantiam panis manentem.

Ad alivd dicendum, quòd non est hic simile & in aliis sacramentis: quia in aliis sacramentis actus diuinus non est supra materiam,quæ oculis subiicitur, sed potius super animam suscipientis sacramentum, & illam transmutat alterando ad gratiam: in isto autem sacramento propter rem contentam in sacramento extra suscipientem, de qua dictum est supra,actus diuinus est supra materiam quæ oculis subiicitur in sacramento.Et ideo illa transsubstantiatur.

Ad alivd dicendum, quòd substantia fundat accidens quoad esse: sed duplex est vsus accidentis. Vnus est in materia: & in hoc necesse est,quòd fundetur in substantia. Alter est ad opus diuinum ostendendum: & in hoc non est necesse, quòd fundetur in substantia, sed sufficit sibi continentia virtutis diuinæ cuius opus demonstrat, vt signum ostendit signatum: & sic est hic: vnde non oportet, quòd subiecto sublato non maneat accidens: de hoc tamen infra quæretur in sequenti distinctione cap.vlt.

Ad alivd dicendum, quòd forma substantialis proprie est vnius secundum esse, & diuersorum specie non est forma substantialis vna, & ideo non facit innotescere nisi illud cuius est forma proprie: & ideo si forma substantialis maneret,duceret in panis substantiam,& non in substantiam corporis Christi, & sic esset occasio erroris. Sed de accidentali forma non est sic: quia accidens est proprium plurium, & potest ducere in ipsum cuius ipsum est proprium, præcipue consignificando proprietates diuersas, sicut illa est, quod ex multis granis colligitur panis, & corpus Christi verum de multis guttis sanguinis & multis membris, mysticum autem de multis fidelibus, & sic de aliis quæ in parte sua tacta sunt.

Et ideo accidens verius ducit in rationem cibi, quam alterius modi ens, siue fuerit forma accidentalis, siue forma substantialis: & ideo manet ad vsum sacramenti.

AD ALIVD dicendum, quòd hic dicitur aliquid mutari, ita quod mutari sit idem quod à tota substantia transsubstantiari, & in tali mutatione non est necesse, quòd aliquid vnum habeat se diuersimode, sed tantum quod ipsum secundum se totum conuertatur in aliud totum: sed ratio illa est de mutatione physica, & tales plures solutæ sunt in præcedenti articulo quæstionis.

AD ALIVD dicendum, quòd medius intellectus est hic, scilicet quòd conuertitur in illud: sed non sequitur, quòd sit in potentia in illo: quia, sicut prius dictum est, ista transsubstantiatio non habet fieri proprie dicta, nec habet ad hoc subiectum commune vtrique terminorum, sed est simplex conuersio totius in totum.

AD ALIVD dicendum, quòd cum dicitur, panis fit corpus Christi, in sensu in quo ista recipitur, demonstratur substantia panis quæ oculis subiicitur sub accidentibus sensibilibus: & non sequitur id quod vlterius infertur: quia fieri est hic transsubstantiari à tota substantia. Et bene concedo, quòd hæc non est vera, panis erit corpus Christi: & de hoc infra est quæstio in hoc eodem cap. nec sequitur, quòd aliquando sit verum dicere, quòd panis est corpus Christi: ideo quia illud fieri dicitur à tota substantia transmutari, & tunc nec panis manet, nec aliquid de substantia panis, gratia cuius verificetur ista, panis est corpus Christi.

ARTICVLVS III.

Vtrum illa transmutatio fiat subito siue successiue?

TErtio quæritur, Vtrum illa transmutatio fiat successiue vel subito? Videtur autem, quòd successiue: quia virtus transsubstantiandi est verbum, non secundum quod est in prolatione: sed in prolatione est successiue: ergo operatur transsubstantiationem successiue.

2 Item, Verbum cum dictum est, non est: nihil autẽ operatur cum non est: ergo verbum non operatur, cum dictum est: ergo operatur prout est in actu dicendi: sed in actu dicendi est successiue: ergo transsubstantiationem operatur successiue.

3 Item, Quicquid habet totum, præcipue discretum, hoc habet à partibus: hæc autem oratio, Hoc est corpus meum, est quoddam totum quantitatis distinctæ, vel distincta quantitas: ergo virtutem operandi habet à partibus: partes autem sibi succedunt: ergo operatur successiue, vt videtur.

Sed contra. SED CONTRA hoc est, quòd omne quod transmutatur in aliud successiue, prius est in medio, quam in extremo: medium autem neutrum extremorum est: ergo aliquando est, quando nec panis, nec corpus Christi est: quod falsum est, quia sic transsubstantiationi aliquid subiiceretur, quod iamdudum improbatum est.

2 Item, Omne quod mutatur successiue, disponitur dispositionibus contrariis formæ à qua mutatur, sicut aër, quando fit ignis, accipit dispositiones ignis quæ contrariantur formæ aëris: sed in ista transsubstantiatione manent omnia accidentia panis: ergo non disponitur contrariis dispositionibus formæ panis: ergo non mutatur successiue.

3 Item, Supra habitum est, quòd virtus Verbi increati operatur in verbo creato, vt est habitum in litera, quòd inuisibilis sacerdos & Spiritus sanctus in verbo creato operantur: horum autem operatio non est successiua, sed subita.

AD HOC autem dico, quod quæritur de instanti conuersionis, in quo vltimo est panis, & in quo primo est corpus Christi? Aut enim hoc est vnum instans, aut diuersa. Si vnum. Contra: Instanti in quo vltimo est panis, verum est dicere, quòd est panis: & sequitur à disparatis, quòd ipsum non est corpus Christi: sed in quo primo est corpus Christi, sequitur quòd verum est dicere, quòd ipsum est corpus Christi. Si ergo illa sunt idem instans, in eodem instanti est illud corpus Christi, & non est corpus Christi: ergo contradictoria sunt simul vera respectu eiusdem instantis: ergo contradictio non est oppositio cuius non est medium secundum se, quod est contra philosophiam Arist. Si autem sunt diuersa instantia, & inter quælibet duo est tempus: ergo tempus est post instans, in quo vltimo est panis, & ante instans in quo primo est corpus Christi: ergo in toto illo tempore intermedio, nec est panis, nec corpus Christi, quod falsum est. *Quæst.*

AD HOC autem quidam volunt dicere, quòd in veritate motus mensuratur tempore, & finis motus sine tempore: vnde finis motus est motum esse, finis fieri factum esse: & ideo factum esse corporis Christi, mensuratur instanti: sed vltimum esse panis, cum hoc sit mutari, mensuratur tempore: tempus autem bene continuatur ad motum esse, ita quod nihil intercedit medium: & ideo dicunt, quòd vltimo est panis in tempore, sed nunc primo corpus Christi in nunc. Ad hanc rationem confirmandam etiam alia potest induci ratio: quia cum ex aëre fit ignis, deficcatio aëris est cum motu: factum autem esse ignis, est terminus motus, & sine motu: ergo mensuratur diuersis. Et similiter est transmutatio panis cum motu: sed factum esse corporis Christi sine motu est: & ideo vnum mensuratur tempore, & aliud nunc ad quod continuatur tempus illud. Tertia ratio confirmans illud idem est hæc: quia in continuo permanente habente positionem in partibus, sunt duo termini in actu, scilicet primus punctus, & vltimus: & non est recipere actu penultimum punctum, vel eum qui sequitur primum: quia illi non sunt nisi in potentia, & vbicunque designetur quantitas lineæ, ibi inter duo puncta erit linea, licet non possit signari nisi in puncto: ergo similiter erit in successiuo continuo, quòd est accipere nunc ad quod continuatur tempus vt ad terminum, & illud est in termino transsubstantiationis, in quo scilicet primo est corpus Christi: non tamen est accipere penultimum ante hoc, sed potius totum tempus vsque ad illud nunc, in quo toto desinit panis, & hoc tempus continuatur ad nunc, & hoc non est inconueniens. Sic ergo dixerunt quidam, & bene esset dictum, vt videtur, de mutatione physica: sed ad propositum nihil valet, quod sic probatur. Supra iam probatum est, quòd

D. Thomas hic q. 1. a. 3. quæst. 2. ad 2.

quòd non est ibi mutatio quæ sit fieri successiue: sola autem talis mutatio mensuratur tempore, & non alia diuina quæ est in sacramento : ergo esset panis in vltimo instanti sine motu:ergo sicut verum est dicere in toto tempore & in quolibet instanti quod est post illud in quo primo fuit corpus Christi, quòd ipsum est corpus Christi : ita verum est in quolibet instanti quod est ante ipsum, quòd ipsum est panis. Et sic sequitur primum inconueniens. Item, Esse mensuratur nunc, sicut mutatio tempore : sed in toto illo tempore non est nisi esse panis, & non mutatio aliqua : ergo in quolibet nunc verificatur, quòd est panis.

Ideo fuerunt alij qui dixerunt, quòd in veritate pauis est, & corpus Christi in vno instanti : sed tamen non sequitur contradictoria esse simul vera : quia non sunt secuudum idem in instanti illo: quia instans illud est principium futuri, & sic in ipso est corpus Christi : & est finis præteriti,& sic in ipso est substantia panis. Quod autem hoc non sit verum,nec possit stare, sic probatur. Quod instans est principium futuri, & finis præteriti, hoc non facit ipsum instans esse diuisibile : sicut nec punctum quod accipitur vt finis vnius partis lineæ,& vt principium alterius. In illo ergo indiuisibili secundum esse : aut hoc quod est in altari,est sub forma panis, aut sub forma corporis Christi, aut sub vtraque,aut sub neutra. Si sub forma panis : ergo nihil eius est quod sit sub forma corporis Christi. Probatio. Detur enim, quòd aliquid eius sit in quo sit sub forma corporis Christi, sequitur tunc, quòd instans sit diuisibile,quod falsum est. Si ergo nihil eius est in quo sit forma corporis Christi, non erunt in eodem instanti forma panis & forma corporis Christi, & sic illa posirio est falsa. Si autem sub forma corporis Christi, per eundem modum sequitur, quod nihil sit illius instantis in quo sit sub forma panis, & sic redeundum iterum quod in eodem instanti nihil sit sub forma panis & corporis Christi. Si autem sub vtraque parte est in eodem instanti : ergo in vno indiuisibili secundum esse accepto, possum dicere, quòd est panis, & est corpus Christi : ergo in illo est verum dicere, quòd panis est corpus Christi, & è conuerso, quod falsum est : ergo in illo instanti non est sub vtraque forma : ergo sub neutra, & hoc iterum falsum est : quia sic quandoque nec esset panis, nec corpus Christi, & materia quandoque esset sub nulla forma:quæ omnia impossibilia sunt.

Ideo iterum sunt alij qui dicere præsumunt, quòd in veritate in vno indiuisibili est panis & corpus Christi:sed in vno indiuisibili bene concedunt esse prius & posterius,dicentes quòd est prius & posterius tempore,& hæc non sunt in vno indiuisibili:& est prius & posterius natura,& hæc bene sũt in vno indiuisibili:vnde prius natura panis est, & posterius natura corpus Christi.Hoc autẽ confirmant duabus rationibus, quarum vna est à simili : sint enim duæ lineæ sibi per longitudinem coniunctæ eodem spatio, constat quòd illæ contingent se in puncto vno : & punctus ille refertur ad vtrumque secundum prius & posterius natura. A simili dicunt hic : quia duo esse sunt, scilicet esse panis,& esse corporis Christi, quæ se contingunt in vno indiuisibili temporis, in quo vnum cedit non alij, sed in alterum sine omni mutatione media : & secundum prius natura est ibi esse panis, & secundum posterius est ibi esse corporis Christi. Alia ratio est : quia, sicut probatum est supra, in hoc sacramento nulla est mutatio, sed mutatum esse potius : & tamen sequitur necessatio mutari : ergo præcedit mutatum esse, non tempore,sed natura solum.

Sed quòd iterum hoc nihil sit, videtur posse probari sic, Coniunctis duabus lineis in puncto, punctus scilicet spatij super quem coniunguntur, in veritate non efficitur propter hoc actu in continuo, sed tantum in potentia. Probatio. Coniunctis enim sic lineis, linea quidem consequetur, & continget lineam : sed quòd punctus punctum sequatur,hoc est per accidens,quia non habet hoc nisi inquantum est terminus lineæ. Si ergo conueniunt ista in puncto per accidens, patet quòd non signant per hoc aliquem punctum in continuo, qui per se sit tanquam locus in quo se contingent. Præterea, Talem contactum non est possibile esse nisi in lineis mathematicis secundum Philosophum, qui dicit quòd recto inquantum recto multa accidunt, vt tangere æneam sphæram in puncto : non tamen tangit hoc separatum rectum : nos autem quærimus hic mensuram : sed esse naturæ panis est in vltimo,& corporis Chtisti in primo : vnde non videtur facere ad propositum. Item, Licet mutari præcedat in quibusdam mutatum esse tempore, & in quibusdam natura tantum : tamen impossibile est intelligere, quòd vna sit mensura vtriusque : ergo videtur, quòd etiam hoc non sit simile. Item,Mensuræ differunt secundum mensurata : ergo esse panis mensuratur mensura congrua sibi : cum igitur sit corpus mutabile, mensurabitur tempore,vel nunc temporis: corpus autem Christi in esse suo cum sit immutabile, non mensurabitur tempore, vel nunc temporis : corpus ergo Christi in esse suo cum sit immutabile, non habebit eiusdem rationis mensuram : ergo mensurabitur nunc æui,vel æuo : constat autem, quòd illa non sunt idem : ergo nec in eodem nunc est esse panis,& esse corporis Christi, nec etiam eiusdem speciei in mensura,vt videtur. Item, Sine mutatione panis non transit panis in corpus Christi, sed mutatione eius corpus Christi incipit esse hic : sed non est eadem mensura mutari, & non mutari : ergo ista non sunt in ratione vnius nunc, nec in ratione vnius mensuræ. Et hoc concedebat qui me docuit.

Sed hoc iterum non videtur verum : quia dicit Philosophus in penultima propositione causarum, quòd inter esse cuius est substantia & actio in momento æternitatis, & esse cuius substantia & actio est in momento temporis, est medium, & est res cuius substantia est in momento æternitatis,& actio eius in momento temporis. Licet ergo corpus Christi immutabile sit quoad substantiam & accidentia : tamen mutabile est quoad locum siue mobile : constat enim, quòd incipit esse hic: ergo hoc ipsum quod nunc est hic, & ante non fuit hic, aliquo mensuratur : & constat, quòd non nunc æui vel æternitatis, quia illa sunt mensuræ eodem modo se habentium:relinquitur ergo, quòd mensuratur nunc temporis.Et sic redit difficultas primæ opinionis.

Ideo sunt alij magis profundantes sermonem, & dicentes, quod in tempore non omnino est, sicut in continuo habente positionem in suis partibus:

tibus: & ſequuntur in hoc Auicennam & Auerroem: quorum vnus in lib. de ſufficientia, Auerroes autem ſuper vlt.cap. quarti phyſicorum dicit, quòd in continuo quocunque habente poſitionem eſt accipere duo indiuiſibilia, quæ actu ſunt in continuo, licet non ſint ſeparata ſecundum eſſe, vt in linea eſt accipere duo puncta, & in ſuperficie duas lineas: ſed de tempore non eſt accipere niſi vnum nunc, quod eſt tota eſſentia ſiue ſubſtantia temporis, licet non ſit temporis eſſe: quia eſſe temporis eſt continuitas prioris & poſterioris in ipſo nunc. Vnde dicunt, quòd accipiendo tempus in ſua natura, non eſt accipere duo nunc, ſed vnum ſolum. Si autem accipiatur prout eſt menſura motus, quem excellit tempus, ſic poſſunt duo ſignari nunc, & inter illa eſt tempus, ſicut in motu eſſe primum poſt quod eſt motus, & eſſe vltimum, hoc eſt accipiendo nunc prout eſt menſurans ſecundum eſſe primum & ſecundum eſſe vltimum. Et hoc modo dicunt, quòd bene contingit ſignare duo nunc ſe conſequentia, quando illa non ſunt in eodem: ſicut dicunt in linea non eſſe niſi vnum punctum in quo linea terminatur actu, & penultimum non eſt accipere: ſi autem diuidatur linea, tunc erunt duo ſe conſequentia in duabus lineis: ſic dicunt hic, quòd in menſura eiuſdem motus eſt accipere vnum nunc in quo terminatur motus, & non eſt accipere penultimum illius motus propter motus indiuiſibilitatem: ſi tamen aliquis motus terminetur ad proximum nunc, tunc ſignificatur in comparatione ad illum, & tunc erunt duo nunc in comparatione duorum terminorum duorum motuum, inter quæ non eſt tempus medium. Sed in vno motu dicunt hoc eſſe impoſſibile, ſicut in vno motu ante terminum motus non eſt niſi tempus vſque ad terminum motus illius. Dicunt igitur iſti ſic, quòd in duobus nunc eſt vltimo panis & primo corpus Chriſti: & hæc duo ſequuntur & non eſt incertum tempus medium: quia illud Philoſophi accipitur de nunc ſignatis reſpectu eiuſdem motus, & non de nunc ſignatis reſpectu duorum eſſe inter quæ nihil continuat. Sed hoc mirum videtur eſſe: quæcunque enim ordinantur adinuicem ſecundum præcedere & ſubſequi, neceſſe eſt quòd in aliquo ſe contingant. Si igitur eſſe panis in quiete menſuratur vno nunc, & eſſe corporis Chriſti alio, oportet neceſſario aliquid continuans inter illa ponere, in quo vnum tranſit in alterum, ille enim tranſitus non eſt eſſe panis, nec eſſe corporis Chriſti, vt videtur.

Solutio. SOLVTIO. Puto, quòd nulli harum opinionum præiudicandum ſit. Ego autem magis puto vltimam eſſe eligendam, & fere concordat cum illa quæ eſt antepenultima: quia illæ duæ probabiliores ſunt.

AD ID autem quod contra hanc vltimam obiicitur, dicendum quòd in veritate non eſt tertium in quo contingant, ſiue quo ſit ille tranſitus, eo quod non ſit hic tranſitus per modum motus de potentia ad actum, ſed potius eſſe poſt eſſe, & actus poſt actum, & tranſitus non eſt niſi ſecundum rationem terminorum, & non ſecundum rationem medij quod eſt ſubſtantia motus vel mutationis: & tunc non diſcordat à penultima, niſi in hoc quod illa dicit ſecundum nunc eſſe æui: & multi dixerunt, quod vnum eſt nunc æui & temporis, & ſecundum hoc ſoluendum eſt ad obiectum quod contra factum eſt, quia Chriſtum eſſe hic non dicit motum nec motus terminum, & ideo proprie non menſuratur nunc temporis, ſed nunc æui, ſcilicet quia non eſt coniunctio prioris & poſterioris in ſucceſſione motus: ſed ſi habet prius & poſterius, hoc erit in ordine naturæ. Pro aliis opinionibus reſpondeat quilibet pro libito, qui eligit aliquam earum.

AD ID autem quod primo quæritur, Vtrum tranſſubſtantiatio ſit ſubita, vel in tempore? Dicendum, quòd abſque dubio ſubita eſt: quia multæ deriſiones ſequerentur, ſi ſucceſſiua eſſe poneretur.

AD ID autem quod contra obiicitur, per ea quæ dicta ſunt in quæſtione de forma ſacramenti, & in quæſtione de virtute verborum, faciliter patet ſolutio. Et dicendum ad primum, quòd illa oratio non accipitur in vi orationis tantum, ſed etiam in vi inſtitutionis quæ ſimplex & vna eſt, & ſecundum quod refertur ad ſignatum & per illud ad Verbum increatum quod operatur in ea: & ideo licet ſucceſſiue proferatur, non tamen ſucceſſiue operatur.

AD ALIVD dicendum, quòd nihil operatur cum omnino non eſt: ſed cum hæc oratio referatur ab Verbum increatum, & ad inſtitutionem, ſecundum virtutem operandi manet, licet tranſeat ſecundum actum prolationis, ſicut dicit Auguſt. ſuper Ioan. quòd vox tranſit, & verbum remanet etiam poſt prolationem.

AD VLTIMVM dicendum, quòd illud diſcretum quod eſt oratio quæ eſt forma ſacramenti, licet diſcretas habeat partes, tamen refertur ad alia quæ non ſunt diſcreta, ſcilicet ad ſignatum, & inſtitutionem, & Verbum, & virtute illorum operatur ſecundum quod illa ſunt in oratione prolata: & ideo non valet illa obiectio quæ procedit ac ſi illa oratio in prolatione operaretur. Et per hoc patet ſolutio ad totum.

ARTICVLVS IV.

Quomodo hæc tranſmutatio ſe habeat ad operationem naturæ, & mirabilium ſiue miraculorum?

QVarto quæritur, Qualiter hæc tranſmutatio ſe habeat ad operationem naturæ, & mirabilium ſiue miraculorum? Videtur autem, quòd ipſa aliquid habeat de natura. Potentia enim obedientiæ eſt in omni creatura ad voluntatem Creatoris. Potentia autem aliquid addit ſuper eſſentiam. Ergo diſpoſitio aliqua ineſt creaturæ qua hoc poſſit fieri. Licet ergo ex parte agentis non ſit per naturam, tamen ex parte conuerſorum, ſcilicet panis & vini aliquid videtur habere de natura.

2 Item, Auguſtinus ſuper Geneſ. vult, quòd Deus tam rationes naturalium quam mirabilium indidit operibus creationis: ratio autem eſt ordinans ad formam aliquam: cum igitur ratio huius conuerſionis fuerit in operibus ſex dierum, eſt in materia corporum conuerſorum aliqua ratio quare hoc poſſit fieri: ergo aliquid habet de natura.

3 Item, Aut eſt ſecundum naturam, aut contra naturam. Si contra naturam, cum Deus naturam

ram rationabiliter instituit: ergo veniendo contra naturam, venit contra suum institutum: ergo venit contra ordinem suæ sapientiæ & iustitiæ: ergo venit contra seipsum, quod absurdum est. Si autem secundum naturam, tunc habetur propositum, quòd aliquid habet de natura.

Quæstiuncula. VLTERIVS quæritur, Qualiter se habet ad miracula? Actus enim miraculorum potentia inest subiecto circa quod fit: quod patet cum cæcus illuminatur. Visus enim potentia inest homini etiam per naturam: sed diuino opere potentia restituitur corrupto organo. Et similiter de illo quod minus videtur, potentia pariendi inest virgini, & partus inest ei potentialiter: nunquid ergo potest dici similiter, quòd panis potentia sit corpus Christi? & videtur quod sic per similia inducta.

2 Item, Quicquid actu fit aliquid, prius potentia fuit illud: panis autem transsubstantiatur in corpus Christi: ergo prius potentia fuit illud: sed quicquid potentia est aliquid, secundum eandem potentiam manentem in subiecto subiicitur illi: panis autem potentia est corpus Christi: ergo secundum subiectum est potentia subiectiua formæ corporis Christi: ergo materia panis manet in corpore Christi, quod absurdum est, & negatur in litera. Probatio primæ: quia cum aër fit ignis, subiectum eiusdem potentiæ quod est materia aëris, manet in igne. Et similiter est de omnibus tam naturalibus, quam mirabilibus. Secunda autem supponitur ab aduersario.

Solutio. SOLVTIO. Vt mihi videtur, non oportet hic multum immorari: quia ego concedo, quòd illa transsubstantiatio non est naturalis nec miraculosa, sed mirabilis: quia miraculum est quod fit præter spem, & hoc est arduum insolitum: istud autem non fit præter spem, imo fit cum spei certitudine: quia certificatur spes ex verbis Domini: & ideo etiam non est insolitum, eo quod vi verbi Domini habetur vsus & cursus illius operationis, sicut vi naturæ certificatur & frequentatur cursus naturæ: relinquitur ergo, quòd sit opus mirabile, eo quod nos cognoscendo & operando, non possumus in illud, cum tamen speremus illud solitum nobis ex vi sermonis Domini.

AD ID ergo quod primo quæritur, dicendum videtur, quòd nihil omnino habet de natura nec ex parte materiæ, nec ex parte agentis, quia materia est panis & vinum, agens autem verbum.

AD ID autem quod obiicitur de potentia obedientiæ, dicendum quòd potentia obedientiæ nihil addit super rei substantiam: cuius probatio est: quia si aliquid addit, cum res & substantia rei secundum naturam sit prior illo, potest abstrahi per intellectum substantia rei ab illo addito: abstrahatur ergo: tunc potentia obedientiæ non erit in re illa: ergo non potest fieri de ea quod Creator vult, quod est hæresis: igitur relinquitur, quòd res substantialiter sit potentia, quicquid vult Creator. Vnde prima obiectio processit ex falsis.

AD ALIVD dicendum, quòd rationes illæ prout ad miraculum referuntur (vt dicit Augustinus) non sunt in re quod sic fiat, sed vt de quo possit fieri: non enim habuit prima conditio vt de costa fieret mulier, sed potius vt de ea fieri posset. Vnde ratio ista non ponit aliquam dispositionem super rei substantiam, sed ordinem tantum ad voluntatem Creatoris.

AD ALIVD dicendum, quòd illa diuisio non est sufficiens: quædam enim nec secundum naturam sunt, nec contra naturam sunt, sed supra naturam, scilicet omnia in quæ natura non potest nisi obediendo: & tale est illud, & alia miracula.

AD ID quod vlterius quæritur, iam patet solutio per illa quæ ante dicta sunt. *Ad quæstiunculam.*

AD ID autem quod obiicitur primo, dicendum quòd hoc non est nisi in quibusdam miraculis, & differenter: quia si potentia ad actum miraculi datur subiecto, tunc actus manet subiecto coniunctus per potentiam datam. Si autem manet in subiecto opposita dispositio ad actum, subiectum est sub actu sicut potentia indisposita, & ideo est tunc miraculosus actus, vt in partu virginis manente virgine: hic autem nec subiectum manet, nec dispositio aliqua, sed est mutatio à tota substantia subiecti, vt prius est habitum: & ideo illud est mirabile supra omnia mirabilia.

AD ALIVD dicendum, quòd hæc propositio est falsa, quicquid fit aliquid quocunque modo, ptius potentia fuit illud: dicit enim Commentator super 9. metaphysicæ, quòd nihil est potentia in aliquo proprie loquendo nisi quod vno motore educitur de illo, vt hæc faba in semine fabæ, quia mouente calore solis, educitur de illo, & ideo in semine est potentia, non in terra. Et verum est, quòd ipse loquitur de potentia propinqua: sed hoc etiam de remota falsum est: quia in natura non est aliquid de potentia materiali, quod non habeat aliquam potentiam vnam in natura agentem & complentem & educentem illam potentiam materialem ad actum: & hoc non est ita: quia nec substantia manet, nec aliquid: & ideo falsum est quod proponit.

Augustinus in libro sententiarum Prosperi.

CSI vero quæris modum quo id fieri possit? breuiter respondeo, Mysterium fidei credi salubriter potest, inuestigari salubriter non potest. Quod ergo corpus Christi, panis mutatione in id, non augmentatur, nec sanguis ex vini conuersione: eius voluntati & potentiæ ascribatur, qui idem corpus de Virgine eduxit. Sit ergo substantia illa ista sine eius augmento. Nec tamen concedunt quidam, quòd substantia panis aliquando sit

caro

caro Christi, etsi fiat caro Christi: sicut farina facta est panis, & aqua facta est vinum, nec tamen dicitur, farina est panis, & aqua est vinum. Alij vero concedunt, illud quod erat panis vel vinum, post consecrationem esse corpus & sanguinem: non tamen sequitur, panis est caro Christi, vel vinum est sanguis: quia substantia panis vel vini postquam facta est caro Christi vel sanguis, non est substantia panis vel vini, sed caro & sanguis. Ideo distinguendum videtur, cum dicitur, substantia panis, vel id quod erat panis, modo est corpus Christi. Manens enim panis non est corpus Christi: sed mutata in id quod facta est, est corpus Christi. Nec dicimus substantiam panis vel vini materiam esse corporis vel sanguinis Domini: quia non de ea vt de materia, formatur corpus: sed ipsa formatur in illud, & efficitur illud. Vnde Augustinus. Corpus Christi dicimus illud, quod ex fructibus terræ acceptum, & prece mystica consecratum sumimus in memoriam Dominicæ passionis. Quod cum per manus hominis ad illam visibilem speciem perducatur, non sanctificatur vt sit tam dignum sacramentum, nisi operante inuisibiliter Spiritu Dei. Lib. 3. de Trin. cap. 4.

ARTICVLVS V.

An mutatio quæ est in sacramento Eucharistiæ, sit similis mutationi quæ dicitur augmentum, & an adiuncta sit ei loci mutatio?

DEinde quæritur de hoc quod dicitur *ibi* [Quod ergo corpus Christi, panis mutatione, &c.] Videtur enim ex hoc quod ista mutatio non sit similis mutationi quæ est augmentum: quod est contra Damascen. qui dicit, quòd est similis.

2 Sed hoc iterum videtur falsum per hoc quod dicit Philosophus, quòd augmentum est præexistentis magnitudinis additamentum: magnitudini autem Christi non est additio aliqua: ergo non habet similitudinem cum augmento.

3 Præterea, Philosophus dicit, quòd vbi est augmentum, augetur totum secundum formam, licet non totum secundum materiam: & hoc iterum non conuenit hic: quia Christus in forma non augetur.

4 Item, Vbi est augmentum corporis, oportet quòd illud quod auget sit potentia caro quanta, vt dicit Philosophus: panis non est potentia caro quanta Christi: ergo non auget: non ergo ista transsubstantiatio habet similitudinem cum augmento, sicut Damasc. dicit. Si forte tu dicas, sicut etiam videtur velle Damasc. quòd non est similis in omnibus augmentatio, sed in hoc tantum quod augmentatum est ita quod augens conuertatur in id quod ante existit secundum formam & speciem, quia in corpus conuertitur auctum quod prius erat: & ita hic panis conuertitur in id quod prius erat secundum formam & esse, quia in corpus Christi. Si, inquam, sic dicas. Contra: Nutrimentum etiam conuertitur in præexistens, & non est potentia nisi substantia nutriti, & non potentia quanta: augmentum autem quod conuertitur in præexistens est potentia caro, & quanta: ergo magis illa transsubstantiatio assimilatur nutrimento quam augmento, vt videtur: & ideo male assimilat eam augmento Ioann. Damascen.

VLTERIVS quæritur, Vtrum loci mutatio sit adiuncta huic transsubstantiationi? Videtur enim, quòd sic: omni enim augmento est adiuncta quædam loci mutatio secundum quod mutatio loci dicitur in maiori loco esse quam prius: sed ista transmutatio similis est augmento, vt dicit Damascen. ergo ei adiuncta est loci mutatio. *Quæstiuncula.*

2 Item, Loci mutatio accidit illi quod est vbi non erat prius: ex transsubstantiatione autem fit corpus Christi vbi non erat prius: ergo transsubstantiationi adiuncta est loci mutatio.

3 Item, Quod non est essentialiter vbique, si debet essentialiter esse vbi non erat prius, necesse est quòd veniat illuc per motum qui est loci mutatio: corpus autem Christi non est vbique essentialiter: ergo si debeat esse in loco vbi non erat prius, necesse est, quòd veniat illuc per motum qui est loci mutatio.

SED CONTRA hoc est quod dicit Damasc. ibi non esse loci mutatione. *Sed contra.*

2 Item, Quicquid mouendo mutat locum, accedendo ad locum vbi non erat prius, recedit à loco vbi erat prius: sed corpus Christi non recedit à loco in quo erat prius: ergo nec mouetur localiter ad locum vbi prius non erat. Prima patet per se. Secunda supponitur à fide & litera: quia non recedit à cælo, quando est in altari: ergo nec per hoc quod est in vno altari, minus est in alio.

SOLVTIO. Dicendum videtur sine præiudicio, quòd non satis congrue potest assimilari ista transsubstantiatio alicui motui vel transmutationi quæ est secundum naturam: sustinendo tamen quod dicit Damasc. dici potest, quòd in augmento est quod auget, & quod augetur: ex parte autem *Solutio.*

rem

tem augentis est corruptio secundum substantiam augentis, quia necesse est, quod formam propriam amittat & assimiletur ei quod auget. Vnde ex parte illa nulla est similitudo. Ex parte autem augmentati sunt multa: secundum terminos motus est quantitas imperfecta, & perfecta, & iterum ex parte illa non est similitudo. Et etiam est ibi quod ad se conuerso dat formam & speciem prius existentem, & quoad illud solum est similitudo, vt dicit Damasc. Et per hoc patet solutio ad tria prima.

AD ALIVD dicendum, quòd nutrimentum restituit deperditum & sanat indigentiam, & ideo nutrimento non poterat congrue comparari: augmentum autem est ad perfectionem corporis secundum quantitatem debitam, & illi comparatur secundum aliquid: tamen puto, quòd illa auctoritas Damascen. non sit extendenda: quia tutius est dicere, quod nulli motui vel mutationi assimilatur.

Ad quæstiunculam AD ILLVD autem quod vlterius quæritur, Si habeat loci mutationem adiunctam? Dicendum, quòd nullo modo.

AD PRIMVM autem obiectum contra, dicendum quòd non est hic augmentum, licet sit aliquid simile augmento quoad aliquid.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc non sufficit ad loci mutationem, quòd aliquid sit vbi non erat prius: sed oportet cum hoc quod etiam recedat à loco in quo erat prius: & hoc non est hic, sicut patet in obiecto facto in contrarium.

AD ALIVD dicendum, quòd licet corpus Christi non essentialiter sit vbique: est tamen in pluribus locis essentialiter, sicut supra ostensum est: obiectio autem facta non valet, nisi de eo quod essentialiter non potest esse nisi in loco vno. Quæ autem sit causa huius, requirendum est, vbi ostendebatur, quòd corpus Christi pluribus modis comparatur ad locum.

ARTICVLVS VI.

An istæ locutiones sint concedendæ, Panis potest esse corpus Christi, panis mutatur in corpus Christi, corpus Christi fuit panis, panis erit corpus Christi?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Alij vero concedunt, &c.] Hæc quæstio vtilis est, Quæ locutiones sunt concedendæ in huiusmodi transmutationis sermone, & quæ non? Subiiciantur autem exempla de quatuor modis loquendi qui extrahuntur in litera: & primo de locutionibus cum verbo copulante potentiam cum recto apponente, vt panis potest esse corpus Christi. Secundo cum verbis notantibus motum vel mutationem cum recto vel obliquo, vt cum dicitur, panis fit corpus Christi, vel panis mutatur in corpus Christi. Tertio de his quæ fiunt cum præpositione, vt cum dicitur, de pane fit corpus Christi. Quarto & vltimo de his in quibus sunt verba substantiua secundum differentiam temporis quæ sunt præteritum & futurum.

Quæst. 1. QVÆRATVR ergo primo de hac, panis potest esse corpus Christi. Videtur quod sit vera: quia ita dicit Ambrosius. Quod est panis, ex consecratione potest esse corpus Christi.

2 Item, Panis mutatur in corpus Christi: quicquid autem in aliquid mutatur, potest esse illud: ergo panis potest esse corpus Christi.

3 Item, Hæc in litera sæpius scribuntur.

Sed contra. SED CONTRA: Duplex est potentia, scilicet materialis, & actiua: constat autem, quòd potentia actiua panis non potest esse corpus Christi: qulla potentia est in pane quæ possit panem facere corpus Cristi: ergo relinquitur, quòd sit potentia passiua. Sed contra: Nulla est potentia passiua quæ per aliquam actiuam compleri non possit in natura: ergo si potentia passiua ad corpus Christi est in pane, aliqua actiua naturalis complebit eam, quod falsum est.

2 Item, Appetitus potentiæ materialis terminatur in actu illius potentiæ, quando habet eum: nullus autem appetitus est substantiæ panis ad formam substantialem Christi, cum materia panis non possit natura consequi talem: ergo potentia materialis non est in pane ad corpus Christi: ergo hæc est falsa, panis potest esse corpus Christi.

Quæst. 2. SECVNDO quæritur de hac, panis fit corpus Christi, vel panis mutatur in corpus Christi. Videtur autem, quòd prima sit vera: quia sæpius ponitur in litera ab Ambros. & Augustino.

2 Item Damasc. Christus fecit ea, scilicet panem & vinum, corpus suum & sanguinem: sed quod Christus fecit, hoc quandoque fiebat: ergo tunc verum erat dicere, panis fit corpus Christus.

3 Item Damasc. Interrogas causã, qualiter panis fit corpus Christi? respondeo ego tibi, quòd Spiritus sanctus superuenit, & facit hoc. Ex hoc accipitur primo in quæstione, quòd panis fit corpus Christi; & iterum secundo in responsione quæ supponit hoc quod est quæsitum.

Sed contra. SED CONTRA: Quod fit, nisi fieri in infinitum sit, quandoque terminatur ad factum esse: ergo quandoque verum est dicere, corpus Christi factum est de pane, quod falsum est, quia factum est de purissimis sanguinibus gloriosæ Virginis, vt dicitur in litera.

2 Item, Quod fit, quando factum est, illud est quod est factum: sed panis fit corpus Christi: ergo cum corpus Christi factum est, possumus dicere, quòd panis est corpus Christi, & hoc est falsum.

2 Item, Quod fit ab alio, dispositiones recipit ab eo transmutantes substantiam vel formas accidentales: ergo si panis fit, prius disponitur ad transmutationem: & hoc iam ante negatum est in quæstione de transmutatione ista.

4 Item, Fieri vult habere subiectum vt naturam quæ maneat in vtroque terminorum transmutationis: hoc autem hic non esse supra probatum est.

Contra secundam autem locutionem iam prius obiectum est vbi quæsitum erat, vtrum aliqua mutatio sit in sacramento isto.

Quæst 3. TERTIO quæritur de hac, de pane fit corpus Christi. Videtur autem esse concedenda ex hoc quod sæpius scribitur in litera à diuersis Sanctis.

Sed contra. SED CONTRA: Quicquid fit de alio, aut est nouum, aut aliquod nouum fit circa ipsum: sed

ſed corpus Chriſti nec eſt nouum, nec aliquid nouum fit circa ipſum: ergo corpus Chriſti non fit de aliquo: ergò non fit de pane.

2 Præterea, Si vera eſſet, ſequeretur ſupra habitum inconueniens: quia quod fit de aliquo, ipſo facto, de illo verum eſt dicere, quòd ipſum eſt factum de illo: ergo de corpore Chriſti facto de pane verum eſt dicere, corpus Chriſti factum eſt de pane, quod falſum eſt, cum non ſit factum niſi de ſanguine glorioſæ Virginis.

Queſt. 4. QVARTO quæritur de hac, corpus Chriſti fuit panis, vel panis erit corpus Chriſti. Videtur enim, quòd ſint veræ: quia dicit Ambroſius, Quod erat panis ante conſecrationem, eſt iam corpus Chriſti poſt conſecrationem.

2 Item, Auguſtinus in libro ſententiarum Proſperi, Fideliter fatemur panem eſſe & vinum ante conſecrationem quod natura formauit, poſt conſecrationem vero carnem Chriſti & ſanguinem quod benedictio conſecrauit.

Lib. 3. cap. 4. 3 Item Auguſtinus in lib. de Trinitate, Corpus Chriſti dicimus illud, quod ex fructibus terræ acceptum, & prece myſtica conſecratum ſumimus in memoriam Dominicæ paſſionis. Et eſt in litera. Ergo videtur, quòd non tantum cum præterito & futuro ſit, ſed etiam cum præſenti verum ſit dicere, panis eſt corpus Chriſti.

Sed contra. SED CONTRA hoc obiicitur, Cum dicitur, quod fuit panis, eſt corpus Chriſti, &c. ly quod eſt relatiuum idemtitatis: ergo vult habere eandem ſubſtantiam in antecedente & conſequente: ſiue autem illa ſit forma, ſiue materia, ſiue compoſitum, ſemper locutio eſt falſa: ergo omnes illæ ſunt ſimpliciter falſæ.

Solutio. SOLVTIO. Sine præiudicio hic videtur dicendum, quòd illæ de quibus primo quæritur, omnes falſæ ſunt, præcipue abſolute, propter illam propoſitionem, quòd cuius eſt potentia eius etiam eſt actus: vnde ſi eſſet potentia naturæ, eſſet etiam actus naturæ. Et ideo pro regula ab antiquis Doctoribus ponebatur in hac ſcientia, quòd locutiones de tranſſubſtantiatione cum hoc verbo poteſt, & recto ſequenti, omnes ſunt falſæ: & ſi inueniuntur à Sanctis, non ſunt extendendæ, ſed gloſſandæ.

DICENDVM ergo ad primum, quòd Ambroſius non dicit ſimpliciter, panis poteſt eſſe corpus Chriſti, ſed poteſt eſſe conſecratione diuina: & hoc eſt idem, quod poteſt poteſtate operante in ſacramento: & hoc verum eſt: quia propter determinationem copulat ly poteſt, non potentiam materialem vel actiuam panis, ſed potius diuinam cuius eſt vti creatura ad libitum.

AD ALIVD dicendum, quòd non ſequitur, ſi panis mutetur in corpus Chriſti quod poſſit eſſe corpus Chriſti: actus enim non infert potentiam, niſi quando actus ſequens eſt eiuſdem cuius eſt potentia præcedens: & hoc non eſt hic verum: ſicut etiam non ſequitur, Virgo peperit, ergo Virgo potuit parere ſine determinatione: ſed ſi determinetur ſic, Virgo potuit parere potentia diuina, vel huiuſmodi, tunc ſequitur, quia tunc potentia & actus retorquentur ad idem.

AD ALIVD patet ſolutio per ante dicta.

Ad qu. 2. AD ID quod ſecundo quæritur dicendum, quòd prima falſa eſt, hæc ſcilicet, panis fit corpus Chriſti: quia fieri copulat factionem circa aliquod ſubiectum, & dicit aliquid nouum: & neutrum horum competit tranſſubſtantiationi. Si autem inuenitur in auctoritate in litera, & in Damaſc. ſoluendum eſt, ita quòd fieri dicat tranſſubſtantiari, & rectus mutetur in obliquum, vt ſit ſenſus, panis fit corpus Chriſti, id eſt, panis tranſſubſtantiatur in corpus Chriſti, quod facit Spiritus ſanctus, ſecundum quod genus faciendi copulat quemcunque modum faciendi, & non phyſicam tantum actionem. Et per hoc patet ſolutio ad primum.

AD SECVNDVM autem videtur dicendum, quòd concedi debet, quia ly mutatur in ſacra Scriptura multiplicem copulat mutationem: ſunt autem plures mutationes in ſacra Scriptura non habentes ſubiectum: & tunc præcipue concedenda eſt, quando obliquus determinat verbum poſt, vt dicatur, panis mutatur in corpus Chriſti, & tunc mutatur dicit mutationem quæ eſt tranſſubſtantiatio.

Ad qu. 3. AD ID quod tertio quæritur, videtur mihi ſine præiudicio loquendo, quòd plures rationes habet quare non eſſe eſſet concedenda: ſed propterea quod non habemus verba quibus myſteria Dei proferamus, hæc à Sanctis multoties inuenitur & à Doctoribus conceſſa ſub illo ſenſu, quod ly de præpoſitio non notat materiam, vt cum dicitur, de ferro fit cultellus: nec poteſtatem, vt cum dicitur, Filius Virginis eſt de Spiritu ſancto: ſed potius notat tantum ordinem termini à quo eſt tranſſubſtantiatio, vt cum dicitur, de mane fit meridies. Et quòd verbum fiendi non copulat fieri, ſed potius mutationem diuinam talem quæ hic competit, id eſt, cui nihil ſubiicitur, quæ eſt à tota rei ſubſtantia in totam ſubſtantiam alterius rei ſine mutatione illius. Et per hoc patet ſolutio ad totum, quod contra illas locutiones quæritur. Et idem iudicium eſt de illa, ex pane fit corpus Chriſti: ſed ſi diceretur, à pane fit corpus Chriſti falſa eſſet: quia dicit cauſam efficientem.

Ad qu. 4. AD ID igitur quod quarto quæritur, dicendum quòd abſque dubio omnes illæ abſolute falſæ ſunt propter hanc regulam, quicquid eſt verum de præterito, fuit ad hoc præſens in quo verificabatur: vnde ſi corpus Chriſti fuit panis, neceſſe eſt ad hoc præſens fuiſſe, in quo verum fuit dicere, corpus Chriſti eſt panis: & quicquid erit verum in futuro, neceſſe eſt ad hoc præſens fore in quo verum eſt dicere, panis eſt corpus Chriſti: quorum vtrumque falſum eſt. Vnde tales locutiones abſolute ſunt falſæ & negandæ.

AD ID autem quod obiicitur, dicendum quòd relatiuum non refert ibi ſubſtantiam eandem, ſed potius diuerſas ſub eiſdem accidentibus, afficientibus quidem primam & continentibus, continentibus autem ſecundam & non afficientibus. Vnde cum dicitur, id quod eſt panis ante conſecrationem, eſt corpus Chriſti poſt conſecrationem, ſenſus eſt, ſub illo ſub quo erat panis ante conſecrationem, eſt corpus Chriſti poſt conſecrationem: ſicut paulo ante dixit Magiſter quòd in talibus locutionibus vtuntur Sancti tropo, quo ſolent res ſignificantes rerum ſortiri vocabula quas ſignificant. Et hic tropus à Donato dicitur metonymia. Et per hoc patet ſolutio ad totum.

(*Aſſerunt*

Asserunt quidam dictum panem transire in corpus Christi.

QVIDAM vero sic dicunt conuersionem illam esse intelli- D
gendam, vt sub illis accidentibus sub quibus erat prius substantia panis & vini, post consecrationem sit substantia corporis & sanguinis, sic tamen, vt non eis afficiatur: & sic asserunt dictum panem transire in corpus Christi: quia vbi erat panis, nunc est corpus Christi. Quod si est, quid ergo fit de substantia panis & vini? Illi dicunt vel in præiacentem materiam resolui, vel in nihilum redigi. Alij vero putauerunt ibi substantiam panis & vini remanere, & ibidem corpus Christi esse & sanguinem: & hac ratione dici illam substantiam fieri istam: quia vbi est hæc, est & illa: quod mirum est: & ipsam substantiam panis & vini dicunt esse sacramentum. Sed quod non sit ibi substantia, nisi corpus Christi & sanguis, ex prædictis & subditis aperte ostenditur. Ait enim Ambros. Panem istum quem sumimus in mysterio, illum intelligo vtique, qui manu sancti Spiritus formatus est in vtero Virginis, & igne passionis decoctus in ara crucis. Panis enim Angelorum factus est cibus hominum. Vnde veritas ait, Ego sum panis viuus qui de cælo descendi. Et iterum, Panis quem ego dabo, caro mea est pro mundi vita. Ex his namque duabus sententiis aperte datur intelligi, quia panis ille & iste, non duo, sed vnus panis, & vna caro proculdubio vnum efficitur corpus. Illud vere, illud sane, quod sumptum est de Virgine, quod resurrexit, & in cælum ascendit. Item Gregor. Quis fidelium habere dubium possit, in ipsa immolationis hora ad sacerdotis vocem cælos aperiri, in illo Christi mysterio Angelorum choros adesse, summa & ima sociari, vnum quid ex inuisibilibus atque visibilibus fieri? Idem, Eodem momento & in cælum rapitur ministerio Angelorum consociandum corpori Christi, & ante oculos sacerdotis in altari videtur. Sicut diuinitas verbi totum implet mundum, ita multis locis illud corpus consecratur. Nec sunt tamen multa corpora Christi, sed vnum corpus & vnus sanguis. Ideoque siue plus siue minus quis inde percipiat, omnes æqualiter corpus Christi integerrime sumunt. Post consecrationem ergo non est ibi substantia panis vel vini, licet species remaneant. Est enim ibi species panis & vini, sicut & sapor. Vnde aliud videtur, aliud intelligitur.

De sacramentis, & habetur de cõse. c. Omnia quæ. Ioan. 6.

ARTICVLVS VII.

An panis in consecratione annihiletur, aut in præiacentem materiam redigatur?

DEinde quæritur de hoc quod dicitur *ibi* [Quidam vero sic dicunt conuersionem illam, &c.] Hæc enim quæstio est valde vtilis de collatione harum trium opinionum, quas Magister tangit in litera. Quia vero de vna illarum omnes præcedentes quæstiones sunt, scilicet quòd panis non manet, neque annihilatur, sed fit transsubstantiatio à tota substantia panis in totam substantiam Christi: ideo de hac nihil amplius dicemus: sed de secunda & tertia faciemus quæstionem. Quia vero secunda dicit panem aut annihilari, aut in præiacentem materiam conuerti, ideo quæratur de illa. Et videtur, quòd sit verissima ista, & minus habens difficultatis, sic: In huius sacramenti transsubstantiatione id quod modo est panis, iam non erit panis, nec simpliciter, nec aliquid illius panis remanebit: quicquid autem nec simpliciter manet, nec aliquid eius, aut annihilatur, aut in præiacentem ma-

teriam conuertitur. In aliis transmutationibus naturalibus hoc possumus videre, scilicet cum ex aere fit ignis: si enim nihil aeris maneret in igne, nec in alio alio corpore, esset ipsa mutatio idem quod annihilatio aeris. Sed nihil panis manet in se, vel in corpore Christi. Ergo videtur, quòd transsubstantiatio sit idem quod panis annihilatio.

2 Item, Quicquid ibi est terminus mutationis à quo, quod in nulla ratione causæ se habet ad id in quod est transmutatio, non saluatur in se, nec in illo in quod transmutatur: panis autem sic se habet ad corpus Christi: ergo nec in se saluatur, nec in corpore Christi: ergo aut annihilatur, aut conuertitur in aliud.

3 Item, Idem est nihil quod non ens absolute: sed transsubstantiatione facta, hæc est falsa, panis iste est ens: ergo eius contradictoria est vera, panis iste non est ens: ergo & ista, panis iste est non ens: quia negatiua de infinito prædicato, æquipollet affirmatiuæ etiam de prædicato infinito: ergo panis est nihil; & hoc fit per transsubstantiationem: ergo per transsubstantiationem annihilatur.

4 Item, Generatio succedens corruptioni non tollit corruptionem præcedentem: ergo etiam existentia corporis Christi in altari postquam non fuit, non tollit desitionem panis præcedentem: ergo videtur, quòd panis desinat esse: ergo annihilatur.

5 Item, Cum dicitur, de nihilo fit aliquid, ibi præpositio non notat nisi ordinem: & similiter cum dicitur, de pane fit corpus Christi: ergo de re panis nihil manet in succedenti pani, & non manet in alio: ergo annihilatur.

6 Item, Vniuscuiusque substantiæ est aliquis actus proprius: ergo non existente illo actu nihil existit de substantia: sed proprius actus panis qui est reficere corpus, non manet: ergo nec substantia; substantia autem non manens, nec secundum formam, nec secundum materiam, nec secundum compositum, annihilatur: ergo substantia panis annihilatur.

7 Item, Omnis res cadit in nihilum, cuius esse non conseruatur: sed esse panis hic non conseruatur: ergo substantia panis cedit in nihilum.

8 Item, Ponamus quòd vniuersum sic conuertatur vt panis, vniuersum nec in se, nec in Christo est aliquid vel Christus: ergo vniuersum est annihilatum: ergo à simili etiam panis est annihilatus.

9 Item, In omni transmutato in quo aliquid manet, est productio alicuius: sed in hac transmutatione nihil noui producitur, vt supra probatum est sæpius: ergo nihil manet de transmutato: ergo nihil de pane: ergo annihilatur.

Sed contra. SED CONTRA hoc obiicitur: quia Deus non est causa destructionis alicuius naturæ: ergo præcipue in sacramento pietatis maximæ non destruit creaturam aliquam: ergo non annihilabit panem, sed continebit eum in esse.

2 Item, Quicquid conuertitur in aliquid, eo ipso impossibile est conuerti in nihilum, quia nihil & aliquid ad modum contradictionis opponuntur: substantia vero panis conuertitur in aliquid, quia in corpus Christi: ergo impossibile est eam conuerti in nihilum: ergo non annihilatur.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum videtur, quòd substantia panis non annihilatur: & tamen nec in se manet, nec in aliquo sui in Christo. Hæc autem opinio videtur esse consona verbis Sanctorum: vnde quamuis sit minus intelligibilis, tamen eligenda mihi videtur propter sanctos Patres, quorum inspirata reuelatio præiudicat argumentis quæ possunt fieri contra hanc materiam.

DICENDVM igitur ad primum, quòd non sequitur: si id quod modo est panis, nec simpliciter, nec secundum aliquid sui maneat, quod annihiletur. Et est fere vna responsio ad omnia, scilicet quod res mutatæ manent secundum exigentiam suæ mutationis: in mutatione enim quæ est de subiecto ad subiectum, manet subiectum, & non accidens: manet autem subiectum secundum materiam & formam & totum compositum ex illis: in mutatione autem quæ est de non subiecto ad subiectum, vel de subiecto ad non subiectum, sicut est generatio, & corruptio, manet materia, sed non forma substantialis vel accidentalis. Sed in ista mutatione quæ est de tota natura & substantia subiecti in totam substantiam alterius subiecti, manet quidem accidens, sed nihil de substantialibus: sed est aliud secundum quod est corpus Christi factum per transsubstantiationem, & ideo non est conuersum in nihilum.

AD ALIVD dicendum, quòd non est simile de aliis transmutationibus ad istam: quia aliæ transmutationes sunt à tota substantia, sed manente ad minus materia: hic autem est mutatio à tota substantia in totam substantiam alterius.

AD ALIVD dicendum, quòd illud non sequitur, quod in nulla ratione causæ se habet, &c. quòd in nihil conuertatur: hoc enim verum est in his quæ faciunt transmutationem & sunt imperfecta ad augendum: Dominus autem hic transmutauit, & ideo ipse sine aliqua causa conuertit vnum in aliud per seipsum: & ideo non annihilatur.

AD ALIVD dicendum, quòd panis non est ens post transmutationem, sicut ignis non est ens post corruptionem: & non sequitur, quod sit annihilatus, quia est in aliud conuersus: vnde ad diminutionem procedit illa ratio: deberet enim addi, non est ens & non est in aliud conuersus: ergo est nihil, vel est non ens.

AD ALIVD dicendum, quòd sicut generatio sequens non tollit corruptionem præcedentem: ita nec aduentus corporis Christi in altari, tollit transsubstantiationem panis: sed non infert desitionem in esse, quoniam non est idem transsubstantiari & desinere esse.

AD ALIVD dicendum, quòd licet præpositio de non notet nisi ordinem, non tamen infert annihilationem: quia illius est causa, quia conuersio est à tota substantia in totum corpus Christi: & ideo quia est à tota substantia, non potest dicere materiam: & quia est in totam, non potest esse annihilatio.

AD ALIVD dicendum, quòd actus proprius substantiæ panis non manet, quia nec substantia panis: sed non sequitur, quòd sit annihilata, eo quod est in aliud conuersa, & illius actus inuenitur, qui est reficere mentem.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc est verum de re cuius esse in nullo conseruatur, nec in aliquid

transmu

transmutatur:& ideo diminute proponitur,quando dicitur, res cedit in nihilum cuius esse non conseruatur: hoc enim est falsum in omni transmutatione substantiali:vnde patet, quòd hoc argumentum non valet.

AD ALIVD dicendum, quòd facta tali positione non sequitur vniuersum annihilatum esse, eadem de causa quæ dicta est, scilicet quia est in aliud conuersũ:& ide non sequitur, non manet in se nec in aliquo sui: ergo est annihilatum:sed sequitur:ergo est annihilatum, vel tota substantia conuersa est in aliud.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc non sequitur nisi de illis transmutationibus quæ non sunt à tota substantia, sicut sæpius supra dictum est:quod enim mutatur à tota substantia in totam substantiam alterius præexistentem, non annihilatur, nec manet, nec aliquid nouum in tali mutatione producitur.

ARTICVLVS VIII.

An in sacramento Eucharistiæ cum corpore Christi maneat substantia panis & vini?

SEcundo quæritur de tertia opinione quam tangit *ibi* [Alij vero putant substantiam panis & vini remanere, &c.] Illa vero opinio probabilior videtur inter omnes: quia de natura & ratione corporis dictum est, cum sit glorioſum,quod potest esse cum quolibet alio corpore, & in eodem loco:ergo etiam cum pane potest esse sub eisdem accidentibus, & sub eodem loco:cum ergo maneat effectus panis qui est cibare corporaliter, videtur quòd nihil probabilius possit dici, quam quod corpus Christi sit cum pane & in eodẽ loco.

2 Item,Non est intelligibile qualiter accidens secundum esse acceptum sit sine subiecto: constat autem, quòd ibi est accidens secundum esse, quia videtur album & rotundum, & tangitur durum: ergo illud accidens erit in aliquo sicut in subiecto: non autem in corpore Christi: ergo in substantia panis:oportet ergo substantiam panis manere.

3 Item, Ex hoc minor occasio derisionis sequeretur infidelibus, cum ipsi non credant hoc sacramentum, propterea quod vident & tangunt substantiam aliquam,quæ non est corpus Christi, quia nutrit corpus materiale:ergo videtur, quòd hoc probabilius dicatur, quam aliquod aliud.

4 Præterea, Forma accidentalis non diuiditur nisi per accidens:sed constat, quòd ibi aliquid diuiditur: ergo illud diuisum per se non potest esse forma accidentalis tantum:ergo aliqua substantia cui innititur: ergo videtur,quòd ibi maneat substantia panis.

5 Item, Si destruitur substantia panis, aliquid erit eam destruens: aut ergo corpus Christi, aut Deus, aut aliquid agens in contrarium. Non corpus Christi: quia hoc non venit ad destruendum, cum possit esse in eodem loco. Similiter non destruit eam Deus: quia Deus conseruator rerum est, & non destructor. Ita videtur, quòd per nihil agens in contrarium destruatur: quia tunc non manerent accidentia:panis enim non ratione substantiæ pateretur à contrario,sed ratione formarum: quia substantiæ nihil est contrarium. Ergo cum nihil destruat substantiam panis, videtur quòd ipsa substantia panis maneat.

SED CONTRA Si substantia panis manet:tunc falsus est sermo Domini, dicens, Hoc est corpus meum: quia tunc substantia panis per sua accidentia oculis subiecta demonstratur per pronomen. *Sed contra.*

2 Præterea, In litera plures auctoritates inducuntur ad hoc quod nulla substantia est ibi, nisi tantum substantia corporis Domini: ergo non est ibi substantia panis.

3 Item, Si dicitur ibi manere substantia panis: ergo afficientia ipsum accidentia ducunt intellectum in substãtiam panis:ergo non ducunt in corpus Christi inuisibile:ergo non habent ibi rationẽ signi quæ exigitur in sacramento,quod est inconueniens: ergo oportet dicere,quòd hæc opinio sit falsa.

SOLVTIO. Dicendum, quòd ista opinio his rationibus multis & fere omnibus falsa videtur, sicut & secunda:tamen cum prima sit fere omnium & totius Ecclesiæ: secunda habet adhuc aliquos defensores:tertia autem,vt puto,nullum. *Solutio.*

DICENDVM ergo ad primum, quòd non manet substantia panis. Ad primum autem quod est contra hoc, dicendum quòd licet corpus glorioſum & præcipue corpus Domini possit esse cum pane in eodem loco:tamen ratio sacramenti, non ratio loci repugnat, & huius causa tacta est in opponendo in contrarium: quia accidens non duceret nisi in substantiam propriam, & sic caderet à ratione signandi. Si autem obiicitur similiter de aliis sacramentis, in quorum materiis substantia manet, supra quidem mota est quæstio, & solutio quædam data, in qua concordant plures Doctores. Sed tamen potest dici sine præiudicio, quòd in aliis sacramentis ratio signandi sumitur à proprio actu substantiæ quæ est materia sacramenti:sicut in aqua baptismi est actus ablnendi, & in chrismate actus vngendi, &c. Vnde cum talis actus non sit sine substantia,oportuit manere substantiam in aliis. Hic autem ratio signandi non sumitur ab illo actu, sed potius à formis panis accidentalibus: & ideo non oportuit manere substantiam.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc non est intelligibile, qualiter accidens secundum esse maneat ad vsum naturæ:sed ad vsum ostensionis operis Dei bene est intelligibile: quia sic continetur in esse à Deo operante opus illud, non in virtute subiecti: & hoc in sequenti distinctione discutietur.

AD ALIVD dicendum, quòd occasio derisionis tollitur per hoc quod aut formæ illæ habent actus quosdam panis in sacramento, & in corpus transeundo, aut substantia redit post desitionem formarum, vt quidam dicunt. Cum ergo hoc exigat essentia sacramenti,& præcluſa sit satis impietas, non oportuit manere substantiam panis.

AD ALIVD dicendum, quòd illa obiectio procedit ac si ipsa substantia per se diuidatur: & hoc falsum est:sed potius cum sola substantia esset indiuisibilis, vt dicit Philosophus, sed quanta diuidi potest, bene conceditur, quòd quantitas manet, ratione cuius aliæ formæ situales, vt albedo,& sapor, diuiduntur.

AD VLTIMVM dicendum, quòd illa obiectio

iectio ſupponit, quòd ſubſtantia panis deſtruatur pet annihilationem: & hoc probatum eſt non eſſe verum in diſputatione præcedentis opinionis.

ARTICVLVS IX.

An hora immolationis aperiantur cæli, & ad quid cæli ſunt aperti?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Quis fidelium habere dubium poſſit in ipſa immolationis hora, &c.] Et quæritur ibi, Ad quid oporteat cælos eſſe apertos? Sicut enim ſupra habitum eſt, corpus Chriſti incipit eſſe in altari ſine motu locali: ergo non eſt neceſſe ad hoc cælos aperiri, quòd veniat in altare.

2 Item, Poſito etiam quòd locali motu veniret, non oporteret cælos aperiri: quia tranſeundo per cælos, cum cælis eſſet in eodem loco.

Queſt. 1. PRÆTEREA quæritur, Quid ſit ſumma & ima ſociari? Non enim panis qui imus eſt, ſociatur corpori Chriſti, ſed tranſſubſtantiatur in illud, cum ſocietas non ſit niſi inter diuerſa coniuncta, aut ſecundum locum, aut ſecundum effectum.

Queſt. 2. VLTERIVS quæritur, Quæ ſunt illa inuiſibilia ex quibus fit vnum quid: viſibilia enim ſunt in ſubſtantia panis & vini, inuiſibilia corpus Chriſti & ſanguis: & conſtat, quòd ex his non fit vnum quid: ergo videtur male dicere.

Queſt. 3. VLTERIVS iterum quæritur, Quid ſit illud rapi in cælum, vt conſocietur corpori Chriſti: quod enim rapitur, mutat locum: ergo videtur, quòd non maneat in altari. Præterea quæ neceſſitas eſt, quod rapitur in cælum conſociandum, cum in altari ipſo ſit veritas corporis Domini noſtri Ieſu Chriſti.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd cæli dicuntur hic aperiri quoad præſentiam virtutis cæleſtis operantis in ſacramento: & hoc eſt nobis cælos aperiri: ſicut frequenter accipitur in ſacta Scriptura, quando aliquid cæleſte oſtenditur, ſicut Ezech. 1. & Matth. 3. Per hoc etiam patet ſolutio ad ſecundum.

Ad qu. 1. AD ALIVD dicendum, quòd vniri dicuntur ſpecies viſibiles: & corporis myſtici membra: & hoc vt ſint vnum ſacramentum cum corpore Domini: & cuiuſmodi vnum ſint, hoc ſuperius determinatum eſt. Quoad membra autem eſt ſpecialis effectus vnionis membrorum ad caput. Et per hoc patet ſolutio ad ſequens: quia viſibilia ſunt ſpecies, & inuiſibilia ſunt corpus & ſanguis, ex quibus fit vnum in eſſe relationis in ſacramento.

Ad qu. 2.

Ad qu. 3. AD ALIVD dicendum, quòd raptus competit membris ſecundum effectum ſpecialem vnionis ad gloriam corporis Chriſti, ſecundum quam apparet in cælo. Et ideo licet in altari ſit eſſentialiter, tamen Eccleſia non quærit ad ipſum rapi per vnionem ſecundum quod eſt in altari, ſed potius pro vt eſt in cælo. Et de hac diſtinctione dicta ſufficiant ad præſens.

DISTINCTIO XII.

Quare ſub alia ſpecie.

SVB alia autem ſpecie tribus de cauſis carnem & ſanguinem tradidit Chriſtus, & deinceps ſumendum inſtituit: vt fides ſcilicet haberet meritum quæ eſt de his quæ non videntur, quia fides non habet meritum vbi humana ratio præbet experimentum. Et ideo etiam, ne abhorreret animus, quod cerneret oculus, quia non habemus in vſu carnem crudam comedere & ſanguinem bibere. Quia ergo Chriſtum vorare dentibus fas non eſt, in myſterio carnem & ſanguinem nobis commendauit. Et etiam ideo, ne ab incredulis religioni Chriſtianæ inſultaretur. Vnde Auguſtinus: Nihil rationabilius quam vt ſanguinis ſimilitudinem ſumamus: vt & ita veritas non deſit, & ridiculum nullum fiat à Paganis, quod cruorem occiſi hominis bibamus. Ne ergo hoc fieret, & ne veluti quidam horror eſſet cruoris, in ſimilitudinem accipimus ſacramentum. Ex præmiſſis iam liquet, quare ſub alia ſpecie, & quare ſub iſta hoc ſacramentum Dominus celebrauerit, & celebrari à nobis inſtituerit.

Gregorius in homil. paſchali. De conſ. c. Sub figura.

DIVISIO

DIVISIO TEXTVS.

SVb alia autem specie tribus, &c.] In hac distinctione incipit pars illa in qua agitur de transsubstantiatione ex parte eorum quæ transmutantur, scilicet substantiæ panis & vini. Et diuiditur pars illa in tres partes, in quarum prima tangit causas quare sub alia specie, quam sub propria dedit corpus suum. In secunda autem tangit quale corpus dedit *ibi* [Corpus vero tale dedit, quale tunc habuit] In tertia vero tangit modum remanendi qui accidentibus competit *ibi* [Si autem quæritur de accidentibus] In prima parte tanguntur vlterius tria, in quorum primo tangit, quare sub alia specie dederit corpus suum. In secundo tangit causas, quare sub duplici specie *ibi* [Quare sub duplici specie sumitur] In tertia autem tangit de aqua admixta *ibi* [Aqua vero admiscenda est.

ARTICVLVS I.

Quare Christus sub alia specie quam propria dedit corpus?

IN primo quæritur de causis quas tangit Magister in litera. Et primo de prima quæritur, Quare sub alia specie dedit corpus suum? vt fides haberet meritum: quia, vt dicit Gregor. Fides non habet meritum, &c. Si enim hæc causa vera est, sequitur quòd quodlibet aliud sacramentum sub alia specie debeat contineri, quam sub illa in qua saluatur sua essentialis veritas: sed hoc est falsum: ergo ratio illa non valet.

2 Præterea, Tunc peccarent omnes illi qui rationem assignare quærunt de credendis: quia tollunt meritum fidei, vt videtur.

3 Præterea, In quolibet irrationali posset dici, quòd esset credendum, & non esset quærenda ratio: quia si ratio quæratur, euacuatur meritum fidei.

4 Præterea, Videtur quòd sub eadem specie debuit tradi corpus: sub eadem enim specie magis excitaret deuotionem: deuotio autem est summè necessaria ad meritum fidei: ergo videtur, quòd sub eadem specie tradi debuit.

5 Item, Minus elongatum est signum continens veritatem à veritate, quam signum non continens & signans tantum: signum sacramenti nouæ legis continet veritatem & signat eam, signum autem Veteris Testamenti signat, & non causat: ergo minus debet elongari nouum, quam vetus: sed signum sacramenti veteris legis erat in eadem specie cum Eucharistia, quia erat corpus & caro agni Paschalis: ergo multo fortius in nouo debet esse in eadem specie: ergo non debuit tradi sub alia specie.

6 Item, Forma & species principium sunt intelligendi res, & distinctiones formarum sunt ad distinctiones intellectuum qui habentur de rebus: ergo determinata res in natura sua & forma sua non intelligitur nisi ex propria specie formæ: cum igitur formæ sacramentales sint ad intellectum veri corporis Christi, & non sint duplices: ergo hoc sacramentum non debuit tradi sub duplici specie, vt videtur.

VLTERIVS quæritur de secunda causa quam tangit in litera, dicens quòd si sub propria forma dedisset, animus hominis abhorreret: quia horror est homini carnem crudam comedere, & sanguinem bibere. Et hoc nihil esse videtur: quia supposita fide, videtur quòd nihil horroris, sed plurimum deuotionis ex hoc innasceretur. *Quæstiuncula 1.*

2 Item, Satis scitur à fidelibus, quòd non incorporatur nobis ille cibus, sed nos ei: ergo nihil ad sumptionem operaretur vel deoperaretur cruditas carnis: sed potius attenditur vtilitas nostra.

VLTERIVS quæritur de tertia quæ est vt irridendi occasio tolllatur infidelibus qui dicunt nos cruorem occisi hominis bibere: quia videntes infideles, quòd ille sanguis nobis foret potus, potius ædificarentur, quam irriderent. *Quæstiuncula 2.*

2 Præterea, Nos videmus, quòd sancti aliquando pro confessione fidei orauerunt, quòd Dominus in propria specie se ostenderet, sicut legitur de beato Gregor. Papa, quòd ad firmandam plebis fidem, orationibus suis formam accepit digiti versi in carnem cruentã: quare si esset sub propria specie, non ordinaretur ad fidei irrisionem, sed potius ad eius ædificationem.

IVXTA hoc vlterius quæritur, Si contingat, quòd Dominus ostendat se in propria forma hominis, vel carnis cruentæ, vel membri alicuius, vtrum sit sumendum vel non? Videtur autem ex litera, quod non: quia in secunda causa dicit, quòd horror est carnem cruentam manducare. *Quæstiuncula 3.*

2 Item, Christum vorare dentibus dicit fas non esse: ergo videtur, quòd non esset sumendum.

SED CONTRA: Illa ostensio, & subtractio accidentium panis non fit nisi ad augmentandam deuotionem: quanto autem deuotio magis augetur, tanto dignius sumitur: ergo quanto apertius ostenditur, tanto dignius sumitur: ergo etiam tunc magis erit sumendum, quam alia vice. *Sed contra.*

SOLVTIO. Dicendum, quòd causæ quas tangit Magister in litera, bonæ sunt. Et prima est accepta ex verbis Gregor. Secunda ex verbis Hieronymi. Tertia vero ex verbis beati Augustini. Posset tamen reddi hæc causa quæ videtur cogens, quod quædam sunt in sacramento consideranda ad ipsum secundum essentiam, quædam autem consideranda ad vsum ipsius, scilicet quod datur in cibum spiritualem fidelium. Et in prima consideratione tangũtur causæ dictæ in litera. Sed in secunda consideratione opottet in sacramento esse fractionem, masticationem, & rationem cibi generalis. Prima autem duo nullo modo possunt cadere in formam corporis Christi propriam: quia illud corpus cum sit impassibile & glorioſum, non est diuisibile vel frangibile in forma aliena. Secundum tertium vero quod est vsus rei in ratione cibi & potus generalium, oportuit quòd haberet formam cibi generalis, & illa est forma panis: & formam potus generalis, & illa est vini species. Tamen de hoc infra quæretur, quare spiritualiter dedit sub his formis potius quam sub aliis. *Solutio.*

Ad primvm ergo dicendum, quòd secus est in aliis sacramentis: quia in illis non continetur auctor omnis gratiæ, sed in isto continetur, & ideo in ipso præcipue altissimo debuit fides collocari.

Ad alivd dicendum, quòd duplex est ratio de fide: prima scilicet quæ extrahitur à principiis fidei: & hæc ædificat fidem, quia supponit fidei principium, & supponens fidei principium, non dubitat de credito. Secunda vero procedit non supponendo fidei principium, sed ex rationibus physicis: & hæc frequenter nititur fidem euertere, & meritum fidei extinguere: & de hac intelligitur dictum Gregor. & ideo dicit, cui humana ratio præbet experimentum, non divina.

Ad alivd dicendum, quòd est irrationabile, quod nullam habet veri rectitudinem, & hoc non est credendum: & qui credit, fatuus est: sed est aliquid in quod non potest ratio, habens tamen argumentum veritatis, quia illud dixit Dominus qui non potest mentiri, & sæpe dicta eius intelligere non sufficimus: & illud oportet credi, eo quod dictis Domini falsum subesse non potest.

Ad alivd dicendum, quòd forte ad tempus excitaret naturalis species maiorem deuotionem quam species panis, sed non semper: præcipua tamen causa est, quia ea quæ exiguntur ad vsum sacramenti, non possent esse in propria forma: sed saluantur bene in forma alia quæ est corporis corruptibilis.

Ad alivd dicendum, quòd species rei & species sacramenti in nullo sacramento possunt esse idem: quia res sacramenti inuisibilis est, species autem sacramenti debet esse sensibilis. Et ad argumentum dicendum, quòd in veteri testamento fuit caro figura non eiusdem speciei cum carne Christi, sed potius caro animalium quorundam oblatorum. Et huius causa supra dicta est: quia non figurabat tantum sacram rem, sed etiam Christi Passionem, & oblationem quam Patri obtulit in cruce. Vnde sacramenta veteris legis & nouæ non distinguuntur per hoc quod est signare, sed potius per id quod est causare. Vnde per hoc sunt sacramenta nouæ legis viciniora veritati, quia continent eam, quod non fecerunt sacramenta veteris legis. Si autem volumus dicere, quòd expressiora sunt in significando, tunc dicendum, quòd species panis expressius est signum cibi spiritualis mystici corporis, quam caro: quia nec cibus generalis est, nec etiam colligitur ex diuersis sicut panis: sed tamen caro expressius est signum passionis, & oblationis in cruce. Ad quod nota, quòd sacramenta veteris legis signabant tantum sacramenta nouæ legis. Sacramenta vero nouæ legis signant non solum ipsum sacramentum, sed etiam cum hoc effectum sacramenti in nobis. Ad hunc autem effectum signandum expressius signum est species panis, quam species carnis.

Ad alivd dicendum, quòd aliter intelligitur res secundum propriam naturam rei, & aliter in effectu spirituali. Primo modo intelligitur res ex propriis principiis speciei. Secundo autem modo necesse est, quòd intelligatur per symbolum corporalium imaginum: & hoc modo fit intellectus spiritualium in sacramentis.

Ad id quod vlterius quæritur de secunda causa, dicendum quod est horror qui nascitur ex deuotione & reuerentia: & est horror qui nascitur ex abominatione. Primo modo esset horror in sumptione sacramenti: nullus enim præsumeret cruentam carnem Christi sumere, quando in propria specie præsentaretur. Et ita intelligitur in litera. *Ad quæstiunculam 1.*

Ad alivd dicendum, quòd licet sciatur à fidelibus, quòd nobis non incorporatur, sed nos ei: tamen etiam accessum & contactum formidaret homo ex reuerentia. Præterea, quod potissimum est in sacramento, ratio signi non saluaretur ibi, vt prætactum est, nec ea quæ pertinent ad vsum sacramenti.

Ad id quod vlterius quæritur de tertia causa, dicendum quod infideles videntes cruentam carnem Christi dentibus diuidi, & sanguinem assumi per potum, non ædificarentur ad fidem: quia diuidi & assumi sunt corporalium: & ideo tunc putaretur Christum & corporalem esse, & effectum sacramenti putarent esse præstigium vel incantationem. *Ad quæstiunculam 2.*

Ad alivd dicendum, quòd quandoque Sancti orauerunt in casu propter ostensionem effectus sacramenti: sed tamen in assumptione sacramenti orauerunt, vt iterum esset sub forma panis: & ita fecit beatus Gregorius cum matrona, quæ ipsum panem sacræ oblationis obtulerat, & de sacramenti efficacia dubitabat: & hoc cum reuelaretur beato Gregorio, orabat, vt Deus ostenderet sacramenti effectum: & iterum postea orauit, vt rediret species panis, & dedit eidem matronæ sumendum.

Ad id autem quod vltimo quæritur, Vtrum sic esset sumendum, si in propria forma carnis vel sanguinis appareret? Dicendum sine præiudicio, quòd aut omnibus apparet sub forma propria, aut aliquibus. Si aliquibus, puto quòd sit sumendum: si vero omnibus, tunc non est sumendum, sed pro reliquiis reseruandum. Si autem tunc quæratur, Vtrum sacerdos, cui hoc accidit, missam sine communione celebrare debeat? Dicendum, quòd si præ deuotionis feruore potest, debet aliam missam celebrare, & in illa communicare. Et si in illa idem contingat: tunc potest aliam celebrare, donec communicet in persona Ecclesiæ. Si autem ex indeuotione impeditur, vel ex hoc quod sæpius sine intermissione hoc sibi contingit, tunc potest non celebrare: & ipsa communio quam in persona Ecclesiæ debuit facere, intelligitur in spirituali sumptione per feruorem excitatum ex hoc quod corpus Christi in propria forma omnibus apparet, & cætera. *Ad quæstiunculam 3.*

***

Quare

Quare sub duplici specie?

SED quare sub duplici specie sumitur, cum sub alterutra totus sit Christus? Vt ostenderetur totam humanam naturam assumpsisse, vt totam redimeret. Panis enim ad carnem refertur, vinum ad animam: quia vinum operatur sanguinem in quo sedes animæ à physicis esse dicitur. Ideo ergo in duabus speciebus celebratur, vt animæ & carnis susceptio in Christo, & vtriusque liberatio in nobis significetur. Valet enim, vt Ambros. ait, ad tuitionem corporis & animæ quod percipimus, quia caro Christi pro salute corporis, sanguis vero pro anima nostra offertur, sicut præfigurauit Moyses: Caro, inquit, pro corpore vestro offertur, sanguis pro anima: sed tamen sub vtraque specie sumitur quod ad vtramque valet, quia sub vtraque sumitur ipse totus Christus. Sed si in altera tantum sumeretur, ad alterius tantum, id est, animæ vel corporis, non vtriusque pariter tuitionem valere significaretur. Sub vtraque specie tamen totus sumitur Christus: nec plus sub vtraque, nec minus sub altera tantum sumitur. Eadem enim ratio est, vt ait Hilarius, in corpore Christi, quæ in manna præcessit. De quo dicitur, Qui plus collegerat, non habuit amplius: nec qui minus parauerat, habuit minus. Et licet sub vtraque specie sumatur totus Christus, tamen non fit conuersio panis nisi in carnem, nec vini nisi in sanguinem. Nec debent dici duo sacramenta, sed vnum: quia vtraque specie idem sumitur. Neque debet iterari sacramentum: quia benedictio non repetitur super speciem eandem. Neque aliæ substantiæ in sacrificium veritatis offerri debent: quia de aliis non potest consecrari corpus Christi vel sanguis.

F

Cõmentario ad 11. cap. epist. ad Hebr.

De cõse. dist. 2. cap. Vbi pars est.

Exod. 16.

ARTICVLVS II.

An in sacramento Eucharistiæ necessaria sit duplex species?

DEinde quæritur de secunda parte huius capituli, scilicet de hoc quòd dicit *ibi* [Sed quare sub duplici specie, &c.] Videtur enim non esse necessaria duplex species: vnum enim non terminatur ad duo, sed ad vnum tantum. Agnus autem paschalis quem comedit Christus cum discipulis Matth. 25. non fuit nisi vnus. Ergo ad duas res non terminatur: ergo nec ad duas species sacramentales, vt videtur.

2 Si autem tu dicas, quòd multa fuerunt in comestione agni paschalis, sicut azyma, & lactucæ agrestes, & carnes agni: & illis aliquid debuit respondere ex parte sacramenti: tunc multo plura: quia ad minus tria deberent esse materiæ huius sacramenti: & hoc non est verum. Item, Agnus non terminatur ad azymum, sicut ad rem quæ est eiusdem speciei cum ipso: nec lactuca agrestis ad vinum, quia non habet conformitatem: ergo illa responsio nulla est. Præterea, Illa non fuerunt de veritate sacramenti, sed potius signabant præparationem eorum qui comedere debebant agnum paschalem: ergo etiam in veritate noui testamenti illis nihil debuit respondere: ergo non propter illa plures species debebant esse in materia huius sacramenti.

3 Item, Nullum aliorum sacramentorum habet duplicem speciem pro materia: ergo nec istud debuit tradi in duplici specie.

4 Si autem dicas, sicut dicitur in litera, quòd quia duplices sumus, scilicet corporales, & spirituales: ideo corpus offertur pro corpore, & sanguis pro anima: hoc nihil esse videtur: quia eadem ratione quodlibet sacramentum esset tradendum in duplici specie, cum nos qui suscipimus, duplices sumus, & quærimus in eo duplicem profectum, scilicet animæ, & corporis.

5 Item, Totus Christus in sanguine & anima & corpore continetur sub altera illarum specierum: ergo videtur, quòd superfluum est in sacramento offerre aliam.

SOLVTIO. Ad hoc puto esse dicendum, quòd multis de causis quatum quædam in litera tanguntur, quædam autem à Magistris, istud sacramentum in duplici specie traditum est. Vna est quæ tangitur in litera: quia offertur pro corpore, & anima. Alia causa est, vt dicunt quidam, quòd sacramentum illud non est tantum sacramentum effectus spiritualis, sed etiam memoriale. Vnde

Solutio.

per

per ſpeciem panis qui cor hominis confirmat, facit vnionem charitatis, vt vnionem corporis myſtici. Sed per ſpeciem vini pinguium eſt memoriale ebrietatis amoris Chriſti, quando in ſanguine paſſionis pro nobis ſe obtulit, quaſi oblitus ſui ipſius pro dilectione noſtra. Aliam cauſam iterum tangunt alij: quia non tantum eſt ſacramentum paſſionis, ſed etiam incarnationis. Incarnationem ergo ſignificat ſpecies panis: quia corpus eius quaſi ex guttis ſanguinis commixtum & coagulatum & formatum eſt in panem fidelium: per ſpeciem autem ſanguinis ſignificat paſſionis ſanguinem fuſum. Aliam tangunt quidam, quòd hoc ſcilicet factum eſt in ſignum duplicis modi ſumendi: quidam enim ſumunt cum difficultate pœnitentiæ, quaſi panem doloris, & panem lacrymarum pro peccatis præteritis: & illi quaſi maſticant diu, & glutiunt tandem. Alij autem cum facilitate deuotionis, ſperantes fruitionem æternam in patria, quæ hic ſignificatur in ſacramento: & illi quaſi bibunt & inebriantur ab ebrietate domus Dei, & torrente voluptatis potantur. Adhuc alij dicunt, quòd ſit hoc in ſignum duplicis effectus, ſcilicet vnionis corporis myſtici per carnem, & redemptionis per ſanguinem. Primum ergo ſignificatur in ſpecie panis qui conformando ſibi & caput vnit & membra: ſecundum autem in ſpecie vini.

Probabiles autem ſunt omnes illæ cauſæ: ſed vna omnibus aliis melior, vt videtur, hæc ſcilicet quia inter vnita ſibi oportet coniunctionem & virtutem vnientem eſſe: cum igitur nos per hoc ſacramentum vniamur Chriſto capiti, oportet aliquid eſſe in ſacramento quo ſignificetur noſtra ad eum coniunctio, & aliquid quo ſignificatur virtus vniens. Sed vnio non poteſt ſignificeri in pane, quia non eſt corpus immiſcibile, manens in propria ſpecie: & ideo oportet eſſe ſubſtantiam liquidam, cui alia vniretur inſipida: ſed iterum potuit eſſe, quòd noſtra inſipiditas per illam debuerit redire ad ſaporem. Vnde vt ſignificaretur vnio Chriſti per naturam, aſſumitur ſpecies vini. Quia pueri communicauerunt carni & ſanguini Domini: & ipſe ſimiliter participauit eiſdem, vt dicitur Hebr. 2. Vt autem ſignetur vnio noſtra per gratiam ad ipſum, apponitur aqua vt noſtra inſipiditas ſuo ſapore reuerſa intelligatur ad ſaporem, & abſorpta, ſicut illa aqua abſorbetur à vino. Vt autem ſignificetur virtus vniens, aſſumitur ſpecies panis qui cor hominis confirmat, & per conſequens ligat membra cum capite. Tamen quando omnes illæ rationes adunantur, efficitur ex omnibus vna habens vigorem.

Dico ergo ad primum, quòd vnum in quo ſunt duo, bene terminari poteſt ad duo illi reſpondentia. In agno autem fuit quidem carnis eſus & ſanguinis oblatio, & linitio poſtium & ſuperliminarium: & ideo duo ſuccedunt: vnum reſpondens eſui carnis, & alterum reſpondens potui ſanguinis.

Ad aliud dicendum, quòd bene conceditur, quòd illis nihil reſpondet in ſubſtantialibus ſacramento iſti, ſed potius in circunſtantis ſumentium: ſicut eſt quòd azymi ſignificent puritatem ſyncritatem & veritatem, & lactucæ agreſtes amaritudinem pœnitentiæ pro commiſſis.

Ad aliud dicendum, quòd alia ſacramenta non ſic habent ſignificare modum vnionis, qui in duobus expletur, ſicut iſtud, & ideo non ſunt tradita in duplici ſpecie.

Ad aliud dicendum, quòd non eſt hæc ſola cauſa, quia duplices ſumus: ſed cum hoc quia Chriſtus corporaliter & ſpiritualiter per ſe coniungitur nobis: in aliis autem non coniungitur nobis, niſi vno modo, ſcilicet ſpiritualiter per gratiam: & ideo cum hic ſit vtraque coniunctio, ſcilicet corporis, & animæ, ideo oportuit eſſe duplicem ſpeciem in ſacramenti materia.

Ad vltimvm dicendum, quòd licet totus Chriſtus ſit ſub vtraque ſpecie: tamen totus eſt de vi ſacramenti: cum igitur plurima ſit oſtenſa vtilitas in cauſis dictis, oportuit quòd ex vi ſacramenti ſub vtraque ſpecie in ſacramento haberetur.

ARTICVLVS III.

An bene dicat Magiſter, quòd vinum operatur ſanguinem in quo ſedes animæ à Phyſicis dicitur?

Deinde quæritur de hoc quod dicit in litera *ibi* [Quia vinum operatur ſanguinem, &c.] Hoc enim falſum videtur ſecundum Phiſicos, quos tamen inducit in litera pro teſtibus. Aut enim anima comparatur ad corpus vt actus, ſiue forma, vel perfectio: aut comparatur ad ipſum vt motor & principium operum. Si primo modo: tunc non poteſt eſſe quod dicit: quia ſic eſt in toto tota, vt dicit Auguſtinus. Si enim aliquid eſſet de corpore, in quo non eſſet tota, oporteret quòd aliquid eſſet de materia non perfectum à forma: omnis autem formæ ſubſtantialis hoc proprium eſt, quòd ſit in toto tota, ſicut lapideitas in lapide, & igneitas in igne, & ſic de aliis. Si forte tu dicas, quòd hoc non eſt verum niſi de totis homogeniis, & non de heterogeniis: quia humanitas eſt in toto, & non in partibus: hoc non obſtat, quia aliud eſt dicere in toto totam eſſe, & aliud in partibus totam eſſe. Et primum competit omni formæ ſubſtantiali: ſecundum autem non, ſed tantum competit animæ: quia dicit Auguſtinus quòd eſt in qualibet parte corporis tota. Videtur autem, quòd hoc modo non habeat ſedem in ſanguine, ſed in toto. Item, Sanguis non eſt pars hominis, vel alterius animalis, niſi potentia tantum: ergo non eſt pars animata niſi potentia tantum: ſed magis eſt ſedes animæ in eo quod actu animatum eſt, quam in eo quod potentia ſolum: ergo ſedes animæ, eo quod actu animati eſt, magis eſt in corde vel in cerebro, quam in ſanguine.

Si autem comparatur anima ad corpus, vt motor & principium operum: adhuc eſt falſa, & magis quam prius: motus enim naturales, vt dicunt Phyſici, procedunt ab epate, & vitales à corde, animales autem à cerebro: ergo ſedet in his membris, quando mouet, & non in ſanguine. Præterea, Phyſici dicunt, quòd ſedes animæ eſt n corde, & non in ſanguine: ergo videtur falſum dicere in litera.

Solvtio. Dicendum, quòd in veritate ſ maior eſt auctoritas Moyſi & Domini, quam ſit omnium Phyſicorum: ideo abſque dubio ſedes animæ eſt in ſanguine. Hoc autem intelligendum

eſt

est tribus modis: quibus sine contradictione verificatur. Vno modo: quia sedes dicit primam firmitatis permanentiam animæ in corpore: & tunc motus animales fundantur in vitalibus, & vitales fundantur in naturalibus: naturales autem, cum sint generare, augere, & alimento vti, duobus prioribus subministrat nutritiua: & ideo fundantur in illa: & sic per consequens omnes in nutritiua. Nutritiua autem non locat alias immobiliter in corpore, nisi per alimentum, quia ex illo suscipitur augmentum, & semen generationis, & generantur ex euaporatione ipsius spiritus in corde vitales & pulsatiles, & vlterius spiritus animales in capite. Constat autem, quòd vltimum nutrimentum quod est inter venas, est sanguis in habentibus sanguinem, vel similis humor in non habentibus: ergo nutritiua fundatur in sanguine, & per consequens aliæ. Secundo modo intelligitur id quod sedes animæ sit in sanguine, tanquam in eo quod potentia est totum corpus in quo est anima. Hoc autem non est caro, neque os: & ideo cum ipsa sit tota in toto, hoc videtur magis ei appropriari ratione sanguinis quam alterius partis. Tertio modo potest id intelligi propter cor, in quo secundum Aristot. in lib. de animalibus: primo generatur sanguis, & præcipue operatio vitæ ab anima procedens in corpore per sanguinem ibi generatum. Sed tamen Galenus contradicit: & est illa contradictio reducenda ad concordiam alibi: quia ad præsentem tractatum non pertinet.

PER DICTA autem patet solutio ad totum: quia nec intelligitur prout anima comparatur ad corpus, vt forma: nec prout comparatur, vt motor ad ipsum: sed potius prout permanet in ipso per sanguinis operationem.

ARTICVLVS IV.

An sub vtraque specie sumatur totus Christus?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Sed tamen sub vtraque sumitur totus Christus, &c.] Ex hoc enim videtur sequi, quòd aliquid conuertatur in deitatem: cum enim totus Christus sit ibi, & non nisi virtute sacramenti, videtur quòd aliquid de materia transit in corpus, & aliquid in animam, & aliquid in deitatem.

2 Item, Hoc videtur accipi ex hoc quod prius habitum est in litera, scilicet quod idem panis est in sacramento qui de cælo descendit. Constat autem, vt dicit Ambr. quòd caro Christi de cælo non descendit: ergo necesse est, quòd virtute alicuius in sacramento existentis transsubstantiati in deitatem sit ibidem deitas.

3 Item, Hoc videtur per rationem: quia iste cibus ad hoc conficitur quod sit cibus spiritualis: cibus autem spiritualis non potest esse nisi in veritate deitatis; ergo videtur, quòd specialiter feratur intentio consecrantis ad hoc quod sit ibi deitas: sed illud causatur in sacramento super quod fertur intentio Ecclesiæ, vel ministri in persona Ecclesiæ: ergo videtur, quòd deitas causetur in sacramento. Si autem hoc concedatur, sequitur absurditas maxima: quia deitas aliquo modo habebit causam, quod absurdissimum est. Quod autem hoc sequatur, patet ex hoc, quòd sacramentum est causa omnis rei quam continet.

4 Item, Sequitur quòd sit aliqua mutatio in qua nihil commune est ei à quo mutatur, & in quod: quia deitati nulla est communitas, nec generis primi, nec proximi, nec materiæ: hoc autem est impossibile: ergo nihil mutatur in deitatem.

5 Item, Deitas sicut non incipit esse, ita non est aliquis locus vbi incipiat esse: sed res sacramenti in altari incipit esse: ergo deitas non est res sacramenti.

SOLVTIO. Absque omni dubio dicendum, quòd nihil conuertitur in deitatem: sed cum sint tria corporis Christi propria, scilicet quod ipsum sit mixtum ex humoribus in se continens eosdem: & essentialis & naturalis pars compositi hominis siue hypostasis, cuius naturalis perfectio est anima rationalis: & quod vnitum deitati in singularitate personæ. Dico quòd in transsubstantiatione panis in copus Christi est sanguis Christi in corpore, non virtute sacramenti, sed virtute connexionis ex qua est corpus: & anima Christi virtute compositionis hypostasis: & diuinitas Christi virtute vnionis factæ in singularitate personæ diuinæ. Similiter quando vinum transsubstantiatur in sanguinem, est ibi corpus sicut connexum & continens suum sanguinem per naturam: & anima sicut perfectio corporis: & deitas virtute vnionis factæ in corpore secundum personæ diuinæ singularitatem. *Solutio.*

AD PRIMVM ergo dicendum, quod totus Christus est ibi virtute sacramenti, sicut aliquid dicitur virtute alicuius fieri, quod operatur vnum cui coniuncta sunt alia: & non sic quod virtus sacramenti extendat se immediate in omnia illa, quæ in sacramento esse dicuntur.

AD ILLVD dicendum, quod panis iste descendit de cælo ratione personæ, & non naturæ humanæ: & eadem persona est in sacramento: licet virtus sacramenti non immediate se extendat super personam: & aliud non potest haberi de illa auctoritate,

AD ALIVD dicendum, quod est intentio quæ est finis operis, & intentio quæ est finis eius quod efficit sacramentum: intentio quæ est finis operis, non proprie vocatur intentio, sed terminus operis: & illa in Ecclesia non est vt virtute sacramenti sit in altari totus Christus, ita quod virtus sacramenti totum operetur quod est in ipso: sed intentio Ecclesiæ est vt sit in virtute sacramenti corpus, vel sanguis: virtute autem mixtionis vel vnionis naturalis ad animam, vel vnionis gratuitæ ad deitatem, sint ibi cætera quæ sunt in persona Christi. Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICVLVS V.

An bene dicatur, quòd hoc sacramentum non debet iterari?

DEinde quæritur de hoc quod dicitur *ibi* [Neque debet iterari sacramentum, &c.] Hoc enim videtur falsum per hoc quod dicit Dominus Matth. 26. & Apostolus 1. Corinth. 11. Quotiescunque

cunque ſumitis in meam commemorationem. Ergo multoties iteratur.

2 Si forte dicas, quòd non eſt idem, hoc falſum videtur. Aut enim idemtitas ſacramenti attenditur penes materiam, aut penes formam, aut penes contentum. Non penes materiam, vel formam: quia vtrunque habet pluralitatem in ſacramento.

3 Præterea, In litera hic dicitur, quòd ſacramentum dicitur vnum & idem; quia ſub vtraque ſpecie vnum & idem ſumitur: ergo idemtitas eſt penes contentum: contentum autem frequentatum eſt idem: ergo ſacramentum idem repetitur, vt videtur.

4 Item, Si res ſacramenti baptiſmi quæ eſt res & ſacramentum baptiſmi, repeteretur, ſacramentum diceretur iterari: ergo à ſimili cum iſto ſacramento res quæ eſt ſimul res & ſacramentum iteraretur frequenter, ſacramentum iterari videtur: ergo non eſt verum quod dicitur in litera.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum quod infra Magiſter tangit de iteratione ſacramentorum in fine tractatus de pœnitentia: ſed quantum pertinet ad tractatum iſtum, dicendum quòd ſacramentum multis de cauſis dicitur iterari, vel non iterari. Vno modo: quia cauſa non iteratur, vt in baptiſmo, quia ibi cauſa eſt originale, quod non iteratur, ad cuius deletionem ordinatur baptiſmus. Alio modo: quia id quod eſt res ſacramenti non iteratur, eo quod ſemel acceptum totum conſequitur effectum, qui eſt in ſe, niſi ſit impedimentum ex parte fictionis: & hoc etiam non impedit characterem, niſi ex parte ſubiecti ſuſceptibilis eius quod efficere habet character: & ideo recedente fictione operatur character gratiam propter quam operandam impreſſus fuerat. Alio modo dicitur non iterari ſacramentum non quin ſæpius ſumatur, ſed quia forma ſua ſuper eadem numero non iteratur: & ita dicitur hic: quia ſi hæc iteraretur, ſignificaretur forma ſemel prolata non eſſe efficax.

AD ID ergo quod primo obiicitur, dicendum quòd multoties ſumitur idem: ſed non repetitur forma ſuper eandem ſpeciem ſumptam ſemel: & hoc modo non repetitur.

AD ALIVD dicendum, quòd ſacramentum idem eſt ſpecie & numero ex parte rei contentæ: ſed ratione eius non negatur hic iteratio ſacramenti: ſed non eſt idem numero ex parte materiæ & accidentium quæ ſunt ſigna in ſacramento, & ratione illorum cum non ſuper idem repetitur forma, negatur hoc ſacramentum iterari.

AD ALIVD dicendum, quòd hic dicitur vnum ab vna relatione ſpecierum corporis & vini ad contentum cum ipſis, & non ratione contenti abſolute conſiderati. Et ideo multiplicatis talibus ſignis materialiter multiplicatur repetitio ſacramenti materialiter, licet ſpecie ſint ſigna eadem ſemper, & in omni conſecratione.

AD ALIVD dicendum, quòd alio modo dicitur non iterari baptiſmus, & alio modo iſtud ſacramentum, vt iam habitum eſt: iſtud enim ſacramentum ab vno homine, & ſæpius celebratur, & ſæpius ſuſcipitur: illud autem non. Vnde alio modo dicitur non iterari illud, & alio modo iſtud. Sequitur deinde, &c.

Quare aqua admiſceatur?

C AQVA vero admiſcenda eſt vino: quia aqua populum ſignat qui per Chriſti paſſionem redemptus eſt. Calix ergo Dominicus iuxta canonum præceptum, aqua & vino mixtus debet offerri: quia videmus in aqua populum intelligi, in vino oſtendi ſanguinem Chriſti. Cum ergo in calice vino aqua miſceatur, Chriſto populus adunatur, & credentium plebs ei quem credit copulatur: quæ copulatio aquæ & vini ſic miſcetur in calice Chriſti, vt mixtio illa non poſſit ſeparari. Nam ſi vinum quis tantum offerat, ſanguis Chriſti incipit eſſe ſine nobis.

Apoc. 17.

ARTICVLVS VII.

Quare hoc ſacramentum datur ſub ſpecie panis & vini?

DEinde quæritur de hoc quod dicitur *ibi* [Aqua vero admiſcenda eſt &c.] Et ſunt hic quinque quærenda. Cum enim ſupra habitum ſit quare dedit corpus ſuũ ſub alia ſpecie, & iterum quare dedit ſub duplici ſpecie, reſtat nunc primo quærendum, Quare ſub ſpecie panis & vini? Secundo, Quare ſub ſpecie panis de frumento & non alterius grani. Tertio, An debeat confici in azymo vel fermentato propter Græcorum controuerſiam. Quarto de admixtione aquæ. Quinto & vltimo de admixtione ſpecierum manentium cum aliis corporibus: vt ſi gutta ſanguinis funderetur in dolio, vel alio liquore, quandiu maneat ibi corpus Chriſti, vel vtrum conuertatu in illud, vel non?

Ad primum autem horum obiicitur ſic: In multis figuris præfiguratum eſt iſtud ſacramentum, ſicut habitum eſt in principio huius tractatus: eadem ergo ratione qua eligitur ſpecies vnius figuræ, eadem ratione fuit eligenda alia: manna autem fuit in ſpecie panis, & agnus paſchalis in ſpecie carnis: ergo magis debuit eligi ſpecies carnis quæ magis conuenit, quam ſpecies mannatis quæ minus conuenit, ex quo inter figuras eligenda fuit materia.

2 Item, Creſcente tempore creuit etiam manifeſtatio veritatis in figuris & ſignis, vt dicit magiſter Hugo: ſed in naturali lege præſignabatur in

in ſpecie panis tempore Abrahæ,& iterum poſtea ante legem acceptam in mannate : ergo præcipue in Nouo Teſtamento debuit addi materia , quæ haberet ſignum maioris conuenientiæ : ergo non debuit dari in forma panis.

3 Item , Caro cum carne magis conuenit, quam panis cum carne:quia maior eſt conuenientia eorum quæ ſunt ejuſdem generis,quàm eorum quæ ſunt diuerſorum generum : ergo conuenientius fuiſſet traditum in materia carnis , quam in materia panis, vt videtur.

4 Item, Conuenientius eſt nutrimentum homini bene diſpoſito caro , quam panis , & præcipue aliqua caro : ergo videtur,quòd in illa ſpecie tradi debeat.

5 Item, Nec generale nutrimentum eſt panis, quia multæ ſunt gentes quæ pane non vtuntur: ſimiliter autem & infantes : cum igitur materia ſacramenti debeat eſſe generalis , videtur quòd non debuit tradi in ſpecie panis.

6 Item , Alimentum quod præparat natura omni homini nato , conuenit omni animali,vt lac , & habet in ſe triplicem ſubſtantiam , vt dicunt medici , ſcilicet buttrinam , caſealem , & ceream : ergo cum illud nutrimentum naturaliſſimum & conuenientiſſimum ſit , videtur quòd debuit tradi in materia lactis , vel caſei, vel butyri.

7 Item, Cum ipſum habeat in ſe omnem ſaporis ſuauitatem , vt dicitur Sapient. 16. videtur quod non debeat eſſe in ſpecie vnius cibi , ſed multorum.

8 Item , De mannate legitur , quod erat in ſapore panis oleacei : ergo aliquid de pinguedine deberet apponi in materia Euchariſtiæ : non ergo materia debet eſſe tantum panis,& vinum.

Eodem modo obiicitur de vino. Generalis enim potus eſt aqua omnibus communis : ergo videtur , quòd illa debeat eſſe materia ſacramenti.

2 Item , Cum ſanguis fluxit cum aqua de latere Chriſti,videtur quod ſanguis & aqua deberet eſſe materia,& non vinum.

3 Præterea , Iſtud ſacramentum datur ad curationem peccati , & datur infirmis in via adhuc exiſtentibus : infirmis autem non datur vinum: ergo non debet eſſe materia ſacramenti.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum , quòd multæ cauſæ conuenientiæ aſſignantur à Magiſtris , quare debet confici ex pane & vino iſtud ſacramentum: & illas cauſas non omnes tangemus in ſoluendo obiecta,vt vitetur prolixitas. Sed intelligendum, quòd vna ſola eſt cogens , ſcilicet quia Dominus in tali materia illud dedit,& frequentandum inſtituit : quod ſi in alia dediſſet & inſtituiſſet , in alia fieret, & non in iſta.

DICENDVM ergo ad primum, quòd quoad multa quæ ſunt in hoc ſacramento, præfigurabatur in diuerſis figuris ; & hæc diuiſio prius eſt habita : ſed hoc non facit ad hoc quod ſecundum illas ſit materia ſed potius inſtitutio,vt dictum eſt. Non autem inſtitutionis potuit eſſe maior conuenientia quæ eſt iſtius materiæ , quam alterius: & illa conuenientia præcipue attenditur in tribus, quorum vnum eſt cibi illius confectio : quia ſcilicet ex multis granis depuratis eſt panis,& ex multis vuis confluit vinum : & ex hoc fit conuenientia corporis veri ad corpus myſticum. Corpus enim verum componitur ex multis membris ſimilibus & diſſimilibus , puriſſimis : & ſanguis Chriſti effluxit de multis membris Chriſti. Corpus autem myſticum componitur ex multis fidelibus puriſſimis : & ſanguis ſignificat redemptionem animarum à diuerſis periculis , & non ab vno : & hæc eſt cauſa præcipua. Secunda cauſa conuenientiæ : quia panis generalior eſt cibus, qui infimis & ſanis datur : & licet vinum non detur in aliqua infirmitate : tamen ex effectu habet ſignificationis conuenientiam , quia lætificat cor , & ſecundum Philoſophum facit bonæ ſpei hominem , & datur confortatis iam infirmis : & ſimiliter ſacramentum lætificat , & bonæ ſpei facit : quia enim ſeipſum tam benigne communicat, ſperamus quòd omnia dabit : & datur ſecundum Auguſt. confortatis bona conſcientia qui iam de infirmitate conualuerunt. Tertia fuit: quia ille cibus inter eos qui præparantur ab homine, mundior eſt, & mundior potus vinum : & ideo iterum habet conuenientiam ad maximæ munditiæ ſacramentum.

AD HOC quod poſtea obiicitur , dicendum quòd incrementum ſignorum non attenditur in hoc quod ſigna ſunt in alia & alia materia : quod patet , quia aqua maris rubri & luſtrationis fuit ſignum baptiſmi, & tamen baptiſmus eſt in aqua: ſed attenditur in hoc quod ſigna magis coniungantur rei , & ſic factum eſt in Nouo Teſtamento.

AD ALIVD dicendum , quòd licet caro cum carne in genere magis conueniat : tamen accipiendo proportionem ſigni ad ſignatum prout caro hic ſumitur ſignata , minus conuenit : quia hic ſignificata eſt in diuerſitate membrorum,neruorum, & muſculorum , tamen omnia aſſimilata ſunt in vnum gratiæ candorem & ſaporem : & ideo ex parte ſigni quod eſt panis , oportuit talem eſſe compoſitionem , vt prius etiam habitum eſt.

AD ALIVD dicendum , quòd licet non omnes gentes vtantur pane : tamen generalior cibus eſt bene diſpoſitis hominibus : quia caro inflammat , vt dicunt medici , ſed non panis cum moderamine ſumptus. Præterea , Non eſt hæc cauſa , ſed potius maior conuenientia cum re contenta ſub ſacramento, vt dictum eſt.

AD ALIVD dicendum , quòd natura hoc nutrimentum præparat non confortatis , ſed imbecillibus ex ætate : ſed iſtud ſacramentum , vt dicit Auguſt. non datur niſi confortatis bona conſcientia : & ideo non debuit confici in illa materia.

AD ALIVD dicendum , quòd diuerſitas ſaporis refertur ad diuerſitatem gratiæ in contento: quia continet eum qui theca eſt omnium gratiarum : & huic ſufficienter reſpondet diuerſitas granorum , ex quibus conficitur panis. Vel dicatur melius , quòd licet diuerſitas gratiarum ſit in hoc ſacramento : tamen illæ gratiæ tendunt ad vnum , ſcilicet ſummum bonum : ſapores autem diuerſorum ciborum non tendunt ad vnum , ſed ad diuerſa ; & ideo diuerſi cibi non ſunt materia huius ſacramenti , ſed potius vnus cibus qui colligitur ex diuerſis in vnum ſaporem tendentibus.

AD ALIVD dicendum , quòd ſapor olei in mannate erat imperfectionis: quia in re nihil fuit,

ſed præfigurabatur tantum: ſed modo datur ſacramentum perfectum: & ideo pinguedo olei tota ex parte rei comprehenditur: & ideo iſtud ſacramentum ſui perfectione condimento non indiget.

AD ID quod vlterius obiicitur de vino, dicendum quòd confortatorum accipientium ſanguinem bonum melior eſt potus vinum, & non aqua: & ideo cum talibus detur iſtud ſacramentum, conuenientior materia eſt vinum.

AD ALIVD dicendum, quòd aqua diſtincta, & tamen ſecundum locum coniuncta, effluxit de latere Chriſti: vt ſignaretur non eſſe materia, ſed tantum materiæ ſanguinis eſſe vnienda.

AD VLTIMVM, quòd in veritate hoc ſacramentum non datur infirmis, adhuc morbo peccati ſubiacentibus, ſed potius bona conſcientia confortatis: & ideo illa obiectio ſupponit falſum.

ARTICVLVS VII.

An ſacramentum debet dari ſub ſpecie panis & de frumento: & an alia grana poſſunt admiſceri?

SEcundo quæritur, Quare datur ſub ſpecie panis de frumento, & vini? Videtur, quòd alterius grani panis eſſe debuit: quia ſicut in baptiſmo poſitum eſt elementum commune, vt nullum inopia excuſaret: ita etiam in iſto debuit eſſe, vt nullus excuſaretur propter inopiam.

2 Item, Dominus panes dedit turbæ: & illi erant hordeacei: cum igitur Eccleſia ſe capiti conformare debeat, videtur, quòd in hordeaceis panibus confici debeat ſacramentum.

3 Item, Sumitur hoc ſacramentum in memoriam Dominicæ paſſionis: huic autem memoriæ magis conuenit granum hiſpidum & durum, quam delicatum: ergo magis debuit confici in hordeo quod hiſpidum eſt & durum granum, quam in frumento quod delicatum eſt.

4 Si forte dicatur, quòd hoc fecit ideo, quia ſe Dominus comparauit grano frumenti, dicens, Niſi granum frumenti cadens in terram mortuum fuerit, &c. hoc nihil eſſe videtur: quia Dominus ibi dixit, qui de morte ipſius fructus exurgerent in Eccleſia, & non quid deberet fieri circa celebrationem ſacramenti huius.

5 Item, Ibi attendit Dominus ſimilitudinem ſeminationis grani: in ſacramento autem de grano fit panis, & non ſeminatur ad fructum: ergo videtur, quòd nihil faciant ad propoſitum.

6 Si forte dicas, quòd ex iſto conuenientius fit nutrimentum. Contra: Medici dicunt, quòd de pane fit cito caro, & non diu adhæret illa membris, ſed conſumitur de facili: cum igitur illud nutrimentum debeat manere in vitam æternam, videtur, quòd nullam habeat conuenientiam.

7 Item, Viatoribus non proſunt mollia, quia illa reſoluuntur in ſudores, & euaporant per calorem ex motu excitatum, & conſumuntur: ſed dura quæ fortì calore non conuertuntur, nec de facili conſumuntur: cum igitur iſtud ſacramentum ſit viatorum, videtur, quòd in tali materia dari debuit: hoc autem non eſt frumentum, ſed potius ſiligo, vel aliud durius granum: ergo videtur, quòd debuit dari ſacramentum in pane ſiligineo.

8 Item, Si in materia frumenti dari debuit, videtur quòd in ſpecie amidi conficiendum fuit: & de illa dicitur à medicis, quod generatur caro tenax, & diu adhærens membris.

VLTERIVS quæritur de admixtione aliorum granorum. Ponamus enim, quòd in quadam terra nihil inueniatur frumenti, ſed tantum ſpelta, ſicut eſt in multis terris. Et quæratur, Vtrum de grano ſpeltæ poſſit confectio fieri? Videtur, quòd non: quia Dominus ſe tantum grano frumenti comparauit: ergo de nullo alio confici poteſt. *Quæſtiuncula 1.*

2 Item, Dominus in pane frumenti primo corpus ſuum conſecrauit: ergo de nullo alio ab aliquo ſacerdote conſecrari poterit.

3 Item, Aqua ſicut tactu carnis Chriſti virtutem regeneratiuam accepit, & non poteſt fieri in aliquo alio liquore baptiſmus: ita videtur, quòd panis de frumento tactu Domini virtutem accepit, ita quod non poſſit fieri alio grano niſi de illo: ergo videtur, quòd non poſſit fieri de ſpelta.

4 Si forte tu dicas, quòd ſpelta & frumentum ſunt vnius ſpeciei: hoc aperte falſum eſt: quia nec ſpeltæ ſunt eiuſdem figuræ, nec grana eandem terram habent connaturalem: cum igitur figura licet non ſit ſpecies ſubſtantialis, tamen oſtendit ſpeciem ex parte quantitatis: quia videmus, quòd eorumdem ſpecie eadem eſt figura ſecundum ſpeciem, videtur, quòd grana iſta non ſint eiuſdem ſpeciei.

5 Item, Dicitur quæſtio deuoluta eſt ad ſedem Apoſtolicam, & ibi iudicatum eſt, quòd ſpelta eſſet ſpecies hordei: de hordeo autem confici non poteſt: ergo nec de ſpelta.

SED CONTRA: Grana ſpeltæ vix diſcernibilia ſunt à granis frumenti ſimilitudine grani & colore: ergo ſunt eiuſdem ſpeciei, vel propinquarum ſpecierum: ergo poteſt confici de vno ſicut de alio. *Sed contra.*

2 Item, Ab omnibus dicitur, quòd ideo voluit Dominus corpus ſuum tradi in frumento, quia delicatior & conuenientior eſt panis illius grani quam alterius: ſed panis de ſpelta adeo delicatus & conueniens vel plus eſt quam de frumento: ergo ita debet confici in ſpelta ſicut in frumento.

VLTERIVS quæritur de admixtione aliorum granorum cum pane de frumento, vtrum ex tali mixto poſſit fieri confectio. Verbi gratia, pono quod ad modium frumenti ponitur dimidius modius hordei vel ſiliginis, & fiat inde panis, vtrum ex tali pane fieri poſſet conſecratio? Videtur quod ſic: quia ſiccorum admixtio non tollit ſpeciem, ſicut patet: quia ſi granum hordei ponatur in ſacco frumenti, remanet ſemper granum hordei: ergo etiam de illa parte quæ de frumento eſt, ad minus videtur poſſe fieri confectio. *Quæſtiuncula 2.*

2 Item, Detur etiam quòd admiſceatur, erit in tali mixtura abundans frumentum: ergo aliquid tranſit in frumentum: ergo de toto erit frumentum: & ita erit inde confectio ſicut de pane de frumento.

SED CONTRA: Ad viſum patet, quòd color frumentini panis remittitur, quando tertia vel *Sed contra.*

quarta

quarta pars est siliginis : ergo videtur , quòd etiam species corrumpantur : sed non potest fieri consecratio nisi de frumento : ergo etiam ex tali pane mixto nulla fiet consecratio.

2 Item , Philosphus dicit , quòd mixtio dicitur miscibilium alteratorum vnio : ergo miscibilia alterantur à sua specie:ergo in tali mixtura non manet panis frumenti in specie sua , sed alteratur: ergo cum non fiat confectio nisi de frumento, videtur quòd ex tali pane nulla fiet corporis & sanguinis confectio.

3 Item , Corpus Domini nihil habet in se alienum sibi : ergo etiam nihil in figura debet fieri alienum à specie frumenti:ergo videtur, quod etiamsi parum adiungatur de alio grano, destruatur ratio conuenientiæ.

Quæstiũcula 3. SIMILITER obiicitur , Si de pane corrupto possit fieri confectio ? Videtur quod non: quia nihil corruptum habet similitudinem cum corpore Domini : ergo non debet fieri signum: sed ex parte materiæ sumitur signum sacramenti: ergo ex parte materiæ sacramenti nihil debet sumi corruptum.

2 Item , Corruptus homo non est homo: ergo corruptus panis non est panis : & non debet fieri nisi de pane frumenti : ergo non debet fieri de pane corrupto.

Sed contra. SED CONTRA : Nos videmus hostias diutissime seruari à quibusdam intantum quod etiam si panis in maiore quantitate ita diu seruaretur, corrumperetur totus : & tamen de his hostiis conficiunt : ergo videtur,quòd corruptio non impediat confectionem.

Quæstiũcula 4. SIMILITER quæritur ex parte vini,Vtrum de agresta possit fieri confectio ? Videtur autem, quòd sic quia est de vua : & de vuæ specie non generantur diuersa specie : ergo agresta erit eiusdem speciei cum vino : ergo sicut de vino ita de agresta potest confici,vt videtur.

2 Similiter obiicitur de aceto: quia dicit Philosophus,quod acetum non est vinum, nec potest redire ad vinum propter corruptionem in eo factam : ergo videtur , quod de aceto non possit fieri confectio.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum ad primum,quòd non nisi de pane frumentino in genere suo potest fieri confectio : & causæ sunt, quia melius & nobilius nutrimentum præstat illud granum : & præcipue quia Dominus se illi grano comparauit.

AD PRIMVM ergo quod contra hoc obiicitur , dicendum quod non est simile de baptismo & Eucharistia : quia baptismus est sacramentum necessitatis, sed non Eucharistia, & ideo baptismus in generali materia nobis dari debuit, sed istud in materia quæ maiorem habet conuenientiam cum re signata.

AD ALIVD dicendum, quòd illi panes quos Dominus dedit, signabant libros legis veteris, & non Eucharistiam : & illi habent durum corticem in litera , & dulcedinem in spirituali intelligentia intus : vnde ex illis panibus nihil probatur.

AD ALIVD dicendum , quòd passio Dominica non debet præsentari in panis sapore,quia passus Christus optimi saporis fuit : sed potius in modo præparationis panis, vt dicit Hugo in quadam epistola ad Bernardum , quòd panis ille coctus est igne passionis in cruce , formatus autem manibus sapientiæ in Virginis vtero: & ideo non procedit illa obiectio.

AD ALIVD dicendum , quòd Dominus vtrumque attendit in grano , scilicet confectionem , & in casu in terram mortem : sed materia Eucharistiæ habet vim à Christo , qui se illi grano & non alij comparauit.

AD ALIVD dicendum , quòd ipsa ostensio comparationis sui ad granum hoc & non aliud, ostendit causam institutionis , quæ postea facta est , cum corpus suum in hoc pane dedit , & non in alio.

AD ALIVD dicendum , quòd istud sacramentum causa amoris & perfectionis est delicatorum in spiritualibus deliciis : & ideo licet caro cito consumatur , tamen si custodiatur quemadmodum oportet , non consumitur : & hoc competit spirituali cibo , qui secum non compatitur concupiscentiæ calorem ex peccato mortali procedentem : & etiam in signum huius manna reseruatum computruit.

AD ALIVD dicendum , quòd distinguendum est de via corporali , & de via spirituali: corporalis enim calore ex motu excitato resoluit mollia , sed in via spirituali ex deuotione confortatur & non resoluitur spiritus : & ideo non est simile.

AD ALIVD dicendum , quòd amidum non habet similitudinem cum corpore : quia aliquid est dispositum in eo ad putrefactionem,vnde efficitur viscosum & tenax : & in illo confici non debuit. Præterea , Incautum esset conficere in illo propter humorum liquefactionem.

AD ID quod vlterius quæritur de admixtione aliorum granorum , & præcipue de spelta, dicendum , quòd absque dubio frumentum genus est,& non species grani : & habet sub se triticum, & speltam : vnde spelta frumentum est,& de ipsa potest confici corpus Domini, sicut de tritico : & hoc nulli dubium est considerant granum cum grano,& panem cum pane : & per hoc patet solutio ad primum. *Ad quæstiuncu-lam 1.*

AD ALIVD dicendum , quòd Dominus constituit in specie tritici dando inde virtutem grani in omni specie frumenti : & hoc ideo quia in terra illa est frumentum secundum speciem tritici.

AD ALIVD dicendum , quòd non est simile de aqua & pane : quia baptismus est sacramentum necessitatis,& aqua est elementum generale : & sic non est de tritico & Eucharistia , vt prius dictum est.

AD ALIVD dicendum , quòd spelta & triticum non sunt vnius speciei , sed vnius generis proximi quod est frumentum : & sunt vicinæ valde species, & ideo parum distant in spicarum formatione , sed quasi nihil distant in forma granorum & calore,& sapore panis.

AD ALIVD dicendum , quòd non puto curiam ita determinasse : & si ita determinauit, hoc fuit ex ignorantia grani materiæ speltæ.

AD ID quod vlterius quæritur de mixtura, leue est soluere:dicendum enim,quòd si est mixtura non fit confectio : quia omnis mixtura proprie dicta soluit species mixtorum : si autem sit quædam parua appositio , ita quod totum appositum absumatur à tritico , tunc potest fieri confectio: absumptio autem illa notari potest in hoc quod *Ad quæstiuncu-lam 2.*

idem maneat omnino color,ſapor,odor,& huiuſmodi:ac ſi totum ſit frumentum.

AD PRIMVM ergo quod de hoc obiicitur, dicendum quod granorum dum manent integra, nulla eſt permixtio ; ſed Philoſophus dicit, quod ſubtilia & humida permiſcibilia ſunt ; & ideo grana farinata etiam infuſa in paſta permiſcerentur:vnde nihil valet illa obiectio.

ITEM ad aliud dicendum,quòd mixtura non ſemper eſt ſecundum æqualitatem quantitatis,ſed ſecundum proportionem virtutum quæ ſunt in ipſis mixtis ; vnde cum virtus ſiliginis poteſt alterare frumentum extra ſpeciem panis frumenti, tunc non fit confectio.

Ad quæſtiunculam 3.

AD ID quod vlterius quæritur de pane corrupto , dicendum quòd ſi corruptus eſt à ſpecie panis,non habet fieri confectio : ſi autem tantum eſt diſpoſitus ad corruptionem , tunc poteſt fieri: ſed peccant conficientes niſi cogeret eos magna neceſſitas. Corruptio autem iſta perpendi habet in odore,ſapore, & colore, & ſolutione continuitatis : quia ſi omnia iſta ſunt mutata , non poteſt in eo confici;ſed ſi ſalua ſunt ſigna,licet diſpoſitus ſit ad corruptionem , & non corruptus , poteſt in eo confici:& per hoc patet ſolutio ad totum quod obiicitur contra hoc.

AD ID quod vlterius obiicitur de vino , dicendum quòd ex agreſta non poteſt fieri confectio ſanguinis : quia adhuc non habet vini ſpeciem.

AD OBIECTVM autem contra dicendum, quòd non eſt verum , quòd ex eodem procedunt illud quod habet diſpoſitionem ad ſpeciem , & id quod habet ſpeciem completam : quia & ex eodem ligno procedit aqueum in folio , & acidum magis in ſucco fructus : & ideo non valet quod obiicitur.

AD VLTIMVM dicendum , quòd ſicut vult Philoſophus in metaphyſica , acetum non eſt vinum , nec poteſt fieri vinum : & ideo de aceto non poteſt fieri confectio : ſed de vino acido poteſt , quia hoc non eſt acetum , licet non ſit tutum etiam de acido conficere propter reuerentiam ſacramenti.

ARTICVLVS VIII.

An debeat fieri confectio in azymo , vel fermentato ?

TErtio quæritur , An debeat fieri conſecratio in azymo, vel fermentato ? Videtur quòd in azymo : conficiendum enim eſt in tali materia panis , in quali Dominus corpus ſuum tradidit: tradidit autem in azymo ; ergo in azymo eſt conſecrandum. Prima probatur per ſe. Secunda autem probatur ex tempore : quia dies Paſchæ Iudæorum fuit 17. dies menſis primi Paraſceue : & in nocte præcedenti tradidit corpus ſuum : in nocte autem præcedenti occidebatur paſcha , & non erat fermentatum in domibus Iudæorum. Exodi & Leuit.23. & Num.28. Ergo ipſe tradidit in azymo. Ex hoc ſic habetur propoſitum : præcipue autem patet hoc Exod.12. vbi dicitur,quòd 17. die non erat fermentatum in domibus Iudæorum. Item hoc videtur ex omnibus Euangeliſtis: dicitur enim Matth.26. Prima die azymorum acceſſerunt diſcipuli ad Ieſum dicentes, Vbi vis paremus comedere tibi paſcha ? Marc. autem 14. dicitur, Prima die azymorum,quando paſcha immolabatur, acceſſerunt diſcipuli,&c. Luc.22. Venit autem dies azymorum in quo neceſſe erat occidi paſcha, Ioan.18. Adducunt ergo Ieſum ad Pilatum in prætorium : erat autem mane : ipſi vero non introierunt in prætorium ne contaminarentur, ſed vt manducarent paſcha. Hoc autem fuit in Paraſceue quæ fuit 17. dies menſis lunaris quo vtuntur Iudæi , & præcedenti nocte dederat corpus. Ergo 14. die ad veſperum. Nihil autem fermentarum erat tunc in domibus Iudæorum,vt probatur Exod.12.Leuit.23.Num.28. Ergo dedit corpus ſuum in azymo : & ideo nos ita debemus facere.

2 Item , Ieſus venit non legem ſoluere , ſed adimplere , Matth.5. ergo ipſe ritum Paſchæ non ſoluit , ſed adimpleuit : ritus autem fuit comedere in azymo : ergo ipſe corpus ſuum tradidit in azymo.

3 Item , Vetus paſcha comedebatur in azymis : cum igitur nouum paſcha continuetur ad vetus , ſtatim in eodem genere panis inchoauit nouum:ergo in azymis dedit,& ita à nobis obſeruari voluit.

4 Item conſtat , quod in veteri lege myſticam ſignificationem habuit azyma cum quo agnus paſchalis comedebatur : non ſignificabat autem niſi ſynceritatem & veritatem ab omni corruptione alienam. Cum igitur illa maior fuit in nouo paſcha , quam in veteri , magis in azymis debet celebrari nouum quam vetus.

5 Item , 1.Corinth.5. Itaque epulemur non in fermento veteri , nec in fermento malitiæ & nequitiæ , ſed in azymis ſynceritatis & veritatis. Ergo hæc ſignatio neceſſe eſt vt in aliquo repræſentetur vt in ſigno ex parte ſacramenti : non autem poteſt repræſentari niſi in azymo : ergo conficiendum eſt in azymo,& non in fermentato.

6 Item , Principale ſacramentum apud veteres fuit paſcha. Si ergo ritum illius peruertiſſet Dominus , probabile eſſet , quòd qui minora eo obiecerunt,& illud obieciſſent, dummodo ſecum in domibus comederunt : ergo videtur , quòd in azymo tradiderit , eo quod nunquam talium aliquod ei obiectum eſt.

7 Item, Alia huius ſacramenti obſeruauit,ſcilicet agnum aſſum comedendo , & de nocte Lucæ 22. Ergo etiam azymos obſeruauit : quia non eſt ratio quare vnum mutauerit , & non aliud.

SED CONTRA Ioan. 13. dicitur , Accepit Ieſus panes,&c.& in græco habetur ἄρτους, & hoc ſonat panem fermentatum : ergo videtur , quòd in fermentato tradidit corpus ſuum. *Sed contra.*

2 Item , Ioan.13. Ante diem feſtum Paſchæ ſciens Ieſus quia venit hora eius , &c. Ergo cœna fuit ante feſtum Paſchæ : ſed tunc Iudæi vtebantur fermentato : ergo tradidit in fermentato.

3 Item , Cum Domini immolatio oblatione agni repræſentaretur , debuit Dominus offerri tempore oblationis agni : ſed antequam offerretur, ipſe paſcha cum diſcipulis manducauerat : ergo ipſe debitam horam paſchæ veteris præuenit: ſed tunc erat fermentatum in domibus Iudæorum: ergo ipſe dedit in fermentato, quod ipſe in domibus Iudæorum inuenit.

4 Item,

4 Item, Nos videmus, quòd in aliis sacramentis quibusdam ritum illius gentis mutauerit, & mutari voluit ne iudaizare videremur: sicut in obseruatione sabbati, & circuncisione, & in aliis: ergo præcipue debuit fieri hæc mutatio in principali, in quo maxima spes ponebatur: hoc autem fuit sacramentum paschæ: ergo ritum illius videtur mutasse: cum igitur ante traderetur in azymis, modo videtur tradi debere in fermentato.

5 Item, Legalium obseruantia est in toto nociua: ergo præcipue in obseruatione principalis sacramenti: principale autem sacramentum fuit sacramentum paschæ: ergo illud in toto mutari debuit: ergo & in obseruatione azymorum.

6 Item, In hoc sacramento quatuor sunt principaliter obseruanda, scilicet assatio agni, linitio postium de sanguine, lactucæ agrestes, & azymi: videtur autem, quòd tria de istis cessauerunt: ego & quartum cessare debuit, vt videtur.

7 Item, Leo Papa dicit, quòd propter insultationem Iudæorum antiquitus tota Ecclesia statuit confici in fermentato, ne iudaizare videremur: cum igitur hæc fuit consuetudo Patrum, videtur, quòd & nobis sit obseruanda.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd confici potest in vtroque, scilicet in azymo & fermentato de potestate verborum: sed de congruentia & iure & sine peccato non potest confici, nisi in azymo: & ideo Græci peccant erga congruentiam sacramenti, & contra ius in consecrando: sed dicentes, quòd non possit confici in azymo, nesciunt quid dicunt: sicut in pluribus alijs: quia modo non est verum quod dicit Apostolus, quòd Græci sapientiam quærunt, sed potius sapientiam & studium amiserunt: & ideo stultis assertionibus detinentur.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd ἄρτος ponitur indifferenter apud Græcos pro azymo & fermentato: & ideo in Veteri Testamento frequenter inuenitur, Panes azymos: & ideo nomen non sonat nisi panes, licet vsus loquendi excipiat in verbo panes fermentatos, quia illo vtuntur plures.

AD ALIVD dicendum, quòd ante festum dicitur ante primam diem Paschæ, quæ sicut habetur Leuit. 17. fuit. 17. dies lunaris mensis primi: sed sicut patet ex alijs Euangelistis Dominus ante, non diu, sed præcedenti nocte tradidit corpus suum, & comedit pascha: & tunc erat 14. dies ad vesperam: & tunc præceptum sub pœna mortis erat: vt non esset fermentatum in domibus Iudæorum, Exo. 13. & ideo nihil probat illud.

AD ALIVD dicendum, quòd Dominus non eodem tempore immolabatur, quo agnus immolabatur: quia sic crucifixus fuisset die 14. ad vesperum in nocte: quod patet esse falsum: sed potius conuenienter immolabatur, vt significaret post vetus nouum incipere, & ad suam passionem vmbram Veteris Testamenti terminari.

AD ALIVD dicendum, quòd in his quæ non habent significationem suam nisi ex parte sui, Dominus finem imposuit: sicut agnum non immolamus, &c. huiusmodi. Sed illa quæ significãt quod semper est faciendum, non mutauit sicut azyma, sicut expresse habetur ex verbis Apostoli 1. Cor. 6.

AD ALIVD dicendum, quòd non obseruamus illud vt legale, sed potius, vt competens sacramento nouæ legis: sicut etiam vtimur aqua in baptismo, licet ipsi vsi fuerint aqua lustrationis.

AD ALIVD dicendum, quòd sicut iam dictum est, illud non accipitur vt legale, quod etiam ante legem in oblatione Melchisedech Gen. 14. figuratum fuit, & Genes. 18. vbi Sara fecit panes subcineritios azymos: sed potius vt nouum accipitur congruens significato sacramenti.

AD VLTIMVM dicendum quòd hoc factum fuit ex dispensatione ad tempus: Sicut etiam baptismus in nomine Christi: cessante autem irrisione Iudæorum, & cum præualeret in virtutibus Ecclesia & viribus, resumpsit vsum primæ institutionis sacramenti. Proteruiores autem tales ritus temporalis dispensationis retinuerunt. Sicut enim narrat Leo Papa, primo cõficiebatur in azymo: deinde ex causa prius dicta in fermentato: tertio iterum in azymo: & tunc in contrarium Græci litigare inceperunt.

ARTICVLVS X.

An aqua debeat admisceri vino, & quantum aquæ, & qualiter peccent qui omittunt?

QVarto quæritur de admixtione aquæ: videtur enim, quòd admisceri non debeat: quia aquæ se Dominus non comparat: cum igitur illa comparatio det congruitatem ad esse materiam frumento & vino, videtur quòd aqua nullam habeat ad sacramentum congruitatem.

2 Item, Aqua insipidum est elementum: dicitur autem Sapien. 16. quod illud sacramentum habet omne delectamentum, & omnis saporis suauitatem: ergo aqua non habet congruitatem ad ipsum.

3 Item, Aqua materia est alterius sacramenti, scilicet baptismi: cum igitur duorum sacramentorum non possit esse materia vna, sicut patet in singulis aliis, videtur quòd aqua nec materia nec pars materiæ esse debeat in sacramento Eucharistiæ.

4 Si forte tu dicas, quòd aqua significat populum vniendum Christo, sicut aqua vnitur vino. Contra: Pani non adiungitur aliquid, & tamen significat corpus mysticum: ergo nec vino debuit aliquid adiungi, vt videtur.

5 Item, Vinum, vt habetur ex litera, confluit ex diuersis vuis: per quam vuarum diuersitatem habet significare diuersitatem fidelium: cum igitur habeat in se vnum per quod potest repræsentare fideles siue populum, non oportet quòd hoc fiat per aliud elementum admixtum: ergo superfluum est apponere aquam.

6 Item, Quæ est causa quòd pani non fit adiunctio alterius materiæ, sed vino fit? & videtur, quòd nulla, quia sub vtraque est totus Christus, vt supra habitum est: si ergo in vna parte non fit adiunctio, videtur etiam, quòd in alia parte fieri non debeat.

VLTERIVS quæritur de quantitate aquæ adiunctæ: cum enim vinum calidum sit vehe- *Quæst. 1.*

menter actiuum, videtur parum vini ponendum in multum aquæ:ergo videtur,quod possit adiungi vltra medietatem.

2 Item quando vinum rubeum est, multum aquæ infunditur modico vino:cum igitur color sit dominantis, videbitur adhuc vinum dominari in mixtura: ergo videtur, quòd vltra tres vel quatuor partes possit adiungi de aqua.

Quæst. 2. VLTERIVS quæritur de speciebus aquæ vel assumendæ vel adiungẽdæ:quia quædã sunt aquæ acutæ,vt lixiuia,& colatiua metallorũ:de quibus agũt Alchimici:& ceruisia tenuis,& ptisana, & huiusmodi sunt aquæ quædam. Et quæritur, Vtrum huiusmodi infusis, adhuc fiat consecratio? Et videtur quòd sic:quia talis aqua vocatur aqua, &c. ergo videtur,quòd cum ipsa fiat confectio.

Sed contra. SED CONTRA obiicitur primo de aquæ infusione: constat enim, quòd aqua simul cum sanguine fluxit de latere Domini: ergo etiam in sacramento non est separanda à sanguine.

2 Item,Sanguis iste lauat,sicut dicitur Ioan.1. Ecce agnus Dei, &c. Et Apoc.7. Lauerunt stolas suas, & dalbauerunt eas in sanguine agni. Ergo cum sanguine debet esse elementum ablutiuum: hoc autem est aqua: ergo cum sanguine debet effundi aqua.

3 Item,Aqua populi sunt & gentes,vt dicitur Apoc.18. Populi autem & gentes redempti sunt sanguine. Ergo à sanguine redemptionis non debet separari aqua:ergo aqua quæ signat gentes, non debet separari à calice.

4 Item,Leuit.16.Moyses aspergens populum miscuit aquam sanguini:cum igitur hoc præcesserit in signo,idem debet sequi in veritate sacramenti nouæ legis: ergo aqua calici est admiscenda.

Quæst. 3. SED TVNC quæritur, Qualiter peccent qui omittunt? Et videtur, quòd mortaliter: quia ipsi peccant contra statutum vniuersalis Ecclesiæ: tale autem statutum omnes obligat:ergo peccant mortaliter veniendo contra hoc. Item, Illi non ostendunt in signo redemptionem sanguinis ad populum pertinere:cum igitur hoc omnimode sit ostendendum, videtur quòd ille grauiter peccet, qui non facit.

2 Item, 1. Corinth.11. dicitur, quòd indigne accipit sacramentum qui aliter celebrat sacramentum quam statutum est:sed non apponens aquam, aliter celebrat quam institutum est: ergo indigne accipit: sed nihil facit hominem indignum sacramento nisi mortale peccatum: ergo ille peccat mortaliter non apponendo aquam.

VLTERIVS videtur, quòd in patua quantitate sit aqua admiscenda: dicitur enim in litera, quòd aqua est absorbenda à vino:hoc autem non fit si vis actionis aquæ aliquam habet proportionem ad vim actiuam in vino: ergo ita parum oportet esse, quòd nullam habeat proportionem ad vim actiuam vini: ergo non potest esse tertia vel sexta, vel notabilis ad sensum pars proportionalis.

2 Item,Ex quo non apponitur nisi in signum & vna gutta illa significat omnem populum,sicut totum mare: videtur quòd stultum sit apponere multum.

VLTERIVS obiicitur de speciebus aquarum:constat enim,quòd quando operatur ars cum natura,scilicet per virtutes actiuas & passiuas in natura, dat speciem licet debilem,& non diu manentem, quia aliter nulla essent opera alchimicorum: sed quædam aquæ fiunt operante arte per actiuas & passiuas qualitates in natura, vt superius enumerantur: ergo in illis est aliqua species immixtionis:ergo cum propria aqua admiscenda sit,videtur quod tales aquæ non sunt admiscendæ.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd absque dubio aqua calici debet admisceri: puto eriam in patua quantitate:quia in patua quantitate nullum periculum est, sed in magna posset esse periculum, vt probant vltimo inductæ obiectiones.

DICENDVM ergo ad primum, quòd aqua cum admiscetur sanguini, non admiscetur vt materia, sed potius vt signum populi coniungendi redemptori in opere redemptionis, & absorbenda à vino: vnde non est mixtio proprie loquendo, sed transmutatio aquæ in vinum, sicut videtur velle Philosophus primo perigeneseos, quòd non est mixtio si gutta aquæ.10. amphoris vini infundatur: vnde bene conceditur, quòd aqua nec materia est, nec materiæ pars,sed transit in vinum, & saporosa facta per vinum retinet tantum relationem signi ad populum vnitum in eodem spiritu redemptori in opere redemptionis.

AD ALIVD dicendum, quòd aqua ideo adiungitur, quia insipidus est populus, vt ex ipsa coniunctione accipiat simul & vini speciem & saporem: sicut populus saporem spiritus & gratiæ non habet nisi à Christo.

AD ALIVD dicendum, quòd aqua non est materia huius sacramenti, nec pars materiæ: quia in confectione non manet in sua specie, sicut aliæ materiæ sacramentorum: sed potius transit in vini speciem & saporem vnda illa obiectio supponit falsum.

AD ALIVD dicendum, quòd adiunctio fit vino, & non pani, propter tres causas: quarum vna est ex parte materiæ, & altera ex parte signi signãtis sacramentũ:tertia ex parte finis sacramenti. Prima ex parte materiæ sumpta est: quia panis est siccum elementum sacramenti & grossum: & tali non est aliquid admiscibile facile, quod assumatur ab ipso, & trahatur ad suam speciem & saporem: sed vinum humidum est habens calorem acutum diuidentem, & ex vtraque parte aliquid facile permiscetur sibi ad suam speciem & saporem, & ideo conuenientius est vt fiat admixtio in vino, quam in pane. Alia causa est: quia corpus Christi in prima oblatione cum pependit in cruce non fuit adiunctum alicui alij, sed sanguis profluxit à latere cum aqua:& ideo congrue illi aqua adiungitur. Tertia causa est: quia sanguis significat redemptionem, vt supra habitum est, quæ tota suscepta est propter populum: sed non sic est de corpore, & ideo conuenientius fit permixtio aquæ significantis populum cum vino, quam cum pane.

AD ALIVD dicendum, quòd corpus ex parte suæ compositionis est ex heterogeniis siue dissimilibus:sed sanguis homogenius est & similis in omnibus partibus: & ideo magis habet in se vnde significet diuersitatem membrorum corporis, quam sanguis: & ideo additur elementum diuersum vino: nec hoc sufficit, quod fluit ex diuersis vuis: quia fluens est vnius naturæ, & diuersitas vuarum non remanet in vino, sicut manet diuersitas membrorum in corpore.

AD

AD ALIVD patet solutio per ante dicta.

Ad qu. 1. AD ID quod vlterius quæritur, dicendum quòd minima quantitas sensibilis sufficit, vt dictum est: sed magna est in periculo: quia si per admixtionem aquæ vinum corrumpitur à specie sua, non erit consecratum: & hoc non est de facili saporabile: quia etiam aqua in vase super vinum posita, ita quod os vasis aquæ sit versum super os inferioris vasis & in vino, contrahit vini saporem & colorem: & tamen manet aqua: sicut fit cum aqua in vase stricti oris & longi ponitur in situla plena vini: & ideo non consentio illis qui dicunt, quod potest poni medietas, vel tertia, vel quarta: sed videtur mihi ponenda in parua valde quantitate, præcipue si vinum est valde debile.

AD ID autem quod contra obiicitur, dicendum quòd sapor non plene indicat speciem nec virtutem vini in mixto: quia non est vinum, nec est aqua, sed medium inter vtrumque.

AD ALIVD dicendum, quòd color adhuc minus indicat: quia cum aqua aliquem colorem actu non habeat, de facili recipit omnem colorem ex modico valde immutante: præcipue cum etiam sine vini admixtione recipit colorem vini & saporem, modo supra dicto, si vas aquæ operti & stricti oris in situla vel in dolio vini immittatur.

Ad qu. 2. AD ID quod vlterius quæritur de speciebus aquæ affundendæ, dicendum quòd viua aqua dicitur quæ facit aquæ operationem & actum: sicut illa quæ est in impetu purificandi & refrigerandi. Vnde species aquæ de quibus dictum est, corruptæ sunt ad aliam speciem, ex quo non faciunt operationem, licet in eis abundet elementum aquæ: & huius ratio etiam dicta est in quæstione de materia baptismi.

Ad qu. 3. AD ID autem quod postea quæritur, Quantum peccet qui omittit apponere aquam? Dicendum, quòd sine aqua bene fit consecratio: eo quod aqua nec sit materia sacrameti, nec pars materiæ, vt dictum est: & ideo dicendum est de causa omissionis: illa enim potest esse hæresis, aut contemptus, aut negligentia: & primis duobus modis est peccatum mortale contra ritum sacramenti ordinatum ad hæresim vel scissuram. Tertio modo distinguendum mihi videtur in causa negligentiæ, scilicet quod hæc vel est detentio, vel occupatio circa vana, vel circa illicita. Si primo modo non peccat mortaliter: sed corripiendus est grauiter, ne circa hoc de cætero negligens inueniatur. Si secundo modo, aut hoc est ex cura vanorum & temporalium quæ pertractat, aut ex inopinata surreptione: & primo quidem modo grauiter peccat: & si mihi contingeret, facerem emendam tanquam pro peccato mortali. Secundo autem modo orandum est pro ipso: quia non peccauit mortaliter: sed indiget adiutorio contra tentatorem. Tertio autem modo quando scilicet fit ex occupatione circa illicita, non est dubium quin peccet mortaliter.

AD ID autem quod videtur probare, quòd semper peccet mortaliter, dicendum quòd appositio aquæ non est de principalibus sacramenti, sed de adiunctis ad ampliorem significationem.

AD ALIVD dicendum, quòd non celebrat aliter quam institutum est: quia nec formam mutat, nec materiam, licet aliquid omittat de non principali. Et per hoc patet solutio ad omnia obiecta.

ARTICVLVS X.

An species sacramentales aliis liquoribus admixtæ, corrumpantur an maneant saluæ?

QVinto quæritur quæstio difficillima harum specierum quando aliis liquoribus admiscentur. Videtur enim, quòd nunquam corrumpantur per admixtionem aliquam: corpus enim glorioſum diuinum non est admiscibile corpori non glorioso: post consecrationem autem est corpus glorioſum & diuinum: ergo non admiscetur alicui.

2 Si forte tu dicas, quòd species admiscentur & corrumpuntur, & corpus euolat in cælum: hoc videtur non esse intelligibile: quia habet Philosophus primo de generatione, vbi distinguit quæ miscibilia sunt, & quæ non, quòd accidentia nec sibi nec aliis sunt miscibilia: constat autem, quòd non remanent ibi nisi pura accidentia: ergo non admiscentur aliis corporibus vel accidentibus.

3 Item, Generatio & corruptio fiunt duobus modis, scilicet simpliciter, & secundum quid: constat autem quod vtraque est substantiæ: vna quoad acceptionem vel amissionem formæ substantialis: alia secundum acceptionem vel amissionem formæ accidentalis: ergo neutra erit accidentis secundum se: ergo videtur, quòd cum hæc sint accidentia, secundum se nunquam resoluantur in aliquid aliud.

4 Item, Vnumquodque quod corrumpitur, secundum suum esse corrumpitur: sed accidentis esse est inesse, vt dicit Philosophus: ergo non corrumpuntur nisi secundum inesse: & sic non corrumpuntur hic, & non possunt alio modo corrumpi: ergo simpliciter non corrumpuntur: sed manent incorruptibilia: & sic species panis & vini semper manent.

5 Item, Aristotel. circa finem primi physicorum dicit, quòd contraria nec patiuntur nec agunt adinuicem sine materia subiecta: sed quæ non agunt nec patiuntur adinuicem, nunquam se corrumpunt: ergo accidentia hoc modo accepta, nec se corrumpunt adinuicem, nec corrumpuntur ab aliis: sed hoc modo accipiuntur in sacramento post consecrationem factam: ergo nec à seipsis nec ab aliis vnquam corrumpuntur.

6 Præterea, Putrefactio quæ est in hostia diu reseruata post consecrationem, constat quòd non primo refertur ad corpus diuinum glorioſum: ergo necesse est, quòd referatur ad aliquid primo corruptum: constat autem quod hoc non est accidens: quia hoc secundum esse dependet ad aliud primum, si non est ibi aliquid pro substantia: ergo putrefactio quæ ibi apparet, ad nullum primo putrefactibile potest reduci, quod non capit intellectus hominis.

7 Si forte tu velis dicere, secundum quod quidam scripserunt & dixerunt, quòd post consecrationem peracto officio sacramenti redit substantia prima, scilicet sub specie panis & vini, & per illam substantiam permiscetur alijs corpori-

bus & putrefit & corrumpitur: Contra: Ille reditus aut est quia substantia sub accidentibus sit seruata: aut quia creatur de nouo sub accidentibus. Si primo modo: hoc non esse potest: quia sicut supra habitum est, illa conuertitur in corpus Christi, & postea non dimittitur ei aliquid. Si secundo modo: hoc iterum falsum est: quia quandiu discerni possunt species manentes, tandiu iudicatur esse corpus Christi: ergo sub illis accidentibus nunquam causatur alia substantia. Præterea, Cum incipit putrefieri, constat quòd adhuc manent speicies: ergo corpus Christi est adhuc sub illis, & non alia substantia. Præterea, Non diceretur hic vere esse corpus Christi si accidentia illa ducerent in aliam speciem, quam in corpus Christi: cum igitur verum est dicere hoc esse corpus Christi accidentibus manentibus, constat quod sub illis accidentibus nunquam alia substantia quam corpus Cristi erit.

Et ita videtur nihil esse dictum, quòd redeat alia substantia: & ideo fuerunt alij dicentes, quòd accidentia illa in permixtione & corruptione conuertuntur in substantiam, & vt substantiæ corrumpuntur & permiscentur. Sed quod hoc nihil sit, de facili probatur sic: Accidentia illa nec sunt vnius generis nec vnius sensus, sed quoddam est quantitas, quoddam qualitas, & quoddam est gustus, & quoddam visus: ergo si conuertuntur in substantiam, non conuertuntur in substantiã vnius generis & vnius sensus, sed transeunt in diuersas substãtias etiã genere & sensu, & hoc nihil est dictum. Si autẽ dicatur, quòd transeũt in substantiã eiusdẽ generis: tunc quæritur, quæ sit huiusmodi conuersio qua diuersa genera transeunt in vnum genere & numero. Item, Cum plura sint accidentia, videtur quòd plures sint substantiæ constitutæ ex illis: & hoc non est verum. Item, Philosophus dicit, quòd ex accidente non fit substantia: ergo accidentia illa non conuertuntur in substantiam.

Ideo iterum fuerunt alij qui dixerunt, quòd solum vnum illorum accidentium conuerteretur in substantiam, scilicet quantitas, & alia afficerent illam substantiam, sicut prius fecerunt substantiam panis & vini. Sed hoc ridiculum est: quia ex quantitate non fit substantia, vt dicit Philosophus. Præterea, Cum illa substantia sit quanta, vnde venit quantitas illa, si ita tota transsubstantiata est in subiectum: oportet enim quod ex sola quantitate fiat quantitas & substantia: & hoc non est verum: ergo patet, quòd illud nihil est dictum, & non intelligibile.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum mihi videtur sine præiudicio aliorum, quòd accidentia per se miscentur & corrumpuntur, vel in transitu ad aliud subiectum, vel in corruptione in non esse. Ad hoc autem intelligendum videntur mihi duo consideranda. Vnum est, quòd nos ideo dicimus formam substantialem & accidentalem vnam numero non posse esse in duobus subiectis successiue: quia ipsa non est secundum se, sed semper habet esse in subiecto: & quando non est in illo, tunc simpliciter non est: quia si ipsa extra subiectum esset & non in subiecto, nos diceremus, quòd sicut vnum & idem mobile transfertur de loco ad locum, ita vna & eadem forma transferretur de subiecto ad subiectum. Aliud est, quòd ideo accidens apud naturam nec agit nec patitur ab alio sine subiecto: quia non est sine subiecto: & ideo subiectum non confert ipsi virtutem agendi, vel patiendi, sed potius sustinet ipsum tantum: & ideo subiectum neutri est contrarium: sed si esset secundum se sine subiecto, absque dubio propria virtute ageret & pateretur: cum igitur secundum opinionem celebriorem & magis catholicam formæ illæ maneant sine subiecto, dico quòd per se possunt agere & pati admixtionem & putrefactionem, & per se in aliud subiectum transferri: sed ex illo in quod transferuntur, non possunt transferri in tertium: quia quod absque subiecto esse potuerunt, habuerunt ex hoc quod fuerunt in mysterio sacramenti per modum signatiuum, & hoc modo non sunt in tertio vel quarto vel deinceps subiecto in quod transferuntur à secundo. Huius autem ratio infra supra vltimum capitulum huius distinctionis explicabitur. His habitis facile est respondere obiectis.

DICENDVM ergo ad primum, quòd corpus glorioſum diuinum, nec miscetur, nec corrumpitur: sed species in se manentes ex mixtione vel corruptione in aliud transeunt: & tunc non est ibi corpus Christi.

AD ALIVD dicendum, quòd Philosophus non considerat nisi accidentia quorum esse est inesse: & non illa quæ sunt secundum esse potentia diuina ad mysterium sacramenti.

AD ALIVD dicendum, quòd generatio physica siue sit simpliciter, siue secundum quid, semper est substantiæ, vt dictum est: hic autem est alia mutatio, eo quod accidens hic manet sine subiecto potestate diuina ad vsum sacramenti fidei & Ecclesiæ.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc intelligitur de accidente quod totum dependet secundum esse ad subiectum in quo est: talia autem accidentia non sunt hic, sed potius ex potestate diuina sustentata sunt sine substantia, ideo vt compleatur significatio sacramenti fidei & Ecclesiæ.

AD ALIVD patet solutio per ante dicta: quia hoc non est ideo vt materia communis det eis virtutem qua agant adinuicem & patiantur, sed potius quia non agant nisi sint: & non sunt nisi quia sunt in materia vtriusque in communi in potentia: vnde si sine materia essent calidum & frigidum, tunc sine materia repugnarent adinuicem, & alterum corrumperet reliquum.

AD ALIVD dicendum, quòd sine præiudicio loquendo putrefactio est in quantitate hostiæ primo: quia hæc est ante saporem & colorem, vt infra probabitur: & est in ea alio corrumpente, scilicet qualitatibus aëris actiuis, vel alterius corporis: vel ex eo quod illæ qualitates quæ sunt in hostia, actus contrarios habent, & resoluunt eam.

AD OBIECTVM autem dicendum, quòd in physica putrefactione tenet hoc: quia in illis accidens dependet à subiecto, & non hic. Si autem obiiciatur, quòd illa putrefactio sit physica, dico quod ipsa quidem physica est, sed non est physice existentis, sed potius virtute diuina. Sed adhuc tunc obiicitur, quòd virtus diuina conseruans est potentior omni corrumpente: & sic non deberent species illæ corrumpi. Ad hoc dicendum videtur, quòd virtus diuina non conseruat & continet nisi ad actum sacramenti: & ideo conseruatio eius non impedit corruptionem earum secundum esse naturale quod habent in se.

AD

Ad id autem quod obiicitur contra opiniones inductas, videtur esse concedendum: sed tamen in rebus difficilibus nulli præiudicandum esse videtur, nisi soli errori, vbi ille apertus cognoscitur: quia quædam subsunt fidei quæ ratione penetrari non possunt: & Deus potest facere plusquam possumus intelligere: quia non erit impossibile apud Deum omne verbum.

ARTICVLVS XI.

An aqua & vinum quæ miscentur in calice possunt separari?

Deinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Quæ copulatio sit aquæ & vini, sicut miscetur in calice Christi, vt mixtio illa non possit separari, &c.] Hoc enim falsum videtur: quia dicit Philosophus, quòd mixta separari possunt.

2 Præterea, Si vinum habeat aquam mixtam, vt dicunt alchimici, contingit eam separari multis quidem modis, quibus extrahitur substantia à substantia in qua est, & vnus modus sufficiat gratia exempli: cum enim simile attrahit simile, & porosum præcipue trahat humidum: si in vinum mixtum mittatur iuncus decorticatùs siccus ex similitudine naturæ, quia crescit in aqua, attrahit simile, & ex porositate trahit humidum: ergo ex porositate & similitudine aquæ naturæ trahit humidum aqueum relinquendo vinum: ergo hoc modo separabitur aqua admixta: ergo separabilis est: & hoc est contra literam. Item, Contra ritum Ecclesiæ & fidem: quia Ecclesia ordinat & dicit, quòd aqua absumitur à vino, ita quòd transeat in speciem vini & saporem, sicut prius dictum est.

3 Si forte tu dicas, quòd non est separata aqua per hunc modum: sed est vinum quod contrahit iuncus siue scirpus. Contra: Probetur vini fortitudo & sapor ante immissionem scirpi siue iunci, & post extractionem: & inuenietur post fortius & saporosius, quam ante: hæc autem intensio saporis & fortitudinis non potest esse nisi ex remotione contrarij, quod est humidum aquæ: ergo iuncus extrahit aquam, vt videtur: ergo falsum dicit in litera. Alia autem possent poni quibus hoc docetur fieri: sed quia hoc naturale & magis apparens est, illud sufficiat.

Solvtio. Dicendum, quòd iuncus substantiam aquæ non trahit ex omni humido, siue sit mixtum, siue purum: sed quanto est plus mixtum, tanto plus trahit, quia plus inuenit: & quanto purius, tanto trahit minus, quia minus inuenit: vnde non separatur eadem aqua infusa: sed potius substantia aquæ in vino quæ actu vinũ est, ex qualitatibus aquæ in junco existentibus cõuertitur ad naturam aquæ & trahitur. Vinum enim, vt ait Philosophus in 4. metheororum, est species aquæ: & sunt in eo partes debiliores, citius quam aliæ ad naturam aquæ transmutabiles: & illas attrahendo alterat iuncus vel scirpus: & ideo non est separatio, sed potius corruptio quarundam partium vini magis debilium: & per hoc patet solutio ad totum. Solutio.

Iulius Papa.

SI vero quæritur, An irritum sit quod geritur, si aqua prætermittatur? Audi quod sequitur in eodem canone: Non potest, inquit, calix Domini esse aqua sola aut vinum solum nisi vtrumque misceatur. Item Cyprianus, Calix Domini non est aqua sola, aut vinum solum, nisi vtrumque misceatur: sicut nec corpus Domini potest esse farina sola, nec aqua sola, nisi vtrumque fuerit adunatum, & panis vnius compage solidatum. Siquis tamen non intendens introducere hæresim, obliuione vel ignorantia aquam prætermiserit, non videtur esse irritum sacramentum: sed ille grauiter est corripiendus. Nam & Græcorum Ecclesia non apponere aquam dicitur. Quod etiam ex dictis Cypriani videtur posse colligi: ait enim, Siquis de antecessoribus nostris vel ignoranter vel simpliciter non hoc seruauerit, quod nos Dominus facere & exemplo & magisterio docuit, potest simplicitati eius indulgentia Domini venia concedi. Nobis vero non potest ignosci, qui nunc à Domino instructi sumus vt calicem Domini cum vino mixtum, secundum quod Dominus obtulit, offeramus. Ex hoc videtur, quod siquis simpliciter vel ignoranter vinum offerat sine aqua, sacramentum conficiat. Aqua vero nullatenus sine vino potest offerri in sacrificio, nec panis nisi de frumento, nec granum frumenti nisi redactum fuerit in panem: quia Christus & panem se dicit, & grano frumenti se comparat.

D De cõse. dist. 2. cap. Non debes.

De cõse. dist. 2. c. Sicut in sanctificatione.

De cõse. dist. 2. cap. Et Scriptura.

Ioan. 6.

Ioan. 12.

parat. Quod ergo ſupra dictum eſt non poſſe vinum ſolum offerri, determinari oportet : recipit enim exceptionem. Non poteſt , niſi ſimpliciter vel ignoranter fiat : vel , non poteſt , id eſt , non debet. Quibuſdam tamen videtur hoc generaliter verum. Colligitur etiam ex prædictis , quòd Chriſtus vinum aqua mixtum dedit diſcipulis. Corpus vero tale dedit , quale tunc habuit , id eſt , mortale & paſſibile. Nunc vero ſumitur à nobis immortale & impaſſibile : nec tamen maiorem habet efficientiam. Euchariſtia quoque intincta non debet dari populo pro ſupplemento communionis : quia non legitur Chriſtus alicui diſcipulorum præbuiſſe panem intinctum niſi Iudæ. Tunc vero non accepit Iudas corpus Chriſti , ſed tantum panem: corpus vero & ſanguinem Chriſti ante cum aliis diſcipulis perceperat.

De cõſe. diſt. 2. c. Cum omne.

ARTICVLVS XII.

An calix poſsit eſſe aqua ſola , aut vinum ſolum, aut mixtum ex vtroque?

DEinde quæritur de hoc quod dicit [Quod ergo ſupra dictum eſt non poſſe vinum ſolum , &c.] Videtur enim expoſitio nihil valere, cum dicit [Niſi ſimpliciter fiat , vel ignoranter] Quia ſimplicitas vel ignorantia ſunt diſpoſitiones conſecrantis , & non de eſſe ſacramenti : ergo non faciunt ad hoc quod fiat conſecratio, vel non fiat , ſed potius quod meritorie vel non meritorie fiat.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd poſſe hoc non eſt poſſe ſacramenti : ſed potius poſſe iuris ex ordinatione Eccleſiæ & congruentia ſacramenti , vt ſupra dictum eſt : & per hoc patet ſolutio.

ARTICVLVS VIII.

Quale corpus Chriſtus dedit diſcipulis ſuis, an mortale & paſsibile , vel immortale & impaſsibile ?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Corpus vero tale dedit, quale tunc habuit, &c.] Circa hoc ante literam videntur tria eſſe quærenda : quorum primum eſt, Quale corpus dedit diſcipulis vtrum ſcilicet mortale & paſſibile,vel immortale & impaſſibile ? Secundum, Et quid eſſet ſi ſeruatum fuiſſet in pyxide vſque in triduum,vel celebratum fuiſſet in triduo , vel de nouo confectum ? Tertium , Vtrum ipſe ſumpſit corpus ſuum , quando illud dedit diſcipulis ſuis, an non?

AD PRIMVM obiicitur ſic in litera : & 1.Cor.11. ſunt eadem verba in Gloſſa, quòd ipſe dedit corpus quale tunc habuit : tunc autem habuit paſſibile : ergo dedit corpus ſuum paſſibile.

2 Item, Innocent. in lib. de ſacramentis,Tale Dominus dedit corpus diſcipulis , quale tunc habuit : conſtat autem, quòd habuit paſſibile : ergo paſſibile tradidit.

3 Item , Veritatis non eſt fingere : ſed Chriſtus eſt veritas : ergo Chriſti non eſt fingere : ſed fingere eſt alterius modi exhibere quam eſt : ergo Chriſtus ſe in ſacramento alterius modi non exhibuit quam fuit : ſed fuit paſſibilis : ergo paſſibile & mortale corpus dedit diſcipulis.

4 Item , Hoc accipitur ex modo loquendi, cum dicit , Hoc eſt corpus meum,quod pro vobis tradetur : tradendum enim corpus in futuro eſſe non poterat niſi mortale , quia aliter traditio non intuliſſet ei paſſionem : cum ergo idem porrexerit diſcipulis, videtur quòd fuerit ſub eadem diſpoſitione : ergo paſſibile præbuit.

5 Item, Detur , quòd dedit impaſſibile : ergo fuit impaſſibile , & in cruce fuit paſſibile : ergo fuit ſimul paſſibile , & non paſſibile : ſed impaſſibile & non paſſibile aut æquipollent, aut vnum ſequitur ad aliud : ergo ſimul fuit paſſibile , & non paſſibile : ſed ſi fuit non paſſibile : ergo non fuit paſſibile : quia negatiua de prædicato finito, & affirmatiua de prædicato infinito æquipollent: ergo ſimul fuit paſſibile , & non fuit paſſibile in eodem tempore : ergo contradictoria verificantur de eodem in eodem tempore,quod eſt impoſſibile.

6 Si forte tu dicas , quòd hoc non ſequitur: quia reſpectu diuerſorum accipiuntur, ſcilicet reſpectu formæ ſacramenti ſecundum quam eſt impaſſibile , & reſpectu formæ naturalis propriæ ſecundum quam eſt paſſibile. Item reſpectu ſumentium ſacramentum eſt impaſſibile , & reſpectu lanceæ & crucis paſſibile. Si , inquam, ſic dicas. Contra : Paſſibile & impaſſibile ſunt qualitates abſolutæ fluentes à naturali potentia vel impotentia patiendi : ergo ſiue comparentur ad aliud ſiue non,ſemper ſunt vno modo : conſtat autem, quòd Chriſtus tunc non habuit naturalem impotentiam patiendi , id eſt, qua non pateretur accedente læſiuo inferente paſſionem : ergo à nulla comparatione potuit eſſe vel fieri impaſſibile,non alterata in eo natura paſſibili : conſtat autem,quòd ſacramentum in eo non alterauit naturam : ergo dedit corpus ſuum paſſibile , & nullo modo impaſſibile.

Sed contra.

SED CONTRA hoc obiicitur , Matth 17. ſuper illud transfiguratus eſt ante eos, Gloſſ. Illud corpus quod habuit per naturam dedit diſcipulis in cœna non mortale , non corruptibile. Hoc expreſſe dicit : quia dedit incorruptibile, cum tamen haberet paſſibile.

2 Item,

2 Item, Leuit. 11. super illud, Si fuerit oblatio de sanguine, &c. dicit Glossa, Carnem suam ante passionem esui non aptam, esui aptam fecit. Constat autem, quòd passibilis non esset esui apta: ergo fecit eam impassibilem.

3 Item, Hugo de sancto Vict. Tenebat se in manibus, tenens erat mortalis, tentum immortale: sed hoc erat corpus quod dedit discipulis: ergo corpus dedit immortale & impassibile. Item, Hugo, Ego absque præiudicio veritatis magis ad hoc accedo, vt illud impassibile & immortale quantum pertinet ad sanctificationem sacramenti tradidisse dicitur: si enim hoc esse potuit, quòd ipse seipsum manibus gestaret, & corpus suum sine corruptione sui edendum distribuit: & tamen qui dedit & qui dabatur, & qui portabat & qui portabatur, idem esset: quid mirum si dicatur, quòd ipse in eo quod dabatur, erat immortalis, & in eo quod dabat mortalis fuit, non duo, sed vnus.

4 Item, Passibile patitur accedente læsiuo: si ergo ipse dedit illud passibile, patiebatur accedente læsiuo: attritio autem dentium læsiuum est: ergo patiebatur & occidebatur masticatione discipulorum, quod falsum est: ergo non dedit corpus suum passibile & mortale, vt videtur.

Solutio. Solvtio. Dicendum, quòd circa hanc quæstionem ambæ partes habent suos defensores: & illi qui sequuntur Hugonem de sancto Vic. dicunt, quòd Dominus ante resurrectionem suam, vsum quatuor dotium corporis assumpsit, quãuis non assumpserit habitum: actum enim siue vsum subtilitatis assumpsit, quando ex vtero matris clausis pudoris repagulis exiuit: vim autem agilitatis, quando sicco vestigio super vndas ambulauit: claritatis autem, quando resplenduit facies eius in monte Thabor, quando transfiguratus est ante discipulos: sed actum impassibilitatis in cœna, quando corpus suum discipulis dedit, non passibile secundum actum, licet habitu esset passibile: quia (sicut dictum est) ipse non assumpsit habitum dotium, sed tantum actum: & hæc est sententia Magistri Hugonis de sancto Victo. & tunc patet solutio ad omnia primo obiecta, præter duo, scilicet quod obiicitur de fictione: & verificatione contradictoriorum simul de eodem.

Ad primvm ergo illorum dicendum, quòd non erit fictio (vt dicit Augustinus) nisi quando ordinatur ad deceptionem: vnde etiam dicitur Lucæ vltim. quòd finxit se longius ire, nec reputatur fictio nisi bona: vt dicit August. quia non ordinatur ad decipere, sed potius ad instructionem: vnde sicut ipse ostendit discipulis claritatem, ne de morte sua nimis tristarentur & turbarentur: ita in cœna propter instructionem resurrectionis ostendit eis impassibilitatem, & in aliis iocis actus aliarum dotium.

Ad alivd dicendum, quòd non erat ibi aliqua oppositio contradictionis: quia æquiuoce summitur passibile, & impassibile: mortale, & immortale: passibile enim & mortale sumuntur secũdum habitum, sed immortale & impassibile secundum actum: vt idem sit impassibile & immortale, quia non patiens, & non moriens in distributione sacramenti. Hoc autem qui dicere voluerit, potest, & habet vnde respondeat obiectis. Ego autem magis assentio alteri oppinioni quam Magister tangit in litera, & Glossa 1. Cotinth. 11. & Innocentius in libro de sacramentis, scilicet quòd passibile dedit corpus suum: & ideo etiam in memoriam passionis frequentatur sacramentum ab Ecclesia.

Ad hoc autem quod primo obiicitur, dicendum quòd Glossa sic intelligitur, scilicet quod dedit immortale & impassibile, id est, non passum, & non mortuum in sacramento vel sacramenti susceptione: & huius non est causa quòd fuit impassibile, sed causa in solutione patebit.

Ad alivd dicendum, quòd illa Glossa Leuitici non intelligitur de impassibilitat, esed potius quia corpus in figura & forma humana non est esui aptum, ideo tradidit illud sub forma panis sub qua est esui aptum.

Ad alivd dicendum, quòd illa fuit opinio Hugonis quam non tenemur sequi, nisi velimus. Si tamen velimus sustinere quod dicunt, dicemus, quòd ipse refert hoc ad id quod non patiebatur secundum actum sub sacramento: sed causam huius non determinat: & ego non credo, quòd hæc fuit causa quod impassibilitatem assumpsit, quia nulla ad hoc cogit necessitas, vt iam infra patebit.

Ad alivd dicendum, quòd illa propositio verissima est, qua dicitur, passibile patitur accedente lęsiuo: sed in sacramento nullum accessit sibi læsiuum: quia sicut habebimus in sequenti distinctione à Magistro determinatum, masticatio & diuisio non referuntur ad corpus Christi, sed ad formas tantum siue species accidentales: hoc tamen puto fuisse quod coegit eos qui diuersa sunt opinati à Magistro hic, quod dederit corpus suum impassibile: vnde cum hoc, sicut iam patuit, nihil omnino cogar, patet quòd non est ratio quare dicatur corpus suum impassibile tradidisse.

ARTICVLVS XIV.

Quid de corpore Christi esset factum, si ab aliquo discipulorum fuisset consecratum in triduo, aut seruatum in pyxide? & an anima existens in limbo etiam potuerit esse in corpore consecrato.

Secundo quæritur, Quid esset de corpore illo factum, si ab aliquo discipulorum fuisset seruatum per triduum, vel ab aliquo eorum de nouo confectum vel consecratum? Cum enim vnum & idem numero esset corpus quod pependit in cruce, & quod seruabatur in pyxide: videtur, quòd quodcunque accidit ei in cruce, totum hoc acciderit ei in pyxide: sed in cruce vulnerabatur, lanceabatur, irridebatur, potabatur aceto: ergo & in pyxide fiebat ei quodlibet istorum: & hoc plane falsum est: quia crucifixio & huiusmodi ad visus hominum fuerunt, & nihil talium videbatur in pyxide fieri circa corpus.

2 Si autem tu dicas, quòd in pyxide non crucifigebatur, tunc videtur quòd contradictoria verificantur de eodem in tempore vno & eodem: in cruce enim occidebatur, & non in pyxide, & in eodem tempore ipsum erat idem existens: ergo vnum & idem existens vno tempore crucifigebatur & non crucifigebatur, siue moriebatur & non moriebatur, quod non capit intellectus.

2 Item,

2 Item, Aut moriebatur in pyxide, aut non moriebatur: sed non moriebatur: ergo idem homo eodem tempore erat mortuus & viuus, quod nec fides admittit, nec intellectus capit. Si moriebatur aut eodem genere mortis quo extra pyxidem moriebatur, aut non. Si non;ergo duobus generibus mortis moriebatur Christus, quod iterum abhorret Scriptura. Si eodem, sed extra moriebatur crucifixione:ergo & in pyxide moriebatur crucifixione:sed moriens crucifixione crucifigitur:ergo Christus in pyxide crucifigebatur, & eadem ratione lanceabatur,&c.

Sed contra. SED CONTRA: Christus non nisi in vno loco crucifigebatur, scilicet in Golgotha: pyxis autem non fuit in Golgotha: ergo in pyxide non crucifigebatur.

2 Item, Licet corpus Christi & anima ex vnione ad deitatem quæ vbique est, possit esse in pluribus locis: tamen actus Iudæorum & Gentilium non poterat esse nisi vbi erant Gentiles & Iudæi, qui tantum fuerunt in vno loco: sed illi non erant in pyxide: ergo nec actus eorum: sed actus eorum sunt crucifixio, lanceatio, clauatio, & huiusmodi: ergo ista non facta in pyxide,sed tantum in cruce.

Quæst.1. ITEM vlterius quæritur hic, Si confectum fuisset in triduo,vtrum esset perfectum sacramentum, an non? Videtur, quòd non: supra enim habitum est, quòd ex vi consecrationis panis non conuertitur nisi in corpus, & vinum in sanguinem, & ex vnione est ibi tam anima quam deitas:ergo non existente vnione animæ ad corpus, non erat ibi anima: ergo non conficitur nisi corpus mortuum: sed corpus mortuum & sanguis mortuus non esset sacramentum perfectum: ergo in triduo non fuisset sacramentum perfectum, vt videtur.

2 Item, non viuum non viuificat: sed corpus Christi viuificat: ergo non potuit confici non viuum:sed triduo si confectum fuisset,fuisset non viuum: ergo in triduo non potuit confici, vt videtur.

Quæst.2. SI TVNC quæritur, Vtrum Chistus poterat præcipere animæ existenti in limbo vt esset in corpore consecrato? Videtur, quòd sic: quia ipse est omnipotens, & potestatem habet ponendi animam suam,& iterum sumendi eam: ergo videtur etiam,quòd hoc potuit facere.

2 Item, Ex hoc nullum generatur præiudicium redemptionis:quia anima simul & semel potest esse in diuersis locis:& ita existens in corpore sub sacramento,non recederet proprer hoc à limbo lucens redimendis ab inferno: ergo videtur, quòd hoc fecisset Christus,si in triduo fuisset consecratum.

3 Item,Modo totus est in cælis, & totus in multis altaribus simul & semel:ergo tota similiter anima potuit esse in limbo separata à sepulto corpore, & tota anima in corpore sub forma sacramenti confecto, & nullum videtur esse inconueniens.

Sed contra. SED CONTRA: Hac positione facta idem corpus numero esset in forma sacramenti, & in sepulchro:& in forma sacramenti esset animatum & viuum, in sepulchro autem inanimatum & mortuum:ergo idem corpus numero & in eodem tempore esset animatum & non animatum, & viuum & mortuum; quod est inconueniens, & absurdum, & etiam contra fidem.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum videtur cum antiquis in hac quæstione, qui dicunt, quòd quædam nomina, verba, & participia, dicunt passiones naturales vel communes ad naturales & violentas, & hæc possunt copulari corpori existenti in pyxide si seruatum fuisset per triduum, sicut patitur,dolet, moritur, sentit dolores, sentit passiones, & huiusmodi. Quædam autem dicunt passiones violentas ipsa voce, sicut vulneratur, verberatur,crucifigitur, & huiusmodi,& hæc non possunt copulari corpori nisi vbi est sub propria forma, sicut fuit in caluariæ loco siue in Golgotha,quod idem est. Causa autem huius est: quia talia dicunt passionem, non secundum quod est passionati,sed secundum quod est illatio & effectus actionis: & cum actus crucifigentium non fuerit nisi in loco crucifigendi,non possunt talia fieri circa Christum nisi secundum formam qua inter crucifigentes apparuit, & in loco crucifixionis. Alia autem dicunt passionem,secundum quod est tantum in patiente: & cum patiens fuerit idem in cruce & in pyxide, ideo illa copulantur ei vtrobique. Vnde antiqui determinabant hanc quæstionem per duos versus sic dicentes.

Pyxide seruatum poterit copulare dolorem
Innatum:sed non illatus conuenit illi.

SECVNDVM hoc ergo videtur dicendum ad primum, quòd licet idem sit corpus in cruce, & in pyxide:tamen sub alia & alia forma: & verum est,quod quicquid accidit ei in cruce, accidit ei in pyxide, quod dicit ipsius passionis quantitatem & substantiam ex parte patientis: sed vulnerari, & huiusmodi, præter passionis substantiam dicunt comparationem ad agentem extra: & ideo non oportet, quod accidant ei. Et est in argumento locus sophisticus figurę dictionis ex commutatione eius quod dicit quid passionis, in id quod dicit passionem qualem,scilicet ad actionem agentis comparatam.

AD ALIVD dicendum, quòd contradictio de eodem non verificatur:quia hæc est vera, quòd corpus Christi crucifigebatur:& hæc est falsa,corpus Christi non crucifigebatur:sed hæc est duplex, corpus Christi crucifigebatur in pyxide,ex eo quod ly in pyxide potest determinate corpus Christi mediante participio subintellecto, scilicet ens,sub hoc sensu, corpus Christi ens in pyxide crucifigebatur, & sic est vera. Vel potest determinare ly crucifigebatur, & sic est falsa. Similiter & hæc est duplex, corpus Christi in pyxide non crucifigebatur, vt patet per se ex distinctione præcedenti. Et istæ, corpus Christi crucifigebatur in pyxide, & corpus Christi non crucifigebatur, non sunt contradictoriæ, nisi secundum quod determinatio refertur ad idem in vna & in alia: & hoc non est inconueniens;quòd hoc modo non crucifigebatur in pyxide, quia ex hoc non sequitur, quòd non crucifigebatur;& est ibi fallacia secundum quid ad simpliciter.

AD ALIVD dicendum, quòd in pyxide moriebatur, & eodem genere mortis quo extra, sed hæc mors in pyxide non inferebatur ei, sed in cruce. Et ideo non sequitur, moriebatur in pyxide eodem genere mortis:ergo crucifigebatur:quia crucifigi non tantum dicit idem genus mortis, sed etiam illationem illius secundum quod est ab agẽte, & gratia illius non conuenit ei in pyxide, sed

gratia

gratia eius quod tantum fuit ex parte patientis: & hæc solutio dicit idem genus mortis.

Ad qu.1. AD ID quod vlterius quæritur, sine præiudicio videtur mihi, posito quod conficeretur in triduo, quod corpus Christi esset in sacramento sine anima: nec puto verum esse quod quidam dicunt, scilicet quòd suspensa esset forma sacramenti in triduo, sed potius puto, quòd si sacramentum consecratum esset in triduo, quod habuisset effectum.

AD ID autem quod contra obiicitur, dicendum quòd perfectum sacramentum dicitur tribus modis. Vno modo à perfectione materiæ & formæ sacramenti: sicut omnis res in esse perfecta est perfectione illorum duorum in compositione, dummodo illa res nõ sit simplex, sed composita ex materia & forma. Secundo modo dicitur sacramentum perfectum: quia perfecte facit actum ad quem institutum est. Et his duobus fuisset illud sacramentum perfectum in triduo. Tertio dicitur sacramentum perfectum à numero eorum quæ sacramentum continet, & hoc modo improprie. Et hoc modo verum est, quod non tot substantias contineret in triduo, quot continet extra triduum, quia non cotinet animam.

AD ALIVD dicendum, quòd corpus Christi non est viuificatum à vita naturali, cuius causa est anima, sed à vita quæ est deitas: & illam vitam haberet vnitam sibi in triduo, & gratia illius viuificaret, & ideo etiam Christus morte sua deitatis virtute viuificauit mortuos, vt dicit Augustinus.

Ad qu.2. AD ID quod vlterius quæritur, Vtrum Christus potuit facere animam suam intrare suum corpus sub sacramento, & non in sepulchro? Dicendum, quod aliud est posse facere, & aliud posse fieri, & de suo posse, & fieri, alibi dictum est, scilicet in fine primi libri. Sed puto dicendum, quòd non potuit illud fieri: quia sic sequeretur, quod idem esset animatum & inanimatum quod est inconueniens.

AD PRIMVM autem quod cõtra obiicitur, dicendum quòd potest omnia: non tamen omnia possunt fieri simul propter oppositionem vel consecutionem impossibilitatis.

AD ALIVD dicendum, quòd hæc non est causa, quòd possit esse in pluribus simul: sed potius illa, quòd idem corpus numero in vno & eodem tempore non potest esse animatum in vno loco, & inanimatũ in alio loco: quia si hoc esset, vbique esset inanimatum: & si est hic animatum, vbique est animatum: & ideo non potest esse, quòd anima sit in corpore in sacramento, & non in sepulchro. Aliter autem dicunt quidam: & qui volunt sequi illos, possunt: sed hic opiniones omnium prosequi esset dispendiosum.

ARTICVLVS XV.

An Christus in cœna in propria persona sumpserit corpus suum?

TErtio quæritur, An Christus in proptia persona sumpsit suum corpus in cœna, quando illud dedit discipulis? Et videtur, quòd sic: quia Matth. 26. super illud, Accipite & comedite ex hoc omnes, dicit Chrysost. Bibite ex eo, vt discipuli videntes non dicerent, Quid sanguinem bibo? Vt enim non turbarentur, sicut turbati fuerunt multi qui abierunt retro, primus ipse sanguinem suum bibit.

2 Item Ruth 3. super illud, Cum comedisset & bibisset, dicit Gloss. Comedit Christus & bibit, cum in cœna corpus & sanguinem suum tradidit discipulis.

3 Item, Quia pueri communicauerunt carni & sanguini, & ipse similiter participauit eisdem, vt per mortem destrueret eum qui habebat mortis imperium Hebr. 2.

4 Item, Leuit. 8. super illud, Cumque de sanguine, &c. Gloss. Primo sacerdos, postea alij eius sanguine vnguntur: quia in cœna primo Christus sanguinem suum accepit, deinde discipulis tradidit.

5 Item, Gloss. ibidem, sanguinem suum bibit, & aliis bibere dedit, cum intelligibilem sanguinem super altare, id est, suum corpus fudit.

6 Item, Hæc videtur esse sententia antiquorum, qui fecerunt versus de solutione huius quæstionis dicentes.

Rex sedet in cœna, turba cinctus duodena:
Se tenet in manibus, se cibat ipse cibus.

7 Item, Videmus hoc, quòd ipse circunciſus est, & postea baptismum succedentem circunci-sioni suscepit: ergo à simili cum communicauerit agno typico, ipse etiam communicauit carni & sanguini suo succedenti agno typico.

8 Item, Sacramenta inceperunt à Christo, & ab ipso tanquã à capite fluxerunt in Ecclesiam: ergo primo in Christo esse debuerunt, deinde in Ecclesia: cum igitur communio sit sacramentum Ecclesiæ præcipuum, communio debuit ab ipso incipere.

9 Item, Cum dicitur in Psalm. 132. Ecce quam bonum, &c. Et subiungitur, Sicut vnguentum in capite quod descendit in barbam, &c. ergo à capite descendit vnctio sacramentalis in barbam, id est, in Apostolos, vt exponunt Sancti, & à barba in oram vestimenti, id est, in minimos de Ecclesia. Ergo inunctio præcipui sacramenti, id est, communicatio, videtur primo incepisse ab ipso, deinde in Apostolos deriuata fuisse.

Sed contra. SED CONTRA: In natura nihil est vanum & frustra: ergo minus in operibus Christi: sed esset, si communicasset: ergo non communicauit. Probatio assumptæ. Illud sacramentum restaurat deperditum in viribus spiritualibus, perficiendo maiorem vnionem membrorum cum capite: sed Christus nihil perdidit, nec magis vniri potuit quam vnitus fuit: ergo in ipso ad nullum finem fuisset communio si communicasset: ergo frustra & in vanum: quia dicit Philosophus, quòd frustra vel vanum est, quod est ad aliquem finem, & non includit illum.

2 Item, Sanguis causat redemptionem in his à quibus sumitur: sed Christus non erat redimendus, sed potius redemptor: ergo non debuit communicare sanguini. Item, non est eiusdem propinare suum sanguinem & bibere: sed Christus fuit vt pincerna sanguinis: ergo non bibit ipsum.

3 Item, Videtur esse occasio hæresis, scilicet quod etiam ipse sicut alij ibi indigeret effusione sui

ſui ſanguinis, cum eum ſumeret ſicut alij: Chriſtus autem in omnibus intendit ædificare fidem: ergo non debuit ſuum ſanguinem ſumere.

Solutio. SOLVTIO. Sine præiudicio quorundam aliter dicentium, videtur mihi tutius eſſe, quòd dicamus hoc quod ſancti Patres expreſſe tradiderunt, ſcilicet quòd Chriſtus ſanguinem ſuum accepit, & ſuum corpus. Et fateor me deficere in ſoluendo dicta eorum: ſed mihi videtur, quod hoc expreſſe intendunt dicere.

AD PRIMVM quod contra obiicitur, dici poteſt, quòd eſt finis in ſe, & finis in alio: communio autem corporis & ſanguinis Chriſti finem non habuit in ſe, ſed in alio: & illum tangit prima auctoritas Chryſoſt. ſcilicet ne alij horrerent qui ante horruerant Ioan. 6. dicentes, Durus eſt hic ſermo, quis poteſt eum audire: & relicto eo abierunt retro. Alia autem cauſa eſt vt ſignificaret, quòd ſicut gratia redemptionis ab ipſo deriuatur ad membra, ita etiam ritus & inſtitutio obſeruationis, & ideo communicauit.

AD ALIVD dicendum, quòd communio in Chriſto non cauſat redemptionem, ſed potius fuit vt forma & exemplar ritus obſeruandi, & ſine horrore communicandi de cætero. Hæc etiam fuit vna cauſarum ſupra poſitarum, qua etiam ipſe ſub ſpeciebus cibi & potus generaliter tradidit corpus ſuum & ſanguinem.

AD ALIVD dicendum, quòd hæc non fuit occaſio hæreſis: quia iam per doctrinam & miraculum & teſtimonium Patris de cælo factum, & transfigurationem didicerant, quòd nullo horum indigeret, ſed reſtabat ſolum informatio ad ritum Eccleſiæ per exemplum acceptum à Chriſto. Vnde Apoſtolus 1. Cor. 11. Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis.

Vbi illa accidentia fundentur.

SI autem quæritur de accidentibus quæ remanent, id eſt, de ſpeciebus & ſapore & pondere, in quo ſubiecto fundentur? potius mihi videtur fatendum exiſtere ſine ſubiecto, quam eſſe in ſubiecto: quia ibi non eſt ſubſtantia, niſi corporis & ſanguinis Dominici, quæ non afficitur illis accidentibus. Non enim corpus Chriſti talem habet in ſe formam, ſed qualis in iudicio apparebit. Remanent ergo illa accidentia per ſe ſubſiſtentia ad myſterij ritum, ad guſtus fideique ſuffragium: quibus corpus Chriſti habens formam & naturam ſuam tegitur.

ARTICVLVS XVI.

An in ſacramento Euchariſtiæ maneant accidentia ſine ſubiecto?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Si autem quæritur de accidentibus quæ remanent, &c.] Hæc eſt quæſtio grauiſſima de accidentibus, quia dicit accidentia hic eſſe ſine ſubiecto. Et contra hoc obiicitur multipliciter: eo quod tota philoſophia videatur eſſe contra. Primo ſic: Eſſe non poteſt ſeparari ab ente, quia ſequeretur contradictio, ſcilicet ens quod eſt, non eſſe: ſed accidens eſt ens quoddam: ergo ſuum eſſe non eſt ſeparabile ab illo: ſed ſuum eſſe, vt dicit Philoſophus, eſt ineſſe: ergo ineſſe non eſt actu ab ipſo ſeparabile: ſed ſi ineſt, non ineſt niſi ſubiecto: ergo actu non poteſt ſeparari à ſubiecto: & ita non erit hic ſine ſubiecto.

2 Si forte tu dicas, quòd Deus poteſt facere etiam plus quam poſſumus intelligere: nos autem poſſumus intelligere accidens ſine ſubiecto: ergo Deus poteſt hoc facere. Contra: Non quæritur quid Deus poſſit facere, ſed quid in creatura poſſit fieri: ſed iam oſtenſum eſt, quòd eſſe alicuius entis non poteſt ſeparari ab ipſo, quin ſequitur contradictio ſi ſeparetur ſecundum actum: ergo hoc non poteſt fieri in accidente.

3 Item, In ordinatione ſapientiæ diuinæ eſt, quòd accidens non eſt niſi in ſubiecto: ſed contra ordinationem ſapientiæ non poteſt facere Deus, vt dicit Auguſtinus, & Anſelmus: quia faceret contra ſeipſum: ergo videtur non poſſe facere, quòd accidens ſit ſine ſubiecto.

4 Item, Si accidens cauſatur à principiis ſubſtantiæ in eſſe, ita continetur ab eiſdem in eſſe: ſed vnumquodque naturaliter deficit, cum ſeparatur à principiis cauſantibus & continentibus ipſum: ergo accidens deficit cum ſeparatur à ſubſtantia, & principiis eiuſdem: ergo ſi in ſacramento accidens ſeparatur à ſubiecto, accidens non manet: ſed manet ſicut iudicat viſus: ergo non eſt ſine ſubiecto.

5 Item, 1. Corinth. 11. ſuper illud, Alius quidem eſurit, alius autem ebrius eſt, dicit Gloſſ. quòd in magna quantitate conſecrabant, & comedebant. Sed conſtat, quòd accidentia non inebriarent vel reficerent aliquem: ergo videtur, quòd accidentia ibi non maneant ſine ſubiecto.

6 Item, Magis conſtant ea quæ ſunt in diuerſis generibus, quam ea quæ ſunt in eodem genere: ſed corpus & ſpiritus ſunt in eodem genere, accidens & per ſe ens in diuerſis: ergo magis diſtant accidens & per ſe ens ſiue ſubſtantia, quam corpus & ſpiritus: ſed corpus non poteſt fieri ſpiritus, vt dicit Auguſtinus, & probat Boëtius in libro de duabus naturis in vna perſona Chriſti in fine: ergo accidens multo minus poteſt fieri ens per ſe: ergo non poteſt eſſe ſine ſubiecto.

7 Item, Aſpectui humano ibi apparet non tantum

tantum accidens, sed album, rotundum, denominatum & informatum ab accidente: aut igitur sic est in sacramento sicut apparet, aut non. Si sic est: ergo est ibi aliquid denominatum & informatum, & nihil nisi substantia & subiectum: ergo accidens non est sine subiecto. Si non: ergo aliter est in sacramento veritatis, quam apparet extra aspectum hominis, & sic est phantasia vel præstigium, quod absurdum est dicere & credere de sacramento veritatis & Ecclesiæ.

8 Item, Diffinitio non separatur à diffinito, eo quod diffinitio dicit esse diffiniti: cum igitur accidens diffiniatur per inesse, videtur quod inesse non potest separari ab accidente actu: quia de illa separatione quæritur hic.

9 Item, Philosophus in primo lib. physicorum contra Parmenidem loquens dicit, Si animal & bipes quæ diffiniunt hominem, sunt accidens, & homo erit accidens: & sic accideret etiam, quòd homo esset accidens alij: ergo à simili si diffiniens accidens est tantum in alio esse, & nunquam per se esse, erit & ipsum accidens diffinitum tantum in alio, & nunquam per se: sed inesse est diffinitiuum accidentis, & nunquam habet esse nisi in alio: ergo accidens nunquam est nisi in alio sit. Probatio assumpti. Dicit Philosophus, quòd accidens est quod cum sit in alio, non est in eo velut pars quædam, & impossibile est esse sine eo in quo est: ergo patet propositum.

10 Item, Damasc. videtur velle dicere, quòd substantia panis manet, & etiam substantia vini, in quibus fundantur accidentia, & sic nunquam sunt per se: quia ipse dicit, quòd sicut eramus compositi ex duplici substantia, scilicet corpore & anima: ita fecit cibum duplicem coniungendo pani & vino deitatem in spiritualem cibum: sed pani & vino non adiungitur deitas nisi remaneant ibi substantiæ panis & vini: ergo accidentia sunt in illis, non sine subiecto, vt dicitur in litera.

11 Item, Dicit Philosophus, quòd quanta fuerit superficies, tantum album esse dices: sed nos videmus ibi tantum album: ergo quantitas albi alicuius superficiei quantitate diffinitur: ergo est ibi superficies: sed sicut se habet album ad superficiem in dependentia secundum esse, ita etiam se habet superficies ad substantiam: ergo sicut album non est sine superficie, ita superficies non est sine corpore & substantia, in qua sit.

12 Item, Non erit ens per accidens nisi sit ens per se: sed in sacramento, vt dicitur in litera, non est aliquod ens per se: ergo non erit ibi ens per accidens: sed est ibi ens per accidens, vt probat visus: ergo necesse est vt substernatur ei ens per se, quod est substantia: ergo accidens non erit ibi sine subiecto, vt videtur.

13 Si forte tu dicas, quòd accidens mutatur in substantiam, hoc probatur esse impossibile multis modis. Et primo quidem: quia dicit Philosophus, quòd ex accidente impossibile est fieri substantiam. Alio modo: quia si ex accidente fit substantia: aut substantia in qua est accidens quod videtur in sacramento, aut alia substantia. Si substantia in qua est. Contra: Accidens quod est in substantia, causatur à substantia in qua est: si ergo est causa existendi substantiæ in qua est: ergo accidens causa est causæ quæ causat ipsum, quod non est, intelligibile: & Augustinus negat hoc in primo de Trinitate: quia causatum non est causa causæ vt sit, sed potius è conuerso. Si autem conuertatur in aliam substantiam quam sit illa in qua est: quæratur, quæ sit illa, & non erit assignare. Et præterea tunc restat eadem quæstio de istis accidentibus quæ adhuc manent sine substantia: quoniam non sunt in substantia in quam conuertuntur. Item, Ridiculosum videtur esse: quia nihil conuertitur in aliud eodem modo manens quo prius erat: sed nos videmus accidentia in sacramento eodem modo manere, vt prius erant: ergo in substantiam non conuertuntur accidentia. Item, Si conuertantur in substantiam, in quam substantiam conuertuntur? Cum enim in supra dictis patet, quòd non sunt nisi duæ substantiæ, scilicet panis & vini, & corporis Christi, in alteram harum conuertuntur. Constat autem quod non conuertuntur in substantiam panis & vini: quia illæ substantiæ non manent, sed in corpus & sanguinem Christi transsubstantiantur: ergo relinquitur quod conuertuntur in substantiam corporis Christi: & hoc absurdum est: quia corpus Christi glorioſum, nec album, nec rotundum est, nec saporem panis nec vini habet.

14 Item, Quibus differunt species, eisdem differunt differentiæ: sed substantia & accidens sunt duæ species entis, vel genera, quia de hoc non est vis: ergo quibus differunt substantia & accidens, eisdem differunt differentiæ ipsorum: sed substantia & accidens differunt per se, & per esse in alio: ergo & differentiæ eorum: ergo esse in alio non potest esse per se, vt videtur, cum non sit substantia, & hoc est impossibile, vt iam probatum est: ergo accidens non potest separari à subiecto.

Hoc etiam alia via multipliciter probari potest, scilicet per operationem accidentium: duo enim enim sunt in calore, scilicet essentia caloris, & operatio, scilicet calefacere: constat autem, quòd calefaciendi operatio non conuenit calori per se sine subiecto existenti: quod probatur per hoc quod dicit Philosophus, quòd non agunt ad se inuicem nisi communicantia secundum naturam. Et hoc idem Boëtius dicit in lib. de duabus naturis in vna persona Christi. Cum igitur operatio accidentium expresse inueniatur in sacramento, videtur quòd ibi accidentia non sint sine subiecto.

2 Item, Ad hoc quod color agat in visum, oportet quod sit actus lucidi, & lux incorporata in ipso quæ abstrahit ipsum: sed si non sit corpus in quo sit color, non erit lux incorporata abstrahens colorem: ergo non erit color visibilis: sed in sacramento est color visibilis: ergo est ibi corpus cui lux abstrahens ipsum incorporatur: ergo non est sine subiecto ibi.

3 Item, Dicit Philosophus in primo de anima, quòd recto inquantum rectum est, multa accidunt, vt tangere æneam sphæram in puncto: sed tamen nunquam tanget hoc separatum rectum: ergo ad hoc quod accidens habeat operationem quæ per se ei conuenit, oportet quod sit in subiecto: sed accidentia in sacramento habent operationem propriam siue conuenientem proprie: non ergo sunt ibi sine subiecto.

4 Item, Dicit Philosophus, quòd sensus sit susceptiuus specierum sensibilium materia præ-

ſente : ergo ſi materia non eſt præſens , nec ſuſcipit eas , nec illæ agent in ſenſum : ſed ſpecies agunt in ſenſum : ergo ſunt in aliqua materia , vt videtur.

5 Item , Senſus proprie differunt : quia quidam apprehendunt de longe , quidam nihil niſi ſpeciem in materia , vt viſus de longe , tactus autem ſpeciem in materia accipit , & guſtus ſecundum quod eſt quidam tactus : ſed quod eſt in ſacramento, immutat & guſtum & tactum : ergo eſt ibi ſpecies in materia.

6 Item , Dicit Philoſophus, quòd tactus non niſi corporum eſt : ergo quod tangitur in ſacramento , eſt corpus : non ergo eſt accidens ſine ſubiecto.

7 Item , In hoc diſtinguuntur ſenſus apprehenſiui de foris & deintus , quòd interiores accipiunt ſpecies ſine materia , de foris autem non niſi materia præſente : ergo quicquid accipitur à ſenſu qui eſt vis apprehenſiua de foris, eſt ſpecies in materia : ergo cum accipiat id quod in ſacramento apparet , ipſum erit ſpecies in materia exiſtens : non ergo eſt ibi accidens ſine materia.

TERTIA via obiicitur adhuc per putrefactionem ipſarum ſpecierum ad ea quæ generantur ex putrefactione earum ſpecierum : conſtat enim quia putrefactis illis quæ apparent in ſacramento quæcunque etiam illa ſint , generantur inde vermes : vermis autem ex accidente puro materialiter generari non poteſt : ergo oportet aliquam ſubſtantiam ibi ponere , quæ putrefacta conuertatur in vermem.

2 Item , Putrefactio corruptio eſt , conſtat autem , quòd generatio & corruptio fiunt à cauſis contrariis : ergo non generatur nec corrumpitur , niſi ſecundum ſui mutationem ſuſceptibile eſt contrariorum : hoc autem proprium eſt ſolius ſubſtantiæ , vt dicit Philoſophus in prædicamentis : ergo accidentis non eſt generari & corrumpi, vt videtur.

3 Item, In lib. de ſex principiis dicit Porretanus de forma accidentali,quòd forma eſt compoſitioni contingens , ſimplici & innatiabili eſſentia conſiſtens : conſtat autem , quòd hoc quod eſt inuariabile, nec putrefit,nec corrumpitur:ergo ſi accidentia ſunt ibi ſine ſubiecto , accidentia nec putreſcunt nec corrumpuntur : quod eſt contra viſum , quia nos videmus ea corrumpi : ergo non ſunt ibi ſine ſubiecto.

4 Si forte tu dicas, quòd Deus corrumpit ea: hoc ridiculoſum eſt : quia Deus eſt cauſa exiſtentiæ rerum : & ſi deſtruit , quod conſtruit , ſecundum Apoſtolum Galat. 2. præuaricatorem ſe conſtituit. Ergo Deus non eſt cauſa : ſed potius hoc accidit ex ſubiecto in quo ſunt,vt videtur.

Sed contra. SED CONTRA hæc omnia diſputatur ſic. Accidens denominat ſubſtantiam in qua eſt : ſed accidentia non denominant corpus Chriſti , quia corpus Chriſti non eſt album , vel rotundum: nec ſubſtantiam panis , quia illa tranſſubſtantiata eſt in corpus Chriſti : ergo non denominant aliquam ſubſtantiam : ergo ſunt ibi ſine ſubiecto, vt videtur.

2 Item, In decreto diſt. prima de conſecratione omnia verba Ambroſij dicunt,quòd ſunt ibi ſine ſubiecto. Item, Hoc dicitur hic in litera. Ergo ita eſt.

3 Item,Nos videmus,quòd in hoc ſacramento omnia quæ ſunt in eo , accipiunt ſtatum altiorem : tranſit enim corpus inanimatum in animatum , & non glorioſum in glorioſum , & non diuinum in diuinum : ergo & accidentia altiorem ſtatum debent accipere : non autem altiorem accipiunt niſi ſecundum quod ſunt ſine ſubiecto: ergo in ſacramento ſunt ſine ſubiecto.

4 Item , Accidentia manent , vt ducant in aliud ſicut ſigna ſacramentalia : ſed ſi manet propria ſubſtantia accidentium , non ducunt niſi in illam ſubſtantiam ſubiecti : ergo non ducunt in refectionem ſpiritualem corporis Chriſti , & ſic euaneſceret vſus ſignorum in ſacramento : cum igitur hoc ſit inconueniens , oportet quòd in ſacramento ſint ſine ſubiecto.

5 Item , Nos videmus , quòd ea quæ ſunt ſupra rationem , ſicut articuli fidei , non poſſunt probari niſi per aliud quod eſt ſupra rationem , ſicut articuli probati ſunt per operationem miraculorum. Cum igitur multa in hoc ſacramento quod & dicitur ſacramentum fidei , ſint ſupra rationem , videtur quòd congruentia exigit , quod aliquid ſit in ipſo ſubiectum ſenſui, quod ſit ſupra rationem : hoc autem non poteſt eſſe niſi quod accidentia ſenſibilia ſint ibi ſine ſubiecto : ergo accidentia debuerunt in hoc ſacramento ſine ſubiecto remanere.

6 Item , Non videtur eſſe impedimentum ex parte operationis ſpecierum accidentalium in ſenſu : quia ſi alicui conuenit aliquid per ſe, etiam ſeparatim conuenit illi , ſicut triangulo habere tres angulos æquales duobus rectis , &c. ſed immutatio ſenſuum conuenit ſenſibilibus per ſe : ergo etiam ſenſibilibus ſeparatis conuenit : ergo licet ſint ſine ſubiecto , tamen immutant ſenſum,& agunt in ipſum.

7 Item , Senſus,vt dicit Commentator ſuper lib. de anima , ſecundum eſſe ſpirituale ſuſcipit ſenſibilia : ſed ſeparata magis ſunt ſecundum eſſe ſpirituale , quam quando ſunt in materia & ſubiecto : ergo magis ſuſceptiuus eſt ſenſus ſenſibilium ſeparatorum , quam eorum quæ ſunt in materia : ergo non eſt impedimentum quin illæ formæ ſentiri poſſint , licet ſint ſeparatæ à ſubiecto.

8 Item , Ponamus , quòd maneat forma in ſpeculo, etiam non præſente obiecto , & appoſito aſpiciente , adhuc videbitur forma illa : & tamen non eſt in materia :ergo forma ſine materia bene poteſt ſenſum immutare.

9 Item , Quod in tertia via obiicitur , videtur nullum præſtare impedimentum : ſicut enim iam habitum eſt,quod alicui per ſe conuenit,ſemper ei conuenit:formæ autem illæ per ſe corruptibiles ſunt:ergo etiam ipſæ exiſtentes ſine ſubiecto corruptibiles erunt.

10 Item , Omni aſpicienti patet ad ſenſum, quod corrumpuntur : & probo , quòd non per miraculum : quia dicunt Anſelmus & Chryſoſt. quòd ea quæ miraculoſe fiunt , fiunt ſola diuina voluntate : conſtat autem , quòd voluntas diuina quæ eas produxit , non corrumpit eas: ergo per naturam corrumpuntur : ergo corruptio accidit eis ſeparatis , ſicut coniunctis in materia.

11 Item , Supra ſatis probatum eſt , quòd ſubiectum commune contrariorum , non confert

eis

eis principium agendi & virtutem, sed tantum sustinet: ergo si sustineretur sine subiecto, pugnarent contraria, & destruerent se mutuo: ergo formæ illæ manentes sine subiecto, naturaliter possunt destrui & corrumpi, sicut quando sunt in subiecto.

12 Item, Superinfundatur vinum diuidens species illas: constat, quòd diuisio corrumpit: ergo corrumpi possunt species illæ: & idem sequitur de diuisione panis: sed constat, quòd speciebus illis non manentibus, non manet ibi corpus Christi: ergo species corrumpuntur naturaliter, & tunc non est ibi corpus Christi.

13 Si forte tu dicas, quòd in infinitum diuisibilis est species panis & species vini, eo quod species sunt homogeniorum: illud stultum est: quia diuidi in infinitum non est passio nisi continui, & non panis, vel carnis, vel vini: ergo tantum potest diuidi species vini quod non erit species vini, & species panis quod non erit species panis: ergo etiam naturaliter potest corrumpi, licet per se existat.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd accidentia manent ibi sine subiecto, sicut probant vltimæ rationes: & de hoc consueuerunt à Magistris quatuor rationes assignari: quarum prima est, vt, scilicet non existente ibi substantia quæ proprium est subiectum illarum specierum, humana mens ad aliam spiritualem escam rapiatur ex accidentium significatione, in corporalibus spiritualia intelligens, sicut & in aliis sacramentis. Vnde Ambr. In isto sacramento quod est corpus non est corporalis esca, sed spiritualis. Secunda ratio, vt ostendatur totum esse fidei quod in sacramento est, & nihil naturæ. Vnde Hugo de sancto Victo. Diuina sapientia carnem Christi sub corporalis edulij specie velauit, & sic sumendam proposuit, vt sensus foueretur in vno, & fides in alio. Tertia ratio est assuefactio hominum ad credendum supernaturalia, cum videant oculis suis accidentia quæ nullum subiectum afficiunt, vt dicit hic Magister in litera. Quarta ratio est ordinatio completa eorum quæ sunt in sacramento, & hæc tacta fuit in obiiciendo: quia cum omnia inferiora huius sacramenti altiorem statum accipiant, conueniens fuit vt etiam signa accidentalia qualitatum acciperent statum altiorem in hoc quod sine subiecto ibi ad obsequium sacramenti remanerent. Et his habitis respondendum est obiectis per ordinem, tenendo quidem fidem, sed Philosophiam non sequentes nisi quantum possumus salua fide.

DICENDVM ergo videtur ad primum, quòd illa accidentia duplicia sunt, scilicet qualitates sensibiles quæ sunt obiecta propriorum sensuum: & quantitas, & figura, quæ sunt obiecta sensus communis: & non ex æquo se habent ad subiectū: sed secundum ordinem naturæ quantitas proximior est subiecto, quam qualitas. Item, Inter qualitates illæ quæ sunt obiecta tactus, causæ sunt aliarum, & immediate sequuntur complexionem qualitatum tactus, vt qualitates gustus, quia ille est quidam tactus: & quia saporis signa sunt odores, ideo odor proximior est subiecto, quam color. Et per hunc modum dicendum videtur, quòd continens colorem est quantitas, & causans ipsum complexio qualitatum tactus: vnde non causatur ibi nec continetur virtute diuina solum, sed etiam per naturam, vt iam dictum est. Et idem dicendum videtur de odore & sapore. Sed obiecta tactus continentur quidem quantitate: sed secundum causam non possunt causari ab aliis qualitatibus. Figura etiam cum sit qualitas circa quantitatem dicta, vt dicit Philosophus, est in quantitate vt in subiecto: eo quòd ipsa est terminatiua quantitatis, sicut ex diffinitione eius accipitur in primo Euclid. vbi dicitur, quòd figura est superficies vna vel pluribus lineis contenta. Sed de quantitate non videtur mihi, quòd secundum naturam possit esse sine subiecto nisi virtute diuina cõtineatur: licet enim quantitas sit ante corpus naturale, non tamen est ante compositum ex partibus substantiæ quæ sunt forma & materia, quale compositum considerat Metaphysicus: eo quod probatur in libro de substantia orbis, quòd materia primo susceptibilis est formæ substantialis, eo quod illa sola finit eam: & ideo etiam non diuiditur forma substantialis diuisione subiecti: quia non est maior in maiori parte subiecti, & minor in minori: omnis autem forma quæ suscipitur à subiecto secundum ordinem naturæ post quantitatem, diuiditur per accidens, & maior est in maiore, & minor minori. Vnde dico, quòd quantitas est forma, & non materiæ, sed compositi ex materia & forma. Sed quod materia & forma sint partes substantiæ, quòd est ens primum, quod separatum à quantitate & motu considerat primus Philosophus, hoc iam alias satis plane probatum est à Philosophis. Sed tamen quia quidam in illa quæstione huic contradixerunt, ideo hic posita sunt ista. Ad obiectionem autem dicendum, quòd esse nunquam separatur ab ente: sed esse est actus entis, & actus essentiæ: vnde si essentiam secundum se accipimus, secundum intellectum adhuc essentia est. Et ita dico hic, quòd quantitas est esse essentiæ, & non esse quantitatis alicuius quod ipsa informet, vt subiectum in quo est: & hoc contingit virtute diuina hoc operante ad congruentiam sacramenti.

AD ALIVD dicendum, quòd bene potest fieri id quod iam dictum est: quia sicut habitum est, esse quod habet accidens in subiecto, est quasi esse entis compositi: sed esse quo essentia est id quod est, intelligitur in accidente secundum se: & de hoc non intelligit Philosophus, quòd eius esse est inesse, sed potius hoc constituitur ex principiis suæ essentiæ & suæ quidditatis: sicut ipse Philosophus dicit, quòd siquis cubitali magnitudine posita, dixerit id quod positum est, quantum esse, quid dicit, & quantum significat, & hoc non est separabile ab ipso, ita quod ipsum remaneat: sed id quod habet in subiecto, separabile est potestate Creatoris.

AD ALIVD dicendum, quòd ex ordinatione sapientiæ diuinæ est, quòd accidens non sit sine subiecto secundum causas seminales naturales quas prius conditor inseruit, vt dicit August, sed præter has causas etiam Dominus inseruit primis creatis potestatem obedientiæ ad id quod Creator vellet ad fidei demonstrationem: sed in hoc sibi non contrariatur, si vtraque pro tempore explicat prout voluerit, vt dicit Augustinus.

AD ALIVD dicendum, quòd accidens nec tantum causatur à principiis substantiæ in esse, nec tantum continetur ab eisdem, sed à virtute diuina: vnde etiam secundum esse subtracta substantia subiecti,

ſubiecti, poteſt teneri, eo quod virtus diuina non dependet ad ſubiectum continens & cauſans, ſed potius è conuerſo, cum ſicut iam patuit, non ſecundum omne eſſe cauſatur accidens à principiis ſubiecti, quia ſecundum eſſe ſuæ eſſentiæ ſiue diffinitiuum, non dependet à principiis ſui ſubiecti, ſed potius ab his quæ ingrediuntur ipſius diffinitionem.

Vide D. Th. hic diſt. 2. q. 1. a. 2. ad 4.

AD ALIVD dicendum, quòd hic diuerſimo- reſpondetur, & ego nulli præiudco: quidam enim dicunt, quòd in tranſitu illatum ſpecierum in alia redit ſubſtantia prima illarum ſpecierum. Quidam autem alij dicunt, quòd ſicut ſpecies ſunt ibi ſine ſubiecto quaſi in actu ſubſtantiæ, ita in nutriendo habent actum ſubſtantiæ. Et vtrunque poteſt ſatis congrue dici.

AD ALIVD dicendum, quòd accidens hic non mutatur in ſubſtantiam: & hoc ſupponit obiectio, & ideo non valet.

AD ALIVD dicendum, quòd in omnibus accidentibus ſaluatur ſatis informatio præterquã in quantitate, vt patet ex prædictis, ſed in quantitate non poteſt meo iudicio dici proprie quantum per denominationem, niſi hoc modo quo prima denominant ſeipſa, ſicut vnitas ſeipſa eſt vna. Et Auguſt. in lib. de Trinit. dicit, quòd albedo ſeipſa eſt alba: licet Philoſophus in alio ſenſu videatur negare hoc: cum enim denominare ſit formæ accidentalis, & non ſubſtantialis, vt habetur ex principio prædicamentorum: & quantitas ſit prima forma accidentalis, ipſa erit prima denominans: & cum ipſa ſit loco ſubiecti aliarum ſpecierum quæ ibi apparent, erit ipſa denominata ab aliis, & denominans ſeipſam: & ideo quantum quod videtur ibi, eſt quantitas ipſa, vt mihi videtur.

AD ALIVD dicendum, quòd verum eſt, quòd diffinitio non ſeparatur à diffinito: ſed duplex eſt diffinitio accidentis, ſcilicet ſecundum eſſe quod habet in ſubiecto: & ſic dantur illæ diffinitiones quæ continentur in topicis, ſcilicet quod accidens eſt quod contingit eidẽ ineſſe, & non ineſſe: & iſtæ conueniunt accidenti ſecundum ſuum nomen: quia accidens eſt dictum quaſi ad aliud cadens. Sed ſecundum eſſentiam accidentis dantur aliæ diffinitiones ex genere & differentia accidẽtis, ſecundum quod accidens eſt abſolute intellectum in ſua eſſentia: & illa diffinitio non ſeparatur ab ipſo, ita quod ipſum remaneat, vt dictum eſt: obiectio autem procedit ac ſi accidens non habeat eſſe diffinitiuum niſi in ſubiecto, & hoc non eſt verum.

PER IDEM etiam patet ſolutio ad ſequens: quia animal & bipes ſunt de diffinitione hominis & aliter ineſſe eſt de diffinitione accidentis: quia animal & bipes conſtituunt eſſentiam hominis, ſed ineſſe non dat eſſentiam accidenti, ſed tantum eſſe quod habet in ſubiecto, & illo abſtracto adhuc remanet eſſentia accidentis, aliquo continenti ad vſum ſacramenti.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc ſoluendum eſt, vt Magiſter ſupra dixit, per tropum quo ſolent ſignantes & continentes rerum ſortiri vocabula quæ ſignãtur & continentur: & hic tropus eſt metonymia dictus à Donato. Vnde ponit ibi Damaſc. panem pro ſpecie panis.

AD ALIVD dicendum, quòd illa proportionatio hic non valet: quia ſicut ſe habet album ad ſuperficiem, ita ſuperficies ad ſubiectum: quia ſuperficies hic continetur virtute diuina ad vſum ſacramenti, eo quod ſuperficies in hoc conuenit cum natura ſubiecti, quod ipſa eſt ſubiectum qualitatum quæ per eam inſunt ſubiecto: vnde ſuperficiei & quantitati quæ ſecundum aliquid conuenit cum ſubiecto, ſcilicet in ſuſcipiendo qualitates quaſdam, datur ad vſum ſacramenti in toto cum ſubiecto conuenire, ſcilicet quantum ad eius per ſe exiſtere ſine ſubiecto.

AD ALIVD dicendum, quòd hæc propoſitio, non erit ens per accidens niſi ſit ens per ſe, non ſic intellitur, quòd eſſentia accidentis non ſit niſi ſit eſſentia ſubiecti in quo fundetur: quia hoc falſum eſt, cum expreſſe dicat Auicenna, quòd accidens eſt cuius eſſe eſt abſoluti intellectus, & eſt dependens ad ſubiectum: ſed intelligitur, quòd omne per accidens reducitur ad aliquid per ſe, quod eſt ante illud, & hoc verum eſt: & hoc modo nihil valet ad propoſitum concludendum.

AD ALIVD dicendum, quòd bene concedo hoc quod abſurdum eſt dicere, quòd accidens mutatur in ſubſtantiam. Vnde ea quæ contra hoc obiecta ſunt, videntur eſſe concedenda.

AD ALIVD dicendum, quod ſcilicet vltimum eſt in prima via obiiciendi, quòd accidens & ſubſtantia non differunt tantum in modis eſſendi per ſe & in alio, ſed etiam in ſuis eſſentiis: vnde licet poſt tranſſubſtantiationem ſubſtantiæ quæ eſt materia ſacramenti, ſit accidens ſubiecti ſine ſubiecto per ſe: adhuc tamen differt à ſubſtantia propria eſſentia accidentalis naturæ per ſe, ſcilicet quod ipſum in natura ſua eſt accidens.

AD HOC autem quod obiicitur per ſecundam viam, dicendum, quòd hoc nihil valet: quia Philoſophus non dicit niſi de operatione illa in qua tranſmutatur vnum in aliud quæ abiicit à ſubiecto, & non de quacunque operatione: quia Philoſophus non conſiderat accidens niſi cauſatum & contentum in eſſe à ſubiecto: eo quod ipſe per rationem à principiis naturalibus rei ſumptã, aliud inueſtigare non poteſt: ideo dicit, quòd non agit ſine ſubiecto: ſed vbi continetur virtute ſuperiori ad opus diuinum in ſacramento demonſtrandum, nihil prohibet etiam remanere ſuam operationem.

AD ALIVD dicendum, quòd ſicut Philoſophus dicit, Pithagoras appellauit colorem epiphanium, eo quod apparet in ſuperficie: vnde lux intelligitur incorporati, quando facit colorem actu immutatiuum viſus. Et quod dicit Philoſophus in lib. de ſenſu & ſenſato, quòd color eſt extremitas perſpicui in corpore determinato, intelligitur ſic, quòd ad determinatum corpus ſit reflectio lucis: ideo extremitas perſpicui lucidi ibi magis lucet, & ideo magis facit colorem actu in extremitate quam alibi: & ideo etiam, quia lux non tantum ibi abſtrahit colorem, ſed reflectit ad viſum: & ad omnia illa ſufficit ſuperficies quantitatis dum per ſe maneat, & ideo nihil impedit hoc quin accidentia immutent viſum.

AD ALIVD dicendum, quòd Philoſophus in primo de generatione & corruptione dicit, quòd etiam tactus eſt metaphyſicus: & ideo quod ſeparatum rectum non tangit æneam ſphæram, hoc eſt ideo, quia ænea ſphæra eſt corpus naturale, &

habet

habet esse in materia ex parte æris in quo est: & rectum non inquantum rectum est: sed si esset in natura rectum inquantum rectum, ita tangeret, sicut tangit rectum ligneum vel cupreum: illa autem accidentia sunt, & ideo agere possunt.

Ad aliud dicendum, quòd præsente materia suscipit, hoc ideo est, quia suscipit speciem existentem in materia: sed si esset sine materia, sine materia susciperet eam: vnde hoc accidit sensui, quod non suscipit speciem nisi præsente materia, & nihilominus susciperet eam, si esset sensibile sine materia.

Ad aliud & sequens est vna solutio per ea quæ ante dicta sunt, scilicet quod est ibi tactus physicus quoad qualitates immutantes tactum, & metaphysicus quoad quantitatē: & quod non est ibi substantia, hoc non impedit tactum: quia substantia secundum quod substantia nullo sensu sensibilis est: & quod exigitur in aliis, hoc est ideo, quia tangibilia non habent esse sine subiecto sicut hic.

Ad vltimvm patet solutio per ea quæ ante dicta sunt in solutione præcedentis immediate argumenti.

Ad id quod obiicitur per tertiam viam, grauius est soluere: dicendum tamen mihi videtur, quòd illæ species putrefiunt illo modo quo supra in quæstione propria de hoc determinatum est in 15. quæst. huius distinctionis. Et bene mihi videtur, quòd vermes vel alia quædam possunt generari ex putrefactione altero duorum modorum, scilicet quod aut substantia redeat, & illa fit materia ex putrefactione generati: aut si non redit: quia tunc ex mutua actione & passione illarum specierum in circunstantia corpora, aliquid de circunstantibus corporibus abiiciatur, & ex corruptione illa materialiter vermes generantur. Quidam autem dicunt, quod nihil vnquam generatur ex tali putrefactione: sed hoc est contra hoc quod frequenter videmus, præcipue si in magna quantitate consecraremus.

Ad aliud dicendum mihi videtur, quòd sicut quantitas in hoc conuenit cum substantia, quòd ipsa est subiectum quorundam accidentium, ita etiam conuenit cum proprietate substantiæ, quòd ipsa secundum sui mutationem recipit contraria: non tamen est substantia: quia hoc non conuenit ei per se & primo, sed per accidens, scilicet per substantiam tenentem eam in esse: & hic est ex eo quod virtute diuina loco subiecti in esse continetur, & ideo naturaliter corrumpuntur corruptione contrarij.

Ad aliud dicendum, quòd Porretanus absque dubio ibi loquitur de forma accidentali, & loquitur de illa secundum quod ipsa est essentia abstracta ab hoc & ab illo, & non secundum quod habet esse in natura per subiectum continens, vel per diuinam virtutem ad vsum sacramenti: & ideo non est in tali esse corruptibilis.

Ad alia obiecta de plano mihi videtur esse concedendum.

DISTINCTIO XIII.

De fractione & partibus.

SOLET etiam quæri de fractione & partitione quæ ibi videtur fieri, vtrum vera sit? Et si ibi vera fractio est, cuius rei sit, vel in qua re fiat? Cunque non sit ibi alia substantia quam Christi, si in aliqua substantia est illa fractio, in corpore Christi videtur esse. Sed econtra cum ipsum corpus incorruptibile sit (quia immortale & impassibile) in ipso non posse esse videtur. Nam & Christus redarguit carnalem sensum discipulorum, qui putabant carnem Christi sicut aliam in partes diuidendam, & morsibus dilacerandam. Ideo quibusdam placet, quòd non sit ibi fractio sicut videtur: sed dicitur frangi, quia videtur frangi. Quibus obiicitur quod ait Ambros. Nihil falsi putandum est in sacrificio veritatis: vel sicut fit in magorum præstigiis, vbi delusione quadam falluntur oculi, vt videant esse quod non est. Ad hoc illi dicunt, Non fallit nos visus, nec fallitur: quod esset, si crederetur ita frangi, vt videtur. Nec illusio est: quia ad vtilitatem fidei, non ad deceptionem ita fit, sicut & Christus ostendit duobus discipulis in via in specie peregrini: nec in eo tamen talis forma erat, sed oculi eorum tenebantur ne eum agnoscerent. A Ioan. 6. Luc. vlt.

DIVISIO TEXTVS.

SOlet etiam quæri de fractione, &c.] Hæc distinctio diuiditur in duas partes, in quarum prima Magister primo mouet quæstionem, quid frangatur in sacramento, & soluit secundum quatuor opiniones. In secunda autem tangit partium significationem *ibi* [Quid autem partes illæ significent] Adhuc prima diuiditur in quatuor secundum quatuor opiniones in litera tactas. Et secunda incipit *ibi* [Alij vero dicunt] Tertia *ibi* [Alij tradunt corpus Christi] Quarta *ibi* [Sed quia corpus Christi incorruptibile] In prima autem quatuor continentur. Primo enim ponit rationem ad hoc quòd corpus frangatur. Secundo rationem ad oppositum. Tertio elicit quorundam circa hoc opinionem falsam. Quarto obiicit contra illam. Et hæc plane patent in litera.

ARTICVLVS I.

An possibile sit aliquid frangi in sacramento?

SEd incidit hic quæstio, Vtrum possibile sit ibi aliquid frangi? Et videtur, quòd non: quicquid enim non est actu secundum se, hoc non frangitur: sed accidens non est actu secundum se: ergo non frangitur secundum se: necesse est ergo, quòd corpus Christi frangatur in se: sed hoc est impossibile: ergo nihil ibi frangitur.

2 Item, Fractio sonat diuisionem violentam: violenta autem diuisio nequaquam est nisi in substantia: sed nulla substantia est ibi frangibilis: ergo non est ibi fractio nisi secundum phantasiam.

3 Item, Quantitas diuisibilis quidem est, sed non est diuisibilis nisi in alio fundata: hæc autem non est in alio fundata: ergo non est diuisibilis.

4 Item, Quantitatem non est accipere nisi dupliciter, scilicet secundum se, & secundum esse: secundum se autem accepta non est nisi in anima, scilicet in imaginatione vel intellectu: sed secundum esse est in rebus naturalibus: aut igitur fractio conuenit ei secundum quod est in abstractione & in anima, aut secundum quod est in esse. Constat, quòd non primo modo: quia secundum quod est in anima non est quantitas, sed intentio quantitatis quæ in anima non est nisi per esse spirituale, & sic non est diuisibilis: ergo si frangitur, fractio conuenit ei per esse quod habet in rebus naturalibus: sed in sacramento non est in aliqua re naturali: ergo ei non conuenit ibi fractio.

5 Item, Generatio omnis per prius conuenit substantiæ, & alia non habent generationem nisi per hoc quod sunt substantiæ, vel in substantia: ergo & corruptio omnis prius erit substantiæ, & alia non corrumpuntur nisi inquantum sunt substantiæ vel in substantia: sed fractio est corruptio quædam: ergo est substantiæ, vel alicuius quod est in substantia: sed nulla substantia est ibi corruptibilis, nec aliquod ens in substantia: ergo non est ibi simpliciter fractio, sed apparentia fractionis.

6 Item, In omni diuisione quantitatis in qua vera diuisio est, pars subiecti mensuratur parte vna quantitatis, & alia pars alia: ergo si hæc vera diuisio quantitatis est, vna pars subiecti alicuius mensuratur parte vna, & alia pars alia: sed hoc non est verum: ergo non est hæc vera diuisio vel fractio quantitatis: ergo phantastica, vt dicit prima opinio in litera dicta.

7 Item, Vt dicit Philosophus in primo cæli & mundi. Continuum diuiditur in infinitum: hoc autem cum sit passio continui secundum quod continuum, non conuenit corpori physico secundum quod huiusmodi: ergo panis non erit diuisibile in infinitum. Inde procedo sic: Quicquid diuiditur diuisione corrumpente speciem, non diuiditur diuisione quantitatis continuæ tantum, sed diuisione corporis physici vel artificiati: sacramentum autem cum frangitur, sic diuiditur: ergo non diuiditur diuisione quantitatis continuæ tantum, sed diuisione corporis physici vel artificiati. Prima probata est. Secunda sic probatur. Multiplicentur enim fractiones: constat autem, quod quandoque ibi erunt non species panis: ergo constat propositum: sed nullum corpus physicum vel artificiale ibi frangitur: ergo non est ibi vera fractio, sed visa tantum.

8 Item, Non videtur esse aliqua causa quam Magister assignat contra hanc opinionem ex verbis Ambrosij, scilicet quod nihil falsi debeat esse in sacramento veritatis, sicut in magorum præstigiis. Primo: quia sicut dicitur in litera, quòd visa fractio ad rem non refertur, & ideo nihil ibi decipit vel decipitur. Secundo: quia dicit Aristot. quòd abstrahentium non est mendacium, eo quod abstractionem ad rem non referunt: ergo nec hic apparentis diuisionis erit mendacium, eo quod ad rem non referatur.

9 Item, Fractione facta videntur ibi esse plura: & tamen constat, quòd ibi non est nisi vnum, scilicet Christus: ergo videtur, vt non est, & tamen non dicimus esse præstigium vel falsitatem: ergo à simili etiamsi dicatur ibi visa fractio esse & tamen non existens, non propter hoc erit ibi falsitas vel præstigium.

10 Item, Accidentia videntur in aliquo esse, & tamen in nullo sunt, vt prius habitum est: si ergo propter hoc non dicitur falsitas esse in sacramento, nec propter ista debet aliqua falsitas dici in sacramento.

SED CONTRA: Dicit Aristot. primo physicorum, quòd si sola substantia est, ipsa est indiuisibilis: ergo substantia non primo diuisibilis est, sed quantitas: sed in sacramento est quantitas per se, vt prius ostensum est: ergo aliquid ibi diuiditur per se & proprie: fractio autem quædam diuisio est: ergo aliquid ibi frangitur per se & proprie. *Sed contra.*

2 Item, Cuiuscunque est accipere partes secundum se, illud secundum se est frangibile: sed partes quantitatis continuæ accipiuntur in sacramento secundum se: ergo videtur, quòd sit frangibile secundum se.

3 Item, In textu Euangelij dicitur, quòd accepit

cepit panem, & benedixit, & fregit, & dixit, Hoc est corpus meum. Ergo verissime fractum est: ergo & verissima fuit fractio.

4 Item, Quod secundum pluralitatem partium refertur ad plura signanda, necesse est plures habere partes, si verum signum esse debeat: sic autem refertur sacramentum secundum suas partes ad viuos, & eos qui in purgatorio, & beatos: ergo necesse est quod in veritate plures habeat partes: constat autem, quòd non est in vno sacramento plures accipere partes, nisi per fractionem: ergo necesse est verissimam ibi esse fractionem.

5 Item, Præstigia sunt quæ non in re, sed in oculis sunt tantum intuentium: si ergo hæc fractio non est in re, sed tantum in oculis intuentium tantum, tunc præstigium erit, & non sacramentum: hoc autem inconueniens est: ergo nulla fractio ibi est, nisi in re aliqua.

6 Item, Mathematicus si accipiat diuisionem secundum actum, nunquam potest eam ad rem non referre: ergo similiter erit in sacramento: sed in sacramento non accipitur fractio vel diuisio imaginatiua vel intellecta tantum, sed secundum actum: ergo refertur ad rem: ergo aliquid ibi frangitur realiter & in veritate.

7 Item, Quicquid sit de diuisione, fractio sonat violentiam: sed violentia non fit nisi in rebus: ergo fractio non fit nisi in rebus: ergo fractio non fit nisi secundum rem: non ergo solum est visa in sacramento, sed in veritate existens.

8 Item, Si non esset nisi visa fractio, ad fractionem non oporteret esse nisi actum animæ, & non corporis: sed in sacramento necesse est adhiberi actum corporalem, scilicet discerptionem per impulsum digitorum vel vnguium: ergo non est fractio solum imaginaria, sed realis & in veritate.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd in veritate realis est fractio in sacramento, sicut dicit vltima opinio quæ sola liquide veritatem fidei tenet.

AD PRIMVM autem quod obiicitur dicendum, quòd accidens quod est quantitas, est ibi secundum se: secundum se autem esse, est esse sine subiecto, vt prius dictum est, hoc est, non secundum esse naturale, sed virtute diuina continente species ad vsum sacramenti & fidei. Vnde cum sic virtute diuina teneatur, frangi secundum se & diuidi potest.

AD ALIVD dicendum, quòd per accidens fit hoc quod nulla diuisio violenta fit nisi in substantia, scilicet quia quantitas non est secundum esse naturale nisi in substantia: nihilo minus tamen si esset secundum se, diuideretur: in sacramento autem est secundum se, vt habitum est, & ideo ibi frangi potest & violenter diuidi.

AD ALIVD similiter dicendum, quòd aliter est hic, & aliter in naturalibus est: quia hic operatur virtus diuina secundum exigentiam significationis sacramenti, & ideo continet hic quantitatem sine subiecto.

AD ALIVD dicendum, quòd quantitas aliter accipitur secundum quod est accidens rei naturalis in cuius diffinitione cadit materia sensibilis, & aliter secundum quod virtute diuina refertur ad vsum sacramenti. Et primo quidem modo procedit obiectio inducta, secundo autem modo non.

AD ALIVD dicendum, quòd diuisio hæc est corruptio quædam: & bene concedo hoc quod naturaliter corrumpitur forma panis accidentalis: & hoc qualiter fiat, in præcedenti distinctione habitum est & determinatum.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc verum est vbi quantitas manet secundum esse naturale: iam autem habitum est, quod in sacramento est sine subiecto.

AD ALIVD dicendum, quòd bene videtur mihi concedendum esse, quòd tantum posset multiplicari diuisio, quod corrumperentur species panis accidentales quæ manent ibi: & ideo non est omnino fractio mathematicæ quantitatis quæ fit ibi, nec etiam naturalis proprie, sed eius cui conuenit fractio naturalis propter hoc quod virtute diuina continetur in esse.

AD ALIVD quod obiicitur contra causam quam Magister assignat, quare non valeat opinio ex verbis Ambrosij, dicendum quòd optime obiicitur: quia opinio nulla est. Ad id autem quod obiicitur, dicendum quod impossibile est eam diuisionem quæ actu fit, ad rem non referre: quia diuisio nulla est nisi in re actuali: & ideo illi nihil dicunt. Ad hoc quod obiicitur de mathematicis, dicendum quòd non est simile: quia in mathematicis passio probata conuenit quanto secundum se, licet non conueniat huic quanto vel illi: hic autem consideratur diuisio non vt conuenit quanto secundum se, sed potius huic secundum quod est aliquid hoc.

AD ALIVD dicendum, quòd in veritate ibi sunt plura & plures partes, sed non plura sacramenta: quia numerus ille non ponitur circa formam sacramenti, sed potius circa species sacramentales.

AD ALIVD dicendum, quòd accidentia videntur esse, & sensus particularis non est de substantia quæ subest accidentibus nisi per accidens: hic autem intellectus sacramenti cogit vt accipiantur sine subiecto. Vnde falsum est, quod ibi videantur in subiecto: sensus enim non est nisi de accidentibus: & intellectus accipit ea sine subiecto propter exigentiam sacramenti.

ARTICVLVS II.

An fractio prædicta sit in corpore Christi, aut in formis tantum?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Sed econtra, cum ipsum corpus incorruptibile sit, &c.] Videtur enim hoc nihil impedire fractionem: quia comestio magis corrumpit quam fractio: & tamen conceditur, quòd corpus Christi comedatur: ergo etiam concedi debet, quod corpus Christi frangitur.

2 Item, De quocunque probatur species, & genus: sed quicquid comeditur, attritu dentium masticando frangitur: ergo si corpus Christi comeditur, corpus Christi frangitur.

3 Item, Hoc sacramentum est memoriale passionis: sed in passione veraciter fuit corpus Christi diuisum clauis & lancea: ergo fractum: ergo sacramentum non expresse repræsentabit, nisi etiam in sacramento sic diuidatur: ergo fractio verissime est in corpore Christi.

4 Item,

4 Item, Alia quædam videmus impossibilia secundum naturam esse in sacramento: sicut vnum numero circunscriptum corpus esse in diuersis locis, & accidens esse sine subiecto, corpus inanimatum grossum transsubstantiari in corpus animatum diuinum glorioſum, quæro ergo, Quare illa esse in sacramento conceduntur: sed non quod est incorruptibile simul frangatur.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd absque dubio fractio non est in corpore Christi, sed potius in formis tantum.

AD PRIMVM autem dicendum, quòd comestio multa importat, scilicet diuisionem cibi per dentes, & traiectionem in corpus, & digestionem, & incorporationem, siue vnionem. Et tamen passiue conceditur, quòd corpus Christi comeditur ratione illius quod est traiicere in corpus, quia verum corpus Christi traiicitur sub speciebus sacramenti in corpus nostrum: sed diuisio per dentes refertur ad speciem: digestio autem non est ibi: quia non cedit in secessum, & vnio siue incorporatio spiritualis passiue conuenit comedenti, vt supra ostensum est, & ita patet quod comestio non ponit fractionem.

AD ALIVD patet solutio, quòd comestio non est species fractionis ratione traiectionis in corpus, sed ratione atttritionis per dentes, & illa non refertur ad corpus Christi.

AD ALIVD dicendum, quòd passio repræsentatur in sacramento secundum quod est effetiua redemptionis & solutiua pretij: & hoc patet ex ipso actu immolationis in quo offerimus sacramentum quod Christus pro nobis in ara crucis obtulit: non autem repræsentantur particulares pœnæ inflictæ, & ideo non esset conueniens diuidi corpus Christi.

AD ALIVD dicendum, quòd contraria simul, vel ex quibus directe sequuntur opposita per affirmationem & negationem, nunquam ponuntur esse simul: quia hoc fieri non potest. Cum autem dicitur, quòd est simul in pluribus locis, hoc dicitur ratione consecrationis quæ fit in pluribus locis, & ex hoc non sequitur aliquod oppositum illi: & sic de aliis inductis. Sed si concederetur frangi, cum frangi sit corrumpi quoddam, oporteret per locum à specie concedere, quòd corrumperetur: & per hoc quod est incorruptibile, habet quod non corrumpitur: ergo simul corrumperetur, & non corrumperetur: quod est simul opposita per affirmationem & negationem esse vera, quod fieri non potest.

ARTICVLVS III.

An quando Christus ostendit se discipulis in via in specie peregrini, fecerit actum simulatorium siue illusorium?

DEinde quæritur de hoc quod inducunt isti pro exemplo ibi [Sicut & Christus ostendit se duobus discipulis in via specie peregrini, &c.] Videtur enim illusio fuisse: quod enim non est de essentia rei, non facit rem esse veram vel falsam in substantia sua: sed intentum ab agente non est de substantia actus vel facti sui, quia finis non est de re: ergo nec falsam facit rem, nec veram: ergo quod hoc fecit ad fidei vtilitatem, non fecit non simulatorium actum.

2 Item, Simulatio non perficitur in vno tantum, sed in duobus, scilicet vno ostendente quod non est, & in alio intelligente quantũ est de ostensione simulationis: Euangelium autem expresse dicit quod finxit se longius ire, & discipuli putabant eum hoc velle: ergo fuit ibi perfecta illusio.

3 Item, Nihil agnoscitur sub specie quæ nullo modo est in ipso nisi per præstigium vel infirmitatem oculi intuentis: ergo quod non præstigioſe nec ab oculo infirmo videtur, sub propria videtur specie: sed oculi discipulorum non fuerunt infirmi, nec præstigioſe ligati: ergo species quam viderunt in Deo fuit species peregrini: sed constat, quòd secundum veritatem peregrinus non fuit: ergo simulata ab ipso fuit species peregrini, & sic fuit ibi verissima illusio.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd nulla illusio fuit ibi. Vnde dicendum est exemplum esse bonum: sed tamen id esse falsum ad quod confirmandum inducitur ab illa opinione.

AD PRIMVM autem dicendum, quòd intentio facit non simulatorium agentem: sed duplex est intentum, scilicet in opere, & intentum per opus: intentum in opere fuit ostendere eis per similitudinem qualis fuit tunc in mentibus discipulorum, & quoad hoc verissime & non similitudinarie egit: quia nullus alius actus ita hoc demõstrat: intentum autem per opus non fuit in opere, sed cõsequens ipsũ, scilicet confirmatio fidei discipulorum quoad articulũ resurrectionis, & hoc est extra opus, & non facit opus verum, vel simulatorium, sed potius primum: sicut etiam nos non dicimus simulare Ezechielem, quando fecit perfodi domum, & latenter se exportari: quia in illo tempore demonstrauit, quòd ita fugere haberent de domibus suis transmigrandi.

AD ALIVD dicendum, quòd simulatio est etiam in vno in comparatione ad alterum: sed ita non fuit hic, sed potius instructio per actum quem propter discipulos exercuit: quia facilior est instructio quæ fit similitudine parabolarum & operum.

AD ALIVD dicendum, quòd oculi discipulorum in veritate tenebantur, & tenens erat dubietas resurrectionis. Vnde Christus se eis in propria specie obiecit: & tamen propter impotentiam oculi non glorificati, non viderunt eum sub lumine glorioſi corporis, sed potius sub specie coloris: & dubietas resurrectionis fecit æstimare peregrinum, eo quod viderunt eum venientem de loco adorationis, scilicet Ierusalem. Vnde patet nullam ibi fuisse simulationem.

Aliorum opinio.

ALII vero dicunt, quòd sicut ibi species panis est, & non est ibi res cuius vel in qua sit illa species : ita est ibi fractio quæ non sit in aliqua re, quia nihil ibi frangitur : quod mirabiliter Dei potentia fieri dicunt, vt ibi fiat fractio, vbi nihil frangitur. B

ARTICVLVS IIII.

An consecratione facta maneant omnia accidentia, & etiam soliditas mathematica secundum esse reale?

DEinde quæritur de secunda opinione quæ incipit *ibi* [Alij vero dicunt, quòd est ibi species, & non est ibi res cuius vel in qua sit illa species, &c.] Videtur enim falsum esse quod inducunt pro exemplo, scilicet quòd sit ibi species, & non res aliqua cuius species sit illa: constat enim satis ex prius habitis, quòd non intelligitur de specie substantiali, quia illa non manet post consecrationem, sed de accidentali quæ manet: aut ergo ibi manet quodlibet accidentale, vel aliquod. Si quodlibet: ergo etiam soliditas mathematica: ergo manet ibi corpus: ergo post consecrationem est ibi corpus illud quod est species: constat autem quod corpus Christi verum non est species illa, nec aliqua pars illarum specierum : ergo corpus Christi verum non est corpus illud quod manet in numero specierum : ergo post consecrationem manet aliquod corpus quod non est corpus Christi in sacramento altaris, quod in præcedenti distinctione negatum est in litera.

2 Item, Corpus quodcunque inuenitur sine aliquo, non est idem illi sine quo inuenitur : sed corpus quod est trina dimensio, in sacramento inuenitur sine corpore quod est panis ante consecrationem : ergo non est idem illi: ergo in sacramento sunt tria corpora, scilicet corpus panis, & corpus dimensionale, & corpus Christi : & hoc nemo dicit.

3 Item, Philosophus in 4. metaphysicæ in Boetij translatione obiiciens contra Platonem reliquit pro inconuenienti corpus mathematicum diuersum à naturali, & corpus naturale esse in eodem loco: ergo & hic hoc erit inconueniens: sed si manet ibi corpus mathematicum, & corpus naturale, duo corpora quorum vnum est mathematicum & alterum est naturale, sunt in eodem loco, quod inconueniens dicit esse Philosophus: ergo non est ibi corpus tale.

4 Item, Impossibile est easdem numero lineas esse duorum corporum: sed corpus transiens quod panis est, & corpus manens quod est mathematica soliditas, sunt duo corpora : ergo non eædem numero lineæ erunt corporum illorum : constat autem, quòd aliquæ lineæ fuerunt quibus mensurabatur panis : ergo iam erunt in sacramento tria corpora quanta, scilicet panis, & id quod quantum videtur & rotundum post consecrationem, & corpus Christi : & hoc erit mirum ad quid sint ibi. Si propter hoc dicatur, quòd species non omnes manent in sacramento, hoc etit irrationabile, cum eadem ratio sit de vna specie accidentali manente & de alia. Præterea, Supra ostensum est, quòd præcipue manet ibi quantitas vt fundamentum aliarum specierum : sed non est ratio quare longitudo maneat, & non latitudo, & profundum: ergo videtur, quòd tota soliditas mathematica maneat. Item, Euclides in principio geometriæ dicit, quòd corpus mathematicum est, quod longitudinem latitudinem & profunditatem habet : hoc autem videmus habere ipsam speciem manentem : ergo manet corpus mathematicum, & ita redit idem quod prius.

SOLVTIO. Dicendum, quòd sicut in præcedenti opinione, ita & in ista exemplum verissimum est: sed tamen opinio per exemplum confirmata falsa est : & bene concedo, quòd omnes species accidentales manent, & etiam soliditas mathematica manet ibi secundum esse reale, non in anima tantum secundum quod habet esse in abstractione. *Solutio.*

AD PRIMVM ergo dicendum, quod ego non reputo inconueniens, quod post consecrationem in sacramento sint duo, quorum vtrumque sit corpus : sed tamen non proprie dicuntur duo corpora : quia corpus non per vnam rationem dicitur de naturali & mathematico, vt quidam dicunt. Sed tamen videtur mihi dicendum si proprie velimus loqui, quòd sunt duo corpora, scilicet naturale, & mathematicum : quorum vnum per se & substantialiter corpus est: alterum autem non per se, sed per denominationẽ & mensuram ab illo, scilicet naturali : & talia duo corpora nihil prohibet esse in sacramento, & hoc non est negatum supra, sed quod non sunt ibi duo corpora naturalia constantia ex materia & forma quæ sunt partes physici corporis.

AD ALIVD dicendum, quòd illa propositio est falsa, nisi intelligatur aliud esse quod est essentia alia, & alia : alia enim est essentia substantiæ, & alia accidentis, si tamen accidens est essentia aliqua. Vnde si accidens maneret corrupto subiecto, denominaretur quantitas mathematica ab illo : sicut dicimus, quòd videmus in altari & est figura alba, non erit hoc album à primo albo diuersum quod fuit panis, nisi sit alia essentia, sed subiecto est idem. Dicit enim Philosophus, quòd vnum per accidens dicitur tripliciter, scilicet sicut accidens & subiectum, vt album, & hoc quocunque demonstrato, &c. sed verum est quòd quæcunque per naturam separantur, illa sunt diuersa substantialiter : sed virtus diuina ad vsum operans sacramenti, facit in sacramento quod est supra naturam, vt sæpius dictum est.

AD ALIVD dicendum, quòd meo iudicio, duo corpora siue naturalia, siue mathematicalia, siue

siue quorum vnum est naturale & alterum mathematicum, dummodo duæ sint ibi quantitates, non possunt esse in eodem loco per naturam. Vnde dico sine præiudicio, quòd corpus quidem est in veritate in sacramento, sed non sicut in loco, sed in signo: sed hoc infra patebit melius in hac eadem distinctione, in explanatione quartæ opinionis. Et ideo obiectio quæ supponebat quod ibi erant duo corpora vt in loco, supponebat falsum, & procedit ex falsis. Si autem obiiciatur, quod vbicunque est corpus aliquod contentum in alio corpore per veritatem suæ naturæ & quantitatis, ibi est sicut in loco: dico quòd hoc falsum est: sed hoc expediri sine longa disputatione non potest quam statim infra ponemus, Domino concedente.

Ad aliud dicendum, quòd sicut patuit prius, eædem numero lineæ fuerunt panis vt subiecti, quæ manent in formis sacramentalibus essentialiter: & ideo nunquam fuerunt ibi tria corpora, nec tria quorum quodlibet est corpus subiectum diuisum ab alio.

ARTICVLVS V.

An fractione facta maneat vnum sacramentum, sed plures sint ibi formæ?

SEd adhuc quæritur de ista opinione quæ tangitur in litera *ibi* [Ita est ibi fractio quæ non fit in aliqua re, &c.] Videtur enim esse vera: ita enim videmus, quòd in corpore quod potentia est duo, si diuidatur, fit actu duo & esse essentiale prædicatur de ipso sicut duo secundum esse: vt linea actu diuisa est duæ lineæ, & duæ longitudines, & duæ quantitates: cuius igitur essentiale principium secundum esse manet vnum, illud manet indiuisum: sed de speciebus essentialiter prædicatur sacramentum, & illud diuisione facta manet vnum: ergo diuisio illa non fuit in speciebus, nec in corpore Christi: ergo non est ibi diuisum.

Quòd autem essentialiter prædicetur de iis speciebus, ex hoc accipitur, quod vnum cadit in diffinitione alterius, vt patuit in principio huius libri in litera. Item, Quòd manet vnum sacramentum secundum actum, hoc patet ex suppositione omnium: quia per omnia quæ fiunt in canone, non intendunt conficere nisi vnum sacramentum.

Vlterius quæritur, In quo differt hæc opinio à præcedenti? videtur autem, quòd in nullo: quia præcedens dixit, quod videtur ibi fractio quæ non est, cum nihil frangatur: hæc autem videtur penitus secundum rem dicere idem: ergo videtur aut falsum dicere, vel superflua esse: quoniam vnum bis vel pro duobus refert. *Quæstiuncula.*

Ad hoc dicendum, quòd vnum remanet sacramentum, & forma efficitur plures formæ per diuisionem. Proposito autem illa quæ inducta est, quòd inferiori diuiso secundum esse, multiplicatur id quod de ipso prædicatur: intelligitur de iis quæ absolute insunt inferiori: sed si respectiue insunt, non est necessarium: vt si diuidatur album, erunt duo alba, sed tamen non duæ similitudines alborum ad tertium album, sed potius vna similitudo: quia relatio non accipit vnitatem vel multitudinem ab eo in quo est, proprie in eo quod relatio est, sed potius ab eo ad quod est: & hoc patet ex diffinitione relatiuorum quæ secundum Philosophum sunt quæcunque hoc ipsum quod sunt, aliorum dicuntur. Vnde etiam relatio plus est ratio quam ens vel essentia: sed tamen habet aliquid entis vel aliquid essentiæ. Ratio autem sacramenti in relatione est: & ideo trahit vnitatem ab eo cuius est sicut rei interioris significatæ & causatæ. *Solutio.*

Ad aliud dicendum, quòd hæc opinio differt à præhabita: quia illa ponebat, quòd diuisio in veritate est in sacramento secundum quod est actus diuidentis, & non secundum quod est actus rei diuisæ: sed præcedens non dixit in sacramento esse diuisionem nisi secundum quòd diuisio est apparens ad sensum, sed non existens in veritate rei. *Ad quæstiunculam.*

Aliorum opinio.

CAlii tradunt corpus Christi essentialiter frangi, & diuidi: & tamen integrum, & incorruptibile existere: quòd se colligere asserunt ex confessione Berengarij qui confessus est coram Nicolao Papa & pluribus Episcopis, panem & vinum quæ in altari ponuntur, post consecrationem non solum sacramentum, sed etiam verum corpus & sanguinem Christi esse: & sensualiter non solum sub sacramento, sed in veritate manibus sacerdotum tractari & frangi, & fidelium dentibus atteri.

ARTICVLVS VI.

An opinio illa sit vera quæ dicit corpus Christi essentialiter frangi, & diuidi: & tamen integrum, & incorruptibile manere?

DEinde quæritur de tertia opinione quam tangit ibi: [Alij tradunt corpus Christi essentialiter] Hoc enim videtur competere sacramento: quia isti dicunt, quòd cum omnia præcedentia in hoc sacramento sint supra naturam, aliquid etiam in fractione supra naturam esse debet: sed hoc esse non potest, nisi in hoc quod non frangibile frangatur, & tamen integrum maneat: ergo stabit opinio istorum. Quod autem in omnibus præcedentibus sit aliquid supra naturam, patet in conuerso, & in conuersione, & accidentium

tium mansione sine subiecto, & iterum in continentia ipsius sub tam paruis speciebus.

2 Item, In sacramento isto corpus inanimatum materiale aliquo modo contemperat se virtute verborum corpori animato, diuino, & glorioso: ergo etiam & è contrario aliquo modo debet corpus diuinum contemperari non glorioso corpori materiali: non autem potest sibi conformari, nisi frangatur: ergo videtur essentialiter frangi.

3 Item, Consueuit dici, quòd in hoc sacramento se Dominus ostendit omnipotentem, qui hoc fecit quod ratio humana intelligere non potest, cum hoc præcipue facere debeat in fractione in qua corpus aptatur partibus Ecclesiæ quæ sunt in gloria, vel mundo, vel inferno, id est, purgatorio: videtur quod maxime in hoc debeat aliquid facere supra intellectum: ergo frangitur corpus, & tamen manet indiuisum.

4 Item, Gregorius dicit, quòd fides non habet meritum cui ratio humana præbet experimentum: ergo etiam in fractione aliquid esse conuenit quod remotum est ab humana ratione: sed quod frangantur species non est alienum à ratione: ergo debet frangi corpus, vt videtur.

Sed contra. SED CONTRA: Christus integer & totus pro singulis est oblatus: diuisio autem refertur ad partes Ecclesiæ: cum igitur pro singulis partibus totus sit oblatus, totus Christus debet manere in singulis partibus: ergo non debet frangi.

2 Item, Contradictoria simul verificari non possunt: sed corpus Christi frangi simul & non frangi sunt contradictoria & secundum idem: ergo simul verificari non possunt: ergo opinio est falsa.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd hæc opinio falsa est & non ponenda: quia, sicut rationibus probatum est, nec fidei congruit, nec cum ratione.

AD PRIMVM igitur dicendum, quod licet aliqua sint supra naturam: non tamen oportet, quòd illud, quia sacramento non conuenit: quædam enim operantur ad esse sacramenti, quædam ad vsum: & illa quæ sunt ad esse sacramenti, sunt supra naturam: quæ autem ad vsum, non oportet esse supra naturam: & fractio ordinatur ad vsum sacramenti, non ad esse, cuius signum est quod fractio fit propter triformes partes Ecclesiæ pro quibus sacramentum istud offertur, & non sicut aliquid quod operetur vel pertineat ad esse sacramenti.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc non oportet: quia corpus materiale inanimatum non assumitur, nisi vt per transsubstantiationem fiat ibi corpus diuinum glorioſum: & ideo panis transsubstantiatur in corpus Christi glorioſum, vt supra dictum est in quæstione de transsubstantiatione: non enim corpus Christi transsubstantiatur in panem, sed è conuerso.

AD ALIVD dicendum, quòd non omnino signum est omnipotentiæ facere ea quæ sunt supra rationem, sed in talibus quæ necessaria sunt saluti, & expediunt Ecclesiæ: aliter sequeretur, quòd melius operaretur Deus faciendo contrarium ordini naturæ, quam operando secundum naturam.

AD ALIVD dicendum, quòd fides non habet experimentum humanæ rationis: sed hoc intelligitur ita quod non rationi innititur, sed veritati: ratio autem obsequitur fidei: vnde in corde fidelis ratio innititur fidei, & non fides rationi: & sic intelligitur dictum Gregorij.

ARTICVLVS VII.

An confessio Berengarij qui confessus est coram Papa panem & vinum qui in altari ponuntur, post consecrationem non solum sacramentum, sed etiam verum corpus Christi esse, &c. sit vera?

DEinde quæritur de confessione Berengarij dicit [Sed in veritate manibus sacerdotum tractari & frangi, & fidelium, &c.] Si enim hæc confessio fuit recepta à Papa Nicolao, & pluribus Episcopis, tunc videtur temerarium esse si aliquis aliter sentiat: dicit autem hic Magister aliter sentiendum esse: ergo est temerarius.

2 Item, Quicquid per sedem Apostolicam in diuersis partibus mundi publicari præcipitur vt fidele, illud pro fide tenendum est: sed confessio ista imperio Nicolai Papæ publicata est: sic ergo pro fide tenenda est. Quod autem ita sit accipitur ex decreto de consec. dist. 2. vbi sic dicitur, Hanc confessionem suæ fidei de corpore & sanguine Domini nostri Iesu Christi à Berengario Romæ coram 115. Episcopis factam misit Papa Nicolaus per vrbes Italiæ, Germaniæ, Galliæ, & ad quæcunque loca fama prauitatis eius peruenire ante potuit.

3 Item, Ibi dicitur, quòd post confessionem scriptam in hæc verba iurauit dicens, Iurans per sanctam homousion Trinitatem & per hæc sacrosancta Euangelia eos qui contra hanc fidem venerit cum dogmatibus & sectatoribus suis æterno anathemate dignos esse pronuntio. Ex hoc accipitur, quòd concilium excommunicandos decreuit qui aliquid aliud sentirent quam professus est Berengarius. Et videtur, quod tota fere Doctorum vniuersitas quæ quartam tenet opinionem incidit in excommunicationem.

4 Item, In prnicipio suæ confessionis dicit Berengarius, Consentio autem sanctæ Romanæ Ecclesiæ & Apostoliæ sedi: & ore & corde confiteor de sacramentis Dominicæ mensæ eandem fidem me tenere quam Dominus & venerabilis Papa Nicolaus, & hæc sancta synodus auctoritate Euangelica & Apostolica tenendam tradidit, mihique firmauit. Ex omnibus his videtur, quòd Magistri male faciunt condemnando hanc opinionem.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd opinio quæ tertia ponitur, non est sana, nec tenenda.

AD HOC quod obiicitur de confessione Berengarij, dicendum quòd ad aliud inducta fuit confessio illa in concilio coram Nicolao Papa, & ad aliud inducitur hic: in concilio enim inducitur eo quod ipse dicebat, quòd corpus Christi non vere esset in altari post consecrationem: sed tantum in sacramento, hoc est, in signo, & non in veritate: & ideo ad hoc quod exprimeret quod in veritate ibi esset, coactus est ad hunc modum expressionis. Quod autem ita sit, patet ex confessione Berengarij vbi sic dicit, Anathematizo om-

nem hæresim, præcipue eam de qua hactenus infamatus sum: quæ astruere conabatur panem & vinum quæ in altari ponuntur, post consecrationem solummodo sacramentum, & non verum corpus & sanguinem Domini nostri Iesu Christi esse. Vnde Papa ad talem modum expressionis compulit, qui ostendit quòd omnibus modis quocunque modo factis, tentis, retentis, & repositis formis, post consecrationem semper continent verum corpus siue sub dentibus siue sub manibus: & hoc quidem est verum. Vnde hoc etiam conceditur, quòd corpus Christi verum atteritur dentibus fidelium in sacramento: sed hoc simpliciter sine determinatione concedendum non est hic. Cum enim dicitur quod corpus Christi verum atteritur dentibus fidelium in sacramento, non veritas continentiæ corporis Christi, sed attritio refertur ad formas continentes: & hoc intellexit Papa & concilium: quia hoc directe fuit contrarium hæresi suæ quam prius habuerat.

AD ID ergo quod primo obiicitur, dicendum quod non est confessio præcepta dilatari nisi gratia eius quod in veritate sub speciebus corpus Christi post consecrationem continetur.

AD ALIVD dicendum, quòd non iurauit nisi de veritate corporis Christi contenti sub sacramento. Et eodem modo dicendum est ad omnia quæ de confessione sua obiiciuntur.

Sententia probabilior.

DSED quia corpus Christi incorruptibile, sane dici potest fractio illa & partitio non in substantia corporis, sed in ipsa forma panis sacramentaliter fieri: vt vera fractio & partitio sit ibi, quæ fit non in substantia corporis, sed in sacramento, id est, in specie. Ne autem mireris vel insultes si accidentia videantur frangi, cum ibi sint sine subiecto, licet quidam asserant ea fundari in aëre. Est ibi vera fractio & partitio, quæ fit in
1.Cor.4. pane, id est, in forma panis. Vnde Apostolus ait, Panis quem frangimus: quia forma panis ibi frangitur, & in partes diuiditur. Chri-
In serm. de verbis Euang. stus vero integer manet, & totus est in singulis. Vnde Augustinus. Quando Christus manducatur, vita manducatur. Sed quis audeat manducare Dominum suum? & tamen veritas inuitans nos ad man-
Ioan.6. ducandum ait, Qui manducat me, viuet propter me. Nec occiditur Christus vt manducetur, sed mortuos viuificat: quando manducatur, reficit, non deficit: viuit manducatus, quia surrexit occisus: nec quando manducamus, partes de illo facimus: & quidem
De cõse. dist.2. in sacramento sic fit. Item, Norunt fideles quomodo manducent carnem Christi: vnusquisque accipit partem suam. Vnde & ipsa gratia partes vocantur. Per partes manducatur, & manet integer totus: per partes manducatur in sacramento, & manet integer totus in cælo, manet integer totus in corde tuo. Ideo ista dicuntur sacramenta, quia in eis aliud videtur, & aliud intelligitur: videtur panis & calix, quod & oculi renuntiant: quod autem fides instruenda postulat, panis est corpus Christi, calix est sanguis. Ex his datur intelligi, quòd fractio & partes quæ ibi videntur fieri, in sacramento fiunt, id est, in specie visibili. Ideoque illa Berengarij verba ita distinguenda sunt, vt sensualiter non modo in sacramento, sed in veritate dicatur corpus Christi tractari manibus sacerdotum: frangi vero & atteri dentibus, vere quidem, sed in sacramento tantum. Vera ergo est ibi attritio &
In sermone quodã, & habetur de conse. dist.2.c. Singuli accipiũt. partitio: sed in singulis partibus totus est Christus. Vnde Hieronym. Singuli accipiunt Christum Dominum, & in singulis portionibus totus est: nec per singulos minuitur, sed integrum se præbet singulis. Item Hilarius, Vbi pars est corporis, ibi est & totum.

An

ARTICVLVS VIII.

An opinio illorum sit vera qui dicunt, quod in sacramento nulla fractio vel partitio sit, quæ non sit in substantia, ac in sacramento?

DEinde quæritur de opinione quarta quæ dicit, quòd est ibi vera fractio & partitio quæ fit non in substantia, sed in sacramento. Videtur enim hoc esse falsum quia si aliquod vnum conuenit pluribus, ita quod est in aliis ab vno quod est causa eius in omnibus, non existente illo, non erit illud in aliquo aliorum: sed fractio non est in accidentibus, nisi causetur à substantia fracta: ergo substantia fracta non existente, non erit fractio in aliquo accidentium. Probatio maioris est: quia cum ignis sit causa calidi in omnibus, nullo existente igne, nullum erit calidum: & si primum mouens est causa motus in omnibus, non existente primo, non mouebit nec mouebitur aliquod aliorum mouentium. Probatio secundæ innuitur in litera, scilicet quod fractio per prius conueniat subbstantiæ.

2 Item, Omnis forma quantum est de se, vnit & continet id cuius est forma: si igitur fiat pluralitas secundum esse, hoc erit à materia: ergo oportet, quòd aliqua secundum esse sint ibi diuersa & multiplicata: ergo in pluribus partibus erit fracta materia.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum ad primum, quòd licet aliqui dicant, quòd diuisio & fractio etiam per prius conueniunt substantiæ, & per posterius quanto: ego tamen hoc, quia non intelligo, non dico: quia dicit Philosophus, quòd si vnum tantum est quod est substantia, ipsum est indiuisibile: & ideo quia fractionis & diuisionis non est prima causa materia vel substantia, sed potius quantitas: ideo procedere non videtur prima ratio.

AD ID autem quod ex litera videtur innui probatio huius, videtur dicendum, quòd hoc innuit in litera: non quia primo fractio conueniat substantiæ, sed quia accidentia non est accipere nisi in substantia: & quia non conuenit eis fractio nisi secundum esse acceptis, ideo innuit in litera, quòd nihil secundum naturam frangatur, nisi in substantia: tamen in veritate siquis proprie dicere vellet quid est quod frangitur, diceret quòd substantia quanta per se: sed quia accidens in sacramento habet esse præter substantiam, ideo per se conuenit ei frangi sine substantia.

AD ALIVD dicendum, quòd forma de se vnit id cuius est forma: sed diuisio conuenit ei per accidens, id est, secundum suum esse: hoc autem esse est duplex: secundum naturam in materia, & secundum vsum sacramenti per se, vt sæpius dictum est supra.

ARTICVLVS IX.

An potest dici, quòd accidentia post consecrationem maneant in aëre?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Licet quidam asserant ea fundari in aëre, &c.] Vi-

D. Alb. Mag. in Lib. 4. Sentent.

detur hæc opinio esse concedenda: quia dum aliquid sit consonum fidei, quanto magis appropinquat rationi, tanto magis est concedendum: sed magis appropinquat rationi ea esse in aëre, quam sine subiecto: ergo magis est concedendum.

2 Item, Non excluditur per hoc veritas sacramenti: quia totum corpus Christi ibi in qualibet parte continetur: ergo hoc aliquis potest opinari.

SED CONTRA: Aër est elementum humidum, spirituale, interminatum: ergo quod fundatur in eo fluit, & non tenet in eo figuras: ergo formæ si fundantur in aëre, figuras nullas retinent: & hoc est falsum ad sensum: ergo non fundantur in aëre. *Sed contra.*

2 Item, Dicit Philosophus, quòd accidentia conferunt ad cognitionem eius quod quid est, hoc est, substantiæ: ergo accidens ducit in cognitionem subiecti: ergo formæ illæ ducerent in cognitionem aëris, si essent in aëre fundatæ: sed simul & semel vnum eodem modo se habens non ducit in cognitionem diuersorum: ergo accidentia illa non ducerent in cognitionem corporis Christi: ergo frustra essent in sacramento, quod est inconueniens: ergo non fundantur in aëre.

SOLVTIO. Dicendum, quòd non fundantur in aëre, vt patet duabus vltimis rationibus. *Solutio.*

AD PRIMVM autem dicendum, quòd neutrum multum vicinum est rationi, scilicet quod sint ibi accidentia sine subiecto, vel quod fundentur in aëre: sed tamen quia hoc magis est secundum congruentiam sacramenti, quòd sint sine subiecto, ideo hoc conceditur, & alterum non.

AD ALIVD dicendum, quòd veritas sacramenti per hoc non excluderetur: & ideo non reputantur hæretici qui hoc dicebant: sed congruentia sacramenti, & eorum quæ sunt in sacramento, per hoc excluderetur: & ideo non conceditur.

ARTICVLVS X.

Quomodo totum corpus Christi sub tantilla forma contineatur in sacramento?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Christus vero integer manet, & totus est in singulis, &c.] Est enim grauis quæstio, Qualiter corpus Christi totum sub tantilla forma contineatur? Videtur enim, quòd hoc sit impossibile: dicit enim Philosophus, quòd locus & locatum sunt æqualia secundum quantitatem: sed locatum est corpus Christi, locans autem species quæ apparet: ergo sunt æqualia per quantitatem, quod falsum est, cum corpus Christi est tricubitum forte vel parum minus, locans autem vix habet latitudinem digiti vnius.

2 Item, Euclides in 11. geometriæ dicit, quòd corpus est quod longitudinem, latitudinem, & profunditatem habet: ergo quod continet ipsum, necesse est, quòd contineat ipsum secundum longitudinem, latitudinem, & profunditatem: sed non est intelligibile, qualiter maius contineatur à minori secundum omnem dimensionem, cum forma illa minor sit in omni dimensione, quam verum corpus Christi quod pependit in

cruce ; ergo videtur , quòd non possit illud continere.

3 Item , Particulæ corporis & loci , vt dicit Philosophus ad vnum communem terminum copulantur : ergo vbicunque est accipere particulas corporis , ad easdem necesse est particulas corporis loci copulari , & è conuerso : sed secundum duos & amplius cubitos est accipere particulas corporis Domini , quod pependit in cruce: ergo in tantum extendentur particulæ loci : ergo & formæ continentes , quod videmus esse falsum , quia vix excedit forma quantitatem vnguis.

4 Item , Sacramentum , vt dixerunt antiqui, continet res suas vt vasa medicinalia medicinas: sed vas amplioris est extensionis , quam res ipsa quæ est in vase : ergo & forma sacramentalis amplioris extensionis est , quam corpus Christi: & hoc videmus esse falsum : ergo species sacramentalis non continet totum Christum.

5 Item tota die cõcluditur & supponitur in demonstratiuis , quòd maius non æquatur minori: sed continens & contentum si proprie sumantur, æquantur:ergo sunt æqualia:sed forma continet, & corpus Christi continetur : ergo sunt æqualia. Inde sic. Species est digitalis,& corpus Christi est bicubitale:ergo digitale & bicubitale sunt æqualia:sed bicubitale est maius digitali : igitur maius æquatur minori, quod etiam impossibile est.

6 Item, Si linea egrediatur de centro locati ad superficiem loci , & alia de centro loci ad superficiem locati , illæ lineæ erunt æquales. Probatio huius est : quia non differunt nisi per punctum:& hoc non addit longitudinem aliquam. Educatur ergo linea de centro corporis Christi ad superficiem corporis Christi secundum quancunque dimensionem, & alia educatur de centro speciei ad superficiem eiusdem:illæ ergo erunt æquales,quod ad sensum est falsum.

7 Item , Æqualia sunt , vt dicitur in primo Euclid. quæ sibi suppositа seinuicem non excedunt:sed corpus Christi non excedit quantitatem speciei, nec è conuerso:ergo sunt æqualia:sed corpus Christi est 7. pedum , esto quod sit tantum: ergo quantitas illarum specierum est 7. pedum, quod est etiam contra sensum.

8 Item,Sicut totum continens impletur à contento , sic continens & contentum sunt eiusdem figuræ : sed tota forma illa impletur à corpore Christi:ergo forma & corpus Christi sunt eiusdem figuræ:sed forma illa est rotunda:ergo etiam corpus Christi est rotundum , quod falsum est , cum habeat faciem, & manus, & pedes, positione differentes.

9 Item, Cum aliquid per totam quantitatem & substantiam continetur in alio , erit in determinata parte caput , & in alia pedes : quæratur ergo , vbi in forma illa sit caput, & vbi pedes? Si dicas , supra : ergo siquis diuidat infra non erunt sub illo nisi pedes, quod falsum est. Si autem dicas, infra:tunc habebis caput reuersatum : & hoc est ridiculum.

Si quis propter hoc velit dicere , quòd corpus Christi non est in speciebus illis, sicut locatum in loco , sed potius sicut signatum in signo : videtur esse hæresis Berengarij supra condemnata : ergo non est ita dicendum.

Quæst. 2. PRÆTEREA quæritur, Vtrum signatum secundum veritatem totius quantitatis continetur à signo, vel non continetur , sed signatur tantum:Si primo modo : tunc redibit eadem quæstio. Si secundo modo:tunc incidit hæresis Berengarij , qui dixit Christum non secundum veritatem , sed secundum signationem contineri in sacramento.

Ad hoc quidam volunt dicere , quòd corpus Christi glorioſum est modo in loco non per modum corporis grossi , sed per modum corporis spiritualis:& vt melius intelligatur,ponunt simile in corpore spirituali quod dicunt esse lucem,quæ situaliter quidem dilatatur per mundum,& tamen tota posset esse in vno puncto. Et hoc quidem dictum est eorum , quod ego si bene intelligo , sic intelligo esse dictum , quòd corporis habentis quantitatem dimensiuam duplices sunt partes:ita quod quædam habeant partem iuxta partem : & hoc exigit locum sibi æqualem. Aliud est quod habet se indifferenter ad hoc,quod habeat partem iuxta partem, & quod habeat partem sub parte;& ideo indifferenter potest esse in loco partis, & totius,& loco indiuibili propter sui spiritualitatem. Et hoc quidem ego confinxi ad intelligendum dicta quorundam modernorum:quia constat, quòd nulli antiquorum concordant. Potest igitur dici secundum eos,quòd corpus Christi maximæ simplicitatis est inter corpora;& ideo indifferenter se habet ad hoc quod habeat partem iuxta partem, & partem sub parte, & ideo potest esse in loco minori sua statura, & etiam indiuisibili.

Sed quòd hoc figmentum stare non possit , sic probatur : quia figura est terminatio quantitatis secundum quendam modum eminentiæ & depressionis in corporibus naturalibus:sicut alia est figura hominis,& alia asini : figura igitur illa aut est terminatio quanti quod habet partem iuxta partem , aut partem sub parte , aut quantum ad vtrumque. Si primo modo , habeo propositum: quia dicit Philosophus in prima Philosophia, quòd omne corpus naturale habet figuram propriam , sine qua non est ipsum in specie sua : & idem dicit Commentator super 2. de anima. Aut igitur Christi corpus retinet figuram suam vnam, aut non ? Si sic : ergo sub speciebus habet partem iuxta partem,& tunc redit prima quæstio. Si non: ergo Christus est ibi sine figura nasi,& oculorum, & oris,& non existente figura,non sunt etiam ipsa membra:ergo erit ibi sine membris, sicut truncus, & neque sicut truncus , quia etiam figura trunci destruitur ibi. Si autem figura est terminatio quãti secundum quod habet partem sub parte. Contra: Habens partem sub parte, omnes partes habet in vna vel habere potest , & tunc illa est indiuisibilis per sensus:ergo idem videtur esse capax figuræ totius, & partis:figura autem nasi tendit in conum & intus est triangularis:& figura trunci est rotunda & circularis:ergo in eodem indiuisibili secundum sensum erit circularis figura , & pyramidalis intus triangularis:quod si intelligibile est , mirum est.

Item , Quædam partes hominis sunt quæ de sua natura sunt concauæ, vt nasus, pectus, & huiusmodi : illæ igitur in illo indiuisibili aut sunt manentes concauæ , aut compressæ sub parte vna. Si primo modo:ergo pars erit iuxta partem & in indiuisibili , & non sub parte. Si secundo modo: ergo corpus glorioſum comprimitur,& destruitur eius figura, & per consequens natura,vt prius dictum

ctum est. Si tertio modo dicatur se habere corpus glorioſum, idem ſequitur impoſſibile.

Præterea, Quando dicitur pars eſſe ſub parte: aut intelligitur quod ſub præpoſitio notat ſitum & poſitionem vnius ſub alia tantum, aut continentiam. Si primo modo: ergo tantum creſcit in augmentum ſubtus propter partium quantitatiuarum aggregationem, quantum diminuitur in latum, vel in longum: & ſic non valebit ad propoſitum: quia forma illa non continebit ipſum ſecundum illum ſitum quem notat ſub præpoſitio. Si notet continentiam: ergo totum vel omnes partes poſſunt eſſe in vna: quod iterum mirum eſt ſi aliquis intelligit.

Si forte dicas, quòd eſſe partem ſub parte notat partium indifferentiam quoad locum, & non quoad aliud. Contra: Locus datur quanto in eo quod quantum eſt finibile ſiue terminale extra: ergo quæcunque differentiam habent in tali quantitate, differunt ſecundum ſitum neceſſario: ſic autem differunt totum & pars: ergo locus eorum habebit differentiam.

Si forte dicas, quòd hæc omnia vera ſunt de corpore quod obſtat alteri, & hoc eſt groſſum & materiale: tale autem non eſt corpus ſpirituale quod eſt ſicut lux. Contra: Iſtæ rationes non ſupponunt niſi corporis quantitatem: ergo indifferenter concludunt in quocunque corpore quantitatem habente. Item, Accipiamus aliquod corporum cæleſtium, cuius ſubſtantia ſit quòd ſit corpus rotundum, habens diametrum centum cubitorum: quæro, ſi hac manente figura poteſt eſſe in loco indiuiſibili quoad ſenſum? Si ſic: ergo figura ſecundum eſſe accepta centum cubitorum in diametro & trecentorum in circumferentia, ſine ſui corruptione poteſt eſſe in eo quod eſt indiuiſibile ſecundum ſenſum: & hoc eſt dicere, quòd cælum poteſt eſſe localiter in vno grano milij: quod qui dicit, non oportet quòd aliquid abſurdum neget. Si ſecundo modo: tunc rationes prius habitæ tenent etiam in corporibus ſpiritualibus: ſed quia nobis de hac mirabili opinione reſtat grandis diſputatio in fine de reſurrectione, modo quæ dicta ſunt, ſufficiant.

Solutio. SOLVENDO autem dicimus ad quæſtionem, quòd Chriſtus tripliciter comparatur ad res creatas: comparatur enim vt Deus, & ſic tripliciter eſt in rebus. Vno modo qui conuenit Patri & Spiritui ſancto, quo eſt in omnibus eſſentialiter, præſentialiter, & potentialiter. Alio modo idem conuenit Patri & Spiritui ſancto, quo eſt in ſanctis per inhabitantem gratiam. Tertio modo diſcreto à Patre & Spiritu ſancto, quo eſt in natura humana per vnionem. Secundo modo comparatur ad res alias per aſſumptam carnem, ſecundum quod natus eſt de Virgine, & pependit in cruce & ſic eſt in loco per circunſcriptionem. Tertio modo, ſecundum quod ipſe plenus gratia in deitate & humanitate exiſtens, ſupermundana ratione eſt res ſacramentalis, & cibus ſpiritualis Eccleſiæ, & ſic eſt in ſacramento. Vnde ſicut panis non ſecundum partem & partem eſt in illa & alia ratione cibi, ſed eadem ratio cibi eſt in toto & in qualibet parte cibi: ita ipſe, vt ſignatum reſpondeat ſigno, non eſt in vna parte aliter quam in alia, ſed vno modo eſſentialiter in toto: & ſi in partes diuidatur, erit in qualibet parte. Et ſimiliter de vino in quo eſt vna ratio ſignificandi totum in totò, & in qualibet parte: & ideo licet diuidatur vinum, erit totus qui fuit ſub tota ſpecie vini, & totus ſub qualibet parte: & ideo nullæ rationes in hoc ſacramento recipiendæ ſunt, quæ non ſunt ſecundnm operationem ſacramenti ad eſſe, vel vſum. Vnde ſicut ſupermundana ratione operatur virtus diuina ad eſſe ſacramenti in tranſſubſtantiatione & menſura accidentium ſine ſubiecto: ita etiam commetitur ſe toti & parti ſecundum congruentiam ſignati ad ſignum: & ideo omnino nihil valent rationes quæ fuerunt de comparatione locati ad locum: quia licet ſit ibi Chriſtus quantus in veritate quantitatis & ſubſtantiæ, non tamen ſecundum leges loci & locati, ſed ſecundum leges ſignati in ſacramento & ſigni continentis id quod ſignificat ſecundum proprietatem ſacramentorum nouæ legis, quam iſtud ſacramentum pleniſſime habet inter omnia nouæ legis ſacramenta.

DICENDVM ergo ad primum, quòd ſupponitur falſum obiiciendo: quia forma illa non habet ſe ad corpus Chriſti ſicut locus ad locatum, ſed potius ſicut ſignum continens ad ſignatum ſecundum veritatem contentum, non quidem ſecundum leges loci, ſed ſecundum leges ſigni: & ideo etiamſi frangatur, in qualibet parte totum erit, quod non eſſet ſi eſſet in eo ſicut in loco.

AD ALIVD dicendum, quòd corpus Chriſti habet omnes tres dimenſiones cum figura propria, & ſine aliqua contractione, & ideo veriſſime corpus eſt: ſed non comparatur ad formam illam ſicut ad locum vel æquale cui commenſuratur, ſed potius, vt dictum eſt, vt ſignatum ad ſignum.

AD ALIVD dicendum, vt dictum eſt, quòd non habent ſe ſicut locus & locatum adinuicem.

AD ALIVD dicendum, quòd non intellexerunt antiqui, quòd ſacramenta eſſent quædam vaſa inquantum locus eſt vas, ſed inquantum vas habet ſe quodammodo ad actum medicinæ & medici: dicimus enim, quod medicus ſanat, & medicina & clyſter & embutum: ſed medicus effectiue, & medicina ſicut virtus coniuncta naturæ, & clyſter eſt ſicut inſtrumentum ponens medicinam in locum debitum: & ita ſe habent in curatione animæ Deus, & gratia, & ſacramentum: vnde nihil valet obiectio inducta.

AD ALIVD dicendum, quòd minus non æquatur maiori: hoc enim demonſtratum eſt: ſed non eſt hic comparatio quanti ad quantum ſecundum legem & principium quantitatis, ſed potius ſecundum rationem cibi comparatur ad coniunctum: & quia illa ratio vna eſt in toto & in parte, ideo vna ratione comparatur ad totum & partem, vt dictum eſt.

AD ALIVD dicendum, quòd ſecundum rationem ſacramenti nulla poteſt egredi linea de centro formæ rotundæ quæ in altari apparet, nec figurabile eſt centrum eius: quia ſic iam attenderetur ſecundum principia & leges quantitatis, & iam diximus, quòd ſic non eſt ibi commenſuratio corporis Chriſti ad ſacramentum: & ideo illa obiectio nihil valet.

AD ALIVD dicendum, quòd æqualitatis duplex eſt, ſcilicet ſecundum quantitatem molis, & ſecundum quantitatem virtutis: ſecundum quantitatem molis non attenditur æqualitas inter

ſignum & ſignatum, ſed ſecundum quantitatem virtutis: vt ſcilicet cum ibi illud contineatur ſignatum, quod illud continet & ſignum, & eſt hoc in toto & parte æqualiter, ratione ſupra dicta, qua diximus, quòd vna eſt ratio cibi in toto & in parte.

AD ALIVD dicendum, quòd non ſequitur, ſi totum continens impleatur à contento, quod ſit eiuſdem figuræ niſi contentum ſit in continente ſicut locatum in loco: hoc autem non eſt hic, vt ſæpius dictum eſt. Eodem modo reſpondeo ad ſequens: quia hoc non eſt verum niſi de illis quæ ita ſunt in aliis, quòd pars vna eſt in parte vna continentis, & alia in alia: in ſacramento Euchariſtiæ non ſic eſt: ſed vna eſt comparatio contenti ad totum & ad partem propter vnam rationem ſignificandi cibum ſpiritualem in toto & in parte.

AD ID quod obiicitur contra rationem inductam, dicendum quòd ſiquis diceret corpus Chriſti non ſecundum veritatem ſubſtantiæ & quantitatis eſſe in ſacramento, ſed tantum ſicut ſignatum remotum per ſubſtantiam à ſigno, ille eſſet de hæreſi Berengarij: ſed nos non ſic dicimus, ſed potius dicimus ipſum ſignatum eſſe in ſigno ſubſtantialiter in tota ſua quantitate: & ideo nihil commune cum hæreſi, Domino concedente, habebimus.

Ad quæſtiunculam.

AD ALIVD dicendum, quòd quædam ſunt in loco ſecundum veritatem ſubſtantiæ & quantitatis, & ſecundum leges loci & locati: quædam autem ſunt in loco ſecundum veritatem ſubſtantiæ & non quantitatis, nec ſecundum legem loci: & quædam quaſi medio modo ſunt in aliquo, non vt in loco, per veritatem ſubſtantiæ & quantitatis, & non ſecundum leges loci, ſed ſecundum legem illius in quo ſunt vel eſſe dicuntur. Primo modo ſunt in loco ea quæ circunſcribuntur in loco. Secundo modo ſunt in loco ea quæ diffiniuntur in loco, vt ſpiritus creati. Tertio modo corpus Chriſti eſt in ſacramento, non ſecundum legem loci, ſed ſecundum legem ſigni ſignantis cibum ſpiritualem æqualiter in toto & in parte: & ideo patet ſolutio illius obiectionis.

AD ALIVD quod obiicitur de opinione inducta, ſine præiudicio reſpondeat qui voluerit: quia ego nunquam potui intelligere, quòd lux eſſet corpus, vel quòd corpus haberet partem ſub parte, vel quod duo corpora poſſent eſſe in eodem loco. Et ideo quod non intelligo, defendere non præſumo: ſed noſtra opinio eſt quæ dicta eſt: & infra de reſurrectione apparebit quid ſentiam de corporibus glorioſis.

ARTICVLVS XI.

An quiſque fidelium communicans accipiat totum Chriſtum vel partem ſuam, & an totus Chriſtus eſt in qualibet parte hoſtiæ?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Norunt fideles quomodo manducent carnem Chriſti: vnuſquiſque accipit partem ſuam] Sed contra: Vnuſquiſque accipit totum Chriſtum: non ergo vnuſquiſque accipit partem ſuam. Si forte dicas, quòd pars refertur ad diuiſionem hoſtiæ continentis, & non ad Chriſtum contentum, videtur falſum: quæro enim, Vnde hoc quòd totus Chriſtus ſit ſub qualibet parte: quæcunque enim ſic ſe habent adinuicem, quod vnum ſecundum eſſe non dependet ad alterum, multiplicato vno, alterum non eſt de neceſſitate ſub qualibet partium per multitudinem acceptarum: ſic autem ſe habent adinuicem corpus Chriſti & figura illa quæ hoſtia appellatur: ergo multiplicatis partibus hoſtiæ, non neceſſario erit Chriſtus ſub qualibet illarum.

2 Item, In naturis videmus formas multiplices: quædam enim ſic ſunt in materia, quòd materia diuiſa diuiditur forma, vt lapidis forma & aliorum homogeniorum: quædam etiam ſunt ita quòd diuiſa materia non neceſſario forma manet in qualibet parte, vt anima ſenſibilis in corpore multæ diuerſitatis in compoſitione partium, vt in leone, vel aſino: quædam autem ſic, quòd nec alicuius corporis eſt proprius actus, cum ipſa per operationem non ſit affixa, ſed potius operatio ſua eſt pura & à materia denudata, & ſimiliter eſſentia, ſicut anima rationalis ſecundum intellectum: & illa, vt dicunt Philoſophi, nec eſt corpus, nec eſt virtus in corpore: & corpore diuiſo non manet in ſingulis, nec multiplicatur in illis: ſed ad ſimilitudinem huius videtur ſe habere corpus Chriſti ad ſpecies ſacramentales: ergo videtur, quòd illis diuiſis non ſub ſingulis debeat eſſe totus Chriſtus.

PRÆTEREA quæratur, Vnde contingit hoc, quòd ſub qualibet parte ſit totus Chriſtus quando frangitur hoſtia? Videtur enim, quòd non debeat contingere: Chriſtus enim non habetur in hoſtia niſi virtute conſecrationis vnius: virtute ergo conſecratiois vnius habebitur ſemel Chriſtus, & virtute duarum bis, & ſic deinceps: ſed in omnibus partibus hoſtiæ non eſt niſi vna conſecratio: ergo non debet haberi niſi ſub toto, & non ſub hac parte hic, & ſub illa ibi. *Quæſtiuncula.*

Si forte hoc aliquis aſtruere velit per exempla, & ponat exemplum in ſpeculo in quo integre reſultat forma vna, & fracto reſultant plures formæ: videtur, quòd hoc nihil ſit: quia in vno ſpeculo conuexo vel plano reſultat forma vna propter reflectionem quæ fit ad vnum: ſed in pluribus fractis non poteſt fieri reflectio ad vnum: quia diuiditur radius in termino vitri, & ſic reuertitur ad centrum continui: hoc autem non eſt in hoſtia, vnde nulla videtur eſſe ſimilitudo.

Item, Quidam ponunt ſimile in anima ſenſuali quorundam animalium habentium corpora rugoſa aut anuloſa & æqualia in compoſitione & complexione per totum vel fere æqualia, quibus diuiſis manet anima ſenſibilis per ſenſum & motum in omnibus partibus truncatis: & hoc iterum non videtur habere ſimilitudinem: quia ibi non eſt vna numero anima in vtraque parte truncata, ſed duæ factæ per diuiſionem ab vna, quæ propter ſimilitudinem complexionis fit duæ: hic autem vnus numero Chriſtus manet in ſingulis partibus hoſtiæ: vnde nihil ſimile videtur.

Si forte dicas, quòd nihil prohibet vnum numero eſſe in diuerſis locis. Vnde dicit Auguſt. quòd anima eſt in diuerſis locis, quia in corde & in cerebro tota & in aliis partibus. Et forte aliquis vellet dicere, quòd ſic eſt, & in aliis ſpiritualibus ſubſtantiis. Videtur, quòd hoc nihil ſit ad propoſitum:

propositum : quia etiamsi dicamus, quod sic sit in spiritualibus substantiis, quod tamen non est verum : non tamen propter hoc sequeretur, quòd sic sit in cõrpore Christi vero : quia hoc verissime corpus est, & non spiritus. Præterea de spiritualibus substantiis creatis, hoc est falsum : quia, vt dicit, Damasc. diffiniuntur in loco : & vt idem Damasc. dicit, diffiniri loco est hic & non alibi esse : cuicunque autem conuenit esse in pluribus locis simul, huic conuenit hic & alibi esse : ergo non diffinitur in loco, quod negat Damasc.

Si autem propter hoc aliquis dicat, quòd hoc conuenit corpori diuino secundum quod medium est inter Deum qui vbique est, & creaturam quæ in vno loco est, vt dictum est. Vnde corpus creatum Deo vnitum est in pluribus locis, vbi consecratur & in quas partes hostia diuiditur: videtur hoc esse falsum : proprietas enim medij semper comitatur medium, quandiu medium est: cum igitur corpus Christi sit semper medium inter Deum increatum, & creaturam, si tamen medium est, semper erit in pluribus locis : siue ergo consecretur in pluribus locis siue non, & siue hostia diuidatur siue non, semper erit in pluribus locis, quod falsum est & hæreticum : ergo ratio nulla quæ tamen fere ab omnibus solet assignari.

Solutio. SOLVTIO. Sine præiudicio videtur mihi dicendum, quòd causa quare totus Christus est sub qualibet parte, cum hostia diuiditur, hæc est: quia ratio significandi totum cibum spiritualem, æqualiter est in toto corpore, & in parte : & ideo cum hostia est vna, erit vnum significans vnum cibum spiritualem : & cum est plura, erunt significantia omnia cibum eundem : & ideo cum in hoc sacramento præcipue quod principale est inter sacramenta nouæ legis, continentia sequatur rationem significandi, cum vnum est significans, vnum erit continens in se cibum signatum: & cum plura sunt signantia, plura erunt continentia cibum eundem totum & integrum: & hæc est causa, quare hostia diuisa, in qualibet parte sub qualibet manet totus Christus, cibus animæ spiritualis.

Ad hoc ergo quod primo obiicitur, dicendum, quòd secundum esse dependent à se inuicem forma & materia : & in talibus procedit obiectio: sed secundum contineri dependent à se signum in sacramento & signatum prout accipitur sacramentum nouæ legis : & ideo multiplicato signo, necesse est rem signatam esse sub quolibet illorum.

AD ALIVD dicendum, quòd obiectio illa procedit secundum granum formæ magis & minus separatæ : sed in signo sacramentali non est sic : non enim dicimus, Christum esse in sacramento sicut animam in corpore, & sicut intellectum in corpore : licet quoad hoc quod in tota forma est totus Christus & in qualibet parte totus, habeat similitudinem quandam cum esse animæ rationalis in corpore : quæ secundum Augustinum in toto est tota, & in qualibet parte tota.

Quæstiũcula. AD ALIVD dicendum, quòd sicut iam dictum est, virtute significationis talis, & non virtute significationis simpliciter, hoc contingit, scilicet quòd sacramentum hoc illius causa est secundum esse quod signat, & continet illud: consecratio autem non est causa nisi remota, scilicet quod sit sub hostia, siue diuisa siue indiuisa.

AD ALIVD dicendum, quòd significatio in genere non est causa huius : sed potius significatio specialis, & præcipue huius sacramenti, quod antonomastice est sacramentum nouæ legis, vt dictum est.

AD HOC quod dicitur de exẽplis, dicendũ quòd illa exempla sunt in parte similia, & non in toto, sicut bene probant obiectiones : diuina enim non habent similia perfecta in rebus corporalibus. Vnde Hilarius, Siqua nos exempla ad diuina afferimus, nemo ea putet perfectionis formam in se continere : & tamen bona sunt similia, eo modo quo id quod est in parte, repræsentat id quod est in toto.

AD ID quod obiicitur de August. dicendum quòd dupliciter contingit aliquid esse in alio, vt in loco scilicet proprie, & improprie : proprie vt circumscriptum vel diffinitum est in loco : & hoc simul non potest esse in pluribus locis : improprie autem quod in alio est sicut in materia quæ habet similitudinem cum loco secundum Isidorum propter capacitatem : & sic intelligitur dictum Augustini : quia anima est in corpore sicut in eo quod aliquam habet similitudinem cum loco: quod tamen proprie est materia sua & subiectum. Vnde sicut nulla pars materiæ est quæ non perficiatur à forma : ita nulla pars corporis est in qua essentialiter non sit anima : non tamen proprie est in pluribus locis. De hoc autem quod dicitur, quòd habeat hoc corpus Christi, inquantum medium est inter pure creatum, & pure increatum, dicendum videtur quòd falsum est : sicut probant in contrarium factæ rationes.

ARTICVLVS XII.

An vere dicatur, Christus per partes manducatur in sacramento, & manet integer totus in cælo, manet integer totus in corde tuo?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Per partes manducatur in sacramento, & manet integer totus in cælo, & totus in corde tuo, &c.] Secundum hoc enim videtur esse in pluribus locis simul & semel, quod videtur stare non posse: nihil enim est cuius substantiæ aliquid inueniatur extra terminum substantiæ suæ : sed locus est terminus substantiæ & entis : sicut enim tempus est mensura esse, ita locus entis siue eius quod est : sed in hoc loco est terminus Christi in quo est : igitur nihil sui extra illum locum inuenitur, vt videtur.

2 Item, Philosophus dicit, quæcunque diuiduntur loco, diuiduntur etiam subiecto : sed constat quod Christus à se subiecto non disiungitur : ergo etiam loco non diuiditur : ergo non est simul in pluribus locis : quia quæcunque in pluribus locis sunt, loco diuisa sunt.

3 Item sit, quòd Christus in hoc altari sit in loco qui est palmi propter speciem hostiæ quæ tanta est & non maior, & in alio altari sit ad vnum cubitum, in cælo autem sit secundum propriam staturam corporis septem pedum. Inde procedo sic. Quæcunque vni & eidem sunt æqua-

lia ipsa inter se sunt æqualia: sed hæc tria loca vni & eidem sunt æqualia, quia vni & eidem corpori Christi: ergo hæc tria inter se sunt æqualia, quod absurdum est: ergo videtur, quòd non sit verum quod primo supponebatur, scilicet quod sit in pluribus altaribus & in cælo.

Quæstiũcula 1. ITEM quæratur, Vtrum Christus sit in pluribus locis? posset enim aliquis dicere, quòd esse in sacramento non est esse in loco, vt prius dictum est, sed sacramentum est in pluribus locis: & ex hoc non sequitur, quòd Christus sit in pluribus locis. Contra: Quicquid est in omni loco in quo consecratur, si loca suæ consecrationis sunt plura, ipsum erit in pluribus locis: sed corpus Christi est in omni loco in quo consecratur, & loca suæ consecrationis sunt plura: ergo est in pluribus locis.

Quæst. 2. VLTERIVS quæritur hic, Qualiter hæc tria specialiter enumerentur in litera, quod manducatur in sacramento, & manet totus integer in mente, & totus in cælo? Aut enim corporaliter est in mente, aut non. Si non: tunc æquiuoce dicitur esse in mente, & in cælo, & in sacramento: quia in sacramento est & in cælo corporaliter, in mente autem spiritualiter tantum: ergo videtur, quod non debet enumerari cum duobus aliis modis. Si autem dicitur ens corporaliter in mente: ergo aliquid præter Deum Trinitatem illabitur substantialiter menti: quod est contra Augustinum qui dicit, quòd nihil illabitur substantialiter menti præter Deum Trinitatem.

Quæst. 3. VLTERIVS autem adhuc videtur, quòd corporaliter debeat illabi menti: quia dicitur, quòd ille cibus est cibus animæ: sed constat, quòd cibus illabitur illi quod cibat: ergo corpus Christi illabitur animæ. Item Augustinus, Vt quid paras dentem & ventrem? crede, & manducasti: ergo videtur, quod non transit in ventrem, sed in animam: ergo animæ substantialiter illabitur. Sed quia de hoc multum supra inquisitum est, sufficiat hoc quod dictum est.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum ad primum, quòd esse in loco dicitur dupliciter, scilicet per se, & per accidens. Per se non credo, quòd aliquid creatum in pluribus locis possit esse simul. Hoc tamen dico sine præiudicio sententiæ aliorum. Per se autem in loco esse dico, quod loco circunscribitur: & hoc modo corpus Christi non est nisi in vno loco, hoc est, in cælo empyreo in potioribus bonis Patris collocatum. Per accidens autem dicitur esse in loco, quod gratia alterius in quo ipsum essentialiter est, est in loco: sicut anima est in loco, & corpus Christi est in loco in Ecclesia vel in altari, quia species sacramenti in quo ipsum essentialiter est, in loco est per se: aliquod enim accidens nihil prohibet esse in loco per se, sicut vult Philosophus: quia in mathematicis etiam datur locus: cum tamen corpora mathematicalia sint accidentia. Patet ergo, quòd obiectio non valet: quia cum sic dicitur, quòd nihil est cuius substantiæ aliquid inueniatur extra terminum proprium: intelligitur hoc de termino intra, sicut est superficies locati: vel termino extra, sicut est locus eorum quæ per se sunt in loco: & sic necessitatem habet propositio. Sed non intelligitur de his quæ per accidens sunt in loco: quia si detur per impossibile, quòd corpus hominis sit in pluribus locis, sequitur necessario quod anima esset in pluribus locis per accidens: & ita dicendum est hic gratia specierum sacramenti: & hoc non est inconueniens, quòd illæ sint in pluribus locis per se, quia illæ numero plures species sunt.

AD ALIVD dicendum, quòd dictum Philosophi intelligitur de his quæ diuiduntur siue distinguuntur loco per se, & non de his quæ diuiduntur loco per accidens.

AD ALIVD dicendum, quòd sicut patuit ex præhabitis, æquiuoce dicitur esse Christus in loco, in cælo, & in sacramento: quia in cælo per se, & in sacramento per accidens: æqualitas autem est eorum in quibus est quantitas vna vel vniuoce: vnde obiectio illa non valet. Præterea habitum est, quòd inter species sacramenti & corpus contentum non potest attendi æqualitas, nisi tantum quantitas secundum virtutem, & adhuc per relationem, vt quantum id significat, tantum istud significetur: & hac ratione iterum patet, quòd hæc obiectio non procedit.

Ad quæstiunculam 1. AD ALIVD dicendum, quòd Christus per se non est nisi in loco vno: per accidens autem est in pluribus locis, vt dictum est: & hoc non est inconueniens: sic enim per accidens est in omni loco in quo consecratur, & tamen essentialiter & secundum veritatem est ibi: sicut anima si corpus esset in pluribus locis per se, per accidens esset in pluribus locis: & tamen secundum veritatem & substantiam esset in illis. Quod enim in loco est per se, secundum leges loci est in loco: & hoc satis supra ostensum est, quòd non conuenit corpori Christi in sacramento.

Ad quæstiunculam 2. AD ALIVD dicendum, quòd modi dicendi aliquid esse in loco bene possunt distingui, etiamsi sint æquiuoci: & ita distinguuntur hic: Christus enim dicitur tripliciter esse in rebus, sicut supra dictum est. Quod autem est in mente, hoc habet commune Patri & Spiritui sancto, sed non hoc quod est in sacramento: nec hoc quod est in cælo empyreo, quia hoc intelligitur circunscriptiue gratia corporis quod ibi circunscribitur. Ad id autem quod obiicitur, quòd nihil illabitur menti præter Deum Trinitatem, dicendum quòd Christus quoad corpus substantialiter non implet mentem, sed potius quoad diuinitatem vnitam corpori.

Ad quæstiunculam 3. AD ID autem quod contra obiicitur, dicendum quòd dicitur cibus mentis: quia per effectum gratiæ implet mentem. Qualiter autem transeat in ventrem, & qualiter non, superius late est disputatum.

c

ARTICVLVS XIII.

An vbi pars corporis est, ibi sit & totum secundum Hilarium: & quale sit illud vbi quando dicitur, Vbi est princeps ibi rex.

DEinde quæritur de dicto Hilarij *ibi* [Vbi pars est corporis, est & totum, &c.] Hoc enim impossibile videtur: quia bene sequitur in toto integro, vbi est totum, ibi est pars, cum totum positum in esse ponit partem: sed Hilarius dat nobis conuersam huius: coniungantur ergo istæ duæ sic: vbi pars est, ibi est totum: & vbi est totum, ibi est pars: ergo vbi est pars aliqua vna, ibi est pars quælibet:

quælibet : ergo vbi est pes, ibi est manus, & oculus,& auris : ergo omnia membra confusa sunt in loco vno.

2 Item, Vbi est pars,ibi est totum : ergo vbi est pes, ibi est totum : ergo & caput : ergo vbi est pes, ibi est caput : ergo corpus inordinatissimum est & indecorum, quia membra non habent distantiam quæ facit elegantiam corporis.

3 Item, Vbi est pars,ibi est totum : ergo, vt prius, se caput habet ad pedes : ergo est reuersatum : & talia infinita sequuntur ex dicto Hilarij, vt videtur : ergo videtur esse falsum.

4 Item, In quo distinguere non est totum & partem, in illo non potest dici : vbi est pars, ibi est totum : sed in speciebus illis non est distinguere partem & totum : ergo non est dicere : vbi est pars,& totum. Probatur autem prima harum per hoc quod omnia quæ per se sunt in loco, distinguuntur in loco secundum principium, medium,& finem. Secunda autem probatur per hoc quod in nulla parte illius hostiæ est dicere, quod ibi sit manus,vel pes,vt patet ex præhabitis : ergo videtur simpliciter falsum esse quod dicit Hilarius.

Quæstiũcula. VLTERIVS quæritur, Cuiusmodi vbi significatur cum dicitur : vbi est pars,ibi est totum: vbi enim (sicut dicit Philosophus) est circunscriptio corporis à loci circunscriptione procedens: & si tale vbi signatur : hoc videbitur esse impossibile : quia sicut sæpius habitum est, locus & locatum sunt æqualia : vnde locus partis, & pars æqualia sunt : & si totum esset in eodem loco, oporteret, quòd totum & pars essent æqualia : & hoc est contra primum principium, omne totum est maius sua parte.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd Hilarius meo iudicio intendit dicere,quòd Christus aliter sit in sacramento,& aliter in loco per se : quia vbi est in loco per se, ibi assignatur ei distinctio partium in loco:sed vbi est vt in sacramento,ibi non assignatur ei huiusmodi distinctio:& hoc intendit dicere Hilarius quando dicit, vbi est pars, ibi est totum: quia vbique est in forma : si enim frangitur, vbique est quælibet pars, & vbique est totum in omnibus partibus : & hoc modo est improprie verum,quòd vbi est caput,ibi est pes, quia non de quacunque parte formæ acceptæ. Sed non sequitur quod infertur vlterius, quòd membra sint confusa in loco vno : quia non sunt ibi sicut in loco nisi per accidens, vt prius dictum est, per hoc scilicet, quòd forma illa vel pars eius est in loco.

AD ALIVD dicendum, quòd non sequitur, quòd sit corpus inordinatum : quia cum dicitur: vbi est pes, ibi est caput : intelligitur,quòd vbi vt in sacramento signante & continente est pes, ibi est caput : & hoc non est inconueniens : quia nec pes ibi continetur & signatur vt pes, nec caput vt caput, sed vtrumque vt cibus spiritualis : & ex hoc nulla sequitur confusio vel inordinatio corporis : sed sequeretur si membra ibi distinguerentur sicut in loco per se. Per idem patet solutio ad sequens.

AD ALIVD dicendum, quòd in corpore Christi secundum se distingui possunt membra: sed in comparatione ad formas signantes non possunt distingui : quia per quamlibet partem formæ totum corpus cum omnibus partibus signatur & continetur. Sed Hilar. loquitur hic, quòd vbi est pars, ibi est totum : vt exprimat illam distinctionem per comparationem ad formam signantem & continentem.

Ad quæstiunculam. AD ID quod vlterius quæritur, dicendum quòd vbi dicitur per accidens, & per se. Per accidens : sicut dicimus, quòd vbi est corpus, ibi est anima, cum tamen anima non habeat vbi per se. Per se autem sicut dicimus, ibi est corpus circunscriptum : & Hilarius consignare intendit hic vbi per accidens : quia vbi pars est vt in sacramento, ibi est totum,vt præhabitum est.

Quid illæ partes significent.

QVID autem partes illæ significent, Sergius Papa tradit, inquiens, Triforme est corpus Christi. Pars oblata, in calicem missa, corpus Christi quod iam surrexit, monstrat: pars comesta, ambulantem adhuc super terram : pars in altari vsque ad finem missæ remanens, corpus iacens in sepulchro significat: quia vsque in finem seculi corpora sanctorum in sepulchris erunt. Et sicut partes illæ mysticam tenent significationem, ita etiam & fractio, passionis Christi & mortis est repræsentatio : vnde ipse ait, Hoc facite in meam commemorationem, id est, in memoriam Passionis & mortis meæ. Nam, vt ait Ambrosius. Quia in morte Christi liberati sumus, huius in edendo & bibendo carnem & sanguinem, memores esse debemus. Sed caueat quisque ne indigne percipiat, quia iudicium sibi manducat. Non enim est iste panis qui vadit in corpus, sed panis vitæ æternæ, qui animæ nostræ substantiam fulcit. Sic ergo viue, vt quotidie merearis accipere, nec accedas indignus. Indignus est, qui aliter celebrat mysterium quam Christus tradidit, vel qui habens mortale

E De cõse. dist.2. cap. Triforme.

Matt.16. Luc.22.

De cõse. dist.2. c. Non iste.

mortale peccatum accedit. Ergo etsi sint peccata quotidiana, vt non sint mortifera, antequam accedas dimitte debitoribus tuis. Si dimittis, dimittetur tibi: & sic securus accede. Panis enim salutaris est, non venenum. Si ita accedis, spiritualiter manducas. Spiritualiter enim manducat, qui innocentiam ad altare portat.

ARTICVLVS XIV.

Quid significent partes, in quas hostia diuiditur à sacerdote celebrante?

QVid autem partes illæ significent, &c.] Hic incipit secunda pars huius distinctionis in qua agitur de harum partium significatione: & dicuntur tria hic in capitulo isto, scilicet quid partes illæ significent: & hoc in principio capituli. Secundo, quid significet fractio per quam partes illæ diuiduntur, quia passionem Domini *ibi* [& sicut partes illæ, &c.] Tertio tangit, qui digne & qui indigne participant *ibi* [Sed caueat quisque ne, &c.] Sententia primi notatur in duobus versibus.

Hostia diuiditur in partes: tincta beatos
Plenè, sicca notat viuos, seruata sepultos.

Sed incidit quæstio, Cum multiplex sit Ecclesiæ diuisio: prima quia quidam sunt de Ecclesia solo numero, quidam autem numero & merito: & Christus obtulit se pro vtrisque: videtur ergo, quòd aliqua partitio corporis Christi debeat esse correspondens illis.

2 Item, Alia trimembris diuisio Ecclesiæ intelligitur per Noe, Daniel, & Iob, Ezech. 14. quæ est in prælatis, & continentibus, & coniugatis: ergo debet fieri aliqua diuisio respondens illi diuisioni.

3 Item videtur, quòd nulla debet esse pars pro beatis: quia illi non in specie, sed in rerum veritate iam capiunt sacramentum: sed partitio non fit nisi in specie: ergo nulla partitio debet fieri pro beatis in specie ipsa, vt videtur.

4 Item, Beati non indigent oblatione redemptionis: quia iam saluati sunt: cum igitur hoc sactificium fiat ad redemptionem à peccatis, videtur quòd nihil in ipso fieri debeat pro beatis.

5 Item, Si non esset peccatum, Christus non esset mortuus & oblatus in cruce: sed consecratio sacramenti fit in memoriam Dominicæ mortis: vt dicit Apostolus 1. Corinth. 11. ergo pro his qui non indigent amplius de effectu mortis, non debet aliquid fieri in sacramento: tales autem sunt beati: ergo nihil pro eis fieri debet in sacramento.

6 Vlterius videtur, quòd idem sit offerre pro his qui sunt in sepulchro, & pro beatis: illi enim qui quoad animam sunt beati, quoad corpus sunt in sepulchro: & videtur, quòd sic non differant quantum ad personas, sed quantum ad partes solum.

7 Si forte tu dicas, quòd illi qui sunt in sepulchro, sunt illi qui sunt in purgatorio: tunc male dicit litera generaliter loquens de his qui sunt in sepulchro.

Quæst. 1. VLTERIVS quæritur de hoc quod dicitur in litera, quòd pars oblata in calicem missa, corpus Christi quod iam resurrexit, significat. Videtur enim, quòd hoc sit inconueniens: quia calix significat passionem: corpus autem quod iam resurrexit, extractum est extra passiones: ergo pars immissa calici non significat congrue partem quæ iam resurrexit.

Quæstiuncula 2. PRÆTEREA quæritur, Quæ sit pars illa quæ iam resurrexit? certum enim à Sanctis non habemus quòd aliquis iam in corpore cũ Christo sit beatus: de his enim qui cum Christo surrexerunt, & de beata Virgine quidã sic & quidam aliter sentiunt: ergo illa pars quę immittitur calici, non significat nisi Christum: sed hoc videtur inconueniens: quia Christus pro se non obtulit sacrificium: ergo nec modo pro Christo offerri debet: ergo nulla pars debet offerri pro his qui iam surrexerunt, vt videtur.

Quæstiuncula 3. VLTERIVS videtur, quòd comestio non debet significare ambulantes adhuc supra terram: quia comestio significat incorporationem: ergo magis vnitis Christo & incorporatis magis conuenit illud: sed magis vniti Christo & inporati sunt illi qui sunt in gloria: ergo illi magis signari habent per partem comestam: & contrarium huius dicitur in litera.

2 Item, Supra dictum est, quòd non est ita in isto cibo sicut in alio: quia iste cibus conuertit ad se cibatum, quod non faciunt cibi alij, sed potius conuertuntur ad cibatum: ergo pars comesta maxime significat eam partem, quæ maxime ad Christum est conuersa: hæc autem est pars vnita sibi per gloriam: ergo eos qui sunt in gloria significare debet, & non ambulantes super terram.

VLTERIVS videtur, quòd ea quæ remanet in altari, non debeat significare eos qui iacent in sepulchris: in fine enim missæ illa pars quæ mansit, sumitur per comestionem: sed comestio significat ambulantes super terram: ergo etiam signatur per hoc quod illi qui iacent in sepulchris, in fine resurgent & ambulabunt super terram: quod falsum est, cum tunc obuiam Christo rapientur in nubibus in aera, & sic semper cum Domino futuri sunt, vt dicit Apostolus 1. Thessalo. 4. *Quæstiuncula 4.*

VLTERIVS videtur, quòd iste vsus fractionis qui hic scribitur, non generaliter obseruatur ab Ecclesia: quia in religionibus pluribus, scilicet Prædicatorum, Minorum, & Cistertiensium, & multis Ecclesiis secularibus nihil relinquitur in fine missæ: ergo videtur, quòd nulla pars in sacramento illorum significet iacentes in sepulchris: & sic non est generale quod dicitur hic. *Quæstiuncula 5.*

Si forte dicatur, quòd loquitur Sergius Papa secundum consuetudinem primitiuæ Ecclesiæ, in qua subdiaconus & diaconus reliquias sacræ partitionis in fine missæ post communionem remanentes consumebant: hoc nihil est: quia hoc non fiebat in hostia per tria diuisa: nec hoc fiebat omni die: sed tempore communionis populi: nec tunc

semper,

ſemper,ſed quando aliquid manſit de reliquiis:hic autem Papa generaliter loquitur de partium ſignificatione.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum videtur, quòd Papa loquitur hic de congruentiſſima ſignificatione fractionis & partium: & non de quacunque ſignificatione minus congrua:& loquitur tantum ſecundum ritum qui in Eccleſia Romana conſueuit obſeruari pro tempore. Vniuerſaliter enim corpus Chriſti in tria diuiditur, licet non vniuerſaliter vna partium vſque in finem miſſæ obſeruetur:quia propter periculum partium decidentium de ſacramento, à quibuſdam ambæ partes ſimul ſumuntur, & deinde etiam pars in calicem miſſa: & hoc non vt contrarium ſignificare velint quam Papa dicit, ſed potius periculum cauere, idem ſignari intelligentes, quod ille fideliter expreſſit.

DICENDVM ergo ad primum, quòd omnis pars aliquo modo ſignificat incorporatos Chriſto qui ſoli communicant:quia (vt dicit Ambroſius) ſpiritualiter communicat,qui innocentiam ſecum ad altare portat:cum autem illi qui ſolo numero de Eccleſia ſunt, ſpiritualiter non communicent, per nullam partem ſignificantur: licet pro eis in redemptionem & expiationem offeratur:non enim omnes illi de partibus corporis ſunt vel ſignificantur, pro quibus offertur, ſed illi qui ſunt in corpore myſtico per partes ſacramenti veri corporis ſignificantur.

AD ALIVD dicendum,quòd illa diuiſio non eſt prima quæ ſignificatur in Ezech. 14. per Noe, Daniel, & Iob:ſed potius eſt diuiſio vnius partis, ſcilicet illius quæ ambulat ſuper terram: & ideo illa præſupponit iſtam:quia corporis Chriſti myſtici alia pars eſt in gloria, & alia expectat ſecura in ſepulchro, & tertia pugnat in merito:& illa quæ pugnat in merito,triformis eſt,ſicut ſignificatur in Ezechiele.

AD ALIVD dicendum, quòd partes non ſignificant virtutem paſſionis, ſed potius partes corporis Chriſti quæ ſibi ſpiritualiter vnitæ ſunt: & ideo regnantes in gloria, cum præcipue vniti ſint Chriſto, debent in ſacramenti partibus ſignificari. Alia etiam ratio huius eſt: quia hoc ſacramentum non fit pro impetranda venia, ſed etiam vt laudes per ipſum Deo reddantur pro liberatione iam facta:& hoc modo poſſunt fieri pro beatis ſignificationes in partitione ſacramenti.

AD ALIVD dicendum, quòd Chriſtus non eſſet mortuus, ſi non eſſet peccatum:non tamen ſequitur, quòd liberatus non habens peccatum non debeat habere memoriam mortis liberantis vt gratias agat, & laudet redemptorem: & hoc ſignificatur in fractione corporis Chriſti.

AD ALIVD dicendum, quòd non eſt idem offerre pro beatis & pro illis qui ſunt in ſepulchro: quia cum triplex ſit reſurrectio: ſicut infra 43. diſtinctione oſtendetur, ſcilicet reſurrectio à culpa per gratiam, quæ fit hic: & reſurrectio animæ à pœna, quæ fit per gloriam: & reſurrectio corporis à putredine & corruptione,quæ fit in futuro: intelliguntur hic iam reſurrexiſſe, qui media reſurrectione reſurrexerunt: in ſepulchro autem iacere,qui adhuc torquentur in purgatorio quod vſque in finem mundi durabit. Per hoc patet ſolutio ad ſequens.

AD HOC autem quod obiicitur, quod generaliter videtur intelligere iacentes in ſepulchro, dicendum quòd ideo loquitur generaliter:quia talis viciſſitudo morientium & purgandorum & euolantium vſque ad finem mundi durabit: vnde illi qui ſunt in purgatorio iacent, quia neutram ſtolam adhuc adepti ſunt:illi autem qui iam beati ſunt in anima,iam ſtant aliqualiter in reſurrectione,quia à culpa & etiam à pœna in anima reſurrexerunt.

AD ALIVD dicendum, quòd non attenditur in hoc ſacramento, quòd calix ſignificat paſſionem:ſed cum duplex ſit Euchariſtiæ perceptio:vna eſt cum labore maſticationis: & alia ſine labore, ſed cum ſuauitate potus habet ſapientiam: hic ſumitur in ſpecie ſacramenti quaſi ſub cortice alieno quem maſticari oportet:in futuro autem ſumitur in guſtu ſapientiæ ſalutaris ſine reſiſtentia, vt potus, & hoc ſignificatur per partem in calicem miſſam. Vnde nihil prohibet vno multa ſignificari ſecundum diuerſas proprietates: vt ſi calix per ſe ſignificet paſſionem, inquantum tamen habet potum, ſignificat ſtatum in gloria. *Ad qu. 1.*

AD ALIVD dicendum, quòd illa pars quæ iam reſurrexit, eſt illa quæ adepta eſt ſtolam animæ, vt patet ex prædictis, vel ſtolam corporis & animæ, ſi aliqui ſunt qui cum Domino iam ſunt in patria:quod ego credo quidem eſſe veriſſimum de beata Virgine,& aliis qui cum Domino ſurrexerunt. *Ad qu. 2.*

AD ALIVD dicendum, quòd pars comeſta ſignificat ambulantes ſuper terram,non ex ea proprietate qua comeſtio eſt incorporatio, ſed ex illa qua comeſtio eſt reſtauratio deperditi & confirmatio debilitati per famem:ſpiritualis enim gratiæ feruor per calorem concupiſcentiæ deperditur, & homo ſpiritualis debilitatur: propter quod inductus eſt vſus comedendi: & ideo nihil valet obiectio facta de vnione & incorporatione. *Ad qu. 3.*

AD ALIVD dicendum, quòd illa quæ remanet iacens, congruiſſime ſignificat iacentes in ſepulchro: & ideo relinquitur iacens ſuper patenam, quæ ſignificat preſſuram lapidis claudentis ſepulchrum:& ideo ſignificat pœnam quæ ſequitur mortem in purgatorio. Alij enim non ſunt in ſepulchro Domini niſi qui ad locum purgandorum bonorum deſcendunt. Quod autem in fine comeditur, non fit ad hoc vt ſignificetur, quòd iterum debent ambulare ſuper terram, ſed quod per oblationem puniti in purgatorio accipiunt confortationem ſicut per cibum: & non oportet, quòd omnes proprietates in ſignificando aliquid ſecundum rem myſticam attendantur:quia & hæc eadem res habet multas proprietates, & poteſt multa ſignificare ſecundum modum in ſacra Scriptura. *Ad qu. 4.*

AD ALIVD dicendum, quòd non oportet, quòd iſte vſus generaliter obſeruetur: quia non omnium eſt cautela qua ſciant ſibi cauere ne aliquid decidat de ſacramenti partitione: ſed bene puto, quòd quando ſolennes primo celebrant, vt Papa, vel aliqui qui loco capitum generalium ſunt in Eccleſia, quòd tunc debet obſeruari:vt per perſonas quæ generaliter præſident Eccleſiæ,totus ſtatus partium Eccleſiæ ſignificetur. *Ad qu. 5.*

AD HOC autem quod vltimo obiicitur, bene concedo quòd hoc non intellexit Sergius Papa, talem ſignificationem partibus attribuendo.

ARTICVLVS XV.

An communio & fractio hostiæ sint signum eiusdem vel diuersorum : & quid significet quælibet ?

DEinde quæritur de hoc quod dicitur *ibi* [Et sicut partes illæ mysticam habent significationem : ita etiam & fractio] Videtur enim non hoc, sed aliud dici signari à beato Dionysio in lib. de ecclesiastica hierarchia cap. de theoria sanctæ synaxeos ita dicente, Diuinissima autem & vnius & eiusdem panis communio & pacifica traditio similem conuersationem eis diuinam tanquam similiter edentibus promulgat,& ad diuinissimam cœnam & principale symbolum perfectorum in memoriam sacram ducit. Ergo videtur, quòd non significet passionem vt hic: quia beatus Dionysius inter signata communionis, nullam fecit mentionem de passione.

2 Item, In cælesti hierarchia cap. primo dicit, quòd Iesu diuinæ participationis imago, est diuinissimæ Eucharistiæ assumptio : ergo cum hæc participatio sit futura in beatitudine, non videtur quòd hoc signum dici debeat passionis.

3 Si forte tu dicas, quòd fractio significat aliud quam communio : quoniam fractio significat passionem : communio autem communionem,& cœnam Domini, & alia quæ dicit Dion. Contra hoc videtur esse, quòd fractio non refertur ad corpus,vt prius dictum est, sed ad speciem in sacramento : ergo non debet significare panem in quo corpus Christi frangebatur, sed aliquid aliud.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum sicut tactum est,quòd communio ipsa alterius signum est, & alterius ipsa fractio : quia fractio sufficit ad communionem : vnde dicitur Luc.22. Fregit, & dedit discipulis suis. Vnde fractio significat passionem,communio autem vnionem charitatis ad proximum & ad Deum : vnde August. dicit in lib. sententiarum Prosperi, Dum frangitur hostia,dum sanguis de calice in ora fidelium funditur, quid aliud quam Dominici corporis in cruce immolatio eiusque sanguinis effusio de latere designatur?

DICENDVM ergo, quòd illa verba Dion. dicunt signata communionis, quam communionem per gratiam vnionis efficit sacramentum: hæc autem communio consistit in conuersatione simili ad Christum cui incorporantur, & memoriam cœnæ in qua incorporantur & confortantur, & memoriam communionis charitatis Christi in quam primi perfecte congregati & vniti sunt, & adhuc congregatur & vnitur Ecclesia.

AD ID autem quod obiicitur de cælesti hierarchia, dicendum quod ipse ibi loquitur de signato communionis secundum rationem anagogicam : & hoc verum est, quia significat per hanc perceptionem in sacramento,perceptionem rerum in veritate futuram in beatitudine : sed hoc non importatur in fractione proprie loquendo.

AD VLTIMVM autem dicendum,quòd licet fractio non sit in corpore Christi, eo quod illud frangi non potest, repræsentat tamen fractio in specie illud quod fuit in corpore Christi : & hoc non est inconueniens : quia etiam tunc mortale & passibile fractum est, quale nunc non est: & illa fractio per aliquid quod est circa corpus, designatur.

ARTICVLVS XVI.

An aliquis existens in peccato mortali, potest accedere ad communionem, & accipere corpus Christi?

DEinde quæritur de hoc quod dicitur *ibi*[Sed caueat quisque ne indigne percipiat] Infra enim statim dicet, quòd indignus est, qui habens mortale peccatum accedit. Vnde quæruntur hic tria, quorum primum est, an aliquis potest accedere cum peccato mortali existens ? Secundo, Vtrum sacerdos potest repellere aliquem in peccato mortali existentem ? Tertio, An habens mortale peccatum,potest videre corpus Christi ?

AD PRIMVM proceditur sic : Ambrosius dicit,Si desit fides & charitas, iudicium sibi manducat & bibit : sed ei qui est in mortali peccato, deest fides & charitas : ergo iudicium sibi manducat & bibit.

2 Item Augustinus,Sicut Iudas cui buccellam tradidit Christus,non malum accipiendo, sed bonum male accipiendo,locum præbuit diabolo: sic indigne quis sumens corpus Christi, non efficit, vt quia malus est, malum sit : aut quia non ad salutem accipit, nihil accipiat. Ex his accipitur, quòd talis non accipit ad salutem, sed accipiendo locum dat diabolo : ergo non debet accipere.

3 Item, Minus videtur quòd ingerens se sanctis officiis, & induens se sacramentis vestibus, vel prædicans indignus, peccet mortaliter, quam si indignus accipiat corpus Domini : sed ille qui prædicat indignus, vel induitur sacris vestibus, vel suscipit ordines indignus, peccat mortaliter, vt dicunt Magistri : ergo multo magis & iste.

Sed contra. SED CONTRA : Eccl.9. dicitur, Nemo scit vtrum odio vel amore dignus sit : ergo nemo scit an habeat charitatem an non : ergo omnes dubitant,vtrum habeant charitatem : ergo omnes dubitant,vtrum sint digni,an indigni : ergo etiam dubitant per consequens, vtrum mortaliter peccent accipiendo, vel non : sed regula est in sacra Scriptura, quòd qui facit de quo dubitat vtrum sit mortale peccatum an non, peccat mortaliter : ergo omnis homo accedens ad corpus Domini, peccat mortaliter, quod est valde horribile dicere.

2 Item, Dignus dicitur vita æterna,qui facit aliquid vnde iuste debetur ei vita æterna : ergo digne accedit ad corpus Christi, qui facit aliquid vnde iuste debetur ei corpus Domini:ergo aliquo humano opere ponderari potest corpus Domini: quod falsissimum est, quia dignius est toto mundo & infinitis mundis si essent:ergo nullus accedit dignus : ergo omnis homo accedens peccat mortaliter.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd dignus aliquis dicitur dupliciter, scilicet per æquiualentiam : & hoc modo nullus est dignus vita æterna,nec etiam corpore Domini. Secundo modo dicitur dignus per æstimationem : & hoc dupliciter adhuc, scilicet æstimatione rei, & sic nullus dignus est : vel

æstimatio

æstimatione æstimantis per bonitatem suam propter valorem nostrum ex parte nostrorum operum: sicut dicitur ad Titum 3. Non ex operibus iustitiæ quæ fecimus nos, sed secundum suam misericordiam saluos nos fecit: & sic sumus digni vita æterna, & digni communione corporis & sanguinis Domini: quia dignos nos æstimat, quando sumus sine mortali peccato secundum nostram conscientiam: indigni autem quando conscientia accusante sumus in mortali peccato.

AD PRIMVM ergo quod obiicitur contra hoc, dicendum quòd nemo scit vtrum sit dignus scientia certa: sed scientia præsumptionis multi sciunt: & hoc sufficit: quia delicta nullus intelligit. Vnde etiam Augustinus dicit, quòd peccatum de quo quis non recordatur, & tamen paratus est confiteri & satisfacere, si recoleret: aut Deus misericorditer indulget, aut vt pius pater reuelat. Et ideo talis dignus reputatur.

AD ALIVD patet solutio per distinctionem prius positam.

ARTICVLVS XVII.

An sacerdos debeat repellere aliquem in mortali peccato existentem?

DEinde quæritur, An sacerdos debet repellere aliquem in mortali peccato existentem? Videtur autem quod non: quia dicit August. in libro de Trinit. 4. Non prohibeat dispensator pingues terræ mensam Domini manducare, sed exactorem moneat timere. Pingues autem terræ, sicut dicit Glossa super illud Psalm. Manducauerunt & adorauerunt omnes pingues terræ, sunt peccatores indigni: ergo tales à sacerdote qui dispensator est, non sunt prohibendi.

2 Item, In decreto causa 2. quæst. 1. exponitur ab Augustino illud, Si peccauerit in te frater tuus, &c. Dicit ibi Augustinus, in te, id est, te solo sciente. Si ergo peccauerit in te: & vis eum coram hominibus arguere, non es corrector hominis, sed proditor criminis. Ergo à simili si sacerdos sciat solus hunc esse indignum, si repellit ipsum à communione, non est corrector, sed proditor: ergo non debet eum repellere.

3 Item, Ex hoc accideret maximum scandalum: quia sacerdos malus cuilibet posset hoc modo imponere maculam, & repellere à communione: cum igitur hoc non debeat fieri, videtur quòd sacerdos nullum debeat repellere.

4 Item, Dominus non repulit Iudam, licet moneret eum vt caueret sibi: ergo cum sua actio, nostra est instructio, sacerdos non debet repellere aliquem, vt videtur.

5 Item, Sacerdos non est Dominus sacramentorum, sed dispensator: sed sacramenta sunt concessa ad vsum subditorum: ergo videtur, quòd cum vnicuique sit dandum quod suum est, quòd ipse nulli digno vel indigno debet denegare: ergo nullum debet repellere.

Sed contra. SED CONTRA: Furioso non est dandus gladius in tempore furiæ, quia seipsum interficeret: ergo cum peior sit interfectio in anima, non est dandum alicui quantumcunque petat, vnde seipsum interficeret in anima: sed indigne accipiens corpus Domini, interficit seipsum, accipiendo: ergo non est dandum à sacerdote: ergo est repellendus.

2 Item, Aristoteles in 5. ethicorum dicit, quòd iustum legale minus valet, quam iustum per naturam: quia iustum per naturam considerat quid, cui, quando reddendum: sed legale dicit semper esse reddendum quod suum est. Vnde legale præcipit reddi alteri quod suum est quandocunque petit: iustum autem per se non reddit, nisi quando ad vtilitatem prouenire potest: & ideo habens depositum, non reddit petenti, vicinis latronibus qui spoliarent: ergo videtur à simili & hic, licet lex diuina præcipiat, quòd sacramenta sint danda omnibus, tamen iustus sacerdos non debet dare nisi det ad salutem: sed indignus non sumit ad salutem: ergo sibi dari non debet: & ideo repellendus.

3 Item, Lex diuina etiam præcipit vt non fiat. Matth. 7. Nolite sanctum dare canibus, & margaritas nolite proiicere ante porcos: canes autem & porci sunt peccatores: ergo talibus non est dandum: ergo repellendi sunt.

4 Item, Quod tibi non vis fieri, nunquam facias alicui, Tobiæ 4. sed sacerdos si esset indignus, deberet nolle sibi dari corpus Domini: ergo non debet dare alteri: ergo repellere debet indignum.

5 Item, Proiiciens corpus Domini in latrinam vel in lutum, peccat mortaliter: sed peccator luto vilior est: ergo dans peccatori magis peccat, quam proiiciens in lutum: ergo peccator est repellendus.

6 Item Ciprianus Episcopus ita scripsit Ebraico Episcopo: Pro dilectione tua consulendum me existimasti, frater charissime, quid videatur mihi de histrione & mago illo qui apud nos constitutus, adhuc in artis suæ dedecore perseuerat, & magister & doctor, non erudiendorum, sed perdendorum puerorum, id quod male didicit, cæteris quoque insinuat: an talibus sacra communio cum cæteris Christianis debeat dari, aut nobiscum debeant communicare? puto nec maiestati diuinæ, nec Euangelicæ disciplinæ congruere, vt pudor & honor Ecclesiæ tam turpi & infami contagione fœdetur. Ergo à simili aliqui repellendi esse videntur.

7 Item ex concilio Carthaginensi, Scenicis atque histrionibus, cæterisque huiusmodi personis, vel apostatis, conuersis vel reuersis ad Deum, gratia vel reconciliatio non negetur. Ergo à contrario sensu, si non reuertuntur, neque conuertuntur tales ad Deum, reconciliatio debet eis negari: ergo debent repelli.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd peccator duplex est, scilicet notorius, & occultus: occultus non debet repelli, notorius autem perseuerans in peccato debet repelli. Est autem notorius duplex, scilicet per conuictionem testium in iudicio, sicut adulter conuictus & non pœnitens: & notorius per turpe officium vel artem vel contubernium quod exercet, sicut vsurarij & publicani per exercitium & officium publicum: & per artem histrio, & magus: & per contubernium turpe, sicut meretrix: tales enim repellendi sunt nisi pœnitentia publica prius prioribus actibus renuntiantes satisfaciant. Alij autem non sunt repellendi,

ne prodantur, & ne populus ſcandalizetur qui ignorat peccata eorum.

Ad primvm ergo dicendum, quòd non eſt ſimile de peccatore, & furioſo; quia furioſus non videt periculum ſuum, & ideo nihil habet retrahens ab interfectione ſui, quando habet gladium: ſed peccator vſum habet rationis, & videt ſuum periculum, & poteſt retrahi ſi vult.

Ad alivd dicendum, quòd per ſe iuſtum cauet proximo de periculo ex parte alterius, ſed de periculo malæ voluntatis non cauet: & ideo vir iuſtus reſtituit alteri quod ſuum eſt, etiam quando ſcit, quòd male expendit, licet non daret quando eſt inter latrones qui poſſunt auferre: & ita ſe habet ſacerdos iuſtus ad peccatorem poſtulantem corpus Domini.

Ad alivd dicendum, quòd lex diuina præcipit, quòd ſacerdos non det, & ſacerdos non dat, ſed ille rapit de manibus eius: præcipue cum ſacerdos non ſit niſi diſpenſator. Vel dicatur, quòd vis eſt in eo quod dicit, Nolite, id eſt, non velitis: etſi quandoque aliud oporteat fieri propter neceſſitatem ſcandali: ſicut dicitur Iacobi vltimo, Ante omnia fratres chariſſimi nolite iurare; tamen quandoque iurare neceſſe eſt propter malitiam incredulitatis.

Ad alivd dicendum, quòd hæc eſt falſa, quòd ſacerdos deberet velle in caſu, quod ſibi non daretur: imo deberet velle, quod ſi daretur, ſed non deberet velle ſe accipere ſibi daretur: quia dare iuſtum eſt, accipere autem iniuſtum.

Ad alivd dicendum, quòd non eſt ſimile: quia latrina & lutum impoſſibilitatem habent munditiæ ad recipiendum corpus Domini: ſed non ſic peccator qui in momento poteſt conteri & effici dignus: & ideo non debet negare: quia poſſet nocere multum ſi ſubtraheret peccatori pœnitenti, & peccator poteſt conuerti in momento.

Ad alivd & vltimum patet ſolutio per diſtinctionem in fine iſtius ſolutionis poſitam.

ARTICVLVS XVIII.

An habenti peccatum mortale liceat videre corpus Chriſti & quomodo?

TErtio quæritur, Vtrum liceat videre corpus Chriſti habenti mortale peccatum? Videtur enim, quòd non: quia Luc. 17. laudatur publicanus qui nolebat oculos ad cælum leuare: ergo multo minus peccator eſt dignus videre corpus Domini, quod melius & dignius eſt cælo.

2 Item, 2. Paralip. vltim. dixit Manaſſes, Non ſum dignus videre altitudinem cæli propter multitudinem meæ iniquitatis: ergo multo minus peccator dignus erit videre corpus Domini.

3 Item, 1. Reg. 6. Bethſamitæ percuſſi ſunt, quia viderunt arcam Domini, quæ tantum figura fuit corporis Domini: ergo multo magis peccator percutietur, indigne reſpiciens corpus Dominicum.

4 Item, 2. Reg. 6. Oza percuſſus eſt, eo quod extendit manum vt teneret arcam, cum tamen calcitraſſent boues trahentes illam. Ex hoc videtur, quòd etiamſi periclitaretur per caſum vel aliquid aliud corpus Domini, quòd peccatori non liceret tangere, nec videre.

Sed contra: Sæpe videmus, quòd oſtenſio boni prouocat ad bonum: ergo videtur, quòd non debeant prohiberi videre peccatores. *Sed contra.*

2 Item videmus, quòd vniuerſalis vſus Eccleſiæ habet, quòd facta conſecratione, eleuatur hoſtia, à populo videnda & adoranda: cum tamen conſtat probabiliter celebranti, quòd multi exiſtentes in mortalibus peccatis aſſiſtant in Eccleſia: conſtat autem, quòd vniuerſalis Eccleſia nihil agit periculoſum: non ergo periculoſum eſt videre, ſed ſalubre, vt videtur.

Solvtio. Dicendum videtur, quòd videri poteſt, & debet: ſed non multiplicari reſpectus propter humilitatem: ſed potius viſo corpore percutiendo pectus in pœnitentia recogitet, quod non ſit dignus, quòd in conſpectu & viſu frequenti remaneat tantæ ſanctitatis. *Solutio.*

Dicendvm igitur ad auctoritates duas quæ primo inducuntur, quòd laudatur humilitas in illis: & illa laudatur in iſto in hoc quod reſpectum non multiplicat; ſed tamen propter admonitionem mortis Chriſti quæ petras ſcindit, & ex illis ſuſcitat filios Abrahæ, bonum eſt videre memoriale mortis. Vnde non eſt ſimile de cælo, eo quod tale non eſt memoriale eius, quod tam efficaciter conuertit peccatores.

Ad alivd dicendum, quòd Bethſamitæ percuſſi ſunt qui nudam arcam viderunt, quam videre non debuerunt niſi inuolutam, ſicut dicitur Num. 4. vnde etiam in litera innuitur, quòd curioſitate multi potius reſpiciebant arcam, quam vocarent ſacerdotes qui inuoluerent eam. Hic autem corpus Domini inuolutum eſt ſpecie panis & vini: & ideo videri poteſt.

Ad alivd dicendum, quòd vt communiter dicitur, Oza percuſſus eſt propter duo: vnum, quia pollutus in nocte cum vxore, præſumpſit in mane propior accedere ad currum, & tenere eum volens propior inter cæteros accedere, debuit ſe digne præparare: vel quando noluit ſe præparare, debuit alium propius dimittere accedere, qui dignior eſſet. Alia cauſa erat: quia cum eſſet Leuita, debuit portare arcam propriis humeris, ſed ipſe permiſit eam boues trahere, & ideo percuſſus eſt.

ARTICVLVS XIX.

An ille qui aliter celebrat quam inſtitutum eſt à Chriſto, peccet mortaliter?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Indignus eſt qui aliter celebrat myſterium quam Chriſtus tradidit, &c.] Quæritur enim, Quis ſit ille? poteſt enim multipliciter aliter celebrati, aut ex parte materiæ, aut ex parte formæ. Ex parte materiæ: ſicut Græci qui conficiunt in fermentato, cum Dominus conſecrauit in azymo: ve lqui non miſcet vino aquam. Videtur ergo, quòd omnis talis peccat mortaliter: vel dicatur, quis ſit ille qui aliter celebrat.

Solvtio. Dicendum, quòd omnia illa conſideranda ſunt circa materiam & formam, & modum miſſæ & canonis: quæ ſupra determinata *Solutio.*

ſunt

sunt:& aliter celebrans ex contemptu,peccat mortaliter , & adeo indignus est, quòd gradus sui periculo debet subiacere. Cum quosdam errores contra celebrationem sacramenti Iulius Papa tangat scribens (& ponitur in decreto de consecratione distin. 2. capi. Cum omne crimen) sic dicens:Audiuimus quosdam schismatica ambitione detentos , contra diuinos ordines & Apostolicas institutiones,lac pro vino in diuinis sacrificiis dedicare:alios quoque intinctam Eucharistiam populis pro complemento communionis porrigere: quosdam etiam expressum vinum in sacramento Dominici calicis offerre:alios vero pannum lineũ musto intinctum per totum annum reseruare , & in tempore sacrificij partem eius aqua lauare,& sic offerre:quod quam sit Euangelicæ atque Apostolicæ doctrinæ contrarium , & consuetudini Ecclesiasticæ aduersum, non difficile ab ipso fonte veritatis probabitur, à quo ordinata ipsa sacramentorum mysteria processerunt. Quintus error est in celebrandi & sumendi modo , vt parum infra dicetur. Vnde Gelas. Papa : Comperimus , quòd quidam sumpta tantummodo corporis sacri portione, à calice sacrati cruoris abstineant : qui procul dubio (quoniam nescio qua superstitione docentur astringi)aut integra sacramenta percipiant, aut ab integris arceantur:quia diuisio vnius eiusdẽque mysterij sine grandi sacrilegio non potest prouenire. Alius error tangitur in concilio Toletano.12. Relatum est nobis quosdam de sacerdotibus non tot vicibus communionis sanctæ gratiam sumere , quot sacrificia in vno die videntur offerre:sed si in vno die plurima offerant sacrificia, omnibus se oblationibus à communione suspendunt:& in sola tantum extremi sacrificij oblatione communionis sanctæ gratiam sumunt , &c. Quare ita certum est , quòd hi qui sacrificantes non edunt , rei sunt Dominici sacramenti. Quicunque ergo sacerdotum deinceps diuini altaris sacrificium oblaturus accesserit , & se à communione suspenderit , ab ipsa qua se indecenter priuauit gratia communionis, anno vno repulsum se nouerit. Nam quale erit sacrificium cui nec ipse sacrificans particeps esse dignoscitur? Alij etiam sunt modi infiniti : sed isti modi sufficiant quia à sanctis Patribus modo sunt tacti.

ARTICVLVS XX.

An existenti in peccato mortali debeat sacerdos dare hostiam consecratam,vel non consecratam?

DEinde quæritur de hoc quod dicit statim post [Qui cum mortali peccato accedens, &c.] Videtur enim cum sacerdos sit medicus , & sacramentum medicina, quòd sacerdos tali quantuncunque desideranti dare non debet : ergo repellere debet eum : quod supra improbatum est.

Quæst.1. IVXTA hoc vlterius quæritur , Vtrum tali melius sit dare hostiam non consecratam? Videtur, quod sic:quia sic cauetur ei ne sibi noceat indigna sacramenti communicatio.

2 Item, Per hoc remouetur scandalum : quia populus forte scandalizari posset de hoc quod non communicat.

SED CONTRA: 2. Mach.6. Nolebat Eleazarus simulare etiam propter vitæ amorem : ergo videtur, quòd nec hic simulandum est. *Sed contra.*

2 Item , Hoc sacramentum est sacramentum veritatis:ergo repugnat omni falsitati : ergo nihil in eo est per falsitatem agendum : sed esset falsitas quædam simulatio talis : ergo non est dandum.

VLTERIVS quæritur,Si sacerdos per se non petentibus talibus possit dare panem benedictum, & non Eucharistiam ? Videtur autem,quòd non, habitis rationibus. *Quæst. 2.*

2 Præterea, Potest in momento compungi:& si compungitur , nocet ei sacerdos subtrahendo cibum salutarem:ergo non debet facere.

3 Item , Nihil prodest per hoc peccatori, quia ille credit se communicare:ergo ita contemnit non communicans , sicut communicans:ergo non debet ei dare nisi hostiam. Item , Dominus dedit Iudæ Eucharistiam : ergo & dispensator eius debet dare malis.

SOLVTIO. Dicendum ad primum , quòd non omnino simile est de medico & sacerdote: quia sacerdos adiuuat voluntatem hominis quæ libera est ad hoc quod faciat quod in se est:& tunc Deus non negat gratiam:sed medicus adiuuat naturam quæ subiacet necessitati , & quandoque adiuuari non potest , nec redire potest quando vult:& ideo sacerdos dat quod ille vult , vt sic à morte & verecundia retrahatur voluntas, & conuertatur ad Dominum:medicus autem non , quia nociuis non adiuuatur natura , sed potius impeditur. *Solutio.*

AD ALIVD quod iuxta hoc quæritur,dicendum quòd tali petenti potest dari hostia non consecrata seorsum quidem posita, non corpori Domini intermixta : tamen non sæpe debet fieri , vt puto , vt magis de peccato suo territus citius reuertatur. *Quæst. 1.*

AD HOC quod contra obiicitur, dicendum quòd non est simile de Eleazaro:quia ille rogabatur simulare se comedere illicitum , quod nullus simulare debet:hic autem simulatur licitum,quod etiam præceptum est fieri.

AD ALIVD dicendum , quòd non est falsitas , sed potius cautela mali quod posset ex scandalo multorum esse:nec etiam est simulatio in sacramenti confectione , sed potius in similitudine vsus sacramenti.

AD ID quod vlterius quæritur , dicendum quòd nullo modo debet hoc sacerdos ex seipso facere , sicut probatum est : sed si rogatur , aliquando acquiescere potest , & non sæpe, sicut diximus. *Quæst. 2.*

ARTICVLVS XXI.

Quare communicaturus specialiter iubetur dimittere debitoribus suis?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Antequam accedas , dimitte debitoribus tuis, &c.] Quare specialiter facit mentionem de isto peccato in communicando:omne enim peccatum facit indignum si est mortale,vt ante dixi : ergo mentionem generaliter facere deberet de omnibus vt dimitteretur ei.

Ad hoc videtur dicendum, quòd ſacrificium quo Chriſtus obtulit ſeipſum, præcipue fuit propter amorem fraternum. Vnde Hebr. 2. Quia pueri communicauerunt carni & ſanguini, & ipſe ſimiliter participauit eiſdem: vt per mortem deſtrueret eum qui habebat mortis imperium, id eſt, diabolum, & liberaret eos qui timore mortis per totam vitam obnoxij erant ſeruituti. Et ideo peccatum odij fratrum maxime contrariatur communioni. 1. Cor. 11. Primum quidem, id eſt, præcipuum malum, audio ſciſſuras eſſe inter vos.

ARTICVLVS XXII.

An magiſter bene dicat, quod ſpiritualiter manducat qui innocentiam ad altare portat?

Deinde quæritur de hoc quod dici *ibi* [Spiritualiter manducat, qui innocentiam ad altare portat &c.] Secundum hoc enim videtur, quòd pauci manducent ſpiritualiter: quia pauci ſunt innocentes, qui non peccauerunt.

Solutio. Solvtio. Dicendum quòd intelligitur de innocentia quantum ad immunitatem culpæ mortalis, & non de innocentia baptiſmi: homo enim per pœnitentiam poteſt eſſe immunis à culpa: & ſic ſumitur innocentia à beato Gregorio in quadam quadrageſimali Collecta: Deus innocentiæ reſtitutor & amator, quem noſſe viuere, & cui ſeruire regnare eſt, &c.

Si illud ſit ſacrificium, etſi ſæpius immoletur Chriſtus?

Fost hæc quæritur, Si quod gerit ſacerdos, proprie dicatur ſacrificium vel immolatio: & ſi Chriſtus quotidie immoletur, vel ſemel tantum immolatus ſit? Ad hoc breuiter dici poteſt, illud quod offertur & conſecratur à ſacerdote vocari ſacrificium & oblationem: quia memoria eſt & repræſentatio veri ſacrificij & ſanctæ immolationis factæ in ara crucis. Et ſemel Chriſtus mortuus in cruce eſt, ibique immolatus eſt in ſemetipſo. Quotidie autem immolatur in ſacramento, quia in ſacramento recordatio fit illius quod factum eſt ſemel. Vnde Auguſt. Certum habemus quia Chriſtus reſurgens ex mortuis iam non moritur. &c. tamen ne obliuiſcamur quod ſemel factum eſt, in memoria noſtra omni anno fit, ſcilicet quoties paſcha celebratur. Nunquid toties Chriſtus occiditur? ſed tantum anniuerſaria recordatio repræſentat quod olim factum eſt: & ſic nos facit moueri tanquam videamus Dominum in cruce. Item ſemel immolatus Chriſtus in ſemetipſo, & tamen quotidie immolatur in ſacramento. Quod ſic intelligendum, quia in manifeſtatione corporis & diſtinctione membrorum ſemel tantum in cruce pependit, offerens ſe Deo patri hoſtiam redemptionis efficacem, eorum ſcilicet quos prædeſtinauit. Item Ambroſius, In Chriſto ſemel oblata eſt hoſtia ad ſalutem potens: quid ergo nos? Nonne per ſingulos dies offerimus? Et ſi quotidie offeramus, ad recordationem eius mortis fit: & vna eſt hoſtia, non multæ. Quomodo vna, & non multæ? quia ſemel immolatus eſt Chriſtus. Hoc autem ſacrificium exemplum eſt illius: idipſum, & ſemper idipſum offertur: proinde hoc idem eſt ſacrificium, alioquin dicetur, quoniam in multis locis offertur, multi ſunt Chriſti: non, ſed vnus vbique eſt Chriſtus: & hic plenus exiſtens, & illic plenus: ſicut quod vbique offertur, vnum eſt corpus, ita & vnum ſacrificium. Chriſtus hoſtiam obtulit: ipſam offerimus & nunc: ſed quod nos agimus, recordatio eſt ſacrificij. Nec cauſa ſuæ infirmitatis repetitur, quia perficit hominem: ſed noſtræ, quia quotidie peccamus. Ex his colligitur eſſe ſacrificium & dici, quod agitur in altari: & Chriſtum ſemel oblatum & quotidie offerri: ſed aliter

Hebr. 7.

Super Pſal. 26. & habetur de conſec. diſt. 1. c. Semel.

Auguſt. in lib. ſententiarum proſperi. & habetur de conſec. diſt. 1. c. Semel immolatus. Super Epiſtolam ad Hebræos. & allegatur de conſec. diſt. 1. c. In Chriſto.

tunc,

tunc, aliter nunc. Et etiam quæ sit virtus huius sacramenti ostenditur : remissio scilicet peccatorum venialium, & perfectio virtutis.

DIVISIO TEXTVS.

POST hæc quæritur, Si quod gerit sacerdos, proprie dicatur sacrificium ?] Hæc est vltima pars huius tractatus de Eucharistia, in qua agitur de ipsa ex parte consecrantis eam:& hoc est ex parte causæ efficientis vel quasi efficientis:& diuiditur in duas partes, in quarum prima agitur de actu sacerdotis quem facit in conficiendo. In secunda agitur de his quæ hoc sacramentum requirit in consecrando, sicut ordinem, & vitam, & intentionem:& incipit *ibi* [Solet autem quæri, Vtrum praui sacerdotes] Adhuc autem prima habet quæstiones quatuor, quarum ramen duæ simul tanguntur & determinantur in libro, scilicet quo nomine vocetur actus sacerdotis, & vtrum Christus semel vel sæpius immoletur?& de solutione harum est capitulum primum. Secunda quæstio est de institutione huius sacramenti : & de hoc est capitulum secundum, quod ibi incipit [Institutum est enim hoc sacramentum, &c.] Tertia quæstio est, vtrum quotidie vel raro celebrandum & communicandum sit?& de hoc est tertium capitulum quod incipit *ibi* [Si autem quæratur, vtrum quotidie communicandum sit,&c.

ARTICVLVS XXIII.

An Christus immolatur in omni sacrificio ?

INcidit autem quæstio circa primum. Videtur, quod non dicatur Christus quotidie sacrificari & immolari propter repræsentationem præteritorum:eadem enim ratio est de crucifixione & morte, quæ est de sacrificio & immolatione : ergo si dicatur immolari, quia fit repræsentatio immolationis factæ, dicetur crucifigi & tradi, quia fit repræsentatio crucifixonis & occisionis factæ:quod falsum est.

2 Item, Non sequitur, istius occisio repræsentatur:ergo iste occiditur:ergo nec hic sequi videtur, immolatio vel sacrificium repræsentatur: ergo immolatur vel occiditur.

3 Item videtur, quòd fieri hoc non debeat: quia hoc quod est occasio hæresis,ab Ecclesia fieri non debet : sed repræsentatio mortis significat mortalem, cum tamen dicat Apostolus, quia Christus resurrexit à mortuis, iam non moritur: ergo fieri non debet.

4 Item, In sacramento nulli facienda est iniuria:sed Christus semel oblatus, hominum peccata tulit sufficienter, prout dicit Apostolus:ergo iniuria fit ei si tota die offertur pro peccatis.

Quæstiũcula. VLTERIVS quæritur,Quare dicatur immolatio vel sacrificium ? Ad hoc dicendum, quòd Christus omni die verissime immolatur, cum sacrificium offertur Deo patri:immolatio enim dicit actum oblationis ex parte rei oblatæ,& sacrificium dicit eundem actum ex parte effectus : vnde cum ex parte rei oblatæ semper maneat oblatio pro nobis oblata & offerenda, semper immolamus & semper sacrificamus. Non est autem ita de crucifixione : hæc enim dicit non actum rei oblatæ, sed potius actum iniquum Iudæorum vel passionem,prout est ab eis illata:sic autem non fuit iteranda : & ideo non est simile. Et per hoc patet solutio ad primum.

AD ALIVD dicendum, quòd immolatio nostra non tantum est repræsentatio, sed immolatio vera, id est, rei immolatæ oblatio per manus sacerdotum : vnde duo dicit, scilicet rem occisam,& oblationem : quia immolatio proprie est oblatio occisi ad cultum Dei : & quoad oblationem non est repræsentatio tantum,sed verus actus offerendi. Sic autem non est de occisione & crucifixione.

AD ALIVD dicendum, quòd non est hic occasio hæresis : sed esset si notaretur iterati occisio : & hoc dictum est quia non notatur.

AD ALIVD dicendum, quòd non fit iniuria : quia eadem res semper offertur, & sub vno effectu:sed si quæreretur alia res ad occisionem & redemptionem,tunc morti Christi fieret iniuria.

AD VLTIMVM dicendum, quòd nomen ipsum quod est immolatio, dicitur ab instrumentis,vbi occidebatur pecus quod offerebatur: occidebatur enim super magnum lapidem ad modum molaris rotundum, & partes occisi super eum ponebantur : & loco illius modo vtimur altari : sed secundum significationem propriam sonati actum oblationis ex parte rei oblatæ & occisæ : sacrificatio autem dicit eundem ex parte effectus. *Ad quæstiunculam.*

ARTICVLVS XXIV.

An Christus quotidie immoletur in sacramento ?

DEinde quæritur de hoc quod dicitur *ibi* [Quotidie autem immolatur in sacramento, &c.] Instantia enim huius videtur esse in Paraseue:quia tunc non consecratur.

VLTERIVS quæritur,Quare illo die non consecratur ? *Quæstiũcula 1.*

VLTERIVS adhuc quæritur,Quare sanguis à die cœnæ vsque in diem Paraseues non reseruatur,sicut corpus ? *Quæstiũcula 2.*

SOLVTIO. Dicendum, quòd quotidie immolatur, licet non quotidie conficiatur : quia etiam in Paraseue immolatio fit absque consecratione. *Solutio.*

AD ALIVD dicendum, quòd instituit Ecclesia, quia illo die Christus vere seipsum obtulit in cruce : & ideo noluit Ecclesia vt immolaretur in sacramento,vt populus circa veram oblationem,ablata sacramentali quæ sub velamine est, magis afficeretur. *Ad quæstiunculam 1.* *Ad quæstiunculam 2.*

AD ALIVD dicendum, quòd nulla causa est quam

quam quidam dicunt,quòd hostiæ consecratæ intinctione vinum in Paraſceue conuertatur in ſanguinem : quia ſecundum hoc alicui ſacerdoti intingenti corpus Christi in vino , & poſtea ſumenti vtrumque,ſcilicet corpus & vinum,iterum eodem die liceret celebrare : quod falſum eſt,cum ſit pranſus. Item vinum non ſit ſacramentum niſi accedente verbo : ſi autem verum eſſet quod iſti dicunt , efficeretur ſacramentum ſine forma ſacramenti. Vnde dicendum , quòd ſanguis non reſeruatur ptopter periculum effuſionis , quia effundi poſſet : & iterum quia non poteſt reponi de vaſe in vas niſi aliquid adhæreat vaſi de humore : & ideo Eccleſia ſtatuit non reſeruandum eſſe.

Deinde notandum eſt circa hoc quod dicit [Quoties paſcha celebratur] quòd paſcha dicitur multipliciter. Quandoque enim dicitur panes azymi , qui tunc comedebantur. Ioan.18. Non introierunt in prætorium vt non contaminarentur, ſed manducarent paſcha. Item dicitur Chriſtus immolatus. 1.Corinth.5. Etenim paſcha noſtrum immolatus eſt Chriſtus. Item agnus paſchalis qui tunc comedebatur. Matth.26. Vbi vis paremus tibi comedere paſcha? Item tempus illud quando celebratur. Ioan.13. Ante diem feſtum paſchæ,&c. Item cœna quam comedebant in veſpera. Matth.26. Scitis quia poſt biduum paſcha fiet. Vnde verſus :

Eſt azymum paſcha , Ieſus , agnus , veſpera, cœna.

Deinde notandum eſt ſuper hoc [Nonne per ſingulos dies offerimus,&c.] Innocentius enim dicit , quòd quinque de cauſis hæc fit immolatio. Prima , quia quotidie peccamus : & ideo oportet paratam eſſe medicinam : & hæc tangitur in litera. Secunda eſt , vt lignum vitæ ſemper ſit in medio paradiſi. Tertia,vt nobis vniatur Chriſtus ſacramentaliter,& nos ei ſpiritualiter. Et hanc tangit Hilarius in 8.de Trinitate ſic dicens,Cur gradum quendam atque ordinem conſummandæ veritatis expoſuit,niſi vt ille in Patre per naturam diuinitatis,nos econtra in eo per per-corporalem natiuitatem eius : & ille rurſus in nobis per ſacramentorum myſterium crederetur : ac ſi perfecta mediatoris vnitas doceret , vt nobis in ſe manentibus ipſe maneret in Patre , & in Patre manens maneret in nobis:& ita ad vnitatem perficiendam cum qua in eo naturaliter per natiuitatem ineſt, nos quoque natura in eo ineſſemus, ipſo Chriſto naturaliter in nobis permanente. Quod autem in nobis naturaliter hæc vnitas ſit , ipſe ita teſtatus eſt dicens , Qui manducat meam carnem & bibit meum ſanguinem , in me manet & ego in eo. Quarta cauſa eſt vt habeamus memoriam paſſionis : & hæc tangitur 1.Corinth.11. Hoc facite in meam commemorationem. Quinta eſt, vt Iudæi conuerſi agno veto loco typici vtantur , quem
Pſal.58. eſurient , ſicut dicit Pſalm. Conuertentur ad veſperam , & famem patientur vt canes , & circuibunt ciuitatem.

ARTICVLVS XXV.

An ſacramentum Euchariſtiæ valeat contra venialia peccata?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Nec cauſa infirmitatis repetitur , &c.] Ex hoc enim quod hic dicitur , videtur quòd hoc ſacramentum valeat contra venialia : videtur autem, quòd etiam contra mortalia valeat : quia dicitur in Collecta beati Gregorij quæ pro viuis & mortuis in communi dicitur. Sit ablutio ſcelerum, ſit fortitudo fragilium, ſit contra mundi pericula firmamentum, ſit viuorum atque mortuorum fidelium remiſſio omnium delictorum. Ex prima parte accipitur,quòd valet contra mortalia : quia ſcelera non niſi mortalia dicuntur. Ex parte vero vltima accipitur quod æqualiter valet contra venialia & contra mortalia,

2 Item, Supra habitum eſt in eodem capitulo, quòd eſt repræſentatio mortis Chriſti & oblationis : ſed illa fuit contra mortalia & venialia: ergo hoc ſacramentum contra vtraque peccatorum genera ordinatur.

3 Item , De conſecratione diſtinct.2. Iulius Papa dicit , Cum omne crimen atque peccatum oblatis Deo ſacrificiis deleatur,quid de cætero pro delictorum expiatione Domino dabitur , quando in ipſa ſacrificij oblatione erratur? Ergo videtur, quòd iſtud ſacrificium valeat ad omnis delicti expiationem.

4 Item , Iſtud vocatur ſacramentum ſacramentorum , & maximum ſacramentum : ergo maiorem habet effectum quam alia quæ non ſunt tam digna ſacramenta : ſed baptiſmus & pœnitentia valent contra mortale : ergo multo magis & iſtud.

5 Item , Actus hominis gratia informatus, minus valet quam actus Chriſti , qui plenus eſt gratia : ſed actus hominis gratia informatus ſufficit delere mortale , ſicut patet in dolore pœnitentiæ : ergo multo magis actus Chriſti : & ille repræſentatur in communione : ergo valet contra mortalia.

SED CONTRA videtur , quòd non valet contra venialia : ſacramentum enim valet ad effectum ſuum proprium inducendum ; ſed non eſt eius proprius effectus deletio venialium : ergo non inducit illum. Probatio minoris. Quicquid eſt contra quod multa ordinantur, nullum eorum erit proprium deſtructiuum illius, niſi omnia illa ſint vnum in ratione , vel vnum reducatur ad aliud : ſed contra veniale multa ordinantur, ſicut aqua benedicta, benedictio pontificalis, & huiuſmodi : & non habent omnia hæc vnam rationem , nec reducitur vnum ad aliud : ergo nullum eorum eſt proprium deſtructiuum peccati venialis.

2 Item , Sit quòd aliquis accedat cum duobus vel tribus venialibus : aut valet ad omnium remiſſionem , aut non. Et non poteſt dici quòd non valeat ad omnium remiſſionem, quia eadem eſt ratio de vno & de alio : ergo ſi valet ad remiſſionem vnius, valet ad remiſſionem omnium. Si autem hoc detur:tunc aliquis in hac vita poteſt viuere ſine peccatis, quod eſt contra Auguſt. dicentem,quòd hoc non poteſt fieri,& eſt ſcriptum ſupra in 3.diſtinct.2.

3 Item, Cum purgatio talis ſit effectus huius ſacramenti : & omnia talia remedia frequenter debeant iterari : videtur , quòd ſecundum hoc vno die deberet pluries communicari , vel plures miſſæ celebrari, quod falſum eſt.

ITEM quòd non valet contra mortale , ſic videtur probari : quia aut accedit cum mortali,

aut

aut non. Si sic: ergo iudicium sibi manducat & bibit. Si non: ergo non remittitur sibi mortale. Item, In cœna Christi valuit omnibus præter eum qui accessit cum mortali, scilicet Iudam, de quo dicitur Ioan. 13. quòd post buccellam introiuit in eum Satanas: ergo similiter fit adhuc: ergo non remittitur mortale peccatum in perceptione huius sacramenti.

Solutio. SOLVTIO. Sicut supra dictum est in quæstione de distinctione sacramentorum, Eucharistia nec contra mortale nec contra veniale ordinatur, sicut ad proprium effectum, sed potius contra debilitatem quæ procedit ex deperditione spiritualitatis: quæ deperditio spiritualitatis contingit tam ex originali quam actuali peccato. Sed quod hic dicit Ambros. & Magister in fine capituli concludit, intelligitur de effectu consequenti, & communi huic sacramento & aliis quibusdam remediis peccati: cum enim per spiritualem cibum restituitur robur spiritus, tunc excludit venialium frequentiam: & ex feruore deuotionis deletur veniale quod inest, & etiam reatus pœnæ peccati mortalis, quod per pœnitentiam factum est veniale. Et hoc modo intelliguntur verba sanctorum inducta.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd ablutio est scelerum, quantum ad reliquias remanentes, & debitum pœnæ.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc modo quo dictum est, valet contra omne peccatum, sed proprie restaurat robur spiritus deperditi ex peccato & pœna peccati.

AD ALIVD dicendum, quòd mors Christi multa habuit, quæ non habet in se, nisi per repræsentationem sacramentũ: habuit enim positionem animæ secundum veritatem, & pœnam pro omnibus satisfacientem sufficienter, licet non efficienter: & hoc non habet in se sacramentum per veritatem: quia Christus modo non moritur, nec pœnam passionis patitur: & ideo non sequitur, quòd sacramentum sicut passio valeat contra omne peccatum, sed quod repræsentatur in ipso remissio omnis peccati sufficienter, non efficienter.

AD ALIVD dicendum, quòd multis modis sicut etiam supra tactum est, & de confirmatione habitum est, dicitur vnum sacramentum maius alio: quia vel à maiori datur: vel maioris gratiæ collatiuum: vel quia dignior est res contenta: vel dignioris rei non contentæ significatiuum. Et primo quidem modo confirmatio, secundo baptismus, tertio Eucharistia, & quarto matrimonium dignius dicitur: & ideo non sequitur si maius est in genere, quòd maiorem gratiam conferat contra peccatum, quod est esse maius secundum quendam modum maioritatis sacramentorum. Et est ibi fallacia consequentis.

AD ALIVD dicendum, quòd actus Dei qui est dolor satisfactiuus pro peccatis nostris, non est per veritatem in sacramento, sed per repræsentationem solum: & ideo illa obiectio non valet.

AD ID quod obiicitur, quòd non valet contra venialia, bene videtur esse cocedendum per eum modum quo procedit prima obiectio. Sed secunda non valet: quia ex consequenti delet venialia: & ideo si aliquis consequitur remissionem venialium omnium, quod bene credo quod sæpe contingit: tamen verbum Augustini & Ioannis Euangelistæ manet verum: quia non diu potest manere in tali statu, manente concupiscentia in carne.

AD ALIVD dicendum, quòd etiamsi valeat contra venialia, non sequitur, quòd frequenter debeat iterari quia cum sit sacramentum dignissimum quantum ad rem contentam, exigit magnam præparationem ante faciendam, quæ non potest sæpe fieri: tamen commendatur propter hoc omni die communicans, vt dicitur in litera, dummodo digne communicet: quæ dignitas causatur ex præparatione præcedenti.

AD ALIVD dicendum, quòd non est accedendum cum mortali peccato: sed tamen contra mortale valet, non ex parte culpæ, sed pœnæ, vt dictum est. Et per hoc etiam patet solutio ad totum.

De causa institutionis.

INSTITVTVM est enim hoc sacramentum duabus de causis. In augmentum virtutis, scilicet charitatis, & in medicinam quotidianæ infirmitatis. Vnde Ambros. Si quoties effunditur sanguis Christi, in remissionem peccatorum effunditur, debeo semper accipere, qui semper pecco: debeo semper habere medicinam. Item Augustinus. Iteratur quotidie hæc oblatio, licet Christus semel sit passus: quia quotidie peccamus, peccatis, sine quibus mortalis infirmitas viuere non potest. Et quia quotidie labimur, quotidie Christus mystice immolatur pro nobis. Dedit enim nobis hoc sacramentum salutis, vt quia nos quotidie peccamus, & ille iam mori non potest, per hoc sacramentum remissionem consequamur. Quotidie comeditur ipse & bibitur in veritate, sed integer & viuus manet. Item, Mysterium fidei dicitur: quia credere debes, quod ibi salus nostra consistat. Si autem quæratur, Vtrum quotidie communicandum sit? Audi quid inde tradit Augusti. Quotidie, inquit, accipere

G

Lib. 4. de sacramentis cap 6. Ad Ianuarium. De cõse. dist. 2. cap. Iteratur.

De cõse. dist. 2. c. Quid sit sanguis.

Lib. de eccleſia-

sticis dogmatibus.c.53. accipere Eucharistiam, nec laudo, nec vitupero: omnibus tamen Dominicis diebus communicandum hortor. Si tamen mens in affectu peccandi est, grauari magis dico Eucharistiæ perceptione, quam purificari. Et licet quis peccato mordeatur, si peccandi tamen de cætero non habeat voluntatem, & satisfaciat lacrymis & orationibus, accedat securus: sed hoc de illo dico, quem mortalia peccata non grauant. Si non frequentius, saltem ter in anno homines communicent, nisi forte quis criminalibus impediatur: in Pascha scilicet, & Pentecoste, & in Natali. Omnes ergo communicent, qui noluerint carere ecclesiasticis liminibus.

Fabianus Papa. De cõse. dist. 2. c. Si non.

ARTICVLVS XXVI.

An sacramentum Eucharistiæ congruo tempore sit institutum à Christo post cœnam?

DEinde quæritur de hoc quod tertio quæritur, & tangitur *ibi* [Institutum est enim hoc sacramentum duabus de causis, &c.] Cum enim alia sacramenta sæpius instituta sint, sicut baptismus cum dictum est, Nisi quis renatus fuerit ex aqua, &c. Ioan. 3. & in baptismo Saluatoris, vt supra determinatum est in quæstionibus de baptismo Saluatoris, & istud sacramentum sit sacramentum sacramentorum, videtur & istud sæpius debere esse institutum.

2 Item, Baptismus institutus est post passionem quantum ad formam: Eucharistiæ vero effectus est incorporatio qua fideles incorporantur Christo, quæ fit per innouationem, cuius exemplum est resurrectio: ergo etiam deberet institutum esse post resurrectionem.

3 Item, Innocentius, sicut supra notauimus, vnam causam ponit Eucharistiæ, vt lignum vitæ sit in medio paradisi: lignum autem vitæ panis Angelorum est, & hoc est per glotiam beatitudinis quæ post resurrectionem est ostensa: ergo videtur, quòd post resurrectionem debuit institutum fuisse.

4 Vlterius videtur, quòd ante cœnam institui debuit: agnus enim paschalis sumi non debuit ab agno, sed potius ab his qui redimebantur per sanguinem agni: ergo videtur, quòd Christus, qui verus agnus est, non debuit prius comedere agnum typicum, sed potius ante cœnam, vel sine cœna offerre seipsum. Item, cum Christus recepit circunciſionem, non statim ad circunciſionem continuauit baptismum, sed diu post. Cum igitur similiter se habeant adinuicem agnus typicus & verus, sicut circunciſio & baptismus, videtur quòd non statim post agnum typicum debuit institui immolatio agni veri, sed diu post: & hoc non est factum.

Quæstiuncula. VLTERIVS quæritur de causa institutionis, quam Magister tangit in litera, scilicet quæ est augmentum virtutis: de alia enim causa quam tangit in litera, ante habitum est. Eiusdem enim est augere virtutem & conferre: sed baptismi est conferre virtutem: ergo & baptismi est augere: ergo hæc non est propria causa institutionis Eucharistiæ. Quod autem prima sit vera, patet per virtutem consuetudinalem quæ generatur ab actibus & augetur ab eisdem, & sic est de aliis rebus in natura.

2 Item, Supra in tractatu de baptismo dist. 4. dicitur, quòd virtutes in baptismo augentur: ergo patet, quòd non est proprius effectus Eucharistiæ.

3 Item, Supra in principio huius notulæ super hunc quartum sæpius probatum est, quòd omne sacramentum est contra peccatum & contra vulnus peccati, & in hoc differt gratia sacramentalis à gratia quæ est in donis & virtutibus: ergo secundum hoc nullius sacramenti proprius effectus erit augere virtutem: ergo nec istius: ergo & ista causa quam tangit in litera, nulla esse videtur.

4 Si dicatur, quòd non auget virtutes in genere, sed quandam auget virtutem, scilicet charitatem. Contra: Charitas augetur, gratia aucta per bona opera: quia dicit Augustinus, quòd charitas datur vt nutriatur, & nutrita augeatur, & aucta perficiatur: cum autem hoc facere sit gratiæ & bonæ vitæ, non erit proprius effectus huius sacramenti. Item nihil augetur nisi per id quod vnitum sibi simile est in specie, vt caro hominis per id quod fit caro hominis, & sic de aliis: sed supra probatum est, quòd gratia sacramentalis & gratia virtutum non sunt vnius speciei: ergo vna non auget aliam: ergo falsum est quod dicitur in litera, vt videtur.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum videtur ad hoc, quòd instituta est Eucharistia, vt hic dicitur, à Deo ad medicinam quotidianæ infirmitatis, quæ causatur ex deperdito robore abstinentia spiritualis cibi, vt sæpius dictum est, & non debuit institui nisi post cœnam ante passionem, quia non nisi à passione trahit effectum, & est repræsentatio ipsius passionis: & ideo tanquam memoriale arctius memoriæ commendandum, vltimo institui debuit, vt infra in litera dicetur.

AD ID autem quod primo obiicitur, dicendum quòd in baptismo multa fuerunt, & penes illa multa varias habuit institutiones, vt supra in quæstionibus de baptismo dictum est: sed non sic est in Eucharistia, quæ tota gratiæ est, & ideo non nisi prope ostensionem maximæ gratiæ debuit ostendi.

AD ALIVD dicendum, quòd baptismus est sacramentum necessitatis ad quod multis modis oportuit assuefacere homines: & ideo ante Christum inducebatur à Ioanne, & postea à Christo multis modis instituebatur, & post resurrectionem

nem habuit complementum formæ : sed Eucharistia est repræsentatio immolationis factæ in passione , & ideo non debuit post , sed ante institui : licet enim innouet , hoc est effectus eius consequens,& non proprius,vt habitum est.

Ad alivd dicendum , quòd lignum vitæ est panis Angelorum:tamen secundum quod sub sacramento accipitur , panis est sub cineribus coopertus , id est , exprobrationibus occidentium , & sputis , & flagellis , & etiam ideo frequentius iteratur figura crucis in consecratione, quod non fiet quando aperta rerum veritate accipietur.

Ad alivd dicendum , quòd Christus Nouum Testamentum in sacrificiis vtriusque continuauit Veteri , sumendo prius agnum paschalem, & postea dando suum corpus : & ideo debuit institui post cœnam, quod verum est : Christus ergo agnum paschalem sumpsit , & non fecit vt ostenderet se indigere liberatione , sed in omnibus tenendo legem , ostendit legem non esse prophanam , sicut idololatriam , & à Deo esse datam:& in veritatem Noui Testamenti esse conuertendam. Obiectio autem illa procedit ac si agnus à nullo comederetur , nisi hoc fine quod liberaretur per ipsum ab Angelo exterminatore.

Ad alivd dicendum, quòd ad baptismum multipliciter oportuit homines induci , tum quia est sacramentum necessitatis , tum quia est generale sacramentum , tum etiam quia est ianua sacramentorum : & bene & congrue isto introducto, omnia alia sunt introducta : & ideo oportuit diu post circuncisionem susceptam expectare: sed non sic est in Eucharistia:sed statim continuari debuit nouum ad vetus,consummato veteri per passionem Christi.

Ad quæstiunculam.

Ad id autem quod vlterius quæritur de causa quam tangit Magister in litera , dicendum quòd sacramentum corporis Christi multipliciter potest ostendi , secundum quod ipsum multa in se habet. Potest enim attendi quantum ad suam rem principalem quam continet & causat ex parte suscipientis quantum in se est : & sic proprie est sacramentum nouæ legis , specialis gratiæ collatiuum , quæ est ordinata contra infirmitatem quotidianam , quæ est ex debilitate roboris spiritualis,vt dictum est. Potest & attendi non inquantum est sacramentum , sed inquantum est repræsentatio eorum quæ facta sunt circa mortem Christi : & sic est sacramentum amoris , quia ibi Iesvs circa nos maiorem amorem ostendit , & sic nostrum amorem ad se excitauit & emit. Vnde Bernardus. Supra omnia te mihi reddit amabilem bone Iesv,calix quem bibisti opus redemptionis nostræ. Item Bern. Multum difficultatis assumpsit quo te multæ dilectionis debitorem constitueret, admoneretque ad gratiarum actiones difficultas redemptionis , quem minus deuotum effecerat facilitas conditionis. Et hoc modo loquitur Magister hic. Vnde hic non est proprius effectus sacramenti inquantum sacramentum est ex re operata in sacramento , sed potius inquantum est repræsentatio passionis Christi , nostram sibi ementis charitatem. Post etiam considerari , inquantum habet eum pro re qui est causa & auctor omnis gratiæ, & de cuius plenitudine nos omnes accepimus gratiam pro gratia:& sic non confert tantum augmẽtum charitatis,sed etiam omniũ virtutum. Et per hoc patet solutio ad primum : quia nihil prohibet plures causas secundarias esse eiusdem effectus , licet vna sit per se secundum vnum modum causalitatis. Vnde baptismus dat augmentum virtutum , per hoc quod est maioris gratiæ principium:Eucharistia autem per hoc quod est excitatiuum ad maiorem deuotionem & amorem ex memoria passionis Christi. Per hoc etiam patet solutio ad secundum.

Ad alivd dicendum , quòd in veritate sacramentalis gratia differt à gratia virtutum & donorum,& non auget eam per essentialem vnionem cum illa , sed potius per occasionem , scilicet quia excitat ad deuotionem , qua habita, confertur frequenter maior gratia in habitu, semper autem in actu.

Ad alivd dicendum , quòd augmentum charitatis per modum meriti multis attribui potest , omnibus videlicet quæ faciunt mereri : sed tamen essentialiter non augetur nisi à Deo per gratiæ appositionem vel assimilationem suæ bonitatis , sicut determinari habet in quæstione de augmento virtutum.

ARTICVLVS XXVII.

An quotidie sit communicandum?

Deinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Vtrum quotidie communicandum sit,&c.] Hæc est autem quarta quæstio in principio huius distinctionis tacta. Videtur enim Augustinus male dicere, Nec laudo, nec vitupero. Aut enim loquitur de malis , aut de bonis. Si de malis : tunc erit vituperabile. Si autem de bonis : tunc videtur esse laudabile:laudabile enim est bonum bene facere:& quanto sæpius facit , tanto est laudabilior:sed optimum vel de optimis est dicere missas & communicare:ergo quanto sæpius id facit aliquis , tanto magis est laudandus : ergo male dicit Augustinus.

2 Item , Stultus est ægrotus qui habet medicinam paratam , & non iterat eam toties quoties redit morbus:sed morbus venialium semper redit: ergo stultus est qui non sæpe sumit medicinam: ergo vituperabilis, quia omnis stultus in eo quod talis , vituperabilis est : ergo iterum male dicere videtur Augustinus.

3 Item, Sacrificium Deo offerre , semper fuit bonum , & erit bonum : ergo optimum sacrificium Deo offerre , est optimum : ergo sæpissime offerendum : ergo laudabile est , quòd quotidie immoletur & accipiatur Christus , quia ipse est optimum sacrificium.

4 Item , Manna quod pluit Deus de cælo, quotidie præterquam in die sabbati colligebatur: ergo videtur etiam , quòd id quod significabat manna , omni die ante quietem perpetuæ vitæ sit colligendum & edendum : hoc autem est corpus Christi : ergo laudabile est , quod quotidie fiat.

5 Item , In veteri lege iuge sacrificium significabat istud sacrificium : & illud quotidie bis fiebat : ergo videtur etiam , quòd istud sæpius iterandum sit : & quanto sæpius,tanto melius.

Sed

Sed contra. SED CONTRA: dicit Gregorius, quòd bonarum mentium est ibi culpam agnoscere, vbi culpa non est: ergo multo magis bonæ mentis est suam agnoscere indignitatem: constat autem, quòd nullus sufficienter dignus sit: ergo bonæ mentis est agnoscere se indignam, & remouere se à communione.

2 Item, In veteri lege non omnis populus intrabat sancta sanctorum, sed solus pontifex, & semel in anno, & cum multo vestium ornatu, & incenso, & sanguine: constat autem, quod fuerunt significationes istorum quæ modo geruntur: videtur ergo adhuc non omnibus, & non semper, sed quandoque ordinatis hominibus cum incenso orationum, & sanguine, scilicet memoria passionis esse communicandum: cum igitur ita non possunt præparari sæpe, non sæpe erit communicandum.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd causa dicti Augustini procedunt verba obiectionum. Et hoc patet in decreto de consec. dist. 2. cap. Quotidie: vbi verba quæ hic deficiunt, supplentur sic. Si dixerit quispiam non quotidie accipiendam Eucharistiam, alius autem affirmat quotidie: faciat vnusquisque quod secundum fidem suam pie credit esse faciendum. Nec enim litigauerunt inter se, aut quisquam eorum alteri se præposuit, Zachæus, & ille centurio, cum alter eorum gaudens in domum suam suscepit Dominum: alter dicit, ô Domine non sum dignus vt intres sub tectum meum: ambo Saluatorem honorificantes, quamuis non vno modo: ambo peccatis miseri, ambo misericordiam consecuti. Ad hoc valet, quod manna secundum propriam voluntatem in ore cuiusque sapiebat. Ex his accipitur, quod ratione diuersarum virtutum, scilicet humilitatis recognoscentis propriam infirmitatem, & charitatis cupientis se Deo coniungere, ambo sunt laudabiles. Discretio autem quæ auriga virtutum est, temperat vtrasque: & medium semper laudabilius est extremis.

DICENDVM igitur ad primum, quòd de bonis loquitur Augustinus: & licet sit idoneus, tamen sua reputatione non est satis idoneus: & quia in hoc honorat Deum recognoscendo excellentiam corporis sui cui nihil satis dignum est, conuertitur ei hoc ipsum in laudem & meritum.

AD ALIVD dicendum, quòd stultus nec sacramentaliter, nec spiritualiter manducat. Vnde ipse abstinens sacramentaliter ad tempus propter humilitatem, non est stultus, quia spiritualiter non abstinet: & ideo non tenet illa obiectio.

AD ALIVD dicendum, quòd multi actus in se boni sunt, & tamen propter nostram fragilitatem ad illos actus comparatam, nobis efficiuntur mali vel incauti, sicut iurare. Dicere enim verum bonum est, & aduocare testem Dei veritatem bonum est: tamen propter nostram scientiam quæ semper dubio permixta est, vitandum est nobis iurare: & ita dicendum videtur hic de communione: quia licet in se optima sit: tamen quia multæ sunt auersiones nostræ & inidoneitates, quandoque nobis tutum est abstinere propter humilitatem.

AD ALIVD dicendum, quòd manna licet significaret futuram refectionem in corpore Christi: fuit tamen datum in vsum corporalis alimoniæ itinerantibus per desertum: & ideo non erat periculum illud singulis diebus accipere? sed potius necessarium.

AD ALIVD dicendum, quòd iuge sacrificium significabat futuram Christi passionem inquantum est passio, & non cibum spiritualem, qui est in Christo passo inquantum huiusmodi: & ideo totum incendebatur. Et quia hæc passio quotidie debet esse in igne cordis nostri, propter hoc quotidie offerebatur. Vnde Psalm. 140. Dirigatur oratio mea sicut incensum in conspectu tuo, &c.

ARTICVLVS XXVIII.

An ter in anno sit communicandum?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Si non frequentius, saltem ter in anno homines communicent, &c.] Hoc enim est decretum Fabiani Papæ, sicut dicitur ibi de consec. dist. 2. Videtur autem sæpius esse communicandum: quia dicit Ambr. sicut in litera habuimus, Si quoties effunditur sanguis Christi, in remissionem peccatorum effunditur, debeo semper accipere, qui semper pecco: debeo semper habere medicinam.

2 Item, Hilarius Episcopus, Si non sint tanta peccata vt excommunicetur quis, non debet se à medicina corporis Domini separare: ergo videtur, quòd quotidie sit communicandum.

3 Item, Ex concilio Martini Papæ, Siquis intrat in Ecclesiam Dei, & sacras Scripturas audit, & pro luxuria sua auertit se à communione sacramenti, & in obseruandis mysteriis declinat constitutam regulam disciplinæ: istum talem proiiciendum de Ecclesia Catholica esse decernimus, donec pœnitentiam agat, & ostendat fructum pœnitentiæ suæ: vt possit communione percepta indulgentiam promereri. Ergo videtur, quòd sæpius communicandum sit.

4 Item, Hoc videtur à simili corporalis cibi, quem quotidie accipimus: cum ergo non in solo pane viuat homo, sed magis in spirituali pane, videtur quòd quotidie iste cibus sit accipiendus.

5 Item, Super illud Matth. 6. Panem nostrum quotidianum, &c. dicit vna Gloss. Eucharistiam. Ergo ipsa est panis quotidianus: ergo quotidie sumendus: non igitur tantum tribus vicibus in anno.

Quæstiuncula 1. VLTERIVS videtur, quòd ad minus quatuor vicibus sit communicandum in anno. Dicit enim Sother Papa, In cœna Domini à quibusdam perceptio Eucharistiæ negligitur: quæ quoniam in eadem die ab omnibus fidelibus, (exceptis his quibus pro grauibus criminibus inhibitum est) percipienda sit, Ecclesiasticus vsus demonstrat: cum etiam pœnitentes eadem die ad percipienda corporis & sanguinis Domini sacramenta reconcilientur. Ergo in cœna communicandum est ad minus.

2 Item, Dominus tunc instituit, & discipulos tunc communicauit: ergo cum sua actio, nostra sit instructio, videtur quòd tota Ecclesia tunc debeat communicare.

3 Item, In religionibus quibusdam obseruatur intantum vt illa die nullus subditorum celebret, sed

sed omnes communicent de manu superioris, quemadmodum discipuli de manu Domini: ergo videtur, quòd hic vsus omnibus sit æmulandus.

Quæst. 2. VLTERIVS quæritur hic, Quæ pœna sit non communicantis secundum statuta canonum? Videtur, quòd eiiciendus sit extra Ecclesiam, eo quod dicitur Ioan. 6. Qui manducat meam carnem & bibit meum sanguinem, in me manet & ego in eo. Ergo à contrario sensu, qui non manducat, &c. non manet in Christo: in Christo autem manere est in corpore mystico manere: cum ergo ille talis à corpore mystico se abiiciat, etiam ab Ecclesia abiiciendus esse videtur.

2 Item, Hoc sacramentum nomen proprium habet à quo tota Ecclesia sibi comparticipat, scilicet communionem: ergo qui se priuat communione, nihil debet habere de communitate vel de communicatione: ergo ab ipsa communicate & communicatione est præcidendus: ergo excommunicandus.

3 Item, Hoc videtur ex concilio Toletano, in decreto de consec. dist. 2. Hi qui intrant in Ecclesiã Dei, & deprehenduntur nunquam communicare, admoneantur quod si non communicent, ad pœnitentiam accedant, id est, si excommunicati sunt, satisfaciant: si communicant, id est, si non excommunicati sunt, non semper abstineant: si non fecerint, abstineant, id est, excommunicentur.

4 In concilio Elibertano, omnis homo ante sacram communionem à propria debet abstinere vxore tribus aut quatuor aut sex diebus: nec inter Catholicos connumerabitur, qui in istis videlicet temporibus, Pascha, Pentecoste, & Natali Domini non communicauerit. Ex his videtur, quòd non communicans sit excommunicandus.

Quæst. 3. VLTERIVS quæritur, Quare his tribus temporibus communicandum instituerunt Patres, potius quam aliis? quia cum hoc sacramentum non sit nisi memoriale passionis, videtur quòd solum in die passionis sit communicandum fidelibus, & ad minus in Pascha.

2 Item, In Pentecoste nullo modo videtur: quia tunc tota carnalitas conuersa est ad spiritum: & subtrahebatur Apostolis à corde præsentia carnis vt locum haberet præsentia deitatis: ergo videtur, quòd tunc non sit communicandum carni & sanguini Christi: quia sicut ipse dicit, Spiritus est qui viuificat, caro autem non prodest quicquam.

3 Item, In Veteri Testamento legitur in Exod. 13. quod si aliquis immundus fuit mense primo, quòd celebraret Pascha mense secundo. Ergo videtur, quòd etiam sancti Patres in Nouo Testamento remedium super hoc debeant prouidere, si aliquis his temporibus præparatus non esset, quòd alio tempore communicaret.

4 Item, Leuit. 25. legitur, quòd omnia ista tria festa celebrantur per octo dies, & singulis diebus fiebant sacrificia, & populus edebat coram Domino: ergo videtur, quòd etiam sit faciendum in Nouo, & multo plus: quia Nouum Testamentum est octauarum, cum vetus fuit hebdomadarum: ergo per octo dies in quolibet festo communicandum est, vt videtur.

5 Item, Cum duo istorum temporum habeãt respondentiam in Veteri Testamento, scilicet Pascha & Pentecoste, in quibus populus edebat colam Domino: quare tertium, scilicet Natale non habet correspondens aliquod: in ianuario enim non conuenit populus coram Domino, sed in septembri, & tunc nos non communicamus.

6 Item, Cum Patres statuerunt primum: vt in quolibet die dominico, & deinceps vt tribus vicibus per annum populus communicaret: qualiter modo statutum est, vt saltem semel in anno hoc fieret?

7 Item, Nunquid prohibendæ sunt matronæ habentes viros suos, & abstinentes se à coitu per vnam vel duas noctes & alias deuotæ, ne sæpius communicent?

8 Item, Viduæ & aliæ in castitate viuentes & appetentes communicare, nunquid sunt prohibendæ? Videtur, quod non: quia nihil quod auget gratiam & deuotionem & sui custodiam, est prohibendum: frequentia autem communionis omnia hæc facit in communicante: ergo non est prohibenda.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum videtur ad primum, quòd non loquitur solum de communione sacramentali, sed magis de spirituali: hæc enim sæpius iteranda est, etiam eodem die: quia medicina est nostræ infirmitatis. Alia autem ordinanda est, vt cum solennitate & honore tanti sacramenti fiat.

AD ALIVD dicendum, quòd Hilarius Papa loquitur de his qui abstinent semper. Illi enim male faciunt & contra canonum statuta. Per hoc idem patet solutio ad sequens: quia loquitur de his qui abstinent temporibus in quibus communicandum ordinat Ecclesia.

AD ALIVD dicendum, quòd non est omnino simile de corporali cibo ad spiritualem: quia corporalis non repugnat nostræ indignitati ex sua dignitate, sed semper indignior est comedente: panis autem spiritualis propter suam dignitatem quandoque repellit nos à se, quando fœditates vel peccata in nobis apparent. Item panis corporalis non supplet defectum nostrum, nisi materialiter sumatur: sed spiritualis supplet defectum nostrum, etiamsi solum sacramentaliter sumatur.

AD ALIVD dicendum, quòd Glossa illa in contrarium, loquitur sub distinctione, scilicet quòd quotidianus debet esse quoad vsum sacramentalis manducationis, vel spiritualis: & non quoad vsum sacramentalis manducationis tantum.

AD ALIVD dicendum, quòd in veritate satis consonum est operibus spiritualibus communicare in cœna: & bene puto, quòd alias præparati, & tunc volentes communicare, non sunt prohibendi: sed tamen quia infirmitates hominum multæ sunt, & communicante vno vult alius communicare: quandoque differuntur vsque in diem Paschæ, vt duobus residuis diebus in ampliori custodia sua sint: quia populus male custodit se post communionem, & in expectando communionem custodit se melius. Vnde si aliqua est persona in qua hoc non timetur, puto ei concedendum esse, quòd communicet in illo die: & sic fit apud religiosos, vt probatur in sequenti obiectione.

AD ALIVD quod vlterius quæritur, Quæ sit pœna non communicantis? Dicendum, videtur, quòd

quòd absque dubio talis excommunicandus est post sufficientem admonitionem. Ego autem reputo signum alterius duorum peccatorum: scilicet quia aut obstinatæ malitiæ, quoniam nullo modo vult recedere à peccatis, aut hæresis. Vnde multum etiam meo iudicio delinquunt Prælati, tales fouendo, cum illos præcipue excommunicare deberent: & hoc videtur velle Fabianus Papa cum dicit, quòd omnes tribus his temporibus communicent, si noluerint ecclesiasticis carere liminibus.

AD HOC quod obiicitur in illo decreto, quod præcipit tribus diebus ab vxore abstinendum esse, &c. dicendum quòd bene puto, quòd sit sic faciendum: si tamen alter coniugum inueniatur debitum reddere coactus & non expetere: & hoc frequenter facere, eo quod alter non vult etiam illo tempore abstinere: ego communicare concederem illi qui reddit inuitus, & non alteri qui extorquet debitum, quando non est extorquendum: quia constat, quòd etiam illo tempore reddere tenetur, si probabiliter timet de incontinentia alterius.

Ad quæstiunculam 3.

AD HOC quod vlterius quæritur de his specialibus temporibus, dicendum quòd tria sunt in communione, scilicet manducatio spiritualis quæ viuificat, vt dicit Dominus, & corpus quod sumitur, & repræsentatio passionis. Et primum respondet tempori quoad aduentum Spiritus sancti in die Pentecostes. Secundum autem quoad Natale, quando corpus illud apparuit in mundo. Tertium autem quoad Pascha, quando passio celebrata fuit.

AD ID quod obiicitur de Pentecoste, dicendum quòd carnalis præsentia quæ erat cum fidei debilitate, impediuit consolationem diuinam: sed talis non est in sacramento, sed potius quæ est cum fidei plenitudine: quia nihil in hoc sacramento operatur nisi fides: & ideo præcipue conuenit communio in tempore quo Spiritus sanctus est datus.

AD ALIVD dicendum, quòd Patres Noui Testamenti, non attendunt immunditiam nisi peccati: vel quæ signum est peccati, vt pollutio, vel matrimonialis coitus ex vitio incontinentiæ procedens. Et quia hæ infirmitates cito corrigibiles sunt, non oportet alia tempora prouidere, nisi forte in diem alium, vel tertium: & hoc bene habet Ecclesiæ consuetudo: nec super hoc nouam oportuit facere constitutionem: vt beatus Greg. determinat de hac pollutione loquens, sicut supra etiam est notatum.

AD ALIVD dicendum, quòd octo diebus sacrificia repetebantur propter memoriam resurrectionis, ad quam per sacrificium Christi venimus. Quod autem continue octo diebus epulabantur, non significat epulationem sacramentalem, sed potius spiritualem manducationem, quæ non est intermittenda, sicut dicit Apostolus 1. Cor. 6. Epulemur in azymis sinceritatis, & veritatis.

AD ALIVD dicendum, quòd Scenopegia quæ fit mense septembri, non habet aliquid respondens in Nouo Testamento: quia significat iter per desertum, in quo accipiebatur lex vetus, quæ finienda erat in Nouo Testamento: sed Pascha & Pentecoste significant sacramenta nouæ legis, scilicet Passionem, & Spiritus sancti aduentum: & ideo ista habent tempora respondentia, illud autem non.

AD ALIVD dicendum, quòd antiqui Patres fuerunt in aureo seculo respectu nostri temporis, scilicet quia adhuc nouitio feruore feruebat Ecclesia. Postea autem venerunt nouissimo tempore tempora periculosa, in quibus refriguit charitas multorum, & propter indignitatem populi constitutum fuit ter in anno. Sed quia proni sunt sensus hominis in malum ab adolescentia sua, ideo temporibus istis statutum est, vt semel generaliter communicet populus in anno: & vtinam adhuc digne communicaret.

AD ALIVD dicendum, quòd mihi videtur, quòd præparantes se ad communionem per abstinentiam à coitu vel coeuntes non debent prohiberi à frequenti communione, præcipue de mense in mensem secundum solemnitates maiores: quia iniuste arcentur qui digni sunt: & impie cum eis agitur, quando eis subtrahitur cibus salutaris, qui datus auget eis gratiam quam acceperunt.

Si hæretici & excommunicati hoc sacramentum conficiant.

HOLET etiam quæri, Vtrum praui sacerdotes sacramentum conficere queant? Ad quod dici potest, quòd aliqui licet sint praui consecrant vere, scilicet qui intus sunt nomine & sacramento, etsi non vita: quia non in merito consecrantis, sed in verbo efficitur Creatoris. Vnde Augustinus. Intra Catholicam Ecclesiam in mysterio corporis & sanguinis Domini, nihil à bono maius, nihil à malo minus perficitur sacerdote: quia non in merito consecrantis, sed in verbo perficitur Creatoris, & virtute Spiritus sancti. Credendum est enim, quòd in verbis Christi sacramenta conficiantur. Sicut ipse est qui baptizat, ita ipse est qui per Spiritum sanctum suam efficit carnem & sanguinem. Item Gregor. Putant quidam communionem corporis minus esse sanctificatam, si illorum fiat officio, quorum vita eorum oculis videtur ignobilis. Heu,

Lib. de corpore Domini, & allegatur 3. q. 1. c. Intra Catholicam.

in quàm,

in quàm magnum laqueum incidunt: vt diuina & occulta mysteria plus ab aliis sanctificata posse fieri credant: cum vnus idemque Spiritus sanctus in tota Ecclesia inuisibiliter ea mysteria & operando sanctificet, & sanctificando benedicat. Mysterium ideo dicitur, quòd secretam & reconditam habeat dispensationem. Sacrificium vero, quasi sacrum factum: quia prece mystica consecratur pro nobis in memoriam Dominicæ passionis. Sacramentum est in aliqua celebratione, cum res ita fit, vt aliquid significatæ rei accipiamus. Sacramenta sunt baptisma, chrisma, corpus Christi: quæ ideo sacramenta dicuntur, quia sub tegumento visibilium rerum diuina virtus secretius salutem eorundem sacramentorum operatur. Vnde à secretis virtutibus vel sacris sacramenta dicuntur. Panis & calicis sacramentum Græce Eucharistia dicitur, Latine bona gratia interpretatur: & quid melius corpore & sanguine Christi? Siue ergo per bonos, siue per malos ministros intra Ecclesiam dispensetur, sacramentum tamen est, quia Spiritus sanctus viuificat: nec bonorum dispensatorum meritis ampliatur, nec malorum attenuatur. Hoc de corpore Domini, hoc & de baptismate & chrismate dicendum est & tenendum: quia virtus diuina secretius operatur in eis, & diuina solummodo est hæc virtus siue potestas non humanæ efficaciæ. Illi vero qui excommunicati sunt, vel de hæresi manifeste notati, non videntur hoc sacramentum posse conficere, licet sacerdotes sint: quia nemo dicit in ipsa consecratione, Offero, sed Offerimus, quasi ex persona Ecclesiæ. Et ideo cum alia sacramenta extra Ecclesiam possint celebrari, de hoc non videtur. Quod etiam Augustinus tradere videtur dicens, Recolite nomen, & aduertite veritatem. Missa enim dicitur, eo quod cælestis missus ad consecrandum viuificum corpus aduenìat: iuxta dictum sacerdotis dicentis, Omnipotens Deus iube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum, &c. Iccirco nisi Angelus venerit, missa nequaquam iure vocari poterit. Nunquid enim si hoc mysterium hæreticus ausus fuerit vsurpare, Angelum de cælis mittit Deus oblationem eius consecrare? maxime cum eisdem per Prophetam comminatus sit, dicens: Maledicam benedictionibus vestris. Quod si benedictionibus eorum se asserit maledicturam veritas, quid erit de hostia? Ergo dicemus illam posse benedici ab illo, quem scimus à Deo fore maledictum cum sua benedictione? Si enim Deus maledixerit benedictionibus hæreticorum, & simoniacus benedixerit: quis eorum præualebit? Nunquid benedictio maledicti ad nihilum poterit redigere verba verissima comminantis Dei? Ex his colligitur, quòd hæreticus à Catholica Ecclesia præcisus, nequeat hoc sacramentum conficere: quia sancti Angeli qui huius mysterij celebrationi assistunt, tunc non adsunt quando hæreticus vel simoniacus hoc mysterium temerarie celebrare præsumit. Non enim dubitare licet, vbi corporis Domini & sanguinis mysteria geruntur, supernorum ciuium adesse conuentus. In huius autem mysterij expletione, sicut formam seruari, ita ordinem haberi, scilicet vt sit sacerdos, & intentionem adhiberi oportet vt illud facere intendat. Sed si non credit de illo mysterio sicut veritas

1.Cor.12.

Isid.lib.6. etym.

Hic non tenetur Magister.

In sermone de corpore Christi.

habet, nunquid poteſt intendere illud conficere? etſi non intendit, nunquid conficit? Aliqui dicunt, etiam non recte de illo myſterio ſentientes poſſe intendere, non quidem illud conficere quod iam eſſet recte credere, ſed id agere quod geritur ab aliis dum conficitur: & ſic adhibetur intentio: & ſi intentio dicatur deeſſe conficiendi illud myſterium, tamen ex quo intendit ea dicere & agere quæ ab aliis geruntur, impletur myſterium. Illud etiam ſane dici poteſt, quòd à brutis animalibus corpus Chriſti non ſumitur, etſi videatur. Quid ergo ſumit mus, vel quid manducat? Deus nouit hoc. De hoc cæleſti myſterio aliqua perſtrinximus à Catholicis fideliter tenenda. Qui enim his contradicit, hæreticus iudicatur.

DIVISIO TEXTVS.

DEinde tranſeundum eſt ad aliam partem diſtinctionis quæ incipit *ibi* [Solet etiam quæri, Vtrum praui ſacerdotes, &c.] In hac enim parte agitur de his quæ hoc ſacramentum requirit in conſecrante. Et habet tres partes, in quarum prima oſtendit, quid requirit in vita, ſcilicet quod intra Eccleſiam. In ſecunda oſtendit, quòd requirit ordinem & intentionem, *ibi* [Huius autem myſterij expletionem, &c.] In tertia vero dicit, quid requiritur ex parte ſumentis, ſcilicet quòd ſit rationalis. Et illis in fine pat accidens adiungit, quid ſit hæreticus, eo quod dixit in epilogo, quod qui hic determinatis contradicit, eſt hæreticus: hæc autem incipit *ibi* [Illud etiam ſane poteſt dici, &c.] Duo autem dicuntur in prima parte, in quarum ſecunda oſtendit multis auctoritatibus & rationibus, quia qui non eſt intus, ſed excluſus per ſchiſma vel hæreſim vel excommunicationem, non conficit communionem, id eſt, Euchariſtiam. In prima autem oſtendit, quod mali qui ſunt intus non præciſi ab Eccleſia conficiunt, licet mali ſint. Secunda incipit *ibi* [Illi vero qui excommunicati ſunt.

ARTICVLVS XXIX.

An malus etiam ſacerdos conficiat?

INcidit autem quæſtio contra hoc quod intendit Magiſter in prima parte, ſcilicet vtrum malus conficiat? Deinde, Vtrum præciſus ab Eccleſia conficiat? Tertio, Vtrum miſſa boni melior ſit, quam miſſa mali ſacerdotis. Quarto, Quare ſpecialiter ptohibetur à canonibus, quòd ſacramenta non recipiantur ab hæreticis, ſimoniacis, & fornicariis manifeſtis?

AD PRIMVM obiicitur ſic: Dominus Ieſus Chriſtus per ſe dedit conficiendi poteſtatem: & non omnibus, ſed quibuſdam: ergo illi qui non ſunt ſucceſſores illorum, conficiendi poteſtatem non habent: ſed Apoſtolici viri tribus noſcuntur, ſcilicet vita, ſcientia, & poteſtate: ergo deficientes in aliquo illorum, poteſtatem non habent conficiendi: ſed mali deficiunt in vita: ergo non conficiunt.

2 Item, Quanto ſublimior eſt actus, tanto requirit perfectiorem agentem: ſed ſublimiſſimus eſt actus conficiendi corpus Chriſti: ergo ſublimiſſimum conuenit eſſe agentem: ergo illi tali non deficit ſublimitas vitæ: ſi ergo hæc deficiat, videtur non conficere.

3 Item, Auguſtinus dicit, quòd Chriſtus remittit peccata per columbam, vel per columbæ membra: ergo multo magis conficit per Spiritum ſanctum, vel columbæ membra: ſed mali non ſunt columbæ membra: ergo ipſi non conficiunt, vt videtur.

4 Item, Omnis poteſtas eſt ordinata, & ordinate à Deo deſcendit: ergo à Deo deſcendit in Eccleſiam, & per Eccleſiam ad ſingulos: ſed mali non ſunt de vnitate Eccleſiæ: ergo non deſcendit ab ipſo ad eos: ergo mali non conficiunt: cum in naturis ſic eſt, quòd membrum abſciſſum non habeat actum corporis, nec etiam membrum putridum. Cum igitur mali ſint in Eccleſia ſicut membrum putridum, videtur quòd non habeant aliquem actum corporis myſtici: ſed conſecrare corpus Chriſti & ſanguinem Domini, ſublimiſſimus eſt actus: ergo non habent poteſtatem conſecrandi, vt videtur.

5 Item, Sapient. 1. Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum. Ergo multo magis effugiet aperte malum: ſed ſine Spiritus ſancti operatione non conſecratur corpus Domini: ergo mali non conſecrant, vt videtur.

6 Item, Qui non poteſt quod minus eſt, non poteſt etiam quod maius eſt: ſed malus nulli poteſt impetrare primam gratiam, quæ minor eſt quam totus Chriſtus in plenitudine deitatis & humanitatis: ergo multo minus poteſt conficere ſacramentum continens Chriſtum in plenitudine.

SED SI hoc ſecundum hæreticos concedatur, in contrarium ſunt quæ primo adducuntur in litera. *Sed contra.*

2 Item, Ratio eſt contra ſic: Quidam actus ſunt diuini, ita quod etiam fiant per alias cauſas: quidam autem diuini tantum. Verbi gratia, actus naturæ à Deo ſunt & à natura: creare autem, & gratiam dare, & reſuſcitare, non ſunt niſi diuini: ergo illi communicari non poſſunt, licet homo orando aliquid circa eos promouendos valeat per miniſterium operari: ergo in talibus actibus, nec bonus, nec malus, aliquid facit: ergo æqualiter fiunt per bonum & malum miniſtrum: ſed tales ſunt actus ſacramentales, vt habetur in litera illa, vbi ex Auguſt. diffinitur ſacramentum,

dicendo

dicendo quod sacramentum sub quodam tegumento visibilium rerum diuina virtus secretius operatur salutem:ergo huiusmodi omnia æqualiter fiunt per bonos, & per malos ministros.

3 Item, Matth. 23. Quæcunque dixerint vobis,seruate & facite:secundum opera autem eorum nolite facere. Ergo potestatem etiam super bonos habent mali ligandi atque soluendi : sed in eodem ordine datur potestas ligandi & soluendi , & consecrandi Eucharistiam:ergo potestatem habent mali ad vtrumque.

4 Item , Donum Dei pure habens vim à passione Christi , est gratia sacramentalis, & necessarium homini ad salutem : tale autem sub potestate hominis ponere esset periculum , quoniam vix inuenitur bonus : & qui creditur bonus , frequenter est malus : ergo omnes ab illo sacramenta percipiendo essent neglecti & damnati, quod maximum esset inconueniens:quia tunc homo omnino excusatus ignorantia , pro culpa alterius damnaretur,quod est inconueniens:ergo oportet,quòd & bonus & malus & qualiscunque minister inueniatur,det gratiam in sacramento.

Solutio. SOLVTIO. Absque omni dubitatione tenendum est, quòd mali sacerdotes conficiunt, & alia dant sacramenta : & oppositum est error , & defenditur vt hæresis.

VNDE dicendum ad primum , quòd non dedit eis Christus potestatem , vt necessario boni essent in vita:sed Christus volens non tantum dare ministros sacramentorum , sed etiam ostendere quis minister sit idoneus qui meritorie tractet sacramenta, elegit perfectos in vita , & contulit eis scientiam & potestatem : sed non est necessarium alios sic esse:sed verum est quod nisi sint tales,non sunt digni , sed ad perditionem animæ suæ tractant sacramenta.

AD ALIVD dicendum , quòd actum illum qui est transsubstantiatio , non agit sacerdos , sed potius Verbum increatum in verbo creato , sicut supra in quæstione de forma huius sacramenti ostensum est:vnde si iste actus esset sacerdotis,tunc obiectio faceret aliquid ad propositum : sed non operatur ibi sacerdos nisi in ministerio tanquam proferens verba, vt dictum est.

AD ALIVD dicendum , quòd columbæ membra dicuntur dupliciter , sicut etiam membra corporis. Sunt enim membra quibus explentur actus potentiarum animæ quæ sunt in corpore. Spiritus autem sanctus est motor totius mystici corporis , & mouet multipliciter , scilicet quantum ad potestatem in miraculis quibusdam, & quantum ad potestatem in sacramentis,& dispensationibus iurisdictionum , & quantum ad actum meriti. Et ille qui est membrum columbæ quantum ad actum miraculorum quem operatur Spiritus sanctus per ipsum , non est membrum nisi inquantum conformat se motori.Et ideo non sunt membra nisi quæ mouentur secundum gratiam ad opera meritoria. Vnde malus est membrum columbæ quantum ad potestatem dispensationis sacramentorum:sicut etiam idem potest esse membrum per quod expletur actus gratiæ gratis datæ per Spiritum, sicut miracula , vel doctrina, vel propheria.

AD ALIVD dicendum , quòd omnis potestas descendit ordinate : sed duplex est coniunctio corporis ad caput , scilicet in vita , & potestate. Et quantum ad vitam non descendit id quod mouet formaliter, in malos:quia contrarium eius est in subiecto, scilicet peccatum:sed quoad potestatem descendit , quia peccatum non contrariatur potestati,sed potius frequenter aggrauatur.

AD ALIVD dicendum , quòd nec in naturis membra vno modo mouentur ab anima: quia quædam recipiunt sensum, & motum : quædam autem motum , & non sensum, & ossa , & huiusmodi. Et hoc modo sunt mali in corpore mystico in quos descendit robur potestatis ad sustinendum totam Ecclesiam : cum tamen ipsi non recipiant sensum gratiæ.

AD ALIVD dicendum , quòd ibi vis est in eo quod dicit Spiritus sanctus disciplinæ : quia Spiritus inquantum sanctus, inspirat sanctitatem & disciplinã,id est,morum correctionem:& quoad huiusmodi actus effugiet aperte malum , sicut & fictum. Sed sunt alij actus Spiritus inquantum est spiritus, vt roborare in potestate miraculi , & huiusmodi actuum:& illi non habent impedimentum in malis : & ideo Spiritus omnia conuertens in obsequium suum , talibus frequenter confert potestatem ad opera sacramentorum.

AD ALIVD dicendum , quòd illud quod non potest minus , non potest etiam maius : sed non est maius operari in ministerio ad actum sacramentalem , quam impetrare primam gratiam, sed potius multo minus:& ideo illa obiectio non procedit. Actus autem ille qui est transsubstantiatio , non est sacerdotis , sed Dei , vt dictum est.

ARTICVLVS XXX.

An præcisus ab Ecclesia etiam potest conficere?

SEcundo quæritur, Vtrum ab Ecclesia præcisus conficere possit? Videtur autem,quòd non:quia dicit Augustinus , quòd extra Ecclesiam non est locus veri sacrificij:sed præcisus pro hæresi vel simonia vel schismate , vel alias excommunicatus, extra Ecclesiam est:ergo non habet verum sacrificium.

2 Item , Ciprianus martyr , Sacramenta hæreticorum sunt sacrilega, & inania:ergo non conficiunt. Item Hieron. Panem pollutum comedunt hæretici : ergo panem sanctificationis videntur non habere : sed Eucharistia est panis sanctificationis : ergo hæretici non conficiunt , vt videtur.

3 Item , Sicut sacerdoti in ordine confertur potestas consecrandi, ita confertur ei potestas ligandi & soluendi : sed constat , quòd præcisi non possunt ligare & soluere:ergo non possunt conficere.

4 Item , Ex concilio Laodicen. Non oportet hæreticorum benedictionem accipere : quoniam maledictiones sunt magis quam benedictiones: ergo videtur,quòd benedicendo non possunt consecrare Eucharistiam.

5 Item , In concilio Martini Papæ , Non liceat clericis vel laicis ab hæreticis eulogias , id est , benedictiones accipere : quia maledictiones sunt magis quam benedictiones.

6 Item , Leo Papa, In Ecclesia Dei (quæ cor-

pus Christi est) aliter nec rata sunt sacerdotia, nec veta sacrificia, nisi in proprietate suæ naturæ verus nos pontifex reconciliet.

7 Item, Leo Papa, Manifestum est, per crudelissimam & insanissimã vesaniam in Alexandrina sede omnium cælestium sacramentorum lumen extinctum. Intercepta est sacrificij oblatio, defecit chrismatis sanctificatio, & parricidalibus manibus impiorum omnia sese subtraxere mysteria.

Cap. 31. 8 Item, Gregorius in tertio dialogorum de Ermigildo rege, Liuigildi filio, Superueniente paschalis festiuitatis die, intempestæ noctis silentio ad eum perfidus pater Arrianum Episcopum misit, vt ex eius manu sacrilegæ consecrationis communionem perciperet: atque per hoc ad patris gratiam redire mereretur. Sed vir Deo deditus, Arriano Episcopo ad se venienti exprobrauit, vt debuit, eiusque à se perfidiam dignis increpationibus repulit. Aliaque etiam multa ad hoc facienda adducuntur in decreto 1. cau. q. 1. Ex his ergo omnibus videtur accipi, quòd præcipue in isto sacramento præcisi ab Ecclesia non conficiunt.

9 Item, In Psalm. 83. Passer inuenit sibi domum, & tuttur nidum, &c. vbi dicit Glossa, quod hæreticorum pulli conculcantur: quia extra Ecclesiam sunt: ergo videtur, quòd sacrificium hoc non conficiant.

Sed contra. SED CONTRA: Baptizat hæreticus, & baptizatum est: confirmat, & confirmatum est: ergo etiam conficit, & confectum est. Quòd autem inductiones veræ sint, probatur 1. q. 1. per multa decreta.

2 Item, Virtuti verborum cum ordine & intentione conficiendi datur potestas: sed hæc omnia in hæretico & præciso possunt esse: ergo tales possunt conficere.

3 Item, Augustinus contra Ciprianum loquens, dicit quòd vbicunque Ecclesiæ sacramenta sunt, ibi sunt & veneranda, siue intra Ecclesiam, siue extra Ecclesiam. Ergo si habeat ordinem & conficiat in forma Ecclesiæ, vera sunt sacramenta.

4 Item, Iacob recognouit esse suum semen per thorum, id est, per vterum ancillarum: & ancillæ significant hæreticos, vt dicit Augustinus contra Donatistas: semen autem sacramenta: ergo sacramenta etiam fiunt per præcisos.

5 Item, 1. cau. q. 1. Sacramentum in modum lucis ab immundis coinquinari non potest. Et alia multa sunt ibi de hoc. Ergo videtur, quòd Magister hic falsum dicat in litera.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum videtur, quòd Magister non est sustinendus: quia communis sententia & veritas est, vt dicit Augustinus, quòd omnia Dei sacramenta non requirunt in faciente nisi ordinem quo ipse minister est, & intentionem, vt infra patebit. In se autem non exigunt nisi materiam debitam, & formam propriam. Cum igitur hæc Eucharistia habeat etiam extra Ecclesiam, confici potest, licet hoc illi faciant ad suam damnationem. Et ideo etiam non videtur quibusdam Doctoribus consentiendum, qui hoc subtiliando inquirunt, quare hæretici, vel schismatici, vel simoniaci, vel aperti fornicarij, non conficiant? quia simpliciter falsum est quod dicunt, vt infra quarto huius quæstionis articulo ostendetur. Siquis autem Magistrum sustinere voluerit, aliter dicere poterit, scilicet quòd loquitur Magister de hæreticis, & extra Ecclesiam existentibus non tantum quantum ad reputationem Ecclesiæ quæ excommunicauit eos, sed etiam quantum ad modum & ritum celebrandi sacramenta: quia formam Ecclesiæ in celebrando sacramenta non tenent: & tunc verum est quod dicit Magister in litera.

DICENDVM ergo ad omnia decreta quæ pro illa parte inducta sunt, quia non prosunt ad salutem suam, & aliorum, secundum quod duplex est res sacramenti. Vna quæ est res & sacramentum: & illam conferunt sicut in baptismo characterem, & in confirmatione, & ordine. Similiter & in Eucharistia corpus Christi verum sub speciebus visibilibus panis & vini. Alia est res quæ facit salutem formaliter, sicut gratia causatur in sacramentis: & illam conferre non possunt: quia Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum. Et hæc solutio est communis. Alia autem solutio est prius tacta, quòd loquuntur illa decreta Patrum de illis qui extra sunt quantum ad veram formam consecrandi, & quantum ad materiam: & tunc non est mirum si sacramenta non conficiunt, quia ordinem & formam non seruant. Ea autem quæ obiiciuntur in contrarium, ego de plano concedo.

ARTICVLVS XXXI.

An missa boni sacerdotis sit melior quam missa mali sacerdotis?

TErtio quæritur, Vtrum missa boni sacrdotis melior sit, quam mali? Videtur autem, quòd non: quia dicit August. quòd sacramenta nec à bonis meliora, nec à malis peiora fiunt: sed missa bona est ratione sacramenti Eucharistiæ: ergo videtur, quòd non sit boni sacerdotis missa melior, quam mali.

2 Item, Quod in bonitate crescere non potest nec à bonitate deprauari, illud non fit à bono melius, nec à malo peius: sed tale est corpus Christi quod conficitur in missa: ergo.

3 Item, Secundum hoc spes poneretur in homine si ab vno melius fieret, quam ab alio. Dominus autem præcipit, quòd hoc non fiat Ierem. 17. Ergo videtur, quòd missa vnius sit sicut missa alterius.

Sed contra. SED CONTRA: Si duo bona fuerint æqualia, & vni apponatur bonum, alij nihil: meliora sunt duo, quam vnum: sed corpus Christi est quoddam bonum æquale, siue per bonum, siue per malum fiat: & huic in missa boni coniungitur bonitas personalis in orationibus, & deuotione, & huiusmodi: in missa autem mali nihil talium adiungitur: ergo missa boni sacerdotis melior est quam mali sacerdotis.

2 Item, Melius est quod cæteris paribus est fructuosius: sed id fructuosius est quod maioris deuotionis est excitatiuum, quam id quod minoris est, cæteris paribus: missa autem boni maiorem excitat deuotionem, quam mali: ergo est melior.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd missæ ratione substantialis quod in missa est, æquales sunt: sed ratione quod adiunctum est, & est opus hominis, inæqua

inæquales:& sic melior est missa boni, vt probant obiectiones. Neque vitupero libentius audientem bonum hominem quam malum: quia frequenter malus homo irreuerenter tractat corpus Domini, sic quod pallæ non sunt mundæ, nec attentus stat in altari: & hoc abominabile debet esse omni diligenti corpus Domini.

AD EA autem quæ primo obiiciuntur, dicendum quòd hoc verum est ratione substantiæ sacramenti tantum: sed multa sunt adiuncta sacramento. Dixi autem cæteris paribus: quia obedientia posset cogere audire malum potius quam bonum: & tunc melius est audire malum quam bonum, quia obedientia melior est quam victima, & quam bonum personale. Et per hoc patet solutio ad omnia quæsita.

ARTICVLVS XXXII.

Quare specialiter prohibetur à canonibus, quòd missa vel sacramenta non recipiantur ab hæreticis, simoniacis, schismaticis, & notoriis fornicariis?

QVarto quæritur, Quare specialiter prohibetur à canonibus, quòd missa vel sacramenta non recipiantur ab hæreticis, simoniacis, schismaticis, & notoriis fornicariis? Et de hæreticis, & præcisis, & simoniacis, satis habetur 1.q.1.& 24. q. 3. De fornicariis autem multum habetur, vbi de vita & honestate clericorum. Cum igitur iura prohibeant, videntur homines peccare qui à talibus accipiunt Ecclesiastica sacramenta, vel missas audiunt.

2 Item, 2.Corinth.5 Si is qui frater nominatur inter vos, est auarus, aut fornicator, aut idolis seruiens, cum huiusmodi nec cibum sumere. Ergo multo minus ab eo missam audire debemus, vel sacramenta percipere.

3 Item, Tales per hoc quod in dispensatione sacramentorum admittuntur, foueri in peccato videntur: ergo bonum & vtile est, vt populus subtrahendo ostendat eis damnationem, vt citius resipiscant.

Sed contra. SED CONTRA: Multos scimus esse fornicarios per argumenta gradientia super terram, & etiam per lecti indistinctionem & cohabitationem: sed tamen ipsum actum non videmus, quia ipse coitus videri non potest:& dicunt nobis sacri pontifices, quòd tales audire & non aspernari debemus. Et Dominus dicit, Quæcunque dixerint, facite. Ergo sacramenta à talibus debemus recipere,& missas eorum audire.

2 Item, Videmus quòd tales frequenter sunt prælati & decani & plebani & archidiaconi & Episcopi & archiepiscopi & tales non desunt: ergo omnes tales essent fugiendi. Si forte dicas, quòd Lucius Papa tertius distinguit inter fornicatorem notorium, & occultum: tunc quæstio est, Quid de hoc tenendum,& quid sentiendum sit?

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd notorij in talibus vitiis existentes non sunt audiendi, si quidem notorium est per confessionem coram iudice factam, vel testium probationem: vel quod nulla tergiuersatione possit celari quòd sit hæreticus, vel schismaticus, vel simoniacus: cum ille ipso iure excommunicatus sit, nullus debet ab eo sacramenta percipere:& si scienter percipit, mortaliter peccat. Quandiu autem hoc non est factum, & celatur ab Ecclesia, tunc audiri debet. De fornicariis autem eodem modo distinguendum est inter notorium, & occultum. Si autem sit famosum tantum in ore multorum debet sibi purgatio imponi, in qua si deficeret, pro conuicto habetur: & tunc non debet audiri: & hoc est de rigore iuris, vt cæteri terreantur; quia alias non esset malum tales audire. Antequam autem fiat notorium, debet talis audiri: & contumax reputatur, qui non audierit.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd Apostolus loquitur ad terrorem, vt citius corrigantur: & ita etiam iura loquuntur. Et per hoc patet solutio ad omnia quæ sequuntur.

AD EA autem quæ in contrarium obiiciuntur, patet solutio: quia de quolibet, & præcipue de superioribus, præsumendum est bonum, nisi probatum sit contrarium.

AD ALIVD autem quod posset quæri, Cum multa sint mortalia peccata, quare iura magis loquuntur contra ista, quam alia? Dicendum quòd isti peccant directe contra ipsum sacramentum: est enim hoc totum sacramentum fidei, & causatiuum vnionis corporis mystici per charitatem Christi passi, & maximæ gratiæ, ita quod in se continet auctorem omnis gratiæ, in quo sunt omnes thesauri sapientiæ & scientiæ & gratiæ Dei absconditi:& consummatiuum maximæ spiritualitatis. Sed fidem operantem in sacramento violat hæreticus: charitatem autem & vnitatem schimaticus: gratiam autem incomparabilem, vilem & sub pretio ponit simoniacus:& fornicator per carnalem immunditiam contrariatur spiritualitati sacramenti. Et ideo isti præcipue arcentur à celebratione.

Deinde notandum super illud, Nihil à bono maius, &c. Versus enim sunt in determinationem huius quæstionis sic:

Vim sacramenti non mutat vita ministri.
Sicut deterius non fit pro deteriori:
Sic nec fit melius pro presbytero meliori.
Hoc sacramentum nunquam licet esse siniſtrum:
Quamuis per prauum celebretur sæpe ministrum.

ARTICVLVS XXXIII.

An corpus Christi verum sit melius corpore Christi mystico?

DEinde obiicitur de hoc quod dicit *ibi* [Et quid melius corpore & sanguine Christi, &c.] Ex hoc enim accipit, quòd corpus Christi verum, melius est corpore Christi mystico.

2 Item, Causa semper est melior suo effectu: sed causa corporis mystici est corpus verum: ergo melius est illo.

3 Item, Pretium valens hoc & adhuc plus, melius est quam hoc demonstratum: sed corpus Christi verum, pretium est valens ad redemptionem totius corporis mystici, & adhuc plus, quia si infiniti mundi essent, omnes sufficienter redempti essent per sanguinem Christi: ergo ipsum melius est.

4 Item, Creator pure, infinite distat à creatura

tura pura : sed id quod est creatura, vnita Creatori, medium est inter hæc duo : ergo sicut est minus bonum Creatore, ita melius creatura : sed corpus Christi verum est vnitum Creatori, & corpus Christi mysticum non : ergo corpus Christi verum, melius est corpore Christi mystico.

Sed contra. SED CONTRA : 1. Corinth. 10. Omnia in figura contingebant illis. Gloss. in bonis multo melius figuratur per figuram quam sit ipsa figura. Sed corpus Christi verum est figura corporis mystici. Ergo mysticum est melius.

2 Item, Augustinus dicit, quòd totus Christus est membra cum capite : constat autem, quòd membra cum capite sunt aliquid melius, quam caput solum : ergo corpus Christi mysticum est melius, quam corpus Christi verum.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd corpus Christi verum, melius est corpore mystico, proprie loquendo : quia proprie loquendo corpus mysticum non dicit nisi membra adhærentia capiti : & tunc fit comparatio inter membra & caput : & in illa comparatione non intelligitur caput in altero comparatorum.

ET SECVNDVM hoc dicendum ad primum, quòd Gloss. Corinth. loquitur de his quæ sunt figura tantum : quorum scilicet totus vsus est in significando, & non in communicando, sicut fuit agnus paschalis : & non intelligitur de his quæ sunt signa, & causa, & res.

AD ALIVD patet solutio per prædicta : quia licet totus Christus sit caput cum membris : tamen quando comparatio fit inter verum corpus quod est caput, & corpus mysticum quod est membra, non intelligitur caput includi cum membris. Aliter dicunt quidam distinguentes in corpore mystico, scilicet quod potest dicere membra tantum, vel caput cum membris. Si primo modo, dicunt melius esse corpus Christi verum quam mysticum : si secundo modo, tunc dicunt mysticum melius esse quam verum.

ARTICVLVS XXXIV.

An bene dicatur missa, quia cælestis missus est ad consecrandum vel viuificandum ?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Missa enim dicitur eo quod cælestis missus ad consecrandum & viuificandum adueniat, &c.] Cælestis missus Angelus est : ergo Angelus mittitur ad consecrandum & viuificandum : & hoc falsum est : quia supra probatum est, quòd Verbum increatum consecrat & viuificat in verbo creato.

Quæst. 1. ITEM quæratur, Quid viuificatur ibi. Videtur, quòd nihil : quia corpus Christi ante viuebat, & species illæ nunquam viuunt, nec ante, nec post : & non sunt ibi plura in sacramento : ergo videtur, quod nihil ibi viuificetur. Si forte tu dicas, quòd cælestis missus non vocatur hic Angelus, sed potius Christus qui dicitur magni consilij Angelus Isa. 11. secundum translationem 70. Contrarium videtur ex litera statim, vbi sequitur, Iube hæc perferri per manus sancti Angeli tui in sublime altare tuum, &c. Cum enim nihil perferat seipsum, patet quòd ibi non sumitur Angelus pro Christo.

VLTERIVS videtur falsum, quod dicunt, quòd hæc sit ratio quare missa dicatur. Dicit enim Hugo de sancto Victor. Missa quasi transmissa dicitur, eo quod populus per ministerium sacerdotis qui mediatoris vice fungitur inter Deum & homines, preces, vota, & oblationes Deo transmittit. *Quæst. 2.*

2 Item Hugo, Ipsa etiam hostia sacra missa vocari potest : quia à Patre transmissa est nobis prius, vt scilicet nobiscum esset : postea à nobis Patri, vt apud Patrem pro nobis esset.

3 Item Hugo, Missa ab emittendo dicitur, vt quidam dicunt : quia vt sacerdos hostiam consecrare incipit, per manum diaconi & ostiariorum, cathecumenos, & non communicantes foras Ecclesiam emittit.

VLTERIVS adhuc quæritur de hoc quod dicit, Iube hæc perferri in sublime altare tuum? aut enim demonstratur species, aut corpus Christi verum per ly hæc. Si primo modo : tunc nihil dicit : quia species non perferuntur, & non habent locum, vbi aperta rerum est veritas, sicut in patria : vnde inutiliter illuc perferuntur. Si secundo modo inutilis est petitio : quia corpus Christi verum, semper est in potioribus bonis Patris. *Quæst. 3.*

VLTERIVS quæritur adhuc, Quid sit sublime altare ? *Quæst. 4.*

Solutio. SOLVTIO. Dicendum ad primum, quòd cælestis missus secundum Magistrum in litera dicitur Angelus creatus, qui propter reuerentiam tanti sacramenti aduenit & assistit altari. Vel potius dicendum, quòd multitudo Angelorum : & secundum hoc gerundia illa, ad consecrandum & viuificandum, descendunt à verbo impersonali : & sensus est, vt consecretur & viuificetur. Si autem de Christo intelligitur : tunc non habet locum prima obiectio.

Ad qu. 1. AD ALIVD dicendum, quòd viuificatio refertur ad corpus Christi mysticum, vnitum vero vel intellectum in vero : & non refertur ad corpus verum, vel ad species.

Ad qu. 2. AD ALIVD dicendum, quòd multis rationibus missa dicitur : quarum tres Hugo in tribus auctoritatibus tangit, & quartam tangit Magister in litera, & aliæ plures inueniri possunt.

Ad qu. 3. AD ALIVD dicendum, quòd petitio illa tota refertur ad corpus mysticum intellectum in vero : vnde sensus est, Iube hæc, &c. id est, omnes fideles intellectos in hoc perferri, &c. vt scilicet socientur corpori vero in cælo secundum bona patriæ, sicut sociantur secundum gratiam viæ.

Ad qu. 4. AD ALIVD dicendum, quòd sublime altare dicitur hic eminentia Trinitatis, in qua omne sacrificium reponitur, quod ab Ecclesia offertur. Est enim altare superius, inferius, interius, extetius. Superius autem duplex, scilicet eminentia Trinitatis. Exod. 20. Non ascendes per gradus ad altare meum. Gloss. in Trinitate non facies gradus, secundum magis & minus distinctos. Item, Superius est Ecclesia triumphans. Psalm. Tunc imponent super altare tuum vitulos. Inferius iterum duplex est, scilicet Ecclesia militans. Exod. 20. Si altare lapideum feceris mihi, non ædificabis de sectis lapidibus. Item, Inferius est mensa templi. Psalm. 117. Constituite diem solemnem in condensis vsque ad cornu altaris. Est autem interius iterum duplex. Primum est cor mundum. Leuit. 6.

Ignis

Ignis in altari meo ſemper ardebit. Gloſſ. id eſt, charitas in corde. Item, Interius altare, fides incarnationis. Exod.20. Altare de terra facietis mihi, id eſt, fidem habebitis de incarnatione, non ſolum de deitate. Eſt etiam altare exterius & hoc duplex, ſcilicet ara crucis. Leuit.6. Super altare holocauſti ponebatur ſacrificium veſpertinum. Item, Exterius, ſacramenta Eccleſiæ, & præcipue Euchariſtia. Pſalm.83. Altaria tua Domine virtutum, rex meus, & Deus meus.

ARTICVLVS XXXV.

Quomodo intelligendum ſit illud, Maledicam benedictionibus veſtris?

Mal.2. DEinde quæritur de hoc quod dicitur *ibi* in notula [Maledicã benedictionibus veſtris] Cum enim benedictiones ſacerdotum ſint vel eſſe videantur ſacramenta, videtur quòd ſint maledicta: quod eſt contra decretum. 1.quæſtione 1. quia dicit, quod ſacramẽta immũdari nõ poſſunt.

Quæſtiũcula. VLTERIVS quæritur etiam iuxta hoc de duobus ſacerdotibus æqualiter malis, quorum vnus cum conſcientia mortalis peccati celebrat, alter autem territus non celebrat, ſed ſimulat ſe celebrare: quis eorum magis peccat? Et videtur, quòd primus: quia ille contemnit, & quantum in ſe eſt, temerat ſacramentum.

Solutio. SOLVTIO. Dicendũ ad primum, quòd ſi vis vis fiat in litera, nulla eſt obiectio. Hoc enim quod dicitur veſtris, diſcretiue ſumitur: & nulla eſt tunc obiectio: quia ſacramenta non ſunt benedictiones ſacerdotum, ſed Dei: vnde Num.6. dicitur, Inuocabitis nomen meum ſuper filios Iſraël: ego autem benedicam eis.

Ad quæſtiunculam. AD ALIVD dicendum, quòd ſimulans plus peccat quia peccat in Deum, ponẽdo ſimulationes in ſacramento ſuo: & in homines quos decipit, & adorare creaturam facit, id eſt, hoſtiam non conſecratam: & in ſeipſum, quia ordo ſibi datus eſt ad conſecrandum. Alius autem peccat in ſeipſum.

ARTICVLVS XXXVI.

Quare dulcedo ſacramenti non ſentitur à ſumentibus?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Non enim dubitare licet, &c.] Hoc enim quod dicit hic, reuerentiam ſacramenti oſtendit quæ exprimitur Sapient.16. Paratum panem de cælo præſtitiſti illis ſine labore, habentem omne delectamentum, & omnem ſaporis ſuauitatem.

Quæſtiũcula. SED TVNC quæritur, Quare dulcedo non ſentiatur? Si forte dicas, quod palatum non eſt bene diſpoſitum in ipſo guſtante, videtur hoc nihil eſſe: quia optime diſponunt palatum virtutes: & multi accedunt qui habent omnes virtutes: quia qui habet vnam, habet omnes: & tamen nihil ſentiunt.

Solutio. SOLVTIO. Ad hoc dicendum, quòd panis iſte voluntarius eſt, & ſentitur vt vult ipſe, & tenet ſuam dulcedinem nunc ne ſentiatur, vt amplius ſit meritum in fine, & vt amplius ſentiatur in futurum. Præterea, licet quis habeat virtutes, non tamen adhuc purgauit reliquias peccati, quæ impediunt guſtum ſpiritualem.

ARTICVLVS XXXVII.

An ſacerdos extra altare & ſine ſacris veſtibus poteſt celebrare?

DEinde notandum eſt de hoc quod dicit [In huius autem myſterij expletione, ſicut formam ſeruari, ita ordinem haberi, &c.] Videtur autem hoc eſſe falſum: cauſa enim effectus eſt extra rem: ergo ab ipſa non contrahit res ſubſtantiam: ergo & ſine ordine ſiquis dicat illa verba, perficiet corpus Domini.

PRÆTEREA, Supra ſæpius habitum eſt quòd efficiens eſt hic Verbum increatum in verbo creato: ergo quicunque ſiue ordinatus, ſiue non ordinatus, proferat verba illa, ipſe videtur conficere corpus Domini.

SED SI hoc ſecundum hæreticos concedatur, videtur tunc, quòd pro nihilo detur ordo presbyteralis, quod eſt inconueniens. *Sed contra.*

VLTERIVS quæritur hic, Si ſacerdos non in debito loco, id eſt, altari non conſecrato, vel ſuper terram vbi non eſt altare, & ſine ſacris veſtibus poſſit celebrare? Videtur quod non: quia Eccleſia hoc modo inſtituit celebrandum: & Deus approbat factum Eccleſiæ: ergo Deus non permittit vt contra Eccleſiæ ſtatutum conficiatur.

2 Item, Hoc cederet in dedecus tanti ſacramenti: & Deus non permittit hoc, vt videtur: quia tunc permitteret dedecus ſuo Filio accidere. Vlterius notandum, quod omnia quæ dicta ſunt in tractatu de baptiſmo de intentione & his quæ exiguntur ad ſacramentum, habent hic locum.

Solutio. DICENDVM ergo ad primum, quòd ſine ordine non poteſt quis conficere. Omnis enim actus quærit proprium efficiens. Vnde non proprium efficiens in miniſterio eſt ipſe ſacerdos, niſi habeat ordinem: & per hoc patet ſolutio ad primum.

AD ALIVD dicendum, quòd efficiens operans eſt Verbum increatum cum verbo creato: ſed miniſtrans eſt ſacerdos: & hunc oportet appropriari per ordinem ſacerdotalem.

Ad quæſt. AD ID quod vlterius quæritur, dicendum quòd conficeretur ſine veſtibus ſacris, & ſine altari, & à non ieiuno: ſed mortaliſſime peccaret conficiens, & degradandus eſſet, ſi inueniretur. 1

AD ALIVD dicendum, quòd Eccleſia inſtituit hoc tanquam exiſtens de ſolennitate ſacramenti, & non vt de ſubſtantia.

AD ALIVD dicendum, quòd non cedit hoc in dedecus Filij, quia dedecus habere non poteſt: ſed permitteret hoc Deus, ſi permitteret, vt iuſtior appareret condemnatio facientis.

ARTICVLVS XXXVIII.

An mus vel aliud animal brutum poteſt ſumere corpus Chriſti?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Illud etiam ſane dici poteſt, quia à brutis animalibus,

libus, &c.] Videtur hoc esse falsum : quia supra probatum est, quòd corpus Christi tandiu est ibi quandiu ibi illæ species incorruptæ apparent : sed in ore & in ventre muris apparet species panis: ergo videtur quod ibi sit corpus Christi : ergo mus sumit corpus Christi.

2 Item, Magis repugnat peccatum perceptioni Christi, quam natura muris : sed peccator accipit corpus Christi : ergo & mus, vt videtur.

Quæstiuncula 1. VLTERIVS quæritur de pœna eius qui male custodiens corpus Domini, ita quòd ex sua negligentia à muribus vel ab aliis animalibus comeditur.

ITEM de pœna effundentis sanguinem, & de pœna euomentis : & quid faciendum est quando tales casus contingunt?

Solutio. SOLVTIO. De primo habita est supra longa quæstio : dicendum tamen est hic, quòd sumere dicit vnionem vel potentiam ad illam, quæ non est in bruto : sed in peccatore in quo sensus ad rationem est ordinatus secundum quam ipse capax est spiritualis manducationis,quod non est mus. Bene tamen concedo, quòd quandiu sunt ibi species discernibiles, tandiu est ibi corpus Domini : hoc enim quod dicitur in apparatu decretorum de consec. dist. 2. Qui bene non custodierit, &c. scilicet quod statim desinit sacramentum postquam à bruto tangitur, hæreticum est, & ridendum : sed dicendum modo prædicto.

AD ALIVD dicendum, quòd peccatum non repugnat capacitati, sed idoneitati. Quod autem non est aliquis idoneus, non facit vt non sumat, sed potius vt ad salutem non sumat: sed si non est capax, nec spiritualiter nec sacramentaliter manducat : licet sub speciebus manducantis corpus Domini sit verum, quandiu species discernibiles apparent non ad alium humorem transmutatæ.

Ad quæstiunculam 1. AD ALIVD quod vlterius quæritur, dicendum per decretum de consecratione distinctione secunda, Qui bene non custodierit sacrificium,& mus vel aliud aliquod animal illud comederit, quadraginta diebus pœniteat. Qui autem perdiderit illud in Ecclesia : aut pars eius eius ceciderit, & non inuenta fuerit : triginta dies pœniteat.

AD HOC autem quod quæritur, Quid debeat fieri si effunditur : & qualiter effundens debet pœnitere? Dicendum, quòd secundum quoddam decretum de consecratione distinctione secunda cuius sunt hæc verba : Si per negligentiam aliquid de sanguine stillauerit in terram,lingua lambetur : tabula radetur : si non fuerit tabula, vt non conculcetur locus radetur, & igne consumetur : & cinis intra altare condatur : & sacerdos quadraginta dies pœniteat. Si super altare stillauerit calix, sorbeat minister stillam, & tribus diebus pœniteat. Si super linteum altaris, & ad aliud stilla peruenerit, quatuor diebus pœniteat. Si vsque ad tertium, nouem diebus pœniteat : si vsque ad quartum, viginti diebus pœniteat, & linteamina quæ tetigerit stilla tribus vicibus minister abluat calice supposito, & aqua ablutionis sumatur,& iuxta altare recondatur. Ecce responsio ex verbis Pij Papæ. *Ad quæstiunculam 2.*

AD ALIVD quod quæritur de euomente, respondendum est ex verbis Bedæ in suo pœnitentiali : qui sic dicit, Siquis per ebrietatem vel voracitatem Eucharistiam euomuerit, quadraginta dies pœniteat,si laicus est : clerici & monachi seu diaconi & presbyteri septuaginta diebus pœniteant : episcopi nonaginta. Si pro infirmitatis causa euomuerint,septem dies pœniteant. *Ad quæstiunculam 3.*

SI AVTEM quæritur, Quid sit faciendum quando accipit speciem carnis viuæ vel membri? Videtur mihi esse distinguendum,quòd aut transfiguratur quoad visum omnium, aut quoad visum aliquorum tantum. Si quoad visum aliquorum tantum : tunc videtur esse sumendum. Si autem transfiguratur quoad visum omnium : tunc non videtur mihi esse sumendum, sed pro reliquiis habendum : & aliud consecrandum, & illud sumendum est à sacerdote : quia canon dicit,quòd toties sacerdos communicare debet, quoties celebrat. Quod autem ita sit,patet in decreto de consecratione distinct. 2. vbi dicit Hieron. super Leuitic. De hac quidem hostia quæ in Christi commemoratione mirabiliter fit, edere licet : de illa vero quam Christus in ara crucis obtulit, secundum se edere nulli licet, hoc est, quando accipit speciem in qua pependit in cruce, id est, in specie cruentæ carnis,vel membri alicuius. *Quæst. Solutio.*

Quid faciat hæreticum & quid sit hæreticus.

NE autem ignores quid faciat hæreticum, vel quid sit hæreticus : audi breuiter quid inde sancti Doctores tradant. Hilar. ait, Extiterunt plures qui cælestium verborum simplicitatem, non veritatis ipsius absolutionem susceperunt: aliter interpretantes quam dictorum virtus postularet. De intelligentia enim hæresis, non de scriptura est : & sensus, non sermo, fit crimen. Idem in 8. Intelligentiæ sensus in crimine est. Hieron. dicit, quòd ex verbis inordinate prolatis incurritur hæresis. Augustinus diffiniens quid sit hæreticus, ait, Hæreticus est qui pro alicuius temporalis commodi, & maxime gloriæ principatusque sui gratia, falsas ac nouas opiniones gignit vel sequitur.

ARTICVLVS XXXIX.

Hæreticus quis sit, & vnde dicatur?

DEinde videndum est de hoc quod dicit *ibi* [Ne autem ignores quid faciat hæreticum] Hæreticus enim potest venire à verbo Latino hæreo, es: vel à Græco hæresis, quod est electio. Si primo modo: tunc qui hæret sententiæ suæ defendendo eam, ille hæreticus est, si sententia illa est hæretica. Si secundo modo: tunc ille est hæreticus, qui electionem suam sequitur, & non sententiam Scripturarum & defendit illam. Videtur autem contrarietas inter Hilarium & Hieronymum in litera: quia Hilarius dicit, quòd non sermo sed sensus in crimine est. Hieronymus autem, quòd ex verbis inordinate prolatis incurritur hæresis.

SED SOLVTIO est, quòd verba inordinate quandoque proferuntur sub alia significatione quam habent: eo quod proferens putat eam sanam facere intelligentiam. Et in hoc casu loquitur Hilarius: quia tunc quando ostenditur venenum latere in his, ille qui dixit, corrigat dictum suum: & in tali casu sufficit corrigere suum dictum, & retinere sensum. Si autem adhæreat modo significandi verborum, tunc sensus fuit hæreticus: & sic intelligitur dictum Hieronym. & præcipue in materia difficili, sicut de Trinitate & incarnatione. Et hæc de Eucharistia dicta sufficiant. *Solutio.*

DISTINCTIO XIV.

De pœnitentia.

POST hæc de pœnitentia agendum est. Pœnitentia A longe positis à Deo necessaria est, vt appropinquent. Est enim vt ait Hieron. secunda tabula post naufragium: quia siquis vestem innocentiæ in baptismo perceptam peccando corruperit, pœnitentiæ remedio reparare potest. Prima tabula est baptismus, vbi deponitur vetus homo, & induitur nouus. Secunda, pœnitentia, qua post lapsum resurgimus, dum vetustas reuersa repellitur, & nouitas perdita resumitur. Post baptismum prolapsi per pœnitentiam renouari valent, sed non per baptismum. Licet homini sæpius pœnitere, sed non baptizari. Baptismus tantum est sacramentum: sed pœnitentia dicitur & sacramentum, & virtus mentis. Est enim pœnitentia interior, & est pœnitentia exterior. Exterior, sacramentum est: interior, virtus mentis est: & vtraque causa salutis est iustificationis. Vtrum vero omnis exterior pœnitentia sit sacramentum, vel si non omnis, quæ hoc nomine censenda sit, consequenter inuestigabimus. A pœnitentia cœpit Ioannis prædicatio dicentis, Pœnitentiam agite, appropinquabit enim regnum cælorum. Quod autem præco docuit, illud post veritas prædicauit, exordium sumens sermonis à pœnitentia. Pœnitentia dicitur à puniendo, qua quis punit illicita quæ commisit. Pœnitentiæ virtus timore concipitur. Vnde Isa. A timore tuo Domine concepimus & peperimus spirirum salutis. Fst enim pœnitentia, vt ait Ambros. mala præterita plangere, & plangenda iterum non committere. Item Gregor. Pœnitere est anteacta peccata deflere, & flenda non committere. Nam qui sic alia deplorat, vt alia tamen committat, adhuc pœnitentiam agere aut ignorat, aut dissimulat. Quid enim prodest si peccata luxuriæ quis defleat, & adhuc auaritiæ æstibus anhelet? His verbis quidam vehementius inhærentes, contendunt

Comment. ad 3. cap. Isa. & epist. de virginitate seruanda.

Matth. 3.

Isa. 26. Iuxta 70. In serm. quadragesimali.

dunt vere pœnitentem vltra non posse peccare damnabiliter: & si grauiter peccauerit, veram non præcessisse pœnitentiam. Quod etiam aliis muniunt testimoniis. Ait enim Isidor. Irrisor est & non pœnitens, qui adhuc agit quod pœnitet. Nec videtur Deum poscere subditus, sed subsannare superbus. Canis reuersus ad vomitum, & pœnitens ad peccatum. Multi lacrymas indesinenter fundunt, & peccare non desinunt. Quosdam accipere lacrymas ad pœnitentiam cerno, & affectum pœnitentiæ non habere: quia inconstantia mentis nunc recordatione peccati lacrymas fundunt, nunc reuiuiscente vsu, ea quæ fleuerunt iterando committunt. Isa. de peccatoribus dicit, Lauamini, mundi estote. Lauatur & mundus est qui & pręterita plangit, & flenda iterum non committit. Lauatur, & non est mundus qui plangit quę gessit, nec deserit, & post lacrymas ea quę defleuerat repetit. Item Augustinus. Inanis est pœnitentia, quam sequens culpa coinquinat. Nihil prosunt lamenta, si replicantur peccata. Nihil valet veniam à malis poscere, & mala denuo iterare. Item Gregor. Qui commissa plangit, nec tamen deserit, pœnę grauiori se subiicit. Item Ambros. Reperiuntur qui sępius agendam pœnitentiam putant: qui luxuriantur in Christo. Nam si vere in Christo pœnitentiam agerent, iterandam postea non putarent: quia sicut vnum baptisma, ita est vna pœnitentia. His aliisque pluribus vtuntur in assertionem suæ opinionis. Sed Ambrosius dicit, Hęc vera pœnitentia est, cessare à peccato. Et iterum, Magni profectus est renuntiasse errori: imbutos enim vitiis animos exuere atque emendare, virtutis est perfectæ & cęlestis gratiæ: & ideo sane ita diffiniri potest. Pœnitentia est virtus qua commissa mala cum emendationis proposito plangimus & odimus, & plangenda vlterius committere nolumus: quia pœnitentia vera est, in animo dolere & odire vitia. Vnde illa verba pręmissa. Pœnitere est anteacta deflere, & flenda non committere: recte sic accipi possunt, vt non ad diuersa tempora, sed ad idem referantur: vt scilicet tempore quo deflet commissa mala, non committat voluntate vel opere flenda: quod innuitur ex verbis consequentibus. Nam qui sic alia deplorat, &c. Hinc August. ait, Cauendum est nequis existimet nefanda illa crimina (qualia qui agunt, regnum Dei non possidebunt) quotidie perpetranda, & eleemosynis redimenda. In melius est enim vita mutanda, & per eleemosynas de peccatis pręteritis propitiandus est Deus, non ad hoc emendus quodammodo, vt ea semper liceat impune committere. Nemini enim dedit laxamentum peccandi, etsi miserando deleat commissa peccata, si non satisfactio congrua negligatur. Item Pius Papa, Nihil prodest homini ieiunare & orare, & alia religionis opera agere, nisi mens ab iniquitate reuocetur. Qui ergo à malis sic mentem reuocat, vt commissa plangat, & plangenda committere non velit, nec satisfacere negligit, vere pœnitet. Nec ideo non est vera pœnitentia, quia forte post, non de proposito, sed casu vel infirmitate peccabit. Ille autem irrisor est & non pœnitens, qui sic commissa plangit, vt plangenda voluntate vel opere committere non desinat. Ille etiam qui post lacrymas repetit quæ fleuit, lauatur ad tempus: sed mundus non est, id est, illa

Lib. 1. de summo bono. c. 16. & habetur de pœn. dist. 3. c. Irrisor. 2. Pet. 2.

In lib. solilo-quiorũ. & habetur de pœn. dist. 3. c. Inanis.

De pœn. dist. 3. cap. Qui cõmissa.

Super epist. ad Corint. cap. 10. tom. 1.

August. super octonariũ. 22.

In Ench. c. 70. in tom. 3.

De pœn. dist. 3. c. Nihil prodest.

munditia

munditia non est ei sufficiens ad salutem : quia est momentanea, non perseuerans. Item illud, Inanis est pœnitentia quam sequens culpa coinquinat, sic intelligendum est. Inanis est, scilicet carens fructu illius pœnitentiæ quam sequens culpa inquinat. Illius enim fructus est vitatio gehennæ, & adeptio gloriæ. Mortificatur enim illa pœnitentia & alia anteacta bona per sequens peccatum, vt non sortiantur mercedem, quam meruerunt cum fierent, & quam haberent si peccatum non succederet. Sed & si de peccato succedenti pœnitentia agatur, & pœnitentia quæ præcessit, & alia anteacta bona reuiuiscunt : sed illa tantum, quæ ex charitate prodierunt. Illa enim sola viua sunt, quæ ex charitate fiunt. Ideoque si per sequentia peccata mortificantur, per subsequentem pœnitentiam reuiuiscere possunt. Quæ vero sine charitate fiunt, mortua & inania generantur : & ideo per pœnitentiam reuiuiscere non valent. Similiter intelligendum est illud, Nihil prosunt lamenta, &c. Et illud, Nihil valet, &c. Si enim replicentur peccata, nihil valet ad salutem vel ad veniam in fine præcedens lamentum, quia nihil relinquitur de vitæ munditia : quia aut peccata dimissa redeunt, vt quibusdam placet, cum replicantur : vel si non redeunt, eis tamen deletis, propter ingratitudinem ita reus & immundus constituitur, cum adhuc in expiandis implicatur, ac si iam deleta redirent. De hoc tamen, scilicet an peccata redeant, post plenius agemus. Similiter nihil valet ad salutem obtinendam, vel ad munditiam vitæ habendam, veniam de malefactis poscere, & malefacta denuo iterare. Ita etiam intelligendum est illud quod idem Augustinus alibi ait, Pœnitentia est quædam dolentis vindicta, semper puniens in se quod dolet commisisse. Et infra, Quotidie dolendum est de peccato, quod declarat ipsa dilectionis virtus. Pœnitere enim est pœnam tenere : vt semper puniat in se vlciscendo, quod commisit peccando. Ille autem pœnam tenet, qui semper vindicat quod commisisse se dolet. Pœnitentia ergo est vindicta semper puniens in se quod dolet commisisse. Quid restat nobis, nisi dolere in vita ? vbi enim dolor finitur, deficit & pœnitentia. Si vero pœnitentia finitur, quid relinquitur de venia ? Tandiu gaudeat & speret de gratia, quandiu sustentatur à pœnitentia. Dicit enim Dominus, Vade, & amplius noli peccare. Non dixit, Ne pecces : sed ne voluntas peccandi in te oriatur. Quod quomodo seruabitur, nisi dolor in pœnitentia continue custodiatur ? Sed semper doleat, & de dolore gaudeat : & non sit satis quod doleat, sed ex fide doleat, & non semper doluisse doleat.

In lib. de vera & falsa pœnitentia. cap. 8.

Ioan. 5. & 8.

DIVISIO TEXTVS.

POst hæc de pœnitentia, &c.] Totus tractatus huius sacramenti diuiditur in tres partes, in quarum prima agit de pœnitentia secundum se, scilicet prout non contrahitur ad hanc partem quæ est compunctio, vel ad illam quæ est confessio, vel ad eam quæ est satisfactio. In secunda autem agitur de partibus eius, siue de ipsa prout in partibus consideratur : & incipit infra distinct. 16. *ibi* [In perfectione autem pœnitentiæ sunt tria obseruanda] Tertio autem agit de his quæ sunt signa sacramentalia in pœnitentia : & hæc pars incipit circa finem huius tractatus ante finem 22. distinctionis *ibi* [Post prædicta restat inuestigare, quid in actione pœnitentiæ sit sacramentum, &c.] Adhuc autem prima pars subdiuiditur in duas partes, in quarum prima dicit, quid sit pœnitentia re, &

te, & diffinitione : in ſecunda autem elidit quoſdam errores circa pœnitentiam *ibi* [His verbis quidam vehemẽtius, &c.] Adhuc autem in prima parte determinat tria: quorum primum eſt ordo huius ſacramenti ad alia, & neceſſitas ad ſanandum peccatum. Secundum eſt diſtinctio pœnitiæ ſecundum quod ipſa cadit in diuerſa genera, ſcilicet virtutis, gratiæ, paſſionis, ſacramenti : & hæc incipit *ibi* [Baptiſmus tantum ſacramentum eſt: ſed pœnitentia, &c.] In tertia diffinit pœnitentiam per actum ſuum proprium *ibi* [Eſt autem pœnitentia, vt ait Ambroſius, &c.] Tangit autem primo neceſſitatem pœnitentiæ dicens, quòd neceſſaria eſt longe poſitis à Deo, vt appropinquent: & tangit ordinem, cum dicit, quæ eſt ſecunda tabula poſt naufragium.

ARTICVLVS I.

An ſacramentum pœnitentiæ bene ordinetur quantum in ordine ſacramentorum?

SEd circa hoc incidit duplex quæſtio, ſcilicet de ordine huius ſacramenti: & de hoc quod dicit [Secunda tabula poſt naufragium] Supra enim habitum eſt, quòd nullus in baptiſmo adultus nouum hominem induit, niſi pœniteat eum veteris vitæ : ergo cum pœnitentia acceditur ab baptiſmum: ergo tractatus pœnitentiæ ante baptiſmum eſt ponendus.

2 Item, Matth. 3. dicitur, quòd exibant ad Ioannem confitentes peccata ſua, & poſtea baptizabantur : ergo pœnitentia præcedit baptiſmum.

3 Item, Sine pœnitentia veniens ad baptiſmum, fictus reputatur, & eſt: ergo ad hoc quod tollatur obſtaculum, oportet eſſe pœnitentem.

ITEM videtur, quòd immediate poſt baptiſmum debuit agere de pœnitentia: quia eſt ſecunda tabula poſt naufragium, cum baptiſmus ſit prima : ergo ſicut ſecunda tabula immediate eſt poſt primam, ſic pœnitentia debet eſſe immediate poſt baptiſmum.

2 Item, Eſt ſecunda tabula: ergo eſt ſecundum ſacramentum : & hoc videtur ſequi : quia, ſicut ſupra habitum eſt, gratia ſacramentalis ſoluit à peccato quod facit naufragium.

ITEM videtur, quòd tractari debuit ante Euchariſtiam: quia omnibus indicitur pœnitentia ante communionem.

2 Item, Agnus comedebatur cum lactucis agreſtibus, Exod. 12. quod ſignificat communicandum eſſe cum amaritudine pœnitentiæ. Ergo videtur, quòd iſtud ſacramentum præcedat ſacramentum Euchariſtiæ: cum tamen Magiſter è conuerſo ordinauerit.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd Magiſter congruo ordine ordinat ſacramenta : qui ordo ſupra aſſignatus eſt in principio notularum ſuper hunc quartum librum : quantum autem pertinet ad hunc tractatum.

DICENDVM ad primum, quòd Magiſter ordinat ſacramenta ſecundum ordinem morbi, contra quem ordinatur gratia cuiuſcunque ſacramenti: & quia primus morbus eſt morbus originalis, & pœnæ ſequentes illum, propter hoc primo oportuit poni ſacramenta quæ ſunt remedia contra illum cum ſuis ſequelis. Eſt autem gratia baptiſmalis contra morbum illum ſecundum ſe: ſed quia remanet concupiſcentia debilitans in prælio, ideo datur gratia confirmationis: ex concupiſcentiæ autem motu ſequitur defectus virium ex deperditione roboris ſpiritualis, contra quod ordinatur gratia ſacramenti Euchariſtiæ. Quia autem poſt omnia hæc frequenter incidit actuale mortale, igitur quarto hoc loco agit de pœnitentia, quæ ordinatur contra id: poſſet tamen aliquo reſpectu ordinari pœnitentia ante Euchariſtiam, vt alibi oſtenſum eſt. Patet igitur ſolutio ad primum: quia hoc eſt particulare & per accidens, ſcilicet quia adultus habet actuale; tamen originale per ſe eſt quod curatur baptiſmo, & pœnitentia non præexigitur quantum ad naturam peccati, contra quod per ſe eſt baptiſmus ordinatus : ſed potius quia baptizatus, ſi adultus eſt, & peccauit, pœnitet, aliter eſſet fictus: ſed quod non ſit per ſe, patet, quia ſi per ſe eſſet, ſemper pœnitentia præcederet baptiſmum: & hoc non eſt verum, vt patet in paruulis.

AD ALIVD dicendum, quòd baptizati à Ioanne, omnes erant adulti, & in peccatis actualibus exiſtentes : & ideo oportuit eos pœnitentia præparari ad baptiſmum Chriſti : ſed tamen non oportet propter hoc quin per ſe & ſecundum naturam gratiæ quam cauſat baptiſmus, præcedat pœnitentiam, vt dictum eſt.

AD ALIVD dicendum, quòd in morbo ſunt duo, ſcilicet culpa, & pœna : & numerando culpam cum culpa, tunc prima culpa eſt originalis, & ſecunda actualis: & contra primam eſt baptiſmus, & contra ſecundam pœnitentia. Cum autem non ſit ſacramentum tantum ordinatum contra culpam, ſed etiam contra pœnam, non ſequitur, quòd ſit ſecundum ſacramentum : ſicut non ſequitur, actuale eſt ſecunda culpa in genere: ergo eſt ſecundus morbus: quia ſecundus morbus eſt ille qui procedit ex primo, nullo addito : & hic eſt concupiſcentia & pronitas ad malum, quæ eſt ex fomite vel ipſe fomes : naufragium autem per ſe non facit pœna quæ iuſta eſt, ſed potius culpa : & ideo pœnitentia eſt ſecunda tabula, non tamen ſecundum ſacramentum, nec ſecundo loco ordinandum.

AD ALIVD dicendum, quòd gratia ſacramentalis ſaluat à peccato, non tantum ex parte culpæ ex qua per ſe facit naufragium, ſed etiam ex parte pœnæ, vt dictum eſt: & ideo illa ratio non procedit.

AD ALIVD dicendum, quòd ſicut generatum confortatur poſt generationem à natura, & deinceps nutritur : ita etiam eſt in ſacramentis: quia primo datur ſacramentum regenerationis quod dat eſſe gratiæ contra defectum primum: deinde confortatur ex gratia confirmationis, & tertio nutritur ſtatim. Si autẽ aliquis obiiciat, quòd confortatio ſit per nutrimentum : ergo ſecundum hoc Euchariſtia debet præcedere confirmationem: dicendum, quòd hoc non valet : quia duplex eſt confortatio in natura. Vna eſt quæ eſt per remotionem diſpoſitionum contrariarum : & hanc dat ipſum generans cum forma, vel ſtatim poſt formam: quia aliter generatum non reſiſteret alterationibus ſequentibus, ſed ſtatim corrumperetur. Alia autem eſt per reſtaurationem deperditi : &

illa

illa fit per cibum. Dicendum igitur, quòd prima confortatio est cui similis est confortatio, sicut sonat suum nomen: & gratia eius dubilitat concupiscentiam, & confirmat gratiam collatam in baptismo: sequens autem confortatio assimilatur Eucharistiæ: & sic patet, quod stat ordo Magistri.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc per accidens sic est, inquantum est peccatum actuale in comedentibus: sed tamen defectus contra quem generaliter in omnibus ordinatur Eucharistia, est ante actuale: & ideo Eucharistia est ante pœnitentiam.

ARTICVLVS II.

An pœnitentia sit secunda tabula post naufragium?

SEcundo quæritur, Qualiter dicatur secunda tabula? Naufragium enim primo factum est per originale peccatum, & tabula saluans est baptismus: secundum autem naufragium est per actuale siue personale peccatum, & tabula saluans est pœnitentia: quæritur igitur, Vtrum sit tabula inquantum virtus est, vel inquantum est gratia, vel in quantum est sacramentum? in omnibus enim his generibus est, vt infra patebit. Si dicatur, Inquantum virtus. Contra: Secunda virtus communicare debet alicui primæ virtuti: non enim congrue dicitur, quòd Petrus secundus est homo, si prior eo fuit asinus: ergo baptismus esset prima virtus: & hoc est falsum: ergo non inquantum virtus est secunda tabula. Si dicatur, quòd est secunda inquantum gratia: videtur falsum: quia multæ gratiæ præcedunt, scilicet confirmationis, Eucharistiæ, & baptismi. Eodem modo obiicitur si dicatur, Inquantum est sacramentum: prius enim habitum est, quòd non est secundum sacramentum: ergo videtur, quòd nullo modo sit secunda tabula.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd secunda tabula est, inquantum est sacramentum contra morbum, qui est culpa, ordinatum: quia, sicut prius dictum est, pœna non facit naufragium inquantum huiusmodi: quia multæ pœnæ promouent ad meritum: & ille qui meretur, non patitur naufragium: vnde non est secundum sacramentum simpliciter, sed secundum contra culpam ordinatum: & per hoc patet solutio ad totum.

ARTICVLVS III.

An pœnitentia est virtus?

DEinde obiicitur de hoc quod dicit *ibi* [Pœnitentia dicitur sacramentum, & virtus mentis, &c.] Et quæruntur hic duo, scilicet an pœnitentia sit virtus? Et vtrum sit virtus generalis, vel specialis, si virtus est?

Quod autem sit virtus, videtur ratione & auctoritate. Matth. 3. super illud, Pœnitentiam agite: dicit Glossa, Prima virtus est per pœnitentiam perimere veterem hominem.

2 Item, Ambros. Imbutos vitiis animos exuere atque emundare, virtutis est perfectæ & cælestis gratiæ. Constat autem, quòd exuere & emundare à peccatis, est pœnitentiæ. Ergo pœnitentia est virtus. Item hoc dicitur in litera in pluribus locis.

3 Ratione autem probatur idem. Dicit enim Commentator super quintum ethicæ, quòd omnis actus laudabilis, virtutis est actus: sed pœnitere est actus laudabilis, & est actus pœnitentiæ: ergo pœnitentia est virtus.

4 Item in quinto dicitur & in textu & in commento, quòd iustitia legalis ideo est idem quod virtus in genere, quia præcepta legum sunt de actibus virtutum: ergo multo magis præcepta diuina erunt de actibus virtutum: sed pœnitere est in præcepto: ergo est actus virtutis.

5 Item, Virtus & vitium sunt opposita: ergo mutuo se expellunt: dicit enim Philosophus, quòd non expellitur contingens à contingente, sed oppositum à per se sibi opposito: nec fit contingens à contingente, sed ex oppositio in situ. Ergo quod expellit peccatum, est virtus: pœnitentia autem expellit peccatum.

7 Item, Quædam sunt præcepta, quia bona: quædam autem ideo bona, quia præcepta: pœnitere igitur in altero horum generum erit: constat autem, quòd non est ideo bonum, quia præceptum: quia si non esset præceptum, adhuc esset bonum pœnitere: ergo est de per se bonis. Aut igitur est de pertinentibus ad intellectum, aut ad opus. Quod non de pertinentibus ad intellectum speculatiuum, hoc patet per se: ergo pertinet ad opus bonum in moribus: sed omne tale virtus est, vt elicitur ex litera Tullij in fine primæ rhetoricæ: ergo pœnitentia est virtus.

8 Item, Sicut dicit Philosophus, virtus bonum facit habentem, & opus eius bonum reddit: hoc autem facit pœnitentia: ergo est virtus. Si forte dicas, quòd pœnitere non est opus, sed passio. Contra: Aut est passio tantum, aut ponit actum interiorem. Constat autem, quòd non passio tantum: quia dicitur in litera statim infra, quòd pœnitentia est virtus, vel gratia, qua commissa mala cum emendationis proposito plangimus & odimus, & plangenda iterum committere nolumus: emendationis autem propositum est actus, & nolle iterum committere actum ponit, quia in hoc verbo nolo, non vis, manet voluntas actualis affirmata & suppositia: ergo habetur propositum, quòd opus bonum reddit: ergo est virtus.

Sed contra. SED CONTRA hoc obiicitur: & primo ex ipso nomine quod sonat passionem: est enim idem pœnitentia quod pœna tenta: nulla autem passio virtus est, vt ostenditur secundo ethicorum. Ergo pœnitentia non est virtus.

2 Item, Alia quædam laudabilia quæ circa mala sunt, patiendo aliqualiter, dicit Philosophus non esse virtutes, vt patet in fine 4. Ethicorum, vbi dicit, quòd verecundia non est virtus, sed passio: licet laudabilis sit, & medium habeat.

3 Item in 2. videtur dicere, quòd nemesis non est virtus: licet sit laudabilis, & habeat medium: ergo videtur, quòd nec pœnitentia, quæ est dolor delicti perpetrati, proprie loquendo sit virtus.

4 Item, Virtutis actus licet sit circa passiones quandoque, vt circa materiam, nullo tamen mo-

do est cum passione operantis, nisi dicatur illa passio gaudium, quod est signum formæ iam habitæ: sed pœnitentia semper est passio, vel cum passione operantis: ergo pœnitentia non est virtus, vt videtur. Quod autem prima vera sit, scribitur quidem à quodam Philosopho: sed etiam probatur inducendo: quia castus siue temperatus continendo non patitur secundum delectantia in sensu sibi circunstantia, & sic de aliis: ergo propositum habeo. Item, Omnis virtus habitus est: ergo suus erit actus aliquis & non passio: patet igitur quod virtutis non est pati proprie. Item, Virtus est cum lætitia, vel sine tristitia ad minus: sed pœnitentia est dolor, vel cum dolore & tristitia semper: ergo non est virtus.

5 Item, Si est virtus: aut erit theologica, aut cardinalis: constat autem, quod non est theologica: quia omnes illæ habent Deum pro materia circa quam est actus, & finis propter quem: sed pœnitentia non habet Deum pro materia. Videtur etiam, quòd nec cardinalis: quia non est aliqua de quatuor. Si dicas, quòd est virtus reducta ad aliquam illatum: hoc falsum videtur: quia omnis reductio est penes aliquid commune: nulla autem virtus est, quæ cum cum pœnitentia commune aliquid videatur habere: cum virtus sit circa opus ordinatum in bonum, pœnitentia autem est quodammodo detestatio, & non bonum secundum quod bonum: ergo videtur, quòd non sit virtus.

6 Item, Augustinus dicit, quòd virtus est bona qualitas mentis, qua recte viuitur, qua nemo male vtitur, quam Deus operatur in nobis sine nobis: sed hæc omnia pœnitentiæ non conueniunt. Probatio: quia pœnitentia non recte viuitur: ergo pœnitentia non est virtus. Quòd autem pœnitentia non recte viuatur, probatur sic: Omne quo recte viuitur, viuitur aliqua operis rectitudine: sed operis rectitudo non est pœnitentia, quia detestari malum non dicit determinate aliquod opus rectum, sed potius quandam dispositionem quæ præcedit omne opus rectum, quia nullum opus rectum est cum placentia mali: ergo videtur, quòd non sit virtus.

7 Præterea, Communiter fere ab omnibus dicitur, quòd qui habet vnam, habet omnes: ergo si pœnitentia est virtus, qui habet eam, habet omnes: sed paruuli & innocentes habent multas virtutes: ergo habent pœnitentiam, quod falsum est, dicitur enim 2. Paralip. vltim. His qui tibi non peccauerunt, non constituisti pœnitentiam.

8 Item, Christus habuit multas: ergo habuit pœnitentiam: & pœnitentia est dolor commissi criminis: ergo ex hoc sequeretur, quòd crimen commisisset, quod absurdum est.

6 Item, Omnes virtutes erunt aliquo modo in patria: pœnitentia nullo modo erit in patria: ergo non est virtus. Quod autem nullo modo futura est in patria, videtur quia nullo modo erit ibi dolor, & pœnitentia dolor est, vel cum multo dolore. Alia autem multa valde facile est hic ad vtramque partem obiecta adducere: sed hæc sufficiant.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum mihi videtur, quòd virtus sumitur proprie, & communiter: proprie quidem à Philosopho in ethicis, & secundum hoc est habitus ordinans in bonum intellectualis vel moralis: intellectualis quidem quia doctrina & experiendo circa operabilia sumit generationem suæ naturæ vel suiipsius ex parte illa qua materialis est: & voluntas est complens formam secundum quod dicit Philosophus, quòd virtutes voluntates sunt simpliciter vel non sine voluntate, sicut fronesis, & prudentia, & huiusmodi, quæ sicut ipse Philosophus in 6. ethic. dicit, est idem quod recta ratio: & intelligitur de recta ratione eligibilis ad opus virtutis. Moralis autem circa passiones est, vel operationes: circa passiones quidem innatas, vel illatas: circa innatas quidem temperantia, illatas autem fortitudo. Iustitia vero circa operationes, in quibus nulla proprie est passio: propter quod ipsa iustitia dicitur commune bonum: quia & virtutes moderatiuæ delectationum vel tristitiarum sunt circa propria: medium autem sicut idem Philosophus dicit in 5. non habent ipsæ eodem modo: quoniam illa virtus quæ est circa passiones, proprie est medium duarum malitiarum, quarum vtraque est abundantia, & defectus differenter: sicut medium audaciæ quæ audendo abundat, timendo autem deficit: & timiditatis quæ timendo abundat, & audendo deficit: & hoc quidem medium est fortitudo: & ita est reperire in temperantia, & in aliis. Sed iustitia non semper est medium duarum malitiarum, nec duarum, quarum vtraque differt sicut abundantia, & defectus: quod facile ostenditur in iustitia directiua: quia si iniustitia abundat in decem, in quibus me decipit: ego iniuste deficio in decem: & medium erit vt tantum mihi restituatur, quantum ego deficio iniuste, & tu abundas iniuste: & malitia hic non est nisi ex parte decipientis vel fraudantis: ex parte autem eius qui patitur iniuriam, non est malitia, sed pœna tantum. Similiter non nisi vnus habens hic qui plus habet quam deberet; & non nisi vnus deficio. Differt & aliter ratio medij: quia in duabus quæ sunt circa passiones, medium est quoad nos: & in iustitia est medium rei proprie: & ideo accipitur proportionalitate geometrica vel arithmetica, vt Philosophus dicit. Sed de his alias. Sic ergo proprijssime loquendo de virtute, bene concedo, quòd pœnitentia non est virtus. Aliter sumitur virtus qua recte viuitur, & extenso nomine: & hoc præcipue à Theologo qui multa quæ in genere passionum ab Ethico ponuntur, virtutes dicit: vt timorem dicit Gregorius virtutem, sicut & generaliter 7. dona: & gaudium dicit Ambrosius virtutem, sicut & generaliter 12. fructus enumeratos ad Galat. 5. Et spem dicit virtutem theologicam omnis theologus: & similiter charitatem, & alia quæ secundum ipsum nomen passionem sonare videntur: & secundum hoc virtus erit generalius diffinita: scilicet quòd quicunque habitus perficit animam rationalem secundum actum ordinantem in bonum vel à malo, quòd ille virtus dicatur: & sic pœnitentia est virtus, & timor, & gaudium, & huiusmodi, secundum dicta sanctorum. Hac tamen diuersitate virtutis inducti Doctores nostri, diuersas acceperunt opiniones, scilicet dicentibus Magistro Gulielmo Antisiodoren. & suis sequentibus, quòd pœnitentia non sit virtus: aliis autem dicta Sanctorum venerantibus, & dicentibus, quòd sit virtus: mihi autem & quibusdam aliis videtur, quòd sit virtus. Oportet autem respondere ad vtramque partem obiectorum, ne deficiamus opinantibus

bus vtrumque, quia nos quodammodo consentimus vtrisque.

DICIMVS igitur ad primum & secundum, quòd virtus sumitur ibi extenso nomine. Qualiter autem dicitur perfecta virtus, infra erit in quæstione.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc intelligitur de virtute generaliter accepta: secundum quod etiam quarundam passionum tractatus pertinet ad tractatum virtutum, vt verecundiæ, & timoris, & pœnitentiæ, & huiusmodi. Vel fiat vis in actu laudabili: actus enim laudabilis determinatus est in bonum propter bonum finem: & talem actum non habet pœnitentia quæ est respectu mali.

AD ALIVD dicendum, quòd non oportet, quòd omne illud de quo est præceptum legale, sit essentialis actus virtutis. Et est instantia: quia est præceptum legis non ascendere turrim: cum tamen non sit actus essentialis alicuius virtutis: & in theologicis ire ad Ecclesiam, vel tribus vicibus per annum apparere in conspectu Domini. Et ideo distinguunt Magistri, quòd duplex est actus virtutis, scilicet proprius, & communis. Proprius est essentialis, & ille est vnus solus: communis autem est ille qui secundario intenditur propter aliquid quod circa actum virtutis fit. Item distinguunt actus vt egrediuntur à virtute, dupliciter, scilicet elicitiue, & imperatiue: elicitiue, sicut quælibet efficit suum actum: imperatiue autem, sicut vna bene efficit actum alterius, secundum quod vt imperans illi efficitur, & alia vt obediens illi: & sic verum est, quòd omne præceptum est circa actum virtutis primum vel consequentem, elicitum vel imperatum: sed ex hoc actu sic accepto non potest probari, quòd aliquis habitus sit virtutis, si virtus proprie accipiatur.

AD ALIVD dicendum, quòd iterum medium illius rationis non probat pœnitentiam esse virtutem, nisi generaliter sumpta virtute: quia ad rationem meriti sufficit in virtute, quòd sit actus consequens vel imperatus ab aliqua virtute.

AD ALIVD dicendum, quòd peccatum, duplex habet expulsiuum, scilicet per modum contrarij: & sic quodlibet peccatum expellitur virtute sibi contraria: & hoc est expulsiuum formale, & per se. Habet etiam expulsiuum per modum efficientis: & hoc est duplex, scilicet, efficientis per se: & hoc est solus Deus, secundum quod ipse dicit Isa. 43. Ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me. Et est expulsiuum per modum meriti ex parte peccantis: & hoc est detestatio peccati, quæ est actus pœnitentiæ, quia meretur peccatum abolere, cui non placet peccatum, sed detestatur ipsum: & illud expulsiuum quod sic expellit, non propter hoc est virtus: sed esset virtus, si expelleret primo modo, scilicet vt contrarium: & hoc modo procedit obiectio. Quod autem ita sit, patet: quia ex terminis motus ostenditur, quid sit contrarium: sicut ex sano ægrum est, non ex albo: & ex albo nigrum, non ex tricubito: sic ex vitioso virtuosus, & non ex pœnitente, nisi ibi ex notet ordinem esse, vt dictum est.

AD ALIVD dicendum, quòd pœnitere non est perfecte bonum per se: quia pœnitere dicit quoddam quod exigitur ad bonum per se: vnde est sicut adiunctum bono per se: & ideo non sequitur proprie, quòd sit actus virtutis proprie acceptæ. Cum autem dicitur, quòd bonum est per se, vel ex præcepto, accipitur generaliter bonum per se, & non stricte, scilicet prout communiter se habet ad bonum honestum, & vtile, ad illud & coniunctum illi: & cum dicitur, quòd virtus est de per se bonis, accipitur pro honesto stricte accepto: quod diffinit Tullius dicens, quòd honestum est quod sua vi nos trahit, & sua dignitate nos allicit.

AD ALIVD dicendum, quòd cum dicitur, virtus bonum facit habentem, & opus illius bonum reddit, intelligitur de opere quod est per se bonum secundum rationem medij & finis: tale autem non est opus quod est tantum à malo recedens, vt dictum est. Et sic patet qualiter respondendum est pro parte vna: & hæc forte est verior pars opinionum.

PRO ALIA parte, scilicet sustinendo, quòd sit virtus, dicemus ad primum in contrarium obiectum, quòd multa sunt, quæ ipso nomine passionem sonant, vt misericordia, nemesis, & huiusmodi, quæ tamen sunt habitus: & ideo quia nomen proprium ipsius habitus non habemus, nominamus ea nominibus passionum, propter aliquam similitudinem actus passionis & habitus: sicut in spe, gaudio, dilectione, &c. Et sic etiam pœnitentia est nomen passionis quo nominatur habitus ille qui mouet liberum arbitrium ad detestandum peccatum.

AD ALIVD dicendum, quòd non est simile de verecundia, & pœnitentia: quia verecundia non dicit proprie actum, sed passionem culpæ consequentem: & ideo etiam verecundus, vt dicit Philosophus, non fugit turpe, quia turpe, sed quia secum habet conuicium vel exprobrationem: & ideo illa tantum passio est: sed pœnitentia detestatur peccatum: non quia habet conuicium vel exprobrationem: sed peccatum perpetratum, quia turpe est & malum: & hoc est actus quidam simpliciter bonus: & ideo pœnitentia virtus erit, & non verecundia.

AD ALIVD dicendum, quòd actus virtutis non habet actum passionis extra quam est, quia hoc est impossibile: sed iam habitum est, quòd falsum est, quòd omnis virtus est circa passiones vel operationes optimorum operatiua: & etiam dicimus, quòd pœnitentia est circa opus quoddam, id est, detestari peccatum perpetratum: & est cum dolore adiuncto illi actui.

AD ALIVD dicendum, quòd virtus habet delectationem quæ est consequens actum virtutis, in quantum est virtus: sed quòd non habeat aliquem dolorem circa materiam, vel circa contrarium, velut instrumentum, hoc non est verum: & pœnitentia habet dolorem voluntarium, vt instrumentum, tamen habet gaudium consequens actum, vt infra habebitur ex verbis August. Spiritus doleat, & de dolore gaudeat.

AD ALIVD dicendum, quòd vt dictum est, Ethicus non considerat nisi stricte dictas virtutes: si tamen large sumatur cardinalis virtus, tunc reducetur ad aliquam cardinalium virtutum, vt habitus secundarius ad principalem: & secundum hoc reducitur ad partem iustitiæ, secundum quod pœnitentia est satisfactiua pro peccatis, Deo debitum

debitum honorem reddens,vt dicit Anſelmus : & penes hoc patet, quid ſit commune in actu penes quod fit reductio.

Ad alivd dicendum,quòd pœnitentia recte viuitur : quia rectitudo eſt regula in bonum & à malo perpetrato ſecundum quod communiter accipitur : & ideo hic rectitudo eſt à malo. Obiectio autem non accipit rectum, niſi valde ſtricte acceptum, quod eſt in bonum tantum.

Ad alivd dicendum, quòd diuerſi diuerſimode reſpondent,& omnes bene : quia obiectio illa de multis fit. Quidam dicunt ſatis probabiliter, quòd duplex eſt virtus, ſcilicet informans ad bonum, & reformans à malo : informans ad bonum perfecta & vera eſt virtus, vt charitas, & iuſtitia, & huiuſmodi : ſed reformans à malo dicitur virtus imperfecta. Et dicunt, quòd hoc quod dicitur, Qui habet vnam, habet omnes,intelligitur de virtute perfecta informante ad bonum : & adhuc in illa non ſequitur niſi de perfectionibus virtutum, quia fides non manſit ſecundum actum imperfectum in Chriſto, ſed ſecundum actum ſui generis qui eſt viſio. De hoc autem multa ſupra ſunt notata in tertio. Alij dicunt, quibus videtur conſentiendum eſſe, quòd licet qui habet vnam, habeat omnes : tamen non oportet, quòd habeat ſecundum eoſdem actus, ſicut iam dictum eſt de fide quam non habuit Chriſtus ſecundum quod videre per ſpeculum in ænigmate, eſt actus fidei, ſed habuit id quod perfectum eſt in virtute. Ita dicunt etiam de pœnitentia, ſecundum quod eſt virtus,quòd qui habet vnam, habet pœnitentiam, & paruulus, & innocens, & Chriſtus : ſed non actum cui competit imperfectio,qui eſt deteſtatio peccati cum voluntate nunquam admittendi : actus enim qui eſt deteſtari peccatum commiſſum & dolere de commiſſo, imperfectionis eſt : & ideo ſecundum hunc actum non ineſt illis.

Ad hoc autem quod obiicitur de paruulis, intelligendum eſt de pœnitentia, ſecundum quod eſt virtus in genere paſſionis, & ſacramenti: ſic enim verum eſt, quòd nullus pœnitet, niſi qui peccauit.

Ad alivd dicendum, quòd iſte actus, qui eſt deteſtatio peccati & voluntas non admittendi, completiſſimus eſt in patria : & hoc modo poteſt dici in futuro eſſe pœnitentia, quæ omni modo erit ſine paſſione : ſicut dicit Gregor. quòd læti meminimus quandoque vulnerum : non ex quibus triſtemur, ſed ex quibus medico gratias vberiores agamus.

ARTICVLVS IV.

An pœnitentia ſit virtus generalis vel ſpecialis ?

Secundo adhuc ad maiorem intellectum habitorum, quæritur, Vtrum ſit virtus generalis, vel ſpecialis ? Videtur autem, quòd ſit generalis: quia dicit Auguſt. quòd pœnitentia eſt res bona & perfecta, quæ omnes defectus reuocat ad perfectum : ſed defectus ſunt multiplices : ergo non reuocantur per vnam, ſed per omnes virtutes oppoſitas : ergo pœnitentia eſt omnis virtus : & ſic erit idem quod virtus in genere.

2 Item, Aug. in lib. 5. Reſponſionum, Alia eſt virtus quæ reuocat defectum irraſcibilis ad perfectum,& alia quæ defectum rationalis:ſed pœnitentia reuocat omnes:ergo pœnitentia in raſcibili eſt virtus aliqua,& aliqua in rationali:ergo eſt diuerſæ virtutes : & ſic erit idem,quòd virtus in genere.

3 Item, Per actus cognoſcuntur habitus, & actus per oppoſita ſibi obiecta : ergo actus eſt generalis, cuius obiectum eſt generale : & actus eſt ſpecialis, cuius obiectum eſt ſpeciale : ſed huic actui qui eſt pœnitere, reſpondet obiectum generale,quia omne peccatum:ergo eſt generalis actus: ergo & habitus generalis : ergo & pœnitentia eſt generalis virtus, & non ſpecialis.

4 Si forte dicas, quòd non reſpondet peccatum in genere, ſed potius peccatum perpetratum, inquantum eſt perpetratum : hoc videtur falſum: quia peccatum perpetratum, inquantum eſt perpetratum, non poteſt non eſſe perpetratum, cum ſit verbum de præterito:ergo fruſtra erit pœnitentia de illo inquantum huiuſmodi.

5 Item, Peccatum quod fecit aliquis non contrahitur per multiplicationem ad ſpeciem vnam peccati, vel genus : ſed contrahitur per comparationem ad agentem tantum, ſcilicet reſpectu eius quod ille non fecit idem in genere vel ſpecie : ergo per illam determinationem perpetratum non contrahitur peccatum ad ſpeciem vel materiam, ſed ex parte illa remanet adhuc generale : ergo actus ſuus erit generalis : ergo etiam generalis habitus : & ſic ſequitur idem quod prius. Item, quando dicitur, quòd obiecti generalis eſt generalis actus, & obiecti ſpecialis actus eſt ſpecialis, non intelligitur niſi de generalitate & ſpecialitate materiæ.

6 Item, Velle bonum & velle hoc vel illud bonum, differunt ſicut ſpecies & genus : quia voluntas non determinatur niſi per volitum. Et ſicut differunt bonum, & non bonum : ita velle hoc & velle hoc bonum. Ergo ſimiliter etiam ſe habebunt & per eandem rationem deteſtari malum, & deteſtari hoc vel illud : ſed pœnitentia non eſt deteſtatio huius vel illius, ſed generaliter mali perpetrati : ergo eſt virtus generalis, vt videtur.

7 Item, Cum peccatum priuatio quædam eſt, non ſpecificabitur niſi per habitum : ergo priuatio quæ eſt habitus boni in genere, generalis eſt : ergo deteſtatio illius priuationis quæ non eſt contracta ad materiam vel ſpeciem, deteſtatio generalis eſt : hæc autem eſt pœnitentiæ inquantum eſt pœnitentia : ergo pœnitentia eſt virtus generalis.

Sed contra. Sed contra : Pœnitentia deteſtatur malum, non quodlibet, ſed exiſtens in proprio ſubiecto : hoc autem non eſt generale : ergo pœnitentia non eſt generalis virtus, ſed ſpecialis.

2 Item, Deteſtari peccatum quod ineſt, quia vitiatum, vel quia turpe, eſt actus determinatus & bonus & difficilis : ſed circa difficile & bonum eſt virtus : ergo ad hoc ordinans erit virtus aliqua,

3 Item, Omne quod perficit liberum arbitrium per actum determinatum ſecundum bonum & difficile, eſt virtus ſpecialis : ſed pœnitentia eſt huiuſmodi : ergo eſt virtus ſpecialis. Probatio mediæ. Deteſtari peccatum ſpe veniæ, actus eſt reducibilis eſſentialiter ad aliquam aliam virtutem, licet per imperium poſſet eſſe aliter : ergo iſte

go iste talis erit specialis virtus quæ est pœnitentia.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd generalis virtus dicitur dupliciter. Vno modo accipitur à Philosopho: alio modo à Sanctis. In 5. enim ethicorum dicitur, iustitia est legalis virtus generalis, differens à virtute in genere ratione tantum, non subiecto: quia virtus est secundum quod perficit animam: & iustitia vel iniustitia secundum quod consonat legi, vel non, in opere de quo est lex: hoc autem modo non potest dici pœnitentia virtus generalis, id est, idem quod virtus subiecto, & differens ratione: quia pœnitentiæ opus non est generale opus omnium virtutum prout opus eius accipitur proprie, scilicet detestatio peccati perpetrati propter spem veniæ & timorem gehennæ. Si autem communiter sumatur detestatio peccati vel dolor, secundum quod dicit Boëtius, quòd virtus sese diligit aspernaturque contrarium: tunc quælibet virtus aspernatur & detestatur vitium sibi oppositum: & hoc modo detestatio generalis vitij vel peccati, erit actus virtutis in genere. Sed hoc non dicitur proprie pœnitentia: quia pœnitudo omnis est in actu perpetrato non voluntario, id est, cui contrariatur voluntas in eo quod factus est, vt habetur ex principio 2. ethicorum. Sed virtus in genere aspernatur omne vitium siue factum sit siue non. Generalis autem virtus specialiter à Sanctis vocatur iustitia quædam generalis, qua de impio fit iustus: quam dicunt quidam esse statum generaliter rectitudinis ad Deum, ad se, & ad proximum: & hoc iterum modo non est verum, quòd pœnitentia sit virtus generalis. His modis quidam addunt tertium, scilicet quod generalis virtus est colligens alias virtutes integraliter, vel quasi integraliter, secundum quod Chrysostomus dicit, quòd iustitia generalis est: quia est quasi vinea: & aliæ virtutes speciales sunt sicut vites. Hoc autem ego non sic intelligo: sed intelligo Chrysostomum loquentem de iustitia legali, quæ generalis est per dictum modum: tamen non est vt totum integrale ad virtutem: sed dicitur vinea propter ambitum communitatis suæ ad opera aliarum virtutum, secundum quod ad legis præceptum referuntur: & aliæ dicuntur vites, quia sunt particulares quasi in ratione iustitiæ legalis plantatæ. Sed aliquo modo in veritate dicitur virtus generalis secundum materiam, licet formam & rationem habeat specialem: sicut prudentia cuius obiectum est eligibile ad opus morale, non in vna materia, sed in omni ratione: tamen in speciali quadam ratione contrahitur prudentia in virtutem specialem. Hæc autem ratio à quibusdam vocatur ordo operis in circunstantiis & fine, secundum quod omnis virtus dicitur inspectrix medij aliquo modo, sed prudentia simpliciter. Et hoc modo per quandam similitudinem potest dici pœnitentia virtus generalis: quia habet actum qui non determinat sibi materiam hanc vel illam, sed potius recipit malum vel peccatum in omni materia sub ratione specialis, scilicet perpetrati, quod potest consequi veniam. Secundum hunc igitur modum dicemus, quòd pœnitentia est virtus generalis generalitate materiæ circa quam est: habens tamen determinatam rationem existendi circa illam: & ideo est specialis dicta ab aliis virtutibus.

DICENDVM ergo ad primum, sicut supra, quòd reuocans defectus duplex est, scilicet per modum formæ, & per modum quodammodo efficientis & operantis circa subiectum deficiens, vt à defectu remoueatur. Primum est generale. Secundum non oportet, quòd sit generale, sed potest esse speciale.

AD ALIVD dicendum, quòd Augustinus ibi loquitur de reuocantibus singulos defectus formaliter.

AD ALIVD dicendum, quòd illa obiectio non probat, quòd pœnitentia sit generalis nisi communitate materiæ circa quam est, quæ est quasi materia remota. Contrahitur autem illa & efficitur quasi materia propria, per rationem specialem quam pœnitentia ponit circa illam: & hoc est peccatum perpetratum, per dolorem potens habere veniam, vt dictum est.

AD ALIVD dicendum, quòd perpetratum ponit necessitatem perpetrati: & secundum hoc non est de ipso pœnitentia purgans peccatum: sed ex hoc quod perpetratum adhuc inest quodammodo in subiecto, secundum quod dicit Magister in secundo supra, quòd peccatum transit actu, & manet reatu: & non manet indissolubile in subiecto, sed potius solubile per pœnitentiam: & hoc modo pœnitentia est de peccato perpetrato, sed inquantum perpetratio est causa qua aliquo modo est in subiecto non solubile nisi per pœnitentiam.

AD ALIVD dicendum, quòd est generale peccatum quoad materiam: sed tamen restringitur per hoc quod est perpetratum circa subiectum: vnde ex hoc inest peccatum quod perpetratum est, & non inest quod non est perpetratum: & aliam specialitatem non quærit pœnitentia: & cum illam specialitatem recipiat formaliter actus pœnitentiæ, non erit pœnitentia virtus generalis, sed specialis, sicut prudentia, vt prius dictum est.

AD ALIVD dicendum, quòd verum est, quòd voluntas determinatur per volitum: sed pœnitere non est determinare malum inquantum huiusmodi, sed potius secundum quod malum est in subiecto existens: & per hoc quod est perpetratum, potens habere veniam per dolorem: & sic efficitur voluntas specialis: & ideo non est simile quod pro simili adducitur in opposito.

AD ALIVD dicendum, quòd peccatum dicit actum priuatiuum, & malitia dicit ipsam priuationem: & bene concedo, quòd non specificatur nisi per oppositum: sed per oppositum specificatur dupliciter, scilicet per id quod est materia circa quam est, vel per rationem quam ponit circa materiam remotam, quæ quamuis alterius est, tamen per determinationem efficitur sua: sicut prudentia quæ circa materiam castitatis vel fortitudinis, ponit rationem specialem, & efficit eam per hoc sibi propriam: & ita specificatur etiam virtus ex parte subiecti, scilicet quæ inest, & per ipsum consequens perpetratum, inquantum per opus proprium priuatiuum est huius vel illius virtutis. Vel melius dicitur, quòd pœnitentia non est de peccato inquantum est sola priuatio, sed inquantum est actus perpetratus cum priuatione: & sic licet ex parte priuationis non specificetur, nisi per oppositum, tamen ex parte actus specificari potest: & hoc

modo pœnitentia est de ipso sicut virtus specialis.

Ad ea autem quæ obiiciuntur in contrarium videtur esse concedendum.

ARTICVLVS V.

Vtrum pœnitentia sit in vno genere, vel in pluribus?

DEinde quæritur de hoc quod dicit [Pœnitentia interior, & exterior, &c.] Ex hoc enim quod hic dicitur, & parum infra, videtur pœnitentia poni in multiplici genere: dicitur enim hic virtus & sacramentum. Item parum infra dicitur actus, cum dicit Ambrosius, quòd pœnitentia est præterita mala flere vel plangere, & plangenda non committere. Parum autem infra etiam virtus, vel gratia; cum tamen gratia proprie loquendo non sit virtus. Item vlterius in eadem distinctione dicitur dolor siue afflictio & amaritudo animæ. Ergo pœnitentia est in genere virtutis, & gratiæ, & actus qui est plangere, & passionis, scilicet doloris, & sacramenti; cum autem vna & eadem species non sit in diuersis generibus, videtur, quòd istis modis non dicatur vniuoce, sed æquiuoce.

Item videtur, quòd falsum dicat Magister in litera, cum dicit, quòd exterior est sacramentum: quia sicut supra sæpius habitum est, in sacramento quoddam est quod est sacramentum tantum, & quoddam quod est res tantum, & quoddam quod est res & sacramentum: & hoc est interius semper & verissimum sacramentum: ergo in pœnitentia similiter est: ergo non est exterior tantum sacramentum. Item dicitur infra distinctione 22. & Magister dicit in litera, quòd in pœnitentia quiddam est quod est res & sacramentum, & est interius: ergo videtur sibi contrarius ad hoc quod hic dicit.

Quæstiuncula 1. Vlterius quæritur, Cum alia sint sacramenta tantum, vt baptismus, & confirmatio, & Eucharistia, & sic de aliis: quare istud est virtus & sacramentum, & gratia, & dolor, & actus quidam, sicut iam habitum est, quod in diuersis ponitur generibus?

Quæst. 2. Item vlterius quæritur, Vtrum pœnitentia secundum quod est virtus, sit res pœnitentiæ secundum quod est sacramentum? Et videtur quod sic: quia hoc est res sacramenti, quod causatur ab ipso: sed virtus pœnitentiæ causatur ab ipso sacramento pœnitentiæ: ergo est res eius. Probatio minoris. Omnis virtus datur vere accipienti sacramentum pœnitentiæ: ergo & ista: ergo est res eius.

2 Item, Contra morbum secundùm quod culpa est, ordinantur duo sacramenta, scilicet baptismus & pœnitentia: sed plenitudo virtutum est res vnius, scilicet baptismi: ergo & res alterius, vt videtur, quia peccatum quoque non expellitur nisi per virtutem.

Sed contra. Sed contra: Licet omnis virtus detur in baptismo, non tamen congrue dicitur, quòd castitas sit effectus baptismi vel res: quia sicut causæ sunt propriæ, ita habent proprios effectus in quibus differunt ab aliis: sed baptismus & pœnitentia sunt diuersa sacramenta: ergo habent proprios effectus: proprius autem effectus non potest esse virtus, quia iste effectus à multis causatur: ergo non est effectus sacramenti istius, vt videtur.

2 Item, Nisi aliquis detestetur peccatum perpetratum, non recipit sacramentum pœnitentiæ, nec absolutionem vi clauium: cum ergo detestati sit virtutis pœnitentiæ, videtur quod ante pœnitentiam secundum quod sacramentum est, habeat pœnitentiam secundum quod est virtus: sed causa semper præcedit causatum secundum esse & rationem: ergo sacramentum pœnitentiæ non est causa pœnitentiæ virtutis, secundum quod huiusmodi, vt videtur.

Solutio. Solvtio. Dicendum ad hoc, vt videtur, quòd pœnitentia non accipitur in vna significatione, secundum quod cadit in diuersis generibus supra dictis: sed cum in peccato multa sint, & pœnitentia sit contraria peccato, secundum diuersas rationes contrahendi peccata, cadit in diuersis generibus: est enim in peccato culpa, quæ est contraria gratiæ: & est ibi actus qui causat existentiam eius in subiecto, quia licet actus eius transeat, tamen remanet adhuc in subiecto peccatum, vt prius dictum est: & est iterum peccatum vulnus quoddam boni naturalis, & spoliatio gratuitorum: & idem est cum quadam delectatione in opere. Secundum igitur contrarietatem quam habet pœnitentia ad ipsum in eo quod est culpa quædam, sic pœnitentia est gratia, & ponitur in genere gratiæ: in eo autem quod est in subiecto manens ex perpetratione, sic contrarium eius est virtus, & ponitur in genere virtutis: peccatum autem secundum quod est quoddam vulnus animæ, sic habet medicinam quæ est sacramentum, & hoc modo cadit pœnitentia in genere sacramenti: & secundum quod est in opere delectabili, contrariatur actus qui est plangere siue dolere: & secundum quod est libido quædam vel ex libidine, contrariatur passio quæ est tristitia quæ pœnitentia dicitur.

Si autem aliquis dicat, quòd istæ sunt differentiæ penes modos quosdam consideratæ, magis quam penes rem: cum ea quæ sunt in diuersis generibus, differunt secundum rem: & ita ista distinctio non sit competens. Dicendum, quòd hæc distinctio est penes rem: quia in veritate pœnitentia quæ in toto, id est, quantum ad omnem modum & omnia quæ sunt in peccato, est dolor procedens ex habitu liberi arbitrij informati per gratiam, habens actum quendam destructiuum peccati, & manifestatus in signo, & ad intus vi clauium: vnde pœnitentia singulariter dicitur omnia illa, scilicet gratia, & habitus, & actus, & sacramentum, & dolor, & etiam id quod extra iniungitur per claues: & ideo æquiuoce cadit in diuersis generibus, licet in omnibus significationibus habeat analogiam ad vnum, quod est peccato contrariari quod est perpetratum.

Ad aliud dicendum, quòd Magister hic accipit exteriorem, secundum quod interiori attestatur: & sic patet, quòd non valet obiectio. Vel potest dici, quòd Magister hic loquitur de eo quod est sacramentum tantum: sed prima solutio est melior, prout probatur infra distinctione 22. cap. vltimo.

Ad quæstiunculam 1. Ad aliud dicendum, quòd hoc sacramentum ordinatur contra peccatum personale, inquantum

inquantum proprium est & personale: hoc autem consistit in actu voluntario vituperabili, eo quod est turpis: & ideo necessario habet remedium duplex contrarium, scilicet inquantum est actus, & inquantum est vulnus: & primo modo contrariatur ei virtus, secundo modo medicinæ sacramentum: & ideo pœnitentia quæ in toto contrariatur ei, est virtus & sacramentum diuersa consideratione. Alia autem sacramenta non sunt contra peccatum sic consideratum, sed potius sunt contra originale, quod non agitur, sed contrahitur: vel sunt contra pœnas peccati, vt supra probatur in quæstione de diuisione & sufficientia sacramentorum: & ideo quia illa non respiciunt actum voluntarium circa quem est virtus & vitium, ideo nullo modo habent rationem virtutis.

Ad quæstiunculam 2.

AD ALIVD dicendum, quòd res sacramenti pœnitentiæ non est proprie virtus pœnitentiæ, sicut patet per obiectionem contrariam, quæ bona est, & causam reddit, quare non sit res eius: quia duplex est res sacramenti, scilicet propria, & communis, siue coniuncta illi: propria quidem est gratia specialis curans illum morbum specialem contra quem institutum est sacramentum: & habita vna gratia sacramentali, non habetur propter hoc alia quæ proprie est virtus alterius sacramenti. Quia vero gratia nulla datur in parte, sed in toto, iam concomitatur illam gratiam omnis virtus: & ideo recipit omnem virtutem: & hic est effectus consequens: & hoc modo procedunt obiectiones probantes virtutem pœnitentiæ esse effectum sacramenti pœnitentiæ.

EA AVTEM quæ obiiciuntur in contrarium, licet secundum argumentum parum valeat, concedo. Dico autem, parum valet: quia dictum est supra in quæstionibus de baptismo, quod sacramenta dupliciter comparantur ad vnum effectum inducendum, scilicet secundum quod sunt in proposito ad suscipiendum & secundum quod in re suscipiuntur: & sic nihil prohibet, quod veniens ad recipiendum pœnitentiæ sacramentum, habeat effectum pœnitentiæ, sicut veniens ad baptismum, quandoque habet effectum baptismi.

ARTICVLVS VI.

An pœnitentia sit iustitia?

DEinde quæritur de hoc quod dicitur *ibi* [Pœnitentia dicitur à puniendo, &c.] Et quæruntur tria, quorum primum est, Vtrum pœnitentia sit iustitia: sicut videtur innuere Magister in litera. Secundo, An sit charitas? Tertio, Si est virtus specialis, in qua animæ vi sit?

AD PRIMVM autem obiicitur sic: Super illud Psalm. Sacrificate sacrificium iustitiæ: dicit Glossa, Quid iustius, quam vt suis quisque malis potius quam alienis irascatur, seque puniens per pœnitentiam & satisfactionem Deo offerat? Ergo iustitiæ species est pœnitentia, vel ipsa iustitia.

2 Item Isidorus, Tunc iudicium quilibet de se statuit, quando per dignam pœnitentiam sua praua facta condemnat: iudicium autem est iustitiæ executio: ergo videtur, quòd pœnitentia est idem quod iustitia.

3 Item, Infra in litera dicitur, quòd pœnitentia est virtus, vel gratia, qua commissa mala cum emendationis proposito plangimus & odimus. Emendationis autem propositum est iustitiæ directiue, vt videtur velle Philosophus. Ergo pœnitentia est iustitia, vel species eius.

4 Item, Per rationem videtur idem. Distinguit enim Aristot. in 5. ethicorum duas species iustitiæ: quarum vnam vocat distributiuam, alteram vero directiuam: sed directiua est illa quæ tantum satisfacit læso quantum excessit lædendo, vel iniuriam inferendo: hoc autem præcipue facit pœnitentia: ergo pœnitentia est species iustitiæ, vt videtur.

5 Item, A canonibus vocatur iudex sacerdos in causa pœnitentiæ vt iniungat satisfactionem secundum modum delicti: ergo videtur, quòd pœnitentia respiciat ordinatum à iudice & iudicatum: hoc autem ex iustitia profectum est, vt dicit Tullius: ergo iustitia quædam videtur esse pœnitentia.

6 Item hoc videtur ex Glossa 1. Corinth. 11. super illud, Si nosmetipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur. Dicit enim Aug. in hac Glossa, quod ascendat homo tribunal mentis suæ: testis autem sit conscientia, & carnifex timor Dei: constat autem, quòd loquitur de iudicio pœnitentiali: ergo videtur, quòd pœnitentia quædam iustitia sit, cuius executio est tale iudicium.

Sed contra.

SED CONTRA: Iustitia specialis (vt dicit Philosophus) proprie sumpta non est hominis ad seipsum, sed potius iustitia metaphorice dicta: sed pœnitentia est hominis ad seipsum: ergo pœnitentia non est iustitia.

2 Item, Dicit Philosophus, quòd in iustitia est æqualitas quædam media inter damnum & lucrum: sed secundum æqualitatem damni non restituit damnum pœnitens, sed multo minus: ergo pœnitentia non est iustitia, vt videtur.

3 Item Gregor. Pœnitere est radicem peccatorum excidere, & eorum suggestionibus vlterius aditum non indulgere: radices autem peccatorum non attendunt aliquod debitum proprie sumptum: sed omnis iustitia proprie sumpta est circa debitum aliquod: ergo pœnitentia non est iustitia proprie sumpta.

Solutio.

SOLVTIO. Dicendum, quòd quæstio ista leuis est, & parum valet: potest enim pœnitentia considerari in habitu vel in actu. Si in habitu, est habitus distinctus per se mouens liberum arbitrium in peccati detectationem sub spe veniæ: & non est iustitia, nec proprie iustitiæ species, de qua prædicetur iustitia sicut genus de specie: sicut iustitia communis de iustitia distributiua, & de iustitia directiua. Si autem consideretur in actu qui est detestari: tunc potest actus suus imperatus esse à iustitia, secundum quod dicit August. quòd pœnitentia est quædam dolens vindicta, puniens in se quod dolet commisisse. Et secundum quod dicit Anselmus, quòd restituit pœnitens Deo honorem debitum: & huiusmodi verba dicunt Sancti frequenter: non tamen hunc actum elicit proprie iustitia, sed imperat tantum: & tunc rationem debiti assumit. Secundum autem quod in habitu consideratur, est habitus secundarius iuxta principalem sumptus qui est cardinalis iustitia: sicut etiam aliæ virtutes secundariæ sumuntur iuxta cardinales, quæ nec sunt cardinales, nec species cardinalium, vt magnanimitas, largitas,

magnificentia, manſuetudo, & huiuſmodi, de quibus determinatur in 4. Ethicorum. Et per hoc patet reſponſio ad obiecta.

DICENDVM igitur ad primum, quod illa Gloſſa loquitur in illo ſenſu quo imperatiuum pœnitentiæ iuſtitia eſt: tamen eſt alius habitus eliciens actum illum: & hoc modo procedunt obiectiones ad partem illam inductæ: vnde patet ſolutio ad omnes.

AD EA autem quæ obiiciuntur in contrarium, dicendum quòd iuſtitia proprie non eſt hominis ad ſe, niſi ſicut dicit Philoſophus, ſit hominis ad ſe inquantum diuerſa ſunt in vno homine, ſicut ſuperiores vires & inferiores, & quodammodo iuſtum eſt inferiores famulari, & ſuperiores imperare: & hæc iuſtitia non vocatur mathematica à Philoſopho. Nec proprie iuſtitia eſt hominis ad ſuos, vt ſunt ſui: vt patris ad filium familias, vel ſerui ad dominum, vel viri ad vxorem: quia ſeruus & filius familias & vxor non habent ſuum niſi nomine domini & patris & mariti: & id proprie non redditur eis niſi in aliquo æquales ſint, & niſi vnus in poteſtate alterius, ſicut vxor & vir in matrimonio, & huiuſmodi. Large tamen iuſtitia eſt inter iſtas perſonas quam iuſtitiam vocat Philoſophus iuſtitiam directiuam. Sed iuſtitia proprie eſt inter eos qui iure ſuo ſunt pares & & æquales, ita quod ſuum vnius non eſt ſuum alterius: & hoc modo pœnitentia ſecundum quod actus eius imperatur à iuſtitia, eſt quædam paritas iuris inter Deum & hominem: vt Deus quidem ſit damnificatus in ſuo, & homo ſuperabundans & damnificans: pœnitentia aurem eſt æqualitas, tantum reſtituens Deo, quantum damnificatus eſt & homo damnificauit.

AD ALIVD dicendum, quòd eſt æqualitas rei, & æqualitas accepta ab eo qui damnificatus eſt, quæ eſt æqualitas reputationis. Et æquale rei reſtituere non poſſumus: ſed æquale quod eſt reputationis, ſcilicet quia Deus non exigit plus à nobis, quam dat nobis ex dono gratiæ: ſicut ſi deberem tibi centum, & dares mihi nonaginta nouem, & ego reſtituerem tibi vnum, iuſte reſtituiſſem.

AD ID quod quæritur, de Gregorio, dicendum quòd intelligitur de radicibus peccati perpetrati: & hoc poteſt fieri imperio iuſtitiæ, licet non ſemper ita fieri ſit neceſſarium, vt dictum eſt.

ARTCVLVS VII.

An pœnitentia ſit charitas vel alia virtus?

SEcundo quæritur, An ſit chatitas, vel alia virtus, vel aliqua ſpecies eius? Ad hoc enim quidam obiiciunt, licet parum habeat apparentiæ: ſicut dicit Auguſt. ſuper illud Pſalm. 79. Incenſa igni & ſuffoſſa, Gloſſa: Omne peccatum oritur ex amore male ſuadente, & etiam timor: ex amore enim fit, quòd timet ſibi. Ergo in oppoſito ſimiliter erit, quòd omne odium prouenit ex amore boni: ergo odium hoc propter peccatum perpetratum prouenit ex amore boni, & præcipue boni ſummi: & hic eſt charitas: ergo primum in pœnitentia eſt charitas. A principio autem motiuo debet trahi ad ſpeciem ipſe actus: quia illud informat actum, quod primo mouet potentiam: ergo pœnitentia erit charitatis actus, vt videtur: ergo habitualis pœnitentia eſt charitas.

2 Item, Amor boni vniuerſaliter in concupiſcipili eſt: ſed ex illo procedit odium mali: ergo & odium mali eſt in concupiſcibili: & prima perfectio concupiſcibilis eſt charitas: ergo primus amor boni & odium mali ſunt charitatis: & hæc ſunt pœnitentiæ: ergo pœnitentia eſt charitas.

SED CONTRA videtur, quòd ſit patientia per id quod infra diſtinctione 16. habetur ex verbis Chryſoſtomi, Perfecta pœnitentia cogit peccatorem omnia libenter ſuſtinere: ſed ſuſtinere eſt patientiæ: ergo pœnitentia eſt patientia.

VLTERIVS videtur, quòd ſit temperantia: dicit enim Hilarius in lib. 2. de Trinitate cap. 12. Illa eſt perfecta compunctionis affectio, quæ omnes à ſe carnalium deſideriorum affectus repellit.

VLTERIVS videtur, quòd ſit prudentia Luc. 6. ſuper illud, Beati qui nunc fletis, &c. Gloſſa, Ecce prudentia qua attenditur quam miſera hæc terrena, & quam beata cæleſtia. Lugere autem eſt pœnitentiæ: ergo & pœnitentia eſt prudentia.

SOLVTIO. Ad hoc & omnia huiuſmodi dicendum, quòd pœnitentia non eſt charitas: ſed aliud eſt eſſe actum virtutis alicuius naturaliter, ſiue per ſe elicitiue, vt dicunt Magiſtri, eo quod talem actum per modum naturæ cuiuſdam actiue elicit: ſicut calidum elicit ex ſe calefacere. Et aliud etiam per imperium aliquod eſſe aliquem actum alicuius virtutis: & tunc actus ille habet aliquid de ratione virtutis imperantis. Et aliud eſt eſſe actum aliquem alicuius virtutis ſicut promouentis & expedientis per adiutorium aliquod ad actū: quia ſicut dicit beatus Greg. virtutes vocant ſeinuicem ad conuiuia & adiutoria. Omnes autem hic inductæ obiectiones non probant actum pœnitentiæ eſſe huius vel illius virtutis, niſi per modum adiutorij *Solutio.*

SED TAMEN ſciendum, quòd duo prima argumenta nihil omnino valent. Quod enim primo obiicitur ibi, quod omnis timor ex amore eſt: hoc plane verum eſt: ſed ille amor eſt habitualis placentia ſui, qui dicitur eſſe radix vitij, non vitium aliquòd in ſpecie vel genere determinatum. Similiter cum dicitur, quod odium mali procedit ex amore boni, ille amor non eſt charitas vel alia virtus, ſed habitualis placentia & boni naturalis, ſecundum quod generaliter ſumitur propoſitio. Si autem particulariter ſumatur, eo quod quandoque odium peccati ex charitate Dei eſt, quando oditur peccatum inquantum Deo dilecto eſt contrarium: tunc erit actus ille per imperium charitatis. Et forma arguendi non valet: quia procedit ex omnibus particularibus.

AD ALIVD dicendum, quòd hæc eſt falſa, amor boni vniuerſaliter eſt in concupiſcibili: ſiue entm ly vniuerſaliter determinet ly boni: vt ſit ſenſus, amor boni vniuerſaliter ſumpti, eſt in concupiſcili: ſiue diſtributionem ponat circa ly amor, & determinet compoſitionem, falſa eſt propoſitio: particulare enim eſt bonum, quod amat ex concupiſcibi, ſicut ſciunt omnes qui iam alibi dicerunt, quod concupiſcibilis eſt ſenſibilis animæ pars. Similiter bonum eſt aliquid vniuſcuiuſque obiecti quod amat potentia: ſicut & concupiſcibilis amat ſuum bonum. Vnde per omnem

modum

modum falsa est proposito. Si autem dicatur, quòd bonum simpliciter amatur à concupiscibili, & ab aliis bonum sui & secundum quid, adhuc falsa est propositio, si consentimus, quòd concupiscibilis est pars sensibilis animæ: sicut concorditer pronuntiant omnes auctoritates tam Sanctorum, quam Philosophorum. Si autem dicamus propositionem intelligi de concupiscibili humana quam dicunt quidam esse partem animæ rationalis: tunc nihil valet ad propositum: quia, sicut prius ostensum est, ille amor non vniuersaliter est charitas: & si sit quandoque charitas, tunc actus pœnitentiæ erit per imperium tantum charitatis, & non essentialiter. Et forma arguendi ex paribus non valet.

Ad aliud dicendum, quòd sustinere æquiuoce sumitur de patientia & pœnitentia: patientia enim est in periculis, & pressuris illatis per violentiam ab extrinseco: sed in pœnitentia est sustinentia doloris assumpta voluntarie: vnde illa obiectio non valet.

Ad aliud dicendum, quòd illa obiectio non probat, nisi quod temperantia per modum aduenientis promouet pœnitentiam: & eodem modo procedit id quod vltimo inducitur de prudentia: & tales adaptationes Sanctorum, similitudines quasdam, & non proprietates considerant: & valde parum probant de proposito.

ARTICVLVS VIII.

In qua vi animæ est pœnitentia?

Tertio quæritur, In qua vi animæ sit pœnitentia? Videtur autem quod sit in synderesi. Si enim actus aliquis alicui semper conuenit, & alij non semper, magis essentialiter conuenit ei cuius est semper, quam cuius non est semper: sed synderesi semper conuenit detestari peccatum, non autem semper alicui alteri potentiæ animæ: ergo actus iste proprie est synderesis: ergo & habitus à quo elicitur: sed habitus ille est pœnitentia, vt dictum est: ergo pœnitentia est in synderesi.

Item videtur, quod sit rationis: quia super illud Psalm 41. Quare tristis es anima mea, &c. dicit ibi Glossa, Quia ibi consolatur ratio sensualitatem dicens, Adhuc confitebor ei, id est, agam pœnitentiam: sed cuius est agere pœnitentiam, in illo est pœnitentia vt in subiecto: sed rationis est agere pœnitentiam, vt iam probatum est: ergo in ratione est pœnitentia vt in subiecto.

Videtur autem, quòd sit concupiscibilis: quia amor boni & odium mali oppositi sunt circa idem: sed amor boni est concupiscilis, & odium mali oppositi, & odium peccati est pœnitentia: ergo pœnitentia est in concupiscibili.

Videtur autem iterum, quòd sit in irascibili. Super illud enim Matth. 13. Simile est regnum cælorum fermento quod acceptum mulier, &c. dicit Glossa, quòd in rationali possidemus prudentiam, in concupiscibili desiderium virtutum, & in irascibili odium vitiorum: sed odire vitia pœnitere est: ergo pœnitentia est in irascibili.

Item videtur, quòd sit in libero arbitrio. Eiusdem enim est peccare & pœnitentiam agere: sed liberi arbitrij est peccare: ergo & pœnitentiam agere: ergo pœnitentia est in libero arbitrio.

Item videtur, quòd sit in omnibus viribus simul. Est enim virtus in illa vi in qua est materia eius: sed materia pœnitentiæ circa quam, est peccatum: & diuersa peccata sunt in singulis viribus: ergo pœnitentia est in omnibus simul.

Sed iterum hoc videtur impossibile: quia non est possibile vnam & eandem numero formam in diuersis subiectis esse: sed pœnitentia est vna numero forma: ergo non est nisi in vno subiecto: sed omnes potentiæ simul, sunt diuersa subiecta: ergo pœnitentia non est in omnibus simul.

Solvtio. Dicendum, quòd licet quidam dicant potentias animæ esse subiecta & virtutum & vitiorum, tamen hoc non est verum: & quod dicunt, non est dictum subtili ratione. Impossibile enim est, quòd aliquid sit subiectum non habens proprietatem aliquam materiæ: vnde anima est subiectum omnium eorum quæ sunt in anima secundum id quod est, & non secundum id quo est: sed verum est, quòd cum perficiatur anima habitibus & formis quæ sunt in ipsa, quodammodo perficitur quoad hanc potentiam, & quodammodo quoad aliam: & hoc modo forte volunt dicere, quòd virtus sit in ista vel in illa potentia. Dico ergo sine præiudicio aliter dicentium, quòd ille habitus qui est pœnitentia est in irascibili cum ratione participante aliquid rationis, secundum quod ad rationem ordinatur: & hoc videtur ex dicto Augustini quòd pœnitentia est vindicta puniens in se quod dolet commisisse. Item etiam ex hoc quod pœnitentia dicitur esse indignatio sui pro peccato perpetrato. Et iterum hoc prætendit ipsum nomen quod sonat in pœnæ tentionem, qua homo punit seipsum.

Ad primvm ergo quod obiicitur, dicendum quòd synderesis non illo modo remurmurat peccato quo irascibilis: quia synderesis remurmurat peccato vniuersaliter, non perpetrato inquantum est in subiecto: sed irascibilis remurmurat sicut pœnitens remurmurat: quia hoc improprie dictum est: sed detestatur peccatum perpetratum secundum quod perpetratio causa est quod ipsum sit in subiecto & in particulari: & sic patet solutio ad primum.

Ad aliud dicendum, quòd ratio dicitur hic vt ordinatrix aliarum virium: & ideo attribuitur ei quod est virium aliarum ordinatrix.

Ad aliud dicendum, quòd in concupiscibili est amor boni generaliter, sicut etiam in præcedenti quæstione dictum est. Si tamen concedatur: tunc dicatur, quòd odium vitij duplex est, Vnum quod est dissensus vitij in genere, & sequitur amorem virtutis in genere: & hic amor non est concupiscibilis proprie, sed appropriate, cum sit communiter omnium. Aliud etiam odium est speciale cum indignatione & in surrectione contra ipsum, inquantum est in subiecto: & hoc est pœnitentiæ & irascibilis, & hoc non opponitur amori virtutis vel boni in genere, sed in specie quo amat irascibilis sibi proprium obiectum.

Ad id autem quod sequitur, licet concedamus conclusionem: tamen sciendum, quòd Glossa illa loquitur non de propriis potentiarum, sed de appropriatis potius: & de talibus hoc quod intelligere

gere potuimus ſcripſimus in concluſionibus noſtris de anima in tractatu de potentiis motiuis.

AD ALIVD quod ſequitur dicendum, quòd non omne peccatum eſt in libero arbitrio, ſicut in ſubiecto: nec in anima ſecundum liberum arbitrium: ſed omne peccatum eſt in libero arbitrio ſicut in cauſa cauſante & complente peccatum: ratio enim inchoat per determinationem quòd ita fiat, ſed voluntas complet. Deinde nota, quòd quidam hoc concedunt, & vtuntur hac ratione: quia inferiores potentiæ ſunt mouentes motæ: vnde ſi virtutes eſſent in illis, eſſent virtutes motæ à ratione: & cum ipſæ ſint gratuitæ, oporteret, quòd motum gratiæ peruenirent motus naturæ ex parte rationis, vel liberi arbitrij, & hoc eſt inconueniens: ideo dicunt, quòd nulla virtus eſt in inferioribus viribus. Et ſi hoc eſt verum quod dicunt: videtur tunc quod quicquid dicitur in fine primi ethicorum & à Damaſc. & à Gregor. Niceno, & ab Auicenna, totum falſum eſt: & hoc reputo ego abſurdum: & ideo dico, quòd motus quo ratio ordinat & regit inferiores vires, æquiuocus eſt ad motum virtutis gratuitæ informantis opus: & ideo ſi ille præueniret iſtam, non eſſet propter hoc prior niſi eſſet eiuſdem rationis. Præterea, Non eſt inconueniens, quòd ratio informata gratia præueniat concupiſcibilem vel iraſcibilem informatam gratia: quia ſemper erit motus gratiæ primus.

AD VLTIMVM dicendum, quòd non eſt in qualibet potentia pœnitentia, licet materia circa quam eſt, ſit in omnibus vel poſſit eſſe: & hæc eſt ratio, quia non eſt in omnibus, ſecundum quod eſt de ipſa pœnitentia, ſed tantum in iraſcibili: eſt enim iraſcibilis deteſtari peccatum perpetratum ſub ſpe veniæ, & inquantum eſt ſibi indignum peccatum & contemptibile: & hoc modo efficitur peccatum propria materia iraſcibilis: & hoc modo pœnitentia eſt de ipſo.

ARTICVLVS IX.

An pœnitentia ſit prior aliis virtutibus?

DEinde quæritur de hoc quod dicitur *ibi* [Pœnitentiæ virtus timore concipitur, &c.] Et quæruntur hic tria: primo de ordine ipſius ad alias virtutes, tam ex parte intellectus, quam ex parte affectus. Et ſecundo, Qualiter verum eſt quod dicit, quod concipitur timore? Tertio, Quare non dicitur, quòd concipitur amore?

AD PRIMVM autem obiicitur per hoc quod habetur Matth. 3. in Gloſſa: Pœnitentiam agite, &c. vbi dicit Gloſſa: Prima virtus eſt per pœnitentiam perimere veterem hominem: ergo nulla virtus antecedit pœnitentiam.

2 Item, Pœnitentia eſt cauſa iuſtificationis: ſed in iuſtificatione omnes virtutes infunduntur: ergo per conſequens eſt cauſa omnis virtutis: ergo ipſa eſt prima inter omnes virtutes: quia cauſa prior eſt cauſato. Probatur autem prima per Hilarium 1. lib. de Trinit. vbi dicit ſic: Sicut in baptiſmo omnia peccata remitti credimus, vel per martyrium nullum credimus peccatum imputari: ita pœnitentiæ compunctione fructuoſa deleri fatemur peccatum: lacrymæ enim pœnitentium apud Deum pro baptiſmo reputantur. Item, Bernardus dicit, quòd prius extirpanda ſunt vitia, quam inſerantur virtutes: ſed pœnitentia extirpat vitia: ergo ipſa eſt ante inſertionem virtutum: ergo nulla virtus præcedit eam. Item Aug. Nullus niſi pœniteat eum veteris vitæ, nouam inchoare poteſt: ſed abiectio veteris vitæ eſt ante inchoationem nouæ: ergo pœnitentia eſt ante inochoationem nouæ vitæ: inchoatio autem nouæ vitæ eſt per virtutes: ergo pœnitentia eſt ante alias virtutes.

3 Item, Hebr. 6. dicitur, Non rurſum iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis: ſed fundamentum eſt primum: ergo pœnitentia eſt prima.

SED CONTRA: Vita eſt primus actus animæ in corpore, vel primus actus ſubſtantiæ: ſed vita in moralibus proportionaliter reſpondet vitæ in natura; ergo & in moralibus eſt primus actus vita: hic autem eſt actus fidei: ergo fides eſt prima virtus. Probatio quod fidei eſt actus, ad Rom. 1. & Hebr. 10. Iuſtus ex fide viuit. *Sed contra.*

2 Item, Primum purificans cor eſt prima virtus purgatoria: ſed fides eſt primum cor purificans: ergo eſt prima virtus. Probatio mediæ. Act. 17. Fide purificans corda eorum.

3 Item, Beatus Gregor. & Beda dicunt, quòd timor ex fide naſcitur: ergo fides prior eſt timore; ſed quod eſt prius priore eſt, prius poſteriore: ſed timor eſt prior pœnitentia, quia timore concipitur pœnitentia, vt dicitur in litera: ergo fides prior eſt pœnitentia: ergo pœnitentia non eſt prima virtus.

4 Item, In omni opere vel motu prius eſt dirigens quam exequens: prius enim eſt aperire oculos, quam ambulare: ergo prius eſt videre de quo dolendum eſt, quam dolere: hoc autem oſtendit fides: ergo fides eſt ante pœnitentiam.

SOLVTIO. Dicendum, quòd habitus virtutum omnes infunduntur ſimul tempore: tamen natura vnius habet ordinem ad alium ſecundum ordinem ſuorum actuum: quia actus ſunt præuij habitibus. Vnde ſine præiudicio quorundam modernorum aliter dicentium, dico cum antiquis, quòd illa prioritate fides prima eſt, ſed pœnitentia proxima eſt iuſtificationi, & timor Domini eſt eſt media virtus, & ſpes ſimiliter. Hoc autem expreſſe videri poteſt ex ipſo motu pœnitentis, de quo dicit Gregorius, quòd inter ſpem & timorem fide ſtabilimur: neceſſe eſt enim accedentem ad Deum primo credere, quia eſt, & quia remunerator eſt bonorum, & retributor malorum. Ex iſto autem conceptu habituali & actuali præhabito, conſequitur timor pœnarum, & ſpes bonorum, & veniæ, vel bonorum per veniam: & ex iſto dolor de peccatis ſpe veniæ ex conſideratione pœnæ. Et hoc antiqui concorditer ſcribunt & dicunt: licet quidam moderni quadam deliberatione aliud dicere conentur. *Solutio.*

DICENDVM ergo ad primum, quòd prima virtus dicitur ibi proxima, non quæ ſecundum ordinem naturæ eſt prima. Vel dicatur melius, quòd pœnitentia dicitur prima, non ſimpliciter prima virtutum, ſed ex parte ſubiecti iuſtificabilis: quia ex parte illius prius eſt abiicere vitia, quam imbui virtutibus: & cum per pœnitentiam abiiciantur vitia, erit ipſa ex parte materiæ ſui ſubiecti prima. Et hoc eſt primum generatione, & non formaliter; & non eſt primum natura niſi

nisi eo modo quo materia dicitur natura: & hoc est per posterius, vt vult Philosophus.

AD ALIVD dicendum, quòd ex hoc quod est causa iustificationis, non probatur prior nisi modo dicto. Causa enim iustificationis est duplex, scilicet remouens contrarium, & est formalis causa: formalis autem causa iustificationis non est pœnitentia in eo quod huiusmodi, sed potius iustitia: sed est remouens contrarium ex parte materiæ. Per hoc etiam patet solutio ad dicta trium Doctorum, scilicet Hilarij, Bernardi, & Augustini.

AD ALIVD dicendum, quòd fundamentum dicitur bonorum ex parte præparationis subiecti siue loci, vbi ædificandum est, & non sicut primum substans quod est pars essentialis ædificij: quia sic fides est fundamentum. Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICVLVS X.

Qualiter pœnitentia timore concipiatur?

SEcundo quæritur, Qualiter pœnitentia timore concipiatur? Videtur autem quod non concipiatur: quia omnes virtutes simul dantur per infusionem: ergo nulla concipitur per aliam, vt videtur.

Quæstiũcula 1. PRÆTEREA, Qualiter concipitur potius quam generatur?

Quæstiũcula 2. VLTERIVS quæritur, Si timore, concipitur, quo timore concipiatur? Videtur autem, quòd seruili: quia ille prius est, & fugit pœnam: ergo inducit dolorem de merito vel reatu pœnæ: & hic est actus pœnitentiæ: ergo concipitur timore seruili.

Sed contra. CONTRA: Conceptum est intra concipiens: ergo pœnitentia est intra timorem concipientem. sed pœnitentia est cum gratia: ergo timor est gratuitus, quo concipitur pœnitentia: sed seruilis timor non est gratuitus: ergo non concipitur timore seruili, vt videtur, sed initiali.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd conceptum dicit intus captum, imperfectum: & ideo cum duo sint inter quæ mouetur pœnitens, vt dicit Gregor. scilicet spes, & timor: & duo sint in pœnitentia, scilicet dolor, & gratia informans, quam consequitur gaudium de dolore, vt infra habebitur. Ex parte spei magis se tenent gratia & gaudium quæ sunt perfectiua pœnitentiæ inquantum est meritoria: ex parte autem timoris magis se tenet dolor qui est materialis in pœnitentia, & secundum se imperfectus. Et hoc patet ex hoc quod contritio dolorem communem habet cum attritione: cum tamen attritio sit dolor informis de peccatis: & quia conceptum dicit intus captum imperfectum, & ex parte doloris tenet se ad timorem, dicitur magis, quod timore concipitur, quam spe vel alia virtute.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd licet omnes simul tempore infundantur, tamen habent ordinem quendam secundum naturam actuum ipsarum virtutum, & etiam ex parte subiecti cui infunduntur, vt in præcedenti quæstione determinatum est.

AD ALIVD dicendum, quòd generari ædificationem dicit perfecti: & secundum hoc pœnitentia reducitur etiam ad timorem vt ad effectum, vt in se claudit pœnitentiam. *Ad quæstiunculam 1.*

AD ALIVD dicendum, quòd vterque timor potest significari cum dicitur, Pœnitentiæ virtus timore concipitur. Per concipiens autem potest significari efficiens extra, & claudens in se pœnitentiam, non simpliciter, sed imperfectam: & hoc est quod est in dolore attritionis. Et sic non sequitur quod in contrarium obiicitur: quia pœnitentia sic accepta est sicut puerperium informe, & ideo est sine gratia: & ideo generat eam & claudit in se timor seruilis. Si autem intelligatur per concipiens generans intra, & claudens pœnitentiam habentem formam gratiæ, sicut claudũntur puerperia formata: tunc concipiens erit timor initialis: & non valet primum argumentum, quia ostensio pœnæ non est causa pœnitentiæ in eo quod huiusmodi, sed doloris tantum. *Ad quæstiunculam 2.*

ARTICVLVS XI.

Quare pœnitentia non concipiatur amore, vel alia virtute?

TErtio quæritur, Quare non concipiatur amore vel alia virtute? Fide enim videtur concipi, quia fides est in intellectu, vt prius habitum est: ergo videtur ipsa esse concipiens.

2 Item, Amor est mater virtutum: & matris est concipere: ergo videtur, quòd amore concipiatur.

3 Item, Sicut supra habitum est, etiam timoris radix & causa est amor: ergo amor est primum concipiens & timorem & pœnitentiam.

4 Item, Conuertens ad Deum pœnitentia, quæ vere pœnitentia est, amor est, & primum est amor, vt habitum est: ergo est prima causa pœnitentiæ: ergo concipiens.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd omnes illæ quæstiones leues sunt. Dicendum tamen, quòd fides prima est in intellectu, & amor secundum ordinem ad bonum prima virtutum in affectu, & timor prima virtutum in affectu secundum recessum à malo. Et ita secundum diuersas considerationes nihil prohibet diuersas esse primas: sed tamen concipiens imperfectam pœnitentiam, & in se claudens, hoc est efficiens pœnitentiæ immediate coniunctum ei, & hoc non est nisi timor, vt prius ostensum est. Per primam autem distinctionem patet solutio obiectionum: quia super illam distinctionem procedunt omnes.

ARTICVLVS XII.

An definitio pœnitentiæ sit bene assignata ab Ambrosio?

DEinde quæritur de hoc quod dicitur *ibi* [Est autem pœnitentia, vt dicit Ambrosius, præterita mala plangere, &c.] Obiicitur enim contra hanc diffinitionem: quia sicut dicit Philosophus 6. topic. peccant qui ponunt in diffinitione habitus actum, vt genus: sed plangere præterita mala est

est actus: ergo non cadit in diffinitione pœnitentiæ quæ est habitus.

2 Item, Plangere dicit lamentum: non autem omnis pœnitentes potest habere lamentum: ergo non est pœnitentiæ essentiale præterita mala plangere.

3 Si forte dicas, quòd plangere dicit planctum cordis, non oculorum, vel sensus in carne. Videtur, quòd adhuc non sit essentiale pœnitentiæ plangere: plangere enim siue sit interius, siue exterius, dicit actum elicitum de potentia informata gratia. Ad hoc autem vt eliciatur, exigitur tempus, ante quod ipse pœnitens est in gratia quæ infunditur in instanti. Ponamus ergo, quòd gratiam habeat, & non eliciat actum plangendi, & sic moriatur: constat, quòd saluabitur cum habeat gratiam: ergo habuit pœnitentiam valentem ad salutem sine planctu in actu: ergo non est essentiale pœnitentiæ plangere: ergo non sic debet diffiniri, Pœnitentia est præterita mala plangere.

4 Si dicas, quòd plangere est necessarium pœnitenti propter dolorem qui supponitur in nomine pœnitentiæ: dolens enim non potest non plangere. Adhuc falsum esse videtur: quia aut infusio gratiæ præcedit dolorem illum, aut non. Si non: tunc dolor attritionis est, & non pœnitentiæ: ergo illum non sequitur plangere quod essentialiter diffinit pœnitentiam: & sic nihil esset quod dicit Ambrosius. Si præcedit eum gratia: tunc in instanti in quo infunditur gratia, simul infunduntur cum ea omnes virtutes: ergo & pœnitentia: & hanc infusionem sequitur dolor qui non potest esse nisi in tempore: & inter instans infusionis virtutum, & tempus doloris est tempus: ergo aliquod est tempus in quo est pœnitentia virtus, & non dolor, vel planctus: igitur non est essentiale pœnitentiæ dolere & plangere, vt videtur.

5 Si forte dicas, quòd dolor attritionis sit dolor contritionis secundum opinionem eorum qui dicunt, quòd naturalia fiunt gratuita. Videtur adhuc hoc esse falsum: quia Matth. 3. super illud, Facite fructus dignos pœnitentiæ, &c. Gloss. Discretio est in pœnitentia quæ timorem Dei & metum pœnarum ante oculos ponit, recolens antiquæ turpitudinis. Sic dolor cordis in fletus erumpit: quia sine dolore nulla sunt vulnera, si vitalia membrorum non fuerint circummortua. Gratia est quod sentit, sentiens quærit sanitatem. Huc vsque verba Gloss. Ergo gratia dat sentire, sicut dicitur in vltima parte Gloss. ergo gratia dolorem præcedit, sicut causa effectum: & ita habetur propositum.

Item obiicitur de hoc quod dicit, Præterita mala. Præterita enim mala non possunt non esse præterita: sed stultum est plangere quod non potest non esse: ergo omnis pœnitens est stultus.

2 Item, Per pœnitentiam efficitur peccator conformis diuinæ voluntati: ergo vult hoc quod Deus vult: sed vult præteritum factum esse: ergo & peccator vult præteritum factum esse: sed nemo sapiens plangit hoc quod vult fuisse: ergo pœnitens qui sapiens est, non plangit mala præterita, vt videtur.

3 Si forte dicas, quòd licet respectu præteritorum necessariorum non sit voluntas absoluta, tamen est velleitas quæ est idem quod conditionata voluntas, scilicet quòd veller præterita mala non esse, si hoc esset possibile: ergo secundum hoc pœnitens simpliciter vult præterita mala facta esse, & sub conditione vellet non esse: ergo simpliciter non plangit mala præterita: cum tamen Ambros. supra innuat, quòd mala præterita plangit.

Vlterius quæritur de hoc quod dicit, Mala &c. Aut enim plangit mala quæ sunt, aut mala quæ non sunt. Si mala quæ sunt, cum non sunt mala nisi quando insunt, videtur quod insunt: sed opposita non insunt simul: ergo cum mala insunt, virtutes non insunt, nec gratia: ergo cum plangit mala, non habet gratiam nec virtutes: ergo talis planctus non est planctus pœnitentiæ virtutis, & gratia informatus, quod falsum est. Si autem plangat mala quæ non sunt. Contra: Nullus dolet de eo quod non est, secundum quod non est: ergo nec plangit illud: ergo non plangit mala quæ non sunt.

Vlterius obiicitur de hoc quod dicit, Et plangenda iterum non committere. Per illam enim particulam expresse videtur, quòd qui patitur recidiuum, quod nunquam pœnituit: & hoc statim infra in hac eadem distinctione condemnatur pro hæresi.

2 Præterea videtur, quòd hoc appositum non sit essentiale pœnitentiæ. Primo quidem per diffinitionem Ambrosij, quæ infra ponetur, Pœnitentia vera est dolor cordis & amaritudo animæ pro malis quæ quisque commisit. In hac enim totum esse pœnitentiæ explicatur: & tamen nihil tangitur de peccatis futuris.

3 Idem videtur per rationem. Pœnitentia enim respectu præteritorum est, vt accipitur ex principio 3. Ethic. non igitur diffinienda est respectu futurorum.

4 Item, Boëtius dicit esse locum à communiter accidentibus: pœnituit: ergo peccauit. Non autem est à communiter accidentibus: pœnituit: ergo cauebit futurum peccatum: ergo videtur, quòd pœnitentia respiciat præteritum, & non futurum: ergo non est diffinienda pœnitentia per futurum.

5 Item, Pœnitentia differt à cautela: pœnitentia enim non est cautela, nec è conuerso. Cum igitur cautela sit respectu futuri, pœnitentia non erit eiusdem, vt videtur.

6 Item, Pœnitere non est pœnitentia: ergo diffinitio pœnitentiæ non est diffinitio eius quod est pœnitere: sed statim in litera dicitur, quòd pœnitere est anteacta mala deflere, & flenda non committere: quod penitus idem est cum priori diffinitione: ergo videtur, quod peccet Magister in litera.

7 Item videtur, quòd partes huius diffinitionis male ordinentur: quia August. in lib. de ecclesiasticis dogmatibus diffinit eam sic: Pœnitentia vera est, pœnitenda non admittere & admissa deflere. Ergo quod erat respectu futuri, deberet esse prior pars in ordine diffinitionis: & id quod est respectu præteriti, deberet esse posterior.

Quæst. Vlterius hic quæritur, Vtrum conueniat hæc diffinitio pœnitentiæ sacramento, vel pœnitentiæ virtuti? Videtur autem, quòd non sacramento: quia sacramento essentiale est esse signum & causam: nihil autem hic ponitur quod

sit

sit causa & signum secundum quòd huiusmodi: ergo non est data de pœnitentia prout est sacramentum.

2 Item, Pœnitentia sacramentum, vt infra 16. distinctione dicitur, habet partes, contritionem,& confessionem,& satisfactionem: & nihil ponitur quod respondeat confessioni & satisfactioni: ergo de sacramento pœnitentiæ data non est hæc diffinitio. Contra: Omnibus quibus iniungitur pœnitentia à sacerdote, specialiter præcipitur vt plangant præterita, & futura non committant:ergo videtur, quòd illud quod ille dicit, de sacramento pœnitentiæ intelligatur.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd hæc diffinitio data est per effectum, & non est diffinitio proprie loquendo, sed qualiscunque assignatio: est enim actus effectus habitus, eo quod habitus mouet liberum arbitrium naturæ ad talem actum. Et tangit duo quę sunt pœnitentiæ secundum actum exercitæ. Vnum quod est essentiale,& hoc est præterita mala plangere: & alterũ quod coexistit illi, vt id quod est essentiale,sit efficax:& hoc est plangenda non committere: & ideo quidam antiqui dixerunt,quòd hoc est fundamentum ad primum, quia sine illo primum nihil valet.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd dictum Philosophi intelligitur de diffinitionibus datis per essentiam diffiniti:hæc autem est data per proprium effectum. Et si obiicitur, quòd causa prior est effectu, & ideo non est diffinienda causa per effectum. Dicendum, quòd duplex est prioritas, scilicet quoad nos, & simpliciter: simpliciter quidem causa prior est effectu: quoad nos autem prior potest esse effectus,quam causa.Et sic data est diffinitio,quæ assignatio quædam est ex prioribus quoad nos.

AD ALIVD dicendum, quòd plangere dicitur breuiter dolere actu vel habitu: & est essentialis actus pœnitentiæ, & ideo ponitur in eius diffinitione. Et bene concedendum est hoc quod inducitur per obiectionem factam secundum quod dolor semper supponitur in pœnitente, cui semper essentialiter coniungitur dolere.

AD HOC quod obiicitur in contrarium, dicendum quòd natura dolere est ante infusionem gratiæ, licet tempore simul sint dolere ex informatione gratiæ, & gratiæ infusio. Dico autem natura secundum quod natura dicitur materia:& hoc patet ex hoc quod dicunt Doctores, scilicet quod quatuor exiguntur ad iustificationem impij, scilicet motus liberi arbitrij in peccatum, & motus liberi arbitrij in Deum, & remissio culpæ, & gratiæ infusio. Motus autem liberi arbitrij in peccatum est detestatio cum dolore. Et sic patet quod cum hic diffiniatur pœnitentia ex prioribus quoad nos, quòd dolor natura præcedit gratiam, secundum quod natura materia est, vt prius notet prioritatem ex parte subiecti & materiæ.

AD ID autem quod obiicitur contra hoc, dicendum quòd falsum supponitur in obiectione: quia licet inter instans & instans sit tempus secundum Aristot. non tamen inter instans & tempus est tempus:sicut inter punctum & punctum est linea, non tamen inter punctum & lineam: & ita dico, quòd inter instans infusionis gratiæ, & tempus in quo meritorie dolet pœnitens,nihil est medium.

AD ID autem quod obiicitur de Gloss. super Matth. dupliciter potest responderi. Vno quidem modo, quòd loquitur Gloss. de gratia gratis data, quæ est fides informis, quæ ante oculos ponit pœnas & cætera huiusmodi:& tunc nullam vim habet obiectio. Aliter potest dici, quòd loquitur de gratia gratum faciente:& tunc dicendum,quòd infusio gratiæ præcedit dolorem, non tempore, sed natura: aliter tamen sumendo naturam quam prius, scilicet pro forma:vnde infusio gratiæ præcedit dolorem simpliciter, dolor autem infusionem gratiæ quoad nos,& ex parte materiæ.

AD HOC quod vlterius obiicitur de hoc quod dicit, Præterita mala &. Dicendum, quòd planctus non est de peccatis prout sunt in perpetratione, sed potius prout perpetratio peccati aliquo modo antecedit (alias causat) peccata quoad existere in subiecto: sicut dicitur communiter, quod peccatum transit actu,& manet reatu:& hoc etiam in præcedentibus est notatum.

AD ALIVD dicendum, quòd non oportet semper voluntatem nostram conformare diuinæ voluntati in volito: sed, sicut notauimus super finem primi, sufficit quandoque conformare voluntatem nostram voluntati diuinæ secundum causam efficientem: vt scilicet velimus hoc quod Deus vult nos velle:& hoc modo conformat pœnitens.

AD ALIVD dicendum,quòd pœnitens simpliciter vult non fecisse peccatum: licet enim respectu futuri sit contingens,& necessarium ex præterito (Dico autem necessarium per accidens) tamen illud necessarium causatum est à nostra voluntate, & ideo non est necessarium nisi secundum quid: & de huiusmodi potest esse voluntas simpliciter vt sint,vel non sint.

AD ID quod vlterius quæritur de hoc quod dicitur, Mala, &c. Dicendum, quòd plangit mala quæ simpliciter non sunt,sed sunt secundum quid, scilicet in recordatione,& secundum effectum qui est reatus pœnæ:& per hoc patet, quod nec stultus est sic plangens,nec contrarietatem ad gratiam habens.

AD ID quod vlterius quæritur, dicendum quòd hoc quod dicit,Plangenda non committere, refertur ad propositum, id est, quod habeat propositum de cætero non peccandi: & ideo hoc coexistit pœnitentiæ:quia sicut in aliis sacramentis semper aliquid exigit sacramentum quod remoueat fictionem, quam refugit Spiritus sanctus: & hoc ideo est apponendum in diffinitione quæ est ex his quæ sunt priora quoad nos,vt prius dictum est. Et per hoc patet solutio ad sequentia: quia non est essentiale, & tamen quoad effectum pœnitentiæ consequendum, ne sit pœnitens fictus, necesse est vt coexistat pœnitentiæ in pœnitente: & ideo apponitur à sanctis in notificatione pœnitentiæ.

AD ALIVD dicendum, quòd ista diffinitio non est data per essentiam,sed potius per effectum, vt dictum est: infra enim ait idem esse pœnitere, vbi notat essentiam.

AD ALIVD dicendum,quòd Augustinus respicit ordinem partium ex parte pœnitentis: quia in illo prius est remouere obstaculum, & deinde poni pœnitentiam. Ambros. autem ordinat partes secundum quod sunt magis essentiales pœnitentiæ.

Ad quæstiunculam.

AD ALIVD dicendum, quòd illa diffinitio

conuenit pœnitentiæ inquantum est virtus,& inquantum est sacramentum: est enim virtus mouens liberum arbitrium ad opus quod est flere peccatum, & eadem est sacramentum secundum quod causalitatem trahit à signo & à vi clauium:à signo, dico, aliquo exteriori, de quo inferius dist.22. erit sermo. Si autem obiiciatur,quòd diuersorum diuersum est esse, & diffinitio notat essentiam, & virtus & sacramentum sunt diuersa secundum esse. Dicendum, quòd in hac obiectione multa falsa supponuntur. Primum est,quòd nihil probibet idem diuersificatum esse de esse diuersorum, sicut pœnitere in ratione actus, & in ratione actus manifestari in signis. Secundum est, quòd illa diffinitio non dicit esse, vt habitum est. Tertium: quia pœnitentia virtus, & pœnitentia sacramentum non sunt diuersa subiecto,sed ratione solum,& esse quod consequitur rationem illam: quia virtus est, vt est mouens liberum arbitrium ad opus:sed sacramentum pœnitentia, prout coniungitur signis quibusdam significantibus & causantibus gratiam interiorem, quæ ordinatur contra actuale peccatum, Ex hoc patet solutio ad totum.

ARTICVLVS XIII.

An vere pœnitens possit cadere, & de cætero damnabiliter peccare?

DEinde quæritur de illa parte, in qua Magister elidit errores qui sunt circa pœnitentiam:quæ diuiditur in duas partes,secundum duos errores qui fuerunt contra pœnitentiam. Primus est eorum qui dixerunt vere pœnitentem non posse cadere: & hic eliditur in residuo huius distinctionis. Secundus est eorum qui dicunt,quòd aliquis manens in vno peccato, potest facere pœnitentiam de alio: & hic eliditur in sequenti distinctione quæ incipit *ibi* [Et sicut in prædictis auctoritatibus illorum error conuincitur] Prima pars subdiuiditur in tres partes,in quarum prima Magister ponit quasdam auctoritates ex quibus error primus videtur confirmari & probari. In secunda autem respondet illis auctoritatibus inductis *ibi*[Illud autem quod Ambr.ait,Reprehenduntur.] In tertia confirmat solutionem suam per auctoritates *ibi* [Quod vero pœnitentia non tantum semel agatur] Subdiuisio autem harum partium cuilibet per se patet in litera. Incidit autem quæstio primo de ipso errore: quia licet Magister sufficienter inducat auctoritates quibus probari videtur:tamen rationes etiam induci possunt, & sic. Fundamentum pœnitentiæ est de cætero nolle peccare vsque ad mortem:sed si non sit fundamentum, nullum est quod superædificatur ædificium: ergo si non continuet aliquis pœnitentiam vsque ad mortem, non fuit pœnitentia:si continuat, non cadit:ergo videtur, quòd qui vere pœnitet, de cætero cadere non potest.

2 Item, Non dicitur pœnitentia ad pœnam habere,sed potius ad pœnam tenere:tenere autem dicit perseuerantiam in pœna: si ergo non perseuerat, pœnitentia non tenet pœnam:& si non tenet pœnam, non pœnitet: ergo à primo si non perseuerat, non pœnitet: & hoc est id quod dicit in litera.

3 Item, Infinito peccato debetur pœnitentia infinita: ergo si sit finita, non fuit illius peccati iusta pœnitentia:sed vbi cadit,ibi pœnitentia finitur:ergo illius peccati quod mortale fuit, pœnitentiam non habuit: ergo si cadit, non vere pœnituit. Ex hoc videtur per oppositum, quòd nunquam ille pœnitet nisi qui manet & non cadit. Et hic est error qui dicitur in litera.

4 Item, Hebr.6. dicitur,quòd est impossibile eos qui semel sunt illuminati, gustauerunt etiam donũ Dei cæleste,virtutesque seculi vẽturi,& prolapsi sunt,rursum renouari ad pœnitentiam. Ergo non potest fieri pœnitentia iterata: ergo nec secunda: ergo necesse est continuari primam pœnitentiam, vel non erit pœnitentia.

SED IN contrarium multa adducit Magister in litera: & in contrarium etiam est, quòd pœnitentia vt prius habitum est, non respicit futurum vt sibi essentiale: ergo est sine illo, & sic etiamsi in futurum peccauerit, vere pœnituit in præterito. *Sed contra.*

2 Item, Aliud est non peccare, & aliud proponere non peccare:& probatum est supra, quòd pœnitentia respectu futuri non habet nisi propositum:& hoc est præsens. Cum igitur proponens non peccare, possit peccare in futurum, saluo proposito suo in præsenti, constat quòd etiam vere pœnitens, salua veritate pœnitentiæ in præsenti,potest peccare.

SOLVTIO. Dicendum, quòd hoc quod dicitur litera, absque omni ambiguitate hæresis pessima est, & nullo modo tenenda: & Magister Catholicam fidem construit, destruendo hæresim illam. *Solutio.*

AD PRIMVM igitur quod obiectum est, dicendum quòd fundamentum pœnitentiæ non est de cætero non peccare, sed non habere propositum peccandi, vt probat vltima obiectio in contrarium facta:& ideo procedit ex falsis.

AD ALIVD dicendum, quòd non oportet esse illam tentionem pœnæ, nisi tantum in proposito.

AD ALIVD dicendum,quòd pœnitentiam in veritate necesse est esse infinitam:sed duratione non potest esse infinita, quia ad plus in morte finitur:sed debet esse infinita ex parte voluntatis, scilicet quòd pro nulla re vellet peccare vel peccasse: & ideo male procedit obiectio,quæ videtur supponere, quòd infinita esse debeat duratione.

AD ALIVD dicendum, quòd aliud est iterum renouari ad pœnitentiam,& aliud iterum pœnitere. Renouari enim ad pœnitentiam est baptizari in remissionem peccatorum ad pœnitentiam:& hoc est impossibile: sed pœnitere iterum, manente primo charactere baptismali, est possibile. Si autem aliquis obiiciat, quòd baptismus est sacramentum ordinatum contra originale, & non iteratur eo quod perfectum est:& fit iniuria sacramento, si iteretur: ergo & pœnitentia non debet iterari, quæ ordinatur contra actuale, & curat ipsum perfecte. Dicendum, quòd nihil simile tribus de causis:quarum prima est, quod baptismus immediate trahit vim suam à passione Christi, quia Deo patri completur satisfactio primi peccati in passioneChristi tantum:& ideo sicut illa non iteratur, ita nec baptismus:sed pœnitentia supponit aliquid in nostra voluntate, quæ mutabilis & iterabilis

iterabilis est. Secunda est: quia baptismus imprimit characterem semper manentem: & ideo si secundus reciperetur baptismus, essent duo characteres eiusdem speciei, vel vnus nullum haberet effectum: quorum vtrumque est inconueniens: sed pœnitentia non imprimit aliquem characterem. Tertia est: quia licet Rabanus infra 22. dist. videatur dicere, quòd originale redit: tamen sciendum est quod non redit, nec idem in specie, nec idem in numero: & auctoritati Rabani infra suo loco respondebitur: sed morbus contra quem ordinatur pœnitentia, iteratur, & ideo medicinam iterare necesse est.

ARTICVLVS XIV.

An aliquis lauari possit per pœnitentiam vsque ad munditiam?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Lauamini, & mundi estote, &c.] Videtur enim, quòd nullus per pœnitentiam lauari possit vsque ad munditiam à culpa mortali sic. Infinitæ iniuriæ infinita debet esse vindicta: sed Dei iniuria, vt dicit Augustinus est infinita: ergo etiam vindicta debet esse infinita: sed vindictam infinitam sibi homo facere non potest: ergo pœnitendo non potest vindicare peccata mortalia: & non remittitur culpa, nisi fuerit iuste peccatum vindicatum: ergo videtur, quòd pœnitens nunquam emundetur à culpa.

2 Si forte dicas, quòd misericordia Dei superexaltat iudicium, & Dei misericordia tenet iustitiam. Contra: Semetipsum negare non potest: ergo non potest facere aliquid contra suam iustitiam: ergo exigit pœnam infinitam.

3 Item, Peccatum maius peccato irremediabili, est irremediabile sicut etiam illud: sed peccatum Angeli est irremediabile, & peccatum hominis est maius illo: ergo peccatum hominis est irremediabile, sicut Angeli: ergo nunquam lauatur nec mundus est per pœnitentiam. Quod autem peccatum hominis sit maius peccato Angeli, videtur sic: Angelus Deo esse æqualis voluit, & homo similiter: sed homo est per naturam inferior Angelo: ergo minus habens æqualitatis diuinæ: ergo magis superbus apperendo eam: ergo hominis peccatum ex maiori superbia processit, quam Angeli: ergo est maius, & sic habetur propositum.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd per pœnitentiam lauatur peccator, & mundus est, si voluntatem habeat de cætero non peccandi.

AD HOC autem quod obiicitur de infinita iniuria, dicendum quòd iniuria Dei ex parte obiecti est infinita, quia contra infinitum bonum: sed ex parte radicis qua radicatur in peccante, non est infinita: quia neque ex infinita libidine, neque ex infinito contemptu processit, neque actus peccati secundum se infinitus fuit. Quando autem ponderatur peccatum, principaliter attenditur ex parte radicis quæ fundatur in peccante. Vnde Apostolus 1. ad Timoth. 1. Misericordiam consecutus sum, quia ignorans feci. Et Augustinus dicit, quòd remediabile fuit peccatum Iudæorum occidentium Christum, per ignorantiam factum, licet esset contra infinitum bonum quod est vita Christi. Vnde bene potest ex illa parte recipere medicinam finitam, licet ex altera parte sit infinitum: & ibi habet remissiuum infinitum, quod est misericordia Dei.

AD ALIVD dicendum, quòd non propter hoc seipsum negat: quia iustitia est redditio pro meritis secundum formam & forum iudicij statutum ad vtilitatem populi: & aliud forum est hic, & aliud in futuro: & ideo hic iustitia est pauca exigens propter obedientem voluntatem pœnitentis: in futuro autem exigit æterna propter voluntatem obstinatam.

AD ALIVD dicendum, quòd peccatum hominis minus est, si attendatur ex parte peccantis, quam Angeli. Si autem attendatur ex parte obiecti, tunc est æquale illi. Processit enim peccatum Angeli ex adipe respectu peccati hominis: quia Angeli voluntas eleuata est in superbiam ex decore & nobilitate naturalium quam intra se habet: homo autem intra se nihil tale habuit vnde tantum superbiret, sed potius ab extrinsecus deceptus audiuit: & ideo superbia hominis non est maioris tumoris, sed inferioris, & infirmioris status iudicium sumit. Vnde patet, quòd non valuit illa obiectio.

ARTICVLVS XV.

An illis qui iterant peccata, prosint prioria lamenta?

DEinde quæritur de hoc quod dicitur *ibi* [Nihil prosunt lamenta, si replicantur peccata, & cætera] Videtur enim hoc esse falsum. Lamenta enim prosunt ad remissionem præteritorum: & hoc est multum prodesse: igitur aliquid prosunt.

2 Item quæritur, Qua ratione dicuntur lamenta præterita non prodesse? quia impeditur salus ex peccatis futuris: eadem ratione dicitur baptismus non prodesse, si aliquis post baptismum peccet: sed hoc est falsum: ergo & illud.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd intelligitur de his qui voluntate habituali replicant peccata, etsi voluntate actuali plangant: & illi non habent fundamentum pœnitentiæ: & ideo pœnitentia eorum nulla est. Vel dicatur, sicut Magister dicit infra, quòd nihil prosunt, non simpliciter, sed ad salutem consequendam.

AD ALIVD dicendum, quòd non est simile de baptismo: quia licet homo fictus accedat ad baptismum, tamen recipit characterem, & sic aliquid prodest baptismus: sed pœnitentia non prodest ficte accipienti. Secundum aliam responsionem quam Magister infra tenet in litera, dicendum quòd non est simile de baptismo: quia baptismus est fundamentum sacramentorum, & adhuc cum homo peccat, prodest ad fundamentum habendum: sed non sic est de pœnitentia: & ideo illa non prodesse dicitur, quia nihil de ea relinquitur per sequens peccatum.

***

ARTICVLVS XVI.

An ille qui commissa plangit tamen non deserens, pœnæ grauiori se subiiciat?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Qui commissa plangit, nec tamen deserit, pœnæ grauiori se subiicit, &c.] Videtur enim hoc esse falsum: quia per pœnam primi planctus aliquid deleuit de pœna debita pro peccato: ergo subiicit se per planctum minori pœnæ: & sic falsum est quod dicit.

2 Item, Dolor de peccato, non est circunstantia aggrauans peccatum: ergo non facit peccatum grauiori pœna dignum.

3 Item, Oppòsita doloris & planctus aggrauant peccatum, scilicet impœnitentia & affectus peccandi: ergo dolor & planctus peccata diminuit & sic iterum falsum videtur quod dicitur in litera. Probatio primæ. Iob 15. Cucurrit aduersus Deum extento collo, & pingui ceruice armatus est.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd loquitur de hypocritis qui plangunt quantum ad exteriorem hominem vt videantur: ideo grauius peccant, vt dicit Augustinus, quòd simulata æquitas non est æquitas, sed duplex iniquitas. Sed melius videtur dicendum, quòd loquitur de quibusdam quibus peccatum displicet simpliciter veniente ratione, & tamen dulcedine peccati victi ex parte sensualitatis voluntatem habent adhuc in peccato: vnde in illis aggrauatur pœna per accidens eo quod non vitant peccatum, & tamen aduertunt ipsum: & quia postea non retrahuntur, non excusantur à surreptione vel ignorantia, sed potius aduertendo peccatum: & cum non deserunt, grauius contemnunt: & de talibus loquitur Gregor. vt videtur sonare verbum.

AD OBIECTA in contrarium, dicendum quod illa procedunt de eo qui etiam voluntate & actu retrahitur à peccatis: & de tali non loquitur Greg.

AD ALIVD dicendum, quòd licet dolor non sit circunstantia aggrauans, tamen supponit in peccante circunstantiam aggrauantem, inquantum dolor non est vera desitio, eo quod sit malum cum actuali cogitatione pœnæ quæ debetur peccato.

AD ALIVD dicendum, quòd oppositum doloris aggrauat: & ex hoc bene sequitur, quòd dolor secundum se non aggrauat, sed diminuit: sed inquantum motus virtutis motiuæ animæ non causatur nisi ex aliquo contemptu comprehenso in anima ex parte potentiæ apprehensiuæ, supponit dolor contemptum actualem peccati & pœnæ quæ debetur eidem: & ex illa aggrauat peccatum: quia propter pœnam non dimittere peccatum maioris contemptus est, quam si pœna non aduerteretur.

ARTICVLVS XXIII.

An velle non peccare aut cessare à peccato sit vera pœnitentia?

DEinde quæritur de hoc quod dicit in principio secundæ partis in solutione sua *ibi* [Sed Ambrosius dicit, Hæc vera pœnitentia est cessare à peccato, &c.] Videtur enim hoc esse falsum: quia cessare à peccato pura est priuatio: & & pœnitentiam agere est aliquid agere: ergo cessare à peccato non est vera pœnitentia.

2 Si forte dicas, quòd cessare à peccato ponit actum interiorem animæ, licet priuet actum exteriorem, sicut dicunt Doctores de præceptis negatiuis. Vnde sensus est, cessare à peccato, id est, velle non peccare. Adhuc falsum videtur quod dicunt: quia sicut supra habitum est, pœnitentia totam essentiam habet respectu præteriti peccati: voluntas autem non peccandi est respectu peccati futuri: ergo voluntas non peccandi non est vera pœnitentia: ergo nec cessare à peccato, vt videtur.

SOLVTIO. Dicendum, quòd si fiat vis in verbo Ambrosij, optimum est verbum & subtile: quia non cessat à peccato, qui peccat: vnde qui omittit, non cessat à peccato. Item qui transgreditur, non cessat à peccato. Est autem præceptum affirmatiuum vt pœniteamus: sicut Marci 1. & Matth 3. & licet hoc non obliget ad semper: tamen tunc obligat, quando homo peccauit, & de peccato recordatur: ergo si tunc non pœnitet, non cessat à peccato: quia non facit quod debet. Item, Præceptum negatiuum est, non peccare, non velle peccare, nec in præterito nec in futuro: & ex hoc obligatur omnis homo semper velle non peccasse, & ad velle non peccare: & si faciat contrarium, tunc non cessat à peccato. Patet igitur, quòd cessare à peccato, importat pœnitere, & velle non peccasse, & velle non peccare: & hæc sunt quæ exiguntur in pœnitentia. Et per hoc patet solutio ad vtrumque obiectorum. *Solutio.*

ARTICVLVS XVIII.

An peccata deleantur per pœnitentiam secundum quod est virtus, vel sacramentum: & an habeat duos actus, scilicet plangere, & odire?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Pœnitentia est virtus, vel gratia, &c.] Et quia omnia quæ de ista de diffinitione erant, dicta sunt, præter duo, supra quæsita in alia diffinitione: ideo quæritur hic, Vtrum peccata deleantur per pœnitentiam secundum quod est virtus, vel secundum quod est gratia, vel secundum quod est sacramentum? eo quod Magister dicit hic, quòd est virtus, vel gratia: & supponitur, quòd sit sacramentum. Videtur autem, quòd secundum quod est gratia: quia gratia contrariatur culpæ: si igitur deletur culpa ab aliquo, oportet quòd deletiuum sit gratia: sed à pœnitentia deletur culpa: ergo pœnitentia delet eam secundum quod est gratia.

2 Item, Si virtuti essentiale esset delere culpam: tunc omnis virtus deleret peccatum: sed ego video, quòd hoc falsum est: quia habetur virtus politica quæ vere virtus est, & non delet peccatum: ergo non est virtutis, sed gratiæ, vt virtutis.

3 Item, Gratia existente in actu, & virtute in munere tantum, vt in paruulis, fit deletio peccati secundum quod culpa est: ergo videtur, quòd essentiale sit gratiæ delere culpam: ergo si pœnitentia

tentia remittit culpam,hoc fit inquantum est gratia,& non inquantum est virtus,vel sacramentum. Si forte dicas, quòd virtus æquiuoce dicitur de virtute infusa & politica : & ideo licet virtus politica non deleat,tamen virtus infusa delet peccata. Videtur hoc esse falsum : quia virtus diffinitur per actum proprium : actus autem proprius non est æquiuocus in virtute infusa, & acquisita.

4 Item, Cum sic dicitur virtus infusa, & virtus acquisita, non tangitur diuersitas nisi causæ efficientis : causa autem efficiens nihil est de essentia rei : ergo penes causam efficientem non accipient rationem æquiuocationis virtus infusa & acquisita:ergo si non est essentiale delere peccatum virtuti acquisitæ, non erit etiam naturale gratuitæ.

Sed contra. SED CONTRA : Peccatum relinquitur ex actu, & impotentia operantis : ergo id quod remouet ipsum, debet esse in pœnitentia secundum quod est ordinata ad opus : hæc autem est virtus, & non gratia secundum quod huiusmodi : ergo videtur, quòd delens sit virtus,& non gratia.

2 Item, Peccatum est voluntarium, vt dicit Augustt. & si non sit voluntarium, non erit peccatum : ergo est in voluntate : ergo respicit potentiam animæ : sed gratia magis respicit essentiam animæ, quam potentiam : & virtus magis potentiam respicit, quam essentiam : ergo peccatum magis tollitur pœnitentia prout est virtus, quam prout est gratia.

VIDETVR AVTEM, quòd peccatum tollatur pœnitentia prout ipsa est sacramentum: quia,sicut supra habitum est, gratia sacramentalis principaliter ordinatur contra defectum peccati: pœnitentia autem est sacramentum institutum contra morbum peccati actualis : ergo est causa illius : ergo tollit peccatum inquantum est sacramentum.

2 Item, Omne sacramentum nouæ legis est signum & causa gratiæ:ergo & istud:ergo inquantum sacramentum causat gratiam remittentem morbum peccati actualis.

Quæst. 1. VLTERIVS quæritur de hoc quod dicitur, Plangimus, & odimus : vnius enim vnus est actus proprius & essentialis:sed pœnitentia non est nisi vnum quid : ergo habet vnum actum : ergo alter superfluit.

ITEM quæritur, In quo differt plangere, & odisse siue odio habere peccatum? Videtur, quòd vtrumque sit respectu præteritorum : quia præmittitur in litera, Qua commissa mala plangimus & odimus : ergo videtur, quòd alterum superfluit : quia commissa mala præterita sufficit plangere. Item, Gregorius dicit, quòd odium est ira inueterata : & hoc non videtur conuenire de nouo pœnitenti, quia nondum iratus est de peccatis suis.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum sine præiudicio ad primum, quòd pœnitentia delet culpam inquantum est gratia. Vtrum autem aliqua differentia sit & quæ inter gratiam, & virtutem, in secundo libro huius voluminis notauimus : & ideo non oportet hic replicare. Sed tamen in peccato tria sunt, scilicet culpa quæ maculat ex priuatione boni gratuiti & vitiatione naturalis, & actus qui inficit potentiam, vitium relinquendo in ipsa, & vulnus quod infligit. Et quantum ad primum proprie tollitur gratia, quantum ad secundum virtute, & quantum ad tertium sacramento : & tamen principaliter deletio peccati & culpæ gratiæ actus est : quia virtus inquantum virtus non habet hoc de se, sed potius secundum quod est gratia informata, & similiter secundum quod sacramentum non habet hoc nisi inquantum est causatiuum gratiæ.

DICATVR ergo ad primum, quòd licet gratia essentialiter habeat contrarietatem ad culpam in eo quod huiusmodi : non tamen pertingit ad potentias à quibus etiam expellitur peccatum, nisi inquantum vnita est virtutibus : & ideo gratia, & virtutibus, & sacramento remittitur peccatum sufficienter.

AD ALIVD dicendum, quòd sicut bene obiicitur in contrarium,virtus infusa, & acquisita studio nostro,differunt essentialiter & formaliter: & ideo quod conuenit vni,non oportet quòd conueniat alteri.

AD ID autem quod obiicitur contra hoc, dicendum quod licet causa efficiens sit diuersa: tamen plus quam efficiens importatur in his verbis, virtus infusa, & virtus per medium humanum acquisita : cum enim dicitur infusa,intelligitur illa quæ radicatur in gratia: & cum dicitur acquisita, intelligitur illa quæ relicta est ex consuetudine,quasi coessentialis illi: sicut dicit Philosophus, quòd quales sunt operationes, tales sunt & habitus : & ideo oportet, quòd illæ virtutes differant essentialiter.

AD HOC quod obiicitur, quòd virtus purgat peccatum, dicendum quòd hoc facit virtus gratia informata,& non alia,sicut dictum est. Et per hoc patet solutio ad totum quod obiectum est de prima parte diffinitionis.

AD ID quod vlterius quæritur, scilicet de plangere,& odire,dicendum quod duo sunt essentialia peccato, & duo quæ coexistunt:& ideo tanguntur quatuor in hac diffinitione. Primum essentiale est detestari peccatum commissum inquantum huiusmodi, sicut prius dictum est, & hoc notatur per plangere. Remansit autem radix illius peccati & reatus, & respectu eius est odium commissi criminis, & supponit hoc odium iram per zelum. Primum autem quod coexistit est propositum emendationis per confessionem & satisfactionem. Secundum est propositum vltra non committendi. Sic ergo quatuor sunt in pœnitentia. Vnum respectu actus commissi, secundum respectu radicis:& tertium coexistit respectu præteriti, & quartum coexistit respectu futuri: quæ duo necessaria sunt, ne sit fictus ipse pœnitens. Et per hoc patet solutio ad duo vltima. *Ad quæstiunculam.*

ARTICVLVS XIX.

An eleemosyna auferat culpam, & peccatorem mundum faciat?

DEinde quæritur de hoc quod dicitur *ibi*[Nec ad hoc emendus quodammodo vt ea semper liceat impune committere,&c.]Videtur enim hoc esse falsum per hoc quod dicitur Luc.11. Veruntamen quod superest, date eleemosynam: & omnia munda erunt vobis. Ergo videtur,quòd per eleemosynam habetur munditia generalis.

2 Item, 1.Timoth.4. Pietas ad omnia valet, promiſſionem habens vitæ quæ nunc eſt, & futuræ. Si igitur ad omnia valet pietas, videtur quòd valeat ad peccati abolitionem.

3 Si forte dicas, quòd hoc intelligitur de pietate quæ eſt informata gratia gratum faciente. Contra: Ambroſ. ibidem in Gloſſ. Pietas quæ operatur bona, fratribus valet ad promerendum diuina: omnis enim ſumma Chriſtianæ diſciplinæ in pietate & miſericordia eſt, quam aliquis ſequens, ſi lubricum carnis patitur, ſine dubio vapulabit, non tamen peribit. Sed lubricum carnis non patitur iuſtus. Ergo videtur, quòd exiſtens in mortali peccato, emat ſibi eleemoſynis impunitatem.

4 Item, Hoc videtur per illud quod habetur Dan.4. vbi regi impio dixit Daniel, Rex conſilium meum tibi placeat, & peccata tua eleemoſynis redime, & iniquitates tuas miſericordiis pauperum.

5 Videtur idem per rationem. Duæ enim ſunt partes iuſtitiæ, ſcilicet declinare à malo, & facere bonum: & declinare à malo, vt communiter dicitur, vitat pœnam: ergo multo magis facere bonum: ſed facit bonum etiam qui extra charitatem ex miſericordia ſuſtentat pauperes propter Deum: ergo vitat pœnam: ſed non poteſt vitare pœnam, niſi eleemoſyna auferat culpam: ergo videtur, quòd valeant tales eleemoſynæ ad culpæ dimiſſionem.

6 Item, Ambroſ. dicit, quòd præcedit quiddam in peccatoribus quo digni ſunt iuſtificatione: ſed quod præcedere poteſt, præcipuum in eis, eſt miſericordia & pietas in pauperes: quia in illis, vt dicit idem Ambroſ. exiſtit ſumma vitæ Chriſtianæ: ergo videtur, quòd hoc faciat dignum vt culpa remittatur.

7 Item Auguſt. in ench. Quibus proſunt ſuffragia mortuorum, vel ad hoc proſunt vt ſit plena remiſſio, vel certe vt tolerabilior ſit ipſa damnatio: ergo multo magis eleemoſyna per ſeipſum facta, valet ad tolerabiliorem damnationem: ſed non poteſt, niſi mortale à Deo ſoluatur: ergo videtur, quòd valet ad quorundam peccatorum dimiſſionem.

8 Item, Ab omnibus ſupponitur, quòd nullum bonum irremuneratum. Ponamus ergo, quòd aliquis extra charitatem exiſtens, faciat multa de genere bonorum, & eleemoſynas, & non remuneretur hic: ergo remunerabitur in futuro: ſed non poteſt remunerari quoad pœnæ dimiſſionem, exiſtente culpa punienda, quia hoc eſſet contra Dei iuſtitiam: ergo videtur, quòd dimittatur ei culpa: ergo ſibi emit impunitatem. Si forte dicas, quòd tales remunerat Deus hic: nihil eſt contrarium: quia poteſt non remunerare, etſi remuneret: & falſo & non impoſſibili poſito, quod accidit, debet eſſe falſum & non impoſſibile: ſed accidit, quòd non remuneret aliquod bonum: & hoc eſt impoſſibile iuſto Deo.

9 Item videtur, quòd non ſufficienter poſſit Deus hîc remunerare: quia non eſt remuneratus aliquis, ſi accipit minus valens pro magis valenti: ſed opus pietatis etiam informe, plus valet omni terreno lucro: ergo per nullum terrenum bonum ſufficienter remuneratur: ſed quicquid datur hic, eſt terrenum bonum: ergo non poteſt hic ſufficienter remunerari. Quod autem opus informe pietatis plus valeat omnibus terrenis bonis, patet: quia etiam vita ciuilis ponitur optima in vita, vel ad minus melior omni voluptate, & diuitiis, & honoribus: videtur ergo male dicere Auguſt. in litera.

SED CONTRA: Auguſtinus dicit, quòd exiſtens in peccato mortali, non eſt dignus pane quo veſcitur: ergo videtur, quòd nihil quod facit, poteſt ſibi emere aliquid à Deo quantum ad dignum: ergo nec impunitatem. *Sed contra.*

2 Item, Æqualiter diſplicet Deo impius & impietas eius, vt dicitur Sapient.14. ſed diſplicentis opus non poteſt Deo eſſe placens: ergo impius nihil poteſt facere, vt videtur, niſi prius fiat pius & iuſtus: hoc autem non poteſt fieri ſine gratia gratum faciente: ergo ſine gratia non poteſt facere aliquod opus, per quod aliquid apud Deum mereatur: ergo nec emere impunitatem.

SOLVTIO. Dicendum, quòd bona facta extra charitatem, valent ad multa de quibus infra ſequenti diſtinctione quæſtio erit: ſed hic non eſt dubium niſi de eleemoſyna. Et ideo dicendum, quòd eleemoſyna valet ad gratiæ approximationem hic, & in futuro ad tolerabiliorem pœnam, vt hic dicitur: ſed vtroque modo per accidens. Vnus modus eſt: quia per hoc quod conſueſcit eleemoſynis, retrahitur à peccatis, & ita pauciora committit peccata, quam ſi totus intenderet peccatis, & in peccato continuaret: & quia ſubtrahitur culpa quæ fieret ſi eleemoſyna non eſſet, ſubtrahitur etiam pœna quæ culpam ſequeretur. Alius modus eſt: quia qui pietati conſueſcit, incipit ei placere bonum, & per conſequens libido mali & contemptus Dei remittitur in ipſo, & ita non peccat ex tanta libidine vt alias, nec ex tanto contemptu: & ideo ſuum peccatum eſt minus quoad radicem peccandi, quam alterius cui opera pietatis non ſunt: & ideo ſequitur etiam minor pœna, & per conſequens tolerabilior damnatio. *Solutio.*

DICO ergo ad primum, quòd illud Luc.11. Date eleemoſynam, &c. intelligitur accommode, hoc eſt, ſupra omnia alia bona fortunæ quæ habetis ad vſum vobis conceſſa, non propter hoc tota vita efficitur munda: ſed ſenſus eſt, quòd ex bonis fortunæ illicite retentis, non generatur eis peccati immunditia.

AD ALIVD dicendum, quòd pietas ad omnia valet: ſed non pietas informis, ſed potius formata de qua ibi loquitur Apoſtolus.

AD ALIVD autem quod obiicitur per Gloſſ. Ambroſ. ibidem, dicendum quòd lubricum carnis non ſignificat ibi lubricum mortale, ſed veniale quod continue oritur ex concupiſcentia: & ille talis non peribit: quia licet veniale ſit diſpoſitio ad mortale, tamen continetur talis per opera pietatis in bono ne pereat.

AD ALIVD dicendum, quòd Danielis intentio fuit, quòd rex primo vitam corrigeret per pœnitentiam, & tunc valerent ei eleemoſynæ ad peccati dimiſſionem ex parte debitæ pœnæ, quam minabatur ei viſio quam viderat.

AD ALIVD dicendum, quòd declinare à malo dicitur dupliciter, ſcilicet non facere malum ſecundum quod non dicit niſi negationem operis mali: & ſic verum eſt, quòd non euitat niſi pœnam, & non eſt pars iuſtitiæ proprie loquendo. Secundo dicitur declinare à malo, velle non facere

facere malum, & sic ponit actum interiorem, & meretur palmam, & est, pars iustitiæ: sed facere bonum informe non est pars iustitiæ, sed dispositio ad ipsam, vt supra dictum est. Cum autem dicitur, quòd non facere malum vitat pœnam, non intelligitur de ea quam quis meruit per peccatum præcedens, sed potius de ea quam incurreret, si malum faceret, quod non fecit: & hoc modo facere bonum in forme vitat pœnam: sed tunc non sequitur, quòd propter ipsum aliquod dimittatur peccatum, cui pœna debetur vel pœna quæ debetur peccato perpetrato.

Lib. 3. dist. 23. & 20.

Ad alivd dicendum, quòd Ambros. loquitur de merito & dignitate congrui, non condigni: minus enim incongruum est dare gratiam exercitatis in eleemosynis, quam aliis qui eleemosynis non intendunt.

Ad alivd dicendum, quòd sicut multi Doctorum dicunt, Augustinus vocat damnationem ibi incendium ignis purgatorij, & non inferni: omnes autem qui sunt ibi, habent charitatem & opera gratia informata. Vnde nihil tunc probatur de proposito per verbum August. Si autem dicatur, quòd intelligitur de his qui inferno sunt, tunc dicendum est, quòd suffragia non prosunt nisi per accidens, vt dictum est, & ita prosunt opera quæ sunt extra charitatem.

Ad alivd dicendum, quòd nullum bonum est irremuneratum: sed non oportet, quod remuneretur præmio sibi non respondente, & incomparabiliter magis valente. Vnde dicimus, quòd talia quæ non valent æternum præmium, in æternitate non remunerantur: sed & præcipua remuneratio est hic: quia per illa gratiæ viciniores efficiuntur: & hoc est spirituale præmium, & melius quam opera eorum. Hoc autem quod contra obiiciendo dicitur, quòd quicquid hic datur, est terrenum, falsum est: quia multa spiritualia dantur hic etiam his qui in peccato mortali sunt quandoque & præcipue his qui exercentur in eleemosynis. Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICVLVS XX.

An omnia ante acta bona per pœnitentiam sequentem viuificentur?

DEinde quæritur de hoc quod dicitur *ibi* [Mortificatur enim illa pœnitentia, & alia ante acta bona, &c.] Gratia enim huius videntur esse hic inquirenda quinque, vt perfectius hæc litera intelligatur: quorum primum est, Vtrum omnia ante acta bona per pœnitentiam sequentem viuificentur? Secundo, Si non omnia, vtrum omnia mortificata? Tertio, Vtrum quoad omnia quæ in ipsis sunt, viuificentur, vel quoad aliqua. Quarto, Per quid viuificentur? Quinto, Quid ibi vocetur vita?

Videtur autem contra primum, quòd omnia ante acta bona per sequentem pœnitentiam viuificentur, siue fuerint mortua, hoc est, in mortali peccato facta, siue fuerint mortificata, hoc est, in charitate facta, & per consequens peccatum mortificata. Et obiicitur sic: Dicit Adamantinus super Iosue. Sunt in Ecclesia credentes quidam & acquiescentes præceptis diuinis, erga seruos Dei religiosi & officiosi, & ad ornatum Ecclesiæ vel ministerium Ecclesiæ satis prompti: sed in conuersatione propria obscenis vitiis inuoluti, nec omnino deponentes veterem hominem cum actibus suis, nihil adhibent emendationis morum vel innouationis. Istis ergo Christus Iesus salutem concedit: sed quandam insaniæ notam non euadent. Ex his colligitur, quòd bona facta in mortali peccato vel per se, vel per viuificationem sequentem factam, valent ad vitam æternam.

2 Item, Adamantinus ibidem, Iesus videns angustum in fide propositum, moderationem iustissimam seruat, vt salutem consequantur qui parum fidei habent: nec tamen summam regni vel libertatis accipiunt: quia fides eorum nullo operum nobilitatur accessu. Ex his colligitur idem quod prius.

3 Item, Leuit. 25. super illud, Si attenuatus frater tuus vendiderit possessiunculam suam, &c. dicit Gloss. quod possessiuncula est hæreditas vitæ æternæ, quæ venditur mortali peccato: & dicit Gloss. & textus, quod si redimere voluerit, fructus computabuntur ex die qua vendidit: sed fructus ex die qua vendidit, fuerunt post mortale peccatum: ergo & per consequentem pœnitentiam mortui computantur: ergo ea quæ fiunt in mortali peccato, computantur ad vitam: ergo viuificantur per sequentem pœnitentiam.

4 Item, Per rationem obiicitur sic: Si aliqua duo ordinantur ad vnum tertium, essentialius participabit illud tertium, quod ex duobus vicinius ordinatur ad ipsum: sed bonum naturæ & moris quod dicitur de genere bonorum, ordinatur ad bonum gratiæ quod dat vitam: ergo essentialius participabit vitam gratiæ, quod vicinius est: sed bonum moris vicinius est: igitur participabit vitam plus quã bonum naturæ: sed bonũ naturæ viuificatur: ergo bonũ opus quod est de genere bonũ. Quod autem vicinius ordinetur ad gratiam, sic probatur: Dicit Ambros. quod præcedit quiddam in peccatoribus quo digni sunt iustificatione: & hoc non est nisi bonum quod dicitur de genere bonorum, siue bonum virtutis informis: ergo bonum illud dignum facit hominem, & non bonum naturæ vt consequatur vitam: ergo vitæ vicinius est: & hoc est quod intendimus probare.

5 Item, Supponamus modo opinionem eorum qui dicunt, quòd naturalia fiunt gratuita, & procedo tunc sic. Quod melius & perfectius est in bonis informibus, magis natum est fieri gratuitum: sed actus virtutis moralis, vt probat Philosophus primo ethic. perfectior & melior est, quam habitus: ergo magis natus est fieri gratuitus, quam habitus: & habitus viuificatur, quia naturalia fiunt gratuita: ergo multo magis actus. Si dicas, quòd hoc non potest esse, quia habitus manet & actus eius transit: hoc nihil est: quia simpliciter in operibus mortificatis transit actus, & tamen viuificari dicuntur per sequentem pœnitentiam.

6 Item, In naturis est multo maioris potentiæ viuificare mortificatum sicut occisum, quam quod nunquam habuit vitam, potuit tamen habere. Exemplum est, quòd plus est viuificare interfectum, quam embrionem qui potuit viuere & nunquam vixit: sed qui potest quod plus est, potest & quod minus est, vt dicit Boëtius: ergo

si gratia potest viuificare mortificatum opus, potest & viuificare, quod nunquam vixit, potuit tamen viuere: sed potest illud, vt dicitur in litera: ergo & istud: sed opus quod nunquam vixit, potuit tamen viuere si affuisset gratia, est opus mortuum: ergo opera mortua per gratiam sequentem possunt viuificari.

Sed contra. SED CONTRA hoc est quod dicitur in litera.

2 Item, Peccator non habet opus ordinatum ad vitam nisi per motum gratiæ: sed ipse non est in gratia: ergo nihil de potentia vitæ ab eo transit in opus: sed quod nullam habet potentiam vitæ, non est viuificabile: ergo tale opus viuificari non potest.

3 Item, In naturis à non viuo generatur non viuum, & non habens potentiam ad vitam, sicut patet in mineralibus: ergo & in moralibus similiter erit: sed peccator est non viuens: ergo opus quod generatur ab ipso, nec viuit, nec potentiam habet ad vitam: ergo per sequentem potentiam non potest viuificati.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd in veritate sicut omnes confitentur, opera mortua viuificari non possunt, eo quod sicut vltima probauit obiectio, nulla potentia ad vitam transit in generatum à generante quod non viuit, nisi per accidens generetur in ipso, sicut vermis à putrefacto.

AD ID ergo quod obiicitur per Adamantinum, dicendum quòd Adamantinus signum salutis in Ecclesia inter fideles, & inlinitionem quorundam sacramentorum vocat salutem: & talem consequuntur habentes fidem informem, qui per Gabaonitas significantur. Et quod ita sit, per Isidorum probatur Iosue 9. qui sic dicit in Gloss. ibidem: Gabaonitæ significant eos qui credunt, & erga seruos Dei deuotionem, vel Ecclesiæ cultum videntur habere: nihil tamen emendationis habent in moribus: tales tantummodo quidem signum salutis intra Ecclesiam proferunt: inter spirituales autem, id est, inter Sanctos Dei regnum æternũ vel libertatem non cõsequuntur. Hæc sunt verba Isidori quasi Glossantia verba obscura Adamantini. Per hoc etiam patet solutio ad sequens. Vel possumus dicere, quòd est salus in re, & salus in spe: prima beatorum, secunda autem itinerantium. Et hæc adhuc est duplex, scilicet informans fidem & spem: & hæc est Sanctorum: vel informis, & hæc est eorum qui obscœnis actibus viuunt in Ecclesia, recte tamen credentes & opera de genere bonorum facientes. Et de hac vltima sola loquitur Adamantinus.

AD ALIVD dicendum, quòd post peccatum & ante pœnitentiam nullus est vitæ fructus in homine, sed lex: & similiter Gloss. intelligitur de his quæ sunt post compunctionem, & ante satisfactionem exteriorem iniunctam à sacerdote: illa enim omnia debet attendere sacerdos, & computare in redemptionem hæreditatis æternæ. Vel aliter potest dici, quòd intelligitur de bonis factis in mortali peccato: sed dupliciter aliquid computatur in sortem, scilicet vt est pars sortis, & sic intelligitur in Gloss. quia nihil est pars sortis nisi opus meritorium: vel vt impediens excrescentias vsuratum, & sic computantur opera meritoria in partem sortis, quia per illa detinetur homo ne ruat de peccato in peccatum, eo quod vsura præcedentis quasi est peccatum sequens: & per illa bona etiam vicinatur gratiæ, vt dictum est in anteriori quæstione.

AD ALIVD dicendum, quòd illa opinio quæ dicit, quòd naturalia fiunt gratuita, non intelligitur secundum fieri, quòd essentialiter hæc fiant illa, quia hoc est impossibile, & quasi hæresis: sed dicit hæc fieri illa quia possunt coexistere illis, & cum illis aliquid boni afferre subiecto, sicut facilitatem operandi bene, & huiusmodi: & tunc virtus dicitur fieri gratuita, quia manet: sed actus nullo modo manet, nec habet potentiam ad vitam, sicut vltima obiectio probauit, & ideo viuificari non potest. Ad hoc autem quod dicit, quod actus mortificatus etiam non manet: dicendum, quòd sicut infra habetur in hac quæstione, quòd actus ille ad minus manet in corpore mystico, sed mortuus actus nullo modo: & ideo non est simile.

AD ALIVD dicendum, quòd non est simile quod adducitur de naturis: quia interfectum corruptum est non solum in actu vitæ, sed etiam in potentia ad vitam: sed non sic est de mortificato in moralibus: quia solum est priuatum vita, & est in potentia ad vitam: & id quod non habet vitam in moribus, & procedit à non habenti vitam, non est simile embrioni qui procedit à viuo à quo accipit potentiam ad vitam. Et sic patet solutio ad totum.

ARTICVLVS XXI.

Vtrum omnia mortificata possunt viuificari?

SEcundo quæritur, Vtrum omnia mortificata possunt viuificari? Videtur autem quod non: est enim vita, vt dicit Philosophus, actus continens spiritus: ergo conseruabitur vita in viuo, principiis vitæ conseruatis: si autem causa per se conseruationis vitæ, est conseruatio principiorum vitæ in viuo, destructa vita, necessarium est principia vitæ vel aliquod principiorum destructum esse: oportet ergo in hoc opere mortificato destructa esse principia vitæ: sed destructis principiis vitæ, destruitur potentia ad vitam, & destructa potentia, non est illud viuificabile: ergo cum in mortificato destructa sit potentia vitæ, remanet mortuum opus non viuificabile: ergo non viuificatur.

2 Item, Quicquid potentia viuit, per modum illum quo potentia viuit, habet esse: sed opus mortificatum nullo modo habet esse tempore sequenti pœnitentiæ, & etiam tempore mortalis peccati quod est ante pœnitentiã: ergo nullo modo viuificatur. Probatio mediæ. Si opus illud est, non potest esse nisi in actu, vel habitu: sed constat, quòd in actu non est: nec etiam in habitu, quia habitus virtutis cuius erat elicere illud opus, destructus est per peccatum mortale: ergo, & cætera.

3 Item, Ezech. 18. Si iustus auerterit se à iustitia sua, & fecerit peccatum, non erunt in memoria iustitiæ priores: ergo non recordabuntur ad iustificationem.

4 Item, Actus est accidens: ergo non est nisi quando inest: sed non inest tempore peccati: ergo non est: & quod non est, non viuificatur,

uificatur : ergo actus ille non iuſtificatur, vt videtur.

Sed contra. CONTRA hoc ſunt auctoritates Sanctorum, quæ ponuntur in litera.

2 Item, Hieronym. ſuper Galat. Si pœnituerint, redibunt ad vitam.

3 Item, Auguſt. Pœnitentia eſt res optima & perfecta, quæ omnes defectus reuocat ad perfectum : ergo etiam deficiens meritum per ſequens peccatum : & non reuocat niſi viuificet : ergo viuificat opera mortificata.

4 Item, Non poteſt eſſe fortius peccatum quam meritum : ſed ſi omnia interimerentur per peccatum, fortius eſſet peccatum : ergo non in toto interimitur opus meritorium : ergo aliquid in eo remanet de potentia ad vitam.

5 Item, Meritorio operi æternum præmium debetur : ergo ſi non debetur ei, iniuſte agitur cum ipſo : ſed ſi occiditur, non habebit ſuum præmium : ergo in eo manet adhuc potentia ad vitam : ſed quod habet potentiam ad vitam, poteſt viuificari : ergo, &c.

6 Item, Apoc.3. Tene quod habes ne alius accipiat coronam tuam. Et hæc etiam corona debita eſt operibus præſentis iuſtitiæ : ergo iſta perdita, alius poteſt eam accipere : ergo remanent opera meritoria, etiam iſto perdente : ſed eadem ratione qua remanentia poſſunt dari alij, poſſunt reſtitui & iſti : ergo poſſunt viuificari per pœnitentiam ſequentem.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd opera mortificata per ſequentem pœnitentiam viuificantur: & vt hoc intelligi poſſit competentius, eſt ſciendum, quòd opus meritorium non accipit vitam ab operante, ſed potius ab ipſa gratia : & dicitur viuere effectiue, quia dat vitam merenti & operanti. Gratia autem conſideratur dupliciter, ſcilicet inquantum ſubiectum informat & actum, & ſic ipſa eſt accidens, & non poteſt dare vitam: & inquantum eſt ſimilitudo quædam bonitatis diuinæ & accepta Deo & omne id in quo eſt ipſa, & ſic dat vitam, & eſt principaliter in acceptante, hoc eſt, in Deo reſpectu tamen operis & operantis. Et quia acceptio Dei quæ eſt reſpectu operis facti in charitate Dei, ſemper manet, ideo manet opus etiam poſt mortale peccatum, non ſimpliciter, ſed prout reſpectu ipſius eſt acceptio diuina. Veruntamen influxus vitæ ab acceptione Dei & opere accepto impeditur propter mortale peccatum quod eſt in iſto : ita ſcilicet, quòd per illud opus acceptio Dei non influit illi vitam : ſed reputatur alij quodammodo, ſicut dictum eſt 40.di-
a.11.& 13. ſtinct.1. lib. vbi oſtenſum eſt de hoc qualiter intelligitur illa auctoritas Apocal. Tene quod habes, &c.

PATET igitur ſolutio ad primum : quia opus non deſtruitur ſecundum quod eſt ſub acceptione diuina : quia ſemper illud opus acceptum eſt, & non eſt principium vitæ niſi ſic conſideratum: ſed influxus vitæ impeditur per mortale peccatum: & ideo non eſt verum, quòd in mortificato deſtruatur potentia vitæ : quia non eſt mortificatum in ſe, ſed potius quoad iſtum ne influat illi vitam, & remoto obſtaculo influit ſicut prius. Et quod opera ibi maneant, patet per illud Matth.6. Theſaurizate vobis theſauros in cœlo. Theſauri enim illi, ſunt theſauri meritorum in ſcientia & approbatione diuina conſcripti. Et per illud 2.Timoth.1. Scio cui credidi, & certus ſum quia potens eſt depoſitum meum ſeruare in illum diem iuſtus iudex.

AD ALIVD dicendum, quòd opus per illum modum eſt, quo eſt principium vitæ, vt iam dictum eſt : quia in acceptione diuina nunquam deſtruitur : quia placuit Deo propter formam gratiæ quæ erat reſpectu illius operis: & ideo obiectio illa falſum ſupponit.

AD ALIVD dicendum, quòd intentio Propheræ eſt, quòd non recordabuntur iuſtitiæ quoad iuſtum : ſed tamen manent ſimpliciter ſub recordatione, vt dictum eſt : & ſic patet reſponſio ad totum.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc verum eſt, quòd non manet vt eſt accidens, ſed quoad illam rationem, vt iam dictum eſt.

ARTICVLVS XXI.

An opera mortificata quoad omnia quæ ſunt in ipſis, viuificantur?

TErtio quæritur, Vtrum viuificentur quoad omnia quæ ſunt in ipſis? Videtur enim, quòd ſic : quia Auguſt. dicit, quòd pœnitentia eſt res optima & perfecta quæ omnes defectus reuocat ad perfectum : ergo quicquid deficit in bonis per peccatum, reducitur ad vitæ fructum per pœnitentiam : ergo omnia viuificantur.

2 Item, Semper potentior eſt virtus, quam peccatum : ſed peccatum extinguit omnes virtutes quando ſequitur eas : ergo etiam pœnitentia viuificat omnes quando ſubſequitur peccatum.

3 Item, Roman.6. Non ſicut peccatum ita & bonum. Et hoc ideo : quia bonum ſecundum ſe eſt : & malum in reſpectu, & inutile, & pigrum : ſi ergo malum potuit occidere bonum, multo magis bonum potuit ea viuificare.

Sed contra. CONTRA : Virginitas eſt quidem de maximis bonis : & non viuificatur, nec redimitur, nec reſtituitur : quod patet per Hieron. in quadam epiſtola ad Euſtochium virginem, qui dicit ſic: Audenter loquar: cum omnia Deus poſſit, ſuſcitare non poteſt virginem poſt ruinam.

2 Item, Apocal.3. Tu nomen habes, quòd viuas, & mortuus es: eſto vigilans, & viuifica cætera quæ erant moritura. Ex hoc accipitur, quòd aliquis mortuus habuit aliqua opera viua, & viua non viuificantur : ergo non omnia opera mortua vel mortificata indigent viuificatione.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd opera mortificata eo modo quo mortua fuerunt, omnia viuificantur per pœnitentiam ſequentem, ſicut innuitur in litera.

AD ID quod obiicitur de virginitate, ſumatur in litera primo auctoritas Hieronymi, quæ totum contrarium dicit ſuper Oſeæ 2. vbi dicit ſic, Vide quid ſit inter Dei conuenientiam & hominum: homo enim vxorem accipit, de virgine mulierem facit, id eſt, non virginem ſiue corruptam : Deus etiam meretricibus copulatus, eas mutat in in virgines. Hanc contrarietatem attendens Magiſter Hugo de ſancto Victor. ſoluit dictum Hieronymi ſic, Cecidit : non adiiciet vt reſurgat virgo Iſraël. Amos 5. Quædam verba ambigua Hieronymus hic poſuit dicens ſic, Cum Deus omnia poſſit,

possit, de corrupta non potest facere non corruptam:tamen si de corruptione carnis hoc intelligatur, stultum est sic sentire:quia homo carnem suam vitiare posset, Deus autem sanare non posset. Si autem de corruptione cordis intelligatur: hoc similiter stultum est dicere:quia homo peccare posset, Deus autem iustificare non posset, & tantum iustificare quantum iste peccare. Si autem idcirco illud non posse dicitur Deus,quia factũ est: & quod factũ est,non factum esse non potest:quia quod verum est, falsum esse non potest: & idcirco non potest, quia contra veritatem non potest: quia si contra veritatem posset, contra seipsum posset qui veritas est: pondus habet hoc dictum maius, quam si diceretur de alio quolibet quod factum est, & iam non factum esse non potest. Hæc sunt verba Hugonis. Pondus autem quare magis dicitur de illo quam alio præterito, est : quia descendisse mentem voluntarie super actualem & præsentem carnis delectationem,facit corruptionem virginitatis : & hoc præteritum inducit statum ignobilem in mente & corpore, quod non facit aliud peccatum.Patet igitur,quòd secundum quod virginitas fuit meritoria,restituitur:quia pœnitentia restituit integritatem puritatis à peccato, sed non integritatem status secundum dignitatem.

Ad alivd dicendum, quòd Apoc. loqui de Ecclesia in qua quidam viuebant, & quidam mortui erant, sed morituri exemplo aliorum : & ideo monet vigilare : & ideo nihil valet obiectio.

ARTICVLVS XXIII.

Per quid viuificentur opera mortificata?

Qvarto quæritur, Per quid viuificantur ? Et videtur, quòd per iustitiam generalem.Eius est iustificare cuius est impurum facere purum:hoc est iustitiæ generalis:ergo etiam illud. Hoc etiam videtur per illud quod dicitur in Ezechiel. 18. Si autem impius fecerit iustitiam vita viuet, & non morietur : in iustitia sua quam operatus est, viuet.

Videtvr, quòd hoc sit fidei quia Roma.1. Hebr. 10. & Habacuc.2. dicitur, Iustus autem ex fide sua viuit.

Videtvr autem, quòd sit charitatis effectus: dicit enim Augustinus, quòd charitas est vita animæ.

Item videtur quod gratia : quia vita diuiditur in vitam naturæ, & vitam gratiæ, & vitam gloriæ : ergo vita erit à gratia:sed cuius est iustificare,eius est vita:ergo gratia viuificat opera mortua.

Contra hoc est quod dicitur in litera, quòd hoc est pœnitentiæ : & hoc accipitur à verbis Bernardi in Canticis sermone 16. sic dicentis, Sensum ex integro recuperasse te scias, si tuam conscientiam sentis quadruplici compunctione mordeti, pudore gemino, & gemino metu : nam vitam ad perficiendum septenarium triplex confessionis species attestatur. Et loquitur de miraculo Elisei qui pœnitentialiter oscitauit septies: ergo partes confessionis & compunctionis attestantur vitæ & sensui restitutis : ergo de mortuis faciunt viuos.

Solvtio. Dicendum, quòd vita est actus gratiæ proprie & primo, sicut etiam notatum inuenies super secundum : & non conuenit virtuti primo, sed potius per posterius : & ideo diuerso modo attribuitur diuersis virtutibus. Pœnitentiæ autem est sicut remouentis causam mortis à parte materiæ siue subiecti:quia ipsa est causa iustificationis prior ea ratione, non tempore,vt supra dictum est. Et hoc modo loquitur Magister, quando attribuit ei iustificationem operum mortuorum. *Solutio.*

Ad primvm ergo dicendum, quòd iustitia dicitur causa vitæ potius in operibus viuis, prout dicitur, quòd opera ostendunt viuum : quia ipsa prima est ex parte termini ad quem est motus in iustificatione impij. Vnde iustitia non proprie dicitur causa vitæ, sed potius consequens vitam, & ostendens eam per rectitudinem actus : & sic iustus ex iustitia dicitur viuere, sed post viuere simpliciter.

Ad illvd quod probauit, quòd iustitia est causa vitæ, dicendum quòd iustitiæ non dicitur esse iustificare, sicut efficientis, sed potius sicut formæ ad quam mouetur ille qui iustificatur. Sed bene conceditur,quòd eiusdem est iustificare,cuius est viuificare per modum efficientis.

Ad alivd dicendum, quòd dictum Ezech. intelligitur de vita gloriæ quæ datur bene operanti in operibus iustitiæ : nos autem loquimur hic de primo actu vitæ, qui restituitur à non esse in esse spirituale secundum gratiam, secundum quod dicit Philosophus, quòd viuere in viuentibus est esse.

Ad alivd dicendum, quòd fidei attribuitur vita sicut vitam primo ostendenti, & aliquo modo facienti,non quidem per se,sed potius prout est informata gratia. Et huius exemplum est in luce : quæ manifestat cætera,& etiam viuificat,inquantum in ea est quædam virtus cælestis, quæ diffunditur in ipsa super inferiora. Ita etiam fides secundum quod est cognitio quædam, manifestat ea in quibus est vita, & inquantum est gratia quædam,causat & diffundit vitam eandem.

Ad alivd dicendum, quòd charitas Dei est ea quæ continuat vitam : non tamen oportet, quòd sit prima causa eius : quia ad perfecte viuere, post fidem & spem non requiritur nisi charitas, quæ vnit per effectum primo fonti vitæ, scilicet Deo.

Ad alivd dicendum, quòd in principio primæ solutionis dictum est, qualiter viuere est pœnitentiæ. Et sic solutum est totum.

ARTICVLVS XXIV.

Quomodo & secundum quem modum dicitur vita, quando dicitur, quòd opera mortificata fiunt viua?

Qvinto quæritur, Secundum quem modum dicitur vita, quando dicitur, quòd opera mortua fiunt viua? Videtur enim, quòd dici non debeãt. In nullo enim sic est, quòd opera alicuius denominentur & disponantur sicut ipsum operãs: ergo opera viui non dicuntur viua, vt videtur,nec etiam

etiam forma vitæ disposita siue informata. Item si album albefiat, albificatio ipsa non proprie alba dicitur, cum tamen albificatio sit propria operatio albi: ergo etiam opera viui non proprie dicuntur viua.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd viuere dicitur multipliciter valde, sed reducitur ad duo, scilicet secundum esse, & secundum bene esse. Secundum esse dicitur proprie, & metaphorice. Proprie autem dupliciter, scilicet vt causa per se effectiua vitæ in viuo, dicatur vita & viuere, sicut anima, & sicut forma adhærens viuo, id est, vitã participanti ex eo quod est causa vitæ. Sic dicimus corpus viuere & viuum formaliter. Et hoc viuere distinguitur in secundo de anima & per suum signum in illa litera, vbi dicit Philosophus, Multipliciter autem ipso viuere dicto, & si vnum horum in sit solum, ipsum viuere dicimus, vt intellectus & sensus, motus & status secundum locum, aut motus secundum alimentum & detrimentum & augmentum est. Et contentum reducit ad quatuor modos, scilicet intelligere, sentire, moueri, & alimento vti. Hæc autem sunt signa vitæ animæ, sicut effectus est signum suæ causæ: effectus, dico, proprius & essentialis, qui conuertitur cum causa. Vita autem metaphorice dicta est ad similitudinem huius, & hoc dicitur, scilicet ad similitudinem eius quod est causa vitæ: & hoc est quod dat esse viuo, & permanentiam, & speciem: & sic sumitur vita à Philosopho in octauo physicorum, vbi de motu cæli dicit, quòd est quædam vita existentibus, vel ad similitudinem viui, quod tunc viuere dicimus, quando attingit perfectam operationem suam secundum suam speciem, quam habet à virtute cælesti, supra totam speciem influentem: sicut dicimus aquam viuam quæ est in impetu putificandi & infrigidandi, & adamantem viuum cum fortiter attrahit ferrum, & huiusmodi. Sed vita secundum bene esse distinguitur secundum bene esse in sensu, & secundum bene esse secundum rationem. Et secundum bene esse in sensu dicitur vita voluptatis, sicut dicit Aristot. de Sardanapalo, quòd vitam voluptuosam eligens, vitam pecudum elegit. Secundum autem bene esse rationis dicitur viuere secundum bonum rationis, quod est licitum & gratuitum. Et gratuitum duplex, scilicet gratiæ, & gloriæ. Dicendum igitur ad propositum, quòd opera dicuntur viuificari vita dicta metaphorice: quia scilicet restituitur homini, quòd faciant in ipso quòd faciunt optima opera: & hoc est dignum facere vita æterna. Quia sicut lapis dicitur viuus, quia facit optime propriam operationem, & mortuus qui non potest sic facere: sic opus viuum dicitur, quando potest perficere hoc quod optimum opus facit, & hoc est opus gratiæ, quod potest valere vitam æternam. Et per hoc etiam patet solutio ad obiecta.

ARTICVLVS XXV.

An tertia diffinitio pœnitentiæ sit bene assignata?

PŒnitentia est quædam dolentis vindicta, &c.] Hæc est tertia diffinitio de pœnitentia. Et videtur mala: quia, sicut Tullius dicit, Vindicatio est species iustitiæ naturalis: sed habitum est supra, quòd pœnitentia non est proprie iustitia naturalis: ergo videtur male dici vindicatio, &c.

2 Item, Tullius dicit, quòd vindicatio vel vindicta est, per quam vis & iniuria & omnino omne quod obfuturũ est, defendendo aut vlciscendo propulsatur: peccata autem quibus indignatur pœnitentia, nec vi nec iniuria alicuius sunt facta, sed propria voluntate potius: ergo videtur, quòd vindicatio non sit de ipsis.

ITEM vlterius quæritur de hoc quod dicit, semper puniens in se, &c. Si enim semper punit, semper agit actus pœnitentiæ: sed non potest aliquis secundum vnam potentiam simul pluribus motibus moueri: ergo nunquam mouetur virtute alia. Si dicatur, quòd intelligitur semper puniens in habitu, non in actu: videtur falsum esse per id quod dicit, quòd vbi dolor finitur, finitur & pœnitentia: ergo videtur, quòd semper actualiter teneatur dolere. Si dicas, quod nihil prohibet simul affectu dolere, & alio motu moueri secundum charitatem scilicet, aut aliam virtutem: hoc videtur contra Philosophum in libro de somno & vigilia, vbi dicitur, quod vna potentia animæ existente in actu, retrahitur alia: ergo multo magis vna & eadem si est in actu vno, retrahitur ab alio. *Quæst.*

2 Item, Semper dolet & vbi dolor finitur, finitur & pœnitentia: ergo si charitate mouetur in Deum, & non doleat, videtur quod pœnitentia sit finita: & vbi deficit pœnitentia, ibi deficiat gratia, vt dicitur consequenter in litera: ergo qui mouetur charitatẽ, amittit gratiam, quod falsum est: ergo non semper est dolendum.

3 Item videtur, quòd nociuum sit semper dolere: quia dicit Bernadus in Canticis sermone 11. Sic suadeo vobis amicis meis reflectere interdum pedem à molesta, & anxia recordatione viarum vestrarum, euadere in itinera planiora serenioris memoriæ beneficiorum Dei: vt qui in vobis confundimini, ipsius intuitu respiretis. Ex hoc accipitur, quòd non semper dolendum est de peccatis, sed quandoque exultandum in beneficiis Dei. Item infra parum ibidem. Est quidem necessarius dolor pro peccatis, sed si non sit continuus. Sane interpoletur lætiori recordatione benignitatis, ne forte præ tristitia induretur cor, & desperatione plus pereat. Ergo melius est interpolare dolorem, quam semper dolere: ergo qui vindicat in se peccatum, non semper debet pœnitendo in se vindicare quod dolet commisisse.

SOLVTIO. Dicimus ad primum, sicut prius tactum est, quod pœnitentia induit quandoque rationem iustitiæ, quando iustitia est imperans actum pœnitentiæ. Et sic loquitur hic Augustinus de pœnitentia. Vnde non propter hoc habetur, quòd sit species iustitiæ, eo modo quo dicitur species quæ ponitur sub assignato genere. Et est instantia in verbo Aristotel. in topicis, vbi dicit quod siquis bicubitali magnitudine posita dixerit, quod positum est quantitatem esse, quid est dicit, & quantitatem significat. Vbi patet, quòd licet alia prædicamenta quandoque accipiant aliquam rationem substantiæ, non tamen proprie dicuntur species eius. Vnde illa forma arguendi non valet: ideo est fallacia accidentis, quod tale est argumentum: vindicatio est species iustitiæ: & pœnitentia est vindicatio quædam: igitur pœnitentia est species iustitiæ. *Solutio.*

AD

AD ALIVD dicendum, quòd licet peccata cum voluntate hominis sint facta, tamen sunt iniuriæ & nociua, & sic vindicantur. Vnde ab alio habent quòd sint voluntaria, & ab alio quòd sint iniuriæ: quia voluntaria sunt in actu, prout in actu fit conuersio ad bonum commutabile: sed iniuriæ sunt Dei & hominis, inquantum spoliant gratuitis, & vulnerant in naturalibus: & hoc modo vindicta est in illis.

Ad quæstiunculam.

AD ALIVD concedimus, quòd spiritus creatus secundum eandem potentiam non mouetur pluribus motibus simul: & bene concedimus, quòd quando mouetur alia virtute, non mouetur pœnitentia, si pœnitentia & illa virtus sint in eadem potentia animæ. Sed dictum Augustini intelligitur, quòd sic semper doleat, quòd nunquam aliquid contrarium dolori admittat. Moueri autem aliis virtutibus non est contrarium, sed conueniens: quia virtus virtuti consona est, & non contraria. Alij autem aliter dicunt: sed quia non intelligo, ideo non curo dicta eorum. Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICVLVS XXVI.

An peccator semper debet dolere, & de dolore gaudere?

SEd semper doleat & de dolore gaudeat, &c.] Videtur enim non semper esse dolendum: quia sicut dicit Beda, Contraria contrariis curantur: & quod sanat oculum, non sanat calcaneum. Ergo si aliquod peccatum est cum dolore & tristitia, non est sanandum dolore, sed gaudio & delectatione: sed multa sunt talia, vt iracundia, acedia, inuidia, rancor, & huiusmodi: ergo illa dolore non sunt sananda: non ergo semper est dolendum.

2 Item, 2. Corinth. 2. Confirmetis in illo charitatem, ne forte abundantiori tristitia absorbeatur.

3 Item, 2. Corinth. 7. Seculi autem tristitia mortem operatur. Ergo aliqua peccata sunt cum graui dolore & tristitia: ergo non sunt dolore & tristitia sananda: non ergo semper doleantur. Vlterius videtur impossibile quod dicit, de dolore gaudeat. Dolor enim per essentiam in aliquo existens, facit ipsum dolere: sed dolor per essentiam existit in dolente: ergo facit ipsum dolere: non igitur gaudere potest, vt videtur: quia dolor & gaudium sunt opposita.

5 Item, Dolor & gaudium sunt affectiones oppositæ: ergo de oppositis oriuntur: ergo non vnum est causa alterius: ergo non est gaudere de dolore.

6 Item, Eiusdem est gaudere, cuius est dolere: si ergo aliquis gaudet, simul gaudet & dolet: & eiusdem est gaudere & dolere: ergo secundum idem gaudet & dolet, vt videtur.

AD HOC quidam dicunt, quòd gaudium est dulce & delectabile dolenti. Et hoc probant per Augustinum in primo confess. dicentem, Si prohiberer legere Didonem extinctam, dolerem: quia non legerem quod dolerem. Item in eodem lib. 4. de socio suo mortuo, Poscebam animam meam impatientem portari à me, & vbi eam ponerem non inueniebam, non in amœnis nemoribus, non in ludis atque in cantibus, non in suaue olentibus locis, nec in conuiuiis apparatis, neque in voluptate cubilis, non denique in libris atque carminibus quiescebat. Horrori erat ipsa lux: & quicquid non erat quod ille erat, improbum & odiosum erat præter gemitum & lacrymas. Nam in eis solum erat aliquantula requies: & ita solus fletus erat dulcis mihi, & successerat animo meo in deliciis amici. Ex his volunt habere, quòd dolor etiam inordinatus potest esse materia & causa gaudij: & ita non valet obiectio prius inducta. Contra: Dulce & delectabile dilatat cor: ergo excitabit risum & gaudium: non ergo fletum & amaritudinem. Si ergo delectabilis erat fletus ex morte amici, iam non esset fletus & tristitia, quod falsum est: ergo redit idem quod prius.

Si dicas, quòd dolet gaudens secundum quid, & dolet simpliciter: & hoc non est inconueniens, scilicet simpliciter inesse vnum contrariorum, & aliud secundum quid. Contra: Qui pœnitet, simpliciter gaudet, quia aliter non sufficeret gaudium suum: ergo videtur, quòd gaudium suum non insit ei secundum quid.

2 Item, Differentia est inter dolorem voluntarium, & inuoluntarium: sed in omni voluntario dolore potest esse gaudium secundum quid, sicut in dolore de morte amici: ergo gaudet & delectatur in fletu: ergo cum voluntario dolore videtur esse gaudium simpliciter: sed in pœnitentia est dolor simpliciter voluntarius: ergo & gaudium simpliciter, vt videtur.

3 Item, Gaudium simpliciter adeptus est ex adeptione simpliciter desiderati: sed pœnitens simpliciter adeptus est desideratum, quando adipiscitur dolorem de peccatis: ergo & gaudium simpliciter generatur in ipso.

4 Item, Nihil differt ad generationem gaudij sui, quòd quis simpliciter adipiscatur bonum, siue bonum sibi: sed pœnitens adeptus est bonum sibi: ergo simpliciter gaudet.

5 Item, Virtutis (vt dicit Boëtius) iucunda est possessio: sed pœnitentia virtus quædam est: ergo possessio eius est iucunda: sed maxime ab homine in actu possidetur, quando actu dolet: ergo tunc simpliciter iucundatur pœnitens, & gaudet.

6 Item, Galat. 5. super illo, Fructus autem spiritus sunt charitas, &c. dicit Ambrosius, Hæ virtutes fructus dicuntur: quia syncera & sancta delectatione suos delectant possessores.

SOLVTIO. Dicendum, quòd vt dicit Augustinus, Gaudium est diffusio animi ex conceptione præsentis boni: sicut econtra tristitia est constrictio animi ex conceptione præsentis mali; & timor motus secundum sistolen siue constrictionem in fugam futuri & expectati mali. Spes autem protensio siue dilatatio animi in expectatione boni futuri, siue hoc bonum sit simpliciter, siue vt nunc bonum, dummodo illud bonum sit vt bonum per se, & non vt desideratum propter aliud: quia tunc posset in se esse desideratum, non sicut vri & secari desiderantur propter salutem, cum tamen in se nullus sit qui velit vri vel secari: vnde etiam talia non simpliciter desiderantur, sed potius sustinentur propter aliquid quod desideratur simpliciter: & ideo propter hoc non contrariantur in talibus velle malum sustinere, & gaudere de hoc quod inducit malum quod sustinetur,

Solutio.

sicut

ſicut de ſanitate. Eodem modo dico, quòd nullus vult vel deſiderat dolorem inquantum dolor eſt, ſed vult eum potius inquantum eſt purgatiuus & inductiuus veniæ: & ſi gaudet de dolore, non gaudet inquantum dolor eſt, ſed potius inquantum inductiuus eſt iuſtiſtificationis & liberationis à peccato. Patet igitur, quòd hoc modo non eſt contrarium gaudere & dolere: quia non referuntur ad idem.

DICENDVM ergo ad primum, quòd dolor dupliciter conſideratur, ſcilicet ex parte dolentis, & ex parte eiuſdem de quo eſt dolor, vt mouente, & materia circa quam eſt, & fine: quia omnia iſta in talibus incidunt in idem. Si primo modo: tunc conſideratur tantum in genere: quia ſpeciem non accipit aliquis niſi ex parte obiecti mouentis. Si autem ſecundo modo: tunc accipit ſpeciem obiecti mouentis circa quod eſt dolor: & ex illa parte nihil prohibet dolorem eſſe contrarium dolori qui eſt ſpecierum contrariarum. Et ſic dico, quòd dolor qui eſt in pœnitentia inuidiæ, contrariatur dolori vel triſtitiæ quæ eſt in ipſa inuidia. Dolere enim de proſperitate aliorum inuidiæ eſt: & dolere de hoc quod ſic dolet, contrarius dolor eſt repugnans illi, & expellens eum. Et ſic patet eſſe verum, quòd contraria contrariis curantur. Hanc autem ſolutionem puto veriorem inter omnes. Tamen commnnis opinio eſt, quòd talia peccata non ſunt ſine delectatione aliqua, & reſpectu illius contrariatur eis dolor pœnitentiæ: qui enim triſtatur de bono proximi, gaudet de bono ptoprio. Sed hæc ſolutio, meo iudicio, parum valet: quia licet inuidia radicem habeat in bono proprio, tamen ſpeciem & ſubſtantiam accipit à triſtitia boni proximi: & ideo in illa parte debet ei quæri contrarium medicamentum.

PER HOC patet ſolutio ad ſecundum & tertium.

AD ID quod vlterius quæritur, dicendum quòd illo modo quo prædictum eſt, non eſt contrarium habere gaudium & dolorem ſimul: quia non ſunt de eodem, nec in eodem ſecundum idem. Quod non ſunt de eodem, patet: quia dolor eſt de peccatis commiſſis, gaudium autem de dolore, vt dicitur in litera. Et quod non ſunt in eodem ſecundum idem, patet: quia dolor eſt in affectu cum contactu ſenſus, aliquo modo præſentis peccati: ſed gaudium eſt in affectu ex aliquo ſenſu effectus doloris, & non doloris vtdolor eſt ex ſenſu, ſed inquantum inductiuus eſt putitatis quæ redditur per dolorem. Si autem obiicitur, ſicut ſupra notatum eſt ſæpius, quòd nos huic opinioni aſſentimus, quòd anima ſimul non mouetur pluribus motibus, motus autem plures & paſſiones plures ſunt doloris & gaudij, & nos concedimus quòd iſta ſimul ſtant in affectu, & ideo contrariamur nobis. Dicendum, quòd nos non ponimus illa ex æquo eſſe in affectu, nec vt duos motus, ſed vt vnum compoſitum. Et vt melius intelligatur notandum eſt, quòd quædam eſt potentia intellectus ſimpliciter, quam Commentator ſuper primum librum de anima vocat informationem quæ eſt de incomplexo. Et quædam potentia eſt intellectus compoſitus ſiue ratio, quam vocat ibidem Commentator fidem. Accipiendo igitur vnum modum compoſitionis, qui eſt per modum compoſitionis vel ratiocinationis, eo quod dicit Iſaac, quòd ratio facit currere cauſam in cauſatum: dicimus, quòd ſicut eſt in conceptu, ita ſequitur paſſio vel motus in affectu. Eſt autem in conceptu apprehenſus dolor voluntarius inductiuus veniæ: ergo ſequitur motus in affectu compoſitus, qui eſt gaudium de dolore, ſic expurgante animam & emundante. Et ita patet, quòd non ſunt duo motus, ſed vnus. Plura autem dicta ſunt de hoc in notulis ſuper tertium, vbi agitur de paſſione Chriſti.

AD ALIVD quod obiicitur de Auguſtino, quòd ſimpliciter triſtabile dulce ſit: dicendum quòd falſum eſt: nec hoc intendit, ſed voluntas manendi in luctu, eſt voluntas ſecundum quid, & hoc dupliciter, ſcilicet quia vincit contriſtans & excludit delectamenta, ſicut fit in morte amicorum: & tunc non eſt requies in luctu niſi per accidens, ſcilicet quia alia requies non inuenitur, eo quod excluduntur conſolatoria, vincente triſtabili: vel quia ad hoc delectabile habet adiumentum, ſicut habent hiſtoriæ & fabulæ, quæ licet ſint triſtium ſimpliciter, tamen quia mira quædam prætendunt, & homines ex cupiditate audiendi mira, intendunt eis, licet ſint triſtia: & ideo talia ſunt triſtia ſimpliciter, & delectabilia ſecundum quid.

AD HOC quod obiicitur contra dictum illud, dicendum quòd ego de plano concedo.

AD ID quod obiicitur contra ſolutionem, quòd vnum inſit per ſe, alterum ſecundum quid, dicendum quòd in veritate pœnitens dolet & gaudet, vt dictum eſt: & vtrumque poteſt concedi ineſſe ſimpliciter modo prædicto: quia dolor ineſt ſenſualitati, gaudium vero ineſt rationi, nec de eodem, nec ſecundum idem. Nec eſt ibi aliquod inconueniens.

Determinatio intelligentiæ dictorum.

DE pœnitentia perfectorum, vel ad ſalutem ſufficienti intelligendum eſt quod ſupra dixit, ſcilicet, Pœnitentia eſt vindicta ſemper puniens quod commiſit: & alia huiuſmodi. Illud vero, Si pœnitentia finitur, nihil de venia relinquitur: dupliciter accipi poteſt. Si enim iuxta quorundam intelligentiam peccata dimiſſa redeunt, facile eſt intelligere nihil de venia relinqui: quia peccata dimiſſa iterum replicantur. Sicut enim ille qui ex ſeruitute in libertatem manumittitur, interim vere B

liber est , & tamen propter offensam in seruitutem postea reuocatur : sic & pœnitenti peccata vere dimittuntur , & tamen propter offensam quæ replicatur , iterum redeunt. Si vero non redire dicantur, sane potest dici etiam sic nihil de venia relinqui : non quòd dimissa peccata iterum imputentur , sed quia propter ingratitudinem ita reus & immundus constituitur, ac si illa redirent.

ARTICVLVS XXVII.

Qui dicuntur perfecti , & quæ est pœnitentia perfectorum ?

DEinde obiicitur de hoc quod dicit *ibi* [De pœnitentia perfectorum,&c.] Perfecti enim sunt qui ex voto se ad perfectionem obligauerunt : & non tantum his conuenit semper in se pœnitere , sed etiam aliis : quia omnes debent habere propositum perseuerandi in pœnitentia.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum , quòd perfecti vocantur hic illi qui secundum statum pœnitentiæ hic sunt perfecti , & illi sunt qui continuant pœnitentiam vsque ad mortem. Est enim perfectio pœnitentiæ secundum esse,& secundum bene esse in consecutione finis. Secundum esse quatuor exiguntur ad perfectionem pœnitentiæ , scilicet reuocatio à malo,dolor de commisso, propositum non committendi , & diligentia satisfaciendi. Secundum bene esse quæ in consecutione finis est, quando actu continuatur vsque ad salutem post mortem : vnde Ambros. Sicut charitas alia est incipiens, alia proficiens, alia perfecta : sic pœnitentia aliqua incipientium est , aliqua proficientium , aliqua perfectorum. Et per hoc patet solutio ad obiectum : quia non loquitur hic de tali perfectione quæ est per votum , vel in signo habitus religionis.

De solenni & vnica pœnitentia.

C De pœn. dist.3. c. Reperiuntur. ILLVD autem quod Ambros. ait , Reprehenduntur , &c Et sicut vnum baptisma , ita & vna pœnitentia : non secundum generalem , sed secundum specialem morem Ecclesiæ de solenni pœnitentia dictum intelligitur , quæ apud quosdam semel celebrata non iteratur. Item illud aliud Ambrosij , Pœnitentia semel vsurpata nec celebrata , & fructum prioris aufert , & vsum sequentis amittit : de solenni intelligitur. Solennis ergo pœnitentia, vt Ambros. in eodem ait , est quæ fit extra Ecclesiam in manifesto , in cinere , & cilicio : quæ pro grauioribus horrendisque ac manifestis delictis tantum imponitur ; & illa non est iteranda pro reuerentia sacramenti , vt ne vilescat & contemptibilis fiat hominibus. Vnde Augusł. Quamuis caute & salubriter prouisum sit , vt locus illius humillimæ pœnitentiæ semel in Ecclesia concedatur , ne medicina vilis vel minus vtilis esset ægrotis : quæ tanto magis salubris est , quanto minus contemptibilis fuerit. Quis tamen audeat Deo dicere , Quare huic homini qui post pœnitentiam primam rursus se laqueis iniquitatis obstringit , adhuc iterum parcis ? Origenes quoque de hac solenni pœnitentia , quæ pro grauioribus criminibus iniungitur, ait: Si nos aliqua culpa mortalis inuenerit , quæ non in crimine mortali , vel in blasphemia fidei , sed in sermonis vel in morum vitio consistat : hæc culpa semper reparari potest : nec interdicitur aliquando de huiusmodi pœnitentiam agere , sed non ita de grauioribus criminibus. In grauioribus enim criminibus semel tantum pœnitentiæ conceditur locus. Communia quæ frequenter incurrimus , semper pœnitentiam recipiunt , & semper redimuntur. Communia dicit venialia peccata , & forte mortalia quędam aliis minus grauia:

Ad Macedoniũ ep.54.

Super Leuit. cap.15. hom.15.

grauia : quæ ſicut ſępe committuntur , ita frequenter per pœnitentiam redimuntur. Sed de grauioribus criminibus ſemel tantum agitur pœnitentia , ſcilicet ſolennis. Nam & de illis , ſi iterentur, iteratur pœnitentia , ſed non ſolennis , quod tamen in quibuſdam Eccleſiis non ſeruatur.

ARTICVLVS XXVIII.

Quot ſint modi pœnitentiæ ?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi*[Solennis pœnitentia , vt Ambroſius,&c.]Notandum ergo, quòd tres ſunt modi pœnitentiæ,ſcilicet ſolennis,priuata, & publica. Solennis eſt quæ incohatur in principio quadrageſimæ , quando pœnitens ponitur extra Eccleſiam. Hanc autem eiectionem pœnitentis debet facere Epiſcopus cum Presbyteris , qui modum culpæ nouerunt: & non eſt imponenda niſi pro crimine quod totam commouet vrbem, vt 26.quæſt.cap.vlt.Preſbyter inconſulto Epiſcopo. Hæc autem pœnitentia non eſt iteranda : quia eſt repræſentatio eiectionis Adæ de paradiſo : introductio autem non eſt in paradiſum niſi poſt mortem Chriſti ad minus , quod repræſentatur in Paſcha. Vnde de prima dicitur , quòd cum crebris ſuſpiriis denuntiet eis Epiſcopus , quod ſicut Adam pro peccatis ſuis eiectus eſt à paradiſo , ita ipſi pro peccatis ſuis ab Eccleſia proiiciuntur : poſt iubeat miniſtris , quod expellant eos,clero dicente , In ſudore vultus tui veſceris pane tuo : vt videntes ſanctam Eccleſiam pro ſuis facinoribus commotam , pœnitentiam non paruipendant : tamen debent mitti in Eccleſiam in cœna Domini : ſed tunc cum aliis non communicabunt in Euchariſtia , aut in oſculo : & ſic manebunt vſque ad octauas Paſchæ , & tunc iterum exibunt. Si autem pœnitent , bene poterunt habere introitum Eccleſiæ , ſecundum quod Epiſcopo videbitur expedire : quandoque autem vſque ad finem vitæ permanebunt. Si autem datur ſolennis reconciliatio , tantum fiat ab Epiſcopo vel Abbate vel ſacerdote de mandato Epiſcopi , ſi non poteſt commode fieri ab Epiſcopo , præcipue vero in articulo neceſſitatis : quia tunc à ſimplici ſacerdote poteſt fieri vt 26. quæſt.6. cap. vltim. & penult. Item hæc ſolennis pœnitentia non eſt imponenda ſacerdotibus , nec diaconibus , vt dicitur infra, Conſiderandum eſt nec etiam clerico, niſi prius depoſito. Item, Qui ſuſcipit talem pœnitentiam , interim dum agit eam , non debet contrahere matrimonium : ſi tamen contraxerit, contractum eſt & tenet.

Publica autem pœnitentia eſt quam aliquis publice facit in ſignis publicationis pœnitentiæ , licet non ita ſolennibus : & hæc etiam , vt dicunt quidam , non eſt iniungenda ſacerdotibus, vt habetur 82. diſtinct. Presbyter : vbi dicitur, quòd ſacerdos non debet publice pœnitere inter laicos. Tamen contrarium videtur dici 28. diſtinct. Presbyter. Et ſoluitur : quia ſi eſt crimen occultum , non debet publice pœnitere. Si autem publicum , tanta poteſt eſſe enormitas delicti , quòd poteſt publice pœnitere , & debet. Alio modo dicitur publica pœnitentia , ſcilicet quælibet , quæ fit in facie Eccleſiæ : ſicut cum iniungitur peregrinatio per mundum cum baculo cubitali. Hanc autem , vt dicunt , poteſt quilibet ſacerdos iniungere ſuo parrochiano : quia non inuenitur contrarium , niſi forte aliter ſit de conſuetudine illius Eccleſiæ. Priuata autem pœnitentia dicitur , quam quiſque facit cum ſuo ſacerdote,cui peccata ſua confitetur,& recipit ab eo dignum modum ſatisfaciendi.

ARTICVLVS XXIX.

An ſæpius iterata pœnitentia ſemper de criminibus datur venia toties quoties.

DEinde quæritur de hoc quod dicitur *ibi* [Aliqua culpa mortalis , &c.] Quædam enim eſt culpa mortalis quædam non mortalis vt veniale. Quædam mortalis , contra gratiam , vt fornicatio:quædam mortalis & contra gratiam & rationem , vt periurium : quædam autem mortalis & contra gratiam & contra rationem & contra naturam , vt ſodomia : quædam autem digna eſt accuſatione in iudicio : quædam blaſphemiæ, quæ eſt impoſitio falſi criminis in Deum , vel quando attribuitur ei quod non conuenit , vel quando negatur Deo quod ei conuenit , vel communicatur alij quod ei ſolum conuenit.

Deinde videnda tertia pars illius partis quæ incipit ibi [Quod vero pœnitentia non ſemel tantum agatur] Inducit hic Magiſter plurimas auctoritates , quòd ſæpius iteratur pœnitentia , & ſemper de criminibus datur venia. Videtur autem falſum dicere:quia Amos 1. ſuper illud , Super tribus ſceleribus Damaſci , &c. dicit Gloſſa Hieronymi : Ter indulgentiam Dominum poſſe dare ſignat,qui quarto eadem peccata admittentibus nec pœnitentiam nec indulgentiam daturum ſe denuntiat.

CONTRA videtur Matth. 18. Non dico tibi Petre , Vſque ſepties , ſed vſque ad ſeptuagies ſepties. *Sed contra.*

2 Item, Auguſtinus illud Ioan. 13. Et vos debetis alter alterius lauare pedes,&c.Cur Dominus pedes Petri lauiſſet , & hoc ipſum facere etiam docuiſſet,niſi quoniam ſicut quotidiana eſt offenſio, ita oportet quòd quotidiana ſit remiſſio.

3 Item , Bernardus ſuper Cantica ſermone 6. Maior eſt iniquitas mea,quam vt veniam mereat, abſit. Maior eſt pietas quam quæuis iniquitas. Sed impietas tanta eſt, quòd iteratur ſæpius:ergo maior pietas ſemper præſto eſt ad deſtruendum.

4 Item,Infinita eſt Dei miſericordia:ergo non finitur numero aliquo iterationis peccatorum: ergo quantumcunque iterantur peccata , ſemper conceditur pœnitentia, ſi quæratur.

ET HOC concedendum eſt. *Solutio.*

AD PRIMVM dicendum, quòd ſecundum Hieronymum, primum peccatum eſt cogitare. Secundum, conſentire cogitationi. Tertium, cogitata operari. Quartum autem, finaliter non pœnitere. Et hoc planum eſt, quod non remittitur: quia vita in peccatis finitur. Et ſicut dicit Damaſcenus, quod hominibus eſt mors, hoc eſt malis Angelis caſus: quia ſicut hominibus poſt mortem non datur locus pœnitentiæ, ita nec Angelis poſt caſum. Et ſic patet, quòd per illud non probatur non poſſe iterari pœnitentiam.

Auctoritatibus probat, quod non ſemel tantum, ſed frequenter peccata dimittantur per pœnitentiam.

D. Lib. de vera & falſa pœnitentia. cap. 5.

QVOD vero pœnitentia non ſemel tantum agatur, ſed frequenter iteretur, & per eam frequenter iterum venia præſtetur, pluribus Sanctorum teſtimoniis probatur. Ait enim Auguſt. ſcribens contra quoſdam hæreticos qui peccantibus poſt baptiſmum ſemel tantum dicebant vtilem eſſe pœnitentiam, ita: Adhuc inſtant perfidi, qui ſapiunt pluſquam oportet: non ſobrij, ſed excedentes menſuram, dicunt: Etſi ſemel peccantibus poſt baptiſmum valeat pœnitentia, non tamen ſæpe peccantibus proderit iterata: alioquin remiſſio ad peccandum eſſet incitatio. Dicunt enim, Quis non ſemper peccaret, ſi ſemper per pœnitentiam redire poſſet? Dicunt enim Dominum incitatorem mali, ſi ſemper peccantibus ſubuenit: & ei peccata placere, quibus ſemper præſto eſt gratia. Errant autem. Conſtat enim multum ei peccata diſplicere, qui ſemper præſto eſt ea deſtruere: ſed ſi ea amaret, non ſemper ea deſtrueret. Idem ad Macedonium, Intantum hominum iniquitas aliquando progreditur, vt, etiam poſt peractam pœnitentiam, & poſt altaris reconciliationem, vel ſimilia vel grauiora committant: & tamen Deus facit etiam ſuper tales oriri ſolem ſuum, nec minus tribuit quam ante tribuerat, largiſſima munera vitæ & ſalutis: & quamuis eis in Eccleſia locus ille pœnitentiæ non concedatur, Deus tamen ſuper eos ſuæ patientiæ non obliuiſcitur. Ex quorum numero ſiquis vobis dicat, dicite mihi vtrum aliquid proſit ad vitam futuram, ſi in iſta vita illecebroſiſſimæ voluptatis blandimenta contempſero, ſi me pœnitendo vehementius quam prius excruciauero, ſi vberius fleuero, ſi melius vixero, ſi pauperes largius ſuſtentauero, ſi charitate ardentius flagrauero? quis veſtrum ita deſipit, vt huic homini dicat, Nihil tibi iſta in poſterum proderunt. Vade ſaltem huius vitæ ſuauitate fruere. Auertat Deus tam inanem ſacrilegamque dementiam. Item Ioan. Chryſoſtomus de reparatione lapſi, Talis (mihi crede) talis eſt erga homines pietas Dei: nunquam ſpernit pœnitentiam, ſi ei ſyncere & ſimpliciter offeratur, etiamſi ad ſummum quis perueniat malorum, & inde tamen velit reuerti ad virtutis viam: ſuſcipit libenter & amplectitur, & facit omnia quatenus ad priorem reuocet ſtatum. Quodque eſt adhuc præſtantius & eminentius, etiamſi non potuerit quis explere omnem ſatisfaciendi ordinem, quantulamcunque tamen & quantumlibet breui tempore geſtam non reſpuit pœnitentiam: ſuſcipit etiam ipſam, nec patitur quamuis exiguæ conuerſionis perdere mercedem. Exemplis etiam hoc idem aſtrui poteſt. Dauid enim per pœnitentiam, adulterij ſimul & homicidij veniam impetrauit: & grauiter tamen poſtea deliquit in po-

Ad Roman. 12.

Epiſt. 54.

Matth. 5.

2. Reg. 11. Ambroſ. in Apologia Dauid. cap. 7.

puli

puli enumeratione, quod populi multitudo proſtrata oſtendit. Illud autem mirabile eſt, quòd Angelo ferienti plebem ſe obtulit dicens, Grex iſte quid fecit? fiat manus tua in me, & in domum patris mei. 1.Par.21. Quo facto ſtatim ſacrificio dignus iudicatur, qui abſolutione æſtimabatur indignus. Nec mirum ſi tali ſua oblatione pro populo, peccati ſui adeptus eſt veniam: cum Moyſes offerendo ſe pro plebis errore, peccata diluerit. His aliiſque teſtimoniis pluribus euidenter oſtenditur per pœnitentiam non ſemel tantum, ſed ſæpius nos a peccatis ſurgere, & veram pœnitentiam ſæpius agi. Voluntarie enim peccantibus nobis (vt ait Apoſtolus) pro peccatis non relinquitur hoſtia ſecunda, Hebr.10. ſcilicet quia ſemel tantum Chriſtum oportuit pati: nec relinquitur ſecundus baptiſmus. Relinquitur vero ſecunda pœnitentia, & tertia, & deinceps, vt Ioan. Chryſoſtomus ſuper hunc locum ait: Sciendum, inquit, quòd hic quidam exurgunt, horum verborum occaſione pœnitentiam auferentes: quaſi per pœnitentiam non valeat peccator poſt lapſum reſurgere ſecundo, & tertio, & deinceps. Verum etiam in hoc pœnitentiam non excludit, nec propitiationem, quæ ſæpe fit per pœnitentiam, ſed ſecundum baptiſmum & hoſtiam.

Exod.32. Rom.6. Ad cap. 10. ad Hebræ. homil. 10.

ARTICVLVS XXX.

An reſurgens per pœnitentiam à peccato, reſurgat in maiori charitate quam prius habuit?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Nec minus tribuit quam ante tribuerat, &c.] Ex hoc videtur, quòd quicunque reſurgit per pœnitentiam, quod reſurgat in æquali vel maiori, quam prius habuerit, charitate. Sed contra hoc videtur Num.11. Egreſſi de ſepulchris concupiſcentiæ, venerunt in Haſeroth. dicit Gloſſ. Hieronymi: Prudens lector attende, quòd poſt conſummatam in duodenario virtutem: quia ſuperbiuit Iſraël in ſepulchris concupiſcentiæ, carnes Ægyptias deſiderauit, & rurſum fundamentum iacit, & atria, id eſt, veſtibula virtutum ingreditur, oſtendens nobis eos qui ſtant poſſe cadere, & qui ceciderunt poſſe reſurgere. Haſeroth enim atria interpretatur: ſed veſtibula virtutis dicuntur virtutis initia. Cum ergo prius habuerint conſummatã virtutem, quæ per duodenarium numerum in Haſeroth ſignificatur, per caſum in ſepulchris concupiſcentiæ reducti ſunt ad initia. Ergo in minori virtute reſurrexit: non igitur in æquali, vel maiori, vt videtur.

2 Item, Ezech.44. Sed & Leuitæ qui longe receſſerunt à me in errore filiorum Iſraël, & errauerunt à me poſt idola ſua, & portauerunt iniquitatem ſuam: erunt in ſanctuario meo æditui, & ianitores. Ergo caſus deiecit eos in inferiora officia: & magis virtuoſis debetur maius officium: ergo reſurgent in minori virtute, vt videtur.

3 Item, Charitas minima poteſt reſurgere poſt priorem lapſum: ergo non eſt neceſſarium, quòd reſurgat in maiori, vel æquali, quia prius potuit habere maiorem, minorem, vel æqualem.

4 Item dicitur Matth.25. quòd dedit vnicuique ſecundum propriam virtutem: ſed virtus in reſurgentibus non eſt vis boni naturalis, & poteſtas naturalis debilitatur per peccatum: ergo videtur, quòd poſt lapſum minus datur ei quam ante: ergo reſurget in minori: non ergo in maiori.

5 Item, Si reſurgit in maiori, vel æquali: ergo quantumcunque enormia peccata commiſit, non impediunt eum à tali reſurrectione. Ponamus ergo vnum cecidiſſe per vnam fornicationem, & alium per multo maiora peccata: ergo illi reſurgunt in æquali charitate & virtutibus, vt videtur. Ponatur ergo, quòd æqualiter præparent ſe ad ſuſcipiendum gratiam, & in omnibus ſint æquales præter hæc duo ſolum, quòd plus offendens habuit ante maiorem gratiam, & quod turpius cecidit: ergo videtur, quòd nihil adiuuat iſtum ad habendum maiorem gratiam, niſi quod plus peccauit. Si dicas, Imo quia prius magis meruit ex maiori gratia. Contra: Ex hoc quod ex maiori gratia cecidit, fuit magis ingratus: & ex hoc quod fuit magis ingratus, magis peccauit: & ex hoc quod magis peccauit, minus conſequi debuit: ergo à primo, quanto maiorem gratiam habuit, minus poſtea de virtutibus & gratia conſequi debuit: ergo non reſurgit in æquali vel maiori.

6 Item, Ponamus duos cadentes à gratia, vnum à maiori, alterum à minori: & illum qui cecidit à maiori, ſe multo minus præparaſſe ad ſuſcipiendam gratiam, quam alium. Inde ſic: Deus dat vnicuique gratiam ſecundum propriam virtutem: & gloſſatur communiter, id eſt, conatum quo ſe præparat: ſed ille qui cecidit à minori gratia, magis ſe præparauit quam ille qui cecidit à maiori: ergo maiorem gratiam recipit: ergo per conſequens alius recipit minorem: non ergo ſurgit in æquali charitate & virtute.

7 Item, Amos 5. Vrbs de qua egrediebantur mille, &c. dicit Gloſſ. Vnitas habet ſacramentum

vnius Dei: & esse in hoc vno est summa beatitudo quæ vnus & verus Deus est. Secunda in secundo, scilicet in decade. Tertia in tertio, scilicet in centenario. Sicut enim denarius ex decem vnitatibus completur: sic centenarius decem decadibus,& millenarius decem centenariis, per quem quarta, id est, summa beatitudo significatur: de qua amissa siquis egerit pœnitentiam, de quarto, scilicet millenario vix redit ad tertium, scilicet centenarium: & si est in centenario, vix redit ad secundum, scilicet denarium: ergo patet, quòd Glossa vult, quòd resurgat in minori: non ergo semper in æquali vel in maiori.

8 Item, Quid est in causa, quòd in æquali vel in minori resurgat? in sanitate enim corporis amissa, videmus restitutionem sanitatis frequenter in minori robore corporis: ergo similiter & proportionaliter erit in amissa sanitate mentis: ergo resurgit in minori frequenter,vt videtur.

Sed contra. CONTRA: Rom.8. Scimus enim quoniam diligentibus Deum,&c. Gloss. Siqui etiam horum deuiant & exorbitant,& hoc ipsum facit eis Deus proficere in bonum. Qui autem proficit, acquirit maius quam prius habuit. Ergo per casum proficiendo resurgit in maioribus virtutibus quam prius.

2 Item, Rom.5. Vbi superabundauit delictum, superabundauit & gratia. Sed non potest superabundare gratia nisi detur maior à Domino quam prius. Ergo post casum maior gratia datur, quam prius habebatur. Ergo cadens resurget in maiori charitate quam habuit, quando cecidit.

3 Item, Ioel.2. Restituam vobis annos quos comedit locusta, &c. Vbi dicit Glossa, Non patiar perire vbertatem quam ante pro tribulationibus perdidistis:ergo restituit Dominus virtutem æqualem post lapsum virtuti quæ fuit ante lapsum,quia aliter aliquid deperisset.

4 Item,Lucæ 7. Plus diligit cui plus donauit. Sed cadenti cum resurgit plus donatur quam si nunquam cecidisset. Ergo plus diligit. Ergo in maiori charitate resurgit: quia maior charitas est quæ plus diligit, vt videtur.

5 Item,Matth.8. Dimisit eam febris,& surrexit, & ministrabat eis. Gloss. Sanitas enim Domini imperio data, tota simul datur. Ergo multo fortius in sanitate spirituali:ergo sanitatem spiritualem totam simul dat:ergo totam restituit priorem:ergo ad minus resurget in æquali.

6 Item, Hugo de sanct. Victor. Ad hoc cadere permissi sunt vt ex ipso suo casu emendarentur,& meliores efficerentur. Sed non sunt meliores nisi sit in eis charitas maior quam prius. Ergo,&c. Si forte dicas, quòd meliores resurgant quoad prudentiã, sed non quoad charitatem. Contra:Virtutes æquales sunt, & intensa vna, intenduntur omnes. Si ergo resurgunt magis prudentes: in qualibet ergo virtute præuia, resurgunt meliores.

7 Item, Per sequentem pœnitentiam reuiuiscunt merita priora: ergo omnia, aut quædam. Constat,quòd omnia per disputationem prius habitam:& post additur aliquid propter conuersionem posteriorem: ergo semper posterius habet totum prius, & aliquid plus:ergo posterior charitas semper est maior:ergo resurgunt in maiori charitate.

8 Item,Leuit.7. vbi immolatur holocaustum, dicit Gloss. Æque placet Deo virtus iustorum,& digna pœnitentia peccatorum,quæ restituit in statum pristinum, delendo peccatum:sed non restitueret in gradum pristinum, nisi esset æqualis primæ:ergo,&c.

9 Item, Ezech.18. Si impius egerit pœnitentiam ab omnibus iniquitatibus suis quas operatus est,omnium iniquitatum suarum non recordabor. Sed si nocerent iniquitates ad diminutionem gratiæ prius habitæ, Deus recordaretur iniquitatum: quia sensus est, Non recordabor ad puniendum pœna damni vel pœna sensus:ergo videtur, quòd æqualis virtus cadentis surgenti restituitur: ergo resurget in æquali charitate ad minus.

10 Item, Luc. 15. Dico vobis, gaudium est, &c. Augustinus. Videtur magis esse iustificare impios, quam iustos creare & conseruare. Causa autem huius ab omnibus Doctoribus assignatur & ab August. quia in creatione nihil resistit operationi Dei:sed in iustificatione impij resistunt peccata: ergo etiam resurgenti peccatori peccata resistunt:ergo indiget maiori virtute ad resurgendum, quam si iustus permansisset. Constat autem, quòd ei datur totum quo indiget ad resurgendum: ergo datur ei maior virtus, quam habuit antequam ceciderit: ergo resurget in maiori virtute, quam prius.

11 Item, Deus sapiens & bonus optime disposuit de prædestinatis:sed optima dispositio est, vt tunc vocatur de hac vita, quando fuit in optimo statu vitæ: constat autem, quòd multi prædestinati cadunt à iustitia, & iterum resurgunt, & tunc vocantur de hac vita: ergo vocantur in meliori statu in quo vnquam fuerunt ante casum:sed non potest status esse melior nisi resurgant in meliori charitate: ergo, &c. Et eadem est ratio de aliis cadentibus:ergo,&c.

Solutio. SOLVTIO. Hanc quæstionem determinat Magister Hugo de sanc. Vict.in lib.de sacramentis sic dicens, Certum est, qui cadit resurgere potest: & non solum resurgere potest, sed etiam melior resurgere, quam fuit quando cecidit. Multi ceciderunt, & meliores etiam resurrexerunt, quam fuissent si non cecidissent. Non tamen vult Magister Hugo, quòd hoc ita sit in omnibus. Vnde dicendum mihi videtur,quòd potest resurgere melior, & peior, & æque bonus. Et horum signum facile est videre in resurgentibus, qui quandoque tepidiores & debiliores inueniuntur post quam ante. Secundum hæc dicta debet responderi ad obiecta secundo loco inducta.

AD PRIMVM sic, quòd casus cooperatur in bonum per accidens, & non per se: & hoc bonum non semper maior est virtus, sed maior cautela standi, & maior deuotio in obsequio Dei: & ista possunt conuenire etiam minori virtuti: sicut minor charitas quandoque magis feruet, quam maior, sicut videmus in nouitiis & perfectis viris.

AD ALIVD dicendum, quòd non notatur superabundare gratiam super præcedentem statum aliquem,sed potius supra posse peccati:& hoc nullus est: sicut enim omnia sub peccato conclusa erant, ita multo magis gratia liberans aperuit. Contingit tamen aliquando, quòd abundat gratia, & in magnis peccatoribus plusquam in aliis. Sed hoc semper fieri non est necessarium.

Ad aliud dicendum, quòd hoc non intelligitur nisi quoad viuificationem præcedentium meritorum per pœnitentiam: non autem oportet, quòd virtutes in eadem quantitate restituantur: & hoc ideo est, quia virtutes præhabitæ non manent post casum, licet opera remaneant in reputatione Dei, vt supra diximus: & cum virtutes essentiales maneant in beatitudine, non potest quantitas beatitudinis esse secundum virtutes præcedentes, sed potius secundum sequentes: sed opera prius facta ad meritum computantur: & hoc non auget nisi præmium accidentale, non substantiale quod attenditur secundum quantitatem virtutum & charitatis in subiecto animæ, quæ omnes accipiunt quantitatem charitatis, & sic essentialiter in ipsam beatitudinem transibunt.

Ad aliud dicendum, quòd plus diligere dicitur in maius signum dilectionis, vel in maius debitum: sed non sequitur necessario, quòd ille talis etiam habeat maiorem charitatem.

Ad aliud dicendum, quòd Dominus totam sanitatem mentis simul restituit quoad habitum omnium virtutum, quia hoc debetur iustificationi: sed non quoad quantitatem virtutum, quia hoc non debetur iustificationi, sed potius sequenti merito. Et ideo dicit Augustinus, quòd charitas data meretur augeri, & aucta perfici, perfecta autem dicit, Cupio dissolui & esse cum Christo.

Ad aliud dicendum, quòd non oportet, quod meliores efficiantur nisi in modo custodiæ: & hoc ipsum non est necessarium: sed verum est, quòd hæc est intentio permittentis casum, quod dicit Magister Hugo, & loquitur de signo intentionis, & non beneplaciti, quia frequenter aliter accidit.

Ad aliud dicendum, quòd non sequitur si sunt prudentiores, quòd habeant maiorem prudentiam: quia nihil prohibet diuersis de causis minorem de essentia virtutem, esse magis in actu, quam maiorem, scilicet propter maiorem attentionem circa illam, vel maiorem consuetudinem operis, vel complexionem magis ad actum eius inclinantem, vel aliquid huiusmodi. Et ideo argumentatio illa non valet.

Ad aliud dicendum, quòd merita operum prius facta, per sequentem pœnitentiam reuiuiscunt secundum esse in reputatione meriti: sed non oportet, quòd secundum eandem vim merendi, vel quantitatem præmij quam ante habebant.

Ad aliud dicendum, quòd aliud est pœnitentia quæ requiritur à nobis à Deo, & aliud digna pœnitentia: quia digna pœnitentia est quam peccator habet ex consideratione sui casus: & ille plus debet quam iustus, & plus facit: &, sicut consueuit vulgariter dici, recuperat in syllabis quod amisit in temporibus. Vel dicatur, quòd æque placet ad iustificationem, sed non quantum ad quantitatem charitatis & virtutum. Tamen prior solutio est secundum intentionem Glossæ.

Ad aliud dicendum, quòd Deus non recordatur impietatis pristinæ quoad illud cuius causa meritoria est impietas, hoc est, inflictio pœnæ: sed quod non habet resurgens tantas virtutes, quantas prius: hoc est ex modo resurgendi, scilicet quia tepidus ad gratiæ susceptionem se præparauit, & non ex reseruatione vel recordatione peccatorum. Si enim hoc esset ex peccatis, omnis homo in minori charitate resurgeret: & hoc non est verum.

Ad aliud dicendum, quòd charitas minima sufficit ad surgere: sed verum est, quòd quando surgit, oportet quòd sit in maiori quodam feruore: & hunc sufficit elicere minima charitas: & non ostendit surreptio maiorem habitum, sed potius magis posse in opere.

Ad vltimum dicendum, quòd non puto hoc esse verum, quòd omnis saluandus moriatur in optimo statu in quo fuit tempore vitæ suæ: licet hoc à magno iam audierim Doctore, qui volebat hoc probare per illud Prouerb. 4. Semita iusti est lux splendens, & crescens vsque in perfectum diem. Sed hoc non sic intelligitur: quod sic patet: quia in eo quod cadit non crescit, sed potius intercipitur lux iustitiæ præsentis. Vnde quantum est de se crescit: quia charitas aut proficit aut deficit: sed incrementum est impedimentum secundum eum qui iustus est. Et quòd dicitur, quòd Deus optime disponit de saluandis, dicendum quòd hoc est verum quoad cautelam & occasionem intensioris feruoris: & vt dictum est, quòd non resurgit in maiori charitate, est præter intentionem Dei ex tepiditate resurgentis.

Ad ea vero quæ primo inducta sunt, quæ videntur probare, quòd resurgat in minori charitate, dicendum quòd omnes illæ auctoritates inductæ intelliguntur de minoritate dignitatis, & non de minoritate virtutis. Et alia soluere planum est. Huius autem exemplum est, quòd Episcopus degradatus propter hæresim, conuersus redit quandoque ad maiorem virtutem, sed non ad gradum pristinæ dignitatis. Nec hoc est verum, quòd ei qui habet maiorem virtutem, det Deus maiorem dignitatem: quia hoc impediunt notata in litera, scilicet irregularitas, & vt crimen pristinum magis timeatur, & vt aliis cauendi detur exemplum, & alia huiusmodi.

ARTICVLVS XXXI.

An sit aliquod summum malum?

Deinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Etiamsi ad summum aliquis veniat malorum, &c.] Videtur, quòd non sit aliquod summum malum: cum enim malum sit priuatio boni, non potest esse aliquid summum malum nisi quod vniuersaliter est bono priuatum: bonum autem cum non sit in genere, vt dicit Philosophus, conuertitur cum ente: ergo etiam est ente priuatum: sed priuatum ente non est: ergo summum malum non est.

2 Item, In his quæ per accessum & per recessum ab vno & ad vnum recipiunt intensionem, non est deuenire ad hoc summum: sed malum intenditur per recessum à bono: ergo non est in ipso deuenire ad aliquod summum: ergo non est aliquid summum malum. Probatio primæ. In quibus non ponitur terminus ad quem sed tantum à quo, infinitus est motus, eo quod motus non finitur nisi quando est in moto esse, & hoc est in termino ad quem: sed in comparationibus quæ sunt secundum recessum ab vno, & non se-

cundum accessum ad aliquid, non ponitur terminus ad quem: ergo infinita est recessio secundum potestatem: sed omne summum ponit terminum: ergo in talibus nullum est summum.

3 Item, Si aliquid esset summum malum, illud esset contrarium summo bono: ergo tantum posset in malo, quantum summum bonum in bono: sed summum bonum potest constituere omne ens: ergo summum malum destrueret omne ens: sed hoc est falsum: patet ergo quòd nihil est summum malum.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd nihil est summe malum absolute: sed secundum actum est aliquid ita malum, quòd nihil in actu peius: & hoc notat Magister hic & Ioannes Chrysostomus. Summum autem malum est duplex, scilicet simpliciter, & secundum statum. Simpliciter, vt dæmon quo non est aliquid peius. Secundum statum autem adhuc dupliciter, scilicet comparando statum ad statum: & sic summe mali sunt damnati. Vel comparando statum vnius personæ ad statum alterius personæ in statu vitæ, & sic dicimus obstinatos & impœnitentes summe malos. Et de talibus loquitur hic Chrysostomus.

ARTICVLVS XXXII.

An mali possunt reuerti ad virtutis viam per pœnitentiam?

DEinde quæritur de hoc quod dicitur *ibi* [Et inde cum velit reuerti ad virtutis viam, &c.] Videtur hoc esse falsum in damnatis dæmonibus & animabus. Quòd enim velint redire ad virtutis viam, videtur per hoc quod dicit Dionysius in libro de diuin.nom.c.4. Dæmones, bonum & optimum concupiscunt, inquantum esse, viuere, & intelligere concupiscũt. Inde arguo sic: Cuicunque cõuenit bonum & optimum concupiscere, illi conuenit concupiscere per se bonum: per se autem bonum virtus est & virtutis via: ergo concupiscunt illam: ergo Deus deberet eos suscipere ad pœnitentiam secundum ea quæ hic dicuntur.

2 Item, Omne concupiscens esse & viuere cum sapientia & deliberatione, concupiscit illud optimo modo sibi possibili, quia aliter esset vanum desiderium, quod Philosophus reputat inconueniens in primo ethicorum: sed dæmones (vt dicit Dionysius) concupiscunt esse, viuere, & intelligere: ergo concupiscunt illud optimo modo qui potest esse secundum naturam: hoc autem est secundum gratiam & gloriam: ergo concupiscunt illud illis modis: sed secundum gratiam concupiscere non est sine virtutis via: ergo concupiscentia virtutis via est: ergo debent recipi ad pœnitentiam.

Si dicatur, quòd non possint fugere malum, & ita non possint redire ad virtutes siue pœnitentiæ viam. Contra; Si non possunt fugere malum: aut causa huius impœnitentiæ erit extra eos: aut in eis. Si extra eos: tunc erit omnino violentia: ergo nullo modo culpabilis secundum Damasc. Gregor. Nazianzenum, & Philosophum: ergo non est eis imputabilis, sed potius violentiam inferenti: sed extrinsecus violentiam inferens, non potest esse nisi Deus: ergo Deus erit culpandus pro eo quod non possunt ad bonum conuerti. Si autem est causa intrinseca illius obstinationis, non videtur posse esse nisi duplex: vna scilicet quòd non habent vim perceptiuam mali quod eis nociuum est, sicut videmus plantas non fugere læsionem, quia nociuum non percipiunt: aut quia cum percipiunt, fugere nolunt. Si primo modo dicas accidere. Contra: Omni ei cui natura dat vim perceptiuam nocumenti, dat etiam illi potestatem aliquam fugiendi illud. Hoc etiam patet in his quæ non mouentur processiue, quæ tamen (vt dicit Philosophus) præsente læsiuo constringuntur, & præsente conuenienti dilatantur. Si ergo Angeli mali & animæ damnatæ habent vim perceptiuam læsiui: ergo vel est insufficiens, vel dedit eis potestatem fugiendi. Item, Melior est natura rationalis quam irrationalis: sed natura irrationalis sensibilis nunquam destituitur aliqua potentia fugiendi malum: ergo nec natura rationalis: ergo hæc causa esse non potest. Videtur autem, quòd nec secunda esse possit, scilicet quod sentiat, & non velit fugere. Omne enim quod voluntatem habet quam retrahere potest à malo hoc vel illo, potest remouere voluntatem vniuersaliter à malo: sed damnatus quantumcunque malum facit vel velit, potest non facere illud: ergo potest voluntatem vniuersaliter remouere à malo: & sic facit quantum in se est ad virtutem: ergo redit quantum in se est, ad virtutis viam. Item: Libertas à coactione (vt dicunt Sancti) naturalis est, & à nulla creatura rationali separatur: & hoc dignoscitur ex hoc quod nullum actum facit liberum arbitrium quod non possit dimittere eundem, & conuerti ad suum oppositum: ergo dæmones qui habent liberum arbitrium à coactione, nullum actum faciunt quem non possunt dimittere, & facere suum oppositum: ergo si velint, possunt dimittere malum, & conuerti ad bonum quantum in se est: ergo possunt suscipere pœnitentiam. Si forte dicas, quòd Deus non dat eis gratiam, nec vult dare: hoc omnino falsum est, cum dicat Anselmus, quòd ideo non habent, quia non accipiunt: non quia Deus non vult dare.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd hic multi multa opinantur quibus in nullo præiudicans, non recedo à mea opinione quæ notata est in tertio & secundo: & est hæc, quòd causa obstinationis damnatorum in malo dupliciter potest assignari, scilicet vna per congruentiam, vera autem per modum illum quod Legislatores in ciuilibus pœnas infligunt: ideo secundam ego causam ex talibus quæro, scilicet iusto iudicio Dei, quod colligitur ex tribus, scilicet natura damnati, determinatione status, & voluntate perpetua peccandi. Natura autem damnati, aut est dæmonis, aut hominis. Si dæmonis: tunc est malum suum contra deiformem intellectum esse, cuius non est perfici per speculum & ænigma, scilicet per ea quæ sunt creata in creatorem progredi, vt dicit Aug. & Bern. in quinto de consideratione his verbis, Sane scalaciues non egent, sed exules. Quod vidit ipse huius sententiæ auctor, qui cum diceret inuisibilia per visibilia conspici, signanter posuit à creatura mundi. Et vere quid opus scalis tenenti iam solium? Creatura cæli illa est, præsto habens per quod potius ista intueatur. Videt verbum, & in verbo facta per verbum. Nec opus habet ex his quæ facta sunt, factoris notitiam mendicare. Neque

que enim vt vel ipsa mouerit, ad ipsa descendit, quæ ibi illa videt, vbi longe melius sunt quam in seipsis. Vnde nec medium requirit ad ea corporis sensum : sensus ipsa sibi, seipsam sentiens. Optimum videndi genus, si nullius egueris, ad omne quod nosse libuerit, te contentus. Hucusque Bern. Dico igitur, quòd talis intellectus statim est accipere finem, vel deflecti ab ipso voluntarie: & quia post finem nihil est, ideo talis intellectus habet aptitudinem standi in fine statim, vel recedendi ab ipso : qui recessus est casus voluntarius à summa nobilitate intellectus. Quam aptitudinem naturalem deiformis intellectus sequitur confirmatio in bono, vel obstinatio in malo, ex iustitia cum aliis circunstantiis concurrentibus ad idē. Vnde Augustinus in lib. de mirabilibus irremediabili vindicta sūmus Angelus percussus est, cum peccans & mandatū sui conditoris homo transgrediens venialiter ad pœnitentiam postmodum reuocetur. Angelus ergo in summo honoris culmine constitutus, immutationem ad exellentiorem statum non habuit, nisi per contemplationem sui Creatoris confirmatus in eo statu permaneret, vbi conditus fuit : & idcirco prolapsus minime reuocari potuit, qui de sublimissimo sui ordinis statu prorui. Ex his patet, quòd iustitia obstinationis aptitudinem sequitur naturæ ipsius peccantis. Si autem damnatus est homo, tunc habet per multa media ire ad Creatorem : & ideo cadens in medio, venialiter cadit, rediens ad viam : sed cadens in termino viæ, vbi non sunt plura media, irremediabiliter cadit, quia suum malum est tunc contra rationem, vt dicit Dion. quia cadit de vno in alium: & habet non scientiam intuitiuam de Creatore, sed potius discursiuam, vt dicit Dion. Vnde Augustinus in eodem lib. Homo ad hoc in terris positus, generandi officio destinatus, ciborum vsui deputatus, immutationem ciborum in sublimiorem & meliorem & spiritualiorem vitam sine morte reciperet, si perstitisset : & ideo cum cecidit, non à summo cecidit gradu sui ordinis.

Secundum est determinatio status: iustum enim est quòd omni quod natum est suscipere perfectionem aliquam, determinetur status & tempus & locus acquirendi illam, vel carendi illa, si corruerit : & quia intellectus deiformis discursu non indiget, ideo Angelo status ille qui momento vel hora conuersionis vel auersionis est deputatus: sed homini per totum tempus quo vtitur sensibus & haurit ea quæ sunt via ad Creatorem: & ideo confirmatus Angelus, vel obstinatus efficitur post conuersionem, & homo post mortem. Vnde Apoc. 12. dicitur, quòd locus eorum amplius non est inuentus in cælo. Et Psalm. 74. Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo.

Tertium est in malitia confirmatio & voluntas non redeundi : sed hoc sequitur ex primis duobus. Vnde Isidor. 1. lib. de summo bono. Vno superbiæ lapsu, cum Deo per tumorem se committunt, & homo cecidit & diabolus : sed homo reuersus ad pœnitentiam, Deum superiorem se esse cognouit : diabolus vero non solum in hoc non contentus, quia Deo æqualem se æstimans cecidit : insuper etiam superiorem Deo se tunc dicit, secundum Apostoli dictum, qui ait : Aduersatur, & extollitur super omne quod dicitur Deus, aut quod colitur. Diabolus igitur iam non petit veniam, quia non compungitur ad pœnitentiam. Ex hoc accipitur quod dictum est ante, quòd iustitia condemnationis sequitur talem statum Angeli & hominis. Augustinus dicit de fide ad Petrum sic : Pars Angelorum quæ à suo creatore Deo, quo solo bono beata fuit, voluntaria prorsus auersione discessit, æquitatis summæ initium ac iudicij suæ damnationis in ipsa auersione voluntatis inuenit : vt non esset aliud in opere iam puniri, quam illius beneficij dilectione destitui : quam Deus in æterno sic creato præcepit permanere supplicio, vt etiam ei ignem æternum præpararet, in quo illi præuaricatores Angeli, nec mala possunt voluntate carere, nec pœna : sed permanente in eis iniustæ auersionis malo, permaneat etiam iustæ retributionis damnatio æterna. Ex his videtur sequi vlterius, quòd mala voluntas quæ est in damnatis, non est in eis peccatum. Tamen quia est eis in supplicium, & magis supplicium quam peccatum. Et ideo videtur quibusdam, quòd non aggrauet pœnam damnationis eorum, nisi indirecte quoad vermem conscientiæ.

Sunt autem & aliæ congruentiæ à Sanctis positæ, & à Magistris collectæ septem, quare Angelus irremediabiliter statim cecidit. Prima est desperatio, quæ est Alcuini super Genes. sic dicentis, Cur diabolus tam infestus est hominum saluti ? Respondeo, Propter odium in creatorem & inuidiam in hominem ex desperatione suæ salutis.

Alia : quia per se peccauit, non alterius suasu. Vnde Gregor. in moralibus, Apostata Angelus nulla spe vnquam veniæ, nulla conuersionis emendatione reuocatur : nec vnquam lumen pristini status recipit, quoniam hoc non suasu amisit. Sic illum quippe perpetratæ cæcitas superbiæ grauat, vt nunquam vlterius ad lucem pœnitentiæ per diuini respectus memoriam resurgat.

Tertia est : quia cum non sit assumptibilis, non congruit ei habere reparatorem. Vnde Anselm. in fine lib. Cur Deus homo, Diaboli reconciliationem impossibilem tunc etiam intelliges, si diligenter humanam consideres naturam : sicut enim homo non potuit reconciliari nisi per hominem Deum qui mori posset, per cuius iustitiam Deo restitueretur, quod peccatum hominis perdidit: ita angeli damnati non possunt saluari, nisi per Angelum Deum qui mori posset, & qui per suam iustitiam repararet, quod aliena peccata abstulerunt : & sicut homo per alium hominem qui non esset eiusdem generis, quamuis esset eiusdem naturæ, non debuit releuari: ita nullus Angelus per alium saluari potuit, quamuis omnes sint eiusdem naturæ : quoniam non sunt eiusdem generis, sicut homines: non enim sic sunt omnes Angeli de vno Angelo, quemadmodum omnes homines de vno homine.

Quarta est nulla infirmitas, nec grauans, nec deprimens. Vnde Isidor. de summo bono : Apostatæ Angeli ideo veniam non habent, quia carnalis infirmitatis nulla infirmitate grauati sunt vt peccent. Homines post peccatum iccirco reuertuntur ad veniam, propter quod ex lutea materia pondus traxerunt infirmitatis. Ideo propter infirmæ carnis conditionem reditus patet homini ad salutem: sicut etiā dicit Psal. 102. Ipse scit figmentum nostrum. Memento Domine, quòd terra sumus. Et iterum, Memorare quæ sit mea substantia.

2. Thessal. 2.

Quinta

Quinta est perspicuitas intelligentiæ: sed hæc prius aliqualiter tacta est. Vnde Dionys. Malum Angeli est contra deiformem intellectum esse, malum animæ contra rationem,& malum corporis contra naturam.

Sexta est particularitas lapsus: quia non tota lapsa est Angelica natura: humana autem tota lapsa est. Vnde Augustinus in ench. Placuit vniuersitatis creatori & moderatori: vt quoniam non tota multitudo Angelorum Deum deserendo perierat, ea quæ perierat in propria perditione permaneret. At vero quia creatura rationalis quæ in hominibus erat, quoniam peccatis atque suppliciis tota perierat, ex parte reparari poterat.

Septima & vltima est impugnatio Dei,qui deberet influere gratiam conuersionis: & ideo non recipit influentiam. Vnde Augustinus super Gen. ad literam. Quod putatur nunquam diabolus in veritate stetisse, sed ab ipso suæ conditionis initio cecidisse,non sic accipiendum est:vt malus à bono Deo putetur creatus: alioquin non ab initio cecidisse putaretur: nec enim cecidit,si talis est factus: sed factus continuo se à luce veritatis auertit, superbia tumidus, & propriæ potestatis delectatione corruptus.

Omnibus causis his consideratis,dicendũ quòd prima quæ est quædam congruentia naturæ, causa est quodammodo secundæ, & secunda est quodãmodo causa siue dispositio tertiæ:ex quibus conficitur iustitia confirmans eum in tali statu vt redire non possit,vt peccatum suum sit supplicium, quod fuit facienti peccatum,sicut diximus.

Ad primvm obiectum dicendum, quòd bonum & optimum dupliciter possunt considerari siue accipi, scilicet in genere, vel extra genus. Extra genus bonum est absolute bonum, & optimum est absolute optimum, quod est vnum solum:& hoc non concupiscunt concupiscentia perfecta: licet habeant instinctum naturalem imperfectum ad hoc. Si autem accipitur bonum & optimum in genere, bonum scilicet naturale: tunc hoc adhuc dupliciter consideratur, scilicet absolute:& sic esse, viuere, & intelligere, sunt bona concupita à damnatis: aut respectiue,scilicet per comparationem ad pœnam: & sic meo iudicio nihil prohibet ea non appeti, prout videlicet talia bona sunt sub pœnis. Et ideo dicit Dionys.Inquantum sunt,bonum & optimum concupiscunt, non inquantum puniti sunt: & ideo patet, quòd illa ratio nihil valet:quia Dionys.non loquitur de bono in genere boni vel virtutis, vt diximus: & si extenderetur ad hoc, est aliqua concupiscentia boni imperfecta: quæ non est in eis nisi inquantum sunt, & non simpliciter: quia simpliciter non habent voluntatem nisi quæ competit eis prout sunt sub pœnis & malitia.

Ad alivd dicendum, quòd ego nescio bene videre, quæ sit causa necessaria immobilitatis mali damnatorum, vel impotentia fugæ: sed tamen videtur mihi, quòd causa sit partim intus, & partim extra. Intus sicut dispositio est aptitudo naturæ à qua cadunt, & determinatio status in cuius termino cadunt.Extra autem iustitia diuina confirmans in eo quod finaliter elegit damnatus voluntatem. Et quantum ad hoc vltimum non est dubium obstinationem voluntatis magis habere rationem supplicij,quam peccati.

Ad id quod obiicitur,quòd si extra est,quòd est violentia:dicendum, quòd hoc esset verum, si tantum esset extra: sed dispositiue meritorie est intra.

Ad id quod obiicitur, quòd si percipit pœnas, & non fugit, &c. dicendum, quòd damnati percipiunt pœnas: & pœna percepta dupliciter consideratur, scilicet inquantum contraria est naturæ bonæ quam punit: & si ita tantum consideraretur ab eis, fugerent eam: quia, sicut prius dictum est, bonum concupiscunt, inquantum esse & viuere & intelligere concupiscunt. Et illi bono pœna est contraria, dicente Augustino, quòd pœna non est malum,nisi quia contrariatur naturæ bonæ:sed quia appetitus & talis consideratio non est perfecta in ipsis, sed quasi in potentia, scilicet in radice naturæ tantum, ideo pœnam non considerant, nisi inquantum est iusta sequela culpæ. Et quia immobiliter volunt culpam, ideo non fugiunt pœnam:& ideo per accidens se habent ad non fugere pœnam, scilicet inquantum est culpæ colligata, quam non fugiunt,sed potius prosequuntur & appetunt.

Ad hoc quod obiicitur, quòd deterioris conditionis sunt quam pecora:dicendum,quòd in pecoribus non est nisi instinctus naturæ, sed in dæmonibus instinctus malitiæ confirmatæ:& ideo non est comparatio:sed si secundum naturam hoc esset,quod non fugerent pœnam,tunc valeret obiectio.

Ad alivd dicendum, quòd malum semper vult dæmon:sed hoc malũ vel illud non oportet eũ velle:vnde in hoc notatur obstinatio, quòd ex deliberatione semper vult malum: & non proprie cogitur,quia causa obstinationis non est extra tantum, vt dictum est. Sed si posset vniuersaliter auerti à malo, tunc sequeretur argumentum.

Ad vltimvm dicendum,quòd in veritate libertatem habet à coactione:quia non est coactus ad malum:quia tunc esset causa tantum extrinseca, sed est intrinseca, vt dictum est: & ideo nunquam sequitur istam partem, scilicet bonum:quia libertas infirmata est ad bonum & corrupta per habitum deliberatum ad malum trahentem.

ARTICVLVS XXXIII.

An ad primum statum sit reditus per pœnitentiam?

Facit omnia quatenus ad priorem statum reuocet, &c.] Hoc non videtur verum: quia prior status est innocentiæ:& ad illum non est regressus per pœnitentiam. Si dicatur, quòd reuocat ad priorem statum quantum ad immunitatem culpæ, sed non quantum ad dignitatem. Contra: Videmus, quòd cum pœnitens resurgit, adhuc remanet in illo difficultas bene agendi:& hoc est ex reliquiis peccati, quas ante non habuit: ergo per pœnitentiam, priorem statum non omnino recipit.

2 Item, Prior status est, quòd sit expeditus ab bene operandum secundum omne opus virtutis: & hoc non potest esse nisi ex habitu perfecto cuiuslibet virtutis: ergo hoc non est

solius

solius pœnitentiæ, vt videtur Magister supponere in litera.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum ad hoc, quòd pœnitentia in partibus suis habet restituere in pristinum statum, scilicet in contritione, confessione, & satisfactione: & præcipue quoad illam partem, quæ est satisfactio: quia illa supponit exercitium operis secundum quamlibet virtutem imperatam à pœnitentia: & sic cessat totum quod obiectum est.

ARTICVLVS XXXIV.

An Dauid debuit puniri propter numerationem?

GRauiter postea deliquit in populo, &c.] Videtur, quòd non debuit puniri Dauid ipsa enumeratione: quia plures fuerunt numerationes, & non sunt punitæ: vt Saul. 1.Regum 10. & 2. Paralip.4. sub Ioram rege Iuda. & 3.Reg.4. sub Ieroboam.

2 Item cum Dauid numerando peccauerit, & non populus, videtur iniustum, quòd punitus est populus.

Solutio. SOLVTIO. Alij ex præcepto Domini numerauerunt, vt Moyses: alij autem propter expeditionem ad pugnam, vt Saul: sed Dauid numerauit propter superbiam, & ideo peccauit.

AD ALIVD dicendum, quòd ipse est punitus ad ostendendum habitudinem populi ad principem, sicut totus populus punitus est propter vnius peccatum, scilicet Achor Iosue 6. Vnde Augustinus, Ostenditur in ipsa pœna Achor, quantum sit bonum in populo ipsa vnitas, vt non in seipsis singula, sed in toto partes æstimentur. Vel dicatur & melius, quòd in populo superbiuit: & ideo in ipso sicut in possessione punitus est: & sic pœna ipsa redundat in regem.

DISTINCTIO XV.

Quod pluribus irretitus peccatis, non potest pœnitere de vno vere nisi de omnibus pœniteat.

ET sicut prædictis auctoritatibus illorum error conuincitur, qui pœnitentiam sæpius agendam non putant, & per eam à lapsu peccantes frequenter surgere diffitentur: ita eisdem illorum opinio eliditur, qui pluribus irretitum peccatis asserunt de vno vere pœnitere, eiusdemque veniam à Domino consequi posse sine alterius pœnitentia. Quod etiam auctoritatibus astruere conantur. Ait enim Propheta, Non iudicabit Deus bis in idipsum. Vel vt alij transtulerunt, Non consurget duplex tribulatio. Si ergo, inquiunt illi, aliquis sacerdoti fuerit confessus vnum de duobus vel pluribus peccatis, & de illo iniunctam sibi pœnitentiam à sacerdote satisfactionem expleuerit cæteris tacitis, non pro illo peccato amplius iudicandus est, de quo satisfecit ad arbitrium sacerdotis, qui vicem Christi in Ecclesia gerit. Ideoque si de eo iterum iudicetur, bis in idipsum iudicat Deus, & consurget duplex tribulatio. Sed de his oportet illud tantum intelligi, qui præsentibus supplicijs commutantur in bonum, & sic perseuerant: super quos non consurget duplex tribulatio. Qui vero inter flagella duriores & deteriores fiunt, vt Pharao, præsentibus æterna connectunt: vt temporale supplicium sit eis æternæ pœnæ initium. Vnde Augustinus, Ignis succensus est, &c. id est, vindicta Dei hic incipiet, & ardebit vsque ad extremam damnationem. Hoc contra illos notandum est, qui dicunt illud, scilicet, Non iudicabit Deus bis in idipsum: ad omnia pertinere

A

Deut.22.

Cõment. ad eum locum 1. cap. Nahum Prophetæ.

Quid cogitatis contra Dominũ & in tomo 6.

tinere flagella : quia quidam hic flagellis emendantur, alij hic & in æternum puniuntur. Quinque enim modis flagella contingunt : vel vt iuſtis per patientiam merita augeantur, vt Iob : vel ad cuſtodiam virtutum, ne ſuperbia tentet, vt Paulo : vel ad corrigenda peccata, vt Mariæ lepra : vel ad gloriam Dei, vt de cæco nato : vel ad iudicium pœnæ, vt Herodi, quatenus hic videatur quid in inferno ſequatur, ſecundum illud : Duplici contritione contere eos Domine. Illa ergo auctoritas Nahum non cogit nos ſentire, omnia quæ temporaliter puniuntur, non vlterius à Deo punienda : nam & ſi ſuper eundem locum Hieronym. dicat Ægyptios & Iſraëlitas à Deo temporaliter punitos, ne in æternum punirentur: non eſt tamen de omnibus generaliter intelligendum. Ait enim ſic, Quod genus humanum diluuio, Sodomitas igne, Ægyptios mari, & Iſraëlitas in eremo perdidit, ſcitote ideo temporaliter pro peccatis puniſſe, ne in æternum puniret : quia non iudicabit Deus bis in idipſum. Qui ergo puniti ſunt, poſtea non punientur : alioquin mentitur Scriptura: quod nefas eſt dicere.

Iob 1. 2.Cor. 12. Num.12. Ioan.9. Act.12. Ier.17. Gen.17. Gen.16. Exod.14. Num.11.

DIVISIO TEXTVS.

ET ſicut prædictis auctoritatibus] Hic incipit pars illa in qua elidit errorem ſecundum, hunc ſcilicet quòd de vno peccato poſſit pœnitentia agi, alio peccato in delectatione retento. Et diuiditur hæc pars in duas partes. In prima obiicit ex canone, & ſoluit. In ſecunda obiicit ex dictis Patrum, & ſoluit. Prima pars ſubdiuiditur in duas, ſcilicet in obiectionem, & ſolutionem. Secunda incipit *ibi* [Sed de his oportet tantum intelligi] In capitulo iſto tria facit. Primo errorem recitat : deinde pro errore illo auctoritatem primo inducit : tertio format obiectionem ex ſententia auctoritatis : & hæc patent in litera.

ARTICVLVS I.

An de vno peccato poteſt agi pœnitentia, alio peccato in delectatione retento?

INcidit autem hic quæſtio, An verum ſit quod dicunt illi? Videtur, quòd ſic : debita enim diuiſim contracta, iuſte diuiſim ſolui poſſunt : peccata ſunt debita diuiſim contracta : ergo, &c. Quod autem peccata ſunt debita, patet per id Luc.7. Duo debitores erant cuidam fœneratori. Et Matth. 18. Dimiſit ei vniuerſum debitum. Item Matth.6. Dimitte nobis debita noſtra.

2 Item, 5.ethicorum vult Ariſtot. quòd iuſtitia vno modo, licet non generaliter, idem ſit quod contrapaſſio, & iuſtum idem quod contrapaſſum, ſicut dicit Plato. Ponamus ergo, quòd aliquis offenderit in decem, & in duobus contrapaſſus ſit per ſuſtinentiam pœnæ : aut ergo Deus cui debet, illam ſatisfactionem exquirit, aut non. Si ſic : ergo iniuſte videtur procedere : quia à lege non præcipitur, niſi qui forefecit, contrapatiatur. Si non : tunc habetur propoſitum.

3 Si forte dicas, quòd iuſtitia Dei exigit adhuc ſatisfactionem, ſed non iuſtitia humana : hoc nihil eſt : quia infinita eſt iuſtitia diuina, & ſemper miſericordia ſuperexaltat iudicium : cum igitur in tali caſu nihil exigit iuſtitia humana, videtur multo minus, quòd iuſtitia diuina aliquid exigat vlterius ab illo.

4 Item, Supra habitum eſt ex verbis Auguſt. in lib. de pœnitentia, quòd conſtat ei multum peccata diſplicere, qui ſemper præſto eſt ea deſtruere : ergo & multo magis conſtabit hoc, ſi omnino deſtruat quo deſtrui poſſunt : ſed hoc fit ſigillatim deſtruendo : ergo videtur, quòd ſigillatim pœnitens deſtruat peccata.

5 Item, Si aliquis laborat duobus vel tribus morbis, qui diuerſas habent cauſas & oppoſitas: medicus expellit periculoſiorem morbum, alio dimiſſo, vel etiam confirmato in ſubiecto. Cum igitur ſimiliter ſit in morbis animæ, ſicut in morbis corporis, vt dicunt Sancti, videtur poſſe agi pœnitentia de vno peccato, alio in delectatione exiſtente.

6 Item, Nullus rex vel imperator iterum emendam exigeret ab aliquo, cui pro parte læſionis à vicario ſuo, qui loco eius eſt, condigna pœnitentia impoſita fuiſſet : ſed conſtat, quòd ſacerdos eſt vicarius Dei in confeſſione, & ſecundum auditum veram imponit pœnitentiam de duobus, vel tribus, aliis tacitis : ergo imperator ſummus vltetius de his non requiret pœnitentiam.

7 Si dicatur, quòd peccator non poteſt ſatisfacere niſi in charitate ſatisfaciat ; & quia non habet charitatem qui de vno pœnitet, & de alio non : ideo non poteſt ſatisfacere. Contra : Eccleſ.9. Nemo ſcit vtrum amore vel odio dignus ſit. Ergo nullus ſcit vtrum ſatisfaciat, vel non. Ergo tota die quilibet debet iterare pœnitentiam ſuam, & deſperare, quòd ſatisfacere non poſſit : eo quod hoc ſit penitus ignoratum, quod exigitur ad ſatisfactionem : hoc autem falſum eſt : ergo & hoc quod oportet aliquem ſatisfacere in charitate.

8 Item

8 Item Daniel. 4. Peccata tua eleemosynis redime. Constat autem, quòd Daniel quando dedit hoc consilium, sciuit regem esse iniquum: ergo iniquus in peccato vno, potest facere pœnitentiam de alio.

9 Item, Luc. 16. Facite vobis amicos de mammona iniquitatis. Gloss. Diuitiæ iniquitates dicuntur: quia de iniquitatibus sunt collectæ. Constat autem, quòd de talibus non possit fieri eleemosyna quæ faciat recipi in æterna tabernacula, nisi retenta parte iniqui, de alia parte posset fieri eleemosyna & satisfactio: ergo manens in vno peccato potest satisfacere de alio.

10 Item, Peccata non habent huiusmodi colligationem, qualem habent virtutes, sed vnumquodque est diuisum ab alio: sed quæcunque sunt diuisa abinuicem, horum vnum potest destrui, alio non destructo: ergo vnum peccatum potest destrui, alio retento: sed peccatum destruitur tantum per satisfactionem: ergo de vno potest fieri satisfactio, alio retento in voluntate.

11 Item, De virtute politica non est sic, quòd vna habita, omnia vitia excludantur: ergo videtur, quòd hoc etiam non debeat esse virtutis theologicæ, cum Deus salutem nostram desiderans, iuuat omnibus modis quibus homo iuuari potest. Si dicas, quòd de virtute politica est hoc, quòd qui habet vnam, habet omnes, sicut dicit Isidorus, sicut notatum est super tertio, quòd hæc fuit sententia Stoicorum, & Aristot. in quarto ethic. cum dicit de magnanimitate & magnanimo. Magnanimus nihil praue agit secundum aliquod vitium. Si, inquam, sic dicas: nihil est hoc, & contra intentionem Philosophorum: quia non attribuunt hoc virtuti secundum suum esse quo perficit suum actum proprium & essentialem sibi, sed potius secundum maximum suum posse quod habet in subiecto. Et ideo virtus secundum suum esse potest inesse subiecto, saluato in eodem subiecto aliquo vitio quod non contrariatur illi virtuti: & sic habetur propositum, vt videtur.

Sed contra. Sed quòd error sit pessimus & anathematizatus, sic videtur. 2. Corinth. 6. dicit Apostolus: Quæ conuentio Christi ad Belial? ergo nullam communicationem habet Christus ad cor in quo habitat diabolus: sed qui est in vno peccato mortali, est inhabitatio diaboli: ergo nullam communicationem habet cum eo Christus: sed nullam satisfactionem Christus accipit, nisi cum quo in gratia participat: ergo talem satisfactionem non accipit Christus, vt videtur.

2 Item, Apud homines durantibus inimicitiis non accipitur satisfactio lædentis: sed qui est in peccato, adhuc agit inimicitias contra Deum: ergo non recipitur eius satisfactio.

3 Item, Matth. 5. Si offers munus tuum ad altare, &c. Sed constat, quòd non est minor cura Deo, vt homo reconcilietur sibi, quam homini: ergo oportet prius in omnibus reconciliari Deo, & postea accipietur eius oblatio: sed oblationis genus quoddam est satisfactio digna: ergo oportet prius habere gratiam de omnibus peccatis, antequam satisfactio sit accepta: sed nullus voluntate permanens in vno, habet gratiam de omnibus: ergo voluntate permanens in vno, non potest satisfacere de alio.

2 Item, Qui est in peccato vno, vt dicit Augustinus non est dignus nisi pœna æterna: ergo non est dignus, vt satisfactionis eius opus accipiatur: & non satisfacit nisi opere Deo accepto: ergo qui est in vno peccato, non potest satisfacere de alio.

5 Item, Sine gratia non fit satisfactio: sed gratia complectitur omnes virtutes: ergo sine omnibus virtutibus simul non est satisfactio: sed opposita non sunt simul: ergo cum virtutibus non possunt esse vitia opposita: ergo qui habet gratiam, non habet aliquod peccatum: & nullus satisfacit nisi qui habet gratiam: ergo qui satisfacit, non habet aliquod peccatum: ergo à destructione consequentis, qui habet aliquod peccatum, non satisfacit.

6 Item, Non satisfacit qui non restituit Deo quod suum est: sed qui non restituit Deo animam quam abstulit, non restituit Deo quod suum est: ergo non satisfacit, qui animam non restituit: sed non restituitur anima, quamdiu manet voluntas peccati alicuius: ergo quamdiu aliquod peccatum est in voluntate, non potest fieri satisfactio.

7 Item, Sit ita, quòd aliquis satisfaciat de vno peccato, alio in voluntate retento: aut iste diligit Creatorem sicut debet, aut non. Si non: tunc non satisfacit. Probatio Luc. 7. Dimissa sunt ei peccata multa: quoniam dilexit multum. Si sic: ergo omne quod diligit, citra Deum diligit: sed citra Deum diligendo omne quod diligit, nihil mortali peccato diligit: ergo ille nihil mortaliter diligit: ergo nullum peccatum mortale manet in eius voluntate: & hoc est contra positum: ergo impossibile est de vno satisfacere, alio in delectatione retento.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd hoc est concedendum, quòd hoc quod in principio capituli pro opinione ponitur, licet falsa, tanquam fidei contrarium est condemnandũ. Et reducitur in contrarium illius articuli, Credo in Spiritum sanctum, scilicet sanctam Ecclesiam Catholicam. Vel contra illum, Remissionem peccatorum.

AD PRIMVM autem dicendum, quòd licet debita peccatorum sint diuisim contracta quantum ad conuersionem ad bonum commutabile, & quantum ad actum: tamen conueniunt in auersione ab vno bono increato: & quoad hoc habent rationem offensæ & culpæ: & ideo cum auersio illa maneat, alio quocunque peccato manente, non potest homo satisfacere de vno, alio retento. Et simile huius est in offensis hominum: quia læsor non potest satisfacere de læsione illa, perdurans in lædendo. Licet enim peccator Deum lædere non possit, tamen quantum est de se lædit.

AD HOC quod probatur, quòd peccata debita sunt, dicendum quòd debita humana sunt duplicia. Quædam enim sunt quæ voluntarie creduntur debitori: & talibus nulla est adiuncta offensa: & hoc modo non dicuntur debita peccata. Quædam sunt debita, quæ oriuntur ex læsione alicuius iniusta, vel in persona, vel in bonis, vel in honore: & talibus est adiuncta offensa læsi: & ideo non potest sibi satisfieri, nisi offensa cesset: hæc autem non cessat perdurante illo in aliquo modo læsionis: & talibus debitis assimilantur peccata. Et ideo patet, quòd ratio illa non valet.

AD ALIVD dicendum, quòd licet secundum Platonem iustum sit idem quod contrapassum,

sum, & hoc in quibusdam sit verum, sicut in directione iniuriæ illatæ: vbi inferens iniuriam contrapatitur tantum, quantum intulit: tamen hoc iustum supponit cessationem à læsione generaliter: & à læsione spirituali non cessatur, quamdiu durat voluntas peccati alicuius.

AD ALIVD dicendum, quòd iustitia hominum etiam bene exigit cessationem à læsione, vt iam patuit: sed alia debita quibus offensa eius cuius debitores sumus non est adiuncta, diuisim solui possunt. Et illis debitis in spiritualibus non sunt similia peccata, sed potius dona quæ donantur à Deo, vt lucremur in eis, sicut dicitur Matth. 25.

AD ALIVD dicendum, quòd peccatum actuale non destruitur in nobis sine nobis: quia, sicut dicit Augustinus. Qui creauit te sine te, non iustificabit te sine te. Non autem potest destrui nisi per gratiam, cui repugnat voluntas auersa à bono incommutabili: & cum illa maneat auersa etiam in vno solo peccato in delectatione tetento, non potest deleri aliud peccatum: cum tamen Deus in se semper paratus sit destruere quotiescunque non est impedimentum ex parte nostra.

AD ALIVD concedimus, quòd non est simile de morbis corporalibus & spiritualibus: quia morbi corporales non habent vnam causam: sed spirituales habent vnicam, quæ est voluntas, vel liberum arbitrium, quod quamdiu manet auersum, non est susceptibile medicinæ: & ideo nullus morbus spiritualis curatur in ipso.

AD ALIVD dicendum, quòd sacerdos talem ad pœnitentiã non suscipit nisi deceptus: sed quod exhibetur à ministro decepto, bene reuocatur iustitia regis: ideo obiectio adducit non simile pro simili, vel falsum supponitur in illo, scilicet quòd satisfactio vera sit, quam suscipit vicario decepto.

AD ALIVD dicendum, quòd licet homo non possit scire se habere charitatem scientia infallibili, potest tamen scire, scilicet scientia per signa probabilia accepta: & hoc sufficit, sicut sæpius in hoc opere notatum est.

AD ALIVD dicendum, quòd Daniel non intendit vt rex aliquis in aliquo peccato perduret, sed potius vt vitam mutet in melius, & tunc eleemosynis redimet pœnam peccatorum quam præuiderat sibi deberi propter peccatum.

AD ALIVD dicendum, quòd illius verbi sententia non est, quòd pecunia in parte retineatur, quæ ex iniquo est acquisita: sed potius supponit id quod est iuris positiui & communis, quod primo restituatur ablatum: deinde de residuo quod iniquum dicitur, quia inique, id est, auare contra pauperes retentum est: pauperes ad amicos emantur, vt recipiant benefactores suos in æterna tabernacula: sicut infra in eadem distinctione habebitur in quæstione de eleemosyna.

AD ALIVD dicendum, quòd peccata non habent colligationem in aliquo ente positiuo, quod sit sicut habitus, vel radix, vel aliquid huiusmodi: sed tamen habent conuenientiam in priuatione conuersionis ad bonum incommutabile: ex qua parte habent omnia rationem peccati & mali & culpæ offensionis. Et cum talis priuatio permaneat in eo qui perdurat in peccato, manet ira Dei super eum: & ideo non est perceptibilis gratiæ.

AD ALIVD dicendum, quòd de hoc diuersi diuersa sentiunt. Et quantum ad me pertinet, ego bene puto, quòd vna politicarum habetur sine alia: licet non quoad omne posse quod potest habere in subiecto: & tunc dicendum, quòd non est simile de politicis & infusis: quia infusæ intelliguntur virtutes formatæ, quæ sunt quasi quædam virtuales partes gratiæ gratum facientis: & ideo habent colligantiam in gratia, ita quod vna non habetur sine alia. Et ideo etiam nulla ibi est, quamdiu contrarium alicuius virtutis est in subiecto. Sed non est sic de politicis: quia illæ per consuetudinem & experimentum generationem sumunt, & consuetudines actuum diuersæ sunt: & ideo vna generatur in anima, alia non generata. Et per hoc patet solutio ad duo sequentia.

ARTICVLVS II.

An pro vno peccato potest consurgere duplex tribulatio?

DEinde quæritur de illo quod dicitur [Non consurget duplex tribulatio, &c.] Videtur contrarium in Psalm. 108. vbi dicitur: Induantur sicut diploide confusione sua.

2 Item, Eccl. 11. Error & tenebræ peccatoribus concreata sunt.

3 Item, In Psalm. 148. Ignis, grando, nix, &c.

SOLVTIO. Dicendum, quòd duplex tribulatio non consurget pro peccato quod simpliciter est vnum: sed quod est vnum subiecto, & plura deformitate: vel pro pluribus peccatis bene consurget duplex tribulatio: sicut cum peccati actus est vnus, est tamen ibi libido, & contemptus, & huiusmodi, quibus aliquid respondet in pœnis. Vnde dicendum ad primum, quòd hoc non intelligitur ratione diuersarum pœnarum debitarum vni peccato, sed ratione duarum partium ipsius peccantis, quæ sunt corpus & anima: & sicut peccauit in corpore & anima, ita etiam punitur in vtroque. *Solutio.*

AD ALIVD dicendum, quòd hoc intelligitur ratione priuationis habitus dirigentis in bonis moribus. Error enim est in eligendo, & tenebræ in prouidendo quid agendum sit.

AD ALIVD dicendum, quòd illæ pœnæ non respondent vni peccato simpliciter, sed pluribus, vel peccato quod vnum est subiecto, & multa deformitate.

ARTICVLVS III.

An pœnæ quæ commutant in bonum, & iniunguntur in satisfactione, sint iustæ, an non?

DEinde quæritur, de hoc quod dicitur [Qui præsentibus supplicijs commutantur in bonum, &c.] Hic potest quæri, Vtrum pœnæ illæ excipiatiuæ quæ commutant in bonum, & iniunguntur in satisfactione, sint iustæ aut, non? Videtur, quòd iustæ: quia Dominus punit peccantes his pœnis: & nullum punit Deus nisi iuste: ergo istæ pœnæ sunt iustæ.

2 Item, Iustum est quod iudex reddit pro meritis:

titis: sed meritum culpæ noc potest esse nisi pœna ergo cum illa infligitur peccatori, iuste fit ei: ergo talis pœna est iusta.

Sed contra. SED CONTRA: Mortali peccato debetur pœna æterna: ergo iniuste punitur, quando punitur pœna temporali.

2 Item, Si iuste punitur peccator pœna taxata, videtur iniustum, si taxata conuertatur in maiorem: sed hoc non est iniustum: ergo ista taxata non erat iusta. Probatio mediæ. Si non perficit pœnitens pœnitentiam iniunctam, punitur in purgatorio, quæ grauior est pœna.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd illa pœna si discrete est taxata, iusta est: quia tunc æstimantur circunstantiæ peccatoris, scilicet deuotio, voluntas, & huiusmodi, & circunstantiæ fori Ecclesiæ militantis, quæ iuuat, & alia. Vnde concedendæ sunt conclusiones primo inductæ.

AD ID quod contra obiicitur, dicendum quòd mortali secundum se debetur pœna æterna: sed mortali quod ex euentu sequentis compunctionis & confessionis factum est veniale, non debetur pœna æterna, sed temporalis.

AD ALIVD dicendum, quòd per accidens efficitur pœna maior: scilicet propter hoc quod mutantur circunstantiæ pœnitentis, & circunstantiæ fori in quo pœnitet. Voluntaria enim pœna hic, efficitur necessaria ibi: & ideo minoris virtutis in purgando: & ideo oportet, quòd intendatur, & aliæ circunstantiæ mutentur.

ARTICVLVS IV.

An quinque modi quibus flagella contingunt, sunt bene assignati & distincti?

DEinde enim quæritur de hoc quod dicitur [Quinque enim modis flagella contingunt] Videtur, quòd primus modus nullus sit: quia ille non supponit peccatum in flagellato, cum dicat Hieronymus, Quicquid patimur, peccata nostra meruerunt.

2 Item, Rom. 8. super id, Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum: dicit Glossa: Mors & omnia mala ex merito originalis peccati procedunt: ergo sine peccato non est aliquis modus flagelli iusti, vt videtur.

3 Item, Iob 6. Vtinam appenderentur peccata mea, &c. Ergo quicquid mali sustinemus, pro peccatis nostris accidere manifestum est.

4 Item, Gregor. Nulla nocebit aduersitas, si nulla dominetur iniquitas.

5 Item, Augustinus, Iniustum est creaturam rationalem sine peccato puniri: sed Deus nihil facit iniuste: ergo nullum punit nisi pro peccato.

Sed contra. CONTRA: Iob 16. Hæc passus sum absque vlla iniquitate, cum mundas ad Dominum habeo preces.

2 Item, Iob 19. Videte, quòd non ex æquo iudicio Deus me afflixerit, & flagellis suis me cinxerit.

3 Item, Gregor. in Gloss. Iustus conditor tot verberibus in beato Iob non vitia illius curauit extinguere, sed merita augere.

4 Item, Ioan. 19. Nec hic peccauit, neque parentes: sed vt manifestentur opera Dei in illo.

VLTERIVS obiicitur de secundo modo qui videtur, quòd ille nullus sit: quia incitatio ad vitium non est custodia virtutis: prouocatio autem ad iram sine causa, est incitatio ad vitium: ergo non est bona custodia virtutum: sed prouocatur ad iram, qui sine merito flagellatur: ergo est mala custodia virtutum.

2 Si dicas, quòd hoc est ne superbia tentet. Contra: Augustinus dicit, quòd superbia post omnes virtutes sæuit. Ergo etiam post pœnitentiam in tribulatione: ergo non magis cauetur superbia per tribulationem, quam per alium modum.

VLTERIVS quæritur de tertio modo. Videtur enim non esse correctio peccati. Peccatum enim non corrigitur nisi gratia quæ sibi contraria est, vel virtute: sed pœna non est contraria peccato: ergo non corrigitur peccatum per pœnam.

2 Item, Pœna quæ corrigit peccatum: aut habet hoc inquantum est pœna, aut inquantum est voluntaria, aut inquantum est inflicta, aut quantum ad duo illorum, aut quantum ad omnia tria. Si primo modo: tunc in omnibus corrigit peccatum: & sic intelligitur etiam modus quintus. Si secundo modo: ergo vbi est maior voluntas, ibi erit maior correctio peccati: sed ad suauia opera virtutum, & orationum, & huiusmodi, maior & suauior est voluntas: ergo magis per illa corrigetur peccatum, vt videtur: ergo illud purgatiuum peccati male videtur præordinari à summa sapientia. Si quoad tertium, hoc iterum non potest stare: quia in dæmonibus & damnatis pœna est inflicta, & tamen non corrigit peccatum. Si dicas, quòd quoad duo: aut hoc erit quia pœna voluntaria, aut quia pœna inflicta. Si primo modo: cum hoc non causetur ab eo quod est pœna, sed ab eo quod est voluntaria: videtur quod ea in quibus voluntas deuotior est, magis sit correctiua peccati: & illa sunt actus virtutum, & alia deuotionis opera, vt communiter dicitur ab omnibus.

VLTERIVS quæritur de quarto modo quem tangit: quia omnino videtur esse sine ratione: gloria enim Dei multis aliis modis sine hominum nocumento potest manifestari: ergo videtur, quòd inutilis sit iste.

2 Item, Videtur esse quædam conformitas ad miracula dæmonis: quia sicut dicitur in vita beati Bartholomæi, dæmones prius lædebant, & postea cessantes à læsione, curantes videbantur: & ita videtur hic esse: ergo iste modus nullus videtur.

SIMILITER quæritur de quinto: quia dicit Augustinus in lib. de pœnitentia, Quicquid permisit Deus pati, scias esse flagellum correctionis: sed Herodes patiebatur: ergo sua passio fuit flagellum correctionis, vt videtur.

2 Item, Quandiu datur locus correctionis & pœnitentiæ, tandiu debet differri condemnationis initium: sed per totam hanc vitam datur hic locus pœnitentiæ: ergo non debet hic inchoari condemnatio: ergo nullus punitur ante initium vel gustum suæ condemnationis: & sic quintus modus nullus videtur esse.

Sed contra. CONTRA hoc est quod dicitur 2. Machab. 9.

de Antiocho punito cum per pœnas humiliaretur, & oraret: Orabat autem sceleſtus Dominum, à quo non eſſet miſericordiam conſecuturus. Ergo pœna non valuit ei ad emendam delicti.

PRÆTEREA videtur, quòd tota illa diuiſio ſit inſufficiens: quia alia datur quæ continetur his verbus.

Erudit, vertit, probat, & latum facit, arctat, Confortat, ſatiat, conſummat, deinde coronat.

Erudit. Ier.9. Per omne flagellum erudiens Ieruſalem. Vertit, id eſt, conuertit. Pſalm.15. Multiplicatæ ſunt infirmitates eorum: poſtea acceleraverunt. Probat. Eccli.27. Vaſa figuli probat fornax: homines vero iuſta tentatio tribulationis. Lætum facit. Iacob.1. Omne gaudium exiſtimate fratres, cum in varias tentationes incideritis. Arctat. Iſa.28. Sola vexatio dat intellectum. Confortat Iob 6. Soluat manum ſuam, & ſuccidat me. Et hæc ſit mihi conſolatio, vt affligens me dolore, non parcat. Satiat, id eſt, fœcundat. Exod.1. Quanto magis Ægyptij opprimebant filios Iſraël, tanto magis creſcebant. Conſummat. Matth.5. Beati qui perſecutionem patiuntur propter iuſtitiam, &c. Coronat. 2.Corinth.4. Id enim quod in præſenti eſt momentaneum & leue tribulationis noſtræ, ſupra modum in ſublimitate æternum gloriæ pondus operatur in nobis.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum ad primum, quòd peccatum eſt duplex: vt dicit Auguſt. ſcilicet naturæ, & perſonæ. Et ſine peccato naturæ nullus patitur, nec etiam Chriſtus, ſicut notatum eſt in tertio, q. de paſſione Chriſti, ſed ſine peccato perſonæ multi puniti ſunt, vt Chriſtus, & Iob, & alij quidam: & ſic intelliguntur auctoritates primo inductæ.

AD ID quod de ſecundo modo quæritur, dicendum quòd omnis tribulatio inquantum humiliat, valet ad cuſtodiam virtutum: & licet hoc verum ſit vniuerſaliter, tamen eſt quædam ſpecies tribulationis quæ oſtendit infirmitates hominis & vtilitates corporis, quæ ſpecialem habet efficaciam humiliationis, ſicut fuit tribulatio beati Pauli, ſcilicet ſtimulus carnis.

AD HOC quod contra obiicitur, dicendum quòd tribulatio non eſt prouocatio niſi animi male diſpoſiti, ſcilicet irati: ſed hic loquitur Beda de animo tranquillo, & animo ſapientis: de quo probauerunt Philoſophi, quòd non cadit perturbatio in ſapientem: & ideo virtus quæ ſupponitur in tribulato, cauet perturbationem: ſed modus flagelli per ſe humiliatiuus eſt.

AD ALIVD dicendum, quòd licet ſuperbia poſt omnes virtutes ſæuiat: tamen poſt illam ſæuit minus quæ reducit hominem in actualem ſui ſtatus cognitionem: & ideo concludit falſum quantum eſt de ſe.

AD ID quod obiicitur de tertio, dicendum quòd in peccato duo ſunt, ſcilicet ſubſtantia peccati, & reatus conſequens peccatum: & peccatum quoad ſubſtantiam ſui non purgatur niſi per gratiam: ſed reatus qui eſt debitum pœnæ, purgatur per pœnæ ſolutionem.

AD ALIVD dicendum, quòd pœna purgat peccatum inquantum voluntarie ſuſcipitur pro peccato. Ad id quod contra obiicitur, dicendum quòd opera deuotionis plus quidem valent ad meritum vitæ æternæ: quia incendunt charitatem & feruorem; ſed pœna voluntarie percepta, plus valet ad meritum diminutionis pœnæ. Et hoc ideo: quia reatus pœnæ eſt per modum debitum iuſtitiæ: quæ à Philoſopho dicitur directiua damni. Et huiuſmodi iuſtitia exigit, vt tantum ſoluat, quantum deliquit: ſoluit autem cum luit pœnam: & ideo magis valet ad pœnæ ſolutionem ſuſtinere voluntarie pœnam. Ratio autem inducta procedit, ac ſi idem ſit meritum vitæ æternæ & diminutionis pœnæ, quod non eſt verum.

AD ID quod quarto quæritur, dicendum quòd ille modus rationem habet: quia per hoc quod punit & ſatiat, ſe conditorem naturæ eſſe oſtendit, ſicut ipſe dicit Ierem.18. Sicut lutum in manu figuli, ſic vos in manu mea, dicit Dominus. Aliis autem modis non ſe ita oſtenderet artificem luti naturæ noſtræ.

AD ALIVD dicendum, quòd dæmones conferebant ſanitatem aliquam: & læſio eorum fuit violenta: ſed Dominus mouendo naturam per diſpenſationem infirmat quandoque: ſed veram conferr ſanitatem, reductis humoribus ad æqualitatem, vel reintegratis membris compoſitionis corporis. Vnde non eſt ſimile quod pro ſimili eſt inductum.

AD ID quod quinto quæritur, dicendum, quòd bene puto, quòd quantum eſt de intentione flagelli & flagellantis, non flagellatur aliquis hic niſi vt corrigatur: ſed quod non corrigitur, præſcitur à flagellante, & ideo dicitur pœnæ æternæ initium. Quod enim guſtus ſit pœnarum, hoc ipſum deberet facere ipſum reſilire à peccato quantum eſt de natura pœnæ: vnde quòd non reuertitur, hoc eſt de obſtinatione flagellati: & tunc per accidens eſt quaſi initium pœnæ æternæ.

ET PER hoc patet ſolutio eorum quæ obiecta ſunt: quia Auguſtinus loquitur ſecundum intentionem flagellantis & non flagellati. Et in eodem ſenſu procedit ratio. Beda autem loquitur in litera de flagello ex parte flagellati, quod in illo facit obſtinationem, quæ eſt initium pœnæ æternæ.

AD ID quod obiicitur de diuiſione, dicendum quòd multæ cauſæ particulares aſſignari poſſunt flagelli: ſed tamen ſub his quinque vniuerſalibus incidunt: ſicut patet in octo membris ſecundæ diuiſionis. Eruditio enim reducitur ad cuſtodiam virtutum: conuerſio autem ad correctionem: probatio vero & lætificatio: confortatio & ſanatio & coronatio omnes incidunt ſub prima cauſa hic poſita. Et duæ cauſæ hic poſitæ non tanguntur in ſecunda diuiſione: quia generaliores habet partes, quam ſecunda. Et poteſt accipi numerus cauſarum hic poſitarum ſic. Flagellum fit aut ad promotionem boni, aut ad amotionem mali. Si primo modo: aut in Eccleſia, aut in perſona. Si in Eccleſia, ſic eſt ad gloriam Dei manifeſtandam, vt in cæco nato, Ioan.19. Si in perſona: aut eſt ad bonum quod non ineſt, ſed debet induci per flagellum: aut ad bonum quod ineſt, & poteſt meliorari per flagellum: quia ſicut dicit Poëta:

Non nocet admiſſo ſubdere calcar equo.

Si reſpectu eius quod non ineſt: ſic eſt ad vitij correctionem, vt virtus introducatur: quia dicit Boëtius, quòd prius extirpanda ſunt vitia, vt inſerantur virtutes. Si autem eſt reſpectu boni quod ineſt, ſed poteſt emendari in melius: tunc vel eſt

ex

ex parte subiecti: & tunc est radicatio maioris boni & conseruatio, & sic est virtutum custodia. Aut ex parte ipsius boni quod inest: & hoc non accipit meliorationem nisi secundum quantitatem: & tunc illa est causa quam vocat Augustinus merita. Si autem est respectu mali: aut hoc erit respectu mali amouendi: & sic est iterum ad correctionem vitiorum: quia nihil prohibet idem esse duorum vel amborum finium: vnius, tanquam eius quod est finis: alterius autem, tanquam eius quod est ad finem: & per flagellum primo est inserenda virtus: sed vt hoc fieri possit, necesse est vt extirpentur vitia. Aut est ad malum indicandum, quod extirpari propter obstinationem flagellati non potest: & sic est ad initium pœnæ æternæ. Sunt autem versus de istis causis.

Iob probat, inclinat Paulum, purgatque Mariam,
In caco sese manifestat, punit Herodem.

Vel sic:

Cur homo torquetur? ne fastu ei dominetur.
Cur homo torquetur? vt ei meritum cumuletur.
Cur homo torquetur? vt pœnis culpa pietur.
Cur homo torquetur? vt Christus glorificetur.
Cur homo torquetur? vt dupliciter puniatur.

Qua sit intelligentia præmissorum.

ATTENDE lector his verbis, & caue ne de omnibus generaliter intelligas: sed de his tantum qui inter ipsa flagella pœnitentiam egerunt, credentes Deum Hebræorum: quam, etsi breuem & momentaneam, tamen non respuit Deus. Quod autem qui temporali flagello non corriguntur, post æternaliter puniantur, ibidem ostendit, agens de fideli deprehenso in adulterio qui decollatur. Vbi ostendit leuia peccata breui & temporali supplicio purgari, magna vero diuturnis æterniſque suppliciis reseruari, ita inquiens: Quærat hic aliquis, si fidelis deprehensus in adulterio decolletur, quid de eo postea fiat? Aut enim punietur, & falsum est quod dicitur, Non iudicabit Deus bis in idipsum: aut non punietur, & optandum est adulteris vt hic breui pœna puniantur, vt frustrentur in cruciatus æternos. Ad quod respondemus, Deum vt omnium rerum, ita suppliciorum quoque scire mensuras, & non præueniri sententiam iudicis, nec illi in peccatorem exercendæ dehinc pœnæ auferre potestatem: & magnum peccatum magnis diuturniſque lui cruciatibus. Siquis vero punitus sit temporaliter, vt ille qui Israëlitæ maledixerat, & qui in sabbato ligna collegerat, tales postea non puniri: quia culpa leuis præsenti supplicio compensata sit: leuis enim culpa leui supplicio compensatur. His satis innuit Hieronymus grauia peccata & hic puniri graui supplicio, & in futuro punienda æternaliter, de quibus pœnitentia non agitur inter flagella. Leuia vero quæ hic puniuntur, leui pœna compensationem recipere: quod in bonis fieri non ambigimus, & in malis forte etiam fit ita. Satis iam apparet quod illi de Prophetia induxerunt, non facere pro eis qui dicunt, ei qui crimen sibi reseruat, de alio veniam præstari per pœnitentiam. Alias quoque auctoritates inducunt. Ait enim Gregor. Pluit Dominus super vnam ciuitatem, & super alteram non pluit: & eandem ciuitatem ex parte compluit, & ex parte aridam reliquit. Cum ille qui proximum odit, ab aliis vitiis se corrigit, vna eademque ciuitas ex parte compluitur, & ex parte arida manet: quia sunt quidam qui cum quędam vitia resecent, in aliis grauiter perdurant. Item Ambros. Prima consolatio est, quia non obliuiscitur misereri Deus. Secunda, per punitionem: vbi etsi fides desit, pœna satisfacit & releuat. Ratione quoque vtuntur dicentes, Siquis vnum peccatum

B

Hier. eodem cõment. ad 1. cap. Nahum

Leu. 24. Num. 15.

Super Ezech. 1. hom. 10. & habetur de consec. dist. 3. c. Pluit.

Sup. Psal. 118. in principio serm. 18. & habetur de consec. dist. 3. c. Prima consolatio.

confitetur altero tacito, & ſatisfactionem à ſacerdote iniunctam expleuerit: nunquid etſi peccatum tacitum conuerſus fuerit confeſſus, pro vtroque ei pœnitentia imponetur? Longe hoc videtur à ratione, & Eccleſiæ conſuetudine: quæ pro eodem peccato, niſi reiteretur, nulli bis pœnitentiam imponit. Fuit ergo illa peccati condigna ſatisfactio, vnde & peccatum deletum videtur.

ARTICVLVS V.

An Deus puniendo peccata ſeruet menſuram debitam?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Deum vt omnium rerum, ita ſuppliciorum quoque ſcire menſuras, &c.] Videtur enim, quòd ipſemet Deus non ſeruet menſuras delictorum pœnæ: patet enim, quòd delictum eſt temporale: ſed pœna eſt æterna: ergo videtur, quòd menſura non ſeruetur.

2 Item, Infra diſtinct. 20. dicitur, quòd pœna etiam purgatorij excedit omne genus paſſionis, quod poteſt homo pati in hac vita: ergo multo magis pœna inferni: ſed delectatio peccati non excedit omne genus delectationis huius vitæ: ergo acerbitas pœnæ ſecundum intenſionem excedit in quantitate delectationem peccati: ergo non ſunt menſurata contra ſe pœna & culpa, vt videtur.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd menſura pœnæ non proportionatur quantitati temporis, vel delectationis, ſed potius quantitati radicis & contemptus & imperij voluntatis, vt dicunt Sancti. Verbi gratia, radix peccati contemptus eſt: & quantitas huius attenditur penes quantitatem æterni boni increati, quod contemnit: & hoc eſt bonum quoddam infinitum. Et ideo ſi finita pœna punitur, hoc erit ex Dei miſericordia. Similiter actus peccati eſt temporalis: ſed tamen cum homo voluntarie ſubdit ſe peccato, cum ſcientia eius quod eſt non poſſe reſurgere per ſe, quantum eſt de ſe, eligit in peccato eſſe æternaliter: & per conſequens & huic æternitati reſpondet pœna æterna. Et hoc eſt quod dicit Gregor. quòd quia homo peccauit in ſuo æterno, ideo punitur in Dei æterno. Et per hoc patet ſolutio vtriuſque obiecti.

ARTICVLVS VI.

An per ſententiam ſacerdotis præueniatur ſententia iudicis?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Et non præueniri ſententiam iudicis, &c.] Videmus enim, quòd tota die præuenitur per pœnitentiam temporalem. Item, Ioan. 20. Quorum remiſeritis peccata, &c. Et Matth. 16. Quodcunque ſolueritis, &c. Conſtat autem, quòd hoc totum intelligitur quoad pœnam: quia Deus per ſe abſoluit à culpa: ego ſententia iudicis præuenitur.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd per ſententiam ſacerdotis non præuenitur ſententia iudicis: quia eadem eſt ſententia iudicis & ſacerdotis, ſi ordine clauium ſacerdos pœnitentiam iniungit. Si autem ordinem clauium non ſeruat, tunc eſt ſententia hominis, non Dei: & tunc iterum non præuenit eam, quia non recedit propter hoc ſententia Dei à peccatore, qui volens decipitur à ſacerdote. Vnde primæ auctoritates, & prima ratio loquuntur de ſententia iudicis, miniſterio ſacerdotis inflicta. Et per hoc patet ſolutio.

ARTCVLVS VII.

An pro leui culpa, vt in ſabbato colligere ligna, debuit infligi mors?

DEinde quæritur de hoc quod dicitur *ibi* [Et qui in ſabbato ligna collegerat, &c.] Videtur enim velle, quòd culpa huius Iſraëlitæ leuis fuerit: cum tamen lapidatus fuerit, & pro culpa leui mors non fuiſſet inflicta.

2 Item, Legitur ibidem, Educ blaſphemum extra caſtra. Ergo blaſphemauit: & blaſphemia eſt peccatum in Spiritum ſanctum: & hoc eſt peccatum quod non remittitur nec in hoc ſeculo, nec in futuro: cum tamen litera innuat, quòd ille poſtea non fuerit punitus.

Soluth. SOLVTIO. Dicendum, quòd leuitas culpæ iſtius ſignificata eſt ex ſpecie peccati duplicis, ſcilicet collectionis lignorum in ſabbato, & maledictionis qua maledixit non Deo, ſed viro Iſraëlitæ: & de his tantum duobus peccatis loquitur.

AD PRIMVM autem dicendum, quòd grauiter tunc peccata puniebantur propter legis recentiam & rigorem, vt alij terrerentur, & non propter grauitatem peccati.

AD ALIVD dicendum, quòd ſicut dicit Richard. de ſancto Victor. aliud eſt ſpiritus blaſphemiæ, & aliud blaſphemia: quia ſpiritus blaſphemiæ eſt, quando blaſphemans non ignorantiam, ſed malitiam ſpirat in blaſphemando, ſicut patet Matth. 12. & Luc. 11. vbi videbant ſigna indicantia ſpiritum Dei, & in Beelzebub dicebant ea fieri. Blaſphemia autem fit quandoque ex ignorantia, vel prouocatione: & tunc non eſt peccatum in Spititum ſanctum: & tale fuit illius Iſraëlitæ, qui forte pœnituit inter ictus lapidum: & tunc merito patientiæ remiſſum eſt ei peccatum.

ARTICVLVS VIII.

An ſine fide aliqua pœna ſit ſatisfactoria?

ALias quoque auctoritates, &c.] Hæc eſt ſecunda pars, & diuiditur in duas partes, in quarum prima ponit obiectiones, & in ſecunda ſolutionem

solutionem *ibi* [His responderi potest] Dubium autem incidit de hoc quod dicit in prima parte *ibi* [Secunda, per punitionem: vbi etsi fides desit, & cætera] Contra enim est illud Roman. 14. Omne quod non est ex fide, peccatum est. Et Hebr. 11. Sine fide impossibile est quemquam placere Deo. Fortassis & displicere necesse est: ergo videtur, quòd sine fide pœna non sit satisfactoria.

Solutio. SOLVTIO. Æquiuocatio est in fide: quia fides est virtus qua creduntur inuisibilia propter primam veritatem: & de hac non loquitur hic. Fides iterum est credulitas quædam rationis de aliquo apprehenso, secundum quod dicit Philosophus in 3. de anima, quòd opinio iuuata rationibus fit fides: & sic consueuit dici, quòd fides est alicuius opinati vel sciti: & sic loquitur hic Ambros. Vnde sensus est, Si fides, id est, conscientia delicti desit, quia delicta nemo intelligit; pœna satisfacit, quia talia Deus aut pie patientia pœnarum indulget, aut reuelat ad confitendum.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd sensus auctoritatis Apostoli est, Omne quod non est ex fide, id est, contra fidem, peccatum est: quia qui facit contra conscientiam, ædificat ad gehennam. Ad alia duo dicendum, quòd loquitur de fide virtute.

ARTICVLVS IX.

An satisfaciens in peccato mortali satisfecerit?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Longe hoc est à ratione, & Ecclesiæ consuetudine quæ pro eodem peccato, nisi reiteretur, nulli bis pœnitentiam iniungit] Videtur enim, quòd Ecclesia ei non iniungit aliam pœnitentiam sicut & isti dicunt. Ponamus enim, quòd sacerdos iniunxerit alicui, quòd iret vltra mare, vel quòd daret centum marcas argenti: & perficiat iter, vel det argentum in mortali peccato, Ecclesia ei non iniungit vt iterum hoc faciat: ergo ipse est absolutus: ergo expleuit pœnitentiam: ergo non tenebatur hoc facere in charitate.

2 Item, Præcepta Dei non includunt gratiam, vt multi dicunt: quia non præcipitur nisi actus: ergo sacerdos non intendit, quòd perficiat pœnitentiam existens in charitate: si ergo non existens in charitate hoc impleat, videbitur esse absolutus.

Solutio. SOLVTIO. Credimus, quòd si aliquis in peccato existens, soluat quod iniunctum est, non oportet, quòd postquam pœnituerit, iterum soluat: sed tamen oportet, quòd conteratur, & confiteatur, & satisfaciat de eo quod non fecit iniunctum eo modo quo debuit. Non ergo proprie satisfecit, vt videtur: quia contritio & satisfactio respiciunt peccati dimissionem quantum ad essentiam, pro qua dimissione debet homo fieri gratus Deo: & ideo non possunt fieri sine charitate: sed differunt, quia contritio non solum fit in charitate, sed ex charitate, cum per eam deleatur culpa, ad cuius deletionem exigitur motus liberi arbitrij informatus gratia. Sed licet necesse sit, quod satisfactio sit in charitate, non tamen necesse est quòd semper fiat ex charitate. Sed confessio, non respicit dimissionem peccati per se, sed solum dispositionem ad dimissionem culpæ, quia fit ministro Ecclesiæ, vt cognoscat quanta & quæ sit culpa, vt sic iniungat pœnam debitam. Ideo in peccato existens potest soluere debitum, sed non satisfacere: quia solutio tantum respicit quantitatem debiti, sed satisfactio hanc respicit, & adhuc dicit vt fiat secundum voluntatem beneplaciti eius cui fit.

Quomodo accipienda sunt præmissa.

HIs responderi potest sic, Illud Gregor. pluit Dominus, &c. C Non ad criminis veniam, sed ad operis praui desertionem referendum est: vt ideo pars ciuitatis dicatur complui, quia ab actu & delectatione peccati cui ante seruiebat, modo cessat: non quod eius veniam habeat. Vocaturque pluuia illa talis continentia qua ab opere peccati reuocatur: quia ex fonte gratiæ Dei id cordi instillatur, vt vel sic paulatim ad pœnitentiam veniat: vel eo minus à Deo puniatur qui diuturniori delectatione & actu peccati maius sibi accumulasset tormentum. Si vero ad indulgentiam reatus pluuia referatur, Euangelicæ sententiæ contraire videbitur. Si enim propter immisericordiam qua quis proximo suo non miseretur, etiam quæ dimissa sunt, replicantur ad pœnam: multo magis quæ nondum sunt dimissa propter odium fraternum ad pœnam reseruari probantur. Et si ille qui arbiter suæ voluntatis constitutus est, non potest inchoare nouam vitam, vt ait Augustinus, nisi pœniteat eum veteris vitæ: quomodo ad nouitatem indulgentiæ perueniet, qui odij vetustatem non deposuit? Illud etiam quod Ambros. ait, Et si fides desit, pœna satisfacit, &c. non de Matt. 18.

fide intelligitur, qua creditur in Deum, ſed de conſcientia delicti. Deeſt enim fides, cum conſcientia peccati non ſubeſt. Nam cum delicta omnia nemo intelligat, eſt aliquando in homine peccatum cu-
2. Cor. 4. ius non habet conſcientiam. Vnde Apoſtolus, Nihil mihi conſcius ſum: ſed non in hoc iuſtificatus ſum. Cum ergo quis flagellatur pro peccato cuius non eſt conſcius, ſi patienter fert pœnam & humiliter amplectitur, cogitans ſe forte peccatum habere quod non intelligit, & pro eo puniri à Deo, pœna illa ſatisfacit & releuat grauatum. Ad hoc autem quod obiicitur de ſatisfactione illa, ſi ſatisfactio non fuit, iterum imponenda eſt. Si vero iterum imponenda non eſt, ſatisfactio fuit: & ſi ſatisfactio fuit, veniam impetrauit. Reſponderi poteſt ſatisfactionem ideo non fuiſſe, quia ille dignos fructus pœni-
In Ench. cap. 75. tentiæ non fecit. Eſt enim ſatisfactio pœnitentiæ, vt ait Auguſtinus, peccatorum cauſas excidere, nec ſuggeſtionibus eorum aditum indulgere. Item, Sane qui ſcelerate viuunt, nec curant talem vitam moreſque corrigere, & inter ipſa facinora ſua eleemoſynas frequentare
Luc. 11. non ceſſant: fruſtra ideo ſibi blandiuntur, quia Dominus ait, Date eleemoſynam: & ecce omnia munda ſunt vobis. Hoc enim quam late pateat non intelligunt. Multa enim ſunt genera eleemoſynarum: quæ cum facimus, adiuuamur. Non ſolum qui dat eſurienti cibum, ſitienti potum, & huiuſmodi: ſed etiam qui dat veniam petenti, eleemoſynam dat: & qui emendat verbere in quem poteſtas datur vel coercet aliqua diſciplina, vel orat vt ei peccatum dimittatur, eleemoſynam dat: quia miſericordiam pręſtat. Multa enim bene pręſtantur inuitis, quando eorum conſulitur vtilitati & non voluntati: ſed ea ma-
In ench. cap. 73. ior eſt qua ex corde dimittimus quod in nobis quiſque peccauit. Minus enim magnum eſt erga eum eſſe beneuolum qui tibi nihil mali fecit. Illud multo grandius vt tuum etiam inimicum diligas, & ei qui tibi malum vult, & ſi poteſt facit, ſemper bonum velis faciaſque quod poſſis. Quod ergo Dominus ait, Date eleemoſynam: & omnia munda ſunt vobis: itane intellecturi ſumus, vt non credentibus in Chriſtum munda ſint omnia, ſi eleemoſynas iſtas dederint? Qui enim vult ordinate eleemoſynam dare, à ſe debet primum incipere, & eam primum ſibi dare. Eſt enim eleemoſyna opus miſericordiæ: veriſſi-
Eccl. 30. meque dictum eſt, Miſerere animæ tuæ placens Deo. Non ergo ſe fallant, qui per eleemoſynas largiſſimas fructuum ſuorum vel pecuniæ impunitatem ſe emere æſtimant, in peccatis permanentes: quæ ita
Pſal. 10. diligunt, vt in eis optent verſari. Qui vero diligit iniquitatem, odit animam ſuam: & qui odit animam ſuam, non eſt miſericors ei, ſed crudelis. Diligendo quippe eam ſecundum ſeculum, odit eam ſecundum Deum. Si ergo vult ei dare eleemoſynam per quam fit munda, odiat eam ſecundum ſeculum, & diligat eam ſecundum Deum. Hac eleemoſyna, quam ſibi homo primitus debet, mundantur interiora.
Matt. 13. Ad quod hortans Chriſtus ait, Mundate quæ intus ſunt. Immundis enim nihil eſt mundum: ſed polluta ſunt eorum mens & conſcientia,
Ad Tit. 1. vt ait Apoſtolus. Immundi vero ſunt omnes, quos non mundat fi-
Act. 15. des, qua creditur in Chriſtum: de qua ſcriptum eſt, Mundans fide corda eorum. Sed ne iſtas eleemoſynas quæ fiunt de fructibus terræ,

reſpuere

respuere Christus videretur. Hæc, inquit, oportuit facere, scilicet iudicium, & charitatem Dei: & illa non omittere, id est, eleemosynas fructuum terrenorum. Ex his datur intelligi, quòd in peccato mortali permanentes, etsi eleemosynas largas faciant, non tamen per eas satisfaciunt: quia inordinate agunt, dum à se non incipiunt. Nec proprie dicitur eleemosyna tale opus, dum sibiipsis crudeles existunt, non placentes Deo. Non ergo dicenda est illa peccati satisfactio, quam quis agit pro vno peccato, dum perdurat in altero. Quia nihil prodest ieiunare, & orare, & alia bona agere, nisi mens reuocetur à peccato, & si aliquando conuersus tacitum peccatum sacerdoti fuerit confessus, de vtroque imponenda est ei satisfactio: quia de primo condigne non satisfecit. Mat.23.

ARTICVLVS X.

An satisfaciens indigeat gratia gratum faciente vt satisfaciat?

His respondeti potest,&c.]Hic incipit soluere: & diuiditur in tres partes, in quarum prima soluit secundum suam opinionem: in secunda autem secundum opinionem aliorum, in quibus tamen videtur fuisse. Tertio confirmat solutionem per auctoritates *ibi* [Satis arbitror, &c.] Et subdiuisio harum partium per se patet. Sed incidunt hic quæstiones vtiles & multæ. Et primo de hoc quod dicit *ibi* [Quia ex fonte gratiæ Dei id cordi instillatur]Videtur enim ex hoc quod gratia vel stilla gratiæ est in peccatore, adhuc in peccato existenti: & cum habens gratiam possit satisfacere,videtur, quòd satisfaciens non indiget gratia gratum faciente ad hoc vt satisfaciat.

2 Item,Hoc videtur à simili, quod etiam sine gratia hoc possit: quia siquis satisfacere debet homini de læsione, & iniungatur ei exilium, vel ieiunium, vel aliquid tale: non requiritur vtrum in statu gratiæ persoluat pœnam, vel non, dummodo soluat eam: ergo videtur,quòd similiter est satisfaciendum Deo.

3 Item, Restitutio est pars satisfactionis, & ipsa potest fieri etiam in statu peccati mortalis: ergo & satisfactio. Quod autem restitutio possit fieri in statu mortalis peccati, probatio Luc.19. de Zachæo qui dicit: Siquid aliquem defraudaui, reddo quadruplum: ergo videtur habere propositum.

4 Item, Leuit.25. Si attenuatus frater tuus,& vendiderit tibi possessiunculam, &c. Et sequitur, Si autem non habuerit proximum,& ipse pretium ad redimendum potuerit inuenire, computabitur fructus ab eo tempore quo vendidit. Sed secundum interlineares ibidem, possessiuncula est conuersatio, quæ venditur diabolo cum homo mortaliter peccat: & computabuntur fructus satisfactionis ab eo tempore quo vendidit, id est, ab eo tempore quo mortaliter peccauit: ergo satisfactio in mortali peccato, vel cum gratia gratis data tantum facta, valere videtur ad deletionem peccati.

Sed contra. SED CONTRA supra habitum est, quòd opera mortua Deo non placent: & non contingit satisfacere nisi per opera Deo placentia; ergo non contingit satisfacere per opera mortua: sed extra gratiam non fiunt nisi opera mortua: ergo extra gratiam nulla fiunt opera satisfactoria:ergo nulla satisfactio: ergo,&c.

2 Item,Satisfacere plus est quam mereri:quia mereri non dicit nisi opus dignum vita æterna, & satisfacere dicit hoc & solutionem debiti pœnæ:sed non contingit mereri quod minus est, sine gratia:ergo etiam non contingit satisfacere quod maius est sine gratia.

Solutio. SOLVTIO. Hæc quæstio fere determinata est,vbi quæsitum est de operibus extra charitatem factis, vtrum possint esse opera pœnitentiæ: & ideo hic supponitur quod ibi dictum est, scilicet quòd opera pœnitentiæ, sicut & cætera opera in quibus quæritur placatio Dei,sint facta secundum voluntatem & acceptionem diuinam: acceptio autem Dei non est in nobis ex nobis, nec in opere nostro ex nobis, vel ex opere nostro, sed potius ex eo quod accepimus ab ipso: & hoc est gratum faciens: & ideo oportet talia opera esse facta in gratia gratum faciente.

DICENDVM ergo ad primum, quòd cessatio ab actu peccati,ex timore seruili prouenit qui est donum Spiritus sancti,& ideo dicitur instillatio à fonte gratiæ: & tamen timor seruilis non est gratia gratum faciens, sed dispositio quædam ad ipsam.

AD ALIVD dicendum, quòd sine gratia non contingit satisfacere,& non est simile: quia dicitur 1.Reg.16. Homo videt ea quæ sunt in facie, Deus autem intuetur cor: & ideo homini contingit satisfacere secundum faciem, sed non Deo, nisi cor satisfacientis sit reconciliatum Deo.

AD ALIVD dicendum,quòd restitutio non est pars essentialis satisfactionis, sed præexigitur per modum fundamenti. Vnde cum restitutio est de his quæ fiunt homini, qui iudicat secundum faciem, non semper oportet, quòd fiat in charitate. Aliter etiam potest dici,& est alia causa eiusdem,quòd restitutio non fit nisi in ablatione rerum corporalium, & cum actus simpliciter corporalis sit, non spiritualis, non oportet talem actum fieri in charitate.

AD VLTIMVM dicendum, quòd non intelligitur, quòd fructus computetur ex tempore quo peccauit, sed potius sic à die quo vendidit, id est,quo vltimo in venditione fuit. Fuit autem vltimo in vendendo quando vltimo fuit in peccato,post quod tempus non fuit in peccato: quia tunc

tunc incipiebat conuerti: ita scilicet, quòd præpositio, cum dicitur à die, notet terminum extra, non intra. Et tunc patet, quòd non sequitur, quòd possit satisfacere manens in mortali peccato.

ARTICVLVS XI.

An oporteat quemlibet satisfacere qui deliquit?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Est enim satisfactio pœnitentiæ, vt ait Augustinus, peccatorum causas excidere, &c.] Et quæruntur hic tria, scilicet an conueniat satisfacere. Secundo de diffinitione satisfactionis hic posita. Tertio, qualiter opus satisfactionis differ ab aliis partibus pœnitentiæ, scilicet opere confessionis, & compunctionis. Ad primum sic proceditur: satisfacere mensuratur ad aliud ad quod terminatur satisfactio: quod patet: quia hic qui satisfacit læso, mensurat hoc quod facit ad quantitatem læsionis quam intulit, & similiter ille qui satisfacit damnificato. Et eodem modo qui satisfacit Creatori. Ergo satisfacere non est nisi æquale impendatur damno vel læsioni: sed nullus potest æquale impendere læsioni, & ingratitudini Dei quam infert peccando: ergo nullus potest satisfacere.

2 Item, Magis tenetur satisfacere qui lædit maiestatem regis vel principis, quam qui lædit æqualem sibi: ergo in infinitum magis tenetur qui offendit infinite altiorem maiestatem, quam sit regis vel principis: sed quilibet peccans mortaliter, offendit infinitè altiorem maiestatem, quàm sit regis vel principis: ergo in infinitum tenetur: sed constat, quod non potest soluere infinitum: ergo non potest satisfacere.

3 Item, Isa. 64. Omnes iustitiæ nostræ sicut pannus menstruatæ. Ergo non sunt satisfactoriæ: & non possumus aliter satisfacere nisi operibus iustitiæ: ergo cum illa non habeamus, videtur quòd satisfacere non possumus.

4 Item, Si aliquis duas habet rationes debiti, scilicet quòd sit seruus qui nihil potest possidere nisi nomine & iure domini, & ita contraxerit mutuum ab eodem, vel alio: si totum quod habet debet soluere pro vna debiti ratione, non potest aliud soluere debitum: sed sic est de quolibet homine: quia ipse ex conditione naturæ debet Deo quicquid est, & quicquid potest: ergo pro peccatis non habet quod reddat: sed omnis satisfaciens aliquid reddere debet: ergo nullum hominem contingit satisfacere pro peccatis.

Sed contra. SED CONTRA: Oseæ 14. Omnem aufer iniquitatem, & accipe bonum: & reddemus vitulos labiorum nostrorum. Ergo contingit reddi: ergo satisfacere.

2 Item, Matth. 18. Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd duplex est satisfactio, scilicet secundum æquale iuris, & secundum arbitrium eius cui facta est iniuria. De prima satisfactione non contingit satisfacere Deo ab aliqua creatura pura: sed de secunda contingit, quia contingit Deo soluere pro peccato quod exigit à nobis. Vnde Michææ 6. Quid dignum offeram Domino, &c. Et sequitur. Indicabo tibi ô homo quid sit bonum, & quid, &c. Et per hoc patet solutio ad duas rationes primo inductas, quæ procedunt ac si satisfactio pro peccatis sit secundum æquale iuris quod mensurat inter damnum illatum, siue inter iniuriam patientis & agentis.

AD ALIVD dicendum, quòd iustitiæ nostræ dupliciter considerantur, scilicet in comparatione ad nos, & in comparatione ad gratiam informantem quam habemus à Deo. Et primo modo humiliando dicit Isaias 64. quòd vniuersæ iustitiæ nostræ sunt sicut pannus menstruatæ: quia multi sunt defectus nostri. Secundo autem modo considerata opera nostra sunt Deo accepta.

AD ALIVD dicendum, quòd licet totum debeamus quod sumus & possumus ratione conditionis, non tamen totum hoc exigit Deus à nobis quod debemus iure stricto: & ideo secundum suum arbitrium possumus satisfacere etiam de peccatis.

ARTICVLVS XII.

An diffinitio satisfactionis sit bona?

SEcundo quæritur de diffinitione hic posita: & quæritur primo, quid dicatur hic causas excidere? Dicit enim August. quòd peccatum non habet causam, & cuius non est causa, illius non contingit excidere causam: ergo nihil videtur esse quod dicitur in litera.

2 Item Dionysius, Peccatum est incausabile & inuoluntarium & infœcundum & pigrum. Et ex hoc sequitur idem quod prius.

3 Præterea, Si non fiat vis in hoc: sed dicatur, quòd voluntas deficiens est causa peccati: videtur, quòd adhuc nihil sit quod dicit: quia satisfacere est actus & opus satisfacientis: excisio autem voluntatis deficientis, non est opus satisfactionis, sed solius Dei, cuius est conuertere voluntatem: ergo satisfacere non est causas peccatorum excidere.

4 Item, Causa peccati est quæ tenet peccatum in anima: ergo fortius est adhærens, quam peccatum ipsum: sed peccatum non soluitur nisi à Deo: ergo nec causa peccati: ergo hoc non est opus satisfacientis.

5 Item, Hæc causa quæ exciditur, est causa peccati: sed dicit Boëtius, quòd causa est ad cuius esse sequitur aliud: ergo existente causa peccati in anima, existit peccatum in eadem: sed non contingit satisfacere eum qui est in peccato, vt prius habitum est: ergo non contingit satisfacere eum qui est in causa peccati: ergo satisfacientem non contingit excidere causas peccatorum.

6 Item, Causa ista peccatorum excidenda de qua loquitur diffinitio: aut est coniuncta, aut remota. Si coniuncta sit: tunc existente causa inest peccatum in anima, vt iam probatum est. Si remota: sed hoc est voluntas naturalis hominis, vel liberum arbitrium flexibile in malum: ergo contingit naturalem voluntatem excidere per opus satisfactionis, quod est omnino absurdum.

7 Præterea, Alia via disputandi videtur, quòd male sit diffinitio tradita: quia satisfactio respicit læsionem, vel iniuriam alteri illatam: ergo debet diffiniri

diffiniri per comparationem ad iniuriam illam reſtituendam per rigorem iuris vel arbitrium voluntatis eius cui illata eſt iniuria: ſed hoc non fit hic, ſed potius diffinitur ſecundum id quod facit pœnitens in ſatisfactione: ergo male diffinitur.

8 Præterea, Cauſa peccati in homine fomes eſt: & ille non extinguitur in hac vita: ergo non contingit cauſas peccatorum exeidere: ſed contingit ſatisfacere, vt prius habitum eſt: ergo ſatisfacere non eſt cauſas peccatorum excidere.

Quæſtiũcula 2. VLTERIVS quæritur de altera parte diffinitionis quam ponit, cum dicit, Nec ſuggeſtionibus eorum aditum indulgere. Cum enim ſatisfactio ſit pro peccato præterito: ſuggeſtionis autem aditus expectetur in futurum, videtur quòd hoc ſecundum non ſit de eſſentia ſatisfactionis: ergo male ponitur in diffinitione eius.

2 Item, Suggeſtio videtur eſſe idem quod cauſa peccati: ergo idem bis ponitur in diffinitione eadem.

3 Item, Ex hac vltima parte ſequi videtur error qui condemnatus eſt in diffinitione præcedenti, ſcilicet quòd ille qui ſuggeſtioni peccati dat aditum, non ſatisfacit: ſed ille qui poſt pœnitentiam, incidit in peccatum, ſuggeſtioni peccati dat aditum: ergo non ſatisfacit: ergo non pœnitet: quia ſatisfactio eſt pars pœnitentiæ.

Quæſtiũcula 2. VLTERIVS quæritur quia Anſelm. videtur dare aliam diffinitionem ſatisfactionis in lib. Cur Deus homo, ſic dicens: Satisfacere Deo eſt debitum honorem impendere: ergo videtur, quòd hic male diffiniatur.

2 Item, De diffinitione Anſelmi obiicitur: quia non eſt conuertibilis: conſtat enim, quòd innocens ſeruans mandata Dei, debitum honorem Deo impendat: & tamen non ſatisfacit: ergo non eſt bona diffinitio Anſelm.

3 Præterea, In 4. ethic. dicitur, quòd magnanimitatis eſt honorem ſibi & aliis impendere: ergo hoc non eſt ſatisfactionis.

4 Item, Primo ethic. dicitur, quòd honor quæritur propter virtutem, & præcipue ab his qui noſcunt virtutem eius quem honorant: ergo & impeditur in teſtimonium virtutis: ſed ſatisfactio eſt recompenſatio peecati: ergo videtur, quòd male diffiniatur per impenſionem honoris.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd ſatisfactio tripliciter poteſt diffiniri, ſcilicet ſecundum ſubſtantiam, vt ſatisfactio ſit damni vel iniuriæ illatæ reconpenſatio ſecundum iudicium & iuris ordinẽ, vel arbitrium eius cui iniuria eſt illata. Diffinitur etiam quandoque ſecundum quod eſt pars ſacramenti pœnitentiæ, quod eſt medicina peccati actualis: & ſic diffinitur per medicamentum vulneris quod facit in ſatisfaciente, & hæc eſt propria diffinitio ipſius in tractatu iſto: & ideo ſic diffinitur in litera. Sanatur enim vulnus per illud quod cauſæ peccatorum exciduntur, & non indulgetur vlterius aditus ſuggeſtioni: & ideo ſic inducitur hic illa diffinitio. Tertio diffinitur in comparatione ad finem: cum enim Deum nec lædere nec damnificare poſſumus, peccando ei honorem debitum ſubtrahimus: & hoc fine ſatisfacimus, vt debitus ei honor, & prius ſubtractus reſtituatur: & ſic ab Anſel. diffinitur: & ex illa diffinitione extrahitur quaſi veritas totius huius quæſtionis.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd cauſa peccati dicitur collecta ex tribus, ſcilicet libidine incenſa per peccati actum & conſuetudinem, & reliquiis peccati præteriti, & occaſionibus peccandi, vt ſunt locus, ſocietas, tempus, & huiuſmodi. Voluntas enim affecta his tribus peccat, licet non neceſſario: quia cogi non poteſt, vt ſtatim patebit infra in hac eadem ſolutione. Quod autem dicit Auguſtinus, quòd peccatum non habet cauſam, intelligendum eſt, efficientem, quæ vniuoce vel æquiuoce agẽdo det ei eſſentiam in eo quod malum eſt, ſicut videmus calidũ cum calefacit, vniuoca actione dare ſuam eſſentiam ſecundum ſpeciem eandem calefacto: & calidum cum arefacit, extrahendo humidum, æquiuoca actione inducit ariditatem, quæ eſt eſſentia quædam. Sed priuationes non habent eſſentias. Vnde nihil eſt cauſa efficiens cæcitatis: quia cæcitas cum non ſit eſſentia aliqua, à nullo recipit eſſentiam: & ita eſt de malo in eo quod malum, & de peccato in eo quod peccatum. Sed tamen actus peccati ſub deformitate habet cauſam partim efficientem, & partim deficientem, ſicut notatur ſupra ſecundum librum. Hæc autem cauſa coniuncta cum tribus dictis inclinatur ad bonum commutabile, & per conſequens auertitur à Deo, & ſic efficitur cauſa peccatorum. Per hoc patet ſolutio ſecundum.

AD ALIVD dicendum, quòd ſolus Deus per auerſionem à culpa, conuertit voluntatem: ſed tamen adhuc manet ligata prænominatis tribus: & hæc ſoluuntur ſatisfactione per conſuetudinem boni.

AD ALIVD dicendum, quòd duplex eſt cauſa, ſcilicet quæ eſt per modum priuationis formæ: quia peccatum formalem cauſam non habet inquantum peccatum eſt: & hæc eſt auerſio voluntatis ab incommutabili bono: & hanc excidit Deus. Sed cauſæ prædictæ quæ ſunt per modum inclinantium, & quaſi quædam infirmitates ex peccato relictæ, ſunt pœnæ potius, & non cauſæ: & ideo illas poteſt homo excidere.

AD ALIVD dicendum, quòd dictum Boëtij intelligitur de vera cauſa: ſed peccatum non habet vere cauſam: ſed ſunt quædam inclinantia ad ipſum, & illa large dicuntur hic cauſa. Et per hoc patet ſolutio ad ſequens.

AD ALIVD dicendum, quòd non intelligitur de cauſa coniuncta & propria, ſed potius de remota: & hæc eſt duplex, ſcilicet remotiſſima, & hæc eſt ſola voluntas: & propinquior, & hæc eſt voluntas affecta & inclinata tribus quæ dicta ſunt. Et ideo illa per contrariam conſuetudinem boni, ſatisfactione ſunt excidenda.

AD ALIVD dicendum, quòd diffinitur hic ſatisfactio prout eſt pars medicinalis ſacramenti pœnitentiæ: & ratio huius ſupra dicta eſt: ſed modo quo procedit obiectio, diffinienda eſt à legibus, vel ethico, vel politico: hoc autem ſignum eſt, quòd opus ſatisfactionis iniungitur per contrarium eius, per quod magis in peccatore fuit occaſio peccati, vt laſciuo ieiunium, ſuperbo oratio, & auaro eleemoſyna: quia, ſicut dicit Beda, non ſanat oculum quod ſanat calcaneum, nec è contra.

AD ALIVD dicendum, quòd licet fomes non poſſet excidi in toto in hac vita, debilitari

ri tamen potest & sopiri;& hoc sufficit excisioni.

Ad quæstiunculam 1.

Ad id quod vlterius quæritur de secunda parte diffinitionis, dicendum, quòd licet peccatum sit futurum de quo est suggestio:tamen causa trahens ad ipsum est præsens in subiecto, & hoc respicit satisfactionem, vt dictum est. Vel dicatur melius, quòd non indulgere aditum suggestioni refertur ad fundamentum satisfactionis: & hoc secundum propositum, vt scilicet non proponat vlterius consentire diabolo:& secundum hoc ponitur in diffinitione satisfactionis: quia, vt dicit Gregor.sicut omnia medicamenta nihil valent ad sanandum vulnus,quamdiu ferrum infixum fuerit, nisi extrabatur: ita omnia beneficia nihil proderunt, nisi ipsum peccatum relinquatur. Vnde ita cadit in diffinitione satisfactionis sicut pœnitentiæ:quia sine ipso non potest esse satisfactio, licet non sit de substantia ipsius.

Ad aliud dicendum, quòd suggestio refertur ad dæmonem, sed causa peccati ad hominem, secundum tria trahentia quæ supra dicta sunt. Sicut enim dicit Augustinus in 12.de Tri. Peccatum quandoque est à carne, & quandoque ab homine:& sic patet, quòd non est idem peccatum,& suggestio,& causa peccati.

Ad id quod obiicitur de Anselmo patet solutio, qualiter accipiatur differetia diffinitionum.

Ad quæstiunculam 2.

Ad id autem quod obiicitur contra diffinitionem Anselmi, dicendum quòd debitum multiplex est, sed hîc distinguimus triplex. Debitum scilicet ex commisso: sicut debet accipiens dona Dei vt lucretur in eis, & reportet lucrum ex eis. Est etiam debitum ex dimisso, sicut debitor est, cui multum dimissum est: sicut dicitur Luc.7. Dimissa sunt ei peccata multa, quoniam dilexit multum. Tertium est debitum ex peccato:& hoc quasi ex damno illato:& hoc est debitum quo tenetur pœnitens in satisfactione:& in tali significatione accipitur in diffinitione Anselmi.& ideo non omnis seruans mandata, debitum in hac ratione impendit Deo.

Ad aliud dicendum, quòd magnanimitas hoc modo quo est simpliciter, magis quo virtus est digna, attendit honorem: sed restitutio iusta attendit honorem,quatenus restituit honoris perditionem per peccatum.

A d aliud dicendum, quòd honor ab honorante debetur virtuti & virtuoso:& ideo à nobis debetur Deo: nihilo minus tamen habet etiam rationem satisfactionis ista honoris exhibitio, inquantum imperatur à iustitia, quæ est directiua damni siue iniuriæ illatæ, de qua loquitur Philosophus in 5. Eth. Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICVLVS XIII.

Quomodo differt opus satisfactionis ab aliis operibus pœnitentiæ?

Tertio quæritur,Qualiter differt opus satisfactionis ab aliis operibus pœnitentiæ,scilicet confessionis, & compunctionis? Videtur enim, quòd in nullo. Vnumquodque enim istorum trium satisfacit pro peccato: ergo vnumquodque horum trium est opus satisfactionis.

2 Item, August. & habetur infra in litera: Multum satisfactionis obtulit qui erubescentiæ dominans,eorum quę fecit,nihil nuntio Dei negauit. Ergo confessio non distinguitur à satisfactione, vt videtur.

Solutio.

Solvtio. Dicendum, quòd satisfactio non dicitur hic omne illud quod soluit culpam aliquo modo,vel pœnam debitam culpæ:sed illud tantum quod iniunctum est & taxatum vi clauium, & per arbitrium sacerdotis:illa enim pœna voluntaria est simpliciter, & ordinata secundum quantitatem delicti. Sed in contritione,& confessione, sunt pœnæ,scilicet dolor in contritione, & pudor in confessione, quæ sunt pœnæ ex natura corrupta inflictæ pro peccato, nec taxantur, nec limitantur secundum tempus certum, sed quamto maiores sunt, tanto est melius: dummodo discretum & rationabile sit obsequium. Ideo licet per eas expietur peccatum, tamen non proprie satisfactoriæ sunt secundum iudicium & arbitrium fori confessionis. Et ideo hæc pars quæ est satisfactio, distinguitur ab aliis. Præterea, Dolor in contrito, & pudor in confitente,non dicunt nisi pœnam intus:sed in satisfactione est extra in conspectu Ecclesiæ:& ideo totus homo tunc punitur, quia pœna interior manifestat se in exteriori. Et quia totus homo tunc habet pœnam,propter hoc (vt quidam dicunt) magis dicitur satisfactio. Sed prima solutio melior est:quia, sicut habitum est, satisfactio respicit iudicium arbitrij voluntatis diuinæ. Per hoc patet responsio ad primum.

Ad aliud dicendum, quòd beatus Augustinus large sumit satisfactionem pro omni pœna quæ portatur pro peccatis,siue sit iniuncta, sine non:sed satisfactio proprie sumpta, non pro tali pœna accipitur.

EXPOSITIO TEXTVS.

Deinde quęritur de hoc quod dicit ibi: Date eleemosynã:& ecce omnia mũda sunt vobis, &c.] In hac enim parte est magna quæstio de eleemosyna, quam diuidemus in partes propter literam. Et hic quæremus sex articulos, scilicet in quo genere sit eleemosyna, quid sit, & vtrum sit in præcepto vel in consilio? Vbi etiam determinabitur ad quod præceptum reducatur, & qualiter distinguitur ab aliis partibus satisfactionis: & vtrum magis consistat in voluntate interiori,vel in dato exteriori,siue in quantitate dati exterioris.Et sexto, vtrum eleemosyna possit esse sine compassione, vel compassio sit ei essentialis? Hæc enim sex quæruntur de eleemosyna secundum se. Postea autem procedendo in litera quæremus de eleemosyna secundum tres alias considerationes, scilicet ex parte dantis,& dati,& eius cui danda est.

ARTICVLVS XIV.

An eleemosyna sit in genere virtutis?

Qværitur ergo primo de genere eleemosynæ, Vtrum sit in genere virtutis? Videtur enim quòd sic: dicit enim Commentator super 4. Eth. quòd proprium virtutis est, quòd actus eius est laude dignus: & hoc trahitur de primo Ethic. ex textu:sed actus eleemosynæ laudabilis est: ergo est actus virtutis: ergo eleemosyna est alicuius actus virtutis,

2 Item,

2 Item, Consueuit dici ab omnibus, quòd actus virtutis est super quem cadit præceptum diuinum. Et hoc ab auctoritate habetur in 5. ethic. ex textu, & in commento, vbi distinguitur inter iustum legale, & iustum virtutis iustitiæ specialis. Constat autem, quòd præceptum est de danda eleemosyna: ergo est actus alicuius virtutis.

3 Item, Fere ab omnibus supponitur, quòd illud quod est meritorium, est actus alicuius virtutis: sed constat, quòd actus eleemosynæ est meritorius: ergo eleemosyna est actus alicuius virtutis.

4 Item, Id quod operatur ad vitij expulsionem, habet contrarietatem ad vitium: hoc autem facit eleemosynæ, vt dicitur Luc. 11. ergo eleemosyna habet contrarietatem ad vitium, vel vitij actum: sed nihil habet contrarietatem huiusmodi, nisi virtus vel actus virtutis: ergo eleemosyna est actus alicuius virtutis.

Sed contra. SED CONTRA hoc obiicitur sic: Omne gratuitum bonum & virtutis, exemplarem habet in Deo virtutem: sed eleemosyna non habet: ergo eleemosyna non est opus alicuius virtutis. Probatur autem prima ex hoc quod virtus perfectissimum bonum est: & hoc non est tollendum perfectissimo & summo bono. Secunda autem probatur ex hoc quod in quo non est passio, in eo non est compassio: & eleemosyna est cum compassione, sicut ostendit suum nomen: & hoc supponitur, & probatur supra. In Deo autem nec est passio, nec compassio.

2 Item, Tria sunt in anima, scilicet passiones, potentiæ, & habitus, vt dicit Philosophus. Virtus autem in genere habitus est, & non passionis: ergo quod est in genere passionis, non est virtus: sed compassio ex qua procedit actus per quem notatur eleemosyna, in genere est passionis, sicut ostendit suum nomen: ergo eleemosyna est actus istius passionis: ergo non est actus alicuius virtutis.

Quæst. SED TVNC vlterius quæritur de eleemosyna in specie, cuius dicitur esse virtutis? Et videtur, quòd sit iustitiæ: quia Matth. 6. super illud, Cum facis eleemosynam, &c. dicit Glos. interlinearis. Eleemosyna est pars iustitiæ.

2 Item, Omne satisfactorium reducitur ad virtutem cuius est satisfacere: sed eleemosyna est satisfactoria, vt in litera dicitur: ergo reducitur ad virtutem cuius est satisfacere; hæc autem est iustitia: ergo eleemosyna est actus iustitiæ.

SED CONTRA videtur, quòd sit actus misericordiæ, quod elicitur ex suo nomine: quia dicitur ab elios, quod est misericordia, siue miseria: quia miseriam alienam facit suam. Hoc autem est misericordiæ: ergo eleemosyna est actus misericordiæ.

2 Item, Super illud Psalm. Tota die miseretur: dicit Glossa: Eleemosyna à misericordia incipit, & postea manum aperit: ergo mouens ad actũ eleemosynæ est misericordia: non ergo est actus iustitiæ. Si dicas, quòd est actus vtriusque: quia misericordia est pars iustitiæ: hoc non videtur: quia Matth. 5. beatitudo iustitiæ sequestratur à beatitudine misericordiæ. Dicit enim postea, Beati misericordes: & prius dicitur, Beati qui esuriunt & sitiunt, &c. Ergo sunt virtutes diuersæ: ergo quod est actus vnius, non est actus alterius.

VIDETVR autem alicui, quòd sit actus pietatis: quia 1. ad Tim. 4. dicitur, quòd pietas ad omnia valet. Et exponitur de eleemosyna. Cum igitur pietas nec sit misecordia, nec iustitia, videtur, quòd eleemosyna, nec sit misericordiæ, nec iustitiæ actus.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd eleemosyna est actus virtutis, quæ est misericordia, vt puto: licet quidam aliter dicant, quorum non possum intelligere rationem.

AD PRIMAM ergo partem quæstionis respondendum videtur, quòd primæ rationes verum concludunt: licet quædam quoad vim inferendi habeant calumniam: quia non est vniuersaliter verum, quòd id quod habet laudem, sit opus virtutis: sed de hoc alius erit sermo.

AD ID autem quod contra obiicitur, dicendum quòd virtutes diuersimode habent exemplar in Deo: est enim in virtute quoddam perfectum, & quoddam imperfectum, quod est virtutis inquantum est in natura imperfecta, & euacuabile est ab ipsa, quando natura imperfecta transit ad statum perfectionis: sicut patet in fide, in qua ipsa visio perfecta est, & modus visionis imperfectus, & secundum visionem habet exeplar, & non secundum speculum & ænigma. Ita dico hic, quòd eleemosyna & misericordia ratione subuentionis miseriæ, habent perfectionem: sed compassionem habent ex parte deficientis naturæ & passibilis quam perficiunt. Et ideo secundum subuentionis rationem habent exemplar, quia Deus præcipue miseris subuenit, sed non ratione compassionis quæ perfectissimæ naturæ non conuenit. Et hoc est quod dixerunt antiqui Doctores nostri, quod misericordia in Deo sonat effectum, non affectum.

AD ALIVD dicendum, quòd licet virtus non sit passio, sed habitus, est tamen virtus moralis circa passiones vel operationes, vt dicit Philosophus. Et ideo nihil prohibet actum virtutis esse in passione, licet primum motiuum sit habitus. Et ita dicendum hic videtur, quòd habitus quidam est qui mouet ad bene compatiendum: & vlterius ad dandum ei cui compatimur, quæ datio est cum aliqua passione, licet non sit ex ipsa sicut ex primo mouente ad actum.

Ad quæst. AD SECVNDAM partem quæstionis dicendum est, quòd est opus misericordiæ: sed sicut nos ante in præcedenti distinctione notauimus, actus qui est vnius virtutis per se & proprie, quem vocant antiqui Magistri elicitum, potest esse alterius vt imperantis: & sic potest esse iustitiæ vel pietatis. Iustitiæ quidem erit, sicut dans dat de superfluo, considerando quòd superflui potius est dispensator pauperum, quam dominus. Et considerando ex parte pauperis, quòd licet sit pauper rebus, tamen habet vicem Christi in accipiendo, qui vniuersorum est Dominus: tunc enim dat vt dispensator pauperi, qui habet rationem patroni, in eo quod accipit vice Christi: siut dicitur Mat. 25. Quod vni ex minimis meis feciſtis, mihi feciſtis. Pietatis autem induit rationem, quando aliquis dat motus ex hoc quod pauper est in eadem natura nobiscum, vel imagine diuina, sicut & nos: quia politica pietas est beneuolentia in eos qui natura coniuncti sunt, vt dicit Tullius. Pietas autem gratuita, est beneuolentia in eos qui eadem imagine diuina nobiscum insigniti sunt. Et per hoc patet solutio ad omnia quæsita.

ARTICVLVS XV.

An eleemosyna sit bene diffinita?

SEcundo quæritur, Quid sit eleemosyna? Consueuit autem diffiniri eleemosyna à Magistris sic, Eleemosyna est opus in quo datur indigenti ex compassione propter Deum. Sed contra diffinitionem sic obiicitur, Nemo dat sibi ipsi: sed eleemosynam impendit aliquis sibiipsi: ergo eleemosyna non est opus in quo datur indigẽti. Probatur autem prima ex ratione dandi. Secunda vero scribitur Eccli. 30. Miserere animæ tuæ placens Deo. Et à Gregor. Qui misereri vult proximo suo, à se trahat originem miserendi.

ITEM videtur, quòd non semper eleemosyna sit opus. Quandoque enim non habet aliquis dare, & dat compassionem: ergo videtur, quòd tunc nullum est ibi opus operatum: & hoc vocatur hic opus: ergo eleemosyna non est semper opus, vt videtur. Quod autem opus operatum intelligatur esse eleemosyna, patet ex communi vsu loquentium, qui rem acceptam propter Deum & ex indigentia vocant eleemosynam.

VLTERIVS videtur, quòd non semper procedat ex compassione. Dicitur enim 2. Corinth. 9. Hilarem datorem diligit Deus. Et loquitur de dantibus eleemosynas: ergo magis procedit ex hilaritate, quam ex compassione: ergo etiam magis per hilaritatem est diffinienda.

2 Item, Ponatur, quòd aliquis det quidem libenter sicut liberalis vel magnificus, & tamen non habeat compassionem. Constat, quòd ille dat indigenti propter Deum: ergo eleemosynam dat: & tamen non procedit ex compassione: ergo compassio non est substantialis eleemosynæ; ergo non est per ipsam diffinienda.

ITEM obiicitur de hoc quod dicit, Indigenti: non enim semper datur indigentibus, sed etiam aliis: sicut patet in clericis, qui nihil indigentes, tamen eleemosynas accipere non cessant, & contendunt, quod illæ dationes eleemosynæ sunt: ergo videtur, quòd eleemosyna non semper est datio quæ fit indigenti.

VLTERIVS obiicitur de hoc quod dicit, Propter Deum: finis enim non est essentialis causa rei: sed propter Deum, dicit finem: ergo non dicit causam essentialem: ergo non debet poni in diffinitione.

2 Item, Sit quòd aliquis det ex compassione naturali, probatur, quòd datio illa sit eleemosyna: quia eleemosyna dicitur ab eleo quod est misereri, & mois aqua. quæ passionem vel compassionem significat ex parte accipientis, & ex parte dantis: totum autem quod est ex nomine isto, est in diffinitione ista, Eleemosyna est datio quæ fit indigenti ex compassione: ergo superfluit quod apponitur propter Deum.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd eleemosyna bene diffinita est modo prædicto, secundum quod proprie accipitur. Et est diffinitio quæ inuenitur in scriptis doctorum Magistrorum qui præcesserunt nos in scientia ista. Dicitur enim eleemosyna communiter & proprie. Communiter vocatur quælibet subuentio miseri eleemosyna: & sic homo quando subuenit sibi, facit eleemosynam, & quando etiam subuenit alij quocunque modo. Sed proprie vocatur eleemosyna datio boni alicuius temporalis, vel spiritualis, quod impenditur proximo indigenti propter Deum, in quam proprie tendit compassio: quia compassio est quasi cum alio passio, sicut dicitur Eccli. 18. Miseratio hominis circa proximum suum.

DICENDVM ergo ad primum, quòd proprie homo non dat sibi, nec eleemosynam impendit sibi. Ad id autem quod inducitur ad probandum de Ecclesiastico, dicendum quòd in illa auctoritate, & litera beati Gregorij, tangitur ordo effectuum misericordiæ: quia sicut charitas in effectu & affectu habet ordinem, ita etiam habet misericordia, vt scilicet non alij sic intendat vt se negligat: nihilominus tamen quia eleemosyna datio quædam est, quæ sibi proprie non fit: ideo eleemosyna proprie circa proximum fit, & non circa seipsum, licet in dando obseruandus sit ordo, quòd homo præponere se debet proximo indigenti.

AD ALIVD dicendum, quòd eleemosyna proprie opus est operatum, & non operans. Hoc patet ex quodam verbo quod scribitur à Philosopho in principio ethic. vbi distinguit artes, eo quod in quibusdam finis est opus, & in quibusdam operatio, sicut in musicis: in eleemosyna autem non laudatur datio propter dantem, sed potius datum: non enim præcipitur propter opus operans, sed potius propter opus operatum.

AD OBIECTVM autem contra hoc, dicendum quòd ille qui vult dare, & non dat, non facit eleemosynam proprie: sed tamen habet meritum dantis eleemosynam propter completam eius voluntatem. Sicut dicitur 2. Corinth. 9. Si enim voluntas prompta est, secundum id quod habet, accepta est, non secundum id quod non habet.

AD HOC autem quod vlterius obiicitur contra id quod dicitur ex compassione, dicendum quòd eleemosyna semper est ex compassione miseriæ quæ mouet ad dandum: sed ex compassio sensibilis multum, & compassio voluntatis, scilicet velle non esse miserum, siue dissensus miseriæ quam patitur pauper.

AD ID autem quod contra obiicitur, dicendum quòd hilaritas hæc intelligitur quæ non aufert tristitiam danti per auaritiam dati: sunt enim auari in quibus tristitia alienandi datum, aufert compassionem: & sunt in quibus pugnat tristitia alienandi cum compassione, sed tamen vincit compassio: & sunt in quibus non sentitur tristitia propter compassionem: & isti sunt laudabilissimi, qui etiam gaudent dando: & de his loquitur Apostolus. Vnde hilaritas est bona conditio dantis: non tamen est de substantia eleemosynæ proprie.

AD ALIVD dicendum, quòd opus liberalis vel magnifici non proprie est eleemosyna, licet discernant cui dandum, & quando, & quantum, vt dicitur 4. ethic. quia non attendunt nec mensurant datum secundum exigentiam & propter Deum: vnde bene concedo, quòd sic dans, non facit eleemosynam nisi materialiter loquendo.

AD ALIVD dicendum, quòd eleemosyna, clericis datur vt ministris pauperum, & dispensatoribus

toribus eleemosynarum: & ideo quod datur eis, per eos pauperibus mittitur: ipsi autem videant, quòd fideliter dispensent.

Ad alivd dicendum, quòd aliter est in moralibus actibus, & aliter in aliis: in aliis enim finis quandoque non est de essentia, sed in moralibus præcipue denominatio est à fine, & ideo est de essentia.

Ad alivd dicendum, quòd qui non dat propter Deum, non meretur, & ideo non dat eleemosynam proprie: quia eleemosyna est opus meritorium vitæ æternæ, si fit in charitate: aut vicinitatis ad gratiam, si fit in mortali peccato, sicut in hac eadem distinctione erit quæstio, quando agetur, ad quid valent opera facta in mortali. Est tamen opus laudabile dare etiam ex compassione naturali, & significat naturam de facili inclinabilem in bonum.

ARTCVLVS XVI.

An eleemosyna sit de præcepto, vel consilio? & si de præcepto, sub quo?

TErtio quæritur, Vtrum sit in præcepto, vel in consilio? & hic tria simul quæremus, scilicet vtrum sit in præcepto, & in quo præcepto, & qualiter obliget? Videtur autem, quòd sit in præcepto. Luc.11. Quod superest, date eleemosynam: & ecce omnia munda sunt vobis. Ibi Gloss. quod necessario victui & vestimento superest, date pauperibus, vel do consilium, & cætera. Ergo vult, quòd superfluum dare sit præceptum.

2 Item, Matth.6. Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua, quid faciat dextera tua: dicit Gloss. Conscientiæ facienti eleemosynam pro præcepto adimplendo miscet se laudis appetitio. Ex hoc iterum accipitur, quòd sit præceptum.

3 Item, Luc.3. Qui habet duas tunicas, det non habenti. Gloss. de duabus tunicis diuidendis datur præceptum.

4 Item, Ambros. Pasce fame morientem: si non paueris, occidisti. Ergo est in præcepto.

5 Item, Omne hoc est in præcepto, sine quo non est salus: sed sine donatione eleemosynarum ei qui potest dare, non est salus: ergo dare ei qui potest dare, est in præcepto. Probatio mediæ. Gregor. Minus proximum amare conuincitur, qui cum eo in necessitate ea etiam quæ sunt necessaria, non patitur.

6 Item, Ioan.3. Qui habuerit substantiam huius mundi, &c.

7 Item, Hoc accipitur ex Matth.25. vbi Dominus pro ratione iustæ condemnationis iniquorum allegat, quòd eleemosynas non dederunt: consilium autem non impletum, non damnat: ergo si eleemosyna esset in consilio tantum, non propter retentionem eleemosynarum Dominus impios condemnaret, vt videtur.

8 Item, Isa.58. Requirit Dominus hoc à populo dicens, Frange esurienti panem tuum, &c. Et subiungit, Tunc inuocabis, & Dominus exaudiet, & huiusmodi. Constat autem, quòd si esset consilium tantum, non impediret exauditionem.

9 Item, Tob.4. iniungit hoc Tobias filio suo tanquam necessarium ad salutem.

10 Item, Daniel.4. hoc dicit Daniel necessarium ad regis pœnitentiam. Ergo est de necessariis ad salutem: ergo est in præcepto.

Sed contra.

Sed contra videtur, quòd sit tantum in consilio. Luc.3. Interrogauerunt eum turbæ, &c. vbi dicit Gloss. interlinearis, Ex verbis Ioannis terrore concussi, consilium quærunt: sed Ioannes respondit, quòd eleemosynis intenderent: ergo respondit consulendo: ergo eleemosyna est consilium, vt videtur.

2 Item, Proprium iuste possidetur: ergo si retineatur, nulli fit iniuria: ergo nec pauperi: ergo nec tenetur aliquis dare pauperi ex præcepto: ergo, &c.

Quæstiũcula 1.

Vlterius quæritur, Si est in præcepto, sub quo præcepto incidat? Videtur autem quòd sub negatiuo propter dictum Ambrosij supra inductum, Pasce fame morientem, &c. ergo reducitur ad præceptum quod est, Non occides: ergo negatiuum.

2 Item, Omnis illicita acceptio & retentio reducitur ad hoc præceptum, Non furaberis: sed non dare eleemosynam est illicita retentio: ergo reducitur ad illud: sed hoc est negatiuum ergo, &c.

Sed contra.

Sed contra hoc est quod cum dicitur, Honora patrem tuum, & matrem tuam. Dicit Augustin. quòd nomine parentum intelligitur hic generaliter proximus: & per honorem intelliguntur tria, scilicet reuerentia, & subuentio corporalis, & subuentio spiritualis. Sed eleemosyna est subuentio proximi, corporalis, vel spiritualis; ergo reducitur ad illud præceptum: & hoc est affirmatiuum: ergo reducitur ad præceptum affirmatiuum.

2 Item, Ab omnibus fere dicitur, quòd præcepta negatiua obligant semper & ad semper: sed dare eleemosynam non obligat semper & ad semper, sed pro loco & tempore: ergo non reducitur ad præceptum negatiuum.

Quæstiũcula 2.

Sed tvnc quæritur, Qualiter obligat hoc præceptum? aut enim obligat tunc quando apparent signa, quod aliquis deueniet ad necessitatem extremam nisi subueniatur ei: aut tunc primo quando apparent signa extremæ necessitatis. Si primo modo: contra hoc videtur esse, quòd in omnibus pauperibus apparent signa, quòd non sufficiant sibi: sed hæc sunt deueniendi in extremam necessitatem: ergo omnibus pauperibus à quolibet aliquid habente vltra hoc quod sibi sufficit, est subueniendum: & si non fecerit, est omissio mortalis, quod graue est dicere. Si autem secundo modo: contra hoc est, quòd homo non est in extrema necessitates, nisi quando non habet aliud quid faciat, si ille non subuenit: & hoc nunquam apparet alicui, quia semper est talis status probabilis, quòd si ego non subuenio, tamen alius subueniet: ergo videtur, quòd nunquam erit tempus illud in quo teneatur aliquis subuenire: & hoc est irrisorium dicere.

Solutio.

Solvtio. Dicendum, quòd dare eleemosynã dupliciter consideratur, scilicet ex parte dantis, & accipientis. Ex parte dantis dupliciter, scilicet ratione superfluorum, & ratione necessariorum. Si ex parte dantis ratione superfluorum consideratur, tunc est præceptum: si autem ex

parte dantis ratione neceſſariorum, tunc eſt conſilium. Quæ autem ſunt ſuperflua, & quæ neceſſaria, hic breuiter dicimus: quia infra erit in quæſtione, ſcilicet quod ſuperflua ſunt, quibus ablatis adhuc poteſt conſeruari domus & familia & exerceri negotium & officium licitum ipſius perſonæ: & hoc ſecundum æſtimationem ſapientis & boni viri. Neceſſarium autem eſt, quo ablato hæc commode fieri non poſſunt. Similiter ex parte accipientis conſideratur dupliciter. Aut enim apparent ſigna deueniendi in extremum defectum, niſi aliquid det, aut non. Si apparent, tunc præceptum eſt dare etiam de neceſſario. Dico autem neceſſarium, vt prius, non ſine quo non eſt vita, ſed ſine quo commode non poteſt manuteneri domus & exerceri officium congruum perſonæ. Si autem non apparent talia ſigna, tunc eſt conſilium dare. Dicendum ergo ad primum in contrarium, quòd illa auctoritas interlinearis de Luca, non probat, quòd ſit conſilium, niſi in caſu, & quædam eleemoſyna, vt dictum eſt.

Ad quæſtiunculam 1.

Ad id autem quod vlterius quæritur, Ad quod præceptum reducatur? vtrum ad affirmatiuum, vel ad negatiuum? Dicendum, quòd in affirmatiuum, & ſecundum quod ſit de ſuperfluo, reducitur ad hoc præceptum, Non furtum facies. Et ſecundum quod accipitur ex parte indigentis in quo apparent ſigna indigentiæ, reducitur ad hoc præceptum, Honora parentes: quia nihil prohibet idem ſecundum diuerſa reduci ad præcepta diuerſa.

Ad id autem quod obiicitur, quòd ſi reducitur ad præceptum negatiuum, quòd tunc eſt negatiuum: dicendum, quòd hoc non ſequitur: ſicut hoc non valet, hoc reducitur ad genus ſubſtantiæ: ergo eſt in genere ſubſtantiæ: vel hoc reducitur ad genus quantitatis: ergo eſt quantitas. Nullum enim præceptum eſt adeo negatiuum, quod non habeat in ſe affirmatiuum actum, & quaſdam affirmationes conſequentes, ſicut non furtum facies, habet in ſe velle non furari tanquam actum affirmatiuum, & velle poſſidere & accipere quodlibet quod ſuum eſt tanquam affirmationem conſequentem: & quoad hanc conſequentem affirmationem hoc præceptum de eleemoſyna, reducitur ad non furandum: quia ſuperfluum non eſt noſtrum, & debemus velle quòd pauper accipiat quod ſuum eſt. Ad id autem quod obiicitur de Ambroſ. Dicendum quòd ipſe loquitur interpretatiue, non proprie. Et eſt ſenſus, Si non paueris, occidiſti, id eſt, per occaſionem reputabitur tibi in culpam, licet non tantam, quanta eſſet ſi manu occideret: & hoc ideò, quia cum poſſet dando vitam prolongare, non fecit.

Ad quæſtiunculam 2.

Ad id autem quod vlterius quæritur de modo obligationis: dicendum, quòd obligat, cum apparent ſigna deueniendi in extremam neceſſitatem. Sed ſigna ſunt duplicia, ſicut dicitur in alia facultate: quædam enim ſunt propria, quæ conuertuntur cum cauſa & immediata, ex quibus quandoque etiam arguit demonſtrator: & illa non ſunt expectanda, quia talia apparere non poſſunt de futura paupertate alicuius. Quædam autem ſigna ſunt communia, quæ probabiliter arguunt talem paupertatem futuram, ſi non dedero aliquid: ſicut quòd video eum egere, & alios pigros eſſe ad dandum. Hæc enim ſufficere debent præcipue ad dandum de ſuperfluo: tamen omnia quæ circa hæc ſigna eſſent dicenda, non puto ſcire quenquam, niſi quem vnctio docet de omnibus. Scio enim, quòd quidam excuſari volunt pauperes videntes, quòd trutanni ſunt, maiori quam patiuntur fingentes paupertatem: & illi audiant Ioannem Chryſoſt. dicentem ſic ſuper Ioan. in homilia 76. in parte morali ipſius homiliæ, Qualiter non inconueniens noſmetipſos quidem ad menſam ſedere ridentes & voluptates: alios autem per biuia tranſeuntes, audientes vlulantes, neque aduertentes ad vlulatum, ſed ægre ferre, & deceptorem vocare. Quid dicis ô homo, propter panem vnum quis decipit? Quidni inquis? Propter hoc ergo hæc tollenda eſt neceſſitas. Si vero non vis dare, neque conuicieris. Si non vis ſoluere naufragium, non impellas in baratrum.

ARTICVLVS XVII.

An eleemoſyna ſit pars ſatisfactionis?

Qvarto quæritur, Qualiter diſtinguitur ab aliis partibus ſatisfactionis? Et ratione iſtius quæruntur hic duo, quæ ſimul ſunt determinanda, ſcilicet vtrum ſit pars ſatisfactionis: & ſi eſt, qualiter diſtinguitur ab aliis? Videtur autem, quòd non: quia ſatisfactio reſpicit præcedens peccatum, nec tenetur ſatisfacere niſi qui peccauit: ſed homo tenetur ad eleemoſynam, etiam quando non peccauit: ergo eleemoſyna non eſt eſſentialis pars ſatisfactionis. Prima probatur ex ratione & diffinitione ſatisfactionis, ſupra poſitis in litera. Secunda vero probatur ex prius habitis: quia eleemoſyna fit de ſuperfluo, & eſt in præcepto etiam ei qui non peccauit, & ſatisfacere non tenetur. Item, Matth. 17. ſuper illud: Hoc genus dæmoniorum, &c. dicit Gloſſa Hieron. Per ieiunium ſanatur peſtis corporis, per orationem peſtis mentis. Sed non ſunt peſtes ſanandæ niſi mentis & corporis. Ergo videtur, quòd eleemoſyna non ſanat aliquam peſtem: ſed quælibet pars ſatisfactionis debet ſanare peſtem aliquam: ergo eleemoſyna non eſt pars ſatisfactionis.

2 Item, Illud non eſt pars eſſentialis alicuius, ſine quo poteſt res eſſe ſecundum ſubſtantiam & effectum: ſed contingit fieri ſatisfactionem de peccato, & ſatisfactionem eſſe ſine eleemoſyna: ergo eleemoſyna non eſt ſubſtantialis pars ſatisfactionis. Prima patet per ſe. Secunda probatur in illis quibus in ſola cordis contritione dimittitur peccatum & pœna, ſicut Matiæ Magdalenæ.

3 Item, Non eſt generalis pars, quæ in omni ſatisfactione eſſe non poteſt: ſed eleemoſyna in ſatisfactione pauperis eſſe non poteſt, quia nihil habet quod det: ergo non eſt pars ſatisfactionis.

Sed contra.

Sed contra hoc eſt quod dicitur Tob. 12. Bona eſt oratio cum ieiunio & eleemoſyna: vbi dicit Gloſſa, quòd oratio habet alas, ieiunium, & eleemoſynam: ergo ſicut auis eleuatur ſuis alis, ita oratio ieiunio & eleemoſyna: ergo ſine eleemoſyna non valet.

Solutio.

Solvtio. Dicendum videtur mihi in hac quæſtione cum diſtinctione, ſcilicet quòd eleemoſyna

mosyna est de superfluo, & hæc non est essentialiter pars satisfactionis: sed præexigitur ad ipsam sicut fundamentum, & habet actum satisfactionis in alio, quia pauper quem respicit, orat pro eo, & satisfacit, & quandoque primam gratiam impetrat danti, si pauper cui datur, est in charitate. Est etiam eleemosyna, quæ est de necessario: & hæc est satisfactionis essentialis pars: & voco necessarium, non sine quo homo viuere non potest, quia hoc nullus debet subiipsi subtrahere, sed potius id quod æstimatione sapientum conceditur ei habere ad domus dispensationem, & potest reparari per industriam negotiantis vel reditus quotidianos.

Ad hoc autem quod primo obiicitur, dicendum quòd qui sine peccato est, tenetur ad primum genus eleemosynæ, & non ad secundum.

Ad aliud dicendum, quòd est sanatiuum coniunctum, quod cum morbo coniungitur in subiecto: & hæc sanatiua tangit Glossa illa: quia oratio humiliat spiritum, & ieiunium attenuat corpus: vnde illa duo sanant pestes ex parte peccantis. Sed oportet in super habere sanatiua ex parte occasionum peccandi: & hæc sunt principalia bona infirmitati concessa: & hæc communicando sanat eleemosyna pestes mentis & corporis: quia ambæ occasionantur ex illis.

Ad aliud dicendum, quòd in eleemosyna sunt duo, sicut infra patebit. Vnum est voluntas communicandi se, & sua pauperibus indigentibus Ecclesiæ: & ex parte illa omnino habet vim meriti, quando illa voluntas est per gratiam gratum facientem. Et aliud est datum ipsum: & hoc quandoque non habetur. Et dicendum, quòd primum facit eleemosynam esse partem, quando perfectum est: & sine illa parte non est satisfactio. Et per hoc patet etiam solutio ad sequens: quia hanc eleemosynam omnis homo dare potest: & vocatur ab Apostolo Rom. 12. necessitatibus Sanctorum communicatio.

ARTICVLVS XVIII.

Qualiter eleemosyna distinguatur ab aliis partibus satisfactionis?

Deinde quæritur secundo iuxta illud, qualiter eleemosyna distinguatur ab aliis partibus satisfactionis? Videtur autem, quòd in nullo quantum ad satisfactionem: quia partes satisfactionis satisfaciunt per hoc quod sunt pœnales: ergo videtur, quòd omnes tres in ratione pœnæ conueniant, & non distinguantur nisi materialiter.

2 Item, Super illud Luc. 3. Facite fructus dignos pœnitentiæ: dicit Gloss. Dare eleemosynam pars est pœnitentiæ. Et constat, quòd non contritionis vel confessionis: ergo satisfactionis. Et iterum non sunt partes pœnitentiæ nisi ratione pœnæ: ergo videtur, quòd istæ tres partes conueniunt in eo quod sunt pœnæ quædam.

Sed contra. Sed contra hoc est, quòd si non differrent nisi secundum rationem pœnæ, tũc non esset ratio quare hæc tria ponerentur partes satisfactionis, potius quam alia in quibus natutaliter est pœna: & hoc non est verum.

2 Item, Si vnũ multiplicaretur, pœna quę est in ipso, multiplicaretur: ergo vnũ solũ posset sufficere ad satisfactionem, si multoties fieri præciperetur.

Ad hoc dicunt quidam, quòd in toto homogenio omnes partes denominantur nomine totius: & quia satifactio quasi totum homogeniũ est ad partes, ideo quęlibet earum satisfaçit in ratione qua satisfactio est pars pœnitentiæ: & hoc est quædam pœna. Sed contra primo est, quòd ista solutio nullo modo respondet rationibus inductis: vnde ista solutione data, adhuc remanet quæstio. Item, quia ista solutio videtur falsum supponere: quia in toto homogenio partes non sunt nisi vnius nominis, quælibet enim pars ignis est ignis, & vocatur ignis: hic autem vna pars diuersum nomen habet ab alia: ergo videtur, quòd non sunt partes totius homogenij.

Solutio. Solvtio. Dicendum videtur ad hoc, quòd illæ tres partes satisfactionis distinctæ sunt: licet conueniant in hoc communi, quod est esse pœnalea: aliam enim rationẽ pœnæ habet pœna damni, & aliam pœna sensus: & sic eleemosyna in specie pœnæ differt ab aliis partibus satisfactionis. Item, Habet vnam rationem afflictionis puniens spiritum superbientem, & aliam id quod affligit corpus: & sic differt ab oratione ieiunium, etiam formaliter in specie afflictionis, licet in genere conueniant. Et per hoc patet solutio ad totum. Si autem obiicitur, quòd vnum illorum sine alio potest satisfacere: quod non esset verum, si essent partes integrales: si autem sunt partes subiectiuæ, tunc omnes conuenire debent in ratione & specie. Dicendum, quòd multa sunt genera partium: vnde dicendum, quòd istæ partes sunt per modum totius potentialis: & licet vna sola satisfacere possit, tamen aliæ sunt in proposito & virtute: & est ibi quod meritorium est de ipsis hoc modo quo in præcedenti articulo dictum est.

ARTICVLVS XIX.

An eleemosyna magis consistat in voluntate interiori, vel in dato exteriori?

Quinto quæritur, Vtrum magis consistat in voluntate interiori, vel in dato exteriori? Et videtur, quòd in voluntate interiori. Exteriora enim radicantur in interioribus, & ex illis habent laudem vel vituperium: cum igitur compassio sit interior, & datum exterius, datum laudatur secundum deuotionem & compassionem interiorem, & non per se: ergo illud est melius quod est interius, quam illud quod est exterius.

2 Item, Matth. 12. Bonus homo de bono thesauro cordis sui profert bonum: ergo boni prolati thesaurus & causa est in corde: sed causa semper melior est & dignior, quam effectus: ergo deuotio & compassio dantis, siue voluntas, melior est, quam sit ipsum datum,

3 Item, 2. Corinth. 8. super illud: Hoc enim vobis vtile est, &c. dicit Gloss. Do vobis consilium, vt pauperibus eleemosynas detis: hoc enim vtile est vobis non solum facere, sed etiam velle, quod plus est, quam facere.

4 Item, Voluntas pro facto computatur, etiamsi sit sine opere propter impotentiam: sed factum

ſine voluntate nunquam eſt meritorium:ergo voluntas melior eſt quam factum : ergo etiam circa eleemoſynam magis attenditur voluntas, quam datum.

5 Item, 2.Corinth.8. Qui modicum non minorauit, &c. Gloſſ. Qui multum dat vt diues, & qui modicum vt pauper : ſi æqua voluntas,æqualem mercedem habebunt. Ergo videtur, quòd nihil vel quaſi nihil faciat ad rationem meriti datum ipſum.

6 Item. Luc.21. vbi legitur de vidua paupercula, quæ miſit duo minuta in gazophilacium, & Dominus laudauit eam, quòd plus omnibus poſuiſſet : quia alij de ſuperfluo, & iſta de neceſſario quod maiorem oſtendit deuotionem in voluntate.

7 Item, Super illud, Qui ſeminant in lacrymis, dicit Gloſſ. Magna voluntas multum dedit, multum ſeminauit. In hac etiam voluntate illa vidua quæ duo minuta miſit, non parum ſeminauit.Et ex hoc accipitur idem quod prius.

8 Item, Dicitur communiter, & eſt verbum Auguſt. quòd Deus non attendit quantum, ſed ex quanto detur. Ergo cum ex quanto ſit idem quod ex quanta voluntate,videtur quòd attenditur voluntas ſimpliciter, ſed ad datum ſecundum quid tantum, ſcilicet ſecundum quod procedit ex voluntate.

9 Item, Paupertas laudatur in ſacra Scriptura, & diuitiæ vituperantur:ergo videtur, quòd in nullo melior debeat eſſe conditio diuitis, quam pauperis:ſed ſi ſubſtantia meriti eleemoſynæ magis attenderetur in dato, quam in voluntate, magis eſſet meritum in facultate diuitis, quam paumaioris peris : ergo ſubſtantia meriti eleemoſynæ magis eſt in voluntate,quam in dato.

Sed contra. SED CONTRA : In ſuffragiis mortuorum citius liberatur pro quo plura fiunt, ſicut dicitur ab omnibus,& infra probabitur:ſed qui plura dat, pro illo plura fiunt, quam pro illo qui vult plura dare, & non habet : ergo videtur, quòd citius diues liberatur, quam pauper, etiamſi in aliis ſint pares : & non liberatur niſi propter abundantius meritum:ergo videtur, quòd in dato abundantius meritum ſit,quam in voluntate.

2 Item, Iniuncta pœnitentia fit ſecundum ptoportionem peccati. Sint ergo duo æqualis voluntatis in pœnitentia, ſed inæqualis peccati, ſacerdos diſcretus plus peccanti plus iniungit eleemoſynæ ad dandum, & minus peccanti minus iniungit:ergo dans maius, expiat magis peccatum cum æquali voluntate,quam dans minus:ergo eſt virtutis in merendo:ergo penes datum attenditur meritum.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum ad hoc ſicut prius, quòd eſt meritum per ſe,& meritum per accidens. Meritum per ſe eſt quod eſt ad acquirendum bonum gratiæ & gloriæ. Dico autem bonum gratiæ, ſicut eſt gratiæ augmentum,& gratiæ perfectio:& non ſicut eſt gtatia prima,quia illa non datur pro merito, ſed ex dono.Meritum autem per accidens eſt ſicut diminutionis pœnæ, & meritum quod acquiritur alterius interceſſione,ad hoc quaſi empti precibus vel donis eleemoſynarum. Dicendum igitur, quòd meritum per ſe attenditur penes deuotionem voluntatis,ſi perfecta eſt.Non eſt autem perfecta niſi ſibi atteſtetur datum, & quantitas dati,ſi poteſt dare tantum.Meritum autem per accidens attenditur circa datum:quod tamen aliquo modo procedit à voluntate informante ipſum. Hoc autem atteſtari videtur Gregor. qui dicit, Charitas magna operatur,ſi eſt:ſi vero operari deſinit, non eſt charitas. Ex hac autem diſtinctione patet ſolutio ad omnia ea quæ primo inducuntur præter vltimum.

ET AD hoc dicendum, quòd nihil prohibet meliorem eſſe conditionem diuitis quam pauperis in his quæ faciunt ad meritum per accidens, ſicut diuitiæ, & huiuſmodi. Et ſimiliter eſt in felicitate & actu felicitatis ad quem quædam virtutes faciunt per ſe. Quædam autem bona, vt dicit Commentator ſuper 1. ethicorum, operantur ad ipſum organice, vt diuitiæ,& potentiæ ſeculares, & nobilitates, & robur corporis,& huiuſmodi:& eodem modo operatur meritum in dato : & non eſt inconueniens in tali caſu meliorem eſſe conditionem diuitis,quam pauperis.

AD EA autem quæ obiiciuntur in contrarium, patet ſolutio : quia in eo ſenſu procedunt, quo attenditur meritum per accidens, & meritum quod fit per alium per eleemoſynam ad hoc inductum.

ARTICVLVS XX.

An eleemoſyna poteſt eſſe ſine compaſſione, vel compaſſio ſit ei ſubſtantialis ?

SExto quæritur, Vtrum eleemoſyna poſſit eſſe ſine compaſſione, vel compaſſio ſit ei ſubſtantialis ? Videtur autem, quòd ei ſit ſubſtantialis: quia miſeratio non eſt niſi opus miſericordiæ:ſed opus miſerationis eſt eleemoſyna, vt patet in nominis interpretatione & diſtinctione ſupra poſita: ergo eleemoſyna non eſt ſine miſericordia:ſed miſericordiæ ſubſtantialis eſt compaſſio, vt ex ipſa diffinitione patet : ergo eleemoſynæ ſubſtantialis eſt compaſſio.

Sed contra. SED CONTRA : Multi ſunt qui non compatiuntur miſero, & tamen dant propter Deum: ergo non ſemper eleemoſyna eſt ex compaſſione: ergo non eſt ei ſubſtantialis.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd ſicut de dolore pœnitentiæ dictum eſt ſupra, quòd duplex eſt,ſcilicet ſenſibilis, & rationalis : ita etiam videtur dicendum de compaſſione:voluntas enim compatiendi, compaſſio ſpiritualis eſt, eo quod ex complexione aliquis paſſionem ſenſibilem vix ſentire poteſt intuendo miſerias proximi:& ex tali compaſſione ſemper procedit eleemoſyna. Et per hoc patet ſolutio:quia argumentum factum in contrarium procedit de compaſſione ſenſibili.

ARTICVLVS XXI.

An ſepultura ſit eleemoſyna,vel ſpecies eleemoſynæ?

DEinde quæritur de hoc quod dicitur *ibi* [Non ſolum qui dat eſurienti cibum, & ſitienti, &c.] Hic eſt tractanda quæſtio de ſpeciebus eleemoſynæ, circa quam quæremus tria,ſcilicet de ſufficientia eleemoſynarum corporalium. Secundo de eleemoſynis ſpiritualibus. Tertio de

de comparatione ſpiritualium ad corporales.

QVÆRITVR ergo, Vtrum ſepultura ſit eleemoſyna? Videtur,quòd ſic: quia 1.& 2.Tob. laudatur, quòd ex compaſſione procedit opus illud: ergo eſt eleemoſyna.

2 Item, Hoc ab omnibus dicitur, quòd eleemoſynæ corporales ſunt ſeptem, quarum vna aſſignatur ſepultura. Item, Eleemoſyna ſubleuat defectum: defectus autem ad quem omnes ordinantur, eſt mors: ergo debet maxime ſubleuari: ſubleuamem autem eſt ſepultura: ergo videtur, quòd ſit eleemoſyna.

3 Item, Corpori quod reſurget, aliquid debetur, quod non debetur corpori non reſurgenti: ſed corpus hominis reſurget, & brutorum corpora non reſurgent: ergo cum bruta inhumata abiiciantur, iſtud debet ſepeliri ex compaſſione, vt videtur.

4 Item, Fidei ſignum reputatur,quòd aliquis moriens eligat ſepulturam in loco congregationis bonorum, & in locis ſacris:ergo ſepultura talis eſt laudabilis, & exhibetur deficienti: ergo eſt opus miſericordiæ, vt videtur.

5 Item, Tituli leguntur poſiti in ſepulchris patrum, vt Simon ædificauit ſepulchrum patris ſui & fratrum, & laudatur: ergo videtur, quòd mors non obſtat quin ex compaſſione poſſint fieri bona circa mortuos: ſed ſepultura eſt præcipuum quod mortuo exhibetur:ergo eſt opus eleemoſynæ, vt videtur.

Sed contra. SED CONTRA: Eleemoſyna releuat indigentiam pauperis, vel deficientis, circa quæ fit: ſed ſepultura non prodeſt mortuo circa quem fit: ergo non eſt eleemoſyna. Probatio mediæ. Auguſt. dicit,& infra habetur in litera:Pompa funeris, agmina exequiarum, & ſumptuoſa diligentia ſepulturæ, viuorum ſunt qualiacunque ſolatia, non adiutoria mortuorum.

2 Item, Ariſtot. dicit, quòd bonum & malum non amplius tranſmutant mortuum: ergo nec iuuant: ſed eleemoſyna ſemper iuuat eum cui fit.

Quæſtiũcula. QVÆRITVR etiam de aliis, ſcilicet de cibatione? Videtur enim, quòd cibus aliquis non requiritur propter defectum, ſed propter delectationem: ergo qui dat illos, non videtur facere eleemoſynam.

2 Obiicitur ſecundo de veſtimentis,quæ quandoque quæruntur propter ornatum,vt videtur.

3 Præterea, ſunt multi alij defectus corporales,circa quos ordinantur humana obſequia: ergo videtur, quòd ſint plura genera eleemoſynarum. Verbi gratia, medicari, errantem ad viam reducere, cadentem ſubleuare, & huiuſmodi multa quæ ſunt circa homines: ergo opera eleemoſynæ videntur inſufficienter enumerari à ſanctis.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd eleemoſyna (ſicut ſupra habitum eſt) dicitur à miſericordia facientis eam, & non neceſſario à miſeria accipientis eam: quia ſufficit, quod in accipiente ſit opinata vel præſumpta miſeria, quæ cor hominis ſufficienter mouere debet ad ſubueniendum. Quod ergo obiicitur de ſepultura, bene concedo, quòd eleemoſyna eſt quæ impenditur homini gratia corporis quod reſurget, vt condatur honeſtius quam alia corpora non reſurgentia, & remoueatur ab horrore hominum.

AD ID autem quod contra obiicitur, dicendum quòd releuat defectum quem incurrit homo gratia corporis. Ad dictum Auguſt. dicendum, quòd ipſe intendit, quòd non prodeſt niſi his qui ſe in vita dignos fecerunt, vt eis prodeſſe poſſent: vnde ſicut ſuffragia relata ad præcedens meritum proſunt vel obſunt, ita etiam ſepultura. Vnde Gregor. narrat,quòd quidam iniqui in locis ſacris ſepulti,eiecti ſunt à dæmonibus.

AD ALIVD dicendum, quòd Ariſtot. loquitur de bonis ciuilibus, & ad ciuilem felicitatem ordinatis: & verum eſt, quòd illa non tranſmutant mortuum, ſicut fortunæ pronepotum, & huiuſmodi: ſed ſic non loquitur Eccleſia quæ credit,quòd ſuffragia in eleemoſynis proſint mortuis qui Deo viuunt.

AD ID quod vlterius quæritur de cibo, dicendum quòd natura deficit quandoque in appetendo neceſſaria propter aliquam infirmitatem: & tunc oportet ſubuenire per delicata mouentia appetitum:& illa hoc modo ſecundum ſtatum talem ordinantur contra miſeriam. *Ad quæſtiunculam.*

AD ALIVD dicendum, quòd veſtis delicata dupliciter ex miſericordia dari poteſt: vno quidem modo,quando debilitata complexio requirit mollem veſtitum, impotens ad ſuſtinendum neceſſarium: alio modo, quando licet pauper ſit, tamen ſtatum tenuit honorificum:& verecundum eſt ei vti communibus: ſicut legitur de beato Nicolao, quòd dedit aurum virginibus & patri, quæ mendicare erubeſcentes proſtibulo diſponebantur.

AD ALIVD dicendum, quòd multi ſunt defectus ſecundarij: ſed iſti ſunt principales, ſicut medicina quæ reducitur ad viſitationem infirmorum:& quia infirmus generaliter accipitur,& viſitatio eius generaliter eſt omne adiutorium, poteſt dici etiam cadens infirmus, & viſitatio ſubleuatio eiuſdem.

SI AVTEM quæritur, Penes quid ſumuntur huiuſmodi defectus? Dicendum, quòd ſubleuamem quod fit miſero: aut fit ad defectum amouendum in ſe, aut non quidem ad amouendum, ſed ad mitigandum,ne aliis generet horrorem. Si hoc vltimo modo fiat,eſt ſepultura.Si primo modo: aut eſt contra defectum naturalem, aut accidentalem. Si contra naturalem: aut in defectu calidi & ſicci,& tunc eſt cibare: aut frigidi & humidi & tunc eſt potare: hæc enim naturaliter appetimus: quia, ſicut dicit Philoſophus, ex eiſdem generamur, & nutrimur: & quia conſtamus per generationem ex illis quatuor, propter hoc etiam appetimus ea ad conſeruationem indiuidui. Si autem eſt in accidentibus: aut ſecundum defectum interiorum,aut exteriorum. Si primo modo: tunc eſt infirmitas quæ prouenit ex corruptione complexionantium interiorum. Si ſecundo modo: aut eſt in his quæ impediunt amouendis, aut in expedientibus conferendis. Si primo modo: tunc eſt incarcerati ſubuentio & redemptio. Si ſecundo modo: tunc eſt de conſeruantibus ab his quæ circunſtando corpus per contrarias qualitates diſſoluunt, & ſic eſt veſtis:aut de his quæ recreant per quietem poſt laborem, & ſic eſt hoſpitium, in quo quieſcit pauper qui tranſiuit. Et per hoc patet ſolutio ad totum. *Quæſtiũcula. Solutio.*

ARTICVLVS XXII.

De eleemosynis spiritualibus?

DEinde quæritur de spiritualibus eleemosynis? Videtur enim, quòd docere non sit eleemosyna: non enim ordinantur eleemosynæ contra naturam: sed natura omnes producit ignorantes: ergo videtur, quòd contra ignorantiam nulla ordinetur eleemosyna.

2 Item, Si docere eleemosyna est, vt videtur dicere Magister in litera, videtur quòd sapiens siue instructus obligetur ad illam: ergo pro tempore & loco tenetur subuenire: sed hoc est tempus ignorantiæ, scilicet quando ille ignorat & est præsens: ergo videtur, quòd omnem talem tenetur docere instructus: ergo si non docet, peccat mortaliter, sicut si non dat cibum esurienti in tempore necessitatis: & hoc est graue dicere.

3 Item, Obiicitur de hoc quod dicit, Dimittimus quod in nobis quisque peccauit, Hoc enim præceptum esse videtur in præcepto dilectionis inimicorum: ergo hic est actus charitatis: ergo misericordiæ: ergo non eleemosynæ: quia in litera innuit, quòd eleemosynam dat qui misericordiam præstat. & sine misericordia non est eleemosyna.

4 Item, Consilium quod datur alicui, videtur quod reducatur ad doctrinam ignorantis, quia omnis consilium quærens ignorat: ergo videtur, quòd superflue ponitur inter opera eleemosynarum.

5 Item, Ista opera non videntur esse misericordiæ, sed potius charitatis in proximum per effectum tendentis: sicut enim dicitur 1. Corinth. 13. Charitas non quærit quæ sua sunt.

6 Item, Inter opera misericordiæ corporalia quædam sunt quæ iuuant post mortem: & cum anima maneat nobilius post mortem, quam corpus, videtur quòd ad hoc debet esse opus spirituale quod fiat homini post mortem: ergo insufficienter enumerantur, vt videtur.

7 Item, Iustitiæ opus videtur remittere, sicut patet Matt. 6 & 18. vbi dicit, Si non dimittitis debitoribus vestris, nec Pater vester dimittet vobis peccata vestra.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd in veritate sunt eleemosynæ spirituales septem, sicut dicitur communiter, contra defectum spiritus ordinatæ. Aut enim ille defectus est culpæ, aut pœnæ. Si culpæ: aut in se solo, aut in te peccatur per illationem iniuriæ. Si in te peccatur, contra hoc ordinatur sustinere patienter & remittere: quia duo sunt in iniuria illata, scilicet culpa, & hæc exigit remissionem: & pœna illata, & hæc exigit sustinentiam, ne per seipsum iudicet. Si autem est in se solo: aut est cum spe emendationis, aut sine spe tali. Si primo modo, tunc habet locum castigatio: si secundo modo, tunc habet locum oratio ad Deum, vt ipse suppleat quod deficit in auxilio humano. Si autem est defectus pœnæ: aut est secundum intellectum, aut secundum affectum. Si est secundum affectum, sic est tristitia, vel metus qui ad idem ordinatur: & tunc indiget consolatione. Si autem secundum intellectum: aut secundum quod ipse est speculatiuus, & tunc est ignorans, & indiget doctrina: aut secundum quod est practicus, & tunc deficit in scientia agendorum: cuius subuentio erit per consilium. Et sic patet, quod septem sunt eleemosynæ spirituales.

AD IP ergo quod primo obiicitur, dicendum quòd ignorantia non est natura hominis instituti, sed damnati: & ideo defectus est in homine.

AD ALIVD dicendum, quòd licet generaliter ignorantia sit quidam defectus, est tamen ignorantia quædam, sicut eorum sine quibus non est salus, periculosa: & in talibus puto, quòd instructus tenetur docere alios non doctos: & propter hoc ponuntur plebi sacerdotes, qui in talibus instruant: & ideo sapiens instructus præsumit probabiliter alios esse qui succurrant ex debito, etiamsi ipse non doceat: & ideo non peccat mortaliter, quia non instat tempus necessitatis.

AD ALIVD dicendum, quòd nihil prohibet vnum opus esse plurium virtutum, secundum quod diuersi fines mouent in eo: vnde bene concedo, quòd remittere potest esse opus iustitiæ, & charitatis, & misericordiæ: sed misericordiæ erit proprie sicut elicientis, & aliarum vt imperantium; & hoc ideo fit quia ordinatur ad subleuationem miseriæ quæ est culpa in proximum: & tale opus elicit misericordia ex compassione proximi procedens.

AD ALIVD dicendum, quòd differunt doctrina & consilium: quia doctrina est de quolibet ignorato: præcipue tamen debet esse de his quæ ad salutem pertinent: vt quædam sacræ scripturæ, & fidei articuli: sed consilium quæritur in dubiis agibilibus per nos, vt probatur 3. ethicorum.

AD ALIVD patet responsio per antedicta.

AD ALIVD dicendum, quòd anima manet viua post mortem: & ideo quædam de his quæ iuuant eam dum est in corpore, sufficiunt eam iuuare post mortem: non autem ita est de corpore: & ideo non oportet ad hoc opus spirituale esse quo specialiter iuuetur anima post mortem.

AD ALIVD dicendum, vt prius habitum est.

ARTICVLVS XXIII.

An eleemosynæ spirituales corporalibus sunt meliores?

TErtio quæritur de comparatione corporalium eleemosynarum ad spirituales? Videtur autem, quòd spirituales sint meliores, per id quod infra parum ponitur in litera: sed ea maior est qua ex corde dimittimus quod in nobis quisque peccauit.

2 Item, Nobilior est spiritus, quam corpus: ergo melior est subuentio spiritus, quam corporis: sed eleemosyna spiritualis subuenit spiritui, corporalis autem corpori: ergo melior est spiritualis corporali.

3 Item, Operationes differunt in suis essentiis: constat autem, quòd spirituales meliores sint quam corporales, sicut melior est spiritus quam corpus:

corpus: sed eleemosynæ spirituales sunt operationes spirituales, corporales vero eleemosynæ sunt operationes corporales: ergo spirituales sunt meliores.

4 Item, Corpus non habet vitam, nec vitium, nec virtutem nisi per spiritum: ergo omnia illa per prius conueniunt spiritui: ergo & in operationibus non erit laus nisi per spiritum: sed vnumquodque magis est efficax in propriis, quam in alienis: ergo & spiritus magis erit efficax in spiritualibus, quam in corporalibus: ergo spirituales eleemosynæ sunt magis efficaces: ergo etiam magis bonæ.

5 Item, Eleemosynæ corporales differentiam habent bonitatis penes materias: meliorem enim eleemosynam facit dans aurum, quam argentum, si æque sunt abundantes in dandi facultate: cum igitur munera spiritualia meliora sint omnibus corporalibus, meliores esse videntur spirituales eleemosynæ, quam corporales.

Sed contra. SED CONTRA: Eleemosynæ sunt ad subuentionem indigentiæ: sed magis indiget homo in corpore, quam in anima: ergo meliores sunt illæ eleemosynæ. Probatio mediæ. Indigentia animæ per inquisitionem amoueri potest, & multis aliis modis, & non redit remota semel, vel non naturaliter redit: sed corporis indigentia continue affligit, & euitari non potest, & redit remota, vt fames.

2 Item, Quanto minus recompensatur danti eleemosynam in præsenti, tanto melior & fructuosior est eleemosyna: sed minus recompensatur in corporalibus, quam in spiritualibus: ergo fructuosior est eleemosyna in corporalibus, quam in spiritualibus. Probatio primæ est Matth. 6. vbi dicit de quærentibus mercedem laudis, quòd receperunt mercedem suam. Et docet inuitare pauperes qui reddere non possunt. Probatio secundæ est, quòd bona spiritualia communicata alij, crescunt in possidente.

3 Item, Corporales indigentiæ magis sentiuntur, quam spirituales: ergo magis desideratur supplementum defectus: & melior est eleemosyna, quæ magis est iuxta desiderium pauperis, quia magis consolatur: ergo melior est eleemosyna corporalis, quam spiritualis.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd eleemosyna corporalis plus habet de supplemento indigentiæ, sed spiritualis plus habet vtilitatis & honestatis: simpliciter tamen eleemosyna in spiritualibus melior est, quam in corporalibus, sicut dicitur in litera. Et primæ rationes non concludunt nisi secundum quid, scilicet quòd sit nobilior illa eleemosyna: sed non concludunt, quòd magis requiratur: quia magis sentiuntur defectus corporales, quam spirituales.

AD EA autem quæ obiiciuntur in contrarium, dicendum quòd hoc non facit eleemosynam magis meritoriam quod est maioris indigentiæ, sed potius quòd ex maiori affectu datur. Vel dicendum, quòd non concluditur nisi secundum quid esse melior: si enim bene deberet fieri comparatio, deberet supponi in omnibus paritas, præterquam in hoc quod vna est spiritualis, & alia corporalis: & tunc plane patet, quòd spiritualis esset melior.

AD ALIVD dicendum, quòd licet hoc sit verum in docendo & consulendo: tamen non est in aliis verum: & si sit quodammodo etiam verum in aliis: quia quanto aliquis sæpius condonat iniuriam, tanto facilius potest hoc facere: non tamen propter hoc diminuitur meritum eleemosynæ: quia quod Dominus dicit de receptione mercedis, non intelligitur de mercede spirituali, sed corporali & transitoria, & non de augmento gratiæ, quod sæpe fit merito eleemosynæ.

AD VLTIMVM dicendum, quòd sensus non facit magis meritorium, sed magis necessarium, secundum illud tempus in quo defectus sentitur. Nota autem, quòd hæc genera eleemosynarum duobus versibus sunt comprehensa, quorum primus est hic:

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo.
Instrue, castiga, solare, remitte, fer, ora.

Et hi versus per omnia patent, nisi in hoc solo quod instruo in duplici significatione accipi debet, scilicet pro instructione docentis ignorantem, & pro instructione informantis ad consilium.

ARTICVLVS XXIV.

Ex quo potest vel debet fieri eleemosyna?

DEinde quæritur de hoc quod dicitur *ibi* [Date eleemosynam: & ecce omnia munda sunt vobis, &c.] Est autem hic quæstio, Ex quo possit vel debeat fieri eleemosyna? Videtur autem, quòd de omni eo quod habetur, & ex compassione impendi potest misero: quia ad dare non exigitur nisi facultas ex parte dantis: sed habens quocunque modo, habet facultatem ad dandum: ergo quocunque modo habens potest facere eleemosynam.

2 Item, Id quod superest, ex iustita non potest retineri: & tamen inde potest fieri eleemosyna: ergo eleemosyna erit de illo quod habetur, licet iuste retineri non possit: & ex hoc sequitur, quòd de vsuris & aliis illicite acquisitis possit fieri eleemosyna: quod multi negant.

3 Item, De duobus malis minus malum eligendum est: sed magis malum est illicite acquirere, & immisericorditer retinere, quam illicite acquirere & misericorditer erogare: ergo secundum est suadendum, scilicet quod de illicite acquisitis fiat eleemosyna.

4 Item, De eo cuius aliquis dominus est, potest facere quod vult: sed vsuræ secundum multos dominus est: ergo potest facere quod sibi placet: ergo & eleemosynam potest facere inde. Quod autem sit dominus vsuræ, patet ex hoc quod multi dicunt in vsura transire dominium.

Sed contra. SED CONTRA: Gregor. in decreto cau. 1. quæst. 1. Non est putanda eleemosyna, si pauperibus dispensetur quod ex illicitis rebus acquiritur. Ergo de illicite acquisitis non potest fieri eleemosyna.

2 Item, Gregor. ibidem, Quicquid enim in Dei sacrificio ex scelere offertur, omnipotentis Dei non placat iracundiam, sed irritat.

3 Item, Ibidem tractans illud Salomonis Eccli. 34. Qui offert sacrificium de substantia pauperis, &c. sic dicit, Quantus autem dolor sit dolor patris perpendamus, si in eius conspectu filius victimetur: & hinc facile cognoscitur

tur quantus apud Deum dolor exaſperetur, quando ei ſacrificium ex rapina tribuitur.

4 Item, In decret.14.q.5. Auguſt.in homiliis, Forte aliquis cogitat,& dicit:Multi ſunt Chriſtiani auari, cupidi, non habebo peccatum ſi ſuum illis abſtulero, & pauperibus dedero : vnde enim illi nil boni agunt, mercedem habere potero : ſed huiuſmodi cogitatio ex diabolica calliditate ſuggeritur : nam ſi totum tribuat pauperibus quod abſtulerat, addit potius peccatum, quam minuat. Aliæ etiam auctoritates multæ ſunt ad hoc.

5 Sed rationi inſiſtamus. Quod illicite accipit, reddere tenetur : ergo nihil eſt ei faciendum, vnde efficiatur impotens ad ſoluendum : ſed per dare alteri,ſiue pauperi,ſiue diuiti, efficitur impotens:ergo tenetur non dare alteri:ergo tenetur de hoc non facere eleemoſynas.

6 Item, Sicut dicit Apoſtolus, Non ſunt facienda mala vt inde veniant bona. Ergo nullus debet facere mala vt eueniant bona : ſed illicite acquirere, eſt facere malum : & eleemoſynam dare, eſt euenire bona : ergo eleemoſyna non poteſt nec debet fieri de illicite acquiſitis,&c.

7 Item, Fornicari cum aliqua Iudæa vel pagana vt conuertatur, eſt illicitum & peccatum mortale, & fieri non debet, eo quod in ſe peccatum eſt : ergo cum iniuſta acquiſitio non ſit minus peccatum, quam fornicatio, non debet fieri illicita acquiſitio vt eleemoſyna ex hac detur.

Quæſt. 1. SED TVNC quæritur de caſibus qui ſunt circa hanc quæſtionem. Ponamus ergo,quòd aliquis habeat illicite acquiſita per vſuram vel rapinam: & videat aliquem in extrema neceſſitate poſitum, & non habeat aliud vnde ſoluat ei à quo illicite tulit. Et quæritur, Vtrum tenetur dare pauperi, aut non? Videtur,quòd ſic:quia in tali neceſſitate omnia ſunt communia : ergo ſi dat iſti, videtur quòd abſoluitur ab alio.

2 Item, In tali caſu poſſet violenter rapere ab alio, & dare iſti : ergo & acquiſitum illicite poteſt ei dare, ita quod non teneatur amplius ſoluere.

Sed contra. SED CONTRA : Non remittitur peccatum niſi reſtituatur ablatum : ille autem non reſtituit ablatum per hoc quod dat alij:ergo peccatum ſibi non remittitur.

2 Item, Alij competit actio in iſtum, quandiu retinet ſuum : ergo cum tandiu retinere dicatur, quandiu non ſoluit, adhuc poſt talem dationem competit ei actio : ergo adhuc reddere tenetur : non ergo abſoluitur à tali datione.

Quæſt. 2. VLTERIVS quæritur in eodem caſu, ſi ille ſit præſens cui debet, & neget licentiam dandi ei qui eſt in extrema neceſſitate, vtrum adhuc dare tenetur? Videtur, quòd non:quia dat alienum *inuito domino* : & hoc eſt illicitum.

2 Item, De alieno(vt prius patuit)non poteſt fieri eleemoſyna:ſed hoc quod habet, eſt alienum: ergo nunquam poteſt dare illud, ipſo cui debet inuito.

Sed contra. SED CONTRA:Dicit Amb.Paſce fame morientem, &c. ſed iſte poteſt paſcere, & non facit: ergo occidit : ergo videtur, quòd dare debeat tali egeno.

Quæſt. 3. ITEM quæritur hic de aliis caſibus, vtrum de aleato & pretio meretricij poſſit fieri eleemoſyna? Videtur quod ſic:quia in talibus non meretur ille recipere qui perdidit:ergo per dationem non efficitur impotens ad ſoluendum : ergo dari poteſt pauperibus.

Sed contra. CONTRA: Non offeres mercedem proſtibuli:ſed ſacrificium quoddam eſt eleemoſyna:ergo non debet fieri de illis. Item in Epiſtola Hier. increpantur ſacerdotes Babylonis,qui dona meretricum accipiunt : ergo faciendum non eſt, hoc eſt eleemoſyna. *Deut.23.*

2 Item, Illicito commercio nihil licite acquiritur:ſed meretricium eſt illicitum commercium: ergo illo nihil licite acquiritur:ergo nec pretium: ſed de illicite acquiſito non poteſt fieri eleemoſyna, vt patuit ex verbis Gregorij ſupra inductis: ergo nec de meretricio,nec de aleato.

Solutio. SOLVTIO. Sicut dicunt illi qui probabiliter iura docuerunt, videtur mihi eſſe diſtinguendum in illicite acquiſito : aut enim transfertur dominium,aut non transfertur. Transfertur vt in vſura ſecundum quoſdam : & de hoc ſupra in fine tertij notatum inuenies. Non transfertur, vt in rapina. Si transfertur:aut competit illi à quo accipit repetitio ex canone:aut non:competit, vt in vſura:non cõpetit,vt in meretricio & aleato,quia meretricator & aleator meretur amittere. Dico ergo,quòd ſi eſt illicitum in quo transfertur dominium, & non competit repetitio, poteſt de eo fieri eleemoſyna. Si autem eſt illicitum in quo non transfertur dominium, vt in furto, rapina,depoſito:aut ſi transfertur, tamen competit illi repetitio, non poteſt fieri eleemoſyna.

ET SECVNDVM hanc diſtinctionem reſpondeo ad primum dicens, quòd eſt facultas ex abundantia rei quæ poteſt dari, & eſt facultas ex iure dandi. Prima non ſufficit ad eleemoſynam, ſed ſecunda:& hanc non habet qui illicite acquirit,quod reſtituere tenetur.

AD ALIVD dicendum,quòd non eſt ſimile: quia illud quod ſupereſt,licet retineri non debeat: tamen ſuum eſt,& nulli tenetur illud:& ideo hoc dare poteſt:ſed de illicite acquiſito quod reſtituere tenetur,non eſt hoc modo.

AD ALIVD dicendum, quòd licet in neceſſitate poſito, qui aliter euadere non poteſt, minus malum ſit eligendum : tamen ius neutrum determinat eſſe licitum, nec minus malum,nec maius, ſed minus illicitum vnum,quam alterum:& ideo vtrumque eſt peccatum, licet duo ſint maius malum, quam vnum.

AD ALIVD dicendum, quòd ſi ita eſt dominus, quòd alius non poteſt agere contra eum:nec ex eo quod ſit tranſlatum dominium,nec ex canone:tunc vere probat obiectio, & tunc conceditur. Sed ſi non eſt dominus ex quiero iure canonis:tunc non valet : & ſic eſt in vſura : quia licet ſecundum quoſdam dominium transferatur, tamen ex canone reſtituere tenetur.

AD EA vero quæ obiiciuntur in contrarium, dicendum quòd omnia illa decreta loquuntur de illo illicite acquiſito, quod aliquis reſtituere tenetur.

AD HOC quod obiicitur per rationem, dicendum ad primum, quòd bene procedit de illicito, quod reddere aliquis tenetur.

AD ALIVD dicendum,quòd ad hoc vt habeatur

tur vnde detur eleemosyna, non est de turpi acquirendum, sicut dicit decretum cau. 1. q. 1. & c. 14. q. 7. sed si turpiter acquisitum est, nihil prohibet quandoque in eleemosynas posse erogari, sicut iam dictum est.

AD ALIVD dicendum eodem modo, quòd sic non est acquirendum: sed acquisitum sic, nihil prohibet bene dispensare: & in illa obiectione, decreto, & nobis videtur esse contrarius Eustacius super 5. ethicorum, qui dicit, quòd licet lex præcipiat vxorem alterius non esse cognoscendam: tamen bonum est vxorem tyranni cognoscere, vt per eam mitigetur tyrannus ad ciues. Errat autem Eustacius in loco illo, vel ipse loquitur ethnicorum leges referendo.

Ad qu. 1. AD ALIVD dicendum, quòd mihi videtur in tali casu, quòd qui habet alienum, debet significare illi cui debet, si potest: & si non potest, dare debet egenti nomine illius, & absoluitur à debito: sicut etiam quidam antiqui Doctores ante nos dixerunt. Si autem significet, siue det licentiam, siue non, ipse tamen tenetur dare egenti, & absoluitur, vt puto, à debito simpliciter: ita quòd nunquam plus soluere tenetur, nisi ille cui debet, in simili sit indigentia.

AD EA quæ obiiciuntur, dicendum quòd iste soluit: quia in tali casu ille alius, si haberet, & nollet dare, peccaret mortaliter: & ideo cum iste nomine illius dat, iste absoluitur: sicut si ego deberem tibi centum, sed tu deberes alij centum, & ego pro te soluerem illi cui tu deberes, non teneor iterum soluere tibi.

AD ALIVD dicendum, quòd alij in tali casu dummodo constiterit ei, quòd ille in tali necessitate dederit, & nihil aliud ad dandum præter necessaria sua habuerit, non competit actio in istum: sed potius à debito simpliciter absolutus est per ius naturæ: quia ea quæ erant creditoris, facit esse debita pauperi in tali necessitate.

Ad qu. 2. AD ALIVD dicendum, quòd negata licentia, adhuc debet dare propter necessitatem: quia multa bona (vt dicit Augustinus) præstantur inuitis: & ita etiam hoc inuito bene fit, quando de bonis eius sustentatur natura in proximo deficiens.

AD ALIVD dicendum, quòd iste facit eleemosynam non de alieno, sed pauperi reddit quod suum est: & eleemosyna fit nomine illius cui debebatur restitutio.

Ad qu. 3. AD HOC quod vlterius quæritur de meretrico & aleato, dicendum quòd eleemosyna de talibus fieri potest, & præcipue de meretricio, sed non oblatio ad altare propter scandalum: & auctoritates inductæ loquuntur de sacrificio, non de eleemosyna.

AD ID quod obiicitur per rationem, dicendum quòd in veritate illicito commercio acquiritur. Sed tamen illicite acquisitum dicitur dupliciter: vno modo communiter, scilicet quando actus est illicitus quo acquiritur: & hoc non semper prohibet quin de taliter acquisito possit fieri eleemosyna. Dicitur etiam illicite acquisitum quando acquiritur cum iniusto damno proximi in rebus, quod proprium est auaritiæ, quæ secundum Aristotelem proprie dicitur iniustitia specialis: & tunc non potest mihi fieri eleemosyna: quia debetur alteri, aut ex eo quod non transfertur dominium, ant ex eo quod competit ei actio à quo auferetur, auctoritate & iure canonis.

ARTICVLVS XXV.

An vxor de bonis mariti, aut econtra, an monachus, aut filiusfamilias, aut famulus possint dare eleemosynam?

SEd adhuc vlterius quæritur de casibus quibusdam, scilicet qui non supponunt illicite acquisitum, sed quasi in potestate alterius ens, vt vtrum vxor de bonis mariti facere possit eleemosynam? Videtur, quòd sic: quia dicit Augustinus, quòd ideo sumpta est de latere, vt sciat eam marito sociam non ancillam: ergo ipsa potestatem habet in bonis sicut vir: ergo dare ita potest sicut ille.

2 Item, Aristot. 5. ethicorum, vbi distinguit iustitiam œconomicam à proprie dicta, dicit quòd magis est iustitia cum vxore, quam cum filio, vel seruo: constat autem, quòd hoc dicit propter æqualitem aliquam quæ est inter virum & vxorem: ergo ipsa cum sit æqualis, potest dare sicut vir.

3 Item, Charius bonum quod habet vir, scilicet corpus proprium, est in potestate & dominio mulieris: ergo magis alia: si igitur in illis est domina, ipsa potest distribuere pauperibus, vt videtur.

4 Item, Legitur in vita beatæ Luciæ, quòd ipsa occulte, sponso suo ignorante, patrimonium suum distraxit & vendidit & dedit pauperibus: & tamen laudatur: ergo videtur, quòd hoc etiam laudabile sit in aliis.

Sed contra. SED CONTRA: Si duo sunt socij in mercationibus, neuter potest dare, altero non consentiente: cum igitur bona sint communia inter virum & vxorem, videtur quòd ipsa nihil dare possit sine consensu mariti.

2 Item, De suo corpore nihil potest facere sine consensu viri, quod tamen magis videtur: ergo multo minus de rebus.

2 Item, Res dantur marito à patre vxoris, vt dos, & alia, propter onera matrimonij: ergo sine consensu suo non sunt illæ res alienandæ: ergo multo minus aliæ res, quæ sunt suæ, vel acquisitæ ab ipso.

3 Item, 1. Corinth. Vir caput est mulieris. Sed sine consensu capitis nihil potest agere membrum. Ergo nec sine consensu viri aliquid potest dare mulier, vt videtur.

Quæst. 1. VLTERIVS quæritur, Vtrum filiusfamilias vel filia possit dare aliquid? Videtur quod non: quia nihil habet in potestate: ergo nihil potest dare.

2 Item, Galat. 4. Quanto tempore hæres paruulus est, nihil differt à seruo, &c. Ergo nihil potest dare.

Sed contra. SED CONTRA: Ad eum pertinet hæreditas: ergo videtur, quòd tanquam de suo aliquid possit dare.

Quæst. 2. VLTERIVS quæritur hic, Vtrum monachus vel monacha possit dare aliquid? Videtur, quod non: quia dicitur, quòd monachus habens obolum, non valet obolum: sed qui nihil habet,

bet, nihil poteſt dare: ergo nihil poteſt dare monachus.

2 Item, Abrenuntiatio proprietatis, eſt de omni regula religioſorum: ſed qui nihil habet proprium, nihil dare poteſt: ergo monachus non poteſt aliquid dare: ergo nec eleemoſynam facere.

Sed contra. SED CONTRA: Sit, quòd videat aliquem in neceſſitate conſtitutum: aut dat, aut non dat. Si dat, habeo propoſitum. Si non dat, cum poſſit dare ex rebus monaſterij, ipſe occidit, vt videtur dicere Ambroſ.

7 Item, Vnum bonum non præiudicat alteri: ſed religio bona eſt, & dare eleemoſynam eſt bonum: ergo religio non præiudicat dationi eleemoſynarum: ergo videtur, quòd ex religione magis tenetur dare, quam ſi non eſſet religioſus.

Quæſt. 3. VLTERIVS quæritur de famulis & ancillis qui dant panem, & huiuſmodi dominorum ſuorum, vtrum hoc poſſint facere? Videtur, quòd non: quia nihil eſt ſuum: ergo nihil de hoc dare poſſunt.

Sed contra. SED CONTRA: Diſpenſatio eorum relinquitur quibuſdam de domo: ſed diſpenſator poteſt facere eleemoſynam ſub ſpe ratihabitionis: ergo & ſeruus, & ancilla.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum cum diſtinctione multiplici. Primo ſic: aut mulier habet res parafernales, aut non. Item, aut mulier eſt lucroſa ſicut maritus, aut plus etiam quam maritus, aut non. Item, aut ex datione mulieris depauperatur maritus, aut non. Item, aut maritus expreſſe prohibet ei dare cum ſigno quod ita intendat in corde, aut non. Si mulier habet res parafernales, & eſt lucroſa, marito etiam prohibente, poteſt & debet dare eleemoſynas, quæ non depauperant virum: & ſi prohibet, non tamen ſigno quòd ita intendat, ſed quia prohibendo, à ſuperfluitate dandi eam vult retrahere: adhuc dico, quòd debet dare cum conſcientia illa quòd placeat marito in corde, etiã quicquid dicat ore. Si autem non habet res parafernales, & eſt lucroſa: idem dico quod prius. Si autem habet res parafernales, & eſt non lucroſa: adhuc idem dicendum videtur. Si autem nec res habet parafernales, nec lucroſa eſt laboribus ſuis: tunc dicendum videtur, quòd dare non debet ſine conſenſu viri, niſi forte panem & vinum & cætera, quæ in quotidiano vſus domus ſunt: & hoc moderate ne matrimonium nimis oneroſum faciat marito ſua datione.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd licet de latere ſit ſumpta, tamen regi debet à viro: & non eſt ei æqualis, niſi tantum in actu coniugali & debito: ſicut infra, cum agetur de matrimonio, oſtenderur.

AD ALIVD dicendum, quòd Ariſtot. non intendit, quòd iuſtitia proprie dicta ſit inter virum & mulierem, ſed minus improprie quam inter dominum & ſeruum: quia magis accedit ad æqualitatem, licet non omnino ſit æqualis.

AD ALIVD dicendum, quòd corpus viri tantum datum eſt mulieri: quia hoc eſt pertinens ad individuam vitæ conſuetudinem ſacramenti, ſecundum quod eſt ad bonum prolis, & in remedium concupiſcentiæ: & ideo domina eſt illius. Sed non ſic eſt de aliis bonis: & ideo illa remanent in dominio mariti, niſi per modum prædeterminatum in diſtinctione.

AD ALIVD dicendum, quòd beata Lucia fuit tantum ſponſa: nec fuit adhuc tatum vel conſummatũ matrimonium: & ideo licuit ei tutiorem partem caſtitatis eligere, & bona diſtrahere, quæ non ante ceſſerant in dominium ſponſi.

AD EA autem quæ in contrarium obiiciuntur, patet ſolutio per diſtinctionem.

AD ID quod quæritur de filiofamilias dicendum, quòd nihil poteſt dare ſine conſenſu parentum, niſi forte panem, & huiuſmodi, quæ non inferunt ſenſibile damnum. *Ad quæſtiunculam 1.*

AD ID quod in contrarium obiicitur, dicendum quòd licet hæres ſit, tamen nondum dominus eſt: & ideo dare non poteſt.

AD ID autem quod quæritur de monacho, diſtingui conuenit. Aut ſibi commiſſa eſt diſpenſatio aliqua, aut non. Si ſic: tunc de illo debet & poteſt facere eleemoſynam, ſicut Abbas ipſe nomine capituli. Si autem non habet diſpenſationem, aut ipſe eſt in cœnobio, aut non. Si eſt in cœnobio: tunc non debet dare niſi de licentia, niſi videret aliquem in extrema neceſſitate poſitum, quia tunc etiam de altari recipere poſſet, & dare illi: niſi forte det ſub ſpe ratihabitionis, Abbate quocunque non præſente. Si autem eſt extra, vt in ſtudio de licentia Abbatis: tunc poteſt facere eleemoſynam: quia cum dantur ei expenſæ, committitur ei diſpenſatio de his quæ dantur ſibi. *Ad quæſtiunculam 2.*

AD HOC autem quod contra obiicitur, dicendum quòd licet nihil habeat in poſſeſſione, tamen vt diſpenſator aliquid habere poteſt in vſu. Per hoc etiam patet ſolutio ad ſequens: quia nulla religio abrenuntiat vſui: quia ſine vſu bonorum fortunæ non poteſt eſſe vita.

AD ALIVD dicendum, quòd propoſitio illa falſa eſt: quia religio per hoc quod abrenuntiat proprio, facit id quod in ſe eſt bonum, malum illi.

AD ID quod quæritur de ſeruo & ancilla, dico per ſe, quòd nihil dare poſſunt de rebus dominorum ſuorum ſine conſenſu eorum, niſi de pretio ſuo. *Ad quæſtiunculam 3.*

AD ID quod contra obiici videtur, dicendum quòd non ſunt diſpenſatores tanquam poteſtatem aliquam in re habentes, ſed tanquam tractantes ea ad vtilitatem dominorum ſuorum.

ARTICVLVS XXVI.

An daturus eleemoſynam, debet ordinate incipere?

DEinde quæritur de hoc quod dicitur *ibi* [Qui vult ordinate dare eleemoſynam, à ſe debet incipere, &c.] Videtur enim ex hoc quod ordo ſit in eleemoſyna, ſicut in charitate. Sed contra: Non eſt datum præceptum de diligendo ſe, quia natura ad hoc ſufficit: cum igitur natura vnumquenque ordinet ad ſibi ſubueniendum quantum poteſt, non oportet ad hoc induci admonitionem.

2 Item, Nulla miſeria tantum mouet in alio, quantum in ſeipſo: cum igitur eleemoſyna detur ex miſericordia, quæ eſt compaſſio miſeriæ, videtur quòd ſenſus propriæ miſeriæ ſufficit ad hoc ſine doctrina exteriori.

3 Præterea,

3 Præterea, Videtur esse impossibile, quòd homo det sibi eleemosynam: quia datur alicui qui non habet: ergo si homo dat sibi, ipse simul habet, & non habet, quod est impossibile.

Quæstiuncula. PRÆTEREA quæritur vlterius, Quare potius dicit hoc de eleemosyna spirituali, quam corporali? Dicit enim, Miserere animæ tuæ, &c. non corpori. Videtur enim quod de corpore simile deberet dicere quia sicut crudeles in animam, ita inueniuntur crudeles in corpus: sicut qui irrationabiliter se affligunt, & quandoque etiam se interficiunt.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd in veritate in largitione eleemosynarum attenditur ordo, secundum quod ipsa informata est charitate: charitatis enim ordo circa omnia ponitur, quæ informata sunt charitate: & de hoc plura dicta sunt super tertium in tractatu de charitate, distinctione 39.

AD PRIMVM autem dicendum, quòd non habemus præceptum de eleemosyna corporali, quia in corporali miseria satis compatimur nobis: sed de spirituali: & hoc intelligitur in præcepto de danda eleemosyna proximo: sicut etiam præceptum de diligendo seipsum, intelligitur in præcepto dilectionis proximi, sicut dicit Augustinus.

AD ALIVD dicendum, quòd miseria proximior est in nobis quam in alio, si sentitur vt miseria: & hoc modo non est nisi de miseria corporali. Spiritualis autem miseria, quæ verius miseria est, quam corporalis, non sentitur vt miseria, sed vt bonum nunc propter peccati dulcedinem: & ideo spiritualis eleemosyna quæ supplet defectum peccati præcipue, indiget ampliori admonitione, quam exterior.

AD VLTIMVM dicendum, quòd spiritualia quodammodo sibiipsi potest dare: quia in veritate spiritualia non habet, & sic proprie potest aliquis accipere: & potest aliquis facere vnde sibi dentur, licet proprie dare non possit: & sic dicitur dare hoc modo quo dicitur dare qui facit vt detur.

ARTICVLVS XXVII.

An verum est illud, Qui diligit iniquitatem, odit animam suam?

DEinde quæritur de hoc quod dicitur *ibi* [Qui diligit iniquitatem, odit animam suam, &c.] Videtur enim hoc esse falsum: quia Ephes. 5. Nemo vnquam carnem suam odio habuit: ergo multo minus animam quæ est melior pars hominis.

2 Præterea, Videtur hoc esse bonum, quòd odit eam: quia dicitur Ioan. 12. Qui odit animam suam in hoc mundo, in vitam æternam custodit eam. Ergo non videtur crudelis in animam qui odit eam: ergo falsum videtur quod dicitur in litera.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd peccatum est æquiuocationis in diligere, & odire: quia est dilectio affectus, & effectus: affectus dilectione nemo odit animam: & de illa loquitur Apostolus ad Ephes. Effectus autem dilectione non diligit animam, qui diligit iniquitatem: quia agit contra animam suam: & de hac loquitur Psalm.

AD SECVNDVM dicendum, quòd æquiuocatio est in anima: quia Christus in Ioanne vocat animam, animalem vitam: quam odit, qui delicias fugit, & crucem amplectitur: & ille custodit eam, non in eo quod animal, sed secundum quod beatificabilis exuta animalitate in vitam æternam: hîc autem loquitur de anima secundum quod est spiritualis & principalis pars hominis in merendo vel demerendo.

ARTICVLVS XXVIII.

An immundus nihil sit mundum?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Immundis nihil est mundum, &c.] Hoc enim videtur falsum: quia peccatores corpus Christi sumunt: & tamen illud mundum est: & multis aliis sacramentis communicant.

2 Item, Creatura per hoc non efficitur immunda, quòd ad vsum eam habent peccatores: ergo videtur falsum dicere.

Quæstiuncula. ITEM quæritur, Vtrum sequatur, immundis nihil est mundum: ergo immundum quod sumunt? Et videtur quod sic: quia sicut patet Leuit. 13. inter mundum & immundum nihil est medium: si ergo non est mundum: videtur, quod sit immundum.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum cum Apostolo, quòd immundis nihil est mundum. Et intelligitur com- Rom. 14. posite, non diuise, hoc est, immundis inquantum immundis nihil est mundum: quia munditiæ effectus à nullo fit in eis.

AD PRIMVM dicendum, quòd corpus Christi non est in eis mundum, quia non facit in eis munditiæ effectum: tamen in se mundum est: sicut enim dicitur de sapientia diuina Sapient. 7. quòd propter suam munditiam nihil inquinatum incurrit in illam: ita è conuerso de istis dici potest, quòd propter suam immunditiam, nihil mundum per effectum incurrit in eos.

AD ALIVD patet solutio per dicta.

Ad quæstiuncul. AD ALIVD dicendum, quòd non sequitur, si eis non sit mundum, quòd sit immundum: est enim duplex immunditia, scilicet in se, & quoad nos. Et illa quæ est rei in se, non habet medium: sed illa quæ est quoad nos, habet medium quoad nos. Sicut è contrario omnis homo mundus est in se, vel immundus: & tamen alicui rei non omnis homo mundus est mundus, sicut in panibus propositionis non omnis mundus in se, mundus fuit.

ARTICVLVS XXIX.

An verum sit, quòd nihil prodest orare, ieiunare, & alia benefacere, nisi mens reuocetur à peccato?

DEinde quæritur de hoc quod dicitur *ibi* [Nihil prodest ieiunare, & orare, & alia bona agere, nisi mens reuocetur à peccato, & cætera] Videtur enim si nihil prosunt, quòd non sint ista peccatoribus suadenda quod im-

pium esset dicere : igitur falsum videtur quod dicitur in litera.

2 Item, Ad Nabuchodonosor impium regem dixit Daniel, Peccata tua eleemosynis redime: ergo prosunt.

Solutio. SOLVTIO. Supra dictum est quo modo prosunt, scilicet ad vicinius gratiam consequendam : sed non prosunt ad vitam æternam: & quia hæc supra disputata sunt, hic dimittam.

ARTICVLVS XXX.

An satisfactio extra charitatem, sit iteranda redeunte charitate?

DEinde quæritur de hoc quod dicitur *ibi* [De vtroque imponenda est satisfactio : quia de primo non satisfecit, &c.] Videtur enim hoc esse durum. Ponamus enim, quòd ipse primo accipiat à sacerdote, quòd det centum, & persoluat in mortali peccato : ergo postea iterum debet dare centum. Eadem obiectio est de eundo vltra mare, & aliis quæ sine grauibus expensis & laboribus iterari non possunt.

SOLVTIO. Dicendum, quòd sicut patet ex præhabitis, in pœnitentia sunt duo, scilicet dolor cordis, & opus exterius. Interiora autem quia non fuit contritus, nihil valent. In exterioribus autem distinguendum est : quædam enim sunt exteriora, quæ per damnum & afflictionem manent in agente postquam facta sunt, sicut datio, & peregrinatio, & huiusmodi : quædam autem in toto transeunt, sicut oratio, & alia talia. Dico ergo, quòd opera quæ aliquo modo manent, postea per gratiam reuiuiscunt : & illa non oportet iterari : sed alia iterari debent : & hoc supra notatum est in quæstione de operibus mortuis & mortificatis. *Solutio.*

Secundum quosdam fuit satisfactio.

QVIBVSDAM tamen videtur fuisse satisfactio, sed infructuosa, dum in peccato altero persistit : percipietur tamen fructus eius, incipietque proficere cum peccati alterius pœnituerit. Tunc enim vtrumque dimittitur peccatum, & satisfactio præcedens viuificatur, quæ fuerat mortua : sicut baptismus illi qui ficte accedit, tunc primitus valet, cum fictio à mente recedit per pœnitentiam. Et in huius opinionis munimentum auctoritates inducunt. Ait enim Augustinus. Pium est credere, & nostra fides expostulat, vt cum gratia Christi in homine destruxerit mala priora, etiam remuneret bona : & cum destruxerit quod suum non inuenit, diligit bonum quod in peccante plantauit. Item Hieronym. Si quando videris inter multa peccata quenquam facere aliqua iusta opera, non est tam iniustus Deus, vt propter multa mala obliuiscatur paucorum bonorum, sed faciet ea metere & in horrea congregare, quæ bona in terra seminauit. Sed hæc dicta intelligimus de illo, qui in charitate quodam tempore bona facit & bonus est, alio vero tempore malus est & multa peccata facit. Non ergo intelligendum est eum inter multa peccata, iusta opera fecisse, quasi simul eodemque tempore peccata fecerit & iusta opera : sed diuersis temporibus vtraque fecisse. Nisi enim bonus foret quando bona fecit, non seminasse diceretur in terra bona. Destructis ergo malis post opera bona commissis, priora bona in charitate scilicet facta, quæ sequentia mala mortificauerant, pœnitentia de illis malis habita, viuificantur & remunerantur. Vnde Apostolus, Iacientes fundamentum pœnitentiæ ab operibus mortuis, opera mortua nominans priora bona significat, quæ per sequens peccatum erant mortua : quia hi peccando priora bona irrita fecerunt. Hæc sicut peccando irrita fiunt, ita per pœnitentiam reuiuiscunt, & ad meritum æternitatis prodesse incipiunt. Similiter & illud bonum amat Deus quod plantauit in peccante, in illo scilicet qui post illud bonum peccauit, non simul peccans & bonum operans extitit : quia talis hominis opus non diligeret Deus ad remunerationem.

Lib. de vera & falsa pœnit. c. 14.

Cõment. ad illud Aggæi 1. *Seminastis multũ, &c.*

Hebr. 5.

nem. Potest etiam accipi de operibus bonis quæ ab aliquo fiunt dum malus est, & in peccato mortali persistit vel ad tempus, vel vsque in finem, quæ dicuntur à Deo remunerari & non dari obliuioni, non quia proficiant ad vitam æternam obtinendam, sed ad tolerabilius extremi iudicij supplicium sentiendum: sicut de fide & cæteris quæ sine charitate habentur, Augustinus ait: Siquis non habens charitatem quæ pertinet ad vnitatem spiritus & vinculum pacis quo Ecclesia connectitur, in aliquo schismate constitutus, ne Christum neget patitur tribulationes, famem, persecutionem, vel flammas, vel bestias, vel ipsam crucem, timore gehennæ: nullo modo ista culpanda sunt, imo & hæc laudanda est patientia. Non enim dicere poterimus melius ei fuisse, vt Christum negando nihil horum pateretur, quæ passus est confitendo: sed æstimandum est fortasse tolerabilius ei esse futurum iudicium, quam si Christum negando nihil horum pateretur: vt illud quod ait Apostolus, Si tradidero corpus meum ita vt ardeam, charitatem autem non habuero, nihil mihi prodest: nihil enim prodesse intelligitur ad regnum obtinendum, nisi ad extremi iudicij tolerabilius subeundum supplicium. Et infra, Hæc propter charitatem dicta sunt, sine qua in nobis non potest esse vera pœnitentia: quoniam in bonis charitas Dei est quæ tolerat omnia.

Lib. de patientia c. 16.

1. Cor. 13.

1. Cor. 13.

Perstringit dictorum summam, vt alia addat.

EX his ostenditur bona quæ sine charitate fiunt, prodesse quidem ad tolerabiliorem pœnam sentiendam, sed non ad vitam obtinendam. Illa enim quæ in charitate quis facit, si postea prolapsus fuerit nec exurrexerit, non esse in memoria Dei, Ezechiel dicit, Si auerterit se iustus à iustitia & fecerit iniquitatem, nunquid viuet? omnes iustitiæ eius quas fecerat, non recordabuntur: in peccato suo morietur, & non erunt in memoria iustitiæ quas fecit. In cuius loci expositione Gregor. ait, Hoc nobis maxime considerandum est, quia cum mala committimus, sine causa ad memoriam transacta bona reuocamus, quoniam in perpetratione malorum nulla debet esse fiducia bonorum præteritorum. Intelligendum est hoc, ad vitam percipiendam bona præterita non dare fiduciam, etsi ad mitiorem pœnam, alioquin præmissæ auctoritati August. obuiaret. Et bona ergo sine charitate facta, & bona in charitate facta, quæ concomitatur mortalis culpa, quam non delet sequens pœnitentia, ad sensum mitioris pœnæ proficiunt, non ad vitæ fructum.

Ezec. 18.

Hom. 11. sup. 1. Ezech.

ARTICVLVS XXXI.

An bonum mortuum factum extra charitatem, potest vnquam reuiuiscere?

QVibusdam tamen videtur] Hic tangit opinionem quorundam, & soluit dupliciter, & recolligit ex solutione habita. Et diuiditur in tria: & patet per se inceptio cuiuslibet partis. Obiicitur autem de ipso errore prius. Videtur enim, quòd verum dicunt isti: quia bonum potentius est in agendo, quam malum in destruendo: sed malum destruit bonum ante habitum, non coniunctum malo tantum, sed etiam bonum gratiæ per se habitum: ergo multo magis bonum sequens reuiuificat bonum habitum, quod non fuit coniunctum bono, sed extra charitatem fuit factum.

2 Item, Baptismus sublata fictione operatur salutem: ergo videtur, quòd pœnitentia similiter debeat facere.

SOLVTIO. Hæc omnia supra in præcedenti distin- *Solutio.*

distinctione satis late disputata colligi possunt. Dicendum ergo, quòd isti errant, quia bonum mortuum non potest viuificari: eo quod nihil viuificatur eorum quæ moriuntur, nisi possibilitatem ad vitam contrahat ex coniunctione ad aliquid quod perpetuo viuit; sicut per charitatem coniunguntur bona vitæ æternæ, & corpus cum resurget coniungitur animæ: sed bonum extra charitatem factum, nulli talium coniungitur, & ideo nunquam potest reuiuiscere.

AD PRIMVM autem obiectum dicendum, quòd non est ex defectu boni sequentis, quòd non viuificatur, sed potius ex defectu præcedentis, quod non est viuificabile: quia impossibile est ad vitam, vt dictum est.

AD ALIVD dicendum, quòd non est simile quod pro simili inducitur: quia baptismus imprimit characterem, ratione cuius manet in hominibus: sed pœnitentia nihil talium imprimit. Præterea, baptizatus immediate virtutem operandi accipit à passione Christi: sed opera pœnitentiæ partim sunt à nobis, & præcipue illa quæ sunt in attritione ante contritionem: de quibus Magister hic loquitur.

ARTICVLVS XXXII.

An bona opera facta extra charitatem diminuant incendium inferni?

DEinde quæritur de hoc quod dicitur *ibi* [Sed æstimandum est fortasse tolerabilius ei futurum iudicium, &c.] Videtur hoc esse falsum: in igne enim inferni tantum quisque ardet, quantum se combustibilem fecit per peccatum, vt dicit Greg. sed illa bona peccatum non diminuunt: ergo tantum comburitur cum illis bonis, quantum sine illis. Si dicas, quòd illa peccata diminuunt. Contra: Quicquid est natum aliquid diminuere, habet contrarietatem ad illud: hæc bona sic diminuunt peccatum: ergo habent contrarietatem ad peccatum, quod falsum est, cùm secum saluetur in eodem subiecto.

2 Item, Quicquid diminuit aliquid, intensum destruet illud, si ipsum est finitum: ergo si hæc bona diminuunt peccatum, multiplicata destruet ipsum, quod falsum est & hæreticum: ergo & hoc falsum, quòd diminuunt incendium inferni.

SOLVTIO. Dicendum, quòd non diminuunt directe, sed indirecte: sicut dicitur diminuere ignem, qui prohibet ligna imponi: bona enim de genere bonorum assuefaciunt ad bonum, & per consequens elongant à mali consuetudine & appetitu, & ita diminuunt peccatum, quod non fieret si illa bona non essent: & ita diminuendo causam incendij, diminuunt incendium. *Solutio.*

AD EA autem quæ obiecta sunt, patet solutio: quia procedunt ac si directe diminuerent: & hoc non dicimus.

Deinde quæritur de hoc quod dicitur [Cum mala committimus, sine causa ad memoriam transacta bona reuocamus] Ex omnibus enim præhabitis disputationibus videtur hoc esse falsum: quia siue sint extra charitatem facta, siue in charitate, ostensum est, quòd multum valent: ergo non sine causa ad memoriam reuocantur.

SOLVTIO. Dicendum, quòd non intendit simpliciter dicere sine causa, sed quoad hoc quod ex eis speretur vita æterna, si continuat in peccatis. *Soluit.*

Auctoritates alias inducit contra eos qui dicunt de vno peccato pœnitentiam agi, altero tacito.

F SATIS arbitror illis esse responsum, qui asserunt de vno crimine pœnitentiam agi, & veniam pręstari, alio in delectatione retento, vel vel per confessionem non exposito, qui non modo pręmissis auctoritatibus confutantur, sed etiam subditis. Ait enim Augustinus. Sunt plures quos pœnitet peccasse, sed tamen omnino reseruantes sibi quędam in quibus delectentur, non animaduertentes Dominum simul mutum & surdum à dęmonio liberasse: per hoc docet nos nunquam nisi de omnibus sanari. Si enim vellet peccata ex parte reseruari, habentem septem dęmonia perficere potuit, sex expulsis: expulit autem septem, vt omnia crimina simul eiicienda doceret. Legionem vero dęmonum ab alio eiiciens, nullum reliquit de omnibus, qui liberatum possideret: ostendens, quòd etsi peccata sint mille, oporret de his omnibus pœnitere. Nunquam enim aliquem sanauit Dominus, quem non omnino liberauit. Totum enim hominem sanauit in sabbato: quia & corpus ab omni infirmitate, & animam ab omni contagione: indicans pœnitentem oportere simul dolere de omni crimine. Scio enim Dominum inimicum omni criminoso. Quomodo ergo qui

Lib. de vera & falsa pœnit. c. 9.

Marci 7.

Luc. 8. Ioan. 8. Marci 5.

crimen

crimen reseruat, de alio recipiet veniam? sine amore Dei consequeretur veniam, sine quo nemo vnquam inuenit gratiam. Hostis enim Dei est dum offendit perseueranter. Quædam enim impietas infidelitatis est, ab illo qui iustus & iustitia est, dimidiam sperare veniam. Iam enim sine vera pœnitentia inueniret gratiam. Pœnitentia enim vera ad baptismi puritatem conatur ducere. Recte enim pœnitens quicquid sordis post purificationem baptismi contraxit, oportet vt absoluat, saltem lacrymis mentis: sed satis durus est, cuius mentis dolorem oculi non declarant. Sed sciat se culpabiliter durum, qui deflet damna temporis, vel mortem amici, & dolorem peccati non ostendit in lacrymis. Quem ergo pœnitet, omnino pœniteat. Idem, Pœnitentes, si vere estis pœnitentes, & non estis irridentes, mutate vitam, reconciliamini Deo. Pœnitentiam agis, genua figis, & rides: subsannas Dei patientiam? Si pœnitentiam agis, pœnitet te: si non pœnitet te, non es pœnitens. Si ergo pœnitet, cur facis quæ male feciſti? Si feciſſe pœnitet, noli facere: si adhuc facis, certe non es pœnitens. Item Innocent. secundus, Admonemus fratres nostros, ne falsis pœnitentiis laicorum animas decipi, & in infernum pertrahi patiantur. Falsam autem pœnitentiam esse constat, cum spretis pluribus, de vno solo pœnitentia agitur: vel cum sic agitur de vno, vt non discedatur ab alio. Lib. eodē c.10.

ARTICVLVS XXXIII.

An Deus potest sanare de vno peccato & non de alio?

SAtis arbitror,&c.] Hic incipit pars illa in qua solutionem confirmat per accidens. Et duo facit hic: inducit scilicet auctoritates suas expressas,& repetit quæ sit vera pœnitentia *ibi* [Ex præmissis perspicua, &c.] Incidit autem quæstio de hoc quod dicit *ibi* [Per hoc docet nos nunquam nisi de omnibus sanari] Quæritur enim, An Deus possit sanare de vno,& non de alio? Videtur autem, quod sic: quia Deo nihil est impossibile: ergo nec illud. Item, Medicus corporalis potest sanare de vno morbo, altero relicto: ergo multo magis Deus, qui potentior est medico corporali.

2 Item, Sanatio corporalis signum est sanationis spiritualis in miraculis Domini, vt patet in litera: sed in Marco legitur, quòd cæcus quidam secundum quid visum recepit, qui scilicet vidit homines velut arbores ambulantes: ergo pro parte tempore illo secundum quid etiam & non simpliciter sanatus fuit in mente: ergo non tantum hoc Deus potest facere in corpore, sed etiam in mente.

3 Item, Sicut in opere creationis secundum opinionem plurimorum, scilicet Gregor. Ioannis, & aliorum Deus primo produxit materiam secundum suam substantiam,& postea distinxit eam & ornauit: ergo videtur, quòd similiter possit facere in operibus recreationis, vt scilicet secundum aliquid faciat,& secundum aliquid infectum relinquat.

Sed contra.

SED CONTRA: Quicquid Deus secundum suam bonitatem potest facere, potest ab eo aliquis sperare: sed dimidiam veniam nemo ab eo sperare debet, vt dicitur in litera: ergo dimidiam veniam,non videtur posse facere.

2 Item, Detur quòd possit: inde sic,Si curat, per aliquod bonum curat, quod coniungit vitæ, & fugat mortem: sed cum omnibus talibus bonis datur Spiritus sanctus: ergo cum tali bono datur Spiritus sanctus: sed omnes tales inhabitat Spiritus sanctus, quibus talia bona impartitur: ergo Spiritus sanctus inhabitat talem: sed iterum propter peccatum est inhabitatio dæmonum: ergo idem homo est inhabitatio dæmonum, & Spiritus sancti per gratiam,quod est absurdum, & contra Apostolum dicentem, Quæ conuentio Christi ad Belial? Et quæ conuentio templo Dei cum idolo? 2.Cor.6.

Solutio.

SOLVTIO. Dicendum, quòd Deus hoc non potest: quia impotentia esset, & non potentia: sicut medicina quæ curat morbum dimidium,impotentia est.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd nihil eorum quæ sunt potentiæ & nobilitatis, est Deo impossibile: sed non potest infirma, sicut currere, comedere, mentiri, imperfectus esse,& cætera huiusmodi.

AD ALIVD dicendum, quòd ille totus sanatus fuit intus & extra: sed habitus visus non coadunatus, significabat fidem interius nondum confirmatam ex radicatione in subiecto & determinatione articulorum.

AD ALIVD dicendum, quòd secus est in operibus creationis:quia in illis imperfectum non est imperfectum ex malitia sibi contraria: sed in recreatione nihil imperfectum est nisi ex malitia, Deo contraria, & bono gratiæ suæ.

ARTICVLVS XXXIV.

An omnes quos Christus sanauit in corpore, sanauit etiam & in anima?

DEinde quæritur de hoc quod dicitur *ibi* [Nunquam Dominus aliquem sanauit, quem non omnino liberauit, &c.] Glossa super Ioan. 9. Quæritur, Quomodo sine fide istum illuminauit Christus. Ergo videtur, quòd cæcum illum natum non in toto curauit: quia non nisi extra. Item alia Gloss. ibidem super illud, Quis es Domine vt credam, &c. Iam Dominus lauat faciem inuncti, iam cordis oculos illuminat: ergo videtur, quòd ante non fuit illuminatus: ergo non tunc fuit illuminatus in corde, quando fuit illuminatus in corpore.

Solutio. SOLVTIO. Puto, quòd vniuersaliter verum est quod dicitur hic in litera, quòd scilicet Dominus omnes quos sanauit in corpore, & anima sanos reddidit. Tamen Gloss. super Ioan. aliter soluit dicens, quod intelligitur de his qui propter peccatum infirmabantur: quia in illis oportebat prius excludere causam, quam sanaretur morbus: & ideo remota causa, sanati sunt in anima: & remoto effectu, sanati sunt in corpore. Sed puto, quòd illa Gloss. marginalis est, aut Victorini cuiusdam, cuius dicta non sunt magnæ auctoritatis.

AD ID ergo quod primo obiicitur, dicendum quòd ille cæcus illuminatus fuit intra, & extra: sed recepit primo fidem indistinctam & implicitam, quæ postea, cognito Domino, distincta fuit.

A ALIVD dicendum, quòd illa Gloss. sic intelligitur, inunctum illuminat, id est, lumen fidei suæ determinat, & distinctum facit, vt distincte cognoscat, & credat ipsum in persona esse Filium Dei.

ARTICVLVS XXXV.

Vtrum à Deo possit dimidia sperari venia?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Quædam enim impietas infidelitatis est, ab illo qui iustus & iustitia est, dimidiam sperare veniam, &c.] Videtur enim hoc esse falsum: non enim repugnat iustitiæ humanæ secundum partem recipere satisfactionem: cum igitur iustitia humana exemplata sit à diuina, videtur quòd nec diuinæ debeat repugnare.

2 Item videtur, quòd potius obuiaret hoc misericordiæ, quam iustitiæ: quia misericordiæ est relaxare peccata, & in toto, & in parte: ergo male dicere videtur cum dicit, qui iustus & iustitia est.

Quæstiuncula. PRÆTEREA, Quare dicit, iustus & iustitia? sufficeret enim dicere, iustus.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd iustitiæ humanæ repugnat recipere emendam, cum adhuc ille intendat multiplicare culpam: sed si non amplius offendit, tunc potest per partes satisfacere. Similiter autem est in iustitia diuina: qui enim de vno satisfacit, & in voluntate alterius perdurat, ita culpam multiplicat: & ideo de nullo emenda suscipitur. Vel dicatur, vt supra in principio distinctionis notatum est, quòd aliter est in iustitia humana, & aliter in diuina. Et hoc ideo quia homo videt ea quæ apparent, Deus autem intuetur cor: & ideo nisi cor habeat, non recipit satisfactionem: homo autem respicit ad opera exteriora, quæ diuisa sunt, & ideo de eis diuisam recipit satisfactionem.

AD ARGVMENTVM autem dicendum, quòd licet humana iustitia exemplata sit à diuina: nihilominus tamen aliquid accidit ei inquantum est humana, quod non conuenit diuinæ: & hoc est quantum ad exteriorem hominem, & non ad interiorem.

AD ALIVD dicendum, quòd misericordiæ est relaxare peccata gratis: sed remittere cum postulatione emendæ, iustitiæ est: & de tali venia loquitur hic.

AD ALIVD dicendum, quòd dicit iustum & iustitiam ratione simplicis essentiæ, & effectus in nobis: quia scilicet facit in nobis iustitiam generalem, quæ delet peccata cum emendationis proposito: sicut dicit Aristot. quòd dicitur sapientia & iustitia inquantum nos replet sapientia & iustitia. *Ad quæstiunculam.*

ARTICVLVS XXXVI.

An & quæ sint lacrymæ mentis? & an culpabiliter durus sit, qui lacrymis non ostendit dolorem peccati?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Oportet abluat saltem lacrymis mentis, &c.] Videtur enim, quòd nullæ sint lacrymæ mentis: quia nihil est difficile menti secundum se, quia ipsa spiritualis est naturæ: ergo passioni non subiicitur: nullæ autem lacrymæ sunt sine passione: ergo nullæ sunt lacrymæ mentis. Quod autem pure spiritualis natura non sit subiecta passionibus, dicit Aristot. in ethic. lib. 6. quòd tristitiæ & delectationes sunt generationes in sensibilem animam.

2 Si dicas, quòd lacrymæ mentis sunt lacrymæ voluntatis, quæ sunt in mente, id est, velle habere lacrymas, & velle plorare. Contra: Voluntas non veniens ad actum, imperfecta est: hæc autem non reputatur pro facto: ergo illa talis voluntas non sufficit: ergo nec lacrymæ mentis, vt videtur. Item, Velle plorare pro peccatis conuenit multis qui adhuc in peccato perdurant: ergo habent lacrymas mentis: ergo lauant sordes quas contraxerunt, quod falsum est: ergo quod & hic dicitur de lacrymis mentis.

3 Item, Supra habitum est, quòd pœnitens de dolore gaudere debet: constat autem, quòd debet gaudere secundum mentem, & non secundum sensum & carnem: ergo debet secundum idem habere lacrymas & gaudium: & hoc quia dicitur, quod debet habere lacrymas mentis: ergo præcipitur ei, quòd habeat contraria simul, scilicet dolorem & gaudium, & secundum idem, quod est impossibile: ergo præcipitur ei impossibile: quod est contra Hieronymum dicentem, Anathema sit qui dicit Deum impossibile præcepisse.

VLTR

Quæst. 1. VLTERIVS quæritur de hoc quod dicit [Sciat se culpabiliter durum qui deflet damna temporis, vel mortem amici: & dolorem peccati non ostendit in lacrymis] Videtur enim hoc esse falsum: quia signum maioris doloris non est fletus. Vnde constantissimos homines in maximis doloribus non videmus flere, sed potius mulieres flere videmus.

2 Item, Ponamus, quòd ille qui plorat in morte amici, non possit flere pro peccatis, & tamen vellet posse: tunc ergo secundum istam literam culpabiliter est durus.

Sed contra. CONTRA: Facit quod in se est: ergo Deus apponit ei gratiam: ergo non habet culpam: ergo non est durus culpabiliter, vt videtur.

Quæst. 2. VLTERIVS quæritur, Cum multa alia signa doloris sunt, vt exilitas vocis, suspirium, & huiusmodi alia, quare de his non facit mentionem?

2 Præterea, exilitas vocis infallibilius signum est doloris, quam fletus, vt dicunt sapientes in naturis? ergo magis de isto quam de illo debuit facere mentionem. Item, Id quod est signum doloris temperati, non significat dolorẽ summum in eo quod huiusmodi: fletus est signum doloris temperati: non ergo significat dolorem in summo. Media probatur ex hoc quòd vt dicunt sapientes in naturis, dolor magnus magis est exiccatiuus humidi, quàm resolutionis per lacrymas: ergo male posuit Magister hoc signum.

3 Item, Nos videmus sæpe aliquos multum flere in confessionibus, & tamen non promptos esse ad opera satisfactionis: quosdam autem omnino nihil flere, & ad omnia esse paratos iniuncta pro peccatis: ergo patet, quòd fletus est fallibile signum doloris: ergo si non flet, non propter hoc est culpabiliter durus. Item, Mulieres videmus generaliter flere magis quam viros, & tamen viros frequenter duriora sustinere pro peccatis: ergo, &c.

Sed contra. SI HOC concedatur: erit prius quidem contra literam: secundo autem contra id quod dicitur Luc. 7. de Maria Magdalena, quod lacrymis rigauit, &c. Item contra hoc quod dicitur Matth. 26. quòd egressus Petrus fleuit amare: & lauit crimina per fletum, vt dicit Ambros. Item Gregor. Inter epulas lacrymas obtulit, & lacrymis maculas criminis lauit. Item Gregor. Quæris, Quanam arte Magdalena curari potuit? fleuit amare, & de intimis suspiria trahens, salutaribus succensa singultibus, felleos humores euomuit. Item hoc videtur esse contra exmplum Domini, qui pro nobis fleuit. Hebr. 5. Qui in diebus carnis suæ, preces, supplicationesque ad eum posset illum saluum facere à morte cum clamore valido & lacrymis offerens, exauditus est pro sua reuerentia. Item Luc. 19. Fleuit super ciuitatem Ierusalem. Et Ioan. 11. super Lazarum. Et Psalm. 94. Ploremus coram Domino qui fecit nos. Item Isa. 38. Audiui orationem tuam, & vidi lacrymas tuas. Ergo videtur, quòd lacrymæ exigantur in pœnitentia.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum sine præiudicio, quòd lacrymæ mentis sunt completa voluntas ad flendum, si per accidens lacrymæ non impedirentur. Hoc autem accidens dico esse duplex, scilicet complexionis siccitatem, quia calor excitatus à dolore pœnitentiæ, tunc magis exiccat cerebrum, quam resoluat in lacrymas. Item, Nimium dolorem excitãtem calorem consumentem humidum cerebri: sicut videmus in mundo exteriori, quòd sic cus aer non pluit: & quando est humidus temperate, fortis calor solis humidum consumit, & iterum non pluit: & his duobus modis potest non flens magis dolere, quam ille qui multum plorat: & in talibus habentur lacrymæ mentis. Est etiam adhuc vnus modus non in natura fundatus, sed in constantia animi, scilicet quando homo continet se ne ploret, vt magis sit occultus coram Deo, & tunc iterum sufficiunt lacrymæ mentis coram sacerdote: sed ille quando solus est, dimittit habenas lacrymis, sicut fecit beatus Augustinus in sua conuersione: quia quando est solus, non habet testem nisi Deum, coram quo verecundatur de peccato. In aliis autem exiguntur lacrymæ corporales.

AD ID ergo quod primo obiicitur, dicendum, quòd mens dupliciter consideratur, scilicet vt mens quæ est absoluta à corpore, nullius corporis existens actus, & vt natura mouens & regens passibilem naturam ex parte sensus, vbi est coniunctio ad corpus. Et primo quidem modo passio non pertinet ad ipsam, sed potius secundo, per redundantiam tamen ab inferiori natura sensibilis partis quæ passionibus per se subiicitur.

AD ALIVD dicendum, quòd completa voluntas flendi reputatur pro ipsis lacrymis mentis: & quod hæc non habet effectum, per accidens impeditur, vt dictum est. Ad id contra obiicitur, dicendum quòd est imperfecta voluntas ex imperfectione desiderij: & de hac verum est, quòd non reputatur pro facto. Est etiam incompleta voluntas, non inquantum est voluntas, sed inquantum deest facultas implendi quod desiderat: & hæc pro facto reputatur.

AD ALIVD dicendum, quòd in talibus est imperfecta voluntas ex imperfectione desiderij & appetitus, quia non sufficienter desiderant: & ideo illis non reputatur pro facto.

AD ALIVD dicendum, quòd non est impossibile de dolore gaudere: quia dolor ibi est vt materia gaudij, & tunc non habet contrarietatem ad ipsum, sicut etiam supra notatum inuenies: sed gaudere & tristari simul de eodem & secundum idem, non potest contingere: & ideo nullum impossibile præcipitur pœnitenti.

AD ALIVD dicendum, quòd litera ibi loquitur de eo in quo lacrymæ nõ impediũtur per accidens complexionis, vel constantiæ, sed tantum ex imperfectione desiderij veniæ de peccatis: & de illo dicit verum. Et ad argumentum patet solutio per ante dicta. Ad aliud dicendum, quòd mulieres absque dubio plus plorant, & de talibus loquitur litera illa.

AD ALIVD dicendum, quòd ille qui plorat in morte amici, dupliciter potest esse dispositus in pœnitendo: si enim sit maior dolor de peccatis, quam de morte temporali, tunc maior dolor exiccat in eo humidum cerebri, quòd non potest flere: & tunc ipse est maioris laudis, quam si fleret. Si autem sit minoris doloris: tunc signum est, quòd minus doleat de re spirituali & de damno animæ, quam de re temporali & damno corporis: quia calor de re temporali suscitatus sufficiebat resoluere humidum cerebri in fletum: calor autem paruus de damno spirituali suscitatus, non sufficit mouere ipsum: sicut nos videmus, quod frigore existente in mundo maiori, etiamsi sit aer tempe-

rate humidus, non pluit, frigore constringente & impediente resolutionem: & hoc modo loquitur in litera.

Ad quæstiunculam 2.

Ad id quod quæritur de aliis signis, quæ poni possent, dicendum quòd illa signa non indicant vnum, sed dubie indicant duo vel plura: sicut exilitas vocis magis est signum infirmitatis spiritualium partium, quam doloris voluntarij qui est in pœnitentia: gemitus autem potest esse signum infirmitatis, vel tristitiæ, vel melancholiæ, quia melancholici multum gemunt: & ideo signa illa minus communia sunt: sed dolor vt frequenter indicatur lacrymis, nisi per accidens impediatur, vt dictum est: & ideo alia signa non ponit sicut lacrymas.

Ad alivd dicendum, quòd magnus dolor magnis lacrymis indicatur, nisi repugnet complexio, vt dictum est.

Ad alivd dicendum, quòd lacrymæ indicant dolorem: sed tamen confessor debet experiri, vtrum sit ille dolor contriti vel attriti: & signũ quod de hoc melius habere potest, est quod experiatur vtrum pœnitens libenter suscipiat pœnitẽtiam iniunctam: si enim libenter suscipiat, signum est contritionis: si non, attritionis non sufficientis iudicabitur signum fuisse: nec est hoc inconueniens, quod plura signa requirantur ad idem.

ARTICVLVS XXXVII.

An hoc dictum valeat, Si ergo pœnitet, cur facis quæ male feciſti?

Deinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Si ergo pœnitet, cur facis quæ male feciſti, &c.] Videtur enim hoc non valere: quia sæpe pœnitentia est de præterito, & non de futuro ratione dulcedinis adiunctæ futuro: ergo videtur, quòd non sit verum quod dicit. Item, De eo de quo nullus est fructus, sed erubescentia, pœnitentia est, quando transiuit: & tale est peccatum: ergo pœnitentia est de præterito, & non oportet, quod etiam sit de futuro: sicut enim dicit Philosophus, In talibus magis volumus agere, quam egisse: quia melius est delectari, quam quieuisse delectari.

Solutio.

Solvtio. Dicendum, quòd Augustinus loquitur de his qui pœnitent de peccato inquantum est offensa Dei: & non inquantum est in eo delectatio verecunda quam volumus cum transiuit: & ideo trahimur ad ipsam in præsenti & in futuro: & tunc planum est id quod dicit: quia qui pœnitet de peccato inquantum est offensa Dei, cauet futurum, quod etiam est offensa Dei: & per hoc patet solutio ad totum.

ARTICVLVS XXXVIII.

An duo modi falsæ pœnitentiæ à Magistro sint bene assignati?

Deinde quæritur de hoc quod dicitur *ibi* [Ne pœnitentiis animas laicorum decipi, & in infernum protrahi patiantur, &c.] Duos enim ponit modos falsæ pœnitentiæ in litera, scilicet cum spretis pluribus, de vno solo agitur pœnitentia, vel cum de vno agitur, & non disceditur ab alio. Videtur autem, quòd hi duo modi sint vnus modus: quia ille qui non discedit ab alio, spernit illud: & idem est spernere plura quod non discedere ab eis per affectum & propositum vlterius non committendi: ergo videtur, quòd hi modi sint vnus modus solus.

2 Item, Cum multi sint alij modi falsæ pœnitentiæ, scilicet cum non iniunguntur respondentia peccato, sed grauiora, vel leuiora, quare non tangit modos illos? Item quæritur: constat enim, quòd hic vocat pœnitentias id quod iniungitur exterius à sacerdote in emendam delicti. Videtur autem, quòd nullo tali decipiantur, & in infernum pertrahantur: quia ante iniunctam pœnitentiam operata est contritio peccati remissionem culpæ: & cui remissa est culpa, non pertrahitur in infernum: ergo falsum esse videtur quod dicit.

3 Item, Hoc est de iure communi quod homo recognoscat quantitatem suæ offensæ in genere: ergo ignorantia illius nullum excusat: ergo cum teneantur illud scire omnes, videtur quòd circa hoc non possint decipi.

4 Item, Ex simili possunt intelligere, quòd tales pœnitentiæ falsæ sint: quia non satisfaciunt homini, qui ita placant in vno, quod prouocant ad iram in altero: ergo possunt per se scire, quòd nec Deo satisfaciunt, qui sic pœnitent de vno, quod peccent in altero: ergo circa hoc non decipiuntur, vt videtur.

Solutio.

Ad hoc dicendum, quòd falsam pœnitentiam vocat hic falsum modum pœnitendi, qui est de vno ita quod non de alio.

Ad primvm autem dicendum, quòd differunt illi duo modi: quia primus est cum agitur pœnitentia de vno, & non de alio, quod tamen in actu non iteratur. Secundus autem est cum agitur de vno, & iteratur aliud: & ille est falsior, quam primus. Et quod dicit, spretis pluribus, intelligitur spernere pro paruipendere peccatum, vt de eo pœnitentiam agat, quia non reputat tantum.

Ad alivd dicendum, quòd illa non semper est falsa pœnitentia, quando parum iniungitur vel plus: quia hoc diuersis de causis potest & debet fieri: & ipse non agit hic nisi de pœnitentiis quæ semper falsæ sunt & damnabiles.

Ad alivd dicendum, quòd de de iure communi est, quòd homo cognoscat peccatum: & hoc quidem facit omnis sacerdoti se offerens: sed non est de communi iure, vt sic vel sic pœniteat, sed potius de speciali, circa quod diuersa sentiunt etiam sapientes: & ideo non tenetur illud scire, nisi alio docente addiscat: & ideo decipi potest circa hæc.

Ad alivd dicendum, quòd bene potest esse, quòd conscientia dictet talem modum pœnitentiæ esse falsum: tamen propter peccati dulcedinem efficitur ignorans, non in intellectu speculatiuo, sed practico: & ideo tunc decipi potest: quia vult quasi decipi, sicut dicit Dominus Ezech. 13. Decipiebant populum meum, &c. & Ierem. 5. Prophetæ prophetabant mendacium: & sacerdotes plaudebant manibus. Propter quod præcipit Isa. 58. Clama, ne cesses: quasi tuba exalta vocem tuam, & annuntia populo meo scelera eorum.

Repetit

Repetit de vera pœnitentia vt addat.

EX præmissis perspicua fit notitia veræ pœnitentiæ vel satisfactionis. Illa enim vera est pœnitentia, quæ peccatum abolet: quod illa sola facit quæ scelus corrigit. Illa vero scelus corrigit, quæ odium commissi criminis & committendi cum desiderio satisfaciendi affert. Iudas enim pœnituisse legitur sine assecutione veniæ, quia tali pœnitentia non correxit crimen. Vnde Hieronym. Nihil Iudæ profuit egisse pœnitentiam, per quam scelus corrigere non potuit. Sic quando frater peccat in fratrem, vt emendare non valeat quod peccauit, potest ei dimitti: sin autem permanent opera, frustra voce assumitur pœnitentia: hoc est quod de eo dicit. Et oratio eius fiat in peccatum: vt non solum emendare nequierit proditionis nefas, sed proprij homicidij scelus addiderit. Caue qualiter intelligas illud, Vt emendare non valeat quod peccauit, &c. Non enim emendatio hic intelligenda est rei demptæ compensatio, sed delicti exprobratio & abominatio cum satisfactionis desiderio. Demit enim iniuste quis alicui, quod restituere non valet, vt oculum, vel vitam, & huiusmodi: & tamen si pœnituerit peccati, cum amore condignæ satisfactionis veniam habet. Nec ideo quisquam putet, qui rem alienam iniuste abstulerit quam reddere potest, de illo peccato pœnitere ac veniam consequi, nisi restituat ablatum. Quandiu enim res propter quam peccatum est, non redditur si reddi potest, non agitur pœnitentia, sed fingitur. G

Mat. 27.

Comment. ad illud Mat. 27. *Quid ad nos.* Ps. 108.

ARTICVLVS XXXIX.

An & quæ sit vera pœnitentia?

DEinde quæritur, de hoc quod dicitur *ibi* [Illa enim vera est pœnitentia quæ peccatum abolet, &c.] Quæritur enim, quæ sit differentia inter veram pœnitentiam, & dignam pœnitentiam? Videtur autem, quòd nulla: quia idem habent oppositum: indigna enim pœnitentia est insufficiens: ergo scelus non corrigit, nec peccatum abolet: ergo non est vera: cum ergo vnum habeant oppositum, videtur, quòd ipsæ sint vnum

2 Item, Cum verum dicatur multipliciter, quæritur, secundum quem modum sumatur hic verum, cum dicitur, vera pœnitentia. Si enim verum dicatur indiuisio esse, & quod est: cum tale verum sit à forma, videtur omnis pœnitentia esse vera: quia omnis pœnitentia est pœnitentia à forma pœnitentiæ, quæ quid erat esse significat: & hoc non videtur velle circunstantia literæ, quia videtur verum restringere pœnitentiam: ergo aliqua pœnitentia erit non vera, vt videtur.

Solutio. SOLVTIO. Ad primum dicendum, quòd digna & vera differunt: quia vera dicit pœnitentiam impermixtam contrariis pœnitentiæ: sicut dicitur vere album, quod est aliis coloribus mediis & contrariis impermixtum: & verum aurum, alij metallo viliori impermixtum. Dignam autem dicit debitam pœnitentiæ quantitatem, vt scilicet sit secundum quantitatem delicti ad arbitrium sine dolo facta.

AD ID autem quod contra obiicitur, dicendum quòd argumentum non valet, habent vnum oppositum: ergo sunt vnum & idem: & est fallacia consequentis: & est instantia: quia inuoluntarium per ignorantiam, & inuoluntarium per violentiam, habet vnum oppositum quod est voluntarium: nec tamen propter hoc sunt idem. Et quod dicit Philosophus, quòd si vnum oppositorum est multiplex, & reliquum, in pluribus est intelligenda propositio: & hæc solutio sumpta est in ethic. in quinto lib. in tex. & in commento. Vel potest melius dici, quòd oppositum non dicitur vno modo, prout opponitur illis duobus: indigna enim potest dici ratione quantitatis, vel ratione essentiæ: & primo modo opponitur dignæ: secundo modo opponitur veræ.

AD ALIVD dicendum, quòd verum dicit hic impermixtum alieno viliori, vt dictum est: sicut dicimus verum aurum & verum argentum: & non sumitur ibi veritas in communi prout est indiuisio esse, & quod est, nisi sumatur esse purum & impermixtum. Et per hoc patet solutio ad totum.

***

ARTICV

ARTICVLVS XL.

An perfecta pœnitentia cogit peccatorem omnia libenter ſuſtinere?

DEinde quæritur de hoc quod dicitur *ibi*[Perfecta pœnitentia cogit peccatorem omnia libenter ſuſtinere]Hoc enim falſum videtur: quia non eſt neceſſarium, quòd omnia libenter ſuſtineat, nec omnia faciat, ſed potius neceſſaria ad ſalutem ſolum. Si dixeris, quòd accommoda eſt diſtributio,& diſtribuit pro neceſſariis ad ſalutem tantum. Videtur adhuc eſſe falſum quod dicit, quia in ore eſt confeſſio, in corde contrito, in opere tota humilitas:quia ſola contritio frequenter operatur ſalutem: ergo videtur, quòd cætera non exigantur.

2 Item, Scelus ſemper corrigebatur per pœnitentiam: nec tamen ſemper fuit oris confeſſio, & ſatisfactio iniuncta: ergo illa, vt videtur non exiguntur. Sed de hoc erit quæſtio in ſequenti diſtinctione: & ideo hic tranſeamus.

DICENDVM ad primum, quòd diſtributio eſt accommoda: & intelligitur de neceſſariis pœnitenti in tali vel tali crimine ad ſalutem.

AD ALIVD dicendum, quòd ſicut ſupra diximus in tractatu de baptiſmo, dupliciter aliquid operatur in alio, vel cum alio, ſcilicet virtute,& eſſentia. Et verum quidem eſt, quòd eſſentialiter iſta tria non ſemper requiruntur ad deletionem cuiuſlibet peccati etiam ſingulariter accepti: vnde contritio non in virtute ſui ſola delet peccatum, ſed prout eſt cum voto confitendi & ſatisfaciendi: & tunc confeſſio & ſatisfactio ſunt in virtute,& non eſſentia: & hoc ſufficit quando ſacramentum non contemptus religionis, ſed articulus neceſſitatis excludit.

ARTCVLVS XLI.

An poſsit dici, quòd aliquis nequiuerit emendare peccatum?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Vt non ſolum emendare nequiuerit, &c.] Videtur enim hoc eſſe falſum: ſi enim emendare nequiuerit, tunc non eſt ei imputandum: ſed ei imputatur: ergo potuit emendare.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum,quòd ſecundum communem modum loquendi dicitur non poſſe qui non poteſt in tali ſtatu manens, licet ſimpliciter id poſſit: ſicut dicimus, non poſſunt emendare delicta perdurantes in voluntate delinquendi. Et iſte modus Iudæ attribuitur: quia pœnitentia ductus de proditione, in voluntate delinquendi perdurauit, ſcilicet ſe ſuſpendendi.

ARTICVLVS XLII.

Quid ſit reſtitutio?

DEinde quæritur de hoc quod dicitur *ibi*[Nec ideo quiſquam putet qui rem alienam iniuſte abſtulit,&c.]Quæruntur hic de reſtitutione quatuor, ſcilicet quid ſit reſtitutio,& quid debeat reſtitui, cui debeatur reſtitutio fieri, & quarto qualiter ſe habeat reſtitutio ad opera pœnitentiæ? Ad primum ſic dicunt Iuriſperiti, quòd reſtitutio eſt ablatæ rei redditio vel recompenſatio. Videtur autem, quòd non conueniat: quia multa reſtituuntur non ablata, ſicut depoſita, locata, & mutuata: ergo videtur, quòd illa deſcriptio non valet.

2 Item, Contingit aliquid auferri quod non poteſt recompenſari, ſicut fama, quæ melior eſt omni temporali bono alio: ergo per illud non recompenſatur: ergo non fit reſtitutio per illud.

3 Item, Virginitas violenter aufertur alicui puellæ: & illa non poteſt recompenſari: & tamen contingit ſatisfacere de peccato: ergo videtur, quòd non ſit recompenſatio rei ablatæ.

4 Item, Multi tenentur ad reſtitutionem qui non auferunt, ſed iubent auferri, vel conſilium dant de auferendo,vel aliquid huiuſmodi faciunt: ergo videtur,quòd non ſit generaliter verum,quòd reſtitutio ſit ablatæ rei, &c.

GRATIA huius quæritur vlterius, Qui ſunt qui reſtituere tenentur. Et dantur verſus de hoc. *Quæſtiuncula.*

Iuſſio, conſilium, conſenſus, palpo, recurſus,
Participans, mutus, non obſtans, non manifeſtans.

Videtur autem de primo, quòd non ſemper iuſſio faciat teneri ad reſtitutionem: quia eſt iuſſio non habentis iuriſdictionem ſuper eum cui iubet: & tunc non fit propter ſuam iuſſionem: ergo non tenetur reſtituere.

2 Item, Non exigitur plus in reſtitutione, quam illatum eſt in damno: ſed damnum non intulit niſi vnus, ſcilicet rapiens: ergo ille ſolus tenetur reſtituere, & non iubens.

Obiicitur etiam de ſecundo quod eſt conſilium: conſulens enim factum, non directe operatur ad hoc quod fiat: ergo videtur, quòd non directe facit: ergo etiam non directe tenetur ad reſtitutionem.

Obiicitur autem de tertio quod eſt conſenſus: omnes enim conſentiunt, quòd fiat aliquid quod volunt fieri, & gaudent de facto: ſi ergo conſenſus facit teneri ad reſtitutionem, videtur quòd omnes qui volunt damnum alicuius, & gaudent de illato damno,tenentur ad reſtitutionem: quod graue eſſet dicere, quia non omnes tales poſſunt induci ad reſtitutionem.

2 Item, Philoſophus quinto ethic. vbi loquitur de iuſtitia, videtur velle, quòd non teneatur reſtituere, niſi qui habet plus quam debet: ſed nec conſulens nec conſentiens propter hoc quod conſentit vel conſulit, habet plus quam debet: ergo videtur iniuſtum eſſe, quòd cogatur ad reſtitutionem.

Obiicitur vlterius de palpone. Palpo enim eſt adulator: videtur autem,quòd ille nihil operatur ad damnum inferendum: ergo videtur, quod damnum reſtituere non tenetur. Præterea, Si palpo tenetur, quid erit de clericis & religioſis qui ſuadent principi terræ tales acceptiones quæ iniuſtæ ſunt, vel non faciunt eum reſtituere, vel tacent? ſi enim palpo tenetur,etiam iſti tenentur: & hoc illi non concedunt.

VLTERIVS quæritur de hoc quod dicitur recurſus. Intelligitur enim de eo ad quem habent recurſum illicite rapientes, ſicut ad defenſo-

rem,

rem, vel conseruatorem, &c. & cum ille nihil recipiat de alieno, vt hic supponitur, sed pro affectu vel consanguinitate recurrentes ad se conseruat, videtur quod non tenetur restituere.

De participatione autem quæritur, vtrum ipsi in solidum teneantur? Et videtur, quòd non, cum tantum partem recipiant.

Obiicitur etiam de muto: Mutus enim est, qui non reprehendit, nec reclamat: sed multi sunt tales, maxime in rapina principum, etiam religiosi: ergo omnes illi tales ad restitutionem tenentur, quod difficile est dicere.

Vlterius obiicitur de non obstante. Quia non omnes de facili restituerent, qui possent prohibere, & non prohibent. Item, Non tenentur prohibere: ergo videtur, quòd non peccant si non prohibent.

Vltimum præcipue non verum videtur, scilicet non manifestans. Quandoque enim cum periculo corporis auferens manifestaretur: & tunc videtur, quòd etiam teneatur non manifestare. Item, Fures sæpe sciuntur à sanctis viris: & non manifestantur: ergo videtur, quòd hoc non faciat teneri ad restitutionem.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd restitutio satis bene diffinita est per illum modum, scilicet quod sit rei ablatæ redditio vel recompensatio. Quia ablatum aut restituitur idem numero, & tunc redditur: aut in æqualitate, & tunc recompensatur.

AD ID autem quod primo obiicitur, dicendum quòd restitutio non est nisi ablati: & illud etiam respicit redditio: quia non redditur quod habetur, sed quod aliquo modo erat amissum: & ideo nihil est quod obiicitur de locatis, & aliis huiusmodi.

AD ALIVD dicendum, quòd hæc & talia soluuntur in litera, scilicet quòd intelligitur de rebus fortunæ quæ restitui possunt: quia si inanis est actio quam inopia debitoris excludit, multo magis inanis est actio quam excludit impossibilitas restitutionis. Vel potest dici, quòd contingit restituere dupliciter, scilicet secundum rei ablatæ valorem, vel secundum acceptionem eius cui ablatum est aliquid. Et licet primo modo quædam restitui non possunt, contingit tamen ea secundo modo restitui: & hæc est restitutio ad arbitrium bonorum: & hoc fit quotiescunque facit debitor quicquid potest ad satisfaciendum læso: siue enim tunc læsus remittat, siue non, nihilominus est excusatus coram Deo ille qui abstulit.

Ad quæstiunculam. AD ID quod vlterius quæritur de numero eorum quæ operantur ad ablationem, & faciunt teneri ad restitutionem: dixerunt quidam, quòd non omnia illa faciunt teneri, sed quinque de illis faciunt teneri simpliciter, & alia non nisi in quibusdam casibus. Et videtur mihi, quòd illi dicant verum. Quinque autem quæ simpliciter teneri faciunt ad restitutionem, illa sunt, iussio, consensus, recursus, participans, non obstans cum obstare tenetur. Iussio autem facit teneri: quia principaliter agit, qui præcipit fieri: & in vsum eius vel suorum cedit res ablata: aliter enim domini qui manibus propriis non auferunt, sed præcipiunt auferri, non tenerentur ad restitutionem. Et per hoc patet solutio ad primum quod de hoc obiicitur.

AD ALIVD dicendum, quòd hæc est falsa, quòd damnum non intulit nisi vnus: imo multi & diuersi inferunt damnum, & ideo tenentur ad restitutionem: præcipue tamen cum res ablata cedit in vsus præcipientis: sed tamen etiamsi non cederet, si propter suum imperium perditur res, ipse tenetur restituere.

AD ID quod obiicitur de secundo dicendum, quòd non omnis consulens meo iudicio tenetur, sed ille solum qui efficax dat consilium, ita quod probabiliter suum consilium facit rem perdi.

AD ID quod contra obiicitur, dicendum quòd ipse operatur directe suo modo: quia multa concurrunt ad vnum actum, sine quorum nullo fieret: sicut sunt consiliarij similes Achitophel, qui malos extorquendi modos & auferendi, volentes placere latronibus & tyrannis, inueniunt: & emissarij qui exequuntur quod illorum consilio dictatum est: & de illis intelligitur, quòd tenentur restituere.

AD ALIVD dicendum, quòd Aristot. valde large accipit habere plus. Plus enim dicitur habere qui quocunque modo extorsit rem alterius, non quod habeat in vsu, sed quia iniuria perdidit alter: & hoc modo directum iustum facit eum recompensare damnum quod intulit.

AD ID quod dicitur de palpone, dicendum, quòd non omnis palpo tenetur: sed qui laudando in actu auferendi incitat ad auferendum: dicens quod hoc sit signum strenuitatis, vel quòd aliter non possit dominari, vel quod hoc iure communi sibi debeatur tanquam terræ domino, vel aliud huiusmodi.

AD ALIVD dicendum, quòd, vt mihi videtur, siue clerici, siue religiosi, in hoc palpantes, tenentur ad restitutionem.

AD ID quod obiicitur de recursu, dicendum quòd intelligitur de illo ad quem habetur recursus, sicut ad defensorem & conseruatorem & latronum & latrocinij: sicut sunt quidam hospites furum, & alij qui faciunt se defensores & aduocatos talium. Si autem propinquitate sanguinis quandoque tenetur, non credo, quòd propter hoc ille teneatur ad restitutionem: vel si etiam teneatur, cum quæritur ad iudicium, ratione compassionis naturæ & spe pœnitentiæ credo, quòd in tali casu meretur ille ad quem recurrit.

AD ID quod obiicitur vlterius de muto, dicendum quòd solus ille mutus iudicatur, qui ex officio tenetur reclamare, & non reclamat: & etiam ille non credo, quòd teneatur vniuersaliter ad restitutionem, sed potius tunc quando tacet consentiens & promouens ad hoc quod fiat. Sed verum est, quòd si ex officio tenetur reclamare, & non reclamat: si vult pœnitentiam agere, tenetur clamando cooperari læso vt satisfiat ei. Et per hoc patet solutio ad id quod contra hoc obiectum est.

AD ID quod obiicitur de non obstante, videtur dicendum, quod intelligitur de illo, qui ex officio obstare tenetur: sicut baro, vel princeps, qui tributa terræ cum recipit vt pacificet terram, si non obstet illicite auferentibus, ipse restituere tenetur.

DE VLTIMO dicendum quod non intelligitur de omni non manifestante, sed solum de illo qui celando particeps est lucri & criminis. Et ideo obiecta contra hoc non tenent.

ARTICV

ARTICVLVS XLIII.

Quid debeat restitui, & qualiter est restituendum?

Quæst. 1. SEcundo quæritur quid debeat restitui? & hæc est quæstio difficilis: cum enim restitui debeat res ablata, contingit auferri famam, quandoque veritate, & quandoque mendacio: sicut si ponamus, quòd aliquis diffamauit crimen alicuius, verum quidem, sed tamen occultum: si debeat restituere, videtur, quòd peccet: quia si dicat, Hoc dixi falsum vt infamarem ipsum: ipse mentitur, quia verum dixit. Cum igitur omnis homo debeat vitare mendacium, videtur quòd ille debeat vitare restitutionem. Si autem dicat sic: Ego quidem verum dixi, tamen intentione mala diffamandi, amplius infamabit: quia amplius credetur, quam prius: ergo magis lædet secundo, quam primo. Si dicas, quòd non debet restitui fama. Contra: Id quod charius possidetur, inuitissime amittitur: fama autem charius possidetur, quam aurum, & argentum: ergo inuitissime amittitur: ergo videtur, quòd maxime debet restitui. Item Hieronym. Crudelis est qui famam negligit: sed ille qui non exigit famæ restitutionem, famam negligit: ergo est crudelis: ergo videtur, quòd etiam hæc iniuria non debet remitti sine recompensatione: ergo quilibet tenetur exigere talis rei restitutionem: ergo aliquis tenetur soluere: constat autem, quòd non nisi qui abstulit: ergo ille restituere tenetur.

Quæst. 2. EODEM modo grauis casus est de eo qui impedit aliquem vt non consequatur hoc quod habiturus esset, nisi ille impediret, sicut præbendam, vel dignitatem, vel quascunque res spirituales, vel seculares, quia quoad hunc casum non differunt, vtrum teneatur ad restitutionem si potest? Si dicas, quod sic. Contra: Isti nihil est ablatum: quia non aufertur nisi quod habetur, iste autem adhuc non habuit: ergo videtur, quòd non tenetur.

2 Item, Quomodo restituet si tenetur: si enim habet præbendam vel Ecclesiam, & impediuit illum ne consequeretur, videtur quòd teneatur recedere de sua, & illum inuestiri facere: & hoc graue est dicere, quia pauci vel nulli hoc facerent. Si autem dicas, quòd non tenetur. Contra: Occasionem damni dat: ergo damnum fecisse interpretandus est: ergo tenetur ad restitutionem. Item, Si quærerem à te, vtrum ille qui sic impediuit proximum: peccauit, vel non? Et si diceres, quòd peccauit. Quæratur ergo vlterius, vtrum in Deum tantum, vel in Deum & in proximum? Tu dices, quòd in Deum & in proximum. Si autem iterum quæratur, quo genere peccati peccauit in proximum? dices, quòd damnificando proximum. Cum ergo omnis damnificans teneatur ad restitutionem, iste tenebitur.

Quæst. 3. ITEM quæritur de eo qui arando subuertit semina, qualiter tenetur ad restitutionem? Si enim dicas, quòd tenetur soluere fructus futuros. Contra: Fructus multis de causis poterant impediri: ergo nondum certi habebantur: ergo ille non abstulit fructus: ergo non tenetur reddere. Si autem dicas, quòd tantum semina. Contra: Tantum valet res, quantum vendi potest: sed ille pro agro seminato plus vendendo acciperet, quam semina: ergo ille plus reddere tenetur.

Quæst. 4. ITEM quæritur, Vtrum illæ leges Domini, quæ de restitutione tanguntur Exod. 5. scilicet, quòd ouis reddatur in quadruplum, & bos in quintuplum, adhuc tenent vel non? Videtur, quòd sic: quia de moribus sunt & necessariis ad salutem: ergo adhuc tenent. Probatio primæ est: quia restitutio est de necessariis ad salutem, & de moribus hominum.

CONTRA: Hîc in litera non dicitur plus, nisi quod restituatur ablatum: ergo videtur, quòd ad plus non tenetur. *Sed contra.*

2 Item, Nos videmus quod in iudicio non condemnatur ad plus, quam intulit in damno: ergo ad plus non tenetur.

3 Item, Aristot. dicit, quòd iustum est æquale, vt tantum reddat quantum intulit in damno: constat autem, quòd si plus reddat, erit inæqualitas: cum igitur inæqualitas sit idem quod iniustitia, iniustum est si cogatur ad plus dandum, vt videtur.

SOLVTIO. Dicendum videtur, quòd ad omne illud ablatum quod cum dolore amittitur, & cum delectatione & vtilitate vel honestate possidetur, sequitur tentio ad restitutionem ex parte auferentis illud, quocunque modo auferat: sicut multi modi habiti sunt in præcedenti articulo huius quæstionis. *Solutio.*

AD ID autem quod primo quæritur, dico quòd detractor tenetur ad restitutionem: sed duplex est fama, scilicet in re pertinente ad veram laudem, cuius oppositum est vere vituperium: & hæc est virtus & vita secundum virtutem, vel saltem sine vitio, quia nihil vere laude dignum est nisi virtutis actus. Est etiam fama in scientia, vel militia, & huiusmodi: in quibus non est laus nisi vana. Et primam tenetur restituere qui iniuste abstulit. Non autem iniuste aufert qui dicit vbi prodesse debet, scilicet Prælato, vel pluribus corripientibus: & si hoc non valet, denuntiat Ecclesiæ, vt confusione peccator resipiscat: ille enim talem famam non aufert, sed velamen malitiæ manifestat. Si autem intentione infamandi euomat mala, dico quòd restituere tenetur, si tamen criminosa euomuerit. *Ad qu.*

AD HOC autem quod obiicitur, dico quòd etsi verum sit quod dixit, ipse potest ire ad illos quibus dixit, & dicere quod intentione infamandi dixerit. Si autem quæratur, vtrum verum dixerit, vel non? Ad hoc non tenetur respondere, sed caute euadere sine mendacio, vt docet August. in lib. de mendacio. Et per hoc patet solutio ad secundum, & ad omnia quæ quæruntur circa illud. *Ad qu.*

AD ALIVD dicendum, quòd ille qui impedit alium: aut iuste impedit, scilicet quia scit eum indignum tali honore vel tali re, & tunc non tenetur: aut iniuste, & tunc dico, quòd tenetur satisfacere, sed non tamen reddere, quia ille rem illam adhuc adeptus non erat: hæc autem satisfactio debet fieri secundum possibilitatem satisfacientis, & arbitrium bonorum virorum. Ad hoc autem quod contra obiicitur, dicendum quod non dat occasionem damni rei quæ habetur, sed quam probabile fuit haberi, poterat tamen aliquo casu non haberi, quia sæpe contingunt infortunia non præuisa. *Ad qu.*

AD ALIVD dicendum, quòd iste peccauit in

in proximum damnificando eum : sed non tantum, quantum si ipsa res quiete iam fuisset possessa : & ideo non ad tantum tenetur, sed iuxta arbitrium bonorum.

Ad qu. 3. AD ID quod vlterius quæritur de tertio casu, dicendum quòd soluere non est difficile: sed tenetur tantum, quantum ager seminatus pro tempore illo vendi consueuit : & hoc est plus & minus, secundum quod propinquius expectantur fructus, vel remotius à messe.

Ad qu. 4. AD HOC quod quæritur de legibus Exod. 5. dicendum, quòd hodie non tenent nisi ex noua constitutione sanciantur. Huiusmodi enim leges iudiciales erant habentes aliquid significationis de futuro : & quoad hoc quod erant iudiciales pro tempore & loco aggrauabant plus vel minus in terrorem vitij illius quod in populo vigebat, vt scilicet populum à tali vitio citius auerterent. Secundum autem quod aliquid habebant significationis de futuro, cum aliis cæremoniis in Nouo Testamento sunt impletæ & euacuatæ.

AD HOC autem quod obiicitur, quòd sunt de moribus, dicendum quòd de moribus quidem sunt : non tamen sunt morales proprie, prout moralia diuiduntur contra iudicialia: quia hoc modo moralia non sunt nisi illa præcepta quæ præcipiunt actus alicuius virtutis moralis : hoc autem non fit in illis, sed ad terrorem erat aggrauantium damnum, eo quod per auaritiam libenter rapiebant aliena, præcipue animalia, quæ in illo populo tunc temporis abundabant.

ARTICVLVS XLIV.

Cui debet fieri restitutio?

TErtio quæritur, Cui debeat fieri restitutio? Ponamus enim, quòd ille qui rem alienam habet, nesciat cuius fuit : tunc enim cum non scit cui debeat, videtur esse absolutus ab obligatione : quia omne quod aliquis debet, alicui debet.

Quæst. 2. ITEM Ponamus, quòd aliquis sciat : sed est ita remotus, quòd ad eum peruenire non potest sine magna difficultate: & quæratur, quid tunc sit faciendum: vel si scit eum cui debet, nescit tamen vbi manet, vel non potest inueniri? Si enim tunc dat pauperibus, potest esse quod ille casu postea inueniatur. Cum ergo non sit illi restitutum, oportet quod secundario restitueret: & hoc esset iniustum : ergo seruare tenetur donec ille veniat, vel desperetur de eius aduentu. Et tunc quæritur quando illud est? Potest esse, quòd ille in longinquo loco faciat filios: & illis dicat, quòd talis homo sibi teneatur, & quando desperatur de vita sua, postea apparebunt filij quibus debet restituere : & hoc modo nunquam desperabitur de aduentu suo, vel in se, vel in hæredibus suis.

Quæst. 3. ITEM, Ponamus, quòd aliquis iniuste acceperit in aliqua expeditione, & nesciat cui fecerit damnum specialiter. Si enim dat pauperibus, quæritur quibus tenetur, & ad cuius arbitrium debet fieri recompensatio? Videtur enim, quòd magis tenetur pauperibus illius terræ in qua damnum fecit, quam in alia in qua damnificans habitat: quia forte aliquis pauperum terræ in qua intulit damnum, ad paupertatem est deductus per eum, & ille debet habere recompensationem.

Quæst. 4. ITEM, Ponatur, quòd aliquis de licentia alicuius Prælati iniuste vendicet sibi res Ecclesiæ, quas Prælatus dare non potest, quæritur, cui debeat fieri restitutio? Si dicas, quòd Ecclesiæ. Contra : Prælatus tenet res Ecclesiæ : & ille concessit res isti, vel dedit : ergo non sunt ei ablatæ: non ergo debet ei fieri restitutio. Si autem non debet illi fieri restitutio, cum nullus alius habeat ius, videtur, quòd nulli: quod absurdum est, cum res Ecclesiæ ab illo teneri non possunt.

Quæst. 5. ITEM, Ponamus, quòd aliquis mutuauit pecuniam suam alicui gratis vsque ad certum diem nundinarum, & tunc non reddit, & ille impediatur à negotiatione sua licita : constat, quod damnificauit eum: ergo reddere tenetur: & quæritur, in quo, & quantum?

Solutio. SOLVTIO. Hæc & huiusmodi magis considerati habent à Iurisperitis, quam à Theologis: & ideo sine præiudicio dico, quòd rationale videtur.

Ad qu. 1. AD PRIMVM ergo dicendum, quòd cum nescitur verus dominus, pauperes sunt hæredes: & ille non absoluitur ab obligatione, nisi det pauperibus.

Ad qu. 2. AD ALIVD dicendum, quòd distinguendum est: aut enim tantum est debitum, quòd viam merito subire debeat, aut non. Si sic: tunc mittere vel portare sibi tenetur, nisi speretur reditus illius cui damnum est illatum. Si autem parum est, & non speretur reditus, dico quòd dandum est propinquis eius cum tali protestatione, quòd dent vel recompensent illi principali si venerit. Si autem propinquos non habet, ego consulerem, quòd daretur alicui cœnobio cum promissione tali per scriptum confirmata, quòd si vnquam de hæredibus illius apparet, vel ipse, quòd illud restitueret cœnobium, vel respondere teneretur.

Ad qu. 3. AD ALIVD bene concedo, quòd ille qui est in expeditione, quod accepit, magis tenetur pauperibus illius terræ reddere in qua damnum fecit, quam in alia vbi habitat. Et etiam ad arbitrium Episcopi loci illius qui damnificatus est, debet fieri restitutio, scilicet ad opus commune villæ, vel pauperibus eiusdem villæ, vel alio modo prout Episcopo rationabiliter videbitur expedire.

Ad qu. 4. AD HOC quod quæritur de illo qui habet res Ecclesiæ, dico quòd restituere tenetur Ecclesiæ, ita vt deuoluatur ad Prælatum successorem : quia ille qui concessit, non meretur recipere. Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICVLVS XLV.

Qualiter habent se opera restitutionis ad opera pœnitentiæ?

VLtimo quæritur, Qualiter se habeant opera restitutionis ad opera pœnitentiæ? Videtur, quod sint de pœnitentia. Ipsa enim pœnitentia est remedium peccati actualis: cum igitur restitutio sit de emendatione cuiuslibet talis peccati, videtur esse pars satisfactionis : ergo etiam est pars

pœnitentiæ:quia quicquid est pars partis, est pars totius.

2 Item, In pœnitentia secundum quod est sacramentum, reconciliatur homo perfecte Deo & proximo: sed restituere est de recompensatione & reconciliatione ad proximum; igitur est pars pœnitentiæ,vt videtur.

Sed contra. SED CONTRA: Pœnitentia dicitur quasi pœnæ tenentia, & dolor ad hoc quod forefecit: sed ad restitutionem non exigitur talis dolor, sed qualitercunque siue dolens siue non dolens restituat, ipse deobligatur ab eo quod tenebatur restituere; ergo non est de pœnitentia sicut pars.

2 Item,Pœnitentia soluit à peccato: redditio autem soluit à debito tentionis proximi tantum, & non à peccato: ergo non est pars pœnitentiæ.

3 Item, Pœnitentiam oportet agere de proprio: sed restitutio semper est de alieno: ergo, &c.

4 Item, Si est pars pœnitentiæ, constat quod non est nisi pars partis,quæ est satisfactio, quæ est vel eleemosyna, vel oratio, vel ieiunium, quia satisfactio non habet plures partes in genere: constat autem, quòd nulla est illarum: ergo non est pars pœnitentiæ.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum secundum antiquos, quòd non est pars, sed præsupponitur in pœnitente, vt dispositio pœnitentis ne sit fictus:& hoc vocauerunt antiqui fundamentum:vnde dixerunt, quod restitutio est fundamentum satisfactionis,& per consequens pœnitentiæ.

AD IDautem quod primo obiicitur, dicendum quod ipsa non est remedium cuiusdam peccati, vel delens peccatum,sed potius est dispositio præsupposita in eo in quo per pœnitentiam deletur peccatum.

AD ALIVD dicendum, quòd restituens dupliciter reconciliatur proximo,scilicet inquantum tenetur ei de damno illato;& hoc modo reconciliat restitutio,non pœnitentia proprie:vel inquantum deædificatus est proximus per malum exemplum:& sic satisfactio bonis operibus reconciliat, & pœnitentia per consequens. Et ita intelligitur, quod homo per pœnitentiam reconciliatur Deo & proximo:restitutio enim recipitur etiam à non pœnitente:sicut bene probant ea quæ obiecta sunt in contrarium.

DISTINCTIO XVI.

De tribus quæ in pœnitentia considerandaſunt.

A IN PERFECTIONE autem pœnitentiæ tria obseruanda sunt, scilicet compunctio cordis, confessio oris, satisfactio operis. Vnde Ioannes os aureum, Perfecta pœnitentia cogit peccatorem omnia libenter ferre: in corde eius contritio, in ore confessio, in opere tota humilitas. Hæc est fructifera pœnitentia, vt sicut tribus modis Deum offendimus, scilicet corde, ore, & opere: ita tribus modis satisfaciamus. Sunt enim tres peccati differentiæ, vt ait Augustſ. & in corde, & in facto, & in consuetudine, vel verbo, tanquam tres mortes. Vna quasi in domo, scilicet cum in corde consentitur libidini. Altera quasi prolata iam extra portam, cum in factum procedit libidini assensio. Tertia, cum malæ consuetudinis tanquam mole premitur animus, vel noxiæ defensionis clypeo armatur quasi in sepulchro iam fœtens. Hæc sunt tria genera mortuorum, quæ Deus legitur suscitasse. Huic ergo triplici remedio occurritur: contritione, confessione, satisfactione. Compunctio nobis commendatur ibi, Scindite corda vestra, & non vestimenta vestra. Confessio ibi, Iustus in principio sermonis accusator est sui. Veræ enim confitetur qui se accusat, qui execrando malum sibi imputat. Et ibi,Effundite coram illo corda vestra. Et iterum, Confitemini alterutrum peccata vestra. Satisfactio à Ioanne præcipitur vbi ait, Facite dignos fructus pœnitentiæ, scilicet vt secundum qualitatem & quantitatem cul-

De sermone habito in monte.

Ioel.2. Prou.18.

Psal.61. Iacob.5. Matth.3. Luc.5.

pæ,

pæ, sit qualitas & quantitas pœnæ. Non enim par debet esse fructus boni operis eius qui nihil vel minus peccauit, & eius qui grauius cecidit. Ideo discretio pœnitenti valde necessaria est, vt illa gerat quæ tradit Augustinus dicens, Consideret qualitatem criminis, in loco, in tempore, in perseuerantia, in varietate personæ: & quali hoc fecerit tentatione, & in ipsius vitij multiplici executione. Oportet enim pœnitere fornicantem secundum excellentiam sui status, vel officij, vel secundum modum meretricis, & in modum operis sui: & qualiter turpitudinem egerit, si in loco sacrato, si in tempore orationi constituto, vt sunt festiuitates & tempora ieiunij. Consideret quantum perseuerauerit, & defleat quòd perseuetanter peccauerit, & quanta victus fuerit impugnatione. Sunt enim qui non solum non vincuntur, sed vltro se peccato offerunt: nec expectant tentationem, sed præueniunt voluptatem. Et pertractet secum, quam multiplici actione vitij delectabiliter peccauit. Omnis ista varietas confitenda est & deflenda, vt cum cognouerit quod peccatum est, cito inueniat Deum sibi propitium. In cognoscendo augmentum peccati, inueniat cuius ætatis fuerit, cuius sapientiæ & ordinis. Immoretur in singulis istis, & sentiat modum criminis, purgans lacrymis omnem qualitatem vitij: defleat virtutem qua interim caruit. Dolendum est enim non solum quòd peccauit, sed quia se virtute priuauit. Defleat etiam quoniam offendens in vno, factus est omnium reus. Ingratus enim extitit, qui plenus virtutibus Deum omnino non timuit. In hoc enim quisque peccator fit culpabilior, quo est Deo acceptior. Ideo enim Adam plus peccauit, quia omni bono abundauit. Alio etiam modo offendens in vno, factus est omnium reus: quia omnis virtus patitur detrimentum ab vno vitio. Ponat se omnino in iudicio & potestate sacerdotis, nihil sui reseruans sibi: vt omnia eo iubente paratus sit facere pro recipienda vita animę, quę faceret pro euitanda corporis morte: & hoc cum desiderio, quia vitam recuperat infinitam. Cum gaudio enim facere debet immortalis futurus, quę faceret pro differenda morte moriturus: semper deprecetur Deum, offerat Deo mentem & cordis contritionem: deinde & quod potest det de possessione: & tunc si quid offerat, securus offerat. Respexit Dominus ad Abel, & ad munera eius. Prius dicit Abel, quam ad munera eius. In iudicio ergo cordis conferenda est eleemosyna tribuentis. Nec considerandum est quantum, sed qua mente, qua affectione dat quod potest. Qui ergo sua peccata redimere vult temporalium oblatione, prius offerat mentem. Caueat etiam ne ductus verecundia, diuidat apud se confessionem, vt diuersa diuersis velit sacerdotibus manifestare. Quidam enim vni celant, quod alteri manifestandum conseruant: quod est se laudare, & ad hypocrisim tendere, & semper venia carere: ad quam per frusta putat peruenire. Caueat etiam ne prius ad Dominicum corpus accedat, quam confortetur bona conscientia, & doleat quòd nondum audeat sumere, quem multum desiderat cibum salutarem. Cohibeat etiam se à ludis, à spectaculis seculi, qui perfectam vult consequi remissionis gratiam. Isti sunt digni fructus pœnitentię, animam captiuam elaqueantes & in libertate seruantes. Et infra. Quęrat anima dignos fructus, etsi non

Beda.

De vera & falsa pœnit. cap. 14.

Iacob. 2.

Gen. 3.

Genes. 4.

Augustin. ibidem cap. 15.

dignos pœnitentiæ. Sunt enim digni fructus virtutum, qui non sufficiunt pœnitentibus. Pœnitentia enim grauiores postulat, vt dolore & gemitibus mortuus impetret vitam. Ex his ostenditur qui sint digni fructus pœnitentię, quibus vera satisfactio expletur: & quod non omnes digni fructus sunt digni fructus pœnitentię: quod de illa pœnitentia intelligitur, quę maiorum est criminum. Non enim sufficiunt grauiter delinquentibus, quæ sufficiunt minus vel parum peccantibus.

DIVISIO TEXTVS.

IN perfectione autem pœnitentiæ tria, &c.] Hic incipit pars illa, quæ est de partibus pœnitentiæ. Et diuiditur in duas partes, in quarum prima traditur differentia ipsarum partium. In secunda autem quæritur, Vtrum vna sine alia peccati destructionem possit operari? & hæc incipit in sequenti distinctione. Adhuc prima subdiuitur in duas. In prima enim agit de partibus pœnitentiæ, quæ sint, & quot. In secunda autem agit de modis iuxta partes acceptis *ibi* [Prædictis vero adiiciendum est, &c.] Ante literam tria quæruntur: quorum primum est, Vtrum hoc sacramentum sit vnum, & qua vnitate sit vnum & simplex? Secundo, An habeat partes, vel non, & cuiusmodi sint illæ partes? Tertio, Vtrum illæ partes ex æquo recipiant sigillatim pœnitentiæ rationem, aut pœnitentia prædicetur de omnibus in summa acceptis, & non sigillatim?

ARTCVLVS I.

An sacramentum pœnitentiæ sit vnum?

AD primum sic obiicitur, Sacramenta Ecclesiæ non sunt nisi septem: hoc autem non contingeret, si pœnitentia esset plura sacramenta: ergo pœnitentia non est nisi vnum sacramentum.

2 Item, Causa per se cuius effectus est vnus, ipsa est vna secundum causalitatis illius rationem: sed effectus huius sacramenti est vnus, scilicet deletio peccati actualis: ergo pœnitentia quæ est causa deletionis sacramentalis, est vna. Minor per se patet: sed maior patet ex hoc quod in vna ratione causalitatis, non est nisi vna causa vnius effectus, vt probatum est secundo physicorum, & quinto metaphysicæ Arist. Item, Actus est vnus, scilicet flere commissa cum emendationis propositio: ergo & pœnitentia est vna, vt videtur.

Sed contra. SED CONTRA: Nihil est vnum ad cuius perfectionem tria exiguntur: ad perfectionem autem pœnitentiæ exiguntur tria: ergo ipsa non est vna. Probatio primæ est in quinto primæ Philosophiæ, vbi sic dicit Philosophus, Substantia cuiuslibet est secundum semel, vt sex non bis tres sunt, sed semel, sex enim sunt semel sex. Minor autem scribitur in litera in principio huius distinctionis.

2 Item, Impossibile est habitum vnum agentem, nisi natura agat, esse principium actuum diuersorum specie separatorum: sed si pœnitentia est vna, erit habitus huiusmodi, sicut ex dictis in 13. dist. constat: ergo non potest esse principium diuersorum actuum specie separatorum: sed talium actuum est principium: ergo non est vna. Probatio quòd talium actuum est principium: quia conteri, confiteri, orare, & ieiunare, & eleemosynas dare, sunt actus diuersi specie, ad quos mouet pœnitentia: ergo ipsa non est ad vnum, vt videtur.

Quæstiuncula. QVÆRITVR vltetius, Si vna est, cuiusmodi sit illud vnum? Ponuntur enim multi modi vnius ab Auctoribus diuersis, tam sanctis, quam Philosophis. Sancti autem sunt Bernard. in quinto de consideratione. Et Dionysius in lib. de diui. nom. cap. 3. & Boëtius in lib. de vnitate & vno. Philosophi autem Aristot. in quinto Philosophiæ primæ, & Auicenna in sua metaphysica, & Algazel: & longum esset ponere omnium distinctiones: nec oportet, quia quidam non dicunt vnum simpliciter, sed secundum quid tantum. Quæritur ergo, an sit vnum forma? Et videtur, quòd sic: omne enim quod vere vnum est, est vnum forma aliqua faciente ipsum vnum: sed hoc sacramentum est vere vnum: ergo est vnum forma.

2 Item, Vnum conuertitur cum ente: ergo vnde est esse, inde est vnum: sed esse est à forma: ergo & vnum.

Sed contra. SED CONTRA: Forma huius sacramenti videtur non esse vna: quia alia est forma contritionis, alia confessionis, & alia satisfactionis: ergo videtur, quòd non sit vna vnitate formæ. Si dicas, quòd hæc est vnitas sacramenti quam non ponit aliquis Philosophorum: quia non fuit de consideratione eorum. Contra: Quæritur, quæ sit illa vnitas sacramenti? Videtur enim, quòd sit formæ quam natiuam vel constitutiuam vocat Bernardus: quia sacramentum habet formam & materiam: sed quæcunque habent formam & materiam, habent ea vt partes essentiales: sed in omnibus talibus vniens est ipsa forma: ergo ista vnitas est formæ: & tunc procedit supra posita ratio, scilicet cum non sit forma vna, quòd sacramentum non sit vnum, vt videtur. Si dicas, quòd sacramenti vnitas est vt vniatur in vno effectu: videtur iterum, quòd non sit vnum. Quia effectus non est vnus: aut enim peccatum secundum culpam remittitur in contritione, aut non. Si sic: ergo confessio & satisfactio non operantur contra culpam: ergo non sunt ad eundem effectum cum contritione: ergo non sic vniuntur. Si dicas, quòd non remittitur in contritione. Contra: ergo non erit nisi attritio, & non contritio: & hoc

non

non stat cum hypothesi : quia suppositum est, quòd contritio fuerit, cum quæritur, vtrum in contritione remittatur?

2 Item, Dionysius innuit, quòd omnis multitudo reducitur ad aliquod vnum: quia multa partibus in vnum toto, & multa accidentibus in vnum subiecto, & multa numero aut virtutibus in vnum specie, & multa speciebus in vnum genere, & multa generibus siue processibus in vnum principio. Et idem omnino per alia verba dicit Philosophus quinto metaphysicæ in distinctione vnius. Quæritur ergo, Si hæc multa quæ sunt hic, sunt multa partibus : tunc debent reduci in vnum toto. Et quæritur, quæ sit forma vniens totum, & vix erit assignare.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum videtur, quòd hoc sacramentum est vnum vnitate sacramenti, sicut dictum est in obiiciendo. Et vlterius concedendum videtur, quòd est vnum vnitate formæ sacramentalis: forma autem huius sacramenti non eodem modo accipitur vt in aliis, in quibus minister sacramenti qui agit actum verbis, dat formam pronuntiando verba: non enim ita accipitur materia & forma istius sacramenti, sicut Magister infra determinabit : non enim habet materiam exteriorem, nec formam extra pœnitentem: sed illud dicitur esse materia, vnde accipit rationem significandi, sicut est in baptismo, & in aliis: sed quia dolor manifestatus in signis quibusdam est illud, dico dolorem esse materiam, dolorem dico voluntarium manifestatum in signis exterioribus, per quæ signa significat rem quam causat: forma autem sacramenti illius est propria vnde habet virtutem sanctificandi, sicut in omnibus aliis sacramentis ex forma est sanctificatio. Vnde forma ipsius est informatio gratiæ, vel gratia informans hunc dolorem, inquantum sic informans. Et si obiicitur, quòd secundum hoc idem est forma & res sacramenti, quod in nullo contingit: quia secundum hoc idem esset faciens & effectum, causa & effectus, quæ omnino sunt impossibilia. Respondetur, quòd eadem obiectio est de contritione quæ est informata gratia, & aliter non deleret peccatum, nec esset contritio : & tamen confert gratiam. Vnde dico, quòd gratia non in genere, sed quædam est forma illa, scilicet quæ vim dat dolori, vt deletiuus fiat peccati : effectus autem eius proprius est peccati remissio : hæc autem forma in generali dolore accepta, scilicet quæ informat dolorem in contritione, confessione, & satisfactione, dico quòd forma sit huius sacramenti, à qua sacramentum dicitur vnum. Si quis autem dicat, quòd forma pœnitentiæ est verbum quod dicitur à sacerdote, quando absoluit, vel quod est signum aliquod : constat quòd ipse non attendit quid facit forma in sacramento secundum August. & Hugonem de sancto Victor. quia illa est quæ accedens ad sacramentum, facit ipsum potens sanctificare : & hoc non facit in pœnitentia verbum quod dicit sacerdos, vel etiam signa, vel ipse dolor voluntarius, sed potius hoc quod dictum est, scilicet gratia informans dolorem illum, vt possit delere peccatum : & res eius est deletio peccati omnimoda in culpa & pœna. Dicendum ergo ad primum, quòd hoc sacramentum est vnum.

AD ID ergo quod obiicitur in contrarium, dicendum quòd ad perfectionem alicuius aliquid vel aliqua exigi dupliciter dicitur, scilicet tanquam ex quibus perficitur, & tanquam perfectio ipsa complens. Si autem dicitur tanquam ex quibus perficitur potestatiue vel vniuersaliter, falsa est propositio prima : quia ad omnis compositi perfectionem hoc modo plura exiguntur. Si vero dicitur tanquam perfectio vltima complens : tunc vera est : quia omnis actus vltimus complens secundum speciem, est vnus simpliciter: & sic intelligitur probatio quæ adducta est de quinto primæ Philosophiæ : & non habet hic locum : quia tria quæ exiguntur ad perfectionem pœnitentiæ, sunt partes potestatiuæ pœnitentiæ, vt infra patebit: & ipsa perficitur in illis vt totum potestatiuum perficitur ex suis partibus.

AD ALIVD dicendum, quòd pœnitentia secundum quod est habitus mouens in detestationem peccati, virtus est, & non sacramentum, & hoc modo non habet partes : sed vt est sacramentum, est dolor informatus gratia in signis exterioribus manifestatus, & sic habet partes in quibus perficitur medicinalis dispositio contra morbum actualis peccati. Vel dicitur & forte melius, quod nihil prohibet secundarios actus esse plures, dummodo ordinentur ad finem vnum : & ita est de conteri, & confiteri, & satisfacere, quia omnes vnum habent finem, qui est plena destructio peccati actualis.

AD ID quod vlterius quæritur, Qua vnitate vnitate sit vnum? Dico, quòd nihil est vere vnum, nisi sit vnum forma. Contingit autem accipere formam vltimam : & huic respondet materia propria. Et contingit accipere formam primam in genere : & illi respondet materia prima in genere illo : sicut est exemplum Aristot. de mineralibus: si enim accipiatur forma auri, respondet ei materia, quia est ex sulphure subtili & adustibili, & argentum viuum clarum subtile bene commixta. Si autem accipiantur mineralia, secundum quod calido sicco siccabilia sunt, respondet eis materia quæ est aqua. Ita dico, quòd si accipiatur forma propria huius sacramenti, quæ est gratia operans destructionem peccati actualis, secundum quod huiusmodi, respondet ei materia quæ est dolor dispositiue operans ad destructionem illam: & hæc est vnitas sacramenti ex sua forma sacramentali. *Ad qu.*

AD ID ergo quod contra obiicitur dicendum, quòd ista tria sunt partes pœnitentiæ, & vniuntur in forma totius, & in toto : quia in omnibus illis operatur dolor supra dictus : vnde non sequitur, quod ex hoc sint ibi plures formæ simpliciter : sicut non sequitur de homine ex hoc quòd alia est forma pedis, & alia manus : vel de anima ex hoc quod alia est forma intellectus, & alia voluntatis, quæ sunt partes eius potestatiuæ.

AD ALIVD dicendum, quòd multitudo partium istarum reducitur ad totum: quia dolor destruens peccatum quodammodo vnus est, & subiicitur vt totum contritioni, confessioni, & satisfactioni.

***

ARTICVLVS II.

An iſtud ſacramentum habeat partes, & quæ ſint illæ partes?

SEcundo quæritur, Vtrum iſtud ſacramentum habeat partes, vel non: & quæ ſint partes illæ? Licet enim in parte hoc iam habitum ſit, tamen ſubtilius eſt adhuc diſtinguendum. Videtur autem non habere partes: quia dicit Ambroſius, quòd ſacramentum omne ſimpliciter eſt: ſimpliciter autem eſt, quod non habet partes; ergo ſacramentum iſtud non habet partes.

2 Item, Medicina quædam ordinatur contra morbum originalem: & conſtat, quòd non habet partes niſi formam & materiam, de quibus partibus non loquimur hic, quia illæ ſunt in omni ſacramento: cum igitur alia medicina ſit contra morbum actualem, quæ pœnitentia dicitur, videtur quòd partes habere non debeat, ſicut nec illa.

3 Item, Vnius morbi vna videtur eſſe medicina per contrarium: ſed actuale eſt vnus morbus: ergo vnicam debet habere medicinam per contrarium: non ergo diuerſificatam in partibus.

4 Item, Si habet partes: aut hoc conuenit, quia per ſe non ſufficit ad expulſionem peccati, aut ex alia cauſa. Si primo modo: tunc gratia informans dolorem eſſet imperfecta in actu ſuo, quod abſurdum eſt: ergo videtur, quòd hæc non ſit cauſa quare partes habere debeat. Si ſecundo modo. Contra: Cuicunque natura dat partes ad determinatum actum pertinentes, ipſa dat illas propter perfectionem in agere. Probatio: quia aliter natura abundaret in ſuperfluis: ergo multo minus hoc eſt in operibus gratiæ quæ ex maiori diligentia ſunt ordinata: ergo totum eſt imperfectum ſine illis in agere: & hoc habitum eſt pro inconuenienti: quia forma totius eſt gratia.

Quæſtiũcula. VLTERIVS quæritur hic, Cuiuſmodi ſunt partes illæ quæ ſunt pœnitentiæ? omnes enim partes reducuntur ad integrales, vel ſubiectiuas: ſicut partes totius in quantitate ad integralem, & partes totius in modo ad vniuerſalem ſiue ſubiectiuam. Aut igitur ſunt integrales, aut ſubiectiuæ. Si integrales: ergo non accipiunt prædicationem totius, quod falſum eſt. Si autem ſubiectiuæ: ergo quæ eſt forma vnius eſſentialis, eſt forma alterius: ergo quæ eſt forma confeſſionis, ipſa eſt forma contritionis realis, quod falſum eſt.

2 Item, Si eſſent tales partes, oporteret quòd ipſarum eſſet vnum nomen, & diffinitio vna, quod iterum falſum eſt. Si dicas, quòd aliter eſt de partibus homogeniis & toto, & aliter de heterogeniis, ſicut dicit Ariſtot. quinto primæ Philoſophiæ, vbi diſtinguit modos totius: quia partes totius homogenij licet ſint materiales: tamen quia prædicatur de eis totum, ſequuntur naturam totius vniuerſalis: vnde dicitur, omnis aqua eſt: & non dicitur, tota aqua, niſi per metaphoram. Partes autem in quibus poſitio facit differentiam, eo quod ſunt heterogeniæ, ſequuntur naturam totius integri: & ideo dicitur totus lectus, & non omnis lectus, vel omnis homo, vt diſtribuat pro partibus integrantibus: & ſic licet ſint iſtæ partes integrantes poteſtatem pœnitentiæ, tamen recipiunt prædicationem totius, propter homogenias eſſe partes illas. Contra: Omne totum homogenium habet partes non diuerſas in forma partium, vt aqua, oleum, & cætera liquida: pœnitentia habet partes diuerſas in forma partium: ergo non eſt totum homogenium ad illas.

SOLVTIO. Dicendum ſine præiudicio multorum, hic multa & diuerſa & pene aduerſa dicentium, quòd pœnitentia habet partes, & illæ partes ſunt poteſtatiuæ. Pœnitentia enim eſt quoddam operans ad morbi actualis deſtructionem: morbus autem actualis eſt non tantum culpa, ſed etiam reatus ſequens culpam, & eſt difficultas ad bonum ex conſuetudine & diſpoſitionibus peccati generata. Reatus autem conſequens triplex eſt: vnus enim eſt coniunctus culpæ, qui eſt debitum pœnæ æternæ: & illo ſoluto manet adhuc reatus & debitum pœnæ purgatoriæ non proportionatæ viribus pœnitentis. Soluto illo, iterum manet reatus & debitum pœnæ expiatiuæ arbitrariæ ſecundum culpæ modum, & vires pœnitentis. Soluto autem illo non manet reatus, ſed poteſt adhuc manere difficultas bene agendi. Ad totum autem peccati morbum hunc delendum dico, quòd requiruntur tria, ſcilicet contritio delens primum, confeſſio delens ſecundum, & ſatisfactio delens tertium: difficultas autem tollitur boni conſuetudine in omnibus his. Et ſic patet, quòd poteſtas pœnitenttæ perficitur in his tribus, & ſine his tribus non eſt perfecta. *Soluit.*

AD ID autem quod primo obiicitur, dicendum quod de illa auctoritate dubitatur: quia in libro illo quæſita eſt, & non inuenta. Si autem concedatur, dicendum quòd ſacramentum dicitur ſimpliciter ratione effectus ſimplicis, & non ex eo quòd non habet partes: hoc modo quo ſimpliciter dicitur vnum vnius: quia ſimpliciter dicitur multis modis, ſicut de quatuor coæuis in alia ſumma, in quæſtione de cælo eſt dictum. q. 4. a. 3.

AD ALIVD dicendum, quòd baptiſmus non habet huiuſmodi partes poteſtatiuas, quia non ordinatur contra totum morbum originis, ſed partem, ſcilicet culpam. Pœna autem concupiſcentiæ manet ad exercitium in pugna. Pœnitentia autem ordinatur contra actualem morbum totum, ſecundum quod actualis eſt: vnde ſicut ille in effectibus diuerſificatur, ita variantur partes pœnitentiæ, ſecundum quod eſt ſacramentum contra morbum illum ordinatum.

AD ALIVD dicendum, quòd vnius morbi ſecundum quod eſt vnus, vna eſt medicina: ſed ſicut diuerſificantur partes morbi, ita etiam variatur medicina ordinata contra ipſum, vt prius habitum eſt.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc non contingit ex imperfectione gratiæ, ſed potius propter ordinem perfectionis: quia aliter ordinate non poſſent deſtrui ſequelæ peccati in nobis: quia ita etiam poſſet obiici, quòd dolor ſuperfluus eſſet, eo quod gratia ad totũ ſufficeret: non enim datur ſufficientia in natura vel gratia niſi ſecundum quod ordinatius fieri poteſt ſecundum congruentiam illius naturæ quæ perfici debet: ſicut homini non datur vis ambulatiua ſine pedibus. Ita morbo actuali non datur deſtructiuum ſine actu noſtro

&

& diuersificatur ei destructiuum secundum diuersitatem morbi.

Ad quæstiunculam. Ad id quod vlterius quæritur, iam patet responsio: quia dicimus esse partes potestatiuas: & siquis subtiliter consideret, sunt talis totius quod medium est inter homogenium & heterogenium. Nec hoc est absurdum ponere: quia Philosophus ponit hoc in lib. primæ Philosophiæ dicens, quòd in totis in quibus diuersitatem transpositio secundum aliquid facit, & non facit secundum aliquid, recipiunt totum & omnis, sicut numerus: secundum enim quòd numerus est multitudo numerata per vnum, dicitur omnis numerus: secundum autem quod numeratur binario aut ternario in quibus ordo facit diuersitatem, dicitur totus numerus: & ideo medium est inter totum homogenium & heterogenium. Et ita hic dicendum videtur: quia istæ partes sunt quæ quidem recipiunt prædicationem totius, secundum quod dolor informatus gratia agit in omnibus eis: sed secundum relationem ad effectuum diuersitatem non recipiunt, scilicet nomen totius, sed potius omnis: quia sic nec tota pœnitentia est in contritione, nec tota in confessione, nec tota in satisfactione: sed in omnibus simul. Et per hoc patet solutio ad omnia obiecta.

ARTICVLVS III.

An pœnitentia prædicetur de omnibus partibus suis simul in summa, an sigillatim?

TErtio quæritur an pœnitentia prædicetur de omnibus partibus illis simul in summa, an sigillatim? Videtur autem, quòd tota saluatur in contritione: quia multos credimus saluari per solam contritionem, in quibus non contemptus religionis, sed articulus necessitatis confessionem excludit.

2 Item, Luc.7. de Maria Magd. cuius signa contritionis scribuntur, non tamen confessio, nec satisfactio iniuncta.

3 Item, De Petro Matth.26. cuius contritio significatur, non confessio, vel satisfactio. Et in sequenti dist. de hoc multæ auctoritates inducuntur in litera. Ergo videtur, quòd ista tria nec sunt partes integrales, nec essentiales, sed tantum secundum bene esse.

4 Item hoc videtur de satisfactione: quia sæpe sufficit lamentum contritionis ad deletionem totius: ergo tunc non oportet iniungere satisfactionem pro peccato: & si iniungitur, fit hoc ad conseruandum in bono potius, quam ad deletionem peccati.

5 Item, Ponamus, quòd aliquis contritus statim moriatur: constat, quòd ipse saluabitur: ergo ad salutem non exigitur confessio & satisfactio.

6 Ex his rationibus videtur esse substantialior contritio, quam aliqua aliarum: quia contritio sine aliis quandoque fit & sufficit: aliæ autem sine contritione nunquam.

Solutio. Solvtio. Ad hæc autem & omnia similia dicendum videtur, quòd ista tria partes potestatiuæ sunt pœnitentiæ, & omnes simul operantes in ipsa, & etiam successiue: omnes quidem simul, secundum quod vna est in actu, & duæ, vel vna in voto: sicut cum contritio est in actu, & confessio & satisfactio sunt in voto: & cum confessio est in actu, virtus contritionis est in ipsa, & satisfactio in voto: & cum satisfactio est in actu vis confessionis est in ea secundum quod est iniuncta pro peccatis, & vis contritionis quoad dolorem & peccati detestationem: & sic nunquam vna separatur ab altera, & separatur ab altera: & hæc non repugnant. Et pœnitentia perficitur in vna sine altera, & non perficitur in vna sine altera. Et hæc iterum non habent repugnantiam. Et per hoc patet solutio ad primum.

Ad alivd dicendum, quòd aliter est in his in quibus ipse Dominus formam habuit sacerdotis absoluentis: quia præsentatio sufficiebat apud eum qui nouit & morbum & morbi circunstantiam. Et satisfactio generalis intelligitur in hoc quod dixit, Iam amplius noli peccare.

Ad tertivm de Petro similiter est dicendum: tamen in his non excluditur votum confitendi, vel etiam actus confessionis: quia multa sunt facta quæ non sunt scripta, vt dicitur in fine Ioan. vltim.

Ad alivd dicendum, quòd satisfactio ad minus requiritur in voto & lamento interiori: quia satisfactionis modus est multiplex, scilicet per pœnam interiorem & exteriorem secundum quod etiam aliquid adiunctum confessioni reducitur ad satisfactionem, sicut erubescentia, & lamentum contritionis: & hoc modo etiam est satisfactio quædam: quia, sicut diximus, in pœnitentia est quodammodo sicut in numero, qui secundum aliquid est homogenium & secundum aliquid est heterogenium.

Ad alivd dicendum, quòd ille qui sic conteritur, habet in voto confessionem & satisfactionem.

Ad alivd dicendum, quòd illæ partes possunt considerari in habitu, vel in actu: vel voto, & executione. Si primo modo: tunc pœnitentiæ est magis essentialis contritio, quam aliæ. Si autem secundo modo: tunc omnes sunt substantiales, sed ordinate, vt dictum fuit prius, vbi assignatur qualiter vna est in alia.

ARTICVLVS IV.

An sicut Deum tribus modis offendimus, scilicet corde, ore, & opere: ita tres partes pœnitentiæ respondent istis tribus modis offendendi?

DEinde quæritur de his quæ dicuntur in litera *ibi* [Hæc est fructifera pœnitentia, vt sicut tribus, &c.] Nihil enim videtur hoc dicere: quia ad peccatum quod fit in corde, tenemur conteri, confiteri, & satisfacere: ergo si cessent etiam alij duo modi peccandi, omnes partes pœnitentiæ concurrunt ad peccatum solius cordis: ergo tres partes pœnitentiæ non respondent his tribus modis peccandi. Eadem est obiectio de peccato solius oris, & de peccato solius operis.

2 Item, Pœnitentia ordinatur ad expulsionem actualis peccati secundum pœnam & culpam: constat autem, quòd culpa & pœna sunt in solo

peccato cordis : ergo tota pœnitentia ordinatur contra illud:ergo falsum est, quòd sic accipiantur partes pœnitentiæ, quòd penes tria instrumenta peccandi, tres sint partes pœnitentiæ. Si dicas, quòd hic non intelligitur os carnis, sed potius os spiritus:sicut dicit Dominus, quòd ea quæ procedunt ab ore, de corde exeunt, vt cogitationes malæ, furta,blasphemiæ : & hæc coinquinant hominem.

CONTRA : Os illud,aut est sensualitatis,aut delectationis secundum inferiorem partem rationis, aut cogitationis qua sibi homo interius loquitur de peccato faciendo. Et quocunque modo dicatur, superfluit quòd dicitur peccatum cordis : quia idem erit dicere peccatum cordis, & oris.

3 Item, Tunc superfluit tertia pars in quibusdam peccatis,scilicet in peccato cordis & oris. Item secundum hoc non respondent ei partes pœnitentiæ:non enim dicimus, quòd sicut est os interius quo peccamus,quòd ita sufficit ore interiori confiteri, sed potius ore exteriori oportet fieri confessionem:ergo non est os interius de quo hic dicit, quòd peccato oris per contrarium respondet confessio.

4 Vlterius videtur,quòd secundum istam assignationem non debet esse nisi vna pars pœnitentiæ, scilicet contritio : quia in omni morbo sufficit occurrere causæ:amputata enim causa,præcidirur morbus : sed motiuum in homine est cor, os autem & manus mota tantum. Si igitur motiuum erit bene se habens, ea quæ mouentur, necessario bene se habebunt : sed per contritionem bene se habet cor, vt dicitur in litera:ergo per contritionem alia bene se habebunt ex continenti:ergo superfluunt confessio & satisfactio.

5 Item videtur maledicere, quòd peccato oris respondeat confessio:quia peccatum oris supponit peccatum cordis sicut causam : ergo peccato oris respondẽt duo,scilicet contritio,& confessio. Eadem est obiectio de peccato operis:quia illud etiam supponit peccatum cordis : ergo illi respondebunt contritio & satisfactio sine confessione, vt videtur.

Solutio. SOLVTIO. Quidam dixerunt, sicut in obiectione dictum est, quòd in omni peccato illa tria concurrunt, scilicet cor, os, & opus : & trahitur hoc ab Augustino 12. de Trinit. qui exponens illud verbum Domini Matth. 15. Quæ ab ore procedunt, de corde exeunt, &c. Ponit os interius,& redit ad hoc quòd cor facit primam peccati conceptionem:sed quia os in duos vsus congruit, scilicet locutionem, & comestionem:ideo perpetratio apud se peccati dicitur locutio cordis, & est actus interioris oris,secundum quod congruit in vsum loquelæ. Item secundum quod congruit in vsum comestionis in qua est delectatio & incorporatio cibi, respondet sibi interior delectatio peccati. Præter autem hæc duo est ipse peccati actus, qui est interius vel exterius. Et ita quidam dicere volebant, quòd ad omne peccatum tres pœnitentiæ partes exiguntur. Sed ego iudico hoc non esse secundum intentionem huius literæ. Vnde dico, quòd partes pœnitentiæ dupliciter respondent peccato, scilicet vt medicina tantum, & sic omnes tres partes pœnitentiæ respondent omnibus peccatis : respondent etiam vt medicina simul & habentes congruentiam in actu & in instrumento agendi, & sic contritio non respondet nisi peccato cordis, & confessio non nisi peccato oris, & satisfactio non nisi peccato operis:& hoc non est difficile intelligere cuilibet:& hic est intellectus Auctoris inductus in litera.

DICENDVM ergo ad primum, quòd omnes partes exiguntur contra quamlibet peccati differẽtiam, vt medicina sunt, & hoc modo sunt partes pœnitentiæ : sed non oportet propter hoc quod omnes cũ qualibet peccati differentia conuenientiam habeant in actu & in instrumento agendi. Per idem patet solutio ad sequens.

AD ALIVD quod vlterius quæritur de quorundam adaptatione, dicendum quòd ab August. est,vt dictum est,sed non ad propositum secundum literæ intentionem.

AD ALIVD autem quod contra obiicitur, dicendum quòd cor quando omnia intus ponuntur, strictius sumitur : quia licet omnes illi tres actus sint cordis, tamen in concipiendo est in actu cordis, quod est prima causa motuum:& in loquendo intus vel delectando est cor,non vt cor, sed in officio oris, & ministrando actum interiorem est in officio manus.

AD ALIVD dicendum, quòd non est simile omnino in peccati perpetratione, & medicina peccati : quia medicina est ab extra, perpetratio vero peccati ab intra : & ideo non eodem modo respondent ei secundum hanc adaptationem pœnitentiæ partes : & ideo oportet confessionem ab extra fieri : quia illa accipit medicinam à clauibus Ecclesiæ, quod fieri non potest nisi peccatum procedat in notitiam habentis claues : & ad hoc non sufficit os interius, sed exterius oportet adesse.

AD ALIVD dicendum, quòd cor non potest se bene sufficienter habere, nisi per opus oris & manus : quia sicut dictum est,medicina peccati in culpa & pœna est à partibus pœnitentiæ : & pars medicinæ quæ est à clauibus, non accipitur nisi confessione qua peccatum procedit in notitiam habentis clauem : alia autem pars teahitur à consuetudine quæ facit bonum cordis habitum remouentem difficultatem bene operandi : & illa non potest esse in corde nisi per opus.

AD ALIVD dicendum, quòd partes pœnitentiæ dupliciter respondent peccato, vt dictum est : & illa obiectio non procedit nisi vno modo : & tamen verum est quod concludit : quia confessio supponit contritionem,si vera est : & satisfactio supponit contritionem & confessionem:sed non sequitur,quòd in peccato operis duo sufficiant, scilicet contritio & satisfactio, & in peccato oris alia duo, scilicet contritio & confessio. Et ratio huius iam supra dicta est.

ARTICVLVS V.

An tribus differentiis peccati quæ sunt cor, factum, & consuetudo, correspondeant tres partes pœnitentiæ.

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Sunt enim tres peccati differentię,&c.]Hæc enim est

est alia adaptio istatum partium. Videtur autem hæc insufficiens:quia nihil est hic cui respondeat confessio proprie : omni enim facto respondet satisfactio.

2 Item, Videtur, quòd hæc assignatio non conueniat omni peccato:quia multa peccata non producuntur in publicum, sed manent occulta: ergo illis nec confessio nec satisfactio respondebit vt videtur. Item multi peccant semel, & non trahunt in consuetudinem : & illis iterum non videtur hæc adaptatio conuenire. Si dicas, quòd confessio respondet defensioni peccati, & satisfactio consuetudini:adhuc videtur non competere: quia multi sunt, qui peccatum suum nunquam defendunt:& tamen confiteri tenentur.

3 Item, Gregor. in Gloss. super Iob 3. aliter distinguit ibi, Quare non in vulua, &c. Est enim secundū eum peccatum in vulua,peccatum in corde:egressum ex vtero,in opere:exceptum genibus, in quibus blanditur ei fomentum blandiens per adulationem:& lactatum vberibus, nutritum per mali consuetudinem.Ergo videtur, quòd quatuor secundum hoc debent esse modi satisfaciendi.

4 Item, Secundum genera morborum multiplicantur medicinæ diuersæ:constat autem septem esse genera morborum capitalium in actuali peccato:ergo secundum hoc multiplicari debent partes medicinæ:sed medicina peccati actualis est pœnitentia:ergo septem debent esse partes pœnitentiæ, vt videtur, & non tres tantum. Si dicas,quòd medicina ordinatur contra morbi radicem. Contra:quia secundum hoc non deberent esse nisi duæ partes vel vna; quia, vt dicit Augustinus, omne peccatum est, aut ex timore male humiliante, aut ex amore male inflammante. Et hæc est Gloss. super illud Psalm. Incensa igni. Adhuc reducit idem Augustinus illam radicem quæ est timor male humilians, ad illam quæ est amor male inflammans : ergo secundum hoc non deberet esse nisi vna pars medicinæ,quæ ordinetur contra malum amorem.

Quæstiuncula. ITEM, Si contra huiusmodi differentias peccatorum ordinantur partes pœnitentiæ, quæritur, quid ordinatur contra illas quas tangit Ioan. in 1. can. 2. Omne quod est in mundo, aut est concupiscentia carnis, &c. Contra nullum enim illorum ordinatur directe aliqua pars pœnitentiæ.

Item videtur quòd Augustini insufficiens est adaptatio in litera : quia non adaptat nisi contra morbum occidentem vel mortificantem : morbus autem venialis non mortificat:ergo contra illum non ordinatur aliqua pars pœnitentiæ : quod est contra ea quæ infra in hac eadem distinctione dicentur in litera, vbi facit Magister tractatum de confessione & satisfactione venialium.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd hæc adaptatio quam facit Augustetiam per congruentiam fit ad partes pœnitentiæ : & non fit prout ipsæ partes accipiuntur in ratione medicinæ tantum:sed differt hæc adaptatio à præcedenti : quia præcedens facta est per congruentiam substantiæ peccati & instrumenti eius, ad substantiam partium pœnitentiæ:ista autem fit per conformitatem proprietatis ad proprietatem, & potest sic fieri. Omne peccatum mortale communiter habet mortificationem vitæ spiritualis : cum hoc autem adiunguntur ei tria, scilicet duo in comparatione ad peccantem,& tertium in comparatione ad proximum. In comparatione autem ad peccantem duo sunt:zelatio turpitudinis ne reprehendatur,& hæc mala est:& iteratio vel defensio cum reprehenditur, & hæc significat duritiam cordis,vel voluntatis obstinationem in peccato. Tertium in comparatione ad proximum,est scandalum per malum exemplum. Et hæc signicantur in tribus mortuis, vt patet in literā. Compunctio autem per hoc quod est dolor cordis occultus, ordinatur contra delectationem in occulto:& confessio contra malam manifestationem peccati, quia confitens per ministrum Ecclesiæ reconciliatur Ecclesiæ:satisfactio autem per assuetudinem boni contrariatur consuetudini malæ inducendo contrarium habitum, qui remouet difficultatem bene agendi.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd ista adaptatio est per modum congruentiæ ad id quod frequentius est in peccato. Vel dicendum, quòd duplex est peccati manifestatio, scilicet in præsenti coram hominibus, & in futuro iudicio, & tunc coram Deo & angelis:& verecundia confessionis abolet modo verecundiam quæ fieret in iudicio,si modo non manifestaretur.

AD ALIVD dicendum, quòd omnis malus actus relinquit dispositionem debilem vel fortem inclinantem ad actum similem : & illa dispositio vocatur hic consuetudo.

AD HOC autem quod obiicitur de distinctione beati Gregorij,dicendum,quòd illa sumitur penes ea quæ retinent hominem in peccato, & quandoque non sunt peccata eiusdem:sicut quando blanditur ei vitio adulationis, adulatio in alio est, scilicet in adulante. Lactatio autem idem est quod cosuetudo, & egressus ex vtero idem quod manifestatio generaliter sumpta, & conceptio idem quod cordis occultum:& ideo quarto ablato, illa diuisio reuertitur ad istam sub alia metaphora signata.

AD ALIVD dicendum, quòd partes pœnitentiæ non adaptantur capitalibus vitiis : quia cum pœnitentia sit in opere interiori, necesse est quòd multiplicetur secundū operandi instrumenta, in quibus radicem morbi excidit : omnia autem capitalia possunt tribus instrumentis peccandi perpetrari : ideo vnicuique capitali respondent omnes partes pœnitentiæ.

AD ALIVD dicendum, quòd duplex est radix peccati, scilicet innata ex radice corrupta, & facta ex opere peccati : & contra primam non ordinantur partes pœnitentiæ,sed contra secundam. Vnde habitum est in præcedenti distinctione, quòd satisfactio est causam peccati excidere, &c. Sed radices quas tangit Augustinus, sunt innatæ à natura corrupta. Dico autem radices factas ex peccato, sicut culpam & pronitatem, quæ relinquuntur ex peccato actuali & inclinant ad sequens eiusdem speciei peccatum.

AD ALIVD dicendum, quòd Ioan. non tangit radices peccati ex parte peccantis, sed potius ex parte obiecti mouentis ad peccandum : pœnitentiæ autem partes non ordinantur contra peccatum ex parte obiecti mouentis, sed potius ex parte peccantis,secundum hoc quod relictum est in ipso per opus actualis peccati interius vel exterius. Et per hoc patet solutio ad omne illud quod obiicitur de radicibus vitiorum. *Adquæst.*

AD VLTIMVM dicendum, quòd veniale non est peccatum nisi secundum quid:& sua pœnitentia

nitentia est pœnitentia secundum quid, & non simpliciter: & ideo non aptantur ei partes pœnitentiæ.

ARTICVLVS VI.

Quid sit contritio in genere?

DEinde quæritur de hoc quod dicitur *ibi* [Compunctio nobis commendatur,&c.] Et quæruntur hic sex de compunctione: quorum primum est, Quid sit genere? Secundum, Quid sit propria diffinitione? Tertium, Quæ sit differentia inter contritionem, attritionem, & compunctionem? Quartum, Cuius partis animæ sit contritio? Quintum, Vtrum eodem modo fiat semper in Nouo & Veteri Testamento? Sextum, Quid moueat ad contritionem, vtrum fides, vel alia virtus? & si fides, ratione cuius articuli mouet ad ipsam?

AD PRIMVM obiicitur sic: Omnis dolor est in genere passionis: contritio est dolor quidam: ergo est in genere passionis. Prima patet de se. Secunda patet per illud August. supra habitum distinctione 9. Semper doleat,& de dolore gaudeat,&c.

2 Item, August. Si pœnites,pœna tenet te: constat autem, quòd hoc maxime dicitur propter contritionem: ergo contritio est pœna tenens pœnitentem: sed omnis pœna est passio: ergo, &c cætera.

3 Item, Contraria sunt in eodem genere: sed dolor & delectatio opponuntur contrarie: ergo sunt in eodem genere: sed delectatio est in genere quod est passio, vt dicit Philosophus: ergo & dolor, & per consequens contritio.

4 Item, Omne illud secundum quod aliquid alteratur proprie,est passio, vel passibilis qualitas: sed secundum dolorem fit alteratio hominis proprie: ergo est passio vel passibilis qualitas. Prima scribitur septimo Physicorum. Secunda autem patet per hoc quod Philosophus dicit 8. ethicorum, quòd dolore & delectatione alteratio est habentium sensum. Cum igitur contritio sit dolor quidam, erit in genere passionis,&c.

5 Item, Si contritio contrariatur peccato, quantum ad aliquid habet contrarietatem ad ipsum: sunt autem in peccato duo,scilicet libido siue delectatio commutabilis boni, & auersio ab incommutabili bono: sed constat,quòd non contrariatur ratione auersionis: ergo ratione delectationis in bono commutabili, quia contritio dolet de delectatione. Cum igitur delectatio sit passio, & dolor est passio,vt videtur.

6 Item, Supra distinctione 14. habitum est, quòd pœnitentia est amaritudo animæ pro malo quod quisque commisit. Et hoc maxime competit ratione contritionis: ergo contritio est quædam amaritudo animæ: sed amaritudo animæ est passio: ergo & contritio, &c.

7 Item, Sicut se habet corpus ad passionem sibi illatam, ita spiritus ad passionem quæ sibi infertur: sed omne immutans corpus, passio quædam est corporis: ergo etiam omne immutans spiritum, passio quædam erit spiritus: dolor autem contritionis immutat spiritum: ergo est quædam passio spiritus.

8 Si dicas, vt quidam dicunt,quòd in contritione dolor est materialis, & voluntas actualis est circa dolorem, & illa est actus & formalis pars contritionis: & ideo contritio non est in genere passionis nisi gratia eius quod est materiale in ipsa. Contra:Ira,misericordia,nemesis,non sunt sine voluntate:& tamen à Philosopho dicuntur esse passiones: ergo ex hoc quod voluntas sit circa aliquid,non facit ipsum non esse passionem.

9 Item,Ex hoc quod voluntas est circa aliquid, non variatur essentia ipsius: quia aliter oporteret dicere,quod quælibet res variatur in essentia quando est volita, & quando non est volita: constat autem, quòd dolor siue tristitia secundum se passio est: ergo etiam siue sit circa eam voluntas, siue non, adhuc erit passio: sed contritio dolor est: ergo est in genere passionis.

10 Item,Omne illatum à quodam agente,passio est: sed omnis dolor est illatus à quodam agente: ergo est passio. Prima probatur ex diffinitione passionis. Secunda probatur ex hoc quod dolor est à contrario corrumpente: & contrarium corrumpens quoddam agens est aliud ab ipso quod corrumpitur.

SED CONTRA: Nulla passione meremur: contritio est passio quædam: ergo contritione non meremur. Probatur autem prima & à communiter loquentibus, & ab éo quòd meriti principium est in nobis, passionis autem principium est in alio. Secunda autem pro hypothesi accipitur ab aduersario. *Sed contra.*

2 Item, Nihil cuius principium effectiuum non est in nobis patientibus, cadit in præcepto: passionis principium effectiuum non est in nobis patientibus: ergo non est in præcepto:sed contritio est in præcepto: ergo à destructione consequentis ipsa non est passio. Prima probatur:quia non præcipitur nisi opus cuius nos domini sumus & causa. Secunda patet per diffinitionem passionis.

3 Item, Nulla passio est virtus, vel pars virtutis: contritio est virtus, vel pars virtutis: ergo contritio non est passio. Prima probatur ex hoc quod habetur 2. ethicorum quòd virtutes habitus sunt, non passiones. Secunda probatur per ante habita: quia dictum est, quòd pœnitentia est virtus, & contritio est virtus, vel pars pœnitentiæ. Item, Nulla passio est optimorum operatiua: sed contritio est optimorum operatiua: ergo contritio non est passio. Probatio primæ est: quia non operatur optima nisi habitus, qui non est in genere passionis, vt dicit Philosphus. Secunda patet per hoc quod laudabile & remunerabile est opus contritionis.

4 Item, Nulla passio contrarietatem habet ad habitum aliquem: sed contritio habet contrarietatem ad habitum vitiorum: ergo contritio non est passio. Prima probatur ex hoc quod contraria sunt in eodem genere proximo. Secunda ex hoc quod nihil expellit aliud nisi contrarium: & contritio expellit omnes habitus vitiorum.

SOLVTIO. Sine præiudicio videtur mihi distinguendum esse in contritione: aut enim est pœnitentiæ virtutis, aut pœnitentiæ sacramenti: & quæ sit differentia inter ista, ex superioribus satis patet. Si est pœnitentiæ virtutis: sic non est pars,sed actus quidam, ad quem mouet pœnitentia virtus, prout est detestans peccatum perpetra- *Solutio.*

tum

tum inquantum peccatum perpetratum est. Et quia hic actus punitiuus sui est & vindicatiuus, non est sine pœna: & tamen illa non dat ei essentiam formalem: quia pœna se habet ad actum voluntatis, sicut factum ad faciens: & tunc dicitur contritio, non contriti passio, sed potius conterentis actus factiuus pœnæ in contrito. Et licet idem sit conterens & contritum substantia, esse tamen non est idem, vt infra patebit. Si autem accipitur pœnitentia vt sacramentum, tunc nihil prohiber passionem esse aliquid de essentia contritionis: quia pœnitentia ordinatur contra peccatum, per pœnam satisfaciens de peccato: & sic meo iudicio contritio est contriti passio voluntarie susceptа vel facta pro peccato. Secundum autem istas duas vias oportet respondere argumentis ad vtramque partem inductis.

Ad hoc ergo quod primo obiicitur, sustinentes quòd contritio est virtutis pœnitentiæ motus quidam, dicimus quòd dolor quidem est in genere passionis, sed contritio sic sumpta non est dolor, sed potius actus factiuus doloris in contrito: & ideo contritio vel virtus est, si in habitu sumitur: vel actus, si in actu consideratur, & non est in genere passionis hoc modo sumpta.

Ad aliud dicendum, quòd Augustinus vocat dolorem prout est materia pœnitentiæ sacramenti, & non prout est virtus, vel virtutis.

Ad aliud dicendum, quòd Auguninus loquitur de signis pœnitentiæ hoc modo, prout significatur causa per effectum: pœna enim est effectus pœnitentiæ & contritionis, vt iam patuit: & non intendit, quòd pœna essentialiter sit pœnitentia, vel contritio.

Ad aliud dicendum, quòd contritio prout est contriti actus, vel habitus, non contrariatur delectationi, sed tantum prout est passio contriti: & dico habitum contritionem secundum id quod est, licet proprie nominet vel actum vel passionem: quia nomen verbale est, & potest ab actiuo & passiuo descendere. Sed nos etiam nominamus habitum eodem nomine, ideo quia habitus quidam propria nomina non habent.

Ad aliud dicendum, quòd in veritate omne quod alterat, physice loquendo, est passio, vel passibilis qualitas: sed non dicimus accipientem habitus alteratum, sed potius perfectum: neque alteratum eum qui de habitu agit, nisi hoc sit aliud genus alterationis, vt dicit Philosophus in secundo de anima: sed nos non dicimus, quòd contritio prout dicitur conterentis actus, sit alterans contritum, sed potius prout est passio contriti & subiecti: & hoc etiam tantum est in genere passionis: sed sic nec est virtus, nec actus virtutis, sed potius effectus eius in eo circa quod agit virtus pœnitentiæ siue contritionis, vt prius habitum est.

Ad aliud dicendum, quòd contritio & quælibet alia virtus, duplicem habet contrarietatem ad vitium & peccatum. Vnam in speciei suæ essentia: sicut album contrariatur nigro, & sic vna virtus duobus vitiis vel vni opponitur, quorum ipsa est medium. Aliam autem habet contrarietatem ad ipsum in suo toto in quo radicatur, quod est gratia gratum faciens, quæ contrariatur peccato non in hac specie vel in illa, sed omni peccato, secundum quod est culpa & offensa Dei: & quoad hoc etiam vna virtus non est sine alia. Et secundum hunc modum virtute totius, & aliarum coniunctarum sibi in toto illo, vnam habet contrarietatem ad omne peccatum. Vtroque istorum modorum contritio contrariatur peccato secundum se totum. Sed verum est, quòd delectatio quæ est ex peccati actu, contrarium habet dolorem qui est ex actu conterentis, sicut passionem contingit contrariari passioni.

Ad aliud dicendum, quòd pœnitentia accipitur ibi in ratione sacramenti, in quo dolor materia est, vt prius dictum est.

Ad aliud dicendum, quòd bene conceditur, quòd dolor immutans spiritum, passio est secundum quod huiusmodi: sed ille non est essentialis nisi sacramento, non virtuti, vt habitum est. Nec aliquis capiat hoc quod dico immutari spiritum, quia intelligo spiritum immutari, idem quod hominem secundum spiritum immutari: quia anima proprie loquendo & per se non mouetur, sed potius per accidens.

Ad aliud dicendum, quòd illa solutio bona est, dummodo debite intelligatur: non enim sic intelligitur, quòd dolor sit materialis, sicut pars materialis est essentialis, sed potius circa quam est voluntas conterentis, sicut circa effectum: & tunc patet, quòd nihil est contritionis pars, secundum quod contritio est virtus: sed ego non reputo inconueniens, quòd dolor sit essentialis pœnitentiæ, secundum quod est pars sacramenti, & manens in genere passionis. Et per hoc idem etiam patet solutio ad sequens: quia voluntas non variat volitum, sed potius è conuerso: sed contritio non nominat hoc, secundùm quod descendit à verbo actiuo, sed potius conterentis habitum vel actum, vt dictum est.

Ad aliud dicendum, quòd etiamsi de dolore loquamur non est illatus ab alio agente, sed potius eodem, non vt eodem sumpto: & qualiter hoc fit, infra quæritur: sed hîc sufficit, quòd contritus ipsemet sibi infert dolorem: tamen concedo plane, quòd dolor passio est, & etiam contritio, secundum quod est ex parte contriti, & non conterentis: sed hoc modo pars est sacramenti, & non virtutis, vel pars virtutis. Ad probationem dicendum, quòd contrarium non facit dolorem, sed potius idem contrarie afficiens per voluntatem circa peccatum: quia primo voluit hoc cum fecit, modo autem detestatur & dolet. Et hæc duo congrue respondent peccato ratione duorum quæ sunt in ipso, scilicet libido siue dilectio boni commutabilis, & ratio offensæ diuinæ.

Ad id autem quod in oppositum obiicitur, oportet iterum dicere, quòd nos concessimus, quòd dolore meremur, secundum quod est aliquid sacramenti, sicut materia in qua sacramentum perficitur: eo quod hoc sacramentum quærat sibi materiam interiorem, sicut alia exteriorem: & causa iam supra dicta est. Dicendum igitur, quòd passiones dupliciter considerantur, scilicet in comparatione ad agens, & in comparatione ad patiens. Et primo modo dupliciter considerantur: agens enim ipsas, aut est intra voluntarium & discretum, id est, volens & discernens in agendo: aut extra. Si intra: tunc illa passio potest esse meritoria, vel demeritoria: quia est voluntaria, exclusa violentia, & ignorantia: & sic est dolor in contritione. Si autem est extrà: tunc nec est meritoria, nec demeritoria: & sic probatur, quòd

passionibus non meremur. Si autem consideratur ex parte suscipientis, adhuc dupliciter consideratur: aut enim secundum quod est tantum transmutans passum, aut prout bene vel male informatur à voluntate sustinendi honesta causa vel inhonesta. Si primo modo: tunc etiam verum est, quòd passionibus non meremur: & hoc est considerare passionem vt passionem. Si secundo modo: tunc passionibus contingit aliquem mereri vel demereri, secundum quod bene vel male per voluntatem informatur: sed non erit meritoria passio ex se, sed ex illo quod voluntas ponit circa eam.

Ad aliud dicendum, quòd prima per se loquendo vera est. Secunda autem generaliter proposita, falsa est, sed particulariter vera est. Et ratio huius patet ex præhabita distinctione.

Ad aliud dicendum, quòd passio quæ est dolor secundum quod est passio, non est contritio virtus, vel aliquid essentiæ eius, sed est aliquid sacramenti.

Ad aliud dicendum, quòd non contrariatur vitio per hoc quod est hæc passio, sed potius per hoc quod est habitus, vt dictum est. Sed tamen ipsa passio expellit peccatum, sed operatione sacramenti, non virtutis.

ARTICVLVS VII.

Quid sit contritio propria diffinitione?

Secundo quæritur, Quid sit contritio propria diffinitione & essentia, siue quid est dicenda? Dicunt autem quidam, quòd est dolor voluntarius pro peccatis semper puniens in se quod dolet commisisse. Sed contra: Sicut supra distinct. 14. habitum est, ista est diffinitio quædam pœnitentiæ: ergo male aptatur parti pœnitentiæ.

2 Præterea, videtur non esse dolor: quia dicit Augustinus in libro de ciuit. Dei dolor ex carne, est dolor quædã ab eius passione dissensio: sicut animę dolor, qui vocatur tristitia, est dissensio ab his rebus quæ nobis nolentibus acciderunt. Constat autem, quòd peccata non acciderunt nobis nolentibus, præcipue actualia mortalia, contra quæ speciliter ordinatur contritio. Ergo videtur, quòd non sit dolor de illis: & contritio est de illis: ergo contritio non est dolor, vt videtur. Lib. 14. cap. 5.

3 Item videtur, quòd nihil sit dictum, dolor voluntarius: aut enim hoc est dictum, quòd voluntas doleat, aut quòd voluntas sit de dolore quo aliud aliquid dolet, quam ipsa voluntas. Si primo modo. Contra: Nihil de quo est voluntas vt voliti afficientis voluntatem, dolet voluntas, sed potius gaudet in illius consecutione: sed hoc modo, sicut dicit aduersarius, de dolore est voluntas: ergo non dolet, sed gaudet in illius consecutione.

4 Item, Non videtur Philosophicum dictum esse, quòd voluntas dolet: sic enim dicunt Damasc. Gregorius Nazianzenus, & Aristot. Omnis voluntas in ratione est: & si rationalis non est, voluntas non est. Dicit autem Aristot. in 7. Ethicorum, quòd omnis delectatio est generatio vel motus in sensibilem animam: ergo nulla delectatio est in rationali: & voluntas est pars animæ rationalis: ergo nulla delectatio est in voluntate: sed opposita habent fieri circa idem: ergo etiam nulla tristitia est in voluntate: sed dolor est tristitia, vt dicit Augustinus in auctoritate, sic quod ipsa dolore afficiatur, vt videtur.

5 Item, Nihil dolore potest affici secundum se, nisi quod habet contrarium secundum se: sed voluntas secundum se accepta prout est pars animæ rationalis, non habet contrarium secundum se: ergo dolore non afficitur secundum se.

Si autem dicitur dolor secundo modo voluntarius, scilicet quia est voluntas de dolore quo aliquid dolet extra voluntatem. Contra: Dolor qui est generaliter destructiuus peccati, est de omni peccato: dolor autem in sensibili anima acceptus, non est de omni peccato: ergo non est destructiuus peccati. Prima patet per se. Secunda autem probatur ex hoc quòd multa peccata sunt quæ nullum habent obiectum vel delectationem in sensibili anima. Inde sic: Dolor contritionis est generalis, & generaliter destructiuus peccati: dolor autem prædicto modo dictus non est generalis, generaliter peccati destructiuus: ergo non est dolor contritionis: dictum autem erat, quòd est dolor contritionis.

Vlterius quæritur de hoc quod dicit ibi, Semper puniens. Constat autem, quòd non loquitur de pœna secundum habitum, sed secundum actum: sed existente pœna secundum actum, non potest intense inesse alius actus: ergo non posset intense moueri vnquam alio actu: ergo non posset intense diligere, vel credere, vel aliud huiusmodi: quod magnum est inconueniens.

Vlterius quæritur de aliis compluribus diffinitionibus quæ inueniuntur. Isidorus enim sic diffinit, Contritio est compunctio & humilitas mentis cum lacrymis, veniens de recordatione peccati, & timore iudicij. Videtur autem, quòd illa diffinitio sit insufficiens multis rationibus. Primo: quia humilitas est virtus diuisa à contritione siue sacramentum, siue virtus sit: ergo non debet cadere in diffinitione ipsius. Secundo autem: quia videtur compunctio siue contritio non esse mentis proprie, sed potius partis sensibilis: quia omnis dolor est in parte sensibili, sicut innuit Augustinus dicens, quòd dolor est sensus eorum à quibus dissentit anima, ex carne ortorum. Qui.

2 Item, Philosophus dicit, quòd dolor est sensus diuisionis continui: ergo videtur, quòd non sit mentis proprie.

Si dicas, quòd mens est faciens compunctionem: tunc quæro, Quid vocatur ibi mens? Constat enim, quòd mens non dicit ibi aliquam partem sensibilis animæ: aut igitur dicit rationem, aut memoriam, aut voluntatem, aut aliquid aliud quod sit in parte rationalis animæ. Si rationem. Contra: Dolor dicitur esse voluntarius, sicut iam habitum est ex præcedenti diffinitione: ergo non dicit rationem, sed voluntatem. Si dicat memoriam, idem obiicitur. Si autem dicat voluntatem, hoc constat esse contra dicta Sanctorum & Philosophorum, qui nunquam mentem pro voluntate posuerunt.

3 Si dicas, quòd ponitur pro superiori parte animæ, in qua sunt tres potentiæ animæ, scilicet memoria, intellectus, & voluntas. Contra: Conteri actus quidam est determinatus: ergo

egreditur

egreditur à potentia determinata : ergo non est mentis, secundum quod est communis illis tribus potentiis.

4 Præterea, Quid est quod dicit, Cum lacrymis? quia multi conteruntur sine lacrymis, sicut habitum est supra in præcedenti distinctione.

5 Item quæritur, Quare dicit, Veniens de recordatione peccati : recordatio enim peccati nata est inducere delectationem : cum igitur idem eodem modo se habens non sit causa contrariorum, videtur quod non debeat inducere dolorem.

6 Item, Timor iudicij est timor seruilis : & & ille non est in contritione : ergo contritio non venit ex timore iudicij, vt videtur.

Quæst. 2. ITEM aliam adhuc descriptionem ponunt quidam ex verbis Gregorij sic, Contritio est humilitas spiritus, annihilans peccatum inter spem & timorem. Cum autem multæ virtutes moueant ad contritionem, videtur quòd non sit solum diffinienda per humilitatem, sed etiam per alias.

2 Item, Non potest esse essentialis prædicatio, quando dicitur, contritio est humilitas : aut igitur contritio est causa humilitatis, aut è conuerso. Si primo modo : hoc non videtur potius quam alterius virtutis : quia sic est causa iustitiæ, & temperantiæ, & aliarum virtutum, quæ in contritione infunduntur : ergo cum aliarum non dicitur esse causa, nec istius causa esse videtur. Si secundo modo. Contra : Fides & timor potius sunt causa : quia vna ostendit vnde non superbiendum, & altera fugit inquantum ordinatur ad pœnam : ergo non debet dici contritio humilitatis, sed potius contritio fidei & timoris.

3 Quæritur etiam de hoc quod dicit Gregor. Peccatum annihilans. Quia super illud Iob. 3. Seruus liber à domino suo, dicit Gregor. quòd à peccato non liberatur perfecte in hac vita qui commisit illud : ergo videtur, quòd in hac vita peccatum annihilari non potest.

4 Item quæritur de hoc quod dicit, Inter spem & timorem. Fides enim prima virtutum est : ergo magis mouetur pœnitens inter fidem & timorem, quam inter spem & timorem.

5 Item, Spes non exurgit nisi ex meritis & ex gratia, sicut patet ex sua diffinitione : sed contritus in hoc præsenti nunc primo non habet merita : ergo nec spei actum potest habere : ergo non mouetur inter spem & timorem, vt videtur velle Gregor.

Quæst. 3. INVENITVR etiam alia diffinitio in Glossa super Psalm. Miserere mei Deus : vbi sic dicitur, Contritio cordis est sacrificium in quo peccata soluuntur. Quæritur autem hic, Quare dicitur contritio cordis, cum sit generalis?

2 Præterea quæritur de hoc quod dicit, Sacrificium. Hoc enim maxime videtur conuenire illi parti pœnitentiæ in qua homo se offert ministro Ecclesiæ, cui sacrificium debet offerre : sed hoc fit in confessione : ergo confessio magis est sacrificium quam contritio.

3 Quæritur etiam de hoc quod dicit ibi, In quo peccata soluuntur. Cum enim tota pœnitentia non sit nisi ad peccati solutionem, videtur quod aliæ duæ partes superfluant.

4 Item quæritur, Qualiter peccata soluuntur in contritione? Si quoad culpam. Contra : Contritio quædam pœna est contriti, aut quidam actus conterentis, vt patet ex præhabitis. Si est pœna contriti, cum pœna non contrarietur culpæ, non videtur debere soluere culpam. Si autem est actus conterentis, sic est actus virtutis alicuius, qui est informatus gratia : ergo ante actum illum fuit remissa culpa : ergo non remittitur per actum illum : ergo peccata non soluuntur quoad culpam in sacrificio contritionis. Si dicas, quòd soluuntur quoad pœnam. Contra : Quoad pœnam etiam soluuntur in confessione & satisfactione : ergo non est proprium contritionis, & ita non debet poni tanquam differentia vltima in diffinitione ipsius.

INVENITVR adhuc alia quæ est August. scilicet hæc, Contritio est dolor cum remissione peccati vel remittens peccatum : & ista habet obiectionem eandem cum illa, & aliam propriam. Contritionis enim dolor : aut est finitus, aut infinitus. Si finitus : constat autem, quòd culpa & peccatum sunt infinita : ergo finitum potest in infinitum, quod est contra Philosophum. Si infinitus : constat autem, quòd est contriti passio, vel actus conterentis, & præcipue est passio : ergo finiti erit passio infinita, quod iterum est contra Philosophum. Ergo videtur quod non sit dolor remittens peccatum. Quæst. 4.

2 Item constat, quòd dolor ille à nobis est, & noster est : sed remissiuum peccati nunquam à nobis & nostrum est : ergo remissiuum peccati non est dolor. Prima patet ex hoc quod dolere non comperit nisi naturæ infirmæ sensibili qualis est nostra. Secunda patet per illud Isa. 43. Ego sum qui deleo iniquitates tuas propter me : & illud Augustini, Qui creauit te sine te, non iustificabit te sine te.

RESPONSIO. Dicendum, quòd omnibus his descriptionibus satis bene describitur contritio : & in fine dicemus penes quid differunt. Licet enim prima detur de pœnitentia : tamen sibi maxime competit propter contritionem, sicut dixerunt quidam ante nos quibus nos in hoc consentimus : & per hoc patet solutio ad primum. Quia, sicut supra dictum est, licet pœnitentia tres habeat partes : tamen maxime esse suum saluatur in prima quæ est contritio, eo quod oportet illam secundum actum in omni pœnitentia esse : & aliæ quandoque non sunt, nisi in voluntate, siue in voto, vel proposito. Solutio.

AD ALIVD dicendum, quòd voluntas duplex est, vel potius dupliciter consideratur, scilicet ante actum, & post actum quantum ad id quod remanet de actu in agente, vt dispositio, vel habitus, vel reatus, vel macula, vel omnia hæc. Vnde licet peccatum non acciderit nobis volentibus voluntate antecedente actum : inest tamen nobis volentibus voluntate sequenti : & hoc sufficit ad excitandum dolorem hoc modo quo in præcedenti quæstionis articulo notatum est.

AD ALIVD dicendum, quòd vtroque modo dicitur dolor voluntarius : nec dicimus hoc ita esse soluendum, vt quidam scripserunt, scilicet quod voluntas duplex est : vt deliberans, & vt natura : & vt deliberans est, sic est de dolore, & dicitur dolor voluntarius : & vt natura est, sic dolet. Quia hoc omnino nihil est : quia voluntas vt natura dolet de contrariis naturæ, & gaudet de conuenientibus eidem : & talia non sunt peccata

vel gratia : quia peccatum non contrariatur naturæ indiuidui , licet bono naturæ contrarietur: quod qualiter ſit,in ſecundo diſcuſſimus. Sed dicendum , quòd voluntas deliberatiua eſt qua dolor eſt voluntarius , & quæ dolet , vno modo, ſecundum quod dicit beatus Bernardus, quòd nihil punitur niſi voluntas : non enim eſt inconueniens voluntatem eſſe de dolore : & ideo dolor eſt ibi materia circa quam eſt voluntas : & ideo gaudium de aſſecutione voliti & dolor non ſecundum vnam rationem ſe habent ad voluntatem: & ideo non ſunt contraria : quia iſte dolor eſt factus à voluntate , & eſt dolor inquantum eſt punitiuus delicti , & voluntarius inquantum curatiuus & expulſiuus peccati : & hoc modo nihil prohibet idem dolere & gaudere de dolore illo inquantum eſt talis virtutis. Huius autem exemplum eſt in ſecto in apoſtemate : ex voluntate enim ſibi facit dolorem , & gaudet in eo ſecundum quod curatiuus eſt apoſtematis. Contra hoc quidam obiiciunt ſic : quia ſecundum hoc dolor contritionis non eſt voluntarius per ſe,ſed per accidens : & hoc reputant inconueniens. Ego autem reputo inconueniens , quod aliquis dolor per ſe expetatur : cum omnis dolor ſit malum pœnæ , & nulla pœna inquantum huiuſmodi ſit deſiderata. Per hoc patet ſolutio ad primum quod de hoc obiicitur.

Ad aliud dicendum , quòd delectatio dicitur dupliciter,ſcilicet proprie,& improprie.Proprie loquendo ſecundum vſum noſtrum , delectatio eſt paſſio ſenſibilis animæ proueniens ex coniunctione conuenientis ſibi cum conueniente : & ſic loquitur Philoſophus de delectatione,reducens omnes delectationes ad ſenſum , & adhuc ad delectationem quæ eſt in tactu,quæ ſolum ſecundum eum & Auicennam ſimpliciter delectatio eſt. Sed nos magis extendimus delectationis nomen , ſcilicet pro gaudio & iucunditate qualibet facta ex coniunctione conuenientis cum conuenienti : & ſic conuenit delectari animæ rationali , ſicut dicit Pſalm. 36. Delectare in Domino : & dabit tibi petitiones cordis tui. Et huic oppoſita triſtitia ſiue dolor etiam poteſt eſſe in rationali.

Ad aliud dicendum , quòd ſimpliciter ſpirituale non habet contrarium in eſſe,ſed prout ordinatur ad aliquid , poteſt habere contrarium ordini illi : & hoc modo anima rationalis habet contrarium peccatum, quia contrariatur coniunctioni & ordini ad Deum.

Ad aliud dicendum , quòd ſi dolor ſit in ſenſu , eſt particularis : in contritione autem adhuc eſt vniuerſalis : dupliciter enim attenditur, ſcilicet ex parte ſubiecti in quo fit , & ex parte efficientis cum quo etiam in ipſum influit forma quæ perficit efficientem.Si primo modo : tunc eſt particularis : & ſic procedit obiectio. Si ſecundo modo : tunc eſt vniuerſalis , ſicut voluntas quæ eſt vniuerſalis motor omnium eorum quæ ſunt in regno animæ : & hoc modo gratia perficiens voluntatem, cum motu voluntatis fluit in ipſum,ratione cuius poteſt expellere peccatum.

Ad aliud dicendum , quòd meo iudicio ſemper puniens dicitur in habitu punientis , non in actu. Vel dicatur, quòd punire ſemper contingit dupliciter , ſcilicet proprio actu contritionis, & ſic non ſemper actu punit : vel actu tenente vel continente carnem ne ex ipſa oriatur peccatum, & obuiante radici peccati : & hæc pœna ſit in difficultate omnis virtutis : & ſic poteſt pœnitere ſemper. Sed tamen prima ſolutio eſt magis ad propoſitum.

Ad id quod vlterius obiicitur de diffinitione Iſidori,dicendum quòd humilitas non ponitur ibi pro ipſa virtute humilitatis,ſed potius pro humiliatione quæ idem eſt quod deiectio : & hoc eſt primum in contritione , ſcilicet quòd deiicit mentem erectam contra præcipientem & præceptum in tranſgreſſione quæ eſt peccatum : & ideo locutio debet exponi per cauſam : quia contritio dicitur eſſe humilitas non per eſſentiam, ſed per cauſam , quia eſt cauſa illius : ſicut dicitur, Dies eſt ſol lucens ſuper terram. *Ad quæſtiunculam 1.*

Ad aliud dicendum , quòd mens ibi ſumitur meo iudicio pro toto interiori homine. Et ad hoc quod obiicitur , quòd conteri eſt actus ſpiritualis : dicendum quòd conteri ſecundum eſſentiam eſt actus ſpiritualis : ſed aliquid ipſius eſt vnius, & aliquid alterius eſt : eſt enim conteri, deteſtari peccatum dolendo de ipſo : & ad hoc requiritur peccati conſideratio in ſtatu , in culpa, in tempore,& in aliis quæ Auguſt. dicit in litera: quæ conſideratio rationis eſt & intellectus. Exigitur etiam notitia præteriti peccati , & hæc eſt memoriæ : & exigitur diſſenſus qui eſt voluntatis. Vnde licet vnus ſit actus ſecundum ſe , tamen plura exigit & coexigit ſibi , & ratione illorum habet etiam aliquid in aliis potentiis animæ. Et per hoc patet ſolutio ad totum quod obiectum eſt de mente.

Ad aliud dicendum , quòd lacrymæ ſunt ibi voluntatis lacrymæ : & ratio huius patet ex dictis in præcedenti diſtinctione. Vel ſi quandoque ſunt oculorum lacrymæ , illæ ſunt ibi vt ſignum,& non vt eſſentia contritionis , vel aliquid eſſentiale ipſius : nec Sancti curant ita de ptopriis diffinitionibus in quibus nihil ſit niſi eſſentiale: quia intendunt notificare rem de qua loquuntur: & hæc frequenter quoad nos melius innoteſcit per ſigna,quam per ſubſtantialia.

Ad aliud dicendum,quòd recordatio peccatorum dicit commune quoddam quod poteſt facere delectationem,vel dolorem : ſed hic intelligitur recordatio peccatorum cum indignatione ſui & deteſtatione peccati : & ſic recordatio non eſt nata niſi facere triſtitiam & dolorem.

Ad aliud dicendum , quòd timor iudicij dicitur dupliciter,ſcilicet qui principalem oculum habet ad iudicium : & ille cauſatur à fide informi : & viuit in eo ſecundum Gregor. peccandi voluntas : & ſequeretur opus ſi ſperaretur impunitas : & iſte eſt ſeruilis,& non eſt in contritione, ſed attritione. Eſt iterum timor iudicij potius iudicis quam iudicij,qui principalem oculum habet ad æterna,ſcilicet ad Deum qui eſt iudex,à quo propter dilectionem horret ſeparari , & ex illa ſeparatione incidere in pœnas iudicandorum : & ille eſt timor initialis,qui eſt in contritione. Dicit enim Gregor. Cum ſic pœna timetur , quod facies iudicis non ametur,timor eſt ex timore,non ex amore : cum autem ſic timetur , quod facies iudicis amatur,timor ex amore eſt,non ex timore: & hoc modo intelligitur timor iudicij in diffinitione Iſidori.

Ad id quod vlterius quæritur de diffinitione Gregorij , dicendum quòd humilitas hic ſumitur

tur pro humiliatione, sicut dictum est: tamen humilitatis actus causatur ab actu contritionis, vt iam dictum est: & sic loquitur hic Gregorius: & sic vicinior est sibi humilitas quam alia virtus propter conformitatem in actu deiectionis in dolente & humiliato, qui vbicunque se deiicit.

AD ALIVD quod contra hoc videtur esse, quòd contritio causet humiliationem: dicendum quòd contritio quodammodo causat omnes alias, sicut supra distinct. 14. notatum est: sed tamen specialiter humilitatem in actu: quia deiectio sui initium est reconciliationis diuinæ, sicut superbia initium apostatandi à Deo, vt dicitur Eccli. 10.

AD HOC autem quod obiicitur de fide, quæ non superbiendum esse ostendit, & timore qui pœnam fugit: dicendum quòd hæc duo sunt mouentia ad contritionem non proxime, sed quasi ante quæ nihil: vnum secundum intellectum, & alterum secundum affectum: sed humiliatio est proximum consequens contritionem, secundum quod per ipsam est accessus ad Deum: quia oportet se deiicere vt subdatur præcepto & præcipienti. Aliæ autem virtutes causantur aliquo modo à contritione, secundum quod est terminus iustificationis, non tanquam còniunctæ actui contritionis secundum quod contritio.

AD ALIVD dicendum, quòd peccatum annihilari potest tripliciter, scilicet secundum reatum culpæ, & secundum timorem ne surgat, siue secundum potentiam peccandi, & secundum certitudinem remissionis. Primo autem modo peccatum annihilatur in pœnitente: sed non secundo & tertio: quia quandiu viuit homo, potest peccare, & ideo timet: & quandiu viuit, non habet certitudinem remissionis, quia sicut dicitur Eccl. 9. Nemo scit vtrum amore vel odio dignus sit. Et hæc est seruitus de qua dicit Gregor. quod non liberatur seruus qui semel seruiuit peccato, dum viuit.

AD ALIVD dicendum, quòd inter spem & timorem mouetur pœnitens & contritus potius, quam inter fidem & timorem: quia fides non nisi ostendit, sed spes eleuat desiderium ad expectandum, & timor interius pungendo incitat ad peccati fugam: vnde cum contritus eleuetur in æterna, & fugiat peccatum, potius mouetur inter spem & timorem, quam inter fidem & spem, vel inter fidem & timorem.

Ad quæstiunculam 3.

AD ID quod obiicitur de illa diffinitione quæ ponitur super Psalm. Miserere mei Deus: dicendum quod metaphorica est, nec proprie diffinitio, sed quædam assignatio cuiusdam proprietatis contritionis, per quam similis est sacrificio: fiunt enim duo in sacrificio, scilicet corporis animalis in igne assumptio, & in offerente purificatio: & his duobus assimilatur contritio: quia in igne cordis consumit bestiales mores qui sunt peccata, sicut dicit Psalm. 38. Concaluit cor meum intra me: & in meditatione, &c. Et remittitur in ea peccatum.

AD ID quod contra obiicitur, dicendum quod non in hoc sumitur similitudo, sed potius in sacrificij intentione.

AD ALIVD dicendum, quòd peccatum dupliciter consideratur, scilicet in culpa sibi debita per se inquantum peccatum est, & in pœna quæ debetur ei ex euentu sequenti. Primo quidem modo debetur ei pœna æterna. Secundo autem modo temporalis, eo quod contritio fuit de ipso & confessio: & quoad primum modum soluitur in contritione: & ideo dicitur ibi proprie solui. Sed quando dicitur, quod pœnitentia quoad omnes partes ordinatur contra peccatum, intelligitur peccatum in culpa, & pœna communiter sibi debita per se & ex euentu: quia contra illam quæ facta est venialis ex euentu, ordinatur confessio, & satisfactio, vt prius habitum est.

AD ALIVD dicendum, quòd contritio siue sit passio, siue sit actus, destructiua est peccati, & etiam dolor, quia non est dolor secundum se, sed informatus gratia: & ideo potest expellere peccatum.

AD HOC autem quod obiicitur, quòd si est actus virtutis, quod est consequens expulsionem peccati: dicendum, quòd verum est, quod est consequens secundum naturam, sed tamen simul est secundum tempus: & ideo operatur ad peccati expulsionem.

AD HOC quod vlterius quæritur de illa quæ videtur esse Augustin. dicendum, quòd dolor infinitus ratione formæ quæ virtutis est infinitæ, scilicet gratiæ, potest in infinitum: & ideo cessat obiectio quæ est de illo. Si autem aliquis dubitat, qualiter gratia sit virtutis infinitæ; quærat in quæstionibus habitis de gratia super secundum librum distinctione 26. & inueniet ibi omnia quæ expediunt ad solutionem istius difficultatis.

Quæstiũcula. Solutio.

Si autem quæritur, Penes quæ attenditur diuersitas harum diffinitionum? Dicendum, quòd contritio consideratur dupliciter, scilicet quoad essentialia, quæ sunt dolor voluntarius, & punitio sui, & obiectum proprium quod est peccatum: & secundum accidentalia quæ manifestant ipsam per modum signorum. Et primo quidem modo supra datur prima diffinitio. Accidentalia autem variantur: aut enim sunt in actu, aut in comparatione ad causam excitantem ad conterendum, aut in comparatione ad effectum, aut in comparatione ad virtutes iuuantes in actu, quia vna virtus iuuat aliam. Et primo modo per signum actus & per comparationem ad causam excitantem sumitur secunda quæ est Isidori, quæ causa est recordario peccati, & timor iudicij. Tertia autem quæ est Gregor. sumitur per signum & effectum. Quarta autem per conformitatem ad figuram suam in Veteri Testamento. Quinta autem & vltima per instrumentum & effectum: quia dolor est quasi instrumentum contritionis, quo conterit peccatum.

ARTICVLVS VIII.

Quæ sit differentia inter compunctionem, attritionem, & contritionem?

TErtio quæritur, Quæ sit differentia inter compunctionem, & attritionem, & contritionem? Videtur enim, quòd compunctio & contritio sint penitus idem: quia super illud Psalm. 4. Quæ dicitis in cordibus vestris, & in cubilibus vestris compungimini: dicit Gloss. In cordibus vestris compungimini dolore pœnitentiæ, vt seipsam anima puniens compungat, ne in Dei iudicio damnata torqueatur: hæc autem omnia conue-

niunt contritioni: ergo videtur, quòd compunctio & contritio sint idem.

Sed contra. SED CONTRA hoc est quod ibidem dicit alia Glossa, Compungimini, id est, quasi quibusdam stimulis adhibitis excitate vos non pro dolore peccatorum, sed ad videndam lucem Christi, scilicet non pro irriguo inferioti, sed superiori, vt inuisibilium amore inardescatis. Cum igitur contritio nunquam sit nisi pro peccatis, compunctio autem non pro peccatis, contritio & compunctio non sunt idem.

2 Item videtur hoc ex ratione nominum: nihil enim compungitur, nisi quod habet sensum punctura, & non est totum ad annihilandum, sed potius incitare debet ad aliquid per sensum compunctionis: sed id quod conteritur, teritur in puluerem, & annihilatur: ergo contritio & compunctio non sunt idem.

Quæstiuncula 1. PRÆTEREA quæritur de attritione, Si sit idem cum contritione? Videtur autem quod sic: quia quicquid conteritur, atteritur, & è conuerso: ergo videtur, quòd contritio & attritio, aut sint idem, aut sint conuertibilia. Si hoc dicas: contra hoc est quod communiter dicitur, quòd attritio est dolor sine gratia gratum faciente: contritio autem est dolor de peccato cum gratia gratum faciente: ergo ipsa non sunt idem.

Quæstiuncula 2. SED TVNC quæritur vlterius difficilis quæstio, Vtrum attritio possit fieri contritio? Et videtur quod sic: omne enim materiale ad formam aliquam, potest susceipere formam illam in eadem substantia manente: sed dolor de peccatis materialis est ad gratiam: ergo susceptibilis est illius in eadem substantia manente: sed secundum se est attritionis: ergo dolor attritionis est, vel fieri potest dolor contritionis: ergo & attritio contritio.

2 Item, Philosophus dicit in fine primi physicorum, quòd vna est materia secundum substantiam & subiectum, secundum quod est sub priuatione & sub forma, licet esse non sit idem: ergo à simili vnus est dolor secundum se substantiam sub priuatione gratiæ, & gratia, licet secundum esse varietur: ergo attritio potest fieri contritio.

3 Item, Gratia dicitur informare dolorem: nihil autem informatur quod non est: ergo dolor ille est ante gratiam. Aut igitur est tunc attritionis, vel contritionis. Constat autem, quòd non contritionis, cum non habeat gratiam gratum facientem quæ facit contritionem: ergo relinquitur, quòd sit dolor attritionis. Ergo idem in substantia materiæ est in attritione & contritione: ergo fit contritionis dolor: & hoc est quod intendimus.

4 Item, Natura operatur via breuiori: & ideo non dat nouam materiam: quia vna materia quæ est vnius, potest etiam esse materia alterius, substantia materiæ manente eadem: sed dat nouam formam, quia non potest esse vna forma duorum specie. Cum igitur gratia ordinatior sit in operibus suis, quam natura, videtur quòd etiam gratia expedit se paucioribus quo potest. Cum ergo via breuior sit informare dolorem inuentum, quam facere nouum & informare illum, videtur quòd informet inuentum qui non est nisi dolor attritionis: ergo, &c.

5 Item, Tria sunt principia transmutationis, licet tantum duo sint substantiæ existentis & generatæ: hoc autem non posset esse nisi idem principium materiale maneret sub priuatione & forma. Ergo similiter est in operibus gratiæ quibus iustificatur homo: quia aliàs oporteret ponere duo materialia, & sic essent quatuor principia: cum igitur idem sit subiectum priuationis & formæ, idem erit dolor ante formam gratiæ & post: ergo, &c.

Sed contra. SED CONTRA hoc est, quòd quorum principia sunt diuersa, ipsa omnino sunt diuersa: sed principia doloris, attritionis, & contritionis sunt diuersa: ergo ipsa sunt diuersa. Prima patet per se. Secunda probatur ex hoc quod timor initialis & fides formata generant dolorem attritionis.

2 Item, Secundum communem opinionem naturalia non fiunt gratuita: sed dolor attritionis est de naturalibus, quia naturalia dicuntur quæcunque sunt ante gratiam: ergo videtur, quòd non fiat dolor contritionis.

3 Item, In naturis non est vna materia vnica corruptibilium & incorruptibilium, vt dicit Philosophus in 10. primæ Philosophiæ: sed constat, quòd forma diuina magis distat à forma naturali, quam naturalis ab incorruptibili: ergo non est vna materia vniuoca ad formam diuinam, & formam naturalem: sed in contritione est forma diuina, in attritione autem naturalis: ergo non habent vnam materiam, vt videtur.

4 Item, Eorum quorum est materia vna (vt dicit Philosophus) est transmutatio adinuicem: sed contritionis & attritionis non est transmutatio adinuicem: ergo ipsarum non est vnus dolor materialis. Media probatur ex hoc, quòd quorum est transmutatio adinuicem, vtrumque transmutatur in alterum: sed nullus dicit, quòd contritio possit fieri attritio, licet è conuerso quidam quandoque concesserint fieri: ergo constat propositum.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd meo iudicio vnus & idem dolor in substantia potest esse attritionis & contritionis: sicut etiam fides informis potest etiam fieri formata. Tamen pro vtraque parte sunt opinantes: sed quod dictum est, mihi probabilius videtur.

Ad q. 1. AD ID autem quod primo quæritur de differentia contritionis, & compunctionis, dicendum quòd licet vna pro altera sæpe vtantur Sancti: tamen differunt in duobus: quorum vnum est, quòd compunctio est in plus, quam contritio: & ista differentia habetur ex collatione duarum Glossarum inductarum, scilicet quia compunctio est siue sit pro peccatis dolor pungens, siue sit pro incolatu miseriæ. Alia autem differentia est ex nomine: quia compunctio proprie dicit dolorem pœnitentiæ, secundum quod pungit pœnitentem: contritio autem dicit eundem, secundum quod annihilat peccatum iteratum super singulas differentias: sicut contritio in re contrita, quando ictus fit super singulas partes diuisas. Et per hoc patet solutio ad totum quod quæritur de differentia compunctionis, & contritionis.

Ad q. 2. AD ID quod quæritur de differentia contritionis & attritionis, dicendum quòd differentia assignata in obiiciendo bona est: & videtur mihi, quòd dolor attritionis potest fieri dolor contritionis:

tionis : quia attritio non ponit formam aliquam circa dolorem, sed tantum dicit carentiam formæ quæ est gratia : & hoc patet ex eo quod per priuationem diffinitur,cum dicitur quòd attritio est dolor de peccato non informatus gratia.

Ad id autem quod contra obiicitur, dicendum quòd duplicia sunt principia rei, scilicet intrantia essentiam ipsius,& constituentia ipsam,& principia facientia rem , & non ingredientia in essentiam ipsius. Et de primo modo dictis principiis verum est, quòd quorum principia sunt diuersa , &c. sed non de principiis secundo modo dictis : & talia sunt ea per quæ probatur illa propositio in obiiciendo.

Ad aliud dicendum , quòd quicquid sit de illa opinione , bene puto quòd naturalia non fiunt gratuita : hic videtur dicendum, quòd dolor attritionis non est de naturalibus, imo est donum Spiritus sancti : sicut & timor seruilis à quibusdam dicitur fieri initialis, & fides informis fit formata.

Ad aliud dicendum , quòd in naturis corruptibilium & incorruptibilium potest esse materia vna : licet non propria,sed prima:& quicquid sit de hoc,hic aliud est:quia vtrumque istorum est donum:sed vnum est diminutum donum, vt gratia gratis data:& aliud vt perfectum per gratiam gratum facientem.

Ad aliud dicendum , quòd non est verum secundum Philosophum , quòd eorum quorum est materia vna , fit transmutatio adinuicem , ita quod vtrumque transmutetur in alterum : quia cum dicitur hoc fieri ex illo,ly ex quandoque notat simul ordinem & priuationem : & tunc non reuertitur, sicut ex puero fit senex , & ex mane fit dies : & ita est hic : ordo enim doloris in attritione est vt antecedentis ad contritionem : & ideo ex dolore attritionis fit dolor contritionis , sed non è conuerso. Siquis autem est de alia opinione, de leui potest soluere rationes prius inductas: & ideo supersedeo.

ARTICVLVS IX.

Cuius partis animæ est contritio?

Qvarto quæritur , Cuius partis animæ sit contritio ? Videtur autem,quòd voluntatis, quia dicitur esse dolor voluntarius.

2 Item, Dicit Bernard. quòd nihil peccat nisi voluntas : sed eiusdem est conteri , cuius est peccare : ergo solius voluntatis est conteri.

3 Item , Contritio est deletiua peccati mortalis : ergo oportet , quòd sit in eodem cum peccato mortali : sed peccatum mortale est in libero arbitrio,vt dicit August. ergo videtur, quòd contritio sit in libero arbitrio.

Quæstiuncula. Sed qværitvr tunc vlterius , Cum contritio sit actus conterentis, vt supra habitum est, & passio contriti, cuius sit vt conterentis , & cuius vt contriti : & vtrum hæc idem sint, an diuersa ? Videtur, quòd actus ipse sit rationis : quia actus ille est peccati detestatio cum indignatione qua indignatur peccato & peccanti : sed conferre huiusmodi non est nisi rationis : ergo actus contritionis est rationis,vt videtur.

2 Item,Pœnitentia mouetur contra peccatum inquantum est perpetratum , & sic est ibi quædam collatio : conferre autem est solius rationis : ergo videtur , quòd contritio sit solius rationis.

3 Item , In iudicio exteriori contritio latronum vel maleficorum duobus attribuitur vt agentibus, scilicet iudici per imperium , & bedello per executionem , siue lictori : ergo simile erit in iudicio interiori:dicit autem August. in lib. de pœnitentia , quòd iudex est ratio : ergo contritio quæ est actus conterentis , potest esse rationis, vel carnificis qui est timor secundum beatum August.

Videtur autem , quòd contritio passio sit omnis vis animæ : quia in qualibet vi quæ aliqualiter participat ratione , peccatum committitur vel potest committi : sed in quacunque est peccatum, in illa necessarium est conteri : ergo necesse est, quòd in qualibet conteratur : ergo non erit passio vnius vis , sed omnium quocunque modo rationalium dictarum. Hoc autem quod posset obiici , vtrum eiusdem sit dolere & velle dolere, in præhabitis obiectum & solutum est.

Solvtio. Solvtio. Dicendum,quòd contritio præcipue est partis animæ quæ dicitur voluntas,sicut in quibusdam obiectis probatum est : licet quidam quandoque dixerunt , quòd sit in irascibili , quia indignatur sibi : irascibilis enim non est indignari sibi , sed potius extrinseco nocenti : sed peccatum perpetratum inquantum perpetratum , proprie detestatur voluntas dissentiens ab eo.

Ad illvd ergo quod obiicitur,quod contritio actio sit rationis : dicendum quod non, sed potius voluntatis rationalis : & ideo ordo & collatio sunt rationis discernentis quod detestandum est, sed tamen ipse dolor est voluntatis.

Ad aliud dicendum , quòd in multis ita est quòd actus voluntatis propter hoc quod est ex ratione præordinante , est cuiusdam collati , licet non conferat, sicut diligere amicum propter amicum,& diligere parentem plus quam inimicum,& sic de aliis : vnde licet voluntas non conferat,tamen affectus eius quandoque cadit super collata: & ita est hic.

Ad aliud dicendum , quòd ratio non conterit nisi per modum discernentis , sicut nec iudex : sed voluntas exequitur per modum conterentis per dissensum & dolorem.

Ad hoc quod obiicitur de contritione passione , quòd sit omnis vis animæ,dicendum quod hoc nihil prohibet : tamen non erit primo nisi voluntatis dissentientis peccato perpetrato : quia hoc quasi punitur in omnibus aliis , & participatur ab aliis , inquantum est motor earum : & per hoc patet solutio ad totum.

ARTICVLVS X.

An contritio semper eodem modo fuerit in Nouo & Veteri Testamento ?

Qvinto quæritur , Vtrum eodem modo semper fuerit in Nouo & Veteri Testamento? Videtur autem , quòd sic : quia cuius causa vno & eodem modo se habet , & ipsum eodem modo se habet : sed actuale est causa contritionis : &

eodem modo fuit in Nouo & Veteri Testamento; ergo & contritio fuit eodem modo.

2 Item, Contritio non ordinatur contra peccatum naturæ, sed potius personæ: & hæc semper diuisa fuerunt, & sunt, & erunt: ergo videtur, quòd remedium actualis semper debuit esse per modum vnum: ergo vno modo fuit contritio in Nouo & Veteri Testamento.

3 Item Ioel. 2. dicitur, Conuertimini ad me. Et post, Scindite corda vestra, & cætera. Sed nihil aliud imponitur contrito & pœnitenti in Nouo Testamento: ergo videtur, quòd eodem modo, & cætera.

Sed contra. SED CONTRA: Aliæ duæ partes, scilicet confessio, & satisfactio, non erant eodem modo vt nunc: ergo nec contritio.

2 Item, Nihil ad perfectum adduxit lex, vt dicitur Hebr. 7. ergo non competebat ei sacramentum perfectionis: sed contritio prout obseruatur in Nouo Testamento, ducit ad perfectionem: ergo in Veteri Testamento debuit esse secundum typum, & minus, vt videtur.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd contritio fuit in Veteri Testamento sicut in Nouo; sicut probant primæ rationes.

AD HOC autem quod contra obiicitur, dicendum quòd aliud est de confessione & satisfactione, quia illa habebant fieri ministerio sacerdotum: vnde cum alij fuerint sacerdotes status illius, & alij status istius, non poterant illæ duæ partes esse eodem modo in Nouo & Veteri Testamento. Sed in contritione non respicitur nisi Deus qui peccata delet: & ideo illa semper eodem modo fuit semper & in lege naturæ, & Moysi, & gratiæ.

AD ALIVD dicendum, quòd contritio licet in lege sit obseruata: non tamen est legis sicut moralia mandata, vt disputatum est supra tertium in fine: & ideo contritio potuit aliquid ducere ad perfectum in fide venturi. Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICVLVS XI.

Quid sit primum mouens ad contritionem?

VLtimo quæritur, Quid mouet ad contritionem? Videtur autem, quòd timor per diffinitionem contritionis ab Isidoro positam.

2 Item, Isa. 26. A timore tuo Domine concepimus, &c. parturitio autem hæc est in contritione: ergo videtur, quòd à timore Domini concipitur: ergo timor primo mouet ad contritionem.

Sed contra videtur, quòd fides primo moueat: quia pœnas peccato perpetrato debitas ostendit fides vt nociuas: ergo facit primo fugam & detestationem: & hoc est contritio: ergo contritio concipitur & causatur fide.

Quæstiuncula. ET QVIA de hoc satis supra in quæstione de pœnitentia habitum est, quæritur, in ratione cuius articuli moueat ad contritionem? Videtur autem, quòd ratione huius, Et iterum venturus est cum gloria iudicare viuos & mortuos: quia articulus ille mouet ad dolorem de peccato in iudicio iudicandos; & ille timor vel dolor est contritio: ergo fides mouet ad hoc quod aliquis conteratur.

Sed videtur, quòd ille qui est, Remissionem peccatorum: quia in contritione peccata remittuntur: ergo ille articulus mouet ad contritionem.

RESPONSIO. Dicendum videtur, quòd fides mouet ex parte intellectus, & timor & affectio amoris ex parte affectus: quia ex parte illa qua oculus est ad pœnam, mouet timor: ex parte autem illa qua est ad gloriam, mouet amor. *Solutio.*

AD PRIMVM autem quod contra hoc est, dicendum quòd timor mouet, sed non primo, sed proxime ex parte contriti secundum affectum. Per hoc etiam soluitur id quod obiicitur de Isidoro.

AD ID autem quod quæritur, Ratione cuius articuli? Dicendum, quòd ratione illius qui est de iudicio, sicut habetur expresse in diffinitione Isidori supra dicta.

AD ID autem quod contra obiicitur, dicendum quòd remissio peccatorum mouet ad hoc; sed tamen fides coniungit spem remittendi peccata: sed iudicij consideratio, quia incutit timorem, excitat ad contritionem: & per hoc patet solutio ad totum.

ARTICVLVS XII.

An confessio sit in præcepto & obliget omnes?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Confessio ibi, Iustus in principio sermonis accusator sui est] Prou. 18. Quærantur hic de confessione septem. Primo, Vtrum confessio sit in præcepto, an non? Secundo, Vtrum sit de iure naturali, vel positiuo? Tertio, Qualiter fuit in naturali & veteri lege, & vtrum eodem modo vel diuerso? Quarto, Vtrum sit alicuius virtutis opus, vel tantum sacramenti: & si alicuius virtutis, quæ sit illa virtus? Quinto, Quid sit diffinitione, & essentia, vel esse? Sexto, Quis articulus fidei moueat ad confessionem? Septimo, Cui innitatur attributo in Deo, vtrum misericordiæ, vel sapientiæ, vel alij?

AD PRIMVM obiicitur sic: Quicquid est necessarium ad salutem, est in præcepto: confessio est necessaria ad salutem: ergo est in præcepto. Prima patet ex communi omnium distinctione inter præceptum & consilium. Secunda probatur ex dicto Ambrosij qui dicit sic: Iustificari non potest quisquam, nisi peccatum confessus fuerit.

2 Item, Præceptum impletum dat ingressum ad vitam: sed non confitens non ingreditur ad vitam: ergo videtur, quòd confessio sit in præcepto. Probatur prima per illud Matth. 19. Si vis ad vitam ingredi, serua mandata. Secunda supponitur communiter ab Ecclesia.

3 Item, Præcipitur pastoribus Ecclesiæ vt diligenter cognoscant vultum sui pecoris: sed non possunt cognoscere nisi sciant in quibus infirmatur, quia in parte illa indiget custodia, non in parte qua sanum est: ergo videtur quod ipsum pecus teneatur exponere causas ægrotationum: hoc autem non contingit nisi per confessionem: ergo præcipitur eis, quòd confiteantur: ergo confessio est in præcepto.

4 Item

4 Item, In corporali medicina præcipitur ægro vt exponat medico corporali in quot,& quibus, & vbi doleat : cum igitur morbus spiritualis periculosior sit quam corporis, multo magis debet præcipi ægro spirituali, quod exponat medico spirituali causas ægritudinum suarum.

Sed contra. SED CONTRA: Si est in præcepto, tunc æqualiter obligat omnes : sed quidam à peccato mundati sunt, qui non leguntur esse confessi:ergo non videtur esse in præcepto. Probatio primæ est ex hoc quod communiter dicitur, quòd ad præcepta omnes teneamur, sed non ad consilia. Secunda probatur ex hoc quod habetur Luc.7. de Maria Magdalena,cui dimissa sunt peccata multa: non quia confessa est, sed quia dilexit multum.Et de Petro qui negauit : nec tamen confessus fuisse legitur,sed fleuisse.

2 Item, Nihil exigitur ad vnius contrarij expulsionem, nisi alterius contrarij introductio in subiecto eodem:sed absque omni confessione per infusionem virtutum quæ fit in contritione,& iustitiam consuetudinalem quæ fit in satisfactione, virtus cuilibet peccato contraria inducitur in subiecto : ergo videtur, quòd hoc sufficit ad peccati expulsionem:ergo non est necessaria peccati confessio:ergo non est de præcepto.

3 Item, In peccato non sunt nisi duo, scilicet culpa, & pœna:quia etiamsi dicatur ibi esse difficultas bene operandi, illa etiam est pœna quædam : sed culpa cum coniuncta sibi pœna æterna expellitur sufficienter per contritionem:pœna autem remanens, scilicet debitum pœnæ temporalis cum difficultate bene operandi, sufficienter expellitur per satisfactionem : ergo confessio ad nihil est necessaria : ergo non debet esse in præcepto.

4 Item,In naturis ad perfectionem rei in esse & posse non exigitur nisi inductio formæ in materia, & confortatio eiusdem in illa:ergo similiter est in esse spirituali : sufficienter autem inducitur forma gratiæ in anima per contritionem, & per satisfactionem sufficienter confortatur:ergo confessio omnino superfluit:ergo,&c.

5 Item, Si in præcepto est confessio & de necessariis ad salutem : tunc operatur ad peccati dimissionem per aliquem modum : aut igitur in pœna, aut in culpa. Si in culpa. Contra: Ante confessionem frequenter culpa dimissa est : ergo non operatur ad culpæ dimissionem. Si autem operatur ad deletionem pœnæ. Contra:Aut illa est pœna æterna, aut non. Si æterna. Contra : Illa est adiuncta culpæ,& cum culpa stante stat & cum soluta soluitur : habitum autem est, quòd culpa soluitur in contritione:ergo non operatur contra pœnam æternam confessio. Si autem est pœna temporalis. Contra : Nihil operatur contra aliud nisi per hoc quod est contrarium illi : confessio non habet contrarietatem ad pœnam temporaliter debitam peccato:ergo non expellit illam, vt videtur.

6 Item,Actus omnino corporalis non videtur expulsiuus peccati : sed confessio oris est actus omnino corporalis : ergo non est expulsiuus peccati.

Quæstiuncula. VLTERIVS hic quæritur,Si est in præcepto, cuiusmodi sit illud præceptum. Aut est enim cæremoniale,aut sacramentale,aut iudiciale,aut morale. Si cæremoniale pure : tunc videtur, quòd non debeat teneri in Nouo Testamento.Probatio. Quorumcunque totus vsus est in significando, cessant adueniente veritate quam significabant: cæremonialium totus vsus est in significando: ergo cessant in Nouo Testamento, in quo patefacta est veritas quam significabant. Prima probatur ex hoc quòd nihil inutile est in operibus Ecclesiæ : & inutile esset, quòd id quod tantum habet vsum in significando,teneretur veritate patefacta: quia melius quilibet instruitur per manifestationem veritatis, quam per typum & figuram. Secunda autem præscribitur à Magistro in 1. lib. distinct. 1.

Si autem dicatur esse sacramentale:aut de Nouo Testamento, aut de Veteri. Constat autem, quòd non de Veteri, quia tunc cessasset in Nouo, sicut & alia Veteris Testamenti sacramenta. Si de Nouo Testamento. Contra : Nihil est in Nouo Testamento sacramentum, nisi per institutionem diuinam : confessio non legitur habuisse institutionem diuinam : ergo non est de sacramentis Noui Testamenti.Si autem dicatur iudiciale.Contra : Iudicialia secundum diuersitatem hominum & sectarum variantur: confessio autem non sic variatur : ergo non est de præcepto iudiciali. Si autem dicatur esse de moralibus : tunc quæritur, ad quod reducatur? in verbo enim non consistunt nisi duo : vnum ad Deum, scilicet, Non assumes nomen Dei tui in vanum : & alterum ad proximum, Non loqueris contra proximum tuum falsum testimonium. Constat autem, quòd ad primum non reducitur,quia non est iuramentum:nec ad secundum, cum nihil ibi dicatur contra proximum : ergo videtur, quòd in nullo cadat genere præceptorum, scilicet moralium.

Si forte dicatur, quod sit de præceptis Patrum. Contra : Nihil ens de præceptis Patrum, est pars sacramenti,vel sacramentum:confessio est de præceptis Patrum : ergo non est sacramentum, vel pars sacramenti. Prima per hoc probatur, quòd omnia sacramenta cum suis essentialibus habent vim ab institutione diuina. Secunda autem supponitur ex hypothesi. Item, Præcepta Patrum recipiunt dispensationem, eo quod sint de non necessariis ad salutem : ergo si confessio est de præceptis Patrum, poterit fieri dispensatio, ita quod aliquis moriatur sine confessione : quod non fit in Ecclesia,nec posse fieri iudicatur.

Si forte tu dicas, quòd hoc præceptum habet institutionem diuinam, vt cum Dominus dixit leprosis, Ite, ostendite vos sacerdotibus.Matth.8.& Luc.5. Contra:Illi sacerdotes erant legales,& non veri, quibus Dominus iussit vt se præsentarent leprosi:ergo ex hoc non habetur, quòd confitendum sit modo quo confitentur fideles in Nouo Testamento. Item, Illi non sunt iussi confiteri,sed tantum ostendere se mundatos : ergo ex hoc non habetur,quòd sit ore confitendum: ita quod singula peccata enarrentur,sicut fit in Nouo Testamento:ergo videtur adhuc haberi,quòd non sit in præcepto.

Si forte tu dicas, quòd propter pœnitentiam iniungendam oportet quod notus sit morbus : & ideo præceptum est confiteri, & hoc præceptum promulgatur Iacob.5. vbi dicit,Confitemini alterutrum peccata vestra. Videtur, quòd hoc nihil sit: quia pœnitentia non potest remittere peccata ex condigno, sed potius ex congruo secundum

arbitrium ſacerdotis penſatis viribus & ſtatu pœnitentis : & hoc modo in communi poſſet fieri ſatisfactio ſufficiens etiam non cognitis peccatis : ergo videtur, quòd non ſit neceſſaria propter hoc.

Item, Quidam ſe obligant ad pœnitentiam perpetuam & maiorem quam ſecundum arbitrium ſacerdotis ſuſcipere cogerentur : ergo illi ſecundum hoc confiteri non tenerentur, quod falſum eſt : ergo videtur, quòd non ſit in præcepto aliquo confeſſio.

Soluſio. SOLVTIO. Reſpondeo ſine præiudicio, quòd in confeſſione tria ſunt ſeſe conſequentia : quorum primum eſt peccati manifeſtatio cum deteſtatione & ſigno deteſtationis. Secundum eſt actuum peccati perpetrati enarratio, quod memoriæ occurrit. Tertium autem ſui accuſatio in dando ſibi culpam, & non excuſando peccati actum per circunſtantias. Et dicendum videtur, quòd quoad hæc omnia tria eſt in præcepto : ſed quoad primum eſt ſolum in præcepto diuino, & ſecundum & tertium determinando addidit & præcepit Eccleſia, primo in Apoſtolis, & poſtea in aliis ſucceſſoribus Apoſtolorum : tamen ſecundum teſtimonium voluntatis diuinæ : teſtimonium enim voluntatis diuinæ in confeſſione actus peccati in ſpecie habetur ex prima quæſtione quam fecit primo peccanti, ſcilicet Adæ, quando quæſiuit, Adam vbi es ? non enim quæſiuit de loco, ſed vt confireretur ſimpliciter peccati actum. Teſtimonium autem voluntatis diuinæ ſuper accuſationem ſui, & quod non excuſet peccatum, habetur ex hoc quod condemnauit Adam & Euam ſe excuſantes. Similiter in poſteris habet ſignum enarrationis actuum in ſpecie. Iſa.38. in cantico Ezechiæ dicentis, Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Signum accuſationis habetur in Pſalm.140. vbi dicitur, Non inclines cor meum ad verba malitiæ ad excuſandas excuſationes in peccatis. Hæc igitur attendens Eccleſia, Spiritu ſancto edocta, inſtituit quòd omnis vtriuſque ſexus fidelis ſemel in anno confiteretur ſua peccata : & quia inſtinctu Spiritus ſancti factum eſt, ideo etiam præceptum Eccleſiæ in hoc reducitur ad præceptum diuinum.

DICENDVM igitur ad primum, quòd licet non legatur confeſſio beati Petri & Mariæ Magdalenæ : tamen confeſſi ſunt : quia multa facta ſunt quæ non ſunt ſcripta, ſicut innuitur in fine Ioannis, ſicut in ſequentibus dicitur in litera à Magiſtro. Vel poteſt dici forte melius, quòd propter duo fit confeſſio, ſcilicet vt pœnitens ſecundum præteritam ſuam conuerſationem innoteſcat ſacerdoti iniungenti pœnitentiam, & vt ex erubeſcentia mereatur. Cum autem Chriſtus fuit verus ſacerdos & Deus, neutrum fieri oportuit apud ipſum : quia ipſe vt Deus vidit ea quæ erant in corde, & pœnitentes ad intuitum eius plus verecundabantur, quam ad auditum ſolius ſacerdotis : & ideo illis pœnitentibus qui abſoluti ſunt ab ipſo immediate, non oportuit enarrationem imponere peccatorum : ſed apud vicarios Chriſti qui interiora non vident, & ad quorum intuitum corporeum homo non ita verecundatur, oportet eſſe auditum peccatorum, in confeſſione ex parte confitentis.

AD ALIVD dicendum, quòd propter cohærentiam alterius contrariorum in ſubiecto, multa quandoque requiruntur ad remotionem alterius contrarij : & præcipue quando timetur de reditu, & quando cauſa tenens contrarium in ſubiecto latet expellentem : & ſic eſt de peccato quod timetur redire : eſt etiam pronitas ex parte peccantis latens : & ideo multa exiguntur ad expulſionem peccati : ſicut deteſtatio peccati, & contrariæ conſuetudinis inductio per opera ſatisfactionis : ſed ſi ſtatim contrarium ſine timore reditus poſſet expelli, & ſciretur per quid optime expelleretur : tunc verum eſſet quod probat obiectio.

AD ALIVD dicendum, quòd (vt ſupra dictum eſt) omnes iſtæ tres partes pœnitentiæ coniunctim operantur contra peccatum : ſed non oportet, quòd omnes adſint in actu, ſed ſufficit duas vel vnam eſſe in propoſito, & aliam vel alias eſſe in actu. Si tamen concedatur quod dicit : tunc dicendum eſt, quòd pœna temporalis duplex eſt, ſcilicet non proportionata, & proportionata ex vi clauium : & non proportionata viribus pœnitentis debetur non confeſſo, quia in illo adhuc non eſt operata vis clauium, quæ, inquam, claues vim habentes à paſſione Chriſti, maiorem partem pœnitentiæ ſiue pœnæ debitæ peccato per rationem condigni dimittunt : & ideo poſt confeſſionem per virtutem clauium efficitur taxabilis pœna & arbitraria, quæ ſecundum ſe non fuit taxabilis, eo quod fuit improportionata viribus pœnitentis, ſed reſpondens condignitati peccati : & ideo patet, quòd confeſſio neceſſaria eſt ad peccati deletionem.

AD ALIVD dicendum, quòd in naturis diuerſimode eſt, vbi natura operatur, & vbi ars naturam iuuat : quod enim dicitur in obiiciendo, verum eſt, vbi ſola natura operatur. Sed non eſt hoc ſimile ad opus gratiæ ſacramentalis : quia ſic non exigeretur miniſter ſacramenti, qui medicus in Scriptura vocatur. Pſalm.87. Nunquid medici ſuſcitabunt, & confitebuntur tibi. Sed potius illud opus vbi ars iuuat naturam, & in illo exigitur, quòd artifex cognoſcat morbum & cauſam & quantitatem & diuturnitatem morbi antequam poſſit iuuare ad morbi expulſionem : & ita eſt in opere pœnitentiæ : & ideo exigitur confeſſio ad peccati manifeſtationem : præcipue tamen illa de cauſa, quia confeſſio operatur ad pœnæ diminutionem : propter quod etiam ſatisfactio vocatur ab Auguſtino ſic dicente : Multum ſatisfactionis obtulit, qui erubeſcentiæ dominans, nihil eorum quæ commiſit, nuntio Dei abſcondit.

AD ALIVD dicendum, quòd (vt iam habitum eſt) per ſe operatur ad pœnæ deletionem, ſiue peccati ſecundum debitum pœnæ. Ad obiectum autem contra, dicendum eſt quòd dupliciter contingit aliquid eſſe contrarium alij, ſcilicet in ſe, quando maxime diſtant in eodem genere, & mutuo ſe expellunt à ſuſceptibili : & ſic pœna non contrariatur pœnæ, nec confeſſio peccato in pœna. Eſt etiam contrarium, eo quod aliquo modo facit contrarium in effectu : & ſic confeſſio facit contrarietatem ad peccatum, & ſoluit debitum pœnæ. In perpetratione enim peccati fuit inuerecundia Dei cuncta cernentis & Angelorum eius, & abiectio paſſionis Chriſti pro peccatis per contemptum qui eſt radix omnis peccati mortalis : & horum contraria confeſſio habet, quando homo erubeſcit ante vicarium Dei, & ſubmittit ſe humiliter

liter clauibus habentibus vim ex Christi passione: & ideo operatur ad peccati expulsionem.

AD ALIVD dicendum, quòd non est omnino corporalis actus: quia procedit à virtute mentis interiori: sicut etiam dare corporalem eleemosynam vim habet à virtute mentis quæ inclinat ad dandum. Si autem quæritur, Qualiter hoc possit esse? Dicendum, quòd vis motoris est in motu & in mobili, siue moueat in modum naturæ, siue in modum voluntatis: sicut vis motoris in motu cæli, propter quod dicitur esse vita quædam omnibus deorsum existentibus. Ita etiam quia virtus & gratia mouent in modum naturæ, vis virtutis & gratiæ manet etiam in motibus & operibus corporalibus: & per illam vim operatur ad deletionem peccati, & augmentum meriti.

Ad quæstiunculam.

AD ID quod vlterius quæritur, patet solutio per ea quæ dicta sunt in principio huius solutionis, quòd est de præcepto diuino secundum quod est manifestatio quædam peccatorum: sed hæc manifestatio secundum progressum temporis habuit incrementum, sicut etiam alia operantia ad salutem: & ideo determinationem accepit ab Apostolis & ab Ecclesia: & adhuc potest recipere vlteriorem quam habet, si videatur expedire.

AD HOC autem quod contra obiicitur, dicendum quòd pœnitentia instituta est in paradiso secundum omnes partes eius: quia aliter non mortificaret peccato, & viuificaret iustitiæ: & dicunt quidam, quòd in illo verbo, Quacunque die comederitis, morte moriemini: & à Christo in Nouo Testamento accepit innouationem. Matth. 3. & Luc. 3. Pœnitentiam agite: appropinquauit enim regnum cælorum. Constat autem, quòd non intendebat de pœnitentia, nisi prout perficitur in partibus suis: & ideo intelligitur instituta confessione. De confessione tamen fit specialiter mentio Matth. 3. vbi dicitur, quòd veniebant ad Ioannem confitentes peccata sua: & hoc idem intelligitur, quod faciebant suscipientes baptismum Christi, vt in secunda parte huius distinctionis dicit Magister. Ibi etiam intelligitur instituta, vt in obiectione dictum est, scilicet Lucæ 5. vbi Christus leprosis dixit vt se ostenderent sacerdotibus, & offerrent pro se munus quod constituit Moyses.

AD HOC autem quod contra obiicitur, dicendum quòd est præceptum sacramentale diuersimode in lege naturæ, veteri, & noua, per Patres accipiens determinationem ex inspiratione Spiritus sancti: sed prout nunc seruatur, est præceptum sacramentale Noui Testamenti: & iam patuit vbi est institutum.

AD ALIVD dicendum, quòd non est ita Patrum, quòd totum Patres ediderint, sed potius quia Patres determinauerunt: & ideo non capit dispensationem ab homine puro.

AD ALIVD dicendum, quòd sacerdotes illi & leprosi considerantur dupliciter, scilicet vt homines simplices in statu Veteris Testamenti Deo seruientes, antequam legalia essent mortificata per Christi passionem: & vt figura futurorum sunt leprosi quidem confitentium, & sacerdotes sacerdotum Noui Testamenti. Et primo quidem modo procedit obiectio: secundo autem modo significatur voluntas Christi esse de ostensione peccati significati per lepram, & de satisfactione per munus significata: & hæc voluntas Christi exprimebatur per Apostolos in præcepto confessionis Iacob 5. vbi dicitur, Confitemini alterutrum peccata vestra.

AD ALIVD dicendum, quòd oportet cognoscere morbum, vt prius dictum est: sed hoc non est principale propter quod confessio instituta est, sed potius propter operationem clauium quæ coniungit pœnitenti perfectionem: vnde quod ponit obiectio, secundarium est in causa confessionis: & tamen non sequitur id quod intendit probare, quia arbitrum oportet cognoscere de causa de qua est arbiter: vnde cum sacerdos non tantum inspiciat vires, sed causam sumendi debitam pœnam, oportet ipsum scire in quot & quibus offenderit.

AD VLTIMVM dicendum, quòd etiamsi se obliget ad perpetuam pœnitentiam, cui nulla maior vnquam iniungetur: tamen dictis de causis oportet omnium peccatorum facere confessionem.

ARTICVLVS XIII.

An confessio sit de iure naturali vel positiuo?

SEcundo quæritur, Vtrum sit de iure naturali, vel positiuo? Videtur autem esse de iure naturali: Adam enim vituperatur de hoc quòd excusauit delictum cum debuisset humiliter confessus fuisse: ergo peccauit contra ius adhuc non scriptum, quia nullum erat scriptum vel positiuum: ergo relinquitur, quòd peccauit contra ius naturale: ergo confessio est de iure naturali.

2 Item obiicitur de Cain, à quo quærit Dominus, quid fecit: & vituperatur, quia non humiliter recognouit & confessus fuit: ergo cum tunc non fuerit nisi ius naturale, videtur contra ius naturale peccasse.

3 Hoc etiam videtur per Glossam super illud, Adam vbi es? Genes. 3. vbi sic dicit Glossa, Verba increpantis & ad confessionem cogentis, non ignorantis. Si igitur coegit ad confessionem, ipse confiteri tenebatur: & constat, quòd non ex iure positiuo tenebatur, quia tunc nullum erat: ergo tenebatur ex iure naturali: ergo confessio est de iure naturali.

4 Item, Super illud Genes. 3. Mulier quam dedisti mihi sociam, dedit mihi de ligno, & comedi: dicit Gloss. Non humiliter confitens, sed superbe se excusans, & in auctorem mulieris culpam retorquens. Ergo humilis confessio tunc fuit debita, quia aliter non vituperaretur de opposito: & inde vt prius.

5 Item, Super illud Psalm. Non declines cor meum in verba malitiæ, &c. dicit Glossa, Ad hoc pone ostium, vt non excusetur peccatum meum: quod summum vitium dominatur in hominibus: vnde tardius pœnitent. Constat autem, quòd cæteris paribus plus & maius est peccare contra ius naturale, quam contra ius positiuum: cum igitur istud vitium sit summum, videtur esse contra ius naturale: ergo oppositum eius, scilicet humilis confessio delicti, est de iure naturali. Psal. 140.

6 Item, Iob 31. Si abscondi quasi homo peccatum

peccatum meum, & celaui in sinu meo iniquitatem meam. Constat autem, quòd Iob fuit sub lege naturali: quare de lege naturali est confiteri peccatum.

7 Item, Ibidem Gregorius in Glossa, Vere humilis & mala cognoscit sua, & voce confessionis aperit. Cum igitur vera humilitas de peccatis sit de iure naturali, videtur quòd voce confessionis aperire peccata, sit de iure naturali.

8 Item, Gregorius ibidem in alia Glossa, In sinu iniquitatem celare, est conscientiam peccati latibulis occultare, nec per confessionem detegere. Cum igitur Iob dicat hoc in statu iuris naturalis, videtur quòd confessio sit de iure naturali, & oppositum cuius contra ius naturale.

9 Item, Constat, quòd pœnitentia est de iure naturali: ergo partes ipsius, quia ipsa non est sine illis: sed vna partium eius est confessio: ergo confessio est de iure naturali.

10 Item, Pœnitentia est quoddam totum, vt prius habitum est, quod habet plures partes ex ordine quodam ipsam constituentes: & in ordine illo prima est contritio quæ est de iure naturali, & vltima satisfactio quæ est de iure naturali: cum igitur confessio sit media, ipsa etiam est de iure naturali. Vel dicatur quare non.

Sed contra. SI AVTEM hoc concedatur: contra obiicitur in hunc modum, Dicit Isidorus, quòd ius naturale est idem apud omnes: confessio autem non fuit semper eadem apud omnes: ergò confessio non est de iure naturali. Media probatur ex hoc quod aliter est confessio in Nouo Testamento, & aliter fuit in Veteri.

2 Item, Philosophus in 5. ethicorum dicit, quòd naturæ ius in omnibus est eodem modo: vt ignis in Perside & Græcia eandem vim habet comburendi. Et ex hoc arguitur sicut prius.

3 Item Tullius, Naturæ ius est quod non opinio genuit, sed in natura quædam vis inseruit. Constat autem, quòd nulla in natura vis inseruit homini confiteri peccatum suum, sed potius docet occultare ne verecundetur ab homine: ergo confessio non est de iure naturali, vt videtur.

Solutio. SOLVTIO. Respondeo sine præiudicio, quòd ius naturale dupliciter dicitur, scilicet quod dictat natura hominis esse faciendum: & sic dicitur naturale ius stricte. Alio modo dicitur naturale, id quod constitutum est à natura naturante: & sic dicitur esse de iure naturali quicquid in Veteri vel Nouo Testamento continetur: & hoc vltimo modo potest confessio aliquo modo esse de iure naturali, sed non primo.

Ad hoc ergo quod primo obiicitur, per quod videtur probari, quòd sit de iure naturali primo modo dicto: dicendum, quòd Adam vituperatur de hoc quod peccatum non recognouit in se, & coram Deo, sed non de hoc quod non confitebatur homini: quia tunc nullus erat præter vxorem suam, quæ confessionem audire non poterat: & hæc recognitio peccati quæ est coram Deo, est de iure naturali. Et per hoc patet solutio ad sequens quod obiicitur de Cain.

AD ALIVD dicendum, quòd confessio duplex est, scilicet recognitio peccati inter se & Deum, & manifestatio peccati per enarrationem factam sacerdoti. Et de primo modo dicta confessione dicitur in Psalmo, Dixi, confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino: & tu remisisti, &c. De secundo autem modo dicta dicitur Roman. 10. Ore confessio fit ad salutem. Et de primo modo dicta intelligitur Glossa inducta de Genes. & non de secundo modo dicta, quæ tantum est sacramentalis: nec ad illam tunc tenebantur omnes.

Psal. 31.

AD ALIVD dicendum, quòd arguitur de excusatione peccati coram Deo, non coram homine, vt dictum est.

AD ALIVD dicendum, quòd non dicitur illud summum vitium simpliciter ratione reatus vel deformitatis, sed quia est peccatum inter cætera pœnitentiæ magis contrarium: quia pœnitentia non est nisi in recognoscente, peccatum autem excusans non recognoscit: & est simile dictum Roman. 2. super illud, Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? vbi dicit Glossa Ambros. Grauissime peccas si ignoras: non ratione quantitatis peccati in reatu & deformitate, sed potius periculi: quia ignorans lapsum suum, non quærit remedium, & ideo manet in periculo.

AD ALIVD dicendum, quòd non intelligit Iob de absconsione quæ est in confessione facta sacerdoti, sed potius de absconsione quam facit deprehensus in peccato, quando peccatum negat se fecisse, vt aliis iustus videatur. Et ista expositio trahitur de Glossa ibidem: & ideo illud non est ad propositum.

AD ALIVD dicendum, quòd non sequitur, si vere humilis voce confessionis aperit peccatum, & si vera humilitas est de iure naturali, quòd etiam confessio facta per vocem sit de iure naturali: quia confessio facta per vocem, non semper in omni statu consequitur vere humilem statum suum recognoscentem: vnde hoc accidit vere humili in aliquo statu, non in omni: vnde accidit ibi locus sophisticus accidentis.

AD ALIVD dicendum, quòd Gregor. loquitur de eo qui deprehensus in peccato, se fecisse negat: vel mystice loquitur de tempore gratiæ in quo tenetur homo sacerdoti peccata sua confiteri.

AD ALIVD dicendum, quòd pœnitentia dupliciter consideratur, scilicet secundum quod est in genere virtutis, & secundum quod est in genere sacramenti. Secundum quod est in genere virtutis, non habet partes, sed saluatur in contritione tantum, secundum quod contritio est conterentis actus: & satisfactio tunc erit species iustitiæ, & tunc non exigitur ad pœnitentiam confessio facta homini, sed sufficit illa quæ fit Deo in corde in peccati recognitione. Sed secundum quod est in genere sacramenti legis nouæ vel veteris, non est de iure naturali, sicut nec alia quædam sacramenta: & sic habet partes istas tres, quæ sibi attribuuntur.

AD ALIVD dicendum, quòd non eodem modo sunt istæ tres partes pœnitentiæ: quia prima & vltima pars respiciunt peccatum in pœnitente secundum culpam, vel secundum pœnam. Sed confessio non respicit hoc nisi quod est in ministro Ecclesiæ, qui constituitur ad dispensationem sacramenti, & habet vim clauium: & ideo prima & vltima pars sunt iuris naturalis, sed non media, quæ non respicit nisi tantum ea quæ sunt sacramenti, & non virtutis pœnitentiæ, nisi forte quoad recognitionem peccati coram Deo. Sed hæc non

non est confessio prout nunc quærimus de confessione: & ideo non sequitur, si prima & vltima pars de iure naturali sit, quòd & media: quia non eodem modo sunt partes eius.

ARTICVLVS XIV.

Quam differenter confessio fuit in lege naturali, veteri, & noua?

TErtio quæritur, Secundum quem differentem modum fuit in lege naturali, veteri, & noua? Videtur enim in lege naturali non fuisse: quia, sicut iam habitum est, non est confessio de iure naturali: sed tunc non obseruabantur nisi ea quæ erant de iure naturali: ergo confessio tunc non seruabatur.

2 Item non quæritur hic, Quid aliquis fecerit, sed id ad quod omnes tenebantur? Ergo etsi aliquis tunc confitebatur peccatum suum: dummodo tamen non omnes tenebantur ad confessionem, videtur quod non erat confessio in lege naturali.

3 Item, Cum non erat vsus clauium, non poterat esse id quod non habuit effectum nisi per claues: sed in naturali lege non erat vsus clauium: ergo nec erat etiam confessio quæ non habetur nisi per claues.

Sed contra. SED CONTRA: Quandocunque est morbus, tempus est medicinæ: sed semper fuit morbus actualis peccati in lege naturali: ergo semper fuit confessio medicina: ergo in naturali lege necessaria fuit confessio, vt videtur. Similiter videtur, quòd in lege Moysi fuerit: quia Isa. 43. dicitur, Narra siquid habes, vt iustificeris. Quasi diceret. Si non narras, non iustificaberis.

2 Item, Leuit. 16. dicitur, quòd sacerdos imprecabitur peccata totius multitudinis super caput hirci, & dimittet eum in desertum. Constat autem, quòd imprecari non potest peccata quæ nescivit: ergo oportebat vt sciret: sed non potuit scire nisi per confessionem: ergo tenebantur tunc confiteri sacerdoti.

3 Item Leuit. 13. de leprosis dicitur, quòd ad arbitrium sacerdotis separabantur, & cognoscebat de lepra: sed lepra secundum Glossam ibidem significat peccatum: ergo sacerdos debet cognoscere de peccatis: non autem potest nisi per confessionem sibi manifestentur; ergo tenebantur tunc sacerdoti confiteri.

Sed contra. SED CONTRA: Sicut supra habitum est, præcipua causa confessionis est propter beneficium clauium: sed non erant veræ claues in Veteri Testamento: ergo nec vera confessio.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd in veritate peccati recognitio est in confessione, & cum hoc peccati manifestatio: & tertio peccatorum in specie & circunstantiarum enodatio siue expositio. Et confessio non erat in naturali lege nisi quantum ad peccati recognitionem inter se & Deum, vt dictum est. In lege autem Moysi accessit peccati manifestatio aliqua, sed in genere, non in specie: in signo, non in verbo. Quia offerendo capram vel hœdum, sciebatur quòd peccauerant: sed quia hoc sacrificium erat pro quolibet peccato per ignorantiam facto, non erat manifestatio nisi in genere, & non in specie. In Nouo autem Testamento exigitur enarratio specierum & aliarum circunstantiarum propter maiorem expressionem veritatis & apparitionem gratiæ.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd recognitio peccati semper est de iure naturali: & quoad hoc solum erat confessio in lege naturæ.

AD ALIVD dicendum, quòd omnes tenebantur ad huiusmodi peccati recognitionem, & quod non negarent si deprehenderentur, vt habitum est ex auctoritatibus Gregor. in præcedenti articulo quæstionis inductis.

AD ALIVD dicendum, quòd verum est, quòd tunc non erat vsus clauium: tamen tunc operabatur passio & faciebat pœnam proportionabilem, quæ alias improportionabilis fuisset: sed operabatur in fide credentium implicite vel explicite.

AD ALIVD dicendum, quòd in lege veteri aliqua fuit confessio, sed non vt modo est in specie & circunstantia, sed in genere: & de hoc intelligitur dictum Isaiæ.

AD ALIVD dicendum, quòd sacerdos non confitebatur peccata multitudinis nisi in genere: & in genere intelligit ea per modum sacrificiorum, & non per enarrationem oris.

AD ALIVD dicendum, quòd diuersitas leprarum non significabat tunc quid erat faciendum, sed quid nunc in tempore gratiæ: & ideo non concluditur, quòd tunc peccata in specie & circunstantiis confiterentur.

ARTICVLVS XV.

An confessio sit actus virtutis, vel tantum sacramenti?

QVarto quæritur, Vtrum sit actus alicuius virtutis, vel tantum sacramenti? Et si sit actus alicuius virtutis, quæ sit illa? Videtur autem, quòd est virtutis pœnitentiæ: quia est ad detestationem peccati: & virtus pœnitentiæ detestatur peccatum: ergo confessio est virtutis pœnitentiæ, vt videtur.

2 Item, Actus diffiniuntur per opposita, id est, obiecta: ergo quorum est idem obiectum, sunt actus eiusdem virtutis: sed peccatum perpetratum est idem obiectum confessionis & pœnitentiæ: ergo confessio est actus pœnitentiæ virtutis.

3 Item, Quorum est idem finis, sunt eiusdem virtutis si est finis proximus: sed idem est finis pœnitentiæ & confessionis, scilicet destructio peccati: ergo sunt vnius virtutis: non autem sic sunt vnius, quòd ambo sunt vnius tertiæ virtutis actus: ergo ipsa virtus est pœnitentia, & actus eius est confessio, vel vnus de actibus, vt videtur.

4 Item, Aliqua virtus elicit hunc actum quæcunque sit illa: constat autem, vt dicit Tullius, quòd virtus mouet in modum naturæ: ergo de necessariis sibi nihil omittit: sed necessarium ad expulsionem peccati est confessio: ergo hunc motum non omittit: ergo videtur, quòd sit motus virtutis pœnitentiæ ipsa confessio.

Sed contra videtur, quòd sit motus virtutis quæ est veritas: quia super illud Psalm. 50. Ecce enim veritatem dilexisti, &c. dicit Glos. Veritatem: quia

quia non in te culpam refero,ſed veritatem profiteor quam diligis : conſtat autem , quòd dicere veritatem eſt virtutis quæ eſt veritas:ergo confeſſio eſt virtutis quæ eſt veritas.

2 Item ibidem alia Gloſſa , Hic pœnitens, quia in confitendo dixit veritatem quam Deus ſupra ſacrificia quærit, ſupplicat ſibi ſubueniri.Ex hoc accipitur idem quod prius.

3 Item , Actus veritatis aliquis proprius eſt, prout eſt in dictis. Conſtat autem , quòd nullus niſi dicere veritatem : ſed hoc præcipue fit in confeſſione:de omnibus enim quæ de ſe dicit,ſine teſte creditur pœnitenti : ergo confeſſio eſt actus veritatis,vt videtur.

4 Item , Oppoſitum veritatis quæ eſt in confeſſione , non eſt idem in pœnitentia , ſcilicet mendacium confeſſionis : ergo confeſſio non eſt actus pœnitentiæ.

5 Item , Dictum confitentis generat credulitatem in auditore:conſtat autem , quòd hoc non facit niſi prout eſt ſub forma veri : ergo videtur, quòd confeſſio ſit ſub forma veri:hæc autem forma veri quæ eſt in actu,emanat ab aliquo habitu: conſtat autem, quòd non niſi à veritate : ergo videtur, quòd ſit actus veritatis.

SED CONTRA vtrumque iſtorum dicitur, quòd nullius ſacramenti actus neceſſario eſt alicuius virtutis:confeſſio autem eſt actus ſacramenti:ergo non eſt actus alicuius virtutis.

2 Item , Nullus actus æqualiter procedens à vitioſo qui non habet virtutem infuſam nec conſuetudinalem, eſt actus virtutis : confeſſio eſt huiuſmodi actus:ergo non eſt actus virtutis alicuius. Prima patet per ſe. Secunda autem probatur ex hoc quod aliquis volẽs recedere à peccato,& etiam alij non conſueuit verum dicere , ſæpe confitetur in veritate de omnibus peccatis ſuis. Et conſtat, quòd tunc non habet virtutes infuſas , nec etiam habet conſuetudinalem quæ veritas vocatur,quia illa non innaſcitur niſi per conſuetudinem : ergo conſtat propoſitum.

3 Item , Circa difficile & bonum eſt virtus: ſed non eſt difficile verum dicere : ergo non eſt circa illud virtus aliqua:ergo non eſt alicuius virtutis quæ ſit veritas. Probatio mediæ. Difficilius eſt dicere contra mentem , quam ſecundum mentem:ſed mentiẽs dicit contra mentem,verus autem ſecundum mentem : ergo verus minus laborat, quam mentiens : ergo conſtat propoſitum.

Solutio. SOLVTIO. Reſpondeo,quòd dupliciter dicitur actus aliquis bonus & laudabilis eſſe alicuius virtutis, ſcilicet vt imperantis , & vt elicientis. Vt imperantis autem poteſt actus confeſſionis eſſe plurium virtutum:ſed frequentius virtutis eſt quæ dicitur pœnitentia, de qua ſupra diſt.14. habitum eſt. Vt elicientis quidem eſt iſte actus virtutis quæ dicitur veritas , vt probatur in obiiciendo.

AD HOC ergo quod primo obiicitur , dicendum quòd confeſſio quædam habet ex ſui ratione & ſubſtantia, & quædam ex virtute imperante.Ex ſui ſubſtantia non habet niſi ſimplicem narrationem veritatis : ſed ex virtute imperante habet, quòd ſit cum deteſtatione peccati. Et adhuc adiiciendum, quòd ſecundum quod inducit rationem ſacramenti , habet quòd hæc enarratio ſit facta miniſtro Eccleſiæ cum ſignis quibuſdam ſignantibus peccati deteſtationem , & voluntatis obedientiam ad pœnitentiam exteriorem ſuſcipiendam per arbitrium ſacerdotis:& ſic quaſi ex tribus conficiuntur illa quæ in confeſſione attenduntur. Sed obiectio bene procederet ſi ex ſui ſubſtantia haberet hoc quod dicit.

AD ALIVD dicendum , quòd illa materia datur ſibi ſecundum imperium pœnitentiæ , & ſecundum eſſe ſacramenti quod eſt in ipſa:ſimpliciter tamen ipſa eſt circa materiam quancumque in qua eſt forma veri.

AD ALIVD dicendum , quòd non eſt idem finis proximus confeſſionis & pœnitentiæ, ſed remotus:proximus enim finis eſt in quem terminatur actus , & ille eſt notitia quam generat in audiente : ſed finis vltimus non facit , quòd eadem ſint ſpecie vel numero , illa quæ ſunt ad illum finem.

AD ALIVD dicendum , quòd pœnitentia non deficit in ipſo motu:ſed non habet tamen niſi per modum imperij.

AD ALIVD dicendum, quòd nihil prohibet aliquem actum eſſe & ſacramenti & virtutis , ſecundum diuerſas rationes:& hoc præcipue in hoc ſacramento,quod ordinatur contra actuale peccatum , quod contrarium eſt virtuti quæ reſpicit actum liberi arbitrij. Vnde quantum ad ipſam ſimplicem enuntiationem veritatis,confeſſio veritatis eſt quæ eſt virtus : ſed ſecundum quod eſt in tali foro & forma & cum ſignis talibus , eſt actus ſacramenti:& hoc nihil prohibet.

AD ALIVD dicendum, quòd iſte actus non procedit à vitioſo , ſed ab habente veritatem aliquam vel in poteſtate liberi arbitrij,vel ſecundum gratiam, vel ſecundum habitum ciuilem. Si enim pœnitens eſt in charitate quando confitetur:tunc nulla eſt obiectio. Si autem verax ex conſuetudine , etiamſi ſit in aliis vitiis : iterum nulla eſt obiectio : quia conſuetudinalium vna meo iudicio habetur, alia non habita. Si autem nec conſuetudinalem habet:tunc dicendum , quòd ille actus veritatis in confitente eſt à libero arbitrio potente in actum generatiuum virtutis conſuetudinalis: licet enim virtutes ſecundum habitum & vitium ſibi oppoſitum non ſimul inſint , tamen actus ordinatus ad virtutem generandi,poteſt eſſe ſimul cum vitio, licet virtuti oppoſito : & ideo non eſt ille actus à vitioſo inquantum vitioſus.

ARTICVLVS XVI.

An definitiones pœnitentiæ ſint bene datæ?

QVinto quæritur, Quid ſit diffinitione & eſſentia ? Inueniuntur autem plures diffinitiones confeſſionis , quas omnes quæ occurrunt ponemus. Diffinitur autem à Magiſtris qui preceſſerunt nos ſic, Confeſſio eſt peccatorum ſacramentalis delinquentis accuſatio , ex erubeſcentia & per claues ſatisfactoria , obligans ad peragendum pœnitentiam iniunctam. Alij autem prædeceſſores noſtri diffiniunt eam ſic, Confeſſio eſt legitima peccatorum explanatio. Greg. Confeſſio eſt peccatorum detectio , & ruptio vulneris. Aug. ſic , Confeſſio eſt per quam morbus latens , ſpe veniæ aperitur. Alij quidem nouitij,vt Raymundus, diffinierunt ſic, Confeſſio eſt legitima coram ſacerdote peccatorum declaratio.

Obiicitur

Obiicitur autem de prima diffinitione sic, Sacramentale est denominatiuum à sacramento: nullum autem denominans sit substantiale illi quod denominat: ergo sacramentum non est substantiale confessioni, quod falsum est, cum confessio sub sacramento sit sicut pars sub toto.

2 Item, Cum confessio sit actus virtutis moventis ad confessionem, ita deberet dicere, virtutis delinquentis accusatio, &c. sicut sacramentalis.

3 Item, Sicut se habet actus virtutis ad virtutem, ita se habet actus sacramenti ad sacramentum: sed nullus actus virtutis dicitur esse virtuosus, sed potius virtutis proprie: ergo nullus actus sacramenti debet esse sacramentalis, sed potius sacramenti.

4 Item, Intinctio non dicitur esse baptismalis, nec signatio confirmationalis actus: ergo videtur, quòd nec confessio debet dici sacramentalis.

5 Item, Quare nō denominatur à proximo genere, ita quòd diceretur, confessio est pœnitentialis delinquentis, &c. Videtur enim, quòd sic fieri deberet: quia proximius se habet confessio ad pœnitentiam, quam ad sacramentum in genere: ergo magis debuit denominari ab illa.

6 Item obiicitur de hoc quod dicitur, Delinquentis: confessio enim non videtur esse delinquentis, sed qui deliquit, & pœnitet.

7 Item, Nullus delinquens inquantum huiusmodi, est pœnitens: sed omnis confitens inquantum huiusmodi, est pœnitens: ergo nullus pœnitens inquantum huiusmodi, est delinquens: ergo confessio non est delinquentis.

8 Si forte tu dicas, quòd intelligitur de delicto veniali, quo in multis offendimus omnes: sine quo vt dicit August. vita non ducitur. Contra: Huiusmodi delinquentis actus est oratio & alia multa: ergo sicut cadit in diffinitione confessionis, ita cadere deberet in definitione orationis, contritionis, charitatis, & omnium aliorum.

9 Præterea, Hæc est per accidens secundum istam expositionem, confessio est sacramentalis delinquentis accusatio: quia sensus est, eius qui quòtidie delinquit: nihil autem per accidens debet poni in diffinitione, præcipue quod est per accidens huiusmodi, quia hoc infinitum est, & nihil per ipsum potest notificari: ergo male dixerunt antiqui diffiniendo, quod confessio est accusatio delinquentis.

10 Vltèrius obiicitur de hoc quod dicitur, Accusatio. Apud rhetorem enim & ciuilem non est idem accusans & reus: hic autem vt reum se præsentat confitens: ergo videtur, quòd non sit accusans: ergo confessio non est accusatio.

11 Item, Nullus accusatur iuste in iudicio cui non conceditur locus defensionis: si ergo confitens accusatur ab aliquo, siue ab alio, siue à seipso, debet ei in eodem foro concedi locus defensionis: & ita non erit vitium confessionis si sit cum defensione peccatorum, quod falsum est, cum dicat Psal. 140. Psalm. Non declines cor meum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis. Præterea quæritur, Cum conscientia sit testis, quare non dicitur, testificatio sicut accusatio?

12 Vlterius quæritur de hoc quod dicit, Ex erubescentia. Quia hoc non videtur esse substantiale confessioni: quia non omnes possunt habere erubescentiam.

13 Item, Sicut se habet dolor sensibilis ad contritionem, ita se habet erubescentia ad confessionem: sed contritio non diffinitur per dolorem sensibilem: ergo nec confessio est diffinienda per erubescentiam, vt videtur.

14 Item, Super illud Psalm. Tu scis improperium meum & confusionem meam, &c. distinguit August. in Gloss. inter erubescentiam siue verecundiam, & confusionem: quia confusio est cum remorsu conscientiæ, quando vera obiiciuntur. Erubescentia autem est, quando falsa obiiciuntur cum verecundia. Cum ergo confitens verecundetur cum remorsu conscientiæ, videtur quòd potius debuit dicere, ex confusione, quam erubescentia. Psal. 68.

15 Item, Non videtur esse verum, quòd ex hac erubescentia sit satisfactoria: quia erubescentia illa passio etiam corporalis est: & nulla passio corporalis est meritoria: ergo ex illa satisfactoria non est confessio.

16 Vlterius quæritur de hoc quod dicit, Per claues. Quod enim sine clauibus est satisfactorium, non habet vim satisfaciendi per claues: confessio est huiusmodi: ergo non habet vim satisfaciendi per claues. Prima patet per se. Secunda probatur: quia in Veteri Testamento non fuerunt claues, & tamen fuit ibi aliquo modo confessio sacramentalis: & in Nouo Testamento quandoque fit confessio non habenti claues, & tamen satisfactoria est confessio.

17 Præterea obiicitur de hoc quod dicitur, Satisfactoria. Quia satisfactio est pars condiuidens pœnitentiam cum confessione: ergo vna non debet poni in diffinitione alterius.

18 Item, Quæ diuersa sunt specie, horum actus & effectus proprij sunt diuersi: confessio & satisfactio diuersæ sunt specie: ergo actus earum & effectus proprij sunt diuersi: constat autem, quod satisfactionis actus propriissimus est satisfacere: ergo ille actus non est confessionis: ergo confessio non est satisfactoria, vt videtur.

19 Vlterius quæritur de hoc quod dicit, Obligans, &c. Confitens enim non est obligatus ex hoc quod confitetur, sed potius ex voluntate sequenti, qua auditam & taxatam sibi recipit satisfactionem: ergo confessio non est obligans, vt videtur.

20 Item, Si obligat ad satisfactionem: ergo omnis confessio obligat ad illam. Ponamus ergo, quòd aliquis sæpe confiteatur idem peccatum pluribus sacerdotibus, & illi diuersas iniungant pœnitentias, quarum quælibet per se sufficeret: ergo iste obligatur ad omnes illas peragendas: ergo ex confessione obligatur ad maiorem pœnitentiam, quam ex peccato sustinere debeat. Et hoc est inconueniens, cum confessio aliquid diminuat de pœna peccato debita secundum se.

21 Item, Siue iniuncta est insufficiens, vel nimis magna: adhuc videtur, quòd obligetur ad illam: & sic confessio grauaret eum, & non alleuiaret, quod est valde inconueniens.

22 Item obiicitur de hoc quod dicit, Iniunctam. Videtur enim ex hoc quod non possit mutari per alium pœnitentia illa: & hoc falsum est.

23 Item, Videmus de iniunctis pœnitentiis tota die fieri relaxationes per indulgentias: ergo videtur, quòd confitentes non obligantur ad peragendum pœnitentias iniunctas.

De ſecunda autem diffinitione obiicitur, qua dixerunt antiquiores, quòd confeſſio eſt legitima peccatorum explanatio. Legitima enim eſt quæ lege docetur, vel lege editur: & modum confeſſionis non inuenimus expreſſum in noua vel veteri lege: ergo videtur, quòd non ſit legitima explanatio peccatorum.

2 Item videtur, quòd non ſit tantum peccatorum: quia etiam circunſtantias aliquando confiteri tenetur: & ſic videtur eſſe diminuta.

3 Item, Non videtur eſſe explanatio, ſed ſimplex enarratio: non enim exponit peccata confitens, ſed ſimpliciter enarrat.

Obiicitur etiam de illa quæ eſt Gregorij de hoc quòd dicit, Peccatorum detectio. Cum enim detegere peccatum ordinetur ad ſcandalum proximi, videtur quòd peccata non ſunt detegenda, ſed potius tegenda.

2 Item, Iſa. primo vituperantur qui detegunt peccata ſua, cum dicit, Peccatum ſuum ſicut Sodoma prædicauerunt, nec abſconderunt. Ergo confeſſio non erit detectio.

3 Vlterius quæritur de hoc quod dicit, Ruptio vulneris. Hæc enim locutio metaphorica eſt: ergo non debet poni in diffinitione eius cui aptatur metaphora: hæc autem eſt confeſſio: ergo non debet ponit in diffinitione confeſſionis.

4 Item, Conſtat, quòd idem eſt non differens niſi per locutionem ſignificatiuam, detectio peccati & ruptio vulneris: ergo neutrum contrahit alterum: ſed detectio peccati poteſt fieri bene & male, & confeſſio non niſi bene: ergo communius ſe habet peccati detectio, quã confeſſio, & contrahitur: ergo diffinitio non eſt conuertibilis cum diffinito: ergo non eſt propria ipſius: quod eſt inconueniens, ſiue ſit diffinitio, ſiue deſcriptio per propria.

Vlterius quæritur de illa quæ eſt Auguſt. Confeſſio eſt per quam morbus latens, ſpe veniæ aperitur. Non enim confeſſione tantum aperitur morbus latens, ſed etiam morbus apertus: quia generalis eſt confeſſio de omnibus, ſiue occultis, ſiue apertis: ergo male dicit, Morbus latens.

2 Item, Si latens eſt: tunc quæratur, Quem eſt latens? Aut ſacerdotem & alios: aut ſacerdotem ſolum, vel alios ſolos. Et quodcunque iſtorum detur, non erit confeſſio de crimine aperto ſacerdoti & aliis, vel ſacerdoti ſoli, vel aliis ſolis, quod eſt inconueniens, cum de omnibus ſit confeſſio.

3 Præterea quæritur de hoc quod dicit, Spe veniæ. Quia vt frequenter, confeſſio fit magis timore pœnæ: ergo diffinienda erat per pœnæ timorem.

4 Item demus, quòd iſte non confiteatur ſpe veniæ: & tamen nihil eorum quæ fecit, celet ſacerdoti: ergo iſte non erit confeſſus, & tenetur iterare confeſſionem, quod non dicitur.

5 Vlterius quætitur de hoc quod dicit, Aperitur. Videtur enim, quòd magis clauditur: quia illud quod dicitur in confeſſione, ſigillo confeſſionis clauditur: ergo non aperit.

Vlterius quæritur de vltima, quæ dicit, quòd eſt legitima peccatorum coram ſacerdote enarratio. Videtur enim, quòd non ſemper ſit coram ſacerdote, cum dicatur Iacobi vltimo, Confitemini alterutrum peccata veſtra. Et ibi dicit Gloſſ. Maiora maioribus, minora minoribus. Et non dicit, quòd ſemper debeat fieri ſacerdoti. Et quia de hoc magnus occurrit tractatus in ſequenti diſt. nunc iſta ſufficiant.

Solutio.

SOLVTIO. Dicendum, quòd prima diffinitio melior eſt omnibus aliis: quia colligit eſſentialia omnia, & ſubiectum proprium, & finem, & ea vnde trahit virtutem delendi peccatum. Eſſentialia enim ſunt ea quæ tanguntur cum dicitur, Sacramentalis accuſatio. Accuſatio enim genus eſt, & ſacramẽtalis differentia diſtinguens ab accuſatione ciuili & rhetorica. Delinquentis autẽ contrahit ſicut ſubiectum ſpecificat paſſionem: quia ſicut dicit Commentator ſuper 7. metaph. Subiectum proprium in diffinitione paſſionis eſt loco differentiæ vltimæ quæ conuertibilis eſt, vt dicit Philoſophus in 7. primæ Philoſophiæ. Ea autem vnde trahit virtutem delendi peccatum, ſunt erubeſcentia & claues: finis autem eius eſt vt taxetur ſatisfactio ad quam obligat ſe peragendam.

AD HOC ergo quod primo obiicitur de hoc quod dicit. Sacramentalis, dicendum quòd differentia contrahens per modum qualitatis eſt in diffinitione, licet ſit qualitas eſſentialis: & quia accuſatio non eſt ſacramentum proprie, ſed actus eius, ideo non eſt qualitas eſſentialis ſacramenti niſi informatiue & denominatiue: & ideo licet confeſſio ſecundum ſe ſit ſacramentum, tamen quia diffinitur hic per actum, & actus denominatur à ſacramento, ideo denominatiue diffinitur. Vel poteſt dici, quòd ſacramentale, ſicut & rationale dicitur dupliciter, ſcilicet vt differentia quæ facit ſacramentum eſſe ſacramentum: & hoc modo non prædicatur denominatiue de diffinito, ſicut nec rationale, quando dicitur, homo eſt animal rationale: & ita dicitur hic accuſatio ſacramentalis, quæ eſt ſacramentum quoddam, ſicut animal rationale animal quoddam: & non ponitur ſacramentale vt denominans, ſed potius in actu differentiæ conſtituentis. Alio modo dicitur ſacramentale à potentia ſacramenti conſequente eſſe ſacramenti ipſius: & de illo verum eſt, quòd eſt denominatiuum, ſicut & rationale acceptum de potentia ratiocinandi conſequente eſſe hominis: & per hoc patet ſolutio ad primum.

AD SECVNDVM dicendum, quòd falſum ſupponitur in obiectione: quia actus quandoque denominatur à virtute: vnde dicitur actus virtualis vel virtutis: & tamen ſi non fieri concedatur, ſoluendum eſt ſicut præcedens.

AD ALIVD dicendum, quòd tinctio ſacramentalis dicitur baptiſmus, ſed non baptiſmalis proprie: quia baptiſmus nominat totam ſpeciem ſacramenti, & non ſolam differentiam ipſius quæ ſignificabilis eſt per modum qualitatis, ſed non ſpecies: & ita dicitur hic ſacramentalis & non pœnitentialis: & per hoc patet ſolutio ad ſequens.

AD HOC quod obiicitur de hoc quod dicit, Delinquentis, ſoluendum eſt quòd dicitur hic delinquentis ſecundum habitum, non ſecundum actum: non ita quod habeat habitum peccatorum, ſed quia habuit ipſum, & eſt in mutando eum in habitu virtutum: & talis bene poteſt eſſe in ſtatu pœnitentiæ.

AD ALIVD dicendum, quòd verum eſt, quòd nullus delinquens in actu eſt pœnitens, ſed delinquens modo prædicto poteſt eſſe pœnitens.

AD ALIVD dicendum, quòd bene concedo, quòd non intelligitur de delicto veniali.

AD

Ad hoc quod vlterius quæritur obiiciendo de accusatione, dicendum quòd aliud est in foro pœnitentiæ, & aliud in foro iudicij. In foro enim pœnitentiæ nulli quantumcunque veraci creditur contra confitentem, sed tamen sibi creditur contra se: & ideo statur accusationi confitentis. Sed in foro iudicij exterioris totum econtra: quia homini nihil creditur ibi pro se, sed potius alij qui exceptione est maior: & ideo in illo iudicio alius est accusans, & alius est reus & accusatus.

Ad alivd dicendum, quòd quando accusatio fit post conuictionem, non datur locus defensionis. Et simile est in confessione: quia accusatio est testimonium conuincens confitentem per relationem ad conscientiam: & ideo nullus datur sibi locus defensionis.

Ad alivd dicendum, quòd erubescentia duplex est, scilicet spiritualis, & illa quæ relinquit passionem in corpore. Spiritualis autem timor est in turpi accusatione ne manifestetur, vel cum manifestatur: sicut trahi potest de verbis Damasc. & illa quæ est spiritualis exigitur ad confessionem, & non illa quæ fit in corpore per exteriorem ruborem: sicut enim in præcedentibus habitum est, illa variatur secundum hominum diuersam complexionem.

Ad alivd dicendum, quòd illa probatio satis bona est: quia conceditur, quòd non exigitur nisi erubescentia spiritualis.

Ad alivd dicendum, quòd Glossa illa propriissime accipit confusionem & erubescentiam: sed hic communiter sumitur erubescentia pro confusione.

Ad alivd dicendum, quòd passio secundum quod est facta & voluntate informata, etiamsi sit illata, meritoria est, sicut patet in quæstione præcedenti de contritione.

Ad alivd dicendum, quòd confessio quæ non subiicitur clauibus actualiter, non est simpliciter confessio, sed secundum quid: & bene concedo, quod in Veteri Testamento non fuit confessio nisi secundum quid: & ratio huius patet ex præcedenti articulo quæstionis. Confessio autem quæ fit alij quam sacerdoti, non est confessio nisi inquantum supplet locum confessionis: sicut baptismus pœnitentiæ, non est baptismus nisi inquantum supplet locum baptismi.

Ad alivd dicendum, quòd alius modus satisfactionis est in confessione, & alius est in ea parte quæ stricte dicitur satisfactio: quia in confessione est satisfactio per mortem & passionem Christi de parte pœnæ quæ improportionabilis est, & ideo inarbitrabilis: sed in satisfactione est deletio delicti pœnæ taxatæ. Nec est inconueniens, quòd contritio & confessio induant aliquo modo satisfactionis rationem, secundum quod large sumitur satisfactio: quia sicut supra habitum est, pœnitentia aliquo modo totum homogenium est in suis partibus: & sic pœna satisfaciens est in omnibus tribus.

Ad alivd dicendum, quòd illæ partes mediæ sunt inter diuersas & homogenias: & ideo cum non omnino sint diuersæ, non tenet id quod obiectum est. Et huius ratio valde de facili patet si respiciatur id quod notatum est de partibus illis in principio huius distinctionis.

Ad alivd dicendum, quòd in veritate voluntas amplectendi pœnitẽtiam iniunctam significatur in confessione: quia sicut præponit sibi secundum rationem & tempus contritionem in re vel in præsumptione sacerdotis, ita coexigit voluntatem obediendi in susceptione iniunctæ satisfactionis: & ideo ex ipsa confessione ratione eius quod exigit in pœnitente, obligatur ad illam.

Ad alivd dicendum, quòd sacerdotes proprios nullus pœnitens & confitens habet plures, sed vnum solum, & illius solius tenetur pœnitentiam peragere, quæ est iniuncta secundum canonum statuta: quia alias non proprie dicitur iniuncta satisfactio. Si autem alij ex abundanti confitetur, ille debet inquirere iniuncta à proprio sacerdote, & nihil superordinare si secundum canonum statura iniuncta est.

Ad alivd patet solutio per iam dicta: quia non est satisfactio proprie, nisi quæ est secundum arbitrium canonum vel canonici sacerdotis, & non secundum arbitrium voluntatis hominis, quam iniungit aliquis ignorans vel malitiosus.

Ad alivd dicendum, quòd ex causa mutari potest iniuncta ab eo qui habet auctoritatem: sed tunc perficit eam in æquiualenti vel simpliciter vel secundum reputationem Ecclesiæ. Per habita patet etiam solutio ad sequens & ad vltimum: quia indulgentiæ fiunt in commutationibus secundum æquiualens in reputatione Ecclesiæ, vel simpliciter.

Ad id quod obiicitur de secunda, dicendum quòd illa non colligit nisi essentialia constituentia confessionem. Ad id autem quod primo obiicitur, dicendum quòd legitima dicitur à lege ordinante modum accusationis in foro confessionis: & hæc quidem lex in vniuersali promulgata est à Deo, vt patuit supra cum disputaretur, cuiusmodi præceptum esset quod est de confessione: sed hoc quod vniuersaliter dictum est à Deo, explanatum & interpretatum est ab Ecclesiasticis Doctoribus & Prælatis: & ideo legitima dicitur & lege veteri & lege noua & lege patrum.

Ad alivd dicendum, quòd circunstantia aliquid peccati ponit: & ideo peccatum secundum se non explanatur, nisi circunstantiis suppositis, vt dicetur infra in hac eadem distinct.

Ad alivd dicendum, quòd non est enarratio simplex, sed oportet vt explanetur modus, vt intelligat sacerdos quantitatem criminis. Enarratio autem simplex ad hoc non sufficit.

Ad alivd autem quod obiicitur de tertia quæ est Gregor. in moralibus, tractantis illud Isa. 38. Iussit Isaias vt tollerent massam de ficis & cataplasmarent super vulnus, &c. Dicendum, quòd non est diffinitio vel descriptio, sed potius quædam adaptatio allegoriæ. Et per hoc patet solutio ad primum.

Ad alivd dicendum, quòd est peccati vt peccati detectio, & detectio eius quod est peccatum. Peccatum autem vt peccatum non detegitur nisi in confessione sacerdoti: sicut naturæ morbus vt morbus non detegitur nisi medico, vel ei qui est in loco medici in consilio & adiutorio medicinæ. Sed id quod est peccatum, detegitur quandoque iactanter: sed tunc detegitur vt laudabilis actus, secundum quod laudabile est apud eos qui lætantur cum malefecerint, & exultant

tant in rebus peſſimis. Et de illis loquitur Proverb. 2.

Ad aliud dicendum vt prius dictum eſt.

Ad aliud dicendum, quòd ſi per ſe intelligatur locutio, tunc conuertibilis eſt vt proprium, ſed non vt diffinitio: quia bene videtur mihi, quòd Gregor. diffinire confeſſionem vel deſcribere non intendit.

Ad id quod vlterius quæritur de quarta, dicendum quòd illa data eſt in comparatione ad mouens ſiue inclinans ad confeſſionem: hoc enim eſt ſpes veniæ. Ad id autem quod contra obiicitur, dicendum quòd aperitur & clauditur peccatum in confeſſione: clauditur enim ab aliis, ſed aperitur ei qui eſt in loco Dei: & hoc vocat Auguſt. hic apertionem.

Ad aliud dicendum, quòd etiam ſi ſciatur, non tamen ſcitur per modum conuictionis: ſicut etiam iudex non iudicat de hoc quod ſcit vt homo, ſed de hoc quod ſcit vt iudex. Similiter peccatum dicitur latens quando de eo non poteſt fieri iudicium: quia in foro illo, ſcilicet confeſſionis non eſt denuntiatum.

Ad aliud dicendum, quòd non eſt ita eſſentialis timor confeſſioni ſicut ſpes: timor enim ſi ſolus eſſet, non inclinaret ad confeſſionem, ſed potius ad taciturnitatem propter deſperationem: & ideo non erat ita diffinienda confeſſio per timorem ſicut per ſpem.

Ad aliud dicendum, quòd ſi aliquis ſine ſpe confiteatur, non tenetur iterare confeſsionem, propter hoc quod ſacerdos ſcit quicquid fecit: ſed deſperationem tenetur confiteri eidem. Si autem alij confiteatur, cum ipſe non acceperit ſatisfactionem condignam, dico quòd in toto cum ſpe opinata ad minus tenetur facere confeſſionem.

Ad aliud patet ſolutio per ante dicta: quia id quod dicitur in confeſsione, ei clauditur & aperitur.

Ad id quod quæritur de vltima, dicendum quòd eſt eadem cum ſecunda, niſi quòd apponit proprium auditorem confeſsionis qui eſt ſacerdos.

Ad id autem quod contra obiicitur, dicendum quòd maiora in Gloſſ. dicuntur peccata mortalia, & minora dicuntur venialia quæ non tenemur confiteri niſi in generali confeſſione: & hæc eſt confeſsio non confeſsio ſimpliciter, ſed ſecundum quid: & ita patet ſolutio ad omnia quæſita.

ARTICVLVS XVII.

An aliquis & quis articulus fidei moueat ad confeßionem?

SExto quæritur, Quis articulus fidei moueat ad confeſsionem? Videtur autem, quod ratione eius qui eſt, Vitam æternam: ſpes enim eſt de vita æterna: quia ſpes veniæ, vt patet ex diffinitione Auguſt. mouet ad confeſsionem ex parte fidei: ergo videtur, quòd articulus de vita æterna moueat ad confeſsionem ex parte fidei.

2 Item videtur, quòd aut ille, aut qui eſt de pœnis moueat ad confeſsionem: ſed timor pœnæ non eſt laudabilis, quia dicit Auguſt. de tali timore, quod nemo inuitus bene facit etſi bonum eſt quod facit. Cum igitur confeſsio ſit de rebus laudabilibus, videtur quòd magis ad eam moueat fides vitæ æternæ, quam pœnarum æternarum.

Sed contra vtrumque horum videtur obiici: paſsio enim Chriſti operatur in clauibus, & per claues eſt confeſsio ſatisfactoria: ergo videtur, quòd fides moueat ad confeſsionem ratione paſſionis Chriſti.

Videtur autem, quod ratione illius, Qui venturus eſt iudicare viuos & mortuos: quia hoc iudicium præuenit in ſe confitens, & aperit peccata ne in iudicio omnibus aperiantur: ergo ſi fides mouet ad confeſsionem, videtur quòd hoc faciat ratione illius articuli qui eſt de iudicio.

Solvtio. Dicendum ad hoc, quòd fides præcipue mouet ad confeſsionem ratione articuli qui eſt de vita æterna: quia in ſpe veniæ propter vitam æternam confitetur, quæcunque confitetur. *Solutio.*

Ad id aurem quod contra obiicitur, dicendum quòd paſsio effectum dat confeſsioni, & fides illuminat ad hoc quòd credatur talis effectus eſſe in clauibus: ſed tamen ratione illius non mouet ad confitendum: quia confitens non confitetur propter hoc, ſed ideo quod ſperat ſe propter hoc conſequi veniam peccatorum.

Ad aliud dicendum, quòd ille articulus adiuuare poteſt: ſed tamen principalis non eſt in mouendo: quia non conſequeretur veniam ex hoc, cum hoc magis ſit inductiuum timoris quam amoris.

ARTICVLVS XVIII.

Cui attributo in Deo innititur confeßio?

SEptimo & vltimo quæritur, Cui innititur attributo confeſsio in Deo? Videtur autem, quòd ſapientiæ & veritati: quia veritas creata exemplificatur & cauſatur à veritate increata: ſed veritas creata eſt in confeſsione: ergo cauſatur à ſapientia & veritate increata: ergo illi maxime innititur.

2 Item, Confeſsio dicitur debere eſſe prudens: & conſtat, quòd omnis prudentia exemplariter exit à ſapientia: ergo & confeſsio.

Contra: Confeſsio fit ſpe veniæ: ergo tota innititur miſericordiæ & bonitati.

Responsio. Ad hoc dicendum, quòd in veritate pœnitentia in tribus partibus ſuis configuratur Trinitati increatæ: compunctio enim ſiue contritio quæ ex modica pœna commutat æterna tormenta, tota innititur bonitati quæ attribuitur Spiritui ſancto. Confeſsio autem quæ legitima eſt & prudens computatio peccatorum vt æſtimetur ad pœnitentiam, reſpondet ſapientiæ quæ attribuitur Filio: & ſatisfactio quæ ſecundum vires amplectitur iniuncta, fulcitur potentia quæ Patri appropriatur. Concedantur ergo duæ primæ rationes, licet non ſint multum validæ ad hoc probandum. *Solutio.*

Sed ad aliud dicatur, quòd licet motiuum ad confeſsionem innitatur miſericordiæ, tamen ipſa confeſsio facta magis comparatur ſapientiæ propter cauſam dictam: non enim eſt verum, quòd ſi motiuum ad illud reſpondeat bonitati,

quòd

quòd etiam ipsum secundum se respondeat. Et est instantia: quia spes ædificandi Ecclesiam bonitati innititur & charitati: & tamen studium & doctrina ad quæ illa spes inclinat, exemplata sunt à sapientia diuina.

ARTICVLVS XIX.

An sufficiat per Ioannem facta institutio ad satisfactionem.

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Satisfactio à Ioanne præcipitur, vbi ait, Facite dignos fructus pœnitentiæ, &c.] Et quæremus hic tria, eo quod multa ante habita sint de satisfactione, & iterum postea habebuntur. Primum horum est, Vtrum sufficiat ad satisfactionem institutio facta à Ioanne? Secundum autem, Vtrum satisfactio sit in præcepto, vel non? Tertium autem, Qui sunt digni fructus pœnitentiæ, & vtrum sit idem satisfacere, & dignos fructus pœnitentiæ facere?

Videtur autem circa primum, quòd non sufficiat: quia satisfactio est pars sacramenti pœnitentiæ: sed in hoc sacramento exigitur institutio diuina: ergo etiam in satisfactione.

2 Item, Effectus gratiæ non est nisi à Deo, vt dicit Bernard. super Cantic. Sermone 5. ergo vas etiam necessario continens gratiam, dummodo non sit fictus qui accidit: ergo illud non est determinate nisi Dei: constat autem, quòd satisfactio sacramentalis est etiam pars sacramenti: ergo videtur, quòd non sufficiat institutio Ioannis.

3 Aliter autem obiicitur ad idem: semper enim necessaria fuit satisfactio peccanti actualiter: ergo etiam ante Ioannem: non ergo præcipitur à Ioanne, vt videtur, sed ante eum fuit in præcepto.

4 Item, Satisfactio aut respondet peccato naturæ, aut peccato personæ. Constat autem, quòd non peccato naturæ: quia pro illo non potest satisfacere purus homo, vt probat Ansel. in lib. cur Deus homo. Si respondeat peccato personæ: ergo obligat personam secundum se in quolibet statu suum peccatum ad satisfaciendum: ergo videtur, quòd non præcipitur à Ioanne tunc primo quando incepit fides Noui Testamenti prædicari.

5 Item, Satisfactio est de iure naturali: ergo hanc non opinio genuit, sed vis innata inseruit: ergo non est instituta à Ioanne, vt videtur.

Solutio. RESPONSIO. In satisfactione tria sunt consideranda, scilicet pro quo satisfit, & quis status, satisfacientis, & cui satisfit. Id pro quo satisfit, semper fuit, ex quo cœpit peccatum intrare in mundum, & non fuit in ea diuersitate nisi in quantitate peccatorum. Sed status satisfacientis non semper fuit vnus: & cum statui illi respondeat per congruentiam modus satisfaciendi, non fuit vnus: cum enim omnis nostra satisfactio vim trahat à satisfactione Christi, sicut dicit Ambros. & ponitur in 3. lib. distinct. 19. cap. Peccata quoque nostra, &c. Et ibi multa sunt notata quæ dicentur illuminantia. Et quia omnis nostra pœnitentia trahit vim à pœna & satisfactione sua: ideo illi pœnæ futuræ quæ nondum erat nisi in fide satisfacientium congruus erat modus præsignans pœnam illam & satisfactionem: sicut in lege naturæ per sacrificia & figuras, etiam in lege Moysi per cæremonias. In lege autem noua quæ incipit à Ioanne, sicut dicitur Matth. 11. Lex & Prophetæ vsque ad Ioannem: à diebus autem Ioannis Baptistæ regnum cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud. A diebus, inquam, illis congruus modus est per imitationem Christi satisfactio, eo quod ex tunc cessauit præsignatio futuri, & manifestata est veritatis forma quam imitemur. Cui autem satisfit, Deus est, semper vno modo se habens. His prænotatis non est difficile respondere obiectis.

AD PRIMVM igitur dicendum, quòd aliter denuntiatur satisfactionis modus, & aliter instituitur: à Ioanne non fuit nisi denuntiatus, sed à Christo institutus, cum dicitur, Pœnitentiam agite Matth. 4.

AD ALIVD dicendum, quòd secundum quod satisfactio sacramentalis est & vim habens à passione Christi, habet à Deo institutionem: sed non oportet vt alia & alia institutione: quia vna institutione instituuntur totum & partes: vnde ipsa institutionem habet in suo toto quod est pœnitentia. Dicunt tamen quidam, quòd ibi instituit, vbi dixit leproso, quòd offerret pro emundatione sua quod instituit Moyses Luc. 5. sed hoc non est verum, nisi de figuratiua institutione.

AD ALIVD dicendum, quòd satisfactio secundum se abstrahens ab hoc modo & ab illo, semper fuit, etiam ante Ioannem: sed prout accepta consideratur cum modo significationis vel imitatione veritatis, non fuit semper: & quantum ad hunc modum promulgatur à Ioanne, & confirmatur à Christo, vt dicit Magister in litera.

AD ALIVD dicendum, quòd illa obiectio non concludit, nisi quòd semper oportuit satisfacere ex parte satisfacientis, & ex parte eius cui satisfit: & hoc bene concedendum videtur, quia non variatur nisi in modo, vt dictum est, quia ad Christum satisfacientem à quo nostra satisfactio vim trahit, illi respicere non poterant, nisi præsignando eam in signis. Hi autem qui à diebus Ioannis fuerunt, respicere ad ipsum non potuerunt, nisi imitando formam veritatis quæ manifestata est in ipso.

AD ALIVD dicendum, quòd satisfactio secundum se est de iure naturali, quod non opinio genuit, sed innata vis inseruit: sed modus satisfaciendi qui dictus est, totus est sacramentalis, & diuinus, & ideo ille variatus est secundum tempora diuersorum sacramentorum.

ARTICVLVS XX.

An satisfactio sit in præcepto?

SEcundo quæritur an sit in præcepto? Videtur autem, quod non: quia dicit Hieronymus, Anathema sit, qui dicit Deum aliquid impossibile præcepisse: sed impossibile est satisfacere: ergo satisfactio non est in præcepto. Probatio mediæ. Offensa crescit secundum eum in quem peccatur: sed Deus est infinitus in omnibus suis attributis: ergo offensa sui est infinita: ergo non

contingit satisfacere pro aliquo peccato,quia pro infinito nihil possumus rependere.

2 Item, Dicit Philosophus in quinto ethic. quòd percutiens principem, non contrapatitur tantum,sed morte condemnatur: ergo multo magis si offendit in infinitum maiorem, quam sit aliquis princeps: Deus autem in infinitum maior est: ergo offendens Deum plus debet soluere in infinitum: sed hoc non contingit soluere: ergo non præcipitur soluere, quia incassum præciperetur.

3 Item, Ipsum nomen satisfactionis videtur hoc ostendere: quia satisfacere dicitur facere satis: sed nunquam est satis, nisi sit secundum æstimationem peccati & offensæ: sed hoc in infinitum est, vt iam probatum est: ergo non est satisfactio nisi soluatur in infinitum:hoc autem soluere non contingit: ergo videtur,quòd præcipi non debeat.

4 Item,Alia via probatur hoc idem,Ponamus enim, quòd aliquis pluribus de causis sit debitor alicuius, scilicet quod debeat ei ex iure seruitutis, quod est vt nihil possideat nisi titulo domini, & corporaliter sit seruus glebæ, & tunc teneatur ei ex mutuo: quia nihil habet, nisi quod mutuo ab ipso accepit:& non plus accepit mutuo,quam habet in ipsis bonis:& iterum tertio debeat ei ex offensa, quia de rebus domini offendit eum grauissime:constat,quòd ille satisfacere non potest,Quia si dicas, quòd satisfaciet de bonis suis:contra hoc est, quia illa domini sunt. Si de persona: contra hoc est, quòd seruus est de persona, & totum debet domino etiam præter rationem offensæ. Sed constat, quòd similis casus est in homine in comparatione ad Deum: ergo videtur,quòd homo de peccato Deo satisfacere non possit:ergo non præcipitur ei.

Quæstiuncula. PRÆTEREA. Si præcipitur, quæratur, vbi præcipitur, in Nouo vel in Veteri Testamento? Si dicatur quod ibi, Pœnitentiam agite. Contra: Pœnitere non est satisfacere: quia aliquis pœnitet de eo de quo tamen nunquam cogitat satisfacere.

Si dicas,quòd ibi vbi Dominus præcepit leproso, vt pro emundatione sua offerret quod Moyses constituit. Contra: Quod constituit Moyses non respondebat quantitati peccati; ergo non erat satisfactiuum.

Si dicas, quòd à Ioanne præcipitur Matth. 3. vbi dicitur,Facite dignos fructus pœnitentiæ,&c. sicut Magister videtur dicere in litera. Contra: Digni fructus pœnitentiæ in eadem impossibilitate sunt,in qua est satisfactio:ergo nec illos contingit facere:ergo non præcipitur.

Si dicas,quòd inuenitur Matth. 12. vbi dicitur, quòd de omni verbo otioso quod locutus fuerit homo, reddet rationem in die iudicij. Contra: Sicut habitum est,non contingit rationem reddere de infinito: & peccatum mortale est infinitæ offensæ: ergo non contingit rationem reddere de illo.

Sed contra. SED CONTRA: Cuiuscunque debiti contingit soluere tantum & decuplum,ipsius contingit esse solutionem sufficientem: peccati autem contingit soluere tantum & decuplum: ergo peccati contingit esse solutionem sufficientem: ergo potest præcipi,& debet præcipi satisfactio.Probatio mediæ. Baruch. 4. Sicut enim fuit sensus vester vt erraretis à Deo decies, tantum iterum conuertentes requiretis eum.

2 Item,Matth. 18. Oblatus est vnus qui debebat decem millia talenta, & ille dixit. Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi.Ergo contingit reddere:ergo & satisfacere.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd licet quidam constituant hic magnam vim: tamen in veritate parua vis est in quæstione, & ex habitis in præcedenti de facili est determinabilis, distinguendo quòd duplex est modus satisfactionis, scilicet ad æstimationem offensæ, & ad voluntatem & arbitrium eius cui satisfit:& primo modo non contingit satisfacere, nec præcipitur:sed secundo, sicut dicitur Michææ 6. Indicabo tibi homo quid sit bonum, & quid Deus requirat à te. Quasi diceret, Non quod iustum est, sed quod requirit quod sufficit sibi. Et hoc confirmatur ex hoc quod habetur Luc.7. Duo debitores erat cuidam fœneratori: vnus debebat denarios quingentos, & alter quinquaginta: non habentibus autem illis vnde redderent, donauit vtrisque. Et Matth. 18. vbi dicitur, quòd misertus est Dominus serui illius, & dimisit ei vniuersum debitum. Ad omnia igitur quæ post inducta sunt, patet solutio: quia illa non probant, nisi quòd non contingit satisfacere secundum peccati perpetrati æstimationem: & hoc quidem est verum: & propter hoc totum est gratiæ quod sumus, sicut dicitur 1. Cor. 15. Gratia Dei sum id quod sum.

Ad quæstiuncu-lam. AD ID autem quod quæritur, Vbi præcipitur? Dicendum, quòd in multis locis:tamen secundum quòd est sacramentalis modus satisfactionis, sicut dicit hic magister, dico quòd promulgatur à Ioanne & confirmatur per præceptum à Christo Matth.4. ibi, Agite pœnitentiam,&c.

AD HOC autem quod contra obiicitur, dicendum quòd pœnitere dicitur dupliciter, vel etiam tripliciter. Vno enim modo pœnitudo in actu perpetrato signum est inuoluntarij per ignorantiam, quod meretur misericordiam & veniam, vt dicitur 2. ethic. Secundo modo est pœnitudo alicuius perpetrati non satisfaciens propter iniuriam, quando non vult satisfacere læso, vel propter desperationem, vt Iudas pœnituit. Tertio modo est pœnitentia afflictio sui cum proposito confitendi, & satisfaciendi pro malo commisso. Et hæc solummodo pœnitentia sacramentum & virtus est:& hanc præcepit Christus,quia hæc sola fructum inuenit salutis: & in illa præcipitur totum quod exigitur ad ipsam,scilicet confessio, & satisfactio. Posset tamen dici, quòd Matth. 7. præcipitur, vbi dicitur, Contendite intrare per angustam portam, &c. & Matth. 25. vbi dicit, quòd rationem posuit cum seruis suis, qui acceperant bona sua.

AD ID autem quod contra obiicitur, dicendum quòd non contingit soluere decuplum peccati intensiue, sed quasi extensiue per discretionem vel distinctionem, quia in decem præceptorum obedientia:& iste est sensus Baruch.

AD ALIVD dicendum, quòd seruus ille non intendit, quòd redderet secundum damni illati æstimationem, sed potius secundum æstimationem misericordiæ requirentis debitum:& ideo præmisit dicens, Patientiam habe in me, & omnia reddam tibi. Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICV

ARTICVLVS XXI.

An idem sit satis facere, & dignos fructus pœnitentiæ facere, & qui sunt fructus digni pœnitentiæ?

TErtio quæritur, Qui sunt digni fructus pœnitentiæ? & vtrum idem sit satisfacere, quod dignos pœnitentiæ fructus facere? Dicit autem Auctor in litera, & est in Glos. super Matth. 3. quòd digni fructus pœnitentiæ sunt, vt secundum qualitatem & quantitatem culpæ sit qualitas & quantitas pœnæ. Sed videtur, quòd hoc non possit esse: aut enim intelligitur hæc qualitas libidinis delectantis in peccato, aut qualitas actus peccati. Si primo modo. Contra: Sensibilis delectatio est, quæ est in peccato: nunquam autem sensibilis est in virtute & operibus misericordiæ: ergo non est similitudo in qualitate. Si secundo modo. Contra: Actus illi contrarij sunt: ergo similitudinem in qualitate non habent, quia dicit Philosophus in 5. primæ Philosophiæ, quod similia sunt quorum qualitas est vna.

2 Item videtur impossibile, quòd secundum qualitatem peccati sit qualitas pœnæ, hoc modo: quia culpæ qualitas non potest esse nisi secundum actum, quia culpa inquantum malum nihil est: in actu autem non est qualitas nisi secundum relationem ad agentem: hoc autem aut est secundum libidinem, aut secundum contemptum: secundum libidinem autem non potest esse qualitas pœnę, quia pœna amara est in sensu, & libido dulcis: secundum contemptum autem se habet etiam per oppositum: quia sicut peccans contemnit Deum & præceptum eius, ita per oppositum pœnitens in pœna se subiicit Deo & præcepto eius: ergo videtur, quòd nunquam sint secundum eandem qualitatem pœna pœnitentis, & culpa transgredientis.

3 Si forte tu dicas, quòd vocatur similitudo in genere, per contrarium, scilicet vt sicut placuit culpa in delectando, ita placeat pœna in sustinendo: hoc non competit literæ: quia hoc æqualiter est in parum peccante, & multum peccante: sed ista similitudo qualitatis non æqualiter est in parum & multum peccante: ergo non notatur similitudo in genere, vt videtur.

Quæst. 1. VLTERIVS quæritur de hoc quod dicit, Vt secundum quantitatem culpæ sit quantitas pœnæ. Aut enim æqualitas est in genere, aut in specie. Si in genere. Contra; Secundum hoc æqualiter est in parum peccante: quia magnæ culpæ magna pœna, & minori minor debetur: digni autem fructus non æqualiter sunt in parum & multum peccante, vt dicitur in litera: ergo non intelligitur de quantitate in genere. Si autem intelligitur de quatitate in specie. Contra: Quantitas culpæ est infinita, & quantitas pœnæ finita: ergo videtur, quòd nunquam contingit satisfacere per dignos fructus pœnitentiæ.

Quæst. 2. PRÆTEREA quæritur, Quæ est differentia hic inter qualitatem, & quantitatem? Constat enim, quòd non est hic per se quantitas continua, sed per accidens: hoc autem videtur esse intensio qualitatis, quæ facit vigorem peccati & magnum peccatum, & vigorem pœnæ & magnam pœnam: sed penes idem videtur esse similitudo vel proportio in qualitate: ergo in idem redeunt hic qualitas & quantitas.

Quæst. 3. PRÆTEREA quæritur, Quare dicuntur digni fructus pœnitentiæ, cum non sint fructus nisi in futuro: hæc autem opera facta potius assimilantur culturæ vel labori ad fructus percipiendos ordinato: sicut etiam Iacobus dicit, Ecce agricola patienter expectat fructum laboris sui.

Solutio. RESPONSIO. Sicut etiam supra habitum est in antecedenti distinctione, non sumitur hic fructus proprie, sed sumitur pro causa fructus quæ est causa fruitionis in futuro: dicuntur enim opera pœnitentiæ fructus, non quòd eis fruamur proprie hic, vel in futuro: sed quia cum gaudio spei vtimur eis ad obtinendum id quo fruendum est. Nec idem est esse bonos fructus, & dignos fructus pœnitentiæ: quia omnis arbor, id est, homo tenetur ad bonos fructus, & dignos fructus: qui boni dicuntur à radice, quæ bona est, quando liberum arbitrium virtute & gratia est informatum. Digni autem fructus sunt à proportione fructus ad statum arboris fructificantis: quia alij clerico, alij prælato, alij subdito, & sic secundum differentias alias fructificantium. Et hoc modo specialis status proportione habita ad opera pœnitentiæ dicuntur digni fructus, quando secundum qualitatem & quantitatem peccati, est etiam qualitas & quantitas pœnæ.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd qualitas peccantis hic attenditur cum qualitate peccati: qualitas peccantis est libera seruitus peccati: quia scilicet non coactus, nec exactus, sed libere diabolo seruiuit in gaudio: & hoc modo libere & cum gaudio seruiat Deo in pœnitentia. Qualitas autem peccati secundum formam peccati in specie, secundum quod vnum est carnale, & alterum spirituale, & aliud quasi medium, sicut ira, & auaritia: & ita debet esse in pœna corporali & spirituali & media: sicut ieiunium pœna est corporis, oratio humiliat spiritum, & eleemosyna damnum infert rerum exteriorum.

AD ILLVD ergo quod contra obiicitur, dicendum, quòd non respondet in specie delectationis: sed potius in similitudine subiecti delectationis, & pœnæ, scilicet quia vtrumque est corporale, quandoque & spirituale, & medium, vt dictum est.

AD ALIVD dicendum, quòd similitudo potest attendi dupliciter, scilicet in affectu proximo, & in affectu qui est causa proximi affectus: & in proximo quidem non potest esse similitudo: quia vnus est libido, & alter est charitas: sed in remoto, hoc est, in voluntate, bene potest esse similitudo: & etiam plus est in bono, quia Augustinus dicit, quòd charitas in infinitum plus diligit Deum, quam cupiditas aurum.

Ad quæstiunculam 1. AD ID quod quæritur de quantitate, dicendum quòd quantitas est hic duplex, scilicet intensiua, & discreta. Vna respondet magnitudini, & altera numerositati peccatorum: sed illa quæ est intensiua, attenditur ex multis, tamen præcipuum est species peccati vel genus: sicut dicimus in genere homicidium esse maius adulterio, & adulterium fornicatione, & in genere auaritiam maiorem fornicatione: in specie autem adulterium maius furto. Alia autem quantitas est ex circunstantiis agentis & actus, ex quibus dicitur magnum

peccatum,& illi debetur maior pœna quam minori: ſicut pluries peccanti vel vno genere peccati, vel duobus, plures pœnæ, vel vna diuturnior debetur.

AD ID ergo quod contra obiicitur,dicendum quòd in genere vocatur quantitas, vt dictum eſt: & non ſequitur quod infert: quia peccata etiam in genere non ſunt æqualia, ſed vnum maius, & alterum minus: & ideo etiam pœnæ erunt inæquales.

AD ALIVD dicendum, quòd quantitas & qualitas fundantur in eodem, ſed non ſunt idem, vt patet ex prædictis: quia qualitas vitium eſt ex illa parte qua trahitur in ſpeciem diſtinctam, vt carnale, ſpirituale, & huiuſmodi: vel ſpecialius adhuc vt fornicatio, delectatio ſecundum actum in fornicatione: & gula, delectatio ſecundum actum in gula: ſed quantitas accipitur ex quantitate ad totum.

ARTICVLVS XXII.

An circunſtantiæ aggrauent peccatum?

COnſideret qualitatem criminis in loco, &c.] Quæruntur autem hic ad intelligentiam iſtius loci ſex. Primum, Vtrum iſta aggrauant peccatum quæ dicit. Secundum, Vtrum aggrauant relinquendo actum in eadem ſpecie, vel nouam ſpeciem peccati conferendo? Tertium, Vtrum teneatur pœnitens omnia iſta confiteri prout in ſingulis actibus fuerunt? Quarto, Vtrum teneatur ea reuoluere in contritione & ſatisfactione? Quinto, Quæ & quot ſint iſtæ circunſtantiæ? Sexto & vltimo, Quæ comparatio ſit inter eas, ſcilicet vtrum aliquæ aggrauent plus, & aliæ minus, vel omnes aggrauent æqualiter.

Ad primum horum obiicitur ſic: A quibuſcunque trahitur argumentum accuſationis rei vel defenſionis in iudicio, illa aggrauant vel accuſant actum propter quem reus vocatur ad iudicium: ſed à circunſtantiis trahuntur argumenta huiuſmodi: ergo circunſtantiæ aggrauant vel excuſant actum rei propter quem iudicatur: ſed ille actus peccatum eſt: ergo circunſtantiæ aggrauant peccatum. Prima patet per ſe. Secunda ſcribitur à Tullio in primo rhetoricæ, vbi dicit, quòd circunſtantiæ ſunt à quibus trahuntur argumenta accuſationis vel defenſionis perſonæ in iudicio.

2 Item, Quæcunque ſunt conſtitutiuæ particulæ,in quibus eſt actus, dant actui formam mali vel boni,& maioris mali & maioris boni:circunſtantiæ ſunt huiuſmodi: ergo dant actui formam boni vel mali,&c. Prima harum iterum patet per ſe. Secunda ſcribitur à Damaſceno ſic. Singula ſunt quæ dicuntur à rhetore conſtitutiuæ particulæ: puta quis ſit qui fecit,quis eſt qui paſſus eſt, quid fecit,quo,ſcilicet organo,vbi,ſcilicet quo loco, & huiuſmodi.

3 Item, Quæcunque ſunt quæ quæſtionem rhetoricam de laude vel vituperio perſonæ faciunt, augent bonum & malum in actu perſonæ: tales autem ſunt circunſtantiæ: ergo augent bonum & malum in actu perſonæ. Prima patet per ſe. Secunda autem ſcribitur à Boëtio 4.topicorum ſuorum, vbi dicit, quòd circunſtantiæ ſunt quæ quæſtionem rhetoricam faciunt de laude vel vituperio perſonæ.

4 Item, Eccl.3.Omnia tempus habent.Ergo ſuo tempore ſunt meliora: ergo contraria eorum illo tempore ſunt peiora: ergo tempus aggrauat. Et idem argumentum eſt de aliis.

5 Item, Bernardus ad Eugenium,In ore ſecularis nugæ,nugæ ſunt: in ore vero ſacerdotis nugæ ſacrilegium ſunt. Ergo circunſtantia perſonæ aggrauat. Similiter eſt de aliis.

6 Item, Ezech.8. aggrauatur maltum contra Iudæos, quia idola in templo poſuerant, in tantum quod tunc gloria Domini ſcribitur recedere de loco ſuo: & non ſcribitur hoc quando colebant ea alibi,quam in templo: ergo etiam locus aggrauat.

7 Item, Iſa.57. Iuxta me diſcoperuiſti,& ſuſcepiſti adulterum. Quaſi diceret,Alibi fuiſſet tolerabilius Ergo videtur,quòd ſimiliter omnes aliæ aggrauent circunſtantiæ.

SED CONTRA: Auguſtinus dicit in ſecundo de libero arbitrio, quòd malum non eſt niſi auerſio ab incommutabili bono: conſtat autem, quòd priuatio non intenditur niſi per receſſum ab habitu: ergo magis malum non eſt niſi quia magis recedit:non ergo ex circunſtantiis: ſed circunſtantiæ non aggrauant, niſi magis malum faciendo: ergo videtur, quòd circunſtantiæ non aggrauent. *Sed contra.*

2 Item, Conſtat,quòd bonum commutabile, bonum eſt: ſed conuerſio ad bonum non eſt niſi in bono: ergo conuerſio ad bonum commutabile, bonum eſt. Conſtat autem, quòd omnes illæ circunſtantiæ ex illa parte circunſtent actum, qua fit conuerſio ad commutabile bonum:ergo nulla earum facit maioritatem in actu, vel auget,vt videtur: ergo nulla aggrauat peccatum.

3 Item, Conſtat, quòd malitia in actu defectus eſt: ergo non cauſatur vel augetur ab aliquo poſitiue, ſed potius defectiue, ſcilicet quia deficit ibi aliquid eorum quæ bonum facere vel augere deberent:cum ergo circunſtantiæ poſitiue cauſent quod cauſant, ſicut locus, tempus, & huiuſmodi, videtur quòd nulla earum vel facit malum,vel auget ipſum.

4 Item, Sicut dictum eſt, malitia in actu defectus eſt:ſi ergo cauſatur à circunſtantiis,conſtat quòd plures & differentes cauſæ, plures & differentes effectus relinquunt:ſed in actu peccati ſunt plures & differentes circunſtantiæ: ergo plures & differentes relinquunt malitias: ergo quodlibet peccatum efficeretur tot peccata, quot habet circunſtantias,quod abſurdum eſt dicere.

5 Item videtur, quòd malum grauari non poſſit: nihil enim efficitur grauius,niſi quod recipit intenſionem vel remiſſionem: nulla priuatio recipit intenſionem vel remiſſionem: ergo non intenditur. Prima patet per ſe. Secunda ſic probatur, illud quod nihil eſt, non eſt magis modo nihil,quam prius: priuatio autem nihil eſt: ergo conſtat propoſitum: ergo circunſtantiæ non grauant ipſum,vt videtur.

SOLVTIO. Ad hoc eſt abſque omni dubitatione dicendum, quòd circunſtantiæ aggrauant peccatum:licet enim non faciant bonum in actu vel gratiæ vel virtutis politicæ, tamen faciunt & augent malum in actu: & faciunt etiam bonum ciuile legale quod conſiderat iudex,qui non iudicat *Solutio.*

cat de habitu, sed de actu. Quod enim bonum gratiæ non faciant, nemini dubium est, qui non est de Pelagij hæresi: quia illud bonum & in habitu & in actu à solo Deo est. Quod iterum non faciant bonum virtutis politicæ, necessario patet ex hoc quod habetur in 2. ethic. vbi dicitur, quòd non sunt iusti & casti, qui operantur iusta & casta: sed qui vt iusti & casti, operantur iusta & casta: qui tamen considerant circunstantias in quibus est actus. Quod autem faciunt malum, patet quia vult Philosophus & beatus Dionysius, quòd malum causatur ab omnibus particularibus defectibus, siue in circunstantiis actus, siue in habitibus. Et sic constat tria per ordinem quæ præmissa sunt.

DICENDVM ergo ad primum, quòd in malo duo sunt, scilicet quia malum, & quia vitium: & ratio mali tota est recessio à bono: sed quia bonum perficit naturam, & sublata perfectione necesse est corrumpi id quod erat perfectum, ideo ex consequenti quasi in comparatione ad subiectum mali, incidit vitium, quod est corruptio boni naturæ & naturalium. Et hoc est quod dicit August. quòd malum est, quia nocet: nocet autem, quia adimit bonum: quia nisi tolleretur bonum, nec vitiaret, neque corrumperet. Et ideo auersionem boni sequitur necessario corruptio circunstantiarum. Dico autem auersionem boni in actu: quia de illo loquimur: & hoc modo aggrauatur malum ex circunstantiis corruptis, vt infra in solutione magis patebit.

AD ALIVD dicendum, quòd in veritate conuersio ad commutabile bonum inquantum huiusmodi, non est mala, sicut probat August. sed talis conuersio quæ concipit auersionem ratione defectus modi & harmoniæ debitæ ipsi conuersioni, est mala: verbi gratia, conuersio vt ad finem boni commutabilis: cum enim non possunt esse duo fines, necesse est conceptam esse auersionem in tali cõuersione, & incidit necessario defectus debiti modi & harmoniæ siue commensurationis in tali conuersione. Modus enim debitus huius conuersionis est, quòd relatione ad finem fiat conuersio, ad quem illud bonum ordinatur: & ille modus deest: harmonia autem, quòd circa Deum, vt læua sit sub capite, & dextra amplexetur: & illa iterum deest: & ex hoc defectu conuersio est mala, & non ex hoc quod est ad bonum commutabile. Cum autem conuersio illa concepta sit cum tali defectu qui est malus, hoc modo circunstant ipsam circunstantiæ, & non inquantum est conuersio solum: & ideo aggrauant ipsum malum.

AD ALIVD dicendum, quòd à nulla positione causatur vel augetur malum per se, sed per accidens: sicut etiam dicit Dionysius, quòd malum repugnat bono per bonum in quo est. Dico autem per aliud: quia talem conuersionem quæ est ad bonum conceptam cum malo, augent: & necessario ex hoc incidit defectus turpior ex hoc quòd priuatur modus in loco, vel tempore, vel persona, vel aliquo alio, quod est circunstantia personæ, vel negotij sui actus.

AD ALIVD dicendum, quòd non sequitur, si plures circunstantiæ sunt in actu, quòd plura faciunt peccata vel mala: sed potius, quòd ex defectibus plurium circunstantiarum in modo & harmonia, causabuntur plures deformitates in vno actu: & hoc ego plane concedo: & tale peccatum antiqui vocauerunt vnum peccatum multiplex, vel duplex, vel triplex, vel in alio numero deformitatum.

AD ALIVD dicendum, quòd priuatio non intenditur essentialiter, quia non est essentia aliqua: sed intenditur per recessum ab habitu: & sic malo peius est, quia pluribus vel plus elongatur à bono. Quod autem ita sit, dicit Aristot. in 4. primæ Philosophiæ loquens contra Eraclitum: quia sic contendit falso esse falsius: sicut magis mentitur qui dicit quinque esse mille, quam ille qui dicit quinque esse sex: Tunc oporteret concedere vnum esse verum, per cuius recessum dicatur falsius & falsum. Tamen contra istam solutionem obiici potest hoc quod dicit Anselm. quòd scilicet cæcitas non est magis aliquid in lapide, quam in homine non vidente, nec è conuerso. Constat autem, quòd in lapide magis recedat (quia non est natus habere) quam in homine qui natus est habere visum: ergo videtur, quòd maior vel minor recessus non causat intensionem & remissionem in malo. Et ad hoc dicendum, quòd priuatio dupliciter consideratur, scilicet in se, & in comparatione ad causam suam quam habet per accidens: & primo quidem modo non intenditur, neque remittitur: secundo autem modo intenditur, & remittitur. Causa autem per accidens priuationis est id quod cum sit, necessario coincidit priuatio: & hoc videmus in corporalibus: sicut si sit diuidens venas quæ dicuntur varices, vel tibiam, necessario coincidit claudicatio in gressu: ita si talis conuersio sit ad bonum commutabile, necessario coincidit defectus modi & harmoniæ, tam in circunstantibus actum, quam in ipso actu, vt prius dictum est: & quanto plus de talibus est, tanto plures coincidunt deformitates.

ARTICVLVS XXIII.

An circunstantiæ aggrauent, relinquendo actum in eadem specie?

SEcundo quæritur, Vtrum aggrauant relinquendo actum in eadem specie, vel speciem nouam peccati conferendo? Videtur autem, quòd nullam nouam speciem conferant: constat enim, quòd priuatio non specificatur nisi per subiectum & habitum cuius est: sed omnes circunstantiæ sunt eiusdem habitus & subiecti: ergo omnes illæ non conferunt nisi speciem vnam.

2 Item, Potentius est bonum, quam malum: & bonum ex omnibus circunstantiis suis non confert nisi speciem vnam: ergo nec malum ex circunstantiis suis confert nisi speciem vnam.

3 Item, Intensio & remissio non variant speciem: sed circunstantia non nisi intendit malum vel bonum in actu: ergo non variat speciem, sed relinquit eandem.

4 Item, Extrinsecum essentiæ vt est extrinsecum, nullam confert speciem: locus autem & tempus & huiusmodi sunt extrinseca: ergo nullam speciem conferunt: ergo nec aliæ circunstantiæ, vt videtur.

5 Item, Accidentia non variant speciem: circunstantiæ sunt accidentia actus: ergo speciem ipsius non variant. Probatur autem secunda ex hoc quod circunstantiæ loci, temporis, personæ, & auxilij, & omnium aliorum, sunt diuersarum actionum

num eiuſdem ſpeciei, diuerſæ & eædem: & tamen non propter hoc actiones in ſpecie variantur.

Sed contra. SED CONTRA hoc dicit Dionyſius, quòd malum cauſatur omnifariam: ergo ex corruptione cuiuſlibet circunſtantiarum: ergo cuiuſlibet circunſtantiæ corruptio cauſat ſpeciem mali ſingularem.

2 Item, Aliud eſſe conferunt circunſtantiæ actui: conſtat autem, quòd non eſſe naturæ: ergo moris: ergo ſecundum eſſe moris conferunt ſpeciem: ergo addita aliqua corruptione circunſtantiæ ſpecialis erit nouum eſſe moris: ergo & noua ſpecies peccati, vt videtur.

3 Item, Conſtat, quòd vnus ſpecie actus eſt in natura & in ſpecie naturæ, coire cum muliere: ſed ego video, quòd coire cum ſoluta facit vnam ſpeciem peccati, & coire cum coniugata aliam, & aliam iterum cum conſanguinea, aliam cum velata: & illi actus non differunt niſi per circunſtantias, vt videtur: ergo circunſtantia aggrauat, ſpeciem aliam actui conferendo.

4 Item, Rapere quoddam peccatum eſt ſimplex: rapere autem ſacrum, vel à loco ſacro, ſacrilegium eſt. Cum igitur rapere hinc inde non differat niſi per circunſtantiam, videtur, quòd circunſtantia aggrauat extra genus, aliam ſpeciem actui conferendo, quia hoc vocatur aggrauare extra genus, aliam ſpeciem actui conferre.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd nulla circunſtantia proprie aggrauat, aliam ſpeciem conferendo: eſſe enim ſubſtantiale actus moralis ſecundum ſpeciem eſt à fine voluntatis: ſicut enim dicit Philoſophus, Actus diffiniuntur per oppoſita, id eſt, obiecta: & hoc intelligitur de obiectis quæ ſunt fines: licet enim illud idem ſit materia circa quam eſt actus: tamen quia actus qui eſt circa obiectum illud, non eſt potentiæ niſi formatæ à ſpecie obiecti, ideo accipit eſſe actus ipſe à ratione ſubiecti ſecundum quod eſt mouens in intentione finis propter quem eſt actus. Hoc autem ex ipſa nominatione peccatorum patet, Fornicatio eſt delectatio ſecundum actum in fornicatrice, & adulterium in adultera vel coniugata, & auaritia in pecunia, & cæteris huiuſmodi. Circunſtantiæ autem ſunt conferentes bene eſſe vel male eſſe per modum paſſionis ipſi actui, ſiue ſint circunſtantiæ perſonæ, ſiue negotij. Et ideo nulla confert proprie loquendo ſpeciem, vel variat eandem.

DICENDVM ergo ad primum, quòd Dionyſius non intelligit hoc de corruptione circunſtantiarum vel omiſſione: quia bene quidem contingit, quòd bonum minus eſt laudabile, quando non eſt in ſuo tempore, vel loco: ſed tamen ex hoc non efficitur malum per ſe, vel ſpecies vitij, vel peccati mortalis: ſed Dionyſius intelligit hoc, ſicut Philoſophus, quantum ad materiam circa quam eſt virtus. Eſt autem circa tria, ſcilicet eligibilia ad opus, & ipſum opus, & circa paſſiones: ſicut prudentia eſt circa eligibilia ad opus operabilia per nos, vt dicit Philoſophus 6. ethic. Iuſtitia autem circa operationes, vt dicit quinto: & temperantia & fortitudo circa paſſiones, vt docetur in tertio. Cum igitur circa tot ſit virtus, ſemper ipſa ſubſtantialiter eſt medium in eo circa quod eſt, licet differenter: ſed vitium non eſt medium, ſed extremum. Et quia omnifariam contingit declinare à medio in quacunque materia, & non eſſe in medio niſi vno modo, ideo dicit quòd virtus eſt ex vna tota & ſola cauſa: & vitium omnifariam: quia medium corrumpitur quacunque declinatione ad extremum: tamen quod ſit medium, non habet à circunſtantiis: imo potius circunſtantiæ cauſantur ab eo quod ſubſtantialiter medium eſt, & ideo non conferunt aliud eſſe.

AD ALIVD dicendum, quòd circunſtantiæ non conferunt eſſe primum, ſed ſecundum non: tamen conferunt eſſe accidentis per accidens, ſed potius accidentis per ſe. Et quia ab eo quod eſt frequenter, trahitur quæſtio rhetorica, ideo faciunt quæſtionem rhetoricam, & laudem, vel vituperium: & hoc eſt eſſe moris. Primum autem eſſe habet actus à ſpecie obiecti circa quod eſt: quæ, inquam, ſpecies finis eſt operantis.

AD ALIVD dicendum, quòd coitus comparatur dupliciter ad potentiam, ſcilicet generatiuam quæ naturalis eſt: & ſic ipſe cum quacunque ſit, eſt vnius ſpeciei, quia actus generatiuæ diſcindentis ſemen ad ſalutem ſpeciei. Comparatur etiam ad potentiam ordinabilem per rationem: & hæc informatur multis ſpeciebus diuerſorum ſubiectorum, ſicut delectabilitas in fornicatrice, vel in coniugata, vel in maſculo, vel conſanguineo: & ſecundum hoc confert nouum eſſe actui ſuo: & ſic actus ille diuerſificatur in ſpecie moris quantum ad primum eſſe moralium actuum. Et ſi tu obiicias, quòd non videtur eſſe ſolutio: quia ille non delectatur in coniugata vel conſanguinea vt conſanguinea, ſed in muliere vt mulier eſt. Dicendum, quòd hoc eſt falſum: quia ſi delectaretur in muliere vt mulier eſt, in omni muliere delectaretur, quod falſum eſt. Vnde licet vellet non eſſe conſanguineam vel coniugatam, tamen voluntas eſt delectandi in hac quam ſcit eſſe coniugatam vel conſanguineam: & ideo per conſequens eſt voluntas delectandi in coniugata vel conſanguinea: quia aliter nullum peccatum erit voluntarium, & nunquam eſſet voluntas mali, & nos non eſſemus cauſa mali per voluntatem: quæ omnia contra Sanctos ſunt, & in 3. etiam ethic. optime improbata.

AD ALIVD dicendum, quòd rapere de ſacro, vel ſacra, habet voluntatem quæ eſt rapiendi de ſacro, vel ſacra, eodem modo quo dictum eſt de voluntate concumbendi cum coniugata: & ſic illa ſpecies mouens facit aliud peccatum: quia non eſt ibi circunſtantia tantum, ſed finis & forma dans ſpeciem & eſſe actui.

ARTICVLVS XXIV.

An pœnitens tenetur confiteri omnia peccata ſua, & circunſtantias?

TErtio quæritur, Vtrum pœnitens omnia iſta confiteri teneatur, prout in ſingulis actibus ſunt? Videtur autem, quòd ſic: diſtrictius enim eſt iudicium diuinum, quam humanum: ſed ex ſingulis circunſtantiis accuſatur in iudicio humano: ergo ex ſingulis circunſtantiis debet accuſari in iudicio diuino: & ipſe eſt accuſator ſui in confeſſione tanquam in iudicio diuino: ergo tenetur accuſare ſeipſum.

2 Item, Quantitas mali & turpitudinis debet innoteſcere ſacerdoti in confeſſione: ſed non poteſt innoteſcere, niſi innoteſcant omnia aggrauantia:

uantia:ergo tenetur ea narrare confitens : sed omnes circunstantiæ aggrauant, vel alleuiant : ergo omnes illas enarrare tenetur.

3 Item, *In litera* videtur hoc dici ab August. expresse hic:ergo videtur, quòd tenetur ea omnia confiteri.

4 Item, *Genes.* 19. præcipitur Lot, vt egrediatur à Sodomis:& adiungitur, vt non stet in omni circa regione. Exponitur autem communiter, quòd Sodoma significat peccatum, & circa regio occasiones peccati & circunstantias. Cum igitur pœnitentia sit via exeundi per confessionem, videtur quòd debeat per confessionem exire à circunstantiis eas confitendo.

Sed contra. SED CONTRA: Canon dicit non confiteri debere nisi peccatum : ergo circunstantias non oportet confiteri.

2 Item in Psalm. Dixi, confitebor peccatum: non dicit, circunstantias peccati.

3 Item, Sicut sunt circunstantiæ peccatum aggrauantes, ita sunt alleuiantes:si ergo circunstantiæ confitendæ sunt vt sciatur quantitas peccati, ita debent confiteri alleuiantes sicut aggrauantes, quod falsum est:ergo nec aggrauantes solum debent confiteri.

4 Item, Aliud est in iudicio hominum, & aliud in iudicio diuino:in hominum enim iudicio circunstantiæ non quæruntur nisi vt præsumptio fiat iudici: quod non est necessarium in diuino, quoniam testis est conscientia apud eum qui loco Dei est, scilicet sacerdotem:cum ergo conscientia ad conuincendum confitentem sufficiat, videtur quòd non oportet circunstantias dicere in confessione.

Solutio. RESPONDEO sine præiudicio secundum antiquos Doctores, quòd non oportet circunstantias confiteri, nisi quæ trahunt in aliud genus peccati:tamen securum est etiam alias dicere, præcipue si remordet aliquem conscientia : sed tamen dicunt, quòd non tenetur ex præcepto. Vnde dicere circunstantias quæ non trahunt in aliud genus peccati, est de bene esse confessionis : vtilitas autem quæ ex hoc est, illa est quam dicunt, scilicet quod sicut supra habitum est, confessio per erubescentiam in aliqua parte pœnæ satisfacit: & sæpe contingit, quòd homo plus erubescit de circunstantia, quam de peccato : & ideo bonum est confiteri. Alia etiam vtilitas est:quia sacerdos melius noscit peccati deformitatem, & melius sciet taxare pœnitentiam & satisfactionem. Tertia iterum, humilitas maior pœnitentis.

DICENDVM ergo ad primum, quòd si in humano iudicio fit mentio de circunstantiis, hoc non est propter distinctionem, sed potius propter dubietatem iudicis qui veritatem non nouit : & non potest ei præsumptio fieri de quantitate malitiæ, nisi ex circunstantiis:sed ex confessione accusando se manifestat se totum pœnitens, & ideo circunstantias quasdam dicere non oportet.

AD ALIVD dicendum, quòd vt supra dictum est, quantitas mali & turpitudinis substantialis, non est ex circunstantiis, sed potius ex auersione à bono incommutabili: sed quædam turpitudo est ex circunstantiis:& quia accidentalis est, non habet pœnitentiam propriam, sed coniunctam cum pœnitentia : & ideo non oportet eam singulatiter & discrete confiteri.

AD ALIVD dicendum, quòd Augustinus dicit ista non præcipiendo, sed ad bene esse:nec dicit facienda esse in confessione, sed potius in contritione inter se & Deum.

AD ALIVD dicendum, quòd exitus de peccato est in contritione : & hoc satis bonum est, quod non manet in circunstantiis : sed tamen est consequens, quòd quicunque exit de peccato, exit de circunstantiis : sed non conuertitur : & ideo illud non tangit, nisi quod sit de bene esse confessionis.

ARTICVLVS XXV.

An pœnitens teneatur reuoluere circunstantias in contritione & satisfactione?

QVarto quæritur, Vtrum debet ea reuoluere in contritione & satisfactione? Videtur, quòd sic:quia dicit in litera, Consideret qualitatem criminis in loco, & tempore, in perseuerantia, in varietate personæ, &c. & infra, Immoretur in singulis istis, & sentiat modum criminis, purgans lacrymis qualitatem vitij. Ergo videtur, quòd omnia in contritione reuoluere debet.

2 Item, Contritio dicitur simul tritio : eo quod totum delet peccatum : circunstantia autem aliquid peccati est : ergo ipsa est conterenda : sed non conteritur, nisi actus doloris iteretur super eam : ergo actu debet pœnitens dolere de singulis circunstantiis peccatorum:& non potest actu dolere de illis, nisi in mente reuoluat ; ergo debet mente reuoluere.

3 Item, In his quæ corporaliter conteruntur super quæ non reiteratur terens, non confringuntur:ergo in spiritualibus similiter erit : quia illud verbum, contritio, à corporalibus ad spiritualia transsumptum est. Si ergo dolor qui conterit super circunstantiam non reiteretur, circunstantia peccati non conteritur:ergo nec remittitur, vt videtur:ergo oportet actualiter dolere de qualibet,& in contritione reuoluere.

4 Item, Isa. 14. Perdam Babylonis nomen, & reliquias, & progeniem, & germen, dicit Dominus. Constat autem, quòd de progenie sunt circunstantiæ : ergo sunt perdendæ:sed non perduntur, nisi per contritionem : ergo de eis det haberi contritio:& non potest haberi, nisi reuocentur ad mentem : ergo reuocari ad mentem debent, vt videtur.

5 Eadem autem ratione videtur posse probari, quòd debeant reuocari ad mentem in satisfactione, & alia ratione propria tali, Sapiens medicus in appositione medicinæ actualiter aduertit dispositiones morbi:ergo similiter hoc faciet medicus spiritualis : sed appositio medicinæ satisfactio est : ergo actualiter in satisfactione debet aduertidi spositio morbi spiritualis:sed morbus spiritualis peccatum est, cuius dispositio est circunstantia:ergo satisfaciendo debet aduertere peccati circunstantias.

6 Item, Quandocunque vnum proportionatur alteri, necesse est aduertere vtrumque proportionabilium : sed satisfaciens opus suum proportionat & comparat peccato & circunstantiæ:ergo necesse est, quòd actualiter recogitet peccatum & peccati circunstantias.

7 Item,

7 Item,Beda, Non ſanat oculum, quod ſanat calcaneum:ſed ſatisfactio eſt de qua loquitur:ergo alia ſatisfactio neceſſaria eſt vni, & alia alteri peccato: ſed in omni tali antidoto neceſſe eſt recogitare id cui contraponitur antidotum:ergo neceſſe eſt ſatisfacientem actualiter recogitare peccatum & circunſtantias peccati.

Sed contra. SED IN CONTRARIVM hoc eſt, quòd ſecundum hoc pauci compungerentur & pœniterent:quia pauciſſimi videntur hoc facere.

2 Item,Apoſtolus dicit 1. Corinth. 6. Fugite fornicationem. Et exponitur, quòd etiam fugiatur ne cogitetur:quia mouet cogitatum: ergo in cogitatione non debet reuocari ad mentem,vt videtur.

3 Item,Auicenna dicit, quòd ſpecies delectabilis corporalis etiam quandoque reminiſcentem mouet:ſed motus ille ad illicitum eſt:ergo fugiendus:ergo & cauſa fugienda: cauſa autem eſt cogitatio:ergo cogitatio fugienda eſt: ergo non omne peccatum in contritione vel ſatisfactione ad memoriam reuocandum eſt.

4 Item,A ſimili probant hoc quidam. Videmus enim pomum granatum vel aliud integrum non mouere appetitum vel intellectum:ſed ſi diuidatur, mouebit:ergo à ſimili peccatum in vniuerſali ad memoriam reuocandum eſt,ſed non diuiſim per ſingulas circunſtantias, quia ſic moueret ad illicitum.

Solutio. RESPONDEO,quòd non tenetur ad ſemper, licet bonum ſit quandoque reuoluere circunſtantias. Bene credo, quòd in contritione quæ primo delet peccata, propter hoc quod illam oportet eſſe virilem, tenetur reuoluere, & confiteri ea omnia de quibus recordatur, ſed non circunſtantias, niſi illas quæ trahunt in aliud genus, quæ etiam circunſtantiæ proprie non ſunt, vt ſupra dictum eſt.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd Auguſtinus conſulit hoc ad compunctionem excitandam:quia quantitatis conſideratio facit vehementius compungi, & acrius dolere:& non dicit hoc ideo quod teneatur pœnitens ad illa.

AD ALIVD dicendum, quòd ideo dicitur contritio, quia duorum eſt, ſcilicet gratiæ, & doloris à libero arbitrio procedentis,vel doloris ſenſibilis & rationalis: vel quia de omnibus ſimul peccatis quæ ſunt in memoria: ſed non oportet, quòd ſit de omnibus circunſtantiis, niſi quantum ad bene eſſe contritionis, ſcilicet vt ſit feruentior & deuotior.

AD ALIVD dicendum, quòd verum eſt in his quæ corporaliter conteruntur, quia illa ſunt ſucceſſiue contrita. Peccata autem ſimul conteruntur in vno momento infuſionis gratiæ:& ideo impoſſibile eſt vt tunc omnia ſint ſigillatim cogitata, ſed in vniuerſali: & ideo tunc circunſtantiæ conteruntur in ipſis: & non oportet vt ſigillatim ad memoriam actualem reuocentur.

AD ALIVD dicendum, quòd totum perditur germen Babylonis per gratiæ infuſionem: ſed non totum actualiter cogitare neceſſe eſt, quia quædam etiam ſunt ignorata, quæ tamen ibi remittuntur.Et ratio huius vniuerſalis perditionis & contritionis iam dicta eſt, ſcilicet quòd dolor eſt de omnibus in vniuerſali, licet non ſigillatim & in particulari.

AD HOC quod obiicitur de ſatisfactione, dicendum quòd non ſemper oportet actualiter aduertere:quia pœnitens non eſt medicus,ſed potius ſacerdos, & ille in confeſſione diſcernit genera morborum: ſed ſicut medicus non quærit omnia accidentia morbi, ſed tantum cauſas periculoſas: ita etiam nec medicus ſpiritualis quærit accidentales circunſtantias,ſed tantum trahentes in aliud genus.

AD ALIVD dicendum, quòd non ſingulis peccatis & circunſtantiis proportionatur ſatisfactio, quia impoſſibile eſſet, quòd pœnitens hoc ſuſtineret:ſed radicibus peccatorum, ſicut in præcedenti diſtinctione habitum eſt. Si enim radicatum eſt peccatum in carne, iniungit affligentia carnem:ſi autem in bonis fortunæ, iniungit eleemoſynam,& ſic de aliis:& ſic non oportet ſemper ſatisfacientem de peccato quolibet & circunſtantia cogitare.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc modo intelligitur dictum Bedæ de radicibus peccatorum, & non de ipſis peccatis, & circunſtantiis peccatorum.

AD EA autem quæ obiiciuntur in contrarium, tantum notandum, quòd non tenent niſi quando recordatio peccatorum non nocet pœnitenti. Et hoc contingit dupliciter, ſcilicet quando declinat in deſperationem ex mera reatus conſideratione: aut quando mouent appetitum ex memoria præhabitæ in eis delectationis: tunc enim videtur mihi, quòd cogitatio auertenda eſt: alias autem bonum eſt ſæpe recogitare omnes annos in amaritudine animæ coram Deo, ad compunctionem maiorem & humilitatem excitandam.

ARTICVLVS XXVI.

Quæ & quot ſint circunſtantiæ aggrauantes peccatum?

QVinto quæritur, Quæ & quot ſint iſtæ circunſtantiæ? Siquis autem inſpiciat literam diligenter, colligere poteſt nouem diuerſa quæ ponit, ſcilicet criminis qualitatem, locum, tempus, perſeuerantiam,perſonæ varietatem,tentationem, multiplicem vitij executionem. Et poſt multa addit duo, ſcilicet damnum virtutis qua interim caruit, & ingratitudinem qua offendens omnium factus eſt reus, & omnibus gratiis acceptis ſe priuauit. Perſonæ autem varietatem videtur diuidere in tria, ſcilicet dignitatem, ordinem, & ætatem, vtrum iuuenis, vel ſenex, vel in annis pluribus:& vt mihi videtur,plura ex litera colligi non poſſunt.

Obiicitur autem de illis, & primo de ſingulis. Videtur enim, quòd qualitas vitij non ſit circunſtantia:aut enim intelligitur de qualitate eſſentiali quæ dat ſpeciem vitio, aut accidentali.Si primo modo, non eſt circunſtantia. Si ſecundo modo, tunc quæratur,Quæ ſit illa qualitas?Et ſi dicatur, quòd ſit modus actus. Contra:Modus ille qui eſt mortalis peccati eſt vnus, ſcilicet quia eſt ex contemptu præcepti,& ex libidine commutabilis boni:ſed conſtat, quòd non eſt vna qualitas plurium peccatorum vel omnium:ergo modus ille non eſt qualitas criminis.

2 Item, Locus non aggrauat niſi ſit ſacer: & tunc facit ſacrilegium, quod eſt aliud genus peccati:

cati : ergo locus non manet circunstantia simpliciter, sed etiam dat formam speciei vitij.

3 Item obiicitur de tempore, quia non aggrauat nisi tempus orationi vel feriationi constitutum : & hoc iterum inducit sacrilegium quod aliud genus est peccati, vt quidam dixerunt.

4 Item, Perseuerantia quædam virtus est: ergo non est circunstantia vitij criminalis. Item, Perseuerantia nihil addit super actum peccati, nisi continuitatem : continuitas autem non dicit aliquid in actu, sed potius circa agentem, quòd maneat in vitio.

5 Similiter obiicitur de personæ varietate: innuit enim varia esse in persona quæ aggrauant peccatum: & hoc non videtur, quia sic omnis actus personæ aggrauaret, quia omnis homo variam habet personam ab alio.

6 Item, Dignitas personæ inquantum huiusmodi, non auget meritum : non enim dicimus, quòd Episcopus plus mereatur orando, cæteris paribus, quam non Episcopus : ergo videtur, quòd non aggrauet peccatum.

7 Item, Si aggrauat peccatum : aut hoc est ex parte radicis peccati, aut ex parte actus, aut ex parte finis actus, aut ex parte nocumenti quod infert. Videtur autem, quòd non sit ex parte radicis : quia ex tanta libidine vel maiori fornicatur vel potest fornicari non Episcopus, sicut Episcopus : ergo Episcopatus non facit ad maiorem quantitatem radicis. Similiter videtur, quòd non ex parte actus : quia tantus actus fornicationis potest esse in non Episcopo, sicut in Episcopo vel maior: finis etiam adeo turpis vel turpior esse potest, & similiter nocumentum maius: ergo videtur quod nullo modo aggrauat.

8 Item, Si per se loquendum est, secundum doctrinam Philosophi, quæ nullam personæ conferunt potestatem ad actum, non se habent ad actum eliciendum vel aggrauandum, sed potius per accidens ad actum illum referuntur : talis autem est dignitas vel ordo in persona : ergo actum peccati nec elicit, nec aggrauat, sed per accidens se habet ad ipsum. Probatio primæ est. Si dicam, Albus statuarius facit statuam, ly albus nihil confert ad actum, & ideo ad actum non refertur vt eliciat vel aggrauet, sed per accidens tantum. Probatio secundæ est, quòd si dicam, Decanus vel Episcopus fornicatur, potestatem fornicandi non confert Episcopatus vel decanatus : sicut ars ædificandi confert fabro lignario potestatem domum faciendi: ergo constat propositum.

9 Similiter obiicitur de ætate quam ponit inter variantia personam. Videtur enim imperfecte loqui : quia diuersa ætas peccata facit turpiora, & non vna : dicit enim Philosophus, quòd senes magis sunt cupidi, & iuuenes magis luxurioſi : ergo per oppositum maior in iuuenibus turpitudo auaritiæ, & in senibus maior turpitudo luxuriæ : ergo distinguere debuit ætatem.

10 Item videtur, quòd ætas iterum hoc non faciat, sed potius alia dispositio habentis ætatem: constat enim, quòd talis ex cholera in iuuentute cum accrescit calor, exiccatur, & efficitur impotens ad coitum ex siccitate: & procedēte tempore, remisso calore, & crescente humido, efficitur potens : ergo iste magis appetit luxuriam in senectute, quam in iuuentute. Cum igitur regula sit apud Theologum & Ethicum, quòd peccatum est maius, quod ex maiori procedit libidine, videtur, quòd istius aggrauationis non sit causa ætas, sed alia dispositio habentis ætatem.

11 Vlterius de hoc obiicitur, quòd dicit tentationem aggrauare peccatum. Videtur enim hoc redire ad ætatem : ætas enim non aggrauat nisi secundum quod est maioris tentationis incitatiua: ergo eadem circunstantia est ætas, & tentatio, vt videtur.

12 Item, Tentatio facit maius meritum in bono, vt dicunt Sancti : ergo videtur, quòd non sit factiua maioris peccati in malo : quia non potest esse, quòd idem sit causa contrariorum.

13 Item, Tentatio est ante essentiam peccati: ergo etiam ante quantitatem peccati, quia quantitas peccati non extenditur extra essentiam peccati : ergo videtur, quòd non dat peccato aliquam quantitatem.

14 Vlterius quæritur de hac quam vocat multiplicem vitij executionem. Hæc enim multiplicitas aut est in modo actus, aut in specie. Si in modo : tunc redit ad illam quæ est de qualitate vitij, quam prius posuit. Si in specie : tunc nihil addit supra speciem vitij, nisi quantitatem discretam : ergo non aggrauat ad hoc peccatum singulare. Si forte tu dicas, quòd aggrauat peccatum ex multitudine. Contra: Vnitas quæ principium est discretionis, nihil addit supra entitatem rei quod sit essentia, sed potius modus qui radicatur in negatione, sicut vult Aristot. in pluribus locis primæ Philosophiæ : id autem principium est multitudinis : ergo multitudo non ponit aliquid additum cuilibet vni multorum, nisi modum illum negationis: ergo non aggrauat : quia omnis aggrauatio est ex aliquo ente apposito ipsius rei quæ aggrauatur.

15 Vlterius obiicitur de hoc quod dicit, quod plangat virtutem qua interim caruit. Hoc enim non videtur afferre quantitatem peccati : quod enim sequitur omne peccatum in quacunque quantitate magna vel parua, non dat peccato aliquam quantitatem : sed carere virtute sequitur omne peccatum mortale in quacunque quantitate magna vel parua : ergo non dat peccato aliquam quantitatem.

16 Item, Cum multa sint alia bona quibus interim caremus, scilicet gratia, bonum naturale, vel integritas eius, virtus, & meritum : quare non dicit alia esse deplangenda sicut illud ?

17 Vlterius quæritur de hoc quod dicit, quòd plangat ingratitudinem, quòd offendens in vno factus est reus omnium. Videtur enim ex hoc magis ingratus esse Deus, quam ipse qui peccat : si enim sit dominus aliquis cui seruus multum seruiuit, & contingat quòd peccet seruus in vno, & dominus imputet ei peccatum in omnibus, & non in vno tantum, magis ingratus est dominus seruitio serui, quam seruus : ergo à simili ita erit & hic.

18 Item, Videtur maxima iniustitia esse, quòd offendens in vno, fiat omnium reus : si enim sit aliquis deprehensus in solo latrocinio vel furto: & iudex deuoluat in eum adulterium, homicidium & crimen læsæ maiestatis, iniustitiam facit illi. Cum igitur leges humanæ sint exemplatæ à legibus diuinis, videtur quòd non sunt contra leges diuinas : ergo siquis transgreditur præceptum

vnum, iniuſtè agitur ſecum, ſi reputatur reus eſſe omnium.

19 Vlterius autem obiicitur hic, quòd Tullius multo plures circunſtantias in primo thetoricæ ponit: dicit enim in communi quidem eſſe ſeptem, ſcilicet quis, quid, cur, quando, vbi, quomodo, quibus auxiliis. Attribuuntur autem horum ſeptem ſecundum Tullium & Boëtium quædam perſonæ, & quædam negotio: perſonæ quidem vna quæ eſt quis, negotio autem ſex reliquæ. Et ipſe Tullius diuidit illam quæ eſt quis in 11. circunſtantias, ſcilicet nomen, naturam, conuictum, fortunam, habitum, affectionem, ſtudia, conſilia, facta, caſus, orationes. Et iterum horum quædam ſubdiuidit, vt naturam in ſexum, nationem, patriam, cognationem, ætatem: & conuictum diuidit in 9. ſcilicet ſocietatem, amorem ſiue arbitrium conuerſandi, pedagogos ſiue præceptores, quibus cunctis vſus eſt, quo negotio occupatus, quo in quæſtu negotietur, cuius ſit artificij, quomodo res familiares adminiſtret, qua iuſtitia, qua conſuetudine domeſtica. Similiter alia diuidit vt patet inſpicienti primum rhetoricorum. Ergo videtur, quòd etiam iſte plures ponere debuit.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum primo ad hoc vltimum, quòd non eſt præſentis inſtructionis tractare de circunſtantiis, niſi prout aggrauant peccati actum, & faciunt ſibi aliquam quantitatem, vel ſecundum reatum, vel ſecundum turpitudinem: & ideo Auguſtinus non tangit, niſi circunſtantias, ex quibus notabiliter efficitur huiuſmodi quantitas in peccato. Sed Tullius agit de circunſtantiis prout ſunt locus thetoricus. Locus autem rhetoricus eſt, ex quo per enthimema (quod eſt ſyllogiſmus rhetoricus) arguit accuſatum coram iudice duo, ſcilicet notitiam rei, & notitiam reatus eius. Et ideo non omnes ſuæ circunſtantiæ aggrauant, ſed omnes faciunt notitiam iudici de reo vel reatu eius. In pœnitentia autem nulla fit iudici notitia de his: ſed potius reo oſtenditur quantitas ſui reatus, vt inclinet ad lamentum maius. Et ideo non ponuntur hic niſi circunſtantiæ tantum reatum aggrauantes: & hoc ſufficit præſenti lectioni. Tamen nos alibi late diſputauimus de circunſtantiis: & hoc poterit qui voluerit inſpicere: ſed hic omnia dicemus quæ pertinent ad præſentem paſſum & non alia.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd qualitas vitij intelligitur meo iudicio qualitas eſſentialis, quæ conſtituit ſpeciem ipſius: diſtat enim vitium à vitio ex quantitate quam affert ſpecifica differentia. Per quem modum, omnibus aliis paribus, dicimus vnum vitium in ſpecie maius, & aliud minus, vt adulterium quam furtum, & homicidium quam mendacium, & ſic de aliis. Ad id autem quod contra obiicitur, dicendum quòd circunſtantia dupliciter dicitur, ſcilicet circunſtans actum, & circunſtans agentem, ſicut expreſſe colligitur in circunſtantiis quas ponit Tullius: & hoc modo quid fecit reducitur ad circunſtantiam acceptam ex parte actus vel negotij: licet enim quid dicat eſſentiam actus, tamen inquantum affert ſecum quantitatem turpitudinis, concipit etiam id quod circunſtat, & ſic dicitur circunſtantia.

AD ID quod obiicitur de loco, dicendum quòd locus inquantum huiuſmodi non trahit in genus aliud, etiamſi ſit ſacer, niſi adueniat actus alius violans locum. Vnde Iuriſperiti dicunt, quòd clam accipiens in loco, non incurrit excommunicationem quam fert Epiſcopus conſecrans locum in violatores loci: ſed illam incurrit accipiens in loco ſacto violentus: eo quod alio actu, quam contrectatione rei alienæ lædit immunitatem loci: & ſic patet, quòd quando nihil additur actui peccati niſi locus ſacer, non erit locus trahens in aliud genus peccati, ſed circunſtantia aggrauans. Per eundem modum patet ſolutio ad ſequens quod obiicitur de tempore: quia dupliciter poteſt ſe habere ad actum, ſicut & locus.

AD ID quod vlterius obiicitur de perſeuerantia, dicendum quòd non dicitur hic perſeuerantia permanſio in actu criminis ſolummodo, nec etiam actuale perſeuerandi propoſitum: quia hoc eſſet actuale peccatum diuiſum ab aliis, nec etiam donum perſeuerantiæ quod eſt virtus vel aliquid coniunctum virtuti: ſed dicitur hic perſeuerantia id quod relinquitur ex actus vitioſi iteratione: & eſt duplex, ſcilicet mala diſpoſitio, per quam fit homo habilis ad peccandum: & minoratio naturalis boni, per quod elongatur à bono incommutabili. Et quanto plus ſic diſponitur, tanto efficitur pronior ad peccandum: & ex tali pronitate efficitur quædam peccati quantitas præcipue in hoc quod magis voluntarie & magis libere peccat, & quantum ad hoc ponitur inter aggrauantia peccatum.

AD ID autem quod obiicitur de varietate perſonæ, dicendum quòd non omnia attendit quæ in perſona conſiderari poſſunt, ſed illa tantum quæ faciunt turpitudinem in actu maiorem ex comparatione ad agentem. Et per hoc patet ſolutio ad primum. Præterea, Perſona accipitur prout eſt nomen dignitatis, tam ſecundum ſcientiam iuris, quam ſecundum dignitatem naturæ: ſecundum quem modum decanum dicimus eſſe perſonam, & non dicimus, quòd clericus ſimplex ſit perſona.

AD ALIVD dicendum, quòd illud argumentum non valet, hoc non auget meritum: ergo non auget peccatum: quia meritum & augens meritum, eſt ex ſolo Deo, & non ex homine: ſed peccatum & augens peccatum eſt ex homine, & non ex Deo: & ideo aliquid circa perſonam poſitum, ſicut dignitas, facit maiorem actus congruitatem in bono, & maiorem incongruitatem in malo: & in bono quidem non auget meritum, ſed auget debitum congruentiæ: ſed in malo auget peccatum propter cauſam prius aſſignatam.

AD ALIVD dicendum, quòd auget deformitatem, non ex parte radicis, nec ex parte actus abſolute conſiderati, ſed ex comparatione actus ad ſtatum agentis: talis enim ſtatus retrahere deberet à peccato, & maiorem habet incongruentiam ad peccatum: & ideo aggrauatur peccati turpitudo ex ſtatu perſonæ. Vnde illa ratio ab inſufficienti procedit.

AD ALIVD dicendum, quòd Philoſophus loquitur de his quæ conferunt poteſtatem ex arte in agendo hunc actum vel illum: ſed Auguſtinus loquitur hic de his quæ ex congruitate vel incongruitate augent vel minuunt turpitudinem vitij, quæ eſt ex conſideratione peccati ad peccantem: & ideo non eſt ad propoſitum quod dicit Philoſophus.

AD ID quod obiicitur de ætate, dicendum quòd Auguſtinus non tangit hic niſi genera aggrauantium,

grauantium, & bene consentit in hoc, quòd si genus distrahatur per species, quòd erit tunc comparatio diuersa.

Ad alivd dicendum, quòd apud communiter loquentes, ætas intelligitur secundum id quod ætas relinquit in subiecto, tam ex parte corporis, quam ex parte animæ: in corpore enim relinquit augmentum, & canitiem, & huiusmodi: in anima autem confirmationem rationis, & consilij, & huiusmodi: & secundum hunc modum dispositio habentis ætatem intelligitur in ætate.

Ad id quod obiicitur de tentatione, dicendum quòd tentatio & ætas non sunt idem, licet quædam causæ tentationis magis aggrauent in quadam ætate, & quædam in alia: quia ætas dicit dispositionem ex tempore relictam in subiectio: sed tentatio non dicit nisi impulsum ad illicitum, siue impulsus sit ex carne, siue ex dæmone, siue ex mundo: & non dicit illum impulsum secundum quod relinquitur ex tempore.

Ad alivd dicendum, quòd tentatio non auget meritum per se, sed meritum quod est dimissiuum pœnæ: sed quando ponitur circunstantia aggrauans, hoc non est per eundem modum quo auget meritum: meritum enim auget ex hoc quod retrahit à bono, & tamen vincitur: propter maiorem enim difficultatem in opere habetur maius meritum dimissionis pœnæ: sed per oppositum modum auget peccatum, scilicet quia quanto minor est tentatio, tanto maius est peccatum: quia minus resistit, & ita minus pugnauit: & per consequens magis voluntarius in peccato fuit.

Ad alivd dicendum, quòd ea quæ sunt ante essentiam peccati per modum inclinantium & causarum peccati, bene possunt augere & diminuere peccatum: quia tunc reducuntur ad circunstantias agentis, siue personæ, sicut dicit Tullius.

Ad id quod vlterius quæritur de illa quæ dicitur multiplex vitij executio, dicendum quòd intelligitur in modo: modus autem est hic accidentalis: & hoc modo præcipue apparet in coitu, qui alium modum turpitudinis habet iacendo, alium stando, & alium sedendo, secundum quod percipitur à confitentibus. Et iacendo habet modos secundum dispositionem iacentis in dorso, vel in latere, vel aliter, secundum quod concupiscentia instigante multos modos promulgant confitentes. Et per hoc patet responsio ad primum: quia hoc non est qualitas vitij, vt dictum est supra.

Ad alivd dicendum, quòd Augustinus monet plangere virtutem qua interim caruit, non tanquam circunstantiam peccati simpliciter, sed tanquam quoddam aggrauans ex nocumento: quia per hoc turpius est peccatum & maius, quò priuatio est maioris boni & maioris virtutis. Nec intelligitur de priuatione quæ sequitur omne peccatum, sed de illa quæ sequitur peccatum secundum se, secundum quod dicimus, quòd maius est peccatum quod maiori virtuti est contrarium, sicut odium quod charitati contrariatur, & huiusmodi. Et sic patet solutio ad argumentum.

Ad alivd dicendum, quòd nullum maiorum bonorum contrariatur directe peccato, nisi virtus: quia virtus perficit potentiam ad actum, sed non gratia, vel meritum: vitium autem siue peccatum infirmat potentiam ad actum, & ideo non nominat alia bona quibus peccator caret, sicut illud.

Ad id quod obiicitur de ingratitudine, dicendum quòd Deus non est ingratus: quia quodlibet peccatum cum sit contra infinitum bonum, omnis boni meretur amissionem. Secus autem est de iudicio humano: quia contra hominem non peccatur, nisi inquantum nocetur ei: & cum non noceat nisi in vno, iniustum esset vt deuolueret in peccantem alia nocumenta: & ideo non est simile quod inducitur pro simili.

Ad alivd dicendum, quòd non intelligitur sic sicut procedit obiectio, quòd offendens in vno sit omnium reus: sed potius, sicut Magister dicit in litera, scilicet quia priuatur bono quod acquisitum est obedientia omnium præceptorum: & hoc ideo, quia quodlibet peccatum opponitur fini omnium mandatorum: gratia autem sine fine gratiæ non datur, quia Deus dans gratiam non per se venit ad hominem. Et ideo illa obiectio fundatur super falsum literæ intellectum.

Ad omnia autem alia est solutio per ea quæ dicuntur in principio solutionum istarum.

ARTICVLVS XXVII.

Quæ circunstantiarum vitium magis aggrauat?

Sexto quæritur, Quæ istarum circunstantiarum vitium magis aggrauet? Videtur autem, quòd varietas personæ, & modus qui immutatur in multiplici vitij executione: quia illæ duæ circunstantiæ præcipue requiruntur à confesso, aliæ autem non ita: ergo videtur, quòd istæ sint potentiores.

2 Item, Istæ duæ circunstantiæ sunt, quæ magis incongruitatem faciunt actus: & ex incongruitate aggrauant peccatum: quia quanta est incongruitas, tanta est turpitudo: ergo videtur, quòd istæ duæ magis aggrauent.

3 Item, Locus & tempus extrinseca sunt, modus autem intrinsecus est, personæ etiam ordo vel dignitas intrinseca sunt agenti: intrinsecum autem magis aggrauat, quam extrinsecum: ergo dignitas & modus plus aggrauant, quam aliæ circunstantiæ, vt videtur.

Sed videtur, quòd illa quæ est de qualitate vitij plus aggrauet: quia illa dicit vitij quantitatem, quæ determinat ipsam speciem vitij: hæc autem maior est, quam illa quæ est ab accidentibus aliis: ergo videtur, quòd illa plus aggrauet.

2 Item, In rebus naturalibus sic est, quòd omnis species corporeæ substantiæ habet quantitatem naturaliter consequentem speciem suam, in qua completur virtus ipsius speciei: sicut dicit Philosophus in secundo de anima, quòd omnium natura constantium certus est terminus & ratio magnitudinis & augmenti: ergo proportionabiliter erit illud in habentibus quantitatem spiritualem: hæc autem est quantitas consequens ipsam speciem vitij vel virtutis. Cum igitur hæc sit essentialis vitio, magis videtur aggrauare vitium: sed hæc attenditur in qualitate vitij, siue in circunstantia quæ dicitur quid: ergo illa magis aggrauat.

Videtur autem,quòd tentatio inter omnia plus aggrauet : dicit enim Auguſt, quòd omne peccatum eſt voluntarium : quod ſi non eſt voluntarium, non eſt peccatum : ergo videtur, quòd voluntas det eſſe peccato inquantum peccatum eſt: ergo quantitas voluntatis dabit quantitatem peccato:ſed quantitas voluntatis maior vel minor eſt ex hoc quod tentatio maior vel minor eſt,quia in maiori tentatione minor voluntas , & in minori minor:ergo ex quantitate tentationis maxime attenditur quantitas peccati:ergo maxime aggrauat, vt videtur.

2 Item, Gloſſ. ſuper Matth. Quantum intendis, tantum facis:& dicunt Magiſtri communiter, quod hoc eſt verum in malo. Dicit autem Auguſtinus, quòd intentio eſt voluntas cum fine : ergo voluntas finalis , vel coniuncta , vel in finem tendens,dat operi quantitatem : ergo etiam gauamen dat ei : ſed omnis peccans mortaliter , tendit in creaturam vt in finem : ergo habet voluntatem in quolibet peccato mortali cum fine : ergo penes illa attenditur quantitas maior vel minor. Conſtat autem , quòd voluntatis quantitas maior vel minor eſt ex tentatione maiori vel minori : ergo videtur , quòd penes tentationem præcipue peccati grauamen attendatur.

Sed econtra videtur quòd locus & tempus:quia illa duo præcipue quæruntur à confitente:ſed non quærerentur præcipue , niſi maiores eſſent : ergo videtur , quod illæ magis aggrauent.

2 Item 2.Machab.3 de loco dicitur , quòd in loco eſt quædam diuina virtus. Et in Geneſ. 26. De tempore autem 1.Corinth.7.Niſi forte ex conſenſu ad tempus vt vacetis orationi. Cum igitur iſtæ duæ ſpecialiter in canone exprimuntur,videtur quòd iſtæ duæ inter cæteras magis ferant peccato notabilem quantitatem.

3 Item, Illæ quæ magis poſſunt peccatum in aliud genus trahere, videtur etiam , quòd manens idem poſſint magis aggrauare : ſed hoc maxime poſſunt locus & tempus:ergo videtur, quòd maxime aggrauent peccatum. Probatur autem prima ex hoc quod niſi illæ quæ trahunt in aliud genus ſecundum ſuam propriam deformitatem , peccato aliquid afferunt, non poſſunt trahere in aliud genus. Secunda autem probatur ex hoc quòd ſacrilegium fit in læſione ſacri loci , vel temporis.

4 Item, Ad ſacros actus explendos non videmus in omnibus circunſtantiis aliquid determinatum à Deo & Eccleſia , niſi tantum locum & tempus:ergo per oppoſitum iſta maxime afferunt deformitatem operibus oppoſitis ſanctitati : ſunt autem talia opera peccata:ergo videtur,quòd peccatis maximam afferunt quantitatem turpitudinis locus & tempus.

Videtur autem, quòd perſeuerantia plus omnibus aggrauet. Quicquid enim de ſe natum eſt dare quantitatem habitui , quo diſponitur potentia ad agendum,illud per conſequens maxime dat actui quantitatem ſpiritualem : ſed hoc facit frequentia & perſeuerantia:ergo maxime dat quantitatem peccato. Prima patet per hoc quòd intenſioris habitus intenſior eſt actus. Secunda autem ſcribitur in 2 ethicorum:quia ex talibus operationibus ſimiles habitus generantur.

2 Item, Quantitas mali nulla eſt niſi elongatio à bono;conſtat autem, quòd quanto quis diutius perſeuerauit in peccato per frequentiam peccati, tanto magis elongatur à bono : ergo tanto maius efficitur malum in ipſo : ſed hoc eſt aggrauatio mali & peccati : ergo perſeuerantia in malo maxime aggrauat peccatum.

Videtur autem , quòd ingratitudo maxime aggrauat:quia propter ingratitudinem , vt infra diſtinct.18. habetur, etiam dimiſſa peccata redeunt: ſed nihil aliorum fert ita graue pondus , ſicut eſt reditus peccatorum:ergo videtur, quòd ingratitudo inter omnia quæ enumerat hic Auguſtinus in litera, maxime aggrauet peccata.

SOLVTIO. Dicendum , quòd tripliciter attenditur peccati grauitas,ſcilicet eſſentialis quæ debetur ſibi ſecundum ſuam ſpeciem , vel ſuum genus : & accidentalis quæ debetur ei ex aliquo extrinſeco ſibi,quod eſt aliquo modo menſurans ipſum, vel agentem,vel media,quæ quaſi per modum paſſionis ſe habent ad peccatum. Et prima quidem grauitas duplex eſt, ſcilicet ex natura generis,& ex natura ſpecificæ differentiæ contrahentis genus. Exemplum autem grauitatis in genere eſt quod dicit Gregor. quòd ſpiritualia peccata maioris ſunt culpæ, quam corporalia:licet corporalia maioris ſint infamiæ , quam ſpiritualia. Exemplum autem grauitatis ex ſpecifica differentia eſt, quòd cupiditas ſiue auaritia in genere maior eſt, quam coitus : & tamen adulterium ſecundum Salomonem in Prouerbiis eſt maius , quam furtum. Vnde dicit , quòd non grandis eſt culpa, cum quis furatus fuerit,&c. Et hæc duplex quantitas manifeſtatur in ipſo nomine peccati : quia ſtatim in ipſo nomine innoteſcit genus & differentia ſpecifica peccati. Hanc autem quantitatem peccati dico omni alij quantitati plus eſſe ponderandam , licet in confeſſione non quæratur : quia per ſeipſam innoteſcit mox nominato peccato: ſicut ſi nominatur cetus & polipus, ipſo nomine innoteſcit maiorem eſſe cetum , quam polipum, dummodo audiens cognoſcat vtrumque horum piſcium. Quantitas autem accidentalis eſt à duobus extrinſecis, quorum vnum eſt menſura actus, & alterum agentis, quæ ſunt locus & tempus. Et quia quandoque accidens non innoteſcit cum nomine rei , ideo oportet exprimere illa:non tamen faciunt tantam grauitatem,vt prima duo.Sed quia modus actus , & varietates perſonæ , quaſi media ſunt inter illa, ideo conferunt quantitatem magis eſſentialem quam ſecunda , & minus eſſentialem quam prima, quia non ſunt de ratione peccati, & ideo peccato nominato non mox innoteſcunt illa, ſed oportet exprimi vt ſciatur quantitas quæ eſt ex ipſis:& in hoc conueniunt cum accidentalibus. Quia autẽ modus quædam forma actus eſt,& varietas perſonæ forma agentis , & vtrumque inſeparabile à turpitudine peccati cuius augent quantitatem , ideo in aliquo conueniunt cum eſſentialibus:& ita ſunt media minora quidem quam prima,& maiora,vt videtur mihi, quam ſecunda , ſi omnia illa paria intelligantur. Solutio. Prou.6.

DICENDVM ergo ad primum , quòd probat eſſe maiorem quantitatem ex iſtis, quia magis requiruntur iſtæ duæ à confeſſo : & inquiſitio fit ideo quòd in nomine peccati iſtæ duæ per ſe non innoteſcunt:tamen aliæ duæ maiorem dant peccato grauitatem.

AD ALIVD dicendum , quòd loquendo de incongruitate accidentali peccati verum concludit:

dit: sed falsum est loquendo de incongruitate essentiali.

Ad alivd dicendum, quòd vt patet ex prædictis, bene conceditur, quòd aliis paribus, illæ duæ plus aggrauant, quam locus & tempus.

Ad dvas sequentes obiectiones puto simpliciter esse concedendum.

Ad id quod vlterius quæritur de tentatione, dicendum quòd voluntas tentati absque dubio maior & minor est etiam secundum Ethicum, vt innuit Arist. in 8. ethicorum, secundum quod maior vel minor est tentatio: ideo dicit vituperabiliorem esse fornicatorem incontinente. Vocamus fornicatorem illum qui præuenit voluntatem: incontinentem autem eum qui trahitur vi delectationis. Tamen quia voluntas est causa efficiens actus, non dat ei quantitatem accidentalem tantum, sicut modus vel personæ dignitas, quia illa addunt turpitudinem quasi nouam, quæ alias in actu non esset: sed voluntas tracta non addit nisi maiorem vel minorem vituperationem turpitudinis essentialis, quæ tamen esset in actu: & ideo etiam illa circunstantia raro quæritur à confitente nisi vltimo vellet eam dicere per seipsum. Ad obiectum autem dicendum, quòd hic non dicitur voluntas quæ est radix peccati: sed potius quædam qualitas affectionis dicitur voluntas, quando dicitur, quòd tentatio auget vel minuit voluntatem.

Ad alivd dicendum, quòd Glossa illa bene dicit, & Magistri bene exponunt: sed tamen illa est voluntas, quæ est actus interior, & à concepto fine est causa actus exterioris, vel potentia ipsa quæ concipiendo finem est causa actus interioris: sed voluntas quæ crescit tentatione decrescente, & decrescit ea crescente, est qualitas & affectio quædam illius voluntatis: & ideo non oportet, quod ferat maiorem quantitatem peccato.

Ad id quod vlterius obiicitur de loco & tempore, patet solutio per antedicta: quia quod perquiruntur in confessione huiusmodi circunstantiæ, hoc non est ideo, quia maiorem afferunt peccato quantitatem: sed potius ideo, quia non innotescunt cum nominatione peccati.

Ad alivd dicendum, quòd in veritate ex illa ratione non probatur, nisi quòd hæc duo aggrauant: quia falsum supponitur, quod modus & personæ factorum actuum & officium horum non determinentur. Ordo enim est quo datur potestas ad sacrum actum & officium: & modus eorum est in ritu, qui tota die docetur in Scriptura.

Ad alivd dicendum, quòd in canone ita determinatur propter dubium: dubium enim poterat esse, vtrum ista aggrauarent peccatum, eo quod sint extrinseca: modus autem & personæ dignitas etiam secundum dictamen propriæ rationis aggrauant.

Ad alivd dicendum, quòd ista non trahunt peccatum in aliud genus ex se tantum, vt supra dictum est: sed ex hoc quod peccatum non est simpliciter, sed quasi componitur ex actu peccati, & actu læsiuo loci: sicut est illatio vindictæ, & huiusmodi: & ideo etiam sacrilegium magis committitur circa locum, quam circa tempus: quia tempori non potest fieri iniuria.

Ad id quod vlterius quæritur de perseuerantia, dicendum, quòd perseuerantia licet aggrauet aliquo modo damnum quod est ex peccato, tamen non aggrauat proprie peccatum: quia non dicitur proprie aggrauare peccatum, nisi quod ipsi actui affert rationem turpitudinis aliquam, quam sine illo non haberet: & hoc non facit perseuerantia confortando vel generando habitum: sed tamen praue disponit peccatorem, & ideo plangenda est frequentia, non tamen proprie quantitatem facit peccati: & ex prima ratione non probatur amplius, nisi quod praue disponatur peccans ex frequentia peccati.

Ad alivd dicendum, quòd elongatio illa non est in vno actu peccati quocunque, sicut exigeretur si peccatum aggrauaret: sed potius est in possibilitate per diminutionem boni naturalis: & ideo illa obiectio non concludit directam peccati aggrauationem, sed potius quoddam damnum peccantis, quod plangendum est ex hoc quod diu fuit in peccatis.

Ad vltimvm quod obiicitur, scilicet de ingratitudine, dicendum quòd ingratitudo non aggrauat peccatum aliquod, sed potius est effectus peccati consequens ipsum ex statu peccantis: nec peccata propter ipsam simpliciter reuertuntur, sed quodammodo, vt infra patebit.

ARTICVLVS XXVIII.

An pœnitens debet se ponere omnino in iudicio & potestate sacerdotis, nihil sui iuris sibi reseruans? Et an teneatur ingredi religionem si sacerdos iniungat?

Deinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Ponat se omnino in iudicio & potestate sacerdotis, &c.] Hoc enim non videtur exigi à pœnitente: quia sacerdotis iudicium potest esse erroneum vel malitiosum: & tunc periculosum esset, vt omnino se poneret in iudicio sacerdotis.

Vlterivs autem gratia huius hic quæritur vtilis quæstio, Vtrum pœnitens tenetur obedire sacerdoti si iniungat religionem ingredi? Videtur, quòd sic: quia canones talem iniungunt pœnitentiam: ergo cum sacerdos sequatur canonem, ita est obediendum sacerdoti, sicut canoni. *Quæstiuncula.*

2 Item, Genes. 19. Angelus iniunxit Lot, vt Exiret de Sodomis, & non staret in omni circa regione. Sodoma autem significat peccatum: & omnis circa regio significat mundi conuersationem: cum igitur sacerdos Angelus Domini sit, videtur quòd & ipse possit iniungere.

3 Item, Multoties contingit, quòd aliquis sæpe patitur recidiuum ex eo quod est proprij iuris: quod facere non posset, si esset in custodia alterius: cum igitur sacerdos debeat cauere pœnitenti de recidiuo quasi præ omnibus aliis, videtur quòd potest sibi iniungere, quòd det se in custodia & potestate alterius: hoc autem esse non potest nisi per introitum religionis: ergo videtur, quòd potest ex officio suo iniungere introitum in religionem.

4 Item, Peccata quædam exigunt septemnem

pœnitentiam, ſecundum quod dicunt canones: ſi igitur illa iterantur, videtur quòd poſſet extendi pœnitentia per totam vitam: & hoc in ieiuniis & vigiliis & orationibus: ſed talibus quaſi nihil ſuperaddere videtur obſeruantia quæ eſt in religione: ergo videtur, quòd ſacerdos religionis obſeruantiam iniungere poſſit.

5 Si forte tu dicas, quòd religio tenetur ad conſilia, ſed non pœnitens: & ideo non poteſt iniungi religio. Contra: Ad ſeptemnem pœnitentiam non tenemur ex præcepto, niſi meruerimus eam per peccatum: & tamen conſilium eſt eam facere, & laudatur qui facit: ergo id quod eſt ſimpliciter in conſilio, poteſt pro aliquo peccato iniungi ex præcepto: ergo à ſimili & religio.

6 Item, Pro aliquo peccato video, quòd aliquis addicitur à iudice ſpirituali carceri perpetuo, & etiam tenui victui, ſicut aquæ & pani: conſtat autem, quòd hoc multo grauius eſt quam religio aliqua: ergo multo magis poteſt aliquis in pœnitentia condemnari ad obſeruantiam religionis.

7 Item, In litera dicitur, Nihil ſui iuris reſeruans ſibi: ſed quandiu homo non habet profeſſionem religionis, ſemper eſt ſui iuris: ſed pœnitens nihil ſui iuris reſeruare ſibi debet: ergo debet facere profeſſionem obedientiæ & religionis, vt videtur.

8 Aliter etiam obiicitur contra literam iſtam: quicunque enim ſe totum ponit in arbitrio ſacerdotis, nihil ſui arbitrij retinet ſibi: ergo tenetur facere quicquid ſacerdos iniungit, claue non errante: ſed ſi alius mutat pœnitentiam ſuam, non facit quod iſte iniungit: ergo videtur, quòd iſte alius non poſſit ſibi mutare pœnitentiam.

Solutio. SOLVTIO. Ad hoc dicendum videtur quantum ad primum obiectum, quòd aliud eſt iudicium & poteſtas ſacerdotis, inquantum ſacerdos eſt habens claues & auctoritatem iudicis in foro pœnitentiæ: & aliud iudicium hominis: iudicium enim ſacerdotis inquantum huiuſmodi, eſt ſecundum canones penſatis peccatis & ſtatu pœnitentis, & hoc nunquam errat, nec eſt malitioſum: iudicium autem hominis quod ſæpe erroneum eſt & malitioſum, non tenetur ſubire pœnitens.

Ad qu. AD ID autem quod vlterius quæritur, dico ſine præiudicio, quòd quia religionis obſeruantia voluntatis eſt, & non neceſſitatis, vt dicit Auguſtinus, non poteſt iniungi in foro pœnitentiæ, niſi ſub conditione ſi pœnitens eam ſuſcipere voluerit: omnia enim quæ ſupererogationis ſunt, laudabilia quidem ſunt ſi fiant, ſed nullus eſt ad ea cogendus.

AD PRIMVM autem quod contra hoc obiicitur, dicendum quòd canones non iniungunt per modum neceſſitatis, ſed per modum conſilij ad terrorem alicuius peccati, quod exigit pœnitentiam maiorem quam alia, & per totam vitam.

AD ALIVD dicendum, quòd regio circa Sodomam ſignificat inclinantia in peccatum, ſicut ſocietas, & alia: ſed tamen permiſſum eſt Lot ibi habitare, niſi ex voluntate declinaſſet ad montem: & ideo dictum Angeli reducitur ad conſilium, & non ad præceptum.

AD ALIVD dicendum, quòd aliter poteſt caueri recidiuum: quia multi ſunt modi vitandi peccatum, licet non ita bene poſſit vitare: præcipua tamen cauſa quare religio iniungi non poteſt, eſt: quia in religione aufertur homini ius ſuum de ſe: & hoc non poteſt fieri in pœnitentia, niſi quantum ad quædam, & non quoad omnia.

AD ALIVD dicendum, quòd pœnitentia bene poteſt prolongari per totam vitam, & etiam plus, ſi vita plus durare poſſet: ſed tamen non ſequitur, quòd religio poſſit iniungi: quia religio ſupra perpetuitatem ponit proprię voluntatis in omnibus abdicationem & carentiam proprij, ad quæ nullus tenetur, niſi ex propria voluntate ea eligat: & ideo non poteſt iniungi.

AD ALIVD dicendum, quòd bene contingit ex peccato aliquid fieri præceptum, quod alias non eſſet præceptum: quia aliud & aliud eſt præceptum peccanti, & non peccanti: pœnitentia enim eſt in præcepto quantum ad eum qui peccauit, & etiam confeſſio: ſed non eſt ei in præcepto qui non peccauit. Sed tamen non omnia quæ non ſunt in præcepto, fiunt in præcepto, ſed tantum ea ſine quibus peccatum emendari iuſte non poteſt: & ideo non alia quam illa poſſunt ei præcipi in foro pœnitentiæ.

AD ALIVD dicendum, quòd non ſequitur, ſi ſacerdos poteſt præcipere quod difficilius eſt, quòd poſſit etiam præcipere quod eſt minus difficile: & hoc contingit: quia non eundem ordinem neceſſitatis habent ad peccati emendam: ſine religione enim peccatum emendari poteſt, ſine pœnitentia autem canonica non: & ideo pœnitentia canonica præcipi poteſt, & non religio: licet quandoque ſit difficilior, quam religio.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc non intelligitur in omnibus, ſed tantum in his quæ pertinent ad canonicam emendam de peccato.

AD ID quod vlterius obiicitur contra literam, dicendum quòd ſine dubio pœnitens ſtare debet arbitrio ſacerdotis: ſed arbitrium ſacerdotis non ſaluatur tantum in illo quod iniungit, ſed in æquiualente Eccleſiæ vel pœnitenti: & ideo locum poſtea habent commutationes & relaxationes.

ARTICVLVS XXIX.

An contritio poteſt intendi?

DEinde quæritur de hoc quod dicitur *ibi* [Vt omnia eo iubente paratus ſit facere pro recipienda vita animæ, &c.] Quæramus hic ſex circa quantitatem contritionis: quorum primum erit, An intenditur contritio? Secundum, Penes quid attenditur intenſio contritionis? Tertio de quantitate eius, quanta eſſe debeat? Quarto, Vtrum debeat eſſe æqualis de omnibus peccatis, vel de quibuſdam maior & de quibuſdam minor? Quinto de quantitate eius reſpectu temporis, vtrum debeat durare per totam vitam, an non? Sexto & vltimo de quantitate eius reſpectu voluntatis peccandi, vel non peccandi.

Sed contra.

Ad primum horum, ſcilicet an intendatur contritio, obiicitur ſic: In nullo genere eſt aliquid minus minimo: contritio dicit ſciſſuram cordis per minima: ergo videtur, quòd non poſſit plus & plus ſcindi: ergo nec in contritione poteſt eſſe intenſio. Probatur autem ſecunda ex hoc quòd ratio contriti differt à ratione fracti: quia contri-

tum

tum est diuisum per minima, fractum autem non. Prima autem constat per seipsam.

2 Item, Nihil in infinitum potest intendi: sed contritio est infinita: ergo non potest intendi. Probatur prima ex ratione infiniti. Secunda autem ex effectu quo delet peccatum, & coniungit Deo: quorum neutrum est nisi diuinæ virtutis & infinitæ.

3 Item, Omne quod intenditur, per hoc intenditur quod magis accedit ad veram nominis impositionem, vt dicit Auctor sex principiorum: si igitur contritio intenditur, per talem accessum intenditur: sed omne quod accedit ad aliquid per motum, nondum est in illo: ergo contritio quæ intenditur, non est in vera ratione contritio: sed quæ non est vere contritio, non delet peccatum: ergo talis contritio quæ intendi potest, non delet peccatum, quod falsum est: quia cum omnis contritio conseruet gratiam, & gratia cum peccato esse non possit, omnis contritio delet peccatum: ergo & hoc falsum, ex quo sequitur contritionem non posse intendi.

4 Item, Dupliciter intenditur id quod intenditur, scilicet per depurationem à contrario sibi permixto: sicut dicit Philosophus, quòd albius est nigro impermixtius: & per accessum vel recessum ad id, quod illam rem dicit in termino: sicut bonum melius per accessum ad per se, & substantialiter bonum, & malum peius per recessum ab illo. Si igitur contritio intenditur, altero horum modorum fiet: aut igitur per depurationem à contrario, aut per accessum & recessum ab aliquo. Si primo modo: tunc illud contrarium, aut est ex parte gratiæ informantis dolorem contritionis, aut ex parte doloris qui est de peccato. Si primo modo: cum gratia non habeat contrarium, nisi peccatum, esset contritio permixta peccato, quod falsum est: quia hoc esset contra rationem contritionis. Si secundo modo: constat autem, quòd dolori de peccato non contrariatur in genere passionis, nisi gaudium de peccato, & non gaudium de dolore: ergo contritus posset esse aliquis, & habere gaudium de peccato: sed gaudium de peccato non potest esse sine peccato: ergo esset aliquis contritus, & haberet peccatum, quod absurdum est. Item, Si dicatur intendi per accessum ad vnum quod per se contritio est: tunc sequitur illud quod in præcedenti concluſum est, quòd non sit vere contritio: ergo non vere habet effectum contritionis: ergo non vere delet peccatum, quod est inconueniens.

Sed contra. SED CONTRA hoc obiicitur sic: Omne id quod ex parte formalis & materialis intendi potest, vere intendi potest: contritio est huiusmodi: ergo vere potest intendi & remitti. Probatio secundæ est: quia gratia in vno maior est quam in alio, & in eodem potest esse maior quam sit: & hoc est formale in contritione: dolor etiam potest esse maior in eodem quam sit, & in vno est maior quam in alio, qui est materialis in contritione. Prima autem constat per seipsam.

2 Item, Quod non potest intendi vel remitti, in omnibus est æquale quibus inest: si igitur contritio non potest intendi vel remitti, in omnibus est æqualis quibus inest: sed contritione existente æquali oportet, quòd gratia sit æqualis & dolor: ergo omnes contriti æqualem suscipiunt gratiam, & æqualem habent dolorem de peccatis, quod absurdum est.

3 Item constat, quòd contritio actus est ab aliqua virtute, siue sit illa pœnitentia, siue alia, quia de hoc non est vis quantum ad præsentem quæstionem: sed quælibet virtus potest intendi: ergo & illa: intensa autem virtute, intenditur eius actus: ergo & contritio actualis intendi potest.

RESPONDEO. Dicendum, quòd sine dubio contritio intendi potest absolute & simpliciter, tam ex parte formæ, quam ex parte materiæ, sicut probatum est: & videtur mihi esse insania potius, quam opinio eorum qui aliter dicunt. *Solutio.*

DICENDVM ergo ad primum, quòd tria sunt in contritione, scilicet dolor, gratia, & obiectum doloris: & quantum ad prima duo intenditur: quoad tertium autem est in minimo sui generis: quia omnes differentias mortalis peccati in mortario cordis inuentas conterit: vnde sicut contingit in mortario, quod id quod conteritur, in puluerem redigitur: sed potest fieri contritio illa pistillo maiori vel minori, & ictibus fortioribus vel debilioribus, ita tamen quòd vterque in puluerem redigant: ita est in contritione in qua semper conteritur peccatum, licet dolore & gratia inæqualibus: vnde non sequitur, si puluis contritionis debilioris non est maior, quam puluis ictuum fortioris, quòd propter hoc contritio actio, siue ictus pistilli non sit fortior in vna contritione, quam in alia: licet enim minus in effectu deletionis peccati non sit accipere, est tamen accipere minus & maius ex parte actionis conterentis, quæ est contritio actio: & etiam ex parte passionis.

AD ALIVD dicendum, quòd gratia in sua essentia finita est, & etiam dolor: sed quia gratia est tale donum cum quo dato nos inhabitat Deus: sequitur ex illo dono virtus infinita: sed hæc radicatur in delente peccatum effectiue: & hoc quidem non potest intendi: sed gratia & dolor quæ finita sunt, intendi possunt.

AD ALIVD dicendum, quòd intensio hæc est per accessum ad summum in gratia: quia sicut dicit Augustinus, hoc est in bono maius esse, quod est melius esse: & sic per maiorem assimilationem cum summo bono dicitur gratia maior & intendi. Ex parte autem doloris contingit esse veram nominis impositionem, quando in toto separatur à contrario. Dico autem dolorem voluntarium ex ratione deliberante, qui exigitur in contritione. Quod autem obiicitur, quòd id quod accedit ad aliquid non est in illo, dicendum quòd non sequitur: est enim duplex accessus alicuius ad aliquid, scilicet sicut ad naturam, & sicut ad terminum, siue ad summum illius naturæ: & quod est in natura aliqua, adhuc potest accedere ad perfectum & summum illius naturæ, sicut puer qui est in natura hominis, & tamen est in motu ad virum, vt dicit Philosophus: & similiter dolor habet veram naturam doloris contritionis, sed potest accedere ad terminum & summum illius naturæ.

AD ALIVD dicendum, quòd cum sint duo in contritione, scilicet forma, & materia: differenter penes duo attenditur intensio: gratia enim per accessum ad per se bonum, dolor autem à separatione à contrario. Et ex parte gratiæ patet responsio ex præhabitis in immediata præcedenti lectione

ne: ſed intenſio dolotis per receſſum à contrario, non eſt adeo perſpicua. Et ideo non mirum, quòd non omne quod intenditur per receſſum à contrario, habet illud contrarium in ſe, vel ubi pertranſitum: quia ſecundum hoc omne quod ſic intenditur, eſſet medium & extrema nunquam intenderentur, quod eſt etiam contra rationem grammaticæ: ſed id quod intenditur, habet in ſe contrarium permixtum, vel aliquid eius quo tenetur ne ſit in termino: & id quod eſt aliquid contrarij, non eſt quandoque contrarij eſſentia, ſed potius cauſa vel reliquiæ ſequentes contrarium, vel diſpoſitiones ſubiecti relictæ ex forma contrarij quæ inerat: & per ſeparationem ab illis contingit reliquum contrarium accedere ad terminum ſuæ impoſitionis: & ſic eſt hic: quia reliquiæ peccati & natura corrupta quæ eſt vt cauſa peccati, & malæ pronitates relictæ ex peccato, tenent quandoque peccantem ne intendatur ſuus dolor contritionis: cum tamen verum habeat dolorem contritionis ſeparatum à contrario quod eſt gaudium de peccatis. Et per hoc patet ſolutio ad totum.

ARTICVLVS XXX.

An per aliquid & penes quid attenditur intenſio contritionis?

SEcundo quæritur, Penes quid attenditur intenſio contritionis? Videtur enim, quòd nihil inueniatur penes quod intendatur in pœnitente: quia quæcunque forma intenditur in aliquo, ex hoc intenditur quòd eius cauſæ intendantur, ſicut patet in omnibus, ſcilicet albo, calido, & ſic de aliis: ſed contritio non habet cauſam in contrito: ergo videtur, quòd non poſſit aliquid ſumi in ipſo, penes quod intendatur. Probatio mediæ eſt: quia contritio eſt donum Dei, & non ab homine.

2 Item, Contritio cauſa eſt iuſtificationis & ſalutis: ergo ſi contritio haberet cauſam in contrito: & quicquid eſt cauſa cauſæ, eſt cauſa cauſati, aliquid in contrito eſſet cauſa iuſtificationis & ſalutis, quod eſſet hæreſis Pelagiana.

3 Item, Si aliquid in contrito eſt cauſa intenſionis, hoc non eſt niſi attritio: ſed attritio non eſt contritio, & ſecundum multos Doctores etiam non poteſt fieri contritio: ergo videtur, quòd intenſa attritione, non propter hoc intenditur contritio: ergo penes illud non attenditur intenſio contritionis.

Sed contra. SI PROPTER hoc dicatur, quòd intenditur ex parte Dei intendentis eam, ita quòd Deus eſt cauſa intenſionis ipſius. Videtur, quòd non: quia dicit beatus Dionyſ. Deus æqualiter ſe habet ad omnia, & præcipue ad omnes homines: ergo eſſet cauſa æqualis contritionis in omnibus, quod falſum eſt: ergo videtur, quòd ipſe non ſit cauſa quare contritio intendatur.

2 Item, Effectus difformis non eſt cauſa vniformis in omnibus, & ſemper: ſed contritio eſt effectus difformis, quia modo magna, & modo parua: ergo non habet cauſam, quæ ſemper ſit vniformis: talis autem cauſa eſt Deus: ergo non habet cauſam Deum, vt videtur. Si forte tu dicas, quòd dolor intenditur ex parte contriti, & gratia ex parte Dei intendentis eam, Contra; Tunc quæritur, Vtrum iſta in intenſione æqualiter ſe habeant, aut intenſio vnius ſit cauſa intenſionis alterius ſecundum naturam, licet forte tempore ſint ſimul? Videtur, quòd non æqualiter: omne enim quod in nobis eſt actus meritorius, eſt cauſatum à gratia præueniente: ſed dolor meritorius, eſt actus meritorius in nobis: ergo cauſatur à gratia præueniente: ergo non ſunt ſimul natura. Sed ſi hoc eſt: tunc redit idem: quia tunc ad intenſionem gratiæ ſequitur intenſio dolotis. Et tunc quæretur de intenſione gratiæ, quæ ſit cauſa intenſionis ipſius, vt prius.

3 Item conſtat, quòd non ſit dolere meritorie, antequam ſit velle dolere: ſed Auguſtinus dicit, quòd præuenit gratia vt velimus: ergo non præuenit vt doleamus: ergo maiori gratiæ debetur maior dolor, & minori minor: & tunc iterum redibit difficultas.

Solutio. RESPONDEO dicendum ad hoc, quòd cauſa intenſionis duplex eſt, ſcilicet efficiens, & illa quæ eſt per modum præparationis & diſpoſitionis in ſubiecto: & efficiens cauſa non videtur eſſe niſi Deus. Cauſa autem præparans & diſponens in ſubiecto eſt ex parte hominis: & bene concedo, quòd gratia præuenit dolorem actualem qui eſt in contritione, ſicut habitus actus quos informat. Quis autem dolor ſit ille, vtrum ſenſibilis vel rationalis, in parte patuit in alia diſputatione quæ habita eſt de contritione, & iterum infra in hac eadem diſputatione patebit:

DICO igitur ad primum, quòd cauſam ſufficientem & efficientem non habet contritio in ſubiecto, ſed præparantem & diſponentem habet: & hoc ſufficit intenſioni, quando non deeſt efficiens: ſicut patet quando præſente combuſtiuo æquali, maior calor exardeſcit in arido ligno quam in viridi.

AD ALIVD dicendum, quòd verum quidem eſt, quòd contritio eſt cauſa iuſtificationis & ſalutis: ſed non eſt verum generaliter, quòd quicquid eſt cauſa cauſæ eſt cauſa cauſati, niſi intelligatur hoc modo quo eſt cauſa: & ſic nihil prohibet cauſam iuſtificationis & ſalutis eſſe in ſubiecto, ſed per modum diſpoſitionis & præparationis, & non per modum efficientis & formæ: & hoc eſt quod dicit Auguſtinus ſuper Matth. Præcedit aliquid in peccatoribus, quo quamuis nondum ſint iuſtificati, digni tamen iuſtificatione efficiuntur: & contra præcedit in aliis quo digni ſint obtuſione.

AD ALIVD dicendum, quòd attritio & alia præparatoria ſunt cauſa, tamen per modum qui dictus eſt: & cuilibet patet, quòd illa ratio hoc non habet.

AD ID quod obiicitur contra aliam partem, dicendum quòd licet Deus vno modo ſe habeat ad omnes: non tamen omnes vno modo ſe habent ad ipſum in recipiendo gratiam contritionis, & diuerſitatem facit diuerſitas præparationis quæ dicta eſt.

AD ALIVD dicendum, quòd effectus difformis non eſt ab vna & ſimplici cauſa vniformi: ſed ſi habeat plures cauſas, ſecundum diuerſum modum cauſalitatis nihil prohibet illum effectum eſſe difformem: & ita eſt in contritione cuius difformitas cauſatur à difformitate recipientium, vt dictum eſt.

ARTICV

ARTICVLVS XXXI.

Quanta debeat esse contritio?

TErtio quæritur de quantitate contritionis, quanta scilicet esse debeat? Videtur autem, quòd *minima* sufficiat: minima enim est coniuncta cum gratia: & gratia minima delet omnia peccata: ergo minima contritio sufficit delere omnia peccata: cum igitur deletio peccati sit effectus contritionis, videtur quòd minima contritio sufficiat.

2 Item, Minima charitas sufficit ad expulsionem omnis peccati, & ad resistendum cuicunque tentationi: contritio autem minima coniuncta est charitati: ergo sufficit delere omnia peccata, & resistere omni tentationi sequenti: sed ad nihil aliud datur nisi ad delendum peccatum: ergo videtur, quòd minima sufficit.

3 Item, Minima contritio habet gratiam & omnem virtutem: sed nihil exigitur ad contritionem peccati, nisi quod contrarium cuiuslibet peccati, quod est virtus, sit in subiecto: ergo videtur, quòd per minimam excludatur omne peccatum per contrariam cuilibet peccato virtutem: ergo minima sufficit, vt videtur.

Sed contra. SED ECONTRA videtur, quòd non sufficiat minima: quia ita præcipitur Ierem.6. Luctum Vnigeniti fac tibi planctum amarum. Luctus autem vnigeniti non est minimus: ergo cum tantus debeat esse luctus contriti, videtur quòd non sufficit minima contritio.

2 Item, Roman.6. Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ, &c. ibi dicit Augustinus in Gloss. quòd tantum debemus exhibere Deo, quantum peccato: licet in infinitum plus deberemus pro dignitate virtutis. Constat autem quod hoc non dicit minima contritio. Ergo videtur, quòd non sufficit minima.

3 Item, Super illud Psalm.118. Dilexi testimonia tua super millia auri & argenti, dicit Augustinus, quòd amplius diligit charitas legem Domini, quam cupiditas millia auri & argenti. Constat autem, quòd contritio tali charitate est informata. Ergo videtur, quòd supra omnem delectationem peccati debet esse quantitas contritionis: ergo non sufficit minima, vt videtur.

ITEM vlterius videtur posse probari, quòd oportet esse infinitam contritionem: quia quanta fuit delectatio & damnum peccati, tanta debet esse vel maior contritio delens peccatum: sed in peccato diligebatur aliquid, propter quod amittebatur infinitum bonum, quod est Deus: ergo videtur, quòd contritio delens illud, debet esse cum dolore & contritione infinitis: non ergo sufficit minima.

2 Item, Apoc.18. Quantum se glorificauit & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum. Et in Deuter.25. dicitur quòd secundum mensuram delicti sit & plagarum modus: mensura autem glorificationis & delicti est secundum eum in quem delinquitur: delinquitur autem in Deum, & Deus est infinitus: ergo mensura delicti infinita: & hoc etiam probat Anselmus in lib. Cur Deus homo. Ergo videtur, quòd contritio quæ excludit illud peccatum, debeat esse infinita.

Sed contra. SED ECONTRA iterum videtur, quòd dolor contritionis minimus sit, quasi omnium dolorum qui sustinentur in hac vita. Constat enim minimam esse albedinem, quæ maxime de nigredine habet admixtum: ergo est minimus omnium dolorum, qui maxime habet de gaudio aliquid admixtum: sed talis est dolor contritionis: ergo ipse est minimus. Quod autem talis sit dolor contritionis, patet per August. dicentem, quòd pœnitens doleat, & de dolore gaudeat.

2 Item, In multis aliis molestiis nos sensibiliter experimur maiores dolores: ergo videtur, cum experimentum certissimum sit iudicium doloris, quòd maiores etiam dolores sint in talibus.

3 Si autem tu dicas, quòd dolor maximus est, & non sentitur: hoc erit contra Philosophum 7. ethic. vbi dicit, quòd omnis delectatio factio quædam est in sensibilem naturam. Constat autem, quòd cum opposita fieri habent circa idem, quod etiam tristitia fieri habet circa naturam sensibilem. Cum igitur dolor sit tristitia de contrario, videtur quòd omnis dolor sit circa sensibilem naturam. Constat autem, quòd in quo est dolor per essentiam, illud dolet. Cum igitur sit in sensu, solus sensus dolorem habet: & ita sentitur dolor, si est.

4 Item, Philosophus 6. topic. reprehendit diffinitionem doloris sic datam, Dolor est distantia naturalium partium cum vi. Quia sic etiam insensibilia dolerent. Laudatur autem ista, Dolor est sensus diuisionis continui. Ergo videtur, quòd dolor supponat sensum: & sic non erit dolor qui non sentitur. Videtur ergo, quòd in contritione sit minimus dolor: quia minor ibi sentitur, quam etiam in verbere virgæ, eo quod nulla sensibilium partium diuiditur.

5 Item, Ex parte intellectus dicit Philosophus, quòd inconueniens est nos aliquid scibilium latere, habentes nobilissimos habitus: ergo etiam ex parte affectus habentes nobilissimas passiones & affectiones, inconueniens est nos hoc latere: ergo siquis maximum habet dolorem in contritione, ille non potest eum latere, vt videtur.

Solutio. RESPONSIO. Hoc non est difficile respondere. Dicendum enim, quòd in contritione minimus dolor dicitur dupliciter, scilicet minimus ex parte passionis secundum sensum, siue actionis: quia, sicut supra dictum est, pœnitens agit suum dolorem, & est causa eius: vel minimus secundum rationem. Si dicatur minimus secundum sensus experientiam, ille sufficit, dummodo sit contritionis: quia ille dolor cum sua quantitate variatur potius secundum diuersitatem complexionis pœnitentium, quam secundum quantitatẽ detestationis peccati. Et huius ratio, prout præsenti tractatui sufficere videbatur, habita est in quæstione hanc immediate præcedente. Si autem dicatur minimus secundum rationem: ita tamen, quòd saluatur in eo doloris essentia qui est contritionis: dico adhuc, quòd sufficit: si autem hæc non saluatur in eo, tunc non sufficit, quia nulla est ibi contritio. Dico autem, quòd minimus secundum rationem sufficit: quia, sicut supra diximus, in dolore contritionis tria attenduntur, scilicet gratia informans, & dolor, vt actio & passio, & obiectum doloris siue causa passionis. Et per gratiam quamcunque minimam habet vim infinitam ad delendum

delendum peccatum: & ideo sufficit ad deletionem peccati in culpa tota & æterna pœna: licet pœnitens remaneat debitor pœnæ temporalis propter paruitatem doloris vt actionis & passionis: quia ille dolor posset esse tantus, quòd totam pœnam peccato debitam deleret. Vnde melior esset maior, quam minor: sed tamen minus sufficit.

DICENDVM ergo ad prima tria, quòd verum est quod concluditur quantum ad deletionem culpæ & pœnæ æternæ communicantis eam: sed non sufficit ad deletionem pœnæ temporalis. Et pœnitentia non tantum ordinatur contra peccatum, vt deleat pœnam æternam cum culpa, sed etiam vt deleat temporalem.

AD ID quod contra obiicitur, dicendum quòd hoc dicitur quantum ad mensuram doloris, quæ etiam est in minima contritione: hæc autem mensura est vt doleat plus de peccato per quod amissus est Deus, quam de aliqua re temporali: vnde non dicitur, quòd luctum vnigeniti faciat sibi, ideo quod etiam non debeat esse maior: sed quia in exteriori signo nulli maiori comparari potuit: & in litera hic in verbis Augustini plus dicitur, scilicet quòd omnia paratus sit facere pro recipienda vita animæ, quæ faceret pro euitanda morte corporis: hæc enim mensura exigitur ad minimum dolorem contritionis: tamen de hoc infra amplior erit quæstio. Et ideo quia sic scilicet mensuratur contritio minima, non est inconueniens quod adductum est.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc intelligitur quantum ad voluntatis dispositionem, & non quòd non plus debeamus nos exhibere Deo. Dispositio autem illa voluntatis est, vt ita libere & non coacte seruiamus Deo & delectabiliter secundum rationem, sicut exhibuimus nos peccato: tamen nulli peccato ita nos exhibuimus, quòd propter metum mortis non fuissemus separati ab eo, sed tamen nec mors nec vita debent nos separare à charitate Christi.

AD ALIVD dicendum, quòd charitas in infinitum plus quantum ad appretiationem diligit legem Dei, quam cupiditas millia auri: quia diligit super vitam, quod non facit cupiditas quæ diligit aurum propter vitæ sufficientiam, vt dicunt Boëtius & Augustinus licet forte plus delectationis sensibilis cupiditas in auro experiatur: & ratio huius infra patebit.

AD ALIVD dicendum, quòd infinitæ virtutis est minimus, sicut prius dictum est, & etiam infinitæ æstimationis in pretio: quia sicut amisit infinitum bonum, ita modo idem ipsum appretiatur super omne pretium, etiam vitæ corporalis, quoniam Deum super omnia diligit: quia nisi hoc faciat, absque dubio non erit dolor contritionis.

AD ALIVD dicendum, quòd notatur in illa auctoritate duplex æqualitas, scilicet in genere, & in specie. In genere notatur quantum ad lamentum exterius, vt scilicet sicut se inordinate offerendo glorificauit in peccatis, ita tunc ordinate pœnitendo se humiliet. In specie autem notatur æqualitas ad luctum interiorem, vt scilicet sicut gloriando in peccatis temporale Deo præposuit, ita nunc Deum recipiendo sub nullo pretio Dei amissionem ponat, etiam sub pretio vitæ propriæ, vel aliorum suorum propinquorum.

AD ID quod obiicitur, quòd minimus sit omniũ, dicendum quòd non sequitur conclusio illa ex ratione inducta: quia nullum gaudium remittit dolorem, nisi sit contrarium dolori illi: sicut nec caliditas remittitur per humiditatem, quæ non est sibi contraria, sed potius per frigiditatem quæ est sibi contraria: gaudium enim de dolore non est contrarium dolori illi, & ita non remittit eum. Supra autem habitum est hoc, & etiam qualiter potest esse dolor afflictionis, & tamen voluntarius.

AD ALIVD dicendum, quòd non loquimur hic de dolore sensibili, sed rationali & illum experimur maiorem esse in peccatis, quam etiam in confixione vitalium: quod patet, quia eligimus potius configi vitalia, quam peccatum: ergo plus detestamur peccatum, quam confixionem vitalium: & secundum quantitatem illius detestationis est quantitas doloris in contritione.

AD ID quod contra obiicitur, dicendum quòd Philosophus non loquitur ibi nisi de dolore naturali, & non illo qui est per gratiam: quia ipse istum per rationem cognoscere non potuit: & bene concedo, quod dolor quasi æquiuoce dicitur de sensibili siue naturali, & rationali: quia cum rationalis natura contrarium non habeat in natura, Philosophus dicit eam impassibilem, nisi per accidens forte in corpore: & tamen fides nostra ponit eam per se naturaliter pati in igne. Dico autem naturaliter idem quod in narura sua pati. Hoc autem quod dicit Philosophus, quod delectatio est factio in sensibilem animam, ipse accipit delectationem proprijssime, secundum quod immutat & alterat: vel magis secundum ipsum prout est terminus alterationis ex passione aliqua, sicut ipse dicit in 10. ethic. communius tamen accepta dicit quietem voluntatis in appetibili consecuto: & sic est rationalis delectatio.

AD ALIVD dicendum, quòd loquitur de dolore naturali.

AD ALIVD dicendum, quòd non latet nos dolor: sed latet nos, vtrum contritionis, vel non contritionis sit: quia scimus nos detestari peccatum & dolere de commisso, sed nescimus nos habere gratiam: quia sicut dicitur Eccl. 9. Nemo scit vtrum amore vel odio dignus sit. Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICVLVS XXXII.

An contritio debeat esse æqualis de omnibus peccatis?

QVARTO quæritur, Vtrum de omnibus debeat esse contritio æqualis? Videtur autem, quòd non: quia sicut habitum est, contritio est dolor rationalis: ratio autem æstimat peccata de quibus est dolendum: sed æstimata non sunt æqualia: ergo dolor de eis non est æqualis.

2 Item, Maior dolor est de mortali, quam de veniali propter distantiam mortalis & venialis: ergo cum distantia sit etiam in mortalibus, maior erit dolor de vno quam de alio.

SED CONTRA: Contritio tota est de hoc quod per peccatum amissus est Deus: sed hoc æqualiter est per omne mortale peccatum: ergo contritio de quolibet mortali peccato est æqualis, vt videtur. *Sed contra.*

2 Item,

2 Item, Contritio delens culpam & pœnam est momentanea: sed in momento non potest esse de quodam maior, & de quodam minor: ergo videtur, quòd sit de omnibus æqualis.

3 Item, Quicquid agit in multa simul, ita quod non in singula, non agit in quoddam plus & in quoddam minus, quantum est ex parte ipsius agentis: dolor contritionis sic agit in peccatum: ergo quantum est ex parte doloris agentis, non agit in quoddam plus & in quoddam minus. Probatio primæ est: quia si in quoddam ageret plus, & in quoddam minus, quantum est ex parte sui, oportet quòd ratione illorum diuideretur actio, & sic non ageret in omnia simul, quod est contra hypothesim. Probatio autem secundæ est: quia in contritione non deletur peccatum post peccatum, sed omnia delentur simul per actum contritionis.

Solutio. Responsio. Dicendum, quòd duplex est contritio, scilicet operans in iustificatione impij, & illa quæ conterit peccatum in pœna debita, licet non in culpa. Prima contritio est motus liberi arbitrij in peccatum, & hic motus est in omnia peccata simul: & est idem quod detestatio peccati mortalis inquantum huiusmodi: & illa detestatio dupliciter consideratur, scilicet in actu, vel in ordine rationis elicientis actum. Si in actu: tunc est indiuisa actio de omnibus peccatis, & non de vno plus & de alio minus. Si autem in ordine rationis elicientis attenditur: tunc est de maiori maior detestatio, & de minori minor in habitu rationis. Et hæc distinctio eadẽ est cum illa, quòd dolor actualis dupliciter consideratur, scilicet ex parte obiecti, & ex parte agentis. Ex parte obiecti quidem est æqualiter de omnibus simul in summa. Ex parte autem agentis præsupponitur ordo rationis. Contritio autem quæ deletiua est pœnæ, successiua est: & hæc est de maiori peccato maior, & de minori minor. Et per hoc patet solutio ad omnia argumenta, quæ omnia procedunt secundum partes huius distinctionis.

ARTICVLVS XXXIII.

An contritio possit esse breuis & finita?

QVinto quæritur de quantitate eius respectu temporis. Videtur autem, quòd possit esse breuis & finita respectu temporis: quia si partes alicuius totius simul constituunt ipsum, vna deficiente deficit totum: sic autem constituitur pœnitentia contritione, confessione, & satisfactione. Cum igitur satisfactio sit finita & confessio, videtur & tunc finiri in tempore pœnitentia: ergo & contritio.

2 Item, Nulla medicina extenditur vltra morbum: sed contritio medicina quædam est: ergo non extenditur vltra morbum: sed morbus sæpe in tempore deletur in culpa & pœna, ita quod homo non habeat aliquam mortalem culpam, & non sit debitor alicuius pœnæ: ergo tunc non debet habere medicinam sacramentalem: ergo nec contritionem: quæ est medicina sacramentalis peccati actualis.

3 Item, Nihil conteritur, quod nullo modo est: ergo nec peccatum quod nullo modo est, conteri potest: & non est contritio nisi de peccatis: ergo videtur, quòd tunc finita est contritio. Quod autem peccatum mortale actuale, nullo modo possibile sit esse, ex hoc probatur quod dictum est, quòd hic homo potest fieri immunis à culpa mortali & pœna.

4 Item, Pronior est Deus ad miserandum, quam ad condemnandum: quod patet ex hoc quod remittit totam culpam & æternam pœnam, & exigit tantum pœnam corporalem siue temporalem: igitur ipse non vult pœnas nostras, cum non sumus debitores: sed iste potest esse nullius pœnæ debitor: ergo nec pœnæ interioris: ergo nec Deus vult ipsam: ergo pœnitentia contritionis finitur in isto.

5 Item, Supra distinct. 14. habitum est, quòd pœnitentia restituit in pristinum statum innocentiæ: constat autem, quòd innocens non tenetur conteri: ergo nec ille qui expleuit pro peccato quod debuit: ergo dolor contritionis finitus est in illo secundum tempus.

Sed contra. Si autem hoc concedatur, erit contra Augustin. dicentem hoc, Semper doleat, & non satis doluisse doleat, & de dolore gaudeat: & vbi dolor finitur, finitur & pœnitentia: & vbi finitur pœnitentia, finitur & vita: ergo videtur, quòd non debeat finita esse contritio siue dolor contritionis in hac vita.

2 Item, Iob 3. dicitur, Paruus & magnus ibi sunt, & seruus liber à domino suo. Quod exponens Gregor. dicit, quòd qui semel seruus est peccati, non erit liber à dolore, nisi in alia vita. Ergo videtur, quòd dolor non finitur in ista vita.

3 Item, Nullus scit, vtrum odio an amore dignus sit: ergo nec scit, vtrum remissa sint peccata: sed dubio illo existente semper debet esse dolor de peccato perpetrato: cum ergo dubium illud extendatur per totam vitam, dolor perseuerare debet per totam vitam: ergo non finitur in tempore dolor contritionis.

4 Item, Ponamus alicui reuelari, quòd sibi dimissa sint peccata in pœna & in culpa. Et si quæratur tunc ab eo, vtrum doleat de peccato perpetrato: constat, quòd ipse respondebit, sic. Cum igitur ille non mentiatur, ipse vere dolet: non autem dolet nisi dolore contritionis, quia omnis dolor de peccatis perpetratis rationalis & gratia informatus, dolor contritionis est: ergo iste adhuc habet dolorem contritionis: & ita semper pœnitebit vsque ad mortem: ergo semper perseuerat in eo dolor contritionis: ergo contritio non finitur in ipso ante mortem.

5 Item, Sancti assignant causam quare Deus pro peccato vnius horæ punit æternaliter, dicentes: quia homo mortaliter peccans, committit se peccato à quo per se separati non potest in suo æterno, hoc est, in vita: & quia quantum est de se peccat in suo æterno, punit eum Deus æternaliter in Dei æterno: ergo à simili per eandem iustitiam si contritio commutat pœnam æternam, necesse est, quòd ipse puniat peccatum in suo æterno: suum autem æternum est totum tempus huius vitæ: ergo dolor contritionis debet fieri in toto tempore huius vitæ.

Solutio. Respondeo, quòd vltimis obiectionibus consentiendum est: quia dolor contritionis non finitur in hac vita, sed finitur in alia: & ita quantitatis infinitæ est pœnitentia & contritio quantũ

ad

ad æternum hominis : quia si in æternum in hac vita viueret, in æternum de peccato perpetrato doleret.

DICENDVM ergo ad primum, quòd pœnitentia non æqualiter saluatur in partibus illis, sed proprie in contritione : & hoc quantum potuimus supra verificatum est : & ideo pœnitentia in contritione æternitatem hominis habet, licet non æternitatem simpliciter, quia pœnitentia medium est inter totum vniuersale & totum integrale,& partes suæ mediæ inter homogenias & heterogenias : & hoc totum supra explanatum est.

AD ALIVD dicendum, quòd morbum impossibile est in toto finiri : manet enim, vt dicit Magister Hugo de sancto Vic. quantum ad vinculum detestationis perpetuæ in memoria perpetrati delicti inquantum perpetratum est : & ideo illa fundatur super falsum : & huius ratio patebit in sequentis obiectionis solutione.

AD QVAM dicendum, quòd quædam pœna peccati est taxata à sacerdote, & quædam consequitur peccatum in pœnitente : & prima quidem finibilis est, secunda autem non:& hæc est detestatio perpetua peccati : quam innuit Dominus Ioan.8. cum dixit, Vade & noli amplius peccare, id est, velis non peccare, quod est detestari peccatum.

AD ALIVD dicendum, quòd duplex est pœna, scilicet affligens tantum, & promouens cum afflictione : & verum est,quòd Dominus non delectatur in pœna inquantum est affligens : sed vult bene pœnam nostram inquantum est promouens:& talis est pœna contritionis & medicina quæ simul est contra morbum, vt præseruans à morbo, & bene manet per totam vitam.

AD ALIVD dicendum, quòd pœnitentia non restituit in pristinum statum dignitatis, sed meriti & immunitatis peccati quoad culpam & pœnam exteriorem hic, sed non quoad absolutionem ab omni pœna, nisi prout extenditur per totam vitam, vt dictum est.

ARTICVLVS XXXIV.

Quanta debet esse quantitas contritionis respectu voluntatis peccandi vel non peccandi?

SExto & vltimo quæritur de quantitate contritionis respectu voluntatis peccandi,vel non peccandi. Videtur autem hic ex litera accipi,quòd quantitas contritionis debeat esse tanta, quòd etiam pro redemptione istius naturalis vitæ nollet peccare. Cum ergo vita charius possideatur quam aliquod aliorum, videtur, quòd pro nulla alia re debeat peccare velle.

2 Item, Apostolus Rom. 8. Quis nos separabit à charitate Christi, &c. Ergo nihil potest præponi in bonis vel malis creatis quod anteponendum sit Deo:ergo videtur, quòd qui aliquid anteponit, quòd ille in charitate non sit : ergo non contritus : ergo quantitas contritionis debet esse tanta,quòd pro nulla re prospera vel aduersa peccare vellet.

3 Item, Ioëlis 2. Conuertimini ad me in toto corde vestro, in ieiunio, fletu, & planctu. Ergo nihil de toto corde retinendum est, quod non conuertatur in contritione ad Deum, præpositis omnibus separantibus : si igitur dictet alicui conscientia, quòd citius vellet à Deo separari per peccatum mortale,quam videret se vel suos quosque charos suspendi, vel etiam turpius interfici, ipse non esset contritus.

4 Item, In simonia peccatum ideo est, quia impretiabile ponitur sub pretio : ergo vbicunque hoc contingit,peccatum est ibi,licet non simonia: sed qui propter aliquid difficile vel prosperum separari vellet à Deo, Deum ponit vendibilem pro illo : ergo impretiabile ponit sub pretio:ergo peccat : & peccans actualiter & mortaliter non est contritus : ergo ipse non est contritus.

5 Item, Augustinus in libro confessionum, Minus te amat qui tecum aliquid amat. Ergo non licet aliquid æqualiter amare cum Deo affectu vel effectu : ergo multo minus licet aliquid amare affectu vel effectu supra Deum : supra Deum autem aliquid amat effectu omnis ille qui potius separatur à Deo, quam aliquid creatum amittat: ergo omnis ille peccat mortaliter : ergo non est contritus : ergo ad contritionem exigitur conscientia illius voluntatis, quæ pro nulla re prospera vel aduersa separari vult à Deo.Istud habetur per hoc quod dicitur Deut.6. Diliges Dominum Deum tuum ex toto corde tuo,&c. Si enim etiam corde aliquid Deo anteponit, constat quòd non ex toto corde diligit : ergo charitatem non habet: ergo nec contritionem.Si forte tu dicas,quòd hoc præceptum non est datum vt impleatur in via, sed in patria,vt dicit August. Contra : Communiter dicitur, quòd est totalitas viæ, & totalitas patriæ: & totalitas viæ ab omnibus esse dicitur, vt nihil in corde Deo anteponatur:totalitas autem patriæ, vt totum cor per cogitatum & affectum in ipsum dirigatur : & completur in via secundum totalitatem viæ:sed iste in corde Deo aliquid præponit: ergo non diligit:ergo nec contritus est. Et de hoc multum inuenies disputatum super tertium in quæstionibus de dilectione.

SED SI hoc dicatur, videtur quibusdam difficile : quia multi sunt in quibus apparent signa pœnitentiæ, quibus tamen si proponeretur, quòd omnes suos & se viderent pati turpes mortes, potius vellent peccare : ergo videtur, quòd ad ista non tenentur. *Sed contra.*

2 Item, In dilectione aliquid est ad quod tenetur perfectus, & aliquid quod sufficit imperfecto : ergo & in contritione sic est : ergo cum perfectus non possit magis conteri nisi vt nihil præponat Deo, videtur quòd imperfecto sufficit contritio minor : ergo potest aliquid anteponere Deo,vt videtur.

3 Item,Charitas crescit & perficitur,& quandoque est imperfecta:ergo & contritio:sed contritio vltra prædictum statũ crescere non potest:ergo videtur,quòd incipiens est citra illum:non autem potest esse citra illum, nisi aliquid anteponendo Deo : ergo incipiens contritio potest aliquid anteponere Deo:cum igitur ista sufficiat ad salutem, sicut & incipiens charitas,videtur quòd contritio quæ salutem dat,non exigat illam quantitatem qua nihil anteponitur Deo.

RESPONSIO. Hic loqui caute oportet, vt veritas saluetur, & nullus iniiciatur laqueus desperationis. Dico igitur sine præiudicio, quòd rationes *Solutio.*

tiones primo inductæ irrefragabilem concludunt veritatem secundum viam nostræ fidei & doctrinam Catholicam : tamen sacerdos huiusmodi quantitatem non debet exigere, vt coram se profiteatur pœnitens, sed in habitu debet eam per signa in ipso supponere, licet forte pœnitens propter nouellam eius conuersionem non adhuc eandem experiatur in actu : si tamen pœnitens profiteatur eam sponte, & talem habere se dicit, fouendus est in ea: quia dicit beatus Gregor. in moralibus, quòd homo efficitur audax ad patiendum pro Christo ex hoc quod imponit sibi sæpe terribilia, & in corde suo confortat se ad sustinendum. Si vero profiteatur se pœnitens esse in ambiguo, vtrum cederet, vel sustineret antequam peccaret: puto, quod salua res est, quia illius ambigui causa est timor naturalis quem magis experimur in actu, quam charitatem : ideo talis iam signum habet charitatis quæ causat ambiguum, & cum adiutorio Dei talis sustineret, sine cuius auxilio nihil potest fieri meritorie. Dico autem sufficere ambiguum : quia nullus certus est, vtrum cederet, vel sustineret : sicut dicit Augustinus in lib. de sancta virginitate. Si autem ex deliberata conscientia dicat se certum esse, quòd potius peccaret : istum non credo esse contritum, & nullam percipere remissionem peccatorum : tamen non est abiiciendus, quia consuetudo attritionis inducit contritionem, sicut timor seruilis initialem & filialem.

Ad id ergo quod obiicitur in contrarium, dicendum quòd multi per Dei gratiam in ambiguo sunt : & etiam in consolatione adiutorij Dei spem habentes non redeundi: licet ignorentur futuri casus: & ideo hoc non est terribile.

Ad aliud dicendum, quòd in dilectione interiori non separatur perfectus ab imperfecto, sed in signis exterioribus : hæc autem quantitas contritionis tota est in voluntate & conscientia interioribus : & ideo ad eam tam perfectus quam imperfectus tenetur.

Ad aliud dicendum, quòd incipiens per hoc quod ponit charitatem, diligit Deum præ omnibus, & super omnia habere & propter se : sed crescit in vigore merendi & assimilatione ad Dei bonitatem. Et similiter contritio non crescit in quantitate ista, quia hæc exigitur ad omnem contritionem, sed crescit in aliis, scilicet quoad essentiam, & potentiam purgandi reliquias peccati.

ARTICVLVS XXXV.

An sit aliquis status vltra quem non intenditur, neque crescit contritio?

Deinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Et hoc cum desiderio, quia vitam recuperat infinitam, &c.] Habitum est enim, quòd contritio intenditur & crescere potest. Quæratur ergo, Vtrum sit aliquis status, vltra quem non crescit, sed stat in illo? Videtur autem, quòd sic: quia dicit Philosophus, quòd omniũ natura constantium terminus est & ratio magnitudinis & augmenti : ergo cum ea quæ sunt gratiæ, sunt magis ordinata : videtur quod ea quæ sunt gratiæ, etiam habeant statum suæ perfectionis.

2 Item, Sicut dicitur in Apoc. latera ciuitatis sunt æqualia: & latera sunt virtutes: ergo virtutes sunt æquales: ergo si aliqua vna stat & non crescit vltra, omnes aliæ stabunt : sed charitas stat : ergo & omnes aliæ: ergo & contritio. Probatio, quòd charitas stat: dicit enim Augustinus, quòd charitas nutrita augetur, & aucta perficitur, & post perfectionem nihil ei additur : ergo stat in sua perfectione : ergo constat propositum.

3 Item, Macrobius super somnium Scipionis sequens Platonem, dicit virtutes non progredi vltra statum virtutum animi purgati, secundum quod sunt in homine : ergo ibi stant: & contritio alicuius virtutis est : ergo stabit in illo statu.

4 Item, Nihil est perfectum nisi quod habet vltimum sui secundum naturam : si ergo contritio non habebit vltimum sui secundum naturam, ipsa semper erit imperfecta : sed semper crescens, nunquam habebit vltimum sui secundum naturam: ergo semper crescens, semper erit imperfecta, quod est inconueniens.

5 Item, Constat, quòd virtus humana finita est. Sit igitur, quòd homo conferatur ex tota virtute, hoc enim possibile est : cum ergo tota virtus finita sit, finitus erit eius actus, & tantus quo non potest esse maior ex illa virtute : ergo tunc stat : ergo aliquis est status vltra quem crescere non potest.

Sed contra: Bernard. Stare in via Dei, retrocedere est : ergo nullus est status in via Dei, vt videtur : ergo quodlibet meritum crescere potest : ergo & contritio. *Sed contra.*

2 Item Seneca, Ibi desinis esse bonus, vbi desinis velle fieri melior. Constat autem, quòd illa voluntas non est inane desiderium. Ergo potest fieri melior in quolibet bono : ergo & contritione: ergo contritio semper crescere potest.

3 Item, In præmio quoad homines nullus est status, qui non possit habere sub Deo statum & meliorem & altiorem: ergo nec in merito ad præmium ordinato : sed vnum meritorum est contritio: ergo in contritione nullus est status vltra quem crescere non possit.

Solvtio. Dicendum, quòd nullus est status contritionis in quo crescere non possit : sed tamen omnis actus contritionis status est, sed potest esse maior & in eodem homine & in alio. *Solutio.*

Ad id ergo quod primo obiicitur, dicendum quòd res dupliciter perficiuntur, scilicet ex vltimo suæ naturæ, tam ex parte essentiæ, quam ex parte quantitatis : & hoc modo perficiuntur res naturales in forma & quantitate sibi debita. Quædam autem perficiuntur ex hoc quod in assimilatione magis accedunt ad aliquid quod substantialiter per se est tale : & hoc modo perficiuntur res morales, & præcipue diuinæ per gratiam & merita. Et quia hæ in infinitum distant ab illo, ad hoc per assimilationem accedunt : ideo nullus est status boni illius, quo non possit esse maior & melior.

Ad aliud dicendum, quòd charitas non stat : vnde dicit Chrysost. quòd charitas Dei fonte magis manat, & non stat, sed semper proficit aut deficit : & ideo sua perfectio non est statio in statu aliquo, sed potius in exclusione imperfectionis quoad signa: & tunc dicitur esse perfecta quæ sufficit ad opera & signa perfectionis.

Ad aliud dicendum, quòd eodem modo dicuntur virtutes animi purgati, virtutes quæ perficiunt animam in tali ſtatu in quo nihil manifeſtatur de paſſione virtuti contraria: non tamen ideo dicitur purgati, quòd creſcere non poſſit in acceſſu ad virtutem exemplarem.

Ad aliud dicendum, quòd vltimum dicitur dupliciter, ſcilicet complens eſſentialiter, & de hoc tantum eſt verum quod obiicitur. Dicitur etiam vltimum id ad quod eſt acceſſus, & quod ſolum ſimpliciter perfectum eſt: omne autem aliud tanto perfectius, quanto ad id magis accedit: & de hoc non eſt verum quod dicit: quia talia habent perfectionem quæ ſimpliciter eſt in vno tantum, & in aliis per participationem & aſſimilationem illius: ſicut etiam Philoſophi dixerunt & Sancti intelligentias tanto magis perfici & vniri & ſimplices fieri, quanto magis participant bonitates quæ ſunt à cauſa prima: & in talibus vũquodque perfectum eſt, ſed ſemper poteſt eſſe n perfectius.

Ad aliud dicendum, quòd duplex eſt potentia, vel melius eſt potentiæ conſideratio: ſecundum ſe, & ſecundum comparationem ad habitum perficientem. Si enim potentia ſecundum ſe conſideretur: tunc neceſſario concludit obiectio inducta. Si autem conſideretur in comparatione ad habitum cui adiungitur: aut ille habitus perficit tantum virtute creata, ſicut omnis habitus acquiſitus & innatus: aut perficit ſimul virtute creata & increata, eo quod ei coniuncta eſt virtus eſſentiæ increatæ. Si primo modo, adhuc verum eſt quòd concludit obiectio. Si autem ſecundo modo: tunc nihil valet: quia licet in ſe virtus finita ſit, tamen in ſe ſemper creſcit ei poſſe, ex hoc quod recipit gratiam gratum facientem maiorem: & tunc poteſt in amplius. Et quia ſic bene vtitur gratia accepta, iterum datur ei gratia maior, qua accepta, poteſt in ampliorem actum meriti: & nunquam erit talis ſtatus meriti in quo homo creſcere non poſſit. Et per hoc patet ſolutio ad totum.

ARTICVLVS XXXVI.

An oporteat confeſſionem eſſe integram?

Deinde per præcedentes de eleemoſyna quæſtiones habitas omnia patent vſque ad illum locum vbi dicit [Caueat ne ductus verecundia diuidat apud ſe confeſſionem, &c.] Quæritur enim hic de integritate confeſſionis. Et videtur, quòd non oporteat eam eſſe integram: confeſſio enim eſt propter iudicium peccati: æquale autem vel etiam melius iudicium fit de peccato quando vna vni pars propalatur, & alij alia pars, quia pluribus intentus minor eſt ad ſingula ſenſus: cum igitur diuiſio valeat ad melius iudicium peccati, videtur quòd melior ſit confeſſio diuiſa, quam integra.

2 Item, Nullum eſt periculum in pœnitentia: quia ſi vnuſquiſque iniungit competentem pœnitentiam de his quæ audiuit, collecta ſimul pœnitentia omnibus erit competens & condigna: ergo ipſa delet peccatum, licet ſit diuiſa.

3 Si forte tu dicas, quòd ſicut in litera dicitur, propter verecundiam hoc fit: quia magis verecundatur coram vno dicere omnia, quam diuiſim coram multis. Contra: Verecundia accidit confeſſioni: propter accidens autem non debet variari res in ſubſtantia: ergo propter verecundiam non poteſt eſſe, quod non ſit confeſſio diuiſa, dummodo aliàs confeſſio ſit.

4 Item, Si propter verecundiam hoc fit: tunc etiam alia maiorem verecundiam inducentia debent præcipi confitenti. Conſtat autem, quòd coram vno ſacerdote multo magis verecundatur, quam coram alio: ergo videtur, quòd ſibi præcipi debeat, quòd illi confiteatur coram quo maxime verecundatur, quod falſum eſt: ergo verecundia non eſt cauſa.

5 Item, Poſſibile eſt aliquem confeſſionem diuidere non ex cauſa quæ aſſignatur in litera, ſcilicet vt per hypocriſim ſe laudet: quia poſt aliquis hoc facere ex ignorantia, vel ex quantitate contritionis: quia vult, quòd plures plura iniungant, & ſic melius ſatisfaciat: ergo videtur, quòd tunc taliſ poſſit diuidere confeſſionem.

6 Item, Videtur multis eſſe impoſſibile quod dicit, Dicit enim Pſalm. Delicta quis intelligit? ab occultis meis munda me. Ponamus ergo, quòd aliquis in confeſſione ſua quorundam ſit oblitus, quæ libenter confiteretur, ſi in memoria haberet; & poſtquam omnia quæ in memoria habuit, confeſſus eſt: & recedat ab eo ſacerdos, vel è conuerſo ipſe à ſacerdote, ita vt ad eum accedere opportune non poſſit: & tunc recordetur aliquorum quæ non eſt confeſſus: tunc igitur quæro, an confeſſio prius facta valuit, an non? Si valuit: ergo eam iterare non tenetur: ergo ea quæ habet in memoria & prius non habuit, poteſt alij dicere: ergo diuiſa confeſſio valet. Si autem non valuit: ergo ex recordatione nulla confeſſio valet, in qua non dicuntur omnia etiam oblita, quod eſt fere omnes homines damnare, & ideo hoc eſt abſurdum. Si forte tu dicas, quòd valuit: ſed ſtatim vt recordatur plurium, incipit non valere, niſi illa quorum recordatur, & etiam prius dicta, vni alicui confiteatur. Contra: Id quod non coniungitur alicui in tempore nec in eſſentia, videtur quod non deſtruat ipſum: ſequens autem recordatio peccatorum præhabitæ confeſſioni non coniungitur: ergo non deſtruit eam: ergo ſi ante hoc valuit, & poſtea valet, vt videtur.

7 Si dicas, quòd hæc ratio non valet: quia ſequens peccatum prius facta bona mortificat, quibus tamen non coniungitur eſſentialiter vel in tempore, ſed in eodem ſubiecto tantum. Contra: Quod ſequens peccatum mortificat prius facta bona, contingit propter contrarietatem culpæ & gratiæ: ſed prior confeſſio & ſequens recordatio non habent huiuſmodi contrarietatem: ergo vnum nnn deſtruit aliud. Item, Si ex ſequenti recordatione ille obligatur ad confeſſionem præcedentium: quæratur, vnde hoc contingit? Non enim hoc contingere poſſet, niſi quia prius facta confeſſio non valuit, vel modo non valet ex quo plurium recordatur. Si prius non valuit: ergo pars iſta pœnitentiæ deficit: ergo deficit vera pœnitentia: ſed nulla niſi vera pœnitentia deletiua eſt peccati: ergo prius non erat in eo deletum peccatum, quod falſum eſt: quia poteſt eſſe, quòd omnia deleta ſunt, & ea quæ prius confeſſus eſt, & ea quorum poſtea recordatus eſt. Si autem prius valuit, & modo non valet: videtur quòd ſit ex contrarietate ſequentis recordationis ad confeſſionem: ſed ſequens recordatio bonum quoddam eſt,

est, & præhabita confessio bonum quoddam: ergo bonum contrariatur bono, quod est absurdum.

Quæstiuncula. VLTERIVS quæritur, Vtrum posito, quòd pœnitentiam prius iniunctam perfecerit, & postea aliquorum recordatus sit, teneatur iterato totum confiteri, aut non? Si sic, cum confessio non sit nisi propter pœnitentiã ipse recipiet pœnitentiam de toto: ergo bis punitur propter illud peccatum: quod falsum est: quoniam non consurgit duplex tribulatio, vt supra habitum est. Si non: ergo non recipiet pœnitentiam nisi de parte: sed non tenetur confiteri nisi propter pœnitentiæ taxationem: ergo confiteri non tenetur nisi partem illam peccatorum pro quibus non recepit pœnitentiam: ergo potest diuidere confessionem, quod est contra literam.

2 Item, Ex hoc videtur generari quædam perplexitas: vix enim est aliquis qui simul recordetur omnium peccatorum. Ponamus ergo aliquem successiue per centum vices vel plures semper post temporis alicuius interuallum recolere aliqua quæ non fuit confessus, & ipsum semper trnsire de loco ad locum, vbi eiusdem confessoris opportunitatem habere nõ potest: iste igitur semper à principio tenetur repetere confessionem suam: ergo vix vnquam quiescet securus de conscientia, quòd sit bene confessus: & hoc difficile est dicere: ergo videtur, quòd in aliquo casu diuidi possit confessio.

Sed contra. SED CONTRA hoc obiicitur: quia si diuidatur confessio, nullus sacerdotum audientium sciet totam morbi quantitatem: ergo isti nulla iniungitur debita satisfactio: ergo non valet talis confessio.

2 Item, Pœnitentia iuncta est per modum medicinæ contra consuetudinem veteris peccati: sed diuisa confessione nullus sufficienter scit consuetudinem: ergo nullus sufficienter scit occurrere morbo peccati: ergo talis confessio non valet.

3 Item, In medicina corporali si aliquis æger laboret ex diuersis generibus ægritudinum, & vnam sciret vnus, & aliam alius medicus, contingit periclitari ægrotum: quia vnus medicus non operaretur nisi contra vnam ægritudinem, & tunc aggrauaretur forte alia: ergo simile est in ægritudinibus spiritualibus: ergo vnus sacerdos qui medicus spiritualis est, debet scire omnes morbos.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd confessio diuisa ex industria, nihil valet, vt dicitur in litera, sed potius nocet: quia accumulat peccatum simulationis, vt dicitur in litera: & huius causæ propriissimæ tactæ sunt in obiectionibus vltimo inductis: & non est eas difficile colligere in tres secundum numerum eorum quæ obiecta sunt.

DICENDVM ergo ad primum, quòd iudicium peccati duplex est, scilicet iudicium peccati quid sit peccatum, & iudicium proportionis totius peccati ad condignam pœnitentiam. Et iudicium primum est in confitente procedens ex auditu: & de hoc tantum verum est quod obiicitur. Sed est iudicium secundum, quod est magis substantiale confessioni, & hoc non potest fieri ab aliquo nisi per totam, quantitatem peccati simul audiat: & si plures ita quòd singuli totum audiant, tunc verum est, quòd melius fit à pluribus quam ab' vno: sed tamen impossibile est fieri à pluribus, quorum singuli nesciunt totam peccati quantitatem.

AD ALIVD dicendum, quòd sacerdos cum teneatur pœnitentem periclitantem corrigere, per opera iustitiæ intendit in contrarium assuescere: & ideo impossibile est hoc, nisi sciat totam consuetudinem veterem. Sed quæstio illa procedit ac si in pœnitentia diuisim singulis peccatis imponeretur satisfactio: & hoc non est verum.

AD ID quod obiicitur de verecundia, dicendum quòd duplex est verecundia: quædam est passio corporalis quæ consistit in rubore corporis, & hæc acidentalis est confessioni. Est etiam rationalis verecundia, quæ est confusio quædam sui in magnitudine delicti: de qua dicitur Rom. 6. Quem ergo fructum habuistis tunc in illis in quibus nunc erubescitis? Et hæc substantialis est confessioni, vt dicitur in litera.

AD ALIVD dicendum, quòd verecundia maior facit ad bene esse confessionis: & quia præceptum non est de meliori bono, sed de necessario tantum: ideo non præcipitur illud.

AD ALIVD dicendum, quòd licet confessio separabilis sit ab illa verecundia quæ passio est corporalis, non tamen ab illa quæ est confusio mentis interior cum detestatione peccati.

AD ALIVD dicendum, quòd illa talis confessio valet & valuit, quia de omnibus est quæ erant in memoria: & tamen tenetur repetere propter illud quod postea ad memoriam reuocauit. Non enim sequitur, si valet, quod non teneatur repetere: quia valuit pro statu in quo tunc fuit & per se. Quod autem repetitur, hoc est ratione alterius status, & per accidens: quia quod postea reducitur ad memoriam, facit eam non esse de omni peccato recordato, nec integrari.

AD ALIVD dicendum, quòd licet recordatio actu non coniungatur præcedenti confessioni: tamen id quod recordatum est, facit eam imperfectam: quia ipsum est pars eorum quæ confiteri debent, & deest confessioni: omne autem illud imperfectum est, vt dicit Philosophus, cui de essentialibus aliquid deest: & ideo confessio præcedens est imperfecta, quia non est de omnibus recordatis.

AD ALIVD dicendum, quòd non oportet quòd id quod ostendit aliquid esse imperfectum, sit ei contrarium: sed bene verum est, quòd id quod destruit aliud, per se contrarium est illi: sed non destruit recordatio posterior præhabitam confessionem: quia illa valuit, & valet, si suppleatur ei id quod deest. Quod autem hoc verum sit, sic patet: quia pars subtracta non est contraria toti: & tamen quando apparet subtracta, ostendit totum esse imperfectum, & perfici si addatur.

Ad qu. AD ALIVD dicendum, quòd si pœnitentiam prius iniunctam impleuit, hoc ipsum cum peccatis debet dicere sacerdoti secundo si non potest habere sacerdotem primum, vel tertio si nec primum nec secundum habere potuerit, & sic deinceps: & tunc ipse non iniunget pœnitentiam pro prius dictis, nisi pro tanto inquantum nunc dictum manifestat sibi periculum consuetudinis in aliquo peccato, quod periculum alius

ſacerdos intelligere non potuit, eo quod non totam cognouit quantitatem peccati. Ex hoc vlterius patet, quòd non conſurgit duplex tribulatio & tamen tenetur iterato confiteri.

AD ALIVD dicendum, quòd nulla generatur perplexitas: quia non tenetur confiteri niſi recordata: & hoc de facili poteſt facere; & ſi aliqua præterita reuocet menti, illa dicat eidem, vel ſi alij, repetat priora: & hoc non eſt difficile, cum ſint in memoria. Si autem non vult tantum ſtudere in diſcuſſionem ſui, vt ſimul omnia quæ poteſt comprehendat: puto quòd damnabiliter negligens eſt, nec ſufficientem ſuæ ſalutis habet curam. Hoc autem quidam aliter determinauerunt dicentes, quòd ſufficit cum recordato dicere priora in generibus ſingulorum, & non oportet ea exprimi in ſingulis generum: ſed hoc reputo eſſe contrarium dictis Sanctorum & præſumptuoſum.

ARTICVLVS XXXVII.

An hypochriſis ſic bene definita?

DEinde quęritur de hoc quod dicit [Ad hypocriſim tendere.] Quæremus enim hic ex incidenti de hypocriſi quinque, ſcilicet quid ſit, & vtrum ſit peccatum ſpeciale, vel generale coniunctum pluribus aliis vel omnibus? Tertio, In quibus operibus frequenter apparet? Quarto autem, Qualiter ſe habet ad inanem gloriam? Quinto & vltimo, Vtrum ſemper ſit mortale peccatum, vel veniale?

Ad primum horum ſic obiicitur: Super illud Matth 6. Nolite fieri ſicut hypocritæ triſtes, dicit Gloſſ. Hypocrita eſt, qui ſimulat quod non eſt, repræſentator alterius perſonæ. Videtur autem hæc diffinitio non eſſe generalis: quia hypocrita ſimulat quandoque quod eſt, vel diſſimulat quod eſt, ſcilicet quando bonum occultum iactat, vel occultum malum abſcondit: & tamen hypocrita eſt: ergo non ſemper ſimulat quod non eſt.

2 Item, Simulatio & diſſimulatio ex oppoſito ſe habent, ſicut ſimile & diſſimile: ſed diſſimile nunquam eſt ſimile in eo quod huiuſmodi: ergo nec diſſimulatio eſt ſimulatio: ſed diſſimulatio eſt actus hypocritæ, vt dicit Magiſter Hugo de ſancto Victo. ergo non ſemper ſimulatio: ergo nulla eſt diffinitio.

3 Item, Magiſter Hugo de ſancto Victo. ponere videtur actus quatuor pœnitentiæ, tractans illud Danielis 7. de pardo qui habebat alas quatuor, dicēs quòd quatuor alæ hypocritæ, ſunt iactātia de bono manifeſto, excuſatio mali manifeſti, ſimulatio boni occulti, & diſſimulatio mali occulti: ergo male diffinitur hæc per ſimplicem ſimulationem.

4 Item, Adhuc aliter obiicitur contra illam diffinitionem: quia ſimulare quod non eſt, contingit aliquando bene fieri, vt propter ſcandalum vitandum: & tunc non eſt malum: conſtat autem, quòd omnis hypocriſis eſt mala: ergo ſimulare quod non eſt, non eſt ſemper hypocriſis.

5 Adhuc videtur, quòd Ioſue ſimulans fugā & Saluator formā peregrini & hortulani, & fingēdo ſe longius ire, ſimulauerūt quod non erant, & præſentabant alias perſonas: nec tamen erant hypocritæ: ergo diffinitio illa non cōuenit, vt videtur.

6 Item, Cum virtutes ſint voluntates quædam, vel non ſine voluntate, vt dicit Philoſophus, conſtat quòd ſimiliter etiam vitia ſint voluntates quædam: voluntas autem à fine & volito accipit ſpeciem & qualitatem: ergo hic poni deberet in diffinitione hypocriſis: & hoc non fit: ergo diffinitio mala.

7 Item, Hoc idem patet alia ratione: quia dicit Auguſt. quòd omnis humana peruerſitas eſt frui vtendis, & vti fruendis. Conſtat autem, quòd fruens vtendis, aliquid temporale diligit propter ſe, & plus quam Deum; cum igitur hoc ſit in omni peruerſitate humana, hoc etiam erit in hypocriſi: ergo in hypocriſi diligitur aliquid propter ſe, ex quo contrahit & ſpeciem & rationem: hoc ergo debuit poni in eius ratione.

8 Adhuc autem, ſi quæratur, In quo differt ſuperbia ab auaritia, & hęc duo à fornicatione? reſpōdebitur, quòd penes fines voluntatis: quia auaritia requieſcit in diuitiis, ſuperbia in dignitatibus, & fornicatio in delectabili venereorum: igitur ita eſt in hypocriſi: ſed illud penes quod differunt ea quæ ſunt eiuſdem generis, eſt loco differentiæ conſtitutiuæ ſpeciei vel ipſa differentia: ergo ſimiliter ſe habebit in hypocriſi: conſtat autem, quòd illud potiſſimum eſt in diffinitione & complens eam; ergo illud maxime debet poni in ea: hic autem non fit ſic: ergo male.

RESPONSIO. Dicendum, quòd hypocrita diffinitur in præhabita aſſignatione à proprio actu ſuo: quia actus ſunt præuij habitibus ſecundū rationem. Et ſiquis vult eā ſuſtinere, dicet quòd ſimulare ſumitur large, ſcilicet pro oſtēdere ſe in alia diſpoſitione quam ſit, vt repræſentet perſonam alterius: & cum ipſe ſit malus, poteſt intelligi, alterius perſonæ in genere, non in ſpecie, hoc modo quo dicit Philoſophus, quòd bonum & malum ſunt genera aliorum exiſtentia. Et hoc modo etiam intelligendum eſt quod dicit, quod ſimulat quod non eſt, ſcilicet in genere, non in ſpecie. Vlterius autem intelligendum eſt, quòd hoc ipſum quod dicit, ſimulare quod non eſt, fit hoc fine quod eſt placere de bonitate ſimulata, hic enim eſt finis voluntatis hypocritæ. Siquis igitur vellet totum eſſe hypocriſis comprehendere, diceret quod hypocriſis eſt vitium cupiens placere alteri de bonitate ſimulata in ſpecie boni forinſecus, vel palliatione mali. *Solutio.*

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd hypocrita nunquā ſimulat quod eſt in genere, quia malus eſt: & ita intelligitur hic. Quod autem ita ſit, patet per Gregorium ſuper illud Iob 15. Congregatio hypocritæ, &c. vbi ſic dicit: Mens hypocritæ nunquam vacat à malo: quia quæ appetit, aliis inuidet, ex quorum deſpectu clarior ſit: vnde & dolos ponit vt ſolus captet æſtimationem. Et quod obiicitur de bono occulto, dicendum quòd hoc intelligitur de bono in genere, vel de bono ciuili: quia bonum in genere non habet, niſi ſimulatum: & ideo intelligendo ſecundum genus, ſemper ſimulat quod non eſt.

AD ALIVD dicendum, quòd ſimulatio & diſſimulatio non ſe habent ex oppoſito, niſi ſicut de eodem bono vel malo: & ideo ſimulatio boni non opponitur diſſimulationi mali: ſed potius hic vtraque comprehenditur ſub ſimulatione, quia vtraque oſtendit pallium boni hominis, ſed extrinſecus.

AD

Ad alivd dicendum, quòd Magister Hugo descendit ad speciales actus hypocrisis, & verum est, quòd illi multiplicantur secundum quod in specie boni & mali, prout aliquo modo prodit in notitiam alterius, potest consequi placentiam sanctitatis apparentis. Hæc autem in genere sunt bonum & malum, & vtrumque occultum, vel manifestum: & sic efficiuntur quatuor alæ: omnes tamen isti actus comprehenduntur sub vno secundum genus, qui est ostensio sanctitatis vel bonitatis vt placeat proximo.

Ad alivd dicendum, quòd hoc verum est, quòd contingit aliquem simulare quod non est, sed non in genere: & ideo talis non omnino simulat quod non est: quia non curat de hoc quod non iudicetur sanctus vel bonus, sed cauet proximo caute quantum potest, ne scandalizetur, & hoc prudentis est.

Ad alivd dicendum, quòd sicut patet in quodam capitulo decretorum, est simulatio bona, & simulatio mala: & est distinctio August. sed tamen illa quæ videntur simulationes in Sanctis vel Domino, non sunt puræ simulationes, sed indicia mysteriorum: quia sicut Dominus finxit se longius ire sicut peregrinus, & longius erat in mentibus discipulorum: sed hoc est pura simulatio alicuius, quod nec etiam conuenit simulanti secundum genus & fine inhonesto.

Ad omnia autem quæ postea inducuntur, plane concedendum est: sed dicendum, quòd finis hic importatur per hoc quod est repræsentator alterius personæ in genere. Cum autem altera persona inquantum altera, non moueret voluntatem aliquam, intelligitur quod mouet eam, & est finis eius, ratione adiuncti in notitia aliorum, quod est placentia sanctitatis apparentis.

ARTICVLVS XXXVIII.

An hypocrisis sit speciale peccatum, an generale coniunctum aliis?

Secundo quæritur, vtrum sit peccatum speciale, an generale coniunctum aliis? Videtur autem, quòd generale coniunctum aliis: quia hic diffinitur per simulationem: & constat, quòd simulatio est peccatum aliud ab hypocrisi, sicut patet in 3. Reg. 14. vbi dicit Propheta vxori Ieroboam, Ingredere vxor Ieroboam, cur aliam te esse simulas? non tamen propter hoc hypocrita fuit illa vxor. Cum igitur coniungatur simulationi, videtur quòd eadem ratione coniungatur aliis.

2 Item, Ex auctoritate Gregor. prius inducta videtur, quòd coniugatur aliis, & præcipue inuidiæ, & superbiæ: quia ex hoc quod dicit, quòd nunquam mens hypocritæ vacat à malo, videtur quod omnibus malis adiungatur: quia nullum speciale malum est à quo nunquam vacet mens hypocritæ. Ex hoc autem quod dicit, quòd aliis inuidet, ostendit quòd coniungitur inuidiæ: & ex hoc quod dicit, quòd alios despicit vt ex despectu illorum clarior fiat, ostendit coniungi superbiæ: & eadem ratione coniungitur omnibus aliis.

3 Item, Præcipue videtur coniungi mendacio & dolo & fraudulentiæ: quia illa vitia ostendunt aliud quam sint: & hoc hypocritæ proprius actus, vt dictum est.

4 Adhuc etiam aliter per rationem vniuersalem videtur hoc idem: quia bonum & malum non possunt reduci ad aliquod cõmune quod sit genus vnum: quia dicit Philosophus, quòd non sunt in genere, sed genera aliorum: ergo simulatio boni & dissimulatio mali non possunt similiter reduci ad vnum genus vnius appetibilis in quo quiescant, vt videtur: ergo hoc est in omni genere: ergo nõ est malum in vno, sed in omnibus: ergo coniungitur omnibus, vt videtur: ergo non est speciale malum vnum.

Sed contra hoc obiicitur, Quicquid diuidit genus vnum è diuerso cum aliis quæ sunt species illius generis, species est, non genus: hypocrisis diuidit cum aliis vitiis specialibus hoc genus quod est vitium: ergo ipsa est speciale vitium: ergo ab aliis separatum. Adhuc etiam, Licet charitas diligat omne bonum, tamen est specialis virtus propter finem specialem: ergo à simili licet hypocrisis apperat apparere in bono, tamen erit speciale vitium propter finem qui est placere alteri de sanctitate. *Sed contra.*

Quod concedimvs, dicentes ad primum, quod simulatio dupliciter sumitur, scilicet generaliter, & specialiter. Generaliter sumpta simulatio non est peccatum: sed specialiter sumitur adhuc dupliciter, scilicet prout sonat quendam appetitum decipiendi, & sic non est peccatum speciale, sed coniunctum pluribus peccatis, sicut probatum est in obiiciendo: sicut dicitur Iob 36. Simulatores & callidi prouocant iram Dei. Alio modo sumitur specialissime pro simulatione bonitatis non existentis, & sic est hypocrisis, quod ostendit ipsum nomen hypocrisis, quod dicitur ab ipo quod est sub, & crisis conuersio, quasi sub figura conuersionis & bonitatis exterioris latens malitia: vel sub conuersus, id est, latentem habens conuersionem: quia conuertit bonum extra, cum sit malum intra. *Solutio.*

Ad alivd dicendum, quòd Gregor. non intendit, quòd sit peccatum aliis coniunctum siue commixtum: sed hoc dicit ideo, quia frequentius quæritur ab illis, propter quod etiam filia ponitur inanis gloriæ: sicut etiam dicit in vltima Gloss. super Iob.

Ad alivd dicendum, quòd mendacio non coniungitur nisi per accidens, scilicet si mendacium quærat apparentis sanctitatis placentiam. Quod autem mendacium ostendit quod non est, non intelligitur de dispositione hominis quantum ad virtutem bonitatis, sed potius specialiter cum veritate: quia cum sit falsum, prætendit veritatem in sermone.

Ad alivd dicendum, quòd solutum est hoc per obiectionem vltimam in contrarium adductam: quia licet materia sit non in genere in qua quærit apparere hypocrita, tamen finis est specialis: & hic est in voluntatibus differentia complens, & à specialitate ipsius in speciem trahitur vitium. Per idem patet solutio ad sequens quæsitum.

***

ARTICVLVS XXXIX.

In quibus operibus frequentius apparet hypocrisis & in quo actu peior sit?

TErtio quæritur, In quibus operibus frequentius apparet? Videtur autem, quòd in confessione per ea quæ dicuntur in litera. Item, Per rationem talem: Vbi locus accusationis est in iudicio ciuili, ibi est etiam proprie locus ostensionis innocentiæ & puritatis vitæ: sed hoc est in confessione quantum ad iudicium diuinum: ergo ibi proprie est locus ostensionis bonitatis & puritatis vitæ: ergo cum hypocrita præcipue hoc intendat, videtur quòd in confessione maxime prætendat hypocrisim.

Videtur autem quod in ieiunio maxime se ostendat per illud quod ibi specialiter à Saluatore nostro prohibetur Matth. 6. dicente, Cum ieiunatis, nolite fieri sicut hypocritæ tristes.

2 Item per rationem: in hoc enim maxime quærit hypocrita apparere sanctus, quod maxime natum est exteriorem sanctitatem prætendere: hoc autem est ieiunium: ergo maxime quærit hypocrisim in ieiunio. Probatur autem prima per astutiam hypocritæ: quia scit quis actus sibi vtilior est ad consequendum finem. Secunda autem probatur ex hoc quòd ieiunium exterminat corpus & macerat, quod proprium est sanctitatis exterioris. Adhuc dicit Dominus in Euangelio, quòd hypocritæ exterminant facies suas. Cum igitur ieiunium maxime exterminet, in illo maxime quærit apparere hypocrita.

Videtur autem quod in eleemosyna: quia dicit Gregor. quòd in eleemosynis præcipue hypocritæ tuba canunt ante se, vt boni videantur.

Quæstiuncula. VLTERIVS quæritur, In quo actu hypocrisis sit peior? Videtur autem, quòd in eleemosyna: quia dicit Chrysost. Vbique vana gloria mala est, sed maxime in philantropia: philantropia autem est amor hominum: & vocat sic pietatem circa pauperes, quia ex amore hominum procedit.

Sed contra. SED CONTRA Chrysost. In aliis vane gloriari mirabile nihil est, in ieiunio autem & oratione est extraneum & lacrymis plenum.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd hypocrisis præcipue quærit apparere in actibus sanctitatis, & illi sunt partes sanctificationis vel satisfactionis, scilicet ieiunium, oratio, & eleemosyna: & ideo ad illos se sæpius conuertit quam ad alios, nisi generaliter valde sumatur hypocrisis pro omni ostensione alia quæ est, siue fiat verbo, siue signo sanctitatis: sicut dicit beatus Bernard. quòd hypocrita est omnis Doctor qui prius se non corrigit, quam alterum.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd in confessione sæpe ostenditur hypocrisis, sed non ita frequenter, vt in aliis prædictis: eo quod non sunt ibi tot iudices bonitatis apparentis, quia vni soli fit confessio.

AD ALIVD dicendum, quòd in veritate se excusat hypocrita: sed tamen non est ille actus quo frequentius obtinet finem, vt dictum est.

AD ALIVD dicendum, quòd secundum diuersitatem hypocritarum diuersa opera de tribus operibus pœnitentiæ exercentur. Dives enim non auarus, sed hypocrita, frequentius conuertit se ad eleemosynam: quia duplicem placentiam consequitur, scilicet à dato, & ex apparenti sanctitate: sed pauper sæpius orat: & nullus ieiunat frequentius propter illius difficultatem, nisi aliud non possit propter homines: & ideo inter omnes homines quidam hæretici minus ieiunant. Et ad id quod contra obiicitur, dicendum quòd Saluator prohibet in hoc & in aliis hypocrisis vitium, in quibus frequentius solet inueniri.

AD ALIVD dicendum, quòd hypocrita non quærit exterminationem vultus propter se, & ideo in veritate non diligit maciem, sed similitudinem maciei: & tamen vult habere pinguem ventrem: & ideo non ita frequenter est in ieiunio, sicut in oratione, & in angulis platearum.

AD ALIVD dicendum, quòd loquitur de hypocrita quodam, & non omni.

AD ID quod vlterius quæritur, dicendum quòd tales operationes peccatorum habent se sicut excedentia & excessa, propter diuersas circunstantias quæ hinc inde aggrauare possunt. Si autem quæratur, In quo genere hypocrisis sit magis grauis? puto, quòd in illo quod minus secundum veritatem est in hypocrita, quodcunque illud est si ad sanctitatem pertinet. *Ad quæstiunculam.*

AD ID autem quod obiicitur de Chrysost. possemus dicere, quòd licet dicat hoc de inani gloria, non tamen consequens est quod hoc verum sit de hypocrisi: quia hypocrisis & inanis gloria sunt diuersa vitia, vt infra ostendetur. Si autem non fiat vis in hoc: tunc dicendum, quòd quoad aliquid in philantropia peior est: quia ibi extinguit opus, quod promissionem habet vitæ quæ nunc est, & futuræ: in aliis autem non extinguit opus, quod sic duplicem habeat promissionem, & quoad hoc in isto peior est, quia maioris nocumenti.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc non dicit Chrysost. ideo quòd ibi peior sit: sed quia ibi irrationabilior: quia ipsa afflictio carnis & spiritus retrahere deberet ad appetitu laudis, & hoc non est in aliis, quæ quasi consistunt in quadam excellentia laudabili, vt eleemosyna quæ coniungitur excellentiæ liberalitatis, & huiusmodi.

ARTICVLVS XL.

Quomodo hypocrisis se habeat ad inanem gloriam?

QVarto quæritur, Qualiter se habeat ad inanè gloriam? Videtur autem, quòd non differat ab ea: quia vitia sunt voluntates vel non sine voluntate, sicut dicit Philosophus de virtute: sed voluntates tales diffiniuntur fine: ergo quorum est vnus finis, sunt vnum vitium voluntatis: sed hypocrisis & inanis gloriæ est vnus finis: ergo sunt vnum vitium voluntatis. Quod autem idem sit finis, probatur Iob 8. super illud, In ortu suo, & cætera, vbi dicit Gregor. Hypocrita cum bene agit, ab omnibus vult videri: per omnia enim quæ agit, occulta cogitatione laudes quærit: laus autem est finis inanis gloriæ: ergo constat propositum.

2 Item, Filia à matre in nulla generatione differt specie: sed hypocrisis est filia inanis gloriæ: ergo

ergo non differt specie ab inani gloria. Probatur autem media ex hoc quod dicitur in Gloss. in fine Iob sic, De inani gloria nascuntur inobedientia, iactantia, & hypocrisis.

Sed contra. In contrarium huius est, quòd sicut differt vna filiarum à matre, ita differt reliqua: sed inobedientia differt ab inani gloria: ergo & hypocrisis.

Solutio. Responsio. Dicendum, quòd diuersa sunt vitia. Ad primum autem dicendum, quòd non est idem finis substantialis inanis gloriæ & hypocrisis: quia inanis gloria requiescit in laude, sed hypocrisis in opinione bonitatis, vel non petit laudem nisi per accidens, scilicet inquantum inanis glotia coniungitur cum ipsa: & quia hoc frequenter est & quasi semper, propter hoc dicit Gregor. quòd quærit laudem hypocrita.

Ad aliud dicendum, quòd hoc verum est de generatione vniuoca: sed Gregor. in Gloss. illa vocat generationem, exitum effectus à causa: vnde filia vitij capitalis ab eo vocatur, mediante quo vitium capitale sæpius obtinet finem quem intendit: & non est vniuoca generatio, sicut optime probatur per obiectionem quæ facta est in oppositum.

ARTICVLVS XLI.

An hypocrisis sit semper peccatum mortale vel veniale?

Quinto & vltimo quæritur, Vtrũ semper sit peccatum mortale vel veniale? Videtur autem, quòd mortale, per hoc quod dicitur Isa. 16. super illud, In tribus annis quasi anni mercenarij auferetur gloria Moab super omni populo multo: Gloss. Hieron. In comparatione duorum malorum leuius est aperte peccare, quam sanctitatem simulare: sed aperte peccare prout ibi sumitur, mortale est: ergo multo magis est mortale hypocrysis.

2 Item, Ephes. 4. super illud, Sicut Domino, & non hominibus: Augustus. Simulata æquitas, non est æquitas, sed duplex iniquitas: sed simplex iniquitas mortale est: ergo & simulata æquitas: sed hoc est hypocrisis: ergo, &c.

3 Item, Thren. 4. Maior est iniquitas mea, &c. dicit Gloss. Scelera animæ planguntur, quæ in hypocrisi labitur, cuius maior est iniquitas, quam Sodomorum peccatum. Constat autem, quòd Sodomorum peccatum fuit graue & mortale: ergo & hypocrisis.

4 Item super illud, Assumit septem alios nequiores se: dicit Gloss. quòd nequiores sunt spiritus simulationis, quam apertæ iniquitatis. Dicit enim, quòd malus est spiritus superbiæ, sed peior illo simulator humilitatis, & sic de aliis capitalibus: ergo, &c.

Ex illis elicitur vlterius, quòd grauius est occulte peccare, quam manifeste, aliis paribus.

Sed contra. Sed contra hoc est, quòd aperte peccans scandalizat: occulte autem peccans non scandalizat: ergo cæteris paribus, grauius peccat aperte peccans, quam peccans occulte.

Solutio. Responsio. Dicendum, quòd non semper hypocrisis est peccatum mortale, sed quandoque veniale, & quandoque maius, & quandoque minus, secundum quod diuersis circunstantiis vestitur.

Dicendvm ergo ad primum, quòd Hieronym. loquitur secundum quid, & non simpliciter, grauius enim est aperte peccare simpliciter: sed tamen quoad hoc dicitur illud grauius quod magis potest decipere, & quoad hoc loquitur Gloss. ibi.

Ad aliud dicendum, quòd dictum August. non intelligitur de omni modo hypocrisis, sed tantum de illo in quo simulatio cumulatur peccato: quia tunc propter duplicem deformitatem dicitur duplex iniquitas. Si autem esset tantum simulatio sanctitatis, non esset duplex iniquitas.

Ad aliud dicendum, quòd non intelligitur simpliciter, sed tantum quoad efficaciam deceptionis: quia qui peccatum vt Sodoma prædicat, non potest decipere: sed simulator ore decipit amicum suum.

Ad aliud dicendum, quòd nequior dicitur ratione cumulationis, & non ratione simulationis per se acceptæ.

Ad id quod vlterius quæritur, iam patet solutio per antedicta.

ARTICVLVS XLII.

An bonæ conscientiæ confortatio requiritur in eo qui debet communicare?

Deinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Caueat etiam ne prius ad Dominicum corpus accedat, quam confortetur bona conscientia, &c.] Videtur enim hoc esse falsum: quia confortatio bonæ conscientiæ dicit plus quam bonam conscientiam: ergo plus quam habere gratiam exigitur ad communionem, quod fere omnes negant.

2 Adhuc autem ad communionem non exigitur, nisi quòd communicans non sit indignus: sed indignitas non est nisi ex mortali peccato: ergo non habens mortale peccatum, potest communicare: non omnis autem talis est confortatus bona conscientia: ergo aliquis non confortatus bona conscientia potest communicare.

3 Item, In naturis videmus, quòd prius est esse & viuere, quam confortari in esse & vita: ergo similiter est in spiritualibus: sed esse spirituale est per gratiam, & viuere per virtutem perficientem ad opus: ergo confortatio sequitur vtrumque istorum. Si ergo hoc exigitur ad communionem, plus exigitur ad communionem quam habere gratiam & virtutes, quod omnes negant.

4 Item, In litera dicit, quòd plangat, quòd nondum audeat sumere quem multum desiderat, salutarem cibum. Constat autem, quòd hoc desiderium cibi salutaris est ex amore charitatis: ergo habens charitatem non debet adhuc sumere cibum salutarem, quod omnes habent pro inconuenienti.

Sed contra. Sed contra hoc est quod dicit Hugo de sancto Victor. in epistola ad Bernard. de epiphania paschali sic, Audacter dico, quòd etsi fuerit contritus, non tamen communicare debet, antequam confessus fuerit. Constat autem, quòd contritus habet charitatem & gratiam:

ergo sicut hic dicit, adhuc tenetur confortationem bonæ conscientiæ expectare per opera meritoria.

2 Item, In primitiua Ecclesia de nouo pœnitentes non tantum sequestrabantur à communione corporis & sanguinis Domini, sed etiam à loco in quo consecrabantur, sicut ab Ecclesia: de nouo autem pœnitentes habebant gratiam & virtutes: ergo sicut hic dicitur, ad communionem exigitur confortatio per opera meritoria, etiam postquam habetur gratia.

Quæstiũcula 1. SED SI HOC dicatur, quæratur de casibus. Ponamus enim, quòd aliquis in accedendo ad corpus Christi, recolat de vno vel duobus quæ nunquam fuit confessus: videtur enim, quòd secundum dictum Hugonis non debet accedere. Sed contra hoc est, quòd communio corporis dat sumenti maiorem gratiam: ergo si se subtrahit, ipse se elongat à gratia vel ab augmento gratiæ: & neutrum horum debet facere: ergo debet accedere & sumere.

Quæstiũcula 2. ITEM, Ponamus de sacerdote qui habet plebem, & non est alius qui celebret, & non sit confessus, & non sit sacerdos præsens cui possit confiteri: & tamen sit contritus, quæratur quid faciendum est ei? aut enim accedendum est ei, & tunc videtur facere contra supra inductam auctoritatem, & contra id quod dicitur in textu: aut non accedet, & tunc scandalizat populum: ergo videtur esse perplexus.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd homo habens gratiam vel præsumens ex probabili signo se habere gratiam, potest accedere ad corpus Christi. Signum autem probabile est si confessus est, & dictat sibi conscientia, quòd pro nulla re vult amplius peccare, & pœnitentiam libenter debito tempore suscipere.

AD ID autem quod primo obiicitur, dicendum quòd in veritate siquis diligenter literam consideret, tunc August. intendit, quòd de nouo pœnitens non debet communicare: sed ipse dixit hoc consulendo, vel de solenniter pœnitente ad terrorem aliorum. Si autem aliquis vult, potest sic soluere, quòd omnis conscientia adulti habens gratiam est confortata: quia actus contritionis detestans peccatum, est actus meritorius: similiter actus fidei in Deum, & huiusmodi, & illis actibus mouetur quando iustificatur: & sic statim post primum momentum contritionis confortata est conscientia per opus interius meritorium, licet non exterius.

AD ALIVD dicendum, quòd ad communionem quantum ad idoneitatem non exigitur plus quam quod dicit obiectio: sed quia emendatio fieri non potest, nisi per detestationem & dolorem peccati, ideo actus meritorius confortans conscientiam concomitatur idoneitatem illam: & sic confortatus est iam quando accedit.

AD ALIVD dicendũ, quòd sicut est in naturis, sic & in gratia, quia nescit tarda molimina Spiritus sancti gratia, sicut dicit Gloss. Ambrosij super Act. 2. & ideo licet habitus gratiæ sit naturaliter ante actum meritorium, tamen tempore possunt esse simul.

AD ALIVD dicendum, quòd August. vt dictum est, dicit hoc consulendo, vel de solenniter pœnitente. Et bene puto, quòd cautum est, quòd homo recentibus peccatorum vulneribus, non communicet vsque ad aliquod tempus: sed tamen non est necessarium.

AD ID quod dicit Hugo, dicendum quòd loquitur de illo qui sine grauamine paratum habet confessorem: quia ille negligens est, si non confiteatur: & hæc negligentia impedit eum à communione.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc in primitiua Ecclesia aut fiebat ad terrorem, aut fiebat tantum de solenniter pœnitentibus, vt dictum est.

AD ID quod vlterius quæritur de casibus, dico quòd accedens qui confessionem generalem prius fecit, non debet retrocedere propter recordationem aliquorum peccatorum quæ in speciali non est confessus: quia in generali confessione illa dimissa sunt: quinimo potest expectare tempus opportunum, donec confiteatur, sicut supra dictum est in quæstione de confessione. *Ad quæstiunculam 1.*

AD ID quod quæritur de sacerdote, dicendum quòd talis sacerdos cum dolore celebrare potest, & habeat firmum propositum confitendi tempore opportuno. Et quod obiicitur contra, solutum est per ante dicta: quia iam per aliquem modum confortata est bona conscientia. *Ad quæ.*

ARTICVLVS XLIII.

An ludi sint peccatum mortale, & qui, & qui non?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Cohibeat etiam se à ludis & spectaculis, &c.] Secundum hoc enim videtur, quòd ludi sint peccatum mortale: & tunc quæratur, de quibus ludis intelligitur. Dicitur enim 1. Corinth. 10. Ludus gesticulatio libidinosa in choreis: vbi dicitur, Nec fornicemur sicut quidam ex ipsis fornicati sunt, sicut scriptum est, Sedit populus manducare & bibere, & surrexerunt ludere. Et secundum hoc videtur, quòd choreæ sint mortale peccatum.

Adhuc videtur hoc per rationes quatuor, quarum prima est ista: quia in tali ludo ostenduntur gesticulationes impudicæ: sed signa impudicitiæ peccata mortalia sunt, quia in illis est concupiscentia progressiua: ergo talis ludus est peccatum mortale.

Secunda est: quia primo coram idolo legitur fuisse facta chorea Exod. 32. & constat, quòd idolatria non inuenit hoc nisi vt magis mouerentur homines ad libidinem: ergo videtur, quòd sit mortale peccatum.

Tertia est, quia Isa. 3. Dominus specialiter huic ludo comminatus est dicens, Pro eo quod eleuatæ sunt filiæ Sion, & ambulauerunt collo extento, & nutibus oculorum, ibant & plaudebant, & ambulabant, & pedibus suis composito gradu incedebant: decaluabit Dominus verticem filiarum Sion, & Dominus crinem earum nudabit. Hæc autem omnia fiunt in choreis & tripudiis. Ergo videtur, quòd sit mortale peccatum.

Quarta ratio sumitur de verbo Apostoli 1. Thess. 5. quod dicit, Ab omni specie mala abstinete vos. Constat autem omnibus, quòd est species mali, qua libidinosi suas concupiscentias sibi inuicem produnt: & hoc præcipue fit in choreis.

Quæstiũcula. VLTERIVS quæritur, Vtrum spectacula dicantur venationes, & citharæ, & huiusmodi? Et hoc

hoc videtur:quia Rom.13. super illud, Plenitudo ergo legis est dilectio:dicit Augustin. in Gloss.quòd in spectaculis hominum aliud venator est,& aliud cithara:ergo videtur, quòd faciens pœnitentiam, etiam ab huiusmodi debet abstinere, vt dicitur in litera.

2 Adhuc, Illa vana dicuntur & otiosa, quæ non fiunt ratione iustæ necessitatis, aut intentione piæ vtilitatis: omnes autem ludi hominum & spectacula sunt huiusmodi:ergo sunt vana & otiosa:sed de talibus reddetur ratio in die iudicij,sicut dicitur Matth. 16. ergo talia sunt peccata: ergo pœnitens debet abstinere ab istis: hoc autem multo plus videtur esse de scacis & aleis in quibus nulla est bonitas vel vtilitas.

3 Item,Prius in litera habitum est,quòd etiam à licitis temperare se debet pœnitens, vt facilius inueniat gratiam: ergo multo magis à superfluis: constat autem, quòd ludi & spectacula superflua sunt:igitur debet abstinere ab illis.

4 Item, Quæcunque proximum ad vanitatem perrahunt, vitari debent:sed talia perrahunt ad vanitatem: ergo caueri debent.

Sed contra. SED CONTRA: Exod. 15. Sumpsit ergo Maria Prophetissa soror Aaron tympanum in manu sua: egressæque sunt omnes mulieres post eam cum tympanis & choris, quibus præcinebat choreas ducentibus:& in hoc meruit: ergo actus ille secundum se non est malus.

2 Adhuc, In Psalm. 67. In medio tympanistriarum iuuencularum ibi Beniamin adolescentulus,&c. Et constat,quòd ipse secundum literam loquitur ibi de choreis, & non reprehendit talia signa gaudij.

3 Adhuc, Ierem.31. Adhuc ornaberis tympanis tuis, & ingredieris in choro ludentium. Et constat, quòd ibi secundum literam Dominus promittit reuertentibus de Chaldæa huiusmodi signa gaudiorum. Ergo non sunt mala secundum se: ergo à talibus non oportet temperare pœnitentem.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd choreæ & huiusmodi ludi, siue fiant cantu, siue instrumentis musicis, secundum se non sunt mali, sicut vltimo per auctoritates probatum est: sed triplici de causa possunt fieri mali ex circunstantiis: quarum vna est & præcipua, mala intentio, vt quando fiunt ad ostendendam vel prouocandam libidinem, sicut fere omnes modo exercent: & ideo etiam Ecclesiasticæ personæ talia deposuerunt, quia etiam in signis gaudij non est communicandum cum peccatoribus. Alia causa est, quando non fiunt suo tempore, vt tempore tristitiæ:quia sicut dicitur Eccli. 22. Musica in luctu, importuna narratio:& hoc modo interdicitur pœnitenti ne sit in ludis: quia dum pœnitet, tempus est flendi, non tempus ridendi & vacandi spectaculis. Tertia causa est ex officio personæ sumpta, sicut clericis interdicitur venatio & alij ludi: quia in sortem Domini electi, aliis exercitiis debent occupari.

QVOD ERGO primo obiicitur de choreis, dicendum quòd secundum se chorea non est mala: sed fit mala per circunstantias tales, vt dictum est.

AD ALIVD dicendum, quòd chorea etiam ante fuit, & forte sæpius,& ad minus Exod. 15. exercita à Maria sorore Moysi, & aliis mulieribus in signum gaudij,aut victoriæ de cælo datæ super inimicos.

AD ALIVD dicendum, quòd Isaias loquitur de his qui signum gaudij vertunt in gesticulationes meretricum: & bene dicitur, quòd illis est peccatum.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc intelligitur de specie mali, quod secundum se malum est, & non de his quæ ex circunstantia mala fieri possunt, & etiam bona ex aliis circunstantiis. Puto autem,quòd quinque concurrentibus ad choream, non sit reprehensibilis. Primum scilicet, quòd sit in debito tempore gaudij sicut in nuptiis,vel tempore victoriæ,vel liberationis hominis vel patriæ, vel in aduentu amici de terra longinqua. Secundum est, quòd sit cum honestis de quibus non oriatur præsumptio mali, non cum leccatoribus & leccatricibus. Tertium est, quòd fiat à personis secularibus:quia monialibus,monachis,& clericis, propter hoc quod in aliis occupari debent, omnem choream puto illicitam esse. Quartum est, quòd honesto modo fiat, non gesticulationibus nimis inordinatis vel inhonestis. Quintum est, quòd cantus excirans in talibus & musica, non sint de illicitis, sed de moribus. De melodia autem non est curandum, vt puto, quia in talibus puto quòd necesse est fieri melodiam leuem, quæ aliqualiter exprimat modum choreizandi.

Ad quæstiunculam. AD ID quod vlterius quæritur de aliis spectaculis, videtur sub distinctione esse respondendum: aut enim annexam habent vtilitatem, aut tantum sunt inuenta ad tædium remouendum in solatium moralitatis huius vitæ. Si primo modo: aut exercentur à personis secularibus,aut spiritualibus. Si à personis secularibus quocunque modo fiant tempore & loco non interdicto: puto quòd tolerandæ sint, sicut venationes, & aucupia, & huiusmodi. Si autem à personis spiritualibus exercentur, distinguendum est:cum enim in spectaculo sit & vtilitas & vanitas, aut ad opus mouet vtilitas, & vanitas non est ibi nisi miscens se: & tunc in casu conceditur religiosis venatio & clericis, in casu scilicet si reditus eorum sint in talibus, & inde necessaria habeãt, sic quòd in terris syluosis sint, vt reditus quorundam monasteriorum in ferinis & aucupiis & huiusmodi. Aut ita est quod mouet vanitas: & tunc puto esse peccatum graue viris spiritualibus & maxime religiosis:quia nimis distrahunt animum,& quasi auertunt ne reuertantur ad studium spirituale. In ludis autem troci, asticularum, scaci, & aleæ, non nociuis, credo quòd non sunt peccatum:quia talia non fiunt nisi ad remouendum tædium, & non nimis auertunt animum à studio spirituali. Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICVLVS XLIV.

An digni fructus virtutum dicantur digni fructus pœnitentiæ?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Sunt enim digni fructus virtutum, qui non sufficiunt pœnitentiæ, &c.] Videtur enim hoc esse falsum:quia etiam pœnitentia quædam virtus est, vt supra habitum est: ergo fructus pœnitentiæ sunt fructus virtutum:ergo & digni fructus pœnitentiæ

tentiæ ſunt digni fructus virtutum: ſi enim aliquid ſequitur ad aliud, ſi idem additur vtrobique, adhuc ſequitur ad illud.

2 Item, Circa difficile & bonum, vt dicit Philoſophus, eſt virtus: ſed circa talia etiam eſt pœnitentia, nec poteſt ſe extendere vltra illa: ergo non poteſt ſe extendere vltra opus virtutis: ergo idem ſunt virtutum fructus & pœnitentiæ.

3 Item, Nihil iniungitur ſecundum legem, niſi opus virtutis: ſed id quod iniungitur, eſt fructus pœnitentiæ, quando ponitur in opere: ergo virtutis opus eſt fructus pœnitentiæ: & idem eſt fructus virtutis: ergo idem eſt fructus virtutis & pœnitentiæ.

Solutio. RESPONDEO ad hoc, quòd non idem ſunt fructus pœnitentiæ & virtutis: quia virtus eſt in omnibus bonis, & non pœnitentia.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd pœnitentia eſt in multiplici genere, vt ſupra dictum eſt, & hic accipitur prout eſt in genere ſacramenti habens tres partes, ſcilicet contritionem, confeſſionem, & ſatisfactionem. Hæc enim tria non exiguntur ab omni habente virtutes, ſed tantum à pœnitente.

AD ALIVD dicendum, quòd difficili eſt difficilius: virtus autem eſt circa difficile in actu, ſed pœnitentia eſt circa difficile excellens, non potentiam facientis, ſed medium virtutis ſecundum communem modum obſeruandi: quia de licitis temperat ſe pœnitens, & de neceſſariis dat, & huiuſmodi, quod non exigitur ab habente virtutem ſimpliciter.

AD ALIVD dicendum, quòd ſecundum legem iniungitur plus quam exigat modus virtutis, licet ſemper reducatur ad aliquam virtutem mouentem ad actum illum. Et hoc contingit propter ſpiritualem modum pœnitentis, qui tenetur ad plus quam communiter ab omnibus exigatur ſecundum virtutem viuentibus: & ita intelligitur id quod dicitur in litera: non enim eſt inconueniens, quòd eadem virtus ſpecie, diuerſiomode moueat ſecundum diuerſum ſtatum hominis quem mouet, vt iuſtitia aliter mouet lædentem ad ſatisfaciendum, & aliter in communi quemlibet ad opera iuſtitiæ.

Quæ ſit falſa ſatisfactio.

B De pœnit. diſt. 5. c. Falſas.

LET ſicut ſunt digni fructus pœnitentiæ, ac vera ſatisfactio: ita & indigni fructus, & falſa ſatisfactio, id eſt, falſa pœnitentia. Vnde Gregor. Falſas pœnitentias dicimus, quæ non ſecundum auctoritates Sanctorum pro qualitate criminum imponuntur. Ideoque miles vel negotiator, vel alicui officio deditus, quod ſine peccato exerceri non poſſit, ſi culpis grauioribus irretitus ad pœnitentiam venerit, vel qui bona alterius iniuſte detinet, vel qui odium in corde gerit, recognoſcat ſe veram pœnitentiam non poſſe peragere, niſi negotium relinquat, vel officium deſerat, & odium ex corde dimittat: & bona quæ iniuſte abſtulit, reſtituat. Ne tamen deſperet, interim quicquid boni facere poteſt, hortamur vt faciat, vt Deus cor eius illuſtret ad pœnitentiam. Cum ſit pœnitentia interior & exterior, de vtraque per præmiſſa ſatis apparet quæ ſit vera, & quæ ſit falſa.

ARTICVLVS XLV.

An pœnitentiæ quæ non imponuntur pro qualitate criminum ſecundum auctoritates canonum, debeant dici falſæ pœnitentiæ?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Falſas pœnitentias dicimus, quæ non ſecundum auctoritates canonum pro qualitate criminum imponuntur, &c.] Videtur enim hoc eſſe falſum: quia canon dicit ſimpliciter fonicationem eſſe ſeptemni ieiunio puniendam, cau. 33. q. 2. c. Hoc ipſum. Ergo ſecundum hoc qui mille vel centies eſt fornicatus, per totam vitam non poſſet ſatisfacere: & hoc traheret hominem ad deſperationem: ergo falſum videtur quod dicitur in litera.

2 Adhuc, Pœnitentiæ ſunt ad arbitrium ſacerdotis. Ergo videtur, quòd poſſunt eſſe minores quant exigat qualitas criminum.

AD HOC autem dicendum, quòd litera iſta non intendit, quòd nihil iniungatur alicui pœnitenti, niſi quod dicit canon & quod exigit qualitas criminum: ſed potius dicit, quòd canon ſit regula iniungendi pœnitentiã: ſed tamen proportio huius regulæ ad hunc pœnitentem & illum eſt ſecundum arbitrium diſcreti ſacerdotis. Sicut enim auctores dant regulas medicinæ: ſed tamen illas moderari competit diſcreto medico, ita eſt in præmiſſis inſtitutis à canone.

QVOD ERGO primo obiicitur, ſoluendum eſt, quòd canon non trahit proportionem adaptationis iſti vel illi, ſed tantum exemplar regulæ in vniuerſali: & hoc non potuit fieri per omnem facultatem & ſtatum pœnitentium: quia ille eſt ſecundum particularia quæ infinita ſunt: & ideo canon nullum cogit deſperare.

Ad aliud dicendum, quòd in arbitrio sacerdotis est proportio pœnitentiæ, vt dictum est.

ARTICVLVS XLVI.

An militia, negotiatio publica, vectigalia, & pedagia, sint licita vel illicita?

Deinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Ideoque miles negotiator, &c.] Et quæritur, Si ista quæ hic tangit, sint negotia illicita? Videtur quod non: quia Luc. 3. Ioannes Baptista non interdicit militiam, sed tantum præcipit, quòd contenti sint stipendiis suis: ergo videtur, quòd militia secundum se non sit illicita. Item, Glo. super illud, Contenti estote stipendiis vestris: ita dicit, Iusto moderamine prohibet ne ab eis calumniando prædam exquirant, quibus militando prodesse debuerunt: docens idcirco stipendia constituta militiæ, ne dum sumptus quæritur, prædo grassetur. Ex hoc idem accipitur, quòd militia secundum se non est illicita, sed abusus prædæ quæ circa illam

3 Item, Nihil ordinatum ad conseruationem ciuilitatis & reipublicæ, est peccatum: militia potissimum ad conseruationem horum duorum ordinatur: ergo non est peccatum. Prima patet per se. Secunda scribitur in ethicis.

Quæstiuncula 1. Vlterius quæritur de negotiatoribus. Videtur enim falsum quod dicit: quia Genes. 49. dicitur, Zabulon in litore maris habitabit, & in statione nauium, pertingens vsque ad Sidonem. Et secundum literalem expositionem bene dicitur terra Zabulon à quæstu negotiationum per mare: ergo non sunt illicitæ.

2 Item Prouerb. vltim. dicitur de forti muliere, Facta est quasi nauis institoris, de longe portans panem suum. Vbi secundum literalem sensum idem arguitur.

3 Adhuc, Negotiationes vtiles sunt toti terræ, asportando abundantiam in terra aliqua, & reportando deficientia: nihil autem vtilitati communitatis deseruiens, est peccatum: ergo negotiationes tales non sunt peccatum: non ergo generaliter dicere debuit de negotiatione, quòd esset peccatum.

4 Adhuc, Nihil eorum sine quibus dissoluitur ciuilitas, & cum quibus optime conseruatur, est peccatum: sed negotiatio est aliquid tale: ergo ipsa non est peccatum. Prima patet ex hoc quòd omnis moralitatis laudabile studium est circa conseruantia ciuilitatem. Secunda autem accipitur ex. 5. ethic. vbi loquitur de iustitia commutatiua, propter quam etiam ministeria dicit esse inuenta: quia tota est in commutationibus negotiationum.

5 Adhuc, Nullo modo potest esse peccatum, quod ius communione iudicat esse iustum: sed in multis negotiationibus ius commune iudicat contractum esse iustum: ergo nullo modo est peccatum: non ergo generaliter negotiatio est peccatum.

Sed contra. Sed contra hoc obiicitur per illud Eccli. 26. Difficile negotians exuitur à negligentia, & caupo à peccatis labiorum non iustificabitur: ergo qui negotiatur, committit se discrimini difficulter euadendi peccatum: sed nullus debet se committere discrimini: ergo nullus debet negotiari.

Quæstiuncula 2. Luc. 3 Vlterius quæritur hic de publicanis, qui sicut dicitur in Gloss. super illud, Venerunt autem & publicani: dicit sic, Publicani sunt qui vectigalia exigunt, siue qui conductores sunt vectigalium fisci & rerum publicarum: nec non & hi qui huius seculi lucra per negotia sectantur: quos pariter vnumquenque in suo gradu ab agenda iniuria coercet: vt dum primo ab alienorum se temperant appetitu, tandem ad propria cum proximis communicanda pertingant. Ex hac Gloss. accipitur, quòd etiam vectigalia iusta & telonea possunt accipi: & publicani qui præsunt talibus, non sunt ab actu, sed ab iniustitia restringendi.

2 Adhuc videtur etiam hoc per rationem: pedagia enim & telonea & vectigalia principi soluuntur, vt terra deffendatur in pace: vt liceat habitatoribus per eam discurrere, & proprias vtilitates procurare: sed iustè potest hoc princeps accipere: quia in talibus agit negotiationem omnium in labore & expensis: ergo & illi debent dare: ergo ex neutra parte peccatum est: sed publicani sunt tantum ministri eius dationis & acceptionis: ergo ipsi dant operam rei licitæ: ergo non peccant.

Sed contra. Sed contra hoc obijcitur per Greg. super illud Ioan. 21. Vado piscari: qui in quadam homilia quærit, quare licuit Petro ad piscationem redire post conuersionem, & non Matthæo ad telonium: & soluit, sic dicens; Sunt pleraque negotia quæ sine peccatis exerceri vix aut nullatenus possunt: quæ ergo ad aliquod peccatum implicant, ad hæc necesse est vt post conuersionem animus non recurret. Ergo cum de telonio ibi agatur, videtur quod telonia & vectigalia aliquod peccatum implicent: ergo sunt illicita.

Solutio. Solvtio. Dicendum, quòd militia secundum quòd militia, secundum se non est illicita, sed abusus qui licet multiplex sit, tamen in tribus præcipuè est, scilicet, in concussione innocentum, & exactione salarij amplioris quod deseruiri possit militando, & in exercitiis ad ostentationem vitium cum nocumento hominum & rerum, sicut inuenta sunt torneamenta, & ictus lancearum, & huiusmodi. Sunt tamen quædam exercitia militia militiæ necessaria: sicut cursiones & versiones dextrariorum, & ars percutiendi & defendendi & proiiciendi tela, quæ non prohibentur. Et hoc accipitur ex 2. Reg. 10. vbi Dauid præcepit populo, quòd filios suos docerent arcum, id est, artem sagittandi. Quod autem Magister dicit in litera, dictum est ideo, quia secundum vsum consuetum difficulter exercetur sine peccato. Et per hoc peccatum solutio ad omnia illa quæ obiecta sunt de militia.

Ad quæstiuncu-lam 1. Adea autem quæ obiecta sunt de negotiatione, dicendum secundum quandam Glossam quæ est super illud Eccli. 26. Difficile negotians exuitur à negligentia, &c. quæ dicit sic, Actus pessimus non res honesta damnatur, qui per immoderatam ambitionem mentem suam onerat plus periutio quam pretio. Ex hoc accipitur, quòd licitæ negotiationes non sunt prohibitæ. Efficiuntur autem illicitæ pluribus modis: sed temporibus modernis

tria esse præcipua videntur quæ faciunt negotiationem esse illicitam, scilicet persona, tempus, & modus. Persona sicut est persona diuinis officiis consecrata, vt clericus, & monachus: quia isti emere & vendere non debent, sed suas res sibi datas ex fructibus annualibus sibi prouenientes vendere possunt: & tamen non credo, quòd illas malo modo vendere debeant, sicut vinum venditur in taberna, nisi alias simul vendere non possent. Et huius ratio est: quia in taberna conciliabula fiunt malorum, & immoderata consumptio vini: cuius patrocinium præstat tabernarius: & ideo non licet, vt mihi videtur, religioso vel clerico huiusmodi exercere officium. Tempus autem facit illicitam negotiationem dupliciter, scilicet ratione feriæ, scilicet quando feria est, & in casu quando negotiatio caristiam inducere probabiliter potest, sicut si nimium frumentum ematur in nouo, vel nimium vinum in vindemia, vt quando apud alios non habetur, iste vendat quantum voluerit. Modus autem circa contractum est, sicut si vitiosus est contractus, scilicet cum deceptione & fraude pretij. Iustum autem pretium est, quod secundum æstimationem fori illius temporis potest valere res vendita. Et per hoc patet solutio ad omnia quæ quæsita sunt de negotiatione. Per hoc etiam patet solutio dubij casus: sicut si aliquis fraudat aliquem re sua sua, cum plus in foro communi valet, siue sit frumentum, siue vinum, siue aliud: & vult ei restituere eandem numero vel specie, quando minus valet secundum forum commune: patet enim, quòd non satisfecit, nisi lucrum temporis in quo plus valuit, apponat: quia damnificat eum in tanto, scilicet in maiori pretio quod tunc pro re illa poterat haberi secundum forum commune.

Ad id quod quæritur de publicanis & vectigalibus & pedagiis, sine præiudicio videtur dicendum, quòd quatuor exiguntur ad hoc quod talia lucra iusta sint. Vnum est, quòd de consensu eorum quorum regere terram interest, & ex consensu principis ponantur. Secundum, quòd non nisi causa necessitatis vel vtilitatis communis ponantur, scilicet quia sine talibus expensis terra pacificari non potest. Tertium est, quòd defensio terræ ab accipientibus impendatur. Quartum est, quòd non sint immoderata, sed ad æstimationem expensarum & operæ quæ impenduntur à defendentibus terram: & sic loquitur Gloss. super Lucam, quæ innuit talia licere. Et hoc est quod dicitur Rom. 13. Reddite omnibus debita: cui tributum, tributum: cui vectigal, vectigal: cui honorem, honorem. *Ad qu. 1.*

Ad id autem quod beatus Gregor. dicit in contrarium, dicendum quòd ipse non dicit, quòd non possint exerceri sine peccato, sed vix aut nullatenus: vix enim possunt exerceri nisi iuste ponantur: & hoc propter ministros qui cogunt inuite dantes: & ideo difficile est vt debitum non excedant in exigendo. Nullatenus autem fieri possunt, vbi quatuor prædicta non obseruantur. Et per hoc patet solutio ad totum.

De tribus actionibus pœnitentiæ.

Prædictis vero adiiciendum est, quòd tribus modis agitur pœnitentia ante baptismum, scilicet de prioribus peccatis, post baptismum de grauioribus quæ post committuntur. Est etiam pœnitentia venialium quotidiana: quæ etiam humilium est, & perfectorum: vnde Augustinus. Tres sunt actiones pœnitentiæ, quas mecum eruditio vestra recognoscit. Vna est quæ nouum hominem parturit, donec per baptismum omnium præteritorum ablutio fiat peccatorum: quia nullus suæ voluntatis arbiter, nisi pœniteat eum veteris vitæ, nouam inchoare potest: à qua paruuli sunt immunes, cum baptizantur, quia nondum possunt vti libero arbitrio: quibus tamen ad remissionem originalis peccati prodest eorum fides, à quibus offeruntur. Altera est actio pœnitentiæ post baptismum, quæ fit pro illis peccatis quæ legis decalogus continet. Agunt ergo homines pœnitentiam ante baptismum de peccatis prioribus, ita tamen vt etiam baptizentur: sicut Petrus ait, Agite pœnitentiam, & baptizetur vnusquisque vestrum in nomine Domini, &c. Agunt etiam pœnitentiam, si post baptismum ita peccauerunt, vt excommunicati reconciliari postea mereantur. Est etiam pœnitentia bonorum & humilium fidelium pœna quotidiana, in qua pectora tundimus dicentes, Dimitte nobis debita nostra, &c. Neque ea nobis dimitti volumus, quæ dimissa nobis in baptismo non dubitamus: sed illa quæ humanæ fragilitati, quamuis parua, tamen crebra surrepunt, quæ si collecta contra nos fuerint, ita nos grauabunt & oppriment, sicut vnum aliquod grande

Hom. de vtilitate & necessitate pœnitẽtiæ: quæ est 50. & lib. de medicina pœnitẽtiæ. cap. 2.

Exo. 20.

Act. 2.

Matt. 6.

de peccatum. Quid enim interest ad naufragium, an vno grandi fluctu nauis operiatur & obruatur, an paulatim surrepens aqua in sentinam per negligentium culpam impleat nauem, & submergatur? Ideo ieiunio & eleemosynæ & orationibus inuigilent: in quibus cum dicimus, Dimitte nobis debita nostra, &c. manifestamus nos habere quod nobis dimittatur: & in his verbis humiliantes animas nostras, quotidianam agere pœnitentiam non cessamus. Matt. 6.

De satisfactione venialium.

QVÆ autem pro venialibus sit satisfactio sufficiens, Augustinus insinuat, ita inquiens in ench. De quotidianis & breuibus leuibusque peccatis sine quibus hæc vita non ducitur, quotidiana oratio fidelium satisfacit. Eorum enim est dicere, Pater noster qui es in cælis, &c. Delet omnino hæc oratio minima & quotidiana peccata. Delet & illa à quibus vita fidelium etiam scelerate gesta, sed pœnitendo in melius commutata discedit. Sicut veraciter dicitur, Dimitte nobis debita nostra: ita & veraciter dicatur, Sicut & nos dimittimus debitoribus nostris, id est, sic fiat quod dicitur: quia & ipsa eleemosyna est veniam petentibus omnino ignoscere. Ex his aliisque præmissis iam facile est inielligere, quæ pro venialibus sit exhibenda satisfactio. Sufficit enim Dominica oratio cum ieiunio & eleemosynis: sic tamen, vt præcedat contritio aliquantula, & addatur confessio, si adsit facultas: de qua confessione post tractabitur. Pro grauioribus vero peccatis hæc etiam in satisfactione adhibenda sunt, sed multo vehementius atque districtius: quia vt ait Augustinus ad agendam pœnitentiam non sufficit mores in melius commutare, & à malis factis recedere, nisi de his quæ facta sunt satisfaciat Domino per pœnitentiæ dolorem, per humilitatis gemitum, per contriti cordis sacrificium, cooperantibus eleemosynis. D Cap. 71. Matt. 6. Lib. de pœnitentiæ medicina. cap. 5.

ARTICVLVS XLVII.

An bene diuidatur pœnitentia à Magistro?

DEinde quæritur de hoc quod dicit in secunda parte huius distinctionis *ibi* [Prædictis vero adiiciendum est, quòd tribus modis agitur pœnitentia] Et quæruntur hic duo, scilicet de diuisione pœnitentiæ quam hic ponit, & de pœnitentia ante baptismum.

Ad primum potest sic obiici: Commune quod secundum vnam rationem manet in omnibus diuidentibus, ita quod diuidentia nullam formam addant super ipsum, non diuiditur nisi per materiam & accidens: sed pœnitentia ante baptismum & post baptismum penitus est eiusdem rationis: ergo non diuiditur nisi per materiam & accidens.

2 Item, Ante & post non dicunt nisi differentiam temporis: sed per temporis differentias non diuiditur secundum formam & speciem: ergo pœnitentia per hoc quod est ante vel post, non diuiditur secundum speciem.

3 Adhuc, Homo qui fuit in præterito, & qui est, & qui erit in futuro, non diuiditur in specie: ergo nec pœnitentia ex talibus temporis differentiis.

4 Et si dicas, quòd isti sunt modi pœnitentiæ, & non species, vt videtur litera dicere. Contra: Modus ille aut est essentialis, aut accidentalis. Si essentialis: ergo fundatur super aliquam diuersam essentiam: non autem fundatur super diuersam essentiam generis: ergo fundatur super diuersam essentiam speciei, & tunc redit primum. Si autem est accidentalis. Contra: Modi accidentales rei vniuscuiusque multi sunt: ergo non debent esse tres tantum, sed multi, & quasi infiniti.

5 Adhuc, Priora peccata sunt grauia & leuia: ergo videtur, quòd primus modus sit tanti ambitus, quanti alij duo: & sic videtur, quòd diuisio sit nulla.

6 Adhuc, Pœnitentia venialium non videtur esse eiusdem rationis cum pœnitentia grauium & in genere: quia nec confessio nec satisfactio taxata exigitur de illis: ergo videtur, quod male diuidat: quia ponit diuidentia, quæ sub eodem communi vniuoce non continentur.

Solutio. RESPONSIO. Ista diuisio est modorum pœnitendi: quia modi sumuntur ex parte obiecti pœnitentiæ, circa quod est, scilicet ex parte peccati: & bene concedo, quòd aliquid essentiale respondet eis. Et ad hoc intelligendum, sciendum est, quòd pœnitentia sumitur hic prout ipsa integratur & constituitur ex contritione, confessione, & satisfactione, sicut in principio huius distinctionis dictum est: tunc enim alia essentialiter pœnitentia exigitur ante baptismum, quæ facit non inuenire obicem Spiritui sancto in suscipiente baptismum: & alia in eo qui peccat post baptismum: quia in suscipiente non exigitur pœnitentia exterior, nisi forte confessio per quam innotescit ministro, quòd non sit fictus: sed in alio exigitur. Similiter alia in peccato mortali & alia in veniali: quia in mortali exigitur confessio cum expressione circunstantiarum aggrauantium, & cum satisfactione taxata: quorum nihil requiritur in pœnitentia venialium, sed tantum dolor cum quotidiana satisfactione. Patet ergo, quòd pœnitentia si in ratione totius potestatiui consideretur, alia est hinc inde. Vnde modus iste triplex super huiusmodi potestatiuum esse pœnitentiæ triplex fundatur.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd si commune secundum rationem potestatiuæ medicinæ cum suis partibus accipiatur, non erit idem in omnibus diuidentibus, sed in vno vnde abundabit ab alio.

AD ALIVD dicendum, quòd ante & post baptismum, hic non solum dicunt differentias temporis, sed etiam status pœnitentis pro vno peccato, ex quo intelligitur diuersitas pœnitentiæ, secundum quòd in suis partibus consideratur, vt dictum est.

AD ALIVD dicendum, quòd etiam illa obiectio procedit ac si ante & post non differrent nisi temporis successione, & hoc non est verum, sed potius diuersum esse pœnitentiæ, secundum quod est de peccato hoc vel illo.

AD ALIVD dicendum, quòd modus fundatur super quoddam esse pœnitentiæ, vt in principio solutionis dictum est.

AD ALIVD dicendum, quòd verum est, quòd primus modus respicit venialia & mortalia: sed tamen ratione status requiritur ad aliud esse pœnitentiæ.

AD ALIVD dicendum, quòd non est eiusdem rationis omnino cum pœnitentia mortalium: & ideo dicit esse duos modos de veniali & mortali: tamen pœnitentia communis in genere saluatur in pœnitentia venialium, quia est ibi dolor cum aliqua satisfactione.

ARTICVLVS XLVIII.

An pœnitentia sit ante baptismum?

SEcundo quæritur de pœnitentia ante baptismum, & quæruntur duo, scilicet an pœnitentia sit ante baptismum? & an illa, & qualiter sit fundamentum?

Ad primum sic proceditur. Supra distinct. 13. habitum est, quòd pœnitentia est secunda tabula post naufragium: sed prima in naufragio est baptismus: ergo pœnitentia non præcedit baptismum, sed sequitur: & hoc est contra ea quæ dicuntur in litera.

2 Adhuc, Augustinus dicit, quòd baptismus est ianua sacramentorum: sed ante ianuam non est aliquid de mansione domus: ergo ante baptismum nihil est de mansione in sacramentis: ergo nullus potest manere in pœnitentia, qui non fuerit baptizatus.

3 Adhuc, Sicut se habet morbus ad morbum in ordine, sic cura ad curam, siue medicina ad medicinam: sed morbus contra quem est baptismus, est primus quem traximus ex natiuitate: secundus autem contra quem ordinatur pœnitentia, est quem facimus ex propria voluntate: ergo videtur, quòd baptismus sit omnino ante pœnitentiam.

4 Adhuc, Non aliũ videtur baptismus habere ordinem ad pœnitentiam, quam ad alia sacramenta, secundum ordinem præcedentia pœnitentiam & sequentia: sed ad omnia alia sic ordinatur, quòd nisi baptismus sit susceptus, nihil agitur in aliis: ergo & ad pœnitentiam: ergo nulla est pœnitentia præcedens baptismum, vt videtur.

5 Adhuc, Beatus Dionys. in Ecclesia Hierar. dicit, quòd non existens nihil agit: & ibidem dicit, quòd existere datur per baptismum: ergo non baptizatus nihil agit spiritualium actionum: sed pœnitentia est de spiritualibus actionibus: ergo non baptizatus non pœnitet: sed sic pœnitentia semper sequitur baptismum.

SED CONTRA est dictum in litera Augustini contra Felicianum, & Gloss. quæ ponitur de Act. 2. Sed contra.

2 Item, Augustinus in libro 83. quæst. Finitur vetus vita ad pœnitentiam: sed vbi finitur vetus, incipit noua: ergo noua incipit à pœnitentia: sed illud est primum, vbi incipit vita noua: ergo pœnitentia est primum sacramentorum omnium.

3 Adhuc, Super illud Act. 2. Agite pœnitentiam, & baptizetur vnusquisque vestrum, &c. Gloss. Dicturus de baptismo, præmisit lamenta pœnitentiæ: vt primum se aqua afflictionis perfunderent, & post sacramento baptismi lauarent. Ex hoc accipitur, quòd pœnitentia est ante baptismum secundum ordinem susceptionis sacramentorum.

4 Adhuc, Matth. 3. super illud, Agite pœnitentiam, Gloss. Prima virtus est, per pœnitentiam veterem hominem perimere. Ergo videtur, quòd pœnitentia sit primum sacramentum.

5 Adhuc, Secundum processum peccati in mundo prius fuit actuale, quam originale: quia Adam prius peccauit actualiter, ex quo peccato sicut ex causa corrupta est natura, quæ corruptio vitij & passibilitatis est originale à fomite: ergo etiam medicina actualis debet esse ante medicinam originalis: ergo pœnitentia prior est baptismo.

6 Adhuc, Supra in tractatu baptismi habitum est, quòd est baptismus quidam flaminis, & ille est pœnitentiæ: cum igitur baptismus flaminis sit ante baptismum etiam fluminis, sicut ibidem determinatur, videtur quòd pœnitentia generaliter sit ante baptismum.

SOLVTIO. Dicendum videtur hic, quòd est prius simpliciter, & prius secundum quid & quoad aliquid. Baptismus autem est primum sacramentum simpliciter: sed secundum quid & quoad aliquid Solutio.

quid est pœnitentia prior secundum quendam modum quo ipsa est præparatoria ad interiorem actum compunctionis,& non prout est satisfactoria per vim clauium : quia baptismus de se non exigit luctum vel planctum : sed qui intendit baptizari, si constitutus est arbiter suæ voluntatis, exigit compunctionem, ne Spiritus sanctus disciplinæ qui operatur in baptismo, effugiat fictum.

Et dicendvm ad rationes primo inductas : ad primam quidem, quòd hoc verum est secundum ordinem diluuiorum generalium : quia primum est diluuium originalis , & secundum actualis

Ad alivd dicendum,quòd quædam sacramenta sunt, in quibus nihil est nisi diuinum, sicut confirmatio , Eucharistia , & ordo , & extrema vnctio : & baptismus est ianua, ita quòd nihil agitur in illis , nisi primo percipitatur baptismus. Alia sunt in quibus diuinitas operatur circa opera nostra & præsupponit aliquid in nobis, sicut pœnitentia,& matrimonium: quia dicit Aug.de pœnitentia , quòd qui creauit te sine te, non iustificabit te sine te : quia in talibus oportet nos remouere obicem Spiritui sancto operanti:& de his quantum ad id quod est ex opere nostro, baptismus non est ianua, sed tantum quantum ad id quod est diuinum:sicut est in pœnitentia,quòd sit satisfactoria per claues Ecclesiæ : & matrimonio, quod sit omnino indissolubile : quia hi qui contrahunt matrimonium non in fide Ecclesiæ, aliquo casu possunt separari : tamen quantum ad id quod est diuinum in eis , præcedit baptismus: vnde pœnitentia quæ est ante baptismum , non satisfacit per claues : sed per interiorem gratiam disponitur homo ad suscipiendum baptismum,ne fictus inueniatur.

Ad alia patet solutio per prædicta:quia illa necessario concludunt de ordine sacramentorum simpliciter , quantum ad id quòd diuinum est in eis.

Ad primvm autem quod obiicitur in oppositum, dicendum quòd hoc dicitur quantum ad separabilitatem peccati , non in omnibus , sed in adultis, in quibus oportet præcedere pœnitentiæ quendam modum : & eodem modo intelligitur sequens. Vel posset dici , quòd baptismus in proposito pœnitentis sic deletionem peccati operatur, sicut supra in tractatu de baptismo notatum est : sed tamen prima responsio melior est.

Ad alivd dicendum,quòd licet sit prima virtus in adulto : non tamen est primum in ordine sacramentorum simpliciter, vt dictum est.

Ad alivd dicendum , quòd non oportet vt secundum ordinem morbi in persona, sit ordo sacramentorum Ecclesiæ : quia licet in vna persona actuale præcesserit originale peccatum,vt causa ipsius : tamen in omnibus generaliter radicatur actuale in originali:& sacramenta non dantur personæ, sed Ecclesiæ , & potius filiis Adæ,quam ipsi Adam : & ideo baptismus simpliciter adhuc est prius , licet pœnitentia sit prius secundum aliquid & in aliquo,

Ad alivd dicendum , quòd hoc fit per accidens : quia baptismus flaminis sufficit, scilicet vbi non est contemptus religionis , sed articulus necessitatis sacramentum excludit : & ideo ex hoc non potest concludi, quòd baptismus simpliciter sequatur pœnitentiam , sed secundum quid tantum & in quodam casu : & illa pœnitentia non est tota integritate sua , sed est ibi aliquid pœnitentiæ quod non habet exteriorem satisfactionem: nec etiam interiori indiget , nisi quantùm ad hoc quod remoueatur fictio , & non quantum ad dimissionem culpæ vel pœnæ : quia ad hoc sufficit baptismus. Vnde licet ibi dimittatur culpa, & quædam pars pœnæ : hoc tamen non exigit baptismus , sed sit gratia quæ datur pœnitenti præparanti se ad baptismum.

ARTICVLVS XLIX.

An pœnitentia sit fundamentum & qualiter sit ?

Secundo quæritur, Vtrum pœnitentia sit fundamentum,& qualiter sit ? Et circa hoc quæruntur quatuor , scilicet an sit fundamentum , & qualiter sit ? Secundo,Quæ sint in illo fundamento ? Tertio de numero eorum. Quarto, Quo ordine in fundamento collocentur ?

Videtur autem circa primum, quòd pœnitentia non sit fundamentum , per illud 1. Cor. 3. Fundamentũ enim aliud nemo potest ponere præter id quod positum est , quod est Christus Iesus: in vno autem ædificio non est nisi vnum fundamentum : ergo videtur , quod pœnitentia non sit fundamentum.

2 Adhuc ad Hebr. 11. Fides est substantia rerum sperandarum : vbi dicit Gloss. id est, fundamentum : & ex hoc sequitur idem quod prius.

3 Adhuc, Fundamentum est quod primo occurrit in ædificio spirituali : sed fides primo occurrit : ergo fides est fundamentum & non pœnitentia.Probatio minoris est quod dicit Apostolus Hebr. 11. Accedentem ad Deum , primum oportet credere , quia est , & quia inquirentibus se remunerator sit.

4 Adhuc , Nihil est fundamentum in ædificio spirituali , cuius esse aliud spirituale præcedit in eodem ædificio : sed esse pœnitentiæ aliud præcedit in spiritualibus : ergo ipsa non est fundamentum. Probatio minoris est id quod supra habitum est dist. 13. vbi dictum est, quòd pœnitentiæ virtus timore concipitur : & quia omnia illa quæ primo disputata inueniuntur,qualiter pœntentia sit prima virtus,valent ad istud,ideo omnia circa hoc sufficiãt pro parte vna.

In oppositvm autem obiicitur per illud Heb. 6. Non rursum iacientia fundamentum pœnitentiæ : vbi dicit Gloss. id est , non iacientes pœnitentiam , quasi pro lapide in fundammento: ergo pœnitentia est fundamentum.

2 Adhuc,In illo primo fundatur noua vita,ex quo deficit prius vetus:sed illa , sicut sæpius habitum est , deficit in pœnitentia primo : ergo ibi primo fundatur noua vita : ergo pœnitentia est fundamentum, vt videtur.

Solvtio. Dicendum, quòd fundamentum multipliciter accipitur in sacra Scriptura, scilicet, primum fundans extra , scilicet in Deo : & hoc est immobilitas diuinæ electionis : & de hoc dicitur 2. Tim.2. Fundamentum Dei firmum stat, habens signaculum hoc. Vnde ibidem Glossa. Isti stant quos Deus elegit , & immobiliter in fide fundauit. Aliter dicitur fundamentum in cor- *Solutio.*

pore mystico fundans, & non in membro spirituali: & est fundamentum virtutis infusæ de cælo, de quo Isa. 54. Fundabo te in saphiris, & ponam iaspidem propugnacula tua: vbi dicit Gloss, Quia per saphiros qui cælestem habent colorem, signantur virtutes. Tertio dicitur fundamentum fundans membrum singulariter: & hoc multipliciter, scilicet ex parte intellectus, & ex parte affectus. Ex parte autem intellectus duplicitet, scilicet, secundum quod est ex auditu exteriori, vel secundum quod est per lumen intellectus infusum fundatū in veritate credendorum: & primo modo doctrina prædicationis Apostolorū & Apostolicorum virorum dicitur fundamentum: de quo habetur Apoc.21. Fundamenta ciuitatis duodecim, quæ fundamenta sunt doctrinæ duodecim Apostolorum. Intellectus autem fundamentum dicitur fides. Ex parte autem fundationis in affectu est pœnitentia fundamentum, & alia quædam quibus infra dicetur in sequenti articulo quæstionis.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd ibi loquitur de fundatione venientis ad ædificium, non existentis in ædificio ipso: quia fides venienti primo oculos aperit: sed pœnitentia locat eum, & efficit contrarium ab ædificio spirituali.

AD ALIVD dicendum, quòd fides est prima, quæ per cognitionem facit in nobis subsstare speranda: sed tamen ipsa non est proximum locans ædificium, sed potius pœnitentia locum purgans, & initians fundamenta in bono.

AD ALIVD dicendum, quòd non oportet, quòd hoc sit fundamentum: & hoc ideo, quia fides & timor possunt secundum actus informes præcedere fundamenti substantiam: quia fides est sicut causam ædificandi ostendens, & timor sicut fodiens: pœnitentia autem sicut construens totum ædificium per contritionem, confessionem, & satisfactionem, licet timor & fides habitus informati gratia & charitate, sint de fundamento & ædificio. Et per hoc etiam patet solutio ad sequens.

ARTICVLVS L.

Quæ sint in illo fundamento? & an pœnitentia quæ est fundamentum, sit virtus vel sacramentum?

SEcundo quæritur, Quæ sint in illo fundamento? Dicit autem Gloss. Hebr.6. quia sex sunt de fundamento isto: & hæc sunt verba Gloss. Hoc autem fundamentum diuidit in sex, quæ sunt inchoatio, scilicet pœnitentia, fides, baptismi doctrina, & impositio manuum, & resurrectio, & iudicium. De pœnitentia quidem disputatum est quantum sufficit in quæstione præcedenti. Quæritur autem, De qua pœnitentia intelligitur, quòd sit fundamentum: vtrum de illa quæ est virtus, aut de illa quæ est sacramentum?

Videtur autem, quòd de illa quæ est virtus: quia virtus vitio contrariatur: & pœnitentia virtus est quæ perimit veterem hominem: ergo ipsa primo inchoat nouum: & hoc est esse fundamentum primum in ædificio: ergo pœnitentia virtus est illa quæ est fundamentum.

2 Adhuc, Pœnitentia virtus est illa quæ mouet ad detestationem peccati, sicut supra habitum est: sed hoc primo faciendum est, scilicet motus in destructionem peccati: ergo pœnitentia secundum quod est virtus, primo est fundans pœnitentem in ædificio spirituali.

SED CONTRA: Super illud Hebr.6. Non rursum iacientes fundamentum pœnitentiæ: dicit Hieron. Quicunque aliquos ad fidem conuertit, prius docet pœnitere, & baptizari in remissionem peccatorum: sed pœnitentia secundum quod docetur à ministro Ecclesiæ, sacramentum est: ergo pœnitentia secundum quod est sacramentum, est fundamentum. *Sed contra.*

2 Item, Alia quædam sacramenta ponuntur in fundamento, scilicet baptismus, & confirmatio: ergo & pœnitentia ibi pro sacramento accipitur.

3 Item, Ioannes qui pœnitere docuit Matth.3. & Luc.3. docuit confiteri & satisfacere. Vnde dicitur ibi, quòd exibant ad eum confitentes peccata sua: & dedit eis consilium, qualiter dignos pœnitentiæ fructus facerent in satisfactione: sed pœnitentia sic in suis partibus considerata est sacramentum: ergo secundum quod est sacramentum, est fundamentum.

DEINDE quæritur de secundo, quod est in fundamento, scilicet de fide. Videtur enim, quòd charitas sit magis fundamentum: quia fundamentum est radix: sed charitas est radix boni: vnde Gregor. Non habet aliquid vitoris ramus boni operis, nisi manserit in radice charitatis: ergo charitas est fundamentum. *Quæstiuncula 1.*

2 Item, Ephes.3. In charitate radicati & fundati vt possitis comprehendere cum omnibus sanctis, &c.

3 Adhuc, Timor videtur esse fundamentum: quia timor est initium sapientiæ, vt dicitur Eccli.1. Alia autem quædam ad hoc valentia, supra notata sunt, vbi quæsitum est, qualiter pœnitentia sit prima virtus, dist.13. supra.

DEINDE quæritur de doctrina baptismi: cum enim neophytus non doceatur tantum baptizari, sed multa alia, quare aliorum doctrina non ponitur in fundamento, sicut doctrina baptismatis? Adhuc, Non est nisi vnum baptisma, vt dicit Apostolus ad Ephes.4. Vnus Dominus, vna fides, vnum baptisma: ergo inconuenienter dicit, Baptismatum. *Quæstiuncula 2.*

DEINDE quæritur de quarto, scilicet de impositione manuum quæ fit in confirmatione. Videtur autem, quòd Eucharistia magis sit fundamentum: quia in ipsa est dominus sacramentorum, à quo omne sacramentum contrahit suum vigorem: ergo magis fundat quam confirmatio. *Quæstiuncula 3.*

2 Adhuc, Sine fundamento non habetur aliquid de ædificio spirituali: sed sine confirmatione habetur aliquid quoad gratiam & gloriam: ergo confirmatio non est fundamentum. Prima patet per se. Secunda probatur ex hoc quòd multi decedentes non confirmati transeunt ad gloriam, sicut multi paruuli & adulti, cum non sit sacramentum necessitatis.

3 Adhuc, Confirmatio ædificiorum magis est in summo per subtilē clausurā testudinis, quam in fundamēto: ergo videtur, quòd confirmatio magis pertinet ad perfectionem, quam ad fundamentum.

4 Adhuc,

Quæst 4. 4 Adhuc, Quod fundatur, non est: quod autem confirmatur, est: ergo quod fundatur, non confirmatur: ergo confirmatio non est fundamentum.

DEINDE quæritur de quinto, quod est resurrectio. Videtur enim, quòd hoc superfluat: quia intelligitur in fide.

2 Adhuc, Cum omnia peccata remittantur in vnitate & communione Ecclesiæ, videtur quòd pœnitens in quo fundatur noua vita, magis debet moueri credendo articulum illum qui est, In sanctam Ecclesiam & sanctorũ communionem, quam illum qui est, Carnis resurrectionem: ergo ille magis debet poni in fundamento, quam iste.

Quæst. 5. VLTIMO quæritur de sexto, qui est in iudicio: in iudicio enim terror est iudicis: ergo inclinatio in desperationem: quia secundus aduentus terret, & primus mulcet peccatorem ad spem: ergo cum spes magis expediat pœnitenti, quam timor terrens, magis deberet poni in fundamento articuli incarnationis qui est de primo aduentu, quam iudicij qui est de secundo.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd sicut dicit Gloss. Hebr. 6. illa sex sunt de fundamento religionis Christianæ, quæ fundatur in adueniente ad ipsam: & quædam istorum sunt sicut fundamenta proxima ædificio: & quædam sunt sicut fundamenta prima locantia fundamentum proximum, vt habebitur in articulo sequenti.

AD ID ergo quod primo de pœnitentia quæritur, dicendum quod secundum statũ adulti venientis ad Christianam religionem, pœnitentia sacramentum secundum aliquid sui, scilicet remouens fictionem, est de his quæ primo exiguntur: & ideo est de fundamento, sicut & videtur innuere Gloss. & in contrarium obiectio facta.

AD ID autem quod in contrarium primo obiicitur, dicendum quòd verum est quod vitio virtus contrariatur: sed secundum hoc prius est ab infusione quam ex doctrina: pœnitentia enim hic dicitur rudimenta pœnitentiæ, quæ pœnitẽti proponuntur: sicut & fides rudimenta fidei, quæ his qui cathezizantur, exponuntur, quando sunt neophyti: & hæc rudimenta sunt potius sacramenti quam virtutis.

AD ALIVD dicendum, quòd pœnitentia virtus non est fundamentũ primum: quia quædam facienda ad fundationem sunt ante omnem virtutem, sicut illa quæ sunt elementa exordij sermonis iustitiæ, & illa sunt quæ vocat Apostolus fundamentum, sicut dicit Gloss. super epistolam Hebr. 6.

Ad quæstiunculam 1. AD ALIVD dicendum, quòd omnia illa fere soluta sunt supra dist. 13. dicendum tamen, quòd charitas non proprie fundat, sed nectit perfectionem, sicut dicitur 1. Tim. 1. Ad hoc autem quod obiicitur de Gre. dicendum quòd est fundamentum operis meritorij: quia dat formam essendi meritum: sed non est fundamentum Christianæ religionis, quod proponitur assumenti religionem Christianam: & ideo nihil valet illud ad propositum.

AD ALIVD dicendum, quòd radicari & etiam fundari non contingit in charitate, nisi quantum ad formam operis meritorij: & hoc non est esse fundamentum Christianæ religionis, vt dictum est, nisi per accidens & secundum quid.

AD ALIVD dicendum, quòd timor secundum suum actum est quasi fodiens foueam per fugam mali in fundamento, sed non sicut disponens lapides, qui sunt ædificij pars, sed potius pœnitentia.

Ad quæstiunculam 2. AD ID quòd vlterius quæritur, dicendum quòd neophytis non proponuntur nisi primo occurrentia necessaria ad inchoationem: & horum vnum est baptismus, qui dat esse spirituale baptizato, vt dicit Dion. & ideo sicut esse primo exigitur ante operationem in naturalibus, ita & in gratuitis: alia autem non sunt ita primo congruentia.

AD ALIVD dicendum secundum Glossam, quod pluraliter dicit, Baptismatum: quia est triplex baptisma: & de hoc multa habita sunt in tractatu de baptismo, & requirantur ibi, quia hæc valent: vnum autem baptisma dicitur, quia vna est causa substantialis, & vnus character, & non iteratur: tamen effectus eius multipliciter datur, & propter hoc dicitur pluraliter, Baptismatum.

AD HOC autem quòd quæritur de quarto, dicendum videtur, quòd confirmatio inquantum confirmat in pugna, est de ædificio: ædificium enim non tantum saluat, sed etiam munit in pugna.

Ad quæstiunculam 3. AD PRIMVM ergo quod contra est, dicendum quòd Eucharistia licet dignissimum sit sacramentorum quantum ad rem contentam, non tamen est necessaria ei qui ædificatur in Christiana religione, sicut confirmatio: quia pugna instat Christiano continua: & ideo necesse est, quòd Christianus fundetur in illa.

AD ALIVD dicendum, quòd verum est, quòd confirmatio non est sacramentum necessitatis: sed quia Christiana religio non tantum attendit ea quæ sunt necessitatis, sed etiam ea quæ sunt perfectionis: ideo est necesse, quòd sustinentia perfectionem ædificij in fundamento ponantur. Pugna autem persecutionis est de perfectione vitæ & religionis Christianæ: & ideo vt super quod ædificetur, præmittitur confirmatio in fundamento. Vnde in primitiua Ecclesia statim confirmabantur postquàm erant baptizati.

AD ALIVD dicendum, quòd alia est confirmatio ædificij iam facti, quia illa fit per consolationem & augmentum gratiæ: & alia est confirmatio quæ est in fundamento, quia illa nihil aliud est quam collatio gratiæ, in qua multa fundari possunt sine timore ruinæ, & hoc modo confirmat confirmatio in qua Spiritus sanctus datur ad robur, & hæc confirmatio est de fundamento.

AD ALIVD dicendum, quòd sicut dicitur Rom. 6. resurrectio exemplariter ostenditur in iustificatione, quæ est in pœnitentia: & ideo etiam iustificatio dicitur resurrectio prima Apoc. 20. & ideo pœnitentem oportet fundari in resurrectione: resurrectio enim gratiæ præostendit resurrectionem gloriæ, & ordinatur ad illam.

AD ID quod contra obiicitur, dicendum quòd fides non ponitur in numero illorum sex, nisi gratia rudimentorum fidei, præcipue gratia articulorum de Trinitate & vnitate, quæ operatur in sacramentis: & ideo etiam illi quæruntur in exorcismis & catheciśmis: & non ponitut hoc ratione omnium articulorum: & ideo non superfluit iste, & positio istius.

AD ALIVD dicendum, quòd aliud est iustificatio ipsa, & aliud fundamen

damentum ipsius : fundamentum autem est resurrectio,eo quod ipsa non credita subruit totum, & quia exemplariter ostenditur in pœnitentia.

Ad qu.5. AD ALIVD dicendum, quòd iudicium inducit timorem qui facit pœnitere, ne incidatur in iudicium futurum : & ideo est de fundamento.

AD ID autem quod contra obiicitur, dicendum quòd spes sequitur timorem : quia timor fugit malum, & ideo iudicium per timorem fundat primo. Vel dicatur, quòd in iudicio secundo vtrumque intelligitur mouens, scilicet & timor ratione suppliciorum quæ ibi infligentur malis,& spes ratione præmiorum quæ ibi dabuntur bonis: & vtrumque horum non est in primo aduentu, sed alterum tantum : & ideo non fides primi aduentus, sed secundi ponitur in fundamento.

ARTICVLVS LI.

An idem sit fundamentum rerum sperandarum Christianæ religionis, & præmij æterni.

TErtio quæritur de numero eorum quæ sunt in fundamento. Videtur autem, quòd sit vnum solum, per illud 1. Corinth.2. Fundamentum autem nemo potest, &c. Et cum alicuius ædificij corporalis non sint plura fundamenta: ergo nec ædificij spiritualis.

Solutio. SED QVIA hæc disputatio tota fere determinata est per articulum præcedentem, dicendum quòd fundamentum(vt supra dictum est)multipliciter dicitur, scilicet fidei,rerum sperandarum, & Christianæ religionis, & præmij.De fundamento fidei intelligitur quod dicitur 1. Corinth. 3. quia tota fides est supra Christi deitatem vel humanitatem:secundum deitatem enim est à Patre, & ab ipso Spiritus sanctus, qui mittitur Sanctis & vnit Ecclesiam:secundum humanitatem autem ipse est incarnatus, passus, & resurrexit in causam & argumentum nostræ resurrectionis. Rerum autem sperandarum per quod scilicet res sperandæ subsistunt in nobis, est fides secundum actum suum fundamentum : quia ipsa primo aperit oculos ad sperandas res videndas, & consentit eis quòd sint: & per hoc fundat eas in nobis. Christianæ autem religionis colligitur fundamentum ex sex,quæ in Glossa Hebr. 6. numerantur : quia Christiana religio incipit ab occulto rationi nostræ,& difficili, & remotione à peccatis:& ideo fundatur, id est, inchoatur à tribus in genere, scilicet à remouente & destruente contrarium, & hoc est quasi faciens locum ædificio : & hoc est pœnitentia vel secundum ordinem in difficile bonum quod incipit,vel secundum conseruans in illo. Si secũdum ordinem, hoc est dupliciter, scilicet ad esse, & ad robur in difficili pugna : & quantum ad esse id adhuc contingit dupliciter, scilicet quantum ad gratiam ipsam dantem esse Christianæ religionis, & quoad ordinem qui est in actibus virtutum : & quoad ordinem actuum fundat fides, sed quoad gratiam dantem esse fundat doctrina baptismatum. Ad pugnam in difficili fundat robur gratiæ datum in impositione manuum:sed conseruantia sunt spem & timorem inducentia:& hoc contingit præcipue ex iudicio futuro, ad quod duo exiguntur, scilicet iudicium ex parte iudicis, possibilitas præsentationis in iudicio ex parte iudicandi : & ex parte iudicandi spem & timorem inducit resurrectio, & sic fundat : ex parte autem iudicis fundat iudicium futurum:& per hoc patet solutio de omnibus quæ requiruntur hic.

ARTICVLVS LII.

An fides præcedat pœnitentiam?

QVarto de ordine horum quæritur. Videtur enim, quòd fides præcedat pœnitentiam: quia Hebr. 11.dicitur, quod accedentem ad Deum oportere credere, quia est, &c. sed pœnitens iam accessit : ergo ante hunc accessum fides iam fuit: ergo præordinari habet pœnitentiæ in fundamento.

2 Adhuc, Dicit August. quòd fides est prima virtus, & primum est fundamentum : ergo, & cætera.

3 Vlterius in catheciſmis instruuntur prius de resurrectione mortuorum & de iudicio, quam baptismum suscipiant : ergo videtur,quòd in fundamento ordinari debeant ante baptismum : & contrarium dicit Glossa.

ADHVC quæritur de Dominica oratione, quæ tangitur in Glossa quadam esse de inchoatione Christianæ religionis; quare non ordinatur inter ea quæ sunt de fundamento ? Dicit enim quædam Glossa sic, De initio fidei est, quo tudes cathechizandi sunt, vt est symbolum fidei,& Dominica oratio.

RESPONSIO. Ad hoc dicendum videtur, *Solutio.* quòd ista ordinantur in fundamento per modum illum quo explicantur ab eo qui accedit ad Christianam religionem. Vnde quia pœnitentia primo remouet à contrario,ideo prima ponitur:fides autem distinguit credenda quæ sunt in Christiana religione, & ideo ponitur secunda : & baptismus dat esse affectui præparato per pœnitentiam, & intellectui præparato per fidem : & ideo ponitur tertio. Corroborans autem ipsum esse est quartum : sicut in naturis post esse sequitur perfectio quantitatis, & post ista conseruantia. Sed quia resurrectio facit timere vel amare iudicium:quia si non resurgat, non timebit nec amabit : quia nec bonum nec malum ibi recipiet:si autem resurgat, timebit vel amabit : ideo resurrectio ponitur ante iudicium.

AD HOC autem quod primo de fide obiicitur, dicendum quòd duplex est fides, scilicet indistincta : & hoc modo quoad quendam actum confusæ cognitionis Dei & peccati præcedit pœnitentiam. Est autem fides distincte assentiens credito articulo,& hæc non est nisi iam data gratia per pœnitentiam, & talis est illa in qua fundatur Christiana religio:& ideo cathecumenis articuli fidei explicantur.

AD ALIVD dicendum, quòd fides est prima virtus & in intellectu,& quoad actum confusæ cognitionis, & non distinctæ:sed distincte assentiens, sequitur destructionem peccati per pœnitentiam.

AD ALIVD dicendum, quòd resurrectio & iudicium vt credita, supponuntur in fide, vt

alij

alij articuli symboli fidei, vt dicit Gloss. in hoc eodem quæstionis articulo inducta: sed vt conseruantia in Christiana religione sequuntur quasi iugiter memorata, sic ordinantur in fundamento.

Ad qu. Ad aliud dicendum, quòd Dominica oratio non est essentialiter de fundamento, licet sit aliquo modo de inchoatione: quia ante essentiam Christianæ religionis aliquis orare potest: sed à Gloss. illa ponitur de inchoatione extra & est sic impetrans fundamentum Christianæ religionis: & hæc de modis pœnitentiæ dicta sufficiant.

ARTICVLVS LIII.

An omne peccatum exprimatur in decalogo?

Deinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Alteraque actio pœnitente, quæ fit post baptismum, &c.] Videtur enim ex hoc, quòd omne peccatum contineatur in decalogo, quod falsum videtur de superbia, hypocrisi, inani gloria, inuidia, & multis aliis, si ad specialia descendatur: cum ergo de his sit pœnitentia, non videtur esse de his tantum quæ legis decalogus continet.

2 Adhuc, Mala voluntas in decalogo prohibita, non est nisi quantum ad peccatum auaritiæ, cum malum verbum ibi prohibitum, non est nisi ratione periurij & mendacij: cum ergo multis aliis modis fiat peccatum, & corde, & ore, & de omni peccato concedatur venia per pœnitentiam, videtur Augustinus imperfecte distinguere modum pœnitentiæ qui est post baptismum. Si forte tu dicas, quòd sicut in prædicamento aliquid dupliciter est, scilicet vt directe cõtentum in eo, sicut genus subalternum, vel species, vel indiuiduum: aliquid autem sicut reductum ad ipsum vt primum genus, sicut dicimus materiam & formam esse in genere substantiæ, & punctum & vnitatem & nunc in quantitate: ita dupliciter aliquid est prohibitum in decalogo, scilicet vt directe prohibitum, & vt reductum ad prohibitum secundum rationem causæ vel causati. Contra: Quando reducitur aliquid ad prædicamentum, non sufficit, quòd sit qualitercunque primum: sed oportet, quòd sit primum à quo fluit essentia prædicamenti: ergo similiter erit in præceptis: sed à nullo peccato essentialiter fluit aliud: ergo nullum peccatum ita habet reduci ad prohibitionem alterius peccati.

3 Adhuc, Non sunt tantum prohibitiua præcepta, sed potius affirmatiua sunt quædam: ergo secundum hanc solutionem oportet omne bonum quod faciendum est, reduci ad honorem parentum vel conseruationem sabbati, sicut principium vel principiatum: & hoc qualiter sit, difficile est etiam fingere volentibus.

Solutio. Responsio. Dicendum, quòd omne peccatum mortale & veniale prohiberi intelligitur in decalogo, & fieri præcipitur ibi omne bonum faciendum, id est, quod ita faciendum est, quòd nisi fiat, non saluabitur omittens. Peccatum autem intelligitur in genere prohiberi dupliciter, scilicet directe, aut indirecte. Directe quidem prohibentur omnia mortalia, & indirecte venialia. Mortalia autem prohibentur tripliciter, scilicet expressè, vel quia sunt causæ scilicet expressè prohibitorum, vel quia sunt effectus eorum. Expressè iterum dupliciter, scilicet ipso nomine & ambitu communitatis ipsius nominis, expressè: sicut sub mœchia prohibetur adulterium: quia cum elargatur, nomine mœchiæ sub ambitu nominis prohibetur omnis illicitus coitus, & quælibet illicita effusio seminis: & sic prohibetur fornicatio, defloratio, raptus, incestus, sodomia, & vitium pathicorum. Vt causa autem, gula, & ebrietas, & omnia quæ excitant concupiscentiam carnis ad illicitum. Vt effectus autem, scurrilitas, immunditiæ, choreæ illicitæ, & omnia huiusmodi: & sic planum est etiam intelligere de aliis. In affirmatiuis autem similiter est: necesse est enim vt nomine parentis elargato intelligatur proximus, & proximus est (vt dicit August.) qui nobiscum est ad æterna gaudia possidenda creatus: & nomine honoris intelligitur reuerentia debita & subuentio, tam in spiritualibus, quam in temporalibus. Sunt autem quædam vt inducentia ad hoc per modum causæ, vt amor siue dilectio proximi: & quidam effectus, vt congratulatio, affatus, & huiusmodi: & sic planum est videre in aliis.

Ad id autem quod obiectum est contra istam reductionẽ, dicendum quòd impossibile est in toto inuenire simile inter duo: quia sic similia nõ essent duo, sed vnum: sed sicut est in prædicamentis, & in primis essentiis, & in reductis ad illas, sic est in primis faciendis, & vitandis, & reductis ad illa: & sicut illa fluunt à suis principiis essentialiter, ita ista fluunt à suis principiis voluntarie: quia in moribus maximum principiorum est voluntas: & quia natura essentiæ subiacet necessitati, ideo illa necessaria fluunt à suis principiis. Quia vero ista sunt mediante voluntate causantia & causata, & voluntas est libera: ideo ista manent in libertate inclinantia voluntatem. Et per hoc patet solutio ad totum. Est autem huic disputationi aliquid addendum ex illo quod disputatum est super tertium in fine de præceptis.

ARTICVLVS LIV.

An bonorum sit pœnitentia, & vtrum boni & humiles de venialibus debeant agere pœnitentiam?

Deinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Est etiam pœnitentia bonorum, &c.] Videtur enim, quòd hoc sit falsum: quia boni & humiles magis habent causam lætitiæ quam pœnitentiæ: ergo non est eorum pœnitentia.

2 Item, De malo est pœnitentia: ergo non est de bonis & humilibus, quia illa sunt optima: ergo non est bonorum & humilium. Si forte dicas, quòd non est bonorum & humilium, secundum quod sunt boni & humiles, sed secundum quod admittunt venialia.

Quæstiũcula. Quæratur, Vtrum boni & humiles de venialibus agere debeant pœnitentiam? Videtur autem, quòd sic: quia cuiuscunque est satisfacere, illius est pœnitere: sed bonorum & humilium est de venialibus satisfacere: ergo & illorum est pœnitere. Probatio mediæ supra dist. 14. habita est, quòd satisfacere est radices peccatorum excidere, & eorum suggestionibus vlterius aditum

non indulgere: sed in bonis & humilibus sunt peccatorum radices, quia fomes, & corruptio vitium, & pronitas ad peccandum: ergo constat propositum.

Sed contra. In contrarivm autem hoc est, quòd dicitur locus esse à communiter accidentibus, pœnitet: ergo peccauit.

2 Adhuc, Supra habitum est, quòd pœnitentia est de malo perpetrato inquantum perpetratum est: ergo qui malum non perpetrauit, non habet pœnitere: & ideo pœnitentia non est bonorum & humilium, vt videtur.

3 Adhuc, Philosophus in 9. metaphysicæ & Auicenna in 6. suæ metaphysicæ dicunt, quòd à potentia boni vel mali nullus est bonus vel malus: quia in malo actus potentia peior est, & in bono actus potentia melior est: sed in bonis & humilibus qui non peccauerunt, non est nisi potentia mali: ergo ipsi non peccauerunt: ergo pœnitere non tenentur.

Solutio. Solvtio. Dicendum, quòd pœnitentia est bonorum & humilium, vt dicit litera: sed non est inquantum boni & humiles sunt. Est autem duplex talium pœnitentia, scilicet de bono, & de malo: de bono non inquantum bonum, sed inquantum malo permixtum: quia sic dicitur Isa. 64. Sicut pannus menstruatæ sunt vniuersæ iustitiæ nostræ. Vnde negligentia quæ incidit & indeuotio cogunt bonos & humiles etiam propria bona timere, & sic de eis quodammodo pœnitere: & & hoc est quod dicit Iob 9. Verebar omnia opera mea: sciens, quòd non parceres delinquenti. Alio modo pœnitent de veniali quod incidit quotidie in vsu vitæ: de cuius pœnitentia habetur in sequenti capitulo.

Ad quæstiunculam. Ad id autem quod quæritur, Vtrum boni & humiles non peccantes teneantur pœnitere? Dicendum, quòd non. Ad obiectum contra, dicendum quòd duplex est radix peccati, scilicet contracta & facta, secundum quod ex operibus relinquuntur similes dispositiones & habitus, vt dicit Philosophus. Prima autem radix debilitatur & exiccatur, non pœnitentia, sed contrario vsu benefaciendi: & secunda est quæ per pœnitentiæ, satisfactionem eruitur: & de illa radice intelligitur auctoritas inducta: & per hoc patet solutio ad totum.

ARTICVLVS LV.

An aliquis non habens debitum, possit dicere orationem Dominicam?

Deinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Dicentes dimitte nobis, &c.] Quæritur enim, Vtrum aliquis non habens debitum, possit dicere orationem Dominicam? Videtur, quòd non: quia non habet debitum: ergo non vere rogabit sibi debitum dimitti: ergo non potest dicere orationem Dominicam.

2 Adhuc, In duabus parabolis Luc. 6. & Matth. 9. vbi loquitur Dominus de dimissione debiti, supponit seruos illos aliquid debere: ergo qui nihil debet, ille debitum dimitti non potest postulare: ergo orationem Dominicam talis non potest dicere, vt videtur. Si forte tu dicas, quòd ille casus nunquam euenit in aliquo: quia sicut dicitur 1. Ioan. 1. Si dixerimus quoniam peccatum non habemus, nosmetipsos seducimus, & veritas in nobis non est. Contra: Augustinus Glossat sic locum istum dicens, quòd hoc dictum est: quia non diu esse possumus sine peccato: possumus autem esse ad horam sine peccato: ergo videtur, quòd illa hora talis dicere non possit Dominicam orationem.

3 Adhuc, Iacob. vltim. dubie loquitur de statu peccati dicens, Si in peccatis sit, remittentur ei: sic enim loquens innuit, quòd possibile est aliquem esse diu sine peccato: & tunc locum habet quæstio supra dicta.

4 Adhuc, Dicit August. quòd hoc facit veniale in viro iusto, quod gutta in camino ignis: sed gutta ipso casu in camino, statim consumitur, & non manet: ergo veniale cadens in animam viri perfecti, statim consumitur: ergo ipse manet sine veniali: & constat, quòd est sine mortali: ergo talis nullum habet debitum venialis vel mortalis peccati: ergo ipse non potest dicere, Pater noster.

Solutio. Solvtio. Dicendum, quòd quilibet Christianus homo potest & debet dicere, Pater noster.

Ad hoc autem quod in contrarium obiicitur, dicendum quòd talis status est rarus, propter tria, scilicet multitudinem venialium, & ignorantiam, & adhærentiam. Multitudinem voco in modo peccandi venialiter, quorum magnus est strepitus circa nos, tam in sensibus, quam in corde: ignorantiam, quia videtur mihi impossibile omnia aduertere: vnde Psalm. ratione multitudinis dicit, Delicta quis intelligit? Et ratione ignorantiæ, Ab occultis meis munda me Domine. Ratione autem adhærentiæ dicit, Ab alienis parce seruo tuo: quia quædam adhærent nobis alienantia à fernore charitatis, sed non alienant ab habitu. Si tamen talis status sit, adhuc dico, quòd etsi sit, tamen non debet homo præsumere esse in tali statu: quia, sicut dicit beatus Gregor. Bonarum mentium est ibi culpam agnoscere, vbi culpa non est. Si autem dicas, quòd sit ita, quòd per reuelationem cognoscat sibi dimissa esse omnia peccata: dico adhuc, quòd non adhuc sequitur quod ipse sit indebitor alicuius pœnæ, & ratione illius potest dicere. Si autem ponas, quòd nec etiam pœnæ debitor sit, & hoc sciat per reuelationem: dico adhuc, quòd in persona membrorum Ecclesiæ debet dicere: sic enim Christus caput Ecclesiæ ratione membrorum dicit sua esse delicta in Psalm. vbi dicitur, Deus meus respice in me, & cætera. Ita vnum membrum in se transformare debet, quod alterius est: vnde docet orare in plurali dicendo, Dimitte nobis debita nostra, sicut & nos dimittimus, &c. non, Dimitte mihi debita. Et per hoc patet solutio ad omnia quæsita.

Deinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Quid enim interest ad naufragium an vno grandi, & cætera.] Ex hoc enim videtur, quod veniale fiat mortale: & de hoc quæratur hic.

***

DISTIN

DISTINCTIO XVII.

Tria proponuntur quærenda : primum, an sine confessione dimittatur peccatum ?

HIc oritur quæstio multiplex. Primo enim quæritur, Vtrum absque satisfactione, & oris confessione, per solam cordis contritionem peccatum alicui dimittatur? Secundo, An aliquando sufficiat confiteri Deo sine sacerdote ? Tertio, An laico fideli facta valeat confessio ? In his enim etiam docti diuersa sentire inueniuntur : quia super his varia, ac pene diuersa tradidisse videntur Doctores. Dicunt enim quidam, sine confessione oris & satisfactione operis neminem à peccato mundari, si tempus illa faciendi habuerit. Alij vero dicunt, ante oris confessionem & satisfactionem in cordis contritione peccatum dimitti à Deo, si tamen votum confitendi habeat. Vnde Propheta : Dixit, Confitebor aduersum me iniustitiam meam Domino : & tu remisisti impietatem peccati mei. Quod exponens Cassiodorus ait : Dixi, id est, deliberaui apud me, quòd confitebor, & tu remisisti. Magna pietas Dei, quòd ad solam promissionem peccatum dimiserit. Votum enim pro operatione iudicatur. Item Augustinus : Nondum pronuntiat, promittit se pronuntiaturum, & Deus dimittit : quia hoc ipsum dicere, quoddam pronuntiare est corde. Nondum est vox in ore vt homo audiat confessionem, & Deus audit. Item, Sacrificium Deo spiritus contribulatus : cor, &c. Alibi etiam legitur : Quacunque hora peccator conuersus fuerit & ingemuerit, vita viuet, & non morietur. Non dicitur, ore confessus fuerit : sed, conuersus ingemuerit. Vnde datur intelligi, quòd etiam ore tacente, veniam interdum consequimur. Hinc etiam leprosi illi, quibus Dominus præcepit vt ostenderent se sacerdotibus, in itinere antequam ad sacerdotes venirent, mundati sunt. Ex quo insinuatur, quòd antequam ora nostra sacerdotibus aperiamus, id est, peccata confiteamur, à lepra peccati mundamur. Lazarus etiam non prius de monumento est eductus, & post à Domino suscitatus : sed intus suscitatus, prodiit foras viuus, vt ostenderetur suscitatio animæ præcedere confessionem. Nemo enim potest confiteri, nisi suscitatus : quia à mortuo, velut qui non est, perit confessio. Nullus ergo confitetur, nisi resuscitatus. Nemo autem suscitatur, nisi qui à peccato soluitur : quia peccatum mors animæ est, quæ vt est vita corporis, ita eius vita Deus est. His aliisque pluribus auctoritatibus probatur, ante confessionem vel satisfactionem sola compunctione peccatum dimitti : quod qui negant, eas determinare laborant : necnon in huius sententiæ depressionem, & ad suæ opinionis assertionem, auctorum

A *De confessione sacramentali, & de his quæ ad eam spectant prout habent rationem remedij quantũ ad necessitatem ex parte cõsitentis.*

Psal. 31.

Ezec. 18.

Ioan. 11.

auctorum teſtimonia inducunt. Ait enim Dominus per Iſaiam, Dic tu iniquitates tuas, vt iuſtificeris. Item Ambroſius, Non poteſt quiſquam iuſtificari à peccato, niſi peccatum ipſum antea fuerit confeſſus. Idem dicit, Confeſſio à morte animam liberat, confeſſio aperit paradiſum, confeſſio ſpem ſalutis tribuit: quia non meretur iuſtificari, qui in vita ſua non vult peccatum confiteri. Illa confeſſio nos liberat, quæ fit cum pœnitentia. Pœnitentia vera eſt dolor cordis, & amaritudo animæ pro malis quæ quiſque commiſit. Item Ioannes, Non poteſt quiſquam gratiam Dei accipere, niſi purgatus fuerit ab omni peccato per pœnitentiæ confeſſionem, & per baptiſmum. Item Auguſt. Agite pœnitentiam, qualis agitur in Eccleſia. Nemo dicat ſibi, Occulte ago, quia apud Deum ago: nouit Deus qui mihi ignoſcit, quia in corde ago: ergo ſine cauſa dictum eſt, Quæ ſolueritis ſuper terram, ſoluta erunt in cęlis? Ergo ſine cauſa claues datæ ſunt? Fruſtramus ergo verbum Chriſti. Iob dicit: Si erubui in conſpectu populi peccata mea confiteri. Item Ambroſ. Venialis eſt culpa, quam ſequitur confeſſio delictorum. Item Auguſt. ſuper illum locum Pſalm. Non abſorbeat me profundum, neque vrgeat ſuper me puteus os ſuum. Puteus eſt profunditas iniquitatis: in quam ſi cecideris, non claudit ſuper te os ſuum, ſi tu non claudis os tuum. Confitere ergo & dic: De profundis clamaui ad te Domine, &c. & euades. Claudit ſuper illum, qui in profundum contemnit: à quo mortuo, velut qui non ſit, perit confeſſio. Item, Nullus debite grauioris pœnæ accipit veniam, niſi qualemcunque, etſi longe minorem quam debeat, ſoluerit pœnam. Ita enim impartitur à Deo largitas miſericordiæ, vt non relinquatur iuſtitia diſciplinæ. Ita Hieron. Qui peccator eſt, plangat delicta propria vel populi, & ingrediatur Eccleſiam, de qua propter peccata fuerat egreſſus: & dormiat in ſacco, vt pręteritas delicias per quas Deum offenderat, vitę auſteritate compenſet. His aliiſque auctoritatibus nituntur aſſerere, ſine confeſsione vocis & aliqua ſolutione pœnę neminem à peccato mundari.

Iſa. 43.

Mat. 16.

Iob 31.

Lib. de paradiſo cap. 14.

Super Pſal. 68.

Super Malach.

ARTICVLVS I.

An in ſola contritione peccatum dimittatur?

HIc oritur quæſtio multiplex] Magiſter in iſta diſtinctione collationem facit inter partes pœnitentiæ ſigillatim acceptas, & tangit primo tres quæſtiones, vt patet in litera: & ſecundum proſecutionem illarum trium diuiditur tota diſtinctio in tres partes: & hoc videre cuilibet eſt facile, & ideo inſiſtendum eſt diſputationi.

Primo ergo quæritur de quæſtione prima, Vtrum ſcilicet in ſola contritione peccatum dimittatur? Videtur autem, quòd ſic: Quod enim poteſt plus, poteſt & minus: ſed ſola contritio in caſu poteſt ſupplere vicem baptiſmatis: ergo & poteſt ſupplere vicem confeſſionis & ſatisfactionis.

2 Adhuc, Quæcunque medicina omnia in ſe claudit quæ opponuntur morbo & cauſis morbi, illa per ſe ſine alia efficax eſt ad morbi expulſionem: ſed contritio eſt huiuſmodi medicina contra mortale actuale peccatum: ergo ſine confeſſione & ſatisfactione expellit morbum. Prima patet per ſe. Secunda autem probatur ex eo quod in actuali non eſt niſi culpa & pœna: & contraria illorum ſunt in contritione: quia gratia contrariatur culpæ, & pœna de peccato contrariatur paſſioni, quæ eſt delectatio, & ſuſtinentia illius doloris ſoluit pœnæ obligationem quæ eſt in reatu.

3 Adhuc, Medicina quæ quandoque datur, & quandoque non datur eiſdem cauſis morborum exiſtentibus, & aliis omnibus ſimiliter ſe habentibus, non eſt neceſſaria, ſed de bene eſſe: ſed confeſſio quandoque datur peccatoribus contritis, & ſimiliter ſatisfactio, quandoque autem non: ergo confeſſio & ſatisfactio ſunt de bene eſſe pœnitentiæ, & non de ipſo eſſe. Prima patet: quia ars inquantum poteſt ſemper exhibet omnia neceſſaria curationi. Secunda autem probatur in Maria Magdalena, quæ (vt dicit Gregor.) ſeptem dæmonia habuit, quia vniuerſis vitiis plena fuit: & tamen Luc. 7. per ſolam cordis

contritio

contritionem est sanata : ergo constat propositum.

4 Adhuc, Quæcunque sunt de essentia & necessitate alicuius, nunquam relinquunt ipsum: sed confessio & satisfactio quãdoque non fuerunt de pœnitentia, vel non prout modo sunt, sicut probatur ex disputatione supra de confessione habita: ergo non sunt de essentia: ergo cum pœnitentia per essentiam suam sufficiens sit ad morbi expulsionem, & sola contritio sit essentialis, videtur quòd ipsa sine confessione oris & satisfactione operis sufficit ad actualis peccati deletionem.

5 Adhuc, In momento infusionis gratiæ soluitur culpa & pœna æterna: sed hoc momentum est in contritione ante confessionem & satisfactionem: ergo videtur, quòd confessio & satisfactio non sint necessariæ ad culpæ solutionem.

6 Adhuc, Ponamus, quòd aliquis in veritate conteratur: constat, quòd in veritate illi peccatum secundum culpam & pœnam æternam dimittitur: sit ergo, quòd iste non confessus moriatur: ergo saluabitur, quia in moriendo non peccat, quia nihil incidit inter contritionem & mortem: ergo confessio & satisfactio non sunt de necessariis ad salutem.

7 Si forte tu dicas, quòd pœnitentia votum confessionis exigit & votum satisfactionis. Contra: Aut hoc exigit, eo quod sit de pœnitentiæ essentia, aut quia præceptum est vt confiteatur: si ideo exigitur, quia est de integritate pœnitentiæ, tunc nunquam fuit vera pœnitentia sine illa: quod falsum omnibus esse patet. Si ideo exigitur, quia est præceptum: ergo non exigitur nisi per accidens, & propter aliud: ergo de se sufficiebat contritio.

8 Item, Adhuc, Constitutio Ecclesiæ aut debilitauit vim contritionis, aut nihil contulit ei, nec nocuit ei, nec adiuuit eam. Si debilitauit. Contra: Dicit beatus Bernardus, Quod charitate institutum est, contra charitatem non debet militare: sed quicquid Ecclesia statuit, charitate instituit: ergo non debet contra eam militare: sed omne debilitans vim sacramenti, militat contra charitatem: ergo non debet obseruari: sed contritio est sacramentum, vt infra habebitur in litera: ergo constitutio de confessione non debet obseruari. Si autem nec contulit, nec nocuit: ergo inutilis fuit: nihil autem inutilium obseruandum est vniuersaliter in Ecclesia, præcipue contra sacramenta: ergo iterum hæc constitutio seruari non debuit. Si autem iuuit. Contra: Quod per se potest facere aliquem effectum, fortius est quam id quod cum alio & non nisi cum alio quod est in voluntate vel in actu: sed contritio sine proposito confitendi, potuit delere actuale peccatum: & tu dicis, quòd modo non potest sine voluntate confitendi propter constitutionem Ecclesiæ: ergo minorata est vis eius propter constitutionem Ecclesiæ: ergo constitutio illa non est obseruanda.

9 Adhuc, Constat, quòd Deus absoluit in contritione: aut ergo simpliciter absoluit eum, aut cum conditione. Si simpliciter: ergo non sub ista conditione, quòd confiteatur & satisfaciat: ergo non tenetur confiteri & satisfacere. Si cum conditione: sed omnis conditio dubitantis est: ergo dubitatio incidit circa Deum absoluentem ipsum peccatorem, quod absurdum est: ergo simpliciter absoluit: ergo non tenetur confiteri & satisfacere.

10 Adhuc, In omnibus iudiciis sufficit cognitio causæ & emenda delicti, secundum quod cognoscitur causa: ergo hoc sufficit in iudicio Dei, qui iudicat pœnitentem: sed delicti causa est in corde quod Deus intuetur, & perfecte cognoscit: ergo si cognoscit emendam secundum idem, sufficit ad omnem peccati correctionem: sed in corde perfectam exhibet emendam contritio: & hoc Deus cognoscit: ergo ipsa sola ad omnem peccati correctionem sufficit.

11 Adhuc, In omni genere morborum obuiatur fonti & non membris super quæ fluit riuus morbi: ergo ita debet fieri in medicina spirituali: sed omne peccatum causam habet in corde: & si cor non esset, nihil deformitatis esset in ore, nec in opere: ergo videtur, quòd medicina non debet esse nisi in corde: hoc autem fit per solam contritionem: ergo sola contritio cordis sufficit.

12 Adhuc, Quicquid in se continet perfectam pœnitentiæ rationem, hoc per se sufficit sine alio ad morbi expulsionem: sed contritio continet in se perfectam pœnitentiæ rationem: ergo sola contritio sufficit ad perfectam morbi actualis expulsionem. Probatur autem prima ex eo quod non nisi pœnitentia datur contra actuale mortale, & non alia medicina spiritualis. Secunda autem probatur ex eo quod dicit Ambros. in litera, Pœnitentia est verus dolor cordis & amaritudo animæ pro malis quæ quisque commisit: & constat, quòd hoc non conuenit pœnitentiæ nisi ratione contritionis.

SED CONTRA hoc obiicitur, & subiiciuntur omnes auctoritates in litera inducendo, quæ probant sine confessione peccatum non dimitti. *Sed contra.*

2 Per rationem autem sic obiicitur: Nihil potest detestari nisi recognitum: peccatum autem in omni pœnitentia oportet detestari: ergo oportet recognosci: sed recognitio diuersificatur secundum ea in quibus est: alia enim est recognitio in intellectualibus, & alia in corporalibus, & alia in sacramentalibus: ergo sicut in intellectualibus exigitur recognitio intellectualis, & in operationibus operatiua, ita in sacramentalibus exigitur sacramentalis: hæc autem est in enarratione peccatorum: & hæc est confessio: ergo ad sacramentalem peccati detestationem & pœnitentiam exigitur confessio.

3 Adhuc, Omne sacramentum consistit in in dispensatione ministrorum Ecclesiæ: sed nihil dispensatur nisi cognitum: ergo ad hoc quòd minister operetur circa pœnitentis peccata, oportet ipsum cognoscere peccata: sed non potest scire nisi per confessionem: ergo ad dispensationem sacramenti pœnitentiæ exigitur confessio.

4 Adhuc, Dolor pœnitentis satisfactiuus est per claues: vis autem clauium consistit in discretione peccati, & in absolutione pœnitentis: ergo ante effectum clauium oportet ministrum cognoscere de peccatis: & non potest nisi per confessionem: ergo pœnitenti ad hoc quod absoluatur, necessaria est confessio.

5 Item, Daniel. 9. & in aliis locis Veteris Testamenti dicitur, quòd quando gratiam impe-

trare

ttrare volebant, confitebantur peccata sua: ergo multo magis exigitur in Nouo Testamento in quo maior est gratia.

6 Adhuc Iosue 7. Iosue dixit, Fili mi da gloriam Domino Deo Israël, & confitere peccatum tuum, & indica mihi quid feceris. Ergo non potest glorificare Deum qui de peccatis redit, nisi per confessionem: ergo confessio delicti exigitur in pœnitentia.

7 Item, In omni iudicio condemnationis exigitur conuictio damnati: sed in pœnitentia iudicium quoddam est in quo damnatur pœnitens ad pœnam determinatam: ergo exigitur conuictio: sed non potest fieri per testes: ergo oportet, quòd fiat per confessionem: ergo in pœnitentia exigitur confessio.

Solutio. RESPONSIO. Dico, sicut supra in principio præcedentis distinctionis habitum est, quòd pœnitentia secundum quod est sacramentum ordinatum contra totum morbum peccati, habet partes, contritionem, confessionem, & satisfactionem: & hoc modo bene concedendum est, quòd nunquam fit absolutio peccati sine confessione in voto vel effectu existente. Qualiter autem operetur contra peccatum, ex superioribus quantum ego possum intelligere, manifestum est. Si autem accipiatur pœnitentia prout est in ratione virtutis, vel gratiæ, vel passionis tantum, bene puto quòd non oporteat adesse confessionem: vnde etiam omnes rationes pro illa parte inductæ, quòd exigatur confessio, sumptæ sunt ex ratione pœnitentiæ secundum quod sacramentum est, quia aliter nullam videntur habere apparentiam.

AD HOC ergo quod primo obiicitur in contrarium, dicendum quòd nunquam contritio excludit votum baptizandi in non baptizato, sed effectum: & ita bene concedo, quòd in simili articulo necessitatis potest excludere effectum confessionis, sed nunquam votum si adsit facultas: dicta autem omnia operantur in voto existentia, quia Deus respicit voluntatem: & sic dicitur 2. Cor. 8. Si prompta est voluntas, secundum id quod habet accepta est, non secundum id quod non habet. Et hoc est quod dicitur à Doctoribus, quòd completa voluntas reputatur pro facto.

AD ALIVD dicendum, quòd prima propositio non est vera, nisi sicut omnia continet, ita contineat sufficienter: & hoc non est verum de contritione, quia ipsa non est sufficiens sine confessione in voto, vel in actu & voto existente. Vel dicatur, quòd non omnia continet: quia in pœnitentia est ædificatio proximi, & contritio de se non continet satisfacientis ædificationem: & ideo per ministrum in confessione exigitur, quòd Ecclesiæ reconcilietur: & hæc vltima solutio est communis, sed tamen prima verior.

AD ALIVD dicendum, quòd semper exigebatur aliqua peccati recognitio prodens peccatum in genere, vel in specie, vel numero, sicut supra in quæstione de confessione habitum est: id autem quod secundum se diuinum est, bene potest determinationem diuersam accipere processu temporis: & ideo quando veras Ecclesia habuit claues, non figuram tantum clauium: tunc determinatum fuit, quòd homo coram homine habente peccatum detestando recognosceret per confessionem: & ideo licet pœnitentia quandoque fuerit sine confessione tali, qualis modo est in Ecclesia, non tamen fuit simpliciter sine confessione quantum ad substantiam confessionis in genere. Ad aliud dicendum, quòd licet non legatur confessio Mariæ Magdalenæ, & Petri, & quorundam aliorum: tamen facta est: quia multa facta sunt, quæ tamen scripta non sunt. Aliam tamen solutionem supra habes in præcedenti distinctione, quòd aliud fuit de illis qui ab ipso Domino receperunt, & aliud de aliis: quia Dominus cognouit, & rubor cordis coram præsentia eius secundum humanitatem maior fuit, quam nobis rubor faciei coram sacerdote cognoscente faciem: & ideo talibus potuit sufficere confessio cordis, nobis autem non: quia non ab ipso, sed ab homine sacerdote vicario Dei pœnitentiam accipimus.

AD ALIVD dicendum, quòd sicut ad præcedens, scilicet quòd fere eadem sunt.

AD ALIVD dicendum, quòd licet in momento soluitur culpa, tameu exigitur motus liberi arbitrij in peccati detestationem: quia in iustificatione impij quatuor sunt simul tempore habitualiter, licet non acualiter, & secundum naturam simul sunt: quorum vnum est motus liberi arbitrij in pecccatum detestando, ipsum, & ille motus supponit votum confitendi & satisfaciendi: & ita patet, quòd nihil prohibet, quòd tria sint in vno & eodem momento: vnum in actu, scilicet contritio, & duo in voto suppositа, scilicet confessio & satisfactio.

AD ALIVD dicendum, quòd talis positio bene possibis est: sed nunquam est vera contritio quæ confessionem & satisfactionem, non articulo necessitatis, sed contemptu religionis excludit: vnde si vere contritus est, ipse habet votum confitendi & satisfaciendi: & si sic moriatur, operantur in eo confessio & satisfactio in voto existentes.

AD ALIVD dicendum, quòd confessio in genere diuinum habet præceptum, sed in specie determinationem accipit per Ecclesiam, sicut supra in eadem quæstione dictum est.

AD ALIVD dicendum, quòd institutio Ecclesiæ multum confert pœnitentiæ: quia, sicut dictum est, contrititio nunquam sufficit sine aliqua confessione: sed modo determinatum est tempus, quòd semel in anno: & modus per enarrationem peccati cum quibusdam circunstantiis propter iudicium clauium & effectum earum: & hoc plurimum confert pœnitenti ad dimissionem pœnæ peccati, & etiam ad maiorem detestationem culpæ: & tamen in nullo debilitat contritionem: nec peiorem facit statum modernorum, quam antiquorum, propter magnum emolimentum, quod consequuntur ex vi clauium, quod non consequebantur antiqui: sicut non esset status peior eius qui dat denarium & obolum, vt accipiat aliquid emptum cum magna additione, quam eius qui emit illud denario sine additione.

AD ALIVD dicendum, quòd Deus simpliciter absoluit in contritione: sed aliter accipitur absolutio ex parte absoluentis, & aliter ex parte absoluti. Ex parte enim absoluentis nulla est conditio & nulla dubietas: sed ex parte absoluti supponitur votum confitendi & satisfaciendi, sine quibus non est contritio. Nec hoc est inconueniens, quòd ex parte Dei creantis nihil materiale, nihil temporale, nihil conditionatum est: & tamen

men ex parte creati incidit materialitas, temporalitas, & conditio secundum naturam rei creatæ: & hoc forte attendit Magister Hugo de sancto Victore, dicens in libro de potestate ligandi & soluendi ad beatum Bernardum, quòd Deus soluit ligando, sacerdos autem ligat soluendo: quia Deus soluit à vinculo damnationis ligando vinculo confessionis & expiationis: sed sacerdos ligat vinculo satisfactionis, & soluit à vinculo confessionis: & hoc non dicit conditionem nisi ex parte pœnitentis & eorum quæ supponuntur in pœnitente.

Ad aliud dicendum, quòd hoc verum est secundum formam fori secundum quod procedit iudicium: ordo enim iudiciarius obseruandus est, & variatur secundum diuersitatem fori. Iudicium autem pœnitentiæ non est tantum diuinum, sed etiam Ecclesiasticum: est enim diuinum per inchoationem, & perfectum per hominem ministrum in Ecclesia: & ideò oportet, quòd sit in plus quàm id quod est cordis quod intuetur Deus: sed iudicium futurum est tantum diuinum: & ideo non est ibi necessaria confessio oris, sed tantum testimonium conscientiæ accusantis vel defendentis.

Ad aliud dicendum, quòd licet febris semper sit à calore cordis intendente fumum materiæ putrefactæ: non tamen materia febris semper est in corde. Et ita est etiam in morbis spiritualibus: quia licet originaliter sint in corde, tamen materiæ circa quas fiunt, non sunt cordis, sed etiam oris & manus: & ideò ad perfectam curam oportet, quòd obuietur morbo in omnibus membris, in quibus materia morbi diffusa est, licet principalitet obuietur ei in corde: & sic est de morbis spiritualibus: vnde non sufficit sola cordis medicina.

Ad aliud dicendum, quòd illa diffinitio, vt supra distinctione 13. patuit, data est de pœnitentia, secundum quod est in genere passionis non sacramenti: & sic bene conceditur, quòd non habet nisi contritionem, & non confessionem, & satisfactionem.

ARTICVLVS II.

An votum debeat pro operatione reputari?

Deinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Votum enim pro operatione iudicatur, &c.] Videtur enim hoc esse falsum: quia si duo sunt quorum vnum sufficit, alterum superfluit, vel est de bene esse, non de necessariis: sed votum & operatio duo sunt, quorum alterum sufficit, vt dicitur in litera: ergo operatio superfluit, vel non est de necessariis: quod est falsum.

2 Adhuc, Non videtur esse generale quod dicit, quia aliquis dat tres denarios pro Deo, & vult dedisse septem vel cētum marcas, & ibi votum pro facto non computatur. Si forte tu dicas, quod intelligitur de voto actum pæcedente, quod est cum impotentia actus. Contra est: quia aliqua vult se perdidisse virginitatem: & quod non perdidit, non impedit nisi impotentia: ergo illa secundum hoc amisisse reputatur: ergo si postea pœnitet, non debetur ei aureola, quod falsum est: ergo non est generale quod dicit.

3 Adhuc, Aliquis habet plenam voluntatem occidendi aliquem: & quod non occidit, non impedit nisi impotentia: ergo reputatur pro facto: ergo ita irregularis est pro voluntate, sicut pro opere, quod falsum est: ergo nec in bono nec in malo tenet hoc quod dicit Cassiodorus hic in litera.

Responsio. Dicendum ad primum, quòd votum duplex est, scilicet plenum, & semiplenum siue imperfectum: plenum autem in quibusdā actibus impossibile est propter vehementem voliti in actu delectationem. Est autē in omnibus possibile votum esse plenum, quæ non habent vehementem delectationem in carne, sicut est in luxuria: in aliis autem actus non addit multum delectationi, sed potius affert tristitiam, sicut in ira, prodigalitate, misericordia, compassione, & huiusmodi. Dicendum ergo, quòd quotiescunque voluntas plena est, ira quod nihil excludit opus nisi impotentia sola, quantum ad substantiam meriti vel demeriti reputatur pro facto, sed non quantum ad adiuncta vel consequētia meritum vel demeritum: sicut est nocumentum vel profectus, quæ sunt in actu: & ideo votum homicidij habet eundem reatum in specie quem homicidij actus, sed tamen magis nocet actus quam voluntas: sicut etiam in bonis propositis idem meritum in substantia habet votum, & actus, licet non tantum in quantitate; & hoc quia non sunt tanti profectus. *Solutio.*

Per hoc patet solutio fere ad omnia: licet enim duo sint, scilicet votum confitendi, & confessio: tamen votum nunquam est plenum, si actum contemptus religionis excludit, & non articulus necessitatis: sed si plenum est, nec actum impedit nisi impotentia, sufficit votum quantum ad substantiam indulgentiæ: licet non consequatur omnia illa in quantitate continua vel discreta, quæ consequuntur & adiuncta sunt confessioni secundum actum existenti: sicut est diminutio pœnæ per vim clauium, & deobligatio à debito confessionis simpliciter & huiusmodi: & rubor actualis in actu confessionis etiam aliquid tollit de pœna quod non consequeretur.

Ad aliud dicendum, quòd non est plena voluntas si plus potest dare & non vult: sed si non potest plus, tunc eandem cum dante plus in substantia indulgentiam consequitur: licet aliquid accidentale habeat dans plus, quod non habet ille qui dat minus.

Ad aliud dicendum, quòd aureola debetur continentiæ non secundum se, sed secundum carnis integritatem: & ideo licet illud accidentale præmium opere carnis non amittatur, substantialiter tamen præmium continentiæ amittitur per plenum votum fornicationis, & restituitur per pœnitentiam, sicut omnia alia spiritualia per pœnitentiam in integrum restituuntur, vt supra superius dictum est.

Per idem patet solutio ad vltimum, quòd irregularitas accidentalis pœna est quam secundum consilium diuinum Ecclesia non determinat, nisi ad actum homicidij: & ideo licet substantialiter idem sit reatus homicidij voluntatis, & actus, modo tamen accidentalis pœna vna est vtriusque.

ARTICVLVS III.

An ſufficiat confiteri ſoli Deo?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Nondum eſt vox in ore, vt homo audiat confeſſionem, &c.] Ex hoc enim videtur, quòd ſufficit ſoli Deo confiteri. Item hoc videtur alia ratione. Adam enim qui eſt forma omnium peccantium, non reprehenditur, niſi de hoc quod ſe coram Deo in confeſſione excuſauit: ergo videtur, quòd in aliis peccatoribus ſufficit coram Deo ſe accuſare.

2 Adhuc, Nunquam conſurgit duplex tribulatio, ſicut ſupra diſtinctione 16. habitum eſt: ergo vni peccato in pœnitentia non debetur niſi confeſſio vna: ſed hæc facta eſt Deo, vt dicit hic Auguſt. ergo ſecundam addere non oportet, quæ homini fiat.

3 Adhuc, Nulla aliarum partium pœnitentiæ geminatur: ſufficit enim vna contritio ſola etiam de omnibus peccatis, & vna ſola ſatisfactio iuncta per potentiam clauium: ergo ſufficit vna ſola confeſſio: ſed hæc fit Deo: ergo non eſt neceſſaria confeſſio oris, vt videtur.

Sed contra. SED IN CONTRARIVM huius videtur, quòd Eccleſia nihil ſtatuit niſi iuſtum, nec aggrauat ſuper filios ſuos in generalibus ſtatutis: de conſtitutione autem Eccleſiæ & præcepto eſt, quòd quilibet ſacerdoti ſuo confiteatur ſemel in anno: ergo hoc eſt iuſtum, nec eſt ſalus ſine illo.

2 Adhuc, Si aliquis diceret non eſſe confitendum ſacerdoti, & ſufficere confeſſionem quæ fit ſoli Deo, pro hæretico condemnaretur: ergo hoc eſt de neceſſariis ad ſalutem, quod homo tenetur homini ſacerdoti confiteri: ergo non ſufficit illa confeſſio quæ fit ſoli Deo: cuius contrarium videtur dicere litera.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum ad hoc, quòd ſi adſit facultas confitendi ſacerdoti, non ſufficit confeſſio facta ſoli Deo: & hoc quod dicitur in litera, intelligitur de remiſſione peccati quantum ad culpam & pœnam æternam: quæ remiſſio præcedit actum confeſſionis, ſed non votum.

AD ID autem quod primo obiicitur, dicendum quòd adhuc non erant veræ claues, nec ſacerdotes: & ideo tunc Dominus egit per ſe ſolum, quod modo facit per ſe & vicarium: & ſimul cum illo docuit Adam, qualiter ipſe peccatum in confeſſione accuſando recognoſcere deberet, & qualiter hoc ipſum alios facere inſtrueret.

AD ALIVD dicendum, quòd non conſurgit duplex tribulatio, eo quod in peccato eſt offenſa Dei & proximi: & ideo per proximum vicarium Dei habet etiam peccator reconciliari: & iterum ideo, quia lex diuinitatis eſt (vt dicit Dionyſius) per media infima reducere: & ideo peccator inquantum huiuſmodi, cum ſit in ſtatu infimo, habet reduci per eum qui in gradu ſuperiori quoad ordinem & poteſtatem clauium.

AD ALIVD dicendum, quòd iſta pars non geminatur: quia illa quæ fit coram Deo, non proprie confeſſio eſt, niſi inquantum ordinatur ad illam quæ fit coram homine: & ideo confeſſio illa plena eſt, quæ eſt peccati enarratio cum deteſtatione ex recognitione coram Deo facta procedens.

ARTICVLVS IV.

An per gemitum pœnitentiæ ante oris confeſſionem dimittatur peccatum?

DEinde quæritur de hoc quod ibi dicitur [Non dicitur: ore confeſſus fuerit, ſed conuerſus, &c.] Ex hoc expreſſe ſequi videtur, quòd ad nihil neceſſaria ſit confeſſio.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd gemitus accipitur ibi pro gemitu contritionis, qui ſupponit votum confitendi & ſatisfaciendi ſecundum canonicam ſanctionem: quia aliter proprie non gemit gemitu pœnitentiæ, & non intendit aliud dicere, niſi quòd in tali gemitu pœnitentiæ ante oris confeſſionem & operis ſatisfactionem, peccatum ſecundum culpam & reatum æternæ pœnæ dimittatur, ſed non ante votum confitendi & ſatisfaciendi: & hoc planum eſt ſecundum ſupra diſputata.

ARTICVLVS V.

An omnes teneamur ad oris confeſſionem?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Hinc etiam leproſi illi, &c.] Ex hoc enim videtur ſumi valida argumentatio ad id quod non teneamur ad oris confeſſionem. Luc. enim 17. dicitur, quòd dum irent, mundati ſum decem leproſi: & non rediit niſi vnus. Et probabile eſt, quòd ille ſolus in oblatione ſacerdoti facta mandatum Chriſti expleuerit, & tamen mundati ſunt. Cum igitur reditus ſignificat reditum per gratiarum actionem, & oſtenſio confeſſionem: videtur, quòd ſine confeſſione & gratiarum actione aliquis à lepra peccati mundetur.

AD HOC dicendum, quòd Dominus in hoc oſtendere voluit, quid per ſe, & quid faceret per ſacerdotes. Medici enim qui dicuntur in Pſalm. Pſal. 87. ſacerdotes, non ſuſcitant, nec viuificant, nec à culpa ſanant: culpam autem ſignificabat lepra, & ideo antequam præſentarent ſe ſacerdoti, mundati ſunt, ne crederetur mundatio eorum fieri per ſacerdotes: tamen à præſentationis debito & oblationis non abſoluebantur, niſi præſentando ſe ſacerdoti, & deobligationem illam manendi extra caſtra facit Dominus per ſacerdotem reconciliantem: non enim reputatur eſſe in caſtris ſpiritualibus Eccleſiæ, qui aberrauerit & per ſacerdotis miniſterium non eſt reconciliatus. Et non obuiat, quod non rediit lepra: quia non in omnibus attenditur ſimilitudo in allegoricis, ſed in quibuſdam tantum.

ARTICVLVS VI.

An confeſſio neceſſario debet fieri in charitate?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Nemo poteſt confiteri niſi ſuſcitatus, &c.] Secundum hoc confeſſio quæ non fit in charitate, nihil valet.

valet. Et hoc etiam videtur per id quod inducitur Eccli.17. A mortuo, velut qui non est, perit confessio.

2 Adhuc ad idem, Nullum opus mortuum valet ad vitam æternam: sed confessio facta in mortali ante animæ suscitationem, est opus mortuum: ergo non valet ad vitam æternam, nec ad gratiam: quia si valeret ad vnum, valeret etiam ad aliud. Adhuc, Confessio dicitur à con & for faris: sed ille non simul fatur, qui ore fatur, & non corde: ergo non confitetur: ergo confessio illa non valet.

3 Item Ambros. Illa confessio reos liberat, quæ fit cum pœnitentia: pœnitentia vera est dolor cordis & amaritudo animæ pro malis quæ quilibet commisit: sed confessio quæ est extra charitatem, non est confessio cum pœnitentia, licet possit esse cum afflictione: ergo non liberat: ergo non valet, quia non est inuenta nisi ad liberandum hominem.

4 Adhuc, Omnis confessio vera & liberalis est cum peccati perfecta detestatione: sed non perfecte detestatur, qui est mortuus adhuc per peccati voluntatem: ergo talis nullam valentem facit confessionem, & tenetur facere valentem: ergo talis adhuc tenetur confiteri.

Sed contra. SED CONTRA: Omne id quod vt causa ordinatur ad aliquid, præcedit illud: sed confessio vt causa ordinatur ad iustificationem: ergo præcedit illam. Prima patet per se. Secunda scribitur in litera sequentis capituli, vbi dicit, Non potest quisquis iustificari, &c. Inde proceditur sic: Omne illud quod præcedit iustificationem, præcedit chatitatem: confessio præcedit iustificationem: ergo præcedit charitatem: ergo non oportet, quòd homo sit viuus per gratiam & charitatem qui confitetur.

2 Adhuc, Confesio fit vt confessor sit instructus de qualitate & quantitate peccatorum: sed hoc æqualiter potest fieri in gratia & extra gratiam: ergo æqualiter valent confessiones in gratia & extra gratiam factæ.

3 Adhuc, Confesio in aliquo differt à contritione & satisfactione: cum enim contritio sit cordis, & satisfactio operis, confessio erit oris: sed os ad pronuntiandum æqualiter est liberum in peccatore & habente gratiam, licet non sint æque liberi ad merendum in opere & corde: ergo videtur, quòd confessio æque vere fiat ab habente gratiam & non habente.

4 Adhuc, Nemo tenetur ad impossibile sibi: ad confessionem autem omnis homo tenetur ex præcepto: ergo modus confessionis non est impossibilts sibi: sed impossibile est nobis habere gratiam, quia ad gratiam habendam non possumus ex nobis: ergo non tenemur confiteri in gratia.

5 Adhuc, Quod æqualiter imponitur peccatori & iusto, debet & oportet fieri modo qui competat vtrique, scilicet & peccatori & iusto: sed confessio imponitur æqualiter peccatori & iusto: ergo oportet fieri modo competenti vtrique: sed iste modus non est vt fiat cum gratia, sed potius ex libero arbitrio: ergo confessio non est actus gratiæ, sed liberi arbitrij tantum: ergo non exigitur, quòd fiat in gratia.

6 Adhuc, In aliis quibusdam corporalibus actibus iniunctis in pœnitentiam absoluitur homo, etiamsi faciat extra charitatem existens: sicut si alicui iniungatur dare centum marcas, & dedit eas extra charitatem, non iniungitur ei vt det iterum cum habuerit charitatem. Similiter, si iniunctum est ei Romam vel vltra mare transire. Cum igitur confessio sit actus corporalis pœnitentiæ, si sit extra charitatem, non debet iniungi quòd faciat iterum: sed si nihil valet extra charitatem facta, injungeretur ei, quòd iterum faceret: ergo, &c.

7 Adhuc, In alio sacramento quod est necessitatis, vt est baptismus: & aliis quæ non sunt necessitatis, vt confirmatio & ordo, potest recipere sacramentum: & incipit valere ex quo recedit fictio. Cum igitur pœnitentia sit sacramentum necessitatis, videtur habere aliquid tale: non autem potest esse in contritione & satisfactione: ergo hoc erit in confessione: ergo confessio facta in mortali valet, & etiam ad vitam æternam valere incipit ex quo recedit fictio.

8 Adhuc, Eccl.æ.9. dicitur, quòd nemo scit vtrum odio vel amore dignus sit: si ergo tenetur aliquis in charitate confiteri, & non potest hoc fieri nisi sciat se habere charitatem, & non potest hoc scire, sequitur quòd nescit se fecisse confessionem: ergo omnis homo perplexus est in hac parte, & tota die erunt repetendæ confessiones: nec homo per totam vitam aliquid facere debet nisi confiteri, vt saltem valeat vna: ergo, &c.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd duo sunt in confessione, vnum ex parte confitentis, alterum autem ex parte confessionem audientis. Ex parte confitentis est actus ipse, secundum quod est ab agente, vt rubor & pœna in enarrando. Ex parte autem audientis est notitia morbi latentis & circunstantiarum eius. Dico ergo sine præiudicio, quòd illud quod est ex parte confitentis, nihil valet ad iustificationem & meritum vitæ æternæ, nisi confitens sit in charitate: valet tamen ad facilius gratiam impetrandam, & humiliationem confitentis, & ad alia quædam ad quæ dicuntur valere bona illa quæ vocantur de genere bonorum extra charitatem facta. Quantum autem ad id quod est ex parte audientis, videtur mihi, quòd simpliciter valet quoad hoc quod præcepta Ecclesiæ soluit, & deobligatur à debito confitendi: & quod ipse non consequitur effectum clauium in diminutione pœnæ, hoc est per accidens, scilicet quia fictus est: & quia effectus clauium fundatur plus super passionem Christi, quam supra meritum humanum, videtur mihi quòd recedente fictione, si non intercidat aliud peccatum confessionem & satisfactionem iniunctam, valebit ei effectus clauis cui se subdidit, recedente fictione.

AD ID ergo quod obiicitur de litera ad omnia illa quæ inducuntur pro parte illa: dicendum, quòd omnia illa loquuntur de eo quod est in confessione ex parte confitentis, secundum quod valent ad gratiam & vitam æternam: secundum autem quòd valent ad vicinandum se gratiæ, non loquuntur, nec procedunt obiectiones, nec valent etiam de eo quod est in confesione ex parte audientis & vis clauium quæ operantur per audientem: & hoc modo vera sunt, & alio modo falsa.

AD PRIMVM autem quod obiicitur in oppositum,

positum, dicendum quòd confessio optima est in gratia, nec ordinatur ad iustificationem vt causa præcessione temporis, sed nec secundum illum modum prioris quem dicit Philosophus, quòd prius causa est prius natura: ordinatur autem sic primo prout in voto supponitur ab actu contritionis, & non prout est in actuali enarratione peccatorum.

Ad aliud dicendum, quòd confessio licet sit ad hoc, non tamen tantum est ad hoc: imo multas causas habet ex parte confitentis, ex quibus ipsa efficitur pars pœnæ, vt in litera præcedentis distinctionis dicit Augustinus: & ideo illud argumentum procedit à diminutione.

Ad aliud dicendum, quòd pronuntiatio dupliciter consideratur, scilicet in substantia cum forma debita pœnitentis pronuntiationis, inquantum est pœnitens: & primo quidem modo verum est, quod concludit ratio illa: secundo autem modo falsum est. Nec potest concludi per argumentum illud, quia forma totius est in omnibus partibus: & hæc est gratia pœnitentialis, licet in forma partium differant partes inter se.

Ad aliud dicendum, quòd impossibile dupliciter dicitur, scilicet id in quod nullo modo possumus, nec aliquid facere, quo facto illud fiat, sicut subuertere montes impossibile est nobis: & hoc non præcipitur alicui. Secundo modo dicitur nobis impossibile, quod in se non possumus, sed possumus aliquid quo facto illud ineuitabiliter fiet: & hoc ratione antecedentis quod est in potestate nostra, & quodammodo possibile est nobis, & hoc est habere gratiam: quia si fecerimus quod in nobis est, Deus ineuitabiliter dabit nobis gratiam: & hoc ratione antecedentis potest esse in præcepto: & hoc secundum opinionem eorum qui dicunt, quòd forma operis est in præcepto, & non tantum operis substantia. De hoc inuenies multa ante finem tertij huius operis.

Ad aliud dicendum, quòd licèt æqualiter præcipiatur iusto & peccatori: iusto, inquam, qui aliquid habet confiteri: non tamen intenditur, quòd peccator remanens peccator faciat, sed potius iustificatus per confessionem. Si tamen facit peccator existens, valet ei quantum ad ea quæ sunt confessionis ex parte audientis confessionem, vt dictum est: & etiam ad quædam alia, licet non ad meritum vitæ æternæ.

Ad aliud dicendum, quòd in corporalibus actionibus grauibus etiam distinctio habet locum: talia enim præcipuè habent duo, scilicet, actionem & passionem: similis enim actio est exercitium ipsum dandi vel peregrinandi: & hoc attenditur secundum radicem ex qua procedit: & si illa est gratia, opus est meritorium. Si autem est bona de genere bonorum, est ipsum opus de genere bonorum: tamen non facit opus meritorium, sed valet ad vicinandum se gratiæ. Passio autem est effectus actionis, & hanc magis intendit confessor iniungens pœnas excidentes petulantiam peccatorum, ex qua lasciuiens peccauit: sicut pœna damni efficitur à datione eleemosynæ, & hæc pœna manet in eo qui dedit, etiam postquam datio præteriuit: & pœna debilitatis membrorum manet apud peregrinantem, etiam postquam peregrinatio præteriuit. Vnde sicut diximus, quod passiones martyrum dupliciter considerantur, scilicet, inquantum est passio tantum, & inquantum est voluntas martyrum circa illam: & primo quidem modo non meretur, secundo autem modo meretur: ita videtur dicendum, quòd hæc pœna manens dupliciter consideratur, scilicet inquantum est pœna manens, & nihil valet ad meritum, licet valeat ad petulantiæ domationem: & inquantum est voluntas circa eam: & si illa habet gratiam post factum etiam, eo quod pœna manens potest habere voluntatem circa se quæ sequitur opus, tunc dico, quòd illa pœna manens sic informata, incipit valere ad vitam æternam; eo quod placet ei damnificatum esse propter Deum, & debilitatum in honore Dei. Sic autem pœnosa non est confessio, quo ad pœnam manentem post actum confessionis: & ideo non est simile. Concedo tamen, quòd ex parte audientis valet ad absolutionem debiti confitendi, & ad alia quæ supra dicta sunt.

Ad aliud dicendum, quòd non est omnino simile de baptismo, confirmatione, ordine, & pœnitentia: quia in illis imprimitur character qui manet, & gratia cuius operari incipit sacramentum recedente fictione: sed in pœnitentia nullus omnino character imprimitur spiritualis: & tunc non operatur ipsa præcedēs operatio vt operatio fuit, quia nec intus nec extra mansit: tamen ratione contritionis & pœnitentiæ nouæ datur gratia noua, & non tenetur confiteri ratione supra dicta.

Ad aliud dicendum, quòd licet nemo sciat se certitudinaliter habere charitatem: tamen hoc opinari potest ex signis, si displicet peccatum, & adest votum confitendi vel satisfaciendi, & peccatum perpetuè detestandi: & hoc sufficit nobis in hac vita, quia non potest amplius hic exigi à nobis, quàm possibile est nobis soluere. Et per hoc patet solutio ad omnia quæsita.

ARTICVLVS VII.

An sicut anima est vita corporis, ita Deus est vita animæ.

Deinde quæritur de hoc quòd dicitur *ibi* [Quæ vt est vita corporis, ita & eius vita Deus est &c.] Videtur enim hoc esse falsum: quia ipsa est vita corporis per naturam, quia est actus corporis potentia vitam habentis: huiusmodi autem est quodcumque organicum: Deus autem non est vita animæ nisi per gratiam: ergo nulla videtur esse similitudo.

2 Adhuc, vt dicit Philosophus, egrediente anima, expirat corpus & marcescit: sed recedente Deo ab anima, adhuc viuit anima: ergo videtur, quòd nulla hinc inde sit similitudo vitæ. Si fortè dicas, quòd omnia in nihilum caderent, nisi manus omnipotentis teneret, vt dicit Gregor. & ita recedente Deo ab anima, decideret in nihilum anima: sicut corpus decidit, anima recedente præsentialiter. Contra: Secundum hunc modum contentionis quo ipse essentialiter, præsentialiter, & potentialiter est in omnibus, non magis continet iusti animam, quam peccatoris: hic autem loquitur de morte qua moritur peccator: ergo patet, quòd illud nihil est ad propositum, & non est instantia. Præterea, Illo modo continendi non minus continet corpus quam animam, nec animatum

matum quam inanimatum, vel è conuerso:sed in litera non loquitur nisi de habente gratiam & non habente: ergo patet, quòd non est instantia ad obiectionem inductam.

Quæstiũcula. VLTERIVS quæritur, Vtrum vita qua Deus viuificat animam, conueniat ei secundum essentiam vel potentiam? Videtur, quod secundum essentiam: quia viuere viuentibus est esse: & esse est actus essentiæ potius quam potentiæ.

2 Adhuc, Vita animæ per prius est actus essentiæ corporis, quam organi corporalis. Probatio. Quicquid enim ad aliquid se habet vt actus primus, & ad aliquid vt actus secundus, per prius conuenit ei quod recipit ipsum, vt actum primũ, quam ei quod vt actum secundum ipsum recipit: anima autem ad corporis organici essentiam se habet vt actus primus, & ad organum vt actus secundus, quia mouet ipsum ad opera: ergo per prius conuenit corporis essentiæ quam organo. Sed si sic se habet Deus ad essentiam animæ & potentiam, sicut anima ad corporis essentiam & organum: ergo vita diuina per prius conuenit essentiæ animæ quam potentiæ.

Sed contra. SED CONTRA: Vita non dicitur nisi dupliciter, scilicet naturæ, & secundum bene esse:benè autem esse est secundum ordinem viuere, & hoc non est nisi secundum ordinem & distinctionem potentiarum: ergo viuere secundum benè esse,per prius conuenit potentiæ quam essentiæ:& tale est viuere Dei in gratia: ergo per prius conuenit potentiæ quam essentiæ animæ.

2 Adhuc,Vita etiam dicit secundum bene esse in sensu, secundum quod dicitur vita voluptas: sed voluptas est secundum potentias prius, quam secundum essentiam: ergo in ratione similiter erit viuere secundum esse rationis prius secundum potentiam, quam secundum essentiam.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd non in omnibus est similitudo, sed in quibusdam: sicut scilicet in hoc, quòd sicut anima indeficiens principium est vitæ corporis quantum est de se: & si corpus non viuificatur indifferenter ab ipsa, quod hoc non est ex parte animæ, sed potius propter corruptionem ipsius corporis: ita & Deus indeficiens principium est vitæ animæ de se: & si anima non semper viuificatur, hoc accidit propter ipsius animæ corruptionem, & à fonte vitæ auersionem. Item in hoc est similitudo, quòd nulla vita est in corpore nisi ea quæ est continuus actus animæ in corpore, cuius esse est fieri continue ab ipsa anima,vt videtur etiam dici in libro de motu cordis: ita nulla vita gratiæ est in anima nisi per continuam præsentiam Dei inhabitantis in nobis per gratiam.Dissimilitudo tamen est in hoc,quòd Deus non vnitur animæ ad constitutionem alicuius tertij,sicut anima corpori vnitur. Et in hoc, quod Deus non est actus naturalis animæ, sicut anima corporis: & in plurimis aliis. Et per hoc patet solutio ad primum & secundum. Et bene concedendum est, quòd instantia inducta licet in se quandam veri apparentiam contineat, tamen non instat ad propositum.

Ad quæstiuncu-lam. AD ID quod vlterius quæritur, dicendum quòd viuere illud dupliciter dicitur,scilicet secundum obiectum vitæ quod est bonum in statu gratiæ & gloriæ, & secundum habitum vitæ: & obiectum quidem prius respicit potentiam, quia anima illius capax est per rationem & voluntatem: secundum habitum autem vitæ per prius est in anima secundum essentiam, & in potentia per consequens.

AD PRIMVM dicendum,quòd non est simile de vita naturæ,& vita gratiæ: quia vita naturæ est actus essentialis animæ, vita autem gratiæ per metaphoram,& accipitur secundum bene esse: & hoc est esse optime secundum bonum rationis, & ideo oportet esse per perceptionem illius quod viuificat secundum rationem & intellectum: & hæc perceptio est apprehensio boni quod est Deus,& affectio circa ipsum: hoc autem primo fit secundum potentiam, & per consequens secundum essentiam: & ideo non est simile quod pro simili inducitur.

AD ALIVD dicendum,quòd non eodem modo anima est actus corporis,& obiecti ratio actus potentiæ: quia anima est actus corporis dans sibi esse, quod est viuere in viuentibus tantum, vel sentire in sentientibus,& intelligere in intelligentibus: sed viuere hoc modo dictum,non est vitam exercere vel sensum vel intellectum, sed potius esse viuentis habere & esse sentientis, vel esse intellectiuum: sed quando obiecti ratio siue species dicitur actus potentiæ recipientis ipsum, intelligitur actus quidem inferens passionem alicui rei cui infert se, vt color oculo,& sonus auditui secundum actum facto, & sic de aliis.

ARTICVLVS VIII.

An in pœnitente confessio præcedit iustificationem?

DIc tu iniquitates, &c.] Ex hoc videtur,quòd dictæ iniquitates præcedunt iustificationem: sed ante iustificationem est homo in mortali peccato: igitur secundum hoc confessio semper fit adhuc existente confitente in peccato mortali. Contra: Homo iustificatur in contritione:& confessio sequitur contritionem: ergo sequitur iustificationem: ergo confessio est iustificati.

Solutio. RESPONSIO, quòd confessio operans in voto cum contritione operatur iustificationem: & hoc modo procedit eam necessario, non tempore, sed natura. Sed confessio in actu accepta non operatur aliter,nisi absoluendo à debito confessionis, quod iustitiæ est.

ARTICVLVS IX.

Quid sit iustificatio impij?

NOn potest quisquam iustificari à peccato, &c.] De iustificatione impij quæruntur hic nouem. Primo, Quid sit? Secundo,Quæ exiguntur ad impij iustificationem? Tertio de ordine illorum. Quarto, Vtrum sit naturalis vel miraculosa? Quinto, Cuius attributi sit effectus proprius? Sexto, Quid sit motiuum ad ipsam? Septimo, Vtrum sit opus iustitiæ, vel misericordiæ, vel vtriusque? Octauo, De comparatione ipsius ad dilectionem, & vocationem, & magnificationem. Nono de comparatione ipsius ad sanationem mentis & innouationem imaginis.

De primo Bernard. Iustificatio est reuelatio

diuini consilij. Gloss. autem Rom. 8. Iustificatio est remissio peccatorum, & consummatio bonorum operum. Quidam autem sic diffiniunt, Iustificatio est effectus iustitiæ generalis, qua de impio fit pius.

Contra primam diffinitionem sic obiicitur: Reuelatio diuini consilij non est nisi secundum intellectum in anima: iustificatio autem fit secundum omnem partem ipsius: ergo iustificatio non est reuelatio diuini consilij.

2 Item, Reuelatio diuini consilij fit in Prophetia, & facit donum Prophetiæ: donum autem Prophetiæ non necessario ponit in gratia gratum facientem: ergo nec reuelatio diuini consilij: sed iustificatio semper ponit hominem in statu gratiæ gratum facientis: ergo, &c.

3 Item, Reuelatio diuini consilij æqualiter fit bonis & malis: iustificatio autem non nisi bonis: ergo, &c. Probatio primæ. Reuelauit Deus consilium suum Nabuchonodosor Daniel. 2. Deus ostendit tibi rex, &c. Et Isa. reuelauit etiam multis aliis bonis.

4 Item, Videtur inconuenienter dicere reuelationem diuini consilij: quia iustificatio est effectus prædestinationis, quæ est de gratia in præsenti, & gloria in futuro, & non est effectus consilij quod est immobilis dispositio de futuris siue bonis siue malis: ergo potius deberet dici, Iustificatio est reuelatio diuinæ prædestinationis, quam diuini consilij.

Contra secundam sic obiicitur: Remissio enim peccatorum est effectus gratiæ, & iustitia differentem habet rationem à gratia: ergo iustificatio non bene diffinitur per remissionem peccati.

2 Præterea Prouerb. 10. dicitur, quòd multitudinem peccatorum operit charitas: ergo remissio peccatorum magis attribui debet charitati, quam iustificationi.

3 Item, Multitudo peccatorum dupliciter deleri potest, scilicet per illud quod contrariatur ei in genere, vel per illud quod contrariatur ei in specie. Culpæ autem in genere non contrariatur iustitia, sed gratia: ergo deletiuum eius in genere est gratia, non iustitia: sed in specie non opponitur ei virtus vna, sed multæ, quia alia fornicationi, alia auaritiæ, & sic de aliis: ergo deletiuum eius in specie non est vnum, sed multæ virtutes vel omnes: ergo hoc non est attribuendum iustitiæ.

4 Item, Cum virtutes theologicæ sint efficaciores quam cardinales, remissio peccatorum potius debet attribui virtuti thologicæ quam cardinali: sed iustitia est virtus cardinalis: ergo non debet attribui iustitiæ.

5 Similiter obiicitur de hoc quod dicitur iustificationem esse consummationem bonorum operum. Videtur enim hoc falsum: quia consummatio rei sequitur rem factam secundum ordinem naturæ & rationis: sed iustificatio præcedit opera bona ratione & natura: ergo iustificatio non est consummatio bonorum operum.

6 Item, Lex præcipit opera: ergo quod est consummatio legis, est consummatio operum: sed charitas est consummatio legis, vt habetur Rom. 13. & 1. Tim. 1. ergo charitas est consummatio operum.

Contra tertiam sic obiicitur: Dicit Philosophus 5. ethic. quòd iustitia generalis, idem est quod omnis virtus differens ratione: ergo si iustificatio est effectus iustitiæ generalis, iustificatio est effectus omnis virtutis: sed effectus virtutum sunt diuisi, sicut & ipsæ virtutes diuisæ sunt: ergo iustificatio non est vnum solum.

2 Item, In iustificatione infunduntur virtutes: & id quod infunditur in alio non est illud: ergo iustificatio non est omnis virtus, vel effectus omnis virtutis: & iustitia generalis est omnis virtus: ergo iustificatio non est effectus iustitiæ generalis.

3 Item, De impio facere pium, non est virtutis specialis nisi secundum quid, sed potius gratiæ in genere: ergo hoc non est iustitiæ.

Solutio. RESPONSIO, quòd prima non est diffinitio, sed potius, vt dicit Bernard. quoddam consequens iustificationem per accidens: consilium enim diuinum quod est immobilis dispositio futurorum, in quolibet suo effectu propalatur: quia nos non venimus in causam diuinam, nisi per effectum: vnde cum Deus disposuit alicui dare gratiam, hoc latet antequam fiat: cum autem innotescit per signum, tunc reuelatur, & hoc consequitur iustificationem per accidens, scilicet inquantum est diuini consilij nobis notus per signa: & ideo non est concedendum, quod sit diffinitio.

AD PRIMVM ergo dicimus, quòd duplex est reuelatio, scilicet per inspirationem veri occulti, per illuminationem intellectus, & per effectum: & prima fit secundum intellectum: secunda autem cuilibet rei conuenit manifestatæ per opus suum.

AD ALIVD dicendum, quòd in dono prophetiæ est reuelatio per inspirationem, & non ostensio diuinæ voluntatis siue beneplaciti per opus. Consilium enim hoc restringitur tantum ad ea de quibus est dispositio conferendi gratiam. Et per hoc patet solutio ad sequens.

AD ALIVD dicendum, quòd manifestatio ista qua homo sibi manifestatur, est tantum per effectum gratiæ, & hoc non conuenit nisi bonis.

AD ALIVD dicendum, quòd consilium sumitur hic pro diffinitione in notitia beneplaciti de danda gratia futura: hoc enim consilium & propalatur & reuelatur in iustificatione, quando gratia apponitur.

AD ID quod obiicitur de secunda, dicendum quòd describitur ibi iustificatio per proprium suum effectum: cum enim iustificatio dicit factum iustum vel iustificationem, si sumatur pro facto iusto, dicit terminum motus cuiusdam, qui est à peccato ad iustitiam generalem: & cum termini motus sint contrarij, iustitiæ generalis erit delere & remittere peccatum, sicut contrarij formalis: & ideo sic loquendo, remissio peccati proprius effectus erit iustitiæ. Si autem dicat ipsum fieri iustum vel iustificationem: tunc adhuc erit expulsio peccati, & inductio iustitiæ: sicut dealbatio est expulsio nigredinis, & inductio albedinis.

AD OBIECTVM autem contra, dicimus quòd nihil prohibet idem à diuersis considerari in diuersa ratione consideratum: peccatum enim tria facit in anima. Primo auertit à bono incommutabili, & secundo peruertit ordinem rectum virium adinuicem, & ad superius, & ad id quod iuxta est, & ad id quod infra est. Tertio etiam

corrumpit

corrumpit vires in comparatione ad opera specialia & particularia. Et ideo in motu iustificationis tria sunt quæ perficiunt animam : quorum primum est gratia contraria peccato auertenti & turbanti imaginem Dei. Secundum autem, iustitia generalis reordinans vires in statum rectum & debitum sibi adinuicem, vt ratio regat & aliæ regantur, & ad superius, & ad æquale, & ad inferius. Tertium est infusio omnis virtutis perficientis singulares potentias ad opera singularia.

Quæstiuncula. SED TVNC quæritur, Quare potius à medio statu quam ab vltimo vel primo denominatur motus iste ? scilicet, quare potius dicatur iustificatio, quam gratificatio, vel virtutum infusio, vel perfectio ?

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd gratia de se non dicit nisi gratitudinem ad Deum : sed in conuersione multo plus est, & ideo à gratia imperfectè denominaretur. Ab vltimo autem denominari non potest: quia hoc dicit perfectionem ad singulares actus, & iustificatio dicit statum rectitudinis in vniuersali.

AD ID ergo quòd secundo obiicitur, dicimus quòd charitas non operit multitudinem peccatorum, vt generale operimentum contrarium peccato formaliter, sed potius sicut forma meriti inquantum meritum : quia quantitas meriti secundum quantitatem attenditur charitatis.

AD ALIVD dicendum, vt prius patuit, quòd tres sunt peccati considerationes : & ideo ratio procedit à diminutione.

AD ALIVD dicimus, quòd virtutes theologicæ, non sunt generales : & ideo non potest eis attribui pro effectu rectitudo generalis.

AD ALIVD dicendum, quòd consummatio operum dicitur dupliciter, scilicet vel in causa, vel in effectu : in effectu quidem sequitur opera, & in causa præcedit. Et illa quæ est in causa, dicitur adhuc dupliciter, scilicet, vel in causa habituali, vel in causa efficienti. In causa quidem habituali perficit opera omnis virtus infusa, sed ex parte efficientis iustitia generalis est consummatio operum, quia consummat operantes vires ad superius, & ad se, & ad proximum, vt dictum est.

AD ALIVD dicendum, quòd charitas est consummatio operum, sicut motiuus habitus in terminatione proprij finis ad omnem actum mouet charitas: & propter bonum quod est finis eius: & sic ipsa non est terminus illius motus quo mouetur qui de impio fit pius ; sed iustitia generalis perficit, vt ponens vires animæ in statu recto & debito secundum naturam.

AD ALIVD dicendum, quòd iustitia multipliciter dicitur. Dicitur enim iustitia diuina & humana. De diuina nihil ad præsens. Humana autem dicitur tripliciter, scilicet genus, & generalis, & specialis. Genus autem est idem virtuti in genere : sed dicitur iustitia, inquantum concordat ordinationi legis, propter quod & Philosophus legalem eam vocat. Virtus autem inquantum perficit animam siue potentiam ad actum. Generalis autem est habitudo quædam, quæ dicit rectum statum virium, vt dictum est, ex gratia resultantem : & de ista intelligitur, quando dicitur, quòd iustificatio iustitiæ est effectus. Sed specialis est, quæ in commutationibus reddit vnicuique quod suum est. Et per hoc patet, quòd nihil est quod obiicitur de iustitia, quæ est genus: quia non idem est genus & generale. Et per hoc patet etiam solutio ad sequens : generalis enim iustitia potius est habitudo quædam ex gratia resultans, quàm sit habitus virtutis.

AD ALIVD dicendũ, quòd de impio fit pius tripliciter, vt in principio solutionis secundæ diffinitionis dictum est : hæc tamen, vt bene intelligantur, dependent à quæstionibus quas alibi de iustitia disputauimus.

ARTICVLVS X.

Quæ sint illa quatuor quæ requiruntur ad iustificationem impij ?

AD secundum sic proceditur : Dicitur ab omnibus, quòd quatuor exiguntur ad iustificationem impij, scilicet infusio gratiæ, motus liberi arbitrij in peccatum siue contritio, quod idem est, motus liberi arbitrij in Deum, & remissio peccati. Hæc autem notantur in Psalm.59. Commouisti terram : ecce primum. Et conturbasti eam : ecce contritio. Sana contritiones eius : ecce remissio peccati. Quia commota est : ecce motus liberi arbitrij in Deum.

Sed contra hoc obiicitur : quia dicit Bernard. Timore vocamur ad Deum, amore autem iustificamur : ergo duo præter dicta quatuor exiguntur scilicet timor, & amor.

2 Item, Prouerb.15. Per misericordiam & fidem purgantur peccata : ergo plura quam dicta sunt, exiguntur.

3 Item, Act.15. Fide purificans corda eorum : sed iustificatio non est aliud quam cordis à peccato depuratio ; ergo fides ad iustificationem exigitur.

4 Item videtur, quòd charitas exigatur : quia dicit Augustinus, quòd hæc sola est quæ diuidit inter filios regni & filios perditionis: sed filij regni sunt, qui sunt conformes imagini filij eius : sicut dicitur Rom.8. ergo, &c. Item, Luc.7. Dimissa sunt ei peccata multa : quoniam dilexit multum. Et ex hoc sequitur idem quod prius.

5 Item Chrysost. super Ioan. homilia 6. Recogitemus cum diligentia omnia quæ secundum anterius tempus facere præsumpsimus, & studeamus ea abstergere omnifariam: multas enim Deus nobis ad hoc aperuit vias. Dic enim tu (ait) peccata tua vt iustificeris Isa.43. Et rursus Psalm.37. Iniquitatem meam annuntiabo : & tu, &c. Nec enim parum nobis prodest ad diminuendam peccatorum nostrorum magnitudinem continua eorum accusatio & memoria. Est & hac manifestior via, vt nulli eorum qui in nos peccauerunt, memoriam malorum habeamus. Vis tertiam discere? audi Daniel.4. Peccata tua eleemosynis redime, &c. Est vtique & alia cum hoc orationum continuitas, & etiam insistere cum expectatione his quæ ad Deum sunt deprecationibus, quæ non paruam nobis afferunt consolationem. Similiter & ieiunium, quod cum proximi charitate extinguit vehementiam iræ Dei : ignem enim inflammatum extinguit aqua, & eleemosynæ expurgant peccata. Ex his verbis habetur, quòd quinque sunt quibus expellitur peccatum, & induitur iustitia: & nullum horum supra est numeratum : ergo diminuta est illa numeratio.

Sed videtur, quòd sint pauciora: quia infusio gratiæ aut per se sufficit ad iustificationem, aut non. Si sic: ergo nullum aliorum exigitur. Si non. Contra: Quia albedo sufficit per se ad albationem, & formæ spirituales perfectiores sunt quam corporales in operationibus: ergo multo magis gratia per se sufficit ad iustificationem.

2 Item, In corporalibus mutationibus non est alia mutatio subiecti, nisi expulsio vnius formæ & inductio alterius: & non oportet vt subiectum moueatur ad artificem vel ad colorem expellendum: ergo similiter in spirituali mutatione non exigitur nisi expulsio peccati & infusio gratiæ: & non oportet quòd liberum arbitrium moueatur in Deum, vel in peccatum: & sic duo sufficiunt.

ITEM quæritur de singulis eorum quatuor: cum enim iustificatio denominetur à iustitia, potius debet dici quòd exigitur ibi infusio iustitiæ, quam gratiæ.

2 Præterea, Ille motus aut est intellectus tantum, aut intellectus simul & affectus, aut affectus tantum. Si intellectus. Contra: Virtus magis est ex parte affectus, quam intellectus: & virtus maxime operatur ad iustificationem: ergo motus ille maxime debet esse ex parte affectus.

3 Præterea, Motus liberi arbitrij in Deum est meritorius & gratia informatus, aut non. Si sic: omnis talis motus est consequens iustificationem & gratiam: ergo ille iustificationem consequitur: sed quod essentialiter sequitur ad aliud, non exigitur ad ipsum vt causa: ergo motus liberi arbitrij in Deum non exigitur vt causa ad iustificationem: ergo male ponitur inter iustificantia.

4 Item, Motus intellectus in Deum communis est iustificatis & non iustificatis: ergo non proprie exigitur vt enumeretur inter ea quæ iustificant impium.

5 Item, Quæritur de remissione peccati: quia hæc idem videtur esse cum infusione gratiæ: quia, sicut vult Philosophus, generatio vnius est corruptio alterius.

6 Similiter obiicitur de motu liberi arbitrij in peccatum. Hic enim motus est recognitionis peccati: & hic motus communis est omnibus bonis & malis.

7 Præterea, Est vnum argumentum commune supradictæ diuisioni & isti membro: quia in quodcunque mouetur liberum arbitrium, ipsum potest in illud: si ergo liberum arbitrium siue per intellectum siue per affectum siue per vtrumque mouetur in Deum & in peccatum, tunc ipsum ex se potest in Deum & in peccatum, quod falsum est: ergo hæc non exiguntur ad iustificationem impij.

Sed contra hæc omnia membra simul obiicitur: ille enim motus liberi arbitrij in Deum & in peccatum, aut est gratum faciens, aut naturalis tantum. Si primo modo: ergo consequitur iustificationem, sicut motus gratum faciens consequitur iustificationem operantis: quia dicit Augustinus, quòd non operamur ius vt iusti simus: sed potius iustitiam accipimus à Deo, vt operemur. Si autem est liberi arbitrij motus naturalis, cum tali non debeatur aliqua iustificatio, videtur incongrue poni inter iustificantia.

SOLVTIO. Dicendum, quòd hæc quatuor exiguntur ad impij iustificationem. Duo sunt facientia iustificationem: vnum quod est vt agens per habitum quem creando dat in corde contrarium peccato, & hoc est Deus: & alterum quod est vt disponens & præparans subiectum, & obediens operanti primo quod est Deus. Et ita dico, quòd penes operans per habitum quem creando dat, duo accipiuntur: vnum scilicet penes terminum ad quem est motus iustificationis, & hoc modo est infusio gratiæ: alterum autem penes terminum à quo, quod est remissio peccati. Penes autem dispositiones duo accipiuntur: vnum penes terminum à quo, & hoc est motus liberi arbitrij in peccatum detestando & expellendo ipsum: alterum autem penes terminum ad quem, gratiam recipiendo & amplectendo, & hoc est motus liberi arbitrij in Deum. Si autem quæritur, quare exiguntur hæc duo mouentia? Dico, quòd vt dicit Augustinus, Qui creauit te sine te, non iustificabit te sine te: sed te iustificabit tecum. Sicut enim in subiecto in quo per gluten aliqua tenetur nigredo, impossibile est induci albedinem, nisi soluatur gluten illud: ita impossibile est in anima induci gratiam, nisi soluatur mala voluntas tenens peccatum: & hæc non soluitur nisi moueatur in peccatum & in Deum: & hæc est causa quare antiqui Doctores hæc quatuor in iustificatione impij esse posuerunt. Solutio.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd quædam sunt præcedentia iustificationem tanquam inclinantia ad illam vt causæ: & illa tangit Bern. Sed Magistri non tangunt nisi ea in quibus perficitur ipse motus iustificationis.

AD ALIVD de Prouerbiis dicendum, quòd illa delent peccatum per modum meriti, & non solum peccatum in culpa, sed etiam in pœna sibi debita.

AD ALIVD dicendum, quòd illud de Act. intelligitur de purificatione phantasiarum ab intellectu. Vel potest dici, quòd motus fidei comprehenditur sub motu liberi arbitrij in Deum: & similiter motus amoris quem ponit Bernard. & motus timoris casti comprehenditur sub motu liberi arbitrij in peccatum. Et hoc qualiter sit, infra patebit.

AD ALIVD dicendum, quòd charitas non requiritur expressa, sed tantum amor suppositus in motu liberi arbitrij in Deum. Et quod dicitur quod charitas remittit peccata, intelligitur per modum meriti, & non per modum de essentia motus iustificationis.

AD ALIVD dicendum, quòd Chrysost. loquitur de dimittentibus peccata in pœna per modum satisfactionis, & non de remissione culpæ tantum: & hæc quidem multa sunt, sed illa quæ hic enumerat, principalia sunt.

AD ID autem quod obiicitur in contrarium, dicendum quòd suo modo sufficit infusio gratiæ, sicut forma in natura: illa enim per se sufficit ad materiam perficiendam, sed non vt motus sit: quia plura sunt principia motus, quam entis compositi: vnde sicut ibi exiguntur dispositiones præparantes materiam, & priuatio & forma ad hoc quod sit mutatio ad formam: & hæc non causant imperfectionem formæ, sed potius sunt propter imperfectionem materiæ quæ perficitur à forma: ita & hic. Vnde gratia infusa perfectissima est ad

perficiendum

perficiendum liberum arbitrium & totam animã: quando tamen anima est sub peccato tanquam sub priuatione gratiæ, ipsa est imperfecta: & ideo oportet quærere dispositiones facientes peccatum solubile, & gratiam depellentem priuationem: & ideo sicut in motu naturæ, ita & in motu gratiæ plura exiguntur. Et quod obiicitur, intelligitur de perfectione formæ in perficiendo materiam, & non de perfectione eius in principiando mutationem: quia plura necessaria sunt ad mutationem, quam ad entis compositionem, vt dictum est, tam in corporalibus, quam in spiritualibus.

Ad aliud dicendum, quòd in mutationibus corporalibus oportet esse dispositiones, quæ solubiles faciunt priuationes à materia siue formas contrarias, in quibus supponitur priuatio formæ inducendæ: sicut patet in aere qui dicitur fieri ignis: oportet enim arefacere humidum quod tenet aerem, antequam depellatur aeritas, & induatur igneitas. Et similiter est hic, quòd volutas auersa à Deo, & diligens peccatum, est sibi dispositio tenens peccatum in anima & impediens gratiæ inductionem. Sed voluntas mota in Deum & contra peccatum, est sibi dispositio inclinans ad peccati expulsionem, & introductionem iustitiæ & gratiæ.

Ad aliud dicendum, quòd sicut diximus in præcedenti quæstione, infusio gratiæ primum est, quam consequitur rectitudo virium & perfectio ad opera: & cum hic enumerantur tantum principia essentialia iustificationis, non tangitur hic nisi gratiæ infusio, & non collatio iustitiæ vel virtutum: quia ex infusione gratiæ ista duo resultant, sicut riuus ex fonte, & effectus ex causa. Et hæc imaginatio est secundum quod lumen stellæ est in se, & in sua imagine: & deinde in dilatatione eius in stellæ corpore: & tertio secundum euntis luminis diuaricationem in radiis. Ita est gratia in se, & quasi dilatata in generali rectitudine virium: & tertio diuaricata in perfectionibus singularum virium ad opera per virtutes singulas & speciales.

Ad aliud dicendum, quòd motus liberi arbitrij dicit ibi motum compositum, siue sit in Deum, siue in peccatum: sunt enim quidam motus animæ simplices, qui sunt virtutis vnius secundum se, & vnius potentiæ animæ in comparatione ad vnum obiectum speciale, sicut est intelligere, diligere, vel credere: quidam autem sunt compositi, qui non sunt virtutis vnius potentiæ secundum se, sed potius vnius secundum quod consequenter se habet ad aliam, cuius actus aliquo modo manet in illa, sicut frui, & vti: & de hoc habetur in primo lib. dist. 1. Et ita dico hic, quòd motus iste in Deum & in peccatum, compositus est, & est affectus secundum quod consequitur ex intellectu per fidem illuminato, & per timorem casum fugientem & amorem spe eleuantia affectum: & ideo motus in Deum est motus affectionis timentis & amantis, qui supponit fidem ex intellectu præcedenti ostendenti quicquid timendum & amandum & sperandum sit. Similiter motus liberi arbitrij in peccatum est ex intellectu illuminante motus affectus conterentis & destruentis peccatum per dolorem compunctionis: sic vt mouens in eis immediatum siue proximum est affectus, sed principium ostendens est intellectus, sicut & in frui & vti.

Ad hoc autem quod quæritur, Vtrum sit gratia informatus? dicimus quòd sic. Et quod obiicitur, quòd ille sequitur iustificationem, non valet: quia sicut patet in sequenti articulo, omnia ista quatuor simul sunt quidem tempore, sed non natura: vnde sequitur, quòd licet natura sequatur gratiæ infusionem, tamen iustificatio sequitur ipsum: quia iustificatio est sicut in quo est quies motus illius: & ille motus est liberi arbitrij sic soluens vel solubile reddens contrarium ex parte subiecti.

Ad id quod obiicitur de remissione peccati, dicimus quòd licet vnum sequatur ad alterum, non tamen vnum est alterum. Et quod dicitur, quòd generatio vnius est corruptio alterius, intelligitur per causam, & non per essentiam.

Ad aliud dicendum, quòd motus compositus de quo supra dictum est, non est communis bonis & malis, sed motus cognitionis peccati tantũ: & talem non dicimus illum motũ esse.

Ad aliud dicimus, quòd liberum arbitrium solum non mouet motum illum, sed potius vi gratiæ mouentis: & ideo non sequitur illa obiectio.

Ad id quod quæritur, Vtrum sit naturalis vel gratum faciens? patet solutio per prædicta: quia est gratum faciens: & tamen natura præcedit iustificationem, licet non præcedat gratiæ infusionem.

ARTICVLVS XI.

Quis sit ordo eorum quæ requiruntur ad iustificationem impij?

TErtio quæritur de ordine illorum quatuor. Et videtur, quòd ista non sint simul: quia dicit Boetius, quòd prius extirpanda sunt vitia, quam inserantur virtutes: ergo remissio peccati præcedit infusionem gratiæ.

2 Item, In omni mutatione naturæ necesse est amouere priuationem, antequam inducatur forma: sed peccatum est in anima vt priuatio: ergo prius necessarium est ipsum amouere, antequam gratia inducatur quæ est sicut forma: ergo remissio peccati præcedit gratiæ infusionem.

3 Adhuc, Si anima desinit habere peccatum in iustificatione impij, aliquod est instans in quo vltimo habebit: sit ergo illud a: & si ipsa incipit habere gratiam, aliquod instans erit in quo primo habebit: & sit illud b. Aut ergo b & a sunt idem instans, aut diuersa. Si idem: sed simul sunt tempore quæ sunt in eodem instanti temporis: ergo peccatum & gratia sunt in anima simul tempore: ergo contraria & opposita priuatiue sunt simul actu in eodem, quod est absurdum: & homo est simul dignus vita æterna & morte æterna, & simul habitatio Dei & diaboli: & multa talia inconuenientia sequuntur: ergo a & b non possunt esse idem instans. Si autem sint diuersa. Contra: Dicit Philosophus, quòd inter quælibet duo instantia est tempus medium: ergo inter a & b est medium: sed a est vltimum in quo anima est est in peccato: ergo post illud non est in peccato. Item b est principium in quo anima est in gratia: ergo ante illud non est in gratia. Tempus autem quod est inter duo instantia medium, est post a, &

ante

ante b. Ergo in toto illo medio tempore anima non est in gratia, nec in peccato. Cum ergo tunc sit homo mortalis, si tunc moreretur, nec descenderet ad infernum, nec ascenderet ad regnum.

4 Vlterius videtur hoc esse falsum, quòd simul cum his duobus sint motus liberi arbitrij in Deum, & motus liberi arbitrij in peccatum: sicut enim ex præcedenti articulo quæstionis habitum est, illi motus sunt meritorij: ergo ante motus illos exigitur, quod habeat gratiam. Inde procedo sic: In natura prius est motus ad esse quod est actus formæ alicuius, quam operatio compositi existentis in forma illa: ergo sic est etiam in spiritualibus: ergo prius tempore est infusio gratiæ, quam motus liberi arbitrij in Deum, vel quam in peccatum.

5 Item, Actus secundus pendet ex primo, & præsupponit illum: sicut considerare præsupponit scire: & incidere præsupponit figuram artis quæ est species entis: ergo actum primum necesse est præcedere secundum: sed habitus gratiæ ad moueri secundum habitum illum opere meritorio, se habet sicut actus primus ad secundum: ergo infusio gratiæ tempore præcedere videtur motum in Deum.

6 Vlterius videtur, quòd nec moueri in Deum & moueri in peccatum sint simul: quia vnius potentiæ non possunt esse motus ad diuersa obiecta simul: ergo non sunt simul: sed ibi sunt vnius potentiæ motus ad diuersa obiecta: ergo non sunt simul. Probatio primæ est: quia potentia est simplex & se tota agit, & tota non potest simul esse conuersa ad diuersa. Probatio autem secundæ est: quia sunt motus liberi arbitrij in Deum, & in peccatum.

Solutio. Solvtio. Dicendum, quòd hæc quatuor sunt simul tempore, sed non natura: secundum autem prius & posterius natura diuersimode ordinantur, eo quod natura multipliciter dicitur: sicut enim vult Philosophus secundo physicorum, natura dicitur materia, forma, & via quæ est in natura, scilicet generatio. Et secundum illum modum quo natura dicitur forma, quia forma est finis efficientis, id quod propinquius est efficienti in iustificatione impij, prius est: secundum hoc ergo infusio gratiæ est primum. Quia autem esse gratiæ sequitur motus gratiæ, scilicet actus ipsius, ideo motus liberi arbitrij in Deum est secundum: & motus liberi arbitrij in peccatum destruendum est tertium, quia ad destructionem peccati operatur dissensus peccati ne obex ponatur Spiritui sancto. Quartum autem & vltimum est remissio peccati. Si vero incipiamus à natura quæ est subiectum & materia: tunc cum illud subiectum primo auertatur à peccato, & secundo conuertatur ad Deum, & tertio adiutorium gratiæ accipiat, & quarto sequatur effectus adiutorij: erit primum in hac via motus liberi arbitrij in peccatum, & secundum in Deum, & tertium infusio gratiæ, & quartum remissio peccati. Et hoc patet de facili cogitanti, qualiter aliquis primo quærit recedere à peccato. Si autem nos incipiamus secundum quod natura dicitur via in natura, scilicet generatio, tunc cum in motu siue mutatione illa primo sit terminus à quo est motus, & secundo via ipsa, & tertio terminus ad quem est motus: erit primum natura remissio culpæ: secundum, motus liberi arbitrij in peccatum: & tertium, motus liberi arbitrij in Deum, qui sunt per modum viæ ad exeundum de peccato: quartum autem est infusio gratiæ. His autem habitis respondendum est ad obiecta.

Ad primvm quidem & secundum dicendum, quòd hæc procedunt secundum tertium modum naturæ: & sic concedenda sunt, vt pater in vltimo ordine.

Ad alivd dicendum, quòd sicut in secundo notauimus, tempus dicitur multipliciter: est enim quoddam tempus physicum, quod est mensura motus primi mobilis, per hoc quod est numerus ipsius secundum prius & posterius, quod est in ipso & in motu: & de hoc tradunt Physici, quòd omnis illius motus mensura est, qui vt ad causam reducitur ad motum primi mobilis: & hanc naturam facit moueri secundum alterationem, & augmentum, & diminutionem, & locum & generationem, & corruptionem. Et de hoc dicit beatus Dionysius, quòd tempus est quod cum generatione & corruptione metitur. Hoc autem tempus non est mensura motus nisi cum subiicitur mobile diuisibile, quod partim est in termino à quo, & partim in termino ad quem, quando mouetur, propter quod capit actum & potentiam, & prius & posterius, secundum quod motus diffinitur à Philosopho, quòd est actus existentis in in potentia secundum quod est in potentia: & ideo dicit, quòd est imperfectus actus, quia à mobili non tollit totam potentialitatem: forma autem est perfectus actus, eo quod non remanet materia amplius in potentia ad formam illam. Sed in mutationibus diuinis, quibus vel nihil subiicitur, vel non subiicitur eis quid diuisibile, non mensurat huiusmodi tempus: creationi enim nihil subiicitur: & tamen dicit Augustinus, & ponitur primo sententiarum distinct. 3. quòd tempus est coæuum creaturæ. Et ideo oportet distinguere tempus aliter dictum in motibus spiritualibus, vbi est motus de actu ad actum, potius quam de potentia: & cui nihil diuisibile subiicitur, & in quo formæ ipsæ non sunt remissibiles & intensibiles, & nihil intercipientes de contrario. Similiter non potest dici huiusmodi tempus mensurans: propter quod etiam Philosophus dicit in lib. de anima, quòd anima non mouetur aliquo modo. Dicendum ergo, si a est vltimum instans in quo est in peccato, quòd peccatum non inest ei tunc simpliciter, sed in exeundo & desinendo: gratia autem simpliciter inest: & ideo peccatum corrumpitur in b, & in b est gratia: nec hoc est inconueniens: quia Philosophus vult, quòd corruptio rei & mors cuiuslibet sit quidem in tempore, sed non esse vel vita: sicut fieri vel deficere est in tempore, sed non factum esse. Si enim ponatur, quòd peccatum insit in a, dicendum quòd in hac ratione temporis nihil prohibet instans esse post instans. Vnde dicit Augustinus, quòd Deus mouet creaturam spiritualem per tempus tantum, sed creaturam corporalem per tempus & locum. Et quod dicit Philosophus, quòd inter quælibet duo instantia est tempus medium, intelligitur de tempore primo modo dicto: quia ibi est partim in termino à quo, & partim in termino ad quem: & ideo in tali motu non est dare vltimum diuisibile in quo toto & solo fit motus, vel etiam primum in tali motu non est dare: sed in omnibus motibus spiritualibus dare contingit,

meo

meo iudicio. Et ideo quia nec vere motus sunt, sed potius vices quædam intellectuum & affectionum: nec tempus habent mensurans eiusdem rationis cum aliis motibus. De hoc tamen require supra dist. 11. & super primam secundi.

AD ALIVD & sequens est solutio vna secundum meum iudicium, scilicet quod si semper in actu sumuntur illa quatuor, tunc impossibile est simul esse omnia, sicut necessario probant illæ rationes. Si autem habitualiter sumatur, tunc nihil prohiber ea simul esse: & ita dixerunt antiqui. Sunt autem moderni qui dicunt non esse inconueniens simul accipere esse secundum actum primum, & agere secundum formam dantem illud esse in actu secundo: & ideo non est impossibile vnam numero potentiam facere diuersa simul non ordinata adinuicem, & moueri pluribus motibus simul, & nos posse intelligere plura simul, sicut & scire. Quibus non præiudicans hoc solum dico, quòd mirum mihi videtur, si aliquis hoc in se vnquam experiri potuit. Et si non probat experimentum, tunc mirum si aliquis intelligit. Per hoc ergo patet solutio ad totum.

ARTICVLVS XII.

An iustificatio impij est naturalis vel miraculosa?

QVarto quæritur, Vtrum iustificatio sit naturalis vel miraculosa? Videtur autem, quòd sit miraculosa: quia dicit Augustinus, quòd magis est de impio facere pium, quam creare cælum & terram: constat autem, quòd creatio cæli & terræ non est naturalis de natura inferiori aliqua: ergo nec iustificatio impij, & multo minus.

2 Adhuc, Naturale est illud ad quod mouet natura: sed ad id non mouet aliqua natura creata: ergo non est naturalis.

3 Adhuc, Quando Philosophus dicit de habitibus quibusdam, vtrum sint naturales, scilicet virtutes consuetudinales: ipse determinat, quòd secundum quid sunt naturales, & secundum quid non: quia innati sumus eas suscipere, perficere autem est ab assuefactione: constat autem, quòd si illud perficere assuefactionis non esset in nobis, ipse non dixisset, quòd aliquo modo erant naturales. Cum igitur gratiam perficere nullo modo sit in potestate nostra, videtur quòd iustificatio nullo modo sit naturalis.

4 Adhuc, Naturale dicitur vel causatum à natura, vel datum à natura, vel datum in natura: sed nullo istorum modorum gratia se habet ad naturam: ergo gratia iustificationis non est naturalis.

Sed contra. SED CONTRA: Miraculum, vt dicit Augustinus, aliquid arduum & insolitum est, præter spem & facultatem admirantis apparens: sed istud non euenit præter spem, quia speramus iustificationem: ergo ipsa non est miraculosa.

2 Adhuc, Miraculi euentus est ratus: quod patet, quia in diffinitione eius ponitur insolitum: sed iustificatio impij est frequens: ergo non est miraculosa.

3 Adhuc, Dicit Chrysost. quòd cursus miraculorum à sola Dei voluntate causatur: sed iustificatio impij non est à sola Dei voluntate: ergo iustificatio impij non est miraculosa. Probatur autem secunda ex dicto Augustini. Qui creauit te sine te, non iustificabit te sine te.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd vt dicunt Magistri, mirabilis est iustificatio impij. Et ponunt mirabile quasi medium inter naturale & miraculum. Naturale dico secundum quod naturale large accipitur, scilicet pro omni eo quod fit cursu naturæ inferioris, & prout includit voluntaria à voluntate causata. Dicunt enim, quòd in tribus quæ tacta sunt in tribus obiectionibus vltimis, deficit à miraculo: sed in aliis excedit cursum naturalium. Melius autem videtur dicendum, quòd miraculosa est iustificatio impij.

ET QVOD primo obiicitur, soluendum est per distinctionem spei: quia sicut dicit Gloss. Rom. 4. super illud, Qui contra spem in spem credidit. Duplex est spes, scilicet naturæ, & gratiæ. Vnde dicendum, quòd spes prout ponitur in diffinitione miraculi, est spes naturæ, & non spes gratiæ: & verum est, quòd miraculum euenit præter spem naturæ, licet non præter spem gratiæ.

AD ALIVD dicendum, quòd insolitum dicitur dupliciter, scilicet in causa, & in effectu: & quando insolitum ponitur in diffinitione miraculi, dicitur insolitum in causa, scilicet quod non habet statem causam & ordinatam, ex qua proueniat: quod patet ex hoc, quòd si omni die sæpius resurgerét mortui, nihilominus tamen resurrectio mortuorum esset miraculosa, propter causam nobis insolitam & supernaturalem. Respondendum ergo, quòd causa iustificationis est nobis insolita; & ideo miraculum est.

AD ALIVD dicendum, quòd non dicitur in diffinitione miraculi quod est præter facultatem, eo quod nullo modo ad ipsum concurrat nostra facultas: quia sic etiam partus Virginis non esset miraculosus, cum non sit factus sine Virgine consentiente: sed dicitur præter facultatem, eo quod sit non nobis operantibus. Et ita iustificat nos Deus non sine nobis consentientibus, sed sine nobis operantibus. Et per hoc patet solutio ad totum secundum istam viam, quam credo saniorem.

Tenendo aliam viam quæ Doctorum esse consueuit, dicendum ad primum, quòd dicitur dupliciter aliquid maius Deo siue in diuinis, scilicet quia maioris potentiæ est in substantia effectus, vel quia maioris potentiæ in modo efficiendi. Et cratio quidem cæli & terræ maioris potentiæ est in substantia effectus, quam iustificatio impij: sed iustificatio impij in modo efficiendi est maioris potentiæ: quia in creatione cæli & terræ nihil obuiat voci Creatoris, sed totum obedit: sed in iustificatione impij secundum aliquid resistit peccatum quod iniacet animæ, & iustificationi contrariatur. Alij dicere consueuerunt, quòd maius ibi notat Augustinus, quod maioris misericordiæ est indicatiuum: sed hæc solutio est rudis.

AD ALIVD dicendum, quòd bene conceditur, quòd non est naturalis, hoc est, sub potestate naturæ existens, sed super naturam.

AD ALIVD dicendum, quòd licet perficere non sit in nobis, sed in Deo: tamen natura nata est ad gratiam recipiendam, sicut ad finem & complementum.

plementum. Aliud enim est de perfectione hominis, aliud de perfectione naturarum : quia homo creatus ad imaginem Dei, capax est gratiæ quam non influit ei nisi Deus, & non est perfectibilis nisi à Deo ipso, sicut nec Angelus : vnumquodque enim suo superiori mouente, naturali quodam motu procedit ad perfectionem.

AD ALIVD dicendum, quòd si dicatur naturalis gratia iustificans, non dicetur aliter, nisi quia à summa natura quæ est Deus, nata est ipsam percipere creatura illa, quæ ex imitatione imaginis Dei est capax, & non aliter. Et bene puto, quòd Philosophi hunc modum naturæ ignorauerunt : quia per rationem philosophicam deprehendi non potest : sed potius pia mens viuacitate fidei suæ nititur eum apprehendere.

ARTICVLVS XIII.

Cuius attributi sit iustificatio impij?

QVinto quæritur, Cuius attributi sit proprius effectus? Videtur autem, quòd potentiæ, per auctoritatem prius inductam, scilicet quòd maius est de impio facere pium, quam creare cælum & terram : constat enim, quòd creatio cæli & terræ indicat potentiam : ergo & impij iustificatio.

2 Adhuc, Vincere resistens efficienti alicui, potentiæ est : sed iustificatione impij vincitur resistens peccatum : ergo est potentiæ.

3 Item, De nihilo aliquid adducere in esse, potentiæ est : sed in iustificatione impij de nihilo peccatorum deducitur impius in esse gratiæ : ergo est potentiæ. Probatio minoris. Dicit Augustinus, Peccatum nihil est, & nihil fiunt homines cum peccant.

4 Item, Per illud Psalm. 50. Cor mundum crea in me Deus : sed creatur, qui de nihilo educitur in esse.

Sed videtur, quòd sit sapientiæ : quia Iob 26. dicitur, Obstetricante manu eius est eductus coluber tortuosus : coluber autem educitur in iustificatione impij, & obstetricari est sapientiæ : ergo videtur, quòd iustificatio impij sit sapientiæ.

2 Item, Eccli. 4. Sapientia vitam filiis suis inspirauit : vita autem ista inspiratur in impij iustificatione : ergo videtur, quòd sit effectus sapientiæ.

3 Adhuc, Ad omnium impiorum iustificationem non missa est potentia Patris, vel bonitas Spiritus sancti, sed sapientia Filij : ergo videtur, quòd etiam iustificatio particularis sit effectus sapientiæ, non potentiæ, nec bonitatis proprie.

Sed contra hoc iterum videtur, quòd sit effectus bonitatis : quia dicitur Rom. 5. Iustificati gratis per gratiam ipsius : gratia autem est effectus bonitatis : ergo & iustificatio.

2 Adhuc, Rom. 2. Ignoras quoniam benignitas Dei ad pœnitentiam te adducit? sed in pœnitentia datur gratia iustificationis : ergo benignitas adducit ad gratiam iustificationis : ergo est effectus bonitatis.

3 Adhuc, Augustinus dicit in secundo de Trinitate, quòd Spiritus mittitur ad sanctificandum creaturam rationalem : & ponitur in primo distinct. 16. sed in iustificatione creatura rationalis sanctificatur : ergo videtur, quòd sanctificare sit in missione in Spiritus sancti : sed Spiritui sancto attribuitur bonitas : ergo est effectus bonitatis.

RESPONSIO. In veritate dicendum est, quòd iustificatio principalis est effectus bonitatis : sed tamen quia indiuisa sunt opera Trinitatis, aliud est ibi quod attribuitur potentiæ, & aliud quod sapientiæ, licet substantia operis sit attributum bonitatis, & per consequens Spiritus sancti. Quod enim esse fit ibi de nullo cum peccati contradictione aliqua, licet non sit ibi contradictio peccatorum, quia ille consentit ad gratiam recipiendam, & detestatur peccatum : in hoc est ostensio quædam potentiæ. Et penes illum modum procedunt tres rationes primæ. Et per hoc patet solutio ad illas. Si autem attendatur modus & ordo ipsius operis, quia scilicet fit conuenientissime & optime cum ordine tali, qui mouet ad gratiarum actionem, & pœnitentiam feruentiorem, & perseuerantiam in bonis, quæ præuidet Deus sic iustificando peccatorem : quantum ad hoc apparet in opere illo sapientia : & sic procedunt tres rationes sequentes. Substantia autem facti tota bona est in se, & bonitatis primæ vt causæ : & sic procedunt vltimæ tres. Et per hoc patet solutio omnium obiectorum. *Solutio.*

ARTICVLVS XIV.

An iustificatio impij sit effectus iustitiæ vel misericordiæ?

SExto quæritur, Vtrum sit effectus iustitiæ vel misericordiæ? Videtur, quòd iustitiæ : quia dicit Ambr. Præcedit quoddam in peccatoribus, quo digni sunt iustificatione : & in aliis quoddam, quo digni sunt obduratione. Ergo omnes qui iustificantur, digni sunt iustificatione : sed cum distribuuntur res prout dignum est, hoc est iustitiæ, vt dicit Tullius, & hoc etiam vult Aristot. in 5. ethic. ergo videtur quòd sit opus iustitiæ, & non misericordiæ.

Hæc verba sunt August. Lib. 83. quæst. q. 68. Et explanatur à Mag. In 1. dist. 41. lit. C. Et à beato Alb. ibidem.

2 Item, Omnis effectus quem melius est esse quam non esse, simpliciter habet exemplar in Deo : sed esse iustum melius est esse simpliciter, quam non esse : ergo exemplar habet in Deo. Probatur autem prima ex illo verbo Anselm. quòd Deo attribuitur quicquid melius est esse simpliciter, quam non esse. Secunda autem patet per se : quia melius est simpliciter esse iustum, quam non esse iustum. Inde proceditur sic : Deus bonum facit, quia bonus : ergo & capacem iustitiæ facit iustum, quia ipse iustus est : sed in impij iustificatione efficitur homo capax iustitiæ : ergo fit ab ipso inquantum est iustus : ergo est opus iustitiæ, non misericordiæ.

3 Item, Origenes dicit, quòd Deus est sapiens inquantum sapientiæ & scientiæ largitor : ergo à simili iustus inquantum iustitiæ largitor : ergo nostra iustitia est proprius effectus diuinæ iustitiæ : non ergo misericordiæ.

Sed contra : Misericordiæ est releuare miseriam : nulla autem miseria maior est quam illa quæ est peccati : ergo miseriam peccati releuare summæ misericordiæ est : sed hoc fit in iustificatione

tione impij: ergo iustificatio impij est misericordiæ opus, & non iustitiæ.

2 Item, In Psalm. 50. Et secundum multitudinem miserationum tuarum dele iniquitatem meam. Ergo deletio iniquitatis est effectus misericordiæ: sed deletio iniquitatis fit in iustificatione impij: ergo iustificatio impij est effectus misericordiæ.

3 Item, Dicit Augustinus, quòd peccator non est *dignus* pane quo vescitur: ergo non est iustum, quòd ei aliquid boni detur: sed gratia est optimum quod potest dari homini in hac vita: ergo non est dignus, quòd conferatur ei gratia: ergo cum datur ei gratia, non est opus iustitiæ sed misericordiæ.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd in omni opere Domini est misericordia, & veritas, id est, iustitia: sed istud opus principaliter est misericordiæ. Secundum enim quod iustitia dicitur quod decet Dei bonitatem, prout dicit Anselmus iustitiam dici: sic in opere iustificationis est iustitia. Prout autem dicitur, quòd iustitia est redditio pro meritis: sic non est ibi opus iustitiæ, si accipiantur merita in actu: merita autem in futuro, vel in scientia non possunt esse causa gratiæ præcedentis: & ideo nullo modo est ibi iustitia nisi prout iustitia est decentia diuinæ bonitatis. Vnde Anselm. in fine monolog. Cum punis malos, iustum est: quia conuenit eorum meritis. Cum vero parcis malis, iustum est: non quia illorum meritis, sed quia tuæ bonitati condecens est. Vnde argumenta vltimo facta concedenda esse videntur.

AD ID autem quod primo obiicitur, dicendum est, quòd duplex est iustitia, scilicet congrui, & condigni. De iustitia autem condigni nihil præcedit in peccatoribus quo digni sunt iustificatione: sed de iustitia congrui in quibusdam peccatoribus præcedunt opera de genere bonorum, quæ in quibusdam aliis peccatoribus non sunt: & ideo tantum digni sunt reprobatione, id est, reprobationis effectu, qui est obduratio in peccato. Et cum dicitur, quòd digni sunt iustificatione, sensus est, quòd magis congruenter vel minus incongruenter se habeant de iustificationem quam alij. Dixerunt tamen antiqui Doctores ad illam auctoritatem, quòd esset Ambr. adoperti, & falso libris beati Ambros. inscripta.

AD ALIVD dicendum, quòd iustitia facta in exemplo iustitiam Dei habet pro exemplari: sed aliud est causa exemplaris, & aliud est causa inclinans efficientem ad actum. Et causa quidem exemplaris iustitia est: sed causa inclinans auctorem ad hoc quod iustificet impium, misericordia diuina est. Per hoc etiam patet solutio ad sequens: quia vnam vim habent, nisi quòd vnum procedit per rationem, alterum per auctoritatem idem dicentem.

ARTICVLVS XV.

Quid sit motiuum ad iustificationem impij?

SEptimo quæritur, Quid sit motiuum ad ipsam? Videtur autem, quòd timor: quia dicitur Eccli. 10. Initium sapientiæ timor Domini: sed sapientia ibi dicitur sapor gratiæ in iustificante: ergo videtur, quòd timor initiat ipsam: sed hoc mouet ad iustificationem quod initiat eam: ergo, &c.

2 Item, Bernard. Experimento didici, quòd nihil adeo valet ad gratiam Dei acquirendam, recuperandam, & conseruandam, quam semper non altum sapere, sed timere: id autem quod acquirit & recuperat, inclinat & mouet ad iustificationem: ergo timor Dei actu mouet ad iustificationem.

Sed contra: Act. 15. dicitur, Fide purificans corda eorum: idem autem est purificare quod iustificare: ergo fides mouet ad iustificationem.

2 Item, Augustinus dicit, quòd iustificatio qua de impio fit pius, est fides ipsa: & ex hoc sequitur idem quod prius.

Contra hoc dicit Hugo de sancto Victore, quod amore iustificamur: ergo videtur, quòd amor moueat ad iustificationem.

Solutio. RESPONSIO, quòd iustificatio est quidam motus à peccato siue malo culpæ ad bonum gratiæ & rectitudinis: & ideo nihil prohibet diuersa esse mouentia, scilicet à malo ad bonum: à malo enim quod est terminus à quo iustificationis, mouet timor in affectu; ad bonum autem multipliciter contingit, scilicet quantum ad intellectum, & quoad hoc mouet fides; & quantum ad effectum, & sic mouet charitas: & sic sunt tria mouentia. Sciendum tamen, quòd si virtus aliqua moueat ad iustificationem, quòd hoc non est nisi quoad ordinem actuum: quia habitus omnes simul infunduntur: & hoc qualiter sit, dictum est supra in primo articulo huius quæstionis. Et notatum est multum de hoc in secundo, distinct. 27. Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICVLVS XVI.

Quomodo habeant se adinuicem dilectio, prædestinatio, vocatio, electio, iustificatio, & magnificatio?

OCtauo quæritur de comparatione iustificationis ad dilectionem, vocationem, & magnificationem, cum quibus coniungitur ad Roman. 8. Videtur autem, quòd vocatio sit media inter iustificationem & prædestinationem: quia Rom. 8. ita enumerat Apostolus, Quos autem prædestinauit, hos & vocauit: & quos vocauit, hos & iustificauit.

Quæstiuncula. SED TVNC quæritur, Vtrum vocatio dicat gratiam gratum facientem, vel gratis datam? Et videtur, quòd gratis datam: quia immediatum consequens prædestinationem, sicut effectus sequitur causam, est iustificatio: quia prædestinatio est præparatio gratiæ in præsenti, & gloriæ in futuro: ergo quicquid est ante hominis iustificationem, videtur esse hominis adhuc existentis in peccato: sed vocatio est ante, vt probatum est: ergo est hominis existentis in peccato: sed hominis existentis in peccato non est nisi gratia gratis data: ergo vocatio est gratis data.

2 Item, Non vocatur nisi distans: cum igitur in spiritualibus non sit distantia loci, sed dis-

similitudinis, vt dicit Augustinus super Euangelium de filio prodigo, videtur quòd vocatio sit distantis per meritum: & ille est in peccato mortali: ergo vocatio dicit gratiam quæ peccato mortali conuenire potest: & illa est gratia gratis data, non gratum faciens: ergo vocatio non dicit gratiam gratum facientem.

3 Item, Quod conuenit bonis & malis, non potest esse gratiæ nisi gratis datæ: sed vocatio conuenit bonis & malis: ergo in genere gratiæ non dicit gratiam nisi gratis datam. Prima harum patet per se cuilibet fideli. Secunda autem patet per hoc quod dicitur Prouerbiorum primo de quibusdam, Vocaui,& renuistis: extendi manum meam,&c. vbi patet, quòd vocario conuenit malis. Matth. autem 4. dicitur de Petro & Andrea, quòd vocauit eos Iesus: & ibi conuenit bonis. Si forte tu dicas, sicut dicit Gloss. Rom.8. quòd duplex est vocario: interior,& exterior. Exterior est quæ est per prædicationem: & de illa non loquitur Apostolus. Interior autem est cognitionem de fide a diuuare, vel compungere eum quem sciat audire. Et quod de exteriori non loquitur Apostolus, patet: quia hæc & bonorum & malorum est: interior autem est bonorum tantum, & de illa loquitur Apostolus. Contra: Cognitio fidei quæ adiuuatur, aut est fidei formatæ, aut informis. Si formatæ. Contra: Fides formata non est formata nisi per gratiam & charitatem: sed formatum ex aliquo conueniens est ad id ex quo formatur: ergo fides hæc sequitur gratiam & charitatem: ergo non præcedit iustificationem. Et hoc est contra enumerationem Apostoli, qui vocationem enumerat ante iustificationem. Si autem est cognitio fidei informis. Contra: Hæc est & bonorum & malorum: ergo non est nisi gratia gratis data, vt prius probatum: & ita potest esse hominis existentis in peccato mortali.

Quæstiũcula 2. VLTERIVS quæritur, Quæ est differentia istorum ad electionem, de qua facit Glossa mentionem dicens, quòd vocatio tantum electorum est? Videtur autem, quòd hoc sit falsum. Electio enim non est nisi habentium gratiam finalem: vocatio tantum electorum est: ergo vocatio non est nisi habentium gratiam finalem. Et quos vocauit, hos & iustificauit, vt dicit textus: ergo non iustificauit nisi homines gratiam finalem habentes, quod aperte falsum est, cum multi sint iusti secundum iustitiam præsentem,qui non sunt iusti secundum gratiam finalem.

Quæstiũcula 3. QVÆRITVR etiam de magnificatione quam ibi ponit Apostolus in illo ordine. Videtur enim non differre à iustificatione: quia dicit Gloss. quòd magnificauit omni genere virtutum: omne autem genus virtutum datur in iustificatione: ergo in ipsa iustificatione magnificauit.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd ista secundum ordinem se consequuntur, dilectio, prædestinatio, electio, vocatio, iustificatio, magnificatio. Et prima quidem tria nihil ponunt in homine, sed in Deo, qui est auctor gratiæ iustificantis, ponunt tamen aliquid respectu hominis: sed alia tria ponunt in homine iustificato gratiam secundum diuersas considerationes: in Deo enim est aliquid inclinans voluntatem ad dandum gratiam, & hoc est dilectio, & est primum quod conuenit bonis tantum, quia præuisio est respectu bonorum & malorum. Consequitur autem voluntatem inclinatam præparatio eius quod dabitur in gratia & gloria, & hoc dicit prædestinatio secundum suum nomen. Ex donatione autem consequitur distinctio eius cui dandum, ab eo cui non est dandum, & hæc est separatio à massa perditorum & hoc dicit electio. In effectu autem donationis, qui est circa hominem, est motus à malo ad bonum & ad perfectionem in illo. Et penes terminum à quo, est vocatio, quia non vocatur nisi distans: sed penes terminum ad quem, est iustificatio: & penes perfectionem in illo, est magnificatio. Et hæc expresse colliguntur Roman.8. ex textu & Glossa: & patet eorum differentia, & erit clarior in responsione.

AD OBIECTA ergo dicendum, quòd vocatio secundum substantiam dicit eandem gratiam quam & iustificatio, sed sub alia ratione, scilicet secundum quod auertit à malo. Et quia hoc in motu animæ eius qui iustificatur, prius est, ideo media ponitur inter prædestinationem & iustificationem: cum non sit ante iustificationem tempore, sed natura, secundum quod natura dicitur via in naturam, quæ est & generatio.

AD ALIVD dicendum, quòd distans dicitur dupliciter, scilicet distans per voluntatem obstinatam, & hic non vocatur interiori vocatione quæ tantum electorum est. Et dicitur distans per vicinitatem peccati, scilicet qui iam fugit, & est in fugiendo propinquior peccato: & huic conuenit interior vocatio: sed iste non est in peccato mortali, sed potius in gratia: sed est in ea secundum detestationem & fugam peccati.

AD ALIVD dicendum, quòd est vocatio exterior, quæ conuenit bonis & malis: sed interior conuenit bonis tantum: quia homo in illa vocatur practice, quando trahitur per gratiam à peccato. Et concedenda est sequens distinctio. Ad improbationem autem dicendum, quòd Glossa illa loquitur de fide formata. Et hæc iuuatur, quando id quod est formale in fide, iuuatur,& hoc est attritionis cum trahendo iuuat vt fiat quod dictat cognitio, secundum Psalm. dicentem: Intellectus bonus omnibus facientibus eum. Ad obiectum autem contra, dicendum quòd fides dupliciter consideratur, scilicet in actu, & in habitu. Et in actu adhuc dupliciter, scilicet in actu tendente in Deum per meritum, & in actu quasi ostendente Deum: de quo dicit Augustinus quòd fides primo oculos aperit: & Apostolus Hebr.11. Accedentem ad Deum, prius oportet credere, quia est, & quia inquirentibus se remunerator sit. Si igitur consideratur in hoc actu vltimo: tunc ipsa præcedit iustificationem, non tempore, sed natura: quia sic est inclinans in illam ex parte eius qui iustificatur, secundum illud Act.15. Fide purificans corda eorum. Si autem consideretur vt tendens in Deum propter Deum, prout est actus volens obtinere vitam æternam, sic est iustificationem consequens secundum tempus. Si vero consideretur in habitu: sic simul infunduntur in ipsa iustificatione.

AD HOC quod vlterius quæritur de electione, iam patet ex solutione quæstionis, scilicet quæ sit differentia. Ad obiectum autem dicendum, quòd secundum Glossam in veritate vocatio non est nisi electorum, qui habituri sunt gratiam finalem: sed non sequitur, quòd iustificatio sit tantum illorum: quia licet in ordine iustificatio

semper

ſemper ſequatur vocationem in electis, non tamen oportet, quòd in omnibus ſit iuſtificatio ordinata ad interiorem vocationem. Et eſt inſtantia, poſito quòd quatuor homines non dealbentur niſi ſint ſcientes, alij ſine ſcientia poſſunt dealbari, vere poteſt dici, quòd qui ſcientes ſunt dealbantur: non tamen ſequitur, quòd nulli dealbantur niſi ſint ſcientes. Et eſt peccatum ſecundum locum ſophiſticum conſequentis.

Ad hoc autem quod vlterius de magnificatione quæritur, dicendum quòd ordo virtutum dupliciter conſideratur, ſcilicet in ſe, & in efficacia operis. In ſe non eſt magnificatio, & ſic datur in iuſtificatione. In efficacia autem operis exigitur quantitas virtualis: & vocatur magnificatio à Gloſſa: tamen alia Gloſſ exponit hoc de magnificentia præmij in pœnitentia.

ARTICVLVS XVII.

Quid ſit ſanatio mentis?

NOno & vltimo quæritur de operatione iuſtificationis ad ſanationem mentis, & innouationem imaginis. Oportet autem hic ſeptem quærere. Primo quæremus, Quid ſit ſanatio mentis? Secundo, Quid ſit renouatio imaginis? Tertio, Vtrum hæc duo habeant differentiam, an non? Quarto, Vtrum fiant per gratiam præuenientem vel ſubſequentem? Quinto, Vtrum fiant per gratiam ſacramenti vel virtutum vel donorum? Sexto, Vtrum ſubito fiant, vel ſucceſſiue? Septimo, In quo differant à iuſtificatione?

Ad primum horum obiicitur ſic: Ioſue 5. ſuper illud, Poſtquam autem omnes circunciſi ſunt, manſerunt in eodem loco: in Gloſſa quæ ſic incipit, Circunciſi vero filij Iſraël requieuerunt in eodem loco, &c. In hoc ergo tempore velut in dolore circunciſionis noſtræ, dicimur reſidere, vſquequo cicatrice obducta ſanemur, id eſt, noua inſtituta abſque difficultate impleamus, & in vſum vertatur, quod prius erat inſolitum atque difficile videbatur: & tunc merito dicetur nobis, Hodie abſtuli opprobrium Ægypti à vobis. Ex hoc colligitur, quòd ſanatio mentis eſt perfecta obductio vulneris, quod inflictum eſt ex peccato. Videtur autem ſecundum hoc quod mens nunquam poſſet conſequi ſanitatem: quia vulnus non obducitur in hac vita: ergo ſanitas non conſequetur. Quod autem vulnus non obducatur, dicit Gloſſ. ſuper Pſalm. Qui ſanat omnes infirmitates tuas, ſic, Nunc fouendo blandis, nunc ſecando aſperis ſanat: omnipotenti enim medico nullus inſanabilis languor occurrit. Maxime autem in fine ſanabit languores, quando corporale hoc induet incorruptionem.

2 Item conſtat, quòd in hac vita nunquam falſificabitur illud quod dicitur 1. Ioan. 1. Si dixerimus, quia peccatum non habemus, ipſi nos ſeducimus, & veritas in nobis non eſt: & illud, In multis offendimus omnes. Vulnus ergo manet ſemper in hac vita: ſed peccatum in ſe eſt infirmitas, & cauſa infirmitatis pœnæ: ergo videtur, quòd in hac vita nunquam deſinat infirmitas: ergo nunquam in hac vita conſequetur ſanitas.

3 Item, Extrema vnctio quæ eſt ſacramentum exeuntium, datur contra reliquias peccati infirmitatis: ergo vſque illud remanet peccati infirmitas: ſed poſt illud nihil remanet de vita: ergo videtur, quòd ſanitas nunquam habetur in hac vita.

SED CONTRA: Pſalm. Qui ſanat contritos corde: ergo contriti corde ſanantur: ſed multi in hac vita conteruntur: ergo multi in hac vita ſanantur. *Sed contra.* Pſ. 146.

2 Item, Hieronymus dicit, quòd nullum Dominus ſanauit in corpore, quem non prius ſanauit in mente: ſed multos ſanauit in hac vita in corpore: ergo multos ſanauit in hac vita in mente.

RESPONSIO. Dicendum, quòd duplex eſt infirmitas, & duplex eſt ſanitas: eſt enim infirmitas animæ, ſicut infirmitas corporis. Vnde ſicut in febre duo ſunt, ſcilicet cauſa febris, & eſſentialis ſubſtantia & forma ipſius: ſic eſt in anima. Cauſa enim febris eſt fumus puttefactæ materiæ à corde ſuccenſus: forma autem inæqualitas humorum in quibus & in membris quæ humoribus illis nutrita ſunt, habet formaliter eſſe febris. Similiter eſt in anima: cauſaliter quidem infirmitas eſt peccatum: formaliter autem eſt diſtemperatio virium animæ ad ſeipſas, & ad actus, & ad corpus quod regere habet. Cauſaliter autem infirmitas eſt duplex, ſcilicet mortalis, & venialis quæ vitam gratiæ non extinguit, ſed impedit feruorem. Dicendum ergo, quòd infirmitas cauſalis mortalis in hac vita ſanatur, & veniale ſecundum omne veniale hoc & illud demonſtratum, ſed non in vniuerſali quin ſit aliquod ſemper infinite. Sed proportio & contemperatio virium, eſt duplex, ſcilicet ad vitam meriti, & vitam felicitatis & beatitudinis. Et ſecundum primum modum fugatur infirmitas, & redit ſanitas in hac vita, ſed non ſecundum modum. Et per hoc patet ſolutio ad primum: quia Gloſſ. loquitur de perfecta curatione formali, non cauſali quæ eſt gratia, quæ erit in patria cum mortale hoc induerit immortalitatem, ſicut dicitur 1. Corinth. 15. *Solutio.*

AD ALIVD dicendum, quòd ſemper in hac vita erit infirmitas cauſalis: ſed illa non tollit ſanitatem, ſed diminuit delectationem aliquam ſanitatis: ſicut in corporali ſanitate diminuitur delectatio ſanitatis ex puſtula aliqua eleuata: non tamen tollitur ſanitas. Sicut enim dicit Philoſophus, non dicimus aliquem ex infirmitate ſanatum, niſi ſecundum totum, vel partem principalem ſit ſanatus, ſicut eſt caput, vel cor.

AD ALIVD dicendum, quòd reliquiæ non cauſant infirmitatem niſi ſecundum quid: & contra illam datur extrema vnctio, vt delibutus oleo exultationis tranſeat ad ſtatum felicitatis: quia quoad hunc ſtatum non ſanatur aliquis in hac vita.

Ad ſequentia patet ſolutio per prædicta.

ARTICVLVS XVIII.

An renouatio mentis fiat per virtutes, & per gratiam?

SEcundo quæritur de mentis renouatione. Dicit autem Gloſſa Rom. 6. ſuper illud, In nouitate vitæ ambulemus, quòd innouatio à iuſtificatione incipit, & in immortalitate perficitur: ergo

ergo videtur, quòd innouatio fiat per virtutes & gratiam: & ita non videtur totam pellere vetuſtatem.

2 Item, Hebr. 8. dicitur, Quod antiquatur & ſeneſcit, prope interitum eſt. Videtur igitur, quòd interitus effectus eſt vetuſtatis; ſed interitus vetus manet in nobis, dum viuimus: ergo & vetuſtas.

3 Item, Iob 16. Rugæ meæ teſtimonium dicunt contra me. Sed rugæ illæ manent, quia Iob ſanctus fuit. Ergo ſemper manet teſtimonium vetuſtatis: ergo vetuſtas in hac vita non tollitur, vt videtur.

Sed contra. SED CONTRA: Renouabitur vt aquilæ iuuentus tua. Ergo Sancti hic renouantur. Item Coloſſen. 3. Expoliantes vos veterem hominem cum actibus ſuis, induite vos nouum hominem, qui ſecundum Deum creatus eſt in iuſtitia & ſanctitate veritatis. Item 1. Corinth. 5. Expurgate vetus fermentum, vt ſitis noua aſperſio, ſicut eſtis azimi. Aſperſio autem noua non fit niſi per innouationem vitæ huius. Ergo innouatio poteſt fieri in hac vita.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum quòd eſt vetuſtas culpæ, & vetuſtas pœnæ: & renouatio à vetuſtate culpæ, id eſt, à culpa ex veteri culpa Adæ procedente, & vetuſtam animam reddente per defectum & corruptionem, fit per gratiam in hac vita. Sed vetuſtas ab omni pœna non perficitur niſi in alia vita, licet hic inchoetur. Et per hoc patet ſolutio ad omnia obiecta præterquam ad illud quod eſt de Iob inductum: & dicendum, quòd literaliter loquitur de vetuſtate pœnæ inquantum eſt indicatiua culpæ quæ eſt meritoria pœnæ: licet enim Iob non peccauerit, tamen videbatur peccaſſe ex tanto flagello quod ſuſtinuit. Allegorice tamen loquitur ibi Chriſtus in perſona membrorum: & quidem de membris ſuis, id eſt, de his qui per electionem ſunt membra, licet non adhuc adhæreant corpori per præſentem iuſtitiam, quia ſubiacent vetuſtati.

ARTICVLVS XIX.

An ſanitas mentis & renouatio imaginis ſint idem, vel differant?

TErtio quæritur de differentia horum. Et videtur nulla eſſe: quia ſi conſideretur cauſa vtriuſque, gratia eſt: & ſi conſideretur effectus vtriuſque, videtur eſſe reintegratio quædam virtutis animæ, quæ corrupta quodammodo fuit ex peccato: ergo nulla eſt differentia ſanationis & renouationis imaginis, vt videtur.

Sed contra. SED CONTRA: Sanitas attribuitur toti animæ, & renouatio imagini tantum: ergo non ſunt idem: formæ enim diuerſæ ſunt, quarum ſubiecta propria diuerſa ſunt.

2 Item, Omnes bene transferentes, ſecundum ſimilitudinem aliquam transferunt: ſed ea à quibus hæc ſimilitudo accipitur, non ſunt eadem: ergo nec ea ad quæ tranſlatio fit, eadem erunt. Probatio mediæ. Sanitas in corpore & iuuentus non ſunt eadem: ergo conſtat propoſitum.

Solutio. RESPONSIO, Dicendum, quòd ſanitas mentis & innouatio imaginis differunt ratione, ſed non ſubſtantia: ſanatio enim dicitur inquantum debilitatem & infirmitatē peccati depellit. Sed innouatio dicitur inquantum roborata virtute, depellitur vetuſtas antiqui peccati & effectus eius. Vnde innouatio dicit roboratam virtutem, quod non facit ſanatio. Et per hoc patet ſolutio ad primam partem obiectorum: quia concedimus, quòd ſubſtantialiter idem ſunt.

AD ID autem quod in contrarium obiicitur, dicendum quòd innouatio non attribuitur imagini, vt quæ ſit ſola ſubiectum ipſius, ſed vt ſubiecto in quo præcipue apparet actus eius: quia efficitur actu imitans exemplar, cum prius tantum potentia imitaretur, & haberet actualem auerſionem à ratione imitationis, quando fuit ſub peccato.

AD ALIVD dicendum, quòd iuuentus in corde duplex eſt, ſcilicet ex tempore, & effectu quem relinquit tempus circa ſubiectum: & ſecundum primum modum non eſt idem quod ſanitas, nec fundatur ſupra ſanitatem. Secundo autem modo, quia iuuentus eſt tempus augmenti in ſtatu exiſtentis in quo eſt vis corroborata, ratione illius fit tranſlatio: & ideo ſignificat corroboratam virtutem ad opera, & ideo fundatur ſupra ſpiritualem ſanitatem, ſecundum rationem aliquid addens ipſi, ſed ſubſtantialiter eſt eadem.

ARTICVLVS XX.

An ſanitas mentis fiat per gratiam præuenientem?

QVarto quæritur, Vtrum fiat per gratiam præuenientem, vel ſubſequentem? Aug. enim dicit in quinto de Trinitate. 15. Quis ſanat omnes infirmitates tuas, niſi qui propitiabitur omnibus iniquitatibus tuis? Quaſi diceret, nullus: ſed propitiatio iniquitatis eſt per gratiam præuenientem: ergo & ſanatio infirmitatis.

2 Item, In corporalibus non per aliam medicinam fit depulſio infirmitatis & ſanatio, ſed per eandem: ergo ſimiliter ſuo modo eſt in ſpiritualibus: ſed infirmitas ſpiritualis depellitur per gratiam præuenientem: ergo & anima ſanatur per eandem.

3 Item, Gratia præueniens non eſt impotentior, quam ſit forma aliqua corporalis vel naturalis: ſed forma naturalis dat eſſe materię, & purgat priuationem quæ erat in ipſa: ergo multo fortius hoc faciet gratia in anima: ſed priuatio eſt infirmitas peccati in anima: ergo gratia dat eſſe animæ, & etiam abſtergit infirmitatem.

Sed contra. SED CONTRA: Vulneris obductio eſt ſanitas, vt ſupra habitum eſt: vulnus autem non obducitur ſtatim totum habita gratia: ergo non fit ſanitas per gratiam præuenientem.

2 Item, Circunciſio ſignificabat peccati ablationem per gratiam: conſtat autem, quòd circunciſione facta, non ſtatim erat ſanus circunciſus: ergo videtur ſimiliter, quòd circunciſione ſpirituali facta per gratiam, non ſtatim reuerſa eſt ſanitas ſpiritualis.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd duplex eſt ſanitas, ſcilicet imperfecta quæ eſt in cauſa ſanitatis: & perfecta quæ eſt perfecta habituabilitate conſecuta ab bene operandum, purgatis reliquiis malæ conſuetudinis. Et prima quidem fit per gratiam

tiam præuenientem: sequens autem per gratiam subsequentem: & hæ gratiæ eædem sunt substantia, licet differant ratione: & hoc notatum est in secundo libro distinct. 21. Et per hoc patere potest cuilibet solutio ad vtranque partem obiectorum.

ARTICVLVS XXI.

An sanitas mentis fiat per gratiam sacramenti?

QVinto quæritur, Vtrum fiat per gratiam sacramenti, vel virtutum, vel donorum? Videtur autem, quòd per sacramenta. Eccli. 38. Vnguentarius conficiet vnctiones sanitatis: sed vnctiones illæ, vt dicunt Sancti, significant sacramenta: ergo fiet per gratiam sacramenti sanitas.

2 Item, In principio huius quarti inducit Magister id quod habetur Lucæ 10. quòd Samaritanus vulnerato appropinquans, & infundens oleum & vinum: & exponit de sacramentorum gratia, & infirmitate peccati: ergo videtur, quòd gratia sacramentalis propriè faciat sanitatem.

3 Item, Si semper esset sanitas, nunquam quæreretur perfectiuũ sanitatis: ergo id quod quæritur tempore infirmitatis, & non nisi gratia sanitatis, videtur esse proprium perfectiuum sanitatis: sed hoc est gratia sacramentalis, non virtutum, vel donorum: ergo gratia sacramentorum est propriè perfectiua sanitatis. Quod autem non quæratur gratia sacramentalis, nisi infirmitatis tempore, probatur ex hoc, quòd si peccatum non esset, essent tamen virtutes & dona secundum suam substantiam, sed sacramenta non essent.

4 Adhuc, Supra in principio huius quarti probatum est, quòd gratia sacramentalis differt à gratia quæ est in virtutibus & donis: quia gratia sacramentalis respicit peccatum, vel morbum peccati: sed gratia quæ est in virtutibus & donis non: ergo videtur, quòd propriè loquendo sanitas & iustificatio & renouatio fiant per gratiam sacramentalem.

Sed contra. Psal. 146.

AD OPPOSITVM autem huius obiicitur per hoc quod dicit Glossa super illud, Qui sanat contritos corde, & alligat contritiones eorum, Sic pœnitendo & fide Deus alligat contritiones eorum: sed fides est virtus: ergo æqualiter fit sacramentis & virtute.

2 Item, Contraria contrariis curantur: sed virtutes sunt contrariæ vitiis: ergo morbus vitiorum propriè sanatur per infusionem virtutum: ergo non gratia sacramentorum, quia sacramenta non contrariantur vitiis.

3 Item, Gregorius dicit, quòd dona data sunt in adiutorium virium contra defectus in quos incidit homo ex peccato: ergo videtur, quòd dona curent defectus illos: sed defectus illi sunt infirmitates: ergo curant infirmitates: non ergo fit curatio per solam gratiam sacramentalem.

Solutio.

RESPONSIO. Dicendum videtur, quòd per solam gratiam sacramentalem proprie loquendo sanatio mentis siue hominis interioris perficitur, & hoc ex disputatis in principio huius quarti patet.

AD ID ergo quod primo in contrarium obiicitur, dicendum quòd fide sanat, secundum quod ipsa habet sacramenti effectum, & non per se: vnde per accidens conuenit fidei sanare: si enim nunquam fuisset infirmitas, adhuc esset fides, & melius quam modo sit.

AD ALIVD dicendum, quòd virtutes vitiis contrariantur: sed non sanaretur homo virtutibus politicis solum, sed sanatiuæ efficiuntur secundum quòd eis coniungitur virtus passionis Christi per susceptionem sacramentorum, & tunc sanant vi gratiæ sacramentalis in qua infunduntur.

AD VLTIMVM dicendum, quòd dona non sunt data in adiutorium virium contra peccatum, sed potius ad altiores actus, quã perfici possint ex habitibus virtutum: & hoc adiutorio indiget homo, etiamsi non peccasset. Et hoc qualiter sit, inspiciendum est in tertio tractatu de donis, vbi hoc notatum inuenitur. Ad hoc tamen aliter solutum est per distinctionem, scilicet quod duplex est infirmitas, scilicet peccati inquantum peccatum est, & infirmitas virium ad agendum. Et primam quidem curat gratia sacramentalis, secundam gratia in virtutibus & donis. Et dicat legens quodcunque velit: tamen ego primam solutionem reputo continere veritatem.

ARTICVLVS XXII.

An prædicta sanitas fiat subito, vel successiue?

SExto quæritur, Vtrum fiat subito, vel successiue? Videtur autem, quòd subito: quia super illud Act. 2. Subito factus est, &c. dicit Glossa, Nescit tarda rerum molimina Spiritus sancti gratia: ergo nihil operatur nisi subito: operatur autem sanationem & renouationem: ergo operatur eam subito.

2 Item, Operationes diuinæ procedunt à virtute infinita: sed infinita virtus agit subito: ergo omnes illæ operationes fiunt subito: sanatio autem & renouatio sunt operationes diuinæ: ergo fiunt subito.

3 Adhuc, In aliquo debet distingui opus diuinum à naturali quod significat potentiam: sed opus naturæ est successiuum: ergo opus Dei fit subito.

Sed contra.

SED CONTRA: Amplius renouamur de die in diem: sed de die in diem renouari, est successiue renouari: ergo hæc renouatio fit successiue.

2 Item, Ezechias Isa. 34. non statim sanatus fuit, quando accepit promissionem sanitatis: sed cataplasmatum est super vlcus: ergo videtur, quòd sanatio mentis fiat successiue.

Solutio.

RESPONSIO. Dicendũm, quòd secundum duplicem sanitatem sanitas fit subito, & successiuè: infirmitas enim causalis præciditur subito: formalis autem quæ adhæret viribus animæ curatur successiuè, & paulatim per consuetudinem bonorum operum.

AD PRIMVM ergo dicimus, quòd hoc dictum est de gratia puniente, non de effectu gratiæ subsequentis.

AD ALIVD dicendum, quòd licèt Deus operetur infinita virtute: tamen non omnia operatur per seipsum tantum, sed quædam nos operamur secum, scilicet sanitatem, quæ fit reliquiarum peccati purgatione: & ideo ex parte nostri

opetis accedit temporis ſucceſſio ad effectum.

AD ALIVD dicendum, quòd opus Dei quod ipſe tantum operatur, eſt ſubito, ſicut creatio, & iuſtificatio opus Dei ſecundum quod eſt nobiſcum, & cum natura, non præuenit noſtram facultatem & infirmitatem naturæ; quia aliter ipſe deſtrueret noſtram facultatem & naturæ: & ideo non oportet, quòd illud opus diuinum in hoc ab opere naturæ diſtinguatur.

ARTICVLVS XXIII.

Sanatio & renouatio in quo differant?

SEptimo quæritur, In quo differant hæc duo, ſcilicet ſanatio, & renouatio, à iuſtificatione? Et videtur, quòd differant: quia quorum oppoſita ſunt differentia, ipſa ſunt differentia: ſed oppoſita horum per ſe differentia ſunt: ergo & ipſa ſunt differentia. Probatio mediæ, quia prima conſtat. Opponitur ſanctificationi impietas, & renouationi vetuſtas, & ſanitati infirmitas: & iſta ſunt diuerſa & nomine, & ratione: ergo conſtat propoſitum.

Solutio. RESPONDEO, quòd differunt ratione, vt prius dictum eſt: & vt hoc melius videatur, notandum quòd in peccato duo duo conſiderantur, ſcilicet turpitudo abſoluta, ſecundum quod eſt priuatio iuſtitiæ, vbi iuſtitia debet eſſe, ſecundum quod etiam dicitur iniuſtitia vel iniquitas vel impietas: & ſecundum id quod relinquitur in ſubiecto per effectum, vel potius defectum, quia effectus ſuus eſt defectus. Primo autem modo opponitur ei iuſtificatio, quæ de impio facit pium, & de iniuſto iuſtum. Secundo autem modo conſideratur dupliciter, ſcilicet ſecundum ſimplicem relationem ad cauſam omnis peccati & effectum, vel ſecundum effectum tantum ſecundum quod eſt priuatio boni naturalis. Et primo quidem facit animam vetuſtatem primam ſapere: & ſic vetuſtas eſt, & opponitur ei renouatio. Secundo autem modo eſt infirmitas modi & commenſurationis & harmoniæ in habitibus naturalibus animæ: & oppoſita eſt ei ſanitas mentis ſiue ſanatio. Et per hoc patet ſolutio ad totum.

ARTICVLVS XXIV.

An confeſſio liberet animam à morte?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Confeſſio animam à morte liberat, confeſſio aperit paradiſum, confeſſio ſpem ſalutis tribuit, &c.] Tres enim videtur tangere effectus confeſſionis, quorum nullus videtur ei conuenire: liberans enim à morte peccati, eſt illud quod tollit peccatum, & primo viuificat: ſed hoc eſt contritio cum gratia: ergo non eſt hic effectus confeſſionis.

2 Item, Nunquid medici ſuſcitabunt & confitebuntur tibi? ibi dicit Gloſſa, quòd ſacerdotes non reſuſcitant animam: ſed potius reſuſcitata, eis præſentatur in confeſſione, iam à Domino reſuſcitata in contritione: ſicut Lazarus intus in monumento ſuſcitatus eſt, ſed diſcipulis viuus abſoluendus præſentatur: ergo cum in confeſſione homo ſacerdoti præſentatur, videtur quòd non ſit effectus confeſſionis, quòd viuificet animam, ſed potius contritionis.

3 Item, Supra in litera habitum eſt illud Eccli. 17. quòd à mortuo quaſi nihil, perit confeſſio. Ergo ante viuificatur vt poſſit confiteri.

4 Item, Iſa. 38. Viuens viuens ipſe confitebitur tibi, ſicut & ego hodie. Ergo videtur, quòd viuificare non ſit effectus confeſſionis.

Similiter obiicitur de ſecundo effectu qui eſt, quòd confeſſio aperit paradiſum. Hoc enim falſum videtur: quia in genere ſacramenti, vt ſupra habitum eſt, baptiſmus aperit paradiſum: ergo hoc non eſt effectus confeſſionis: effectus enim ſacramentorum diſtincti ſunt, ſicut & ipſa ſacramenta.

2 Item, Paſſioni Chriſti datur hic effectus, ſcilicet apertio paradiſi, ſecundum quòd Chriſtus dixit latroni, Hodie mecum eris in paradiſo: ergo videtur, quòd non conueniat confeſſioni.

3 Item quoad quid confeſſio aperit paradiſum, ſi aperit? Aut enim aperit quantum ad ſolutionem culpæ claudentis, aut quantum ad ſolutionem pœnæ differentis. Si primo modo. Contra: Ante confeſſionem in contritione ſoluta eſt culpa: ergo aperire paradiſum conuenit contritioni potius quam confeſſioni. Si ſecundo modo. Contra: Satisfactio totam pœnam differentem paradiſum tollit: ergo ſatisfactioni potius attribuitur aperire paradiſum, quam confeſſioni, vt videtur.

Similiter obiicitur de tertio effectu qui eſt, quod ſpem ſalutis tribuit: hoc enim non videtur proprium confeſſionis, ſed omnium actuum meritoriorum, quia ſpes innititur omni merito: ergo hoc non debet ſpecialiter attribui confeſſioni.

2 Item, Gregorius dicit, quòd tanto quis fortior in Deum ſpe conſurgit, quanto fortiora pro nomine eius pertulit. Ergo videtur, quòd ſpes ſalutis generetur à tolerantia paſſionum potius quam à confeſſione: quod accipitur Rom. 5. vbi dicitur, quòd tribulatio patientiam operatur, patientia autem probationē, probatio vero ſpem. Non ergo hoc proprie confeſſioni conuenire videtur.

RESPONSIO. Dicendum, quòd iſti effectus quoad aliquid propriè conueniunt confeſſioni, & quoad aliquid magis propriè ſunt aliorum. Et accipitur penes tria quæ ſunt in confeſſione. Eſt enim confeſſio, vt dicit Gregorius, apertio vulneris: in prima autem vulneris apertione eſt prima inquiſitio medici & medicinæ: ſecundum hoc autem confeſſio eſt recognitio peccati in ſe, & coram Deo, cum propoſito confitendi coram medico ſacerdote: & tunc incipit homo viuificari: & ſic attribuitur ei primus effectus, qui eſt animæ iuſtificatio. Quia autem homo adhuc remanet debitor pœnæ purgatoriæ, à qua non abſoluitur niſi per vim paſſionis Chriſti in clauibus conſtitutam, quæ paſſio ſoluit rumphæam, ideo per enarrationem peccati cum propoſito ea cauendi, aperitur ei paradiſus. Quia vero ſpes ſalutis non eſt homini, niſi dum coniunctus eſt capiti Chriſto & membris ſuis per reconciliationem Eccleſiæ, & in confeſſione homo primo Eccleſiæ reconciliatur & incorporatur, ideo tunc primo oſtenditur ei dari ſpes ſalutis: quia non eſt ſalus, niſi in corpore myſtico Saluatoris. *Solutio.*

DICEN

DICENDVM ergo ad primum, quòd licet in contritione primo viuificetur anima: non tamen hoc est secundum actum contritionis & nomen: quia contritio dicit actum conterentis causam mortis, postquam secundum votum est inquisitiua viuificantis & medicinæ: & hoc facit confessio in origine sua, quia confessio incipit in cognitione peccati in se coram Deo, cum proposito hoc enarrandi coram sacerdote. Vnde licet idem sit conterere peccatum & renouare vitam: non tamen ratio vna est vtriusque, & vnum fit in contritione, aliud in voto confitendi.

AD ALIVD dicendum, quòd medici non suscitant, nec confessio inchoatur coram medico sacerdote: quia confessio est diuinus actus: aliter non differret à confessione quæ est in iure, vel alia humana enarratione: sed potius confessio inchoatur coram Deo, & ibi incipit primo confitens accipere vitam.

AD ALIVD dicendum, quòd ibi loquitur de actu confessionis, qui est enarratio peccatorum: quia ante illum præcessit viuificatio. Per idem patet solutio ad sequens.

AD ID quod quæritur de alio effectu, dicendum quòd aliter conuenit baptismo, & aliter confessioni, & aliter passioni Christi apertio paradisi. Baptismo quidem conuenit quantum ad solutionem peccati originalis, quod à vitio originis est contractum: & si soluat actuale, hoc est per accidens, quia inuenit illud, sicut supra in quæstione de baptismo notatum est. Sed confessioni conuenit quantum ad remotionem pœnæ purgatoriæ: licet enim aliquis, vt dicit infra Magister, in contritione quæ est cum voto confitendi, à peccato mortali & pœna æterna solutus sit ante confessionem: tamen adhuc pœna temporaliter debita, esset improportionabilis & importabilis, si non diminueret pœna Christi qui satisfecit pro nobis: & hæc pœna coniungitur nobis per fidem clauium in confessione, & quoad illud importabile remouendum, quod remouet ab ingressu paradisi, quòd nullus adhuc debitor pœnæ intret paradisum, dicitur quòd confessio aperit paradisum. Et per hoc patet solutio ad duo prima.

AD ALIVD dicendum, quòd aperit quoad absolutionem pœnæ cuiusdam, scilicet importabilis viribus pœnitentis, quam homo deberet, si se clauibus & passioni Christi non se subderet: hæc enim non potest deleri per satisfactionem: imo satisfactio non habet locum, nisi illa absolutione facta in confessione, si ipse habet opportunitatem confitendi: & si non habet, tunc necessitas & non contemptus excludit sacramenti actum, & descendit in talem hominem hæc vis clauium merito & vnitate corporis mystici, cui per gratiam vnitur.

AD ID quod obiicitur de tertio, dicendum quòd spes salutis dicitur hic quoad primam exclusionem causæ desperationis: per confessionem enim recepta medicina ostenditur Christo & Ecclesiæ reconciliatus: & ideo diabolus potestatem non habet in ipsum, sicut in illos qui foris sunt: & hoc quoad hanc rationem non conuenit omni merito.

AD ALIVD dicendum, quòd aliud est spes, & aliud firmitas & robur spei. Spes autem salutis est ex primo dante securitatem vitæ, sicut facit confessio vniens confitentem Christo & sacramentis & Ecclesiæ. Sed robur & firmitas spei est ex magnitudine meriti: & per hoc maxime est in magis difficilibus quæ sunt, scilicet sustinentiæ passionum. Propter hoc dicit Gregorius, quòd altior spes fortiores consequitur passiones. Per idem patet solutio ad verbum Apostoli.

ARTICVLVS XXV.

An modi purgationis à peccato secundum Magistrum sint bene distincti?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Non potest quisquam gratiam Dei accipere, &c.] Hic enim videtur tangere tres modos purgationis à peccato, scilicet per pœnitentiam, per confessionem, & per baptismum. Et videtur, quòd primi duo non differant: quia pœnitentia tres habet partes, vt supra in dist. 15. habitum est: pars autem cum toto non facit numerum: ergo non est diuersus modus purgationis per pœnitentiam & per confessionem.

2 Item videtur, quòd tertius præexigat duos præcedentes: quia in præcedenti distinctione habitum est de modis pœnitentiæ, quod adultus accedens ad baptismum debet pœnitere & conteri de peccatis: ergo videtur, quòd isti modi coniuncti sunt.

RESPONSIO. Dicendum, quòd tres isti modi purgationis peccatorum sunt diuersi: aut enim indiget purgatione quæ est cum lamento exteriori, aut non. Si non: tunc est purgatio per baptismum: quia illa non quærit lamentum peccati extra. Si autem indiget: tunc aut est ad solutionem culpæ, aut improportionabilitatis pœnæ. Si primo modo, est pœnitentia purgans: si secundo modo, est confessio. Et hoc patet ex priori disputatione. *Solutio.*

SI AVTEM quæritur, Quare non ponitur satisfactio? Dicendum, quòd non ponuntur hic purgantia, nisi illa quæ purgant sine nobis operantibus, licet non sine nobis consentientibus: satisfactio autem non purgat sine nobis operantibus, sed potius purgat nos per opus nostrum gratia informatum.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd peccati purgatio dupliciter consideratur, scilicet diuisim quantum ad ea quæ sunt in peccato, & coniunctim: & si diuisim consideretur, scilicet culpa, & pœna improportionata, & pœna expiatoria, tunc habebunt purgationes diuisas: quia culpa cum æterna pœna purgatur in pœnitentia, prout iam ante in litera diffinita est pœnitentia, vbi dixit, Pœnitentia vera est, &c. Et hanc diffinitionem supra dist. 14. habes disputatam. Et hoc maxime conuenit contritioni. Si quoad pœnam improportionatam, purgatur in confessione, & pœna expiationis per opus nostrum in satisfactione. Si autem accipiantur omnia coniunctim: tunc per totam pœnitentiam in omnibus partibus suis acceptam coniunctim purgantur. Primo autem modo loquitur hic sanctus. De secundo autem multa habes notata in principio dist. 15.

AD ALIVD dicendum, quòd loquitur hic de purgatione quæ est per lamentum exterius, quod sternit cinerem & cilicium. Et baptismus licet exigat in adultis pœnitentiam & confessio-

nem:tamen hæc non exigit, niſi vt remoueat obicem Spiritui ſancto: & ideo etiam nihil iniungitur niſi fides baptizantis: quia in illo omnia ſoluuntur, & nullum lamentum exterius aſſumitur.

ARTICVLVS XXVI.

An pœnitens teneatur aliis à ſacerdote ſuam pœnitentiam manifeſtare?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi*[Nemo dicat ſibi, Occulte ago,&c.] Ex hoc manifeſte concluditur,quòd oportet confiteri. Quæritur autem, Si teneatur aliquis in pœnitentia innoteſcere,niſi ſoli ſacerdoti? Videtur autem,quòd debeat innoteſcere omnibus qui viderunt eum in peccato: quia quantum aliquis nocuit, tantum tenetur prodeſſe ſi poteſt. Iſte autem peccando aperte nocuit multis per ſcandalum: ergo in pœnitentia debet innoteſcere eiſdem ad minus vt proſit per exemplum.

2 Item, Maius eſt damnum ſpirituale, quam corporale; ſed in damno corporali tenetur aliquis ad reſtitutionem: & non dimittitur peccatum,niſi reſtituatur ablatum: ergo multo fortius in damno ſpirituali: iſte autem multos damnificauit per malum exemplum: ergo omnibus illis debet reſtituere per bonum.

3 Item, Dicit Gregorius de malis prælatis, quòd tot animarum rei ſunt, quot exemplo perditionis ad inferos tranſmiſerunt: ergo à ſimili qui perditionis exemplo deædificant proximum, tenentur vt reædificent per bonum: ſed non poſſunt niſi innoteſcant:ergo illis debent fieri publici in pœnitentia. Si forte tu dicas, quòd hoc ipſo quòd videmus eos ceſſare à peccato, & opera de genere bonorum facere, innoteſcit ipſos in pœnitentia fore. Contra: Hæc opera multorum ſunt, etiam non pœnitentium: ergo per hæc opera non neceſſario innoteſcunt pœnitentes: ergo videtur,quod hoc non ſufficit.

Sed contra. SI HOC concedatur procedatur ſic. Contra: Aliquæ pœnitentiæ taxatæ ſunt criminibus: ſi ergo innoteſcat pœnitentia,crimen ſtatim ſcietur: ſed nullus tenetur manifeſtare crimen: ergo nec tenetur innoteſcere per pœnitentiam, inquantum pœnitentia eſt.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum,quòd non tenetur aliquis propalare ſuam pœnitentiam alicui, niſi ſacerdoti ſoli.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd quilibet qui fecit ſcandalum in communi, non tenetur niſi ad oſtenſionem boni exempli in communi: quia per hoc ipſum quod vident bonum exemplum,cum de quolibet præſumendum ſit bonum, debent præſumere de præteritis pœnitentiam & remiſſionem.

AD ALIVD dicendum, quòd licet damnum ſpirituale maius ſit, non tamen eſt ita iniurioſum proximo: & hoc ideo, quia damno ſpirituali non læditur niſi volens, damno autem corporali læditur etiam nolens: & ideo non tenetur ita directe ad reſtitutionem: quia damni ſpiritualis, quod fit per ſcandalum imitatum, poteſt eſſe occaſio: ſed ille per voluntatem propriam eſt cauſa: & ideo reſtituendo non tenetur niſi oſtendere bonum exemplum, quod eſt occaſio boni, licet non ſit cauſa.

AD ALIVD dicendum, quòd Gregorius extendit ibi nomen rei, ſcilicet qui reus eſt dando occaſionem perditionis: ſed non eſt adeo reus ſicut qui fuit cauſa. Ad id autem quod obiicitur contra ſolutionem iſtam, dicendum quòd opera de genere bonorum ſufficienter ſunt occaſio boni, licet non ſint cauſæ: & hoc ſufficit ratione prius aſſignata: quia ſcilicet dando malum exemplum, etiam non fuit niſi occaſio mali, & non cauſa.

ARTICVLVS XXVII.

An teneamur confiteri in conſpectu populi?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Iob dicit,Si erubui in conſpectu populi, &c.] Ex hoc enim videtur, quòd in conſpectu populi teneamur confiteri: eſt enim verbum Iob iuramentum execrationis: & ſubiungendum eſt, Si hoc feci, væ mihi, id eſt, mihi male accidat.

2 Item,Maria Magdalena quia grauiter intus erubeſcebat, nihil quod foris verecundaretur eſſe credebat: igitur qui ſe bene erubeſcit intus,etiam coram populo debet confiteri.

Sed contra. SED CONTRA hoc eſt, quòd id quod pro charitate inſtitutum eſt, contra charitatem non debet militare:ſed confeſſio pro charitate inſtituta eſt: ergo contra charitatem non debet militare: ſed ſi publice confiteri teneremur, plurimi à confeſſione retraherentur: & hoc eſſet contra charitatem militare: ergo videtur, quòd non ſit publice confitendum.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum,quòd non eſt publice confitendum: nec enim præceptum de hoc eſt, nec conſilium,niſi forte eſſet crimen quod vniuerſam commouerit vrbem, vel etiam orbem, ſicut hæreſis Arrij vel alterius hæreſiarchæ, quod propter maiorem confuſionem aliorum diceretur publice. Sed tamen generalis confeſſio non conſulitur publice fieri: quia eſſet ad nocumentum multorum,& nunquam conſulenda eſt humiliatio vnius, ita vt alteri occaſio nocumenti generetur. Litera autem quæ hic inducitur, eſt ſecundum tranſlationem 70. quæ corrupta eſt, præcipue in Iob,vt dicit Hieronymus:& eſt ſumpta de Iob 31. & litera noſtra habet ſic, Si abſcondi tanquam homo peccatum, & celaui in ſinu meo iniquitatem meam. Et hæc litera non dicit, quòd coram populo ſit confitendum. Siquis autem literam illam ſuſtinere velit,dicendum quòd confiteri coram populo dupliciter dicitur, ſcilicet confeſſionis enarratio: & hoc non oportet: vel pœnitentiæ in confeſſione iunctæ per bonum exemplum manifeſtatio, & hoc eſt neceſſarium, vt prius dictum eſt:& ſic Iob non erubuit coram populo peccata confiteri.

AD ALIVD dicendum, quòd Maria non fuit confeſſa publice, ſed ſe pœnitentem manifeſtauit publice: & ab hoc verecundia eam non retraxit: & hoc intendit dicere Gregorius.

ARTICV

ARTICVLVS XXVIII.

Quare dicatur aliquod peccatum veniale?

DEinde quæritur de hoc quod dicitur *ibi*[Venialis est culpa quam consequitur confessio delictorum, &c.] Videtur enim hoc esse falsum: quia dicitur ibi veniale ex genere, aut ex euentu. Si ex euentu:tunc non est veniale nisi quod pœnitentia sequens cum gratia facit veniale, id est, veniam habere:sed hoc primo facit contritio, antequam confessio adueniat:ergo non propter hoc est veniale, quod sequitur confessio: sed propter hoc primo, quod sequitur contritio. Si autem veniale ex genere. Contra: Hoc non tenetur aliquis in numero confiteri, nisi confessione generali, vt prius in præcedenti distinct. habitum est: ergo videtur, quòd hoc quod dicit in litera, sit falsum.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd dicitur hic veniale ex euentu sequentis gratiæ. Et quia licet deleat contritio culpam & æternam pœnam, non tamen tollit adhuc pœnæ intolerabilitatem, sed potius hoc facit vis clauium in confessione: post clauium autem effectum efficitur pœna arbitraria, quæ tolerabilis est & leuis pœnitenti ad expiationem delicti:& ideo non attribuit hoc contritioni sicut confessioni.

ARTICVLVS XXIX.

An desperatio veniat ex contemptu, vel ex timore?

DEinde qnæritur de hoc quod dicit *ibi*[Claudit super illum qui in profundo contemnit, &c.] Sumitur enim hoc de Prou.18.vbi dicitur, Peccator cum in profundum vitiorum venerit, contemnit. Videtur autem hoc esse falsum: quia desperatio non prouenit ex contemptu, sed ex nimio timore:timor autem nimius humiliat, vt dicit Aug. Cum igitur contemptus procedat ex superbia, videtur incongruè ista coniungere, in profundum iniquitatis venire & contemnere.

2 Præterea, Si contemnit, quæritur quid contemnit? Si dicatur, quòd Deum. Contra:Nemo contemnit eum quem nimis timet, hic autem nimis timet: ergo Deum non contemnit.

3 Si dicatur, quòd contemnit pœnitere & cõfiteri. Contra: Siquis se non subiiciat ei quod sibi nihil valere credit, non est contemptus, sed sapientia, aut apparens tantum, aut existens & non apparens: sed desperans non credit sibi valere pœnitentiam & sacramenta: ergo si non subjicit se illis, non est contemptus, sed sapientia apparens. Et videtur non esse ad propositum quod hic inducit. Dicit enim parum ante, Confitere ergo, & dic, De profundis clamaui ad te Domine. Ex hoc videtur velle, quod non intendit Aug. nisi de confessione laudis coram Domino: & sic auctoritas illa nihil probabit de proposito.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd omnis impius in consideratione profundissimæ iniquitatis desperans, contemnit in proprio sensu ad minus: quia plus innititur sensui suo, quam verbis Dei & Ecclesiæ consolantis & reuocantis ipsum: & hoc est superbia maxima. Vnde Gregorius dicit, Cum iudex sic timetur, quòd facies iudicis non amatur, timor ex timore est, non ex humilitate.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd licet non contemnat Deum in se, tamen contemnit Deum reuocantem à peccatis in verbis suis.

AD ALIVD dicendum, quòd contemnit Deum in verbis suis & sacramentis, eo modo quo dictum est: quia nisi erroneum suum sensum verbis Dei & Ecclesiæ præferret, ipse rediret ad pœnitentiam.

AD ID quod vlterius quæritur, dicendum quòd ad propositum est multum ista auctoritas. Et quod dicit Augustinus, De profundis clamaui, non intendit, quòd coram Domino clamet tantum, sed coram vicario Domini non tantum peccatum, sed profundum ipsius confiteatur: & hoc vocatur clamare.

ARTICVLVS XXX.

An verum sit quod dicit Magister, Nullus debitè grauioris pœnæ accipit veniam?

DEinde quæritur de hoc quod dicitur *ibi* [Nullus debitè grauioris, &c.] Ibi enim nulla fit mentio de confessione: ergo nihil valet ad propositum. Eadem autem obiectio est de auctoritate Hieron. sequenti.

2 Præterea quæritur de hoc quod dicit ibi Hieron. Dormiat in sacco. Videtur enim multos vere pœnitentes esse, & tamen linteis & non saccis indutos.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd vis est in prima auctoritate in hoc, quòd dicit, Minorem longe, quam debeat, soluerit pœnam:pœna enim minorata est per effectum clauium in confessione. Item in hoc est vis quod dicit, Soluerit:quia non potest pœnam soluere, nisi ad arbitrium Ecclesiæ per vicarium Christi fuerit taxata:aliter enim non soluit, sed sustinet tantum pœnas.

AD ALIVD dicendum, quòd Hieronymus facit vim in hoc quod dicit, Ingrediatur Ecclesiam:quia non potest ingredi, nisi per pœnitentiam corpori mystico quod est Ecclesia, ostendatur reunitus: aliter enim ingreditur numero tantum, & non merito & veritate.

AD ALIVD dicendum, quòd saccus ponitur hic pro humilitate & asperitate pœnitentiæ, per illum tropum loquendi quo species pro genere sæpe solet poni.

Cui ſententiæ potius conſentiendum ſit?

B QVID ergo ſuper his ſentiendum ſit, & quid tenendum. Sanè dici poteſt, quòd ſine confeſſione oris, & ſolutione pœnæ exterioris peccata delentur per contritionem, & humilitatem cordis. Ex quo enim proponit mente compuncta ſe confeſſurum, Deus dimittit: quia ibi eſt confeſſio cordis, etſi non oris, per quam anima interius mundatur à macula & contagio peccati commiſſi, & debitum æternæ mortis relaxatur. Illa ergo quæ ſuperius dicta ſunt de confeſſione & pœnitentia, vel ad confeſſionẽ cordis, vel ad interiorem pœnam referenda ſunt. Sicut illud Aug. Quod nullus dicitur veniam conſequi, niſi prius quantulancunque peccati ſoluerit pœnam: vel de exteriori pœna accipienda ſunt, & ad contemnentes vel negligentes referenda, ſicut illud: Nemo dicat ſibi, Occulte ago, &c. Nonnulli enim in vita peccata confiteri negligunt vel erubeſcunt, & ideo non merentur iuſtificari. Sicut enim præcepta eſt nobis interior pœnitentia, ita & oris confeſſio, & exterior ſatisfactio ſi adſit facultas. Vnde nec verè pœnitens eſt, qui confeſſionis votum non habet. Et ſicut peccati remiſſio munus Dei eſt, ita pœnitentia & confeſſio per quam peccatum deletur, non poteſt eſſe niſi à Deo, vt Aug. ait: Iam, inquit, donum Spiritus ſancti habet qui confitetur & pœnitet: quia non poteſt eſſe confeſſio peccati & compunctio in homine ex ſeipſo. Cum enim iraſcatur ſibi quiſque & diſplicet, ſine dono Spiritus ſancti non eſt. Oportet ergo pœnitentem confiteri, ſi tempus habeat: & tamen antequam ſit confeſſio in ore, ſi votum ſit in corde, præſtatur ei remiſſio.

De pœ. diſt. 1. c. Nullus. Ibidem cap. Agite.

Super Pſal. 50.

ARTICVLVS XXXI.

An confeßio eſt virtus?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Iam donum Spiritus ſancti habet, &c.] Videtur enim ſecũdum hoc quod confeſſio ſit virtus, quod falſum eſt: cum ſit actus quidam exterior, conueniens bonis & malis.

RESPONSIO. Ad hoc eſt dicendum, quòd loquitur de confeſſione fructifera, quæ eſt actus meritorius, & dicitur donum Dei, eo quod non eſt à nobis ea parte qua meritorius eſt, licet liberum arbitrium det actum & ſubſtantiam. Et de hoc plura notata ſunt ſuper ſecundum diſtinct. 26. Per totum autem iſtud cap. ſolutio Magiſtri notabilis eſt & bona, & concordans hactenus diſputatis. Solutio.

Si ſufficit ſoli Deo confiteri?

C IAM ſecundum quæſtionis articulum inſpiciamus, ſcilicet vtrum ſufficiat peccata confiteri ſoli Deo, an oporteat confiteri ſacerdoti? Quibuſdam viſum eſt ſufficere, ſi ſoli Deo fiat confeſſio ſine iudicio ſacerdotali & confeſſione Eccleſiæ: quia Dauid dixit, Dixi, Confitebor Domino, & tu remiſiſti, &c. non ait, ſacerdoti: & tamen remiſſum ſibi peccatum dicit. Item Ambroſ. Inde fleuit Petrus, quia culpa obrepſit ei: non inuenio quid dixerit, inuenio quod fleuerit. Lacrymas eius lego, ſatisfactionem non lego. Sed quod defendi non poteſt, ablui poteſt: Lauant lacrymæ delictum, quod voce pudor eſt confiteri: & veniæ fletus conſulit & verecundiæ. Hoc idem etiam Maximus dicit Epiſcopus. Item Ioannes Chryſoſt. Non tibi dico vt te prodas in publicum, neque apud alios te accuſes: ſed obedire te volo Prophetæ dicenti, Reue-

Super Lu. lib. 10. in fine commentarij ad c. 22.

ſuper cap. 12. ad Heb. hom. 31.

la Deo

la Deo viam tuam. Ante Deum ergo tua confitere peccata, apud verum iudicem cum oratione delicta tua pronuntia, non lingua, sed conscientiæ tuæ memoria: & tunc demum spera te misericordiam posse consequi. Si habueris peccata tua in mente continuè, nunquam malum aduersus proximum in corde tuo tenebis. Idem, Peccata tua quotidie dicito, vt deleas illa: sed si confunderis alicui dicere, dicito ea quotidie in animo tuo: non dico vt confitearis ea conseruo tuo, vt tibi exprobret: dicito Deo, qui curat ea. Nec enim si non dixeris, ignorat ea: cum faciebas ea, præsto erat: cum admitteres ea, cognouerat. Nunquid ea vult à te cognoscere? Peccare non erubuisti, & confiteri erubescis. Dicito in hac vita, vt in alia requiem habeas: dicito ingemiscens & lacrymans. In codice scripta sunt peccata tua. Spongia peccatorum tuorum lacrymæ tuæ sint. Item Prosper, Illi quorum peccata humanam notitiam latent, non ab ipsis confessa, nec ab aliis publicata, si ea confiteri vel emendare noluerint, Deum quem habent testem, ipsum & habituri sunt vltorem. Quod si ipsi sui iudices fiant, & veluti suæ iniquitatis vltores, hic in se voluntariam pœnam seueriſſimæ animaduersionis exerceant, temporalibus pœnis mutabunt æterna supplicia, & lacrymis ex vera cordis contritione fluentibus restringent æterni ignis incendia. Et infra, Facilius sibi Deum placabunt illi, qui aut propriis confessionibus crimen produnt, aut nescientibus aliis ipsi in se voluntariæ excommunicationis ferunt sententiam, & ab altari cui ministrabant, non animo, sed officio separati, vitam suam quasi mortuam plangunt: certi quòd reconciliati sibi efficacis pœnitentię fructibus, à Deo non solum amissa recipiãt, sed etiam supernæ ciuitatis gaudia recipiant. His auctoritatibus innituntur, qui sufficere contendunt Deo confiteri peceata sine sacerdote. Dicunt enim, quòd siquis timens detegit culpam suam apud homines, ne inde opprobrio habeatur, vel alij suo exemplo ad peccandum accingantur: & ideo tacet homini, & reuelat Deo, consequitur veniam.

Hom. 2. in Psal. 50.

De pœn. dist. 1. c. Porro illi. & in lib. de vita contemplatiua cap. 7.

ARTICVLVS XXXII.

An oporteat confiteri homini?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Iam secundum quęstionis articulum inspiciamus, &c.] Fiat disputatio primo de principali quæsito, Vtrum sufficiat soli Deo confiteri, vel oporteat confiteri homini? Videtur autem, quòd sufficiat Deo confiteri: ad peccati enim deletionem sufficiunt duo, scilicet Deus, & peccans: sed ex parte Dei non deest misericordia dans gratiam, ex parte autem confitentis coram Deo est recognitio peccati cum detestatione: ergo videtur, quòd hæc duo sufficiunt ad peccati deletionem: ergo non oportet confiteri sacerdoti.

2 Adhuc, Peccatum quod per alterum traductum est, etiam sine consensu & opere nostræ voluntatis deletur, sicut patet de originali in paruulis: ergo peccato quod per nos factum est, sufficit si nos cooperamur Deo in delendo ipsum: sed hoc sufficienter fit, quando aliquis Deo confitetur recognoscendo peccatum suum coram Deo cum detestatione: ergo videtur, quòd non sit necessarium homini confiteri.

3 Adhuc, Non debet plus exigi in emenda quam commissum est in culpa: quia Dominus præcepit, quòd secundum mensuram delicti fiat etiam plagarum modus: sed in actu peccati inquantum peccatum est, non læditur nisi Deus & peccãs: ergo in deletione ipsius non debet quæri aliquis, nisi Deus, & ipse qui peccauit: ergo sufficit coram Deo solo confiteri. Quod autem non lædatur in peccato, nisi solus Deus & peccans, hoc patet ex hoc: quia si diuinum separetur à peccato, non læditur in peccato proximus: & sic constat propositum. Præterea, Propter quid adhibetur homini confessio? Si dicatur, quòd propter consilium. Contra: Vnum est substantiale consilium in omni confessione, scilicet, Vade, & iam amplius noli peccare. Et si nihil adiungitur aliud, illud seruatum saluat hominem: ergo videtur, quòd aliud non sit nisi de bene esse. Cum igitur substantiale consilium sit vnum, hoc potest innotescere pœnitenti omni per publicam prædicationem & doctrinam: ergo non est necessaria confessio quæ fit homini.

Ioan. 5. & 8.

4 Item, Rex terrenus ideo habet vicarium, & indiget illo, quia personaliter non potest esse vbique in regno suo: igitur rex qui per seipsum vbique est in suo regno, non indiget vicario: sed Deus est huiusmodi rex, qui vicario non indiget: ergo

ergo non est necessarium, vt vicario Dei, loco Dei confiteatur aliquis.

5 Item, Quòd aliquis artifex pluribus concurrentibus operetur, illud non potest esse nisi aut propter imperitiam artis, aut propter impotentiam artificis, quia non potest per vnum operari totum: dicit enim Philosophus, quòd melius est operari vno multa si fieri potest, quam multis multa: sed Deus qui summus artifex est, scit & potest operari remissionem peccatorum per seipsum: ergo videtur, quòd superflue adhibet sibi hominem vicarium: ergo sufficit coram Deo peccatum confiteri, & detestari: & non oportet vt quis confiteatur homini.

6 Adhuc, Iudicium confessionis, iudicium diuinum est, & ideo non eget testibus nisi conscientia sola: sed in omni iudicio sufficit, quòd causa innotescat iudici soli: & non oportet, quòd innotescat alij: ergo in confessione sufficit, quòd peccatum innotescat soli Deo, nec oportet confiteri peccatum homini.

Sed contra. SED CONTRA: Pœnitentia cum suis partibus sacramentum est, vt supra sæpe habitum est: esse autem sacramenti consistit in dispensatione ministrorum: ergo & illud: nihil autem dispensatur ab alio, nisi cognitum ab illo: ergo oportet, quòd minister qualitatem pœnitentium agnoscat in eo quod pœnitentes sunt: non autem potest illa cognosci, nisi cognito peccato: ergo oportet ministrum agnoscere peccatum: & non potest nisi per confessionem: ergo oportet confessionem fieri homini.

2 Item, Satisfactio non est nisi post vim clauium, vt prius habitum est: claues autem operantur in confessione facta homini: ergo necessarium est vt confessio fiat homini.

3 Item, Pœnitentiæ sunt arbitrariæ, vt dicunt Sancti & Doctores: sed nunquam potest pœnitentia arbitrari, nisi sciatur quantitas delicti per confessionem: ergo oportet pœnitentem qui vult pœnitentiam facere, confessionem facere homini.

4 Præterea, Si confessio non requireretur propter hominem, tunc non oporteret fieri aliquam confessionem: ei enim qui omnia nouit, non est necessaria confessio: sed Deus omnia cognoscit: ergo non est ei confessio necessaria: si ergo quæritur confessio à pœnitente, constat quòd hoc fit propter hominem, & non propter Deum. Auctoritates autem ad vtranque partem istius disputationis multæ sunt in litera.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd absque dubio confessio facienda est homini, & non soli Deo, sicut Magister determinat in litera.

AD ILLVD ergo quod primo obiicitur, dicendum quòd licet in peccato non habeat culpam nisi peccans, non tamen sufficit solus ad deletionem: plura enim exiguntur ad reconciliationem, quam ad recessum per peccatum: oportet enim adesse meritum Christi in clauibus, & etiam interceſſionem Ecclesiæ per suum ministrum: sicut enim in primo peccato vnus homo solus peccauit, & tamen solus pro omnibus nec etiam pro se pœnitere potuit, nisi meritum Christi suffragaretur: ita etiam est in peccatis aliorum quoad hoc quod plura oportet concurrere ad reconciliationem.

AD ALIVD dicendum, quòd illud peccatum non omnino deletur per alterum: quia ad minus oportet suscipere sacramentum Ecclesiæ: & ita fit ibi aliquid per Ecclesiam. Et similiter necesse est in peccato actuali, quòd per Ecclesiam in suo ministro coniungatur illi meritum Christi, quod est in potestate Ecclesiastica in clauibus.

AD ALIVD dicendum, quòd iam patet per prædicta: quia non sequitur, quòd plura multa exiguntur in emenda, quam commissa sint in culpa. Ne tamen credamur fugere argumentum, dici potest, quòd in peccato est quoddam nocumentum peccatoris, scilicet quod diuiditur à corpore Christi mystico per peccatum, & à capite Christo: & sic ordinauit Deus, vt non reuertatur, nisi per ministrum in voto & opere, si habet facultatē: & sic ei quod est in emēda, respōdet aliquid in culpa.

AD ALIVD dicendum, quòd rex terrenus benignus triplici ex causa vtitur ministro, scilicet propter imperfectionem sui, & propter vtilitatem subditorum, & propter ordinis pulchritudinem. Propter sui indigentiam, quia vbique esse non potest, nec per seipsum omnia diiudicare. Propter vtilitatem autem subditorum dupliciter, scilicet inferiorum, & superiorum. Superiorum: quia vult, quod superior hac honoretur dignitate, & sibi in hoc deseruiat vt inferiorem perficiat. Inferiorum autem: quia forte inferior magis audacter habet accessum ad inferiorem aliquem, quam ad ipsum regem. Et his duabus vltimis de causis Deus vicarium habet. Et prima causa est August. & Gregorij per simile loquentium de Angelis, quibus Deus vtitur in perficiendis hominibus. Secunda autem est Magistri Hugonis. Propter seipsum autem non vtitur vicario: quia & vbique est, & omnia per seipsum potens diiudicare. Tertia causa est ordo: & ista est beati Dionysij: quia etsi Deus omnia per seipsum possit perficere, & illuminare, & consummare: tamen propter pulchritudinem ordinis lex diuinitatis est per prima media, & per media vltima deducere ad purgationem, illuminationem, & perfectionem: & ideo in Ecclesiastica hierar. constituuntur gradus sicut in cælesti.

AD ALIVD dicendum, quòd Philosophus intelligit de eo quod est omni modo melius, tam ex parte facientis, quam ex parte eius circa quem operatur: & si ita Deus esset, tunc Deus per seipsū operaretur: sed in præcedentis argumenti solutione ostensum est sic non esse.

AD ALIVD dicendum, quòd aliud est de iudicio conuictionis ad condemnationem, & aliud de iudicio reconciliationis rei ad perfectionem, per purgationem & illuminationem: in primo enim non exigitur nisi quod iudex causam cognoscat quantum ad substantiam iudicij: & si aliis innotescat, hoc fit vt iustior esse videatur condemnatio: & tale erit iudicium in futuro, quod Deus faciet per seipsum. Sed iudicium confessionis est iudicium reconciliationis & reductionis: & ideo illa exiguntur, quæ supra dicta sunt.

ARTICVLVS XXXIII.

An verum sit hoc dictum Magistri dicentis, Lauant lacrymæ debitum, quod voce pudor est confiteri?

DEinde quæritur de hoc quod dicit ib. [Lauant lacrymæ debitum, quod voce pudor est confiteri,

confiteri, &c.] Aut enim hoc intelligitur, quòd cum pudore confitetur aliquis: aut sic, quòd pudor esset si confiteretur. Si primo modo: tunc nihil esset, quòd sequitur, Fletus veniæ consulit & verecundiæ: non enim consulit verecundiæ, si verecundiam confitendo subire oportet. Si autem secundo modo: tunc erit contra quod dixit, Lacrymas Petri lego, satisfactionem non lego.

2 Præterea, Quid est quod dicit, Quod defendi non potest, absolui potest: si enim absoluitur, tunc videtur quòd ad notitiam veniat absoluentis: & ideo non valet ad propositum.

3 Præterea, Videtur nihil esse quod dicit: quia si peccatum non potest defendi, in nullo iudicio debet absolui reus: ergo si absoluitur peccator, potest defendi: & ita nihil dicit, Quod defendi non potest, absolui potest.

Quæstiuncula. PRÆTEREA quæritur vlterius hic, Vtrum hæc opinio sit hærerica vel possit sustineri? Videtur autem, quòd possit sustineri: quia tam hic quam etiam in decreto recitatur tantum pro opinione, & non pro errore: ergo videtur, quòd Ecclesia opinionem & non errorem iudicat illud.

2 Item, Non semper fuit hic vsus, quòd homo homini confiteretur: ergo videtur, quòd non sit de moralibus quod homo homini confiteatur, quia moralia semper tenent: & constat etiam quod non est de credendis, cum etiam non sit articulus fidei, nec etiam reductum ad articulum aliquem: ergo nec de credendis est, nec de necessariò faciendis: in omnibus talibus autem dicunt Magistri, quòd possumus opinari pro vtraque parte: ergo illud est de opinabilibus, & non est iudicandum hæreticum quod illi dicunt.

3 Item, August. & Bernard. distinguunt credenda & intelligenda & opinanda, dicentes, quia quod credimus, debemus auctoritati: quod intelligimus, rationi: quod opinamur, errori siue incertitudini dubitationis: sed in ista quæstione certam canonis Bibliæ non habemus auctoritatem, ergo non est de credendis: nec habemus firmam ac stabilem rationem, ergo non est de intelligendis: ergo relinquitur, quòd sit de opinandis: sed in talibus non culpatur oppositum dicens: ergo ista opinio non est condemnanda, vt videtur.

Sed contra. SED CONTRA: Quicquid dissoluit ordinem Ecclesiasticum & potestatem Ecclesiasticam, illud est hæreticum: hæc assertio dissoluit: ergo est hæretica. Probatio primæ est: quia hæc est contra articulum, In sanctam Ecclesiam & Sanctorum communionem. Secunda probatur ex hoc, quod qui negat actum, negat per consequens potestatem: sed actus purgationis illuminationis, & perfectionis, negatur procedere secundum ordinem potestatis Ecclesiasticæ in reducendis inferioribus: ergo constat propositum.

2 Adhuc, Quod sacræ scripturæ contradicit, est hæreticum: sed illud sacræ Scripturæ contradicit: ergo est hæresis pura. Prima patet per se: quia non habemus regulam credendi aliquam, nisi Scripturam. Secunda constat: quia cum mysterio sacræ Scripturæ, quæ in Veteri Testamento dicit, quòd leprosus non redit ad castra, nisi per iudicium sacerdotis, contradicat ista assertio: constat, quòd sacræ Scripturæ contradicit: & ita constat propositum probatum.

RESPONSIO. Dicendum, quòd intelligitur litera sic: Quod voce pudor est confiteri, hoc est, quod cum pudore aliquis confitetur. *Solutio.*

AD OBIECTVM autem contra, dicendum quòd litera non tantum innuit, quòd non legit confessionem: sed etiam expresse dicit, quòd non legit satisfactionem: & tamen naturale ius non permittit quin satisfecerit, si peccauit: & ita etiam intelligendum est de confessione: licet alibi duas solutiones alias super hoc notauerimus in præcedentibus, quas hic non repetimus, ne fiat prolixitas.

AD ALIVD dicendum, quòd peccatum quod defendi non potest, est peccatum in iudicio confessionis manifestatum sacerdoti: quia tale est iudicium illud, quod accusantem absoluit, & defendentem peccatum suum condemnat.

Ad obiectum autem dicendum, quòd verum est de iudicio conuictionis, & de iudicio condemnationis, & non de iudicio reconciliante reum: & bene concedo, quòd non valet ad propositum pro ista assertione: quia falsitas bonum auctoritatis testimonium habere non potest.

AD ID quod vlterius quæritur, dicendum videtur, quòd duplex est hæresis, scilicet aperta, & implicita. Aperta hæresis, quæ expresse contrarium prædicat, vel quod antecedit articulum, vel sequitur illum: vt quod Deus sit non trinus & vnus, est hæresis contra articulum: quòd fornicatio non sit mortale peccatum, est hæresis contra consequens articulum: quod sacra Scriptura falsum dicat, est hæresis contra antecedens articulum. Implicita autem hæresis, est assertio ex qua sequitur hæresis, sicut est ista: quia licet modo non teneamur confiteri Episcopis tribus vel duobus: si tamen præcipiatur ab Ecclesia, tunc tenemur. Vnde si ego dico non esse confitendum Episcopis illis, ex hoc sequitur, quòd non sit obediendum potestati & ordinationi clauium: & ideo hæresis est. Et talem iudico assertionem istam: quia licet quandoque homo non confiteretur homini enarrando peccatum ore, sicut modo: tamen ex præcepto Ecclesiæ tenetur ad illud. *Ad quæstiunculam.*

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd nec Magister hic, nec Gratianus in decreto recitat hoc approbando, sed potius condemnando, & errorem in oppositum disputando manifestando.

AD ALIVD dicendum, quòd ex illa ratione non potest haberi, quòd sit de opinabilibus, sed potius quòd non omnino sit morale, sed disciplinale secundum aliquid: sicut supra distinct. 15. per disputationem habetur, quòd substantialiter quidem morale est, sed determinatio ipsius est disciplinalis, & per Ecclesiam facta: & hoc ad vtilitatem hominum, & Ecclesiasticæ vnitatis tota die fieri potest.

AD ALIVD dicendum, quòd licet auctoritas canonis non sit de tota determinatione, tamen innuit canon hoc fieri posse, & esse vtile tam in Veteri quam in Nouo Testamento: in Veteri enim præcipit diligenter agnosci vultum pecoris: in Nouo autem in canonica Iacobi expresse dicens, Confitemini alterutrum peccata vestra. Multa autem de modo illius præcepti notata sunt supra: & ideo hic transeundum.

Deinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Reuela viam tuam ante Deum, &c.] Ex ista enim

auctoritate Chryſoſt. habetur, quòd non tenemur confiteri niſi ante Deum.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd alia eſt confeſſio ſacramentalis, & alia ſupplicationis: ſacramentalem neceſſe eſt fieri homini, & de hac non loquitur Chryſoſtom. Confeſſio autem ſupplicationis eſt, quando aliquis in oratione ſe humilians accuſat, vt ſic facilius exaudiatur: & hoc fit coram Deo ſolo: & de hac loquitur ſanctus: ſicut & Daniel. 11. vbi dicitur, quòd confitebatur in oratione peccata ſua, & peccata parentum ſuorum, vt humiliatus facilius exaudiretur.

ARTICVLVS XXXIV.

An recognoſcens peccata ſua poteſt aduerſus proximum in corde ſuo tenere?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Si habueris peccata tua in mente, &c.] Videtur enim hoc non eſſe neceſſarium: multos enim videmus ſua mala recognoſcere, qui tamen proximo non indulgent, & multa mala recogitant.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd intelligitur de tentione in memoria cum deteſtatione perfecta: qui enim peccatum memoratum perfecte deteſtatur, ſicut facit vere pœnitens, non multiplicat ſuum peccatum, malum proximo cogitando.

ARTICVLVS XXXV.

An aliquis poteſt confiteri ſuo conſeruo?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Non dico vt confiteatis ea, &c.] Conſeruus enim hominis eſt quilibet homo: ergo nulli homini debet confiteri: & ſic totum falſum eſt, quod ſupra diſputatum eſt.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd poteſt fieri vis in conſeruo: quia conſeruus poteſt dici æqualis conditione & gradu, & ſic ſacerdos non eſt conſeruus: & tunc non intelligitur hic niſi confeſſio laici & popularis, quæ ſæpe fit ad exprobrationem: quia laici non habentes diſcretionem ſigilli confeſſionis, exprobrant audita confitenti. Vel aliter poteſt dici, quia vis eſt in hoc quod dicit, Vt tibi exprobret: quod licet ſacerdos conſeruus ſit, non tamen debet confiteri vt homini, quia ſic poſſet exprobrare confitenti, ſed debet confiteri vt Deo: quia ſic prohibetur ab exprobratione ſacerdos ſigillo confeſſionis: quia nouit hoc vt ſecretum Dei, & non vt narrationem humanam.

ARTICVLVS XXXVI.

Qualis debet eſſe confeſſio?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Dicto ingemiſcens & lacrymans, &c.] Hic ponenda eſt quæſtio vtilis, Qualis debeat eſſe confeſſio? & dicunt Magiſtri, quòd decem & ſex dant ei debitam qualitatem, quæ his verſibus notantur:

Sit ſimplex, humilis, confeſſio pura, fidelis,
Et frequens, nuda, diſcreta, libens verecunda,
Integra, ſecreta, lacrymabilis, accelerata,
Fortis, & accuſans, & ſic parere parata.

Iſtæ enim ſunt ſedecim qualitates, quæ aſſignantur confeſſioni à Magiſtris.

Quæritur autem, Qualiter dicatur ſimplex? Videtur enim, quòd multiplex eſſet melior: quia alia conditio ſua eſt, quòd ſit frequens. Si autem dicatur, quod dicitur ſimplex quantum ad peccati enarrationem. Contra: Non ſimpliciter debet enarrari peccatum, ſed potius peccatum cum circunſtantiis: ergo videtur, quòd non debet eſſe ſimplex. Si vero dicas, quòd intelligitur de ſimplicitate confitentis. Contra: Roman. 16. Volo vos eſſe ſapientes in bono, & ſimplices in malo: ſed vnum optimorum eſt confeſſio: ergo in ipſa non debet aliquis eſſe ſimplex.

2 Deinde quæritur, Qualiter ſit humilis confeſſio? Non enim videtur humilitas qualitas eſſe confeſſionis, ſed potius confitentis. Præterea videtur, quòd omnis confeſſio ſit humilis: omnis enim actus humilians agentem, humilis eſt: ſed nihil adeo vt confeſſio, humiliat agentem: ergo videtur, quòd omnis confeſſio ſit humilis.

3 Deinde quæritur de hoc quod dicit, Pura. Hoc enim non videtur differre à ſimplicitate. Purum enim eſt, quod nihil alieni habet permixtum, & ſimiliter idem eſt ſimplex: ergo videtur, quòd hæc duo in confeſſione ſint vnum. Si autem tu dicas, quòd puritas refertur ad confitentem. Contra: Quia ſecundum hoc nullus impurus confiteretur, id eſt, habens peccatum mortale: & hoc ſupra eſt improbatum: ergo videtur, quòd non debet poni, quòd ſit pura.

4 Deinde quæritur de hoc quod dicit, Fidelis. Aut enim intelligitur de fide confitentis, aut confeſſionis. Si primo modo: tunc non eſt proprium confeſſionis, quia nihil placet Deo ſine fide. Si autem de fide confeſſionis, vt communiter dicitur: tunc idem eſt confeſſionem eſſe fidelem, quod veram: & veritas iſta ſupponitur in ſimplicitate & puritate: & ideo illud membrum ſuperfluere videtur.

5 Vlterius quæritur de hoc quod dicit, Frequens. Hoc enim non eſt neceſſarium: quia ſufficit ſemel bene facta confeſſio. Item, Omnis actus frequenter iteratus, efficitur leuis, & fit cum maiori negligentia agentis, quia non ponitur ſtudium niſi circa difficile: ergo frequens confeſſio negligentior efficitur: ſed hæc eſt qualitas mala: ergo frequentia non eſt bona qualitas confeſſionis.

6 Obiicitur etiam de hoc quod dicitur debere eſſe nudam. Quia hoc nihil differre videtur à ſimplicitate, quæ ſupra aſſignata eſt: ergo pro qualitate diuerſa poni non debet.

7 Obiicitur etiam de hoc quod dicitur, Diſcreta. Si enim intelligitur diſcretio quoad hoc quod omnia computet: tunc idem re, etſi non ratione, eſt eſſe diſcretam, quod eſſe integram: & ſic alterum illorum ſuperfluit. Si autem intelligitur diſcreta quoad confitentem, qui debet eſſe diſcretus. Contra: Confeſſio obligat & diſcretum & indiſcretum æqualiter: ergo eſt diſcreti & indiſcreti æqua

ti æqualiter : ergo non debet dici discreta à discretione confitentis.

8 Item de hoc quod dicit, Libens. Impossibile enim est, quod aliquid sit libens & amarum simul : sed confessio debet esse cum amaritudine, sicut dicitur Isa. 38. Recogitabo tibi omnes annos meos in amaritudine animæ meæ. Ergo non potest esse libens, vt videtur.

9 De hoc autem quod dicitur debere esse verecundam : videtur falsum : quia nihil retrahens à confessione est bona qualitas confitentis vel confessionis : verecundia autem est retrahens quantum ast de se, nisi aliquis dominetur ei : ergo non est bona qualitas confessionis. Item, In naturis quicquid impedit de se actum aliquem, non est bona qualitas agentis, inquantum agens est: ergo & in sanctis moribus sic erit : sed verecundia de se retrahit à confessione, vt cuilibet patet: ergo, &c. Item, Beatus Gregor. laudat Mariam Magdalenam ex hoc quod ipsa inter conuiuantes non erubuit in confessione dicens, Quia semetipsam grauiter erubescebat intus, nihil quod verecundaretur credebat esse foris : ergo & aliis est laudabilis qualitas non erubescere. Item, Paulo ante habitum est in litera, Si erubui peccatum meum coram populo confiteri. Ergo si Iob dicit laudando se non erubuisse, erubescentia laudabilis qualitas confessionis esse non potest.

10 Deinde obiicitur de hoc quod dicit, Integra. Hoc enim videtur impossibile : quia dicit Psalm. 18. Delicta quis intelligit ? Ergo integre nullus confitetur. Si autem tu dicas, quòd recordatum integre confitendum est cum suis circunstantiis. Contra : Supra habitum est dist. 13. quòd circunstantias non oportet confiteri, nisi trahant ad aliud genus : ergo hæc non est essentialis qualitas confessionis. Si autem dicas, quòd integra dicitur, quia totum vni confitendum est. Contra : Ponamus, quòd duo iniungant duas medietates veræ pœnitentiæ : in qualibet autem re duæ medietates rei æquipollent integro: ergo illæ duæ medietates sufficiunt : ergo potest sic dimidiari confessio : & insuper melior videtur, quia maior est verecundia coram duobus, vel tribus, quam coram vno.

11 Secreta autem non videtur debere esse : quia iam ante in litera laudata est confessio quæ fit coram populo. Item, Magdalena est confessa opere ad minus, scilicet flendo, coram populo : & laudatur multum eius confessio : ergo videtur, quòd non debeat esse secreta. Item, Iam diximus ante, quòd debet esse verecunda: ergo melior est magis verecunda: sed magis verecunda est, quæ fit coram pluribus, quam secreta.

12 Lacrymabilis etiam esse non videtur : ex quadam enim disputatione supra habita 14. dist. habetur, quòd quandoque minus dolens, plus lacrymatur : & magis dolens, minus vel nihil : cum igitur laudabilior sit confessio quæ fit cum maiori dolore, videtur quòd laudabilior non lacrymabilis. Item, Supra dixit August. distinct. 13. quòd pœnitens debet gaudere de dolore: sed impossibile videtur simul gaudere & lacrymari præ angustia: ergo videtur, quod confessio non debet esse cum lacrymis, sed potius cum gaudio.

13 Accelerata autem non videtur esse simul & discreta : quia nihil quod in sui factione requirit magnam discretionis deliberationem, potest esse acceleratum : sed confessio sic requirit præcognitionem & deliberationem : ergo non potest esse accelerata. Si autem dicas, quòd debet esse accelerata ratione temporis, quia non debet differri. Contra : Ecclesia non obligat, nisi quod semel in anno fiat : ergo vltra hoc tempus non oportet confiteri : ergo non oportet esse acceleratam hoc modo. Sed de hoc infra erit quæstio specialis.

14 Fortis autem non videtur aliquo modo esse confessio: quia nihil difficile est in enarratione peccatorum : fortitudo autem non requiritur nisi in difficili : ergo videtur, quòd fortitudo non sit qualitas debita confessioni.

15 Accusans quidem confessio est: sed hoc videtur supponi in hoc quod dicitur verecunda: quia non est verecunda, nisi de accusatione diuina : ergo quando verecunda esse ponitur, illud videtur superfluum esse.

16 Videtur autem, quòd non oporteat quod sit parere parata : quia etiamsi non sit parata, adhuc confessio est, sicut supra probatum est. Item, Qui confitetur, & non emendat, nihilominus tamen implet mandatum Ecclesiæ : ergo non oportet, quòd sit parata semper obedire. Item, Aliqui sacerdotes nituntur iniungere quod non oportet facere pœnitentem: ergo in tali casu non oportet, quòd sit parata parere.

17 Adhuc videtur, quòd iste numerus non competat dictis beati Bernard. super Cantic. serm. 16. Nequaquam iudicetur de eo quod non sit vox, neque sensus : si tamen de corde humili fidelique processit confessio : omne ergo quod remordet conscientiam, confitere humiliter, pure, & fideliter, & has vices implesti. Ex hoc accipitur, quòd non sunt nisi tres confessionis qualitates: & sic aliæ videntur superfluere.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum ad hoc, quòd illæ conditiones confessionis, sunt confessionis non cuiuslibet, sed perfectæ secundum statum meritorium : & ideo non omnibus confessionibus conueniunt. Accipiuntur autem conditiones istæ partim ex consideratione confitentis, partim autem ex consideratione confessionis. Ex parte quidem confitentis accipiuntur septem, scilicet quod sit humilis, libens, lacrymabilis, accelerata, fortis, discreta, & parere parata : aliæ autem omnes circunstant actum confessionis : confessio enim in confitente consideratur quadrupliciter, scilicet inquantum est actus sacramenti, & inquantum est à virtute pœnitentiæ procedens, & in ordine ad sequentem satisfactionem, & inquantum est enarratio peccatorum : & hoc est considerare eam in specie propria. Et primo quidem modo est libens : quia sic voluntas pœnitentis assentit ei, eo quod sacramentum purgat peccatum, & ipse summè purgari desiderat. Si autem consideratur vt actus à virtute pœnitentiæ elicitus, sic est cum difficultate: & quoad hoc exigitur, quòd pœnitens sit fortis. Si autem consideratur in ordine ad satisfactionem sequentem, sic conuenit ei quòd sit parere parata. Si autem consideratur prout est peccatorum enarratio, dupliciter consideratur, scilicet in genere mali, & in specie : & in genere dupliciter, scilicet secundum quòd peccatum est turpe perpetratum, & sic est verecunda : & secundum quod est malum, & sic est lacrymabilis. In specie similiter dupliciter, scilicet secundum ea de quibus est secundum speciem & numerum, quæ

multa sunt,& sic exigit,quòd sit discreta:& secundum quòd præceptum est de ipsa,& sic debet esse accelerata, quia celeritas implendi est præceptum ne occupet transgressio.

In ipsa autem confessione sunt omnia alia hoc modo. Confessionis actus habet in se tria, scilicet obiectum,modum,& actum. Obiectum autem est peccatum ipsum, quod est in multitudine turpi, vestitum circunstantiis malis, habens adiunctum delectabile trahens. Si autem consideratur obiectum vt in multitudine, sic quærit integritatem ne diuidatur: si autem vt circunstantiis vestitum aggrauantibus, sic quærit accusationem sui: si autem consideretur ratione delectabilis adiuncti, sic debet esse secreta, ne aliquis inficiatur auditu, & pertrahatur vi delectationis ad similia. Si autem accipitur actus qui est declaratiuus peccati, aut comparatur ad dicentem, aut audientem: & ad dicentem dupliciter, scilicet prout est meritorius,vel prout est impletiuus præcepti tantum. Si primo modo: tunc debet esse frequens. Si secundo modo: tunc debet esse simplex, id est, simpliciter sine excusatione aliqua factum enarrans, qua intendit obligare Ecclesia confitentes. Si autem comparatur ad audientem, debet confessio esse nuda, vt aperte sacerdos totum intelligere possit cor pœnitentis & confitentis. Modus proprius confessionis est duplex, scilicet quod sit impermixta actui contrario, qui est peccatum,& sic dicitur pura:& quod sit vera sicut dicitur,& sic dicitur fidelis, id est, verax.

Ad primvm ergo dicendum, quòd simplicitas quæ opponitur additioni, non opponitur frequentiæ actus eiusdem,sed potius interpositioni fabularum & factorum quæ non sunt peccata: sicut multi confitentur totam historiam suæ vitæ recitantes, contra quos dicitur Isa.43. Dic tu iniquitates tuas, vt iustificeris: non dic fabulas vitæ tuæ omnes. Ad aliud dicendum,quòd non opponitur enarrationi peccatorum & circunstantiarum, sed tantum illi quod iam dictum est. Ad aliud patet solutio per idem: quia non negatur per hoc quin debeat esse valde sapiens ipse confitens: quia quanto est sapientior, tanto simplicius sine interruptione aliorum actuum confitetur.

Ad hoc quod obiicitur de humilitate, dicendum quòd humilis debet esse: & bene concedimus, quòd hoc confitenti conuenit, sed tamen quia conuenit ei secundum quod est in actu confessionis, ideo assignatur confessioni pro qualitate. Ad aliud dicendum, quòd omnis confessio bona, est humilis: sed tamen non omnis confessio humilis est: quidam enim iactando peccata sua confitentur, de quibus Isa.3. Peccatum suum sicut Sodoma prædicauerunt, nec absconderunt. Et contra istam conditionem præcipue peccant quidam, qui peccatum ignominiosum, sicut furtum, vel aliquid tale, demisso capite confitentur: aliud autem quod sonat seculi vanitatem, sicut torneamentum, vel in disputando victoriam, vel audaciam pugnandi, confitentur erecto capite & ore tidente.

Ad id quod obiicitur de hoc quod debet esse pura, dicendum quòd pura dicitur, quia confitendo non multiplicat impurum: sicut quidam qui ipso actu confessionis multiplicant peccatum, iactando, vel mentiendo, vel desperando,vel præsumendo, vel ab aliquo huiusmodi actu. Ad obiectum autem contra,dicendum quòd ex prædictis patet, in quo differt puritas à simplicitate: quia puritas dicit immixtionem peccati, & simplicitas excludit admixtionem historiæ, non peccati existentis. Ad aliud dicendum, quòd bene conceditur, quòd puritas non dicit ibi immunitatem à peccato ex parte confitentis.

Ad hoc autem quod obiicitur de quarto, scilicet qualiter sit fidelis, patet responsio per antedicta:quia fidelis est per veritatem dicti, secundum quod conscientia dicto attestatur: & per hoc patet solutio ad primam partem obiectionis, quia non intelligitur de fide confitentis. Ad aliud dicendum, quòd vera confessio, non semper est simplex: quia dicitur vera, eo quod rex se ita habeat vt dicitur: & quandoque multa vera de historia vitæ interponuntur, quæ tollunt eius simplicitatem.

Ad aliud dicendum, quòd frequens confessio non est necessaria:nec hic assignantur tantum conditiones essentiales confessionis, sed etiam conditiones confessionis secũdum optimum sui statum: & hæc est vna illarum:quanto enim frequentius confitetur,tanto melius,licet non sit necessarium: quia verecundia semper tollit aliquid de pœna,& etiam vis clauium, & oratio confessoris. Ad id quod contra obiicitur, dicendum quòd quidam actus sunt, qui tantam habent grauitatem adiunctam, quòd frequentia nunquam inducit delectationem, licet aliquo modo grauitatem diminuat: sicut patet in actibus fortitudinis:& quod fortitudo habet ratione grauitatis in sustinendo,hoc habet confessio ratione verecundię in se manifestando diuersis:& tunc sicut manet semper actus grauis, ita nunquam surrepit negligentia, sed semper fit cum attentione & dolore:bene tamen concedo, quòd verecundia diminuitur: & hoc supplet deuotio frequenter se coram diuersis confundentis.

Ad id quod sexto quæritur de hoc quod dicit eam esse nudam:dicendum, quòd ex diffinitione patet,in quo differt à simplicitate:quia nudum sonat apertum, non inuolutum circumlocutionibus, vt aperte intelligatur ab audiente:sed simpliciter dicit priuationem historiæ ad peccatum non pertinentis.

Ad hoc quod obiicitur de discretione, dicendum quòd dicit modum confitentis in actu confessionis, secundum quod est de multis confessio: quia peccata diuersa sunt:debet enim discretus confitens maius peccatum dicere cum maiori detestatione, & minus cum minori:& sic patet, quòd differt ab integritate: quia integritas dicit ne diuidatur in duos audientes, sed discretio dicit vt quodlibet per se debito pondere ponderetur:vnde integra confessio potest esse indiscreta, & discreta potest esse non integra. Vnde patet, quòd ista sunt separata à seinuicem.

Ad aliud dicendum, quòd libens potest esse confessio & amara, sed non secundum idem: consideratur enim vt actus sacramentalis purgans, & sic est libens & volita cum magna deuotione facta: consideratur etiam secundum quod est rememoratiua peccatorum perpetratorum,& sic est facta cum amaritudine, tamen facta per voluntatem, sicut supra in præcedentibus de dolore voluntario notauimus.

Ad

Ad id quod obiicitur contra nonum, scilicet quod debet esse verecunda, dicendum quòd laudabilissimarum conditionum confessionis illa est vna, si sit moderata. Ad id autem quod contra obiicitur, dicendum quòd duplex est verecundia: vna scilicet coram Deo de turpitudine actus, & altera coram hominibus. Et prima est bona & incitans ad confessionem vt purgetur turpe verecundum. Secunda est mala & retrahens: & de illa procedunt tres primæ obiectiones: & de illa quæ est coram Deo, dicit Bern. Quanam fronte attollo iam oculos ad vultum tam boni patris tam malus filius? Pudet indigna gessisse genere meo, pudet tanto patri vixisse degenerem. Item dicit, Quid caduca, vana, & prope nulla, & quorum finis mors est, infelix & insanus præferre non erubui æterni patris amori & honori. Confundor, confundor audire, Si ergo pater, vbi honor meus? Sed etsi pater non esset, obrueret me beneficiis. Instaurat contra me testes (vt alia innumera taceam) huius corporis victum, & vsum temporis huius, & super omnia sanguinem dilecti filij clamantem de terra. Pudet ingratitudinis, quanquam ad confusionis cumulum arguar etiam reddidisse mala pro bonis, & odium pro dilectione. Et parum infra, Erubesce & doce nihilominus anima mea quoniam etsi illum non repetere & non improperare decet: nos tamen omnino dedecet ingratos immemoresque extitisse. Ad vltimum autem dicendum, quòd sicut patuit superius, vbi distinctum fuit de verbo illo, quòd coram populo non debeat confiteri gratia proprij actus cõfessionis, sed gratia sequentis, quod est exemplum ex iiuncta satisfactione: vt sicut coram populo peccauit, ita bonum exemplum ostendat, & verecundia ab his non retrahat, sed potius incitet verecundia quæ est coram Deo.

Ser. 16. super Cantica.

Ad decimvm quod obiicitur de integritate, dicendum quòd integritas opponitur diuisioni quantum ad audientem: & ideo primæ argumentationes non faciunt aliquid contra. Sed ad vltimam dicendum, quòd quantitas peccati, scilicet est in actu, & in radice actus: & licet in diuisa confessione innotescat quantitas actus, tamen non innotescit quantitas radicis, quia vices illæ multæ indicant magnum habitum, & magnam radicem, & difficulter solubilem: & hanc quantitatem intendit principaliter excidere sacerdos per iniunctam satisfactionem: & ideo est, quod dimidiata confessio nunquam est sufficiens, nec potest esse: & etiam ratione supra assignata, quia neutri apparet ita malus sicut est: & hoc est se excusare, & ad hypocrisim tendere, & semper venia carere, sicut dictum est in præcedenti distinctione.

Ad id quod vndecimo quæritur de secreta confessione, dicendum quòd bonum est secretam esse propter scandalum. Ad id quod obiicitur primo in contrarium, patet solutio per dicta. Ad id quod de Maria Magdalena obiicitur, dicendum quòd ipsa non exposuit peccatum in publico, sed peccatricem in genere se ostendit in publico: & hoc non incitat nec instigat ad peccatum nescientes: & tamen etiam hoc ipsum non oportet, nisi aliquis velit in criminibus magnis. Ad vltimum dicendum, quòd intelligitur de verecundia quæ est coram Deo discreta, ne alicui procuret nocumentum vel scandalum.

Ad id quod obiicitur duodecimo, quòd debet esse accelerata, dicendum quòd in actu nulla debet esse celeritas, sicut probat obiectio prima: imo mora exigitur propter deliberationem, & singultus pœnitentium: sed accelerata tollit procrastinationem pœnitentium, ne tardent conuerti ad Dominum, & ne differant de die in diem, sicut præcipitur Eccli. 5. Ad obiectum autem contra, dicendum quòd licet Ecclesia præceperit tempus, non tamen excluſit consilium: quia quanto citius, tanto melius: vnde secutum est accelerare quantum potest: & sicut dictum est, hic assignantur conditiones confessionis secundum optimum statum sui.

Ad hoc quod 13. obiicitur de lacrymabili, dicendum quòd lacrymosa ponitur pro gemebunda, sicut hic dicitur in litera: & sicut dicit beatus Gregorius in quadam homilia de Maria Magdalena sic: Quæ dum lacrimosa ad eum medullitus ingemuerat, à peste mox curatur, qua miserè languerat. Et beatus Bern. supra Cantica serm. 3, Non tibi o quæcunque talis es anima, non ille locus vilis aut despicabilis videatur, (scilicet ante pedes Domini qui sunt iudicium & misericordia) vbi sancta peccatrix peccata deposuit, induit sanctitatem. Ibi Æthiopissa mutauit pellem, & in nouum restituta candorem, iam tunc fiducialiter veraciterque respondebat exprobrantibus sibi verbum: Nigra sum, sed formosa filiæ Ierusalem. Miraris quanam id arte potuit, vel quibus obtinuerit meritis? Paucis accipe. Fleuit amare, & de intimis visceribus longa suspiria trahens, salutaribus intra se succussa singultibus, felleos humores euomuit. Ad id autem quod contra obiicitur, dicendum quòd dicitur lacrymosa magis à lacrymis rationis & spei, quam spiritus & corporis. Ad aliud dicendum, quòd Aug. non intendit, quòd gaudium illud excludat dolorem & lacrymas: & huius ratio sæpius supra assignata est.

Ad id quod obiicitur de 14. quòd sit fortis, dicendum sicut patuit in diuisione, quòd difficillimorum operum est confiteri: sicut enim supra in litera dicit Augustinus quòd perfectè videtur purgare qui erubescentiæ dominans, nihil eorum quæ fecit, nuntio & vicario Dei abscondit: & ratione difficultatis quam ingerit confusio humana, exigitur fortitudo in confitente: & hoc petiit Psalm. 89. cum dicit, Nec vrgeat super me puteus os suum: sicut supra patuit in litera, vbi hoc inducitur ab Aug.

Ad hoc quod 15. obiicitur, scilicet de accusatione, dicendũ quòd non supponitur ibi verecũdia: quia accusans est, quando culpam in se non in alium refundit, sicut fecit Adam: & hoc petiit Psalm. 140. dicens, Non declines cor meum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis. Verecundia autem dicit confusionem passiuam coram Deo, accusans vero sibi facit verecundiam actiuam coram homine sacerdote: & ideo patet, quòd vnum supponitur vel relinquitur in alio.

Ad id quod 16. obiicitur, quòd sit parere parata, dicendum quòd hæc conditio est fructuosæ confessionis: & per hoc patet solutio ad duo prima. Ad vltimum dicendum, quòd intelligitur de his debere esse obediens quæ necessaria sunt ad salutem: & de hoc in superioribus habita est quæstio specialis, Vtrum scilicet iniungi possint consilia & opera erogationis.

multa ſunt,& ſic exigit,quòd ſit diſcreta:& ſecundum quòd præceptum eſt de ipſa,& ſic debet eſſe accelerata, quia celeritas implendi eſt præceptum ne occupet tranſgreſſio.

In ipſa autem confeſſione ſunt omnia alia hoc modo. Confeſſionis actus habet in ſe tria, ſcilicet obiectum,modum,& actum. Obiectum autem eſt peccatum ipſum, quod eſt in multitudine turpi, veſtitum circunſtantiis malis, habens adiunctum delectabile trahens. Si autem conſideratur obiectum vt in multitudine, ſic quærit integritatem ne diuidatur: ſi autem vt circunſtantiis veſtitum aggrauantibus, ſic quærit accuſationem ſui: ſi autem conſideretur ratione delectabilis adiuncti, ſic debet eſſe ſecreta, ne aliquis inficiatur auditu, & pertrahatur vi delectationis ad ſimilia. Si autem accipitur actus qui eſt declaratiuus peccati, aut comparatur ad dicentem, aut audientem: & ad dicentem dupliciter, ſcilicet prout eſt meritorius,vel prout eſt impletiuus præcepti tantum. Si primo modo: tunc debet eſſe frequens. Si ſecundo modo: tunc debet eſſe ſimplex, id eſt, ſimpliciter ſine excuſatione aliqua factum enarrans, qua intendit obligare Eccleſia confitentes. Si autem comparatur ad audientem, debet confeſſio eſſe nuda, vt aperte ſacerdos totum intelligere poſſit cor pœnitentis & confitentis. Modus proprius confeſſionis eſt duplex, ſcilicet quod ſit impermixta actui contrario, qui eſt peccatum,& ſic dicitur pura:& quod ſit vera ſicut dicitur,& ſic dicitur fidelis, id eſt, verax.

Ad primvm ergo dicendum, quòd ſimplicitas quæ opponitur additioni, non opponitur frequentiæ actus eiuſdem,ſed potius interpoſitioni fabularum & factorum quæ non ſunt peccata: ſicut multi confitentur totam hiſtoriam ſuæ vitæ recitantes, contra quos dicitur Iſa.43. Dic tu iniquitates tuas, vt iuſtificeris: non dic fabulas vitæ tuæ omnes. Ad aliud dicendum,quòd non opponitur enarrationi peccatorum & circunſtantiarum, ſed tantum illi quod iam dictum eſt. Ad aliud patet ſolutio per idem: quia non negatur per hoc quin debeat eſſe valde ſapiens ipſe confitens: quia quanto eſt ſapientior, tanto ſimplicius ſine interruptione aliorum actuum confitetur.

Ad hoc quod obiicitur de humilitate, dicendum quòd humilis debet eſſe: & bene concedimus, quòd hoc confitenti conuenit, ſed tamen quia conuenit ei ſecundum quod eſt in actu confeſſionis, ideo aſſignatur confeſſioni pro qualitate. Ad aliud dicendum, quòd omnis confeſſio bona, eſt humilis: ſed tamen non omnis confeſſio humilis eſt: quidam enim iactando peccata ſua confitentur, de quibus Iſa.3. Peccatum ſuum ſicut Sodoma prædicauerunt, nec abſconderunt. Et contra iſtam conditionem præcipue peccant quidam, qui peccatum ignominioſum, ſicut furtum, vel aliquid tale, demiſſo capite confitentur: aliud autem quod ſonat ſeculi vanitatem, ſicut torneamentum, vel in diſputando victoriam, vel audaciam pugnandi, confitentur erecto capite & ore ridente.

Ad id quod obiicitur de hoc quod debet eſſe pura, dicendum quòd pura dicitur, quia confitendo non multiplicat impurum: ſicut quidam qui ipſo actu confeſſionis multiplicant peccatum, iactando, vel mentiendo, vel deſperando,vel præſumendo, vel ab aliquo huiuſmodi actu. Ad obiectum autem contra,dicendum quòd ex prædictis patet, in quo differt puritas à ſimplicitate: quia puritas dicit immixtionem peccati, & ſimplicitas excludit admixtionem hiſtoriæ, non peccati exiſtentis. Ad aliud dicendum, quòd bene conceditur, quòd puritas non dicit ibi immunitatem à peccato ex parte confitentis.

Ad hoc autem quod obiicitur de quarto, ſcilicet qualiter ſit fidelis, patet reſponſio per antedicta:quia fidelis eſt per veritatem dicti, ſecundum quod conſcientia dicto atteſtatur: & per hoc patet ſolutio ad primam partem obiectionis, quia non intelligitur de fide confitentis. Ad aliud dicendum, quòd vera confeſſio, non ſemper eſt ſimplex: quia dicitur vera, eo quod rex ſe ita habeat vt dicitur: & quandoque multa vera de hiſtoria vitæ interponuntur, quæ tollunt eius ſimplicitatem.

Ad aliud dicendum, quòd frequens confeſſio non eſt neceſſaria:nec hic aſſignantur tantum conditiones eſſentiales confeſſionis, ſed etiam conditiones confeſſionis ſecũdum optimum ſui ſtatum: & hæc eſt vna illarum:quanto enim frequentius confitetur,tanto melius,licet non ſit neceſſarium: quia verecundia ſemper tollit aliquid de pœna,& etiam vis clauium, & oratio confeſſoris. Ad id quod contra obiicitur, dicendum quòd quidam actus ſunt, qui tantam habent grauitatem adiunctam, quòd frequentia nunquam inducit delectationem, licet aliquo modo grauitatem diminuat: ſicut patet in actibus fortitudinis:& quod fortitudo habet ratione grauitatis in ſuſtinendo,hoc habet confeſſio ratione verecundię in ſe manifeſtando diuerſis:& tunc ſicut manet ſemper actus grauis, ita nunquam ſurrepit negligentia, ſed ſemper fit cum attentione & dolore:bene tamen concedo, quòd verecundia diminuitur: & hoc ſupplet deuotio frequenter ſe coram diuerſis confundentis.

Ad id quod ſexto quæritur de hoc quod dicit eam eſſe nudam:dicendum, quòd ex diffinitione patet,in quo differt à ſimplicitate:quia nudum ſonat apertum, non inuolutum circumlocutionibus, vt aperte intelligatur ab audiente:ſed ſimpliciter dicit priuationem hiſtoriæ ad peccatum non pertinentis.

Ad hoc quod obiicitur de diſcretione, dicendum quòd dicit modum confitentis in actu confeſſionis, ſecundum quod eſt de multis confeſſio: quia peccata diuerſa ſunt:debet enim diſcretus confitens maius peccatum dicere cum maiori deteſtatione, & minus cum minori:& ſic patet, quòd differt ab integritate: quia integritas dicit ne diuidatur in duos audientes, ſed diſcretio dicit vt quodlibet per ſe debito pondere ponderetur:vnde integra confeſſio poteſt eſſe indiſcreta, & diſcreta poteſt eſſe non integra. Vnde patet, quòd iſta ſunt ſeparata à ſeinuicem.

Ad aliud dicendum, quòd libens poteſt eſſe confeſſio & amara, ſed non ſecundum idem: conſideratur enim vt actus ſacramentalis purgans, & ſic eſt libens & volita cum magna deuotione facta: conſideratur etiam ſecundum quod eſt rememoratiua peccatorum perpetratorum,& ſic eſt facta cum amaritudine, tamen facta per voluntatem, ſicut ſupra in præcedentibus de dolore voluntario notauimus.

Ad

Ad id quod obiicitur contra nonum, scilicet quod debet esse verecunda, dicendum quòd laudabilissimarum conditionum confessionis illa est vna, si sit moderata. Ad id autem quod contra obiicitur, dicendum quòd duplex est verecundia: vna scilicet coram Deo de turpitudine actus, & altera coram hominibus. Et prima est bona & incitans ad confessionem vt purgetur turpe verecundum. Secunda est mala & retrahens: & de illa procedunt tres primæ obiectiones: & de illa quæ est coram Deo, dicit Bern. Quanam fronte attollo iam oculos ad vultum tam boni patris tam malus filius? Pudet indigna gessisse genere meo, pudet tanto patri vixisse degenerem. Item dicit, Quid caduca, vana, & prope nulla, & quorum finis mors est, infelix & insanus præferre non erubui æterni patris amori & honori. Confundor, confundor audire, Si ergo pater, vbi honor meus? Sed etsi pater non esset, obrueret me beneficiis. Instaurat contra me testes (vt alia innumera taceam) huius corporis victum, & vsum temporis huius, & super omnia sanguinem dilecti filij clamantem de terra. Pudet ingratitudinis, quanquam ad confusionis cumulum arguar etiam reddidisse mala pro bonis, & odium pro dilectione. Et parum infra, Erubesce & doce nihilominus anima mea quoniam etsi illum non repetere & non impropetare decet: nos tamen omnino dedecet ingratos immemoresque extitisse. Ad vltimum autem dicendum, quòd sicut patuit superius, vbi distinctum fuit de verbo illo, quòd coram populo non debeat confiteri gratia proprij actus cõfessionis, sed gratia sequentis, quod est exemplum ex iuncta satisfactione: vt sicut coram populo peccauit, ita bonum exemplum ostendat, & verecundia ab his non retrahat, sed potius incitet verecundia quæ est coram Deo.

Ser. 16. super Cantica.

Ad decimvm quod obiicitur de integritate, dicendum quòd integritas opponitur diuisioni quantum ad audientem: & ideo primæ argumentationes non faciunt aliquid contra. Sed ad vltimam dicendum, quòd quantitas peccati, scilicet est in actu, & in radice actus: & licet in diuisa confessione innotescat quantitas actus, tamen non innotescit quantitas radicis, quia vices illæ multæ indicant magnum habitum, & magnam radicem, & difficulter solubilem: & hanc quantitatem intendit principaliter excidere sacerdos per iniunctam satisfactionem: & ideo est, quod dimidiata confessio nunquam est sufficiens, nec potest esse: & etiam ratione supra assignata, quia neutri apparet ita malus sicut est: & hoc est se excusare, & ad hypocrisim tendere, & semper venia carere, sicut dictum est in præcedenti distinctione.

Ad id quod vndecimo quæritur de secreta confessione, dicendum quòd bonum est secretam esse propter scandalum. Ad id quod obiicitur primo in contrarium, patet solutio per dicta. Ad id quod de Maria Magdalena obiicitur, dicendum quòd ipsa non exposuit peccatum in publico, sed peccatricem in genere se ostendit in publico: & hoc non incitat nec instigat ad peccatum nescientes: & tamen etiam hoc ipsum non oportet, nisi aliquis velit in criminibus magnis. Ad vltimum dicendum, quòd intelligitur de verecundia quæ est coram Deo discreta, ne alicui procuret nocumentum vel scandalum.

Ad id quod obiicitur duodecimo, quòd debet esse accelerata, dicendum quòd in actu nulla debet esse celeritas, sicut probat obiectio prima: imo mora exigitur propter deliberationem, & singultus pœnitentium: sed accelerata tollit procrastinationem pœnitentium, ne tardent conuerti ad Dominum, & ne differant de die in diem, sicut præcipitur Eccli. 5. Ad obiectum autem contra, dicendum quòd licet Ecclesia præceperit tempus, non tamen exclusit consilium: quia quanto citius, tanto melius: vnde secutum est accelerare quantum potest: & sicut dictum est, hic assignantur conditiones confessionis secundum optimum statum sui.

Ad hoc quod 13. obiicitur de lacrymabili, dicendum quòd lacrymosa ponitur pro gemebunda, sicut hic dicitur in litera: & sicut dicit beatus Gregorius in quadam homilia de Maria Magdalena sic: Quæ dum lacrimosa ad eum medullitus ingemuerat, à peste mox curatur, qua miserè languerat. Et beatus Bern. supra Cantica serm. 3, Non tibi o quæcunque talis es anima, non ille locus vilis aut despicabilis videatur, (scilicet ante pedes Domini qui sunt iudicium & misericordia) vbi sancta peccatrix peccata deposuit, induit sanctitatem. Ibi Æthiopissa mutauit pellem, & in nouum restituta candorem, iam tunc fiducialiter veraciterque respondebat exprobrantibus sibi verbum: Nigra sum, sed formosa filiæ Ierusalem. Miratis quanam id arte potuit, vel quibus obtinuerit meritis? Paucis accipe. Fleuit amare, & de intimis visceribus longa suspiria trahens, salutaribus intra se succussa singultibus, felleos humores euomuit. Ad id autem quod contra obiicitur, dicendum quòd dicitur lacrymosa magis à lacrymis rationis & spei, quam spiritus & corporis. Ad aliud dicendum, quòd Aug. non intendit, quòd gaudium illud excludat dolorem & lacrymas: & huius ratio sæpius supra assignata est.

Ad id quod obiicitur de 14. quòd sit fortis, dicendum sicut patuit in diuisione, quòd difficillimorum operum est confiteri: sicut enim supra in litera dicit August. quòd perfectè videtur purgare qui erubescentiæ dominans, nihil eorum quæ fecit, nuntio & vicario Dei abscondit: & ratione difficultatis quam ingerit confusio humana, exigitur fortitudo in confitente: & hoc petiit Psalm. 89. cum dicit, Nec vrgeat super me puteus os suum: sicut supra patuit in litera, vbi hoc inducitur ab Aug.

Ad hoc quod 15. obiicitur, scilicet de accusatione, dicendũ quòd non supponitur ibi verecũdia: quia accusans est, quando culpam in se non in alium refundit, sicut fecit Adam: & hoc petiit Psalm. 140. dicens, Non declines cor meum in verba malitiæ ad excusandas excusationes in peccatis. Verecundia autem dicit confusionem passiuam coram Deo, accusans vero sibi facit verecundiam actiuam coram homine sacerdote: & ideo patet, quòd vnum supponitur vel relinquitur in alio.

Ad id quod 16. obiicitur, quòd sit parere parata, dicendum quòd hæc conditio est fructuosæ confessionis: & per hoc patet solutio ad duo prima. Ad vltimum dicendum, quòd intelligitur de his debere esse obediens quæ necessaria sunt ad salutem: & de hoc in superioribus habita est quæstio specialis, Vtrum scilicet iniungi possint consilia & opera erogationis.

AD ID quod obiicitur de conditionibus Bernardi, dicendum quòd ipse non assignat nisi necessarias & essentiales, in quibus confessio sacramentalis differt ab aliis peccatorum enarrationibus: & humilitas quidem est motus eius secundum considerationem sui obiecti quod est humilians, quia est peccatum. Puritas vocatur hic exclusio omnis alieni tam historiæ, quam etiam peccati cumulantis peccatum per iactantiam vel aliquid huiusmodi: & fidelitas est veracitas in dicto. Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICVLVS XXXVII.

An temporalibus pœnis mutantur æterna supplicia?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Temporalibus pœnis mutans æterna supplicia, &c.] Videtur hoc esse falsum: primo quidem, quia passione non meremur: sed pœnæ temporales quædam sunt passiones: ergo eis non meremur: ergo non merendo pœnis temporalibus mutamus æterna incendia.

2 Adhuc, Posito etiam, quòd pœnis mereamur, videtur impossibile dicere: quia nullum temporale potest in æternum: sed pœnæ corporales sunt temporales: ergo non possunt in pœnas æternas: ergo non debent eas mutare: ergo falsum est quod dicit in litera.

3 Item, Adhuc communiter Doctores tradunt, quòd pœna æterna adiuncta est culpæ mortali, & soluta ipsa soluitur: sed culpa mortalis non soluitur pœna, sed gratia gratum faciente quæ infunditur contrito: ergo & pœna æterna: ergo deletiuum pœnæ æternæ non est pœna corporalis.

4 Adhuc, Omne delens & destruens aliquid, potentius est eo: sed, sicut dicit litera, pœna temporalis delet pœnam æternam: ergo potentior est illa: ergo temporale potentius est æterno eiusdem generis, quod est impossibile.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd pœna temporalis delet æternam, sicut dicit litera: sed hæc pœna temporalis incipit & radicatur in dolore contritionis primo informato per gratiam in prima gratiæ infusione: quia quatuor sunt simul in iustificatione impij, sicut supra determinatum est.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd pœna secundum quod est passio tantum, non meremur: quia, sicut dicit Auctor sex principiorum, passio est effectus illatioque actionis: & sic ab alio est, & non à nobis. Omne autem laudabile, remunerabile, & meritorium opus, est à nobis. Sed est considerare pœnam à nobis factam, & volitam, qualis pœna est pœnitentiæ: & secundum hunc modum est meritoria vitæ æternæ, & diminutionis pœnæ.

AD ALIVD dicendum, quòd temporale per hoc quod est temporale, non potest in æternum, sed temporale informatum forma habente vim æterni, sicut est gratia, quæ est similitudo diuinæ bonitatis: & per hanc vim diuinam, habet vim delendi æternum contrarium sibi. Et per hoc patet etiam solutio ad vltimum.

AD ALIVD dicendum, quòd peccatum cum pœna deletur gratia & dolore: sed dolor immediate agit in pœnam, & per consequens in culpam, & gratia è conuerso: & hoc sæpissime supra in huius quarti disputatione dictum est: & sic dicendum est hic, quòd gratia sola delet peccatum: & si aliquid aliud delet peccatum, hoc est à virtute gratiæ, quia scilicet ipsum est gratia informatum.

ARTICVLVS XXXVIII.

An aliquis potest agere pœnitentiam nescientibus aliis: & seipsum aliquis potest excommunicare?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Nescientibus aliis ipsi in se voluntariæ excommunicationis ferunt sententiam, &c.] Videtur enim duo falsa hic dicere, vel supponere. Vnum est, quòd nescientibus aliis aliquis possit agere pœnitentiam, quod falsum est, cum oporteat peccatum suum scire confessorem ad minus.

Secundum est quod videtur supponere, quòd aliquis seipsum excommunicare possit: quod iterum falsum videtur: quoniam excommunicatio est de iurisdictione superioris: nullus autem sibi est superior: ergo nullus seipsum potest excommunicare.

Tertio videtur inconueniens quod dicit. Et ab altari cui ministrabant, non animo, sed officio separati. Altaris enim participatio confert maximam gratiam: ergo indigens gratia, maxime quæret altaris participationem: sed nullus tantum indiget gratia vt peccator pœnitens: ergo ille maxime debet se altari coniungere, & ita non debet se ab altari animo separare.

2 Item, Nulli redeunti interdicitur via redeundi: sed non est reditus à peccato nisi per sacramenta: ergo sacramenta interdici non debent, sed potissimum sacramentorum est altaris participatio: ergo illa interdici non debet: ergo ab altari non debet animo separari: & sic nihil videtur esse quod dicitur in litera.

RESPONSIO. Dicendum ad primum, quòd non dicitur, Nescientibus aliis, propter exclusionem confessoris: sed quia scit nullus modo hominis, sed modo Dei solus nouit confessor: & hoc est quod supra dictum est, quòd confessionis vna conditio est, quòd sit secreta. *Solutio.*

AD ALIVD dicendum, quòd excommunicatio ponitur hic pro similitudine effectus excommunicationis, & non pro ipsa excommunicatione: effectus autem quidam est suspensio à locis sacris, & participatione Eucharistiæ: & hoc quandoque aliquis ex se facit ex humilitate: & tunc notat eum se excommunicatione ferire.

AD ALIVD dicendum, quòd licet Eucharistia sit dignissimum sacramentum, ratione supra in tractatu de Eucharistia notata: non tamen est necessarium, & ideo ex humilitate bonum est quandoque se elongare: & rationes huius plurimæ dictæ sunt supra.

AD VLTIMVM dicendum, quòd via redeundi nulli negatur: quia compendiosior via est humilitas pœnitentis: & Eucharistia non est via necessaria, sed expedit ad viam idoneam accipere.

Quod non sufficit soli Deo confiteri si tempus adsit, si tamen homini possit.

SED quòd sacerdotibus confiteri oporteat, non solum illa auctoritate Iacobi, Confitemini alterutrum peccata vestra, &c. sed etiam aliorum pluribus testimoniis comprobatur. Ait enim August. Iudicet seipsum homo voluntarie dum potest, & mores conuertat in melius: ne cum iam non poterit, præter voluntatem à Domino iudicetur, & cum in se protulerit seuerissimæ medicinæ, sed tamen vtilissimæ, sententiam, veniam ad antistites per quos illi claues ministrantur Ecclesiæ: tanquam bonus iam incipiens esse filius, maternorum membrorum ordine custodito, à præpositis sacramentorum accipiat satisfactionis suæ modum, in offerendo sacrificio contriti cordis deuotus & supplex. Id tamen agat quod non solum sibi prosit ad salutem, sed etiam ad exemplum cæteris: vt si peccatum eius non modo in graui eius malo, sed etiam in tanto scandalo aliorum est, atque hoc expedire vtilitati Ecclesiæ videtur antistiti, in notitiam multorum vel totius plebis agere pœnitentiam non recuset: ne lethali plagæ per pudorem addat tumorem, cum tanta est plaga peccati & impetus morbi, vt medicamenta corporis & sanguinis Domini differenda sint, auctoritate antistitis, debet se quisque remouere ab altari ad agendam pœnitentiam & eadem reconciliari. Item Leo Papa, Multiplex misericordia Dei ita lapsibus subuenit humanis, vt non modo per baptismum, sed etiam per pœnitentiam spes vitæ reparetur: sic diuinæ voluntatis præsidiis ordinatis, vt indulgentiam Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeant obtinere. Christus enim hanc præpositis Ecclesiæ tradidit potestatem, vt confitentibus pœnitentiæ satisfactionem darent, & eosdem salubri satisfactione purgatos ad communionem sacramentorum per ianuam reconciliationis admitterent. Item August. Quem pœnitet, omnino pœniteat, & dolorem lacrymis ostendat: repræsentet vitam suam Deo per sacerdotem, præueniat iudicium Dei per confessionem. Præcipit enim Dominus mundandis, vt ostenderent ora sacerdotibus: docens corporali præsentia confitenda peccata, non per scripta manifestanda. Dixit enim, Ora monstrate & omnes: non vnus pro omnibus, non alium statuatis nuntium, qui pro vobis offerat munus à Moyse statutum: sed qui per vos peccastis, per vos erubescatis. Erubescentia enim ipsa partem habet remissionis. Ex misericordia enim hoc præcepit Dominus, vt nemo pœniteret in occulto: in hoc enim quod per seipsum dicit sacerdoti, & erubescentiam vincit, & timore Dei offensi fit venia criminis. Fit enim veniale per confessionem, quod criminale erat in operatione. Et si non statim purgatur, fit tamen veniale quod commiserat mortale. Multum enim satisfactionis obtulit, qui erubescentiæ dominans, nihil eorum quæ commisit, nuntio Dei negauit. Deus enim qui misericors ac iustus est, sicut seruat misericordiam in iustitia, ita & iustitiam in misericordia. Opus enim misericordiæ est peccanti peccata dimittere: sed oportet vt iustus misereatur

D Iacob. 5.

Hom. 50. & habetur de pœnit. dist. 1. cap. Iudicet.

Idem de pœnit. dist. 3.

De pœn. dist. 1. c Multiplex.

Lib. de vera & falsa pœnit. cap. 12. Luc. 17.

ſereatur iuſtè. Conſiderat enim ſi dignus eſt, non dico iuſtitia, ſed & miſericordia. Iuſtitia enim ſola damnat: ſed dignus eſt miſericordia, qui ſpirituali labore quærit gratiam. Laborat enim mens patiendo erubeſcentiam. Et quoniam verecundia magna eſt pœna, qui erubeſcit pro Chriſto, fit dignus miſericordia. Vnde patet, quia quanto pluribus confitebitur in tempore veniæ turpitudinem criminis, tanto facilius conſequetur gratiam remiſſionis. Ipſi enim ſacerdotes plus poſſunt proficere, plus confitentibus parcere. Item Leo Papa, Quamuis plenitudo fidei videatur eſſe laudabilis, quæ propter Dei timorem apud homines erubeſcere non veretur: tamen quia non omnium ſunt huiuſcemodi peccata, vt ea qui pœnitentiam poſcunt, non timeant publicari: remoueatur improbabilis conſuetudo, ne multi pœnitentiæ remediis arceantur, dum aut erubeſcunt, aut timent inimicis ſua facta referare, quibus poſſunt legum percelli conſtitutione. Sufficit enim confeſſio, quæ primum Deo offertur, & tunc etiam ſacerdoti, qui pro deliciis pœnitentium precator accedit. Tunc enim plures ad pœnitentiam poterunt prouocari, ſi populi auribus non publicetur conſcientia confitentis. Ex his aliiſque pluribus indubitanter oſtendit, oportere Deo primum, & deinde ſacerdoti offerri confeſſionem: nec aliter poſſe peruenire ad ingreſſum paradiſi, ſi adſit facultas.

De pœn. diſt. 1. c. Quãuis.

ARTICVLVS XXXIX.

An ſoli ſacerdoti ſit confitendum, vel confeſſio facta cuilibet homini valeat?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Sed quod ſacerdotibus confiteri oporteat, &c.] Hæc eſt enim principalis quæſtio primo tractanda, ſcilicet vtrum confitendum ſit ſacerdoti, vel cuilibet homini? Deinde, An proprio ſacerdoti oporteat confiteri? Tertio, An plures poſſint eſſe proprij? Quarto, Si aliquo modo ſint plures confeſſores, vtrum vni facta confeſſione, teneatur confeſſus confiteri etiam alij, ſi ille præcipiat ſibi fieri confeſſionem? Quinto, Si aliquis ex priuilegio poteſt audire confeſſiones eorum qui ſunt ſubditi alterius? Sexto, Vtrum poſtea quando confeſſi ſunt priuilegiato, etiam proprio ſacerdoti confiteri tenentur? Septimo & vltimo, Quid abſolutionis ab eo qui habet priuilegium conſequitur?

Ad primum horum ſic proceditur: Videtur quòd cuilibet homini facta confeſſio, valeat: quia Iacobi vltimo ſuper illud, Confitemini alterutrum peccata veſtra: dicit Gloſſ. Maiora maioribus, & minora minoribus: ſed minores non ſunt ſacerdotes: ergo videtur, quòd aliqua confeſſio valeat quæ non ſit ſacerdoti.

2 Item, In confeſſione duo attenduntur, ſcilicet confitens, & ille cui fit confeſsio: & conſtat, quòd ex parte confitentis non eſt impedimentum quin poſsit fieri confeſsio, & ſacerdoti & non ſacerdoti. Videtur autem, quòd nec ex parte eius cui fit: quia in illo præter hoc quod operatur Deus, non requiritur niſi conſilium ſatisfactionis: ſed hoc conſilium quandoque etiam plus inuenitur apud non ſacerdotem: ergo videtur, quòd poſsit fieri non ſacerdoti.

3 Item, Pœnitentia neceſsitatis ſacramentum eſt ei qui peccat: ſed in ſacramentis neceſsitatis, & materia & miniſter debet eſſe communis, vt patet in baptiſmo, vbi commune elementum eſt materia, & poteſt miniſter eſſe & vir & mulier, & etiam proprius pater & mater pueri: ergo videtur, quòd etiam talis miniſter debet eſſe communis in pœnitentia: ergo non ſolus ſacerdos: ergo poteſt confeſsio fieri cuilibet.

4 Adhuc, Si confeſsio ſit ſacerdoti ſoli, aut hoc ſit propter hoc quod in confeſsione operatur Deus, aut hoc ſit propter id quod operatur homo. Si propter id quod operatur Deus: aut hoc ideo quod operatur Deus ſecundum quod eſt in omnibus eſſentialiter, præſentialiter, & potentialiter: aut ſecundum quod ineſt rationali creaturæ per inhabitantem gratiam: aut ſecundum quod ineſt homini Chriſto per vnionem. Si primo modo: tunc æqualiter ineſt bono & malo ſacerdoti, & non ſacerdoti: ergo videtur, quòd æqualis ſit confeſsio omnibus his facta. Si ſecundo modo: tunc non eſt niſi in bonis & ſanctis viris & mulieribus: ergo confeſsio facta omnibus his valet æqualiter. Si tertio modo: tunc confeſsio facta non valet niſi fieret homini Chriſto. Si autem fieret propter illud quod operatur ibi homo: ſed hoc non eſt niſi pro intellectu, vel pro affectu: & ſecundum illuminationem intellectus non eſt niſi conſilium, quod æqualiter inuenitur in ſacerdote, & non ſacerdote: & ſecundum bonitatem & charitatem in affectu, adhuc æqualiter inuenitur in ſacerdote & non ſacerdote: ergo confeſsio facta ſacerdoti & non ſacerdoti, valet æqualiter.

5 Adhuc,

5 Adhuc, Confessio erat, quando non erat sacerdos, qui vere characterem sacerdotalem haberet: sed quæ tempore diuisa sunt, essentialiter ad se inuicem dependentiam non habent: ergo videtur, quòd confessio non essentialiter dependeat ad hoc quod fiat sacerdoti: ergo potest confiteri cuilibet.

6 Adhuc Iacob. vltim. non fit mentio de sacerdote: sed indifferenter videtur loqui ad omnes qui sunt in Ecclesia dicens, Confitemini alterutrum peccata vestra, & orate pro inuicem vt saluemini. Ergo videtur, quòd non oportet confessionem fieri sacerdoti.

Sed contra. IN CONTRARIVM autem huius sic obiicitur: Actus egreditur ab aliqua propria potestate ipsius actus: absoluere in confessione est actus: ergo egreditur à propria potestate ipsius: constat autem, quòd iste actus non est in homine per naturam, quia sic homo posset absoluere seipsum: ergo est in homine ex aliqua perceptione potestatis superioris, scilicet Dei: hæc autem potestas non percipitur, nisi in ordine sacerdotali: ergo non potest absoluere nisi sacerdos: sed non fit absolutio nisi in confessione: ergo non potest fieri confessio nisi sacerdoti.

2 Adhuc, Omnis actus ordinatus ad iustificationem, fit aliquo modo ad iustificantem ordinatus: sed non iustificat nisi Deus: ergo oportet, quòd ordinetur ad Deum: sed ad Deum ordinatur quod fit vicarius Dei vt est vicarius Dei: ergo videtur, quòd talis actus semper debet fieri Deo, vel vicario eius: sed non Deo in se: ergo vicario: sed confessio est talis actus: quia dicitur Isa. 43. Dic tu iniquitates tuas vt iustificeris. Ergo videtur, quòd debet fieri sacerdoti soli qui est vicarius Dei.

2 Item, Constitutio dicit, quòd confessio debet fieri sacerdoti proprio: ergo non potest fieri cuilibet.

4 Adhuc, Ioan 20. Non dixit Dominus omnibus, sed discipulis qui iam sacerdotes erant. Quorum remiseritis peccata, &c. ergo videtur, quòd aliis non dedit potestatem absoluendi nisi sacerdotibus.

5 Adhuc, Ioan. 11. cum suscitauit Lazarum, non dixit alicui, quòd solueret Lazarum, nisi discipulis sacerdotibus existentibus: ergo cum soli sacerdotes quantum ad successionem officij sint loco discipulorum, soli sacerdotes habent potestatem absoluendi: sed confessio non fit nisi propter absolutionem: ergo soli sacerdotes habent potestatem audiendi confessiones.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd soli sacerdotes potestatem audiendi confessionem habent: potestas enim confessionem audiendi, est potestas officij: & ordo, vt dicit Isidorus, est nomen dignitatis & officij: ideo nullus habet potestatem, nisi qui habet ordinem sacerdotalem: quia non habet potestatem ligandi & soluendi corpus mysticum, nisi ille solus qui accipit potestatem dispensandi corpus verum, quod communio vocatur, quia absoluti illo communicant. Hi autem non sunt nisi soli sacerdotes.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd Beda in Glossa super illum passum loquitur de confessionis distinctione: est enim duplex confessio, scilicet generalis, & priuata. Generalis est quæ fit in Prima & Completorio de venialibus, sine quibus hæc vita non ducitur: & quia illa non nisi in generali confiteri tenemur, hæc omni tempore cuilibet fieri potest: licet melius sit, quòd fiat sacerdoti quando haberi potest. Priuata autem est, quæ est de peccatis mortalibus, & hæc non potest fieri nisi sacerdoti præterquam in necessitate, vbi necessitatis articulus non contemptus religionis sacramentum excludit: potest tamen talis decedere in voto confitendi, & non tenetur confiteri alteri nisi habenti claues: & si facit, illa humilitas & rubor minuunt pœnam.

AD ALIVD dicendum, quòd ex parte eius cui fit confessio, requiritur aliud quam confessor, scilicet auctoritatis absolutio, quam Dominus dedit discipulis, & illam non habet quilibet: & hæc auctoritas per vim clauis partem pœnæ dimittit.

AD ALIVD dicendum, quòd pœnitentia est sacramentum necessitatis: sed differens necessitas est in adulto, & in paruulo: quia paruulum qui non potest significare defectus suos, potest quilibet baptizare, licet non confessiones audire. Et si forte aliquis obiiciat, quòd si vetula etiam adultum baptizet, baptizatus est, & nullus audet eum rebaptizare: sed non sic est de confessione. Dicendum, quòd hoc fit propter causas: quarum vna est impressio characteris quem imprimit baptismus, & non pœnitentia: & ideo iterari non potest. Alia autem differens causa necessitatis est: quia causa baptismi est ab alio, & per naturam vitiatam; scilicet per originale quod tantum semel contrahitur: & ideo tantum semel in illo Christo commoritur, & sepelitur in baptismo: sed in confessione necessitas magis est ab institutione Ecclesiæ, & pro peccato personali: & ideo determinatus datur ei minister, nisi in articulo necessitatis excusetur: & tunc si euadit, tenetur iterare confessionem apud sacerdotem qui habet claues.

AD ALIVD dicendum, quòd ideo non potest fieri confessio non sacerdoti: quia fit ei in quo Deus aliquo modo operatur, quo non operatur in alio. Est enim Deus in homine per gratiam dupliciter, scilicet gratum facientem & gratis datam: & secundum quod est in homine per gratiam gratum facientem tenet obiectio facta: secundum autem, quod est in homine per gratiam gratis datam quæ est officium & potestas in clauibus, obiectum non tenet: quia sicut illæ gratiæ differunt, ita etiam differunt illæ operationes diuinæ quas operatur per hominem: & hoc est quod dicit Apostolus 1. Corinth. 12. hæc omnia operatur vnus atque idem Spiritus, diuidens singulis prout vult.

AD ALIVD dicendum, quòd sacerdote non existente, non erat confessio sacramentalis, non tantum significans, sed & causans peccati secundum pœnam diminutionem: hoc enim modo intelligitur causatio sacramentorum Noui Testamenti. Et per hoc non habetur, quòd confessio sacramentalis qualis modo fit, non debeat fieri sacerdoti.

AD ALIVD dicendum sicut ad primum, quòd innuit ibi Apostolus distinctionem duplicis confessionis, quæ in Glossa Bedæ super eundem locum magis explicatur.

ARTICV

ARTICVLVS XL.

An ſacerdoti proprio ſit confitendum: & an valeat confeſſio facta cuilibet ſacerdoti?

SEcundo quæritur, Vtrum proprio ſacerdoti ſit confitendum? vel cuilibet ſacerdoti facta confeſſio valeat? Videtur autem, quòd proprio: quia ita dicit Vrbanus ſecundus: Placuit vt nulli deinceps ſacerdotum liceat quemlibet commiſſum alteri ſacerdoti ad pœnitentiam recipere, niſi eius conſenſu cui ſe prius commiſit, niſi per ignorantiam eius cui pœnitens prius confeſſus eſt. Ex hoc accipitur, quòd non cuilibet, ſed proprio ſacerdoti eſt confitendum.

2 Item, Extra in decretalibus lib.5. de pœnitentiis & remiſſionibus dicit Innocent. tertius in concilio generali: Omnis vtriuſque ſexus fidelis poſtquam ad annos diſcretionis peruenerit, omnia ſua ſolus peccata ſaltem ſemel in anno fideliter confiteatur proprio ſacerdoti, & iniunctam ſibi pœnitentiam pro viribus ſuis ſtudeat adimplere, ſuſcipiens reuerenter ad minus in Paſcha Euchariſtiæ ſacramentum. Ex hoc accipitur idem quod prius.

3 Item 16. quæſt.1. dicit Hieron. ſcribens ad Heliodorum Epiſcopum: Alia eſt cauſa monachi, alia clerici. Clerici oues paſcunt, ego paſcor: illi de altari viuunt, mihi ſecuris quaſi ad radicem arboris infructuoſæ ponitur: ſi munus ad altare non defero, mihi ante presbyterum ſedere non licet: illi ſi peccauero, licet me tradere ſatanæ in interitum carnis, vt ſpiritus ſaluus ſit in die Domini. Ex hoc accipitur, quòd monachis non licet curam impendere gregi: ergo nullus debet eis confiteri: & eadem eſt ratio de aliis ſacerdotibus quibus non eſt commiſſum: ergo nullus debet confiteri niſi proprio ſacerdoti.

4 Ad idem, Hieron. ad Villicum ſcribens dicit ſic: Eccleſia habet ſenatum cœtum presbyterorum, ſine quorum conſilio monachis nihil agere licet: Ieroboam filius Salomonis ideo perdidit regnum, quia audire noluit presbyteros ſuos 3 Reg 14. Senatum quoque Romani habebant, cuius conſilio cuncta agebant: & nos habemus ſenatum noſtrum cœtum presbyterorum. Ex hoc arguitur ſic: Magis videtur, quòd monacho qui ſcit aliquo modo dirigere ſeipſum, liceat aliquid agere ſine conſilio ſui ſacerdotis, quam laico qui ſe dirigere non poteſt & neſcit: & non licet monacho: ergo nec laico: ergo non poteſt ſe dirigere in confeſſione ſine conſilio proprij ſenatoris qui eſt ſacerdos ſuus.

5 Adhuc, Eugenius Papa ſic dicit: Placuit communi noſtro conſilio, vt nullus monachorum pro lucro terreno de monaſterio exire nefandiſſimo auſu præſumat, Neque pœnitentiam dare, neque filium de baptiſmo accipere. Ex hoc accipitur, quòd non cuilibet ſacerdoti liceat audire confeſſiones: ergo non licet confiteri cuilibet: ergo oportet confiteri proprio. Ad idem ſunt multa decreta 16. quæſt.1. quæ in decreto videri poſſunt.

6 Adhuc obiicitur: Sicut ſe habent ſubditi Epiſcopi ad Epiſcopum in iuribus epiſcopalibus, ita parochiani ad proprium ſacerdotem in iuribus parochialibus: ſed ſubditi Epiſcopi ad alium non poſſunt recurrere niſi ad proprium Epiſcopum: ergo nec ſubditi ſacerdotis niſi ad proprium ſacerdotem. Quod autem ſubditis Epiſcopi non liceat ad alium epiſcopum recurrere, per multa decreta probatur 9. quæſt.2. vt eſt illud Calixti Papæ, Nullus alterius terminos vſurpet, nec alterius parochianum iudicare vel ordinare aut excommunicare præſumat: quia talis iudicatio vel ordinatio aut excommunicatio vel damnatio, nec rata erit, nec vires vllas habebit: quoniam nullus alterius iudicis niſi ſui ſententia tenebitur, aut damnabitur. Item ibidem, Nullus Primas, nullus Metropolitanus, nullus reliquorum Epiſcoporum alterius adeat ciuitatem, aut ad poſſeſſionem accedat quæ ad eum non pertinet, & alterius Epiſcopi parochiam ſuper eius diſpoſitione, niſi vocatus ab eo cuius iuris eſſe cognoſcitur: vt quicquam ibi diſponat vel ordinet aut iudicet, ſi ſui gradus honore potiri voluerit: ſin aliter præſumpſerit, damnabitur, & non ſolum ille, ſed etiam cooperatores & conſentientes ei. Ibidem ex concilio Antiocheno: Nullum Epiſcopum audere debere ex alia prouincia ad aliam tranſitum facere, & ordinare aliquos in Eccleſia, aut præferre ad ſacrum miniſterium: nec ab aliis trahatur illuc Epiſcopus, niſi forte per literas rogatus abierit, non ſolum à Metropolitano, ſed & ab his qui cum eo ſunt omnibus ipſius prouinciæ Epiſcopis. Item ex eodem concilio, Epiſcopum non debere irruere in alienam ciuitatem, quæ illi probatur non eſſe ſubiecta, neque in regionem quæ ad eius curam minime noſcitur pertinere, ad aliquid ordinandum. Ibidem, ex Conſtantinopolitano concilio, Epiſcopi qui extra diœceſim ſunt, ad Eccleſias quæ extra terminos eorum ſunt, non accedant, neque confundant & permiſceant Eccleſias ſecundum regulas ſtatutas. Alia etiam plurima de eodem ſunt 9. quæſt.2. quæ ibi legi poſſunt.

Per rationem obiicitur ad idem ſic: Quilibet qui tenetur rationem reddere de aliquo ſibi commiſſo, totum debet in diſpoſitione habere commiſſum: ſed ſacerdos tenetur rationem reddere de ſubdito: ergo, &c. Probatur autem prima. Si detur oppoſitum, quòd non totum debeat habere in diſpoſitione, iniuſtum erit rationem exigere ab eo de illo quod non habuit in plenæ obedientiæ diſpoſitione. Inde ſic: Subditus totus exiſtens in obedientia & diſpoſitione proprij ſacerdotis, non poteſt habere recurſum niſi de licentia ad alium: ſed quilibet eſt ita ſubditus proprio ſacerdoti: ergo in confeſſione non poteſt recurrere ad alium niſi de licentia ſui ſacerdotis.

2 Adhuc, Eccleſia militans deſcendit à triumphante, & ordines ab ordinibus: ſicut dicitur Apoc.21. Vidi ciuitatem ſanctam Ieruſalem nouam, deſcendentem de cælo. Sed in triumphante vnuſquiſque ſubditus habet recurſum & reductionem ad proprium ſuperiorem, & non ad alium. Ergo ſic etiam debet eſſe in Eccleſia militante: ergo neceſſe eſt, quod quilibet in acceptione pœnitentiæ recurrat ad proprium ſacerdotem.

3 Adhuc, 3.Reg.10. Mirata eſt regina Saba ordinem miniſtrantium Salomoni, ita quod non habuit vltra ſpiritum: ſed conſtat, quòd nullus ordo eſt, quod quilibet recurrat in ſacramentis ad quemlibet: ergo oportet, quòd recurſus ſit ad

vnum

vnum proprium : sed ille est sacerdos proprius: ergo in confessione tantum recurrendum est ad sacerdotem proprium.

4 Adhuc,Dionysius scribens Demophilo monacho dicit, quòd correctio laicorũ ad sacerdotes proprios, sacerdotũ autẽ ad Episcopos, Episcoporum autem pertinet ad Hierarcham , sed ad quem pertinet correctio criminis:ad illum etiam pertinet eiusdem criminis cognitio: ergo sacerdos proprius habet cognoscere vniuscuiusque subditi peccatum , & non alius : sed non potest cognosci nisi per confessionem : ergo in confessione non ad alium , sed ad proprium debet recurrere sacerdotem.

5 Adhuc , Quæcunque in rationum prædicabilibus reducuntur ad vnum simpliciter primum, prius reducuntur in proximum sibi proprium immediatum , & non in aliud : sicut indiuidua in speciem,species in genus subalternum,& subalterna in generalissimum : ergo ratio sic reducit, & similis fit reductio militantis Ecclesiæ in gradus regentium,& oportet,quòd multitudo populi inferior in proximum gradum spiritualis potestatis reducatur, & per illum in superiorem , & tandem in supremum:sed proximum superiorem super populum constat esse proprium sacerdotem : ergo in omnibus sacramentis percipiendis non habebit recurrere populus nisi ad illum : ergo non ad alium.

6 Adhuc, Hoc videmus in naturis rerum quæ procedunt à suis causis. Si enim reducantur metallica (vt dicit Philosophus) in causam materialem primam , habent reduci in argentum viuum, & sulphur, & argentum viuum in subtile aqueum & subtile terreum fortiter commixta,& hoc vlterius in aquam. Et idem est in causis efficientibus, formalibus , & finalibus. Cum ergo regimen hominum sit à natura profectum , vt dicit Tullius, talis debet esse etiam reductio regiminis in gradus proximos : ergo populus non habebit recursum ad alium , quam ad proprium sacerdotem.

7 Adhuc, In officiis habetur illud. Sicut enim dicit Philosophus 1.ethicorum , Quicunque sunt talium actuum & doctrinarum sub vna quadam incidunt virtute , quemadmodum sub equestri frænorum factura , & quæcunque aliæ equestrum instrumentorum sunt : hoc autem modo & omnis bellica operatio sub militari. Secundum eundem vtique modum aliæ sub alteris.Ergo à simili hoc etiam debet esse in ordine fidelium in ministris Ecclesiæ : ergo videtur , quòd populus non debeat habere recursum nisi ad sacerdotem proprium.

8 Item Dionys. dicit , Lex diuinitatis est per prima media,& per media infima reducere. Cum igitur gradus reductionis determinati sint , non erit reductio infimorum nisi per gradum proprium superiorem : sed in illo gradu est sacerdos proprius : ergo subditus proprius in confessione in diuina reduci non potest , nisi per proprium sacerdotem.

9 Adhuc , Ordo vniuersi est , quòd inferiora reducantur in propria mouentia superiora , vt dicunt Philosophi : sicut humidum aquæ in orbem lunæ , & humidum complexionale in orbem veneris , & sic de aliis : & hoc vlterius in orbem signorum stellatum , & hoc in orbem non stellatum, & per hoc omnia in motorem primum:ergo oportet cum hominum reductio in diuina naturali ordini non contrarietur,quòd hoc modo inferior populus in proximos gradus superioritatis reducatur , & per illos tandem in summum vnum gradum : in gradu autem proximo super populum non sunt nisi sacerdotes distincti in propriis parochiis : ergo necesse est , quòd subditi tantum ad hos , & non ad alios habeant recursum in diuinis.

SED CONTRA hoc obiicitur sic primo per auctoritates. Ioan.20. sic dicit Dominus , Accipite Spiritum sanctum : quorum remiseritis peccata , remittuntur eis. Et non distinguit vel ordinat inter eos : ergo videtur , quòd indistincte quilibet habens potestatem discipuli ex ordine suscepto potest remittere peccata in confessione : ergo etiam sibi indistincte potest fieri confessio. *Sed contra.*

2 Item 16. quæst.1. dicit Ambros. Doctos ac probos monachos presbyteri honore dedicatos prædicare, baptizare, pœnitentiam dare,debita miseris relaxare , decimarum , primitiarum, oblationum viuorum & mortuorum portione iusta perfrui debere moderata dispensatione commendamus. Ex hoc accipitur , quòd monachi presbyteri possunt dare pœnitentias : ergo sibi facta valet valet confessio : sed monachi non sunt sacerdotes proprij , vt patet ex auctoritatibus Hieron. prius inductis : ergo non oportet semper fieri confessionem proprio sacerdoti.

3 Item Gregor. Moderamine Apostolicæ sedis (vel auctoritatis) decernimus, vt monachi si presbyteri honore dedicati sunt , cum ligandi soluendique potestate , decimarum , primitiarum, oblationum , donationum quæ fiunt pro viuis & pro defunctis,portionem iuxta canonem ad suam proximorumque vtilitatem merito perfectioris iustitiæ non minus quam cæteri sacerdotes laudabiliter sibi vendicent. Ex hoc accipitur idem quod prius.

4 Item Gregor. Apostolico moderamine & pietatis officio à nobis est constitutum , Sacerdotibus monachis Apostolorum figuram tenentibus liceat prædicare , baptizare , communionem dare,pro peccatoribus orare, pœnitentiam imponere, atque peccata soluere. Ex hoc iterum idem accipitur quod prius.

5 Item Bonifacius Papa,Sunt tamen nonnulli nullo dogmate fulti , audacissime quidem zelo magis amaritudinis quam dilectionis inflammati, asserentes monachos qui mundo mortui sunt , & Deo viuunt,sacerdotalis officij potentia indignos, neque pœnitentiam , neque christianitatem largiri , neque absoluere posse per sacerdotalis officij diuinitus sibi iniunctam potestatem : sed omnino labuntur : neque enim beatus Benedictus monachorum præceptor almificus,huius rei aliquo modo fuit interdictor. Ex hoc iterum accipitur idem quod prius. Alia plura ad idem facientia quærantur in textu 16.quæst.1.

Per rationem obiicitur sic : In quocunque est completa potestas ad actum aliquem , in illo est executio & exercitium actus illius,quando voluerit : sed in omni sacerdote est completa potestas ad actum absoluendi in foro pœnitentiæ : ergo potest exercere illum actum quandocunque voluerit : ergo in quolibet potest eum exercere : ergo & quilibet

quilibet potest ei facere confessionem: quia plenam consequitur absolutionem. Prima patet per se, & per inductionem si negatur. Secunda patet per hoc quod non est gradus spiritualis potestatis supra sacerdotium: ergo sacerdos completissimæ est potestatis.

2 Item, Confectio corporis veri & absolutio communicantis in sacramento sunt actus coniuncti in sacerdotio: constat autem, quòd perfectior est confectio, quam absolutio: sed video, quòd quilibet sacerdos indifferenter potest conficere: ergo multo magis quilibet quemlibet potest absoluere: ergo & quilibet potest sibi facere confessionem, quia confessio præcedit absolutionem.

3 Adhuc, Spiritualis gratia sacramenti semper efficit quod in sacramento significatur: sed video, quòd in omnis sacerdotis ordinatione significatur potestas ligandi atque soluendi per collationem stolæ longæ: ergo omni sacerdoti datur potestas illa: ergo quicunque vult, potest ad alterum progredi sine dispensatione proprij vel non proprij: ergo & quilibet potest eidem facere confessionem.

4 Adhuc, Beneficia Dei larga sunt & multis modis in omnes homines prouenientia: ergo non sunt aliquo modo restringenda: sed constat, quòd restringuntur si per vnum & proprium dicitur fieri, quod per quemlibet habentem ordinem fieri posset: ergo non est dicendum, quòd confitens absolui non possit nisi per sacerdotem proprium.

5 Adhuc, Non minus sunt potentia spiritualia, quam corporalia: sed in corporalibus potestatibus video, quòd corpus habens potestatē, agit in quodlibet sibi appropinquans, sicut patet in igne, qui comburit quodlibet combustibile sibi appropinquans: ergo multo fortius hoc est in spirituali potestate: ergo videtur quòd quemlibet ad se venientem possit absoluere quilibet sacerdos.

6 Adhuc, Vnius modi seram omnis clauis eiusdem figuræ existens, reserat, & recludit: sed peccatum est sicut sera claudens cælum, & vnius modi, quia claudit non inquantum est conuersio ad bonum commutabile, sed prout est auersio ab incommutabili, sicut vult August. in 2. de lib. art.

7 Item, Potestas ordinis in omni sacerdote vnius speciei est: ergo sicut clauis vnius figuræ: ergo videtur, quòd quælibet potestas cuiuscunque sacerdotis potest aperire & claudere peccata cuiuscunque, scilicet peccatoris sibi confitentis: ergo ad hoc non exigitur sacerdos proprius, vt videtur.

8 Adhuc, Quodcunque luminosum pellit tenebras materiales, & non exigitur determinatum & proprium luminosum ad pulsionem harum vel illarum tenebratum: cum igitur lumen spirituale sit potentius corporali, quodcunque lumen spirituale tollit quascunque tenebras spirituales: hæc potestas est sicut lumen, quia sacerdos est illuminator & perfector & purgator, sicut dicit Dionysius: ergo quæcunque potestas ordinis quascunque tenebras pellit spirituales: sed peccatum est tenebra spiritualis, vt dicit Damascen. ergo quilibet sacerdos habens ordinem, potest absoluere quemlibet: ergo quilibet peccator potest confiteri cuilibet sacerdoti, vt videtur.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd prima pars istius disputationis continet veritatem: sed secunda pars inducta in contrarium, falsitatem habet conclusionum: non enim potest absoluere nisi sacerdos proprius, & non potest aliquis confiteri nisi proprio sacerdoti.

AD AVCTORITATEM ergo primam quæ primo obiicitur & de Euangelio; dicendum, quòd Dominus præsuppossuit ordinem in discipulis quem ante fecerat, scilicet Petrum super omnes esse, & 12. super alios. Matthæi enim 10. elegit 12. & sub illis designauit alios 72. Luc. 10. & Petrum omnibus præposuit Matth. 16. vbi dixit, Tibi dabo claues regni cælorum. Et Luc. 22. vbi dixit, Et tu aliquando conuersus, confirma fratres tuos. Cum igitur hic ordo iurisdictionis à Domino prius institutus fuerit, præposuit illum vt secundum illum conferret executionem officij quod dedit, quando insufflauit, & dixit, Accipite Spiritum sanctum, &c.

Ad omnia autem decreta Patrum inducta est vna solutio, scilicet quod alius est presbyter, & alius habens honorem presbyteri secundum canones Patrum. Presbyter enim est, qui habet ordinem, non honorem sacerdotij vel presbyterij. Honorem autem sacerdotij vel presbyterij habet, qui electus à populo vel ab aliis quorum interest eligere ipsum, & confirmatus à superiori, constitutus est in iurisdictione plebani. Et de hoc, scilicet qui habet honorem sacerdotij, loquuntur canones, & non de primo, decernentes quòd monachus & alius quicunque bonæ vitæ literatus possit eligi & confirmari in promotionem talis honoris: & tunc per talem iurisdictionem efficitur ipse sacerdos proprius: & ideo nihil contrarium dicunt canones.

AD ID quod primo obiicitur per rationem, dicendum, quòd prima vera est, & media falsa: quia duo sunt quæ complent potestatem absoluendi, scilicet ordo, & iurisdictio. Et sacerdos ex ordine non habet nisi vnum illorum, & iurisdictione caret, nisi ei committatur: & hoc est quod dicitur, quòd licet sacerdos habeat alas, tamen habet eas ligatas, & volare non potest, nisi laxentur per iurisdictionem.

AD ALIVD dicendum, quòd secundum aliquid illi actus coordinati sunt sicut maior & minor, & secundum aliquid non. Si enim consideretur obiectum siue materia circa quam operantur, non est dubium actum consecrationis & confessionis maiorem esse, quam actum absolutionis: & hoc modo procedit obiectio. Si autem consideretur iurisdictio, quæ potius officij est, quam ordinis, eo quod ordo ad hanc est dispositio imperfecta, & officium iniunctum est formale: tunc maior est actus absoluere, quam confiteri: & hoc modo non oportet semper, quòd qui potest in vnum, possit in alium, eo quod sacerdos habet ex ordine completam potestatem in vnum, sed non habet completam potestatem in alium.

AD ALIVD dicendum, quòd forma visibilis in sacramento non mentitur, sed efficit quod figurat: sed non figurat iurisdictionem, sed tantum dispositionem ad illam potestatem ex ordine acceptam: & ideo licet sacerdos in ordine accipiat potestatem quandam, non tamen accipit iurisdictionem: & ideo non omnia quæ exiguntur, habet: & ideo non potest absoluere & ligare.

AD

Ad alivd dicendum, quòd beneficia Dei nunquam sunt in ministris eorum sine ordine: optimum enim vel optimorum vnum est ordo. Et hoc significatur in Psalm.132. vbi vnguentum descendit in caput, & de capite in barbam, & de barba in vestimentum, & de vestimentis in oram vestimenti. Ad id autem quod obiicitur, quòd restringatur, dicendum quòd non: quia quod fiat per proprium, non diminuit abundantiam gratiæ: quia ita abunde fluit per proprium, sicut per omnes simul: sicut non dicerentur beneficia regis terreni restricta, si omnia darentur potius per vnum quam per multos.

Ad alivd dicendum, quòd non est simile de corporalibus potestatibus & spiritualibus: quia corporalia agunt per necessitatem naturæ, & talia per eandem necessitatem patiuntur, & hæc necessitas est impotentiæ & ignobilitatis: sed spiritualia licet potentiora sint, sunt libera & maiorem habentia ordinem: & ideo non appropinquant his in quæ agunt, nisi secundum ordinem & libertatem: tamen potentius agunt quam corporalia, quia in toto consumunt contrarium, scilicet peccatum, & non destruunt naturam: quod non faciunt corporalia, & quanto sunt potentiora, tanto liberiora & ordinatiora: quia ordo est pars potestatis.

Ad alivd dicendum, quòd simile adductum non vsquequaque bene adaptatur, & ideo non procedit obiectio: clauis enim per se applicata seræ, nec claudit, nec aperit: quia non habet motum quo seram moueat, sed in manu mota aperit. Et constat, quòd non est idem motus manus in claudendo & aperiendo in diuersis: & iurisdictio in ordinato est sicut vis motiua clauis, & illa non est vna in vno sacerdote & in alio, sed differt per distinctiones plebis: & ideo qui soluit istam, non propter hoc soluit illam.

Si autem obiicitur, Hæc iurisdictio non est nisi vnius speciei: dicendum, quòd species iurisdictionis est species officij, & non agit nisi coniuncta materiæ: & ideo inseparabilis est à materia sua circa quam est: & ideo dignitas inuisibilis sufficit ibi ad hoc, quod qui potest vnum, non propter hoc potest aliud: sicut videmus in officiis humanis, quòd qui est pincerna in curia vna, non propter hoc pincerna est in curia alia: eo quod talia committuntur super materiam determinatam, à qua non licet ea separare, quia semper talium species cum materia propria concepta est: sicut dixit Aristot. se habere speciem naturalium ad materialia & diuina.

Ad vltimvm dicendum, quòd ordo non est similis lumini cuilibet, sed lumini immixto naturæ corporis luminosi: sicut enim dicunt Mathematici, ad multos peruenit lumen Iouis vel Saturni, ad quos non peruenit vtilitas stellæ, eo quod non vnius modi angulo respicitur à stella illuminante: & sub angulo est diffusio vtilitatis & nocumenti. Et ita ordo est in se quasi quoddam lumen indistinctum, sed in iurisdictione est sicut lumen immixtum, & tunc determinatur vtilitas ipsius ad specialiter ipsum respicientes, ex iurisdictione. Et ideo licet ædificari possunt alij ab exemplo vel doctrina, non tamen in ipsos diffunditur vtilitas absolutionis, vel etiam nocumentum excommunicationis, vel alicuius huiusmodi.

D. Alber. Mag. in Lib.4. Sentent.

ARTICVLVS XLI.

An plures possunt esse proprij sacerdotes?

Tertio quæro, An plures possunt esse proprij sacerdotes? Et videtur, quòd non, & hoc primum ex ratione proprij: quia proprium est, quod conuenit vni soli: ergo non possunt plures esse proprij.

2 Adhuc, In nulla multitudine fit reductio in duo æque immediata: ergo nec multitudo populi sic debet reduci: ergo videtur, quòd non sint plures æque proprij sacerdotes.

3 Item, In nullo genere graduum sunt duo æque alti. Centurio enim est sub chiliarcha, & quinquagenarius sub centurione, & sub hoc decanus, & sub illo sunt decem qui ad illum & non ad alium habent respectum, eo quod non constituuntur duo decani super illos eosdem decem: ergo videtur, quòd etiam illi qui sunt sub eodem sacerdote, non habeant respectum ad diuersos tanquam ad sacerdotes proprios.

4 Adhuc, In ordine vniuersi ita videmus, quòd multitudo quæ ordinatur ad vnum vt motiuum, non ordinatur ad aliud in ordine eodem: sicut generatio & corruptio ad motum stellarum in circulo obliquo, & hic motus ad diuinum in circulo recto: & sic ascenditur in primum motorem: ergo videtur, quòd sic etiam debet esse in gradibus Ecclesiæ: ergo non sunt plures proprij, ad quos vna multitudo respectum habeat.

5 Adhuc, In ordinibus exercitus videmus, quòd respicientes vnum sibi proprium ducem assignatum, non respiciunt ad alium: ergo cum Ecclesia sit vt castrorum acies ordinata, vt dicitur Cantic.6. videtur, quòd ordinati sub vno sacerdote, non habent respicere ad alium proprium, nisi ad illum.

6 Adhuc, Confusio videtur induci si plures sint proprij: non enim illi necessario conueniunt in præceptis: ergo tunc populus tenetur obedire duobus contraria imperantibus, quod est contra Euangelium, quia dicit Dominus Matth.6. Nemo potest duobus dominis seruire. Et dicit ibi Gloss. Contraria imperantibus.

7 Adhuc, Sic se habet populus ad sacerdotem, vt sacerdos ad Episcopum, & Episcopus ad Archiepiscopum, & ille ad Primatem, id est, Papam: sed nunquam vnus sacerdos est sub duobus Episcopis, nec Episcopus sub duobus Archiepiscopis, & ita de aliis: ergo nunquam eadem multitudo populi est sub duobus sacerdotibus propriis: ergo non possunt esse plures proprij.

In contrarivm autem obiicitur sic: Cuicunque sacerdos proprius prælatus, eodem iure est alius ab eodem Episcopo constitutus: sed ab eodem Episcopo super eundem populum plures possunt constitui: ergo plures possunt esse sacerdotes proprij. Probatio primæ est, quod sacerdotes non habent iurisdictionem, nisi à superiori Episcopo sibi collatam, & qui confert vni, potest conferre & alteri. *Sed contra.*

2 Item, Hoc tota die videmus, quòd vnus audit confessionem iure parochiali, & alius auctoritate Episcopi, & tertius auctoritate Legati, & quartus forte vice Papæ, & ita multi fungunturofficio proprij sacerdotis: ergo videtur,

quòd multi possunt esse proprij sacerdotes vel viceproprij.

3 Adhuc videtur, quòd ita secundum rationem esse debeat. Plura enim debet Ecclesia habere suffragia, quam diabolus pro se impedimenta: sed, vt dicunt Glossæ Sanctorum, vnum hominem multi dæmones nituntur infirmare: ergo multi sanctitatis perfectiores esse debent: sed sacerdotes sunt sanctitatis perfectiores, vt dicit beatus Dion. ergo plures eidem homini debent esse ordinati sacerdotes: ergo multo magis erunt in eadem plebe plures immediati sacerdotes.

4 Item, Sicut Ecclesia triumphans perficit militantem: ita ministri Ecclesiæ militantis, debent sanctitatem perficere, quantum possunt: sed multi Angeli custodes ordinantur eidem homini: ergo & multi sacerdotes proprij. Prima probatur ex hoc quòd militans, quantum potest, imitatur triumphantem. Secunda autem per hoc quod habetur 4. Reg. 6. vbi totus mons plenus equorum & curruum igneorum erat in circuitu Elisei: de quibus ipse dixit puero, Noli timere: plures enim nobiscum sunt, quam cum illis. Similiter habetur per illud 2. Machab. 10. vbi scilicet quinque viri apparuerunt circa Machabæum, ex quibus duo armis suis circunseptum medium Machabæum incolumen conseruabant, in aduersarios autem eius tela & fulmina iaciebant: ex quo & cæcitate confusi & repleti perturbatione cadebant.

5 Adhuc, In Ecclesia triumphante non ponitur tantum vnus perfector & illuminator & purgator inferiorum: sed quilibet superior ordinis sui vel superioris hoc facere potest, vt dicunt Doctores: cum igitur Ecclesia militans descendat à triumphante, videtur quòd in Ecclesia militante plures esse debent perfectores & illuminatores vnius: igitur plures sacerdotes proprij erunt, cum hoc sit officium proprij sacerdotis.

Solutio. SOLVTIO. Non possunt esse plures proprij, sed vnus solus est proprius: possunt tamen alij cooperari vni proprio, sicut iam patebit in solutione argumentorum.

DICENDVM ergo ad primum, quòd Episcopus non potest potestate iuris constituere plures proprios: quia sic vna Ecclesia haberet multos qui æquum ius haberent in illa, & vnus æqualiter astrictus esset duobus, ex quo posset oriri perplexitas: sed Episcopus adiutores potest dare sacerdoti proprio: & hoc tripliciter, vt mihi videtur, scilicet in casibus grauibus, in quibus vt magis abhorreantur reseruat sibi Episcopus potestatem absoluendi, & illam potest committere vni vel pluribus qui absoluunt ad se venientes, & in hoc portant onus sacerdotis proprij: quia in illis casibus tenetur obedire pœnitens habentibus vicem Episcopi plus quàm sacerdoti proprio, si contrarij inueniantur. Alio etiam modo potest dare aliquos, qui prædicando & exemplum dando, generaliter moneant populum, & eos audiant quos mouerunt in prædicatione: sed tamen ab obedientia sacerdotis non excipiant subditos suos, & ideo in pœnitentia ab illis iam constituta debent innotescere sacerdoti proprio, & per approbationem illius pœnitentiam peragere illam. Tertio modo quando plebs multa est, & vnus non potest totam audire, vel etiam sacerdos debilis est & impotens audire: tunc enim iterum aliqui possunt constitui à superiori qui audiant & absoluant, & non tenentur recurrere ad sacerdotem alium: omnes tamen illi potius coadiutores sunt propriorum prælatorum, quam propri prælati. Et ideo si prælati proprij rationabiliter aliquid præcipiant, illi contradicere non possunt: & ideo prælati non sunt, sed sicut dictum est, coadiutores.

AD ALIVD dicendum, quòd illi qui audiunt auctoritate superiorum prælatorum, audiunt vt coadiutores, & non vt sacerdotes proprij.

AD ALIVD dicendum, quòd secundum rationem esse non potest, quòd plures sint proprij; nec homo proprium dæmonem habet ad exercitium nisi vnum, & alij omnes veniunt vt coadiutores. Et tamen si plures dæmones haberet exercitatores, non propter hoc sequeretur, quòd plures deberet habere proprios sacerdotes: quia aliud remedium haberet contra hoc, scilicet plures Angelos adiuuantes.

AD ALIVD dicendum, quòd cum singuli custodes ordinantur, vnus est custos, & alij sunt vel prælati illius, vel coadiutores: & coadiutores fuerunt qui circa Elisæum apparuerunt 4. Reg. 6. prælati autem, qui circa Machabæum: Machabeus enim princeps erat gentis Iudæorum, & ideo Angelus princeps erat secum: Machabæus etiam homo erat singularis, & sic habuit custodem: & illi duo tenebantur eum circunseptum. Potestatum autem erat arcere virtutem inimici in contrario exercitu, & Virtutum occurrere miraculis excæcatione, & Archangelorum reuelatione machinationis aduersariorum, & illi significantur per alios tres qui erant circa eum: & ideo nihil probatur contrarium per illud.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc secundum beatum Dionysium falsum est: quia nulli duo Angeli in cælo secundum eum sunt eiusdem altitudinis: & ideo vnus non habet duos æque principales supra se. Sed tamen aliter quidam Doctorum, non fulti aliqua auctoritate dicunt, quòd multi sunt æquales in suprema, media, vel infima hierarchia, vel etiam in vno ordine: tunc dicendum, quòd non est simile de ordinibus Angelorum confirmatorum, & de ordinibus hominum: quia in ordinibus Angelorum non potest fieri perplexitas & confusio ex contrarie imperantibus, sed concordia illuminationum est à primo fonte luminis descendentium: sed imperia quæ procedunt ab hominibus, sunt frequenter permixta diuersis opinionibus: & ideo induceretur confusio & perplexitas ex pluribus, quod non potest fieri in cælo, vbi omnia ad concordiam reducuntur per lumen Dei: & hoc est quod dicit Iob 25. Qui facit concordiam in sublimibus suis. Nunquid est numerus militum eius? & super quem non surgit lumen illius?

ARTICVLVS XLII.

Vtrum posito, quòd vnus proprius sacerdos habeat plures coadiutores, facta confessione vni, teneatur confessus confiteri alteri si ille præcipiat?

QVarto quæritur, Si sic est, quòd vnus proprius sacerdos potest habere coadiutores, vtrum vni facta confessione, teneatur confessus etiam alteri confiteri si ille præcipiat? Videtur autem, quòd sic per illud quod habetur diffinitum

ab

ab Innoc. 3. in concilio generali. Siquis autem alieno sacerdoti iusta de causa voluerit confiteri sua peccata, licentiam prius postulet & obtineat à proprio sacerdote, cum aliter ille ipsum non possit absoluere vel ligare. Constat enim, quòd dando licentiam vt confiteatur alteri, non excipit eum ab obedientia sua: ergo adhuc tenetur obedire, sicut prius: sed prius tenebatur sibi semel in anno confiteri: ergo & postea si præcipiat sibi, tenetur facere confessionem.

2 Item, Esto, quòd Episcopus mittat coadiutorem vel etiam Papa: constat, quòd subditos per hoc non intendunt extrahere extra curam vel obedientiam proprij sacerdotis. Cum igitur ex obedientia teneatur se ei ostendere in confessione, videtur quòd si millies aliis confessus sit, adhuc tenetur confiteri illi si ille præcepit.

3 Adhuc, Ille qui sacerdos proprius est, tenetur ei ministrare sacramenta: sed sacramentorum ministrationem præcedit absolutio: ergo tenetur eum scire absolutum esse: & hoc non potest scire nisi audiat eum, & signa pœnitentiæ prius videat: ergo cum hoc non fiat in confessione, ille tenetur ei confiteri si præcipiat.

2 Adhuc, Videtur, quòd periculum oriretur si non tenetur: quia multi prætextu latendi possent dicere se esse confessos, & inconfessi permanentes communicare: & tunc sacerdos proprius eos arcere non posset: ergo videtur, cum illud quod pro charitate instituitur, non debeat militare contra charitatem, vt dicit Bernard. & pro charitate inducuntur adiutores, quòd propter hos non absoluitur homo quin oporteat eum confiteri proprio sacerdoti si ipse præceperit.

5 Adhuc, In ordinibus Angelorum licet vnus Angelus ab alio alterius ordinis quandoque illuminetur, vt patet per beati Dionysij expositionem Isa. 6. vbi dicitur. Volauit ad me vnus de Seraphin: vbi dicit sanctus pater, id est, alius quidam de inferioribus vice Seraphin, & à Seraphin illuminatus. Licet, inquam, ita sit, non tamen excipitur ab illuminatione proprij superioris, sed adhuc sicut prius recipit illuminationes etiã ab illo: ergo cũ militans Ecclesia descendat à triumphante, videtur quòd licet vnus homo confiteatur alteri, & absoluatur ab alio coadiutore proprij sacerdotis, non tamen propter hoc absoluitur à suo proprio sacerdote, quin teneatur confiteri illi si voluerit.

Sed contra. IN CONTRARIVM autem huius obiicitur. Ponamus enim, quòd nesciat proprius sacerdos discernere inter lepram & non lepram: cum igitur Dominus dicat, Luc. 6. Si cæcus cæcum ducat, ambo in foueam cadunt: videtur, quòd ille non tenetur ei confiteri etiamsi præcipiat. Si forte tu dicas, quòd debet licentiam petere & obtinere. Contra: Ponamus, quòd petat & obtinere non possit, sicut multoties contingit: aut tunc obediet proprio sacerdoti, aut non: si obediet, in præcipitio erit & periculo, quia cæcus est: si non obediet, habetur propositum. Si forte tu dicas, quòd licentiam potest petere à superiori, potest esse, quòd longe habitet, & non possit accedere ad eum vel propter viæ dispendium, vel periculum: potest etiam esse, quòd non vult dare licentiam, nec semper homo in tali casu potest adire curiam: ergo videtur, quòd non semper sacerdoti proprio in confessione facienda semper tenetur obedire.

2 Adhuc, Ponatur, quòd sacerdos proprius sit malitiosus, sicut multi sunt, & nitatur in confessione tentare de consensu peccati, sicut sacerdotes plerique faciunt, fœminis comminantes proditionem confessionis, nisi eis consentiant, & intendentes tangere impudice in secreto confessionis, etiam superiores scilicet Archiepiscopi, & Episcopi faciant similiter, sicut certissime scio, quòd in pluribus locis multi faciunt: videtur, quòd in talibus licentiam petere est periculosum, quia negabunt, & tunc magis peccant: ergo videtur, quòd in tali casu etiam prælato proprio non debet obedire de confessione facienda.

3 Adhuc, Ponamus, quòd sacerdos sit hæreticus occultus, & in confessione nitatur pertrahere ad hæresim: ergo cum hoc maxime vitandum sit, videtur quòd in tali casu etiam ex contemptu proprij sacerdotis, potest confiteri alij, & non tenetur proprio.

4 Adhuc, Ponamus, quòd aliquis qui est parochianus vnius, peccet in parochia alterius: constat, quòd sacerdos iudex quidem est spiritualis: sed ratione delicti efficitur de iurisdictione alterius iudicis, qui alias de iurisdictione sua non esset: ergo & iste efficitur in tali casu de iurisdictione alterius sacerdotis: ille autem qui est de iurisdictione & deliquit, iudici ad emendam tenetur: ergo & iste. Emenda autem est per confessionem & iniunctam pœnitentiam: ergo videtur, quòd teneatur illi confiteri etiam reclamante proprio sacerdote.

5 Adhuc, Ponamus, quòd ipse mutauerit domicilium & in alterius parochia habitet: videtur, quòd tunc non teneatur proprio sacerdoti confiteri: quia percipit sacramenta in Ecclesia illius in cuius parochia habitat: sed ille nosse eum tenetur per confessionem: ergo tenetur illi confiteri, & non proprio sacerdoti, vt videtur.

6 Adhuc, Ponamus, quòd sit vagabundus per terras: ille enim per magnam loci distantiam remouetur à proprio sacerdote in cuius parochia est natus: cum igitur nulli debeat generari difficultas salutis in sacramentis necessitatis, videtur quòd ille omni sacerdoti possit confiteri, & non teneatur alij quantumcunque contrarium præcipienti.

7 Adhuc, Ponamus, quòd sit infirmus in articulo necessitatis: cum nulli negetur salus, videtur quòd ille sine licentia sacerdotis proprij possit proximo confiteri quem inuenerit: ergo non tenetur proprio confiteri, vt videtur.

8 Generalius autem obiicitur de eo sic: Sacramentum baptismi si datur ab alio quam à proprio sacerdote, etiam contra obedientiam sacerdotis proprij, in redeunte ad sui sacerdotis obedientiam non reiteratur: ergo videtur, quòd nec pœnitentia debet iterari.

9 Item, Infra dist. 31. dicitur, quod nullum sacramentum iteratur super eandem materiam: ergo de eodem peccato non debet fieri bis confessio: est autem semel facta coadiutori vel alteri de licentia proprij: ergo non debet iterari: ergo si sibi præcipiat confiteri proprius, videtur quòd confessus obedire non tenetur nisi voluerit.

10 Item, Confessio, vt supra habitum est ex verbis Augustini. maxima pœna est propter verecundiam quam habet adiunctam: sed sicut dicitur Nahum. 1. Non consurget duplex tribulatio: ergo videtur, quod de eodem peccato etiamsi sacerdos

proprius præcipiat, non oportet bis confessionem facere.

11 Adhuc, Si Episcopus dat licentiam clerico vt ab altero ordinetur: & ille ordinatus redeat ad ipsum, non potest ei præcipere vt etiam à se recipiat ordinem: ergo à simili si sacerdos det licentiam confitendi alteri, cum redierit non potest ab eo exigere vt etiam sibi confiteatur. Adhuc, Dando licentiam vtitur potestate quam habet semel in anno: ergo cum sua non teneatur confiteri nisi semel in anno, & sacerdos suus iam vsus sit sua potestate quam habuit in eo, videtur, quòd non potest eum cogere vt confiteatur iterum.

VLTERIVS quæritur de superioribus prælatis vt sacerdotibus, Archidiaconis, Episcopis, & huiusmodi, qui sint eorum proprij sacerdotes? Videtur, quòd nulli: quia in nulla natura motus est motus, vel quietis quies: ergo nec sacerdotis sacerdos: ergo nulli tenentur confiteri. Item, Alius est gradus superioris & inferioris, & non sunt permiscendi: ergo natura in spiritualibus superior, non descendit sub inferiori: Igitur per hoc ad minus Papa non habebit aliquem confessorem, quod falsum est.

2 Adhuc, Superiores Angeli nunquam descendunt propter acceptionem sanctitatis sub inferiores: cum igitur Ecclesia militans descendat à triumphante, nec in militanti hoc debet fieri, vt videtur.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum sine præiudicio videtur, quòd si aliquis de licentia sacerdotis confitetur alicui, quòd illo anno nisi periculum infirmitatis incurrat, & aliquid nouum confiteri habeat, sacerdoti suo non teneatur confiteri: si autem confiteatur alij coadiutori ordinato ipsi sacerdoti à superiori, & non de licentia sacerdotis, quòd ipse tenetur etiam proprio sacerdoti confiteri: nec ille debet ei imponere pœnitentiam nisi indicando ei, quòd quam citius poterit, se proprio exhibeat sacerdoti, nisi in casibus exceptis qui sunt quinque, vt infra dicetur.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd licet non eximat eum à sua potestate per hoc quòd licentiam dat: tamen licentiam dando priuatus est sua iurisdictione quoad illum annum. Secus autem esset si alius daret licentiam, prælatus sacerdotis: quia ille nec intenderet impedire iurisdictionem sacerdotis, nec etiam eximere subditum sacerdoti à potestate sua. Et per hoc patet solutio ad sequens.

AD ALIVD dicendum, quòd sacerdos proprius ministrat sacramenta, & in tali casu quando ipse dat licentiam rationabili de causa, ipse cognoscit pecoris sui vultum per alium fide dignum, & hoc sufficit ad hoc quod ministret ei sacramenta.

AD ALIVD dicendum, quòd nullum periculum oritur ex hoc quod ipsemet dat licentiam, quia scit quibus dat, & ad quos: sed si sufficeret alterius quam proprii sacerdotis licentia, tunc posset oriri periculum.

AD ALIVD dicendum, quòd in veritate Angelus inferior non illuminatur nisi à superiori proximo vel remoto: & ita etiam fieri potest in Ecclesia: quia quod potest sacerdos, potest etiam Episcopus, & multo amplius, & sic de aliis ascendendo. Nec propter hoc excipitur ab obedientia proximi prælati: sed si sacerdos daret licentiam, non subderetur ei illo anno quoad hoc præceptum: sicut etiam postquam semel confessus est sacerdoti, non tenetur iterum confiteri, nec propter hoc eximitur ab obedientia ipsius. Et sic patet solutio primæ partis obiectionum. Hæc autem quæ dicta sunt, intelligenda sunt de eo tantum qui habet auctoritatem imponendi pœnitentias à superiori Episcopo, scilicet vel Legato, vel Papa: quia ad alium eundi non potest dare sacerdos proprius licentiam. Et causa huius est: quia licet sacerdos posset subditum relaxare vt alij confiteatur, non tamen potest transferre iurisdictionem in eum qui habet alas ligatas, sed superior tantum: & ideo licet subditus in tali casu posset alij confiteri, non tamen quilibet alius potest eum audire.

AD EA autem quæ obiiciuntur in oppositum, salua meliori sententia, videtur mihi dicendũ, quòd in quinque casibus, secundũ quod Iurisperiti dicunt, debet quærere licentiam alij confitendi quã proprio sacerdoti, scilicet si sacerdos sit deficiẽs in scientia, vel etiam malitia impediente confessionem, sicut si sollicitet ad peccatum. Secundo si peccet in parochia alterius. Tertio si habitet in parochia alterius. Quarto si vagatur per longum iter. Quinto in articulo necessitatis. Et in hoc vltimo casu vnicuique habenti alas ligatas siue solutas, siue clerico siue laico confitendum est, dummodo sit fidelis.

Ad obiectum ergo dicendum, quòd in tali casu de licentia potest alium quærere. Ad obiectum contra, dicendum quòd obtenta credi debet licentia: quia rationabiliter est obtenta, scilicet quando sacerdos vel prælatus eius audit & ptobat causas rationabiles, vel dicitur probasse: tunc enim etiam si negetur licentia, meo iudicio, potest & debet quęri alter: quia alias fatuitas iudicatur: quia ordinationibus Ecclesiæ omnibus contradicentibus, possum cauere periculum in corpore, & fatuum esset dicere, quòd aliquo casu tenerer sequi me volentem præcipitare in mente.

AD ALIVD dicendum, quòd etiam in illo casu quando tentat, debet significari suo superiori, & probabile est, quòd compescat eum: si autem non facit, sicut heu frequenter fit, tunc debet occulte alij discreto confiteri, ne scandalum generetur: & hoc dico sine præiudicio sententiæ melioris.

AD HOC quod obiicitur de hæretico, dicendum videtur, quòd nec etiam in articulo necessitatis tali confitendum est: sed potius cum dolore sine confessione moriendum, si alius cui confessio fiat, non inueniatur. In sequentibus autem quatuor casibus in quatuor obiectis, patet solutio per antedicta.

AD HOC autem quod obiicitur generaliter, dicendum quòd non est simile de baptismo & pœnitentia, quia baptismus iterari non potest: & huius causa superius sæpe notata est. Sed pœnitentia tanto melior, quanto sæpius iteratur in contritione, confessione, & satisfactione.

AD ALIVD dicendum, quòd pœnitentia & confessio, secundum quod subsunt clauibus iurisdictionis, sunt consequẽtes ordinem: & ideo quando fiunt coram non habente iurisdictionem, interpretantur non esse facta: & ideo non bis fit quando iteratur, quia prior non fuit confessio sacramentalis.

AD

Ad aliud dicendum, quòd illud quod dicitur Nahum primo, non intelligitur sic, quòd nulla pœnitentia duplex fiat pro eodem peccato, cum scriptum sit Isa.40. Suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis suis: sed hoc modo intelligitur, si debitam sustinet pœnam, quòd illam iterare non oportet. Dictum est autem, quòd non credimus debitam, nisi fiat coram sacerdote proprio, nisi in casibus supra assignatis.

Ad aliud dicendum, quòd non est simile: quia ordo datur bene extra Ecclesiam, tamen in forma Ecclesiæ, sicut & baptismus: sed non sic est de confessione in qua non imprimitur character, & est ibi actus hominis pœnitentis: & ideo non valet nisi coram ministro proprio, vel eo qui licentia superioris & consensu sacerdotis habet vicem proprij, vt dictum est.

Ad id quod vlterius quæritur, videtur dicendum cum quibusdam Iurisperitis, quòd potest sacerdos & Episcopus, & præcipue Episcopus, eligere sibi confessorem quem vult iuxta se: quia propter periculum salutis non est sibi hoc negandum, cum sit difficile pro confessore quo semper ad manum indigent prælati propter sacramenta quæ non nisi mundi tractare possunt, longe discurrere. Ad obiectum contra, dicendum quòd sicut dicit Philosophus, quòd medicus sanat seipsum, non inquantum medicus, sed inquantum laborans: ita etiam sacerdotem contingit esse sacerdotis, scilicet inquantum sacerdos est vice subditi in infirmitate peccati, & non inquantum sacerdos existens de gradu altiori. Quod autem dicit Philosophus, non esse motum motus, dicendum quòd sic intelligitur, quòd non est motus ad motum vt generatio ad generationem, &c. & sic sacerdos non est sacerdotis, sed infirmi peccatoris, cui accidit esse sacerdotem.

Ad aliud dicendum, quòd hoc negauerunt quidam antiqui dicentes, superiores ab inferioribus quasdam percipere illuminationes, propter illud Ephes.3. Vt innotescat principibus, & potestatibus, in cælestibus per Ecclesiam, &c. Et de hoc super secundum est disputatum. Tamen ego puto, quòd verum est sicut dicit obiectio. Vnde dicendum, quòd in superioribus hominibus inuenitur peccati infirmitas, ratione cuius indigent quandoque auxilio inferiorum: sed non sic est in Angelo: & hoc est quod dicit Apostolus Hebr.5. Quoniam & ipse circundatus est infirmitate, & propterea debet quemadmodum pro populo, ita etiam pro semetipso offerre pro peccatis. Et loquitur de infirmitate peccati.

ARTICVLVS XLIII.

An aliquis ex priuilegio potest audire eos qui sunt alterius subditi?

Qvinto quæritur, Vtrum aliquis ex priuilegio potest audire eos qui sunt subditi alterius? Videtur autem, quòd sic: quia ex priuilegio principis aliquis qui est subditus alicuius, potest eximi ab ipso sine præiudicio eius cuius est subditus: ergo ex priuilegio etiam potest conferri iurisdictio quantum ad confessionem in subditum alterius.

2 Adhuc, Inferior prælatus non habet iurisdictionem aliquam in subditum aliquem nisi ex auctoritate superioris: ergo si superior limitet vel minuat auctoritatem, non facit præiudicium aliquod: ergo si alium mittat qui etiam audiat subditos, non est præiudicium.

3 Adhuc, Principi licet quod vult facere, dummodo voluntas sua communitati sit vtilis: constat autem, quòd vtile est multos constituere qui audiant multitudinem, & dubia expediant & absoluant: ergo videtur, quòd multis priuilegium confessionis alios audiendi conferri possit sine cuiuscunque præiudicio.

4 Adhuc, Quoscunque potest audire inferior, potest etiam audire superior: sed non conuertitur: ergo de potestate sua potest alios mittere ad audiendum, & priuilegium eis de hoc dare.

5 Adhuc 1.Paralip.29. legitur, quòd Dauid ampliauit cultum Domini, qui laudatus est, ex hoc quod constituit vigintiquatuor summos sacerdotes, vt magis posset populus expediri: ergo videtur, quòd etiam illud laudabile sit, quòd priuilegium audiendi multis conferatur.

6 Adhuc, 4.Reg.17. Misit Ezechias nuntios discurrentes, qui monerent populum vt reuerteretur ad Dominum Deum patrum suorum. Et constat, quòd non erant leuitæ: ergo & in Nouo Testamento debent aliquid nuntij esse sacerdotibus subordinati, qui audiendo populum, moneant ipsum vt reuertatur ad Dominum Deum Patrum suorum.

7 Adhuc, Esther 8. Assuerus misit veredarios, celeres nuntios præferentes, qui subordinabantur præpositis 127. prouinciarum, qui nuntiabant liberationem populi Dei. Ergo in Nouo Testamento sine omni præiudicio debent esse huiusmodi nuntij, ad populi liberationem in audiendis confessionibus ordinati. Aliis etiam infinitis modis hoc probari posset: ergo videtur, quòd constitui possint & debeant aliqui ex priuilegio prædicantes & confessiones audientes: & in hoc nulli videtur præiudicium generari.

Sed in contrarium huius obiicitur sic: In iniuriam alicuius non sunt conferenda priuilegia: sed subditos alicuius sine voluntate eius ad alium ire, est in iniuriam eius qui prælatus est eis: ergo de hoc non debet alicui conferri priuilegium. *Sed contra.*

Item, Esto quòd aliquis habeat priuilegium audiendi: quæritur, vtrum sacerdotes & Episcopi possunt prohibere suis ne confiteantur ei? Videtur, quòd sic: quia per priuilegium illud non eximuntur à potestate suorum sacerdotum: ergo sicut ante tenebantur ei obedire, ne alij confiterentur, ita & modo: ergo si prohibet sacerdos, non debent confiteri ei qui habet priuilegium. *Quæst.*

3 Item, Cui incumbit solicitudo de curandis ouibus in sacramentorum administratione, & reddendi rationem, illi etiam incumbit cui & quando confiteantur: ergo sine sua licentia non debent ire ad aliquem: ergo etiam licet sit aliquis priuilegiatus, non tamen potest audire subditos alterius, si ille prohibeat.

4 Adhuc, Licet iste sit priuilegiatus audire, tamen subditus sacerdotis non est priuilegiatus suo sacerdoti non obedire: ergo si prohibet ei ne priuilegiato confiteatur, ipse debet obedire non

D. Alb. Mag. in Lib. 4. Sentent.

confitendo: & ex hoc sequitur, quòd ille qui priuilegium habet, non audiet, licet sit priuilegiatus.

Sed contra. SED CONTRA: Beneficium priuilegij non est reiiciendum, ita vt sit inutile ei cui datur: sed si retrahi possunt confitentes ne priuilegiato confiteantur, erit sibi inutile priuilegium: ergo videtur, quòd etiam in inhibitione sacerdotis retrahi non possunt ne confiteantur alicui, priuilegium de hoc habenti.

2 Item, Cui conceditur beneficium aliquod ac principale, ei conceditur etiam accessorium, sine quo principaliter concessum exerceri non potest: sed auditus confessionis non potest esse nisi aliquis confiteatur: ergo videtur, quòd cui conceditur confessiones audire, conceditur etiam subditis vt illi possint sine licentia alterius confiteri.

Solutio. SOLVTIO. Videtur sine præiudicio dicendum, quòd priuilegium audiendi confessiones religiosis & honestis personis vtile est concedere. Et confirmatur Veteris & Noui Testamenti auctoritate. Et Veteris Testamenti plura inducta sunt. De Nouo autem Luc. 14. habetur, vbi paterfamilias misit seruos suos, qui exirent in vias & sepes ducere & compellere intrare vt impleretur domus Dei. Et hoc præcipue temporibus nouissimis necessarium est, quando instant tempora periculosa propter abundantiam malitiæ. Et si conferatur priuilegium, possunt audire priuilegiati omnes quos mouerint verbo & exemplo ad pœnitentiam in prædicatione: vnde concedo partem primam huius disputationis.

AD ID autem quod obiicitur in contrarium est dicendum, quòd nullum præiudicium in hoc fit alicui: quia etiam sacerdos, vel alius prælatus, non habet aliquam iurisdictionem in subditos, nisi inquantum descendit à capite: & ideo si alij vocantur & priuilegiantur in adiutorium eius, non est præiudicium, sed solatium, præcipue cum fructus prouentuum ex hoc sibi in nullo diminuatur.

Ad qu. AD HOC quod vlterius quæritur, dicendum quòd si priuilegium tale concederetur, meo iudicio, priuilegiatus debet inducere subditos vt sibi confiteantur de conscientia & licentia sui sacerdotis. Si autem sacerdos hoc malitiosè impedire vellet, non posset: quia in hoc non tenentur subditi sui ei obedire. Qui enim dat priuilegium, per consequens dare videtur subditis potestatem confitendi priuilegiato: quia aliter gratia quam facit, frustratetur.

AD ALIVD dicendum, quòd solicitudinem non habet sacerdos nisi ex voluntate superioris, & ideo debet præsumere, quòd missi ab ipso bene disponant populum ad salutem, nec reddet rationem de illo.

AD ALIVD dicendum, quòd isto priuilegiato ad audiendum, permissum est alij sibi confiteri: quia qui concedit principale, concedit & accessorium sine quo illud principale fieri non potest, sicut dictum est in obiectione quæ in contrarium adducebatur.

ARTICVLVS XLIV.

An aliquis priuilegiato confessus, teneatur etiam confiteri proprio sacerdoti?

SExto quæritur, Vtrum postquam confessi sunt priuilegiato, si aliquis talis est, teneatur etiam proprio sacerdoti confiteri? Et videtur, quòd sic: præceptum est enim sacerdoti proprio, Diligenter agnosce vultum pecoris tui: sed non potest agnosci nisi per confessionem vultus spiritualis pecoris: ergo sacerdos proprius tenetur audire confessiones eorum: ergo & illi tenentur ei confiteri.

2 Adhuc, Ierem. 33. dicitur, quòd transibunt greges ad manum numerantis: sed manus numerantis tangit singulas: ergo manus probantis sacerdotis debet tactu confessionis & cognitionis singulas oues mensurare: sed hoc non potest esse nisi per confessionem: ergo tenetur ei confiteri.

3 Item, Ioan. 10. dicitur, quòd bonus pastor proprias oues vocat nominatim, & ante eas vadit, & quod nouit suas, & quod suæ nouerint eum. Hæc autem omnia nullo modo sine confessione fieri possunt: ergo cuicunque confessi sint subditi, videtur quòd adhuc tenentur confiteri proprio sacerdoti.

4 Adhuc, Actuum 20. dicit Paulus. Attendite vobis, & vniuerso gregi, in quo vos posuit Spiritus sanctus Episcopos regere Ecclesiam, quam acquisiuit sanguine suo. Sed non paruæ æstimationis est, quod emitur sanguine Christi: ergo cum omni solicitudine videndæ & noscendæ à suo pastore sunt oues: tales autem nullo modo sufficienter noscuntur, nisi per confessionem in qua homo totum cor & conscientiam monstrat sacerdoti: ergo videtur, quòd teneatur ei confiteri.

5 Adhuc, 1. Thess. 5. dicit Apostolus. Corripite inquietos, consolamini pusillanimes, suscipite infirmos, patientes estote ad omnes. Sed hoc nullo modo potest fieri, nisi noscantur tales vel tales esse: ergo nosci debent: sed nosci congrue non possunt, nisi per confessionem: ergo omnes suo sacerdoti tenentur confiteri, etiam cuicunque confessi sint alij. Si autem tu dicas, quòd nosci per alium. Contra: Hoc non generat nisi opinionem: & opinio non sufficit ad iudicium humanum: ergo multò minus sufficiet ad iudicium diuinum: & hoc est in pœnitentia: ergo non sufficit in pœnitentia.

6 Adhuc, Hebr. 13. Obedite præpositis vestris: ipsi enim peruigilant quasi rationem reddituri pro animabus vestris. Sed video, quòd qui rationem reddere debet, etiam de temporalibus, per seipsum quærit cognoscere computum: ergo multo magis in diuinis hoc exigitur: ergo sacerdos per seipsum habet cognoscere de confessione.

Sed contra. IN CONTRARIVM autem huius sic obiicitur. Si aliquis confiteatur priuilegiato, constat quòd est absolutus, quia aliter nihil valeret priuilegium: sed absolutus non tenetur confiteri: ergo iste nec sacerdoti nec alij confiteri tenetur plus illo anno.

2 Adhuc,

2 Adhuc,Magister Hugo de sancto Victore in lib. de potestate ligandi & absoluendi dicit, quòd inter cætera vincula quæ soluit sacerdos audiens confessionem, vnum & primum est, quòd soluit à debito confitendi quo Deus eum ligauit, cum eum in contritione absoluit à debito mortis æternæ: sed absolutus à debito confitendi non tenetur alicui confiteri:ergo cum iste sit confessus, non tenetur confiteri proprio sacerdoti.

3 Adhuc, Si aliquis confiteatur pœnitentiario superioris, non postea tenetur confiteri etiam inferiori: sed priuilegiatus est quasi quidam pœnitentiarius particularis Domini Papæ: ergo sibi confessus non tenetur alicui amplius confiteri.

4 Adhuc, Nunquam sunt duo remedia omnino eiusdem speciei contra morbum vnum: ergo nec in spiritualibus sic debet esse: sed istæ duæ confessiones essent remedia omnino similia & eiusdem speciei contra morbum vnum:ergo videtur,quòd non esse debeant:ergo confessus vni,non tenetur confiteri alteri.

5 Adhuc, Natura non abundat in superfluis, nec deficit in necessariis: & hoc est ideo, vt dicunt Philosophi,quia ordinatissima est: sed opus diuinum ordinatius est, quam opus naturæ: ergo nec ipsum abundat superfluis: sed superfluum est ponere duo, cum vnum sufficiat: ergo videtur, quòd cum vni facta confessio valeat, non teneatur confiteri alteri.

Solutio. RESPONDEO sine præiudicio, quòd si priuilegium audiendi confessiones per modum supra dictum daretur alicui: sicut datum est priuilegium audiendi eos quos mouent aliqui verbo suæ prædicationis: firmissime credendum est, quòd propter nimiam sacerdotum negligentiam hoc summus Pontifex dedit: quia peccatis nostris crescentibus in hoc fine seculi, etiam perpauci inueniuntur sacerdotes qui veri sint pastores, sed potius vicarij conducti pretio vili: & quod abominabilius est, nec sunt perpetuati in multis tertis, sed conducti ad annum, vel etiam ad dimidium,vel mensem. Et hæc omnia scio, quia vidi: ita vt videatur impleri illud Ezech. 13. Pro fragmento panis & pugillo hordei corrumpebant me, & meum populum. Et ideo satis necessarij sunt, qui vita & scientia populum audiant & absoluant: tamen propter officium pastorale & reuerentiam sacerdotum, & quia non est detrahendum eis coram subditis, videtur quòd absoluens priuilegiatus deberet iniungere confesso sibi, quatenus ad minus in generali ostendat se proprio sacerdoti si pastor est,vel etiam perpetuus vicarius.Si autem conductus est ad tempus,tunc videtur,quòd non oportet.

AD ID autem quod contra obiicitur, dicendum quòd talis confessus absolutus est: sed tamen absolutus debet innotescere suæ Ecclesiæ gubernatori qui est sacerdos proprius, & ideo debet se ostendere sacerdoti ad minus in genere peccatorum in quibus fuit: & etiam propter conscientiam sacerdotis,& vt sit securus de ipso:quia debet ei ministrare sacramenta & rationem reddere pro ipso.

AD ALIVD dicendum, quòd sicut dictum est, ille absolutus est coram Deo:sed tamen multa exiguntur ab ipso: quia nullus est adeo absolutus, quin propter contemptum ministrorum Ecclesiæ possit iterum incidere in peccatum mortale: & ideo vt assecuret suum gubernatorem,tenetur ei se in genere ostendere si ille voluerit.

AD ALIVD dicendum, quòd etiamsi confiteatur pœnitentiario superioris, adhuc vtile est, ne pœnitentiarius dissoluat ordinem Ecclesiæ & officij sacerdotum ad populum, & in aliquo remittat eum ad proprium sacerdotem. Et crederem grauiter peccare pœnitentiarium, qui hoc non faceret: tamen si non remittit, tunc dicendum, quòd secus est in illo, quia pœnitentiarius superioris vice superioris imponit pœnitentias, & ita est sufficiens præsumptio sacerdotis, quòd bene omnia facit, nec habet de facto superioris indicare: sed alij ex priuilegio audientes, sunt vocati quasi in subleuamen negligentiæ sacerdotum: & illorum magis est cauere ne dissipent officium sacerdotum ad populum, & reuerentiam populi ad sacerdotes: & ideo non est simile quod pro simili inducitur.

AD ALIVD dicendum, quòd multiplicata remedia valent ad morbum latentem & grauem: quia etiamsi non curant morbum, tamen faciunt ad sanitatis confirmationem:sed hic non est aliud: quia obligabatur sacerdoti, & propter cautelam abundantem vadit ad priuilegiatum.

AD ALIVD dicendum, quòd etiam natura multa facit ad confortationem speciei, vt possit resistere alterationibus sequentibus, & illa non sunt superflua:& ita est etiam in operibus gratiæ: vnde etiam ab eo qui præsidet vtilitati Ecclesiæ, tales quandoque mittuntur propter abundantem cautelam ad confortationem populi in pœnitentia & confessione. Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICVLVS XLV.

An aliquid vtilitatis consequatur si quis confiteatur priuilegiato?

SEptimo quæritur, Quid vtilitatis consequitur à priuilegiato? Licet iam fere determinatum sit ex præcedentibus: tamen sine disputatione ad hoc dicendum, quòd tres vtilitates consequuntur ad minus. Vna est absolutio perfecta, quæ duplicata facit pœnæ debitæ diminutionem & gratiæ confortationem. Secunda est abundantia consilij,ex qua efficitur pœnitens securior de pœnitentiæ sibi iunctæ sufficientia. Tertia est multiplicitas orationum & testium coram Deo: quia quanto pluribus confitetur, tanto plures apud Deum habet intercessores & testes. *Solutio.*

ARTICVLVS XLVI.

An definitiones scandali sint bonæ?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Sed etiam in tanto scandalo, &c.] Quæremus autem de scandalo, primo quid sit? Secundo de scandali diuisione. Tertio, Vtrum sit peccatum speciale diuisum ab aliis peccatis,vel coniunctum aliis semper? Quarto, Vtrum sit mortale peccatum vel non? Quinto,Vtrum scandalizare aliquo modo conueniat bonis? Sexto,Quorum sit scan-

dalizati ? Septimo, Quæ ſunt dimittenda propter ſcandalum, & quæ non?

Ad primum horum ſic proceditur : Matth.18. ſuper illud, Væ mundo ab ſcandalis : dicit Gloſſ. Scandalum eſt dictum vel factum minus rectum, aliis præbens occaſionem ruinæ. Alia autem notificatio ſcandali habetur ſuper illud Num.31. Vlciſcere prius filios Iſraël, &c. ſic, Scandalum eſt, vbi recte ambulanti deceptio ſubmittitur ad ruinam.

1 Obiicitur autem ſic contra primam : quia omne peccatum quod eſt in dictis vel factis, eſt occaſio ruinæ alteri : ergo omne peccatum in dictis & factis exiſtens, eſt ſcandalum, quod falſum eſt.

2 Adhuc, Omne peccatum procedens ad notitiam proximi, eſt obex poſitus recte ambulanti: ſed omne peccatum in dictis vel factis exiſtens, eſt procedens quantum eſt de ſe ad notitiam proximi : ergo omne peccatum in dictis & factis exiſtens, eſt obex poſitus recte ambulanti, quod falſum eſt, quia multi peccant, & non ſcandalizant.

3 Si forte dicatur, quòd peccatum quod eſt in dictis vel in factis, efficitur ſcandalum quando aliquis ruit exemplo ipſius. Contra: Accidit peccãti, quòd aliquis ruit ad exemplum ipſius vel non ruit : ergo ſcandalum per accidens eſt in ſcandalizante, & per ſe in ſcandalizato : ſed in quo per ſe eſt, illius eſt & illi imputatur : ergo ſcandalum magis eſt in ſcandalizato & ſibi imputatur, quod eſt contra totam Scripturam quæ ſemper culpat ſcandalizantes.

Quæſtiũcula. Vlterius quæritur, Quare non ponitur peccatum cordis? Videtur enim illud poſſe eſſe occaſio ruinæ : quia cor prodit ad notitiam per ſigna : ergo poteſt eſſe occaſio obicis : ergo eſt ſcandali occaſio : ergo ipſum poni debet, vt videtur.

Obiicitur etiam contra ſecundam diffinitionem : non tantum recte ambulantes ſcandalizantur, ſed etiam alij : ergo male dicitur, Vbi recte ambulanti.

2 Adhuc, Non ſemper eſt deceptio in ſcandalo : ſed etiam iſte ſcit, quòd male facit imitando : ergo male dicit, Deceptio ſubmittitur.

3 Item, Non intereſt ad caſum ad obicem, vtrum occultus ſit obex, an manifeſtus, dum deiiciat ambulantem : ergo ſimiliter eſt in via morum : ergo non oportet ſemper eſſe deceptionem.

Solutio. Responsio. Dicendum, quòd ſcandalum eſt Græcum, & tantum ſonat in Latino, quantum impactio vel caſus : vnde in ſcandalo ſpirituali quod tranſſumptiue dicitur ſcandalum, oportet aliquid eſſe ad quod fiat impactio vel caſus : & hoc eſt peccatum obuians recte ambulanti inquantum obuians. Dico autem recte ambulantem, omnes & illum qui in illo opere in quo eſt, non deuiat, vt dicatur rectum eſſe illud quod recedit à curuitate peccati vel deuio : & ita comprehenduntur omnes actus ſub recto qui liciti ſunt, id eſt, qui nullo præcepto prohibentur : ſic enim diffinitur licitum 1.Corinth.10. in Gloſſ. ſuper illud, Omnia mihi licent, ſed non expediunt. Dico autem obuians, inquantum obuians: quia ſi peccatum haberet circunſtantiam facientem ipſum non obuiare recte ambulanti, non eſſet ſcandalum, ſicut eſt circunſtantia occultationis. Circunſtantia autem faciens ipſum obuiare pedibus recte ambulantis, eſt illa quæ ponit peccatum ante eum : & hæc eſt illa quæ dicitur manifeſte. Hæc enim coram recte ambulante in via morum ponit peccatum obicem impedientem greſſus operum.

Ad primvm ergo dicendum, quòd hoc eſt falſum, Omne dictum vel factum, &c. quia non omne dictum vel factum eſt manifeſtum in ſpectaculo recte ambulantium, & non de ſe prodit ad notitiam, quando eſt occultum.

Ad alivd dicendum eodem modo, quòd nondum ſe prodit, quando occultatur & clauditur: ſubtrahitur enim quaſi de via morum, quando ſubducitur notitia proximorum.

Ad alivd dicendum, quòd circunſtantia non eſt omnino accidentalis actui: & hoc patet in moralibus, vbi ſpecies recti & obliqui diſtinguuntur per quando, oportet, & quantum, & vbi, & quibus auxiliis, & cur, &c. Patet etiam in locis rhetoricis à quibus trahuntur argumenta accuſationis vel defenſionis rei à circunſtantiis : & ideo non per accidens conuenit omni peccato, quod ei conuenit per circunſtantiam. Eſt autem vna circunſtantiarum aperta: & ideo de ſe habet, quòd eſt ſcandalum quando eſt apertum. Quod autem alius cadat, vel non, hoc eſt illi contingens: quia ſcandalum non eſt ſola cauſa ruinæ, ſed exigit etiam cauſam ex parte alterius imitantis ipſum in peccato. Vnde ſiue ille cadat ſiue non, iſte tamen dedit quantum eſt de ſe occaſionem ruinæ: occaſio autem dicitur imperfecta cauſa, quæ ſecum exigit aliam principaliter cauſantem, quam excitat & inuitat ad cauſandum, & huiuſmodi in ſcandalo eſt voluntas imitantis ſcandalizantem in peccato quod ante oculos eius ponit.

Ad alivd dicendum, quòd peccatum cordis de ſua ratione occultum eſt : quia peccatum cordis eſt diſcretiue dictum, quod ita eſt cordis, quod non eſt oris vel operis. Ad obiectum autem dicit, quòd ſignum multiplex eſt, ſcilicet commune, & conuertibile ſignum: commune non certificat: ſed facit exiſtimationem debilem, & ideo non eſt ſcandalum. Signum autem conuertibile æquipollet cauſæ, vt dicit Philoſophus: &, tale non eſt manifeſtum in peccato cordis. Si autem eſſet, inueniretur aliquid quod ipſum peccatum in ſpecie propria oſtenderet, & coram oculis poneret recte ambulantis : ideo non eſſet peccatum cordis tantum, ſed ad peccatum oris vel operis reduceretur. *Ad quæſtiunculam.*

Ad id quod obiicitur contra ſecundam, dicendum quòd non recte ambulans inquantum huiuſmodi, non ſcandalizatur, quia inuitans ad peccatum non accipit extra in peccato, ſed cauſam ſui peccati habet intra: ſed recte ambulans & non diſtorte ambulans, ille enim ad peccatum inuitans cum non habeat intra, extra accipit in peccato proximi ſibi obuianti in via morum.

Ad alivd dicendum, quòd deceptio large hic ſumitur pro non præuiſo : ſubito enim & præter ſpem obiicit ſe peccatum ſcandali inuitantis ad peccatum ex parte ſcandalizati: & hoc dicitur hic deceptio, quia cum proximus inquantum eſt imago Dei ad bonum debeat inuitare, præter præuiſionem obiicit occaſionem ruinæ. Sed tunc obiicitur: quia ſecundum hoc ſi præuideatur peccatum

catum publicum futurum, non erit scandalum, & ita iterum sequeretur, quòd accideret ei scandalum esse ex parte scandalizati, ex hoc quòd præuideretur, vel non præuideretur. Responsio, quòd est præuidentia duplex, scilicet speculatiua, & practica. Speculatiua non inuitat ad peccatum: quia sic omnes præmeditantes peccata aliqua, ad peccatum mouerentur, quod falsum est. Vnde si talis præcedat ex parte scandalizati, non minus est scandalum siue peccatum alterius, quia est primum inuitans ipsum ad peccatum de se. Si autem præcedit practica præuidentia: tunc est consensus vel placentia peccati illius, quod mouet ad visum peccati. Et tunc est quidem adhuc de se scandalum: sed tamen hoc scandalum non primo scandalizat ipsum, sed potius primum inclinans ad peccandum attulit secum in voluntate peccandi: vnde iste peccat ac si non esset scandalizatus, quia si subduceretur sibi peccatum proximi, adhuc moueretur ad peccandum.

Ad aliud dicendum, quòd multum interest in via motum, licet non intersit in via pedum: quia nunquam deiicit vt primum inuitans ad peccandum, nisi procedat in notitiam alterius: & hoc est esse manifestum alteri. Dictum est autem iam, quoniam de essentia scandali proprie est, quod sit primum inuitans ad peccandum alios, non peccantes illo genere peccati.

ARTICVLVS XLVII.

An scandalum bene diuidatur in actiuum & passiuum?

Secundo quæritur de scandali diuisione. Diuiditur autem in actiuũ & passiuum. Et actiuum dicitur esse quod agit in scandalo, passiuum quod patitur in eodem. Verbi gratia, si do occasionem ruinæ, ego ago in scandalo: si autem tu accipis, tu pateris: & in me est scandalum actiuum, in te autem passiuum.

Sed contra sic obiicitur: agens enim principalissimum, est agens immediatum facto vel operi: sed agens immediatum operi, est voluntas imitantis peccatum manifestum: ergo ipsa est agens principalissimum: ergo in imitante non est scandalum passiuum, sed actiuum, quod est contra omnes de scandalo loquentes.

2 Adhuc, Occasio non agit, eo quod non est causa, sed minus quam causa etiam per accidens: ergo videtur, cum peccatum manifestum non sit nisi occasio peccati alterius, quod non debeat dici scandalum actiuum.

3 Adhuc dicit August. quòd omne peccatum adeo est voluntarium, quòd si non sit voluntarium, non est peccatum: constat autem, quòd non dicitur actuale peccatum mortale voluntarium, nisi voluntate agentis ipsum: sed video, quòd peccatum imitatione peccati perpetratum, dicitur voluntarium voluntate scandalizati, & non voluntate scandalizantis: ergo videtur, quòd scandalizatus sit agens in ruina scandali, & non scandalizans.

4 Adhuc, Causa per occasionem, est causa aliquo modo disponens: hæc autem aliquo modo reducitur ad causam materialem, cum dicat materiæ præparationem, vt dicunt Philosophi: ergo dans occasionem in scandalo, est causa reducta ad materialem: sed ille est scandalizans: ergo non causat in scandalo, nisi sicut materia vel dispositio: & illius est pati, non agere: ergo scandalizant magis conuenit pati in scandalo, & scandalizato agere, quam è conuerso.

Responsio. Dicendum, quòd diffinitio scandali inducta stat, & bona est. Ad solutionem autem obiectorum dicendum, quòd est agens primum, quod est tantum agens: & agens secundum, quod est agens passum, & mouens motum, quia mouetur à primo motore. Exemplum huius est desideratum & desiderium, vt dicit Philosophus. Desideratum enim de se, id est, de sua specie, quæ delectabilis est, mouet desiderium: desiderium autem motum à specie desiderati mouet ad opus, & in coniunctionem desiderati. Et hoc modo dicitur scandalum actiuum, quod est primum mouens desiderium videntis ipsum: desiderium autem motum à viso peccato, est secundum mouens ad actum peccati, & est mouens motum, & agens passum. Cum igitur peccatum scandalizantis sit primum obiectum oculis recte ambulantis, ipsum est tantum agens: & ideo dicitur scandalum actiuum. Desiderium autem siue voluntas scandalizati, est mouens iam motum, & agens iam passum: & sequitur mouentia passionem, qua passum est ab alio: & ideo est penes ipsum scandalum passiuum. His habitis facile est respondere obiectis. *Solutio.*

Dicendvm enim ad primum, quòd agens principalissimum dicitur dupliciter, scilicet quod plus habet de ratione agentis, & quod est causa actionis. Et primo modo primum agens in quolibet ordine, est agens principalissimum: & sic dicitur principalissimum agens in scandalo actiuo. Secundo autem modo immediatum agens, est agens principalissimum, licet non agens secundum speciem agentis primi, qua ipsum iam passum est: & hoc modo voluntas scandalizati, est causa principalis peccati, quod fit in scandalo.

Ad aliud dicendum, quòd occasio dicitur, eo quod non est perfecta causa passionis illius, quæ fit in voluntate ruentis per exemplum illius: quia desideratum per se mouet desiderium.

Ad aliud dicendum, quòd August. loquitur de voluntate quæ est proxima causa peccati, & non de causa prima.

Ad vltimvm dicendum, quòd non est dispositio occasio, sed potius sequitur causam efficientem, vt patet per Aristot. in 2. physic. vbi causam per accidens ponit iuxta efficientem. Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICVLVS XLVIII.

An scandalum sit speciale peccatum distinctum ab aliis peccatis?

Tertio quæritur, Vtrum sit peccatum speciale diuisum ab aliis, vel aliis coniunctum? Videtur autem, quòd sit generale per diffinitionem supra inductam, quæ dicit. Omne dictum vel factum, &c. hoc enim est in omni peccato publico: ergo videtur, quòd non sit peccatum speciale.

2 Adhuc, Hic in litera videtur innuere, quòd sit

sit circunstantia peccati potius quam peccatum, cum dicit,Si peccatum eius fuit non modo in graui eius malo,sed etiam in tanto scandalo aliorum, &c. Circunstantia non omnino separatur à peccato, cuius est circunstantia: ergo videtur, quòd scandalum non separetur ab aliis peccatis, cuius est circunstantia: ergo videtur, quòd scandalum non separetur ab aliis peccatis: ergo non est species peccati secundum se.

3 Adhuc, Omnis corruptio ordinabilis ad actus diuersorum peccatorum in specie, est corruptio circunstantiæ communis, & non proprij actus secundum speciem: sed scandalum dicit huiusmodi corruptionem: ergo est corruptio circunstantiæ communis, & non proprij actus alicuius secundum speciem. Prima patet per hoc quòd differentiæ specificæ vltimæ & completiuæ, non sunt ordinabiles ad diuersa peccata. Secunda probatur per hoc quòd corruptio scandali inuenitur in omni peccato publico. Inde sic:Quicquid coniunctum est speciebus diuersorum peccatorum, est quoddam commune, quod secundum se speciem non constituit:scandalum est huiusmodi: ergo scandalum est quoddam commune coniunctum cum aliis peccatis, secundum se speciem non constituens.

4 Adhuc ad idem potest argui per secundam diffinitionem: Per omne peccatum publicum datur occasio ruendi recte ambulanti: ergo scandalum coniunctum est omni peccato publico.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius obiicitur: speciale enim peccatum est à speciali voluntate mala, & speciali nocumento, & fine: sed specialis voluntas mala est quæ vult ruere alium, & speciale nocumentum quod est ruina alterius,& intentum speciale, quia scandalizans intendit alterius casum. Cum igitur ista sint in scandalo, videtur quòd scandalum sit peccatum speciale.

2 Adhuc, Num.13. expressè apparet, quòd speciale fuit: quia ibi intenderunt per expositionem puellarum diis seruientium deiicere ad idola:ergo videtur,quòd speciale sit peccatum.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd scandalum quandoque dicitur peccatum coniunctum, quandoque separatum. Coniunctum est, quando non habet voluntatem & intentionem separatam à parte agentis ab alio peccato, sed tantum habet nocumentum separatum. Verbi gratia peccat aliquis publice,& non intendit nocere alij,nec vult: & tamen nocet, quia trahit eum ad ruinam malo suo exemplo, & tunc coniungitur alij peccato,& non est speciale peccatum secundum se: & hoc modo loquuntur Sancti de scandalo, quia raro aliter committitur scandalum. Alio modo dicitur scandalum, quando aliquis specialiter intendit & vult ruinam præstare per dictum vel factum suum: & tunc in vna actione habet duas intentiones: vnam quasi instrumentalem ad aliam, quia peccato quod facit, non vtitur nisi vt instrumento ad aliud peccatum, quod est deiicere proximum ad peccatum:& hoc modo accipitur in Numeris, vbi Madianitæ scandalizauerunt filios Israël. Per hanc autem distinctionem patet solutio ad vtramque partem obiectionum: quia directe super partes distinctionis procedunt obiectiones.

ARTICVLVS XLIX.

An scandalum semper sit peccatum mortale?

QVarto quæritur, Vtrum semper sit mortale peccatum? Videtur autem, quòd sic.Matth. 18. Væ mundo ab scandalis. Gloss.Imminet æterna damnatio mundanis propter scandala:sed æterna damnatio non imminet nisi pro peccato mortali:ergo scandalum est peccatum mortale.

2 Adhuc, Ibidem dicitur, quòd qui scandalizauerit vnum de pusillis illis qui in me credunt, expedit ei vt suspendatur mola asinaria in collo eius, & demergatur in profundum maris:sed hoc non diceretur, nisi esset peccatum mortale: ergo videtur scandalum semper esse mortale peccatum.

3 Adhuc,Minus nocumentum est nocere corporaliter ad subtractionem rerum vel vitæ corporalis, quam nocere spiritualiter ad perditionem animæ: sed illud est peccatum mortale, vt patet in rapina, furto, & homicidio: ergo & scandalum.

4 Si forte dicatur, quòd scandalum non tollit. Iam hoc est contra diffinitionem:quia non est ruina nisi per casum mortalis peccati, quæ sit ruina simpliciter. Si forte aliquis dicat, sicut antiquorum quidam soluebant, quòd scandalum est mortale quando coniungitur mortali, & veniale quando coniungitur veniali.Contra: In se comedere carnes idolotytas, vere veniale est, & tamen propter offendiculum est scandalum mortale:ergo non ex hoc est mortale, quia coniungitur actui mortalis peccati. Media probatur ad Rom. 14.vbi dicitur, Noli cibo tuo illum perdere, pro quo Christus mortuus est. Et ibidem, Sic autem peccantes in fratres & percutientes conscientiam eorum infirmam, in Christum peccatis. Non perditur autem frater, nisi per peccatum mortale: ergo illi peccabant mortaliter in scandalizando in actu secundum se licito: ergo habetur propositum.

Sed contra. SED IN CONTRARIVM huius obiicitur, per hoc quod dicitur Marc. 8. vbi dixit Christus Petro: Vade retro me satanas,scandalum mihi es: quia non ea sapis quæ Dei sunt. Et tamen Glossa dicit ibi: & est Glossa. Bedæ, Sed mihi error Apostoli de pietatis affectu veniens, nunquam incentiuum videbitur diaboli: ergo Petrus scandalizauit, & tamen non mortaliter peccauit. Sed tamen alia Glossa dicit ibi, Non putat posse fieri vt Dei Filius occidatur.Sed hoc non est contra propositum: quia etiamsi detur peccasse mortaliter per infidelitatem:quod tamen non est verum, non tamen peccauit mortaliter per scandalum,vt videtur prima Glossa innuere.

2 Adhuc,Peccata quædam sunt in genere suo mortalia: quædam autem in genere suo venialia. Cum igitur scandalum adiunctum aliis peccatis, videatur quandoque esse veniale & quandoque mortale, videtur quòd scandalum sit quandoque veniale & quandoque mortale.

3 Adhuc,Vnum peccatum est vnius voluntatis & vnius actus: sed scandalum est adiunctum eidem actui peccati, & eidem voluntati, & non habet

habet voluntatem & actum diuisa,vt supra patuit: ergo videtur, quòd non sit differentia peccati secundum se: vel si est, quòd non incidat in aliam differentiam, quam illam ad quam peccatum per actum suum veniale vel mortale determinatur:sed non omne tale est mortale: ergo nec scandalum semper est mortale.

Responsio. Dicendum, quòd scandalum quandoque est mortale, & quandoque veniale: mortale autem est triplex, vt mihi videtur, scilicet ex coniunctione cum mortali: & hoc patet cuilibet per se. Et quandoque habet diuisionem specialis voluntatis & intentionis deiiciendi proximum in mortale:& hoc iterum patet. Tertio etiam quando coniungitur actui, qui ex circunstantia potest credi mortalis probabiliter, licet non sit quoad agentem, quia tunc negligentia & inconsideratio agentis facit illum actum esse peccatum mortale:sicut fuit peccatum Corinthiorum qui in idolo recumbebant ad manducandum idolotytum tempore quo in honore idolis talis ritus obseruabatur:tunc enim omnis infirmus, ignorans fidem manducantis,secundum commune iudicium nihil aliud poterat iudicare, quam quod comederet ad honorandum idolum: & cum Doctor fidei esset, ædificabatur etiam discipulus ad manducandum in honore idoli: & ideo suo fratri actiue dedit causam ruinæ per peccatum infidelitatis. Alio autem modo quocunque fiat, est peccatum veniale. Et hoc dico sine præiudicio: quia forte alteri plures modi mortalis scandali occurrent, sed mihi modo non subueniunt plures.

Ad duo ergo prima dicendum, quòd loquuntur ibi Sancti tantum de scandalo mortali, & non veniali.

Ad aliud dicendum, quòd verum est, quòd qui directe agit ad læsionem animæ, plus nocet quam si noceat corporaliter:non tamen sequitur, quòd plus peccet, quia peccati quantitas non attenditur ex quantitate nocumenti, sed potius ex quantitate deformitatis in actu & radice & voluntate peccantis. Quod autem ita sit,plane patet, quia nocumentum est in altero,& non in peccante frequenter, & quantitas peccati accipitur ex his quæ sunt in peccante. Si tamen detur, quòd etiam penes nocumentum sumatur deformitas quædam actus, sicut verum est, tunc dicendum est,quòd adhuc non valet argumentum:quia ad nocumentum corporale agit quis directe intendens per voluntatem nocendi:sed ad nocumentum spirituale in scandalo coniuncto alij peccato, non agit directe intendens,sed coincidit cum peccato suo. Si autem esset scandalum specialiter intentum, & esset ad mortale peccatum, tunc non esset ratio concedenda.

Ad aliud dicendum, quòd cum diffinitur scandalum per ruinam, accipitur ruina communiter ad ruinam absolute quæ est mortale peccatum, & ad ruinæ occasionem quæ est veniale: & ita diffinitio conuenit vtrique, tamen per prius conuenit peccato mortali.

Ad aliud quod obiicitur de Petro dicendum, quòd scandalum sumitur ibi æquiuoce in comparacione ad scandalum de quo nos loquimur:est enim obex vitis in recta via morum scandalum, de quo quæritur hic à nobis. Scandalum autem quandoque dicitur obex lætitiæ vel æqualitatis affectus:& sic quodlibet conturbans dicitur scandalum:& hoc modo Petrus dicitur scandalum Christi:quia quantum est de se, turbabat iter salutis nostræ. Et hoc modo Christus conturbans Scribas & Pharisæos, dicitur scandalizasse eos in vita:& dicit Matth. 17. ad Petrum de accipientibus censum, Ne autem scandalizemus eos, vade ad mare, &c. id est, ne conturbemus eos. Quidam tamen hoc aliquantulum distinguũt, scilicet quod est scandalum materiale, & formale. Materiale vocant in quo aliquis sua culpa, non facientis vitio, ruendi accipit occasionem:& hoc modo dicunt Christum scandalizare. Formale autem quando suo vitio dat ruendi occasionem. Et vtræque distinctiones coniunctæ, puto quòd veriores sint, quam altera tantum per se. Quicquid autem sit, dicendum quòd Petrus non peccauit mortaliter scandalizando: quia impedimentum redemptionis quod nitebatur obiicere,non prodiit nisi ex pietate: quia Christum nolebat pati, & tamen genus humanum redimere: & hæc quidem compossibilia fuerunt: sed etiamsi non essent compossibilia, tunc vnum eorum poterat per actum animæ separari ab altero. Ad aliud dicendum quòd Glossa dicit,quòd Petrus non erat infidelis: quia subito territus ad verbum Dei non pertractauit nec contulit:& ideo statim à Domino correptus accepit disciplinam.

Ad aliud dicendum, quòd in veritate scandalum & est mortale, & veniale,diuersis modis, vt dictum est: & tamen non sequitur, quòd peccatum scandalizantis sit duo peccata: sed Magister Præpositiuus dicebat talia peccata duplicia vel composita, quando in vno actu sunt duæ vel plures deformitates ex corruptionibus diuersis diuersarum circunstantiatum:& ideo etiam scandalizanti pœna separata non iniungitur, sed tantum vt exemplo pœnæ iunctæ proximum ædificet. Et hoc trahitur hic de litera,vbi dicitur, Id tamen agat quod non solum sibi prosit ad salutem, sed etiam quòd sit exemplum cæteris. Et per hoc patet solutio omnium obiectorum.

ARTICVLVS L.

An scandalizare aliquo modo conueniat bonis?

Quinto quæritur, Vtrum scandalizare aliquo modo conueniat bonis? De Christo enim dicitur Luc. 2. Ecce positus est hic in resurrectionem & in ruinam multorum in Israël:occasio autem ruinæ est scandalum:ergo Christus scandalizauit multos:ergo & alij Sancti poterant scandalizare. Item Matth. 15. Scis, quia Pharisæi audito verbo hoc scandalizati sunt? ergo Christus scandalizauit Pharisæos:ergo & alij Sancti possunt hoc facere. Item, Isa. 28. & 1. Petr. 2. Ecce pono in Sion summum lapidem angularem, &c. & sequitur, Qui crediderit, non festinet. Quasi diceret, Si festinat, impingit & cadit. Constat autem, quòd Christus loquitur:ergo Christus fuit occasio ruinæ in Iudæis:ergo scandalizauit. Item 1. Petr. 2. dicitur, quòd Christus erat lapis offensionis & petra scandali:ergo,&c.

2 Adhuc de Antonio legitur, quòd quidam venator scandalizatus fuit in eo quod remissius se haberet deambulando cum fratribus per syluam: ergo

ergo bonis quandoque accidit alios ſcandalizare.

Sed contra. SED IN CONTRARIVM obiicitur ſic: quia contraria ſunt prouocare exemplis ad bonũ, & per exempla à bono retrahere, & ad malum prouocare: ſed Sancti tenentur exemplis reuocare à malo, & ad bonum prouocare: ergo non competit eis alios à bonis retrahere, & ad malum prouocare. Probatio primæ eſt: quia contrariis fiunt, ſcilicet bono, & malo. Probatio ſecundæ eſt, quod dicit Dominus Matth. 5. Sic luceat lux veſtra coram hominibus, vt videant opera veſtra bona, & glorificent Patrem veſtrum qui in cælis eſt.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum ad hoc, quòd ſcandalum eſt materiale, & formale. Materialiter autem facti ſunt ſancti quibuſdam ſcandalum, ſed formaliter nulli. Et quid ſit ſcandalum materiale, & quid formale, dictum eſt ſupra. Et per hoc patet ſolutio ad ea quæ obiiciuntur de Chriſto.

AD ALIVD quod obiicitur de Antonio dicendum, quòd in veritate non fuit niſi materia ſcandali: quia non in illicito actu malum exemplum dedit, ſed poſt nimium rigorem eduxerat fratres ad recreationem: vnde ille venator non ſcandalizabatur ad aliquid illicitum, ſed putabat aliquid minus eſſe de bono religionis in eis quam crediderat: & ideo curauit eum beatus Antonius per tenſionem arcus, qui ſi vltra quam curuabilis ſit tenderetur, frangeretur. Et ita dixit eſſe de virtute & robore hominis, cui ſi plus imponatur, quam ferre poteſt, frangetur virtus eius, & robur non poterit ſuſtinere.

ARTICVLVS LI.

Quorum eſt ſcandalizari?

SExto quæritur, Quorum ſit ſcandalizari? Videtur autem, quòd omnium: quod enim eodem modo ſe habet agens, ſi patiens eodem etiam modo ſe habet (vt dicit Philoſophus 10. ethicorum) ſemper idem facit: malum autem exemplum vno modo ſe habet quantum ad ſpeciem mali, & omnis intuens ſecundum quod intuens, eodem modo ſe habet: ergo videtur, quòd ſi vnus ſcandalizatur, & omnes ſcandalizentur: ergo omnium eſt æqualiter ſcandalizari.

2 Item, Conſtat, quòd omnis malum exemplum dans, ſcandalizat hoc ipſo, vt patet ex præhabitis: vt igitur grammatice quis obiiciat, cum ſit verbum tranſitiuum, & non eſt quo tranſeat actus eius niſi in paſſiuum, neceſſe eſt, quòd aliquis ſcandalizetur: non autem ſcandalizatur niſi intuens eum: ergo omnium intuentium per hoc quod intuentes ſunt, eſt ſcandalizari: ſed illi ſunt indifferenter omnes: ergo omnium eſt ſcandalizari.

Sed contra. SED CONTRA: Matth. 18. vbi loquitur Dominus de ſcandalo, non videtur loqui niſi de ſcandalo puſillorum: ergo puſillorum eſt ſcandalizari: ſed non omnes ſunt puſilli: ergo non omnium eſt ſcandalizari.

2 Adhuc, Gloſſa ibidem dicit, quòd puſillorum eſt ſcandalizari, non prouectorum & perfectorum.

3 Adhuc, 1. Corinth. 8. videtur Apoſtolus velle, quòd infirmorum ſit ſcandalizari: dicit enim ſic, Conſcientia ipſorum cum ſit infirma, polluitur: & ita peribit infirmus in tua conſcientia frater, propter quem Chriſtus mortuus eſt.

4 Adhuc, Prouocari ad malum alterius exemplo, non eſt habentis habitum confirmatum ad bonum: ergo non eſt ipſorum inclinari ad malum alio exemplo.

5 Adhuc, In ſecundo ethicorum dicitur, quòd aliter ſapientes plebis paſſi ſunt ad Helenam, & aliter iuuenes in concupiſcentia viuentes: ſapientes enim viſam fugerunt magis ab ea, ſed iuuenes attrahebantur: ergo multo magis hoc competit perfectis ad viſum malum: ergo videtur, quòd ipſorum non ſit ſcandalizari.

Solutio. QVOD CONCEDIMVS, dicentes ad primum, quòd paſſiua non ſunt eodem modo diſpoſita, niſi quantum ad extrinſecus rationem, hoc eſt, quantum ad ſolum videre: ſed quia viſus non eſt cauſa ſcandali paſſiui, niſi adiuncta concupiſcentia mali & conſenſu, ideo non ſequitur, quòd ſcandalizentur illi, licet alij agant ad ſcandalum. Et eſt ſimile, quòd ignis comburit, & tamen aliter & aliter comburitur ab igne aridum, & aliter viride.

AD ALIVD dicendum, quòd in grammaticis ſufficit modus, etſi quandoque res deſit. Sicut lapis grammatice dicitur lædens pedem, etſi nunquam lædat: ſic dicitur verbum tranſitiuum, quia quantum eſt de ſe, tranſit, ſed tamen realiter non ſemper ex actiuo poteſt inferri paſſiuum, ſcilicet quando nihil ſuſcipit de actione agentis à ſua immutatione: & ita eſt hic: & ideo non ſequitur ſecundum rem, iſte ſcandalizat: ergo ille ſcandalizatur, vel aliquis ſcandalizatur. Nec è contrario etiam valet, iſte ſcandalizatur: ergo aliquis ſcandalizat eum: ſicut patet in ſcandalo materiali, quia ſcandalizati ſunt Iudæi, & tamen Dominus noſter Ieſus Chriſtus non ſcandalizauit eos.

ARTICVLVS LII.

Quæ ſunt illa quæ dimittenda ſunt propter ſcandalum?

SEptimo quæritur, Quæ dimittenda ſint propter ſcandalum paſſiuum, quia actiuè nullus debet ſcandalizare. Videtur enim, quòd omnia ad ſalutem non pertinentia: omnibus enim talibus melior eſt tranquillitas proximi: ergo omnibus talibus præeligenda: ergo antequam turbetur, omnia ad ſalutem non pertinentia debent dimitti.

2 Adhuc de beato Bernardo legitur in vita ſua, quod moriens dixit, Nulli vnquam ſcandalum feci, ſed quando accidit, ſedaui vt potui: ergo videtur, quòd pro nulla re non pertinente ad ſalutem, debet quis facere ſcandalum.

3 Adhuc, Proximum debemus diligere vt noſipſos: ſed noſipſos ita diligimus, quòd pro re temporali nolumus ab aliis conturbari vel ſcandalizari: ergo nec alium pro re temporali ſcandalizare debemus.

Sed ſecundum hoc videtur, quòd non liceat repetere ſua cum ſcandalo: quia ſine repetitione ſuorum eſt bene ſalus. Item videtur hoc 2. Cor. 6. vbi dicitur, Quare non magis iniuriam accipitis? ergo

ergo videtur, quòd iniuria sit potius sustinenda, quam litigandum in iudicio ad rehabendum sua. Item, Hebræorum 10. Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio sustinuistis, arbitrantes habere meliorem & manentem substantiam. Ex hoc enim sequitur idem.

Sed contra hoc iterum videtur esse: quia nulli præstandum est incentiuum delinquendi: sed si sua non repetuntur, dabitur incentiuum semper aliena detinendi: & hoc pessimum est: ergo sua sunt repetenda, etiam quantumcunque ille perturbetur.

Quæstiuncula. IVXTA hoc vlterius quæritur, Cum opera misericordiæ sint meliora, quam iustitiæ: opera autem misericordiæ aliquando propter scandalum dimittuntur, ne credantur ea fieri intentione vanæ laudis: quare opera iustitiæ similiter non intermittuntur?

Solutio. AD HOC sine præiudicio videtur mihi dicendum, quòd bene facit iniuriam patiens, si sustinet damnum sine repetitione suorum, sed non tenetur. Et quod Dominus dicit, tollenti tunicam etiam pallium relinquendum esse, consilium reputo.

AD HOC autem quod obiicitur, quòd non est præstandum incentiuum delinquendi: dicendum, quòd iste non præstat, sed ille habuit, quando aliena rapuit: sed iste per patientiam sustinendi plus eum prouocat ab bonum, quam per repetitionem suorum. Et hoc patet ex hoc quod dicitur Rom. 12. Si esurierit inimicus tuus, ciba illum: si sitit, potum da illi: hæc enim faciens, carbones ignis congeres super caput eius: noli vinci à malo, sed vince in bono malum. Et per plura alia quæ in textu & in Glossa dicuntur. Quod autem non teneatur, patet per Gregorium dicentem sic super illud Iob 39. Frustra laborauit, &c. Cum curam rerum, nobis itineris necessitatis imponit, quidam dum eas rapiunt, solummodo tolerandi sunt: quidam vero conseruata charitate sunt prohibendi, non tamen sola cura ne nostra subtrahant, sed ne rapientes non sua, semetipsos perdant. Plus quippe ipsis raptoribus debemus metuere, quam rebus irrationabilibus defendendis inhiare. Ista namque etiam non rapta morientes amittimus, cum illis vero & nunc conditionis ordine, & si corrigi studeant: post perceptionem muneris vnum sumus. Quis autem nesciat, quia minus ea quibus vtimur, & plus debemus amare quod sumus? Si ergo & pro sua vtilitate raptoribus loquimur, iam non solum nobis quæ temporalia, sed ipsis etiam quæ sunt æterna vendicamus. Qua in re illud est soleter intuendum, ne per necessitatis metum, cupiditas furrepat rerum: & zelo succensa prohibitio, & impetu immoderantiore distensa, vsque ad odiosa verba & turpitudinem contentionis erumpat. Dumque pro terrena re pax à corde cum proximo scinditur, liquido apparet, quia plus res quam proximus amatur. Ex his colligendo dicimus, quòd omnibus licet repetere: sed tamen & omnibus licet dissimulare, nisi in casu aliquo probabiliter æstimari posset, quòd plus raptor timore iudicij, quam exemplo patientiæ corrigeretur: quia ita loquitur Gregorius.

Lib. 31. c. 10.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd aliquo modo reducitur ad salutem, ita scilicet inquantum compatientes proximo magis quam rebus propriis volumus eum iudicio corrigi: sic enim Dominus etiam præcepit maleficos cædi. Vel si corrigi desperantur per iudicium, deberet intendi vitæ tranquillitas in aliis: quia sine hac Deo seruire non possumus: & sic repetitio suorum reducitur ad ea quæ faciunt salutem.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc perfectorum fuit quod fecit Bernardus: & forte scivit illos plus corrigi patientia, quam iudicij districtione.

AD ALIVD dicendum, quòd nos debemus velle, quòd conturbemur ad pœnitentiam vel ad vitæ tranquillitatem rehabendam, quam rapientes aliena conturbauimus: & quod nobis debemus velle, sufficit impendere proximo.

AD ID quod in contrarium obiicitur, iam patet solutio. Tamen quidam distinguunt, quòd perfectis non licet cum scandalo, sed imperfectis licet cum scandalo repetere sua. Sed non videtur ita dicendum; quia scandalum non est hic nisi materiale, quia licitus actus est repetere sua. Et ex parte facientis est conturbatio iusta, & vexatio potest sibi dare intellectum. Vnde puto, quòd omnibus liceat si velint, vel nomine suo, vel nomine capituli sui, vel sui procuratoris sua repetere.

AD OBIECTA autem alia patet solutio per antedicta.

ARTICVLVS LIII.

An indulgentia percipiatur in contritione vel confessione?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Indulgentiam Dei nisi supplicationibus sacerdotum nequeant obtinere, &c.] Videtur enim ex hoc, quòd indulgentia non percipiatur in contritione: quia supplicatio sacerdotum non est in contritione, sed potius in confessione; quod falsum est. Si dicatur, quòd intelligitur quantum ad totius culpæ dimissionem, non in culpa tantum, sed etiam in pœna debita. Contra: Constat, quòd contritio aliquid delet de pœna: pœna autem debita finita est, ex quo dimissa est culpa: & contritionis dolor est aliquantus qui delet pœnæ aliquotam, & sit decima: ergo si decupletur dolor contritionis, delet totam: possibile est autem decuplari dolorem contritionis: ergo possibile est totam pœnam dimitti in contritione: ergo in tali casu non est necessaria supplicatio sacerdotum: non ergo generaliter verum est quod dicit.

Quæst. VLTERIVS videtur sequi ex dicto in litera, quòd forma absolutionis facta à sacerdote in confessione, est per modum supplicationis: ergo videtur, quòd erret Ecclesia quæ absoluit per enuntiationem communem indicatiuam, quod falsum est. Adhuc, Certissime sacramenta consequuntur finem suum: sed certe non exprimitur consecutio finis, nisi per indicatiuum: ergo forma absolutionis debet fieri per indicatiuum, & non per supplicationem sacerdotis, sed potius per absolutionem indicatiue significatam peccator consequitur veniam.

Sed contra. IN CONTRARIVM videtur esse primo modus loquendi in litera: quia supplicatio sacerdotum per quam consequitur peccator veniam,

non potest esse per indicatiuum modum, sed potius per deprecatiuum modum: ergo videtur, quòd forma absolutionis debet fieri deprecatiue, & non iudicatiue.

2 Item, In sacramentis non est alligata virtus diuina, vt dicit Augustinus: ergo videtur, quòd si debeat ibi operari, quòd oporteat operari per supplicationem: ergo per supplicationem debet fieri forma.

3 Adhuc, Pœnitentia ordinatur contra actuale: & illud non curat Deus sine nobis: sed nos imporentes sumus & indigentes gratia: ergo supplicatio debet fieri in sacramento ad gratiam illam obtinendam: ergo supplicationis modo debet fieri absolutio à peccatis, vt videtur.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum ad primum, quòd vt supra sæpe diximus, in contritione partes etiam aliæ pœnitentiæ, per hoc quod sunt in proposito contritis, operantur, & dant virtutem contritioni: sicut dicit Augustinus, quòd fides Redemptoris etiam valuit antequam esset Redemptor: quia licet non fuerit per naturam assumptam, fuit tamen in fide credentium. Cum igitur confessio sit in voto vere contritorum, operatur in voto ad peccati dimissionem: & per consequens ibi operatur supplicatio sacerdotum. Et per hoc patet solutio ad primum.

AD ALIVD dicendum, quòd nunquam fit peccati dimissio, sine supplicatione hoc modo existente: sed bene potest esse, quòd dimittatur quandoque, ita quod actu supplicatio non accedit, vbi scilicet articulus necessitatis, non contemptus religionis excludit confessionem.

Ad quæstiunculam. AD ID quod vlterius quæritur, dicendum quòd forma absolutionis propter sacramenti certitudinem debet fieri per indicatiuam enuntiationem: sed quod præcedit deprecatio, de bene esse est sacramenti, & non de esse. Ad id autem quod contra obiicitur, dicendum quòd supplicatio dicitur hic supplex & deuotum ministerium sacerdotum in foro pœnitentiæ.

AD ALIVD dicendum, quòd licet non sit violentiâ alligata gratia Dei sacramentis: tamen ineuitabilitate promissionis diuinæ & honestatis veritatis diuini dicti, sacramentum semper consequitur effectum, nisi sit fictus qui recipit: & gratia istius ineuitabilitatis pronuntiatur indicatiue: aliter enim omnia Ecclesiæ sacramenta sub dubio ponerentur.

AD ALIVD dicendum, quòd gratia Dei inuocanda est super conuersionem voluntatis, quia illa dubia est: sed super effectum sacramenti non est vnquam gratia Dei inuocanda: quia hoc esset signum dubietatis totius fundamenti Ecclesiæ: potest tamen inuocari gratia ad præparationem recipientis sacramenta, & ad sanctificationem materiæ sacramentorum. Sed quod ipsum sacramentum in debita materia & debita forma celebratum, habeat effectum plenum quantum est de se, ab omni debet pro constanti relinqui Christiano: nec aliquo modo Deus orandus est pro hoc, ne sub dubio fidem nostram ponere videamur.

***

ARTICVLVS LIV.

An per signa siue scripta possit fieri confessio, & an per interpretem?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Non per scriptum manifestanda, &c.] Secundum enim hoc homines ignotæ linguæ non possent confiteri. Item, Nec muti, qui loqui non possunt.

ADHVC autem quæritur, Quando aliquis per interpretem confitetur, vtrum interpres tenetur celare confessionem sicut sacerdos? Videtur enim, quòd sic: quia aliter retraheret homines multos à confessione: & celatio confessionis, vt infra habebitur, fit ideo ne retrahantur homines à confessione: ergo interpres tenetur celare confessionem. *Quæstiuncula.*

SED IN CONTRARIVM huius obiicitur: quia ipse non est sacerdos, & soli sacerdotes audita recipiunt sub forma confessionis: ergo iste non recipit nisi sicut aliam rem mundanam: sed aliam rem non tenetur celare, nisi velit vel promiserit: ergo nec istam. *Sed contra.*

RESPONSIO. Dicendum, quòd loquitur de his qui communicant cum sacerdotibus in potentia loquendi & idiomate. Alij enim per scriptum vel per signum per se, vel per interpretem possunt confiteri. Et per hoc patet solutio ad primum quæsitum. *Solutio.*

AD ALIVD dicendum, quòd interpres debet per sacerdotem obligari ad reticendum: & si non obligetur, tamen tacere tenetur. Ad obiectum contra, dicendum quòd ipse est ibi vt auris sacerdotis: & ideo communicat in actu sacerdotis per aliquem modum propter necessitatem: & ideo non recipit hoc sicut alium rumorem, sed potius vt confessionem, quæ omnino celanda est: & tamen puniendus est acriter si reuelauerit: & tamen reuelanti non est credendum in aliquo præiudicio confitentis.

ARTICVLVS LV.

An peccata aliquando dimittantur in contritione, aliquando in confessione?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Etsi non statim purgatur, fit tamen veniale, &c.] Videtur enim falsum quod dicitur: quia multi sunt, qui etiam in contritione à toto absoluuntur, & multi qui in confessione: & huius signum est, quòd Mariæ Magdalenæ non est iniuncta aliqua pœnitentia à Domino: ergo multi statim purgantur in confessione.

VLTERIVS quæritur de hoc quod dicit, quòd fit veniale, quod commiserat mortale: dicit enim Auicenna, quòd sciunt artifices alchimiæ species transmutari non posse: sed diuersæ species sunt peccati, mortale, & veniale: ergo vnum non transmutatur in aliud. *Quæstiuncula.*

RESPONSIO. Dicendum ad primum, quòd loquitur vt frequenter: quia vt frequenter exiguntur omnes tres pœnitentiæ partes. Vel melius dicatur, quòd loquitur vt semper: sed tunc redeundum *Solutio.*

dum est ad solutionem sæpe supra notatam, scilicet quòd partes pœnitentiæ operantur, scilicet prout sunt in voto, non in actu tantum: quia tunc verum est, quòd peccatum quod commiserat mortale, efficitur veniale per taxationem pœnitentiæ, consequente venia.

Ad quæstiunculam. AD ID quod vlterius quæritur, dicendum quòd veniale dicitur tribus modis, sicut in secundo distinct. 34. notauimus, scilicet ex genere, vt otiosum verbum: ex euentu, sicut quando mortali remisso per contritionem, etiam per claues iniungitur pœnitentia dans veniam in toto per satisfactionem. Tertio dicitur veniale quodlibet in se mortale: si tamen habet aliquid in circunstantia, quare potest excusari per veniam. Et hoc opponitur peccato ad mortem, quod est in Spiritum sanctum. Est enim hoc modo veniale peccatum, peccatum ex ignorantia vel infirmitate procedens, quod dicitur in Patrem vel in Filium.

AD ARGVMENTVM autem dicendum, quòd veniale & mortale non sunt diuersæ species peccati: & huius probationem quære super finem secundi. Si tamen hoc non fiat, videtur hic tunc dicendum, quòd mortale non mutatur in veniale, prout veniale dicitur alia species peccati, diuidens peccatum cum mortali: sed deletur mortale, & nullum veniale succedit: sed quia reatus non totus deletur, imo manet debitum pœnæ temporalis, ideo dicitur mutari in veniale: & hoc est ex euentu veniale. Et est simile sicut si aliquis gratia iudicis vel senatus absoluitur à iudicio mortis, & commutatur ei in iudicium satisfactionis pecuniæ vel alicuius alterius.

ARTICVLVS LVI.

An sola iustitia vtatur Deus, vel etiam misericordia in condemnatione?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Iustitia enim sola damnat, &c.] Contra: Statim infra dicit, quòd seruat misericordiã in iustitia, & iustitiam in misericordia: ergo videtur, quòd non sola damnat iustitia.

2 Adhuc, Communiter dicunt Sancti, quòd in omni opere diuino est misericordia & veritas: & Magister probabit infra dist. 48. ergo falsum videtur, quod hic dicit.

Quæstiuncula. VLTERIVS quæritur de hoc quod statim adiungit, Quoniam verecundia magna pœna est, qui erubescit pro Christo, dignus est misericordia. Secundum hoc enim videtur, quòd prima gratia cadit sub merito accipientis eam: quia erubescere ad peccata nostra, est in potestate nostra: & hoc falsum esse probatum est in fine primi, scilicet 42. dist. & etiam in secundo, 21. dist.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum ad primum, quòd Magister recitat hic verba Augustini, qui loquitur sub hypothesi quadam, scilicet quod si Deus sola ad peccatores vteretur iustitia: tunc enim verum esset, quod omnes damnaret: & hoc absque dubio videtur esse sententia literæ. Alij autem hoc aliter soluunt, scilicet quod in puniendo Deus principaliter vtitur iustitia: & quod præit misericordia, aut quasi sequitur, quia non est misericordia in toto liberans, sed quasi aliquid de pœna relaxans: & est non impediens iustitiam, sed quasi tenens ne tantum vindicet in peccatorem, quantum meruit: & ideo attribuitur totum iustitiæ. Sed prima solutio veritatem literæ dicit, non secunda.

Ad quæstiunculam. AD ID quod vlterius quæritur, dicendum quòd prima gratia non cadit sub merito condigni, quantum ad ipsum qui accipit eam, sed sub merito congrui: congruum enim est vt accipiat gratiam, qui per attritionem, confessionem, & rubore verecundiæ se ad accipiendum gratiam præparauit. Cadit tamen potius gratia sub merito alterius, quam accipientis: quia vnus alteri bene mereri potest primam gratiam, licet idem sibi mereri non possit. Et de hoc supra in tractatu de reprobatione disputatum est.

ARTICVLVS LVII.

An semper necessarium sit confiteri suo sacerdoti?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Sufficit enim confessio, quæ primum Deo offertur, &c.] Videtur enim ex hoc, quòd necesse sit semper suo sacerdoti confiteri. Ponamus ergo, quòd probabiliter sciam, quòd reuelet confessionem, tunc incidam in consuetudinem improbabilem quæ hic damnatur.

2 Adhuc, Ponamus, quòd aliquis fornicatus sit cum filia vel sorore vel matre vel concubina sacerdotis, & probabiliter sciat, quòd si dixerit ei in confessione, quòd semper odiat eum: videtur, quòd tunc non oporteat eum confiteri sibi, quia scandalizabit eum.

3 Adhuc, Ponamus, quòd fœmina debeat confiteri, & probabiliter æstimet, quòd sacerdos inclinabit eam ad malum per preces vel tactum impudicum, videtur quòd in tali casu non debeat confiteri.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd in omnibus his casibus, si commode potest, debet recurrere ad superiorem, vel aliquem qui vim habet superioris. Si autem non potest propter viæ periculum, vel sexus qualitatem, quia forte fœmina est, & timet corrumpi in via: debet hoc rogare per alium vt concedatur sibi licentia confiteri alij, ne ordo qui est in præpositis Ecclesiæ contemnatur. Si autem nec hoc potest, quod tamen raro contingit: tunc sub spe ratihabitionis, eo quod talem licentiam non debet denegare superior, potest alteri confiteri quousque veniatur ad præsentiam superioris, & licentiam possit impetrare. Et per hoc patet solutio ad totum. Idem etiam dico de ignorante sacerdote vel nesciente distinguere inter veniale & mortale. In isto autem cap. superius habitum est de verecundia & erubescentia, & ideo nihil quærimus hic de ipsa: & supra multum est de ea disputatum, & ibi requiratur.

* * *

De tertio articulo, ſcilicet an ſufficiat confiteri laico?

NVNC priuſquam præmiſſis auctoribus quæ his contradicere videntur, reſpondeamus, tertiam quæſtionem intueamur. Quod enim ſecunda quæſtio continebat, ſcilicet an ſine confeſſione & iudicio ſacerdotis ſoli Deo confiteri ſufficeret, expeditum eſt: & certificatum præmiſſis teſtimoniis, quòd non ſufficit confiteri Deo ſine ſacerdote, nec eſt vere humilis & pœnitens, ſi non deſiderat & requirit ſacerdotis iudicium. Sed nunquid æque valet alicui confiteri ſocio vel proximo ſuo, ſaltem cum deeſt ſacerdos? Sane ad hoc poteſt dici, quòd ſacerdotis examen requirendum eſt ſtudioſe: quia ſacerdotibus conceſſit Deus poteſta-
Matt.16. tem ligandi atque ſoluendi. Et ideo quibus ipſi dimittunt, & Deus dimittit. Si tamen defuerit ſacerdos, proximo vel ſocio eſt facienda confeſſio. Sed curet quiſque ſacerdotem quærere, qui ſciat ligare & ſoluere. Talem enim eſſe oportet, qui aliorum crimina diiudicat.
Lib. de vera & falſa pœnitentia. cap.10. Vnde Auguſtinus. Qui vult confiteri peccata vt inueniat gratiam, quęrat ſacerdotem qui ſciat ligare & ſoluere: ne cum negligens circa ſe extiterit, negligatur ab eo, qui eum miſericorditer monet & petit: ne ambo in foueam cadant, quam ſtultus euitare noluit. Tanta itaque vis confeſſionis eſt: vt ſi deeſt ſacerdos, confiteatur proximo. Sæpe enim contingit, quòd pœnitens non poteſt verecundari coram ſacerdote, quem deſideranti nec tempus, nec locus offerret. Et ſi ille cui confitebitur poteſtatem non habeat ſoluendi, fit tamen dignus venia
Luc.17. ex ſacerdotis deſiderio, qui crimen confitetur ſocio. Mundati enim ſunt leproſi, dum ibant ora vel ſe oſtendere ſacerdotibus, antequam ad eos peruenirent. Vnde patet Deum ad cor inſpicere, dum ex
Ibidem neceſſitates prohibentur ad ſacerdotes peruenire. Vnde Auguſt. Sæpe quidem quærunt eos ſani & læti: ſed dum quærunt, antequam perueniant, moriuntur. Sed miſericordia Dei vbique eſt: qui & iuſtis parcere nouit, & ſi non tam cito, ſicut ſi ſoluerentur à ſacerdote. Qui ergo confitetur ſacerdoti, omnino meliori quàm poteſt confiteatur: & ſi peccatum occultum eſt, ſufficiat referre in notitiam ſa-
Mat.9. Mar.5. cerdotis. Nam in reſurrectione filiæ archiſynagogi puellæ, pauci interfuerunt qui viderunt: nondum enim erat ſepulta, nondum extra domum in notitiam portata. Intus reſuſcitauit, quam intus inuenit, relictis ſolis Petro & Iacobo & Ioanne, & patre & matre puellæ, in quibus figuraliter continentur ſacerdotes Eccleſiæ. Quos autem extra
Luc.7. Ioan 2. inuenit, aduertendum eſt quomodo ſuſcitauit. Flebat enim turba poſt filium viduæ: fleuit Martha & Maria ſupplicantes pro fratre: flebat & turba Mariam ſecuta. In quo docemur, publice peccanti-
Auguſt. ibidem cap.12. bus non proprium, ſed Eccleſiæ ſufficere meritum. Laboret ergo pœnitens in Eccleſia eſſe, & ad Eccleſiæ vnitatem tendere. Niſi enim vnitas Eccleſiæ ſuccurrat, niſi quod deeſt peccatori ſua oratione compleat, de manibus inimici non eripietur anima mortui. Credendum eſt enim, quòd omnes orationes & eleemoſynæ Eccleſiæ & opera iuſtitiæ & miſericordiæ ſuccurrant recognoſcenti mortem ſuam

ad

ad conuersionem. Ideòque nemo dignè pœnitere potest, quem non sustineat vnitas Ecclesiæ. Ideoque nemo petat sacerdotes per aliquam culpam ab vnitate Ecclesiæ diuisos. Ex his satis aperitur & absoluitur præmissæ quæstionis articulus. Quærendus est enim sacerdos sapiens & discretus, qui cum potestate simul habeat iudicium: qui si forte defuerit, confiteri debet socio. Beda vero inter confessionem venialium & mortalium distinguit super illum locum, Confitemini alterutrum peccata vestra. Ait enim, Coæqualibus quotidiana & leuia, Iacob. 5. grauiora vero sacerdoti pandamus, & quanto iusserit tempore purgare curemus: quia sine confessione emendationis peccata nequeunt dimitti. Sed & grauiora coæqualibus pandenda sunt, cum deest sacerdos, & vrget periculum. Venialia vero, etiam sacerdotum ablata copia, licet confiteri coæquali, & sufficit, vt quibusdam placet: si tamen ex contemptu non prętermittatur sacerdos. Tutius est tamen & perfectius vtriusque generis peccata sacerdotibus pandere, & consilium medicinę ab eis quęrere, quibus concessa est potestas ligandi & soluendi.

ARTICVLVS LVIII.

An aliquis potest confiteri suo socio, & ad quid valeat illa confessio?

DEinde transeundum est ad illud capitulum [Nunc priusquam præmissis auctoritatibus, &c.] Et quærendum est primo de hoc quod dicit *ibi* [Sed nunquid æqueualet alicui confiteri socio?] Secundo, Vtrum illa confessio sit sacramentum vel non?

Ad primum autem sic obiicitur: Confessio fit propter absolutionem: sed absoluendi potestatem non habet laicus: ergo confessio laico facta, nihil valere videtur.

2 Adhuc, Virtute clauium dimittitur pars pœnæ: sed laicus non habet claues: ergo videtur, quòd confessio sibi facta, nihil conferat.

3 Adhuc, Reconciliatio Ecclesiæ fit per ministrum Ecclesiæ: sed laicus non est minister Ecclesię: ergo non debet fieri laico. Sed quia de hoc plura habita sunt, sufficiant ista.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum autem ad obiectum, quòd valet confessio facta laico, vbi articulus necessitatis non contemptus religionis excludit proprium vel alienum sacerdotem. Ad obiecta autem responderunt patres nostri in scientia ista, dicendo multiplicem esse absoluendi potestatem. Est enim potestas absoluendi ex auctoritate quæ est Dei. Et est potestas superexcellentiæ: & hæc est Christi hominis, qui sine confessione extra facta, & iniunctione taxatæ satisfactionis peccatores pœnitentes absoluit. Tertia potestas est ex vitæ merito, & suffragiis orationum: & hæc est sanctorum in Ecclesia, qua vnus alij primam gratiam meretur quæ absoluit à peccatis. Alia autem potestas est ex officio ministrorum, concessa sacerdotibus. Et vltima ex vnitate fidei & charitatis, & hæc pro necessitatis articulo descendit in omnem hominem ad proximo subueniendum: & hanc potestatem habet laicus in articulo necessitatis, & mulier similiter. Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICVLVS LIX.

An confessio facta laico socio sit sacramentum?

SEcundo quæritur. Vtrum hæc confessio sit sacramentum? Et videtur, quòd non: quia omne sacramentum est in dispensatione ministrorum Ecclesiæ: sed hic non est Ecclesiæ minister: ergo non est sacramentum.

2 Adhuc, Formâ absolutionis quæ est sacramentum, præcedit potestas clauium: iste autem laicus non habet claues: ergo non dat sacramentum.

Sed contra. IN CONTRARIVM est, quòd baptismus à quocunque detur, est sacramentum: ergo similiter & pœnitentia, vt videtur.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd antiqui dixerunt, quòd contritio & confessio non sunt sacramentum, sed absolutio sola. Sed hoc nihil esse infra in litera probabitur distinct. 22. Vnde dicendum, quòd habet sacramentum confessionis.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd minister duplex est, scilicet verus, & est vicarius, & talis minister vicarius pro articulo necessitatis sufficit hic.

AD ALIVD dicendum, quòd absolutio per claues, est illud in quo abundat vera confessio à confessione facta in necessitate: sed tamen absolutio quædam est hic, scilicet quæ fit merito vnitatis Ecclesiæ. Licet ergo non tantum effectum consequatur, sicut si confiteretur sacerdoti: tamen consequitur absolutionem in communi, & ad hanc non est necessaria vis clauium, vbi non potest sacerdos haberi.

D. Alb. Mag. in Lib. 4. Sentent.

ARTICVLVS LX.

Qualis ſacerdos eſt quærendus, & quæ ſint conditiones ſacerdotis confitentis?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi*[Quęrat ſacerdotem, qui ſciat ligare & ſoluere, &c.] Videtur enim nullus talis eſſe: quia quædam in genere peccatorum adeo perplexa ſunt, quòd etiam magni clerici per maximas diſtinctiones vix euadere poſſunt, & dubia multa adhuc poſt diſcuſſionem eorum remanent: ergo videtur, quòd vix vel nunquam poſſit talis inueniri.

Quæſtiũcula

VLTERIVS hic quæritur de conditionibus ſacerdotis confeſſoris, quas quidam verſifice dicunt.

Confeſſor dulcis, affabilis, atque ſuauis,
Prudens, diſcretus, mitis, pius, atque benignus.

Vix enim vnquam talis inuenitur, qui omnia hæc in ſe habeat, Præterea, Iſtæ conditiones non videntur eſſe neceſſariæ, ſed potius tantum illæ quæ faciunt ad actum confeſſionis: hæ autem ſunt diſcernere audita, & extrahere occulta, & medicare ſalubriter inuenta: ergo videtur, quòd in audiente confeſſiones non exigantur plura: diſcernere enim audita fit per ſcientiam diſcernendi inter lepram & non lepram, extractio autem occultorum fit per diſcretam inquiſitionem, & medicatio inuentorum vulnerum fit per diſcretam pœnitentiæ ſiue ſatisfactionis iniunctionem.

Solutio.

SOLVTIO. Dicendum, quòd ſacerdos non tenetur ſcire diſcernere niſi in communi, ſcilicet quæ ſint capitalia mortalia communia, & quæ venialia ex genere: & hoc valde leue eſt. Dubitatio enim quæ contingit inter ſapientes, vtrum veniale aliquid ſit vel mortale, contingit ex delectatione moroſa adueniente, vel ex contemptu, vel huiuſmodi, & non ex genere actus. Sciens ergo illa quæ dicta ſunt, ſufficiens eſt vel reputatur pro temporis huius neceſſitate ad confeſſiones audiendas. Sed tamen puto, quòd hæc neſciens, peccet mortaliter audiendo confeſſiones, & eum inſtituens adhuc plus peccet, quam ipſe. Et permittens inſtitutum miniſtrare, etiam mortaliter peccat, ſi ſua intereſt talem prohibere.

AD ALIVD dicendum, quòd Magiſtri non ponunt tantum conditiones confeſſoris ex diſpoſitione ad actum confeſſionis audiendæ, ſed etiam quæ adducere poſſunt & allicere homines ad confitendum: & ideo non ſunt de eſſe confeſſoris vt confeſſor eſt, ſed potius de bene eſſe: ſed tres dictæ, ſunt ſine quibus ſine peccato eſſe non poteſt.

ARTICVLVS LXI.

An volenti confiteri, ſed morte præuento, votum reputetur pro facto?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Ne cum negligens circa ſe extiterit, &c.] Sint enim duo, quorum vterque habet votum æquale confitendi, & vnus moritur inconfeſſus, eo quod neceſſitate præuentus ſacerdotem habere non potuit: alter autem confitetur ſacerdoti: & in omnibus aliis ſunt pares: quæritur ergo quis citius liberabitur, & euolabit? Videtur autem, quòd æqualiter: quia votum reputatur à Deo pro facto, qui cor reſpicit: ergo ita cito euolat vnus ſicut alter.

Sed contra.

CONTRA: Aliquid impenditur vni ex vi clauium, quod non percipit alius: ergo videtur, quòd ratione illius etiam ille citius euolabit.

Solutio.

RESPONSIO. Dicendum, quòd citius euolat confeſſus ſacerdoti, ſicut probat vltima obiectio.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd votum pro facto reputatur in omnibus quæ ab ipſo fieri deberent, & quantum ad meritum ſubſtantiale: ſed quantum ad ea quę fiunt per alium, impoſſibile eſt, quod votum pro facto reputetur: fit autem diminutio pœnæ per claues quæ ſunt in miniſterio ſacerdotis, & virtute paſſionis Chriſti: & ideo in illo non reputatur votum pro facto: ſed diminutio pœnæ nec eſt de ſubſtantiali merito, nec de ſubſtantiali præmio. Et in talibus valent opera exteriora plus quam voluntas: & quo adhoc ſunt inæquales.

ARTICVLVS LXII.

An diuerſa ſolicitudo ſit habenda penes pœnitentes?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi*[Intus reſuſcitauit, quod intus inuenit, &c.] Quæritur enim hic de diuerſa ſolicitudine ſacerdotum habenda circa pœnitentes. Intus enim mortuus, eſt cuius peccatum latet apud ſe, vel in ſolo corde: ſed ille ſuſcitatur per pœnitentiam: ergo illi non debet iniungi aliquid exterioris operis, ſed tantum aliquid occultum: ergo peccant iniungentes ieiunia, eleemoſynas, peregrinationes, & huiuſmodi, quod falſum eſt. Adhuc, Præſentia trium diſcipulorum, ſcilicet Petri, Iacobi, & Ioannis, aliquid importat. Videtur autem ex hoc quod ſacerdos poſſit ſecum adhibere ad audiendas confeſſiones occultas bonas perſonas quæ prodeſſe poſſunt, & non obeſſe, vt orent pro pœnitente. Et hoc condemnatur ab Eccleſia: non enim licet ſacerdoti aliquem adhibere ad auditum confeſſionis alicuius.

2 Adhuc, Ex ſecundi mortui ſuſcitatione videtur, quòd confeſſio & iuniunctio pœnitentiæ faciendæ ſint coram multitudine: ergo videtur, quòd omnis ille qui manifeſte peccauit, manifeſte confiteri debet, & publicam pœnitentiam ſubire: & hoc etiam non legitur.

3 Item obiicitur de tertio qui clamore Domini ſuſcitatus eſt, in quo videtur ſignari, quòd peccatum obſtinati in aures etiam neſcientium ſit clamandum: & hoc falſiſſimum eſt: ergo videtur, quòd hæc tria ad factum ſacerdotum in confeſſionibus audiendis, male adducuntur.

Solutio.

RESPONSIO. Dicendum, quòd puella de qua loquitur Matth.9.& Marc.5.quæ intus ſuſcitabatur, in veritate ſignificabat peccatum occultum: ſed quòd diſcipuli adhibiti ſunt, factum eſt propter diſcipulos qui futuri ſacerdotes erant, & doctores, & ſacerdotum inſtructionem, vt in figura myſterium deprehendendo diſcerent velare peccata

peccata hominum occulta. Quod autem obiicitur de pœnitentia occulta & manifesta, dicendum quòd dupliciter dicitur pœnitentia manifesta, scilicet aut quæ manifesta est vt pœnitentia talis peccati, aut quæ manifesta est, non vt pœnitentia, sed vt factum meritorium ex deuotione à stola sacerdotis susceptum. Et primo quidem modo pro occulto nunquam debet imponi pœnitentia manifesta, quia hoc esset quodammodo prodere confessionem. Alio autem modo potest fieri pœnitentia manifesta, quia ex hoc nullum deprehenditur peccatum: cum etiam sine confessione peccatorum sæpe talia opera à fidelibus à stola sacerdotum suscipiantur. Dicunt tamen quidam, quòd moraliter significantur per tres discipulos virtutes quæ esse debent in sacerdotibus: per Iacobum constantia pugnę contra diabolum, vt eripiat oues sibi commissas: per Petrum potestas & scientia: & per Ioannem gratia in visceribus misericordiæ: & hoc non curamus, quia hic est locus disputandi magis, quam prædicandi.

Ad aliud dicendum, quòd peccatum publicum, quod omnes vel multos in scandalum traxit, debet publica pœnitentia puniri, vt supra in Auctoritate Augustini habitum est in hac eadem distinct. Vt si peccatum eius non modo in graui eius malo, sed etiam in tanto scandalo aliorum est, atque hoc expedire vtilitati Ecclesiæ videtur Antistiti, in notitiam multorum vel totius plebis agere pœnitentiam non recuset. Ad obiectum autem dicendum, quòd hoc non est publicare confessionem, sed potius peccatum emendatione condigna punire: vt sicut Ecclesiam deædificauit peccando publicè, ita emendet publicè satisfaciendo.

Ad aliud dicendum, quòd clamor non significat præconizationem, sed potius deuotam à Deo postulationem suffragij, & petitionem intercessionis ab Ecclesia, quæ signatur per turbam adductam ad monumentum Ioan 11. Porta autem in qua suscitatur iuuenis Luc. 7. significat apertionem notitiæ eorum quos scandalizauit.

ARTICVLVS XLIII.

An excommunicatus ab Ecclesia, & non à Deo, sit vitandus?

Deinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Nemo petat sacerdotes per aliquam culpam ab vnitate Ecclesiæ diuisos, &c.] Videtur sæpe errare Ecclesia excommunicando eos qui non sunt excommunicati: si igitur talis petatur qui non est excommunicatus quoad Deum, sed quoad ad Ecclesiam, videtur quòd non debeat nocere pœnitenti.

Solvtio. Solvtio. Dicendum, quòd eo ipso quod scit diuisū, nocere incipit si petit: quia Deus approbat & præcipit, quòd homo secundum faciem iudicet, eo quod homini non nisi de facie fides fieri possit. Vnde licet erret Ecclesia, tamen Deus approbat, quòd iste se gerat pro excommunicato, & alij vitent eum. Et qui non vult vitare, vinculum Ecclesiæ contemnit, & ideo peccat. Et tamen litera videtur eos excusare ab obiectione: quia dicit, per aliquam culpam, &c. si tamen etiam sine culpa reali, sed tantum pro opinata culpa diuidatur ab Ecclesia, tunc solutio prima habet locum.

ARTICVLVS LXIV.

An teneamur ad confitenda venialia, & an reiteranda est confessio eorum quæ dicta sunt?

Deinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Coæqualibus quotidiana & leuia, &c.] Videtur enim, quòd non teneamur ad venialium confessionem: quia illa sunt quæ nostram effugiunt notitiam, de quibus dicitur, Delicta quis intelligit? ergo videtur, quòd non teneamur, quia impossibile est confiteri ignotum. Adhuc, Veniale & mortale non habent proportionem: ergo nec medicinæ: sed aliqua medicina est confessio pro mortali: ergo nulla erit pro veniali.

Licet de hoc supra habitum est, & solutum, quod, vt puto, non tenemur ad confessionem venialium nisi in generali, scilicet confessione Primæ & Completorij & ante altare: tamen pro duobus casibus incipimus obligari quantum possumus, scilicet quia non bene certum est quid veniale, quid mortale à parte nostra, licet in genere facile sit distinguere: & secundus casus est propter securitatem. Solutio.

Ad id autem quod primo obiicitur, dicendum quòd ignorata non tenemur, sed scita tenemur confiteri modo prædicto, & non alio, nisi sit nobis dubium quanta sint propter adhærentiam & consuetudinem.

Ad aliud dicendum, quòd non sequitur, si peccatum mortale & veniale sint improportionabilia, quòd medicinæ sint improportionabiles: quia ex parte auersionis sunt peccata quædam improportionabilia, sed ex parte conuersionis proportionabilia: & medicina pœnitentiæ respicit ea ex parte conuersionis, non auersionis, vt supra in quæstione de satisfactione, & in quæstione qualiter veniale fiat mortale, habitum est.

Hîc aperit qualiter supra dictæ auctoritates intelligendæ sunt.

Cvm ergo ex his aliisque pluribus testimoniis perspicuum fiat F & indubitabiliter constet, peccata primum Deo, deinde sacerdoti esse confitenda: & si ipse defuerit, etiam socio: illud Ioannis Chrysostom. superius positum non est ita intelligendum, vt liceat alicui, si tempus habeat, sacerdoti non confiteri: sed quia sufficit vbi crimen occultum est, soli Deo per sacerdotem dicere, & semel. Nec oportet publicari coram multis, quod occultum est. Quod De pœn. dist. 1. c. Quod aliquando.

notauit dicens, Non tibi dico vt te prodas in publicum. Sicut enim publica noxa publico eget remedio, ita & occulta, ſecreta confeſſione & occulta ſatisfactione purgatur. Nec neceſſe eſt vt quod ſacerdoti ſemel confeſſi ſumus, iterum confiteamur: ſed lingua cordis, non carnis, apud verum iudicem id iugiter confiteri debemus. Vnde idem Ioannes ait: Nunc autem ſi recorderis peccatorum tuorum, & frequenter ea in conſpectu Dei pronunties, & pro eis depreceris, citius illa delebis. Si vero obliuiſcaris, tunc eorum recordaberis nolens, quando publicabuntur, & in conſpectu omnium amicorum & inimicorum, ſanctorumque Angelorum proferentur. Ita etiam illud Ambroſij, Lacrymæ lauant delictum, quod voce pudor eſt confiteri: ad publicam pœnitentiam referendum eſt. Ibi enim virtutem lacrymarum & confeſſionis oſtendens, ſignificare voluit, quòd lacrymæ occultæ & confeſſio ſecreta, ſicut quæ fit ſoli ſacerdoti, lauant delictum quod pudet aliquem publicè confiteri. Quia vero dicit ſe lacrymas Petri legiſſe, non ſatisfactionem vel confeſſionem: per hoc non excludit illa. Multa enim facta ſunt, quæ ſcripta non ſunt: & forte nondum facta erat inſtitutio confeſſionis, quæ modo eſt. Similiter & illud Proſperi, Si ſui iudices fiant, mutabunt æterna ſupplicia. Et illud, Facilius Deum placabunt ſibi, qui aut propriis confeſſionibus crimen produnt, aut neſcientibus aliis in ſe ſententiam excommunicationis ferunt: ad publicam confeſſionem & ſatisfactionem referri oportet. Non enim ſolis ſacerdotibus ius ligandi atque ſoluendi datum eſt, ſi cuique ſuo arbitrio ſe pœna vel excommunicationis ſententia ligare, & abſque ſacerdotali iudicio ſeipſum Deo vel altari reconciliare licet: quod eccleſiaſticæ inſtitutioni & conſuetudini penitus repugnat. Potius ergo ſi publice peccaſti, publice confitere te reum & emenda. Si vero occulte deliquiſti, etiam ſic non taceas: nec tamen dico, vt publices. Taciturnas enim peccati ex ſuperbia naſcitur cordis. Ideo enim peccatum ſuum quis celat, ne reputetur foris, qualem ſe iam diuino conſpectui exhibuit: quod ex fonte ſuperbiæ naſcitur. Species enim ſuperbiæ eſt, ſe velle iuſtum videri qui peccator eſt: atque hypocrita conuincitur, qui inſtar primorum parentum, vel tergiuerſatione verborum peccata ſua leuigare contendit, vel ſicut Cain peccata ſua reticendo ſupprimere quærit. Vbi ergo ſuperbia regnat & hypocryſis, humilitas locum non habet. Sine humilitate vero alicui veniam ſperare non licet. Vbi eſt ergo taciturnitas confeſſionis, non eſt ſperanda venia criminis. Iam certiſſime liquet, quam ſit deteſtabile peccati ſilentium, & è conuerſo quam ſit neceſſaria confeſſio. Eſt enim confeſſio teſtimonium conſcientiæ Deum timentis. Qui enim timet iudicium Dei, peccatum non erubeſcit confiteri. Perfectus timor ſoluit omnem pudorem: confeſſio peccati pudorem habet, & ipſa erubeſcentia eſt grauis pœna. Ideoque iubemur confiteri peccata, vt erubeſcentiam patiamur pro pœna. Nam hoc ipſum pars eſt diuini iudicij. Si ergo quæritur, An confeſſio ſit neceſſaria, cum in contritione iam deletum ſit peccatum? Dicimus quia quædam punitio peccati eſt, ſicut ſatisfactio operis. Per confeſsionem etiam intelligit ſacerdos, qualiter debeat iudicare de crimine. Per eam quoque peccator fit humilior & cautior.

De pœn. diſt. 1. c. Nunc autem.

Loco prius citato.

De pœn. diſt. 1. cap. Lacrymæ.

Eſichius ſuper Leuit. & allegatur de pœnit. diſt. 1. c. Non ſunt ad ſi.

Gen. 4.

EXPOSITIO

EXPOSITIO TEXTVS.

DEinde accipiendum est illud capitulum [Cumque ex his aliisque, &c.] Et quærendum est de hoc quod dicit *ibi* [Nec necesse est, vt quod sacerdoti semel confessi sumus, iterum confiteamur] Ponamus enim quòd passus sit recidiuum: tunc enim oportet iterum confiteri: ergo falsum est quod dicit.

RESPONSIO. In hoc casu non loquitur: sed potius cum aliquis implet pœnitentiam iniunctam. *Solutio.*

DEINDE quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Quod ex fonte superbiæ nascitur, &c.] Secundum enim hoc superbia videtur esse fons aliorum malorum: quod est contra Apostolum 1.Tim.6. vbi dicitur, Radix omnium malorum est cupiditas. Et huius solutio quæratur in secundo dist.21. vbi disputatum est de radicibus peccatorum: hæc autem de hac distinctione sufficiant.

DISTINCTIO XVIII.

De remissione sacerdotis.

HIc quæri solet, Si peccatum omnino dimissum est à Deo per cordis contritionem, ex quo pœnitens votum habuit confitendi, quid postea dimittatur ei à sacerdote? Video enim quo vinculo eum ligat, scilicet temporalis pœnæ, sed non à quo eum absoluat. Et ideo quæro. Ante pœnitudinem quippe cordis, anima rei maculam habet & fœtorem peccati, atque æternæ vltionis vinculo ligata existit. Si vero ante confessionem per cordis contritionem Deus per seipsum sine ministerio sacerdotis & debitum omnino relaxat, & animam interius purgat à contagione & fœtore peccati: quid ergo mundat? quid dimittit sacerdos? vbi sunt claues illæ quas Dominus tradidit Petro & successoribus eius, dicens, Tibi dabo claues regni cælorum? Et quæcunque ligaueris super terram, erunt ligata & in cælo: & quæcunque solueris super terram, erunt soluta, & cætera. Vt autem præmissa quæstio plenius explicari valeat, quasi altius ducto rete, de his clauibus & vsu earum differamus. Matt.16. Luc.5.

A *De confessione sacramentali in se quãtum ad potestatem absoluẽtis virtute clauium in foro pœnitentiali.*

DIVISIO TEXTVS.

HIc quæri solet, Si peccatum omnino,&c.] Hîc agitur de confessione ex parte absoluentis, scilicet à parte potestatis sacerdotis. Diuiditur autem in duas partes, in quarum prima agit de potestate clauium & essentia & vsu. Et in secunda de clauibus ex parte recipientis claues *ibi* [Postquam ostensum est, &c.] Adhuc prima subdiuiditur in tres partes, in quarum prima agit de potestate soluendi & ligandi in foro pœnitentiæ: in secunda de potestate ligandi in foro causarum *ibi* [Est & alius modus ligandi & soluendi, &c.] In tertia vero ad hos duos adaptat verba Euangelij *ibi* [Secundum hos ligandi & soluendi modos, &c.] Adhuc prima harum habet tres. Prima enim quæritur, An sit clauis? Secunda quærit, Quæ & quot sint *ibi* [Claues istæ sunt non corporales] Tertio agit de vsu earum, &c. *ibi* [Vsus harum clauium.

ARTICVLVS I.

An in Ecclesia claues aliquæ sint necessariæ?

SEcundum autem hæc tria nos etiam quæremus de clauibus. Primo super primum capitulum ratione illius verbi quod dicit [Vbi sunt claues illæ,&c.] quæremus an sint claues? Videtur autem, quòd non: quia culpa & pœna annexæ sunt: ergo remittens culpam, necessario absoluit à pœna: ergo non sunt necessariæ claues: & si non sunt necessariæ, non sunt, quia nihil vanum est

est in operibus gratiæ: ergo videtur, quòd non sint claues.

2 Adhuc, Vis contritionis sæpe soluit totum ante omnem actum sacerdotis: sed actus sacerdotis sunt in clauibus: ergo non sunt necessariæ claues.

3 Si forte tu velles dicere, quòd in contritione relaxetur tota culpa, sed non tota pœna: & partem pœnæ dimittat clauis. Contra: Id quod est dimissiuum maioris, potest etiam in minus: sed pœnam æternam soluit contritio: ergo & temporalem partem pœnæ quæ remanet, remittere potest: ergo inutiliter datur clauis: quia melius fit quod per vnum, quam quod fit per duo, dummodo per vnum fieri possit, vt vult Philosophus.

3 Adhuc, Pœnæ non est debitor aliquis nisi ex culpa: si ergo nihil remaneat de culpa, nihil videtur remanere de pœna: sed post contritionem nihil manet de culpa: ergo nihil manet de pœna: ergo inutiliter datur clauis. Adhuc, Probatur hoc per simile: quia si non sit albedo in aliquo, nisi quæ causatur in candore lactis, vel à calido, vel frigido: si nihil remanet de causa albedinis, nihil remanebit de albedine: sed constat, quòd nullius pœnæ est iste debitor, nisi ex culpa sicut ex causa: ergo si nihil post contritionem remanet de culpa, nihil remanet de pœna: & inde sequitur vt prius, claues esse inutiles.

4 Si forte tu velles dicere, sicut dicit Magister Hugo de sancto Victore ad Bernard. quærentem istam quæstionem, quòd est multiplex vinculum, quo ligatur peccator ex peccato, scilicet obdurationis, captiuitatis diabolicæ, seruitutis, quæ vsuras cogit dare, mortis æternæ, & obligationis ad confessionem. Et à primis quidem quatuor absoluit Deus per seipsum, ligando ad quintum, à quo absoluit per sacerdotem ligando ad vnum, scilicet pœnam expiationis in satisfactione peragendam: dicit enim, quòd à vinculo obdurationis soluit per emollitionem cordis ad pœnitentiam: à vinculo autem captiuitatis diabolicæ quo tenetur ne per se resurgere possit, absoluit per adiutorium erigentis gratiæ prævenientis: à vinculo autem seruitutis per adiutorium gratiæ cooperantis, qua possit bona operari: à vinculo vero mortis æternæ per absolutionem à reatu pœnæ æternæ. Si, inquam, sic dicas: quæro primo, Quid necesse habeat Deus soluere à quatuor dictis vinculis ligando ad quintum? cum enim dicatur Deuter. 32. Dei perfecta sunt opera, videtur perfectius esse Dei opus si in nullo maneret ligatum, quam quod absoluit à quatuor, & ligat ad vinculum quintum.

5 Adhuc autem videtur esse conditionatum opus Dei, in hoc scilicet, quod non absoluit hunc, nisi ille obligetur ad confessionem: sed conditio inducit dubium & tempus: ergo videtur Dei opus potius dubietati & temporalitati subiacere: & hoc maximum omnis sapiens reputat inconueniens: nullius enim opus certum est, si Dei intemporalis & æterni potius incertum est opus & temporale.

Sed contra. SI FORTE propter hoc dicas, quòd non sunt claues istæ Ecclesiæ. Contra: Matth. 16. dicitur, Tibi dabo claues regni cælorum, &c. Ergo sacerdotes habent claues.

2 Adhuc, Aditus paradisi significat aditum ad Ecclesiam: video autem, quòd ille aditus reclusus est potestate Angeli ministrantis: ergo & aditus sacramentorum Ecclesiæ recludi debet potestate ministrorum Ecclesiæ: sed illa potestas dicitur clauis: ergo claues sunt in ministris Ecclesiæ. Multæ autem aliæ auctoritates ad hoc inducuntur in litera: & ideo hæc sufficiant.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd absque ambiguitate claues Ecclesiæ sunt, quas habet Ecclesia (vt dicit Hieronymus) in suis Episcopis, & sacerdotibus: quibus dignis non solum sacramenta, sed etiam cælum aperitur, & clauditur indignis.

De solutione autem obiectorum, dicendum ad primũ, quòd clauis dupliciter aperit regnũ operãdo ad remotionẽ peccati impediẽtis, & vnus modus sæpe dictus est, & est bonus, scilicet quando conteritur aliquis, dolor suus vim habet à gratia informante, & à voto confitendi & satisfaciendi, quod habet in proposito. Sicut igitur est in medicinis compositis, quæ totum expellunt morbum, ita tamen quòd quælibet simplex medicina ibi posita operatur contra aliquam partem morbi & causam: ita dico, quod in peccato est culpa & pœna, & est pœna æterna improportionabilis viribus pœnitentis, & acerba pro debito reatus: & gratia quidem habet effectum contra culpam, & dolor contra acerbitatem pœnæ: dolor autem passionis Christi contra æternitatem: & votum submittendi se clauibus habentibus vim ex passione, habet soluere improportionem illam, qua maior est viribus pœnitentis: & satisfaciendi votum quandoque soluit totum residuum, quandoque autem soluitur per satisfactionem sequentem in actu. Vnde nihil prohibet operari clauem ante actum sacerdotis extra: sicut & gratia mediatoris operata est antequam esset mediator in natura vera medietate. Alio modo operatur clauis in absolutione confessionis dimittendo partem pœnæ debitæ per gratiam ministerij sacerdotum Christi, quod non est credendum gratia carere, sed potius permaximam habere gratiam. Licet ergo soluatur pœna & culpa in contritione: non tamen fit hoc virtute solius contritionis, sed potius etiam virtute clauium: sicut licet in medicina aliqua soluatur morbus aliquis, non tamen fit hoc virtute vnius receptorum in medicina, sed virtute cuiuslibet soluitur aliquid morbi.

AD ALIVD dicendum, quòd vis contritionis nunquam ita totum soluit, quin effectus sit ibi, vt patet per antedicta: & etiam postea actu tenetur se submittere, quia aliter per contemptum religionis inciperet adeo malignare sicut prius.

AD ALIVD dicendum, quòd quandoque tota pœna dimittitur in contritione, sed nunquam virtute solius cõtritionis: & ideo vt impleatur votum quod in contritione habuit, & habere tenebatur, postea etiam debet se submittere confessori & satisfactioni: sed verum est, quòd si sacerdos sciret talem in voto absolutum, non imponeret ei pœnitentiam in satisfactionem præteritorum: sed vel nullam imponeret, sicut nec Dominus fecit Mariæ Magdalenæ: vel si imponeret aliquid, faceret hoc in medicinam futurorum, sicut dantur medicinæ præseruatiuæ: quia autem sacerdos hoc scire non potest, ideo omnibus venialibus pœnitentiam iniungit.

AD

Ad alivd dicendum, quòd secus est in effectu & causa coniunctis per naturam, & causa & effectu coniunctis per voluntatem in conuersatione hominis: in natura enim propter hoc soluta tota causa, soluitur totus effectus, quia natura agit necessario: & ideo remoto agente, nihil manet de effectu ipsius. Sed in voluntate, quia voluntas deliberatiua est, cadit in vituperium & laudem ex opere suo: & ideo transeunte causa, non transit effectus, imo manet: sicut cum culpa transit actu, non transit reatu, imo manet. Et similiter quoad debitum satisfaciendi, bene potest manere post recessum culpæ in toto. Vnde talia argumenta in moribus etiam ciuiliter loquendo, nihil valent, sicut iam patuit.

Ad id quod obiicitur de Hugone, dicendum quòd in veritate illud est tota scientia illius libelli, & intelligitur, non ita quòd Dominus sub conditione soluit, sed Dominus simpliciter absoluit: tamen quia in contritione votum est confessionis, & sine illo non esset contritio, propter hoc tenetur ad confessionem. Et quia votum coniunctum est absolutioni à quatuor vinculis dictis, ideo dicit Magister Hugo, quòd Deus absoluit ligando: sed sacerdos è contra ligat soluendo: ligando enim ad pœnitentiam expiationis, absoluit à voto confessionis, dimittendo partem pœnæ debitæ siqua manserit post contritionem. Et per hoc patet, quòd in opere Dei secundum quod Dei est, nulla conditio est, nec temporalitas, sed necessitas illius obligationis est ex voto confitendi & satisfaciendi ad arbitrium ministrorum Ecclesiæ, sine quo non potest esse vera contritio. Et per hoc patet solutio ad vltimum.

Ad penultimum autem dicendum, quòd licet in eo sint omnia æquè possibilia: tamen non omnia sunt nobis æque vtilia: vtile enim nobis est, vt astringamur talibus votis propter erubescentiam & expiationem, quæ non tantum valent ad expiationem præteritorum, sed etiam ad cautelam futurorum. Et quæcunque sunt nobis magis vtilia, hæc ordinauit Deus in sacramentis.

De clauibus.

C De pœn. dist. 1. cap. Verbum Dei.

Claves istæ non sunt corporales sed spirituales, scilicet discernendi scientia, & potentia iudicandi, id est, ligandi & soluendi: qua dignos recipere, & indignos debet excludere à regno Ecclesiasticus iudex: qui sicut habet ius ligandi, ita & soluendi. Vnde Ambrosius: Dominus par ius & soluendi esse voluit, & ligandi, qui vtrumque pari conditione permisit. Ergo qui soluendi ius non habet, nec ligandi habet. Et infra, Certum est, quòd Ecclesiæ vtrumque licet, hæresis vtrumque non habet. Ius enim hoc solis permissum est sacerdotibus. Rectè ergo Ecclesia hoc sibi vendicat, quæ veros sacerdotes habet: hæresis vendicare non potest, quæ veros sacerdotes non habet.

ARTICVLVS II.

An definitio clauis posita à Magistro sit bene data?

Deinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Claues istæ non sunt corporales, sed spirituales] Et quæruntur quatuor, scilicet quid sit clauis? & quot sunt claues numero? Tertio de claue, quæ dicitur scientia discernendi. Et quarto de claue, quæ dicitur potestas ligandi & soluendi.

Ad primum autem extrahatur diffinitio clauis ex litera, vbi ex verbis Hieron. dicit Magister, quòd claues sunt discernendi scientia, & potentia iudicandi, id est, ligandi & soluendi: qua dignos recipere, & indignos debet excludere à regno Ecclesiasticus iudex. Hæc verba omnia etiã sũt in Gloss. Matth. 16. & sunt Hieron. Formatur autem diffinitio in communi sic: Clauis est potestas iudicis Ecclesiastici, qua dignos recipit, indignos vero potest excludere à regno. Cum autem iudex Ecclesiasticus sit à iurisdictione, non ab ordine, videtur, quòd non habet claues, nisi habens iurisdictionem in foro causarum: & hoc falsum est.

2 Hoc videtur etiam alia ratione: quia omnis potestas, quæ tota perficitur aliquo vno, habito illo potest reduci ad actum: si igitur potestas quæ dicitur clauis, perficeretur ex illo vno quod est ordo sacerdotalis, habito ordine sacerdotali, posset reduci ad effectum: quod est falsum, quia secundum hoc omnes monachi sacerdotes possent absoluere & ligare, quod falsum est: ergo videtur, quòd iudex Ecclesiasticus sit habens iurisdictionem. Ex hoc arguitur vt prius.

3 Vlterius obiicitur de hoc quod dicit, Qua dignos recipere, &c. digni enim eo ipso quod digni sunt, merito suæ dignitatis sũt recepti: & ideo vane recipiuntur postea à sacerdote, vel nullo modo recipiuntur. Si autem dicas, quòd recipere eos, est receptos ostendere: tunc secundum hoc nihil esset potestas clauis, nisi quoad homines, quod inconueniens infra esse ostenderur.

4 Vlterius obiicitur de hoc quod dicit ibi, à regno: quia videtur potestas hominis non esse super regnum. Probatio, Potestas hominis in ministerio est super illud, quod traditur dispensationi ministerij sui: sed non nisi sacramenta traduntur ministerio sacerdotum dispensanda, & non regnum: ergo videtur, quòd non debet dicere, à regno, sed à sacramantis.

Respondeo. Dicendum, quòd diffinitio illa *Solutio.*

illa optima est, quia ponitur in ea genus quod est potestas, & subiectum proprium illius potestatis, quod est iudex ecclesiasticus: & differentiæ pertinentes ad specialem & substantialem actum, qui est recipere dignos, & excludere indignos: & finis per omnia intentus, qui est introductio in regnum.

AD PRIMVM ergo obiectum, dicendum quòd ecclesiasticus index sumitur hic in foro pœnitentiali, & non in foro causarum, nisi elargiatur sibi potestas: & non oportet, quòd habeat iurisdictionem super subditos, sed quòd sit aptus habere ex ordine, & nihil desit ei nisi commissio: non enim ponitur in diffinitione actus dicendo, qua recipit: sed, qua valet vel potest recipere, vt notetur facultas ex habitu: & quòd non operatur non est, nisi quia materiam subiectam non habet, quam non potest habere nisi per iurisdictionem.

AD ALIVD dicendum, quòd habito ordine nihil deest quantum ad operantem: & ideo nulla perfectio additur operanti amplius quam ordo: & hoc patet ex hoc, quòd si sacerdoti committitur plebs, non recipit aliquam consecrationem propter hoc. Constat autem, quòd omnis potestas datur per consecrationem in spiritualibus: & ideo patet, quòd habens ordinem, in toto perfectus est quantum est ex parte agentis: sed quia omnis facultas exigit materiam, suspenditur ab operatione ita diu donec materia sibi per iurisdictionem determinetur.

AD ALIVD dicendum, quòd digni fiunt magis digni: dignitas enim Dei præcedit, tollens indignitatem culpæ: & opus ordinis & clauis sequitur, tollens aliquid de indignitate pœnæ: & ideo non tantum ostendunt solutos à Deo, sed etiam absoluunt ab aliquo quo ligati venerunt, & ita imbuunt sacramentis.

AD ALIVD dicendum, quòd ponitur vltimus finis actus ordinis: quia non fit reconciliatio ad sacramenta, nisi propter regnum. Ad argumentum autem dicendum, quòd ministerium sacerdotis, non est super regnum immediate, sed per medium, scilicet per susceptionem ad sacramenta: & hoc modo bene committitur eis dispensare regnum.

ARTICVLVS III.

Quot sint claues?

SEcundo quæritur, Quot sunt claues numero? Videtur enim, quòd vna sola: dicit enim Glos. Matth. 16. quòd claues sunt scientia discernendi, & ligandi & soluendi potestas: sed scientia discernendi constat, quòd est informans & dirigens ad actum soluendi & ligandi: & talia quorum vnum est dirigens, & alterum exequens, non sunt duo, sed vnum in actu: ergo claues non sunt duæ, sed vna.

2 Adhuc, In nobis ad perfectum opus exiguntur tria, scilicet scire, velle, & posse: & tamen opus egrediens ab his est vnum: constat autem, quòd scientia iudicandi habet se sicut scire in nobis: ergo videtur, quòd vna clauis sit secundum actum, & vnus actus clauis.

3 Adhuc, In materialibus non est ad vnam setam nisi clauis vna: sed in omnibus spiritualibus non est nisi vna sera quæ est peccatum in communi: ergo videtur, quòd non requiritur nisi clauis vna: & ita videtur, quòd non sint duæ claues. Item, Vnius effectus non est nisi vna potestas: sed vnus est effectus, scilicet ligare & soluere: ergo non est nisi vna potestas: ergo vna clauis.

Vlterius videtur, quòd sint duæ claues: quia ita per multas auctoritates tam Bibliæ, quam sanctorum Patrum, probatur in litera: & illæ sufficiant.

2 Per rationem arguitur idem sic. Duo sunt in libero arbitrio facientia peccatum, scilicet ratio, & voluntas: sed faciens peccatum clauditur per peccatum vt non intret regnum: ergo vtrũque indiget reseratione: cum igitur differant hæc inter se, videtur quòd claues reserantes differant: sunt autem hæc duo differentia: ergo claues duæ differentes reserantes.

3 Adhuc peccatum aliter impedit cognitiuam, & aliter affectiuam: quia cognitiuam impedit, vt tenebra interior spiritualis: affectum autem impedit per inclinationem deorsum, & auersionem ab incommutabili bono: sed constat, quòd quicquid est in anima rationali, ad hæc duo reducitur: ergo videtur, quòd his solutis omnia alia sint absoluta: sed aliter ligatur cognitiua, & aliter affectiua: ergo alio & alio indigent reserante: cum igitur ipsa sint duo, videtur quòd reserantia sint duo.

4 Adhuc & est magis ad propositum, Opus sacerdotis in confessione vbi vtitur claue, est duplex, scilicet eductio peccati, & absolutio rei: sicut patet per illud Iob 26. Obstetricante manu eius eductus est coluber tortuosus: ecce opus primum. Et Ioan. 20. Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: ecce opus secundum. Constat autem, quòd vtrumque opus exigit potestatem in sacerdote, quia omne opus egreditur ab aliqua potestate: sed eductio peccati non fit nisi per iudicium discretionis, quæ ostendit, quam vile sit peccatum, quam detestandum, quantum vnum vilius alio, & huiusmodi: ergo ad hunc actum exigitur clauis scientiæ discernendi. Constat autem, quòd post contritionem sequitur absolutio, vel retentio peccatorum: & hoc opus similiter non fit nisi ab aliqua potestate quæ vocatur clauis. Ergo cum non sint plura opera substantialia, nisi hoc vnum super peccatum, & alterum super peccatorem, videtur quòd sint duæ & non plures claues. Hæc autem obiectio notanda est: quia concludit veritatem ex propriis, & ex his penes quæ propriè accipitur diffinitio clauium.

Videtur autem vlterius, quòd sint tres claues: quia tres personæ sunt à quibus fluit omnis potestas sacramentalis: sed vna illarum est penes appropriatum Patri, scilicet potestas ligandi & soluendi: altera penes appropriatum Filio, scilicet scientia discernendi: ergo restat adhuc tertia penes appropriatum Spiritui sancto.

2 Adhuc, In omni creatura rationali libera ad agendum, tria concurrunt ad opus, scilicet scire, velle, & posse: ergo cum penes duo illorum sit accepta clauis, videtur quòd eadem ratione accipiatur vna clauis penes tertium: ergo erunt tres claues.

3 Adhuc, Scire & posse imperfecta sunt ad actum: sed si adueniat velle, tunc operabuntur.

Cum

Cum igitur clauis sit potestas perfectissima ad actum, videtur quòd necessario debeat aliquid esse ibi respondens voluntati operanti: & præter illud sunt duæ: ergo cum illo erunt tres, vt videtur.

Vlterius videtur, quòd sint quatuor: quilibet enim modus aperiendi vel absoluendi, requirit aliud & aliud instrumennm:sed quatuor à Magistro in litera determinantur modi ligandi & soluédi:ergo quatuor erunt instrumenta: ergo quatuor claues:dicit enim, quòd soluit & ligat, quando absolutum vel ligatum demonstrat. Item quando Ecclesiæ reconciliat & restituit,& quando partem pœnæ dimittit, & quando excommunicationem fert,vel absoluit ab ea.

2 Adhuc, Quando Dominus loquitur Petro de clauibus,non nominat tantum claues regni cælorum, sed etiam portas inferi: si ergo duæ sunt portatum regni, eadem ratione duæ erunt portarum inferni: ergo erunt quatuor.

3 Adhuc, Videtur, quòd plures sint quam quatuor: quia sunt portæ inferni, paradisi,limbi, purgatorij;& cæli: sed constat, quòd omnes istæ portæ aperiuntur: ergo videtur, quòd distinctas & determinatas exerceant claues: ergo cum vni portæ aptentur duæ claues,videtur quòd ad minus sint decem claues.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd sicut habetur Isa.22. vbi dicitur; Dabo clauem domus David super humerum eius: & claudet, & non erit qui aperiat: & aperiet, & non erit qui claudat: Filius Dei est vera clauis regni cælorum,quia ipse aditum regni nobis reserauit, quem Adam suo peccato recluserat: vnde legitur in oratione paschali, Omnipotens Deus qui per vnigenitum tuum redemptorem nostrum, æternitatis nobis aditum, deuicta morte, reserasti. In Filio autem diuino duo sunt, sicut dicitur 1.Corinth.2. scilicet, Christum Dei virtutem,& Dei sapientiam. Et ideo quia ipse his duobus reserauit regnum, in his duobus dedit suis sacerdotibus reserandi potestatem. Et penes hæc duo,duæ claues accipiuntur. Huic autem rationi coniungantur tres quæ in tribus obiectionibus pro hac parte inductis, positæ sunt, & præcipue tertia: & erunt quatuor penes quæ distinguuntur duæ claues quas dicunt Sancti.

AD ID ergo quod primo obiicitur, quòd non sit nisi vna clauis: dicendum, quòd claues non distinguuntur penes finem vltimum, sed potius penes actus proximos substantiales & necessarios. Constat autem, quòd actus necessarius est distinctio peccatorum in confessione, quæ est super peccata: & etiam actus necessarius est absolutio. Et ideo penes illos, licet vnus dirigat ad alterum, sunt tamen duæ claues. Et est simile: quia licet prudentia virtus sit auriga virtutum, vt dicit Bernard. ad Eugen. & dirigat alias: tamen quia habet actum proprium, dicitur & est vna virtus cardinalis distincta ab aliis quas dirigit.

AD ALIVD dicendum, quòd illa tria quæ sunt in nobis, licet referantur ad vnum actum vltimum, tamen proprios & proximos actus haben t differentes, penes quos etiam distinguuntur, & sunt distinctæ facultates: & ideo etiam actus proprij & proximi clauium differentes sunt, licet finis sit vnus: & hoc sufficit ad diuisibilitatem potestatis & facultatis, vt iam tactum est.

AD ALIVD dicendum, quòd in materialibus ad vnam seram vno modo se habentem & vno modo recluſam, est vna clauis: sed ad vnam seram habentem duas clausuras,nihil prohibet esse duas claues, quia tunc vna sera est vt duæ: & sic est hic,quia sera quædam est ex eo quod peccatum non discernitur & distinguitur, & altera est ex reatu qui innascitur peccatori ex peccato: & ideo necessario sunt duo modi reserandi & aperiendi,sicut iam dictum est.

AD ID quod obiicitur,quòd sunt tres claues, dicendum quòd non sunt necessariæ nisi duæ tantum propter causam dictam. Ad obiectum autem primum dicendum, quòd voluntas siue bonitas appropriata Spiritui sancto non est æqualis ad ligare & soluere: sed clauis dicit talem potestatem quæ claudat & aperiat æqualiter: sed Dei voluntas siue bonitas semper est ad aperiendum, vt qui vult omnes homines saluos fieri, & ad agnitionem sui nominis venire: & hoc verum est quantum est de se: & si aliud vult, vt dicit Damasc. hoc vult ex nostra causa: & ideo in clauibus non potuit esse aliqua potestas respondens Spiritui sancto: sed ipse dat donum, per quod peccatum dissoluitur. Aliter posset dici & minus bene, scilicet quia duæ claues non accipiuntur penes attributa Patris & Filij, sed penes attributa Filij tantum, quia primus clausit & aperuit: & hoc supra probatum est per auctoritatem Isaiæ.

AD ALIVD dicendum, quòd sicut dixit Altisiod. non oportet de clauibus aliquid respondere voluntati hominis, quia in clauibus non debet homo sequi voluntatem suam, sed voluntatem Dei primo absoluentis per gratiam: & hæc solutio optima esse videtur. Alij subtilius & peius dixerunt, quòd isti actus, aperire & claudere, non sunt ex parte nostra: & ideo facultates eorum non debent omnino sumi ex parte nostra: sed voluntas est ex parte nostra, & ideo penes voluntatem nulla sumenda est clauis.

AD ALIVD dicendum, quòd verum est quòd vbi prima duo sequuntur voluntatis libertatem, ibi sunt imperfecta ad opus, nisi adueniat voluntas: quia confessione facta & potestate habita, adhuc libera est voluntas agere vel non agere si vult. Sed quia in diuinis sequitur operatio ex diuini præcepti necessitate, ideo habitis primis duabus facultatibus, sufficienter habetur perfectio ad opus.

AD ID quod vlterius quæritur, Vtrum sint quatuor? dicendum, quòd non. Ad obiectum dicendum, quòd prima est falsa: quia omnes modi illi reducuntur ad duos: quòd enim absolutum & ligatum ostendit, non fit nisi per pœnæ dimissionem, sicut in litera patebit: & per hoc ipsum Ecclesiæ reconciliat. Sed ligare & soluere anathema est alius modus: sed quia non est nisi per culpæ cognitionem vel religationem vel solutionem, in forma conuenit cum eo, qui est in foro confessionis & pœnitentiæ: & ideo non requirit alias claues: & ita patet, quòd illa obiectio nulla fuit.

AD ALIVD dicendum,quòd licet sint portæ inferi, non tamen ad illas determinatur claues Ecclesiæ: vnumquodque enim, vt dicit Philosophus, determinatur & denominatur per diffini-

tionem ad optima sui: clausio autem & apertio ianuarum inferni sequitur ad clausionem & apertionem portarum cæli, & portæ cæli sunt intentæ & finales clauium, & ideo ab illis dicuntur: & sunt duæ claues, quia ex quo clauditur cælum alicui, hians est super eum apertis portis infernus: & eo ipso quod aperitur cælum, clauditur aditus inferni.

AD ALIVD patet solutio per idem, præterquam de paradiso, & purgatorio, & limbo. Et ad hæc dicendum, quòd non est nobis aditus ad beatitudinem vitæ animalis quam in Adam amisimus: & ideo per claues non datur nobis via veniendi ad locum corporei paradisi, vbi Adam in animali vita semper vixisset: & ideo claues ad illum locum non recipit Ecclesia. Quare autem non sit nobis aditus ad paradisum, alibi determinari habet, scilicet super secundum, vbi agitur de eiectione Adæ de paradiso, & reclusione paradisi. De purgatorio autem & limbo dicendum, quòd non habent firmacula perpetua, sed continue sunt aperta ad euolandum determinato tempore: patres quidem de limbo cum Adæ debitum per Christum fuit solutum, animæ autem de purgatorio cum quælibet purgatur ad plenum: de limbo enim patrum hic loquimur, non de limbo puerorum qui perpetuo clausus est. Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICVLVS IV.

An scientia discernendi inter lepram & lepram, sit claus Ecclesiæ?

TErtio quæritur de hac claue quæ dicitur esse scientia discerndi inter lepram & non lepram. Videtur enim non esse clauis: omne enim quod non semper sequitur habentem claues, videtur non esse clauis, cum clauis semper sequatur habentem clauem: sed scientia discernendi inter lepram & non lepram, non semper sequitur habentem claues: ergo non est clauis. Prima patet per se. Secunda probatur ex hoc quod omnis sacerdos habet claues: non tamen omnis sacerdos habet scientiam discernendi inter lepram & non lepram.

2 Adhuc, Nullum indifferenter habitum præter ordinem & post ordinem & ante, est clauis: scientia discernendi est tale quid: ergo non est clauis. Probatur prima per hoc quòd claues dantur in ordine sacerdotij, & nunquam sine ipso. Secunda probatur ex hoc quòd multi ante sacerdotium habent huiusmodi scientiam, & non sacerdotes aliqui plus quam sacerdotes.

3 Adhuc, Sicut dicit Philosophus in 6. ethic. Scientia est virtus intellectualis: igitur generatio ipsius est per experimentum & tempus: non ergo est data in ordine: sed omnis clauis datur cum ordine: ergo scientia non est clauis. Si forte dicas, quòd scientia infusa est clauis, non acquisita: & acquisita est illa de qua loquitur Philosophus. Contra: Videmus expresse, quòd infusam non recipiunt sacerdotes in ordine: ergo nec infusa est clauis, vt videtur. Adhuc, Infusa certior est in iudicio, quam acquisita: ergo si scientia infusa esset clauis, quilibet sacerdos claues habens, certius iudicaret quam Doctores, qui diu per studium scientiam acquisiuerunt: & hoc non videmus; imo vel male iudicant, vel in dubiis ad eos qui studuerunt, recurrunt.

SED SI hoc dicatur, erit contra literam, vbi Hieron. dicit, quòd duæ claues sunt scientia iudicandi, & auctoritas absoluendi. *Sed contra.*

2 Adhuc autem quatuor rationes supra adductæ sunt, quòd scientia debet esse clauis.

3 Adhuc, Omnis actus potentiæ motiuæ puræ, indiget regente aliquo, vel quandoque erit peruersus: sed ligare & soluere est actus potentiæ motiuæ: ergo indiget regente, vt non quandoque sit peruersus; non potest autem esse regens, nisi scientia iudicandi quis absoluendus, & quis non: ergo illum præcedere debet; ergo clauis est scientia iudicandi.

RESPONSIO. Dicendum, quòd multi hic multa dixerunt, quorum dicta, quia non intelligo, transcurro vsque ad tres opiniones, quarum vna est Magistri in litera, scilicet quòd concedi potest, quòd non omnes habent clauem scientiæ iudicandi: sed qui carent, ad damnationem suam carent, si habent iurisdictionem vtendi clauibus, & in ipsa velint permanere. Sed hanc opinionem puto esse falsam, nisi dicatur clauis materia clauis, vt infra patebit: bene enim conceditur, quòd non omnes habeant materiam huius clauis, id est, id quod est materiale in claue. Alij dicunt, quòd sunt qui habent scientiam vt clauem: & sunt qui habent eam vt clauiculam: habentes enim scientiam acquisitam vel infusam de bono & malo discernendo secundum differentias peccatorum quas necessarium est scire, habent hanc scientiam vt clauem: sed habentes minus, & sequentes industriam naturalem, habent clauiculam tantum in se: & hoc etiam reputo falsum, nisi eodem modo vt præcedens intelligatur, scilicet quantum ad id quod est materiale in claue, dicantur quidam habere clauem, & alij clauiculam: quantum autem ad formale omnes dicuntur habere clauem qui sacerdotes sunt. Tertij dicunt, de quorum numero ego sum, quòd scientia non sit clauis, sed potius discernendi & iudicandi auctoritas: & hanc in ordine recipit omnis sacerdos, licet scientiam non recipiat: si autem habet scientiam cum aliis quæ exiguntur, bene recipit ordinem. Si autem non habet scientiam, etiamsi omnibus aliis sit decoratus, & recipit curam pastoralem, ad damnationem recipit. Secundum hoc igitur planum est respondere obiectis. *Solutio.*

AD ID enim quod primo obiicitur, dicendum quòd scientia non est clauis: sed dicitur quandoque clauis, eo quod materia est in claue: & clauis non est in actu nisi per eam, quia ipsa est dispositio quam vult inuenire clauis in subiecto: & dato quòd non inuenerit, tunc clauis frustratur ab actu. Et est simile in naturis & gratia: vis enim motiua vult inuenire sensibilem in subiecto: & si non inuenit, non mouebit. Similiter ordo sequens vt diaconatus vult inuenire præcedentem subdiaconatum in subiecto: & si non inueniat, non erit actu: imo suspenditur donec recipiat ordinem quem transiliuit. Similiter vis visiua vult inuenire humidum crystallinum purum & illuminatum in oculo: & si non inueniat, ipsa suspenditur ab actu videndi, donec humor crystallinus purificetur. Quod autem ita sit in sacerdotio, patet per illud, Quia tu scientiam repulisti, repellam

repellam te ego, ne sacerdotio fungatis mihi. Et
Malac. 2. illud, Interrogabunt sacerdotes scientiam, & legem requirent de ore eius: Angelus enim Domini
1. Reg. 2. exercitium est. Et illud, Porro filij Heli filij Belial, nescientes Dominum, nec officium sacerdotum ad populum. Et hujusmodi alia quæ multa per totam Scripturam inueniuntur.

AD ALIVD dicendum penitus eodem modo: quia auctoritas discernendi nunquam datur nisi in ordine: sed dispositio quam necesse est inuenire in subiecto, indifferenter habetur ante & post.

AD ALIVD dicendum, quòd Philosophus in veritate loquitur de scientia acquisita consuetudine moralium, & experientia & doctrina circa illa: tamen responsio inducta contra hoc etiam meo iudicio nihil valet: sed solutio ad eam & residuum, patet per antedicta.

ARTICVLVS V.

De secunda claue quæ est ligandi & soluendi potestas, an sit communicabilis?

QVarto quæritur de secunda claue quæ est ligandi & soluendi potestas. Videtur enim, quòd hæc potestas incommunicabilis sit: quia dicit Augustinus, Interius mundandi potestatem in baptismo noluit dare seruo, ne spes poneretur in homine. Cum igitur idem sit absoluere quod est interius mundare ab aliquo spiritualiter obligante, videtur quòd non debuit communicari ministro talis potestas, ne spes ponatur in ipso.

2 Adhuc, In Euangelio Matth. 9. vbi Christus se dixit in terra dimittere peccata: putantes eum solum hominem dixerunt, Hic blasphemat, quis potest dimittere peccata nisi solus Deus? Ergo nullus nisi Deus potest dimittere peccata: ergo potestas ligandi & soluendi à peccatis non est concessa homini qui est minister Ecclesiæ: ergo hæc potestas non est clauis.

3 Si autem tu dicas, quòd non dimittunt peccata, sed pœnam peccatorum. Contra: Ioan. 20. dicitur expresse, Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & quorum retinueritis, retenta sunt. Ergo intelligitur de remistione peccatorum.

Sed contra. SED IN CONTRARIVM huius obiicitur: quia omni illi cui committitur principale, committitur & accessorium secundum regulas iuris: sed committitur sacerdoti, quòd sacram communionem consecret, & ministret populo: ergo & committitur ei præparatio populi ad sacram communionem illam: sed præparatio non potest esse nisi per absolutionem: ergo potestas absoluendi committitur sacerdotibus: ergo ipsi habent clauem istam. Hoc idem in litera probatur multorum sanctorum auctoritatibus: & ideo ista sufficiant.

Solutio. DICENDVM igitur absque dubio, quòd Ecclesia in suis sacerdotibus habet plenam absoluendi potestatem: & hæc est clauis ministrorum sacerdotum: quis autem vsus eius sit, postea loco proprio patebit.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd non propter hoc ponitur spes in homine: quia homo non operatur nisi vt minister: vnde bonus & malus æqualiter habent: sed Deus operatur vt author & largitor doni absolutionis per omnem modum, sicut in baptismo facit, scilicet per gratiam suam quam dat in ministerio, siue sit per bonum, siue per malum.

AD ALIVD dicendum, quòd homo non remittit peccatum ex parte culpæ: quia hoc solius Dei est facere: sed per ministerium suum remittitur ei pars pœnæ, quandoque in actu, quandoque etiam claue existente in voto, vt supra dictum est: & hoc virtute passionis Christi, quæ est in clauibus, & non virtute ministri.

AD HOC quod obiicitur de Ioanne, dicendum quòd intelligitur de remissione peccati ex parte pœnæ.

ARTICVLVS VI.

An hæreticus habens ordinem, etiam habeat clauem?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Ecclesiæ vtrumque licet, hæresis vtrumque non habet] Videtur enim hoc falsum: quia in tractatu de ordine probatur, quòd veri ordines sunt etiam qui ab hæreticis in forma Ecclesiæ suscipiuntur: ergo sunt ibi ea quæ consequuntur verum ordinem: sed claues sunt de consequentibus verum ordinem: ergo videtur, quòd hæresis habeat claues iurisdictionis.

2 Adhuc, Verus lapis dicitur, vt verus homo, & verus asinus, qui habet actum lapidis & hominis & asini: & mortua hæc dicuntur, quando carent actibus suis: sed supponatur modo, quòd verus ordo in forma Ecclesiæ suscipiatur inter hæreticos: ergo ille ordo habet actum ordinis: sed actus ordinis presbyteri est actus clauis: ergo videtur, quòd habeat actus clauis vel clauium.

Sed contra. SED CONTRA: Vadens ad hæreticum scienter, peccat mortaliter: ergo non absoluitur: ergo ex parte confitentis non fit in eo actus finalis clauis. Item nec ex parte audientis confessionem: quia ille non habet iurisdictionem, & suspensus est, & etiam mortaliter peccat se intromittendo. Ergo ex neutra parte potest ibi saluari actus ordinis: ergo videtur, quòd hæresis non habet vsum clauium: ergo nec claues, vt videtur, nisi falsas & mortuas: sicut mortuus homo non est homo simpliciter, etsi homo dicatur.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum in ista quæstione, quòd est potestas clauis ex ordine, & est potestas ex iurisdictione: sicut enim supra patuit, omnis actus quærit materiam circa quam fit, & illa in clauibus sunt subditi, qui non nisi ppr iurisdictionem à summo Pontifice descendentem haberi possunt. Dicendum ergo, quòd hæresis in forma Ecclesiæ habens ordines, habet claues, secundum quod potestas sumitur ex ordine: sed non habet ex iurisdictione, & ideo exequi nihil omnino potest: & si de facto quidem absoluit, nihil facit omnino: & tamen insuper mortaliter peccauerunt & absoluens, & absolutus si scienter ad talem accessit: & hoc modo intelligitur hoc quod dictum est in litera.

AD ID quod primo obiicitur, dicendum quòd ordinem non consequitur executio clauis,

ſed tantum poteſtas in habente poreſtatem, ſed non potentem agere propter materiæ defectum: quia materia non eſt homo auditus, ſed potius ſubditus per iuriſdictionem à ſummo Pontifice deſcendentem ſibi determinatus: & quoad vltimum hæreſis dicitur in litera non habere claues: quia executionem non habet.

AD ALIVD dicendum, quòd ſunt actus eſſentiales, de quibus hoc verum eſt quod dicitur in obiiciendo, & illi ſunt qui conſequuntur ſubſtantiam, & talem actum bene habet clauis in omni habente ordinem: hic autem actus eſt perficere habentem ſecundum poreſtatem illam, ſicut actus lucis lucere, & actus eſſentiæ eſſe, & eſt actus ſcientiæ ſcientem eſſe, & poteſtas clauis poteſtatem ſecundum clauem; ſed non eſt hoc intelligendum de actu, qui eſt operatio ſuper materiam extra: lapis enim verus extra etſi nunquam agit in aliquid eſſet, & ſimiliter homo verus, & huiuſmodi.

De vſu clauium.

CVSVS vero harum multipliciter eſt, diſcernere ſcilicet ligandos & ſoluendos, ac deinde ligare vel ſoluere. Qui enim, vt ait Gregor. indignos ligat vel ſoluit, propria poteſtate ſe priuat, id eſt, dignum priuatione ſe facit.

ARTICVLVS VII.

An ſacerdos valeat abſoluere à culpa & à reatu pœnæ æternæ?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Vſus vero harum clauium] Ratione enim huius quæritur de vſu clauium: & quia hæc quæſtio multiplex eſt, nos quemlibet eius articulum deducemus vbi cadit ſuper literam. Et primo quæramus de illo vſu communi quem Magiſter determinat primo in litera, ſcilicet vtrum ſacerdos abſoluere valet à culpa, & à reatu pœnæ æternæ? Et videtur, quòd ſic: maius enim eſt mereri alicui primam gratiam qui indignus eſt gratia, quam abſoluere à culpa eum qui abſolutione eſt dignus: & primum poteſt mereri homo, etiam qui non eſt vicarius Chriſtus: ergo & hoc ſecundum poteſt homo, præcipue qui eſt vicarius Chriſti: hic autem eſt ſacerdos in confeſſione: ergo in confeſſione ſacerdos poteſt abſoluere à culpa & pœna mortis æternæ, vt videtur.

2 Item, Hug. de ſancto Vict. in libello de poteſtate ligandi & ſoluendi dicit ſic: Sicut in diuina abſolutione mutatur pœna æterna in purgatoriam, ſic in ſacerdotali transfertur diuina ſententia in humanam: diuina autem ſententia eſt pœna æterna, & reatus pœnæ æternæ: ergo in humana & ſacerdotali abſolutione transfertur pœna æterna: ſed hæc non poteſt transferri niſi culpa abſoluatur: ergo videtur, quòd in ſacerdotis abſolutione relaxetur culpa.

3 Adhuc, Si rex terrenus alicui committeret vices ſuas in iudicio rerum, daret ei plenariam poteſtatem abſoluendi volentes ſatisfacere, & ligandi & condemnandi eos qui impœnitentes permanent: ille miniſter poſſet abſoluere à culpa & pœna: ergo cum liberior ſit indulgentia diuina, quam humana aliqua poſſit eſſe, videtur quòd vicarij Chriſti, quibus in foro pœnitentiæ dixit, Quæcunque ſolueritis, &c. poſſint abſoluere à culpa & pœna.

SI AVTEM hoc concedatur, probetur contrarium per ea quæ dicuntur in litera ex dictis Hieron. & Caſſiod. quæ non oportet hic adducere; Sed per rationem obiicitur ſic. Temporale finitum, non poteſt in infinitum æternum: ſed omnis ſacerdotum poteſtas eſt temporalis & finita: ergo non poteſt in infinitum & æternum: ſed culpa eſt infinita & æterna: ergo non poteſt aliquis ſacerdos in remiſſionem culpæ & pœnæ æternæ. *Sed contra.*

RESPONSIO. Dicendum, quòd ſacerdos non poteſt abſoluere à culpa & pœna æterna: ſed tantum abſoluit relaxando partem pœnæ, niſi illo modo quo ſupra dictum eſt, quòd votum clauium eſt in contritione habendo vim quandam ad remiſſionem totius peccati. *Solutio.*

AD ID autem quod obiicitur primo, dicendum quòd non eſt ſimile quod inducitur: quia ille qui meretur primam gratiam alicui, non dat gratiam, ſed inclinat Deum ad dandum: ſed miniſtri in ſacramentis aliquo modo agunt ad hoc vt fiat effectus ſacramenti: & ideo non poteſt eſſe in poteſtate miniſtri conferre gratiam, ſed tantum diminutionem pœnæ.

AD ALIVD dicendum, quòd Hugo vocat diuinam ſententiam, pœnam temporalem purgatoriam, non tamen viribus pœnitentis proportionatam: & humanam ſententiam vocat pœnam portabilem proportionatam viribus pœnitentis: & hæc fit bene in abſolutione hominis.

AD ALIVD dicendum, quòd vicarius regis non conſtituitur niſi ſuper offenſam finitam & temporalem: & illa poteſt conſtitui in hominis poteſtate: ſed de offenſa Dei ſecus eſt, quæ eſt infinita, & ideo non poteſt conſtitui in hominis poteſtate.

Si sacerdos potest dimittere vel retinere peccata?

SED quæritur, Vtrum à peccato soluere valeat sacerdos, id est, à culpa: vt culpæ maculam abstergat, vel debitum æternæ mortis soluere valeat? Quidam arbitrati sunt, cum peccator dupliciter ligatus teneatur, vt prædictum est, scilicet mentis contagione ac cæcitate, & debito futuræ pœnæ, alterum curari per Deum, alterum solui per sacerdotem. Patitur enim per peccatum quasdam tenebras interiores & maculas, à quibus nisi liberetur, proiicietur in tenebras exteriores. Cum autem liberatur ab his, suscitatur à morte peccati. Vnde Apostolus, Surge qui dormis, & illuminabit te Christus. Solus enim Christus, non sacerdos, animam resuscitat, ac pulsis tenebris interioribus & maculis, eam illuminat & mundat, qui animæ faciem lauat, debitum vero æternæ pœnæ soluere concessit sacerdotibus. Quod in resurrectione Lazari signatum asserunt: quem Christus prius per se interius viuificauit, deinde foras exire iussit: eumque adhuc ligatum soluere Apostolis præcepit: quia vt aiunt, ipse interius animam à caligine maculaque peccati emundat, sacerdotibus vero dedit vinculum æternę mortis soluere. Alij vero dicunt solum Deum, non sacerdotem, debitum æternæ mortis dimittere, sicut & animam interius per se viuificat: nec tamen diffitentur sacerdotibus traditam potestatem peccata dimittendi & retinendi, quibus dictum est, Quorum remiseritis peccata, &c. Sicut enim Christus retinuit sibi potestatem baptismi, ita & pœnitentiæ. Et ideo sicut interius gratia sua animam illuminat, ita & simul debitum æternæ mortis relaxat. Ipse enim per seipsum peccata pœnitentium tegit: & tunc tegit, quando ad pœnam non reseruat. Tunc ergo tegit, quando debitum pœnæ soluit. Quòd autem ipse tegat, à parte dicit Augustinus exponens illum locum Psalmi, Quorum tecta sunt peccata, id est, cooperta & abolita. Si enim texit Deus peccata, noluit aduertere: si noluit aduertere, noluit animaduertere, id est, punire, sed ignoscere. Ita ergo dicit à Deo tecta, vt Deus non videat, id est, æternaliter puniat. Videre enim Dei peccata, est ad pœnam imputare. Auertere autem faciem à peccatis, hoc est ea ad pœnam non referuare. Item Hieron. Quibus Deus dimittit peccata, tegit ne in iudicio reuelentur. Item Cassiod. Qui grauia habent peccata, aliis Deus imputat, aliis per misericordiam non imputat. Ex his aperte ostenditur, quòd Deus ipse pœnitentem soluit à debito pœnæ, & tunc soluit, quando intus illuminat inspirando veram cordis contritionem. Cui sententiæ ratio suffragatur, & auctoritates attestantur. Nemo enim vere compungitur de peccato, habens cor contritum & humiliatum, nisi in charitate. Qui autem charitatem habet, dignus est vita æterna. Nemo autem simul vita & morte dignus est. Non est ergo tunc ligatus debito æternæ mortis. Filius enim iræ esse desiit, ex quo diligere & pœnitere cœpit. Ex tunc ergo solutus est ab ira, quæ non manet super illum, qui credit in Christum, sed super illum qui non credit.

D

Mat. 22.

Ephes. 5.

Ioan. 11.

Ioan. 20.

Super Psal. 31.

In eundem Ps.

Ephes. 2. Ioan. 3.

Non ergo poſtmodum per ſacerdotem cui confitetur, ab ira ęterna liberatur, à qua iam liberatus eſt per Dominum, ex quo dixit, Confitebor. Solus ergo Deus hominem interius mundat à peccati macula, & à debito æternæ pœnę ſoluit, qui per Prophetam ait, Ego ſolus deleo iniquitates & peccata populi. Item Ambroſ. Verbum Dei dimittit peccata, ſacerdos, & iudex. Sacerdos quidem officium ſuum exhibet, ſed nullius poteſtatis iura exercet. Idem, Ille ſolus peccata dimittit, qui ſolus pro peccatis noſtris mortuus eſt. Item Auguſtin. Nemo tollit peccata, niſi ſolus Deus, qui eſt agnus tollens peccata mundi. Tollit autem & dimittendo quę facta ſunt, & adiuuando ne fiant, & perducendo ad vitam, vbi omnino fieri non poſſunt. His aliiſque pluribus teſtimoniis docetur, Dominum ſolum per ſe peccata dimittere: & ſicut dimittit quibuſdam, ita & aliorum quorundam peccata retinet.

Isa. 43. De pœn. dist. 1. cap. Verbum Dei.

Ioan. 1.

ARTICVLVS VIII.

An peccatum debeat & poſsit dici tenebra?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Patimur enim per peccatum quaſdam tenebras, &c.] Quæritur hic, Quæ ſint iſtæ tenebræ? Cum enim lux ſit propria perfectio intellectus, & tenebra opponatur luci, videtur eſſe ſecundum intellectum tantum: ſed peccatum principaliter eſt ſecundum affectum: ergo videtur, quòd peccatum non ſit tenebra. Si autem dicitur, quòd peccatum dicitur tenebra, quia priuat animam luce increata gratiæ: eodem modo poteſt dici frigus, eo quod priuat calore Spiritus ſancti.

2 Adhuc, Peccatum magis opponitur charitati, quam fidei, quia charitate in toto priuat, & fide non priuat niſi quoad formam: cum ergo charitas ſit calor, & fides ſit lux, videtur quòd peccatum potius dicatur frigus, quam tenebra.

3 Si autem dicas, quòd eſt effectus peccati qui eſt obtenebratio intellectualium virtutum. Contra: Multos videmus in peccatis exiſtentes citius intelligere quam alios: ergo videtur, quòd peccatum non inducit interiores tenebras, quæ ſunt obtenebratio naturalium.

4 Adhuc, Si aliquis per peccata, obtenebrata naturalia haberet, ille maxime eſſet diabolus, qui in veritate non ſtetit, ſed homicida eſt ab initio, vt dicitur Ioan. 8. ſed è contra Dion. dicit in quarto ca. de di. no. quòd data illis naturalia dona, nequaquam ipſa mutata eſſe dicimus: ſed ſunt integra & ſplendidiſſima, quanquam ipſi non videant, claudentes ipſorum boni inſpectiuas virtutes. Ergo nec alij obtenebrantur ex peccato. Si forte tu dicas, quòd intelligitur de ſcientia infuſa: in illa enim non tantum percipit peccator, quantum iuſtus. Inſtantia videtur eſſe de Balaam, qui doctrinam Altiſſimi nouit, & viſiones potentis intuitus eſt. Ergo videtur, quòd nec de illa poteſt intelligi. Adhuc, Dominus in Euangelio dicit, quòd prudentiores ſunt filij huius ſeculi filiis lucis in generatione ſua. Ergo videtur, quòd peccatum non eſt tenebra.

Num. 24.

Luc. 16.

IN CONTRARIVM huius obiicitur quod Damaſc. expreſſe dicit, quòd peccatum eſt tenebra intellectualis ſiue ſpiritualis. Et 1. Ioan. 3. dicit, quod qui non diligit fratrem, manet in tenebris. Et Ioan. 8. Qui ſequitur me, non ambulat in tenebris, ſed habebit lumen vitæ, dicit Dominus. Ergo videtur per oppoſitum, quòd omne peccatum ſit tenebra intellectualis. *Sed contra.*

VLTERIVS quæritur hic de aliis quæ tangit hic in litera, ſcilicet mentis contagione ac cæcitate: & ſupra primo capitulo huius diſtinct. tetigit duo, ſcilicet maculam, & fœtorem: & quæritur de differentia horum inter ſe, & qualiter conueniunt effectui peccati. Item tangit reatum, per hoc quod dicit debitum mortis æternæ. Sunt autem quæ non tangit, ſcilicet culpa, & peccatum, & malum, & vitium: & quæritur differentia omnium iſtorum. Videtur autem non omne peccatum facere contagionem. Contagio enim eſt morbus proueniens ex ſimili contactu: ſicut dicitur morbus contagioſus, qui ex conuictu & contactu quodam conuerſationis & communicationis quæ in conuerſatione eſt, contrahitur: non autem omne peccatum eſt tale: ergo non omne peccatum eſt contagionem faciens. *Quæſtiuncula.*

2 Adhuc, Contagio eſt ſemper in alio quam in peccante primo: ergo videtur, quòd non omne peccatum faciat contagionem: ergo videtur, quòd non vniuerſaliter debeat peccato attribui. Adhuc, Contagio magis nata eſt fieri circa corpus, quam circa mentem: ergo multo magis debet dicere contagionem corporis, quam contagionem animæ ſiue mentis.

3 Adhuc, Cæcitas dicit organi defectum: conſtat autem, quòd per peccatum non aufertur organum coporis, nec etiam organum mentis, quod eſt potentia quæ eſt forma organi: ergo videtur, quòd peccator non incurrat cæcitatem.

4 Si autem dicas, quòd per peccatum fit priuatio habitus lucis ſpiritualis quæ eſt gratia: contra hoc tunc erit, quòd adhuc dicitur tenebra: ergo ſuperflue ponitur ibi ſpiritualis cæcitas.

5 Similiter obiicitur de macula: macula enim non dicitur niſi duobus modis, ſcilicet per defectum eius quod debet eſſe ad decorem & ad integritatem

gritatem pulchritudinis rei: sicut dicimus maculam habere denasatum vel monoculum. Aut dicitur per potentiam alicuius deturpantis decorem: sicut dicimus habere maculam, habentem morpheam in facie. Neutro autem istorum modorum videtur peccatum dici macula: quia nec amputat naturalia, nec ponit aliquid in anima, quia nihil est & nihil ponit: ergo videtur, quòd non sit macula.

6 Fœtor autem quem nominat, videtur omnino irrationabiliter poni: quia non est aliquis fœtor in spiritualibus: sed ista sunt spiritualia: ergo non est aliquis fœtor in illis. De culpa vero, peccato, & malo, super vltimam partem secundi satis est dictum.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd omnia hæc conueniunt peccato: in peccato enim est auersio à bono incommutabili, & conuersio ad bonum commutabile. Inquantum autem est auersio à bono incommutabili, est ipsum tenebra interior, siue intellectualis cæcitas mentis. Inquantum autem est conuersio ad bonum commutabile, est contagio & fœtor. Lux enim forma est vniuersalis primi mobilis per quam primo mouetur tota materia generabilium & corruptibilium ad susceptionem formæ cuiuslibet speciei. Dico autem vniuersalis: non quod vniuersaliter luceat primum mobile, sed quia illa mouet ad omnem formam, & non specialiter ad illam vel istam. Et per hoc lux habet conuenientiam cum gratia quæ est prima forma mouens ad formationem in bene esse omnes potentias, & ipsam animæ essentiam, producens quasi ex se alias particulares formas potentiarum, scilicet virtutes theologicas, & politicas, secundum quod sunt infusæ. Et hoc modo luci non opponitur infidelitas, nec aliquod peccatum in specie: sed peccatum in genere, inquantum per auersionem est gratiæ huiusmodi generalis priuatiuum. Inquantum autem lux superior est perfectiua visus exterioris & interioris, & peccatum priuans lucis receptione, facit cæcitatem in visu spirituali animæ quod ostendit ipsum nomen tenebrarum: quia tenebra à tenendo dicitur, quia tenet oculos ne possint videre. Inquantum autem est ad bonum commutabile, quod est corporale & corrumpens, triplicitèr consideratur, scilicet inquantum manet in anima prima impressio huiusmodi boni caduci, vel inquantum est inueterata impressione huiusmodi, vel inquantum defectiuam facit pulchritudinem proportionis quam habuit anima per coniunctionem ad bonum summum. Et primo quidem modo dicitur contagio, secundo autem modo fœtor, & tertio modo macula: de malo autem & peccato alibi, scilicet in fine secundi libri dictum est.

DICENDVM ergo ad primum, quòd lux non sumitur ibi pro spirituali perfectione visus, sed potius in illa proprietate generali quæ dicta est. Et hoc modo melius dicitur tenebra, quam frigus: quia calor non est tota vniuersalis forma, formas generabilium conducens ad esse, sicut lux quæ secundum diuersitatem luminosorum & angulorum & figuratum ipsorum corporum luminosorum, omnes generaliter formas generabilium ad esse conducit.

AD ALIVD dicendum, quòd verum est, quòd magis opponitur charitati peccatum, quam fidei: sed non opponitur ei plus, quam gratiæ. Et per hoc patet solutio.

AD ALIVD dicendum, quòd in veritate sicut dicit Philosophus in 6. ethic. Intellectus speculatiuus quidem non corrumpitur per peccatum: sed tamen prudentis & felicis intellectus corrumpitur per peccatum, etiam felicis secundum felicitatem speculatiuam, quia illa vult esse pura & non plena delectatione. Potest ergo dici, quòd intellectus est ad verum purum, vel ad verum sub ratione faciendi, & ad verum sub ratione felicitatis. Et primo quidem modo non corrumpitur. Sed secundo modo dupliciter est ad verum sub ratione boni, scilicet speculatiue, & practice: sunt enim quidam sapientes de his circa quæ est prudentia, & tamen non afficiuntur circa operabilia: alij autem habent scientiam quam sequitur facere, quæ de se mouens est, vt dicit Philosophus: sicut sciens citharizare habet in habitu citharizare, & operatur quando vult: & hoc obtenebratur per peccatum: sicut dicit Philosophus disputans contra Socratem, quòd existimatio prudentis corrumpitur per delectationem in minori propositione, vbi miscetur affectui operanti: & hoc modo obtenebratur intellectus ad bonum: quia sic omnis malus, ignorans est. Secundum autem quod se habet ad verum felicitans, est illud verum affectum sub ratione delectantis potentias, quod non habet admixtam pœnitudinem: & tunc iterum obtenebratur & impeditur per peccatum.

AD ALIVD autem quod obiicitur de Dionys. dicendum, quòd ipse loquitur de virtutibus speculatiuis, secundum quod sunt speculatiuæ solum: sic enim verum est, quòd non obtenebrantur.

AD IS quod obiicitur de contagione, dicendum quòd omne peccatum contagionem imprimit: dicitur enim hic contagio, non quæ serpit tantum ab vno in alium, sed etiam corruptio contracta ex impressione fœdantis & putrefacientis, sicut bonum corporale cui supponitur affectus. *Ad quæstiunculam.*

AD ALIVD dicendum, quòd hoc modo dicta contagio, non semper est in alio, sed in eodem cui vnitur cotagio sicut cotrumpens.

AD ALIVD dicendum, quòd cæcitas dicitur hic à carentia influentiæ lucis desuper descendentis ad intellectum practicum ex ea parte qua miscetur potentiæ operatiuæ siue affectui: sicut si lumen descendens in oculum priuaretur quoad discretionem operabilium quorundam, & non aliorum: & hoc modo bene impeditur potentia mentis interior.

AD ALIVD dicendum, quòd non dicitur tenebra quantum ad hoc, sed inquantum priuat formam generali formante omnia spiritualia, vt patet ex supra dictis.

AD ALIVD dicendum, quòd macula dicitur per defectum naturalis decoris, quem habet ex corruptione naturalis boni coniuncti cum gratuito & increato. Quod autem hoc faciat peccatum inquantum malum est & adimit bonum, non dubitat qui bene legit ea quæ dicta sunt in secundo, in tractatu de malo.

AD HOC autem quod obiectum est de fœtore, dicendum quòd sumitur spiritualiter eo modo quo dicit Dionys. in primo capitulo cæ. hierarch. quòd intellectualis distributio significatur per odorem: quo ad amissam anima deuotio-

nem dicitur fœtida per euaporationem concupiſcentiæ ſequentem corruptionem complexionis ſuæ, vt dictum eſt.

ARTICVLVS IX.

An fiat abſolutio à debito æternæ pœnæ per abſolutionem à ſacerdote factam?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Alij dicunt ſolum Deum, non ſacerdotem, &c.] Videtur, quòd iſti dicunt falſum: quia ita dicit Magiſter Hugo ad beatum Bernard. in lib. de poteſtate ligandi & ſoluendi. Per ſemetipſum ſoluit Dominus vinculum obdurationis, ſed per ſe & per miniſtrum debitum æternæ damnationis. Ergo illi falſum dicunt, qui plane dicunt contrarium.

2 Adhuc etiam conſtat, quòd ſacerdos per contritionem non abſoluitur à debito æternæ damnationis, niſi confiteatur & abſoluatur ſi habeat facultatem: ergo ſi non confiteatur & abſoluatur, adhuc remanebit debitor æternæ pœnæ: ergo aliquid ad ſolutionem illius debiti operatur abſolutio facta per ſacerdotem.

Sed contra. SED CONTRA hoc eſt, quòd debitum pœnæ æternæ eſt æternum & infinitum, ſicut ſupra probatum eſt: ſed temporale non poteſt in æternum: abſolutio autem eſt temporalis: ergo videtur, quòd non fiat abſolutio à debito pœnæ æternæ per abſolutionem à ſacerdote factam.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quod nullo modo ſacerdos abſoluit à debito mortis æternæ: ſed claues vno modo quo ſupra dictum eſt ad hoc operantur.

AD DICTVM autem Magiſtri Hugonis dicendum, quòd loquitur de abſolutione impediente reditum illius debiti, non eiuſdem in numero, ſed ſimilis in ſpecie, ſicut infra patebit 22. diſtinct. cum agetur de reatu peccatorum. Ad hoc enim operatur abſolutio ſacerdotis: quia abſoluit, vt ipſe dixit, à debito confitendi: quod ſi non impleret, rediret debitum æternæ damnationis: abſoluit autem ligando ad temporalem pœnam iniunctam.

AD ALIVD dicendum, quòd non operatur abſolutio ſacerdotis ad ſolutionem illius debiti: quia Deus ſimpliciter & abſque ordine ſoluit: ſed ad ſolutionem illius quod innaſceretur ſi confeſſio & abſolutio non reciperentur, ſicut iuſtum eſt & debitum.

ARTICVLVS X.

An verbum Dei dimittat peccata?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Verbum Dei dimittit peccata, ſacerdos, & iudex, &c.] Videtur enim innuere per iſtam enuntiationem, quòd iſta tria diuerſimode peccata dimittunt: & hoc non videtur, quia verbum Dei aut intelligitur de verbo creato, aut de verbo increato. Si de creato: tunc non dimittit peccata, niſi per modum ſuadentis & inducentis: ergo diuiſio ſua nihil valet, quia multa ſunt remittentia peccata, hoc modo, ſicut gratia, & opus bonum, quæ hic non enumerat, quæ tamen efficaciora ſunt in dimittendo peccatum, quam verbum Dei. Si diuiſio autem intelligitur de verbo increato; tunc videtur, quòd non differat à iudice quem etiam hic ponit.

2 Vlterius videtur, quòd iudex non dimittit peccata: quia cum acceperit iudicium & tempus, iuſtitias iudicabit: ſed iuſte iudicando, peccatum non dimittitur, ſed punitur: ergo videtur, quòd nihil eſt quod dicit, iudicem dimittere. Adhuc, Cum venerit ad iudicium Dominus, etiam fidelibus non creditur peccata dimiſſurus: ergo nihil eſt quod dicit, iudicem dimittere peccata.

3 Vlterius videtur falſum dicere, cum de dimiſſione ſacerdotis dicit, Sacerdos quidem officium ſuum exhibet, ſed nullius poteſtatis iura exercet. Exercet enim ſacerdos ſuam poteſtatem, partem pœnæ dimittendo, ſicut ſupra dictum eſt: ergo falſum eſt quod dicit.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd verbum Dei dicitur vnigenitus Filius, prout in mundo loquitur ad Patrem: ille enim peccata dimittit poteſtate excellentiæ, ſicut ſupra notatum eſt, eo quod meritum ſuum infiniti valoris fuit: & omnia dedit Pater in manu eius. Vnde Ioan. 1. dicitur, Agnus Dei qui tollit peccata mundi. Iudex autem eſt Deus auctoritate dimittendo, & ſacerdos miniſterio: & ita patet qualiter differant hæc tria.

AD OBIECTVM dicendum, quòd alius eſt modus quo dimittit Verbum increatum, & aliud quo dimittit iudex: iudex enim dicitur Deus Trinitas, non tamen dicitur verbum. Incarnatum autem Verbum dimittit redemptionis modo quo ſoluit pretium pro nobis, quod non facit Deus Trinitas: vnde obiectio ſupponit falſum.

AD ALIVD dicendum, quòd intelligitur de iudicio quo Deus iudicabit pœnitentes iudicio miſericordiæ, in quo parum eſt de iuſtitia, & multum de miſericordia: remittit enim omnem pœnam æternam, & exigit temporalem: ſed in futuro non remittet.

AD ID quod obiicitur de officio ſacerdotis, dicendum quòd non negatur quin habeat poteſtatem in miniſterio: ſed negatur, quòd habeat poteſtatem interiores maculas detergendi, & debitum æternæ mortis relaxandi: ſed ſuper partem pœnæ habet poteſtatem in miniſterio: vnde quod dicit, Nullius poteſtatis, &c. intelligitur de poteſtate abſoluta in relaxando culpam.

Quod sacerdotes etiam dimittunt peccata & tenent peccata suo modo.

NEc ideo tamen negamus sacerdotibus concessam potestatem dimittendi & retinendi peccata, cum hoc veritas in Euangelio aperte doceat. Hinc Augustinus ait, Ecclesiæ charitas, quæ per Spiritum sanctum diffunditur in cordibus eorum qui participes sui sunt, peccata dimittit: eorum qui non sunt, tenet. Idem, Sacerdotes possunt confitentibus parcere: quibus enim remittunt, remittit Deus: Lazarum enim de monumento suscitatum obtulit discipulis soluendum: per hoc ostendens, potestatem soluendi concessam sacerdotibus. Dixit enim, Quodcunque solueritis super terram, erit solutum & in cælo, &c. hoc est, Ego Deus, & omnes cælestis curiæ ordines, & omnes sancti in gloria mea laudant vobiscum & confirmant quos ligatis & soluitis. Non dixit, quos putatis ligare & soluere: sed in quos exercetis opus iustitiæ & misericordiæ. Aliter autem, vel alia opera vestra in peccatores non cognosco. Idem, Cum veraciter ad Deum conuerso peccata dimittuntur, ab eis dimittuntur, quibus ipse veraci conuersione coniungitur. Spiritus sanctus ea dimittit, qui datus est omnibus sanctis sibi charitate cohærentibus, siue se nouerint corporaliter, siue non. Similiter cum alicuius tenentur peccata, ab eis tenentur à quibus ille cordis prauitate disiungitur, siue notis corporaliter, siue ignotis. Omnes enim mali, spiritualiter à bonis seiuncti sunt. Ecce, hîc dicit peccata dimitti vel teneri à sanctis viris, & tamen Spiritum sanctum ea dimittere dicit. Et quod maiori consideratione dignum est, idem etiam dicit, quòd Deus per se vel per sanctos suos tantum dimittit peccata. Ait enim sic, Sacramentum gratiæ dat Deus etiam per malos, ipsam vero gratiam non nisi per seipsum, vel per sanctos suos. Et ideo remissionem peccatorum vel per seipsum facit, vel per ipsius columbæ membra, quibus ait: Si cui dimiseritis, dimittetur. Ecce quam varia à Doctoribus traduntur super his: & in hac tanta varietate quid tenendum? Hoc sane dicere ac sentire possumus, quòd solus Deus dimittit peccata & retinet: & tamen Ecclesiæ contulit potestatem ligandi & soluendi: sed aliter ipse soluit vel ligat, aliter Ecclesia. Ipse enim per se tantum dimittit peccatum, quia & animam mundat ab interiori macula, & à debito æternæ mortis soluit.

E Matt. 18. & Ioan. 20. Super Ioan. Tract. 121. Lib. de vera & falsa pœnit. cap. 10. Ioan. 2. Matt. 16.

In lib. de baptismo parvulorū. cap. 6.

Ibidem.

ARTICVLVS XI.

Quæ & qualis sit potestas sacerdotum in dimittendis peccatis?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Nec ideo tamen negamus, &c.] Quæritur autem hic vtilis quæstio, Quæ sit potestas sacerdotum in dimittendis peccatis? Constat enim, quod hæc non est super culpam, nec super pœnam æternam: quæratur ergo, super quam pœnam se extendit? Est autem accipere in genere pœnæ tres modos pœnarum, scilicet pœnam æternam, & transitoriam viribus pœnitentis improportionatam, & transitoriam viribus pœnitentis proportionatam. Similiter tria sunt in pœnitentia operantia contra pœnam peccati, scilicet dolor informatus gratia qui operatur contra æternam pœnam, & confessio faciens pœnam transitoriam viribus pœnitentis proportionatam, & satisfactio quæ delet pœnam viribus pœnitentis taxatam. Ergo cum potestas clauium sit media, post primam, & ante tertiam: videtur quod ipsa operatur supra pœnam mediam quæ est quidem transitoria, & tamen viribus pœnitentis non proportionata.

2 Adhuc,

2 Adhuc, Dimissa pœna æterna adhuc non recessit homo à iudicio diuino, quia restat sibi pœna purgatorij: sed per claues & satisfactionem non adimitur: ergo purgatio secundum ordinem iustitiæ media est inter æternam, & illam quæ iniungitur in satisfactione: ergo videtur, quòd æterna immediate commutetur in illam, & illa per claues in istam quæ est satisfactionis: ergo potestas clauium est super pœnam purgatoriam: hæc autem excedit omnem pœnam huius vitæ, vt dicit August. & infra habebitur: ergo ipsa viribus pœnitentis secundum hunc statum non est proportionata: & inde vt prius.

3 Adhuc, clauis operatur per virtutem doloris passionis Christi: dolor autem ille improportionatus est omni passioni quam aliquis potest sustinere in hac vita, vt probatum est super tertium: ergo videtur, quòd contra illam pœnam operatur, quæ quidem est transitoria, tamen viribus pœnitentis non est proportionata: & inde arguitur vt prius,

4 Adhuc, Amb. dicit, & ponitur in tertio dist. 19. & Ansel. probat in lib. Cur Deus homo, quòd nulla pœnitentia nostra sufficeret, nisi esset meritum Christi coadiuuans: quod autem non sufficit pœnitentia nostra, nulla causa est nisi quòd maioris quam soluere possumus debitores sumus: & hæc est improportio potentiæ soluendi in nobis: & hoc pro nobis soluit Christus: ergo iterum vt prius, passio Christi quæ in clauibus operatur, habet effectum contra illum modum pœnæ, qui excedit vires nostras. Lit. D.

Sed contra. SED IN CONTRARIVM huius obiicitur sic: Pœna purgatorij non est de foro Ecclesiæ, quia nec mereri possunt nec demereri ibi existentes: sed solam pœnam quæ est de foro Ecclesiæ potest sacerdos per claues Ecclesiæ mutare & dimittere: ergo pœnam purgatoriam nec mutare potest, nec dimittere.

2 Adhuc, Ponamus, quòd aliquis decedat antequam perficiat pœnitentiam sibi à sacerdote iniunctam, quæ debita fuit peccatis suis: constat, quòd ipse transibit in purgatoriam: non autem transiret, nisi ipse esset debitor pœnæ illius: ergo adhuc ipse est debitor illius pœnæ: ergo non fuit commutata, vt videtur. Si dicas, quòd in tali casu expiatiua per satisfactionem mutatur in purgatoriam. Contra: Purgatoria incomparabiliter grauior est, quam expiatiua per satisfactionem: si ergo pœna expiatiua per satisfactionem fuit sufficiens, illa quæ est in purgatorio erit vltra condignum: sed Deus nullum punit vltra condignum: ergo Deus non puniet illum pœna purgatorij, quod falsum est: ergo & hoc falsum ex quo sequebatur, scilicet quod expiatiua per pœnitentiam illi iniuncta, mutata sit in purgatoriam.

Quæstiuncula. VLTERIVS quæritur, Cum multæ pœnæ respondeant peccatis præter sensibilem in acerbitate caloris & frigoris, scilicet pœna vermis conscientiæ, & pœna carentiæ visionis Dei, & pœna horroris carceris & societatis malæ, in quid mutantur omnes istæ pœnæ? Videtur enim, quòd commutari debeant: quia eadem ratio est de vna & de alia: & vna mutatur, scilicet sensibilis in acerbitate caloris & frigoris: ergo & aliæ debent mutari.

Solutio. RESPONSIO. Ad hoc dicendum, quòd in veritate meo iudicio essentialis actus clauis est super pœnam illam quæ dicitur purgatoria, sicut videntur satis probabiliter concludere rationes primo inductæ: non tamen negandum videtur, quòd ille qui habet in clauibus maiorem iurisdictionem sicut Episcopus, Legatus, & Papa, posset etiam de expiatiua pœna plus & minus dimittere secundum discretum iudicium causæ necessitatis vel vtilitatis, sicut infra dicemus, cum de indulgentiis & relaxationibus erit sermo.

AD ID ergo quod primo obiicitur in contrarium, dicendum quòd hæc pœna non dicitur purgatoria à loco vel foro purgatorij, quia sic non esset nisi post mortem: sed dicitur purgatoria à similitudine proprietatis in duobus, scilicet quia est secundum iudicium Dei, & quia est improportionabilis viribus hominis, sicut pœna purgatorij si modo imponeretur ad sustinendum. Cum enim mutatio ad extremum non sit nisi per medium ad minus secundum rationem, & vna pœna sit æterna, altera autem temporalis secundum vires pœnitentis taxata, expiatiua secundum rationem media est, quæ quidem temporalis & finibilis est sicut secunda, & secundum vires pœnitentis non taxata, sed peccato commutato in contritione debita: & hæc vocatur purgatoria ratione dicta, & est ad minus secundum rationem media: & etiam nisi esset meritum Christi in clauibus, puto quòd illa exigeretur ab homine: commutatio ergo illius in tertiam est essentialis effectus clauis, quem habet in omni se clauibus per votum submittente.

AD ALIVD dicendum, quòd licet talis transeat in purgatoriam siue post confessionem factam, siue ante, dum contemptus religionis non impediuerit eum à confessione, semper in eo commutata est pœna primo modo purgatoria dicta. Et ideo ad propositum nihil facit obiectio. Sed quòd maior sit pœna quæ est post mortem, hoc est per accidens, scilicet quia status est mutatus: & hæc est voluntaria, & illa necessaria, & ideo minorem virtutem habens in purgando: & ideo necesse est eam crescere acerbitate, & etiam forte diuturnitate. Vnde patet, quòd Deus non punit eum vltra condignum: sed hoc accidit ex mutatione status eius qui purgari debet. *Adquæs.*

AD ID quod quæritur vlterius, videtur mihi, quòd quæstio nulla est: quia pœna licet sit mala, quia est ex malo, & contraria naturæ bonæ: tamen non est expiatiua inquantum huiusmodi, sed inquantum voluntariè susceptæ: & non omnis pœna est sic expiatiua: quia pœna damni in spiritualibus contrariatur tali expiationi, similiter pœna remorsus conscientiæ: vnde istæ abiiciuntur, sed infliguntur pœnæ expiatiuæ, quæ solæ sunt illæ quæ promouent ad virtutem, & illæ sunt solæ, circa quarum difficultatem eradicantur vitia, & inseruntur virtutes: & ideo non oportet, quòd illæ pœnæ in quibus hoc non est, in aliquid transeant: sed cum peccatis abiiciuntur sicut & tenebræ, & excæcatio, & fœtor, & huiusmodi, de quibus supra dictum est. Et si obiicias, quòd aut Deus punit, aut homo: ergo necesse est, quòd hæ transeant pœnæ in aliquas pœna hominis, vel Deus reseruabit eas. Dicendum, quòd hoc verum est, quòd aut Deus punit, aut homo: sed non est necesse, quòd eadem pœna puniat homo qua Deus, quia quædam pœnæ adiunctæ sunt peccato, & transeunt

seunt cum peccato, sicut corruptio naturalis boni, & carentia luminis Dei, & huiusmodi quæ sunt pœnæ in quibus sibi pœna est omnis inordinatus actus: & ideo illæ non permanent ad virtutem, & ideo illæ fugiendæ sunt, & aliæ pœnæ promouentes ad virtutem sunt suscipiendæ: & ideo hæc quæstio nulla est, vt mihi videtur. Dixerunt tamen antiqui in solutione huius quæstionis, quòd pœna carentiæ visionis Dei mutatur in delectationem præsentiæ Dei per gratiam, & pœna vermis in peccati detestationem, & pœna carceris in iucunditatem longanimem Ecclesiæ, quibus ligatur pœnitens: & pœna horrendæ societatis in gaudium Ecclesiasticæ vnitatis & communionis, vt possit dicere, Participem me fac Deus omnium timentium te, & custodientium mandata tua Domine?

ARTICVLVS XII.

An charitas Ecclesiæ dimittat peccata?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Ecclesię charitas quæ per Spiritum sanctum diffunditur in cordibus fidelium, peccata dimittit, &c.] Videtur enim, quòd hoc non faciat ad propositum: quia charitas Ecclesiæ non dimittit nisi per modum meriti: & non agitur hic de dimissione per meritum, sed potius per potestatem clauium, quæ æqualiter fit per bonos & malos, qui inæquales sunt in merito.

2 Præterea videtur sequi inconueniens, si ita dicatur vt sonat litera: posito enim, quòd non sint nisi tres homines vel quatuor, & nullus eorum sit in charitate: tunc in nullo erit charitas Ecclesiæ: ergo si pœnitet vnus illorum, videtur quòd peccata non remittantur ei, ex quo non nisi in Ecclesiæ charitate dimittuntur.

SED CONTRA: dicitur, Participem me fac Deus omnium timentium te, & custodientium mandata tua. Ergo in participatione bonorum Ecclesiæ dimittuntur peccata: sed charitas est quæ facit bona communia & participabilia à diuersis: ergo in charitate dimittuntur peccata participantibus ea. *Sed contra.*

2 Adhuc, vnus articulus est, Sanctorum communionem, & ab omnibus solet exponi, Credo in Spiritum sanctum, per charitatem communicantem bona Ecclesiæ: sed per bona remittuntur mala: ergo videtur, quòd per charitatem Ecclesiæ soluantur delicta.

6 Adhuc, In Prouerb. 10. Vniuersa delicta operit charitas.

RESPONSIO. Dicendum, quòd omne peccatum in charitate Ecclesiæ dimittitur: hæc enim quæ est mater boni, communicat bona, vt quod vni deficit, suppleatur in altero, & illæ diuitiæ communes sunt sub clauibus, & communicabiles per Ecclesiæ ministros secundum dispensationem faciendam discreto iudicio clauis vnius, quæ est auctoritas discernendi. *Solutio.*

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd per modum meriti quædam dimittuntur peccata: sed dispensare vel dare huic vel illi meritum illud pertinet ad potestatem clauis.

AD ALIVD dicendum, quòd vna est columba cuius charitas nunquam deficit: quia ad minus est in triumphante, & in illius charitate peccata dimittit, & præcipue in charitate Christi, qua passus est pro nobis. Et si obiicias, quòd Sancti de triumphante Ecclesia non merentur, soluendum quòd hoc verum est, quod sibi non merentur, sed aliis qui sunt in militante Ecclesia tota die merentur: & ideo in litaniis petimus vt intercedant pro nobis.

Quomodo sacerdotes ligant vel soluunt à peccatis.

NON autem hoc sacerdotibus concessit, quibus tamen tribuit potestatem soluendi & ligandi, id est, ostendendi homines ligatos vel solutos. Vnde Dominus leprosum sanitati prius per se restituit, deinde ad sacerdotes misit, quorum iudicio ostenderetur mundatus. Ita etiam Lazarum iam viuificatum obtulit discipulis soluendum. Quia etsi aliquis apud Deum sit solutus, non tamen in facie Ecclesiæ solutus habetur, nisi per iudicium sacerdotis. In soluendis ergo culpis vel retinendis, ita operatur sacerdos Euangelicus & iudicat, sicut olim Legalis in illis qui contaminati erant lepra, quæ peccatum signat. Vnde Hieronym. super Matthæum, vbi Dominus ait Petro, Tibi dabo claues regni cælorum & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis: & quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis. Hunc, inquit, locum quidam non intelligentes aliquid sumunt de supercilio Phariſæorum: vt damnare innoxios, vel soluere se putent noxios, cum apud Deum non sententia sacerdotum, sed reorum vita quæratur. In Leuitico se ostendere sacerdotibus iubentur leprosi, quos illi F Matt.8. Luc. 5. Ioan.11. Leuit.13. Mat. 12. Ad cap. 16.Matt. Leuit.13.

illi non faciunt leprosos vel mundos, sed discernunt qui mundi vel immundi sunt. Ita & hic aperte ostenditur, quòd non semper sequitur Deus Ecclesiæ iudicium: quæ per surreptionem & ignorantiam interdum iudicat, Deus autem semper iudicat secundum veritatem. Et in remittendis vel retinendis culpis id iuris & officij ha-
Num.16 bent Euangelici sacerdotes, quod olim habebant sub lege Legales in curandis leprosis. Hi ergo peccata dimittunt vel retinent, dum dimissa à Deo vel retenta iudicant & ostendunt. Ponunt enim sacerdotes nomen Domini super filios Israël, sed ipse benedicit, vt dici-
Num. 6. tur in Numeris. Hunc modum ligandi & soluendi Hieronymus supra notauit.

ARTICVLVS XIII.

An sacerdos Euangelicus differat à sacerdote Legali?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi*[Quibus dedit potestatem ligandi & soluendi id est, ostendendi homines ligatos vel absolutos, &c.] Secundum hæc enim quæ hic dicuntur, videtur quòd sacerdos Euangelicus quoad potestatem, non differat à sacerdote Legali, quod est absurdum.

2 Item hoc præcipue videtur ex auctoritatibus in cap. isto inductis, præcipue Hieronymi.

Sed contra. SED CONTRA hoc videtur, quòd sicut sacerdotium se habet ad sacerdotium, ita potestas clauis ad potestatem: sed sacerdotium nouæ legis abundat à sacerdotio legis veteris: ergo & potestas clauis abundat à potestate illius: sed illi mundatos tantum ostendebant: ergo isti aliquid plus faciunt quam ostensionem: ergo aliquid remittunt ex peccato, vel ex parte culpæ, vel ex parte pœnæ.

2 Adhuc, Sicut se habet morbus ad morbum, ita medicina ad medicinam: sed in Veteri Testamento de morbo corporali sacerdoti præsentabantur, in Nouo autem de morbo spirituali: ergo in Veteri Testamento fuit tantum medicina corporalis, & in Nouo erit spiritualis: ergo sicut sacerdos Veteris Testamenri castris restituit corporaliter, ita sacerdos Noui Testamenti castris restituit spiritualiter: ergo aliquid plus facit quam ostendat solutos vel ligatos.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd ostensio fit dupliciter, scilicet per demonstrationem solam, sicut ostenditur coloratum digito: & per exhibitionem in opere, sicut artifex demonstrat artificiatum, cum facit illud perfectum stare ante oculos intuentium. Et primo modo non accipitur hîc ostensio, sed secundum aliquem modum secundæ demonstrationis & ostensionis: sed ille est duplex, scilicet cum totum fit artificatum, vel cum fit in parte vltima completiua: demonstrat enim tunc id quod est secundum partem, totum perfectum. Ita est hic: remisit enim Deus culpam in contritione, & relaxauit debitum æternæ mortis: & ad completionem remanet id quod commissum est ministris Ecclesiæ, scilicet relaxatio pœnæ purgatoriæ, & iniunctio expiatiuæ: & hæc est pars curationis & solutionis peccati, & demonstrat totam esse completam, eo quod pars vltima est, vt patet ex prædictis. Et hoc modo glossandæ sunt omnes huius capituli auctoritates. Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICVLVS XIV.

An Legalis sacerdos habuit claues?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi*[Sicut olim Legalis in illis qui, &c.] Quæritur enim, Vtrum Legalis sacerdos habuit claues? Videtur, quòd sic: quia habuit ordinem: & clauis est sequela ordinis: ergo habuit claues.

2 Adhuc, Claues sunt scientia discernendi & potestas ligandi & soluendi: sed sacerdotum officium erat discernere inter munditiam & immunditiam, & etiam extra castra mittere, & eisdem restituere: quod est ligare & soluere: ergo claues habuit Legalis sacerdos.

3 Adhuc, Constat, quòd in spiritualibus commissa fuit potestas Legalibus sacerdotibus super populum Dei: spiritualis autem potestas tota est in potestate ligandi & soluendi quantum ad ea quæ pertinent ad cohabitationem populi: ergo Legalis habuit potestatem ligandi & soluendi: ergo habuit claues.

Sed contra. SED CONTRA: Totum factum sacramentorum veteris legis in exteriori opere consistebat, sicut & ipsa lex quæ prohibebat manum non animum, quia non conferebat gratiam ad animi prohibitionem: ergo non ordo veteris legis aliquid interius conferebat: ergo non imprimebat characterem, nec potestatem dabat interiorem & spiritualem: sed potestas spiritualis est sequela characteris & clauis: ergo legalis sacerdos non habuit clauem.

2 Adhuc, Sacramenta veteris legis significabant & non conferebant gratiam: ergo ordo significabat quod confertur in ordine Noui Testamenti, & non conferebat ipsum: sed spiritualis potestas, quæ clauis est, confertur in ordine Noui Testamenti: ergo non conferebatur in Veteri, sed tantum significabatur.

3 Adhuc, In aliquo abundat Nouum Testamentum à Veteri in spirituali potestate: sed non videtur in alio abundare, nisi quia in spiritualibus est, cum illud fuerit in corporalibus: sed clauis est spiritualis potestas: ergo necessario est de his in quibus abundat Nouum Testamentum à Veteri Testamento.

RESPON

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd in Veteri Testamento sacerdos legalis claues non habuit, sed habuit vmbram clauis, id est, potestatem absoluendi & ligandi circa immunditias corporales, quæ significabant immunditias spirituales, in quibus absoluit & ligat Euangelicus sacerdos. Concedimus ergo rationes vltimo inductas.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd sacerdos sicut ordinem, ita habuit clauem: habuit autem vmbram ordinis, quia non impressit characterem, & ideo non habuit etiam nisi vmbram clauis.

AD ALIVD dicendum, quòd discernendi auctoritas in spiritualibus, & ligandi potestas est clauis, & non in corporalibus, sed potius est vmbra clauis, quando est circa corporales immunditias.

AD ALIVD dicendum, quòd spiritualia Veteris Testamenti, & Noui, quasi æquiuocè spiritualia dicuntur: illa enim sunt spiritualia quæ significant spiritualia, & diuiduntur circa regnum, & huiusmodi, quæ per seculares personas & laicos dispensantur: & taliter commissa erant spiritualia sacerdotibus Veteris legis & hæc sunt spiritualia secundum quid. Sunt iterum spiritualia conferentia spiritum, & hæc sunt spiritualia Nouæ legis, & ideo potestas in talibus est simpliciter clauis: potestas autem in illis, est potestas secundum quid.

Alius modus ligandi & soluendi.

LIGANT quoque sacerdotes, dum satisfactionem pœnitentiæ confitentibus imponunt. Soluunt, cum de ea aliquid dimittunt, vel per eam purgatos ad sacramentorum communionem admittunt. Quem modum superius Leo Papa notauit. Secundum hunc modum dicuntur etiam sacerdotes dimittere peccata vel retinere. Vnde superius Augustinus dixit, Quibus remittunt, & remittit Deus, &c. Opus enim iustitiæ exercent in peccatores, cum eos iusta pœna ligant: opus misericordiæ, dum de ea aliquid relaxant, vel sacramentorum communioni conciliant: alia opera in peccatores exercere nequeunt. Et notandum est, quia quos satisfactione pœnitentiæ ligant, eo ipso à peccatis solutos ostendunt, quia non imponitur alicui satisfactio pœnitentialis, nisi quem sacerdos vere pœnitentem arbitratur. Alij vero non imponunt: & eo ipso peccatum retineri à Deo iudicant. Quod autem hoc ad claues pertineat, Augustinus ostendit dicens, Frustrat claues Ecclesiæ, qui sine arbitrio sacerdotis pœnitentiam agit, si sine oris confessione criminis indulgentia imprecatur. Est & alius modus ligandi & soluendi, qui per excommunicationem geritur, dum aliquis secundum canonicam disciplinam tertio vocatus ad emendationem manifesti delicti, & satisfacere vilipendens, sententia Ecclesiæ à loco orationis, & sacramentorum communione, & fidelium consortio præscinditur, vt erubescat, & pudore sceleris conuersus pœniteat, vt sic spiritus eius saluus sit. Quod si pœnitentiam profitens resipuerit, negatæ communioni admittitur, & Ecclesiæ reconciliatur. Hæc est autem Ecclesiæ anathematizatio: hanc pœnam illis qui digne percelluntur, infligit, quia gratia Dei & protectio illis amplius subtrahitur, ac sibiipsis relinquuntur, vt sit eis liberum ruere in interitum peccati. In quos etiam maior diabolo sæuiendi datur potestas. Orationes quoque Ecclesiæ & benedictionum, ac meritorum suffragia, eis nequaquam suffragari putantur.

G

De pœn. dist. 17.

Lib. de vera & falsa pœnit. cap. 10.

Lib. de pœnit.

1. Cor. 5.

Quomodo secundum hos modos intelligendum sit illud, Quodcunque solueris, &c.

H Matt. 16. SECVNDVM hos ligandi & soluendi modos quomodo verum est quod dicitur, Quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis: & quodcunque ligaueris super terram, erit ligatum & in cælis, &c. Aliquando enim ostendunt solutos vel ligatos, qui ita non sunt apud Deum: & pœna satisfactionis vel excommunicationis interdum indignos ligant vel soluunt, & indignos sacramentis admittunt, & dignos admitti arcent. Sed intelligendum est hoc in illis, quorum merita solui vel ligari postulant. Tunc enim sententia sacerdotis iudicio Dei & totius cælestis curiæ approbatur & confirmatur, cum ita ex discretione procedit, vt reorum merita non contradicant. Quoscunque ergo soluunt vel ligant, adhibentes clauem discretionis reorum meritis, soluuntur vel ligantur in cælis, id est, apud Deum: quia diuino iudicio sacerdotis sententia sic progressa approbatur & confirmatur. Quos ergo secundum merita sententia Ecclesiæ percellit, lædit: & illi foris sunt apud Deum. Qui autem non meruit, sententia Ecclesiæ non læditur, nisi contemnat. Vnde Origenes, Exiit quis à veritate, à fide, à charitate? per hoc exit de castris Ecclesiæ, etiamsi Episcopi voce non abiiciatur: sicut econtra aliquis non recto iudicio foras mittititur: sed si non egit vt meretur exire, nihil læditur. Interdum enim qui foras mittitur, intus est: & qui foras est, intus videtur retineri. Ecce qualis & quantus est vsus Apostolicarum clauium. Iam ostensum est ex parte, qualiter sacerdotes dimittant peccata vel teneant: & tamen retinuit sibi Deus quandam singularem potestatem dimittendi vel retinendi, quia ipse solus per se debitum æternæ mortis soluit, & animam interius purgat.

Super Leuit. hom. 14. ad 24. cap.

ARTICVLVS XV.

An dictum illud Saluatoris sit verum, Quodcunque ligaueris super terram, &c.

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Ligant quoque sacerdotes dum satisfactionem, &c.] Videtur enim, quòd hoc modo non quodcunque ligant, sit ligatum & in cælis: & quodcunque soluunt, sit solutum & in cælis. Potest enim sacerdos minorem condigna imponere, claue non errante, quia pœnæ sunt arbitrariæ: & tunc si moritur ille expleta pœnitentia quam ei iniunxit sacerdos, non euolat, sed perficit vt in purgatorio: ergo videtur, quòd non est solutum in cælo, quod ipse soluit etiam claue non errante.

2 Adhuc, In fictè accedente videtur instantia: quia ille absoluitur ab homine etiam claue non errante, & tamen non absoluitur à Deo. Quod autem claue non errante absoluatur ab homine, patet: quia homo non debet iudicare nec potest, nisi secundum signa exteriora: & ponamus, quòd omnia ista concurrant in deceptore ficto: ergo ipse est absoluendus: & tamen à Deo non absoluitur: ergo videtur, quòd sit instantia ad propositum.

3 Adhuc, Si iudex aliquis constituitur in foro causarum, ipse non tenebitur iudicare nisi secundum exteriora, non interiora: ergo videtur, cum audiens confessiones etiam homo sit, quòd debeant sufficere signa: ergo ad signa exteriora tenetur absoluere: & tamen sæpius contingit, quòd illi coram Deo non sint absoluti.

SOLVTIO. Ad hoc dicunt quidam, quòd Dominus tam in Matth. 16. quam in Ioan. 20. vtitur verbo subiunctiui modi: & hoc significat rem verbi iam perfectam, quia aliter illi actui alius non coniungeretur & subiungeretur. Vnde sensus est, Quodcunque solueritis, id est, cuius solutionem à me inchoatam in contritione perfeceritis, erit solutum & in cælis. Et similiter dicendum est de verbo notante ligationem. Et ita dicunt ad omnia inducta, quòd non est instantia: quia solutio illorum non est perfecta à sacerdote. Sed hoc quòd omnino nihil sit, probatur sic: Ponatur,

Solutio.

natur, quòd sacerdos iniungat dignam pœnitentiam peccatis: & tamen ille moriatur antequam perficiat eam: ille vadit ad purgatorium: & tamen secundum hanc grammaticam sacerdos perfecerat absolutionem: ergo nihil valet solutio, eo quod non statim reputat eum Deus absolutum.

2 Adhuc etiam obiicitur contra solutionem istam: quia facta absolutione iam sacerdos functus est officio suo in totum: ergo tunc absoluit: & tamen ille adhuc ligatus est vinculo satisfactionis: ergo non Deus illum omnino solutum reputat, quem ille soluit. Si autem dicas, quòd absolutio sacerdotis completa est primo, tunc cum impleta est pœnitentia: hoc est ridiculum, eo quod Magister Hugo de sancto Victore dicit, quòd sacerdos soluit ligando: ligat autem ad pœnam temporalem: ergo absolutio sua tota perfecta est, quando ligat omni vinculo expiatiuæ satisfactionis.

Responsio. Dicendum, quòd illa solutio meo iudicio nulla est omnino: sed intelligitur, quòd Deus eum solutum reputat pro quanto eum absoluit sacerdos, hoc est, partem pœnæ relaxando: illam enim nunquam ab ipso exigit Deus: & quæcunque ligat, ligamine manente, nunquam absoluit.

Ad primvm ergo dicendum, quòd non est instantia: quia non nisi secundum quid absoluit eum Deus, scilicet à parte pœnæ, & non à tota: & ideo aliam soluit in purgatorio.

Ad hoc autem quod obiicitur de ficto, dicendum quòd illum Spiritus sanctus disciplinæ effugit: & ideo habet sacramentum, sed non rem sacramenti. Hoc autem quod Dominus dicit, intelligitur de participantibus rem & sacramentum: sicut etiam in baptismo non sequitur, si baptismus emundat ab omni peccato, quòd propter hoc emundet fictum.

Ad illa autem duo quæ ad probandum inducuntur, dicendum quòd in veritate sacerdos non errat, nec est defectus ex parte sua, quia bene reconciliat: sed ille non est reconciliatus propter impedimentum fictionis. Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICVLVS XVI.

An definitio excommunicationis data à Magistro sit bona?

Deinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Est & alius modus ligandi & soluendi, qui per excommunicationem, &c.] Quæramus autem hic primo, Quid sit excommunicatio? Secundo, Quot modis fiat? Tertio, In quem sit ferenda? Quarto, A quo sit ferenda? Quinto, Qualiter sit ferenda? Sexto, Vtrum excommunicatio minor sit peccatum mortale?

Ad primum autem horum sic proceditur: Excommunicatio diffinitur à Iurisperitis sic: Excommunicatio est separatio à communione Ecclesiæ quoad fructum & suffragia Ecclesiæ communia. Videtur autem, quòd non sit generalis: quia aliquis excommunicatur iniuste, vel etiam iuste quoad exteriorem hominem, & tamen iniuste quoad interiorem: & tunc non separatur à communione Ecclesiæ. Probatio. Ecclesia non communicat in corporalibus, sed spiritualibus: & iste adhuc communicat spiritualia Ecclesiæ, quia non amittit charitatem propter hoc, sed habet eam: ergo non omnis excommunicatus ab Ecclesia separatur: ergo non generaliter excommunicatio est separatio ab Ecclesiæ communione.

2 Adhuc, Ecclesia orat pro hæreticis publicè in Parasceue, & priuatim sæpe: ergo non subtrahit eis suffragia Ecclesiæ: ergo videtur, quòd etiam vltima pars diffinitionis sit falsa, & non conueniat, &c.

3 Præterea, Quid vocatur ibi fructus? Constat enim, quòd non est ibi fructus bonorum temporalium: quia non propter hoc quod excommunicatus est, spoliatur bonis suis. Si autem dicatur, quòd est fructus spiritualis de quo loquitur: tunc videtur, quòd non differat ab eo quod sequitur, scilicet suffragia Ecclesiæ.

Responsio. Dicendum ad hoc, quòd excommunicatio diffinitur prout dicit priuationem communionis: & ita dicunt Decretistæ: Excommunicatio est à qualibet licita communione vel legitimo actu separatio. Et dicitur licita communio, quæ fit his casibus, qui notantur hoc versu: *Solutio.*

Os, orare, vale, communio, mensa negatur.

Scilicet ne ad osculum recipiatur, ne cum eo in eodem oratorio oretur, ne cum ipso communionem aliquis habeat in sacramentis, ne cum ipso comedat in eadem mensa. Hi enim dicuntur actus legitimi: vnde cum hoc modo dicta priuatio sit, patet quod est in eodem genere cum communione quæ est relatio vnitatis Ecclesiasticæ & societatis coniunctæ secundum actus istos.

Dicendvm ergo ad primum, quod si illa diffinitio sustineatur, quòd quando quis excommunicatur coram homine, & non est excommunicatus coram Deo, hoc accidit ex errore & defectu probationis: & tunc etiam pro tanto separatur coram homine, licet coram Deo sit coniunctus: & hoc sufficit excommunicationi, secundum quod est vinculum Ecclesiæ quo vnitur in hac vita quæ erroribus est plena.

Ad aliud dicendum, quòd pro omnibus oratur, vt vicinentur gratiæ: non tamen cum omnibus oratur, & quandiu in excommunicatione vera manent, non percipient fructum: sed Ecclesia rogat vt absolutione digni efficiantur, & sic fructum communionis Ecclesiæ participent.

Ad aliud dicendum, quòd fructus est in Ecclesia multiplex præter suffragia: quia ipse conuictus membrorum Ecclesiæ magnum fructum præstat ad permanendum cum Deo. Fructus etiam est ex communicatione sacramentorum. Sed suffragia sunt in precibus & oblationibus, quibus excommunicati non participant, quandiu iustè excommunicati sunt.

ARTICVLVS XVII.

Quot modis fiat excommunicatio?

Secundo quæritur, Quot modis fiat excommunicatio? Videtur, quòd multis modis: quia tot & diuersis & nouis de causis videmus homines excommunicari: ergo videtur, quòd ad vnum

certum numerum modus excommunicationis redigi non possit.

2 Videtur iterum, quòd omnis peccans mortaliter sit excommunicatus,& quod nouus modus excommunicandi sit peccatum mortale:quia peccans mortaliter non communicat sacramentis & fructibus spiritualibus & suffragiis Ecclesiæ: ergo ipse est excommunicatus.

3 Adhuc, Apostolus 1.Corinth.5. dicit, quòd siquis frater nominatur inter vos, & est adulter vel fornicator, vel idolis seruiens, vel dolosus,vel rapax, cum huiusmodi non debemus cibum sumere: ergo videtur, quòd ipse sit excommunicatus.

4 Adhuc ibidem,scilicet 1.Corinth.5.excommunicat fornicatorem, qui vxorem patris sui, nouercam scilicet suam habuit. Et eadem ratione pro quolibet peccato alio excommunicari potest: ergo videtur, quòd tot sunt species excommunicationum, quot sunt species mortalium peccatorum: & hæ non sunt reducibiles ad vnum certum numerum, quia malum est omnifariam, vt dicit Philosophus, & confirmat beatus Dionysius: ergo videtur, quòd species excommunicationum non sunt reducibiles ad certum numerum.

Sed contra. SED IN CONTRARIVM huius obiicitur, quòd ab habentibus iurisdictionem non infliguntur excommunicationes, nisi duobus modis, scilicet maiori,& minori. Maior dicitur, quæ præcidit à tribus, scilicet participatione sacramentorum, ingressu Ecclesiæ, & communione fidelium in actibus legitimis: & hæc vocatur etiam anathematizatio. Minor autem est, quæ non remouet nisi à participatione sacramentorum, & non ab aliis duobus: ergo videtur, quòd non possint esse plures species excommunicationum.

Solutio. RESPONSIO. Ad hoc dicendum,quòd non sunt nisi duæ species vel modi excommunicationum, vt probat vltimo inducta obiectio, cuius ratio hæc est: quia excommunicatio priuatio est: & ideo oportet, quòd cognoscatur ex suo habitu: communio autem fidelium quantum ad militantem Ecclesiam est in his tribus in genere, scilicet in pure spirituali quod est participatio sacramentorum,& pure corporali quod est legitimus actus sine quo non est conuersatio & coniunctio humana:quia sicut dicit Philosophus, homo politicum est animal: & oportet eum cum proximo communicare in actibus legalibus & legitimis. Tertium autem in quo communicat, est partim corporale,& partim spirituale,quod est conuentus ad locum cultus & consecrationis sacramentorum. Si igitur est priuatio à toto quod constituit communionem, est anathema, siue maior excommunicatio. Si autem priuatio spiritualis tantum,est excommunicatio quæ dicitur minor. Si autem tu quæras, Quare non est vna minor, quæ priuaret tantum corporali,sicut vna minor quæ priuat tantum spirituali: & alia iterum quæ priuaret duobus ex his, scilicet spirituali pure, & corporali pure, vel spirituali pure & medio inter corporale & spirituale, vel corporali pure & medio, vt sic haberemus quinque minores. Dicendum,quòd spirituale vinculum est excommunicatio,& oportet ad hoc quòd excommunicatio sit semper priuare spirituali. Vnde etiam nunquam priuat corporali,nisi in ordine ad spirituale: & ideo oportet in minori priuare participatione sacramentorum. Alia autem ratio eiusdem est: quia vt frequenter excommunicatio iusta supponit mortale peccatum in excommunicato: & illle secundum peccatum adiiceret, si sacramentis, scilicet Eucharistiæ communicaret: quia pœnitentia nemini interdicitur: sed non peccat mortaliter communicans in corporalibus, nisi ex præcepto Ecclesiæ in maiori excommunicatione se subtrahere debeat. Et ideo iterum non sunt minores quæ priuent communione illis quatuor modis qui dicti sunt.

AD OMNIA autem quæ primo inducta sunt, dicendum quòd peccans mortaliter excommunicatus est quantum ad triumphantem Ecclesiam: sed in perfectione illius non potest viuere militans, & ideo necesse est peccantes mortaliter in multis casibus ad tempus in corporalium communione sustinere: quia aliter, vt dicit Apostolus, oporteret nos de hoc mundo exiisse, si nullis in peccato mortali existentibus deberemus couti. 1.Cor.5.

AD HOC quod obiicitur de Apostolo, dicendum quòd ipse non præcepit excommunicare mortaliter peccantes, eo ipso quod mortaliter peccauerunt, sed quia correpti à suo Episcopo contumaces inuenti sunt,& satisfacere noluerunt: & etiam hodie pro quolibet mortali potest quis excommunicari.

AD ALIA patet solutio ex dictis.

ARTICVLVS XVIII.

In quem ferenda est excommunicatio?

TErtio quæritur, In quem ferenda sit excommunicatio? Videtur, quòd in nullum: nocumentum enim in corporalibus nulli est faciendum: ergo multo minus nocumentum in spiritualibus: sed subtractio spiritualium est nocumentum in spiritualibus: ergo non est faciendum alicui: hoc autem fit per excommunicationem: ergo excommunicatio non est ferenda in aliquem.

2 Adhuc videtur, quòd quandiu est alia via correctionis & salutis, non est ferenda sententia excommunicationis: sed quandiu per conuersionem est spes salutis,tandiu restat alia via: ergo quandiu est spes conuersionis in aliquo, tandiu non est excommunicandus: sed de nullius conuersione desperatur, vt dicit Augustinus: ergo nullus est excommunicandus.

3 Adhuc August. dicit, quod iudicium temerarium committitur duobus modis, scilicet dum de dubiis iudicatur tanquam de certis, vel cum aliquis finaliter condemnatur qui pœnitere potest: sed excommunicans condemnat hoc modo: ergo ipse peccat mortaliter: ergo nullus est excommunicandus. Probatio mediæ. Sicut dictum est, non est ferenda excommunicatio quandiu manet spes conuersionis: sed tandiu manet spes conuersionis, donec finalis condemnatio est iam facta apud excommunicantem: ergo sententia non fertur nisi fiat condemnatio finalis, & sic habetur propositum.

Sed si hoc dicatur, videtur quòd tota Ecclesia errat, quæ excommunicat multos.

VLTERIVS

Quæstiuncula. VLTERIVS quæritur hic, Quare tota multitudo vt communitas, excommunicari non poteſt: poteſt enim multitudo ſibi conſentire in contumaciam: ergo videtur, quòd debeat & poſſit excommunicari: cum tamen noua conſtitutio conſtituat contrarium.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd omnis contumax inquantum contumax, poteſt & debet excommunicari, & pro nullo alio vitio eſt quis excommunicandus: cuius hæc eſt cauſa, quia excommunicatio eſt medicina per accidens quæ datur deſperato, quando non eſt alia via ſanitatis & ſalutis ipſius, ſicut infirmo deſperato permittitur viuere ſecundum voluntatem ſuam, vt ex aliqua cauſa excitata natura multiplicet ſibi vires ad morbi expulſionem. Ita contumaci qui nulla alia via corrigi poteſt, præciditur vinculum communionis, vt ſic de peccato in peccatum ſine fræno ruens, conſiderata propria vilitate & defectu ſuo redeat ad humilitatem & plenam conuerſionem, & gratiam conuerſionis.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd non fit ei damnum ſimpliciter: ſed quia ipſe ſe fructu ſpiritualium deſperabiliter priuauit, quærit Eccleſia remedium per accidens, vbi nulla alia via reducere valet talem.

AD ALIVD dicendum, quòd Eccleſia non ita deſperat de ipſo, quin laboret ad ſuum reditum, & ideo excommunicat eum: ſed deſperat alium modum conuerſionis quantum eſt ex ſignis conſideratis in ipſo: ſed de Domini miſericordia quæ conuertit peccatores nunquam deſperat Eccleſia. Per hoc etiam patet ſolutio ad ſequens.

ARTICVLVS XIX.

An quilibet qui habet claues, poteſt excommunicare?

QVARTO quæritur, à quo ſit ferenda? Videtur, quòd ab omni eo qui habet claues: ſicut enim dicit Philoſophus, cuius eſt potentia, eius eſt & actus: ſed potentia eſt clauis, vt habetur ex litera, & actus eius eſt ligare & ſoluere per excommunicationem & abſolutionem: ergo omnis habens claues poteſt excommunicare.

2 Adhuc, Simplex parochianus habet cohibitionem aliquam ſuper plebem ſibi commiſſam: non autem poteſt habere niſi per vincula ſpiritualia, quæ ſunt excommunicatio, & aliæ pœnæ ſpirituales: ergo excommunicare poteſt.

3 Adhuc, Eiuſdem videtur eſſe communionẽ dare, & excommunicare: ſed ſimplex parochianus communicat plebem ſuam: ergo & excommunicare poteſt. Si hoc dicatur, contrarium tenet vſus Eccleſiæ dicentis, quòd non poteſt ſimplex ſacerdos excommunicare niſi in generalibus, ſicut pro furtis ignotis, vel furtis violatis, & huiuſmodi.

Quæſtiuncula 1. VLTERIVS quæritur, Vtrum Archidiaconi poſſunt excommunicare? Et videtur, quòd non: quia cuius non eſt potentia, illius non eſt actus: ſed non eſt potentia eius qui non habet clauem: ergo nec actus. Quod autem non habeant Archidiaconi claues, probatur ex hoc quòd clauis eſt ordinis ſacerdotalis, ſicut in ſequenti diſtinctione habebitur, & ipſi non ſunt ſacerdotes.

Sed contra. SED CONTRA hoc eſt, quòd habens iuriſdictionem, debet arma habere talis iudicis. Archidiaconi habent iuriſdictionem: ergo, &c. ſed talia arma ſunt excommunicationes: ergo, &c.

Quæſtiuncula 2. VLTERIVS quæritur hic, Vtrum ſuſpenſus vel excommunicatus, excommunicare poſſit? Videtur, quòd non: quia ligatus vinculo corporali, alium nec ligare nec ſoluere poteſt: ſed fortiora ſunt vincula ſpiritualia quam corporalia: ergo & ligatus vinculo ſpirituali, alium nec ligare nec ſoluere poteſt: ſed vinculum ſpirituale eſt excommunicatio, & ſuſpenſio: ergo, &c.

Sed contra. SED CONTRA hoc eſt, quòd ſuſpenſus ab officio non propter hoc amiſit iuriſdictionem: ſimiliter etiam nec excommunicatus, quia iuriſdictio ſua non datur alteri, nec etiam ipſe iterum inueſtitur ea, cum abſoluitur ab excommunicatione: ergo videtur, quòd etiam habeat ea quæ annexa ſunt iuriſdictioni: hæc autem eſt poteſtas excommunicandi & abſoluendi: ergo habet adhuc poteſtatem excommunicandi & abſoluendi ab excommunicatione.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd habens iuriſdictionem ordinarij iudicis vel delegati poteſt excommunicare & abſoluere, ſicut dicunt quidam qui de iure nouerunt: & ſatis rationabile eſt ſic eſſe: quia vincula iſta ſunt cohibitiones in foro cauſarum: iudices autem habent cognoſcere de cauſis: vnde rationabile eſt eos habere poteſtatem in his vinculis.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd completæ poteſtatis eſt actus iſte, & non diminutæ: ſed diminuta eſt poteſtas ex ordine ſolo, & non extra iuriſdictionem: & ideo non omnis habens clauem, habet etiam excommunicandi poteſtatem. Alia ratio huius eſt: quia magis eſt clauis iuriſdictionis, quam ordinis: & ideo iterum non ſequitur, quòd omnis habens clauem, habeat etiam excommunicandi & abſoluendi poteſtatem. Tertia ratio huius eſt ſatis pia: quia cum excommunicatio ſit maius damnum quod fieri poteſt Chriſtiano in hac vita, raro & cum moderatione facienda eſt: & ideo paucis & ſuperioribus tantum qui præſumuntur eſſe diſcretiores, talis poteſtas eſt commiſſa.

AD ALIVD dicendum, quòd multis aliis modis per communicationem & increpationem poteſt parochianus auertere ſubditos à malo: & ſi hoc non poteſt, debet recurrere ad ſuperiorem, & per illius auctoritatem excommunicatum denuntiare.

AD ALIVD dicendum, quòd non valet argumentum: quia plus Eccleſia prona eſt ad communicandum ſpiritualia, quam ad ſubtrahendum: & ideo primum multis modis, ſecundum vero paucis & diſcretis commiſit.

Ad quæſtiuncu-lam 1. AD ID quod vlterius quæritur, dicendum quòd Archidiaconi ſunt oculi Epiſcopi, & habent iuriſdictionem, licet non habeant clauem. Et quia ſunt oculi Epiſcopi, deſcendit in eos ab Epiſcopo qui habet claues & iuriſdictionem id quod eſt iuriſdictonis plus quam clauis, ſed non id quod eſt clauis plus quam iuriſdictionis: & ideo poſſunt abſoluere & ligare per excommunicationem in foro cauſarum, ſed non in foro confeſſionis vel pœnitentiæ.

AD OBIECTVM contra patet ſolutio: quia poteſtas excommunicandi plus eſt iuriſdictionis

quam clauis & ordinis, & ideo descendit in ipsos.

Ad quæstiunculam. AD ID quod vlterius quæritur, dicendum, quòd differt de suspenso & excommunicato: quia suspensus tripliciter potest esse suspensus, scilicet ab officio tantum, à iurisdictione tantum, vel ab vtroque: & qualitercunque suspensus sit, tunc dicendum semper, quòd non potest illa quæ sunt illius à quo ipse suspensus est. Si enim suspensus sit ab officio, non potest ea quæ sunt officij, sicut celebrare, consecrare, & huiusmodi: sed potest ea quæ sunt iurisdictionis, sicut excommunicare, & huiusmodi. Si autem suspensus est à iurisdictione, tunc in posse se habet è conuerso. Si autem ab vtroque tunc neutrum potest.

AD ARGVMENTVM autem inductum dicendum, quòd verum est dummodo simile bene intelligatur: ligatus enim in aliquo membro, non habet vsum illius membri, vt cum illo liget vel soluat alium: sed alio membro non ligato, potest alium soluere vel ligare: sed ligatus vniuersaliter in toto, nullum potest nec absoluere nec ligare: & ita est in spiritualibus, vt patet ex prædicta distinctione suspensi.

AD ID quod quæritur de excommunicato, dicendum quòd maiori excommunicatione excommunicatus non potest aliquem excommunicare.

AD ARGVMENTVM autem contra factum, dicendum quòd est iurisdictio in habitu, & non in actum reducibilis, quandiu excommunicatus est, residet penes ipsum: & hæc talis iurisdictio nec soluere nec ligare potest.

ARTICVLVS XX.

Qualiter ferenda sit excommunicatio?

QVinto quæritur, Qualiter ferenda sit excommunicatio? Videtur autem, quòd cum maxima diligentia: quia maximum periculum est in excommunicatione: vbi autem est maximum periculum, ibi videtur maxima diligentia opus esse: ergo in excommunicatione maxima diligentia est opus.

Sed contra. SED CONTRA hoc videtur iste abusus Ecclesiæ: quia proiiciuntur excommunicationes cum minori etiam diligentia, quam aliquid quod sit in Ecclesia.

Quæstiuncula. IVXTA hoc vlterius quæritur, Cum aliquis in necessitate gratia infirmitatis absoluitur, quia tunc à quolibet sacerdote absolui potest, & postea non implet mandatum Ecclesiæ sicut iurando promisit, vtrum excommunicatio redit super ipsum? Videtur, quòd sic: quia seruo non dimittenti conseruo suo Matth. 18. reuocatum est debitum. Ergo à simili isti non facienti quod debuit & promisit, reuocatur excommunicatio: ergo redit.

2 Adhuc, Debenti confiteri & non confitenti, reuocatur reatus qui in contritione erat solutus: ergo & isti à simili reuocatur propter similem causam excommunicato.

Sed contra. SED CONTRA: Iste per sacerdotem in veritate fuit absolutus: ergo excommunicatio fuit annihilata: sed ea quæ annihilantur, non reuertuntur eadem numero: ergo ista excommunicatio nunquam redit: sed nulla alia excommunicatus fuit nisi illa: ergo iste nulla excommunicatione est excommunicatus: ergo non redit excommunicatio super eum.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd ad iustam formam excommunicationis concurrunt tria, scilicet vt excommunicatio sit ex animo, & ex ordine, & ex causa. Ex animo vt studio corripiendi, non se vindicandi, præmissa diligenti admonitione. Ex ordine iuris qui describitur in constitutione noua, scilicet vt post admonitionem, & desperationem alterius viæ iudex causam excommunicationis & contumaciam excommunicati, & sententiam ipsam scribat, & sedendo vt quietus pronuntiet, & infra 40. dies paratus sit dare, quando postulauerit, excommunicato. Causa autem est quam meruit secundum veritatem vel per allegata ipse qui excommunicatur, quæ & in scripto datur ei, si infra 40. dies postulauerit. Et ideo concedenda est prima ratio.

AD ID quod in contrarium obiicitur, dicendum quòd abusus est, & peccât mortaliter sic excommunicationis sententiam iaculantes: & vltra hoc in nou. constit. pœna est vt 40. diebus ab ingressu Ecclesiæ abstineat, & excommunicatus à superiore sine difficultate absoluatur, & insuper excommunicans ad omnes expensas quas fecit excommunicatus in causa suæ absolutionis, & ad omne interesse condemnetur.

Ad quæstiunculam. AD ID autem quod vlterius quæritur, dicendum quòd meo iudicio impossibile est excommunicationem semel solutam redire eandem numero: vnde ille talis absolutus est simpliciter, & semper erit absolutus, nisi iterum excommunicetur, pro eo quod non seruauit mandatum Ecclesiæ sicut iurando promisit.

AD EA quæ sunt in contrarium, est vnica solutio, quòd nec in illis casibus redit præcedens debitum idem numero: sed aliud idem specie pro sequenti nascitur contemptu. Hoc autem melius declarabitur infra distinct. 22. vbi agetur de reditu peccatorum.

ARTICVLVS XXI.

An participare cum excommunicato sit peccatum mortale?

SExto & vltimo quæritur, Vtrum participare cum excommunicato sit peccatum mortale? Videtur autem, quòd sic: quia tanquam de mortali redarguit Apostolus Corinthios, qui communicauerunt tali, 1. Corinth. 5. vbi dicit, quòd modicum fermentum totam massam corrumpit. Ergo videtur, quòd in aliis sit peccatum mortale.

2 Adhuc, Facere contra præceptum est peccatum mortale: sed præceptum Ecclesiæ est, vt talibus nullus communicet: ergo videtur, quòd communicare talibus sit peccatum mortale.

Sed contra. SED CONTRA: Ego video, quòd excommunicans communicat ei in cibo & verbo & osculo, si oportet, & hoc tota die videtur in Episcopis nostri temporis. Cum igitur ego perfectior esse non teneor meo prælato, videtur quòd & ego possum licitè talibus communicare.

Solutio. SOLVTIO. Ad hoc sine præiudicio dicendum

dum videtur, quòd aliud est communicare ei qui est excommunicatus, & aliud communicare excommunicato inquantum excommunicatus est: communicans enim secundo modo, communicat ei in causa excommunicationis, siue in crimine pro quo ille excommunicatus est: & ille est excommunicatus maiori excommunicatione sicut & primus. Communicare autem ei qui est excommunicatus, fit dupliciter, scilicet maiori excommunicatione, & minori. Communicans autem excommunicato minori excommunicatione, non est excommunicatus: sed communicans excommunicato excommunicatione maiori in casu non concesso. Casus autem concessi sunt illis quorum conuersatio non potest esse sine illo: sicut si sit vxor, filius, seruus, baliuus, rusticus, vel huiusmodi, quæ ad ciuilem respiciunt conuersationem, si ignorat, si vtilitas euidens, vel necessitas sit. Et hoc notatur hoc versu.

Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Lex dicitur matrimonium, & humile scilicet seruitus, & alia patent. Tamen si duo tali communione in casu non concesso excommunicati sunt, vnus potest absoluere alium. Et ideo dicunt communiter, quòd excommunicato communicans, vel non curans, vel contemnens vinculum Ecclesiæ, peccat mortaliter. Qui autem metus causa, vel coniunctione amicitiæ seductus, tantum verbo cum timore communicat, non auderem dicere, quòd mortaliter eo ipso peccaret.

Ad id quod obiicitur, patet solutio per distinctionem. Nota etiam, quòd non tenetur aliquis credere aliquem excommunicatum, nisi interfit denuntiationi, vel per denuntiantem intimetur ei, vel ita certificetur per publicam famam, quod nullo modo sibi de hoc dubium possit generari: quia de quolibet præsumendum est bonum, donec contrarium probetur.

Deinde notandi sunt versus de hoc quod dicit *ibi*, [Sententia Ecclesiæ à loco orationis, &c.]

Gratia subtrahitur, magis ac magis obice rupto,
De vitio ruit in vitium, suffragia perdit
Ecclesia, satana vexandus traditur ille,
Quem ligat ex propriis anathematizatio culpis.

Quæ sint interiores tenebræ & interior macula?

Hic quæritur, Quæ sit illa macula, & quæ sint illæ tenebræ interiores, à quibus Deus interius animam purgat, cum veram pœnitentiam immittit? De tenebris & interiori caligine satis facile est & intelligere, & respondere. Cum enim quis [illegible] delinquit, & gratia virtutis priuatur, si qua præcessit, & naturalium bonorum elisionem patitur. Vnde & intellectus obtunditur, & totus homo interior obtenebratur, & ita quasi caligine quadam mens obuoluitur, quæ caligo peccati pœna est. Hanc vero Deus pellit, cum pœnitentiam immittit, per quam perdita bona restituit, & vitiata reparat. Vnde Propheta, Nebulam sicut cinerem spargit. Sed quæ est macula peccati, à qua animam lauat? Ecce enim quis voluit facere homicidium, & patrauit, quo patrato desinit tam velle quam facere, nondum tamen vere & humiliter pœnitet, nec confiteri proponit. Quæ ergo remansit in anima illius macula? Mala voluntas quidem fuit macula illius animæ, sed illa transiit. Macula etiam est, si pœnitere contemnit, sed hoc est peccatum aliud à præcedenti. Quæ ergo macula remansit, à qua ipse in pœnitentia purgatur? Polluta est quidem anima, quousque pœniteat, sicut erat, dum in ea praua erat voluntas. Sicut enim qui tangit morticinum vel aliud immundum, ita pollutus est post tactum quousque lauatur, sicut fuit dum tangeret: ita post actum peccati ita polluta remanet anima, sicut fuit in ipso actu peccati, quia ita est longe à Deo per dissimilitudinem, qui est vita & munditia mentis, sicut fuit dum peccatum ageret. Ipsa ergo dissimilitudo quæ inest animæ ex peccato, & est à Deo elongatio, animæ macula intelligitur, à qua purgatur in pœnitentia. Hoc autem solus Deus facit, qui solus suscitat animam & illuminat: quod sacerdotes nequeunt, qui tamen medici sunt animarum. Vnde Propheta, Nunquid medici suscitabunt, & confitebuntur tibi? quod exponens Augustinus ait,

1 Pf. 147. Leuit. 11. Num. 19. Pſal. 87.

quam clauis & ordinis, & ideo descendit in ipsos.

Ad quæstiunculam. AD ID quod vlterius quæritur, dicendum, quòd differt de suspenso & excommunicato: quia suspensus tripliciter potest esse suspensus, scilicet ab officio tantum, à iurisdictione tantum, vel ab vtroque: & qualitercunque suspensus sit, tunc dicendum semper, quòd non potest illa quæ sunt illius à quo ipse suspensus est. Si enim suspensus sit ab officio, non potest ea quæ sunt officij, sicut celebrare, consecrare, & huiusmodi: sed potest ea quæ sunt iurisdictionis, sicut excommunicare, & huiusmodi. Si autem suspensus est à iurisdictione, tunc in posse se habet è conuerso. Si autem ab vtroque tunc neutrum potest.

AD ARGVMENTVM autem inductum dicendum, quòd verum est dummodo simile bene intelligatur: ligatus enim in aliquo membro, non habet vsum illius membri, vt cum illo liget vel soluat alium: sed alio membro non ligato, potest alium soluere vel ligare: sed ligatus vniuersaliter in toto, nullum potest nec absoluere nec ligare: & ita est in spiritualibus, vt patet ex prædicta distinctione suspensi.

AD ID quod quæritur de excommunicato, dicendum quòd maiori excommunicatione excommunicatus non potest aliquem excommunicare.

AD ARGVMENTVM autem contra factum, dicendum quòd est iurisdictio in habitu, & non in actum reducibilis, quandiu excommunicatus est, residet penes ipsum: & hæc talis iurisdictio nec soluere nec ligare potest.

ARTICVLVS XX.

Qualiter ferenda sit excommunicatio?

QVinto quæritur, Qualiter ferenda sit excommunicatio? Videtur autem, quòd cum maxima diligentia: quia maximum periculum est in excommunicatione: vbi autem est maximum periculum, ibi videtur maxima diligentia opus esse: ergo in excommunicatione maxima diligentia est opus.

Sed contra. SED CONTRA hoc videtur iste abusus Ecclesiæ: quia proiiciuntur excommunicationes cum minori etiam diligentia, quam aliquid quod sit in Ecclesia.

Quæstiuncula. IVXTA hoc vlterius quæritur, Cum aliquis in necessitate gratia infirmitatis absoluitur, quia tunc à quolibet sacerdote absolui potest, & postea non implet mandatum Ecclesiæ sicut iurando promisit, vtrum excommunicatio redit super ipsum? Videtur, quòd sic: quia seruo non dimittenti conseruo suo Matth. 18. reuocatum est debitum. Ergo à simili isti non facienti quod debuit & promisit, reuocatur excommunicatio: ergo redit.

2 Adhuc, Debenti confiteri & non confitenti, reuocatur reatus qui in contritione erat solutus: ergo & isti à simili reuocatur propter similem causam excommunicato.

Sed contra. SED CONTRA: Iste per sacerdotem in veritate fuit absolutus: ergo excommunicatio fuit annihilata: sed ea quæ annihilantur, non reuertuntur eadem numero: ergo ista excommunicatio nunquam redit: sed nulla alia excommunicatus fuit nisi illa: ergo iste nulla excommunicatione est excommunicatus: ergo non redit excommunicatio super eum.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd ad iustam formam excommunicationis concurrunt tria, scilicet vt excommunicatio sit ex animo, & ex ordine, & ex causa. Ex animo vt studio corripiendi, non se vindicandi, præmissa diligenti admonitione. Ex ordine iuris qui describitur in constitutione noua, scilicet vt post admonitionem, & desperationem alterius viæ iudex causam excommunicationis & contumaciam excommunicati, & sententiam ipsam scribat, & sedendo vt quietus pronuntiet, & infra 40. dies paratus sit dare, quando postulauerit, excommunicato. Causa autem est quam meruit secundum veritatem vel per allegata ipse qui excommunicatur, quæ & in scripto datur ei, si infra 40. dies postulauerit. Et ideo concedenda est prima ratio.

AD ID quod in contrarium obiicitur, dicendum quòd abusus est, & peccãt mortaliter sic excommunicationis sententiam iaculantes: & vltra hoc in nou. constit. pœna est vt 40. diebus ab ingressu Ecclesiæ abstineat, & excommunicatus à superiore sine difficultate absoluatur, & insuper excommunicans ad omnes expensas quas fecit excommunicatus in causa suæ absolutionis, & ad omne interesse condemnetur.

Ad quæstiuncul. AD ID autem quod vlterius quæritur, dicendum quòd meo iudicio impossibile est excommunicationem semel solutam redire eandem numero: vnde ille talis absolutus est simpliciter, & semper erit absolutus, nisi iterum excommunicetur, pro eo quod non seruauit mandatum Ecclesiæ sicut iurando promisit.

AD EA quæ sunt in contrarium, est vnica solutio, quòd nec in illis casibus redit præcedens debitum idem numero: sed aliud idem specie pro sequenti nascitur contemptu. Hoc autem melius declarabitur infra distinct. 22. vbi agetur de reditu peccatorum.

ARTICVLVS XXI.

An participare cum excommunicato sit peccatum mortale?

SExto & vltimo quæritur, Vtrum participare cum excommunicato sit peccatum mortale? Videtur autem, quòd sic: quia tanquam de mortali redarguit Apostolus Corinthios, qui communicauerunt tali, 1. Corinth. 5. vbi dicit, quòd modicum fermentum totam massam corrumpit. Ergo videtur, quòd in aliis sit peccatum mortale.

2 Adhuc, Facere contra præceptum est peccatum mortale: sed præceptum Ecclesiæ est, vt talibus nullus communicet: ergo videtur, quòd communicare talibus sit peccatum mortale.

Sed contra. SED CONTRA: Ego video, quòd excommunicans communicat ei in cibo & verbo & osculo, si oportet, & hoc tota die videtur in Episcopis nostri temporis. Cum igitur ego perfectior esse non teneor meo prælato, videtur quòd & ego possum licitè talibus communicare.

Solutio. SOLVTIO. Ad hoc sine præiudicio dicendum

dum videtur, quòd aliud est communicare ei qui est excommunicatus, & aliud communicare excommunicato inquantum excommunicatus est: communicans enim secundo modo, communicat ei in causa excommunicationis, siue in crimine pro quo ille excommunicatus est: & ille est excommunicatus maiori excommunicatione sicut & primus. Communicare autem ei qui est excommunicatus, fit dupliciter, scilicet maiori excommunicatione, & minori. Communicans autem excommunicato minori excommunicatione, non est excommunicatus: sed communicans excommunicato excommunicatione maiori in casu non concesso. Casus autem concessi sunt illis quorum conuersatio non potest esse sine illo: sicut si sit vxor, filius, seruus, baliuus, rusticus, vel huiusmodi, quæ ad ciuilem respiciunt conuersationem, si ignorat, si vtilitas euidens, vel necessitas sit. Et hoc notatur hoc versu.

Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse.

Lex dicitur matrimonium, & humile scilicet seruitus, & alia patent. Tamen si duo tali communione in casu non concesso excommunicati sunt, vnus potest absoluere alium. Et ideo dicunt communiter, quòd excommunicato communicans, vel non curans, vel contemnens vinculum Ecclesiæ, peccat mortaliter. Qui autem metus causa, vel coniunctione amicitiæ seductus, tantum verbo cum timore communicat, non auderem dicere, quòd mortaliter eo ipso peccaret.

Ad id quod obiicitur, patet solutio per distinctionem. Nota etiam, quòd non tenetur aliquis credere aliquem excommunicatum, nisi interfit denuntiationi, vel per denuntiantem intimetur ei, vel ita certificetur per publicam famam, quod nullo modo sibi de hoc dubium possit generari: quia de quolibet præsumendum est bonum, donec contrarium probetur.

Deinde notandi sunt versus de hoc quod dicit *ibi*, [Sententia Ecclesiæ à loco orationis, &c.]

Gratia subtrahitur, magis ac magis obice rupto,
De vitio ruit in vitium, suffragia perdit
Ecclesiæ, satanæ vexandus traditur ille,
Quem ligat ex propriis anathematizatio culpis.

Quæ sint interiores tenebræ & interior macula?

Hic quæritur, Quæ sit illa macula, & quæ sint illæ tenebræ interiores, à quibus Deus interius animam purgat, cum veram pœnitentiam immittit? De tenebris & interiori caligine satis facile est & intelligere, & respondere. Cum enim quis mortaliter delinquit, & gratia virtutis priuatur, si qua præcessit, & naturalium bonorum elisionem patitur. Vnde & intellectus obtunditur, & totus homo interior obtenebratur, & ita quasi caligine quadam mens obuoluitur, quæ caligo peccati pœna est. Hanc vero Deus pellit, cum pœnitentiam immittit, per quam perdita bona restituit, & vitiata reparat. Vnde Propheta, Nebulam sicut cinerem spargit. Sed quæ est macula peccati, à qua animam lauat? Ecce enim quis voluit facere homicidium, & patrauit, quo patrato desinit tam velle quam facere, nondum tamen vere & humiliter pœnitet, nec confiteri proponit. Quæ ergo remansit in anima illius macula? Mala voluntas quidem fuit macula illius animæ, sed illa transiit. Macula etiam est, si pœnitere contemnit, sed hoc est peccatum aliud à præcedenti. Quæ ergo macula remansit, à qua ipse in pœnitentia purgatur? Polluta est quidem anima, quousque pœniteat, sicut erat, dum in ea praua erat voluntas. Sicut enim qui tangit morticinum vel aliud immundum, ita pollutus est post tactum quousque lauatur, sicut fuit dum tangeret: ita post actum peccati ita polluta remanet anima, sicut fuit in ipso actu peccati, quia ita est longe à Deo per dissimilitudinem, qui est vita & munditia mentis, sicut fuit dum peccatum ageret. Ipsa ergo dissimilitudo quæ inest animæ ex peccato, & est à Deo elongatio, animæ macula intelligitur, à qua purgatur in pœnitentia. Hoc autem solus Deus facit, qui solus suscitat animam & illuminat: quod sacerdotes nequeunt, qui tamen medici sunt animarum. Vnde Propheta, Nunquid medici suscitabunt, & confitebuntur tibi? quod exponens Augustinus ait,

1 Pf. 147. Leuit. 11. Num. 19. Pfal. 87.

Boni Doctores recte medici dicuntur : qui viuentes curare ministerio possunt , sed non mortuos suscitare. Sola enim Dei gratia reuiuiscunt.

ARTICVLVS XXII.

An macula, caligo, fomes, & alia quæ sunt in peccatore, possunt dici esse à Deo ?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Hic quæritur , Quæ sit illa macula, &c.] vtrum scilicet macula & caligo sit à Deo, vel non ? Videtur autem, quòd sic : quia omnis pœna est à Deo: macula autem & caligo sunt pœnæ : ergo sunt à Deo.

Sed contra. SED CONTRA : Deus non facit aliquid quo opus suum sit deterius, vt dicit Augustus. macula & culpa faciunt opus Dei deterius: ergo non facit ea Deus : ergo non sunt à Deo.

2 Adhuc, Fulgentius dicit, quòd Deus illius rei non est author , cuius est vltor : sed vlciscitur in maculam & caliginem : ergo non est author maculæ & caliginis.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd pœna habet duplicem comparationem , scilicet ad causam infligentem quæ est iudicium iustum & rectum, & ad causam meritoriam quæ est iniquitas. Spirituales autem pœnæ quandoque nominantur nomine quod non exprimit tantum pœnam , sed etiam alteram istarum comparationum : sicut quando dicitur incendium pati peccatum , nominatur in comparatione ad iudicium , sicut latro dicitur pati suspendium. Sed cum dicitur fomes, vel caligo, vel macula , nominatur pœna nomine in sua ratione claudente etiam ordinem ad causam meritoriam , quæ est culpa : & quia in tali ordine non est à Deo , dicendum quòd fomes non est à Deo , nec macula , nec caligo , nec aliquid huiusmodi.

AD ID quod contra obiicitur , dicendum quòd pœna non dicit comparationem ad culpam : & ideo cum assumit maculam , sumit non directe sub medio, sed cum accidente quod est extraneum medio. Et ideo peccat secundum accidens argumentatio illa : sicut , tu cognoscis Choruscum : Choruscus est veniens : ergo tu cognoscis venientem.

DISTINCTIO XIX.

Quando hæ claues dantur & quibus.

De confessione sacramẽtali in comparatione ad suscipientes. POSTQVAM ostensum est quæ sint claues Apostolicæ, & quis earum vsus , supereſt inuestigare , quando istæ claues dentur , & quibus ? Dantur hæ claues per ministerium Episcopi alicui in promotione sacerdotij. Cum enim recipit ordinem sæcerdotalem , simul & has claues recipit. Sed non videtur, quòd omnes vel soli sacerdotes has claues habeant : quia plerique ante sacram ordinationem, scientiam discernendi habent , plures post consecrationem ea carent. Sane dici potest , quòd alteram clauium istarum, id est, scientiam discernendi , non habent omnes sacerdotes : vnde dolendum est atque lugendum. Multi enim licet indiscreti, atque scientiæ qua eminere debent exortes , sacerdotij gradum recipere præsumunt , vita & scientia eo indigni, qui nec ante sacerdotium, nec post , scientiam habent discernendi , qui ligandi sint vel soluendi. Ideoque illam clauem in consecratione non recipiunt , quia semper scientia carent. Qui vero ante sacerdotium scientia discernendi præditi sunt , licet habeant discretionem , non tamen in eis est clauis: quia non valent ea claudere vel aperire. Ideoque cum promouetur in sacerdotem , clauem discretionis recte dicitur accipere : quia & ante habita discretio augetur : & fit in eo clauis, vt ea iam valeat vti ad claudendum vel aperiendum.

DIVISIO

DIVISIO TEXTVS.

POSTQVAM ostensum est quæ sint, &c.] In hac distinctione agitur de clauibus ex parte recipientis claues. Et diuiditur in duas partes. In prima quæritur & determinatur quis habeat claues. In secunda quis digne habeat *ibi* [Aliis autem videtur, &c.

ARTICVLVS I.

An Christus habuit claues?

CIrca primum autem dubitantur quatuor, scilicet vtrum Christus habuit claues? Secundo, Vtrum clauis sit æqualiter ad claudendum & aperiendum, vel ad alterum tantum horum? Tertio, Qualiter se habent claues ad ordinem? Quarto, Vtrum non habens ordinem sacerdotalem habeat claues?

Ad primum sic obiicitur: Christus habuit plenitudinem omnis potestatis: ergo habuit etiam potestatem clauis.

2 Item, Ipse plenè habuit potestatem baptizandi & confirmandi: ergo & in pœnitentia operandi: & hoc fit per claues: ergo, &c.

3 Item, Ipse absoluit peccatores, scilicet Magdalenam, Zachæum, & huiusmodi: sed hoc non potuit fieri nisi per claues: ergo, &c.

4 Item, Nihil dat quod non habet: sed ipse dedit claues Petro: ergo vt prius.

Sed contra. CONTRA: Habens claues, non habet potestatem ligandi & soluendi nisi per illas: sed Christus non habuit aliquid à clauibus, sed potius claues ab ipso: sicut & baptismus quicquid habet, habet à Christo: ergo Christus non habuit claues.

2 Item, Claues sunt instrumenta ministrorum Ecclesiæ: Christus autem caput Ecclesiæ secundum quod homo existens, non est minister Ecclesiæ: ergo non habuit claues.

3 Item, In mundanis videmus, quòd excellentiæ regali non conuenit habere claues suorum thesaurorum, sed committuntur fidelibus ministris: sed Christus est excellentior omni rege: non competit ergo ei habere claues, sed eius ministris.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd dupliciter dicitur potestas per claues. Potest enim dicere præpositio causam instrumentalem: & hoc modo nihil prohibet Christum habere claues, non à claue, sed à Patre: quia etiam in naturalibus omnis motus quo mouetur instrumentum, est à motu mouentis ipsum. Hoc autem modo dicimus, quòd habuit claues excellenter: quia sine inquisitione & labore vtebatur & auctoritate discernendi, & potestate ligandi & soluendi. Si autem cluuis siue potestas per clauem, diceret potestatis causam, tali ratione non conueniret Christo claues habere: quia hoc esset minorationis.

ET PER hoc patet solutio ad primum quod est contra hoc obiectum, & ad secundum & tertium: quia in veritate claues prout sunt in ministris, dant eis potestatem quam ab aliis non haberent, & sunt signum officij eorum quod à Domino acceperunt.

Ad primum autem dicimus, quòd Christus habuit potestatem ex seipso, licet haberet à Patre; non enim (dicit Hilarius) Christus ita pet se, id est, à potestate suæ naturæ agit: quia quicquid est, & potest, & agit, totum habet à Patre à quo per generationem procedit.

ET PER hoc patet solutio ad duo sequentia.

ARTICVLVS II.

An clauis æquè sit ad claudendum & aperiendum?

SEcundo quæritur, Vtrum clauis æquè sit ad claudendum, & aperiendum? Quod sic videtur: quia clauis materialis est æquè ad vtrumque: ergo & spiritualis.

3 Item, Matth. 16. & Ioan. 20. fit mentio de vtroque: ergo vt prius.

Contra: Nihil est ad duo, scilicet ad duos fines æquè principales, sicut probat Philosophus: sicut medicina est duorum, scilicet sanitatis, & ægritudinis, non tamen velut duorum finium: sed vnius tanquam finis, & alterius tanquam per accidens vel tanquam eius quod est ad finem illum: ergo nec clauis est ad duo opera æquè principalia sicut ad finem. *Sed contra.*

RESPONSIO. Dicendum, quòd non est nisi vnius per se, scilicet ad aperiendum: & alterum non est intentum, imo accidit ex defectu apertionis propter culpam peccati. *Solutio.*

AD PRIMVM autem dicimus, quòd clauis in corporalibus metu latronum fit: & ideo propter possibilitatem perditionis rerum est magis principaliter ad claudendum. In spiritualibus autem econtra est: & ideo principaliter ex tota intentione est ad aperiendum.

AD ALIVD dicendum, quòd Dominus facit mentionem de consequentibus clauem, & non de fine principaliter intento tantum: consequuntur enim clauem ex opere nostro claudere & aperire, sed tamen principaliter intenduntur propter aperire, & ad hoc datæ sunt à Domino.

ARTICVLVS III.

Quomodo clauis se habeat ad ordinem?

TErtio quæritur, Qualiter clauis se habeat ad otdinem? Videtur autem, quòd sicut accidens separabile. Contingit enim saluari ordinem sacerdotalem separata claue, sicut in degradatis, qui retinent characterem ordinis, & non clauem, quia nec ligare nec soluere possunt: sed quod separari potest saluato alio, habet se sicut accidens ad illud: ergo, &c.

2 Item, Cum aliquis degradatur, non dicitur, ego deotdino te, sed ego deauctorizo te: ergo cum clauis respiciat principaliter auctoritatem, videtur, quòd clauis auferatur manente ordine: & ita videtur idem quod prius.

SED

Sed contra. SED CONTRA: Ordo est totum potentiale: ergo sub se continet partes; hæ autem non sunt vt communiter dicitur, nisi potestas consecrandi, & potestas ligandi & soluendi: ergo videtur, quòd potestas ligandi & soluendi sint pars ordinis.

2 Item, Si degradatus restituitur, non confertur ei potestas ligandi & soluendi, sed tantum laxatur iurisdictio: ergo videtur, quòd ipse cum ordine illam prius retinuit.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd clauis est pars potentialis ordinis, & non separatur ab ordine, manente ordine.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd in degradato manet potestas absoluendi non reducibilis ad actum: & huius ratio supra dicta est, quia scilicet non reducitur ad actum nisi per iurisdictionem, & iurisdictio ab illo aufertur qui degradatur.

AD ALIVD dicimus, quòd hoc dicitur vt denotet, quòd non potest ab eo auferri potestas quæ est ex charactere ordinis, sed administrationis, secundum quod pendet ex iurisdictione quæ amissa est per degradationem.

ARTICVLVS IV.

An ostiarij habeant claues?

QVarto quæritur, Vtrum non habens ordinem sacerdotalem, habeat claues? Et hic quæruntur quatuor. Primo, Vtrum ostiarij habeant claues? Secundo, Vtrum reges in vnctione sancta inuncti habeant claues? Tertio, Vtrum congregatio habeat claues, ita quòd nullus de congregatione? Quarto, Vtrum mulieres, scilicet priorissæ, & abbatissæ habeant claues?

AD PRIMVM sic obiicitur: Dicit Isidor. 7. etym. Ostiarij tenentes claues, omnia intus extraque custodiunt: atque inter bonos & malos habentes iudicium, dignos recipiunt, & indignos respuunt. Iudicium autem quod habetur in potestate inter bonos & malos, est clauis, vt supra habitum est.

Item, Aliqua clauis est potestas respuendi vel recipiendi ad sacramenta. Ergo ostiarij habent claues.

2 Item, Cum ordinantur ostiarij, claues Ecclesiæ dantur eis ab Episcopo: sed constat, quòd in promotione spiritualis potestatis visibile & corporale refertur ad spirituale, sicut fit in omnibus sacramentis: cum igitur clauis corporalis ad nihil congruentius refertur, quam ad clauem spiritualem, ostiarij accipiunt in suo ordine claues spiritualis potestatis: & ita habent claues.

3 Item Isidorus ibidem dicit, Ad ostiarios pertinent claues Ecclesiæ vt claudant & aperiant templum Dei, fideles recipiant, excommunicatos & infideles eiiciant: sed cuius est actus, eius est potestas: actus autem clauis est recipere ad sacramenta dignos, & eiicere indignos: & hoc est ostiariorum per Isidorum: ergo & potestas talis: & hæc est clauium: ergo vt prius.

Sed contra. SED CONTRA est quod habetur hic in littera, quòd presbyterorum est: & Hieronym. super Matth. 16. Ecclesia habet claues in suis Episcopis & sacerdotibus. Ergo alij excluduntur.

2 Item, In ordinatione nulli nisi presbytero dicitur, Quorum remiseritis peccat, remittuntur eis. Ergo nullus habet hanc potestatem nisi sacerdos.

3 Item, In sacramentis non datur aliquid spirituale, quod non significetur visibili & corporali elemento, vt patet ex diffinitione sacramenti in principio disputata: sed vincula stolarum directè descendentia non dantur nisi sacerdoti: & hæc sunt signa vinculorum incorporalium & spiritualium: ergo soli sacerdotes accipiunt potestatem ligandi & soluendi à vinculis.

4 Item, Cui datur potestas communionis in corpore vero Christi, illi debet dari & datur potestas in corpore mystico præparandi ad communionem: sed soli sacerdoti datur potestas conficiendi verum corpus Christi, quod est sacra communio: ergo soli sacerdoti datur potestas in corpore mystico præparandi illud ad communionem illam: hoc autem fit per claues in pœnitentia, & in foro causarum: ergo solus sacerdos accipit claues.

Solutio. QVOD CONCEDIMVS dicentes, quòd ostiarij non recipiunt nisi claues materiales ordinatas ad sanctificatorum custodiam. Et dicimus, quòd Isidor. loquitur de clauibus templi vbi sancta & sacramenta custodiuntur: & hanc clauem quidam vocant clauem in custodiis templi excubantium: & bene placet mihi nomen illud. Ad rationem autem quæ formatur ex auctoritate, dicimus quòd hoc iudicium non est super causam indignitatis, sed potius super aliquos ab aliquo determinatos dignos vel indignos, scilicet à sacerdote, vel Archidiacono: sed sacerdos cognoscit per seipsum qui digni & indigni sint. Similiter potestas recipiendi vel excludendi ipsius ostiarij non est ad sacramenta, sed ad locum sacramentorum: & ideo non habet claues ad sacramentorum communionem, sed loco sacramentorum congruentes: & illæ sunt materiales ne indigni sanctis se ingerant.

AD ALIVD dicimus, quòd claues accipiunt ab Episcopo, non spirituales, sed ad spirituale aliquid ordinatas, quia ad custodiam loci sacramentorum: & falsum est, quòd omnia accipiantur in sacramentis: ita tamen, quòd quia aliquid spirituale intelligitur in eis, ipsæ personæ tractantes sacramenta, ordinatione indigent, vt ipsa vasa contingere & tractare audeant.

AD ALIVD dicendum, quòd non excludunt nec recipiunt, nisi modo prædicto, scilicet determinatos à superiori esse indignos vel dignos & ad locum sacramentorum, non ad communionem ipsorum: & hoc non est actus clauis ligandi & soluendi de qua hic agitur, vt patet ex prædictis.

ARTICVLVS V.

An reges inuncti habeant claues?

AD secundum sic obiicitur 1. Reg. 16. de Dauid: Directus est spiritus Domini in eum à die illa, & deinceps: & loquitur de die vnctionis: spiritus autem Dei operatur ad remissionem peccatorum: ergo reges accipiunt potestatem ad remissionem peccatorum: & hæc est clauis: ergo accipiunt claues.

2 Item,

2 Item, Vnctio significat Spiritum sanctum: cum igitur per illam constituatur super multitudinem populi Dei, videtur quòd illius actus accipit potestatem quem operatur Spiritus sanctus in multitudine: est autem ille communicare multitudinem & sanctificare remittendo peccatum: ergo rex accipit potestatem illius actus: est autem ille actus clauis: ergo, &c.

Sed contra. CONTRA: Chrysostomus in quadam Epistola ad Basilium sic dicit: Habent quidem & mundi principes vinciendi aliquam potestatem, sed in solis corporibus: hoc autem vinculum quod sacerdotibus commissum est, ipsam contingit animam: ergo reges non habent claues.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd reges nullam habent clauem, nec aliquam spiritualem iurisdictionem: & causa huius est, quia potestatem in sanguinem accipiunt, & inidoneè cum tali potestate potestas spiritualis coniungeretur.

AD PRIMVM ergo dicimus, quòd spiritus Domini directus est in Dauid ad opera regalia perficienda; sicut est victoria in hostes corporales, & discretio in regimem vel pacem terræ, & bonã populi dispositionem. Sicut enim dicitur 8. Ethicorum, Perfectio regni est regimem & statuta tendentia ad populi non regis vtilitatem: & corruptio illius est in tyrannis, quando non populi, sed suam in regimine quærunt vtilitatem, & ad lucrum proprium perficiunt statuta & leges.

AD ALIVD dicendum, quòd spiritus Dei in quolibet operatur sicut organo ordinato ad actum proprium. Vnde in rege perficit regalia, & in sacerdote sacerdotalia. Et ideo non valet argumentum: quia spiritus licet peccata dimittat, tamen non solum hunc actum operatur: quia Sapient. 7. dicitur, quòd spiritus sapientiæ est multiplex in actibus & donis suis.

AD ALIVD dicimus, quòd vnctio regis significat potestatem regni lenem in Spiritu sancto, prout decet fideles subditis imperare: vnctio autem sacerdotis alia est, ideo aliam potestatem significat.

ARTICVLVS VI.

An congregatio habeat claues?

TErtio quæritur, Vtrum congregatio habeat claues, ita quòd nullus de congregatione? & hoc præcipue quæritur propter illum vsum clauis, qui est excommunicare, & absoluere. Videtur autem, quòd non: quia clauis non est nisi ordinis sacramentalis: nulla autem congregatio habet huiusmodi ordinem; ergo nulla congregatio habet claues.

2 Item, Clauem scientiæ non potest habere multitudo, ita quòd nullus singulariter, nec clauem absoluendi & ligandi in confessione: ergo à simili nec clauem potestatis excommunicandi.

3 Item, Cuius est potestas, illius est actio: ergo cuius non est potestas, eius non est actio: sed actio non potest esse multitudinis, ita quòd nullius: ergo nec potestas.

4 Item, Sicut dicit noua constitutio, multitudo non potest tota excommunicari, ita quòd nullus: sed singuli de multitudine possunt excommunicari, & tunc multitudo erit excommunicata: ergo nec excommunicare potest, ita quòd nullus.

Sed contra. CONTRA: Sicut est iurisdictio, ita est instrumentum & potestas iurisdictionis: sed iurisdictio est vnius in multos, & multorum in vnum, & multorum in multos, ita quòd nullius per se: ergo & excommunicationis potestas quæ est quasi instrumentum & potestas iurisdictionis spiritualis: ergo multitudo habet potestatem excommucicandi, ita quòd nullus.

2 Item, Vnus est seruus multitudinis alicuius, ita quòd nullius secundum se: ergo sic potest esse in spiritualibus: ergo habet multitudo potestatem coercendi per excommunicationem sibi rebelles.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quod multitudo congregationis alicuius quæ reducitur ad vnum, potest habere spiritualem potestatem iurisdictionis excommunicandi & absoluendi, ita quòd nullus de multitudine illa: & ita concordant ciuilia. Dicit enim Philosophus 8. Ethicorum, quod ordinata potestas in duo diuiditur: tam in politegiis, id est, in regimine ciuitatis, quam in œconomicis, id est, regimine domus. In politegiis quidem diuiditur in regnum siue monarchiam quæ est principatus vnius, & aristotrachiam: & dicitur ab aris quod est virtus, & trachos quod est potestas, & est potestas plurium simul secundum virtutem, imperantium, ita quòd nullius: sicut legitur de Romanis 1. Machab. 8. quòd cum multa laudabilia facerent, nullus imposuit sibi diadema, sed senatum sequebantur. Tertia autem politegia quæ thimotrachia dicitur, non est politegia, sed corruptio quædam: & dicitur à thimi quod est pretium, & trachos quod est potestas: & est principatus multorum diuitum nihil habentium iuris in principatu, nisi quia diuitiis & pretiis excellunt. Est alia autem in œconomicis gubernatio patris in filiis, similis regno, & gubernatio viri in vxore, vel in vxoribus, sicut in Veteri Testamento, similis aristotrachiæ. Sic ergo possumus dicere, quòd in spiritualibus sunt duo genera iurisdictionis, scilicet primæ quæ est regalis sacerdotij, & secundæ multorum simul quibus est cor vnum & anima vna, quæ est sicut aristotrachia spiritualis.

AD PRIMVM ergo contra hoc obiectum, dicimus, quòd (vt prius dictum est) iste vsus clauis plus est iurisdictionis quam ordinis: & ideo ab habente clauem & iurisdictionem in excellentia potestatis potest descẽdere etiam in non habentem ordinem: habentem tamen iurisdictioninem: & si proprie vellemus loqui, talis personalis multitudo habet vsum clauis potius quam clauem.

AD ALIVD dicendum, quòd non est simile de clauibus pœnitentiæ: quia illæ non sunt nisi secundum actus personales, & in causis quæ diuisim respiciunt personas, sicut sunt peccata: peccata enim vnius non sunt alterius: & sicut dicit noua constitutio, peccata multitudinis nulla sunt omnino; sed iurisdictio multitudinis nonnulla est, sicut iam probatum est, tam in vrbanitatibus quam in congregationibus Ecclesiæ.

AD ALIVD dicimus, quòd non sequitur: sicut non est actus, &c. quia actus sunt singularium, sed potestates ex ipsa multitudine causantur.

tur. Vel concedatur ratio, & dicatur, quod actus talis excommunicationis vel absolutionis est multitudinis, & non personæ alicuius secundum se.

AD ALIVD dicimus, quòd rationabilissimè est constitutum, quòd multitudo non possit excommunicari, quia non peccat multitudo. Et alia ratio est naturalis: quia multitudo bene causat potentiam actiuam in excellentia, sed nunquam defectum & impotentiam siue passionem. Exemplum autem huius est, quòd multitudo potest trahere nauem & trahit, & nullus per se de multitudine: non tamen multitudo trahit, nisi quilibet trahat: nec multitudo mentitur, nisi quilibet mentiatur: quia abundantia virtutis in coagendo bene generatur in multitudine, sed non defectus in patiendo: & ideo non sequitur, si potest excommunicare, quòd etiam possit excommunicari: vel si non potest excommunicari, quòd non possit excommunicare.

ARTICVLVS VII.

An abbatissæ & priorissæ quibus committuntur regimina mulierum, habeant claues?

AD quartum sic obiicitur: Videtur, quòd abbatissæ & priorissæ quibus regimina mulierum & quandoque virorum committuntur, habeant claues: quia de vsu approbato ab Ecclesia est, quòd viri & mulieres faciunt professionem in manibus earum: per professionem autem accipitur iurisdictio in professos: ergo habent iurisdictionem: & vi illius est clauis vel vsus clauis, vt dictum est: ergo tales fœminæ habent claues.

2 Item, Sacerdotes sibi profitentes & condegentes cum ipsis suspendunt: ergo iurisdictionem habent: ergo vsum clauis vel clauem.

3 Item, Iudicum 4. Debora prophetissa iudicauit Israël. Ergo habuit iurisdictionem: ergo & aliæ mulieres habere possunt.

4 Item, Mulieres in potioribus spiritualium communicant quam sint ista: quod patet per Annam, & quasdam alias, quæ fuerunt prophetissæ: ergo possunt etiam in istis communicare.

5 Item, In politegiis mulier accipit iurisdictionem: ergo etiam in spiritualibus.

Sed contra. CONTRA Genes. 3. Sub viri potestate eris. Ergo mulier non debet esse in principatu: ergo nec habere iurisdictionem: ergo nec claues, nec vsus clauium.

2 Item 1. Corinth. 14. Mulieres in Ecclesiis taceant: non enim permittitur eis loqui, sed subditas esse. Ergo cum subditi non sit habere iurisdictionem, videtur, &c.

3 Item 1. Tim. 2. Mulieri autem docere non permitto, neque dominari in virum. Et inde vt prius. Si dicatur, quòd loquuntur istæ auctoritates de mulieribus viris coniunctis, & non de sanctimonialibus. Contra: Philosophus dicit, quòd corruptio vrbanitatis est mulierem solam accipere potestatem. Ergo multo magis hoc iudicatur corruptio in spiritualibus: ergo mulier sola quæcunque sit, nunquam debet accipere iurisdictionem.

4 Item, Super illud 1. Tim. 2. Non permitto mulieri dominari in virum: Glossa dicit, Aliqua prælatione spirituali, etsi in suo sexu: ergo non potest habere iurisdictionem super viros, sed super fœminas habere potest.

5 Item Chrysost. Nihil mulieres possunt; sed per alios cuncta perficiunt. Ergo vt prius.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd mulier nullam habet clauem, nec in foro pœnitentiæ, nec in foro causarum: sed commissam sibi quoad vsum tantum aliquem potest gubernare potestatem. Dico autem potestatem commissam, ab ordine vel abbate vel à Papa concessam: quia mulier non est proprium subiectum potestatis, sed subiectionis in spiritualibus. Sed tamen ratione periculi: quia periculosum est viros gubernare fœminas continua communicatione & cohabitione cum ipsis: ideo committitur ipsis regimen potestatis: & tantum de regimine, quantum potest, sicut præcipere secundum regulam vel consuetudines Ecclesiæ, vel instituere officiales, & iniungere quasdam pœnas pro excessibus: licet pœnitentiæ non propriè dicantur. Sed nulla clauis vel vsus clauis potest eis committi.

AD PRIMVM ergo dicimus, quòd obedientia non promittitur abbatissæ vt superiori vel habenti curam animarum: sed per ipsam promittitur abbati, vel Episcopo, vel Papæ: & propter periculum cohabitationis permissum est abbatissæ recipere. Et hoc mihi videtur, nisi auctoritas superioris aliud forte iudicauerit: quia in talibus puto standum esse Pontificum & superiorum iudicio: sed secundum dicta Sanctorum illud videtur dicendum.

AD ALIVD dicendum, quòd mulier non suspendit, sed excessus: & est sententia canonis, quando contra constitutionem vel consuetudinem venit à muliere denuntiata.

AD ALIVD dicendum, quòd Debora iudicauit in temporalibus: sed in diuinis iudicium spectabat ad sacerdotes.

AD ALIVD dicendum, quòd non est simile: quia prophetia est secundum illuminationes diuinas in quibus non est masculus nec fœmina, sed imago Dei in vtroque illustrata: sed in iurisdictione & potestate non sunt æquales vir & mulier.

AD ALIVD dicimus, quòd in politegiis potest habere & sola & cum aliis dominatum: quia hoc est temporale, sed non in spiritualibus, rationibus supra inductis.

AD HOC quod Glossa videtur dicere, quòd non habeat dominatum nisi in simili sexu, dicimus quod de mutuata potestate intelligitur, quoad quædam, scilicet iniunctiones pœnarum, & huiusmodi, quæ supra dicta sunt: & non quoad claues, vel vsum clauis.

ARTICVLVS VIII.

An per clauem iurisdictionis valet aliquis plus vna vice ante absolutionem à priori excommunicari: & an absolutus ab vna excommunicatione, sit absolutus ab alia?

VT ea iam valeat ad claudendum, &c.] Hic quæruntur quatuor. Primo, Vtrum per clauem

clauem iurisdictionis in causis valeat aliquis plus vna vice ante absolutionem excommunicari. Secundo, Vtrum illa claue potest vti aduersus maiorem se, vel contra seipsum? Tertio, Si potest ea vti in alienos, vel in suos subditos tantum? Quarto, Si nolentem sibi subditum potest absoluere?

Ad primum sic obiicitur: Dicit Origenes, Qui est extra, non potest magis fieri: sed excommunicatus est extra: ergo, &c. ergo sequens excommunicatio nihil operatur in ipso.

2 Item 1. Corinth. 5. Quid ad me de his qui foris sunt iudicare? Ergo qui extra est per pœnitentiam, non pertinet amplius ad Ecclesiam iudicare ipso: ergo nec excommunicari potest pluries.

3 Item, Interfectus non potest amplius interfici: sed excommunicatus est interfectus gladio spirituali: ergo, &c.

4 Item, Priuationes non recipiunt magis & minus: tam enim cæcus est vna cæcitate quam duabus vel tribus: nec vna cæcitate cæcus, potest etiam alia cæcitate esse cæcus: cum igitur excommunicatio non sit nisi priuatio communionis, non potest aliquis plus excommunicari quam semel.

Sed contra. SED CONTRA hoc est totus vsus Ecclesiæ militantis. Pluribus enim de causis aliquis pluries excommunicatur. Sed Ecclesia vniuersalis non errat. Ergo aliquis potest pluries excommunicari.

Quæstiuncula. ITEM quæritur vlterius, Vtrum absolutus ab vna excommunicatione, sit eo ipso etiam absolutus ab alia, si pluribus excommunicationibus excommunicatus fuerit? Et videtur, quòd non: quia causa pro qua excommunicatur, non dependet à causa: ergo nec excommunicatio ab excommunicatione: ergo nec absolutio ab absolutione: ergo absolutus ab vna, non est absolutus ab alia.

Sed contra. SED CONTRA: Tantum est extra communionem per vnam, sicut per plures: ergo nihil valet ei absolutio ab vna sine alia: sed nihil facit Ecclesia quod non valet: ergo Ecclesia non absoluit eum ab vna sine alia.

2 Item, Non absoluitur ab excommunicatione nisi absoluatur à peccato: sed à peccato vno non absoluitur nisi ab omnibus absoluatur: ergo, &c.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd excommunicatus vna excommunicatione, potest etiam alia excommunicari duabus de causis. Vna est, quòd licet priuationes in se non multiplicentur in eadem specie, nec intendantur & remittantur: tamen in suis causis multiplicantur, & intenduntur, & remittuntur. Vnde vna cæcitate cæcus, potest esse cæcus pluribus de causis: & quanto causæ sunt plures & fortiores, tanto longior est à visu: & vna causa potest solui sine alia. Et sic excommunicatio magis elongat: quia est pluribus causis multiplicata & fortioribus. Alia causa est: quia duo sunt effectus vel potius defectus excommunicationis: vnus est eiicere, alius est extra retinere. Quantum ad primum licet non crescat pluries facta excommunicatio, tamen causa crescit quantum ad secundum. Ad primum ergo patet solutio per prædicta quia magis potest retineri extra, licet non plus extra fieri.

AD ALIVD dicendum, quòd loquitur Apostolus de illis qui nunquam per susceptionem fidei & sacramẽtorum fuerunt intus: & illi non possunt excommunicari nisi in casu, scilicet si forefaciunt illis qui sunt intus: & illa excommunicatio tunc non facit talem extra, sed interiores retrahit à conuersatione & à communione sua in actibus legitimis.

AD ALIVD dicimus, quòd excommunicatus non omnino interfectus est quantum ad Ecclesiam militantem, sed traditus est diabolo vexandus: & ideo amplius potest vulnerari.

AD ALIVD patet solutio per principium istius solutionis.

Ad quæstiunculam. AD ID quod quæritur, dicimus quòd potest absolui eb vna excommunicatione, ita quod non ab alia. Ad obiectum contra, dicimus quòd valet ei absolutio ab vna: quia iam paucioribus vinculis & causis retinetur extra: & ideo facilius patet ei reditus ad communionem.

AD ALIVD dicimus, quòd non est simile: quia etiam sine peccato potest aliquis excommunicari. Vnde cum excommunicatio fiat secundum forum Ecclesiæ militantis, & remissio peccatorum secundũ misericordiam Dei qui regnat in Ecclesia triumphante: non est verum, quòd excommunicatio non absoluatur nisi peccato remisso: imo potius peccato remisso per contritionem, adhuc potest remanere excommunicatio, & remissa excommunicatione per absolutionem, adhuc potest manere peccatum quoad Deum. Vnde illa obiectio fundatur super falsum.

ARTICVLVS IX.

An sacerdos potest vti claue iurisdictionis aduersus maiorem, æqualem, vel minorem se?

SEcundo quæritur, Vtrum sacerdos vel Episcopus claue iurisdictionis vti potest aduersus maiorem se, vel æqualem, vel seipsum? Videtur, quòd sic per illud Galat. 1. vbi Paulus excommunicat se, & Angelum aliud euangelizantem excommunicat: ergo se & maiorem potest excommunicare: ergo multo magis æqualem. Si dicatur, quòd loquitur de Angelo malo qui minor est Paulo. Contra: Dicit Glossa, Angelus de cælo bonus vel malus. Si ideo dicas, quòd Angelus est minor Paulo. Contra: Dicitur Matt. 2. Qui minor est in regno cælorum, maior est Ioanne Baptista: quo maior inter natos mulierum non surrexit: ergo & maior Paulo. Præterea, Christus propter passionem minoratus est ab Angelis: ergo & Paulus.

2 Præterea, Sacerdos in Ecclesia excommunicat pro furto: & ponatur quod maior eo vel ipsemet illud fecerit. ergo excommunicabit tunc maiorem vel parem, vel seipsum.

Sed contra. CONTRA: Canon dicit, quòd par in parem non habet iurisdictionem & potestatem: ergo nec potestatem excommunicandi maiorem, vel æqualem, vel seipsum: quia sicut dicitur in geometria, quodlibet sibi æquale est quantum ad hoc quod nec exceditur à se, nec excedit seipsum.

Solutio. RESPONSIO. Concedimus, quòd nullus potest excommunicare maiorem, vel æqualem, vel seipsum.

AD PRIMVM ergo dicimus, quòd Paulus loqui

loquitur sub hypothesi, sicut dicit Altisiod. Sicut impossibile est Angelum hoc facere, vel nos: ita, &c. Vel melius dicatur, quòd Apostolus non fert sententiam, sed dicit iustitiam excommunicationis ferendæ. Quasi diceret, Iustum est excommunicari talem: quia iam desinit esse Angelus bonus, vel Apostolus, & impugnat fidem & sacramenta.

AD ALIVD dicimus, quòd sacerdos in tali casu nullum excommunicat: quia paris in parem nulla est iurisdictio.

ARTICVLVS X.

An aliquis claue iurisdictionis potest vti in subditos alienos?

TErtio quæritur, Vtrum potest ea vti in alienos subditos? Videtur, quòd sic: quia diocesanus potest ratione delicti, etiam non sibi subditos excommunicare & absoluere, sicut dicit decretalis: ergo & sacerdos.

2 Item, Legatus in transitu etiam illos qui non sunt de legatione sua absoluit: ergo parochianus & Episcopus potest similiter facere.

3 Item, Matth.15. vbi dicit, Non sum missus, &c. tamen saluauit alienigenam: ergo, &c. Item per Samaritanam quæ non erat de Israël, probatur idem Ioan.4.

Sed contra. SED CONTRA: Dicit constitutio, quòd nullus mittat falcem in messem alienam: sed aliena messis, alienus est subditus: ergo non licet ei alienum excommunicare vel absoluere.

2 Item, Multa sunt decreta, quòd Episcopis Ægypti subditi sunt Ægyptij: & Episcopis Thraciæ, Ecclesiæ Thraciæ: & quòd non liceat subditum alterius alteri Episcopo ordinare vel recipere: ergo non excommunicare potest eum vel absoluere.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd nullus potest iurisdictionem suam vltra quam sibi à suo superiori permissum est, in alienum subditum extendere excommunicando vel absoluendo, vel etiam in pœnitentia absoluendo, nisi eo modo quo supra distinctione 17. dictum est.

AD PRIMVM dicimus, quòd ratione delicti ex constitutione Papali efficitur quis alterius fori: & hoc factum est in pœnam: vnde in aliis casibus non potest fieri.

AD ALIVD dicimus, quòd non est simile de Legatis & aliis: Legatus enim Apostolicæ sedis, debet habere reuerentiam: & ideo patitur Papa vt his per quos transit, beneficium impendat, vt deuotiores sint ad honorem sibi exhibendum. Secus autem est in aliis Episcopis & plebanis: & ideo talia facere non possunt.

AD ALIVD dicendum, quòd loco Christi in terris non est nisi vnus Papa: & ille potest facere in omnibus: sed alij in partem solicitudinis vocati sunt, & ideo non licet eis extendere iurisdictionem vltra quam permissum est eis.

ARTICVLVS XI.

An Episcopus potest absoluere nolentem?

QVarto quæritur, Si nolentem subditum potest absoluere Episcopus vel sacerdos? Videtur, quod sic: quia dicit August. quòd multa bona præstantur inuitis: sed summum bonorum in via est absolutio ab excommunicatione: ergo hæc potest præstari etiam inuito subdito.

2 Item, Pater carnalis multa facit circa filium, inuito filio: sed sacerdos vel Episcopus, est pater spiritualis: ergo à simili, &c.

3 Item, Excommunicari potest inuitus: cum igitur Ecclesia potentior sit in beneficiis, quam in pœnis, potest absolui inuitus.

Sed contra. SED CONTRA: Quodcunque solueris super terram, erit solutum & in cælis: & si non est solutum in cælis, non erit solutum in terris: sed nullus dissentiens absolutioni, absoluitur in cælis: ergo nec in terris potest absolui.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd aliquis à vinculo excommunicationis absolui potest etiam inuitus, sed non à vinculo peccatorum in confessione.

ET AD obiectum contra, dicimus quòd hoc intelligitur de absolutione quæ fit in foro confessionis à peccatis, & non de illa quæ fit in foro causarum & iurisdictionis ab excommunicatione. Vel dicatur, quòd etiam à Deo reputatur absolutus ab excommunicatione, licet non reputetur absolutus à peccato: & tunc hæc est falsa, quæ destruit consequens: sed non est absolutus in cælo, id est, coram Deo.

Si alteram clauem omnes habeant, scilicet potentiam ligandi & soluendi?

BQVMQVE iam constet non omnes sacerdotes illas duas claues habere, quia scientia discernendi plerique carent: de altera, id est, potentia ligandi & soluendi quæritur, Vtrum omnes sacerdotes eam habeant? Quidam enim hanc potestatem putant illis solis esse concessam, qui doctrinam simul ac vitam Apostolorum seruant. Illas enim claues promisit Dominus Petro, & imitatoribus eius tantum, vt aiunt, qui etiam auctoritatibus vtuntur in munimentum suæ opinionis. Hoc enim dicunt August. sensisse, vbi superius ait: Remissionem peccatorum vel per seipsum facit Deus, vel

Matt.16.

In lib. de baptismo con-

per

per columbæ membra. Dicit etiam idem peccata dimitti vel teneri à sanctis. Item super Exodum, vbi de lamina aurea legitur, Erat autem lamina aurea semper in fronte sacerdotis. Hæc, inquit, significat fiduciam bonæ vitæ, quam qui vere perfecteque, non significatione sed veritate sacerdos habet, solus potest auferre peccata. Item Gregorius, Illi soli habent in hac carne positi potestatem ligandi & soluendi, sicut sancti Apostoli, qui illorum exempla simul cum doctrina tenent. Item ex dictis Origen. Hæc potestas soli Petro concessa est, & imitatoribus Petri. Nam quicunque vestigia Petri imitantur, habent rectè ligandi & soluendi potestatem. His aliisque testimoniis innituntur, qui asserunt poreſtatem ligandi ac soluendi illis solis concessam sacerdotibus, qui vita & doctrina pollent sicut Apostoli.

tra Donatistas. cap. 10. Exo. 28.

In tractatu Euangeliorum, homil. 2.

ARTICVLVS XII.

An boni & mali habentes iurisdictionem habeant claues?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Quidam enim putant hanc potestatem illis tantum esse concessam, qui doctrinam simul & vitam Apostolorum seruant, &c.] Isti sunt illi hæretici qui vocantur Caractari. Videtur autem ratio facere pro illis. Matth. 16. vbi Dominus dedit claues Petro & successoribus suis: voluit præmittere testimonium confessionis, quia non reuelauit ei caro & sanguis. Ergo qui viuunt secundum carnem & sanguinem, non perseuerant in illa confessione: ergo tales non habent claues.

2 Item, Sapientiæ 1. In maleuolam animam non introibit sapientia nec habitabit in corpore subdito peccatis. Ergo cum Christus sit Dei virtus & sapientia, Christus non inhabitat tales. Ergo nec opera suæ potestatis exercet per tales: sed opera suæ potestatis sunt opera clauium: ergo tales non faciunt aliquid per claues, nec habent eas.

3 Item, Ab immundo quis mundabitur? sed non habens vitam & scientiam, immundus est: ergo nihil mundare potest: ergo nec claues habet: quia claues operantur ad munditiam.

4 Item, In præcedenti dist. dicit Augustinus, quòd Deus remittit peccata per columbam, vel columbæ membra: sed isti non sunt columba, neque membra columbæ: ergo nec remittunt: ergo nec claues habent, quia claues dantur ad remissionem peccatorum, vt dicitur Ioan. 20.

5 Item, Contra totam naturam esse videtur: quia nihil in natura inferiori mouet operatione alicuius formæ quam non habet per se: sed per accidens erit si sic mouebit. Verbi gratia, calidum calefacit, & non calidum non potest calefacere, & sic de aliis: ergo cum gratia sit perfectio naturæ, videtur quòd nec in gratia potest aliter esse: ergo peccator à peccatis mundare non potest: ergo nec habet claues, nec vsum clauium.

6 Si dicas, quòd tales inhabitat Christus per potestatem, sed non per vitæ sanctitatem: & ideo per potestatem Christi in clauibus acceptam operari remissionem possunt in aliis, cum tamen ipsi subiaceant peccatis. Contra: 2. Cor. 6. Quæ conuentio Christi ad Belial? ergo non est aliquis homo qui partim sit Christi, & partim diaboli: imo totus est Christi, vel totus diaboli.

CONTRA: Matth. 23. Super cathedram Moysi, &c. Ergo obediendum est in sacramentorum & doctrinæ dispensatione etiam malis: hoc autem non esset, si claues non haberent: ergo claues habent. *Sed contra.*

2 Item, Supra probatum est, quòd dispensandi alia sacramenta potestatem etiam mali habent: ergo habent potestatem etiam in isto: ergo habent claues, quia non nisi per claues operantur in isto sacramento.

3 Item, Omnia excellentius in natura operantia faciunt actum formæ, qua non disponuntur: sicut Iuppiter calefacit, & humectat, & tamen non est calidus nec humidus: & Mars immoderatè calefacit & exiccat, & tamen non est calidus nec siccus, & sic de aliis. Cum igitur principia gratiæ non sint minus efficacia principiis naturæ, potest aliquis operari ad peccatorum dimissionem, cui peccata non sunt dimissa.

4 Item, In officiis humanis non refert, vtrum clauiger consentiat in distributionem eorum quæ clauibus recluduntur, vel dissentiat, dummodo Dominus velit dispensare: ergo similiter est hic in clauibus diuinis: ergo non refert siue bonus siue malus sit minister, dummodo bonus sit Dominus.

RESPONSIO. Dicendum, quòd boni & mali sacerdotes habent clauem, si habent iurisdictionem: habent etiam clauium executionem. *Solutio.*

AD PRIMVM ergo contra, dicimus quòd duo Dominus laudauit in Petro, scilicet dignitatem ad clauem percipiendam, & veritatis fidei soliditatem: sed tamen clauis perceptionem non fundauit nisi super alterum illorum, scilicet super fidei veritatem. Et verum est, quòd omnis sacerdos in forma fidei & fidelium ordinatus, accipit claues, sed ad damnationem suam accipit, si non est bonæ vitæ & scientiæ sufficientis.

AD ALIVD dicendum, quòd intelligitur quantum ad inhabitantem gratiam, & non quantum ad operationem gratiæ gratis datæ.

AD ALIVD dicimus, quòd auctoritas illa loquitur in his qui ex habitu immunditiæ operantur: & hæc sunt mala opera, & mala exempla.

& hoc patet per illud quod ibi ſequitur,& à mendace quod verum eſt dicitur:quia à mendace poſſunt multa vera dici:ſed nihil verum dicit,ex habitu mendacij loquens.

Ad aliud dicimus, quòd membra columbæ ſunt duplicia,ſcilicet quantum ad motum, & quantum ad ſenſum: huiuſmodi ergo prælati ſunt membra columbæ quæ mouentur tantum ad vtilitatem aliorum: ſed non ſentiunt per experimentum gratiam columbæ viuificantis in ſpiritu.

Ad aliud dicimus, quòd licet ita ſit in inferioribus elementis & elementatis:in ſuperioribus tamen non eſt verum, vt probat obiectio in contrarium facta. Vel aliter & melius dicendum, quòd illud ſimile oſtendit quales debeant eſſe digni miniſtri, & non quales ſint neceſſario: quia non niſi per accidens poteſt aliquid cooperari ad ad ſuum contrarium, ſicut dicit Philoſophus in 2. Metheor. quia magis calidum eſſe quandoque cooperatur ad maius frigus:ſicut nubes calida rara eſt, & rarum vndique recipit circunſtans frigus, propter quod fit, quòd frigus magis profundatur in tali nube, & ſolidatur in grandines:tamen ex alia minus calida non niſi pluuia generatur:quoniam non eſt generale in natura quod adducitur pro ſimili.

Ad aliud dicimus, quòd tales non inhabitat Chriſtus: quia non dicitur inhabitare niſi quos inhabitat per gratiam gratum facientem:ſed in aliis eſt, ſed non inhabitat. Et quòd hoc non ſit inconueniens, patet: quia in quibuſdam ſolum eſt per operationem miraculorum & prophetiæ, & tamen membra ſunt diaboli: & per aſinam operatus eſt, & tamen aſinam non habitauit: & ideo nihil facit hoc quod adducitur de 2. Cor. 6. quia ibi loquitur Apoſtolus de illis, qui putabant in peccatis Deum haberi per gratiam inhabitantẽ,

Aliorum ſententia verior.

C Aliis autem videtur, quod & mihi placere fateor, cunctis ſacerdotibus hanc clauem dari, ſcilicet ligandi & ſoluendi: ſed non eam rectè ac dignè habent, niſi qui vitam & doctrinam Apoſtolicam ſeruant. Nec præmiſſæ auctoritates malos ſacerdotes hanc poteſtatem negant habere: ſed illos ſolos dignè ac rectè hac poteſtate vti ſignificant, qui præditi ſunt vita & doctrina Apoſtolica: quia ſoli ipſorum Apoſtolorum imitatores dignè rectèque poſſunt ligare & ſoluere. Et per Dominum tantum vel per Sanctos in quibus habitat Spiritus ſanctus, dignè & rectè fit remiſſio vel retentio peccatorum. Fit tamen & per illos qui ſancti non ſunt, ſed non dignè vel rectè. Dat enim Deus benedictionem dignè poſcenti etiam per indignum miniſtrum. Quod vero hanc poteſtatem habeant omnes ſacerdotes, Hieron. teſtatur ſuper illum lo-
Mat. 16. cum Euangelij, vbi Dominus dixit Petro, Tibi dabo claues regni cælorum. Habent enim, inquit, eandem iudiciariam poteſtatem alij Apoſtoli, habet & omnis Eccleſia in Epiſcopis & presbyteris: ſed ideo Petrus eam ſpecialiter accepit, vt omnes intelligant, quòd quicunque ab vnitate fidei & ſocietate Eccleſiæ ſe ſeparauerit, nec à peccatis ſolui, nec cælum poteſt ingredi. Item quòd ſacerdos, etiamſi malus ſit, gratiam tamen transfundit pro ſuæ dignitatis officio, Au-
Lib. quæſt.ex Veteri Teſtamento. quæſt.11. guſtinus oſtendit dicens, Dictum eſt à Domino in Numeris ad Moyſen & Aaron ſacerdotes, Vos ponite nomen meum ſuper filios Iſraël, & ego Dominus benedicam eos, vt gratiam traditam per miniſterium ordinati transfundant hominibus, nec voluntas ſacerdotum obeſſe vel prodeſſe poſſit, ſed meritum benedictionem poſcentis. Quanta autem ſit dignitas ſacerdotalis officij & ordinis, hinc aduertamus.
Ioan.11. Dictum eſt de nequiſſimo Caypha inter cætera, Hoc autem à ſemetipſo non dixit: ſed cum eſſet pontifex anni illius, prophetauit: per quod oſtenditur ſpiritum gratiarum non perſonam ſequi digni vel indigni, ſed ordinem traditionis: vt quamuis aliquis boni meriti ſit, non tamen poſſit benedicere niſi fuerit ordinatus, vt officij miniſterium

nisterium exhibeat. Dei autem est effectum tribuere benedictionis. Hinc euidenter ostenditur ordinem non priuari potestate tribuendi gratiam ob ministri indignitatem. Huic tamen Augustin. sententiæ videtur obuiare quod ait Esichius, Sacerdotes, inquit, non propria virtute benedicunt, sed quia figuram Christi gerunt, & propter eum qui in ipsis est, plenitudinem benedictionis tribuunt, nec solum is qui sacerdotium sortitus est, sed quicunque Christum in se ipso habet, & eius figuram gerit, per conuersationem bonam, sicut Moyses, idoneus est vt benedictionem præstet. Ecce hic habes, quòd non solum sacerdotes, sed omnis in quo Christus habitat, benedictionem præstat. Sed alia est bendictio, quæ solis sacerdotibus congruit: alia quæ ab omnibus bonis communiter exhibetur. Denique illi sacerdotes in quibus Christus habitat, benedictionis plenitudinem tribuere dicunt: non quia soli illi transfundant gratiam, sed quia illi soli licitè & dignè id agunt. Nec subditos mala vita sacerdotis lædit, si bona faciunt quæ ille dicit. Vnde Gregorius, Multi dum plus vitam sacerdotum quam suam discutiunt, in erroris foueam dilabuntur: minus considerantes, quòd non eos vita sacerdotum læderet, si humiliter bonis sacerdotum admonitionibus aurem accommodarent.

Super Leuit. cap. 9.

1. q. 1.

ARTICVLVS XIII.

An boni & mali æquè rectè & dignè habent potestatem clauium?

SEd non æquè rectè ac dignè habent, &c.] Contra: Omnis qui vtitur potestate ad vsum ad quem est vsus, rectè habet potestatem: sed isti sic vtuntur potestate: ergo habent eam rectè: sed tales rectè baptizant, & rectè absoluunt: ergo, &c.

Solutio. RESPONSIO. Duplex est rectitudo potestatis, scilicet ad actum & ad subiectum: & ad actum quidam rectè se habent, sed non rectè ad subiectum. Per hoc patet solutio ad vtrumque: quia in sensu illo procedunt, quo rectitudo sumitur ad actum.

ARTICVLVS XIV.

An Moyses & Aaron fuerunt sacerdotes, & quam differenter?

AD Moysen & Aaron sacerdotes, &c.] Contra: Solus Aaron fuit pontifex, & non Moyses, sicut apparet Leuit. 8.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd Moyses dicitur sacerdos, non officio oblationes offerendi, sed sacra pandendi: quia immediatè sacra à Deo accepta populo dedit, & rei oblationes ordinauit.

ARTICVLVS XV.

An Cayphas bene dicatur prophetasse?

CVm esset pontifex anni illius prophetauit, &c.] Videtur hoc falsum: quia Glossa 1. Cor. 13. dicit, Propheta non est nisi ab intellectuali visione: sed ille non habuit visionem intellectualem, quia non sic intellexit quod dixit, vt dicit Euangelista Spiritum sanctum intellexisse: ergo non prophetauit.

2 Item Daniel. 10. Intelligentia opus est in visione. Cum igitur iste intelligentiam non habuit, non prophetauit.

3 Item videtur falsum quod dicit Euangelista. Hoc autem à se non dixit: quia qui dicit falsum & peccatum, dicit à semetipso: iste dicit falsum & peccatum: ergo, &c. Probatio primæ Ioan. 8. Cum loquitur mendacium, ex propriis loquitur. Probatio secundæ est: quia cum diceret, Expedit, &c. intellexit de vtilitate temporali, & de morte iniqua Christi: & hoc modo falsum est: ergo, &c.

Solutio. RESPONSIO. In dictione Cayphæ quatuor fuerunt, scilicet dicentis intentio quæ mouet dicentem, & dicentis intellectus quem ipse in verbis intellexit, & modus talis verborum per quem dixit, & ipsa vox quam dixit. Primum horum fuit iniquum, secundum falsum, & neutrum à Spiritu sancto. Sed tertium fuit à Spiritu sancto. Cum enim voluit dicere, rexit dictionem Spiritus sanctus, vt tali modo exprimeretur, in quo pronuntiaretur necessitas passionis Christi. Vox autē ipsa relata ad exemplar æternum, vnum sensum verum prætendit Christi fidelibus: sed relata ad intellectum & intentionem dicentis, alium sensum prætendebat

tendebat infidelibus. Vnde in duobus vltimis dicit Euangelista, quòd à semetipso non dixit: & debet intelligi cum præcisione, vt sit sensus, quòd tantum à semetipso non dixit.

Ad primvm ergo dicimus, quòd Propheta non fuit. Sed non sequitur, si Propheta non fuit, quòd ergo non prophetauit: sicut asina rationale animal non fuit, sed actum rationalis animalis habuit: & aliquis qui cantor non est, quandoque tamen cantat. Et per hoc etiam patet solutio ad aliud: quia in visione constituente prophetiam, opus est intelligentia, sed non in omni visione prophetantis: quia sic omnis visio prophetica esset intellectualis: & hoc falsum est, quia secundum hoc euacuarentur duo genera visionum, scilicet corporalis, & spiritualis.

Ad alivd patet solutio per distinctionem in principio positam.

De hoc quod scriptum est in Malachia, Maledicam benedictionibus vestris.

D Malach. 2. Ezech. 13. Rævissæ vero vero sententiæ qua dicitur, etiam per mali sacerdotis ministerium transfundi gratiam benedictionis, videtur obuiare quod Dominus per Malachiam prophetam malis sacerdotibus comminatur: Maledicam benedictionibus vestris. Et alibi, Væ his qui viuificant animas quæ non viuunt, & mortificant animas quæ non moriuntur. Si enim maledicit Dominus benedictionibus eorum, & si animæ quas viuificant, non viuunt: quomodo per eos gratia benedictionis transfunditur? Sed illud capitulum, Maledicam, &c. quidam referunt ad hæreticos, qui ab Ecclesia præcisi sunt, & ad excommunicatos quorum benedictiones fiunt maledictiones his qui eorum sequuntur errores. Illud vero alterum, scilicet viuificant, &c. super omnes illos sacerdotes exponunt, qui absque claue scientiæ & Rom. 1. forma bonæ vitæ præsumunt ligare vel soluere. Sed nullus officio sacerdotis vti debet, nisi immunis sit ab illis quæ in aliis iudicat: alioquin seipsum condemnat.

ARTICVLVS XVI.

An hæretici vel mali prælati Christiani conferant benedictionem?

Maledicam benedictionibus, &c.] Ex hoc & aliis quibusdam inductis videtur, quòd hæretici & mali Christiani prælati, nullam conferant benedictionem: tamen hoc supra in tractatu de baptismo & Eucharistia improbatum est, vbi agitur de baptismo dato hæreticis, & de Eucharistia consecrata ab illis. Sed contra: Hæreticus baptizat & baptizatum est, confirmat & confirmatum est, & sic de aliis: ergo etiam si excommunicat & excommunicatum est, & absoluit & absolutum est, quod falsum est.

Responsio. Cum dicitur, Maledicam benedictionibus vestris, intelligitur virtute grammaticæ per pronomem discretum, id est, quæ ita vestræ sunt, quòd non meæ: suis enim Dominus nunquam maledicit. Constat autem, quòd in sacramentis solus Deus per se operatur intus, sed homo ministerium facit extra: & ideo effectus sacramentorum, non hominis, sed Dei sunt benedictiones. Sed non sequitur, baptizat & baptizatum est, &c. ergo si excommunicat excommunicatum est, &c. quia excommunicatio est iurisdictionis quæ est hominis, & fit in ea actus hominis prælati & habentis iurisdictionem super alios homines: & ideo iste actus quandoque maledicitur à Deo & benedicitur: benedicitur quando hæreticus maledicit excommunicando: & maledicitur, cum benedicit absoluendo. Soluit.

Qualis debet esse iudex Ecclesiasticus.

E Lib. de vera & falsa pœnit. cap. 20. Rom. 2. Qvalem autem oporteat esse quia aliorum iudex constituitur, Augustinus describit ita dicens, Sacerdos cui omnis offertur peccator, ante quem statuitur omnis languor, in nullo eorum sit iudicandus, quæ in alio iudicare est promptus. Iudicans enim alium qui est iudicandus, condemnat seipsum. Cognoscat ergo se, & purget in se quod alios videt sibi offerre, caueat vt à se proiecerit,

iecerit, quicquid in alio damnosum reperit. Animaduertat, quòd qui sine peccato est, primus in illam lapidem mittat. Ideo enim liberauit peccatricem, quia non erat qui iustè proiiceret lapidem. Quomodo lapidaret, qui se lapidandum cognosceret? Nullus enim erat sine peccato, in quo intelligitur omnes fuisse reos. Nam venialia remittebantur per cerimonias. Si quod ergo in eis peccatum erat, criminale erat. In hoc ergo patentissimum est, crimen sacerdotum esse detestabile, qui non prius iudicant antequam alios alligant. Caueat spiritualis iudex, sicut non commisit crimen nequitiæ, ita non careat munere scientiæ. Oportet vt sciat cognoscere quicquid debeat iudicare. Iudiciaria enim potestas hoc postulat, vt quod debet iudicare discernat. Diligens ergo inuestigator sapienter interroget è peccatore, quod forsitan ignorat vel verecundia velit occultare. Cognito vero crimine, varietates eius non dubitet inuestigare, & locum, & tempus, & cætera quæ supra diximus, quibus cognitis, adsit beneuolus, paratus erigere, & secum onus portare: habeat dulcedinem in affectione, discretionem in varietate, doceat perseuerantiam, caueat ne corruat, ne iustè perdat iudiciariam potestatem. Etsi enim pœnitentia possit ei acquirere gratiam, non tamen mox restituit in potestatem primam. Et si Petrus post lapsum restitutus fuerit, & sæpe lapsis sacerdotibus reddita sit dignitatis potestas, non tamen est necesse, vt omnibus concedatur quasi ex auctoritate. Inuenitur auctoritas quæ concedit & quasi imperat. Inuenitur auctoritas alia quæ non concedit, sed vetat: quæ Scripturæ non repugnant, sed concordant: cum enim tot sunt qui labuntur, vt pristinam dignitatem ex auctoritate defendant, & quasi vsum peccandi sibi faciant, recidenda est spes ista. Si vero locus est vbi ista non concurrant, restitui possunt qui peccant. Ex his satis perpenditur, qualis debeat esse sacerdos qui alios ligat & soluit: discretus scilicet, & iustus: aloquin mortificat sæpe animas quæ non moriuntur, & viuificat quæ non viuunt, & ita incidit in maledictionis iudicium. Illud autem Malachiæ, scilicet, Maledicam benedictionibus vestris, siue super hęreticos tantum & excommunicatos, siue super omnes sacerdotes qui vita & scientia carentes benedicere pręsumunt, dictum accipiatur, sic intelligi potest: Maledicam benedictionibus vestris, id est, his quę in eis benedictionibus possidetis: quia faciam ea cedere vobis in maledictionem, non in benedictionem. Quia etsi benedicunt Sanctis, non hoc faciunt ex vero corde: & ideo eorum benedictio eis vertitur in maledictionem. Vel maledicam benedictionibus vestris, id est, quod à vobis benedicitur, à me erit maledictum: quia benedicunt iniquè agentibus, adulanturque peccantibus, dummodo diuites sint.

Ioan. 8.

Malac.2.

ARTICVLVS XVII.

An fraterna correctio sit bene diffinita à Magistro?

QValem autem oporteat esse qui aliorum est iudex, &c.] Gratia huius, quia correctio pertinet ad iudices, quæremus de correctione fraterna sex, scilicet Quid sit? Cuius sit? Tertio, Vtrum omnes tenentur ad correctionem fraternam? Quarto, Vtrum sit omnium in omnes, vel in quosdam tantum? Quinto, Quo ordine fieri debet? Sexto, In quo differt à correctione iudiciaria?

De primo dicunt Magistri, quòd correctio fraterna est admonitio fratris de emendatione delicti ex fraterna charitate procedens: sed cum

admonitio ſit obliti & peccans in actu non peccet ex obliuione, malè ibi ponitur admonitio.

2 Item, Admonitio non ſonat in accuſationem aliquam: ſed corrigens fratrem, aliquando accuſat coram iudice: ergo vt prius.

3 Item, Matth.18. Si peccauerit in te frater tuus, corripe, &c. Corripiendo autem ſonat in quandam aſperitatem & increpationem per verba: ſed non admonitio: ergo fraterna correctio quæ correptio à Domino dicitur, male diffinitur per admonitionem.

4 Item quæritur de hoc quod dicit, De emendatione delicti. Poſſum enim corripere fratrem non tantum de delicto perpetrato, ſed etiam de ſigno delicti perpetrandi vt caueat: ergo malè dicitur, De emendatione delicti.

5 Item obiicitur de hoc quod dicit, Ex fraterna charitate procedens. Quia ſecundum hoc non corriperet, niſi qui haberet charitatem: cum tamen hoc non oporteat, vt infra patebit.

Solutio. RESPONSIO. Diffinitio hæc optima eſt. Admonitio enim eſt in ſpiritu lenitatis correctio: vt videatur potius admonendo quam exaſperando corrigere.

AD PRIMVM ergo dicimus, quòd omnis peccans excidit ab intellectu, vt dicit Ariſtot. & ſequitur partem rationalis conſpiſcentiæ, præcipue quantum ad iudicium ſuperioris partis rationalis & ſynderiſis, quod ſemper eſt rectum: & quantum ad hoc dicitur hic admonitio ad reuerſionem ad lucem intellectus, qui regit viam iuris & non errat: & hoc modo dicitur Iſa.46. Redite prævaricatores ad cor.

AD ALIVD dicendum, quòd generaliter correctio ſit propter huiuſmodi admonitionem fratris: & ſi euigilat, bonum eſt corrigenti: ſi non, tunc primo locum habet accuſatio, & ideo accuſatio actus eſt conſequens correctionem, & debetur confirmato in malo qui difficulter corrigitur: & ideo primus & eſſentialis actus eſt admonitio, & per illum diffinitur.

AD ALIVD dicimus, quòd admonitio prout hic ſumitur modo prædicto, aliquam habet in ſe correctionem: quia oſtendit malum cum increpatione moderata, eo quod excidit à regimine intellectus: hoc enim hîc ſonat admonitio.

AD ALIVD dicimus, quòd delictum ſumitur hic coniunctim, prout eſt in actu exteriori & interiori, qui per ſignum extra demonſtratur, quia iam incipit eſſe delictum, quando intus incipit radicari.

AD ALIVD dicimus, quòd fraterna charitas dicitur à modo fraternæ charitatis in actu correctionis: ſicut præcipit Apoſtolus Galat.6. In ſpiritu lenitatis corrigite illum. Vnde non oportet, quòd ſemper procedat ex hoc habitu, ſed quandoque procedat à modo vel zelo fraternæ charitatis.

ARTICVLVS XVIII.

An ille qui debet corrigere, debet eſſe irreprehenſibilis?

SEcundò quæritur, Cuius ſit corrigere fraterna correctione, ſiue vetius, qualis ſit qui corrigit vel corrigere debet? Inducuntur autē multæ auctoritates in litera: ſed inſuper, quòd debeat non eſſe reprehenſibilis, videtur dicere Gregor. in paſtorali: Nemo in Eccleſia amplius nocet, quam qui peruerſe agens, nomen vel ordinem habet dignitatis. Hunc quippe delinquentem nemo corrigere præſumit: & in exemplum culpa vehementer extenditur, cum pro reuerentia ordinis peccator honoratur. Ergo videtur, quòd peccat mortaliter, qui non correctus alios corrigendi accipit officium.

2 Item, Matth.7. Eiice primum trabem, &c.

3 Item Gloſſ. ibidem, Impoſſibile eſt, quòd feſtucam demat, qui trabem geſtat: tenetur autem feſtucam demere, qui corrigendi habet officium: ergo vt prius.

4 Item alia Gloſſ. ibidem, Moderatio iudicij eſt, vt præuentus maioribus, non iudicet alios in minoribus vel æqualibus.

5 Item ibidem, Qua mente medeti præparat, qui vulnus in facie portat?

6 Item 3.Regum 7. Non ædificabis mihi domum: ibi Gregor. Manus ſordidas tergere non valet, qui lutum retinet.

7 Item, Ioan.8. Qui ſine peccato eſt veſtrum, &c. Gloſſa, Prius ſint iuſti, & poſtea ream, & cætera.

8 Item ſuper illud Rom.1. Ira Dei ſuper eos qui talia agunt, Gloſſ. Qui talia agunt de quibus alios reprehendunt.

9 Item dicit Philoſophus, Rectum eſt iudex ſui & obliqui.

10 Præterea, Contra ordinem naturæ peccat, qui rectus ipſe non eſt, & alios per correctionem rectificat: ergo, &c.

11 Item, Omnis corrigens inquantum huiuſmodi, eſt vt iudex correcti: ſed dicit Philoſophus 5.ethicorum, quòd ad iudicem confugiunt vt ad iuſtum animatum: ergo iudicans tenetur eſſe iuſtus; alias non debet eſſe iudex nec corrigere, quia corrigens eſt iudex, ſecundum hoc quod corrigit.

12 Item, Omnis corrigens, corrigit ad normam aliquam vel regulam: peruerſus non congruit regulæ: ergo non debet corrigere.

13 Item, Si corrigit peruerſus, ex hoc proueniunt contentiones: quia correctus poteſt & ſibi obiicere ſimilia, & ex obiectione ſimilium perturbatio prouenit & contentio. Cum igitur illa euitanda ſint, peruerſus non debet corrigere aliquem.

Sed contra. SED CONTRA: Philip.1. Siue per occaſionem, &c. ſed quodammodo annuntiatur Chriſtus, quando proximus in Chriſto corrigitur: ergo ſiue fiat per occaſionem, ſiue per veritatem, in hoc eſt gaudendum: ſed nullo modo eſt gaudendum de malo: ergo non eſt malum: ergo non peccat qui corrigit.

2 Item, Matth.18. Si peccauerit in te frater tuus, &c. Gloſſa, Ita peccat qui videt fratrem peccare & tacet, ſicut qui pœnitenti non indulget. Ergo ſi aliquis peccator videt hoc, peccat ſi tacet: ergo corripere tenetur, & non eſt malum ſi corripit.

3 Item, Melior eſt eleemoſyna ſpiritualis, quam corporalis: & aliquis in mortali exiſtens non prohibetur à datione eleemoſynæ corporalis: ergo nec debet prohiberi à datione eleemoſynæ ſpiritualis:

spiritualis: sed spiritualis eleemosyna est correctio delinquentis: ergo, &c.

4 Item, Sit aliquis videns fieri mala, & si corrigat ea, dimitti propter illum: videtur tunc, quòd perplexus sit. Si enim non corrigit, culpabilis erit: quia qui occasionem damni dat, damnum dedisse videtur: iste autem occasionem damni dat, qui prohibere potuit & non prohibuit: & ex hoc sequitur idem. Item, Si corripiens sit in simili vel peiori, peccauit: ergo est perplexus. Item, Feciſſe dicitur qui prohibere potuit, & non prohibuit: & ex hoc sequitur idem.

5 Item, Adhuc videtur esse perplexus. Ponatur enim, quòd corrigendi habeat officium, vtpote curam habens animarum, ille tenetur corrigere, & non facit: ergo peccat. Item, Ille est in simili: ergo si ille corrigit, ipse peccat: ergo est perplexus: sed nullus dicitur esse perplexus: ergo iste potest corrigere etiam in simili existens.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd corrigens alium, non debet esse in simili notorio vel maiori existens: & si sit in notorio, non tenetur corrigere, nisi forte per modum precum, hoc modo, Rogo te ne per meum exemplum pecces: sed si non vult acquiescere, non potest eum iudicare, nisi cum mortali peccato, nec etiam iudici per modum accusantis denuntiare: & secundum hoc concedimus auctoritates & rationes primo inductas.

AD ID ergo quod contra obiicitur, dicendum, quòd Apostolo placuit res facta: sed tamen actio secundum quod procedit ab agente, non placuit ei: & est simile de passione Christi, quæ secundum se gratiosa fuit, & tamen actio displicuit. Ita hoc opus operatum bonum fuit: sed actio ex parte agentis fuit mala.

AD ALIVD dicendum, quòd in peccato existens, si videt & potest prohibere per modum precum, faciat: sed si est in notorio crimine simili, vel æquali alterius speciei, iudicare non tenetur: quia scandalizaret, & non proficeret, nisi quòd suscitaret contra se indignationem.

AD ALIVD dicendum, quòd non est simile: quia eleemosynæ corporali non est coniunctum scandalum, eo quod cum beneuolentia recipitur: sed correctio suscipitur cum asperitate, & denuntiatio sequitur eam, si non emendat: & ideo scandalum habet adiunctum.

AD ALIVD dicimus, quòd nullus perplexus est: quia in posse suo est, quòd corrigat vitam: & tunc corrigat etiam alium. In secundo autem aut cedat officio corrigendi, aut in melius mutet mores: & tunc non obstat, quòd faciat. Dixi autem, In notorio: quia si occultum esset peccatum eius, faciem haberet corrigendi & deberet: quia nihil posset ei obiici.

ARTICVLVS XIX.

An omnes teneamur ad fraternam correctionem?

TErtio quæritur, Vtrum omnes tenentur ad correctionem fraternam? Quod videtur ex Glossa Matth. 18. supra dicta: omnes enim æqualiter, maiores & minores, viri & fœminæ, religiosi & seculares, & huiusmodi, tenentur indulgere proximo peccanti: ergo à simili ad correctionem fraternam tenentur.

2 Item, Omnes tenentur ad eleemosynam pro loco & tempore: sed eleemosyna spiritualis est corrigere delinquentem: ergo, &c.

3 Item hoc videtur esse forma præcepti, quod ita dicit: Si peccauerit in te frater tuus, &c. Sed nomine fratris ibi intelligitur omnis proximus: ergo etiam ex parte corripientis omnis homo supponitur.

4 Item, Ab omni homine debeo velle corripi si peccauero: ergo cum quilibet debeat facere alteri, quod sibi velit fieri, omnis homo debet corripere delinquentem.

Sed contra. SED CONTRA: Dominus dixit hoc soli Petro: Petrus autem prælatus est aliorum: ergo ex forma præcepti ad hoc non obligantur nisi prælati.

2 Item, Curam impendit qui corrigit: sed curam non habet nisi prælatus: ergo, &c.

3 Item 1. Timoth. 5. loquitur soli prælato, dicens, Peccantem coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeant. Ergo vt prius.

4 Item Hieronym. Sacerdotes studeant illud Euangelicum implere, Si peccauerit in te, &c. Quæ est enim misericordia vni parcere, & omnes in discrimen adducere. Polluitur populus ex vno peccatore, sicut ex vna morbida oue vniuersus grex. Ergo ad hoc non tenentur nisi soli sacerdotes.

5 Item, Eiusdem est corripere & correctum punire pœnitentia condigna: sed prælati tantum est pœnitentiam condignam correcto dare: ergo, &c.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quod ex officio non tenentur nisi prælati: sed ex charitate omnis homo tenetur corripere fratrem delinquentem, & custodire eum à peccato. Vnde Augustin. in regula, Si hoc ipsum facere eum videritis, statim admonete ne male cœpta progrediantur, sed de proximo corrigatur. Si frater tuus vulnus habet in corde, &c. Hoc ergo modo concedimus prima obiecta.

AD ID quod obiicitur contra, est vna solutio ad omnia, scilicet quod prælati plus aliis tenentur: quia ex charitate & auctoritate & officio: & ideo eis specialiter dicitur.

AD VLTIMVM dicendum, quòd non est generaliter verum quod dicit: quia corrigens communiter non tenetur, nisi ad simplicem denuntiationem, si ille eum non audierit.

ARTICVLVS XX.

An correctio fraterna sit omnium in omnes?

QVarto quæritur, Vtrum sit omnium in omnes? Quod videtur: quia super illud, Si peccauerit in te, &c. dicit Glossa, Id est, te solo sciente. Sed hoc potest facere quilibet repectu cuiuslibet: ergo quilibet tenetur corripere alterum.

2 Item, Nomine fratris intelligitur quilibet homo: sed in forma præcepti vtitur Dominus nomine fratris: ergo vt prius.

3 Item, Omni homini tenemur velle bonum, & custodire eum à peccato, quantum possumus: sed correctio fraterna custodit à peccato: ergo vt prius.

SED

Sed contra. SED CONTRA: Hebr.12. Si bestia tetigerit montem, lapidabitur. Et exponitur, si subditus tangat manu correctionis prælatum, increpatur.

2 Item Dionys. increpat Demophilum monachum, qui corripuit sacerdotem, eo quod immundum duxit in Ecclesiam. Ergo monachus ille male fecit corripiendo sacerdotem.

3 Item, Maria percussa est lepra, eo quòd murmurasset contra Moysen fratrem suum, Num.12. Ergo male fecit corripiendo.

4 Item Gregor. in pastorali, vt supra habitum est, Hunc quippe delinquentem nemo corripere præsumit. Ergo præsumptio est corripere talem: & præsumptio est peccatum: ergo peccatum est corripere prælatum.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd omnis homo omnem hominem cum reuerentia & mansuetudine tenetur admonere & corripere de delicto, sed non vlterius denuntiare potest si est inobediens. Quia si prælatus supremus est, non habet iudicem. Sic ergo concedimus primam partem disputationis.

AD ID quod contra obiicitur, est solutio vna, quòd hoc intelligitur de illis qui ex auctoritate quadam præsumpta iam non admonere, sed vi quadam coactiua per iurisdictionem quam non habent, cogere ad correctionem volunt. Et per hoc patet solutio ad omnia. Nota tamen, quòd secundum discretionem sapientium moderamen est habendum, respiciendo ad quatuor, scilicet quantitatem culpæ delinquentis, & spem emendationis, & statum personæ quæ admonetur, & zelum qui mouet corripientem. Si enim culpa leuis sit, & timetur quòd turbatio grauior sequetur, non tenetur corripere: quia peius suscitatur. Item, Si probabiliter desperatur de emenda, non tenetur corripere, quia nihil faceret, nisi prouocaret ad peius. Item, Adhuc si status personæ altus est, cum reuerentia & excusatione delicti debet potius admonere quam corripere, & rogare potius quam increpare. Quarto si videt se ex rancore vel inuidia moneri, vel aliqua alia radice, tunc non debet facere: quia tales cito prorumpunt in verba contumeliæ: & tunc ex minori malo factum est maius malum: & hæc distinctio optima est.

ARTICVLVS XXI.

An in correctione fraterna seruandus sit ordo aliquis?

QVinto quæritur de ordine fraternæ correctionis. Videtur enim, quòd ordo determinetur Matth.18. Corripe ipsum inter te, & ipsum solum, & adhibe tecum vnum vel duos, & dic Ecclesiæ. Videtur autem, quòd iste ordo non potest obseruari. Per hoc enim, quod procedit, patet quòd intelligitur de peccato occulto, quia procedit, Si peccauerit in te frater tuus. Et dicit Glossa, Te solo sciente. Cum igitur adhibet secum vnum vel duos, aut adhibet eos quibus notum est peccatum fratris, aut quibus ignotum est. Si primo modo: ergo non solus sciuit quod est contra Glossam. Si secundo modo: tunc erit proditor criminis fratris, quod non est faciendum: ergo talis ordo non est obseruandus. Si dicas, quòd intelligitur de his qui possunt prodesse, & non obesse. Quæritur, qui sunt illi? aut enim sunt prælati qui corrigendi habent potestatem, aut sunt de sociis inferioribus. Si primo modo: tunc statim coram prælato denuntiaret fratrem, & competeret illi testimonium. Et prælatus etiam non potest esse testis in causa in qua est iudex. Sed in Euangelio dicitur, In ore duorum vel trium testium stat omne verbum. Ergo non potest intelligi de prælatis. Si autem de sociis intelligitur. Contra: Illi in nullo possunt prodesse, sed obesse possunt diffamando: ergo non sunt assumendi. Quòd autem non possunt prodesse, patet: quia corrigendi non habent potestatem.

2 Præterea, Quando ille adhibet secum vnum vel duos: ponamus, quòd ille neget coram illis: tunc quid faciendum est illi quo sciente peccauit? Non enim potest nuntiare Ecclesiæ, quia non habet probationem coram Ecclesia, & Ecclesia non credet ei, sed potius puniet eum qui diffamauit fratrem.

3 Item videtur, quòd insufficiens est testimonium vnius: quia Deuter.14. dicitur, In ore duorum vel trium testium stat omne verbum. Ergo male dicit, Adhibe tecum vnum vel duos.

Quæstiuncula. ITEM quæritur, Vtrum idem ordo sit obseruandus respectu cuiuslibet hominis? Et videtur, quòd sic: quia Christus non determinat nisi vnum: ergo ad omnem hominem iste ordo est seruandus.

Sed contra. CONTRA: Ponatur, quòd prælatus peccet, ille non potest denuntiari Ecclesiæ: quia & scandalum esset, & non esset coram quo denuntiaretur: quia coram seipso nullus potest denuntiari. Item, Ille per excommunicationem non potest cogi sicut & ethnicus & publicanus: quia non potest excommunicare nisi habens iurisdictionem: & ipse qui excommunicandus est, est ille qui habet iurisdictionem: cum ergo nullus seipsum possit excommunicare, ille ordo seruari non potest.

2 Item videtur, quòd Dominus in Iuda hunc ordinem non seruauit: quia non primo corripuit ipsum inter se & ipsum solum, nec postea adhibuit secum vnum vel duos, sed statim Ecclesiæ discipulorum nuntiauit: ergo exemplo eius forma prædicta vlterius non est obseruanda.

3 Item hoc autem videtur præcipue ex facto Petri Act.5. qui Ananiam & Saphiram non primo solos corripuit, nec postea coram alio vel duobus admonuit, sed statim excommunicauit: ergo ipse hoc exemplo Domini didicit: ergo & nos debemus ita facere, & statim in communi proferre, vt detur sententia.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd sententia Domini sicut iacet seruanda est. Et dicimus ad primum quæsitum, quòd intelligitur de occulto: quia de manifesto aliam formam præcipit Apostolus 1.Timoth.2. Peccantes coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeant.

AD HOC quod contra obiicitur, dicendum quòd assumendi sunt quibus non est notum, sed notificatum per ipsum scientem, vel eum qui fecit, quod melius est, si induci potest: & tamen non erit crit crimen proditum: quia prodesse possunt, & non obesse: prodesse autem possunt orando & monendo & portando cum ipso pœnitentiam

tentiam, & consolando pœnitentem. Et dicimus, quòd sunt sumendi de numero sociorum. Et quod obiicitur, non est verum: quia in fratre intelligitur nomen diligentis & custodientis honorem & famam fratris: vnde tales assumendi sunt de quorum vita & conuersione præsumitur, quòd onus secum portabunt, & non diffamabunt crimen, cum desiderent correctionem & non infamationem.

AD HOC quod ponit, quòd ille neget coram illis & occultet, dicendum quòd tunc non restat nisi orare & gemere ad Deum pro ipso: quia tunc incorrigibilem se esse demonstrat. Et obseruandũ est caute, vtrum alia vice faciat coram aliquibus qui possint contra eum testificari: & si potest haberi testimonium alicuius, est puniendus: si autem non inueniatur opportunitas contra eum, tunc nihil restat nisi orare pro ipso. Sed Dominus loquitur in casu in quo coram testibus recognoscit, vel alio consimili actu manifestat peccatum suum, vt possit produci ad lucem.

AD ALIVD dicimus, quòd in denuntiatione fraterna sufficit testimonium vnius viri approbati, non vt condemnetur reus, sed vt custodia sibi adhibeatur à prælato: quia si duo testes faciunt plenam fidem, vnus facit præsumptionem contra accusatum: ita vt adhibeatur ei custodia ne amplius talem habeat libertatem sicut prius habuit: & hoc sufficit ad emendationem delicti: & Dominus in Euangelio nihil aliud intendit, quia ipse non delectatur in pœnis, sed in pœnitentia peccantis, & correctione delictorum.

Adquæst. AD ALIVD dicunt quidam periti in iure, quòd prælatus non debeat corrigi fraterna correctione de peccato præterito, sed de futuro admoneri ne de cætero contingat. Sed hæc solutio nulla est: quia & Euangelium Matth. 19. loquitur de præterito peccato, & non de futuro. Ideo alij dixerunt, quòd correctio fraterna est inter æquales: sed non extenditur ad prælatos. Et hoc præcipue per illud Gregorij supra dictum, Hunc quippe delinquentem nemo arguere præsumit, &c. Sed contra hoc iterum est Euangelium: quia nullum excipit. Ideo cum quibusdam aliis dicimus, quòd ad omnes extendatur: sed ad omnes prælatos est admonitio denuntiationis non procedens. In aliis autem potest procedere in denuntiationem: & hoc supra dictum est, & responsum ad auctoritatem Gregorij.

AD ALIVD quod obiicitur de Domino & Iuda, dicendum quòd in factis Domini multa sunt quæ seruare non debemus, sed admirari: ipse enim omnium scibilium etiam contingentium habuit scientiam: & sciuit quis eum solus, vel cum alio vno, vel duobus, esset traditurus: quod nos imitari non possumus. Quod ergo in Iuda hoc non obseruauit, patet quòd hæc quæ dicta est, causa fuit. Et cum iam patuit, hoc non est à nobis obseruandum: quia de quodlibet præsumere debemus corrigibilitatem, nisi ipse contrarium exhibeat in seipso sæpius admonitus.

AD HOC quod facto Petri obiicitur, dicendum quòd peccatum suum fortè publicum fuit. Vel melius dicendum, quòd in communitate peccauit, & interrogatus coram communi capitulo monitus est: & ideo ad terrorem omnium aliorum punitus est publicè. Qui modus adhuc in religionibus obseruandus est: quia si in occulto corrigerentur quæ ad notitiam plurium veniunt, cito dissolueretur religionis disciplina.

ARTICVLVS XXII.

Quomodo differat correctio fraterna à correctione iudicis?

SExto quæritur, In quo differt illa correctio à correctione iudicis? Videtur autem, quòd in nullo: quia in Euangelio dicitur, quòd testes adhibeantur, & Ecclesiæ denuntietur: per quod intelligitur accusatio: & quòd à communione præscindatur per sententiam, & sit sicut ethnicus & publicanus: & hæc omnia sunt in correctione iudicis: ergo in nullo videtur differre correctio fraterna à correctione iudicis.

Sed in contrarium huius est: quia frater in fratrẽ coactiuam non habet correctionem, vt dicitur 10. ethic. sicut neque pater in filium. Iudex autem in eum quem iudicat per legem, habet coactiuam correctionem. Ergo hæc non est illa.

AD HOC dicendum videtur, quòd differunt in ratione quam inducit vltima obiectio. *Solutio.*

AD PRIMVM autem dicendum, quòd quandoque ex fraterna correctione potest fieri iudiciaria, vt patet ex supra disputatis: sed tamen hæc non est illa: vt dicit Philosophus, quòd pater non cogit filium: sed tamen contumacem si per legem etiam secundum Philosophum denuntiat iudici, tunc ille cogit eum.

ARTICVLVS XXIII.

An Deus iustè liberauit meretricem, non inuento qui proiiceret primum lapidem?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Ideo enim liberauit peccatricem, quia non erat qui iustè proiiceret lapidem, &c.] Ex hoc videtur, quòd si ibi fuisset aliquis iustus, quòd illi præcepisset quòd lapidasset eam. Quod si concedatur, contra erit quod dicitur Ezech. 18. Nolo mortem peccatoris, sed vt conuertatur & viuat. Et Oseæ. 6. Misericordiam volo, & non sacrificium: & scientiam Dei plus quam holocaustum.

AD HOC dicendum, quòd sine dubio etiamsi iusti fuissent, Dominus ad pœnitentiam voluisset viuere adulteram: sed ad præsentes vtebatur simulationis modo, vt confunderet, & erubescentes ad fidem sui & pœnitentiam inclinaret. Et per hoc patet solutio ad totum. *Solutio.*

ARTICVLVS XXIV.

An in lege veteri per cerimonialia dimittebantur venialia?

NAm venialia putabant, quæ per cerimonias dimittebantur, &c.] Contra: Nullum peccatum dimittitur non habenti gratiam: sed isti non habebant gratiam: ergo nullum peccatum eis dimittebatur.

RESPONSIO. Dicendum, quòd non dicit *Solutio.*

cit dimitterentur, ſed quia putabant dimitti, eo quod ſecundum legem non puniebantur. Nota etiam, quòd cerimoniæ dicuntur à carie quod eſt ligni putredo, & mene quod eſt defectus: quia deficientia erant mandata nullum vſum habentia niſi ſignificandi: vnde fecerunt quidam verſus ſic dicentes:

Ex carie mene cerimonia contrahit ortum.
Mene defectus, caries putredo vocatur.

Sed quia Tullius & alij gentiles Philoſophi cerimonias habebant, & nullum vſum intelligebant ſignificationis: videtur falſum eſſe quod dicunt. Dicit enim Tullius, quòd religio eſt ſpecies iuſtitiæ, & hanc diffiniens dicit, quòd ſit virtus quæ cuidam naturæ ſuperiori quam diuinam vocant, curam cerimoniamque affert. Et ideo omnis cultus diuinus dicitur cerimonia: & dicitur à munia & Cerere quæ eſt Dea frugum: pro neceſſitate enim frugum inuentus eſt primo cultus diuinus: & ideo à Cerere in omnes diuinos cultus eſt vocabulum tranſſumptum.

ARTICVLVS XXV.

An omnis qui ligat alios, ſit iuſtus?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Ex his ſatis perpenditur, &c.] Videmus enim, quòd non omnis qui ligat alios & ſoluit, ſit iuſtus.

RESPONSIO. Dicendum, quòd non dicit, quòd ſit, ſed quòd debeat eſſe: & hoc planè eſt verum. *Solutio.*

DISTINCTIO XX.

De his qui in fine pœnitent.

De confeſſione ſacramentali quantũ ad opportunitatem temporis reſpectu pœnitentia mortalium in ſe.

ADCIENDVM eſt etiam, quòd tempus pœnitentiæ eſt vſque in extremum articulum vitæ. Vnde Leo Papa, Nemo eſt deſperandus, dum in hoc corpore conſtitutus eſt: quia nunquam quod diffidentia ætatis differtur, conſilio maturiore perficitur. Auguſtinus tamen de pœnitentiam differentibus ita ſcribit, Siquis poſitus in vltima neceſſitate voluerit accipere pœnitentiam: & ſi accipit & mox reconciliatur, & hinc vadit, fateor vobis non illi negamus quod petit: ſed non præſumimus, quia bene hinc exit. Si ſecurus hic exierit, ego neſcio. Pœnitentiam dare poſſumus, ſecuritatem vero non. Nunquid dico damnabitur? ſed nec dico liberatur. Vis ergo à dubio liberari, age pœnitentiam dum ſanus es. Si ſic agis, dico tibi quia ſecurus es: quia pœnitentiam egiſti eo tempore quo peccare potuiſti. Si vis agere pœnitentiam quando iam peccare non potes: peccata te dimiſerunt, non tu illa. Item duæ res ſunt, aut ignoſcitur tibi, aut non ignoſcitur: quid horum tibi ſit futurum neſcio. Ergo tene certum, & dimitte incertum. Sed quare hoc dixit Auguſtinus, cum pœnitentia quæ in fine agitur, in Pſalmo appelletur ſacrificium veſpertinum, quod erat acceptabilius in lege: & cum in quacunque die inuocetur Deus, adſit: & quacunque hora ingemuerit, & conuerſus fuerit peccator, vita viuet, & non morietur? Sed illa dixit Auguſt. propter illos qui pœnitentiam vſque in finem vitæ protrahunt: & tunc non ex Dei amore videntur pœnitere, ſed timore mortis quaſi ex neceſſitate. Vnde idem quaſi aperiens quare ſuperiora dixerit ait, Nullus expectet quando peccare non poteſt. Arbitrij enim libertatem quærit Deus, vt deleri poſſint commiſſa: non neceſſitatem, ſed charitatem: non tantum timorem, quia non in ſolo timore viuit homo. Quem ergo ſero pœnitet, oportet non ſolum timere iudicem, ſed digere: quia charitate nemo

De pœn. diſt. 17. Auguſt. hom. 41. de vere pœnitentibus.

Pſ. 104. Exod. 12. Ezech. 18.

Lib. de vera & falſa pœnit. cap. 17.

mo saluus esse potest. Non ergo tantum timeat pœnam, qui pœnitet, sed anxietur pro gloria. Quæ conuersio si contigerit alicui etiam in fine, desperandum non est de eius remissione. Sed quoniam vix vel rarò est tam iusta conuersio, timendum est de pœnitente serò: maximè, cum filij quos illicitè dilexit, sint præsentes, vxor & mundus ad se vocet. Multos solet serotina pœnitentia decipere. Sed quoniam Deus semper potens est, semper eriam in morte iuuare valet, quibus placet. Cum ergo opus sit non hominis sed Dei, fructifera pœnitentia: inspirare eam potest quandocunque vult sua misericordia, & remunerare ex misericordia, quos damnare potest ex iustitia. Sed quoniam multa sunt quæ impediunt, & languentem retrahunt, periculosum est & interitui vicinum, ad mortem protrahere pœnitentiæ remedium. Sed magnum est, cui tunc Deus inspirat, si quis est, veram pœnitentiam. Sed si etiam sic conuersus vita viuat, & non moriatur, non promittimus quòd euadat omnem pœnam. Nam prius purgandus est igne purgationis, qui in aliud seculum distulit fructum conuersionis. Hic autem ignis etsi æternus non sit, miro modo grauis est: excellit enim omnem pœnam, quam vnquam passus sit aliquis in hac vita. Nunquam in carne tanta inuenta est pœna, licet mirabiliter martyres passi sint tormenta, & multi nequiter quanta sæpe sustinuerunt supplicia. Ex his satis ostenditur, quam periculosum sit differre pœnitentiam vsque in finem vitæ. Si tamen vera habeatur pœnitentia, hominem liberat & vitam mortuo impetrat: non sic tamen, vt nullam sentiat pœnam, nisi forte tanta sit vehementia gemitus & contritionis, quæ sufficiat ad delicti punitionem. Licet ergo sit difficile, vt tunc sit vera pœnitentia quæ tam sera venit, quando cruciatus membra ligat & dolor sensum opprimit vt vix homo aliquid cogitare valeat: melior est tamen sera, quam nulla. Pœnitentia enim etsi in extremo vitæ hiatu aduenit, sanat & liberat. Multum sera fuit latronis pœnitentia: sed non fuit sera indulgentia. Sed licet latro veniam meruisset in fine de omni crimine, non tamen dedit baptizatis peccandi & perseuerandi auctoritatem. Luc. 23.

DIVISIO TEXTVS.

SCIENDVM est etiam quòd tempus pœnitentiæ est] Postquam determinatum est de potestate clauium, tangit hîc de pœnitentia in morte, & post mortem, & de reditu peccatorum superius etiam posita: & ideo ponit hic per ordinem enumeratorum tres distinctiones, in quarum prima, ista scilicet tangit de pœnitentiis morientium. In alia de remissione peccatorum post mortem. In tertia de reditu peccatorum. Sunt autem in hac distinctione principales quæstiones duæ, in quarum prima Magister quærit de tempore pœnitendi. In secunda autem de modo extremæ pœnitentiæ *ibi* [Deinde quæritur de illis qui in hanc vita, &c.] Et hæc sufficiant quoad diuisionem.

D. Alber. Mag. in Lib. 4. Sentent.

ARTICVLVS I.

An in fine vitæ dari potest pœnitentia?

QVæritur autem primo de hoc quod dicit *ibi* [Pœnitentiam dare possumus, &c.] In sequenti autem parte eiusdem distinctionis statim contradicit, dicens quòd non est danda pœnitentia in fine vitæ, sed innotescenda.

SED DICENDVM, quòd dare hic sumitur pro admittere ad pœnitentiam: sed pœnitentia infra ponitur pro pœnitentia exteriori iniuncta: & illa non est danda morientibus, sed innotescenda. Solutio.

ARTICVLVS II.

An sanus pœnitens potest coniicere de certitudine charitatis, an odio an amore dignus sit?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Tene certum & dimitte incertum] Contra: Eccl. 9. Nemo scit vtrum odio vel amore dignus sit. Ergo pœnitens & confitens sanus, non est certus.

Solutio. RESPONSIO. Intelligit hoc de certitudine coniecturæ: quia coniicere potest de amore charitatis, quando pœnitet sanus: sed signum est timoris tantum, quando non pœnitet nisi infirmus. Ecclesiastes autem loquitur de certitudine scientiæ: hanc enim nullus habet.

ARTICVLVS III.

An Deus seram pœnitentiam exaudiat?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [In quacunque die inuocetur, &c.] Contra: Michææ 3. Clamabunt, & non exaudiet eos: Gloss. intelligit de sera pœnitentia: sed nulla est ita sera sicut illa quæ est in fine vitæ: ergo talem non exaudiet Deus.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd pœnitentia sera duplex est secundū duo mouētia ad pœnitentiam quæ sunt timor seruilis, & amor. Pœnitentiam igitur ex timore non audit Deus: & de illa loquitur Gloss. sed de illa quæ est ex amore loquitur hic? & hanc Deus audit: sed quia infirmitas potius est indicium timoris, ideo raro fit vt ex amore aliquis tunc pœniteat.

ARTICVLVS IV.

An sera pœnitens habeat libertatem arbitrij?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Arbitrij libertatem quærit Deus vt deleri possint, &c.] Ex hoc enim videtur, quòd sero pœnitentes non habent libertatem arbitrij, quod non est verum: quia quandiu homo viuit, tandiu habet libertatem arbitrij & potestatem benefaciendi.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd liberum arbitrium in infirmitate frequenter tollitur quoad vsum: semper autem autem impeditur. Tollitur autem vsus liberi arbitrij, quando mens sursum rapitur, & impedit discretionem: impeditur autem, quando violentia morbi auertitur & trahitur: & hoc semper fit in infirmis: hæc enim est natura potentiarum animæ, quòd quando vna est in actu vehementi, altera abstrahitur ab actione. Cum igitur in infirmis sit vehemens dolor in sensu, impeditur liberum arbitrium à iudicio discretionis peccatorum, Et hoc modo intelligit: vnde dicit, quòd quærendum est tempus quando habet liberum arbitrium, supple, expeditum & non impeditum à violentia morbi dolore sensibili.

ARTICVLVS V.

Quid sit ignis purgatorij, an corporeus, vel spiritualis?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Prius purgandus est igne purgationis, &c.] Quæruntur autem hîc in principio duo de igne purgatorio, scilicet quid sit in re, & vbi sit secundum locum?

Ad primum horum sic proceditur: Ignis corporis est nomen: ergo videtur, quòd ignis corporeus sit ignis purgatorij.

2 Præterea, Multi sancti dicunt quòd ignis inferni corporeus est: ergo & ignis purgatorij, vt videtur.

3 Item Gregorius, Ignis gehennæ corporalis est, qui corporaliter malos exurit.

4 Item Augustinus, Cur non dicamus quamuis miris, veris tamen modis etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi, si spiritus hominum quamuis incorporei, potuerunt includi corporalibus membris? Lib. 21. de ciuit. Dei. c. 10.

5 Item Augustinus 21. de ciuit. Dei, Gehenna quæ stagnum ignis & sulphuris dicta est, corporeus ignis erit. Ex his colligitur, quòd sit ignis corporeus crucians animas. Cum igitur vna ratio sit de igne inferni & purgatorij, videtur quòd ignis purgatorij sit corporeus. Eodem cap.

6 Præterea, Si dicatur, quòd sit incorporeus, videtur sequi inconueniens. Dicit enim Aristot. & probat in quarto ethic. quòd delectatio omnino spiritualis, non habet contrarium, nec est medicina: sed delectatio futura est omnino spiritualis: ergo non habet contrarium: ergo non habet aliquid contrarium agens ad tristitiam: si igitur ignis ille sit tantum spiritualis, non aget ad contristationem: & tunc ibi puniti non contristarentur: & hoc est falsum.

7 Adhuc, Spiritualia pure separata sunt à motu & à materia: sed omnis contrarietas est cum motu & materia: ergo in spiritualibus non est contrarietas: ergo nec actio contrarietatis alicuius: sed omnis pœna est ex agente contrario: ergo in talibus nulla est pœna. Si ergo detur, quòd sit ignis purè spiritualis, videtur quòd nullo modo sit afflictiuus: & hoc hæresis est: ergo necesse est eum ponere corporalem.

8 Adhuc, Nulla substantia inquantum huiusmodi, transmutabilis est, vt dicit Aristot. dans exemplum etiam in igne qui nec agit nec transmutat aliquid inquantum substantia est: si igitur agit & transmutat: hoc erit ab aliqua qualitate ipsius substantiæ: ergo agens transmutando est substantia disposita qualitate: constat autem, quòd non omnis qualitas agit: sed physica solum, vt dicunt omnes Philosophi: ergo necessarium est, quòd habeat qualitatem physicam. Item, Nec omnis qualitas physica agit: sed contingit contrarium actiuum esse: ergo necesse est talem contrarietatem habere: omnis autem talis substantia est corporea: igitur transmutans & agens omne corporeum est: sed ignis purgatorij agit transmutando & puniendo: non enim est pœna nisi per immutationem patientis: ergo videtur, quòd ignis purgatorij sit corporeus.

SED

Sed contra. SED SI hoc dicatur, obiicitur in contrarium primo per auctoritates, & postea per rationes. Dicit enim Gregor. in moralibus lib. 15. cap. 14. Ignis corporeus vt esse ignis valeat, corporeis indiget fomentis: qui cum necesse sit vt seruetur, per congesta ligna procul dubio nutritur: nec valet nisi succensus esse & refotus subsistere. Econtra autem ignis gehennæ cum sit incorporeus, in semetipso reprobos corporaliter exurit, nec studio humano succenditur, nec lignis nutritur: sed semel creatus, durat inextinguibilis, & successione non indiget, nec ardore caret. Ex hoc expresse habetur, quòd nec corporalis est, nec ad modum corporei fouetur & nutritur.

2 Item in eodem, Si stridores dentium & fletus oculorum spiritualiter accipiamus, flammas quoque tormentorum in ipsis non corporales, sed spirituales credere debemus.

Cap. 10. 3 Item Augustinus de ciuit. Dei 21. dicit talem fuisse illam flammam in qua diues cruciabatur, quales oculi quos leuauit, quando Lazarum vidit, qualis lingua cui humorem desiderauit infundi, qualis digitus Lazari de quo fieri id postulauit: sed constat, quòd membra illa non fuerunt corporalia, sed spiritualia: ergo videtur, quòd nec flamma fuit corporalis: ergo nec ignis purgatorij, vt videtur.

4 Item Damasc. in vltimo capitulo libri sui. Ignis autem iste non est corporeus, sed qualis vtique Deus nouit.

5 Per rationem autem obiicitur sic: Omne agens & patiens cum transmutatione, conueniunt in materia, vt dicit Boëtius in lib. de duabus naturis in vna persona Christi: sed ignis purgatorij & anima purganda se habent sicut agens & patiens secundum transmutatum: ergo communicant in materia: sed anima aut non est de materia, aut non est de materia corporali: ergo videtur, quòd ignis ille aut non sit de materia, aut non sit de materia corporali: ergo non est corporeus.

6 Adhuc, Auctor sex principiorum dicit, quòd impossibile est non corpus à corpore moueri: sed anima non est corpus: ergo non mouetur à corpore: sed mouetur & transmutatur ab igne purgatorio: ergo ignis purgatorius non est corpus: ergo nec corporeus: quia constat, quòd sine quantitate est ignis ille quicunque sit. Hæc autem vsque ad tractatum de resurrectione pro obiectis sufficiant: quia ibi de hoc quærendi iterum erit locus.

Solutio. RESPONSIO. Omnes sancti disputantes de ista quæstione dicunt, quòd ea quæ dicunt, volunt accipi sine supercilio assertionis suæ. Ita etiam ego dico qualis sit ignis purgatorij, non arbitror quenquam scire, nisi cui Deus reuelauit. Vtrum autem sit, pertinebit ad sequentem distinctionem inquirere. De hoc autem quod hic quæsitum est, dicendum videtur, quòd sit corporeus? & puto, quod quicunque attendit subtiliter inconuenientia ad quæ dicunt rationes primo inductæ, vix inclinabitur in aliam opinionem, nisi quòd est corporeus. Nisi forte, quod absit, aliquis in hæresim quorundam Philosophorum laberetur, vt diceret omnia quæ de locis pœnarum & pœnis scripta sunt, omnino friuola & vana esse. Consentiendo igitur rationibus primo inductis, dico quòd corporeus est.

ADID quod contra obiicitur, dicendum quòd distinguitur inter primum affligens & proximum affligens: primum enim affligens spiritualem substantiam siue in corpore siue extra corpus, corporeum est: sed proximum affligens est spirituale. Vt autem hoc melius intelligatur, ponamus exemplum: incisio enim vulneratæ manus, corporalis est, & patitur corpus, & compatitur anima. Primum quidem affligens vtriusque horum est gladius: sed cum anima patiatur à passione corporis, constat quòd id quod facit motum in affectu tristitiæ in anima, similitudo vulneris est apprehensa vt contraria coniuncto: secundum autem quòd talis similitudo est in anima, spiritualis est: & ita proximum affligens animam est spirituale. Ita dico in purgatorio, quòd primum affligens est ignis corporeus, habens vim affligendi spiritum ex eo quod est instrumentum diuinæ iustitiæ vindicantis iniquitatem. Et proximum affligens est similitudo ignis recepta ab animabus punitis, prout est instrumentum iustitiæ vindicantis peccatum, cui ipsa anima pro voluntate se subdidit. Hoc autem in tractatu de resurrectione magis discutietur. Hæc autem videtur esse sententia Gregor. in lib. quarto dialogorum vbi sic dicit, Hoc est eis in igne ardere, quod est ignem videre, trahentes ab ignibus pœnam, non dantes ignibus vitam. Dicendum ergo ad primum, quòd Gregor. loquitur de immediate affligente, & non de affligente primo: & eodem modo ad omnes sequentes auctoritates dicendum est. Cap. 29. Aug. de ciu. Dei. lib. 21. cap. 10.

ADID autem quod obiicitur per rationem, dicendum quòd illa propositio intelligitur de agentibus & patientibus physicè: anima autem patitur ab igne purgatorio habente vim ex eo quod est corpus existens instrumentum diuinæ iustitiæ: & hæc est alia vis caloris, quam naturalis vis caloris tantum. Huius autem exemplum est, quòd calor secundum Philosophum igneus est: & tamen secundum quod est instrumentum animæ regentis corpus, non agit actione ignis tantum, quia sic incineraret, sed actione viuifica animæ, & nos videmus quod digerendo assimilat carni & ossi & neruo, sicut dicit Aristot. in secundo de anima, loquens contra opinionem quæ dicebat, quòd ageret in vi ignis tantum. A simili videtur dicendum de calore ignis purgatorij, quòd inquantum mouetur à virtute iustitiæ vindicantis, habet vim puniendi animas incorporeas, quæ ordinem suæ dignitatis vel irrecuperabiliter vel recuperabiliter amiserunt, sicut existentes in inferno irrecuperabiliter, & existentes in purgatorio recuperabiliter amiserunt.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc intelligitur de omni motu corporeo & physico, sicut dictum est. In aliis enim etiam in naturis falsum est: quia corpus mouetur ab immobili incorporeo primo: & hoc expressius probabitur in distinct. 40.

***

ARTICVLVS VI.

In quo loco sit purgatorium?

SEcundò quæritur vbi sit? Videtur enim, quòd hic in terra. Dicit enim Gregor. in quarto dialogorum, quòd Paschasius in loco thermarum, vbi ex consilio medicorum parabat se ad balneum Capuanus Episcopus, stabat paratus ad obsequium: & iam mortuus fuit Paschasius, & ibi exhibuit obsequium, vt induceret Episcopum illum qui sanctus erat, ad intercedendum pro eo. Ergo videtur, quòd hic iuxta nos aliqui puniantur.

2 Adhuc hoc expresse ibidem dicit Gregor.

Sap. 11. 3 Adhuc per rationem videtur idem: quia per quæ quis peccat, per hæc & punietur: sed peccatur per ea quæ sunt hîc iuxta nos: ergo per eadem punietur: sed per ista non potest puniri nisi existens iuxta nos hîc nobiscum: igitur puniuntur aliqui hîc iuxta nos.

4 Adhuc, In vita beati Patricij legitur, quòd impetrauit vt quidam in Hibernia in loco quodam punirentur vice purgatorij: ergo videtur, quòd à simili alij in suis locis puniri possint.

Sed contra. SED CONTRA: Non est idem locus præmij & meriti: sed hic est locus meriti: ergo hîc non est locus præmij: sed recipiunt in purgatorio digna pro meritis: ergo videtur, quòd ignis purgatorius hic non sit.

2 Item Gregor. videtur velle, quòd idem sit ignis gehennæ & purgatorij: sed idem ignis est in eodem loco: ergo in eodem loco est gehenna & purgatorium: sed gehenna est sub terra, & non hîc, secundum quod dicere videntur Sancti: ergo purgatorium non est hîc, sed sub terra.

3 Idem probat Gregor. in quarto dialogorum per compositionem nominis: quia in deteriori parte dicitur: ergo necesse est, quòd sit sub terra: sed pars inferni est purgatorium, vt dicunt Sancti & Magistri: ergo est sub terra, & non hîc.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum est, quòd in hac quæstione nihil asserendum est. Et ideo sine præiudicio dico, quòd purgatorius alius est ex ordine iustitiæ determinantis locum pœnitentiæ ei qui vixit in culpa, & ad plenum non satisfecit: & alius ex dispensatione. Primo modo non est nisi vnus locus purgatorij, quem puto esse superiorem partem inferni habentem in se affligens ad purgationem cum aliqua consolatione spei de futura per misericordiam liberatione. Ex dispensatione autem sunt multa loca purgatoria. Et dispensatio hæc quandoque fit propter viuos, quandoque propter mortuos: licet multis de causis fiat: tamen causa triplex in vita Sanctorum quandoque frequentius occurrit, scilicet meritum demonstrandum in aliquo hoc rogante: sicut fuit quod legitur de Patricio, qui rogauit vt quidam ibi puniretur. Alia causa est fides de pœnis mortuorum: & ideo vt dicit Gregor. ostenduntur hic circa nos aliqui puniti, vt idem de aliis præsumamus, de quorum non tamen constat pœna, cum constet de eorum consimili culpa. Tertia causa fuit in Paschasio qui fecerat miraculum curando quendam dæmoniacum, qui ferretrum eius tetigerat: & tamen habuit peccatum, quod vt peccatum esse ostenderetur, quia scilicet ignorans & deceptus in quorundam conspirationem quæ zelo iustitiæ fieri videbatur, consenserat: ideo apparuit sancto Episcopo Capuanæ ciuitatis, & ibidem puniri ostendebatur. Et per hoc patet solutio ad omnia præter vnum, scilicet id, per quæ quis peccat, &c. Et ad hoc dicendum, quòd intelligitur per omnia in simili quoad pœnas æternas, & vt frequenter ita contingit in pœnis temporalibus. Et de illis loquitur liber sapientiæ qui hoc dicit. Sicut enim peccauerunt Ægyptij in aqua in flumen proiicientes pueros Hebræorum: ita per aquam puniti sunt flumine bulliente ranas, & mari submergente eos. Et sicut peccauerunt sanguinem innocentem fundendo: ita etiam puniti sunt in hoc quod sanguinem propinauit eis fluuius pro potu.

ARTICVLVS VII.

An ignis purgatorius sit æternus vel temporalis?

DEinde quæritur de hoc quod dicit in litera [Ignis licet æternus non sit, tamen modo grauis est, &c.] Quæritur autem hîc, Vtrum purgatorius sit æternus, vel temporalis? Et videtur, quòd æternus: quia dicit Gregor. quòd sicut in fornace sub eodem igne aurum rutilat, & palea fumat: ita in inferno sub eodem igne damnatus crematur, & electus purgatur: sed inferni ignis est perpetuus: ergo & ignis purgatorij, vt videtur.

2 Item ad idem, Vltimi iudicij ignis inuoluet vt carbones reprobos, & nunquam finietur in eis, & purgabit quod criminale erit in electis: ergo videtur esse simile de igne purgatorij & gehennæ: ergo videtur, quòd non finitur: ergo est perpetuus.

Sed contra. SED IN CONTRARIVM est hoc quod hîc in litera dicitur.

2 Item, Cuius actus & finis finibilia sunt, ipsum finibile est, vel erit inutile: sed actus & finis purgatorij finibilia sunt: ergo ipse finitur, vel erit inutilis: sed nihil remanebit inutile in operibus diuinis: ergo ipse non remanebit, vt videtur.

3 Adhuc, Omnia elementa quæ modo seruiũt homini, finem accipient secundum hunc statum, & erunt in alio statu, in quo laboris sui accipiẽt præmium: ergo & illa quæ seruiunt homini extra mundum: sed purgatorius ignis seruit homini: ergo erit in alio statu in quo præmiabitur, & finietur secundum statum purgandi.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum mihi videtur sine præiudicio, quòd ignis purgatorius finibilis est secundum rationem purgatoriam, sed non est finibilis secundum substantiam: quia puto, quòd idem est in specie ignis cum igne inferni, sicut videtur velle Gregor. Quod ergo primo probatur, quòd sit perpetuus secundum substantiam ignis, in qua conuenit cum igne inferni, videtur concedendum: quia omnes obiectiones per hunc modum procedunt.

AD ID autem quod primo in contrarium obiicitur, dicendum quòd in veritate hæc obiectio non probat nisi finibilem secundum hunc vsum in quo iam est: & hoc conceditur: & erit

tunc

tunc ad alium vsum, quia erit ad cremandum damnandos.

Ad aliud dicendum videtur sine præiudicio, quòd hoc intelligitur de seruientibus homini secundum statum meriti: sed ignis purgatorius non seruit homini ad hunc statum. Vnde videtur mihi dicendum, quòd sicut in statu gratiæ purum est cum impuro peccati & pœnæ: ita in seruientibus elementis & elementatis ad statum gratiæ purum est permixtum cum impuro, & in nouatione purum faciens ad iucunditatem, separabitur sursum ad locum elementorum supra circulum terræ, impurum autem descendet deorsum sub tristem orbem terræ in centrum. Sed in his quæ sunt præcedentia statum impuritatis, nihil ponitur esse impurum: & ideo nunquam talia innouabuntur, sed manebunt punientia damnatos. Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICVLVS VIII.

An pœna purgatorij excellat omnem pœnam quam quis passus est, aut pati potest in hac vita?

Deinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Excellit enim omnem pœnam quam vnquam passus sit aliquis in hac vita, &c.] Videtur enim, quòd falsum sit quod dicit: quia quanto aliquid magis coniunctum est agenti, tanto magis sentit pœnam in passione si sensum habeat: sed magis est passibile compositum ex contrariis animatum, quam simplex simplex & incompositum spirituale, ex contrariis non compositum: ergo magis pœnam sentit coniunctum agenti in ipsum: sed corpus in via est ita compositum: ergo magis punitur hîc aliquis in ista vita, quam puniatur in anima post mortem: & ita videtur falsum dicere.

2 Adhuc, Maior est passio transmutans & abiiciens à substantia, quam transmutans & non abiiciens: passio huius vitæ est transmutans & abiiciens à substantia, alterius autem vitæ est transmutans & non abiiciens: ergo maior est pœna ista, quam illa.

3 Adhuc, Quorumcunque actiuorum & passiuorum maior est contrarietas, horum passio est cum maiori sensu pœnæ: sed maior est contrarietas ignis ad corpus in via, quam ad animam in purgatorio: ergo, &c. & sic iterum falsum est quod dicit.

4 Adhuc, Quodcunque patiens quod magis secundum vnam rationem susceptibile est formæ agentis, magis sentit actionem eius si sensum habet: sed patiens corporeum magis susceptibile est speciei ignis secundum rationem ignis, quam incorporeum: ergo magis sentit passionem eius, quã incorporeum. Prima probatur ex hoc quod actio & passio tota sunt ad hoc vt patiens suscipiat speciem agentis quantum potest. Secunda probatur ex hoc, quòd caliditas ignis disponit corpus vt dicatur & sit calidum: animam autem calidam dicere, ridiculum videtur.

5 Adhuc autem theologicè contra literam sic obiicitur: Deus nullum punit vltra condignum: ergo nec venialiter peccantem: sed veniali peccato minima pœna debetur in vita ista, & minor multis pœnis temporalibus: ergo minori pœna etiam punitur ibi: ergo non maiori quam sit aliqua pœna præsens: sed debetur ei purgatoria: ergo purgatoria: non est maior omni pœna præsenti: & sic falsum est quod dicit.

6 Adhuc, Mortale peccatum & veniale improportionabilia sunt: sed mortale sufficienter punitur temporali pœna: ergo veniali debetur in infinitum minor: ergo non punitur pœna quæ sit maior omni temporali pœna: sed punitur purgatoria: ergo purgatoria non est maior omni pœna temporali.

7 Adhuc, beatus Gregor. dicit, quòd quædam animæ non sunt punitæ nisi in vmbra quadam ad tempus permanentes: hoc autem non est grauius omni pœna temporali: ergo videtur, quòd non sit generale quod dicit.

Responsio. Dicendum videtur, sicut dicit litera simpliciter, quòd pœna purgatorij etiam minima, maior est in tristitia quam aliqua pœna corporalis huius mundi esse possit. Hoc autem qualiter sit, sic potest videri. Exuta enim anima à corpore, desiderat summum bonum, sicut obiectum beatitudinis per modum illum quo desiderat res perfecta suum locum, extra suum locum existens: & hoc videtur ex verbis Gregor. in quarto dialogorum, vbi dicit, quod animæ propriis vitibus post mortem eleuantur, vel meritis deprimuntur. Vnde si tristitia causatur ex absentia delectabilis, vt dicit Philosophus, ex absentia summè desiderati causabitur maxima tristitia. Et cum sanitas vel vita vel iucunditas sensus in hac vita nullam habeant comparationem ad summum bonum quod felicitat beatos, nullam comparationem habebunt auferentia delectantia in hac vita ad aufcrentia vel differentia delectabile quod est in altera vita. Et ideo tristitia alterius vitæ incomparabiliter maior est, quam sit aliqua tristitia in præsenti. Si autem obiicias, quod damnati non desiderant summum bonum, dicendum quòd hoc falsum est: imo etiam dæmones desiderant summum bonum & optimum vt dicit Dionysius. Sed qualiter desiderent, alterius est negotij. Sed hæc dicta sufficiunt ad ostendendum, quòd tristitia sit incomparabilis tristitiæ. Et quod consequentia valeat, expresè colligitur ex 10. ethicor. vbi simili consequentia probat Philosophus delectationes intellectuales esse in infinitum magis delectabiles, quam corporales quæ sunt in sensu. *Solutio.*

Hoc autem habito respondeatur ad primum, dicendo quòd prima propositio simpliciter & vniuersaliter est vera. Secunda autem habet instantiam: quia passibile dupliciter dicitur, scilicet extra, & sic illa propositio est vera. Dicitur etiam magis passibile ex ordine diuinæ iustitiæ corripientis errata per pœnas: & sic magis passibile est, quod se peccatis magis passibile fecit: & sic habet instantiam in animabus & Angelis per peccatum obstinatis.

Ad aliud dicendum, quòd maior passio dicitur dupliciter, scilicet magis affligens, & magis de specie agentis recipiens. Primo modo non est vera propositio prima, si etiam in vita ponatur aliquis sic pati, quòd maneat in complexione & compositione membrorum, quòd iaceat in igne, ille plus affligitur, quam alius cui abiicitur de

substantia: quia in primo sensus manet vivus & integer, & excellenter sentit immutans ipsum. In secundo autem post modicum mortificatur sensus, & tunc minus dolet; & post paruum tempus moritur & nihil dolet. Vnde illo modo falsa est propositio: sed secundo modo vera est: quia quantò plus recipit de specie & proprietatibus agentis, tanto abiicitur de specie & proprietatibus suis propriis.

AD ALIVD dicendum, quòd animæ & ignis est contrarietas hoc modo quo contrarietates sunt in moralibus: sicut iniquitati vel turpitudini contrariatur rectitudo suspendij vel decollationis: pœna enim corrigens habet effectum contrarium culpæ deordinanti naturam: vnde anima rationalis quæ prætergressa est ordinem suæ dignitatis, ab omnipotente iudice subditur naturæ inferiori se, scilicet igni non habenti vim ignis tantum, sed etiam vim sui motoris qui est iustitia vindicans quod per peccata admissum est: & hæc contrarietas fortior est quam contrarietas naturalis: & ideo magis præsumitur, & maior est actio in animam secundum quantitatem afflictionis, quam sit aliquod corpus animatum ante mortem.

AD ALIVD dicendum, quòd species ignis agentis est duplex; sicut etiam species caloris naturalis. Secundum enim quod est calor ignis, igneitas est species eius. Secundum autem quod motus est deriuatus ab anima, caro est species eius, & nerui, & forma, & huiusmodi. Ita dico de igne inferni, quòd secundum suam naturam habet speciem quam non imprimit animæ: & ideo anima non dicitur calida. Sed secundum quod est instrumentum iustitiæ vindicantis, habet aliam speciem, quam puto esse afflictionem ex calore eius qui deliquit: & hanc imprimit animæ delinquenti: & ideo non puto animam esse calidam, sed inæstimabiliter affligi ex calido: & huius speciei anima exuta magis susceptibilis est, quam aliquod animatum in vita ista. Nota autem, quòd quidam hic alias rationes istius assignant quod dicib Augustinus, sicut verbi gratia, quòd anima plus patiatur post mortem quam ante: quòd illa passio est animæ, & vita tota venit super eam. Item plus est pati per se, quam compati. Ignis autem compatitur tantum, sed post mortem patitur. Item quia hic aliquo modo voluntariè: ibi autem omnino inuoluntariè. Et huiusmodi iungunt rationes quæ magis ridiculosæ & vulgares sunt, quam veræ: quia ista quæ inducunt, non sunt rationes veræ, & maioris passionis in spirituali substantia, sed potius minoris, vel etiam nullius: & ideo ad supra dicta recurrendum est.

AD ID autem quod obiicitur ex ordine iustitiæ, dicendum quòd veniale est duplex, scilicet veniale ex genere, & veniale ex euentu. Secundum Gregor. in quarto dialogorum, vbi loquitur de purgatorio, exemplificat de otioso: non tamen Deus punit vltra condignum: quia veniale ex euentu mutatum est per misericordiam in tale, quod pœna sit delebile: & hæc semper est misericordia & citra condignum puniens, vbicunque puniatur. Sed quod ibi fortius & hic minus, puto est ex mutatione status: & hoc per accidens. Est autem actio pœna ibi illis rationibus, quæ innuuntur in soluendo & in principio solutionis. In qualibet enim solutione vna ratio actioris pœnæ innuitur. Veniale autem ex genere est dispositio ad mortale & ad auersionem: & ideo etiam sibi debetur pœna minor hic, & maior ibi ratione dicta.

AD VLTIMVM dicimus, quòd mortale manens mortale non expiatur pœna aliqua: & ideo si intelligitur obiectio de illo, tunc prima propositio est falsa: sed mortale per euentum factum veniale expiatur pœna aliqua: sed tunc fit proportionabile veniali ex genere, & tunc non sequitur conclusio.

AD ID quod obiicitur de dictis beati Gregorij, dicendum quòd illa pœna inquantum est dilatiua gloriæ summè desideratæ, ipsa fert maiorem tristitiam quam illud quod aufert sanitatem & vitam in corpore isto: & ratio huius in principio solutionis patuit.

De his qui hic pœnitentiam non complent.

B SI vero quæritur de illis qui in hac vita pœnitentiam non complent, vtrum transituri sint per ignem purgatorij, vt ibi compleant quod hic minus fecerunt? idem dicimus & de istis esse sentiendum, & de his qui in extremis pœnitent. Si enim tanta fuerit cordis contritio & delicti exprobratio, vt sufficiat ad puniendum peccatum, liberi ab aliis pœnis transeunt ad vitam, etsi inexpleta fuerit pœnitentia: qui perfectè pœnituerunt, & ingenuerunt corde. Qui verò non adeo conteruntur corde & ingemiscunt pro peccato, si ante expletionem pœnitentiæ discesserint, ignem purgatorium sentient, & grauius punientur quam si hic implessent pœnitentiam. Horrendum est enim incidere in manus Dei viuentis. Deus enim cum sit misericors & iustus, ex misericordia pœnitenti ignoscit, non reseruans peccatum ad pœnam æternam. Ex iustitia vero impunitum non dimittit delictum. Aut enim punit homo, aut Deus. Homo autem punit pœnitendo, Deus autem pœnam exigendo.

Hebr. 10.

exigendo. Et est pœnitentia interior, & exterior. Si ergo interior pœnitudo fuerit tanta, vt sit sufficiens vltio peccati, Deus qui hoc nouit, ab illo qui taliter pœnitet, vlterius pœnam non exigit. Si vero interior pœnitudo non sufficit in vindictam peccati, nec exterior pœnitentia impletur, Deus qui modos & mensuras peccatorum & pœnarum nouit, addit pœnam sufficientem. Studeat ergo quisque sic delicta corrigere, vt post mortem non oporteat pœnam tolerare. Quædam enim peccata mortalia, in pœnitentia fiunt venialia, non tamen mox sanantur. Sæpe enim infirmus moreretur, si non medicaretur: non tamen statim medicatus sanatur. Languet post victurus, qui prius erat moriturus. Qui autem impœnitens moritur, omnino moritur, & æternaliter cruciatur. Si enim semper viueret, semper peccaret. Aug. de vera & falsa pœnitentia. cap. 8.

ARTICVLVS IX.

An horrendum sit incidere in manus Dei?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Horrendum est incidere &c.] Contra. Deus infinitum est magis est misericors, quam aliquis homo: ergo minus horrendum est incidere in manus Dei, quam in manus hominum, quia multæ sunt miserationes eius: ergo videtur, quòd falsum dicat in litera.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd in opere misericordiæ superexaltantis iudicium, leuius est incidere in manus Dei, quam in manus hominis, hoc est, dum tempus est miserendi & pœnitentiæ: dum autem iustitias iudicabit in futuro, horrendum est incidere in manus Dei magis quam in manus hominis: quia tunc sicut dicitur Prouerb. 6. Zelus & furor viri non parcet in die vindictæ, nec acquiescet cuiusquam precibus, nec suscipiet pro redemptione dona plurima. Et per hoc patet solutio.

ARTICVLVS X.

An veniale peccatum potest mutari in mortale peccatum?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Quædam enim peccata mortalia, &c.] Contra. Sciunt artifices alchimiæ species transmutari non posse: sed diuersæ sunt species peccati, veniale & mortale: ergo vnum non transmutatur in aliud.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quod veniale peccatum nunquam fit mortale nisi per modum supra dictum distinct. 16. nec mortale fit hoc modo veniale, sed mortale fit veniale ex eterna misericordia in pœna exsibile eo quod Deus delet culpam per suam gratiam, quæ facit postea solubilem reatum. 1. Cor. 1. Deprom. dist. 1. c. Mecum- rem.

ARTICVLVS XI.

An si peccator semper viueret, semper peccaret?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Si enim semper viueret, semper peccaret] & cætera. Ista conditionalis videtur esse impossibilis: quia consequentia nulla esse videtur. Iste qui peccauit, semper viuit: ergo semper peccat: potest enim non peccare, & tamen semper viuere.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd homo est spiritus vadens, & non rediens: vnde de se habet homo, quòd peccet: sed de se non habet homo, quòd resurgat. Dicendum ergo ad literam, quòd sicut videre secundum Philosophum dupliciter dicitur, scilicet habere visum, & visu vti: ita & peccare dicitur ad habere peccatum, & vti peccato. Et hoc intelligitur ad habere peccatum: quia qui semel peccat, quantum est de se, semper est in peccato & erit: & secundum hoc consequentia est bona: & ita intelligitur litera.

De illo cui sacerdos indiscretus iniungit paruam pœnitentiam.

SI vero de illo quæritur, qui satisfactionem iniunctam impleuerit, quæ ignorantia vel negligentia sacerdotis, peccato condigna non fuit, vtrum de vita migrans ab omni pœna liber sit? Idem respondeo, quod supra de illo qui pœnitentiam non compleuit, dixi. Quod si tantum est lamentum interioris doloris, vt sufficiat in vindictam peccati, omnino liberans est: si vero non sufficit dolor interior simul cum pœna iniuncta, addet Deus pœnam. Quod autem interdum sufficiat dolor interior ad vindictam

dictam peccati, certum documentum habemus in illo latrone: qui
Luc.23. sola mentis contritione & confessione statim vt conuersus fuit, paradisum ingredi meruit. Sed quia dispensatores Ecclesiæ, contritionis quantitatem non perpendunt, quibus non est datum intelligere occulta cordium, omnibus leges pœnitentiæ constituunt, tam magis quam minus de peccato dolentibus. Quorum studium ad hoc præcipuè tendere debet, vt cordis dolorem (quantum fas est) cognoscant, & secundum ipsius modum satisfactionem iniungant: vnde
In Ench. cap.65. Augustinus, In actione pœnitentiæ, vbi tale commissum est, vt is qui commisit, à Christi etiam corpore separetur: non tam consideranda est mensura temporis, quam doloris. Cor enim contritum &
Psal.37. humiliatum Deus non despicit. Verum quia plerumque dolor alterius cordis occultus est alteri, nec in aliorum notitiam nisi per verba vel alia quæcunque signa procedit: cum sit coram illo cui dicitur, Gemitus meus à te non est absconditus: rectè constituuntur ab his qui Ecclesiis præsunt, tempora pœnitentiæ, vt satisfaciat etiam Ecclesiæ, in qua peccata ipsa remittuntur: extra eam quippe non remittuntur.
1.Cor.1. Ipsa enim Spiritum sanctum pignus accepit, sine quo non remittuntur vlla peccata. Item Hieron. Mensuram temporis in agenda pœni-
De pœn. dist.1. c. Mensuram. tentia ideo non satis apertè præfigunt canones prò vnoquoque crimine, vt de singulis dicant qualiter vnumquodque emendandum sit: sed magis in arbitrio sacerdotis intelligentis relinquendum statuerunt: quia apud Deum non tantum valet mensura temporis, quantum doloris: nec abstinentia tantum ciborum, quantum mortificatio vitiorum. Ideoque tempora pœnitentiæ pro fide & conuersatione fidelium pœnitentium abbreuianda præcipiunt, & pro negligentia protelanda: pro quibusdam tamen culpis modi pœnitentiæ sunt impositi.

ARTICVLVS XII.

An qui iniunctam pœnitentiam non perfecerit, tenebitur illam in purgatorio perficere?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Si vero quæratur de illo qui satisfactionem iniunctam non impleuit. Videtur enim, quòd iniustè agitur cum illo si Deus eum punit: fecit enim ille quod Dominus imperauit Matth.23. Quæcunque dixerint vobis, seruate & facite: sed iste fecit quicquid ei sedens super cathedram Moysi præcepit: ergo videtur, quòd in toto sit absolutus.

2 Adhuc, Iste non tenetur scire taxationes pœnitentiarum: ergo videtur, quòd si etiam minor iniungitur, & ipse complet eam, quòd ignorantia absoluit à residuo: ergo ipse amplius non debet puniri in purgatorio.

3 Adhuc, Sicut superius patuit, pœnitentia iniungitur non tantum pro quantitate reatus, sed etiam vt sit medicina: vnde cum coitus sit maius peccatum in sene, quam in iuuene: tamen quandoque maior pœnitentia iniungitur iuueni, quam seni: quia maiori indiget medicina morbus ille in iuuene, quam in sene. Ponamus ergo, quòd talis tantum expleat, quantum competit pro reatu quem fecit, nec tamen in totum expleat quòd iniunxit sacerdos. Et quæratur, vtrum ille complebit in purgatorio? Videtur, quòd sic: quia non impleuit totam pœnitentiam sibi iniunctam hîc: ergo in purgatorio implebit residuum secundum ea quæ dicuntur hic in litera.

CONTRA: Secundum quantitatem delicti sit & plagarum modus: sed recepit iam pœnam secundum quantitatem delicti: igitur iniustè secum agitur, si amplius punitur. *Sed contra.* Deut.25.

RESPONSIO. Ad primum quæsitum dicendum, quòd sicut ipse dicit in litera, in purgatorio implebit. *Solutio.*

AD PRIMVM contra obiectum, dicendum quòd sic intelligitur: quæcunque dixerint vobis secundum discretionem diuini iuris & peccantis: hîc autem non seruatur discretio iuris diuini.

AD ALIVD dicendum, quòd ignorantia iuris est, licet sit obscurum ius: quia tenetur scire, quòd satisfactio debet esse proportionata culpæ: & hæc talis ignorantia, vt dicit Augustinus, nullum excusat vt non ardeat: sed vt minus ardeat excusare potest.

AD ID quod vlterius quæritur, dicendum quòd statim talis euolat: quia amplius non indiget medicina. *Ad quæstionem.*

AD OBIECTVM contra, dicendum quòd intelligitur

intelligitur de iniunctis ad reatum delendum tantum.

ARTICVLVS XIII.

An latro statim vt conuersus fuit, paradisum ingredi meruit?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Statim vt conuersus fuit, paradisum ingredi meruit, &c.] Contra: Ante ascensionem nullus intrauit cælum nisi latro: quia dicitur Mich. 2. Ipse ascendit, pandens iter ante eos. Ergo videtur, quòd falsum dicit in litera. Si forte dicas, quòd propositio quæ iacet in litera, duplex est, ex eo quod ly statim potest determinare illud verbum meruit, & sic est vera: vel verbum ingredi, & sic est falsa. Contra: Luc. 23. Amen dico tibi, hodie mecum eris in paradiso. Ergo videtur, quòd determinat ingredi: & in hoc sensu falsa fuit: ergo falsa est simpliciter.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd tres generales sententiæ sunt de paradiso, vt dicit Augustinus, in principio 12. super Genes. ad literam, scilicet quòd sit corporalis, quòd sit spiritualis, & quòd sit vtrique locus. Dicendum ergo, quòd spiritualis paradisus est in quo sancti cum Deo conuersantur: & ille habet tria, scilicet requiem, & delicias in obiecto fruentium, & loci congruentiam quod est cælum empyreum. Et quantum ad duo prima latro statim cum Christo ingressus est paradisum post mortem, scilicet quoad requiem, & delicias fruitionis. Quantum autem ad tertium verum est, quòd nullus ingressus est nisi post ascensionem. Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICVLVS XIV.

An mensura temporis satis apertè præfigitur pœnitentibus?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Mensuram temporis in agenda pœnitentia ideo non satis apertè præfigunt canones, &c.] Videtur enim falsum quod dicit, quòd canones determinant pœnitentias septennes & triennes, & 40. dierum, & plus, & minus, vt patet in decreto: ergo videtur, quòd Hieron. hic falsum dicit.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum sicut supra notatum est, quòd nunquam apertè præscribitur regula pœnitentiæ: sed tamen tria ad minus attendenda sunt, scilicet peccati qualitas, contritionis quantitas, & status pœnitentis. Canon autem non attendit nisi vnum: & ideo quod dicit, non est nisi quasi exemplare ad dirigendum in aliis ad minorandum ab illo, vel illi addendum secundum arbitrium discreti sacerdotis, hæc tria solenniter obseruantis.

Quod morientibus non sit imponenda satisfactio, sed innotescenda.

SOLET etiam quæri, Vtrum satisfactionis lex morituris sit imponenda? De quo Theodorus Cantuariens. Episcopus in pœnitentiali suo sic ait, Ab infirmis in periculo mortis positis, pura inquirenda est confessio peccatorum: non tamen est illis imponenda quantitas pœnitentiæ, sed innotescenda: & cum amicorum orationibus, & eleemosynarum largitionibus, pondus pœnitentiæ subleuandum, si fortè migrauerint. Si verò conualuerint, pœnitentiæ modum à sacerdote impositum diligenter obseruent. Aliis vero pro qualitate peccati, pœnitentia decernenda est præsidentium arbitrio. Vnde Leo Papa, Tempora pœnitudinis habita moderatione constituenda sunt tuo iudicio, prout conuersorum animos perspexeris esse deuotos. Pariter etiam habere debes ætatis senilis (alias simul) intuitum, & respicere periculorum quorumcunque vel ægritudinum necessitates.

D 26. q. 7. cap. Ab infirmis.

26. q. 7. c. Tempora.

In necessitate non est neganda pœnitentia vel reconciliatio.

SCIENDVM etiam, quòd tempore necessitatis non est neganda pœnitentia vel reconciliatio petentibus. Vnde Leo Papa, His qui tempore necessitatis & periculi vrgentis instantia præsidium pœnitentiæ, & mox reconciliationis implorant, nec satisfactio interdicenda est, nec reconciliatio deneganda: quia misericordiæ Dei nec mensuras possumus ponere, nec tempora diffinire. Quod si ita aliqua ægritudine aggrauati sunt, vt quod paulo ante poscebant sub

E 26. q. 6. cap. His qui.

ſub præſenti ſignificare non valeant, teſtimonia eis fidelium circunſtantium prodeſſe debebunt: ſimulque pœnitentiæ & reconciliationis conſequantur beneficium. Item Iulius Papa, Si ptesbyter pœnitentiam abnegauerit morientibus, reus erit animarum: quia Dominus ait, Cum conuerſus fuerit, tunc ſaluus erit. Vera enim confeſſio vltimo tempore poteſt eſſe: quia non modo temporis, ſed etiam cordis, Deus inſpector eſt, ſicut latro probat.

Ibidem c. Presbyter. Ezec. 18. 26. q. 9. cap. Cognouimus ad fin.

ARTICVLVS XV.

An notificari debeat confitenti quantum oporteat facere ſecundum canonem, non tamen iniungere?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Non tamen illis imponenda eſt quantitas pœnitentiæ, &c.] Videtur enim, quòd periculum ſit eis innoteſcere pœnitentiam: quia grauis pœnitentia indicat graue peccatum: & cognitum inducit in deſperationem: cum ergo ſummè cauendum ſit ne infirmus pœnitens cadat in deſperationem, videtur quòd pœnitentia non ſit innoteſcenda.

Solutio. AD HOC dicendum, quòd in veritate innoteſcenda eſt: quia bonum eſt infirmo vt ſuæ culpæ quantitatem cognoſcat, vt amplius conteratur: tamen ſacerdos indicare debet infirmo miſericordiam Dei, cui quaſi nihil eſt multa peccata relaxare, & æquè multa vt pauca: & tunc non cadet in deſperationem. Et per hoc patet ſolutio obiecti.

ARTICVLVS XVI.

Indulgentia ſiue relaxatio quid ſit?

DEinde quæritur de ratione huius quod dicit [Et cum amicorum orationibus & eleemoſynarum largitionibus pondus pœnitentiæ ſubleuandum, &c.] Quæritur de relaxationibus ſiue pœnitentiis. Et quæruntur ſeptem, ſcilicet quid ſit relaxatio ſiue indulgentia? Secundo, An valeat, & effectum habeat, vel non? Tertio, Cui valeat? Quarto, Vtrum valeat non danti & habenti dandi voluntatem? Quinto, Vtrum Papa poteſt facere indulgentias in mortali peccato exiſtens, & ei qui eſt in mortali? Sexto, Vtrum Epiſcopus poteſt facere indulgentias? Septimo & vltimo, Vtrum plebanus poteſt eas facere, vel abbas ſuis monachis?

Ad primum horum ſic obiicitur: Magiſtri diffiniunt relaxationem ſic, Relaxatio eſt ſatisfactionis maioris in minorem competens & diſcreta commutatio. Alij ſic, Relaxatio eſt pœnæ temporalis debitæ promiſſa diminutio. Videtur autem neutra harum competere: quia relaxatio dicit remiſſionem: commutatio autem non eſt remiſſio, ſed exactio alterius pro illo æqualis in quantitate, vel valore, vel vtroque: ergo relaxatio non eſt commutatio: ergo mala diffinitio prima.

2 Adhuc, quia non ſic vtuntur relaxationibus illi, quorum intereſt dare relaxationes. Dicunt enim, Miſericorditer relaxamus: & non ponunt aliquid in quod commutent, nec vtuntur verbo commutationis: ergo videtur, quòd relaxatio non ſit commutatio.

3 Adhuc, 2. Corinth. 2. relaxationem facit Apoſtolus dicens, Cui autem aliquid donaſtis: & ego. Nam & ego quod donaui, ſiquid donaui, propter vos, in perſona Chriſti. Et planum eſt hic nullam eſſe commutationem: ergo videtur, quòd relaxatio non eſt commutatio.

4 Adhuc, Commutatio magis eſt voluntatis quam poteſtatis: cuius probatio eſt, quia voluntates commutant homines etiam non habentes poteſtatem: ſed relaxatio magis reſpicit voluntatem: ergo relaxatio non eſt diffinienda per commutationem.

5 Adhuc, In corpalibus non fit commutatio per modum relaxationis, ſed per modum remiſſionis: ergo videtur, quòd nec in ſpiritualibus ita debeat fieri: ergo malè diffinitur.

Contra ſecundam autem diffinitionem obiicitur ſic: Ponamus enim, quòd aliquis ſit ſufficienter contritus ad culpæ & pœnæ dimiſſionem: conſtat, quòd ille nullius pœnæ eſt debitor: ergo non fit ei diminutio aliqua pœnæ: & tamen ſibi poteſt fieri relaxatio: ergo videtur, quòd relaxatio non ſit diminutio pœnæ.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius obiicitur: quia relaxatio diuina exemplar eſt relaxationis Eccleſiæ: ſed omnis diuina relaxatio eſt cum commutatione maioris pœnæ in minorem: ergo & relaxatio Eccleſiæ debet eſſe huiuſmodi. Prima patet per ſe. Secunda probatur per Magiſtrum Hugonem de ſanct. Vict. qui dicit, quòd remiſſio culpam & pœnam æternam obligat ad pœnam temporalem purgatoriam: & ita eſt commutatio maioris pœnæ in minorem: & ſic conſtat propoſitum.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd diffinitiones datæ ſatis poſſunt ſuſtineri: ſiquis tamen hanc dare vellet, ſcilicet quòd indulgentia ſiue relaxatio eſt remiſſio pœnæ iniunctæ ex vi clauium & theſauro ſupererogationis perfectorum procedens: puto, quòd melius diffiniret. Quia tunc ibi eſt remiſſio vt genus. Sed quia eſt remiſſio culpæ quam ſolus facit Deus, & remiſſio pœnæ quam Deus & homo faciunt, ideo additur, pœnæ. Quia autem iterum pœna eſt æterna quam remittit Deus, & temporalis pœna ſatisfactionis iniunctæ quã remittit homo, ideo additur, iniunctæ. Quia vero hanc remiſſionem tantum facere poteſt habens iuriſdictionem & claues, ideo additur, ex vi clauium. Quia vero non poteſt remitti debitè & diſcretè pro peccatis iniunctum vni, niſi fiat recompenſatio per alterum qui plus debito facit, ideo ſubiungit, ex theſauro ſupererogationis perfectorum procedens. In hoc enim theſauro habet Eccleſia diuitias meritorum & paſſionis Chriſti, &

& gloriosæ Virginis Mariæ, & omnium Apostolorum, & martyrum, & sanctorum Dei viuorum & mortuorum. Et pro vtilitate & necessitate Ecclesię possunt impendi in suffragia eorum qui seruiunt Ecclesiæ in sua necessitate. Et ideo hanc diffinitionem meliorem aliis iudico.

TAMEN SVSTINENDO primam, dico ad primum obiectum, quòd commutatio in minus est cum remissione: & quia Ecclesia exigit aliquid sibi proficuum in necessitate, ideo ponitur ibi commutatio.

AD ALIVD dicendum, quòd modo illo in relaxationibus vtuntur: quia accipiunt vel votum crucis, vel eleemosynæ collationem, vel verbi Dei auditum: & hæ sunt quædam pœnæ minores: & tunc faciunt relaxationem istis habitis.

AD ALIVD dicendum, quòd Apostolus relaxauit pœnam, eo quod ille multum fuerat contritus: & sufficiebat sibi obiurgatio quam sustinuerat à pluribus, vt ibidem dicitur, & indigebat relaxatione: & non erat ibi commutatio: quia acrior erat in puniendo postea ad ædificationem Ecclesiæ quam scandalizauerat.

AD ALIVD dicendum, quòd commutatio contractuum est ad voluntatem: sed commutatio quæ est maioris in minus, respicit auctoritatem eius qui habet gubernare Ecclesiam: quia sine illius potestate fieri non potest: & talis est commutatio indulgentiarum siue relaxationum.

AD ALIVD dicendum, quòd in corporalibus etiam relaxationes fiunt duplices, scilicet totius, vel partis: & indulgentia Ecclesiæ assimilatur indulgentiæ in qua indulgetur & relaxatur pars, & non totum.

AD ALIVD quod obijcitur contra secundam, dicendum quòd benè potest esse, quòd taliter contritus non sit debitor quoad Deum, sed tamen debitor est quoad Ecclesiam, sicut expresse ex litera præcedentis capituli colligitur ex verbis Augustini & Hieron. Et ideo de illo potest sibi fieri diminutio & relaxatio. Et per hoc patet solutio da totum.

ARTICVLVS XVII.

An relaxatio etiam habeat effectum, & an valeat?

SEcundo quæritur an valeat relaxatio, & an effectum habeat, vel non? Videtur autem, quòd nihil valeat. 2. Tim. 2. Fidelis est, & seipsum negare non potest. Gloss. Quod faceret si sua dicta non impleret. Sed dixit, quòd secundum mensuram delicti debet esse plagarum modus. Ergo nihil de illo potest relaxare: ergo videtur, quòd nihil valeat relaxatio. Deut. 13.

2 Adhuc August. Aut Deus punit, aut homo: sed homo non punit dignè quod relaxatur: ergo Deus punit: ergo non valuit relaxatio.

3 Adhuc Isa. 40. Dimissa est iniquitas illius, suscepit de manu Domini duplicia pro omnibus peccatis. Ergo videtur, quòd pœnæ sint potius duplicandæ, quam indulgendæ: ergo indulgentia nihil valet, vt videtur.

4 Adhuc Gloss. super illum locum Isa. Suscepit tormentum in corpore & in anima pro omnibus peccatis suis. Ergo nihil valuit ei relaxatio: ergo nec alij valet, quia de similibus idem est iudicium, vt dicit Boetius.

5 Adhuc, Morbus corporalis non potest excidi & curari, nisi per antidotum: & si relaxetur antidotum, remanet morbus: sed morbus spiritualis magis est difficilis, & pœnitentia iniuncta est eius antidotum: ergo si relaxaretur aliquid de pœna, remaneret morbus: ergo nihil valet, sed etiam obest relaxatio pœnitentiæ iniunctæ.

6 Adhuc, Videtur esse derisio emere pro obolo indulgentiam quadraginta dierum, vel vnius anni, vel quinque, vel plurium.

7 Vlterius videtur, quòd etiam simonia committatur in talibus: constat enim, quòd spirituale est quod remittitur ab Ecclesia, & temporale est quod pro illo exigitur & impenditur: ergo fit ibi emptio spiritualis pretio temporali: & hoc facit simoniam: ergo in talibus committitur simonia.

8 Adhuc, Ponamus alicui iniunctos esse septem annos ieiunij, & veniat vno die septies ad Ecclesiam quæ habet à Papa indulgentiam vnius anni, & semper offerat vnum obolum: ergo iste in solo die per septem obolos absolutus est à septem annis pœnitentiæ iustè sibi iniunctæ: sed hoc mirum si etiam infideles non irridebunt.

SI AVTEM concedatur, quòd nihil valeat. Contra. 2. Corinth. 2. Nam & ego quod donaui, siquid donaui, propter vos, in persona Christi Glossa, Ac si Christus condonasset: sed constat, quòd hoc quod Christus condonat, condonatum est: ergo & quod Apostolus condonauit: sed tantæ potentiæ est Papa, quantæ Paulus: ergo & quod Papa condonat, condonatum est: ergo & quod isti condonant, qui vt condonare possint habent à Papa: ergo tantum valent indulgentiæ, quantum ab his qui eas dant, valere dicuntur. *Sed contra.*

2 Adhuc Chrysostomus super Matth. 16. super illud, Dabo tibi claues, &c. Homini mortali & terreno omnium quæ in cælo sunt, potestatem commisit Deus, & Ecclesiam cælo validiorem monstrauit. Constat autem, quia quod in cælo indulgetur, omnino indultum est: ergo cum Ecclesia validior sit cælo, videtur quòd indultum est illud, quod relaxatur in Ecclesia.

3 Adhuc, Vniuersalis gubernator Ecclesiæ præcipue in his quæ tota Ecclesia recipit & approbat, non est credendus fallere velle aliquem: constat autem, quòd ipse indulgentias valere prædicat & prædicare facit: ergo vt videtur, simpliciter valent, sicut valere prædicantur.

4 Adhuc Luc. 22. Ego pro te rogaui Petre, vt non deficiat fides tua: hoc autem Petro dictum est in persona Ecclesiæ: ergo Ecclesia vniuersalis non errat: ergo videtur, quòd indulgentiæ valeant.

5 Adhuc, Videmus, quòd huiusmodi promittuntur Petro in persona Ecclesiæ cum dicitur, Ego non dico tibi Petre, Dimittere septies, sed vsque septuagies septies: ergo videtur, quòd quanto plures dat indulgentias Ecclesiasticus dispensator, tanto melius facit: sed non melius faceret, si indulgentiæ nihil valerent: ergo indulgentiæ valent & effectum habent.

6 Adhuc, In corpore humano videmus, quòd pondus & infirmitatem vnius membri recipit aliud membrum: facit enim fluere sapiens medicus super aliud minus periculosum: ergo in erit etiam in spiritualibus: ergo vnus potest facere pro alio: ergo cum indulgentia fiat, vni ex hoc quòd

plus

plus fecit alio, videtur effectum habere indulgentia & esse vera.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd tres opiniones antiquitus fuerunt circa indulgentias. Quidam enim rationibus prædictis plus moti, quam necesse esset, dixerunt indulgentias omnino nihil valere, & esse eas iam fraudem qua mater decipiendo pueros suos prouocat ad bonum, scilicet peregrinationes, & eleemosynas, & auditum verbi Dei, & huiusmodi: & dederunt exemplum de matre prouocante paruulos ad ambulandum quod vtile est paruulis, & in fine viæ promittente ei pomum, & postea subtrahente: quæ deceptio etiam pia est. Sed isti ad ludum puerorum distrahunt facta Ecclesiæ: & hoc ferè sapere hæresim puto: in nullo enim crederetur Ecclesiæ, si in istis quæ prædicantur populo & adhortantur vt faciant, inueniatur deceptio. Ideo alij pluſquam oportuit contradicentes, dixerunt quòd simpliciter sicut pronuntiantur indulgentiæ, ita valent sine omni alia conditione intellecta vel dicta. Sed quia isti nimis bonum forum dant misericordiæ Dei, ideo tertiæ opinioni consentiendum mihi videtur, quæ eligit viam mediam opinionum, scilicet quòd indulgentiæ valent sicut eas valere prædicat Ecclesia: sed sex exiguntur conditiones quæ suppositæ sunt vel dictæ ab Ecclesia. Duæ autem sunt ex parte dantis, quarum prima est dantis auctoritas ex iurisdictione quam habet sicut Papa, Episcopus, Legatus, & huiusmodi. Alia est pia causa dantem mouens, non priuata, sed publica. Hæc autem causa tanquam in duo diuiditur, vt scilicet sit iusta necessitas talia postulandi à fidelibus, vel publica vtilitas. Iusta necessitas, sicut periculum patriæ, liberatio terræ sanctæ, periclitata fides, periclitatio studij, & huiusmodi: vtilitas autem, sicut paupertas loci, auditus verbi Dei, frequentatio reliquiarum, & huiusmodi. Alia duo supponuntur ex parte recipientis, scilicet quòd sit contritus & confessus in voto seu in proposito, & quòd habeat fidem, quòd hoc sibi possit fieri per clauium potestatem. Et ideo semper in literis indulgentiarum continetur, Omnibus contritis & confessis, &c. quia aliter non esset ab eo solubilis pœna, nisi iam præcessisset in eo remissio culpæ. Alia duo exiguntur ex parte gratiæ vel Ecclesiæ in qua sit remissio peccatorum, scilicet abundantia thesauri meritorum repositorum in thecis spiritualibus Ecclesiæ, de quibus metitis supra dictum est: & iusta æstimatio solutionis eius, pro qua indulgentia est instituta. Iustam autem voco æstimationem, non quæ sit ad æstimationem recipientis indulgentiam, qui forte nimis parum æstimaret quod dat, sicut dixerunt quidam: nec etiam ad æstimationem dantis indulgentiam, qui nimis parum, datum fortè æstimaret; & hoc dixerunt alij. Sed voco iustam æstimationem bonorum virorum secundum Ecclesiæ necessitatem, considerato tempore & facultate personæ: quia vno tempore plus valet patum adiutorij, quam alio magnum: & plus & vni dare patum, quam alij multum. His autem quidam addere volunt duo alia, scilicet si benedicat iniungens pœnitentiam promiserit, & si vtile sit pœnitenti vt talem pœnitentiam recipiat. Vnde notant versus sic:

Si tibi promittat confessor, si tibi fortè
Expedit aliquo loco demoro, cum sale præsul
Securum faciat, post hoc oblatio fiat.

Sed puto, hæc duo vltima addere non oportet: quia indulgentia semper à superiore datur, qui non habet aliquid quærere à sacerdote qui satisfactionem iniunxit, sed potius etiam contra voluntatem sacerdotis circa subditum potest facere quod vult. De secundo constat, quòd non est addendum: quia non puto dubium esse alicui quin semper bona sit indulgentia.

DICENDVM ergo ad primum, quòd Deus se non negat confirmando indulgentiam Ecclesiæ, sed potius se veracem ostendit in hoc quod dixit, Quorum remiseritis peccata, remittuntur eis: & ista verba implet, quia secundum mensuram delicti est pœna dupliciter proportionata, scilicet in quantitate, & hoc attendit clauis in confessione: vel valore Ecclesiæ, & hoc attendit clauis in relaxatione, quando præcipit fieri quod magis valet Ecclesiæ, in qua peccata omnia remittuntur.

AD ALIVD dicendum, quòd homo præsumit hoc, sed non idem homo, sed alius qui in pœnis supererogationum in potestate dispensandi habet Ecclesiam: & hoc bene potest fieri: quia sicut habetur 1. Corinth. 12. in Glossa & textu, sicut communicantur bona corporis naturalis de vno membrorum in aliud: ita communicantur bona corporis mystici.

AD ALIVD dicendum, quòd duplicia non dicunt in pœnæ duplicitatem: quia hoc esset punire vltra condignum, quod non competit Deo, cuius proprium est misereri & parcere: sed hoc est puniri in corpore & anima. Et in anima quidem omnis pœnitens punitur per dolorem contritionis: in corpore autem per aliquam satisfactionem: quæ licet non sit illa quam iniungit confessor, est tamen illa quam requirit ille qui dat indulgentiã: quia, sicut supra habitum est, commutatio quædam est pœnæ in pœnam, licet sit minor quantitate, tamen maior est in valore, tempore vtilitatis & necessitatis Ecclesiæ.

AD ALIVD dicendum, quòd Glossa non intendit per pœnam corporis & animæ, aliud quam quod dictum est.

AD ALIVD dicendum, quòd in veritate illa obiectio est bona: sed dicendum, quòd in spiritualibus aliud est, quam in corporalibus: quia in spiritualibus omnes morbi pendent ex causa vna quę est peruersa voluntas, & illa conuersa esse supponitur antequam locum habeat indulgentia: & ideo quæcunque pœna est satisfactiua residui remanentis, ita quòd morbus non reuertitur: sed in morbis corporalibus non omnes morbi pendẽt ex radice vna, & ideo non potest medicina in medicinam commutari: tamen consilium meum in talibus consueuit esse, quòd etiam post relaxationem pœnitens maneat in pœnitentia quam diserens confessor post diligentem examinationem confessionis iniungit: quia ille non iniungit tantum pro reatu delendo, sed etiam vt sit medicina contra pronitates contractas ex antiquis peccatis, quæ non delentur per indulgentiam, sed potius per opera satisfactionis prædicto modo iniuncta. Et licet non teneatur ieiunia seruare vt satisfaciat pro reatu: vtile tamen est, quòd seruet pro medicina reliquiarum peccati: sicut etiam medicus corporalis dat medicinam, & ordinat dieram: illud enim iniunctum est sicut ordinatio cuiusdam dietæ, congruens ei qui taliter peccauit.

AD ALIVD dicendum, quòd nulla est si-

monia:

monia: quia illud quod Ecclesia exigit, non refertur ad corpotale, sed ad spirituale: nec est ibi emptio, sed largitas Ecclesiæ sic ad bonum prouocantis filios suos.

AD ALIVD dicendum, quòd in veritate nulla est delusio: quia pro obolo recipit, quantum secundum suam facultatem & Ecclesiæ valet: oblata etiam non recipit tantum, quantum credunt illusores. Et per idem etiam patet solutio ad sequens, & solutum est totum.

ARTICVLVS XVIII.

Cui valeat indulgentia?

TErtio quæritur, Cui valeat? Et ibi quæruntur sub vno articulo tria, scilicet an valeat existenti in mortali peccato? & an valeat æqualiter seculari & religioso? Et tertio, An valeat existenti in inferno vel purgatorio?

Quæst. 1. VIDETVR autem, quòd valeat omnibus in peccato mortali existentibus: quia prædicatur omnibus indulgentia: sed Ecclesia nullum fallit: ergo æqualiter omnibus valet.

2 Item, Ecclesia excogitauit indulgentias propter necessitatem quam patiuntur peccatores, plus facientes in peccatis, quam possint satisfacere in pœnis: sed secundum hoc nulli tantum indigent, sicut in peccato mortali existentes: ergo videtur, quòd indulgentia præcipuè valeat illis.

Sed contra. SED IN CONTRARIVM est, quòd à nullo solubilis est pœna nisi à quo soluta est culpa: sed ab isto non est soluta culpa: ergo insolubilis est pœna: sed Ecclesia non relaxat nisi pœnam: ergo videtur, quòd talibus nihil relaxat.

2 Adhuc, Clauis in confessione absoluens confitentes certior est in effectu suo, quam clauis in relaxationibus: sed in confessione non absoluit nisi absolutum prius à Deo à culpa mortalis peccati: ergo non in relaxatione aliquid absoluitur de pœna, nisi prius remissa sit culpa à Deo.

Quæst. 2. VLTERIVS quæritur iterum de secundo, Vtrum æquè prodest religioso, & seculari? Videtur autem, quòd plus prosit seculari: remissio enim debetur indigentibus, qui minus faciunt in satisfactione: sed tales sunt seculares: ergo illis præcipue datur relaxatio.

2 Adhuc, Non est vnus status dantis stipendia in temporalibus, & accipientis: ergo nec in spiritualibus: sed spirituales sunt ex quorum abundantiis supplentur defectus aliorum: ergo videtur, quòd quicquid relaxatur in secularibus, quod hoc totum imponitur religiosis ad supplendum: ergo videtur, quòd quando datur secularibus indulgentia vnius anni, quod vnus annus apponitur religiosis pro satisfactione pro peccatis.

Sed contra. IN CONTRARIVM obiicitur: quia magis combustibile magis comburitur: & est in omnibus aliis ita, quòd magis susceptibile alicuius, magis suscipit de illo: ergo magis susceptibilis spiritualium beneficiorum, magis de ipsis suscipit: sed magis depuratus, magis est susceptibilis spiritualium beneficiorum: ergo videtur, quòd tales magis suscipiunt: sed religiosi vt frequenter, magis sunt puri & susceptibiles: ergo magis suscipiunt de spiritualibus donis: sed de spiritualibus donis est indulgentia: ergo religiosi & spirituales viri plus indulgentiæ recipiunt, vt videtur.

Sed videtur, quòd vtrisque necessaria sit indulgentia: omni enim illi cui non sufficiunt bona propria, necessaria sunt communia & indulgentiæ Ecclesiæ: sed nulli religioso vel seculari sufficiunt propria: ergo videtur, quòd tam religioso quam seculari necessaria sit indulgentia, & bona communia Ecclesiæ.

Quæst. 3. VLTERIVS quæritur, Vtrum indulgentia possit dari tam viuis, quam mortuis qui sunt in purgatorio vel in inferno? Videtur autem, quòd sic: quia Ecclesia prædicat crucem, & facit prædicari pro se & duabus vel tribus vel quandoque decem animabus tam viuorum, quam mortuorum, ad electionem cruce signati: sed illæ animæ sunt quandoque in inferno, quandoque in purgatorio, quandoque autem sunt adhuc viuorum: ergo videtur, quòd indulgentia crucis valeat omnibus illis quæ dictæ sunt animabus.

2 Adhuc, Suffragia Ecclesiæ se extendunt ad existentes in purgatorio, quia aliter Ecclesia incassum offerret pro illis: & secundum quandam opinionem se extendunt ad existentes in inferno: sed indulgentiæ de præcipuis suffragiis sunt Ecclesiæ: ergo videtur, quòd indulgentiæ se ad omnes illos extendant.

3 Adhuc, Cuicunque prodest meritum personale vnius de Ecclesia, illi multo amplius prodesse potest meritum commune tam capitis quam membrorum Ecclesiæ, si ad ipsum deriuetur: sed damnatis in inferno profuit quandoque meritum personale vnius de Ecclesia: ergo damnatis in inferno prodesse potest meritum commune tam capitis quam membrorum Ecclesiæ, si ab ipsis deriuetur: deriuatur autem per indulgentiam: ergo si detur eis indulgentia, proderit eis. Prima patet per se: quia maioris efficaciæ est meritum commune, quam personale. Secunda patet per ea quæ leguntur de Traiano & Gregorio: quia de inferno extractus est Traianus ad preces Gregorij: ergo constat propositum.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius obiicitur: quia ita dicitur Petro, Quodcunque ligaueris super terram, &c. sed mortui non sunt de existentibus super terram: ergo videtur, quòd ad ipsos claues Ecclesiæ non se extendantur.

2 Adhuc, Non habet locum indulgentia, nisi vbi habet locum meritum: ergo non nisi in via habet locum indulgentia: sed mortui non sunt in via: ergo in mortuis non habet locum indulgentia. Probatur prima ex hoc, quòd indulgentia est satisfactiua per modum meriti. Secunda autem patet per distinctionem viæ, & patriæ siue termini: quia distinguuntur per meritum & præmium tam à Sanctis, quam à Magistris.

3 Adhuc, Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo: sed post mortem accipit tempus Dominus, vt communiter dicitur: ergo tunc secundum iustitiam & non secundum indulgentiam iudicabit: non ergo tunc habet locum indulgentia.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum videtur ad ea quæ quæruntur in primo articulo, quòd indulgentiæ valent omnibus tam existentibus in mortali, quam

quam in ſtatu gratiæ, ſed differenter: quia exiſtentibus in ſtatu gratiæ valent ad diminutionem pœnæ expiatiuæ ſiue iniunctæ ſiue iniungendæ, ſi ſacerdos iniungens errauit. Sed exiſtentibus in mortali peccato valet dupliciter: vno modo per modum illum quo diximus vnum alij mereri poſſe primam gratiam conuerſionis, ſi orat & ieiunat & alia bona opera pro eo facit: ſi enim hoc poteſt vnus, multo magis hoc poteſt Eccleſia per theſauros communium meritorum quos ſuper ipſum ponit indulgentia. Alio modo, ſicut diximus, quòd opera de genere bonorum vicinant hominem gratiæ, eo quod præcedit quoddam in peccatoribus quibuſdam, vt dicit Aug. quo digni ſint iuſtificatione, dignitate congruentiæ non condignitatis: ita & multo amplius indulgentia cum fide etiam informi vicinat hominem gratiæ & facit conuerſioni magis idoneum. Aliter vero non puto valere indulgentias exiſtentibus in mortali peccato.

In 1. diſt. 41.

Lib. 83. q. quæſt. 68.

AD DVO igitur prima, dicendum quòd per hunc modum valerent, & ſic Eccleſia intelligit valere. Et de conuerſione peccatores maximam patiuntur neceſſitatem. Ad hoc autem quod obiicitur, dicendum quòd benè conceditur, quòd non valet eis per modum illum: quia nunquam habet locum indulgentia quantum ad pœnæ remiſſionem, niſi primo pœna contritionis poſita in pœnitente, ſcilicet dolore contritionis qui facit pœnam ſolubilem, mutando æternam in temporalem. Et per hoc etiam patet ſolutio ad ea quæ quæruntur in primo articulo.

Ad qu. 1.

Ad qu. 2. AD EA quæ ſequuntur in ſecundo, dicendum videtur, quòd proſint vtriſque indulgentiæ: ſed tamen puto, quòd ſecundum primam intentionem Eccleſiæ non dantur niſi indigentibus merito alieno propter defectum proprij: & illi ſunt ſeculares ædificantes lignum, fœnum, ſtipulam, vt in ſequenti diſtinctione dicetur: vel religioſi tantum habitu, qui vitam ſecularium imitantur, quia vere illi irreligioſi dicendi ſunt. Per hoc patet ſolutio ad duo prima quæ procedunt ſecundum primam Eccleſiæ intentionem: & bene puto, quòd verum hoc modo concludunt: nec propter hoc peior eſt conditio religioſorum, ſed potius melior: ſicut melior eſt conditio abundantis in merito, quam indigentis, & ideo alienum non accipientis: ſicut Dominus ſecundum ſententiam Pauli in Actibus dicit, Beatius magis eſt dare, quam accipere: hoc præcipue verum eſt in ſpiritualibus.

Cap 20.

AD ID autem quod in contrarium obiicitur, dicendum quòd duplicia ſunt dona ſpiritualia, ſcilicet ſecundum ordinem ad bonum quæ ſunt dona & virtutes: & illorum ſunt magis ſuſceptibiles, magis boni. Alia ſunt ſecundum ordinem à malo, ſicut bonum contritionis & ſatisfactionis & indulgentiæ: & horum ſunt magis ſuſceptibiles, magis indigentes. Et eſt inſtantia ad argumentum: quia innocens inquantum huiuſmodi, purior eſt quam ille qui peccauit: nec tamen propter hoc magis eſt ſuſceptibilis innocens pœnitentiæ & contritionis vel ſatisfactionis, licet omnia illa ſint dona ſpiritualia.

AD ALIVD dicendum, quòd ſi dictrictè agatur nobiſcum, nulli ſufficit meritum proprium, præterquam Chriſto: quia ille non indiguit aliquo propter ſe: ſed aliud eſt condignum, & aliud requiſitum à nobis: non enim Deus requirit à nobis impoſſibilia, ſed quædam pauca & leuia, ſcilicet mandatorum cuſtodiam: & illis multa ſupererogare poſſumus, & hæc reponimus in theſauris. Et eſt ſimile, quòd ſi Dominus de lucro talenti commiſſo ſeruo, de mille marcis exigeret vnum denarium: totum enim aliud ſeruus poſſet reponere in theſauris: & habens illud ex beneuolentia Domini magis quam ex iuſtitia, non indigeret mendicare alienum ſuffragium.

AD ID quod quæritur de vltimo articulo videtur ſine præiudicio dicẽdum, quòd exiſtentibus in inferno nihil proſunt indulgentiæ: ſed exiſtentibus in purgatorio proſunt multum. Et cauſa huius eſt: quia inſuſceptibiles ſunt boni, ſicut & dæmones qui ſunt in inferno. Vnde Damaſc. Quod in hominibus mors eſt, hoc eſt in dæmonibus caſus. Quia ſicut homines inſuſceptibiles ſunt pœnitentiæ poſt mortem, ita & Angeli poſt caſum. Ad hoc autem quod primo obiicitur, dicendum quòd ego nunquam vidi talem formam in aliquo authentico emanare à curia: ſed potius ſemper adiungitur, Confeſſis & pœnitentiam ſuſcipientibus, vel qui confeſſi ſunt & pœnitentiam ſuſceperunt: illi autem omnes vel ſunt in via adhuc pœnitentes, vel in purgatorio ſatisfacientes luendo in pœnis quod fecerunt: & ideo tantum illis valet. Si autem aliqua alia forma emanaret, quæ de his mentionem non faceret, tamen ita deberet intelligi.

Ad qu. 3.

AD ALIVD dicendum, quòd ſicut infra probabitur, ſuffragia Eccleſiæ non proſunt damnatis ad pœnæ mitigationem vel abſolutionem vel ſuſpenſionem, niſi valde per accidens ad quandam minutionem pœnæ quæ dicitur vermis conſcientiæ: & ideo ex hoc non infertur, quòd indulgentiæ proſint talibus.

Si autem dicas, quòd opinio eſt, dicendum videtur illam opinionem magis eſſe errorem, quam aliquid probabilitatis continere. Et in ea præcipuè verum eſt quod dicit Auguſt. quia quod opinamur, debemus errori.

AD ALIVD dicendum, quòd illud miraculum beati Gregorij non ſufficienter probatum eſt, nec eſt auctorizatum, ſed apogriphum. Vnde non legitur poſtea quid de Traiano acciderit, vbi pœnituerit, & qualiter ſaluatus ſit: & ideo ego hoc fabulam reputo. Si autem aliud inueniatur per quod confirmetur miraculum illud, tunc dico, quòd Traianus non fuit mortuus, ita quod finalem ſententiam ſuæ condemnationis acciperet, ſed potius vt gloria Dei in meritis beati Gregorij manifeſtaretur: ſicut Dominus dicit de Lazaro, quòd infirmitas hæc non eſt ad mortem, ſed ad gloriam Dei, vt glorificetur Filius Dei per ipſam: ſi enim ipſe præſtitum ſibi tempus ad meritum impleſſet, & ita mortuus eſſet, etſi milleſies ſuſcitaretur, nunquam pœniteret: quia confirmatus eſſet in malo, & inſuſceptibilis pœnitentiæ: ſine pœnitentia autem peccator ſaluari non poteſt: & tunc non ſequitur, quòd proſit damnatis, quia ille ſecundum hoc vltima ſententia damnatus non fuit, ſed à vita ſuſpenſus ad tempus, vt gloria Dei & bonitas per merita etiam Gregorij amplius exaltaretur.

AD ID autem quod obiicitur in contrarium, oportet ſoluere pro illis qui ſunt in purgatorio, dicendo quòd ſecundum aliquid exiſtentes in purgatorio,

purgatorio, sunt super terram: quia scilicet meruerunt dum viuerent, quòd eis etiam post mortem ad velociorem liberationem possent valere. Et hoc in sequentibus in litera habetur ex verbis Augustini. Purgatorium enim quodammodo via & quodammodo terminus est: quantum enim ad confirmationem, quia peccare amplius non possunt, sunt in termino: sed quantum ad non peruenisse adhuc ad emendationem qua emendantur, sunt adhuc in via & in transitu ad patriam.

AD ALIVD patet solutio per idem: quia meritum alienum ratione dicta habet locum in purgatorio: & hoc infra magis probabitur.

AD ALIVD dicendum, quòd Dominus quoad hoc iustitias iudicat, quia districtiore pœna pœnitentiæ: sed non omnino sunt in via: & hoc meruerunt dum viuerent: & in hoc misericorditer agitur cum eis, quòd prodest eis meritum alienum. Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICVLVS XIX.

An indulgentia æqualiter valeat danti & facienti hoc quod Ecclesia requirit, & habenti voluntatem faciendi, sed non facienti propter defectum facultatis?

QVarto quæritur, Vtrum æqualiter valeat danti & facienti hoc quod Ecclesia requirit, & habenti voluntatem faciendi illud, sed non facienti propter defectum facultatis? Et videtur, quòd sic: quia voluntas pro facto reputatur: sed iste libenter daret si haberet: ergo videtur, quòd reputetur ei pro facto.

2 Adhuc, Dominus laudat viduam ponentem duo minuta, dicendo quòd omnibus plus posuit: sed hoc non potuit fieri nisi propter voluntatem: ergo videtur, quòd voluntas etiam melius valet quam factum.

3 Adhuc, 2. Corinth. 19. Si voluntas prompta est, secundum id quod habet, accepta est, non secundum id quod non habet. Et ex hoc iterum sequitur idem quod prius.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius obiicitur: quia ponamus, quòd diuidantur multæ indulgentiæ propter data vel facta diuersa, quæ pro indulgentiis exigit Ecclesia: ergo non valent ei qui non potest hæc: ergo non omnibus voluntas tantum valet, quantum factum: ergo nec omnibus sunt æquales.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd quæstio ista leuis est: sunt enim quædam substantialia merito & præmio, & quædam accidentalia: quantitas enim charitatis substantialiter exigitur in merito, & secundum quantitatem illius attenditur quantitas meriti & præmij simul: sed in præmio accidentali magis attenditur opus, sicut est diminutio pœnæ vel celerior liberatio. Vnde bene potest esse, quòd habens multas indulgentias, citius liberabitur quam non habens, sed habens voluntatem habendi: sed non liberabitur plenius, nec pleniorem habebit gloriam, sed citiorem: quia quantitas gloriæ est secundum quantitatem charitatis.

AD PRIMA autem tria, dicendum quòd intelligitur de merito ratione præmij substantialis, hoc quod obiicitur, & non respectu præmij accidentalis. Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICVLVS XX.

An Papa existens in peccato mortali, potest dare indulgentias, etiam ei qui est in peccato mortali?

QVinto quæritur, Vtrum Papa existens in mortali peccato, possit dare indulgentiam existenti in mortali peccato? Videtur autem, quòd non: quia opera facta in mortali peccato, mortua sunt: sed opus mortuum nullum viuificat: cum igitur indulgentia sit ad viuificandum vel ad vitam spiritualem ordinata, videtur quòd talis indulgentia non valeat.

2 Adhuc, Riuus cui fons non influit, nihil perfluere potest: sed Papa qui est in mortali peccato, est riuus cui fons, hoc est, Spiritus sanctus nihil influit, quia Spiritus sanctus disciplinæ effugiet fictum, & non in maleuolam animam intrat sapientia, nec habitat in corpore subdito peccatis: ergo ipse non potest perfluere aliis: ergo nec indulgentiam.

2 Adhuc, Radius solis quem nubes intercipit, ad nos non venit: sed Spiritus sancti gratia dicitur radius à beato Dionysio, & nubes peccatum ab Isaia: ergo gratia quam peccatum intercipit, non venit ad nos: sed indulgentia fluens vel debens fluere à tali Papa, est gratia peccato intercepta: ergo ad nos non venit: ergo non valet talis indulgentia.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est: quia prophetia est gratia & radius diuinus: & tamen fluxit per Caypham, eo quod esset pontifex anni illius, vt dicit Euangelista Ioan. 11. Idem habetur per hoc quod legitur Num. 22. 23. & 24. quia præclarissima prophetia per iniquissimum fluxit Balaam toti Synagogæ & Ecclesiæ.

Solutio. PROPTER hoc dicimus, quòd indulgentiæ æqualiter valent, siue à malo siue à bono dentur.

AD PRIMVM ergo quod contra obiicitur, dicendum quòd dare indulgentias est gratia gratis data, quæ potestatis est, non bonitatis vitæ: & omnes tales gratiæ æqualiter fiunt per bonos & malos.

AD ALIVD dicendum, quòd prima est vera: secunda est falsa, quia tali Papæ influit Spiritus sanctus ea quæ sunt potestatis.

AD ALIVD dicendum, quòd peccatum non intercipit radium nisi gratiæ gratum facientis. Iam autem dictum est, quòd iste radius est potestatis, & gratiæ gratis datæ, sicut & prophetia.

ARTICVLVS XXI.

An Episcopus possit facere & dare indulgentias?

SExto quæritur, Vtrum Episcopus potest dare indulgentias? Videtur autem, quòd non: quia ipse non habet potestatem in thesauris Ecclesiæ, sed solus Papa, qui super totum est constitutus: &

indulgentiæ vim trahunt à theſauris Eccleſiæ, ſicut iam oſtenſum eſt:ergo Epiſcopus diſpenſare non poteſt.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius eſt, quòd qui habet iuriſdictionem & claues, habet poteſtatem dandi indulgentias, quia claues cum iuriſdictione comitatur poteſtas dandi indulgentias: ergo videtur, quòd habeat poteſtatem.

Quæſtiuncula. VLTERIVS quæritur de hoc quod agitur temporibus noſtris, quòd Epiſcopus alterius diœceſis dat indulgentiam non in ſua diœceſi propter approbationem Dioceſani:& ſic per quadraginta & quadraginta dies multæ indulgentiæ congregantur. Et videtur, quòd hoc poſſit fieri: quia Epiſcopus poteſt concedere poteſtatem non Epiſcopo dandi indulgentias: ergo & Epiſcopo poteſt hoc concedere: ergo talis indulgentia valet.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius eſt, quòd conſtitutio determinat, quòd etiam multi Epiſcopi ſimul dare non poſſunt in vno loco & vna vice, niſi quadraginta dies:ergo quod ſuperadditur, valere non videtur.

Solutio. RESPONSIO. Ad hoc dicendum, quòd Epiſcopus in ſua diœceſi poteſt dare indulgentiam, & quantum vult, niſi à conſtitutione Domini Papæ diſtinctè ſit limitata: ſicut modo eſt ad quadraginta dies.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd ipſe habet in poteſtate theſauros ſuæ diœceſis & paſſionis Chriſti, licet non adeò plenè ſicut ille qui habet vniuerſitatem poteſtatis: & ideo non adeò magnam & plenam poteſt conferre indulgentiam. Vnde prima non eſt vera.

Ad quæſtiuncu-lam. AD ID quod vlterius quæritur, dicendum quòd, vt mihi videtur, limitatio rationabilis eſt propter nimium abuſum indulgentiarum quæ modo fiunt:vnde bene videtur, quòd ſimul non conferant vltra quadraginta dies: ſi tamen non eſſet poteſtas limitata,abſque dubio de conceſſione Dioceſani poſſunt conferre plus & minus, ſecundum quod permitteret Dioceſanus.

ARTICVLVS XXII.

An ſacerdos ſimplex conferre poſſit indulgentias, & an vnus laicus poſſit alteri dare ſuas indulgentias?

SEptimo & vltimo quæritur, Vtrum ſimplex ſacerdos conferre poteſt indulgentias? Videtur autem, quod ſic:quia ipſe habet in poteſtate clauium ſuarum diuitias ſuæ plebis: ergo ex illis poteſt communicare magis indigentibus:& hoc ratificat indulgentias:ergo talis poteſt conferre indulgentias.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius obiicitur:quia plebani non habent poteſtatem in iuriſdictione: vnde etiam excommunicare non poſſunt, niſi in communi:datio autem indulgentiæ ſequitur clauem cum iuriſdictione coniunctam:ergo videtur, quòd plebani non poſſunt dare indulgentias.

Quæſtiuncula. VLTERIVS hic quæritur de abuſu qui modo fit, quòd etiam laici accipiunt indulgentias, & ſibi datas dant alij vel in toto, vel in parte. Verbi gratia, accipio decem dies indulgentiæ,& totidem quilibet de populo: poſtea de illis decem do tres meo charo, & aliquis alius tres: & ſic in populo vno multæ per tres & tres congregantur, & vni viuo dantur vel mortuo. Videtur autem, quòd poſſint hæc fieri: quia magis commutabilia ſunt bona ſpiritualia, quam corporalia:ſed in corporalibus ita eſt, quòd mihi datum poſſum dare alteri ſiue in toto ſiue in parte prout voluero: ego & in ſpiritualibus poſſum hoc facere, vt videtur.

Sed contra. IN CONTRARIVM huiús eſt, quòd datio indulgentiarum requirit iuriſdictionem in dante:ſed laicus ille nullam habet iuriſdictionem: ergo videtur, quòd ſibi datam non poteſt dare. Si fortè dicas, quód inſtantiam habet ideo quia videò, quòd ſimplices prædicatores nullam habentes iuriſdictionem, de permiſſione Epiſcopi dant indulgentias, & ſic etiam laicus poteſt: non eſt inſtantia, quia in talibus caſibus prædicans pronuntiator eſt indulgentiæ potius quam dator: & ideo collatio fit per Epiſcopum, & non per prædicantem.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd ſimplex plebanus nullam poteſt dare indulgentiam, ratione prius inducta.

Ad quæſtiuncu-lam. AD ID quod in contrarium inducitur, dicendum quòd licet habeat aliquos in plebe ſua theſauros, tamen non habet abundantes: indulgentia autem requirit abundantiam multarum Eccleſiarum & plebium.

Ad quæſtiuncu-lam. AD ID quòd vlterius quæritur, dicendum quòd nihil valet talis indulgentia, niſi ad populi deluſionem, ratione inducta. Ad id quod contra obiicitur, dcendum quòd ſecus eſt de indulgentiâ & aliis bonis ſpiritualibus, ſicut ſupra oſtenſum eſt:quia dicit Auguſtinus,quòd nihil habet indulgentiam niſi peccatum:& hoc priuatum eſt, non commune, vt bonum, virtus, & gratia:& ideo recipiens indulgentiam, in priuatis ſuis pœnis pro peccato debitis recipit eam: & ideo quia priuata eſt, ad alterum deriuari non poteſt. Poteſt tamen alij communicare meritum laboris, quantum facit pro indulgentia: ſed tunc non taxatur ad tertiam, vel quartam, vel huiuſmodi: ſed quantum valere conceſſerit Deus, hoc modo quo quodlibet opus meritorium factum pro proximo, valet ei ad gratiam promerendam vel retinendam ſi habet eam.

Quod presbyter non reconciliet inconſulto Epiſcopo, niſi in neceſſitate.

F 26.cap. Cognouimus, paragra. Cui autem. Et habetur

NON debet tamen presbyter pœnitentem reconciliare inconſulto Epiſcopo, niſi vltima neceſſitas cogat. Vnde in Carthaginenſi concilio, Preſbyter inconſulto Epiſcopo non reconciliet pœnitentem, niſi abſente Epiſcopo, vel vltima neceſſitas cogat. Cuiuſcunque pœnitentis publicum crimen eſt, quod

vniuerſam

vniuersam commouerit vrbem, ante absidam, scilicet introitum Ecclesiæ manus ei imponatur. Item Aurelius Episcopus dixit, Si quis in periculo constitutus fuerit, & se reconciliari diuinis altaribus petierit, si Episcopus absens fuerit, debet presbyter consulere Episcopum, & sic periclitantem eius præcepto reconciliare. Inconsulto vero Episcopo non potest excommunicatos vel publicè pœnitentes presbyter reconciliare. Vnde in Carthaginensi concilio secundo statutum est, vt chrisma vel reconciliatio pœnitentium & puellarum consecratio à presbyteris non fiat. Item, Reconciliare quenquam in publica missa presbytero non liceat: puellarum tamen consecratio consulto Episcopo per presbyterum fieri valeat. Vnde in Carthaginensi concilio secundo, Presbyter inconsulto Episcopo virgines non consecret: chrisma veto nunquam conficiat. Sicut præcepto Episcopi potest presbyter consecrare virgines, sic & reconciliare pœnitentes.

26.q.6. cap. Presbyter. 26.q. 6.cap. Aurelius Episcopus. 26.q.6. cap. Si iubet. Ibidem. Ibidem cap. Presbyter.

An oblatio eius sit recipienda, qui currens ad pœnitentiam præuenitur morte?

SI autem quæritur de illo qui ad pœnitentiam festinans, G sacerdotem inuenire non potuit, & ita decessit: vtrum oblatio eius sit recipienda? Dicimus, quia est. Vnde in Appanensi concilio, Si aliquis fuerit mortuus qui non sit confessus, & testimonium habet bonum, & non poterat venire ad sacerdotem, sed præoccupauit eum mors in domo vel in via: faciant pro eo parentes eius oblationem ad altare, & dent redemptionem pro captiuis.

26.q.6. c. Si aliquis.

EXPOSITIO TEXTVS.

NON debet tamen presbyter] Hoc autem non seruatur: quia etiam Episcopo in eadem villa existente, non semper habet præsbyter recursum ad ipsum, sed absoluit & reconciliat.

RESPONSIO. Intelligitur de pœnitente ligato ab Episcopo vel alio sacerdote, vel publicè pœnitente. Sequitur alia distinctio. *Solutio.*

DISTINCTIO XXI.

De peccatis quæ post hanc vitam dimittuntur.

OLET etiam quæri, vtrum post hanc vitam aliqua A peccata remittantur? Quod aliqua post hanc vitam remittantur, Christus ostendit in Euangelio, vbi ait, Qui peccauerit in Spiritum sanctum, non remittetur ei, neque in hoc seculo, neque in futuro. Ex quo datur intelligi, sicut sancti Doctores tradunt, quòd quædam peccata in futuro dimittentur. Quædam enim culpæ in hoc seculo relaxantur:

De confessione sacramentali quantũ ad opportunitatem temporis respectu pœnitentiæ.

tia venialium. laxantur : quædam vero paruæ etiam in futuro , quæ quidem poſt
Luc. 12. mortem grauant , ſed dimittuntur ſi digni ſunt , ſi bonis actibus in
Mat. 12. hac vita meruerunt vt dimittantur eis. De illis etiam qui ædificant
Marc. 15. lignum , fœnum , ſtipulam , dicit Auguſt. quòd ignem tribulationis
Greg. 25. diſt. cap. tranſitoriæ inuenient cremabilia ædificia quæ ſecum portauerunt ho-
Qualis hinc. mines cremantes. Ait enim ſic , Poſt iſtius ſanè corporis mortem
1. Cor. 3. donec de igne purgatorio veniatur ad diem damnationis & remu-
Lib. 21. de ciu. Dei. nerationis : ſi hoc temporis intetuallo ſpiritus defunctorum qui ædi-
cap. 26. ficauerunt lignum , fœnum , ſtipulam , huiuſmodi ignem dicantur perpeti , quem alij non ſentiunt qui huiuſmodi ædificia , non portauerunt , vt inueniant ignem tranſitoriæ tribulationis venialia concremantem , non redarguo : quia forſitan verum eſt. Sed quia dici-
1. Cor. 3. tur , Saluus erit quaſi per ignem , contemnitur ille ignis. Grauior tamen erit ignis ille , quam quicquid poteſt homo pati in hac vita. Hic apertè inſinuatur , quòd illi qui ædificant lignum , fœnum, ſtipulam , quædam cremabilia ædificia , id eſt , venialia peccata ſecum portant : quæ in igne emendatorio cremantur. Vnde conſtat quædam venialia peccata poſt hanc vitam deleri.

DIVISIO TEXTVS.

SOLET quæri, Vtrum poſt hanc vitam] In hac diſtinctione duo determinantur: quorum primum eſt de quorundam peccatorum poſt hanc vitam remiſſione. Secundo autem quædam dubia de confeſſione ex præcedentibus relicta:& incipit *ibi* [Poſt hæc conſiderandum, &c.

ARTICVLVS I.

An aliqua venialia dimittantur poſt hanc vitam?

INcidit autem quæſtio circa principium lectionis , Vtrum aliqua venialium poſt hanc vitam dimittantur , ſicut videtur in litera probari? Videtur autem, quòd ſic: Gregor. in 4. Dial. Quædam culpæ in hoc ſeculo relaxantur : quædam vero paruæ & in hoc & in futuro. Eadem verba dicit Beda ſuper Matth. 12. in Gloſſa : Non remittetur nec in hoc ſeculo, nec in futuro.

2 Item, 1. Corinth. 3. Quidam ædificant ſuper fundamentum hoc ligna , fœnum , ſtipulam. Per totam autem Gloſſam exponitur de veniali. Eſto quòd aliquis exiſtens in gratia, habens tamen culpas veniales , ſit in vltimo inſtanti vitæ ſuæ , & moriatur cum voluntate venialium non dolens de ipſis : conſtat , quòd ille ſaluabitur , quia eſt in gratia , & venialia non auferunt gratiam : conſtat iterum, quòd peccatum manens in voluntate non remittitur : ergo videtur, quòd neceſſe ſit , quod poſt mortem dimittantur. Si forte dicas , quòd conuertitur in mortale propter voluntatem iterandi : hoc ridiculum eſt , quòd propter hoc otioſum conuertatur in mortale , quia voluntatem habet iterandi. Si forte dicas , quòd voluntas confirmatur in ſtatu in quo moritur : hoc quidem quod dicis non eſt probatum. Sed ſit quod dicis, ſecundum hoc iſtius voluntas ſimpliciter erit coniuncta Deo & ſecundum habitum , habens tamen diſpoſitionem ad auerſionem ſecundum actum:& talis ſtatus nullus eſt confirmati: vnde patet , quod figmentum eſt quod dicis: ergo videtur , quòd culpa aliqua poſt mortem dimittatur.

SED IN CONTRARIVM huius obiiciunt quidam ſic. Poſt mortem non eſt tempus merendi: ſed deletio culpæ fit per meritum: ergo poſt mortem non eſt tempus deletionis alicuius culpæ: ergo nec venialis. *Sed contra.*

2 Adhuc, Veniale oritur ex fomite: fomes autem eſt coniuncti, & non animæ ſecundum ſe: ergo & veniale: ergo ſoluto fomite, ſoluitur & veniale: ſed ſoluitur fomes in morte: ergo & veniale.

3 Adhuc, Pœna non liberat niſi à pœna : ſed poſt mortem non erit expians niſi pœna: ergo non ſoluit niſi à pœna: ergo non culpam aliquam.

4 Adhuc , 16. diſtinctione ſupra habitum eſt, quòd non deletur veniale , niſi præmiſſa contritione aliqua : ſed poſt mortem non erit contritio aliqua : ergo poſt mortem non deletur veniale quoad culpam.

5 Adhuc , Quicquid poteſt delere pœna aliqua, magis poteſt delere pœna maxima: ſed maxima pœna eſt mors : ergo quicquid delet pœna aliqua, illud delebit, mors : ſed veniale delere poteſt pœnam vt dicis: quia poſt mortem relaxatur pœna purgatorij vt dicis: ergo delet & ante mortem: & ita non veniet ad purgatorium : ergo nulla culpa dimittitur poſt hanc vitam, vt videtur.

SOLVTIO. Cum Gregorius in 4. dialog. non ſolum dicat , ſed etiam probet pœnam & culpam poſt hanc vitam deleri , reputo præſumptionem dicere nullam culpam venialem poſt hanc vitam poſſe deleri : ſed dicendum & aſſerendum cum Sanctis videtur , multa venialia deleri poſſe poſt mortem. *Soluitur.*

AD

AD PRIMVM contra hoc, videtur esse dicendum, quòd post mortem non est tempus meritum augendi, sed vtendi merito ad efficaciam ad quam est contingens. Dicit autem Augustinus, quòd quidam dum viuerent, meruerunt vt suffragia eis possint prodesse. Ita dico, quòd illi dum viuerent, hoc meruerunt, quòd gratia eis & pœna ad deletionem venialium prodesse possint: & ideo vsum sui meriti post mortem recipiunt præter meritorum augmentum: & augmentum meritorum respicit maiorem coronam, & habebunt maiorem.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc nihil valet, Si aliquid oriatur ex aliquo, quòd tantum ex illo destruatur cum destructione illius: quia omne peccatum oritur ex fomite, & tamen manet in anima destructo fomite: & vniuersale oritur ex sensu, & tamen manet in anima destructo sensu. Vnde illa consequentia in nullo valet, vbi aliquid causatur in subiecto manente: & gratia subiecti etiam potest manere etiam causa sua destructa.

AD ALIVD dicendum, quòd pœna per se non liberat nisi à pœna: sed pœna in subiecto quod est informatum gratia, potest liberare etiam à culpa: & tales sunt illi qui sunt in purgatorio.

AD ALIVD dicendum, quòd non aliter deletur veniale, sed quòd hoc modo congruentius deleatur: cum enim potius sit dispositio ad culpam quam culpa, etiam alio modo potest deleri.

AD PRIMVM dicendum, quòd pœna mortis bene deleret si ad hoc ordinaretur, sicut in martyribus: sed non ad hoc dirigitur in aliis communiter morientibus: & ideo non delet.

ARTICVLVS II.

An sint aliqui qui ædificent lignum, fœnum, & stipulam: & quid illa significent?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [De illis etiam qui ædificant lignum, fœnum, &c.] Quæruntur hîc duo, scilicet quid ista sint, & de differenia ipsorum. Videtur autem, quòd sint differentiæ mortalium peccatorum: quia in originali super Isa. 5. super illud, Væ qui coniungitis domum ad domum, &c. dicit Hieronymus, Hæretici dogmata dogmatibus coniungunt: & qui supra fundamentum debuerunt ædificare aurum, & argentum, & lapides pretiosos, econtra ædificant lignum, fœnum, stipulam. Constat autem, quòd hæretici non ædificant nisi peccata mortalia inquantum hæretici & hæresim seruant: ergo videtur, quòd hæc tria dicunt mortalium peccatorum differentias.

2 Adhuc, Iosue 4. quædam Glossa Adamant. taliter exponit.

Sed contra. SED CONTRA hoc videtur esse, quòd hic accipiuntur pro venialibus.

2 Adhuc, Lignum, fœnum, stipula, consumptibilia sunt in igne: sed mortalia non consumuntur in igne: ergo non bene exponuntur per lignum, fœnum, & stipulam.

AD SECVNDVM proceditur sic: Multæ & quasi infinitæ sunt differentiæ venialium: ergo videtur, quòd non possint congruè per tres differentias assignari. *Quæstiuncula.*

2 Adhuc, Augustinus in litera non videtur distinguere veniale quod per ista tria signatur, nisi in dilectione temporalium: sed multis aliis modis fiunt venialia: ergo videtur, quòd insufficienter his tribus significetur.

RESPONSIO. Dicendum, quòd per hæc tria congruentissimè significantur venialium peccatorum differentiæ. Vnde quod dicit Hieronymus & Gloss. super Iosue, est adaptatio quædam præter intentionem literalem. *Solutio.*

AD ID quod vlterius quæritur, dicendum quòd veniale non secundum diuersitates suarum specierum signatur his tribus, sed potius secundum suam quantitatem quæ comitatur omnem speciem venialis, secundum diuersitatem actus, & radicis, & adhærentiæ, à quibus procedit. Dicit enim Philosophus, quòd omnium extremorum determinatorum secundum quantitatem, determinatum est medium: vnde cum sit veniale maximæ adhærentiæ quæ potest esse citra Deum, & minimæ quæ vix sensibilis est, est veniale adhærentiæ mediæ: & ideo tripliciter tantum quantitas venialis significatur: & hoc metaphoricè: sicut significatur causæ diuersitas in diuersitate effectus, diuturnitas enim manendi in igne ostendit quantitatem adhærentiæ venialis: constat autem, quòd inter cremabilia consumptibilia diutius in igne manet lignum in genere, & minimè stipula, quia illa est sicca & debilis atque cremabilis valde, & medio modo fœnum. Et ideo per ista tria venialium diuersitas significatur. Et per hoc patet solutio ad totum. *Adquæst.*

ARTICVLVS III.

An lignum, fœnum, stipula, ædificentur super fundamentum?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Qui ædificauerunt lignum, fœnum, stipulam, &c.] Videtur enim, quòd super fundamentum talia non ædificentur: quia fides non habet ordinem nisi ad bona opera: sed venialia non sunt opera bona: ergo videtur, quòd non ædificentur super fidem.

Ad hoc dicendum, quòd spiritualis ædificij fundamentum in imo est fides, quæ facit in nobis subsistere res sperandas, eo quod ipsa est prima accedentibus ad Deum: sed in summo concludens est charitas, quæ est vinculum perfectionis: & paries erigens, est spes se ad æterna protendens. Cardinales autem sunt materia, quæ dant substantiam ædificio: & materia super fundamentum esse dicitur tantum tripliciter, scilicet directo situ, & sic nihil ædificatur nisi bona opera. Dicitur etiam super, id est, iuxta, sicut ibi, Super flumina Babylonis, &c. & sic venialia superædificantur. Tertio dicitur super post, sicut Ezech. vltim. Super terminum Aser, &c. Dicit Gloss. id est, post terminum Aser. Et sic mortalia superædificantur, secundum expositionem Hieron. supra inductam. *Solutio.*

ARTICVLVS IV.

An ignis purgatorius ſit vel non ſit poſt mortem?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Non redarguo: quia forſitan verum,&c.] Videtur enim hic dubitare Auguſt. vtrum purgatorium ſit, vel non? Et eodem modo dubitationis loquitur Gregorius 4.dialog.

Quæritur ergo, Vtrum ſit vel non ſit purgatorius ignis poſt mortem? Videtur autem non eſſe ſic: Contrariorum contrarij ſunt effectus: charitas & mortale peccatum ſunt contraria: ergo contrarij ſunt eorum effectus: ſed peccatum mortale poſt mortem damnat ſtatim: ergo charitas poſt mortem ſtatim ſaluat: ergo non eſt locus aliquis purgatorius inter ſalutem, & damnationem.

2 Adhuc, Non minoris efficaciæ eſt charitas in ſaluando, quam peccatum mortale in condemnando: ſed peccatum mortale damnat ſtatim poſt mortem, etiamſi multa adſint opera de genere bonorum, quæ ſunt diſpoſitiones ad bonum: ergo & charitas ſtatim ſaluat poſt mortem, etiamſi multa adſint, quæ ſunt diſpoſitiones ad malum: hæc autem ſunt venialia: ergo multitudini venialium non debetur purgatorium: & non eſt ad alium vſum: ergo non eſt purgatorium, vt videtur.

3 Adhuc, Duo genera ſunt malorum, ſcilicet veniale, & mortale. Item duo genera bonorum, ſcilicet bonum gratuitum, & opera de genere bonorum. Item, Duo genera præmiorum, æternum, & temporale: & iterum duo genera pœnarum, ſcilicet, temporalis, & æterna. Inde ſic procedo: Sicut ſe habet bonum ad præmium, ita ſe habet malum ad pœnam: ſed bonum de genere bonorum non meretur aliquod præmium: ergo nec malum ſibi reſpondens, aliquam pœnam: ergo pro nullo eſt purgatorium. Probatio mediæ eſt, Si ille qui facit opera de genere bonorum, meretur præmium: tunc iniuſtè ageret Deus ſecum, quod non conferret: ſed videmus, quòd ſæpè non confert: ergo nihil meruit: quia inconueniens eſt Deum iniuſté agere cum aliquo.

4 Adhuc, Super eadem diuiſione: ſicut ſe habet mortale & veniale ad pœnam æternam & temporalem ſimul: ita ſe habent charitas & bonum in genere ad præmium vtriuſque ſimul: ergo ſicut ſe habent mortale & opus de genere bonorum ſimul ad pœnam æternam & præmium temporale: ita ſe habent charitas & veniale ad præmium æternum & pœnam temporalem: ſed video, quòd mortali cum bono in genere, non debetur ex condigno niſi pœna æterna, & nullum temporale præmium: ergo veniali cum charitate, ex condigno non debetur niſi præmium æternum & nulla tranſitoria pœna. Cum igitur non niſi propter tales ſit purgatorium, videtur purgatorium non eſſe.

5 Adhuc, Deus non remunerat poſt mortem, niſi ſimilem ſibi per charitatem & dilectionem: ergo non punit poſt mortem, niſi auerſum à ſe per ſuperbiam & odium diuinum: ſed talis ſolus eſt ille qui decedit in mortali peccato: ergo videtur, quòd ſolus ille puniatur poſt mortem: ergo videtur, quòd veniale non punitur poſt mortem: & propter illud eſt purgatorium: ergo videtur, quod purgatorium nullum ſit poſt mortem.

IN CONTRARIVM huius obiicitur ſic: Matth.12. dicitur, quòd ſpiritus blaſphemiæ non remittetur, nec in hoc ſeculo, nec in futuro. Ex hoc innuitur, quòd aliqua peccata dimittentur in futuro: conſtat, quòd non in regno, neque in inferno, quia in inferno nulla eſt redemptio: ergo neceſſe eſt, quòd ſit locus aliquis purgatorius talium: & hunc vocamus purgatorium. *Sed contra.*

2 Adhuc, 1.Corinth.3. Ipſe autem ſaluus erit: ſic tamen quaſi per ignem. Et conſtat, quòd loquitur poſt mortem, quia non eſt vera ſalus niſi poſt mortem: & certificando dicit, Saluus erit: ergo ignis purgans criminalia erit poſt mortem.

ET HOC concedimus. *Solutio.*

3 Adhuc quidam Græcus expoſitor dicit ſuper illud Apoſtoli, ſic tamen quaſi per ignem,&c. Hunc ignem credimus eſſe catartiotin, id eſt, mundificationem, in quo defunctorum animæ probantur tanquam aurum in fornace. Ex hoc accipitur, quòd ignis purgatorius eſt poſt mortem.

4 Adhuc, Anſelmus in libro, Cur Deus homo, Impoſſibile eſt animam coinquinatam paradiſum intrare: ſed, vt ſupra probatum eſt, multi moriuntur coinquinati veniali peccato: ergo neceſſe eſt eſſe locum in quo purgentur: & illum vocamus purgatorium.

5 Ad idem obiicitur per rationem, Ethicorum 2. Peccatorum ciuilium duo ſunt genera pœnarum, ſcilicet increpationes actuum ciuilitatis, & condemnationes perpetuæ: ergo videtur, quòd ſimiliter ſint in iudicio diuino: ergo aliqui iudicabuntur & punientur leui pœna cum reſtitutione, & alij perpetuo condemnantur: ſed talem modum punitionis qui eſt cum reſtitutione poſt pœnitentiam, vocamus purgatorium: ergo videtur, quòd purgatorium ſit.

6 Adhuc, Duo ſunt habitus perficientes naturam, ſcilicet gratia, & gloria: ſed differenter: quia gratia compatitur diſpoſitionem ad oppoſitum, gloria autem non: ſed conſtat ex prædictis, quòd aliqui à vita iſta recedunt cum prauis diſpoſitionibus: ergo neceſſe eſt vt iſti purgentur, antequam induant habitum gloriæ: ſed locum purgationis vocamus purgatorium: ergo videtur, quòd purgatorius ſit.

7 Adhuc, In omni natura videmus, quòd antequam inducatur vltima perfectio, oportet purgari ſubiectum à contrariis diſpoſitionibus: ergo cum purior ſit gloriæ forma, quam aliqua naturalis forma, oportet ſimiliter purgari ſubiectum ante illam. Conſtat autem ex præhabitis, quòd tales diſpoſitiones poſt mortem in multis animabus inueniuntur: ergo neceſſe erit eas purgari antequam glorificentur.

8 Adhuc, In medicinalibus ante inductionem ſanitatis, neceſſe eſt purgari naturam ab humoribus corruptis: ſed in ethicis vitia humoribus proportionantur: ergo etiam in illis neceſſe eſt præcedere purgationes ad ſanitatem perfectam: ſed ſanitas perfecta eſt ſecundum gloriam tantum, quæ excludit culpam & pœnam: ergo neceſſe eſt poſt mortem purgationem fieri ante gloriæ inductionem.

RESPON

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd omnibus modis necesse est secundum omnem rationem & fidem, quòd purgatorius sit. Rationes hîc principales sunt morales: & constat, quòd secundum illas competit esse purgatorium. Præterea, Sancti expresè dicunt: & ideo hæresis est negare.

AD DVBITATIONEM igitur Augustini, dicendum quòd ipse non dubitauit quin sit: sed dubitauit, vtrum hoc intellexit Apostolus quod dicit: quod enim non dubitet esse purgatorium, patet per multa sua verba quæ hîc in præcedenti distinctione ponuntur. Eodem modo dicendum ad dubitationem aliorum Sanctorum: talis enim dubitatio est boni & humilis Expositoris, qui quantumcumque bene & diuinè exponat, non præsumit hoc esse intellectum diuini eloquij, quem Author Spiritu sancto inspiratus intendit.

AD ALIVD dicendum, quòd non est simile de charitate coniuncta cum malo veniali, & de mortali coniuncto cum bono in genere: quia malum veniale cum charitate, est in esse mali, & disponit ad contrarium charitati: sed id quod est de genere bonorum cum mortali, non est in esse boni, sed potius mortuum, nullam habens efficaciam ad aliud bonum post mortem. Et ideo non sequitur, si peccatum mortale statim damnat non impedientibus operibus de genere bonorum, quòd statim saluat charitas non impedientibus venialibus.

AD ALIVD dicendum, quòd charitas maioris efficaciæ est ad saluandum, quam mortale peccatum ad condemnandum: sed ex hoc non sequitur, quòd citius saluet, quam illud damnet, non obstantibus bonis & malis sibi coniunctis, sed quòd plenius saluat, & à pluribus liberat: & hoc verum est, quia liberat ab omni peccato vna charitas, & ab omni pœna: quod non facit peccatum vnum respectu pœnarum. Similiter confert omnem virtutem, & gloriam secundum quamlibet virtutem: sed nullum peccatum vnum confert omne peccatum, & condemnari secundum quodlibet genus peccatorum. Instantia autem est ad argumenta, quòd omnis forma artis & naturæ fortior est ad perficiendum; quam corruptio ad destruendum: & tamen citius destruitur res, quam generetur & perficiatur.

AD ALIVD dicendum, quòd illa quæ in diuisione ponuntur, non sunt vera. Ad primam autem obiectionem super diuisionem illam, dicendum quòd non sequitur quod infertur: quia malum veniale & bonum de genere bonorum non opponuntur: quia malum veniale non est malum in genere quod bene possit aliqua circunstantia fieri, & tamen bonum in genere siue de genere bonorum, potest male fieri aliqua circunstantia. Item, Sicut in primo dictum est, bonum in genere est imperfectum secundum esse boni: sed malum veniale species est in esse mali: & ideo non sequitur, si illud non habet præmium, quod istud non habeat pœnam: nec est vna proportio in omnibus quæ dicit, quod sicut se habet tale bonum ad præmium, ita se habet tale malum ad pœnam.

AD ALIVD dicendum, quòd vtraque proportio falsa est, vel vniuersalis non est: non enim est verum, quòd sicut se habent mortale & veniale simul ad pœnam æternam & temporalem, ita se habeat charitas & id quod est de genere bonorum ad præmium æternum & temporale simul: veniali enim coniuncto cum mortali, debetur æterna pœna: & tamen nihil est dictum, quòd operi de genere bonorum coniuncto cum charitate debetur æternum præmium. Si autem illa proportio aliquo modo concedatur, secunda nihil valet, scilicet quòd sicut se habet mortale cum opere de genere bonorum ad pœnam & præmium temporale, ita se habet charitas cum veniali ad pœnam & præmium æternum. Et ratio huius assignata est supra: quia veniale coniunctum charitati, adhuc remanet in esse mali & peccati habens rationem: sed opus de genere bonorum cum mortali non remanet in esse boni, & habens rationem remunerabilis: & si remuneretur, hoc est ex misericordia, & non ex condigno: ideo non sequitur, si illi nulla est coordinata remuneratio ante pœnæ condemnationem, quòd illi nulla ordinatur pœna purgatoria ante æternam præmination̄em.

AD ALIVD dicendum, quòd verum est, quòd Deus post mortem nullum remunerat nisi similem sibi per charitatem, & nullum condemnat nisi à se auersum & se odientem: sed non sequitur, non condemnat: ergo non punit purgando: quia nullus eorum qui purgantur, condemnabitur.

Quod alij citius, alij tardius purgantur in igne.

IN illo autem igne purgatorio alij tardius, alij citius purgantur, secundum quod ista pereuntia magis vel minus amauerunt. Vnde Augustin. Post hanc vitam incredibile non est, nonnullos fideles per ignem quendam purgatorium, quanto magis minusve bona pereuntia dilexerunt, tanto tardius citiusque saluari. Vnde non frustra illa tria distinxit Apostolus, lignum, fœnum, stipulam: quæ illi ædificant, qui etsi aliena non rapiant, rebus tamen infirmitati concessis aliqua dilectione inhærent. Qui secundum suos amandi modos, vel diutius vt lignum, vel minus vt fœnum, vel minimum vt stipula ignem sustinebunt. Qui vero superædificant aurum, argentum, & lapidem pretiosum, de vtroque igne securi sunt, non solum de illo æterno, qui cruciaturus est impios in æternum, sed etiam de illo emundatorio, quo purgabuntur quidam saluandi.

B

In Ench. cap. 6.

Augustin. enarratione in Psal. 80. & enarratione ad Psal. 107.

ARTICV

ARTICVLVS V.

Quare pœnæ inferni nominantur multis nominibus, purgatorij verò non nisi vno nomine?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Emundatorio igne purgabuntur, &c.] Et quæritur, Quare pœnæ inferni non vno nominantur nomine, sed multis, sicut quòd transibunt ab aquis niuium ad calorem nimium: & ab aliis quibusdam, vt vermis: sed purgatoriæ pœnæ non nominantur nisi vno nomine, scilicet igne purgatorij? Videtur enim, quòd multis & diuersis debeant nominari: quia quorum sunt multæ & diuersæ & dissimiles causæ, horum sunt multi, diuersi, & dissimiles effectus: sed pœnarum purgatorij multæ sunt, diuersæ, & dissimiles causæ: ergo pœnæ sunt multæ, diuersæ, & dissimiles: ergo non sunt vno nomine nominandæ.

RESPONSIO. Dicendum, quòd infernus non est nisi ad puniendum: & ideo omnia quæ puniunt, ibi congregantur, sicut calidum, frigidum, & huiusmodi: sed purgatorius est ad emendandum & purgandum, & ideo non potest nominari nisi tali nomine punientis, quod habet vim purgatiuam & consumptiuam: & hoc est calidum ignis: & ideo tantum nominatur nomine illius: frigidum enim etsi punit, tamen non purgat, quia non habet vim consumptiuam. Solutio.

AD ALIVD dicendum, quòd licet multa sint venialia merentia ignem illum, tamen non sunt nisi dispositio ad malum, & rubigo quædam: & in hoc conueniunt, quòd compatiuntur secum charitatem: & ideo non respondet eis pœna secundum quod diuersa sunt, sed secundum quod conueniunt in hoc quod est esse dispositionem ad malum. Sed de mortalibus secus est: quia in nullo conueniunt, & perfectè à bono incommutabili auertunt per diuersas ad bonum commutabile conuersiones.

Oppositio.

C HIC obiici potest, Si per lignum, fœnum, stipulam, venialia intelliguntur peccata: & nullus adeò perfectus est, qui venialiter non peccet: ergo qui ædificant aurum, argentum, & lapidem pretiosum, ædificant etiam lignum, fœnum, stipulam: ergo per ignem transibunt. Ad quod dicimus, quia non omnis qui venialiter peccat, lignum, fœnum, stipulam ædificat: sicut è conuerso non omnis qui contemplatur Deum, & diligit proximum, & opera bona facit, ædificat aurum, argentum, lapidem pretiosum: & tamen in auro intelligitur contemplatio Dei, in argento dilectio proximi, in lapide pretioso bona opera. Sed illi qui ædificant lignum, fœnum, stipulam, Deum contemplantur, & proximum diligunt, & opera bona faciunt: nec tamen ædificant aurum, argentum, & lapidem pretiosum. Hæc enim ædificat, qui sic illa tria facit, vt cogitet quæ sunt Dei, & quomodo placeat Deo, non mundo. Lignum vero & fœnum & stipula accipi possunt, secularium rerum, quamuis licitè concessarum, tales cupiditates, vt amitti sine animi dolore non possint. Hæc ergo ædificat is qui cogitat quæ mundi sunt, quomodo placeat mundo, qui circa diuitias suas quodam carnali affectu tenetur: & tamen ex eis multa beneficia facit, nec pro eis aliquid fraudis vel rapinæ molitur. Ex his ergo patet, quòd non idem homo simul hæc & illa ædificat. Illa enim ædificatio perfectorum tantum est, qui non cogitant placere mundo, sed tantum Deo: qui etsi venialiter aliquando peccant, feruore charitatis ita absumitur in eis peccatum, sicut gutta aquæ in camino ignis: & ideo nunquam secum portant cremabilia. Hæc autem inferior ædificatio minorum est, qui non tantum Deo, sed etiam mundo placere cogitant, Deum tamen præponunt. Si vero mundum præponerent, non superædificarent, sed destruerent fundamentum. Affectiones ergo carnales quibus dediti sunt domibus, coniugibus, possessionibus, ita vt nihil prę ponant Christo, illis tribus significantur, quæ in mentes perfectorum non cadunt, etsi alia venialia admittant.

Aug. in Ench. Idem de fide & operibus. c. 16.

1. Cor. 7.

admittant. In cordibus vero minorum interdum durant vsque in finem : qui cum talibus ædificiis transeunt , sed dissoluuntur in igne. Ipsi vero merito fundamenti salui erunt, grauissimam tamen pœnam sentient. Ex quo apparet quantam hic misericordiam exhibet Deus, & quantam ibi exerceat seueritatem : cum pro eodem peccato multo grauius ibi puniat, quam hic.

ARTICVLVS VI.

Quid intelligitur per ædificantes aurum, argentum, & lapides pretiosos?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [In auro intelligitur contemplatio,&c.] Videtur enim, quòd ædificantes aurum, & argentum, & lapides pretiosos,sentient ignem purgatorium. Dicitur enim 1.Corinth.3. super illud, Aurum, argentum,&c.in Gloss.Non consumentur ab igne qui ædificant aurum , argentum , & lapides pretiosos,sed nihil vel parum sentient.Ergo sentient.

2 Item in textu dicitur , vniuscuiusque opus quale sit ignis probabit. Ergo & ædificantis aurum, argentum,&c.

Quæstiuncula. VLTERIVS quæritur hîc de ratione huius expositionis , quòd aurum sit contemplatio , & argentum proximi dilectio , & lapis pretiosus opus.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum , quòd possemus adaptando dicere , quòd sicut ignem diuidendo per materiam , tres sunt species materialis ignis, scilicet lux, flamma,& carbo:& lux quidem est in puro aëreo circunstante, flamma autem in vapore terreo & humido, carbo vero est in materia terræ: ita possemus dicere, quòd sicut lux quædam comburit venialia perfectorum : & non est ibi notabilis sensus & resistentia ad ignem , sed momentanea potius : sicut dicitur in litera , quòd sicut gutta in camino,ita facit veniale in viro iusto : & hoc notatur à Glossa parum vel nihil sentire : & parum vel nihil obscurantur, sed remanent luminosi. Alij autem plus inflammantur & obscurantur , qui ædificant lignum, fœnum, stipulam : & tamen extrahitur ab eis impuritas , sicut vapor quidam : sed damnati inuoluuntur & denigrantur sicut carbo inconsumptibilis. Et per hoc patet solutio ad duo prima.

Quæstiuncula AD ID quod vlterius quæritur , dicendum quòd reducit omne bonum remunerabile ad tria generalia : quorum duo sunt vt motiua , tertium autem vt ipse motus. Intellectus enim est contemplans Deum : & est ibi summum munimen & summa felicitas,vt probat Aristot. Sed charitas se habet ad opera sicut mater & generalis forma, & nulla alia virtus. Opus autem est vniuersaliter meritorium. Et ideo per hæc tria generalia omnia bona comprehenduntur.

ARTICVLVS VII.

An existentes in purgatorio purgentur voluntariè vel inuoluntariè?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Grauissimam tamen pœnam sentient , &c.] Et quæritur hic , Vtrum voluntariè purgentur existentes in purgatorio , vel inuoluntariè ? Videtur autem,quòd voluntariè : quia rectum cor habent: sed dicit Ambros. quòd habens rectum cor,conformat suam voluntatem diuinæ voluntati : sed Deus vult eos purgari : ergo & ipsi sic purgari volunt.

2 Adhuc , Omnis sapiens vult illud sine quo finem consequi non potest : sed sapientes sunt qui sunt in purgatorio : ergo videtur , quòd velint illud sine quo gloriam consequi non possunt : hoc autem est purgatio per pœnam : ergo purgari volunt, vt videtur.

3 Adhuc,Infirmatus corporaliter secari vult vt sanetur:cum igitur sanitas spiritualis magis sit eligenda , vri vult vt curetur , si aliter curari non potest : sed non potest aliter esse propter ordinationem : ergo volunt isto modo purgari , vt videtur.Si forte tu dicas (vt quidam antiqui dixerunt) quòd tantus est sensus doloris , quòd collatio rationis totaliter absorbetur : & non possunt conferre nec de vno , nec de alio : & ideo nec vnum volunt , nec aliud : hoc est multum contra dictum beati Gregor. Omnis enim petens citius liberantia , scit se liberandum , & confert de liberatione : hæc autem petunt animæ defunctorum , vt dicit Gregor. in 4.dialog. Ergo conferunt de talibus.

Sed contra. SI PROPTER hoc concedatur,quòd volunt sic puniri vt purgentur. Contra : Fere ab omnibus Magistris assignatur vna causa tardioris liberationis in purgatorio , quam in via : quia ista pœna est voluntaria , & illa necessaria : ergo non voluntariè patiuntur eam, vt videtur.

2 Adhuc , Omne quod aliquis siue velit siue nolit, patitur, necessario patitur, & non voluntariè : pœnas autem purgatorij habentes secum cremabilia,siue velint,siue nolint,patiuntur : ergo necessario patiuntur,& non voluntariè.

Solutio. RESPONSIO. Sine præiudicio dicendum, quòd voluntas duplex est , scilicet conditionata, & simpliciter voluntas. Dico ergo, quòd simpliciter vellent non pati pœnas purgatorij : conditionata tamen voluntate volunt , scilicet conditione purgationis , & salutis : quia bene volunt purgari , & bene volunt saluari : sed sic purgari nolunt nisi sub conditione , scilicet quia aliter saluari & liberari non possunt : & de hac voluntate omnes prius inductæ rationes intelliguntur.

AD ID autem quod obiicitur in oppositum, dicendum quòd non sequitur , si sit necessaria, quòd non sit voluntaria : dupliciter enim potest esse necessaria , scilicet voluntate faciente,vel suscipiente. De voluntate faciente verum est,, quòd si est voluntarium , non est necessarium : quia voluntas non est causa necessitatis modo faciens: sed liberè operatur quando vult , & quando vult

cessat

ceſſat ab opere. Sed in ſuſcipiente non eſt verum: quia quod neceſſe eſt ſuſtinere vel ſuſcipere propter violentiam agentis, tamen etiam voluntariè poteſt ſuſcipi & ſuſtineri. Et eſt exemplum in pœnis martyrum: quia neceſſarium fuit decollatum interire, & crematum dolere: tamen voluntariè hæc ſuſtinebantur. Et ita eſt de ſuſtinentibus in purgatorio. Sed pœnæ quæ ſunt hîc ſatisfactiuæ, ſunt voluntariæ, voluntate faciente.

AD ALIVD quod ſequitur, prorſus eadem eſt ſolutio.

Opinio quorundam cum obiectione.

D 24. diſt. c. Qualis hinc. Lib. 4. dialog. c. 1. 39.

SED fortè dices illud eſſe accipiendum de pœna peccati, non de ipſo peccato, quod Gregor. dicit quædam leuia in futuro dimittenda. Si enim veram pœnitentiam habuerit quis, peccata omnia dimiſſa ſunt ei: ſed pœna fortè remanſit. Ideoque ſi verè pœnitens obiit, ſine peccato tranſiit. Si autem verè pœnitens non eſt in obitu, maculam portat quæ nunquam delebitur. Qui vero ædificat lignum, fœnum, ſtipulam, verè pœnitet: quia bonus eſt, & charitatem habet, & in charitate de hac vita tranſit: ergo ſine peccato tranſit. Non ſequitur. Verum quidem eſt, quia bonus eſt, & charitatem habet, & verè pœnitet: & tamen cum veniali peccato tranſit, quod non deleuit pœnitentia. Pœnitentia enim non delet niſi peccatum illud, quod deſerit homo: tale autem peccatum ſæpè in hac vita non relinquitur ab homine: & tamen verè pœnitens eſt, etſi non de omnibus venialibus pœniteat. Poteſt enim quis de omni mortali & de omni veniali pœnitere, excepto vno vel pluribus venialibus quidem. Sicut habet quis charitatem, & vnum vel plura venialia: quod de criminalibus nullatenus eſſe poteſt. Eſt enim aliquis bonus charitatem habens, ſed adhuc quodam cupiditatis affectu amans hæc ſecularia: talis exiſtens ſubita morte opprimitur: in illo terreno affectu mortuus eſt, & tamen ſaluabitur, à quo non ſe hic abſoluit: ergo poſt hanc vitam ab illo purgabitur. Conſtat ergo quædam peccata, ſcilicet leuia poſt hanc vitam dimitti. Si vero de pœna peccati illud intelligi voluiſſent Auctores, cur magis commemoraſſent leuia, quam grauia, cum etiam grauium pœna hic inexpleta poſt hanc vitam reſtet?

ARTICVLVS VIII.

An in damnatis veniale puniatur æternaliter?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Si forte dicis, &c.] Quæritur enim, Vtrum veniale in damnatis puniatur æternaliter? Et videtur, quòd non: quia veniale & mortale ſunt improportionabilia: ergo pœnæ eorum ſunt improportionabiles: ſed pœna mortalis eſt æterna: ergo pœna venialis non erit æterna, ſed temporalis, & illi proportionabilis.

2 Adhuc, Magiſter Hugo dicit, quòd veniale eſt, cui debetur pœna tranſitoria. Cum igitur Deus non puniatur vltra condignum, videtur quòd Deus non puniat ipſum æternaliter.

3 Adhuc, Sicut ſe habent retributiones, ita ſe habent merita bona & mala: ſed duæ pœnæ ſunt retribuentes malis, ſcilicet æterna, & tranſitoria: & duo ſunt mala quibus retribuuntur, ſcilicet veniale, & mortale: cum igitur pœna æterna debeatur mortali, pœna tranſitoria debetur veniali. Et ſic habetur propoſitum.

IN CONTRARIVM huius probatur per illud Luc. 12. Non exies inde, donec reddas nouiſſimum minutum: ſed nouiſſimum minutum eſt veniale peccatum: & conſtat, quòd in mortali decedens nihil reddere poteſt gratum Deo: ergo in æterno carcere clauditur etiam pro veniali: ergo veniale in ipſo in æternum punitur. *Sed contra.*

2 Item, Matth. 5. Non exies inde, donec reddas nouiſſimum quadrantem. Gloſſa, Minuta peccata, quia nihil impunitum. Ex hoc ſequitur idem quod prius.

3 Adhuc, Conſtat, quòd ignis reſpondet huiuſmodi peccato, & vermis conſcientiæ, vt dicitur Iſa. vltim. de damnatis, Vermis eorum non morietur, & ignis eorum non extinguetur. Ergo in æternum ardebunt, & vermem patientur de peccato veniali.

4 Si

4 Si forte tu dicas; quòd in morte malorum relaxentur huiusmodi venialia: contraria sunt quæ in litera determinantur hic. Adhuc, Melior est mors bonorum, & magis meritoria, quam malorum: & non delet necessario venialia, vt probatur hîc: ergo nec mors malorum.

5 Adhuc, Nullum peccatum nec paruum nec magnum solubile est sine gratia: sed damnati non sunt susceptibiles gratiæ: ergo nullum in eis vnquam delebitur peccatum: sed manente peccato, manebit & pœna: ergo pœna peccati mortalis manet in æternum: & sic habetur propositum.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd veniale coniunctum mortali, punitur in æternum in inferno: sed in æternum minor pœna respondet ei, quam mortali, sicut probant vltimæ rationes & auctoritates.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd secundum se improportionabilia sunt veniale & mortale: sed per accidens in duratione efficiuntur proportionabiles pœnæ eorum, scilicet si subiectum non sit expiabile à culpa cui subditur, sicut in damnatis. Vnde quod obiectio probat, verum est per se, & falsum per accidens: & non tenet nisi per se, scilicet quod mortale accipiatur vt mortale, & veniale vt veniale: sed cum veniale est in subiecto non susceptibili gratiæ, efficitur nunquam habens vel habiturum veniam: & tunc non tenet. Eadem prorsus est solutio ad duo sequentia.

ARTICVLVS IX.

An animæ in purgatorio punientur per dæmones?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Bonus est & charitatem habet, & in charitate de hac vita transit, &c.] Quæritur hîc, quod multi scire desiderant, vtrum per dæmones ministros pœnarum, puniantur animæ in purgatorio existentes? Et videtur, quòd sic per ea quæ leguntur in gestis Sanctorum, sicut in vita beati Martini, quòd astitit ei diabolus: & constat, quòd sciuit per opera sua, quòd non erat damnandus: ergo astitit ei vt ad purgatorium secundum suam æstimationem traheretur: ergo videtur, quòd dæmones sint ministri pœnarum purgatorij.

2 Adhuc, In iudiciis huius mundi sunt tortores quidam nequam constituti: ergo & in iudicio diuino: ergo purgandi torquentur per dæmones.

3 Adhuc, Sancti etiam qui euolabunt & perfecti sunt in hac vita, permittuntur à Deo vexari à dæmonibus, sicut legitur de beato Antonio & aliis in eremo constitutis: ergo cum illi qui sunt in purgatorio, sanctiores non sint istis, videtur etiam, quòd illos Deus permittat à dæmonibus vexari.

4 Adhuc, Peccatum veniale fit ex tentatione: tentationum autem ministri sunt dæmones: sed dicit auctoritas, quòd illos quilibet tortores habebit in pœna, quos incentores habuit in culpa: ergo videtur, quòd ibi tortores habebunt in pœna purgatorij venialiter peccantes, ipsos dæmones quos incentores in culpa veniali & tentatione habuerunt.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius obiicitur, quod dicit beatus Gregor. in 4. dial. quòd animæ malorum per se descendunt ad pœnas. Ergo multo magis sine violentia diaboli in pœnis erunt animæ Sanctorum purgandorum.

2 Adhuc, Non est consensus diabolo factus in eo qui peccat venialiter tantum: imo habitualiter consentit Deo: ergo videtur, quòd nulli per iustitiam debet subdi nisi Deo: ergo videtur, quòd sola iustitia damnet eum, & non subdatur tortori diabolo.

3 Adhuc, Sancti non traduntur hîc diabolo nisi ad maiorem coronam: sed huiusmodi necessitas non erit in futuro: ergo videtur, quòd ibi non tradantur, sed purgentur simpliciter.

4 Adhuc, In politicis videmus, quòd alius est puniens filium, & alius latronem vel hostem: super filium enim est disciplina patris tantum, sed super latronem & hostem emissarius dirigitur: ergo videtur, cum nostra iustitia sit exemplata à diuina, quòd similiter sit in Dei iustitia: constat autem, quòd filij sunt qui sunt in purgatorio: ergo super eos non debet esse nisi disciplina patris: ergo non funestus tortor debet in eos accipere potestatem.

Solutio. RESPONSIO. In hac quæstione nescio quid asseri possit: sed piè puto esse credendum, quòd animæ existentes in purgatorio, per dæmones ministros pœnarum non puniantur; tamen bene puto, quòd delectentur dæmones in pœnis earum, & ideo quandoque leguntur eis assistere: & per hoc soluitur primum de beato Martino.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc verum est de iudiciis condemnandorum, vt patet ex vltima obiectione, quia illa soluit illam rationem: sed non est verum in disciplina patris ad filium.

AD ALIVD dicendum, quòd alia est ratio hîc & alia ibi: quia hîc est locus tentationum & crescendi in merito, sed non ibi: & ideo tentatores permittit hîc officium tentationis exercere, sed non ibi.

AD ALIVD dicendum, quòd peccatum veniale secundum quid peccatum est: & ideo non oportet, quòd ita tyrannicè vindicetur sicut mortale: & ideo illa auctoritas intelligitur de mortalibus.

ARTICVLVS X.

An error iste Græcorum veniat approbandus, qui dicunt nullum ante diem iudicij intrare cælum vel infernum, sed in mediis locis conseruari?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Ergo post hanc vitam ab illo purgabitur, &c.] Disputari enim potest hîc de quodam errore quorundam Græcorum, qui dicunt nullum ante diem iudicij intrare cælum vel infernum, sed in locis mediis vsque illuc conuersari. Videtur autem, quòd dicant benè per illud Hebr. 11. Hi omnes testimonio fidei probati inuenti sunt, & non acceperunt repromissiones, Deo aliquid pro nobis melius prouidente, vt non sine nobis consummarentur. Ergo videtur, quòd vnus sine alio non

consummabitur:erit autem cõsummatio in die iudicij: ergo vsque ad illum nullus accipiet gloriam in cælo, nec pœnam in inferno:quia Deus non est pronior ad cito condemnandum, quam ad cito remunerandum.

2 Adhuc, Apoc. 6. Sustinete modicum tempus, donec impleatur numerus fratrum vestrorum. Ergo expectant fratres in accipiendo stolam gloriæ:& ex hoc habetur idem quod prius. Si dicatur,quod isti erant in gloria secundum animam, sed secundum corpus petebant glorificari. Contra hoc est quod dicitur ibi: quia dictum est eis, quod sustinebunt tempus modicum: sustinentia autem pœnam importat: in gloria autem non est pœna:ergo videtur, quod secundum animam non erunt in gloria.

3 Adhuc Matth. 13. dicitur, Sinite vtraque crescere vsque ad messem:triticum autem congregate in horreum meum. Ergo vsque illuc non alligabuntur ad comburendum, nec triticum reponetur in horreo cæli.

4 Adhuc Matth. 25. Tunc statuet oues à dextris, hœdos vero à sinistris, & dicet illis, Venite benedicti, &c. & istis, Ite maledicti, &c. Ergo videtur, quòd vsque illuc non separabuntur, nec isti mittentur in infernum, nec illi vocabuntur ad regnum:& sic iterum habetur propositum.

5 Adhuc Matth. 20. Cum sero factum esset, dixit Dominus procuratori vineæ, Voca operarios, & redde illis mercedem suam. Sero autem est consummatio seculi:ergo videtur,quòd nec bonus nec malus mercedem accipiet ante consummationem seculi.

6 Adhuc in Psalm. 16. Satiabor cum manifestabitur gloria tua. Ita enim habet alia translatio. Sed non manifestabitur gloria ante diem iudicij, sicut ipse dicit Luc. 21. Tunc videbunt filium hominis venientem in nube & maiestate. Et verè, id est,sic veniet quemadmodum vidistis eum.Ergo vsque illuc non satiabuntur:ergo nec gloriam habebunt:ergo nec damnati pœnas inferni.

7 Per rationem autem arguitur idem:nullius enim rei quæ per iudicium habenda est, adeptio erit ante prolationem sententiæ: sed infernus & cælum per iudicium habenda sunt, vt probatur Matth. 22.ergo neutrius est adeptio ante sententiæ prolationem:sed sententia non proferetur nisi in die iudicij: ergo vsque ad illud nulli adipiscentur cælum vel infernum: & sic habetur propositum.

8 Adhuc, Summi & magnifici regis non est aliquid dare, nisi quod ostensiuum est magnæ magnificentiæ: sed Deus est summè magnificus: ergo,&c. sed magnificentius & iucundius est dare simul omnibus infinitum bonum simul in corpore & anima,quam dare sigillatim huic & illi:ergo simul omnibus dabit, & non sigillatim huic, & illi:& sic iterum concluditur propositum:quia ab omnibus supponitur Deum omnia eodem modo facere quo honestissimè fiunt, & secundum quod maximam gloriam & virtutem ostendunt.

9 Adhuc, In vrbanitatibus in quibus in communi decertatur, nulli sine altero corona imponitur, sed communiter triumphans, communiter coronatur:sed hæc terrena per similitudinem imitationis descendunt à diuinis: ergo in diuinis est similiter:constat autem omnibus, quòd Sancti in communi triumphum de omni hoste salutem impediente faciunt:ergo videtur, quòd in communi omnes simul coronari habent:sed hoc non potest fieri nisi communiter: ergo videtur, quòd nullus plenam accipiet beatitudinem, nisi post resurrectionem:ergo nec pœnas inferni:quia per oppositum vna ratio est de pœnis inferni, & gaudiis regni cælorum.

10 Adhuc, Duæ sunt partes rationalis naturæ, scilicet in carne existens, & separata à carne: sed constat, quòd illa quæ est separata, tota simul fuit præmiata ex parte bonorum, & tota simul punita ex parte malorum: ergo similiter erit in altera parte rationalis creaturæ, scilicet in illa quæ est carni coniuncta: & sic iterum habetur propositum.

IN CONTRARIVM huius sic obiicitur, Luc. 23. Amen dico tibi, Hodie mecum eris in paradiso. Si forte tu dicas, quòd non fuit in plena fruitione:sed paradisus dicitur ibi tequies à pœnis. Contra: Chrysost. exponens illud verbum dicit sic, Quidam dicunt latronem nondum assecutum esse paradisum:sed paradisum quidem latro possedit:non enim potest mentiri qui dicit, Hodie mecum eris in paradiso. Si forte dicas, quòd nec secundum nos latro eodem die fuit in cælo empyreo,licet in plena fuerit deitatis Christi fruitione. Probetur per aliam auctoritatem de oppositio descendentem Luc. 16. Mortuus est diues & sepultus est in inferno. Constat autem, quòd loquitur de inferno damnatorum, vt probatur per incendium quod patiebatur: ergo à simili ante diem iudicij intratur in infernum: ergo cum Deus pronior sit ad miserandum, quam ad condemnandum, etiam ante diem iudicij intratur in regnum cælorum. *Sed contra.*

2 Adhuc, Super illud Hebr. 11. Vt non sine nobis consummarent,vt dicit Chrysost. sic, Perceperunt quidam iuxta labores, sed non iuxta coronas. Si enim vnum corpus sumus omnes,maior efficitur ipsi corpori delectatio, quando in communi & non particulariter communicat. Ex hoc patet, quòd Sancti iam in anima iuxta labores perceperunt, licet secundum corporum gloriam adhuc communem hominum resurrectionem expectant:sed labores hominum sunt meritorij regni cælorum:ergo iam receperunt hoc: ergo intrauerunt cælum.

3 Adhuc Apoc. 7. Datæ sunt illis singulæ stolæ albæ: & dictum est illis, vt requiescerent tempus adhuc modicum. Constat autem, quòd singulæ stolæ significant animarum beatitudinem: ergo iam in cælo sunt vbi visæ sunt à Ioanne, & beatitudinem animæ acceperunt.

4 Adhuc Athanasius in li. quæstionum, q. 9. Ex diuinis Scripturis docemur,quoniam peccatorum animæ in inferno sunt subtus omnem terram & mare, sicut dicit Psalm. 87. In tenebris & in vmbra mortis. Iustorum autem animæ post aduentum Christi, sicut de latrone dicimus,in paradiso sunt: quia non solum propter latronis animam Christus paradisum aperuit, sed etiam propter reliquas sanctorum animas. Constat autem, quod de paradiso terrestri non loquitur: quia ille est regio corporum non spirituum: ergo loquitur de cælo empyreo, quod est regio beatorum spirituum.

5 Adhuc per rationem, Quæcunque differenter se habent in merito & causa meriti, differenter habere se debent in præmio: constat autem, quòd

quòd anima & corpus differenter sunt causa merit: quia anima est tota causa, & corpus tantum obedirt:ergo videtur, quòd differenter habere se debeant in præmio: ergo non simul debent præmiari:sed anima corpore principalior fuit in merito:& sic habetur, quòd anima statim vt soluitur à corpore,est in cælo præmianda.

6 Adhuc, In primo statu si seruata fuisset innocentia, non omnes simul translati fuissent in alienum statum beatitudinis secundum Basilium (alias secnndũ sentẽtiam probabilius dicentiũ)sed potius patres translati locum dedissent filiis:ergo videtur, quòd nec hoc in statu isto sit faciendum.

7 Adhuc, Summè influens, suam beatitudinem & bonitatem statim influit vnicuique perceptibili quantum percipere potest: sed Deus hoc modo summè influens est:ergo, &c. sed statim resoluta à carne anima susceptibilis est beatitudinis summæ in cælo:ergo statim influit ei illam Deus: & sic habetur propositum.

8 Adhuc,Summè sapiens nihil facit inaniter, & quod non prouenit ad aliquam vtilitatem:sed Deus est summè sapiens:ergo, &c. sed nulla vtilitas, sed potius dispendium proueniret ex Sanctorum dilatione secundum animas vsque ad diem iudicij:ergo ipse non differt eos secundum animæ glorificationem. Probatio mediæ. Si aliquid vtilitatis vel honoris vel commodi ex hoc proueniret: aut hoc esset ex parte Dei, aut ex parte Sanctorum. Ex parte Dei non est:quia bonitas sua in æqualibus numero bonis & æquè magnis relucet præmiando diuisim sicut coniunctim, quia tot sunt & tantis præmiati vno modo sicut alio. Ex parte autem Sanctorum proueniret dispendium expectationis. Et sic constat propositum.

9 Adhuc, Summè iusti non est differre mercedem operarij, etiam vsque manè, si potest eam recipere operarius: sed Deum esse summè iustum nemo dubitat:ergo mercedem non differt:sed anima resoluta à carne, statim est receptibilis: ergo statim post mortem dat ei Deus:ergo statim intrat in regnum cælorum.

Solutio. ET QVIA hoc nullum habet dubium si legatur Euangelium & Apoc. & Epistolæ,in quibus etiam rapti sunt Sancti ad visionem Dei in cælis, sicut Paulus dicit se raptum: dicuntur etiam Sancti stolis albis in cælo sequi agnum & cantare canticum nouum ante sedem Dei: ideo primum tanquam hæresis pessima condemnatur.

ET RESPONDEATVR ad primum, quòd secundum literæ intellectum non est ille intellectus Apostoli: sed secundum literam enumerauit Sanctos Veteris Testamenti, & ostendit quoniam non possum consummari sine gratia Noui Testamenti quæ perficit Sanctos Noui Testamenti qui sunt fideles Christi: vnde consummatio illa tota facta est per Christum. Et quod iste sit intellectus literæ,patet omni legenti præcedentia & sequentia epist. Si autem ex Glossis quis velit arguere:tunc auctoritas Chrysostomi dicta in contrarium soluit: quoniam loquitur de Sanctis secundum corporum consummationem, & non secundum consummationem animæ. Quare autem corpora præmiantur simul, & non animæ, in tractatu de resurrectione requiratur.

AD ALIVD dicendum, quòd animas Sanctorum esse sub throno Dei in cælo cum singulis stolis animarum probat ipsa visio Ioannis: & stinere est idem quod certitudinaliter stolam corporis expectare. Ad hoc autem quod obiicitur, quòd sustinere dicit pœnam, dicendum quòd falsum est:quia sæpe pro sola expectatione ponitur. Dicunt tamen Sancti,quòd desiderãt animæ vehemẽter incorporari glorioſis corporibus,& præ desiderio retrahuntur aliquantulũ à contemplatione Dei:& hoc potest nominare verbum sustinendi.

AD HOC quod obiicitur de zizania,dicendum quòd permixtio malorum cum bonis in militante Ecclesia notatur ibi:& hoc significatur per crescere: post mortem enim nec zizania crescit, nec triticum. Et hoc verum est, quòd generalis separatio bonorum à malis non erit, nisi tunc quando militia Ecclesiæ finietur, & vniuersaliter ab hostibus segregabitur.

AD ALIVD dicendum, quòd Euangeliũ ibi tangit iudicium quod erit in corpore & anima,& non in anima sola:vnde nihil facit ad propositum.

AD ALIVD dicendum, quòd in fine seculi est tempus vocandi operarios in omni parte qua laborauerunt, scilicet in corpore & anima: sed etiam ante finem vesperæ consolationem accipit patrisfamilias anima quæ principalior fuit in labore: sicut etiam modo in rusticorum operibus videmus, quòd meliores operarij consolationem habent specialem ab eo qui conduxit eos.

AD ALIVD dicendum, quòd statim appareat gloria Domini, quando non est corpus inobediens:sed verum est,quòd maiestas iudicis non apparebit.

AD RATIONEM primam dicendum, quòd iudicium est duplex, scilicet particurare quod est hominis, & vniuersale quod est naturæ:& summè iustus index in neutro deficit iudicio: & ideo in morte hominis adiudicatur animæ quod meruit,& in die vniuersalis iudicij adiudicatur etiam corpori. Et hoc videmus in omni iudicio humano perfecto:impiissimus enim esset iudex, qui hominem vnum in causa sua differret quæ singularis est, vsque dum toti genti simul iudicaret.

AD ALIVD dicendum, quòd in veritate Deus summè magnificus est:sed hoc non est magnificentiæ, simul & non diuisim coronare: quia diuisim meruerunt: Sancti enim merita diuisa secundum tempus & secundum opera habent. Sed magnificentiæ est multos & magnos ditare. Quod autem simul vel diuisim fit hoc, non est magnificentiæ,sed accidit ex hoc, quòd simul vel diuisim venerunt ad magnificum.

AD ALIVD dicendum, quòd hæc est falsa, quòd Sancti simul decertant ad triumphum, nisi simul idem sit quod concorditer:sed si notat actus similes vel idem tempus, falsa est propositio: sed tantum in illo sensu concluderet aliquid ad propositum:& ideo patet, quòd ex falso procedit, & nihil probat.

AD VLTIMVM dicendum, quòd non est simile de Angelis & hominibus: quia Angeli omnes simul creati sunt, eo quod vnus non est in potentia ad alium,& vnus non traducitur ex alio: & ideo meritum eorum fuit simul,& per consequens præmium eorum fuit simul. Sed in hominibus secus est:quia vnus est in potentia ad alium,& generatio in eis prẽterit,& generatio aduenit:& ideo merita diuisa sunt secundum tempus & actus: & per concedens diuisim secundum animam præmiantur,vt dictum est prius.

De generali confeſsione, quid proſit.

E POST hæc conſiderandum eſt, Quid proſit confeſſio illa, vbi ſingula peccata quæ quiſque fecit, non exprimuntur. Sanè dici poteſt, quòd omnia criminalia ſemel ſaltem oportet in confeſſione exprimi, niſi aliqua à mente exciderint. Sed quia nemo delicta intelligit omnia, generaliter ſaltem ea confitere, quorum memoriam habes: & ſic nihil celaſti de ſceleribus tuis. Venialia vero, vt ait Auguſt. quia innumerabilia ſunt, ſufficit generaliter confiteri, niſi aliqua ſint frequenter iterata: perfectius eſt tamen etiam illa exprimere ſi vales. Ideoque quotidie generaliter fit confeſſio in Eccleſia pro venialibus, ſcilicet peccatis quæ quotidie admittimus, & pro illis mortiferis quorum notitiam non habemus. Vnde Auguſt. Veritatem dicit Deo pœnitens, quando nihil illi de commiſſis ſceleribus celat: non quod & ſi voluntatem celauerit, Deus ignoret: ſed veritatem ſibi dici vult ab eo, vt veniam conſequatur. Si vero mente aliqua exciderint, confitetur veritatem Deo, cum generaliter dixerit, Deus qui noſti occulta cordis & opera mea, & delicta à te non ſunt abſcondita, quibus veniam largiaris precor: & hæc eſt veritas confitentis, quam diligit Deus. Vnde Auguſt. Ecce enim veritatem dilexiſti. Hic inſinuatur, quòd generalis confeſſio etiam mortalia delet, quorum intelligentia non habetur.

In quinta reſponſione contra Pelagianos.

Pſal. 66.

Pſal. 50.

ARTICVLVS XI.

An oportet in confeſsione omnia criminalia ſigillatim exprimi?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Poſt hæc conſiderandum, Vtrum proſit confeſſio, &c.] Videtur enim falſum eſſe: quia in contritione non tenetur aliquis ſigillatim recolere peccata ad hoc quod valeat contritio: ergo nec in confeſſione: ſed ſufficit confiteri in generali.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd non eſt ſimile: quia contritio eſt coram Deo, qui omnia videt æqualiter ſigillatim & in communi reſumpta per memoriam: ſed confeſſio coram homine eſt, qui neſcit iniungere pœnitentiam niſi ſigillatim exprimantur: & etiam maior eſt erubeſcentia coram homine, coram quo ſigillatim peccata exprimuntur. Vtrum autem oporteat iterare confeſſionem, & quando non, ſupra requiratur: quia etiam hic habet locum.

Deinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Venialia vero quia innumerabilia ſunt, &c.] Super illud diſputatum eſt ſupra diſtinct. 17. in fine: & cadit hîc ſicut ibi: & ita quæ ibi dicta ſunt in quæſtione, confirmantur per ea quæ dicuntur hîc in litera.

Nemo confiteatur quæ non fecit.

F SICVT autem pœnitens celare non debet peccatum ſuum, quia ſuperbia eſt: ita nec humilitatis cauſa fateri ſe reum illius, quod ſe non commiſiſſe noſcit: quia incauta eſt talis humilitas, & peccatorem conſtituit. Vnde Auguſtin. Cum humilitatis cauſa mentiris, ſi non eras peccator antequam mentireris, mentiendo efficeris quod vitaras: quia veritas in te non eſt, niſi ita te dixeris peccatorem vt etiam eſſe cognoſcas. Veritas autem ipſa eſt, vt quod es dicas. Nam quomodo eſt veritas, vbi regnat falſitas?

De verbis Apoſtoli ſer. 29. & habetur 22. q. 2. c. Cum humilitatis.

De pœnis ſacerdotis qui peccatum publicat confitentis.

CAVEAT autem ſacerdos ne peccata confitentium aliis prodat, alioquin deponatur. Vnde Gregor. Sacerdos ante omnia caueat ne de his qui ei confitentur, peccata alicui recitet, non propinquis, non extraneis: nec (quod abſit) pro aliquo ſcandalo. Nam ſi hoc fecerit, deponatur, & omnibus diebus vitæ ſuæ ignominioſus peregrinando pergat. Quod vero dictum eſt vt pœnitens eligat ſacerdotem ſcientem ligare & ſoluere, videtur contrarium ei quod in canonibus reperitur, vt nemo ſcilicet alterius parochianum iudicare præſumat. Sed aliud eſt fauore vel odio proprium ſacerdotem contemnere, quod canones prohibent: aliud cæcum vitare, quod Vrbanus facere monet: ne ſi cæcus cæcum ducat, ambo in foueam cadant. Ait enim Vrbanus ſecundus, Placuit vt nulli ſacerdotum deinceps liceat quemlibet commiſſum alteri ſacerdoti ad pœnitentiam ſuſcipere, ſine eius conſenſu cui ſe prius commiſit, niſi pro ignorantia illius cui prius confeſſus eſt. Qui vero contra hoc facere tentauerit, gradus ſui periculo ſubiacebit.

G De pœn. diſt. 6. c. Sacerdos.

16. q. 1. cap. Ad minus. paragr. Ecce in hoc. 9. q. 2. quaſi per totum. Matt. 15. Ibidem c. Complacuit.

ARTICVLVS XII.

An piæ mentes debeant ibi cognoſcere culpam, vbi culpa non eſt?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi*[Sicut autem pœnitens celare non debet, &c.] Huic enim videtur contrarium quod dicit Gregor. quòd bonarum mentium eſt ibi culpam agnoſcere, vbi culpa non eſt: ergo & agnitum confiteri.

2 Adhuc Auguſt. in lib. confeſſionum, Si quæritur à me, vtrum ſim iuſtus? Dico quod non. Et tamen conſtat, quod Auguſtinus iuſtus erat.

Quæſtiũcula 1. ADHVC vlterius quæritur hic, Qualiter ſit confitendum dubium, vtrum ſicut mortale, vel veniale? Videtur enim, quòd ſi vt veniale confitetur, quòd in periculo eſt: quia non facit pœnitentiam condignam. Si autem vt mortale: tunc dubium pronuntiat vt certum, & ſic mentitur: ergo peccat, vel falſa ſunt quæ dicit in litera.

2 Adhuc, Parum ante dixit, quòd ſi aliqua ſæpius iterantur, illa ſunt exprimenda: aut ergo vt mortalia facta ſunt ex iteratione: aut quia venialia iterata. Si primo modo: tunc veniale fit mortale: & hoc ſupra improbatum eſt. Si ſecundo modo: tunc illa generalis confeſſio quæ fit in Prima & Completorio, facienda eſt de venialibus, quod eſt contra ea quæ dicuntur in litera.

Quæſtiũcula 2. ADHVC quæritur, Si confitetur talia iterata quæ venialia ſunt ex genere, vtrum taxanda eſt ei pœnitentia? Videtur, quòd ſic: quia confeſſio fit propter pœnitentiæ taxationem. Contra: Taxata ſufficit pro mortali; ergo nulla debetur veniali, quia improportionabilia ſunt.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd omnia hæc diſcuſſa ſunt in præhabitis: dici tamen poteſt ad primum, quòd eſt agnitio intellectus iudicantis, quid ſit in anima, & quid non: & eſt agnitio timentis affectus vtrum rectè agatur, an non: ſicut dicitur Iob 9. Verebar omnia opera mea, ſciens quòd non parceres delinquenti: & talis eſt agnitio bonæ mentis, de qua loquitur Gregor. & non exigit confeſſionem.

AD ALIVD dicendum, quòd omnis homo iniuſtus eſt comparatus Deo: & ita loquitur Auguſt. Sic etiam dicit Iob, Scio, quòd non iuſtificatur homo comparatus Deo. Et ſic dicitur Iſa. 64. Quaſi pannus menſtruatæ vniuerſæ iuſtitiæ noſtræ. Hæc autem iniuſtitia, quia in opere non eſt abſolute, ſed in comparatione ad iuſtitiam primam, quam non perfecte imitari poteſt mortalis infirmitas, ideo confiteri eam non oportet.

Ad quæſtiunculam 1. AD ALIVD dicendum, quòd dubia in certiorem partem ſunt interpretanda: accipiatur enim pœnitentia vt pro mortali: & tamen mortale non pronuntietur in confeſſione, ſed ſe dubitare confiteatur vtrum fuerit mortale vel veniale.

Ad quæſtiunculam 2. AD ALIVD dicendum, quòd ex iteratione non fiunt mortalia per ſe, ſed per accidens, ſcilicet ſi creſcant contemptus & libido: & de hoc ſupra ſatis dictum eſt.

Ad quæſtiunculam 3. AD ALIVD dicendum, quòd confitenti venialia non eſt iniungenda pœnitentia, ſed ad memoriã reuocãda ſatisfactio quotidiana pro venialibus ab Eccleſia inſtituta, ſcilicet tonſio pectoris, Pater noſter, Aue Maria, & huiuſmodi: & ſi ſuſcipiatur pœnitentia, non erit iniuncta in præcepto, ſed in conſilio. Tamen hoc argumentum non valet, pro mortali ſufficit aliqua: ergo veniali nulla debetur: quia non ſufficit aliqua pro mortali, niſi facto veniali: & hoc ſupra ſæpius expeditum eſt. Hoc autem quod dicit in iſto capitulo, Caueat autem ſacerdos, &c. in decreto de pœnitentia diſtinct. 6. continetur, & totum planum eſt ex diſputatis ſuprà 17. diſtinctione.

DISTINCTIO XXII.

Si peccata dimissa redeant?

A *Ostendit quãtum confessionis contemptus obsit.*

QVMQVE multis auctoritatibus suprà sit assertum, in vera cordis contritione peccata dimitti ante oris confessionem vel operis satisfactionem, ei etiam qui aliquando in crimen relapsus est: quæritur si post cordis contritionem confiteri contempserit, vel in peccatum idem vel simile ceciderit, an peccata dimissa redeant? Cuius quæstionis solutio obscura est & perplexa, aliis asserentibus, aliis contra negantibus peccata semel dimissa, vlterius replicari ad pœnam. Qui vero dicunt peccata dimissa redire, subditis se muniunt testimoniis. Ambros. ait, Donate inuicem, si alter in alterum peccat: alioquin Deus repetit dimissa. Si enim in his contemptus fuerit, sine dubio reuocabit sententiam, per quam misericordiam dederat: sicut in Euangelio de seruo nequam legitur, qui in conseruum suum impius deprehensus est. Item Rabanus, Nequam seruum tradidit Deus tortoribus, quoadusque redderet vniuersum debitum: quia non solum peccata quæ post baptismum homo egit, reputabuntur ei ad pœnam: sed etiam originalia, quæ in baptismo sunt ei dimissa. Item Gregor. Ex his dictis Euangelicis constat, quia si ex toto corde non dimittimus quod in nos delinquitur, & hoc rursum exigitur, quod iam nobis per pœnitentiam dimissum fuisse gaudebamus. Item Augustin. Dicit Deus, Dimitte, & dimittetur tibi: sed ego prius dimisi, dimitte vel postea. Nam si non dimiseris, reuocabo te: & quicquid dimiseram, replicabo tibi. Item qui diuini beneficij oblitus, suas vult vindicare iniurias, non solum de futuris peccatis veniam non merebitur: sed etiam præterita quæ iam sibi dimissa credebat, ad vindictam ei replicabuntur. Item Beda, Reuertar in domum meam, &c. Timendus est ille versiculus, non exponendus ne culpa quam in nobis extinctam credebamus, per incuriam nos vacantes opprimat. Item, Quæcunque enim post baptisma siue prauitas hæretica, seu cupiditas mundana arripuerit, mox omnium prosternet in ima vitiorum. Item Augustin. Redire dimissa peccata, vbi fraterna charitas non est, apertissimè Dominus in Euangelio docet in illo seruo, à quo dimissum Dominus debitum petiit: eo quòd ille conseruo suo debitum nollet dimittere. His auctoritatibus innitumtur, qui dicunt peccata dimissa, si replicantur, redire simpliciter. Quibus opponitur, Siquis pro peccato de quo pœnituit, & indulgentiam accepit, iterum punitur: non videtur iustum. Si punitur pro eo quod peccauit, & non emendauit, iustitia est aperta. Si vero requiritur quod fuerat condonatum, vel iniustitia est, vel iustitia occulta. Videtur etiam Deus bis in idipsum iudicare, & duplex tribu-

De pœn. dist. 4. in princ. & cap. Sequẽti.

Matt. 18.

In quadam homil.

Luc. 6.

Ibidem.

Super Lucam. lib. 4. c. 47.

Ibidem.

In lib. de baptism. De pœn. dist. 4. Mat. 18.

Nahum 1.

latio

latio consurgere : quod Scriptura negat. Sed ad hoc potest dici, quòd neque duplex tribulatio consurgit, neque iudicat Deus bis in idipsum. Hoc enim fieret, si post condignam satisfactionem & sufficientem pœnam iterum puniret : sed non satisfecit dignè & sufficienter, qui non perseuerauit. Debuit enim iugem peccati habere memoriam, non ad faciendum, sed ad cauendum. Debuit non obliuisci omnes retributiones Dei : quæ tot sunt, quot sunt peccatorum remissiones. Tot ergo debuit cogitare dona Dei, quot mala sua : ac pro illis vsque in finem gratias agere. Sed quia ingratus ad vomitum, sicut canis rediit, ante acta bona mortificauit, & peccatum dimissum reuocauit : vt cui humiliato ante Deus peccatum dimiserat, eidem postea elato & ingrato imputet. 2. Petr. 2.

Aliorum sententia.

SED quia absonum videtur vt peccata dimissa iterum imputentur, placet quibusdam neminem pro peccatis semel dimissis iterum à Deo puniri. Sed ideo dicuntur dimissa redire & imputari, quia propter ingratitudinem ita reus & peccator constituitur, vt ante fuerat. Sic enim quod dimissum fuerat, dicitur exigi, quia remissionis perceptæ ingratus, ita reus fit vt antè fuerat. Vtrique parti quæstionis probati fauent Doctores. Ideoque alicui parti non præiudicans, studioso lectori iudicium relinquo, addens mihi tutum fore ac saluti propinquum, sub mensa dominorum micas edere. E Mat. 15. Luc. 14.

DIVISIO TEXTVS.

QVMQVE multis auctoritatibus, &c.] In ista vltima distinctione de pœnitentia, agitur de reditu peccatorum, & per consequens de pœnitentiæ iteratione : & quæruntur duo in litera, quorum primum est quod dictum est : alterum autem de signo & re sacramenti huius, & incipit *ibi* : Post prædicta restat inuestigare, &c.

ARTICVLVS I.

An peccata dimissa redeant per quodlibet recidiuum?

INcidit autem hîc quæstio, Si peccata dimissa redeant per quodlibet sequens recidiuum mortalis peccati? Videtur autem, quòd sic per illud Ezech. 18. Omnes iustitiæ quas fecerit, non recordabuntur amplius. Ergo si nullam iustitiam fecisset, pro omnibus peccatis puniretur : sed non punitur nisi pro peccato quod habet : ergo omne peccatum præcedens redit super eum per recidiuum sequens.

2 Adhuc, Iustitia æqualis est ad reddendum æqualia pro bonis & malis : sed conuersis restituũtur bona præterita per peccatum intermedium mortificata : ergo & peruersis mala præterita per pœnitentiam intermediam mortificata : ergo peccata reuertuntur.

3 Adhuc, In humanis legibus manumissus propter delictum sequens in pristinam reuocatur seruitutem, & pœnam seruitutis : cum igitur illæ exemplatæ sint à diuinis, videtur etiam quòd illud iustum sit per diuinas : ergo propter delictum reuocanda est pristina seruitus peccatorum dimissorum.

4 Adhuc arguitur per illud, Qui offendit in vno, factus est omnium reus : non autem potest esse omnium reus, nisi per omnia reuerentia super eum : ergo videtur, quòd omnia peccata redeant propter vnum delictum sequens. Adhuc obiicitur fortius, Ponamus, quòd aliquis contritus sit sufficienter ad deletionem culpæ, sed non ad deletionem pœnæ : & postea contemnat pœnitere & confiteri, & ita decedat : constat, quòd Deus peccatum puniet quod non puniuit homo : sed nullum puniuit homo de peractis : ergo puniet omnia Deus : non autem potest punire nisi vbi est : est autem in inferno : ergo punit in inferno omnia peccata sua : & non puniuntur nisi quæ habet per reditum : ergo omnia peccata dimissa in contritione reuersa sunt per sequens peccatum. Eadem prorsus obiectio est de eo qui contritus & confessus est, & pœnitentiam condignam non expleuit, & cadit in vnum mortale, & ita decedit.

IN CONTRARIVM, huius autem obiicitur : quia dicit Philosophus, Quod omnino cedit in *Sed contra.*

non esse,non reiteratur idem numero: sed peccatum dimissum cessit omnino in non esse:ergo non reiteratur idem numero: ergo non reiteratur idem peccatum quod dimissum erat. Si autem dicatur, quòd peccatum non in nihil redigitur quando dimittitur. Contra: Si manet aut ergo secundum quod est culpa,aut secundum quòd macula,aut secundum quòd reatus pœnæ æternæ: hæc enim tria sunt in mortali peccato. Non primo vel secundo modo:quia secundum hoc culpa & gratia essent in eodem, & gratia & macula peccati mortalis, quod esse non potest. Similiter nec tertio modo manere potest:quia reatus pœnæ æternæ coniunctus est culpæ,& soluta ipsa soluitur:ergo videtur, quòd non maneat aliquid de peccato mortali: & sic constat propositum. Si forte dicas, quòd maneat aliqua circunstantia peccati: hoc ridiculum est: quia circunstantia est proprietas & forma quædam peccati: forma autem non manet nisi maneat formatum secundum esse.

2 Adhuc obiiciunt antiqui,quòd si quodlibet præteritorum reuertitur per quodlibet peccatum posterius admissum:ponamus,quòd aliquis peccat per auaritiam,& postea cadat in mortalem prodigalitatem: videtur, quod ptodigalitas reducat auaritiam in esse: & sic contrarium conducit contrarium ad esse,quod est impossibile.

3 Adhuc videtur hoc esse contra Dei iustitiam: quia nullum bonum manet ab eo irremuneratum, imo etiam plus quam valet: sed pœnitentia intermedia valuit æternum bonum, & fuit perfectum remedium contra peccatum: ergo videtur,quòd iniustè agatur cum tali,si omnia peccata reuertantur super eum.

Sunt autem quidam qui ad ista dicunt, quòd non redit præcedens in macula vel reatu: sed propter sequens peccatum innascitur reatus ita magnus, quòd æquiualet omnibus præcedentibus peccatis quæ dimissa erant. Sed hoc videtur falsum: peccatum enim non attenditur nisi ex specie vel radice quæ est contemptus: sed sequens peccatum in specie non æquiualet quantitati omnium peccatorum:nec etiam in radice vt frequenter:sed potius potest esse ex minori contemptu: ergo videtur, quòd sit falsum, quòd ex ipso tantus sicut ex omnibus dimissis innascitur reatus. Adhuc,Iste reatus aut innascitur ex peccato illo, secundum quòd est quoddam peccatum secundum se,aut secundum ordinem ad præcedentia peccata, aut secundum ordinem ad præcedentem pœnitentiam, aut simul secundum ordinem ad præcedentia peccata & ad præcedentem pœnitentiam. Si primo modo: ergo ex quolibet peccato mortali innascitur talis reatus:quia eadem ratio est de vno, & de omnibus aliis, quòd falsum est. Si secundo modo: ergo ex quolibet secundo innasceretur reatus tantus, quantus est duorum peccatorum, & ex tertio quantus est trium, & ex quarto quantus est quatuor,& sic de aliis:& hoc absit, quia sic nunquam peccator posset satisfacere. Si tertio modo: tunc bonum coniunctum malo facit maius malum, quod est impossibile. Idem sequitur si quarto modo dicatur esse: ergo hæc opinio est impossibilis.

Propter hoc venit opinio tertia, & dicit, quòd propter quatuor peccata redeunt præcedentia peccata, & non propter alia: & illa extrahuntur ex litera. Hæc autem sunt odium fraternum,apostasia à fide per hæresim, & contemptus confessionis propter obiectionem supra inductam, & pigritia pœnitentiæ. Tunc enim dicunt, quòd Deus facit ei non valere pœnitentiam præteritam: & de hoc antiqui fecerunt versum, quia fere omnes in hac erant opinione. Versus autem est iste,

Fratres odit, apostata fit, spernitque fateri,
Pœnituisse piget, pristina culpa redit.

Sed tunc quæritur, Quid sit specialiter in his peccatis, propter quod dicitur redire prior culpa potius quam in aliis? Aut enim habent hoc ex parte speciei, aut ex deformitate radicis. Si primo modo: tunc per homicidium debet redire præcedens culpa, quia maius peccatum est quam odium fraternum:& hoc non dicitur, nisi in odio fraterno supponatur quodlibet peccatum contra proximũ, quod non est verum secundum eos. Si ex deformitate radicis habet hoc. Contra: quia tunc ex peccato in Spiritum sanctum debuit redire præcedens culpa, quia deformissimam habet radicem: & hoc iterum non est verum secundum eos. Adhuc,Si aliquis inspiciat auctoritates quæ in litera inducuntur, plura inueniet, propter quæ Sancti dicunt redire peccata. In sexta quæ est Bedæ super Luc. ponitur incuria negligentiæ, vel otij: & in septima quæ est eiusdem,adiungitur cupiditas humana. Ergo videtur, quòd non tantum his quatuor de causis reuertantur peccata.

Ideo fuerunt quidam de quarta opinione, sequentes Magistrum in litera, dicentes quòd propter solam ingratitudinem peccata reuertuntur. Sed contra hos opponitur: quia ingratitudo non inuenitur nisi vno trium modorum: aut enim dicit actualem redditionem mali pro bono,corde, ore,vel opere factam:aut dicit non curationem beneficij suscepti actualem, scilicet aut quòd beneficium non reputetur, vel minus reputetur quã sit: aut dicit habitualem quandam immemorationem beneficiorum, per hoc quòd agit aliquid contra beneficium. Primis autem duobus modis ingratitudo est speciale peccatum, diuisum ab aliis, non coniunctum cuilibet peccato sequenti: ergo per ingratitudinem illis duobus modis sumptam non ponitur redire peccatum propter quodlibet sequens peccatum. Si ergo tertio modo sumatur ingratitudo, quæratur quid ipsa sit, quòd tantæ est efficaciæ? Videtur autem, quòd non sit actus peccati: quia vnus actus peccati distinguitur ab actu alterius peccati in specie: & ingratitudo coniuncta est cuilibet peccato sequenti: ergo ipsa non est actus peccati. Eodem modo videtur, quòd nec sit circunstantia: quia circunstantia vnius non est circunstantia alterius: & ingratitudo vna est cuiuslibet peccati sequentis. Adhuc videtur, quòd nec sit effectus peccati sequentis: quia diuersarum causarum diuersi sunt effectus: sed ingratitudo est vnius rationis consequens diuersa peccata consequentia pœnitentiam: ergo nec actus est,nec circunstantia, nec effectus peccati: ergo videtur,quòd nihil peccati sit:ergo per ipsam non potest reuerti peccatum præcedens.

RESPONSIO. Dicendum videtur mihi in ista quæstione,quòd peccatum nec idem numero, nec idem specie,nec æquali reatu, vnquam reuertitur:sed ex ingratitudine peccati sequentis dicitur reuerti quantum ad improperationem & deformitatem peccantis, quæ est ingratitudo maior, quam si ei peccatum dimissum non esset: & ideo *Solutio.*

ampliores

ampliores meretur increpationes, & condemnationem iustiorem: & aliter non potest intelligi qualiter peccata reuertantur. Ad hoc autem intelligendum quidam inuenerunt distinctionem eorum quæ sunt ex peccato in pœnitente: tenetur enim pœnitens ad dolorem commissorum, & detestationem admittendorum, & memoriam accepti beneficij, quod tantum est, vt infra patebit, quanta sunt ea quæ sunt dimissa: constat autem, quòd hæc tria omnia interrumpit peccatum sequens: & ideo innascitur ei quædam deformitas ingratitudinis ex comparatione ad dimissionem præcedentium peccatorum: cui enim multa sunt dimissa, magis tenetur gratias agere, & turpius est ei contra remittentem peccare: & sic præcedentia peccata non vt peccata, sed vt tanta dimissa, quantitatem dant ingratitudini sequenti: & quoad hanc redire dicuntur, quia quoad hanc quodammodò resultant in peccato sequenti. Si autem aliquo alio modo reuertuntur, ad præsens non intelligo præter obiecta inducta.

Ad primvm ergo dicendum, quòd Ezech. non intendit, quòd non recordentur iustitiæ ad minorem punitionem, quia hoc esset contra Dei misericordiam: sed intendit, quòd non recordentur ad vitæ æternæ consecutionem: & hoc verum est.

Ad alivd dicendum, quòd iustitia nunquam est ita æqualis, quin plus sit ad indulgentiam, quam ad condemnationem, quia aliter crudelis esset. Si tamen detur æqualis esse: tunc dicendum, quòd non sequitur: quia non est simile quod pro simili inducitur: bonum enim opus de se habuit spiritum viuificatiuum, quod postea potest valere ad meritum: sed malum opus non habet aliquid sustinens ipsum, quo reuertente postea possit redire: vnde multo deficientius est malum, quam bonum. Similiter bona opera omnia in gratia habent vnionem, & ideo reuertente gratia possunt redire: sed mala opera nullam habent vnionem omnino nisi aggregationis, quæ simpliciter pluralitas est, sicut vnio acerui: & ideo cum nihil habeant vnionis, quo reuertente redire possint, non possunt redire vt bona. Qualiter autem bona reuertantur, suprà inquisitum est.

Ad alivd dicendum, quòd in humanis multa fiunt ad cautelam & timorem futurorum: sicut ipsa lex quæ peccantem manumissum reuocat in seruitutem: hoc enim reddit cautiores, & infert aliis timorem, & sine talibus cautelis viuere non posset homo ciuiliter: sed in diuinis non est ita, sed directè sunt ad normam iustitiæ, & præcipuè in condemnatione & punitione peccatorum: quia non punit Deus vnquam vltra condignum.

Ad alivd dicendum, quòd nunquam punitur pro illa parte quæ ei dimissa est: sed talis punitur in inferno in perpetuum pro peccato præterito, sicut veniale coniunctum mortali punitur in æternum: sed tamen in inferno minus punitur, quam puniretur si nunquam pœnituisset.

Ad omnia autem quæ in contrarium sunt vsque ad secundam opinionem, concedi possunt de plano.

Sed de secunda opinione puto dicendum, quòd falsa est, nisi hoc modo dicatur, quòd reatus sequentis peccati habet maiorem deformitatem ex comparatione ad præcedentia dimissa. Et ad omnia quæ circa hanc opinionem obiiciuntur, puto concedenda.

Ad tertiam opinionem puto iterum dicendum, quòd falsa est: tamen ad hoc quod quærit, quæ fuit ratio quare posuerunt illa quatuor peccata? Dicendum, quòd ideo potuit esse, quòd præcedentia peccata quærunt remissionem ex parte Dei & proximi & ipsius pœnitentis. Et ex parte Dei quidem magis in genere est apostasia à primo eorum quæ sunt in iustificatione: & hæc est fides: & ideo quia peccat contra primum in iustificatione, quoad Deum redit peccatum: quoad proximum autem charitas communicans bene facit ad remissionem peccati, quia meretur charitas Ecclesiæ iustificationem impiorum: & ideo iterum peccans contra hoc, peccat contra iustificationem: & tunc redit peccatum pro eo scilicet. Ex parte autem pœnitentis sunt duo operatia: vnum contra culpam, dolor scilicet informatus gratia & contritione: & contrarium huius est pœnitentia pœnitentiæ. Aliud autem operatur contra pœnam ex vi clauium: & contra hoc est contemptus confessionis iniungentis satisfactionem. Alia autem non sunt ita directè contra iustificationem: & ideo per ea non redit: & per hoc patet solutio ad obiectum circa hanc opinionem, si aliquis vellet eam sustinere: posset enim dici, quòd peccatum non ex quantitate deformitatis in actu habet, quòd faciat redire peccatum, nec ex quantitate deformitatis in radice, sed ex hoc quòd peccat contra facientia iustificationem. Tamen ego puto, quòd etiam ista opinio falsa sit, sicut dictum est prius.

Ad vltimam opinionem dicendum, quòd nec propter ingratitudinem peccati reuertitur, nisi sicut dictum est in principio solutionis: & tunc ingratitudo secundo modo accipitur pro habituali immemoratione beneficiorum, & præcipuè illius beneficij, quòd dimissa sunt peccata. Ad obiectum contra, dicendum quòd nec actus, nec circunstantia, nec effectus est peccati sequentis, sed quædam deformitas consequens peccatum per hoc quod interrumpit habitualem gratiarum actionem: & sic est aliquid peccati, eo modo quo defectus aliquid dicitur esse defectus: nec tamen sequitur, quòd sit actus vel circunstantia vel effectus proprius: quia defectus non habet nisi defectum pro causa. Si autem quæratur, Quare Sancti in litera tangunt illa peccata quæ tangunt? Dicendum, quòd de quatuor iam patet: quia directius in illis peccatur contra iustificationem: duo autem quæ sunt incuria & amor mundi, generalia sunt, & potius ponuntur pro radicibus peccatorum, quam pro peccatis: quia ex ipsis frequentius incidunt frequentia peccata, quæ ingratitudinem inducunt. Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICVLVS II.

An peccatum veniale etiam redeat per ingratitudinem sicut alia?

Deinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Quoadusque reddat vniuersum debitum, &c.] Vtrum ex hoc habeatur, quòd veniale redit per illum modum, quo concedendum per ingratitudinem redire alia? Videtur, quòd non: quia

quod

quod non est contrarium charitati, nec etiam est contrarium ingratitudini : sed veniale non est contrarium charitati : ergo, & cætera : ergo non debet redire propter eius oppositum, scilicet ingratitudinem.

2 Item non dicitur redire propter ingratitudinem, nisi quod ingratitudinem facit maiorem: sed venialia non faciunt maiorem ingratitudinem : ergo non reuertuntur in ipsa. Primum patet ex præhabitis. Secundum autem patet ex hoc, quòd quæcunque non auferunt nec diminuunt charitatem, illa non augent ingratitudinem : & sic constat propositum.

Sed contra. IN CONTRARIVM autem est litera : quia dicitur hîc vniuersum debitum, & in illo includitur peccatum venialium.

2 Item, Cum oratio Dominica sit pro quotidianis quæ sunt venialia, & in illa dicitur, Dimitte nobis debita nostra:ergo venialia includuntur sub debito.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd non reuertuntur debita venialia, nisi per illum modum quo alia : & bene concedo, quòd hoc modo reuertuntur.

AD OBIECTVM contra, dicendum quòd est dispositio in contrarium disponens,& sic contrariatur feruori charitatis. Et per hoc remissio eius auget ingratitudinem. Eodem modo patet solutio ad sequens.

ARTICVLVS III.

An originale etiam redeat per ingratitudinem ?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Sed etiam originalia, &c.] Originale enim non est nisi vnum, contra quod ordinatur baptisma: ergo videtur,quòd non reuertatur : quia si reuerteretur, cum non deleatur nisi per baptismum, oporteret rebaptizari:& hoc hæreticum est dicere.

2 Præterea, Cum originale sit vnum, qualiter pluraliter vocat originalia ?

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd originale secundum suam essentiam nunquam redit : sed redit modo prædicto : quia dimissio eius auget debitum gratiarum actionis, & auget ingratitudinem.

AD SECVNDVM disputatum & responsum est in 2. lib. in tractatu de peccato originali.

ARTICVLVS IV.

An ille cui plura dimissa sunt, magis tenetur ad gratiarum actiones, quam ille qui seruauit innocentiam ?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Tot ergo debuit cogitare dona Dei, quot mala sua,&c.] Et quæruntur hîc tria, scilicet quis tenetur magis ad gratiarum actiones, scilicet cui plura dimissa sunt, vel ille qui seruauit innocentiam? Secundo, Penes quid attendatur gratiarum actio maior vel minor ? Tertio, Vtrum plurium donorum sit vna gratiarum actio, & vna ingratitudo, vel plures ?

Ad primum obiicitur sic : In corporalibus magis valet continua sanitas, quam interrupta & restituta : ergo similiter in spiritualibus plus valet continuatio innocentiæ,quam à pœnitentia restitutio gratiæ : sed de maiori bono magis sunt gratiæ agendæ : ergo ad maiores gratiarum actiones tenetur innocens,quam pœnitens in pristinum statum restitutus. *Quæst. 1.*

2 Adhuc, Dignior est status innocentiæ & securior, quam pœnitentiæ : quia pœnitens nescit sibi peccatum dimissum esse, sed innocens certè scit,quia non est admissum : ergo vt prius.

IN CONTRARIVM Luc.7. quis ergo eum plus diligit ? quia ille cui plus donauit. Et dixit Iesus, Rectè iudicasti : sed plus dimissum est pœnitenti:ergo plus tenetur diligere:ergo & amplius gratias agere. *Sed contra.*

2 Adhuc, Adiutus in periculo tenetur liberatori, cui non tenetur hic qui nunquam adiutus est : sed innocens nunquam adiutus est, pœnitens autem est adiutus : ergo, ad maiores gratiarum actiones tenetur pœnitens, quam innocens.

SECVNDO quæritur, Penes quid attendatur quantitas gratiarum actionis ? Videtur autem, quòd penes quantitatem donorum : quia gratiarum actio est de donis perceptis recognitio beneficij cum laude & obsequio : ergo de maiori dono maior est gratiarum actio, & de minori minor. *Quæst. 2.*

SED SI hoc concedatur, Euangelium videbitur esse contra : quia dicunt omnes, quòd charitas maximum est donum : & tamen Euangelium videtur velle, quòd plus debet gratias agere cui plus est dimissum, vt patet ex prius inducta auctoritate. *Sed contra.*

TERTIO quæritur, Vtrum de multis sit vna gratiarum actio,& vna ingratitudo ? Videtur autem, quòd non : quia sicut differunt causæ propriæ,ita differunt causata:sed causa propria gratiarum actionis est perceptio doni : ergo diuersorum donorum diuersæ sunt gratiarum actiones & ingratitudines : & habetur propositum. *Quæst. 3.*

RESPONSIO. Dicendum, quòd primum articulum huius quæstionis determinat August. in lib. de virginitate, dicens quòd cæteris paribus vterque ad æquales tenetur gratiarum actiones: quia à tot quot pœnitentem gratia Dei eripuit, à tot innocentem ne caderet præseruauit:nec stare potuit, nisi illo præseruante : si autem in cæteris pares non sint : tunc magis tenetur qui maiorem charitatem habet, & cætera dona maiora. Vnde in illis nihil prohibet vnum magis teneri in ratione vnius, & reliquum in ratione alia : quia in talibus operationes se habent sicut excedentes & excessæ. *Solutio.*

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd est vt sic,& est vt non : quia si interrupta sanitas maior est quam continua, non est verum quod dicit : si autem æqualis est, & cætera sunt paria, tunc est verum. Et ita est etiam in spiritualibus : quia tunc vitatio periculi magnum bonum est, de quo non tenetur qui periculum incidit.

AD ALIVD dicendum, quòd non concludit,nisi quantum ad hoc : in cæteris autem potest esse oppositum,vt dictum est.

AD ALIVD dicendum, quòd in contrarium obiectũ probat ex pluribus teneri pœnitentem,quia ex dimisso & commisso,sed non plus:& ita

ita loquitur Dominus Luc. 7. Et per hoc patet solutio ad totum primum.

Ad qu. 2. AD ID quod secundo quæritur, dicendum quòd duplex est quantitas, discreta, & continua. Spiritualis autem discreta quantitas gratiarum actionis attenditur penes numerum donorum, & spiritualis quasi continua attenditur penes magnitudinem, & præcipuè penes magnitudinem charitatis, quia illa excellentior est omni dono alio.

AD ID quod obiicitur in contrarium, iam patet solutio per antedicta.

Ad qu. 3. AD ID quod tertio quæritur, dicendum quòd gratiarum actiones non respiciunt dona secundum speciem differentia, sed secundum quod sunt diuinæ largitatis & magnificentiæ indicatiua: & quia hoc modo sunt in ratione vna, ideo gratiarum actio est vna specie, & debent esse multæ numero per diuersitatem recordationis donorum: & per consequens ingratitudo est vna per speciem potens diuidi in plures numero. Et per prædicta patet etiam solutio ad obiecta: quia non est verum, quòd diuersitati donorum in specie diuersæ debeantur gratiarum actiones specie: quia non hoc modo respicit dona gratiarum actio, sed modo prædicto.

Quid sit hîc sacramentum & res.

POST prædicta restat inuestigare, quid in actione pœnitentiæ sit sacramentum & res. Sacramentum enim signum est sacræ rei. Quid ergo hic signum est? & quæ est res sacra huius signi? Quidam dicunt sacramentum hic esse quod exterius tantum geritur, scilicet exterior pœnitentia, quæ est signum interioris pœnitentiæ, scilicet contritionis cordis, & humiliatis. Quod si est, non omne sacramentum Euangelicum id efficit quod figurat. Exterior enim pœnitentia non efficit interiorem, sed potius interior causa est exterioris. Sed ad hoc inquiunt illi, hoc esse intelligendum de illis sacramentis, quæ in Nouo Testamento instituta sunt, vt est sacramentum baptismi, confirmationis, & corporis Christi. Sacramentum vero pœnitentiæ, sicut & coniugij, ante tempus gratiæ, etiam à primordio humani generis fuit. Vtrumque enim institutum fuit in primis parentibus. Item, Si exterior pœnitentia sacramentum est, & interior res sacramenti: sæpius præcedit res sacramentum, quam sacramentum rem. Sed nec hoc inconueniens est. Nam & in aliis sacramentis quæ efficiunt quod figurant, hoc sæpè contingit. Quidam autem dicunt exteriorem pœnitentiam & interiorem esse sacramentum, nec duo sacramenta, sed vnum: vt species panis & vini non duo sunt sacramenta, sed vnum. Et sicut in sacramento corporis, ita etiam in hoc sacramento dicunt aliud esse tantum sacramentum, scilicet exteriorem pœnitentiam, aliud sacramentum & rem, scilicet interiorem pœnitentiam: aliud rem & non sacramentum, scilicet remissionem peccatorum. Interior enim pœnitentia, & res est sacramenti, id est, exterioris pœnitentiæ: & sacramentum remissionis peccati, quam signat & facit. Exterior quoque pœnitentia & interioris signum est, & remissionis peccatorum. C

Gandulphus.

ARTICVLVS V.

An sacramentum pœnitentiæ habeat tria sicuti cætera, scilicet rem tantum, signum tantum, rem & signum simul?

DEinde quæritur de secunda parte huius distinctionis quæ incipit *ibi* [Post prædicta restat inuestigare] Et in principio statim quæruntur quinque. Primum est, Vtrum istud sacramentum sicut cætera habeat tria, scilicet rem tantum, signum tantum, rem & signum simul? Secundum est, Quid sit in eo signum tantum, & quid res & signum, & quid res tantum? Tertium, Vtrum sit vnum signum, & vnicum signum & res, & vna res vel plures? Quartum, Vtrum ipsum sit vnum sacramentum? Et quintum, Secundum quem modum sit vnum?

Ad primum horum sic obiicitur: Nihil eorum quæ totam rem suam perficiunt interiori operatione,

rione, habet signum sacramentale: pœnitentia totam rem suam perficit operatione interiori vel perficere potest: ergo nullum habet signum sacramentale. Probatur prima ex diffinitione signi sacramentalis in principio libri posita. Secunda autem probatur: quia ex interiori contritione dimittitur frequenter totum peccatum, imo totum peccatum cum tota sui pœna potest deleri, antequam vnquam fiat aliquid exterius.

2 Adhuc, Omne illud quod nullam habet materiam extrinsecus oculis suppositam per ministros Ecclesiæ ministrandam, ipsum nullum habet signum sacramentale: sed pœnitentia tale quid est, vel potest esse: ergo nullum habet signum sacramentale. Probatur prima per definitionem sacramenti, quam dat Hugo, quòd sacramentum est visibile & corporale elementum, extrinsecus oculis suppositum, ex similitudine repræsentans, ex institutione significans, & ex sanctificatione inuisibilem gratiam conferens. Secunda autem probatur, sicut ante habita præcedentis argumenti.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius obiicitur per hoc quòd pœnitentia est sacramentum: sed omne sacramentum est sacræ rei signum, cuius imaginem gerit & similitudo existit: ergo & pœnitētia.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd aliud iudicium est de pœnitentia, secundum quod est virtus mouens liberum arbitrium in peccati detestationem, vt supra distinct. 14. dictum est: & aliud, secundum quod est sacramentum. Secundum enim quòd est virtus, non habet ista tria, sed est mouens liberum arbitrium in modum naturæ cuiusdam ad detestandum peccatum perpetratum inquantum perpetratum est. Secundum autem quod est sacramentum, dolorem habet pro materia, & gratiam pro forma, & exteriora signa habet, consistens in tribus partibus, scilicet contritione, confessione, & satisfactione: & hæc omnia supra distinct. 15. sunt notata: sic enim illæ tres partes sunt omnes simul, non actu, sed voto. Secundum autem quod est virtus, non habet coniunctum votum confitendi ministro Ecclesiæ, nec satisfaciendi satisfactione erogata sub clauium potestate.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd pœnitentia secundum quod est sacramentum, non perficit rem suam interius, imo habet coniunctum votum ad exterius procedendum: & hoc est signum eius in quo procedit ad manifestationem exteriorem.

AD ALIVD dicendum penitus eodem modo.

ARTICVLVS VI.

Quid in sacramento pœnitentiæ sit signum, & quid res & signum, & quid res tantum?

SEcundo quæritur, Quid sit hîc signum, & quid res & signum, & quid res tantum? Dicit autem Magister in litera, quòd exterior pœnitentia est signum tantum, interior autem res & signum. & dimissio peccati res tantum. Sed contra hoc obiicitur: quia secundum hoc res præcedit signum tempore, cum in aliis sacramentis signum præcedat rem: remissio enim peccati præcedit exteriorem pœnitentiam.

2 Adhuc autem obiicitur sic: Multa ante exteriorem pœnitentiam in hoc sacramento exterius aguntur: ergo videtur, quòd exterior pœnitentia non sit signum primum & principale pœnitentiæ: agitur enim confessio & multa alia ante exteriorem pœnitentiam, quæ est iniuncta satisfactio.

3 Adhuc, Est signum futuri, quod dicitur prognosticum à Medicis & Astronomis: & est signum præsentis quod dicitur hycos vel typus: & est signum præteriti quod dicitur à Tullio rememoratiuum, tertio rhetoricæ: ergo sacramentale est aliquod istorum signorum. Et constat, quòd nullum nisi prognosticum: & illud semper præcedit signatum: ergo in pœnitentia cum sit sacramentum, nullum potest esse signum quod non præcedat peccati remissionem: ergo videtur, quòd exterior pœnitentia non sit signum.

4 Adhuc, Si exterior pœnitentia dicitur satisfactio iniuncta, sicut Magister videtur velle, videtur quòd multi contriti & confessi decedant sine sacramento pœnitentiæ: qui tamen saluantur, quia multi decedunt sine exteriori satisfactione: & hoc videtur esse inconueniens. Adhuc, In præcedenti distinct. habitum est, quòd secundum quantitatem dolotis & deuotionis moderanda est satisfactio: ergo quibusdam nihil imponetur, scilicet quibus sufficit dolor interior & deuotio: & ita illi non haberent de signo sacramenti pœnitentiæ, quod absurdum est.

5 Aliter autem obiicitur contra idem, scilicet quòd nihil exteriorum potest esse signum sacramentale in pœnitentia: quia in sacramento nouæ legis signum est causa & efficit quod figurat: sed exteriora in pœnitentia non efficiunt, sed interiora: ergo videtur, quòd non sunt signa sacramentalia.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius obiicitur, quòd omne sacramentum habet signum sensui extra subiectum: sed in pœnitentia solum exterior pœnitentia est sensibus subiecta: ergo ipsa sola est signum, sicut dicit Magister in litera.

Solutio. RESPONSIO. Ad hoc dicendum cum Magistro in litera,, quòd exterior pœnitentia est signum tantum, & interior signum & res, & dimissio peccati in culpa & pœna est res tantum. Sed exterior pœnitentia non dicitur meo iudicio tantum satisfactio iniuncta: sed potius in communi ad tres partes pœnitentiæ accipiendum est signum doloris exterius in gestu, voce confessionis, & opere satisfactionis iniunctæ: & hoc secundum tres partes pœnitentiæ diuiditur, scilicet quòd signum doloris extra est signum appropriatum contritioni, & confessioni extra enarratio, scilicet appropriata confessioni, & acceptio exterior satisfactionis est signum satisfactionis. Res autem & signum simul, sicut dicit Magister, est pœnitentia interior: & hæc similiter in communi accipienda est, scilicet secundum quod est dolor voluntarius cum voto confitendi & satisfaciendi per claues. Res autem tantum est dimissio peccati in tota culpa & tota pœna: & hæc duo diuisibilia sunt, quia contritioni respondet signum quod est dolor interior gratia informatus: confessioni autem votum confitendi quo iam confitetur intra, & satisfactioni votum satisfaciendi quo iam amplectitur iniunctam pœnitentiam intra. Similiter res diuiditur: quia in contritione

tritione est demissio culpæ & pœnæ æternæ, & in confessione dimissio pœnæ in purgatorio, & in satisfactione dimissio pœnæ temporalis.

Ad hoc autem quod primo obiicitur, dicendum quòd Magister soluit in litera : quia quandoque non est inconueniens rem præcedere signum, vt in baptismo adultorum fit frequenter : sed quia hoc accidit, ideo aliter potest dici, scilicet quòd aliter est in sacramento tantum, & aliter in eo quod est virtus & sacramentum. In his autem quæ sunt sacramenta tantum, semper natura præcedit signum, etsi tempore quandoque comitetur, quandoque subsequatur : sed in pœnitentia quæ est virtus & sacramentum, pœnitentia vt est virtus, est ante eandem secundum quod est sacramentum, hoc est, actus virtutis est ante actionem sacramenti, & cum virtute non potest esse simul peccatum : & ideo res secundum quòd inducit totam in culpa & pœna peccati dimissionem, signum præcedit aliquod in natura, vel in tempore quandoque.

Ad aliud iam patet : quia comprehenditur sub satisfactione confessio, & quicquid exterius apparet.

Ad aliud dicendum, quòd hoc est signum præcedens rem secundum aliquam partem : & hoc sufficit propter causam dictam.

Ad aliud dicendum, quòd non decedunt sine sacramento : quia non tantum dicitur exterior pœnitentia sacramentum, sed verius interior : sed sequitur, quòd sine quodam signo quod est in sacramento decedunt : & hoc non est inconueniens : imo etiam sine sacramento, sed tamen cum re sacramenti non est inconueniens aliquos saluari, sicut habitum est in tractatu de baptismo.

Ad aliud dicendum, quòd illa obiectio quorundam in loco isto fundatur super falsum : quia nullum sacramentorum omnium habet signum rei causatiuum : aqua enim non causat sanctificationem, sed potius virtus verborum in aqua : & species panis & vini non causant corpus Christi, sed potius verba in tali materia, & sic de aliis. Et hoc est quod dicit Magister Hugo, quòd ex sanctificatione fit sacramentum inuisibilem gratiam conferens. Vnde falsum est quod dicit : sed sufficit, quòd illud quod est res & sacramentum, cum forma & materia sit significatiuum & causatiuum : & hoc quidem hîc fit, quia dolor cum signis suis est materia & gratia formata : & hoc sanctificat, quia in tali dolore causat remissionem peccatorum.

ARTICVLVS VII.

An in sacramento pœnitentiæ signum sit vnum vel plura?

Tertio quæritur, Vtrum sit vnum signum, & vnicum signum & res, & vnica res, vel plures? Videtur autem, quòd vnica : quia vnius sacramenti res debet esse vnica : sed pœnitentia est sacramentum vnum : ergo, &c.

2 Adhuc, Magister in litera non tangit nisi vnum, scilicet exteriorem pœnitentiam & interiorem, & peccati dimissionem : ergo, & cætera.

Responsio. Dicendum, quòd sunt plura & vnum diuersis respectibus. In communi enim accepta pœnitentia, prout claudit in se tres partes suas, vnum est signum tantum, & vnum signum & res, & similiter est res vna tantum. Quod qualiter sic, in præcedenti articulo quæstionis dictum est. Si autem accipiantur partes actus pœnitentiæ : tunc ista tria habent diuisa : & hoc etiam ibidem dictum est. *Solutio.*

Ad obiectum ergo dicendum, quòd non est nisi vnum in communi, sed in particulari in hoc & in aliis sacramentis sunt plura : sicut patet in Eucharistia, vbi sunt signa species panis & vini.

Ad aliud dicendum, quòd Magister non tangit ista, nisi secundum quòd sunt totius pœnitentiæ in communi.

ARTICVLVS VIII.

An sacramentum pœnitentiæ sit vnum vel plura?

Quarto quæritur, Vtrum istud sacramentum sit vnum vel plura? Videtur autem, quòd vnum : quia non sunt nisi septem sacramenta nouæ legis, & istud est vnum illorum : ergo est vnum : si enim daretur, quòd esset plura, sequeretur quòd plura quam septem essent sacramenta nouæ legis.

2 Adhuc, Duo sunt genera peccatorum, scilicet originale, & actuale : & vnum sacramentum, scilicet baptismus ordinatur contra originale : ergo & vnum contra actuale : sed hoc est pœnitentia : ergo videtur, quòd pœnitentia non sit nisi vnum sacramentum.

In contrarium huius obiicitur : quia vbi sunt plura signa & plura signata, ibi sunt plura sacramenta.

Responsio. Dicendum, quòd ferè totum patet per dicta : sacramentum enim pœnitentiæ est vnicum sacramentum : & sic dictum est supra dist. 15. Res eius est vnica, scilicet deletio totius peccati actualis in culpa & pœna : & ad hanc deletionem ordinatim veniunt tres partes, sicut medicinæ sunt tres receptiones sigillatim & ordinatim operantes. *Solutio.*

Ad argumentum ergo dicendum, quòd vna res est in communi & vnum signum & causa : & tamen non sequitur, si plura essent quæ sunt signa tantum, quòd essent plura sacramenta : & instantia est in Eucharistia, in qua sunt plura signa, nec tamen plura sacramenta : & hæc est causa, quia sacramentum contrahit vnitatem à re, & præcipuè ab eo quod est res & signum : & hoc vnum est in Eucharistia : & hæc causa propter quid in talibus est, quia vnum & idem signabile est signis diuersis : & ideo diuersitas signorum non facit vnitatem vel diuersitatem rerum.

ARTICVLVS IX.

Qualiter ſacramentum pœnitentiæ ſit vnum?

QVinto quæritur, Qualiter ſit vnum? Dicitur enim vnum multis modis, vt diſtinguunt diuerſi Auctores. Eſt enim vnitas ſubſiantialis trium perſonarum in vna ſubſtantia diuina: perſonalis in Chriſto: ſpiritualis, in qua homo ſanctus & Deus, vnus ſpiritus ſunt. Præter has eſt aggregatiua vt aceruus lapidum: & conſtitutiua, vt membra corpus vnum conſtituunt: & natiua, vt corpus & anima naturaliter vnum perficiunt hominem: & coniugatiua, qua vir & mulier ſunt vna caro. Videtur autem, quod nullo horum modorum ſit ſacramentum vnum. Et patet per ſingulas vnitates de facili deducenti. Bern. ſerm. 44.

2 Adhuc, Dionyſius multos ponit modos vnius dicens, quod quæ ſunt multa numero, ſunt vnum ſpecie: & quæ multa ſpecie, ſunt vnum genere: & quæ multa proceſſibus, ſunt vnum primo. Qualiter ergo dicetur hoc ſacramentum vnum?

Solutio. RESPONSIO. Determinatio iſtius quæſtionis multum pendet ex dictis in 15. diſt. circa principium: dico tamen, quòd eſt vnum vnitate natiua in diuiſione Bernardi, quæ eſt ex materia & forma: omne enim quod eſt ex forma & materia, reducitur ad vnitatem natiuam in diuiſione illa: forma autem eſt gratia & materia dolor, cum ſignis ſuis exterioribus manifeſtabilis vel manifeſtatus: & ſic patet ſolutio. Et nota, quòd quidam dixerunt, quòd ſit hæc ſpecialis vnitas quæ dicitur ſacramenti: & hunc modum vnitatis ponit Boëtius in li. de vnitate & vno: ſed ille modus ad vnitatem natiuam habet reduci ſecundum diuiſionem Bernardi. Nota etiam, quòd quidam dicunt vnitatem eſſe principij ſecundum diuiſionem Dionyſij: & hoc nihil eſt: quia principium vocatur ibi à quo multa procedunt non per modum vnum: & eſt ſecundum aliquem modum per prius & poſterius in aliquo illorum: ſicut ab ente procedunt genera generaliſſima: ſed poſt hoc in diuiſione ipſum eſt ſpecie vnum, eo modo quo ipſa ſpecies conſtans ex materia & forma dicitur ſpecie vnum.

ARTICVLVS X.

An ſacramentum pœnitentiæ indiguit inſtitutione?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Sacramentum coniugij, &c.] Et quæruntur quinque circa inſtitutionem. Primum eſt, An indigebat inſtitutione? Secundum, Vtrum ante peccatum fuit inſtitutum, ſicut dicit Magiſter in litera? Tertium, Vtrum tempore legis naturæ ſit inſtitutum, & qualiter ſit? Quartum, Qualiter tempore legis Moſaicæ? Quintum & vltimũ, Qualiter tempore legis Chriſti?

Ad primum horum proceditur ſic: nullum horum quæ dictat natura homini, indiget inſtitutione: ſed pœnitentiam neceſſariam eſſe poſt peccatum perpetratum, dictat natura homini: ergo pœnitentia non indiget inſtitutione.

2 Adhuc, Magiſter Hugo dicit, quòd ſacramentum eſt ex inſtitutione ſignificans. Ex hoc accipitur, quòd ſi non eſſet inſtitutio, nec ſignificaret, nec obligaret per modum ſacramenti. Inde procedo ſic: Omne quod æqualiter obligat ad ſatisfaciendum, facta inſtitutione, & non facta, non eſt inſtitutum per modum ſacramenti: ſed pœnitentia hoc modo æqualiter obligat: ergo pœnitentia non eſt inſtituta per modum ſacramenti. Probatio mediæ. Sit, quòd non inſtituatur, adhuc ipſa neceſſaria eſt peccanti volenti ſatisfacere: ſic autem non eſt de baptiſmo & aliis: ergo conſtat propoſitum.

3 Adhuc, Inſtitutum per modum ſacramenti, non efficitur cauſans niſi à virtute inſtituentis & formæ: ſed pœnitentia non habet ſic cauſationem ſuam: ergo non eſt inſtituta ſicut ſacramentum. Probatio minoris. Pœnitentia enim ſi non ſit inſtituta, adhuc mouebit in pecccati deſtructionem, & ſic conſtat propoſitum.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius eſt definitio ſacramenti, quam ponit Magiſter Hugo, quòd eſt ex inſtitutione ſignificans: ergo videtur, quòd omne ſacramentum habet inſtitutionem. Ad idem eſt illud quod dicitur in litera.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd aliud eſt de pœnitentia ſecundum quod eſt virtus, & aliud de pœnitentia ſecundum quod eſt ſacramentum. Virtus enim non habet inſtitutionem, ſed eſt de dictatis à natura: ſed ad ſacramentum exigitur inſtitutio: quia omne ſacramentum exiſtit in ritu quodam exteriori ſibi eſſentiali, qui ritus eſt in diſpenſatione miniſtrorum: ideo non videtur concedendum, quod ſacramentum vt ſacramentum dictetur à natura, ſed potius ſacramentum vt eſt virtus, vel pœnitentia eſt virtus.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd non dictat ratio pœnitentiam eſſe neceſſariam vt eſt ſacramentum, quod eſt cum aliqua morbi oſtenſione cum ſigno clauium vel cum clauibus: imo ſi non eſſet inſtitutio, ſine tali pœnitentia poſſet eſſe ſalus. Per hoc etiam patet ſolutio ad duo ſequentia, & ad totum de hoc articulo quæſitum.

ARTICVLVS XI.

An ſacramentum pœnitentiæ ſit inſtitutum ante ſtatum peccati?

SEcundo quæritur, Vtrum inſtitutum fuit hoc ſacramentum ante peccatum? Videtur autem, quòd ſic: quia dicit Magiſter in litera, Adhuc cum Dominus dixit, Quacunque die comederitis, morte moriemini, &c. conſtat, quòd intellexit de morte pœnitentiæ: quia de morte corporis non fuit verum: & hoc dixit

xit ante peccatum: ergo pœnitentiam instituit ante peccatum.

Sed contra. In contrarium huius obiicitur sic: Pœnitentia non est nisi peccati præcedentis: ergo prænuntiatio pœnitentiæ prænuntiat peccatum futurum: sed prænuntians peccatum futurum antequam sit, reuelat homini suum casum futurum, quod fieri non debuit, vt probat Augustinus: ergo & pœnitentia ante peccatum institui non debuit.

2 Adhuc, Causa necessario præcedit suum causatum: sed lapsus est causa institutionis pœnitentiæ: ergo lapsus fuit ante institutionem: ergo videtur, quòd ante peccatum non debuit institui pœnitentia.

Solutio. Respondeo cum Magistro, quòd pœnitentia secundum quòd est in remedium casus, instituta fuit ante peccatum: quia cum Dominus pronus sit ad miserandum, prius adhibuit remedium, quam culpa admitteretur: vt in culpam incidens, inueniret statim remedium paratum.

Ad obiectvm contra, dicendum quòd non ex hoc reuelauit: quia non sequitur, quòd aliquis peccabit ex hoc quod peccata pœnitentia indigent, non enim ex conditionali potest inferri antecedens: sed verum est, quòd sciuit Adam se esse possibilem ad peccandum: & si peccaret, quòd remedio indigeret. Et sic patet solutio ad primum.

Ad alivd dicendum, quòd lapsus est causa institutionis: sed non oportet, quòd sit in actu: sed sufficit, quod sit in possibilitate: sicut sapiens medicus parat medicinam morbo, quem possibile est surgere.

ARTICVLVS XII.

An sacramentum pœnitentiæ sit institutum in lege naturæ?

TErtio quæritur de institutione eius in lege naturæ. Dicit enim Magister Hugo de sancto Vict. de institutione sacramentorum, quòd quandiu morbus est, est tempus medicinæ: sed morbus fuit in lege naturæ: ergo & medicina est.

2 Adhuc, In litera dicitur, quòd à primordio generis humani fuit. Ergo videtur, quòd fuit tempore legis naturæ: quia nulla lex fuit à primordio generis humani, nisi tantum lex naturæ.

3 Adhuc super illud Genes. 3. Adam vbi es? dici Gloss. dum vocat, notat quod ad pœnitentiam reuocat. Ergo pœnitentia tunc instituta fuit.

4 Adhuc, Pœnitentiæ sacramentum habet partes: contritionem, confessionem, & satisfactionem: hæc omnia fuerunt in lege naturæ: ergo & sacramentum pœnitentiæ. Probatio. Adam contritus est, quia doluit de peccato: confessus est, quando dixit, Mulier quam dedisti mihi sociam, &c. pœnitentiam à Domino accepit, quando dixit ei, In sudore vultus tui, &c. Et Euæ, multiplicabo erumnas tuas & cætera.

Sed contra. In contrarium huius obiicitur: quia Hugo enumerans sacramenta legis naturæ, dicit esse decimationes, sacrificia, oblationes: & horum nullum est pœnitentiæ sacramentum: ergo videtur, quòd pœnitentia non fuerit sacramentum legis naturalis.

2 Adhuc Hug. Sacramenta legis naturæ non præcepto inducta videntur, quia ex consilio ad votum proposita: sed constat, quod ex præcepto quilibet ad pœnitentiam obligatur: ergo non est sacramentum legis naturæ.

Solutio. Ad hoc dicendum, quòd hoc sacramentum quandam institutionem habuit in lege naturæ. Et contritio quidem instituta est, quando dixit, Adam vbi es? Vnde Gloss. exponit, Vide in qua miseria es, id est, recognosce & confitere peccatum tuum. Sed satisfactio in hoc quidem, In sudore vultus tui &c. Et hæc suffecerunt in lege naturæ: quia adhuc non oportuit recognoscere peccatum coram homine, & ab ipso expectare pœnitentiam iniunctam.

Dicendvm ergo ad primum, quòd Magister Hugo non enumerat sacramenta, nisi ipsa signa futuri liberatoris & liberationis per Christum, quæ nullam gratiam ex opere operato contulerunt. Pœnitentia autem semper contulit gratiam aliquam, licet non plenè, sicut in Nouo Testamento facit.

Ad alivd dicendum, quòd hoc dictum Hugonis intelligitur de his quæ signa erant tantum, secundum illam diffinitionem, quòd sacramentum est sacræ rei signum tantum, eodem modo quo omnia signa patrum liberatorem futurum esse loquuntur.

ARTICVLVS XIII.

Qualiter sacramentum pœnitentiæ fuit institutum tempore legis Mosaicæ?

QVarto quæritur de institutione pœnitentiæ in lege Moysi. Videtur enim tunc fuisse iterum institutra, sicut patet Leuit. 2. & 3. vbi dicitur quid offerendum pro peccato animæ principis & synagogæ: cum igitur pœnitentiæ taxatæ sint in lege veteri pro peccatis, videtur quòd instituta sit ibi specialiter pœnitentia.

2 Adhuc, De pœnitentia videtur dici in Prouerb. 24. Qui abscondit scelera sua, non dirigetur: qui autem confessus fuerit, misericordiam consequetur. Item de contritione Ioel. 1. Scindite corda vestra, & vestimenta vestra. Et in Psalm. 50. Cor contritum & humiliatum, &c. Ergo videtur pœnitentia tota instituta fuisse in lege veteri.

Sed contra. In contrarium huius obiicitur, quòd pœnitentia est satisfactiua per claues: ergo ante claues non fuit institutio pœnitentiæ: sed claues non fuerunt in Veteri Testamento: ergo nec pœnitentiæ institutio, vt videtur.

Solutio. Solvtio. Dicendum, quòd secundum modum quendam instituta fuit pœnitentia in Veteri Testamento: & hic modus patebit in sequenti articulo quæstionis.

Ad argvmentvm contra, dicendum quòd non fuit instituta secundum quod est dimissiua pœnæ ex vi clauium, sed secundum quòd cum gratia & pœnitentia exteriori fuit remedium actualis peccati: lex enim non diminuebat onera, sed potius augebat. Et sic patet solutio.

ARTICVLVS XIV.

Qualiter institutum est sacramentum pœnitentiæ tempore legis Euangelicæ?

QVinto & vltimo quæritur de institutione eius in Nouo Testamento. Videtur enim, quòd non sit instituta in Nouo Testamento: quia omne illud quod ante Nouum Testamentum obseruatum est, superfluè in Nouo Testamento institueretur: sed pœnitentia ante Nouum Testamentum instituta & obseruata est: ergo superfluè in Nouo Testamento esset instituta: sed nihil superfluè in Nouo Testamento fecit Christus: ergo in Nouo Testamento non instituit.

2 Item si instituit, vbi instituit? Si dicatur Matth. 3. Pœnitentiam agite, &c. eadem ratione instituit Ioannes Matth. 3. qui ab eadem sententia incepit prædicationem: Si dicatur quòd Matth. 8. vbi dicit, Ostendite vos sacerdotibus: sicut supra habitum est in dist. 14. Contra: Nec textus ibi expresse dicit, nec ex ipso nisi valde allegoricè potest haberi. Adhuc, Si pœnitentiã ibi instituisset prout est in Nouo Testamento, videtur quòd sacerdotibus Noui Testamenti debuit committere administrationem: sed econtra videtur, quòd misit ad sacerdotes Veteris Testamenti: ergo ibi noluit instituere pœnitentiam, secundum quod obseruari debuit in Nouo Testamento. Adhuc, In institutione baptismi non misit ad sacerdotes Veteris Testamenti: ergo nec in institutione pœnitentiæ secundum quod est Noui Testamenti. Si dicatur, quòd Ioan. 20. instituit, vbi dixit, Accipite Spiritum sanctum: quorum remiseritis peccata, & cætera. Contra: Ibi dedit potestatem habentibus claues: & hoc est aliud quam instituere pœnitentiam: ergo non instituit pœnitentiam: ergo videtur, quòd nihil instituit, quia in istis locis magis instituere videbatur.

Sed contra. In contrarivm huius obiicitur sic: Legislatoris est ordinare totam vitam: sed Christus est Legislator: ergo, &c. sed vitæ magna pars est in statu pœnitentiæ: ergo à Legislatore instituendus est modus pœnitentiæ: ergo à Christo instituta est pœnitentia: quia pro constanti relinquitur, quòd quicquid instituendum erat ad salutem, hoc est à Christo institutum.

2 Adhuc, Alia sacramenta quæ præcedebant alio modo, sicut ordo, & matrimonium, à Christo nouam acceperunt institutionem: ergo & pœnitentia nouam institutionem accipere debuit.

3 Adhuc, Talis modus confessionis & satisfactionis ex vi clauium, nunquam nisi in noua lege fuit: ergo in noua lege institutus esse videtur.

Ad hoc dicendum, quòd in pœnitentia sunt quatuor, scilicet recognitio necessitatis medicinæ contra morbum peccati, & recognitio peccati perpetrati cum proposito emendandi, & manifestatio peccati secundum genus in signo aliquo coram homine, & explanatio peccati per circunstantias cum fide dimissionis pœnæ ex vi clauium. Et quantum ad primum horum pœnitentia instituta est ante peccatum, quantum ad secundum in lege naturæ, & quantum ad tertium in lege scripta ante gratiam, & quantum ad quartum in lege Domini, scilicet gratiæ. Et semper prius continetur in posteriori, & posterius sicut perfectius se habet per additionem ad illud quod est prius, vt patet cuilibet per se. Est enim recognitio medicinæ in cognitione peccati cum proposito emendandi per pœnitentiam. Similiter coram homine manifestans peccatum, emendam promittens, recognoscit peccatum cum proposito emendandi: sed non conuertitur. Et similiter declarans peccatum cum circunstantiis & quærens veniam per claues & satisfactionem, explanat ipsum coram homine, &c. sed non conuertitur. Et per hoc patet qualiter pœnitentia diuersimodè considerata, diuersas habuit institutiones.

Ad primvm ergo dicendum, quòd vltimo modo nunquam fuit ante instituta pœnitentia, nec etiam obseruata: & ideo necessaria fuit institutio.

Ad alivd dicendum, quòd alio modo in omnibus illis locis quæ tacta sunt, habuit institutionem pœnitentia. Est enim in pœnitentia ipse actus doloris voluntarij, & minister cuius claues partem pœnæ diminuunt & taxant pœnitentiam iniunctam, & potestas illarum clauium. Et quoad primum horum instituta est pœnitentia Matth. 3. Quoad secundum Matth. 10. & quoad tertium Ioan. 20. Et quoad opus ministrorum adhuc instituta est Ioan. 11. vbi dixit discipulis, quod soluerent Lazarum & sinerent eum abire.

Ad primvm obiectum contra, dicendum quòd Ioannis non erat instituere, sed viam præparare: vnde sua prædicatio erat via ad pœnitentiam, & Christus per institutionem dedit pœnitentiæ locum, quia sicut dicitur Act. 4. Non est aliud nomen sub cælo datum hominibus in quo oporteat nos saluari.

Ad alivd dicendum, quòd discipuli adhuc non erant positi in ministerio ordinis: sed erant tantum adhuc ministrorum Noui Testamenti typus: & ideo ad typicos sacerdotes misit, innuens in ministerio quod veris sacerdotibus debetur. Et per hoc patet solutio ad totum. Et hæc de pœnitentiæ tractatu dicta sufficiant.

DISTINCTIO XXIII.

De sacramento vnctionis extremæ.

PRÆTER præmissa est etiam aliud sacramentum, scilicet, vnctio infirmorum: quæ fit in extremis, oleo per Episcopum consecrato. Et sunt tria genera vnctionis. Est enim vnctio quæ fit chrismate: quæ dicitur principalis vnctio, quia in ea principaliter Paracletus datur. Vnde & propter abundantiam gratiæ duos liquores mixtos habet, oleum scilicet & balsamum: oleum conscientiæ, balsamum bonæ famæ. Chrisma vero Græcè, vnctio Latinè dicitur. Nec tamen omne oleum ad vnctionem sanctificatum chrisma vocatur, sed illud solum quod miscetur cum balsamo, quo capita Regum & Pontificum vnguntur, quo etiam baptizatos sacerdos vngit in vertice, & Pontifex per impositionem manus confirmandos vngit in fronte. Est & alia vnctio qua cathecumeni & neophyti vnguntur in pectore & inter scapulas, in perceptione baptismi. Tertia vero vnctio est quæ dicitur oleum infirmorum, de qua nunc agitur. A *De vnctionis extremæ sacramento.*

ARTICVLVS I.

An extrema vnctio sit sacramentum?

PRæter præmissa est etiam aliud sacramentum, &c.] Hic etiam Magister tria tangit circa extremam vnctionem, scilicet de essentia eius quantum ad formam & materiam, & hoc facit in primo capitulo: & de institutione eius, & hoc in secundo: & vtrum potest iterari, vel non? & hoc in tertio, & in illo tangit duas opiniones, vt patet in litera. Et per hoc patet diuisio & continentia literæ. De hoc autem sacramento circa principium distinctionis quæruntur quinque, scilicet vtrum sit sacramentum extrema vnctio, & quid sit? Tertio de materia ipsius. Quarto de formis eius. Et quinto de ordine ipsius ad alia sacramenta.

Videtur autem, quòd non sit sacramentum: omne enim sacramentum nouæ legis ordinatur contra aliquem morbum peccati specialem: sed extrema vnctio non ordinatur contra morbum specialem: ergo extrema vnctio non est sacramentum. Probatur autem prima per distinctionem gratiæ in virtutibus & sacramentis in principio istius operis probatam. Secunda autem probatur: quia morbus non est nisi originale, & actuale mortale, & veniale, & infirmitas relicta ex vtrisque: sed contra originale sufficienter ordinatur baptismus, contra mortale actuale pœnitentia, contra infirmitatem ex vtroque relictam confirmatio, propter quod etiam confirmatio vocatur: contra multitudinem autem venialium Eucharistia, vt multi dicunt: ergo videtur, quòd contra nullum morbum ordinetur extrema vnctio.

2 Adhuc, Omne sacramentum nouæ legis aliquo modo præcessit in figura legis veteris: sed vnctio extrema non præcessit: ergo videtur, quòd non sit sacramentum. Probatur prima inducendo. Secunda autem probatur ex hoc quod nihil in Veteri Testamento fiebat circa infirmos, quod vnctioni extremæ responderet.

3 Adhuc, Omne sacramentum nouæ legis est effectiuum gratiæ spiritualis: vnctio ista non est effectiua gratiæ spiritualis, sed corporalis: ergo videtur, quòd non sit sacramentum, sed medicina corporalis. Prima patet ex diffinitione sacramenti nouæ legis in principio huius quarti libri posita. Secunda scribitur in litera, quòd valet ad corporis alleuiationem: & si valet ad gratiam, vt dicunt multi, quòd hoc est per orationem fidei coniunctam cum contritione: & sic per se non valet nisi ad corpus.

IN CONTRARIVM huius est, quòd tota Ecclesia enumerat septem sacramenta nouæ legis & istud pro vno: non autem potest esse falsum quod tota Ecclesia tenet: ergo istud est sacramentum. *sed contra.*

2 Adhuc video, quòd vnum est sacramentum infantium sicut baptismus. Est iterum vnum progredientium, sicut viaticum. Vnum stantium, sicut confirmatio. Vnum redeuntium, vt pœnitentia. Vnum ministrantium,

vt ordo. Ergo etiam erit vnum exeuntium: & hoc non poteſt eſſe niſi vnctio extrema: ergo videtur, quòd ſit ſacramentum, vel Eccleſia eſſet diminuta in ſuis ſacramentis.

3 Adhuc, Omne illud quod gratiam inuiſibilem confert repræſentatam in elemento viſibili, eſt ſacramentum: ſed extrema vnctio eſt aliquid tale: ergo eſt ſacramentum. Prima patet per hoc quod cui conuenit diffinitio, & diffinitum. Secunda autem per hoc quod dicitur Iacob.5. Vngentes eum oleo, & oratio fidei alleuiabit infirmum: & ſi in peccatis ſit, dimittentur ei. Peccatum autem non dimittitur niſi per gratiam. Ergo conſtat propoſitum.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd abſque omni dubio eſt ſacramentum extrema vnctio, quod à Domino & Apoſtolis habuit ortum ſuæ inſtitutionis, vt infra patebit.

DICENDVM ergo adprimum, quòd illud ſacramentum eſt ordinatum contra morbum ſpecialem peccati, contra quem nullum aliud ſpecialiter ordinatur, etſi ſecundario aliud poſſit cooperari. Eſt autem ille morbus reliquiæ infirmitatis ſpiritualis ex originali & actuali remanentis: & hoc multum fuit ſuprà diſcuſſum circa principium, vbi accipiebatur diuiſio & neceſſitas ſacramentorum. Nec eſt verum quod dicit, quòd aliud ſacramentum ſubſtantialem ordinem habeat contra veniale: & hæc omnia ſupra in prædicta quæſtione requirantur: & ibi perfecta patet ſolutio iſtius quæſtionis.

AD ALIVD dicendum, quòd iſtud ſacramentum non habuit aliquod ſacramentum in lege veteri ſibi reſpondens propter ſui perfectionem, & legis veteris imperfectionem. Sicut enim dicitur Hebr.7. Neminem ad perfectum adduxit lex. Vnde in ea decedentes trahebantur ad limbum. Vnctio autem propter hoc quod tollit reliquias, valet ad immediatam euolationem: & ideo non habuit locum in Veteri Teſtamento nec figura eius. Hoc autem optime inuenitur in Euangelio Nicodemi, vbi innuitur, quòd Adam miſit filium ſuam Seth ad accipiendum ab Angelo paradiſi oleum miſericordiæ, quo vngeretur corpus ſuum quod infirmabtur: & negatum fuit ei donec veniret Chriſtus, qui ſua vnctione corpora & animas reficeret: quia talis vnctio non habet locum, niſi in gratia plena quæ facta eſt per Chriſtum: & ideo etiam typo nullo oſtendi poterat, quia typus talis circa infirmos omnino inutilis fuiſſet.

AD ALIVD dicendum, quòd falſum ſupponitur in obiectione: & puto, quòd præſumptio eſt dicere, quòd iſtud ſacramentum non conferat gratiam gratum facientem inuiſibilem: & tamen hoc quidam dixerunt & ſcripſerunt, nulla fulti auctoritate, nec etiam ratione forti. Vnde dicimus, quòd confert gratiam principaliter contra peccatum operantem, & ſecundario contra infirmitatem corporis. Nec importatur ex verbis Iacobi, quòd ex oratione & non ex vnctione detur gratia: ſed potius ex verbis illis innuitur, quòd detur ex ambobus.

ARTICVLVS II.

An vnctio extrema ſit bene diffinita?

SEcundo quæritur, Quid ſit vnctio extrema? Dicunt autem quidam, quòd extrema vnctio eſt vnctio oleo ſanctificato facta ad alleuiationem vtriuſque infirmitatis, ſcilicet corporis, & animæ. Sed videtur, quòd hæc diſinitio non valet: quia ſi aliquid commune eſt definito & diffinitioni, reſiduum quod additur, totum eſt diffinitio reſidui: ſicut ſi dicam, homo albus, eſt homo coloratus diſgregatiuus viſus: hoc quod dico, coloratus, &c. totum eſt diffinitio albi. Similiter cum dicitur, Vnctio extrema eſt vnctio oleo ſanctificato facta, &c. videtur, quòd totum hoc quod dico, Vnctio, &c. ſit definitio extremi, quod falſum eſt: ergo videtur, quòd definitio nihil valet.

2 Adhuc, Oleo ſanctificato fit vnctio puerorum & ſacerdotum & regum, vt dicitur in litera, ad alleuiationem corporis & animæ: quia corpus vngitur vt non impediat animam, & ita vt debilitetur virtus dæmonis in fomite: ergo videtur, quòd iſta diffinitio multis conueniat vnctionibus.

3 Adhuc, Vnctiones multæ leguntur factæ à Sanctis, ſicut de beata Genouefa legitur, quòd vnxit oleo infirmos & ſanctificato & benedicto, & conualuerunt in corpore & anima: ergo videtur, quòd illa fuit vnctio extrema.

4 Adhuc, Nullum eſt ſacramentum quod ſit æqualiter duorum effectuum: ergo male ponitur in diffinitione, Ad alleuiationem infirmitatis vtriuſque, &c.

5 Adhuc, Sicut ſe habet medicina ſpiritualis ad morbum ſpiritualem, ſic ſe habet corporalis ad corporalem: ſed medicina corporalis non valet niſi ad alleuiationem corporum: ergo medicina ſpiritualis non valet niſi ad alleuiationem ſpiritus: ſed omne ſacramentum eſt medicina ſpiritualis: ergo non valet niſi ad alleuiationem animæ: ergo male dicitur, Ad alleuiationem vtriuſque infirmitatis.

6 Adhuc, Baptiſmus fortius eſt ſacramentum, quam extrema vnctio: & non valet ad curationem infirmitatis corporalis: ergo videtur, quòd nec extrema vnctio, quæ eſt minus efficax ſacramentum: & ſic iterum videtur, quòd malè dicitur, Ad alleuiationem infirmitatis vtriuſque.

RESPONSIO. Siquis totum eſſe extremæ vnctionis dicere vellet, poſſet ita diffinire, quòd extrema vnctio eſt ſacramentum ex vnctione per oleum ſanctificatum facta, conferens infirmis remedium contra peccati reliquias, & ſi expedit, alleuiationem ferens corporis infirmitati. Et hæc diffinitio planè colligitur ex his quæ Magiſter determinat in litera. Siquis tamen vellet ſuſtinere prius inductam propter antiquitatem, poſſet dicere ad primum, quòd in definito ponitur vnctio extrema pro nomine vno diffiniti: quod quia *Solutio.*

non

non habemus, circumloquimur per duo: & vnctio quæ ponitur in diffinitione, ſonat in actum vel paſſionem quæ eſt in ſuſcipiente ipſum ſacramentum. Et hoc bene poteſt fieri, quòd ſacramentum diffiniatur per ſuum actum, ſicut baptiſmus eſt intinctio in aqua facta, &c. Et per hoc patet ſolutio ad primum, quòd non eſt idem in diffinitione & definito.

Ad alivd dicendum, quòd intelligitur de oleo ſanctificato ſanctificatione materiæ ſacramentalis: hæc autem ſanctificatio non fit niſi ab Epiſcopo. Et per hoc patet ſolutio ad hoc quod obiicitur de vnctione Sanctorum, ſicut ſanctæ Genouefæ, & aliorum quorundam in vita patrum. Per hoc autem quod additur, Ad alleuiationem vtriuſque infirmitatis, &c. diſtinguitur ab vnctionibus puerorum in catheciſmo, & vnctionibus aliorum qui vnguntur non propter infirmitatem, ſed vt fortes ſint ad opera.

Ad id autem quod obiicitur de duobus effectibus, dicendum quod illud ſacramentum non eſt niſi vnius effectus ſecundum ſe, ſcilicet alleuiationis animæ quantum ad purgationem reliquiarum: & alterius eſt ſecundario, vt prius dictum eſt: & hoc bene competit: quia etiam baptiſmus aliqualiter purgat corpus, ſed principaliter animam. Alia tamen ſolutio & quæſtio erit ſuper hoc infra, vbi ſuo loco melius diſcutietur.

Ad alivd dicendum, quòd non eſt ſimile de corporalibus ad ſpiritualia, & ſpiritualibus ad corporalia: quia ſpiritus continet corpora: ſed non conuertitur. Et ideo quædam infirmitates cauſantur in corpore ex anima, ſicut ex cauſa, & non è conuerſo, niſi per occaſionem: & ideo valentia contra infirmitatem animæ, valent per conſequens contra morbum corporis: quia præciſa cauſa præciditur effectus: ſed non è conuerſo. Et ideo non valet argumentum, & præcipuè in iſto ſacramento: quia tunc maxime valet contra morbum corporis, quando iſte morbus cauſatur ex morbo mentis: & ſic bene poteſt vna medicina ordinari contra duos morbos, quorum vnus eſt cauſa alterius.

Ad alivd dicendum, quòd non eſt ex efficacia vel fortitudine huius ſacramenti, quòd ſic vel ſic valeat, ſed ex inſtitutione & ordine corporalium ad ſpiritualia: & ideo nihil valet argumentum quod fit ex efficacia baptiſmi.

ARTICVLVS III.

An oleum conſecratum ab Epiſcopo ſit materia ſacramenti extremæ vnctionis?

TErtio quæritur de materia huius ſacramenti. Et dicit Magiſter in litera, quòd eſt oleum ab Epiſcopo conſecratum ad vſum iſtius ſacramenti. Vnde hic quæruntur duo, ſcilicet vtrum oleum ſit materia? Et ſecundo Vtrum neceſſe ſit oleum conſecratum eſſe materiam?

Videtur enim, quòd non debeat materia eius eſſe oleum: quia cum iſtud ſacramentum ſit ſignum delibutionis gloriæ poſt reſurrectionem: ſed chriſma confert incorruptionem: ergo videtur, quòd congruentior materia ſit chriſma, quam oleum.

2 Adhuc, In ſuo nomine ſonat vnctionem, vt dicitur in litera: ergo videtur, quòd conuenientiſſima materia ſit extremæ vnctionis: ergo videtur, quòd chriſma potius deberet eſſe materia, quam oleum.

3 Adhuc videtur, quòd nec oleum nec chriſma debeat eſſe materia: quia in ſacramento baptiſmi pro cauſa aſſignatur, quòd habet materiam communem quæ vbique inuenitur, quia eſt omnium generaliter: ergo etiam cum extrema vnctio ſit omnium generaliter, materiam debet habere, quæ vbique poſſit inueniri: hæc autem non eſt oleum, ſed aqua: ergo videtur, quòd aqua deberet eſſe materia.

4 Adhuc, Nulli ita frequenter ſunt in periculo ſicut infirmi: cum ergo debeat eis prouideri de veloci remedio, debuit eſſe aliqua materia huius ſacramenti, quæ ſtatim poſſet ad manum haberi: hoc autem non eſt oleum oliuæ: ergo videtur, quòd non deberet materia eius eſſe oleum.

5 Adhuc, In Veteri Teſtamento cura infirmitatis facta eſt per cataplaſmationem ficorum: cum ergo ea quæ ſunt in Nouo Teſtamento debeant reſpondere eis quæ ſunt in Veteri Teſtamento quantum poſſunt, videtur quòd materia iſtius ſacramenti quæ eſt medicina infirmorum, hoc idem debuit habere pro materia in genere vel in ſpecie. Item ſacramẽtum Euchariſtiæ ſanguinem habet in re & ſacramento, & in ſanguine ſacrificiorum ſignificabatur. Similiter ſacramentum baptiſmi in aqua fit, & in aqua ſignificabatur, vt dicit Damaſc. ergo videtur, quòd iſtud aliquid ſimile ficubus habere deberet, quod in illis in Veteri Teſtamento ſignificabatur.

Ad hvc vlterius quæritur, Ad quid oporteat materiam huius ſacramenti eſſe oleum ſanctificatum? Videtur enim, quòd ſuperfluit: quia nullum ſacramentum duas habere debet ſanctificationes, vnam ſuper materiam, & alteram ſuper formam: eo quòd vna ſanctificatio ſufficiat: ergo nec iſtud: ergo ſuperfluit ſanctificatio quæ fit ſuper materiam. Probatio primæ. In naturis ſufficit vna forma, & nunquam duæ formæ ſubſtantiales imprimuntur vni materiæ: ſed completiora ſunt ſpiritualia naturalibus: ergo in ſpiritualibus debet ſufficere vna. *Quæſtiũcula.*

Adhuc in maximis omnium ſacramentorum ſufficit materia communis non ſanctificata, ſicut in baptiſmo, & Euchariſtia: ergo videtur, quòd multo magis in aliis debeat ſufficere. Adhuc materia non ſanctificata communius poteſt haberi, quam ſanctificata: quod autem communius haberi poteſt, magis eſt idoneum vtentibus ſacramento: ergo videtur, quod oleum non ſanctificatum debeat eſſe materia.

3 Adhuc, In ſacramento ſecundum Hugonem non ſunt niſi tres actus, ſcilicet ſignificare, repræſentare, & ſanctificare. Dicit enim,

quòd ſacramentum eſt ex ſimilitudine repræſentans, ex inſtitutione ſignificans, & ex ſanctificatione inuiſibilem gratiam conferens. Conſtat autem, quod repreſentare habet à materia non ſanctificata, quia oleum ſecundum ſe lenificatiuum eſt doloris: ſed ex inſtitutione habet ſignificare, & ex forma quæ dicitur in exercitio habet ſanctificare: ergo nihil facit ei ſanctificatio quæ fit ſuper materiam: ergo videtur, quòd ſuperfluat.

4 Adhuc, In præcipuis ſacramentorum quædam ſunt de bene eſſe & ſolennitate ſacramenti. De eſſe quidem baptiſmi non eſt niſi tinctio in aqua facta, verbo vitæ per inuocationem Trinitatis ſanctificata. Et in corpore Domini nihil de eſſe eſt, niſi materia debita, & verba quæ tranſſubſtantiationem faciunt: alia ſunt de ſolennitate Ergo videtur, quòd ita debeat etiam eſſe in aliis: ergo ſolum de eſſe eſt oleum cum verbis quæ in vnctione dicit ſacerdos: ergo videtur, quòd ſanctificatio materiæ ſuperfluat.

5 Adhuc, In baptiſmo dicimus, quòd Chriſtus tactu ſuæ mundiſſimæ carnis vim regeneratiuam aquis contulit: ergo à ſimili tactu ſuæ inſtitutionis omnibus aliis ſacramentis quandam aliam contulit vim effectiuam gratiæ quam habent: conſtat autem, quòd iſtud ſacramentum ipſe ſicut & alia inſtituit, ſicut patet Marci. 6. vbi miſit diſcipulos, & dicitur, quòd vngebant oleo multos ægros, & curabantur: ergo vltra vnctionem non indiget materia huius ſacramenti aliqua ſanctificatione.

Solutio. REPONSIO. Dicendum, quòd in veritate in iſto ſacramento, ſicut dicit Magiſter in litera, nulla competentior materia eſt, quam oleum ad vſum infirmorum ſanctificatum.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd delibutio gloriæ eſt ſignatum iſtius ſacramenti, non contentum, nec ab eo ſolo cauſatum, ſed ab omni gratia ſacramentali & virtutum & meritorum: & ad tale ſignatum non ponit ſacramentum ſimilitudinem propinquam, ſed remotam, & iſtam habet, quia intere facit corpora oleo peruncta, & radioſa propter luciditatem ſubſtantiæ & claritatem: ſed contentum ſuum cauſatum & ſignatum, eſt eſſe lenificatiuum doloris animæ ex reliquiis peccati cauſati: & hoc ponit ſimilitudinem propinquam, quia oleum ſecundum ſe, præcipuè oliuæ, mitigatiuum eſt doloris. Oleum autem oliuæ & nullum aliud eſt materia huius ſacramenti.

AD ALIVD dicendum, quòd ſicut in litera dicitur, multæ ſunt vnctiones: ſed propter dignitatem miniſtri & loci vnctorum vna antonomaſticè dicitur vnctio, ſcilicet confirmationis: & ideo illi retinuit materiam vnctionem illam quæ fit confectione olei & balſami, quæ vnctio chriſma vocatur. Alia ratio eiuſdem poteſt eſſe: quia ipſa perficit Chriſtianum in virtute pugnandi pro Chriſtiana fide, & quia ſic perfectiua eſt, ideo illam vnctionem pro materia retinuit. Alias etiam rationes inuenies in quæſtionibus de materia confirmationis in iſto opere ſupra notatas.

AD ALIVD dicendum, quòd ſacramentum baptiſmi eſt ſacramentum neceſſitatis, & ideo materiam accipit communem, quæ tamen conuenientiam ponit ad ſuum effectum: ſed in iſto ſacramento neutrum horum eſt: quia nec neceſſitatis eſt, nec eſt communis aliqua materia, vt ita poneret conuenientiam ad effectum ſuum: & ideò iſtam debuit habere. Cauſa enim propria hoc vel illud habendi pro materia aliquod ſacramentum, eſt habere hoc vel illud conuenientiam propinquam cum ſuo effectu.

AD ALIVD dicendum, quòd quia non eſt ſacramentum neceſſitatis, ſufficienter periculo infirmorum prouiſum eſt in hoc quòd miniſtri ſunt parati: & ſi non contingat ipſum, dummodo ſit deſiderium ſumendi, ſufficit coram Deo ad ſalutem, licet non ita fortè citò plenæ liberationis effectum conſequitur infirmus.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc quod Iſaias fecit, non fuit generaliter conueniens omni infirmitati, ſed vlceris tantum: quia dulcia ſunt mundificatiua ſaniei, & extrahentia ipſam de profundo ad ſuperficiem: ſed in ſacramento iſto debuit eſſe generale mitigatiuum omnis doloris: & ad hoc nullus liquor adeo conueniens eſt ſicut oleum, vt dictum eſt.

AD ALIVD dicendum, quòd iſtud ſacramentum non ſignificabatur in illo facto Iſaiæ: nec hoc quod fecit Iſaias, fuit ſacramentum veteris legis: quia ſacramentum iſtud in veteri lege nihil habuit reſpondens, ratione dicta ſuperius in primo articulo quæſtionis: ſed factum Iſaiæ fuit medicina corporalis, in qua aliquid moraliter intelligi potuit de ſatisfactione peccatorum, vt dicunt Sancti, locum illum exponentes: ſed non ſignificabatur ibi extrema vnctio, vel aliquid extremæ vnctionis: illud enim dabatur conualeſcenti, extrema autem vnctio non datur niſi ei de quo præſumitur, quòd exire debeat à mundo iſto, vt infra patebit.

AD ALIVD dicendum, quòd omne ſacramentum quod quærit abundantiam gratiæ, quærit duplicem ſanctificationem: vnam ſuper materiam, & alteram quando ſuſcipitur. Et hoc patet in confirmatione, & ordine, & extrema vnctione. Et ideo eſt, quòd in his tribus hoc fit: quia abundantia gratiæ aut quæritur propter excellentiam actus in comparatione ad vires noſtras, aut propter excellentiam gradus ſuſcepti, aut propter breuitatem temporis, quia ad meritum per opera hominis fieri non poteſt. Et primo quidem modo quæritur in confirmatione ad pugnandum viriliter & patiendum pro fide, ſi neceſſe ſit: ſecundo modo in ordine: & tertio in extrema vnctione eſſentialem ſibi habent materiæ ſuæ ſanctificationem, nec in alia materia fieri poſſunt. Ad hoc autem quod probat in naturis, dicendum quod non ambæ ſunt ſubſtantiales, ſed vna eſt neceſſitas materiæ & diſpoſitio vltima, & altera eſt complens ſacramentum in ſpecie. Et hoc benè contingit in naturalibus: dicit enim Plato, quod non infunduntur formæ, niſi ſecundum merita: vocans merita diſpoſitiones materiarum vltimatas.

Quæſtiuncula

AD ALIVD dicendum, quòd hoc quod materia

materia sufficit non consecrata in quibusdam sacramentis, non est causa quod maxima sint quantum ad effectum, sicut baptismus & Eucharistia: sed causa est, quia dictis de causis excellentem gratiam non requirunt, sed requirunt gratiam in communi ad adeptionem virtutum & deperditæ spiritualitatis restitutionem. In istis autem secus est: & ideo non sufficit eis materia nisi consecrata ab eo in quo secundum suum gradum est abundantia gratiæ, scilicet ab Episcopo, licet fortè careat gratia inquantum est hic homo, eo quod fortè peccator sit. Vnde in obiectione illa non causa ponitur pro causa, & ideo non valet.

Ad alivd dicendum, quod inuisibilem gratiam conferre conuenit quibusdam ex vna causa, & ratio superius assignata est: huic autem conuenit ex duplici: & sic patet, quod non superfluit.

Ad alivd dicendum, quòd in isto sacramento quædam sunt de esse, quædam de bene esse, sicut in aliis sacramentis: sed non oportet, quòd omnia illa sint de esse in vno, quæ sunt de esse in alio: sed plura possunt esse in vno de esse, quam in alio, eo quòd suus effectus hoc requirat: & huius ratio est dicta hic: & ideo in confirmatione & ordine plura sunt de esse, quam in aliis.

Ad vltimvm dicendum, quòd licet non legatur: credendum tamen puto, quòd si discipuli vngebant infirmos oleo, vnxerunt oleo sanctificato: & istam sanctificationem faciendi potestatem contulit discipulis vt Episcopis: sed non sufficiebat tactus materiæ à Christo ratione dicta: sed propter abundantiam gratiæ quam exigunt hæc tria sacramenta.

ARTICVLVS IV.

Quæ sit forma huius sacramenti?

Qvarto quæritur de forma huius sacramenti. Et circa hoc quæruntur tria. Primo, An habeat formam? Secundo, Vtrum vnam vel plures? Tertio, Quæ illarum est formalis ad aliam si habet plures?

Dixerunt autem quidam, quòd non habet formam extra seipsum: quia ipsa vnctio tali oleo facta, est sibi forma: & ad hoc inducunt rationes has. Omne illud cuius forma sacramentalis non vno modo tenetur & exercetur ab Ecclesia, non habet formam sacramentalem: sed istud sacramentum est tale: ergo, &c. Primam autem probant: quia cum forma sit de essentia sacramenti, contingeret quod qui aliter celebrarent, sacramentum non perficerent. Mediam autem probant per hoc, quòd quædam Ecclesiæ tenent indicatiuam orationem, quædam autem deprecatiuam.

2 Adhuc, Omne sacramentum habens formam, ex virtute illius formæ confert sanctificationem gratiæ inuisibilis: istud sacramentum non ex virtute suæ formæ confert sanctificationem gratiæ inuisibilis: ergo non habet formam hoc sacramentum. Probatur autem prima per dictum Augustini de baptismo, qui dicit, Vnde hæc vis aquæ vt corpus tangat, & cor abluat, nisi ex verbo? Quasi diceret, ex nullo alio. Et idem oportet esse in aliis: quia vna ratio est in omnibus. Secunda autem probatur per dictum Iacobi in fine suæ epistolæ, vbi non dicit, Vnctio saluabit infirmum: sed, Oratio fidei saluabit infirmum: & ita non attribuit sacramento, sed fidei & orationi effectum.

3 Adhuc, Illud quod est corporalis sanitatis effectiuum, perficit illud ex forma corporali, & non indiget spirituali: sed istud sacramentum est tale: ergo non indiget nisi corporali vnctione, & non forma alia sacramentali. Prima patet per se. Secunda autem patet per dicta Iacobi.

4 Adhuc, Quæcunque sunt ad vnum actum, vnius sunt formæ, sed actus ille est ipsorum per se: sed actiones quæ à sanctis viris ad eundem sunt actum cum vnctione extrema: ergo sunt vnius formæ. Probatur prima ex hoc quòd forma est principium actus & agendi. Secunda autem ex hoc, quòd Genouefa & sancti patres in Ægypto, miserunt oleum à se benedictum ad vngendum infirmos, & sanabantur. Inde sic: Vnctio sanctorum non requirit formam aliam quàm sanctificationem materiæ: ergo nec vnctio extrema.

5 Adhuc, Non sunt nisi duo propter quæ fit istud sacramentum, scilicet infirmitas animæ & infirmitas corporis: constat autem, quòd corporalis vnctio sufficit ad leniendum dolorem corporis: & minus efficax est benedictio pontificalis, quam corporalis virtus olei: ergo ipsa sufficit ad animæ alleuiationem: ergo non requiritur alia forma in collatione sacramenti. Hæ rationes sunt vel possunt esse quorundam hominum, ita vt conclusum est dicentium.

Sed in contrarivm huius sic obiicitur: Dicit Magister in litera, & Hugo, & accipiunt ab Augustino quòd omne sacramentum est in rebus & in verbis. Constat autem omnibus, quòd sacramentum non est in materia sacramenti, sed est in suscipiente ipsum: ergo secundum quod est in suscipiente ipsum, est in rebus & in verbis: ergo aliqua verba esse, oportet, quando datur suscipienti. *Sed contra.*

2 Adhuc, Alia duo sunt quæ exigunt benedictiones suarum materiarum, scilicet confirmatio, & ordo, & non sufficit illis verbum benedictionis materiæ: ergo nec isti, sed oportet esse formam specialem.

3 Adhuc, Ad omne sacramentum Ecclesiæ exigitur intentio faciendi quod facit Ecclesia: sed hæc intẽtio importatur per formam Ecclesiæ, per quam distinguit illud opus ab aliis operibus, & facit illud esse Ecclesiæ: ergo ad omne sacramentum exigitur forma aliqua in opere, quæ confertur ab Ecclesia: ergo & in isto debet esse forma certa verborum sub qua conferatur.

4 Adhuc, In sacramentis in quibus confertur gratia ad ministrandum vel merendum in Ecclesia, in quibus suscipiens magis potest quam in isto, exigitur forma, virtute cuius fiat gratia quæ desideratur fieri: ergo multo magis exigitur hoc in isto sacramento, quod confertur iam impotenti, in quo necesse est, quòd

quod totum ſuppleat gratia : ergo videtur, quòd habeat formam ſpecialem, ſicut & alia ſacramenta.

Queſt. 2. VLTERIVS quæritur hic, Quid ſit illa forma, & vtrum ſit vna vel plures ? Videtur autem, quòd debeat eſſe orationis indicatiuæ: quia ſacramenta Eccleſiæ certiſſimè ſuum perficiunt effectum, ſi non impediat fictio ſuſcipientis: ergo modo certitudinis ipſe effectus debet ſignificari : ſed non eſt modus certitudinis niſi per indicatiuum : ergo debet fieri per indicatiuum.

2 Adhuc, In omnibus aliis fit per indicatiuum, quod patet in ſingulis, quia in pœnitentia dicitur, Ego te abſoluo : & in matrimonio, Ego te accipio in meam:ergo & in iſto fiet per indicatiuum, vt videtur.

3 Adhuc, Intentio agendi quod agit Eccleſia, non exprimitur niſi per indicatiuum: non enim ſequitur, quòd ſi dicam, Det tibi Deus gratiam, quòd intendam dare ſicut Eccleſia dat : vel ſi dicam, Vtinam daret tibi Deus gratiam, vel alio modo : ſed ſi dico, Baptizo te, vel inungo te:ſequitur, quòd ego facio actum, & extra oſtendo me agere quod agit Eccleſia : & hoc ſufficit in ſacramentis: ergo videtur, quòd etiam in iſto exigitur indicatiuus modus.

4 Adhuc, Multæ Eccleſiæ habent pro forma orationem indicatiuam, ſicut tota Eccleſia Alemaniæ : & dicitur eſſe Gregorianum illud: ergo videtur, quòd ita debeat eſſe. Præterea, Conſtat mihi, quòd antiquiſſimi libri in illis terris habent indicatiuam orationem pro forma, & poſteà ſubiungitur oratio. Et hæc ſunt verba ſcripta in libris antiquiſſimis, quos præ antiquitate vix legere valebam. Vngo hos oculos oleo ſanctificato in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti. Et poſtea ſequitur, Per iſtam vnctionem & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus quicquid deliquiſti per viſum. Et ſimiliter ſcriptum erat ad manus, & ad pedes, & ad os & cætera loca vnctionis. Ergo videtur, quòd ita debeat fieri.

Sed contra. IN CONTRARIVM autem huius obiicitur vſus aliarum Eccleſiarum quæ habent tantum deprecationem illam, Per iſtam vnctionem, &c. vel, Per iſtam ſuauiſſimam vnctionem, &c:

2 Adhuc, In Iacobo habetur, quòd oratio fidei ſaluabit infirmum. Saluans autem in ſacramento eſt forma dans ſanctificationem. Ergo videtur, quòd forma debeat eſſe per modum orationis.

3 Adhuc, Exiens à vita, recedit à diſpoſitione & regimine Eccleſiæ: ergo Eccleſia nihil amplius poteſt facere circa ipſum, niſi committere eum diſpoſitioni Domini : hoc autem congruentius fit per orationem, quam per enuntiationem : ergo videtur, quòd congruentius huius ſacramenti forma ſit oratio, quam enuntiatio.

Queſt. 3. VLTERIVS quæritur hîc tertio, Ex quo ſecundum vſum Eccleſiarũ diuerſarum vtrumque inuenitur ſecundum eas quæ vtrumque habent, quod illorum referatur ad reliquum, ſicut ad formale ? Videtur autem, quòd enuntiatio referatur ad orationem deprecatiuam: quia deprecatio vltimo ordinatur : præcedentia autem referuntur ad vltimum ſicut ad formam : ergo videtur, quòd deprecatio ſit formalis.

2 Adhuc, Iſtud ſacramentum exhibetur infirmo viribus deſtituto, qui totum præſtolatur ab indulgentia diuina : ad hanc autem plus valet deprecatio quam enuntiatio : ergo videtur, quòd magis ſubſtantialis huic ſacramento ſit oratio, quam enuntiatio.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius eſt : quia illud quod directè exprimit Eccleſiæ intentionem, videtur eſſe in ſacramento magis formale & ſubſtantiale : ſed enuntiatio directius exprimit, quam deprecatio : ergo eſt formalior & ſubſtantialior : ergo deprecatio refertur ad ipſam, ſicut diſpoſitio ad materialia.

2 Adhuc, In aliis ſacramentis deprecationes tam præcedentes quam ſequentes, ad illam formam referuntur, quæ eſt per modum enuntiationis : ergo videtur, quòd ita etiam fieri debeat in iſto ſacramento.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum ſine præiudicio, quòd, vt puto, prima opinio inducta nouitas præſumpta eſt contra obſeruationem Eccleſiæ, & ſententiam omnium antiquorum : & ideo puto illam eſſe incautam, & ſine periculo erroris non poſſe ſuſtineri.

AD ID autem quod primo obiiciunt, dicendum quòd eſt vna forma ſacramentalis, quæ vno modo tenetur ab Eccleſia : & illa eſt formalis & ſubſtantialis, vt infra patebit. Et in alia quæ diſpoſitio quædam eſt, vſus Eccleſiæ eſt difformis, eo quod illa eſt de bene eſſe potius quam de eſſe : vnde illa obiectio falſo innititur.

AD ALIVD dicendum, quòd prima eſt vera, & ſecunda falſa. Ad probationem autem ſecundæ, dicendum quòd Iacobus orationem fidei vocat formam ſacramenti, quæ eſt per modum orationis : & vocat eam fidei, quia in ſacramentis maximè fides operatur : & ideo quod attribuitur orationi fidei, attribuitur operationi ſacramenti.

AD ALIVD dicendum, quòd iſtud ſacramentum ſecundum habet effectum circa corpus, & præcipuè tunc quando infirmitas corporis cauſatur ex infirmitate mentis, vt prius dictum eſt : & ideo nihil probat illa obiectio.

AD ALIVD dicendum, quòd obiectiones Sanctorum non certitudinaliter conſequuntur ſuum effectum, nec ſunt ad purgandas reliquias peccatorum : & ideo falſum eſt, quòd ſubſtantialis actus huius ſacramenti idem ſit cum actu vnctionis, quæ cauſatur ex deuotione & ſanctitate benedicentis : & ideo aliam formam requirit hoc ſacramentum quam materiæ benedictionem.

AD ALIVD dicendum, quòd verum eſt, quòd duo ſunt propter quæ eſt ſacramentum: vnum principale, & aliud adiunctum & ſecundarium, ſed non habet effectum à benedictione materiæ, ſed potius à forma vltima, quæ non poteſt imprimi niſi materiæ diſpoſitæ per benedictionem, vt prius dictum eſt : & ideo illa obiectio non valet.

Ea autem quæ obiiciuntur in contrarium, puto eſſe concedenda.

AD

Ad qu. 2. AD ID quod secundo quæritur, dicendum quòd formalia in actu ministerij huius sacramenti, sunt duo, sed vnum refertur ad aliud. Cuius ratio potest esse: quia istud sacramentum est exeuntium viribus propriis destitutorum, & inquantum quidem sacramentum, de bene esse habet indicatiuam orationem: inquantum autem exeuntium qui soli gratiæ diuinæ committuntur, de esse habet orationem deprecatiuam.

AD ID quod primo obiicitur contra id, dicendum videtur, quòd Ecclesiæ orationes certæ sunt, licet particulares vel singulares orationes sint incertæ. Vnde istud sacramentum contrahit certitudinem sui effectus per hoc quod non innititur orationi vnius personæ, sed Ecclesiæ: impossibile est enim orationes Ecclesiæ non exaudiri: & ideo propter certitudinem non oportebat formam suam esse in oratione enuntiatiua.

AD ALIVD dicendum, quòd falsum supponitur in obiectione: quia in ordine oratio est forma, in qua significatur traductio potestatis ab Episcopo in ordinatum, sicut, Accipe Spiritum sanctum: vel, Accipe has claues: vel, Esto verbi relator, vt infra patebit, cum de ordine agetur. Vnde sacramenta sortiuntur formas in orationibus illius modi qui magis competit effectui eorum. Circa destitutos autem exeuntes ab Ecclesia, nullus est competentior modus, quam deprecatiuus.

AD ALIVD dicendum, quòd intentio Ecclesiæ satis exprimitur per modum exercitij: quia aliæ vnctiones non ad hunc modum exercentur, sicut vnctiones medicinæ vel deuotiones Sanctorum: sed si in baptismo & in aliis quibusdam aliter fit, hoc non est ad exprimendum intentionem, sed propter talem institutionem sacramenti. Instituens autem formam, considerationem habuit ad modum causandi effectum, vt dictum est. Et cum hic effectus committatur diuinæ dispositioni, patet quòd competentissimè exprimitur per deprecatiuum.

AD ALIVD dicendum, quòd antiqui in Ecclesiiis illis volebant apponere quicquid est de esse & de bene esse sacramenti: & bene puto, quòd melius est ita facere, quam tantum alterum apponere. Sed si non apponatur, graue esset dicere, quòd non celebretur sacramentum: quia multæ Ecclesiæ non apponunt, & quidam etiam magnæ auctoritatis ordines.

Ad qu. 3. AD ID quod tertio quæritur, iam patet solutio per antedicta. Ad id autem quod contra obiicitur, dicendum quòd directius exprimat intentionem: & tamen indicatiuus non ponitur in forma ad intentionis expressionem, vt habitum est: sed ille modus est formalior, qui in sacramento in efficienda re sua est competentior: & ille est deprecatiuus, vt dictum est.

AD ALIVD dicendum, quòd in aliis quibusdam sacramentis aliter est: quia illa exhibentur ei qui manet in Ecclesia, & ab Ecclesia disponitur: & ideo circa illum magis significatur esse operatio ministrorum in sacramentis: sed iste præsumitur esse in statu transeuntis ad dispositionem diuinam: & ideo Ecclesia faciendo quod potest, committit eum diuinæ dispositioni. Huius etiam aliam causam sine præiudicio dico esse magnitudinem rei istius sacramenti: res enim sua est purgatio omnium reliquiarum peccati impedientium immediatum transitum ad requiem secundum animam, & glorificationem secundum corpus: huiusmodi autem res tanta est, quòd non potest tota effici gratia sacramentali: sed quod gratia sacramẽtalis operatur, adhuc exigit, quòd residuum complens petatur per orationem à misericordia diuina. Et quia istud sacramentum transmittit istum ad diuinæ misericordiæ operationem: ideo forma sua est per modum deprecationis ad misericordiam, operationem sacramenti perficientem. Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICVLVS V.

An sacramentum extremæ vnctionis bene ordinatur inter alia sacramenta?

QVinto & vltimo quæritur de ordine istius ad alia sacramenta. Videtur enim, quòd malè hîc à Magistro ordinetur: sacramentum enim ministrantium in Ecclesia, est ante sacramentum exeuntium ab Ecclesia: ordo autem & matrimonium sunt sacramenta ministrantium in Ecclesia, vnctio autem exeuntium: ergo de ordine & matrimonio debuit tractari ante istud.

2 Adhuc, Vnctio extrema non verè dicitur extrema, si aliqua sequitur eam vnctio: sed in ordine est vnctio: ergo illa erit ante ipsam, & sic iterum malè ordinantur.

3 Adhuc, Post extremam sacramenti susceptionem nullum sacramentum suscipitur: hæc autem vnctio ideo vocatur extrema, quia vltimo suscipitur: ergo nullum suscipitur post ipsam: ergo ipsa est vltimum sacramentum: ergo vltimo loco tradendum erit de ipsa.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd sicut patet supra in quadam quæstione de sacramentorum ordine & sufficientia, quædam sunt sacramenta personæ, & quædam Ecclesiæ. Inter sacramenta personæ vltimum est extrema vnctio, & ideo inter illa vltimo loco ponitur: sed omnia sacramenta personæ sunt ante sacramenta Ecclesiæ: & ideo istud ponitur ante duo sequentia quæ sunt sacramenta Ecclesiæ: vnum ad spiritualem multiplicationem Ecclesiæ, alterum autem ad multiplicationem naturalem, in qua spiritualis vita Ecclesiæ saluatur. Et per hoc patet ordo: sicut enim Ecclesia est ex personis multis, & ideo persona est prior, quam Ecclesia: ita sacramentum personæ est ante sacramentum Ecclesiæ.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd istud sacramentum est personarum exeuntium, & non Ecclesiæ exeuntis: sed ordo & matrimonium est personarum Ecclesiæ ad Ecclesiæ multitudinem institutum: & ideo non datur personæ propter personam, sed personæ propter Ecclesiam: & ideo posterius ordinantur.

AD

quod totum ſuppleat gratia : ergo videtur, quòd habeat formam ſpecialem, ſicut & alia ſacramenta.

Quæſt. 2. VLTERIVS quæritur hic, Quid ſit illa forma, & vtrum ſit vna vel plures ? Videtur autem, quòd debeat eſſe orationis indicatiuæ: quia ſacramenta Eccleſiæ certiſſimè ſuum perficiunt effectum, ſi non impediat fictio ſuſcipientis: ergo modo certitudinis ipſe effectus debet ſignificari : ſed non eſt modus certitudinis niſi per indicatiuum : ergo debet fieri per indicatiuum.

2 Adhuc, In omnibus aliis fit per indicatiuum, quod patet in ſingulis, quia in pœnitentia dicitur, Ego te abſoluo : & in matrimonio, Ego te accipio in meam:ergo & in iſto fiet per indicatiuum, vt videtur.

3 Adhuc, Intentio agendi quod agit Eccleſia, non exprimitur niſi per indicatiuum: non enim ſequitur, quòd ſi dicam, Det tibi Deus gratiam, quòd intendam dare ſicut Eccleſia dat : vel ſi dicam, Vtinam daret tibi Deus gratiam, vel alio modo : ſed ſi dico, Baptizo te, vel inungo te:ſequitur, quòd ego facio actum, & extra oſtendo me agere quod agit Eccleſia : & hoc ſufficit in ſacramentis: ergo videtur, quòd etiam in iſto exigitur indicatiuus modus.

4 Adhuc, Multæ Eccleſiæ habent pro forma orationem indicatiuam, ſicut tota Eccleſia Alemaniæ : & dicitur eſſe Gregorianum illud: ergo videtur, quòd ita debeat eſſe. Præterea, Conſtat mihi, quòd antiquiſſimi libri in illis terris habent indicatiuam orationem pro forma, & poſteà ſubiungitur oratio. Et hæc ſunt verba ſcripta in libris antiquiſſimis, quos præ antiquitate vix legere valebam. Vngo hos oculos oleo ſanctificato in nomine Patris & Filij & Spiritus ſancti. Et poſtea ſequitur,Per iſtam vnctionem & ſuam piiſſimam miſericordiam indulgeat tibi Deus quicquid deliquiſti per viſum. Et ſimiliter ſcriptum erat ad manus,& ad pedes,& ad os & cætera loca vnctionis. Ergo videtur,quòd ita debeat fieri.

Sed contra. IN CONTRARIVM autem huius obiicitur vſus aliarum Eccleſiarum quæ habent tantum deprecationem illam, Per iſtam vnctionem, &c. vel, Per iſtam ſuauiſſimam vnctionem,&c:

2 Adhuc, In Iacobo habetur, quòd oratio fidei ſaluabit infirmum. Saluans autem in ſacramento eſt forma dans ſanctificationem. Ergo videtur,quòd forma debeat eſſe per modum orationis.

3 Adhuc, Exiens à vita, recedit à diſpoſitione & regimine Eccleſiæ:ergo Eccleſia nihil amplius poteſt facere circa ipſum, niſi committere eum diſpoſitioni Domini : hoc autem congruentius fit per orationem, quam per enuntiationem : ergo videtur, quòd congruentius huius ſacramenti forma ſit oratio, quam enuntiatio.

Quæſt. 3. VLTERIVS quæritur hîc tertio, Ex quo ſecundum vſum Eccleſiarũ diuerſarum vtrumque inuenitur ſecundum eas quæ vtrumque habent, quod illorum referatur ad reliquum, ſicut ad formale ? Videtur autem,quòd enuntiatio referatur ad orationem deprecatiuam: quia deprecatio vltimo ordinatur : præcedentia autem referuntur ad vltimum ſicut ad formam : ergo videtur, quòd deprecatio ſit formalis.

2 Adhuc, Iſtud ſacramentum exhibetur infirmo viribus deſtituto, qui totum præſtolatur ab indulgentia diuina : ad hanc autem plus valet deprecatio quam enuntiatio : ergo videtur, quòd magis ſubſtantialis huic ſacramento ſit oratio, quam enuntiatio.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius eſt : quia illud quod directè exprimit Eccleſiæ intentionem, videtur eſſe in ſacramento magis formale & ſubſtantiale : ſed enuntiatio directius exprimit, quam deprecatio : ergo eſt formalior & ſubſtantialior : ergo deprecatio refertur ad ipſam, ſicut diſpoſitio ad materialia.

2 Adhuc, In aliis ſacramentis deprecationes tam præcedentes quam ſequentes, ad illam formam referuntur, quæ eſt per modum enuntiationis : ergo videtur, quòd ita etiam fieri debeat in iſto ſacramento.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum ſine præiudicio, quòd, vt puto, primæ opinio inducta nouitas præſumpta eſt contra obſeruationem Eccleſiæ, & ſententiam omnium antiquorum : & ideo puto illam eſſe incautam, & ſine periculo erroris non poſſe ſuſtineri.

AD ID autem quod primo obiiciunt, dicendum quòd eſt vna forma ſacramentalis, quæ vno modo tenetur ab Eccleſia : & illa eſt formalis & ſubſtantialis, vt infra patebit. Et in alia quæ diſpoſitio quædam eſt, vſus Eccleſiæ eſt difformis, eo quod illa eſt de bene eſſe potius quam de eſſe : vnde illa obiectio falſo innititur.

AD ALIVD dicendum, quòd prima eſt vera, & ſecunda falſa. Ad probationem autem ſecundæ, dicendum quòd Iacobus orationem fidei vocat formam ſacramenti, quæ eſt per modum orationis : & vocat eam fidei, quia in ſacramentis maximè fides operatur : & ideo quod attribuitur orationi fidei, attribuitur operationi ſacramenti.

AD ALIVD dicendum, quòd iſtud ſacramentum ſecundum habet effectum circa corpus, & præcipuè tunc quando infirmitas corporis cauſatur ex infirmitate mentis, vt prius dictum eſt : & ideo nihil probat illa obiectio.

AD ALIVD dicendum, quòd obiectiones Sanctorum non certitudinaliter conſequuntur ſuum effectum, nec ſunt ad purgandas reliquias peccatorum : & ideo falſum eſt, quòd ſubſtantialis actus huius ſacramenti idem ſit cum actu vnctionis, quæ cauſatur ex deuotione & ſanctitate benedicentis : & ideo aliam formam requirit hoc ſacramentum quam materiæ benedictionem.

AD ALIVD dicendum, quòd verum eſt, quòd duo ſunt propter quæ eſt ſacramentum: vnum principale,& aliud adiunctum & ſecundarium,ſed non habet effectum à benedictione materiæ, ſed potius à forma vltima, quæ non poteſt imprimi niſi materiæ diſpoſitæ per benedictionem, vt prius dictum eſt : & ideo illa obiectio non valet.

Ea autem quæ obiiciuntur in contrarium, puto eſſe concedenda.

AD

Ad qu. 2. AD ID quod secundo quæritur, dicendum quòd formalia in actu ministerij huius sacramenti, sunt duo, sed vnum refertur ad aliud. Cuius ratio potest esse: quia istud sacramentum est exeuntium viribus propriis destitutorum, & inquantum quidem sacramentum, de bene esse habet indicatiuam orationem: inquantum autem exeuntium qui soli gratiæ diuinæ committuntur, de esse habet orationem deprecatiuam.

AD ID quod primo obiicitur contra id, dicendum videtur, quòd Ecclesiæ orationes certæ sunt, licet particulares vel singulares orationes sint incertæ. Vnde istud sacramentum contrahit certitudinem sui effectus per hoc quod non innititur orationi vnius personæ, sed Ecclesiæ: impossibile est enim orationes Ecclesiæ non exaudiri: & ideo propter certitudinem non oportebat formam suam esse in oratione enuntiatiua.

AD ALIVD dicendum, quòd falsum supponitur in obiectione: quia in ordine oratio est forma, in qua significatur traductio potestatis ab Episcopo in ordinatum, sicut, Accipe Spiritum sanctum: vel, Accipe has claues: vel, Esto verbi relator, vt infra patebit, cum de ordine agetur. Vnde sacramenta sortiuntur formas in orationibus illius modi qui magis competit effectui eorum. Circa destitutos autem exeuntes ab Ecclesia, nullus est competentior modus, quam deprecatiuus.

AD ALIVD dicendum, quòd intentio Ecclesiæ satis exprimitur per modum exercitij: quia aliæ vnctiones non ad hunc modum exercentur, sicut vnctiones medicinæ vel deuotiones Sanctorum: sed si in baptismo & in aliis quibusdam aliter fit, hoc non est ad exprimendum intentionem, sed propter talem institutionem sacramenti. Instituens autem forma[illegible], considerationem habuit ad modum causandi effectum, vt dictum est. Et cum hic effectus committatur diuinæ dispositioni, patet quòd competentissimè exprimitur per deprecatiuum.

AD ALIVD dicendum, quòd antiqui in Ecclesiiis illis volebant apponere quicquid est de esse & de bene esse sacramenti: & bene puto, quòd melius est ita facere, quam tantum alterum apponere. Sed si non apponatur, graue esset dicere, quòd non celebretur sacramentum: quia multæ Ecclesiæ non apponunt, & quidam etiam magnæ auctoritatis ordines.

Ad qu. 3. AD ID quod tertio quæritur, iam patet solutio per antedicta. Ad id autem quod contra obiicitur, dicendum quòd directius exprimat intentionem: & tamen indicatiuus non ponitur in forma ad intentionis expressionem, vt habitum est: sed ille modus est formalior, qui in sacramento in efficienda re sua est competentior: & ille est deprecatiuus, vt dictum est.

AD ALIVD dicendum, quòd in aliis quibusdam sacramentis aliter est: quia illa exhibentur ei qui manet in Ecclesia, & ab Ecclesia disponitur: & ideo circa illum magis significatur esse operatio ministrorum in sacramentis: sed iste præsumitur esse in statu transeuntis ad dispositionem diuinam: & ideo Ecclesia faciendo quod potest, committit eum diuinæ dispositioni. Huius etiam aliam causam sine præiudicio dico esse magnitudinem rei istius sacramenti: res enim sua est purgatio omnium reliquiarum peccati impedientium immediatum transitum ad requiem secundum animam, & glorificationem secundum corpus: huiusmodi autem res tanta est, quòd non potest tota effici gratia sacramentali: sed quod gratia sacramẽtalis operatur, adhuc exigit, quòd residuum complens petatur per orationem à misericordia diuina. Et quia istud sacramentum transmittit istum ad diuinæ misericordiæ operationem: ideo forma sua est per modum deprecationis ad misericordiam, operationem sacramenti perficientem. Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICVLVS V.

An sacramentum extremæ vnctionis bene ordinatur inter alia sacramenta?

QVinto & vltimo quæritur de ordine istius ad alia sacramenta. Videtur enim, quòd malè hîc à Magistro ordinetur: sacramentum enim ministrantium in Ecclesia, est ante sacramentum exeuntium ab Ecclesia: ordo autem & matrimonium sunt sacramenta ministrantium in Ecclesia, vnctio autem exeuntium: ergo de ordine & matrimonio debuit tractari ante istud.

2 Adhuc, Vnctio extrema non verè dicitur extrema, si aliqua sequitur eam vnctio: sed in ordine est vnctio: ergo illa erit ante ipsam, & sic iterum malè ordinantur.

3 Adhuc, Post extremam sacramenti susceptionem nullum sacramentum suscipitur: hæc autem vnctio ideo vocatur extrema, quia vltimo suscipitur: ergo nullum suscipitur post ipsam: ergo ipsa est vltimum sacramentum: ergo vltimo loco tradendum erit de ipsa.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd sicut patet supra in quadam quæstione de sacramentorum ordine & sufficientia, quædam sunt sacramenta personæ, & quædam Ecclesiæ. Inter sacramenta personæ vltimum est extrema vnctio, & ideo inter illa vltimo loco ponitur: sed omnia sacramenta personæ sunt ante sacramenta Ecclesiæ: & ideo istud ponitur ante duo sequentia quæ sunt sacramenta Ecclesiæ: vnum ad spiritualem multiplicationem Ecclesiæ, alterum autem ad multiplicationem naturalem, in qua spiritualis vita Ecclesiæ saluatur. Et per hoc patet ordo: sicut enim Ecclesia est ex personis multis, & ideo persona est prior, quam Ecclesia: ita sacramentum personæ est ante sacramentum Ecclesiæ.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd istud sacramentum est personarum exeuntium, & non Ecclesiæ exeuntis: sed ordo & matrimonium est personarum Ecclesiæ ad Ecclesiæ multitudinem institutum: & ideo non datur personæ propter personam, sed personæ propter Ecclesiam: & ideo posterius ordinantur.

AD

Ad aliud dicendum, quòd verè dicitur extrema respectu suscipientis, sed in ordinatione sacramentorum non dicitur extrema.

Ad aliud dicendum, quòd inunctus nihil recipit vltrà, sicut dicit obiectio: sed tamen Ecclesia remanet in aliis: & secundo non sequitur, si ab hoc vltimo recipitur, quòd sit vltimum in ordine sacramentorum Ecclesiæ.

ARTICVLVS VI.

An oporteat eum esse Episcopum qui consecrat oleum quod est materia extremæ vnctionis?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Oleo per Episcopum consecrato, &c.] Videtur enim, quòd non oporteat Episcopum esse eum qui consecrat oleum: quia cui conceditur maius, conceditur & minus: sed maius est dispensare sacramentum in forma sua, quàm benedicere materiam & disponere eam: & hoc conceditur pluribus sacerdotibus: ergo & benedictio materiæ debet sacerdotibus concedi.

2 Adhuc, In omnibus artificialibus idem artifex præparat materiam & inducit formam: ergo videtur, quòd etiam in sacramento isto sic debeat fieri: sed sacerdos simplex dat vltimam formam suscipienti: ergo & idem debet præparare materiam.

3 Adhuc, In ethicis ordinantur artes secundum opera: & illa dignior est, quæ habet opus perficiens, indignior autem quæ præparat materiam, sicut frænorum factrix equestri indignior est: ergo videtur, quòd similiter sit in sacramentis: ergo indignioris est præparare materiam, & dignioris operari in præparata ad formam inducendam: sed sacerdos facit opus vltimum: ergo non Episcopi, sed alicuius indignioris quam sit sacerdos simplex, erit præparare materiam huius sacramenti.

Sed contra. In contrarivm huius obiicitur: quia, sicut habitum est, abundantia gratiæ requiritur in hoc sacramento; sed abundantia gratiæ non descendit nisi ab habente altiorem gradum in Ecclesia: & tales sunt Episcopi: ergo videtur, quòd materia ista non debet præparari nisi ab Episcopo.

2 Adhuc, In aliis sacramentis abundantiam gratiæ requirentibus ab Episcopo præparatur materia: ergo & in isto.

3 Adhuc, In 132. Psalm. Sicut vnguentum in capite, quod descendit, &c. Ergo necessario à capite fluere debet: sed vice capitis sunt Episcopi: ergo præparatio materiæ huius sacramenti ab Episcopis ad inferiores debet perfluere.

Solutio. Responsio. Ad hoc dicendum, quòd in veritate rationibus vltimis est consentiendum.

Et ad primvm dicendum, quòd exercitium sacramenti conceditur sacerdoti propter periculum infirmorum: sæpe enim contingit in sacramentis diuinis. Et hoc ideo fit, quia Ecclesia secundum consilium Dei instructa, omnibus modis infirmis consulit in vtilitate sacramentorum: & ideo tales vult habere ministros, quales de facili possunt haberi ab his qui sacramenta habent percipere: cum autem illi sint infirmi, in sacramento isto, placuit Deo, quòd essent simplices sacerdotes, qui in omnibus locis de propinquo haberi possent. Et propter necessitatem voluit, quòd omnis homo omnem hominem baptizare posset: nihilominus tamen tenet ordinem in aliis, in quibus non est periculum sine sanctificatione materiæ.

Ad argvmentvm autem dicendum, quòd hoc quod dicitur, Cui committitur principale, committitur accessorium, dicendum quòd intelligitur de illo accessorio sine quo non potest esse quis in operatione principalis: sed hoc non est hîc: quia etiamsi non benedicat oleum, tamen oleo benedicto potest inungere infirmos.

Ad aliud dicendum, quòd aliud est præparare materiam, & aliud inducere formam materiæ iam præparatæ: & aliud præparare materiam per formam aliquam, & vti ea ad finem illius formæ. Prima enim duo sunt vnius habitus, qui est ars vna, secundum quòd Aristot. dicit, quòd ars est habitus cum ratione vera factiuus: sicut patet in fabrili, quæ calefacit ferrum, & polit ipsum, & inducit figuram ensis, vna ars existens. Sed secunda duo nunquam sunt vnius habitus qui sit ars, sed potius duarum sicut patet in factiua gladij, & militari. Prima enim facit gladium, & secunda vtitur gladio ad finem suum, & cognoscit finem illum, propter quem etiam architectonica est respectu prioris. Sic autem est hic, quòd vnus sanctificationem inducit in materia, & alter vtitur ad vtilitatem Ecclesiæ oleo sanctificato vngens infirmos: quis autem sit principalior, patebit in solutione sequentis quæstionis.

Ad aliud dicendum, quòd in diuinis non est sicut in politicis: quia diuina descendunt à virtute vna, sed politica descendunt à multis virtutibus & ordinatis: & ideo in politicis principalior est ars, quæ bono quod est finis politicæ, est propinquior: sed in diuinis illa est dignior, à qua plus descendunt diuina: & ideo cum sanctitas materiæ secundum originem descendat à gradu altiori, sicut & debet, dignioris est conferre sanctitatem materiæ, quam exhibere vsum in sacramento. Quod autem hoc sit in diuinis, patet: quia illa per deriuationem sunt ab vno: & ideo quod anterius est, est illi & vicinius & dignius, per totum contrarium ordinem quam sit in politicis: & ideo cum sanctificare oleum sit anterius, hoc erit superioris: & exhibere sacramenti vsum, erit inferioris & posterioris.

***

ARTI

ARTICVLVS VII.

An sit aliqua principalis vnctio, & an illa sit quæ fit in baptismo, confirmatione, vel extrema vnctione?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Quæ dicitur principalis vnctio,&c.]Videtur enim, quòd confirmatio non sit vnctio principalis : aut enim principalis dicitur à principalitate officij aut loci qui inungitur: aut à principalitate gratiæ : aut à principalitate materiæ ipsius vnctionis. Si primum: tunc principalior vnctio est vnctio ordinis : quia ibi datur character excellentiæ ad principalius officium Ecclesiæ quod est sacramenti dispensatio. Si autem secundo modo dicitur: tunc vnctio cathecismi dicitur principalis: quia ibi vertex inungitur ad perfectionem intellectus, qui secundum Aristot. principalis est pars animæ. Si tertio modo : tunc iterum inunctio baptismi, principalis vnctio dicetur: quia in baptismo maxima gratia affertur. Si autem quarto modo dicatur : tunc tam ordinis quam confirmationis dicitur principalis vnctio : quia in vtraque fit vnctio de chrismate.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum sicut notatum est in quæstione de confirmatione, quòd tribus causis illa vnctio dicitur principalis vnctio, scilicet ex loco, ex gratia, & ex liquore materiæ vnctionis. Locus est frons, quæ sedes est verecundiæ in homine, vbi est locus honoris : & ille locus est excellentioris dignitatis in confessione fidei, quam vertex : licet ille sit excellentior loco & ordine partium corporis. Gratia autem, vt dicitur in litera, non est ad esse sicut in baptismo, sed ad robur pugnandi. Hoc iterum excellentius est quam gratia ad esse tantum. Et liquor est ex oleo & balsamo. Et per hoc patet solutio ad totum,

ARTICVLVS VIII.

An Reges debent inungi in scapulis oleo, non chrismate, & non in capite?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [In quo capita Regum & Pontificum inunguntur,&c.] Contrarium enim est in consuetudine Ecclesiæ : quia Reges non chrismate vnguntur in capite, sed in scapulis.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum,quòd si velimus sustinere quod dicit : tunc duorum substantiuorum vnum reducitur in adiectiuum alterius, vt sit sensus, quo capita Regum Pontificum, id est, regalium pontificum : quia regale habent sacerdotium : & tunc verum est quod dicit. Vel possumus dicere, quod antiquitus in Veteri Testamento reges habebant potestatem super sacerdotes : quia non erant veri sacerdotes, sed vmbra verorum sacerdotum : & tunc vngebantur chrismate, & in capite : modo autem quia sunt ministri Ecclesiæ & non indigent gratia ad spiritualia, eò quod ibi temporalia administrant, non vnguntur chrismate, sed oleo, in quo notatur fama quam habere debent apud subditos : & in scapulis in quibus onera portantur, vt recognoscant se positos esse ad supportanda onera subditorum & Ecclesiæ.

ARTICVLVS IX.

An solum infirmi sint perceptibiles huius sacramenti?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Tertia vnctio est quæ dicitur oleum infirmorum, de qua, &c.] Hic etiam innuitur, quòd non sint perceptibiles huius sacramenti nisi infirmi. Et gratia huius quæritur de participantibus hoc sacramentum. Et quæruntur quatuor. Primum, Vtrum tam sanus,quam infirmus sit huius perceptibilis? Secundum, In qua ætate sit perceptibilis? Tertium, Vtrum in omni ægritudine sit perceptibilis? Quarto & vltimo, Quare furiosi remouentur principaliter ab huius sacramenti perceptione?

Ad primum horum obiicitur sic : Omnis medicina contra morbum aliquem, exhibetur illi in quo est morbus : sed sacramentum istud est medicina ordinata contra morbum reliquiarum peccati : ergo illi exhibetur, in quo inuenitur morbus : sed tam sani quam infirmi habent morbum reliquiarum peccati : ergo tam sani quam infirmi istius vnctionis sunt perceptibiles. Primum patet per se. Secundum autem probatur ex diuisione sacramentorum in principio lib. posita, & infrà probabitur.

2 Adhuc, Ad consecutionem perfectæ sanitatis in corpore exigitur medicina purgans reliquias : ergo similiter est in mente : sed perfecta sanitas mentis requiritur ad meritum: ergo videtur, quòd omnis ille qui vult esse in statu merendi, debet recipere hoc sacramentum : sed tales sunt præcipuè sani : ergo sanorum præcipue est hoc sacramentum.Si forte dicas, quòd hoc sacramentum est ordinatum contra morbum corporis. Contra : Sacramenta nouæ legis in non ficto efficiunt quod signant : sed istud est sacramentum nouæ legis: ergo in non ficto semper efficit sanitatem corporis, quod apertè falsum est : quia multos sanctos homines inunctos videmus non conualescere post vnctionem.Si forte dicas, quòd sic efficit in omnibus quibus expedit : hoc ridiculum est dicere, quòd sacramentum nouæ legis effectum suum principalem quandoque efficiat in non ficto, scilicet quando expedit: & quandoque non efficiat, scilicet quando non expedit : quia sic omnia sacramenta traherentur in illusionem.

SI AVTEM dicatur,quòd sanus est perceptibilis. Contra : Iacob.5. dicitur, Infirmatur quis in vobis : ergo non est perceptibilis nisi infirmus. Item Marc.6. dicitur inungebant oleo multos ægros siue infirmos:ergo non nisi infirmus est perceptibilis. *Sed contra.*

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd non nisi infirmus perceptibis est huius sacramenti.

AD PRIMVM autem dicendum, quòd purgatio reliquiarum secundum quod sunt impedimenta immediatæ euolationis & glorificationis corporis, est effectus substantialis istius sacramenti, vt infra probabitur: quia de hoc erit quæstio. Quia ergo sanus non est in via transitus ad gloriam, ideo non est perceptibilis huius sacramenti.

AD SECVDVM dicendum, quòd verum quidem est, quòd reliquiæ peccatorum secundum quod sunt impedimenta meriti, sufficienter exterminantur per Eucharistiam, & alia sacramenta: & ideo istud sacramentum non hoc modo ordinatur contra eas: sed potius modo prædicto, quando destituunt vires corporis & impediunt animæ euolationem, præcipuè secundum quòd causantur à peccatis oblitis & per ignorantiam commissis: & ideo semel in anno inungebatur tabernaculum propter irregularitates contractas ex ignoratis & oblitis.

AD CÆTERA quæ obiecta sunt, puto esse concedenda: quia nihil valet responsio illa.

ARTICVLVS X.

In qua ætate infirmus perceptibilis est sacramenti extremæ vnctionis?

SEcundo quæritur, Quis perceptibilis sit huius sacramenti? Videtur autem, quòd in omni ætate: quia dicit auctoritas, quòd nemo mundus à peccato, nec infans vnius diei: cum ergo contra finalia peccata detur inunctio, videtur quòd omnis homo sit inungendus.

2 Adhuc, Licet res eius principalis non sit sanitas in corpore vel curatio doloris: tamen sæpe alleuiantur infirmi ex participatione huius sacramenti: dicunt autem naturales, quòd infantes facilius infirmantur & moriuntur: ergo videtur, quòd eis magis necessaria sit vnctio quam senibus.

3 Adhuc, Omnia sacramenta personalia omnibus in quibus inuenitur causa contra quam instituta sunt, dantur: ergo & istud: sed reliquiæ peccati sunt tam in senibus quam in inuenibus: ergo omnibus est dandum sacramentum istud.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est, quòd in paruulis non est nisi originale: & contra hoc sufficienter ordinatur baptismus: ergo superfluè per istam vnctionem paruulis conferretur extrema vnctio.

2 Adhuc, Hic supponeretur in forma, quando diceretur, Per istam vnctionem indulgeat tibi Dominus, quicquid peccasti per visum: quia in sanctis non tenet, neque in infante qui nihil deliquit per visum, & similiter per auditum, & incessum, quia forte nunquam incessit: ergo infantibus non debet exhiberi.

Solutio. QVOD CONCEDIMVS dicentes, quòd solum adultis ætate prouectis exhibendum est hoc sacramentum.

AD PRIMVM ergo obiectum, dicendum quòd auctoritas illa intelligitur de originali, & non de alio: & contra reliquias obliti & ignorati actualis principalem ordinem habet istud sacramentum.

AD ALIVD dicendum, quòd non est vnquam res huius sacramenti sanitas corporis, nisi quando pendet ex infirmitate mentis: & hoc nunquam fit in paruulis qui nunquam peccauerunt: & ideo etiam propter infirmitatem corporis nunquam sunt inungendi.

AD VLTIMVM patet solutio per ante dicta: quia causa contra quam principaliter hoc sacramentum ordinatur, in paruulis non inuenitur. Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICVLVS XI.

An in omni ægritudine aliquis sit perceptibilis huius sacramenti?

TErtio quæritur, Vtrum in omni ægritudine aliquis sit perceptibilis huius sacramenti? Videtur autem, quòd sic: quia omnis ægritudo secundum quamlibet speciem ægritudinis potest causari à peccato & infirmitate mentis: in talibus autem locum habet sacramentum istud, vt dictum est: ergo in omni ægritudine debet hoc sacramentum percipi.

2 Adhuc, Nec in Iacobo nec in Marco specificatur aliqua ægritudo specialis: ergo videtur, quòd generaliter in omni ægritudine possit percipi.

3 Adhuc, Spiritualia differunt à corporalibus, vt dicit Augustinus: quia corporalia quanto generaliora sunt, tanto singula inutiliora: spiritualia autem è conuerso: sed istud sacramentum est spiritualis medicina: ergo quanto generalior, tanto vtilior: sed generalior est quæ dicitur valere contra omnem morbum, quam illa quæ non valet nisi contra morbum quendam: ergo videtur, quòd melius sit dicere, quòd in omni infirmitate accipiendum sit hoc sacramentum.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius obiicitur per nomen sacramenti huius: quia dicitur vnctio extrema: ergo nunquam nisi in extremo exhibenda: sed non omnis infirmitas ostendit extremum hominis: ergo non in omni infirmitate exhibendum est hoc sacramentum.

2 Adhuc, Arist. in li. de causis longioris vitæ, dicit quòd quædam infirmitates sunt causa longioris vitæ: sed nunquam in causa longioris vitæ sumendum est hoc sacramentum: ergo in illis infirmitatibus non est sumendum sacramentum.

3 Adhuc, Hoc sacramentum ab omnibus dicitur sacramentum extremum: sed extrema nō sunt nisi qnando mors est in ianuis, & vita in desperatione: ergo nunquam nisi tales sunt perceptibiles huius sacramenti: hoc autem non est in omni infirmitate: ergo non in omni infirmitate est hoc sacramentum percipiendum.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd non in omni infirmitate percipiundum est hoc sacramentum, sicut probant rationes vltimo inductæ.

AD

Ad primvm ergo dicendum, quòd hoc bene sequeretur si circa corpus esset effectus principalis sacramenti: sed hoc non est verum, imo est effectus quem nunquam consequitur, nisi quando infirmitas corporis pendet ex infirmitate mentis: & tunc non semper est hoc, nisi quãdo vtile est infirmo, qui recipit vnctionem: & ideo non valet illa ratio: quia nunquam sumendum est sacramentum propter corporis vtilitatem tantum. Cum igitur effectus eius sit reliquiarum purgatio secundum quod sunt impedimentum percipiendi stolam animæ & corporis, nunquam nisi in transitu est sumendum hoc sacramentum.

Ad alivd dicendum, quòd loquitur Apostolus, eò quòd omnis infirmitas corporis crescendo potest deducere hominem ad obitum: & cum præsumitur imminere obitus, debet percipi sacramentum.

Ad alivd dicendum, quod bene contra omnes morbos ordinatur secundariò, vt dictum est, & secundum quòd à peccato animæ causantur: sed non in omni statu morbi, sed potius in statu morbi supra naturam loci est ista medicina.

ARTICVLVS XII.

Quarè furiosi & amentes & alij similibus infirmitatibus laborantes, prohibentur à perceptione huius sacramenti?

Qvarto quæritur de quibusdam infirmitatibus, vt est furia, & mania, & aliæ quædam species amentiæ, quare prohibentur infirmantes illis infirmitatibus à perceptione huius sacramenti? Videtur enim, quòd non deberent prohiberi: quia periculosum est prohibere infirmo medicinã, quando est in transitu ab hac vita: cum igitur illi aliquando in obitu vicini sint, periculosum est eis prohibere medicinam.

2 Adhuc, Baptismus est excellentioris sanctitatis, quam extrema vnctio: sed baptismus non prohibetur eis: ergo nec vnctio extrema debet eis prohiberi.

3 Adhuc, Illi qui seiuuare non possunt, maximè indigent adiutorio Ecclesiæ: sed adiutorium Ecclesiæ est in sacramentis: ergo talibus maximè conferenda est extrema vnctio.

In contrarivm huius est, quòd hoc sacramentum non nisi recognoscentibus ipsum & postulantibus, est exibendum: tales autẽ non sunt amentes & furiosi: ergo videtur, quòd non sit dandum illis. *Sed contra.*

Responsio. Dicendum, quòd talibus non est danda extrema vnctio: quia non recognoscunt, & posset esse periculum in irreuerentia sumptionis: quia possent proiicere vel immunditiis aliis irreuerenter se habere in sacramenti perceptione. Præterea, Istius sacramenti res est plurium quam alterius sacramenti, sicut prius dictum est, quia fidei & deuotionis cooperantium sacramento: & talia istis conferri non possunt, nisi habeant lucida interualla, & tunc in illo tempore quo interuallum habent, dari potest eis hoc sacramentum. *Solutio.*

Ad primvm ergo dicendum, quòd non est prohibenda medicina ab infirmo sciente eam sibi applicare, vel qui capax est vt ab alio discat qualiter est applicanda: alias autem nociua est medicina, & ideo prohibetur ab ea. Ita est de sacramentis: quia cedunt in malum malè vtenti, & ministrorum peccatum esset dare homini pecuali sacramenta Dei.

Ad alivd dicendum, quòd baptismus non ordinatur nisi contra peccatum originale, quod aliundè contractum est: & ideo sufficit ei meritum alienum; sed de cæteris sacramentis non est sic, sed potius ordinantur contra actuale: & ideo in illo verum est, quòd qui creauit te sine te, non iustificabit te sine te: & ideo exigit iudicium expeditum & voluntatem liberam ad suscipiendum. Et hoc de omnibus verum est præter confirmationem, quæ ordinatur contra infirmitatem ex fomite causatam: & ideo etiam aliundè venit & non quærit meritum proprium nisi per accidens, sicut & baptismus, scilicet si sit adultus qui suscipit: & ideo etiam confirmatio & baptismus possunt paruulis exhiberi.

Ad alivd dicendum, quòd tales in aliis experiuntur misericordiam Ecclesiæ, scilicet in orationibus & custodiis: sed in istis esset stultitia, quia cederet in peccatum ministrorum, & in nullam vtilitatem suscipientium propter causam prædictam.

A quibus institutum sit hoc sacramentum.

Hoc sacramentum vnctionis infirmorum ab Apostolis institutum legitur. Ait enim Iacobus, Infirmatur quis in vobis? inducat presbyteros Ecclesiæ, & orent super eum, vngentes eum oleo in nomine Domini, & alleuiabit eum Dominus: & si in peccatis fuerit, dimittentur ei. In quo ostenditur duplici ex causa sacramentum hoc institutum, scilicet ad peccatorum remissionem, & ad corporalis infirmitatis alleuiationem. Vnde constat eum qui hanc vnctionem fideliter deuotèque percipit, & in corpore & in anima alleuiari: si tamen expedit vt in vtroque alleuietur. Quod si B Iacob. vltim.

fortè corporis valetudinem illi habere non expedit, illam quæ est animæ, sanitatem in hoc sacramento acquirit. Et sicut in aliis sacramentis, ita & in isto aliud est sactamentum, aliud res sacramenti. Sacramentum est ipsa vnctio exterior: res sacramenti, vnctio interior, quæ peccatorum remissione & virtutum ampliatione perficitur. Et si ex contemptu vel negligentia sacramentum hoc prætermittitur, periculosum est & damnabile.

ARTICVLVS XIII.

An sacramentum extremæ vnctionis ab Apostolis aut à Christo sit institutum?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Hoc sacramẽtum vnctionis infirmorum, &c.] Hoc enim videtur esse falsum: quia in sacramentis non sufficit institutio humana, sed oportet, quòd sit diuina: ergo videtur, quòd non sit ab Apostolis instituta.

2 Adhuc, Legislatoris est condere leges & sanctificare: sed solus Christus est noster legislator, vt dicitur Isa. 33. Dominus legifer noster est: ergo solius Christi est confirmare & instituere leges, & præcipue diuinas: sed leges diuinæ præcipuè sunt in sacramentis: ergo videtur, quòd in quolibet sacramento sit institutio diuina.

3 Adhuc, Augustᵢ. dicit, quòd sacramentum est in quo diuina virtus secretius operatur salutem: supra autem operationem diuinæ virtutis non est aliqua institutio humana: ergo in omni sacramento oportet esse institutionem diuinam.

4 Adhuc, Omnia sacramenta veteris legis quæ infirma fuerunt, eò quod neminem ad perfectum adduxit lex, instituit Deus per seipsum: ergo cum sacramenta nouæ legis sint perfecta, multo magis ista debuit instituere per seipsum: ergo non est institutum ab Apostolis, vt dicitur in litera.

5 Adhuc, Omnia alia sacramenta nouæ legis instituit Christus per seipsum, etiam matrimonium: ergo & istud.

6 Adhuc, Magister Hugo de san. Vict. dicit, quòd sacramentum ab institutione diuina significat.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est quod dicitur in litera.

2 Adhuc: quia non legitur à Domino fuisse institutum: ergo videtur, quod non sit facta eius institutio à Domino.

3 Adhuc, Dupliciter dicuntur à Domino sacramenta instituta, scilicet verbo, sicut baptismus, & pœnitentia, Eucharistia, & matrimonium: & operis exhibitione, sicut ordo, vt quando legit prophetiam in li. Isa. 2. & quando panem in corpus suum mutauit: & confirmatio, quando paruulis manus imposuit Matth. 19. sed neutro modo legitur instituisse extremam vnctionem: ergo videtur, quòd eam non instituerit.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd dupliciter potest ad hoc responderi: quidam enim dixerunt, quòd Apostdli à Deo inspirati & diuina auctoritate & voluntate Dei instituere potuerunt sacramenta quædam: quia non ipsi, sed Deus in ipsis instituit. Et per hoc soluunt rationes inductas. Et dant simile, quòd formam baptismi ad tempus sic inspirati mutauerunt, vt fieret in nomine Christi & Dei. Et de hoc supra in quæstionibus de baptismo habitum est. Sed his non videtur consentiendum: quia aliud est mutare, & aliud instituere totum sacramentum de nouo celebrandum: posset enim homo habens auctoritatem aliquod interpretari dubium in sacramentis, & homo habens auctoritatem & notam toti Ecclesiæ inspirationem, sicut habuerunt Apostoli, aliquid ad tempus aliqua de causa mutare potest: sed totum instituere non credo, quòd possit nisi Deus: & ideo videtur primis rationibus esse consentiendum.

AD PRIMVM in contrarium dicendum, quòd Magister loquitur de institutione canonis non auctoritatis personæ: quia Iacobus primo edidit canonem & regulam hoc sacramentum obseruandi.

AD ALIVD dicendum, quòd multa non leguntur: quæ tamen facta probat Ecclesia ipsa obseruatione generali ab Apostolis edocta. Marci enim 6. legitur, quòd Apostolis euntibus à Domino missis ad prædicandum, multos infirmos vngebant oleo, & curabantur: & non est præsumendum, quòd aliquid fecerint nisi ex institutione & imperio Domini.

AD ALIVD dicendum, quòd facto non instituit Deus: quia iam per seipsum videretur impotens ad curationem infirmorum, sed potius verbo præsumitur instituisse, quando misit discipulos ad prædicandum, vt prius dictum est.

ARTICVLVS XIV.

An sacramentum extremæ vnctionis bene dicat Magister duplici de causa institutum?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [In quo ostenditur duplici ex causa sacramentum hoc institutum, &c.] Videtur hoc falsum quod dicit: quia nulla vnica causa est duorum effectuum per se: sacramentum autem est vnica causa: ergo non est duorum effectuum per seipsum. Si forte dicas, quòd vnius est per se, & alterius tanquã illi adiuncti: non enim curat infirmitatem per se, nisi illam quæ pendet ex mentis infirmitate: tunc quæratur, quis sit per se effectus huius sacramenti? Et dicitur in litera, quòd

quòd remissio peccatorum. Videtur autem, quòd falsum sit: quia remissio peccatorum est effectus certificationis, & certificatio non est extrema vnctio: ergo remissio peccatorum non est effectus extremæ vnctionis. Si forte dicas, quòd nihil prohibet vnum effectum esse diuersarum causarum, hoc est impossibile: quia sic nulla illarum esset causa per se: & accideret, quòd aliquis esset effectus, qui nullam causam per se haberet: & hoc totum est impossibile. Præterea, Infra statim dicit in litera, quòd res huius sacramenti perficitur remissione peccatorum & virtutum ampliatione: sed virtutum ampliatio etiam perficitur baptismo, & similiter peccatorum remissio: ergo duo sunt sacramenta eiusdem rei. Et eadem obiectio de pœnitentia tangitur: & cum vnum illorum sufficiens sit, videtur quòd alia duo superfluant.

Si forte dicas, quòd vnum illorum non sufficit sine alio, sequuntur aliæ duæ abusiones, quarum vna est, quòd causæ diuinæ imperfectiores sint respectu sui effectus, quam causæ naturales. Secunda est, quòd cum aliquis recipit baptismum vel pœnitentiam, non habeat adhuc peccatorum remissionem & virtutum ampliationem, nisi accipiat extremam vnctionem: quia vnum sacramentum sufficiens non est sine altero.

Solutio. Responsio. Dicendum, quòd effectus & res huius sacramenti (sicut dicit Magister) est peccatorum remissio & virtutum impliatio secundum aliquem modum: quia nihil prohibet idem in genere esse causatum à causis multis secundum diuersas species quas habet: vnde peccatorum remissio secundum quod coniungitur purgationi originalis, est effectus baptismi: secundum autem quod coniungitur purgationi actualis causatæ ex peccati detestatione, motu liberi arbitrij in Deum, est causatum pœnitentiæ; & hæ duæ causæ sunt sacramentales, quæ sunt sicut dispositiones necessariæ in subiecto: formaliter autem est causatum iustificationis. Secundum autem, quòd tollitur peccatum in reliquiis quæ impediunt transitum ad requiem, purgatur in extrema vnctione. Et hoc modo intelligit Magister: & secundum hanc diuersitatem ad omnem peccatorum purgationem exigitur virtutis augmentum & diuersimode sequitur ad ipsam. Et per hoc patet solutio ad totum: quia prima obiectio soluta est per rationem in contrarium inductam.

ARTICVLVS XV.

An infirmus percipiens hoc sacramentum, in aliquo loco determinato sit inungendus?

Deinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Vnde constat eum qui hanc vnctionem fideliter deuoteque percipit, &c.] Et quærumtur hîc tria ex parte percipientis hoc sacramentum, scilicet an in aliquo loco determinato sit inungendus infirmus? Secundo, In quo loco? Tertio, Vtrum plures vnctiones sint plura sacramenta vel vnum solum?

Ad primum horum sic proceditur: In omni loco morbi necesse est sibi obuiare antidotum: sed morbus contra quem istud sacramentum ordinatur, siue in corpore siue in anima accipiatur, est in omni membro & loco corporis: ergo videtur, quòd in toto corpore vniuersaliter sit vnctio facienda.

2 Adhuc, Peccatum principaliter est in anima rationali: & hæc secundum Philosophum nullius corporis est actus: & Glossatur communiter, id est, nullius partis corporis: ergo videtur, quòd totum corpus sit vngendum, & non quædam partes ipsius.

3 Adhuc, Augustinus dicit, quòd anima est in toto tota: cum igitur propter infirmitatem animæ præcipuè inungatur, videtur quòd sit totum inungendum.

4 Adhuc, In medicinis vnctionum corporalium cum determinatè ignoratur locus morbi, inunguntur omnia loca corporis in circuitu: ergo similiter faciendum est in spirituali morbo, si ignoratur locus morbi: quia impossibile est, quòd minister Ecclesiæ sciat locum reliquiarum peccati: ergo videtur, quòd totum corpus debeat inungi.

5 Adhuc, Res significata huius sacramenti, scilicet delibutio gloriæ, oleo fiet exultationis futuræ, & in toto corpore: ergo vt prius.

Sed contra. In contrarium huius obiicitur: quia cuius est actus, illius est habitus & reliquiæ remanentes ex actu & habitu: sed actus peccatorum actualium, sunt determinatarum potentiarum animæ & determinatorum organorum corporis: ergo reliquiæ & habitus sunt eorundem: sed inunctio fit ad tollendas tales reliquias: ergo in determinatis locis corporis fieri debet.

2 Adhuc, Rectus vsus Ecclesiæ tenet, quòd in determinatis locis corporis inunguntur infirmi: ergo sic est faciendum: non ergo in toto corpore.

Solutio. Responsio. Dicendum, quòd vltimis duabus rationibus consentiendum est.

Et ad primum dicendum, quòd licet infirmitas sit in toto, causa tamen infirmitatis est in partibus quibusdam, & ad sublationem infirmitatis sufficit præcidere causam per sacramentum.

Ad aliud dicendum, quòd peccatum est in rationali sicut in prima causa efficiente: sed non omne peccatum est in ea sicut in subiecto: imo abundant reliquiæ peccati ex parte potentiarum quæ coniunctæ sunt corpori: quia per illas operatur circa delectationes & communicationes cum hominibus: & ideo contrahunt malas dispositiones & reliquias peccatorum ex frequenter male operari. Per illas autem potentias effectus sacramenti redundat in animam rationalem, quæ mouet illas potentias vnitas corpori.

Ad aliud dicendum, quòd anima per essentiam est in toto tota, sed non per potentias. Potentiæ autem sunt illæ maximè quæ contrahunt malas reliquias ex peccato.

Ad aliud dicendum, quòd non est du-

bium de instrumentis per quæ peccauimus: eadem enim sunt quæ natura dedit ad bene operandum: & ideo inunctis illis certum est, quòd locus vbi dominatur causa infirmitatis contra quam est hoc sacramentum, sit inunctus.

Ad vltimvm dicendum, quòd delibutio gloriæ non causatur ab isto sacramento, sed significatur tantum, & etiam significatur à baptismo: & ad talia significata notanda non oportet, quòd expressam significationem ponat sacramentum. Sufficit autem huic sacramento, vt significet totam delibutionem gloriæ per delibutionem in principalibus organis factam, quæ habent ordinem ad totum corpus: quia motibus ipsorum totum administratur & mouetur.

ARTICVLVS XVI.

In quibus partibus corporis infirmus sit inungendus?

SEcundo quæritur, In quibus partibus corporis sit inungendus infirmus? Videtur autem, quòd in pectore & in scapulis & in vertice & in fronte, hac ratione: quia in quibus organis in aliis sacramentis armatur & perficitur ad opus per vnctiones aliorum sacramentorum, in eisdem contrahit maculas malæ operationis: sed in prædictis locis per alia sacramenta armatur & perficitur: ergo, &c. Probatio primæ est: quia eiusdem organi est bona operatio & mala. Secunda autem probatur per ritum Ecclesiæ in confirmatione & in catheciſmo.

2 Item videtur, quòd tantum in tribus locis vngi debeat: quia tantum tria sunt in substantia peccandi, vt supra habitum est in princ. distinctionis 19. scilicet os, manus, & pectus: ergo videtur, quòd non debeat inungi nisi in ore, pectore, & manibus.

3 Adhuc videtur, quòd sufficit solum caput inungere: quia in capite totus radicatur sensus & motus, vt dicunt naturales: sed omne peccatum nostrum est in sensu interiori, vel exteriori, vel in motu: ergo videtur, quòd solum caput sit inungendum.

Quæstiũcula Vlterivs hic quæritur de mutilatis membris, qualiter sint inungendi, vel de cæcis à natiuitate? Videtur, quòd non oporteat loca illa inungere: quia cum illis non peccauerunt.

2 Præterea, Si in illis inungerentur, videtur quòd falsum supponeretur à ministro dicente, Indulgeat tibi Dominus quicquid deliquisti per pedes & manus vel oculos, quos forte nunquam habuit, vel tunc non habet.

Solutio. Responsio. Ad hoc dicendum, quòd diuersarum Ecclesiarum & ordinum diuersus est vsus: quia in quibusdam Ecclesiis vnguntur loca plura, & in quibusdam pauciora. Puto tamen, quod sufficit vngere loca quinque sensuum. Huius autem hanc assigno rationem: quia omnis nostra voluntas vel appetitus informatur de ratione & specie, veluti ex phantasia vel ratione: omne autem quod est in phantasia vel ratione, oritur ex sensu velut sensibile proprium vel commune: vel elicitur de illo per collationem componendo & diuidendo factam: & ideo primus fons appetituum nostrorum sunt sensus quantum ad ipsa obiecta: & ibi sufficit ponere vnctiones: quædam enim organa & loca peccati turpe esset inungere, & non sine iniuria sacramenti quædam loca sacratis rebus tangerentur.

Ad primvm ergo dicendum, quòd in aliis sacramentis non fit vnctio ad præparanda organa illa ad actus: quòd patet, quia fronte nihil agitur, in qua ponitur principalis vnctio: sed in vertice & in pectore fiunt vnctiones propter operationes cordis & intellectus, quæ principiantur intus: & in scapulis propter onera portanda sub iugo Christi. Sed peccata non principiantur ab illis locis, sed potius à sensibus, vt prius probatum est in principio solutionis: quia etiam spiritualia à sensibus ortum habent secundum quod sunt in actu: quia omnis noster conceptus à sensu incipit, vt dicit Philosophus & Dionysius confirmat.

Ad alivd dicendum, quòd licet à tribus principietur peccatum vt principiis operantibus: tamen à pluribus principiatur secundum obiecta extra: & hoc attenditur in vnctione extrema: & ideo in ordinibus magis approbatis & quibusdam Ecclesiis vnguntur tantum extremitates, vt os, & nares, & oculi, & aures: quia in illis sunt organa quinque sensuum: tamen alij præter hæc vngunt scapulas, & pectus, & renes in quibus est delectatio venereorum, licet non oporteat.

Ad hoc quod obiicitur de vnctione solius capitis, dicendum quòd licet à capite quantum ad virtutem sensitiuam & motiuam oriatur sensus totus & motus: non tamen inde hauriunt sibi sensus obiecta quæ sunt causæ desideriorum & operationum, sed potius in manibus & pedibus, secundum quod per pedes itur ad desideratum, & perficitur per ipsos motus progressiuus, qui est ad completionem desiderij. Vnctio autem est contra illud quod nascitur ex sensibilibus haustis ab extra, & non contra ipsam sensitiuam & motiuam: & ideo inunguntur loca prædicta, & non solum caput. Per hoc etiam patet solutio ad sequens. *Adquæst.*

Ad alivd dicendum, quòd in locis mutilationis inungendos esse puto tales: quia licet membro careant, non tamen potentia qua completur actus peccati intrà, licet non extrà.

ARTICVLVS XVII.

An extrema vnctio sit vnum vel plura sacramenta?

TErtio quæritur, Vtrum sit vnum sacramentum vel plura? Videtur, quòd plura: quia materia sæpius percipitur in vnctionibus pluribus, & forma sæpius iteratur: sed quando baptismus sæpius fit cum iteratione formæ, constat

constat quòd plura sunt sacramenta baptismi: ergo videtur, quòd etiam plures sunt vnctiones hic: ergo plura sacramenta.

2 Adhuc, Hic sunt plures vnctiones quarum quælibet est sacramentum: ergo plura sunt sacramẽta. Probatio primæ. Constat, quòd plures fiunt inunctiones secundum diuersitatem organorum, vt dictum est: sed quælibet illarum est sacræ rei signum, cuius similitudinem gerit & causa existit: ergo quælibet est sacramentum: ergo constat propositum.

3 Adhuc, Omne sacramentum est in suscipiente ipsum: quia ridiculum est dicere, quòd sacramentum Ecclesiæ sit in pyxide: sed ego video, quòd ibi sunt plures vnctiones: ergo plura sacramenta.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est, quòd super eandem infirmitatem, vt dicetur in capitulo sequenti, nunquam iterandum est hoc sacramentum: ergo non est nisi vnum: & semel suscipitur: ergo non sunt plura.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd plures vnctiones non constituunt nisi vnum sacramentum: quia sunt omnes vnctiones ad vnum tantum effectum qui supra dictus est.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd materia vna est, licet diuisa per partes: & ex omnibus orationibus simul intelligitur vna purgatio reliquiarum deprecata ab Ecclesia. Nec est simile de baptismo: quia ille fit per generalem immissionem totius vel partis principalis corporis: & ideo forma sua non nisi semel dicetur. Alia etiam ratio huius est: quia sicut supra dictum est, effectus huius sacramenti indiget aliis cooperantibus: & ideo ad illa multiplicantur desideria fidelium in diuersis orationibus.

AD ALIVD dicendum, quòd plures sunt ibi vnctiones, quæ omnes vniuntur in vno effectu quem complent; & ideo omnes sunt vnum sacramentum. Et quod dicitur, quòd quælibet est sacramentum, dicendum, quòd omnes sunt vnum sacramentum: quia quælibet est signum & causa purgationis reliquiarum non secundum partem, sed secundum totum omnes simul: sicut enim suprà sæpè disputatum est, gratiæ sacramentales non simul habentur. Vnde quando quælibet dicitur sacramentum, hoc est ab incompleta significatione & causalitate effectus: & quando omnes simul vnum sacramentum, hoc habet complementum significantis & causantis.

AD ALIVD dicendum, quòd in suscipiente perfectum sacramentum non est nisi vnum, vt iam patet ex dictis, licet incompletè signantes & causantes plures suscipiat. Si autem quæritur, quæ vnctio sit complens totam & perfectam sacramenti essentiam: dicendum quòd vltima in comparatione ad omnes alias præcedentes: sicut quando dicimus, quod ex actibus causatur habitus virtutis, vltimus actus in comparatione ad reliquum relictum ex omnibus præcedentibus causat habitum. Et simile iudicium est hic in sacramenti perfectione: & per hoc patet solutio ad totum quæsitum.

ARTICVLVS XVIII.

Quid faciendum sit, si sacerdos inungens vngendo moriatur?

QVarto quæritur quæstio quæ relinquitur ex illis, Ex quo complementum sacramenti pendet ex vltima vnctione in comparatione ad præcedentes, quid faciendum sit in casu, quando sacerdos inungens moritur, quando iam aliquas fecit inunctiones, & non perfecit alias, vnam, vel duas, vel plures? Videtur enim, quòd ab initio incipiendum sit: quia vnius est actio vna: sed vnius collationis sacramenti est actio vna vnius tantum: ergo qui hanc non perfecit, nihil fecit, vt videtur: ergo à principio totum est reiterandum.

2 Adhuc, Ambrosius dicit, quòd sacramenta Christi sunt simplicia: sed impossibile est actus duorum esse simplices: ergo vnum sacramentum non potest esse duorum: ergo secundus debet incipere à capite.

Sed contra. SED IN CONTRARIVM huius est, quòd in ordine respondet Papa, quia in imperfectè ordinato suppleatur quod deficit, & non iteretur quod factum est: ergo multo magis est hoc faciendum in vnctione extrema: quod concedendum est: vnde sequens incipere debet, vbi præcedens dimisit morte præuentus. *Solutio.*

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd hoc sacramentum ratione magni effectus formam habet per modum orationis: & plus valet, quando plures dicunt orationem illam: quia citius orationes plurium exaudiuntur: & hoc innuitur Iacobi vltim. quando dicit: Inducat presbyteros Ecclesiæ, non presbyterum. Ad argumentum autem potest dici, quòd in tali casu duo sunt vt vnus: & hoc sufficit vnitati sacramenti.

AD ALIVD dicendum, quòd Ambrosij dictum intelligitur de simplicitate sacramentorum in effectu, & non in speciebus, vel materia, vel forma.

ARTICVLVS XIX.

An in sacramento extremæ vnctionis sit aliquid quod est sacramentum tantum, & aliquid quod est sacramentum & res, & aliquid quod est res tantum, & an imprimat characterem?

DEinde quæritur de hoc quod dicitur *ibi* [Et sicut in aliis sacramentis, &c.]. Videtur enim hoc esse falsum: quia in aliis sacramentis quoddam est sacramentum tantum, quoddam est sacramentum & res, & quoddam res tantum: in isto autem non oportet esse aliquid quòd sit res & sacramentum: ergo videtur quòd falsum dicat.

Quæstiuncula. GRATIA huius quæritur, Vtrum imprimat characterem qui sit in eo sacramentum & res? Et videtur, quòd sic: quia in aliis sacramentis quæ consistunt in vnctione, imprimitur character: ergo & in isto.

2 Adhuc, Cui conuenit actus, illi etiam conuenit habitus & poteſtas: ſed actus characteris conuenit vncto: ergo, &c. Probatio primæ: quia vnctus à non vncto diſtinguitur, & diſtinguere eſt actus characteris: ergo.

3 Adhuc, Vnctio corporalis animam non attingit: ergo oportet, quod aliquid ſit coniungẽs eam vel virtutem eius cum anima: hoc autem medium non videtur eſſe niſi character: ergo videtur, quòd imprimat characterem.

Sed contra. IN CONTRARIVM obiicitur: quia nullum ſacramentum imprimens characterem, iteratur: ſed iſtud iteratur: ergo non imprimit characterem. Probatio primæ eſt ex inductione & ratione characteris: quia eſt ſignum indelebile collocans in aliquo ſtatu fidei, & ſigno indelebili fieret iniuria ſi iteraretur: ergo conſtat propoſitum.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum ad hoc, quòd non imprimit characterem. Et tamen bene concedendum puto, quòd tria ſunt in eo ſicut in quolibet alio ſacramento: ſed non eſt neceſſarium, quod medium quod eſt res & ſignum ſit character. Puto autem, quòd medium eſt diſpoſitio quædam ſpiritualis inducens gratiam purgantem reliquias peccatorum.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd medium iam dictum eſt quid ſit.

AD ALIVD dicendum, quòd ſacramenta ex inunctione non habent, quòd imprimant characterem, ſed potius ex hoc quod diſtinguunt ſecundum aliquem ſpecialem ſtatum fidei fideles, qui ſuſcipiunt ea: & hoc explanatum eſt in tractatu de baptiſmo, vbi agitur de charactere.

AD ALIVD dicendum, quòd falſa eſt illa, Cui conuenit actus, illi conuenit habitus: & Ariſt. dat inſtantiam, quòd non grammaticus grammaticat, & non medicus medicat. Tamen alia eſt diſtinctio characteris, & alia cuiuſlibet alterius formæ quam alius nõ percipit: character enim diſtinguit per ſignum ponẽs in ſtatu fidei ſpeciali in quo ſine hoc non eſſet: ſed aliæ formæ diſtinguunt à non habentibus formas illas diſtinctione quadam reſtrictionis à ſuppoſitis eiuſdem ſpeciei illam formam non participantibus. Et per hoc patet ſolutio ad totum hoc quod obiicitur: quia non vnctus ab vncto diſtinguitur.

AD ALIVD dicendum, quòd licet vnctio corporalis non attingat animam, tamen virtus eius pertingit ad animam, quæ virtus eius eſt per ſanctificationem materiæ & formæ quæ dicitur in conferendo ſacramentum.

De iteratione huius ſacramenti.

C Lib. contra Parmenianum. QVÆRVNT aliqui, Si hoc ſacramentum iterari poſſit, cum Baptiſmus & alia quædam ſacramenta ſemel ſuſcepta non iterentur? Auguſtinus dicit, ſacramentum non iterandum, & ſacramento non faciendam eſſe iniuriam: ſed hoc dicit, vbi agit de ſacramento baptiſmi, & confirmationis, & ordinationis. Vnde non videtur illud generaliter accipiendum, ſed de ſacramento baptiſmi, confirmationis, & ordinationis, quæ nullatenus ſunt repetenda, quia ſemel tantum & non ſæpius datur baptiſmus, confirmatio, & ordinatio. Sacramentum vero altaris, & pœnitentiæ & coniugij ſæpè iterari videntur, quia ſæpè ſacramentum corporis percipitur, frequenter pœnitentia agitur, coniugium ſæpè contrahitur. Quare ergo vnctio ſimiliter non poteſt iterari? Si morbus non reuertitur, medicina non iteretur. Si vero morbus non poteſt cohiberi, quare medicina debet prohiberi? Sicut oratio iterari poteſt, ita & vnctio iterari poſſe videtur? vtraque enim illic commemorat Iacobus, & vtrumque alteri cooperatur ad conferendam alleuiationem corporis & animæ. Cur ergo negatur vnctionem ſuper infirmum poſſe iterari, ad impetrandam ſæpius ſanitatem mentis & corporis, cum propter infirmitatem eadem ſæpe iteranda ſit oratio? Quidam autem de omni ſacramento intelligi volunt, quod non ſit iterandum, ſcilicet ſecundum totum illud quod pertinet ad ſacramentum, dicentes quædam ſacramenta ſæpius poſſe ſuſcipi, quædam vero non. Nec tamen quæ ſæpius ſumuntur, totaliter iterantur, vt ſacramentum altaris & vnctionis, quæ licet ſumantur ſæpius, tamen quia non iterum benedicitur eadem hoſtia, vel idem oleum, non iteratur ſacramentum

cramentum cum iniuria. Sed dicet quis, sic & baptismus non iteratur, etsi aliquis frequenter baptizetur, dum eadem aqua non iterum benedicatur. Sed aliud est, inquiunt illi, de benedictione aquæ qua fit baptismus, aliud de benedictione panis & olei. Potest etiam baptismus celebrari in aqua, etiam non benedicta: quia illa benedictio pro reuentia tantum fit & decore, non virtute sacramenti. Sed corpus Christi non potest confici nisi de pane consecrato: nec vnctio illa fieri potest nisi de oleo ab Episcopo consecrato. Ideoque illa sanctificatio ad virtutem sacramenti pertinere videtur. In coniugio quoque semel tantum benedicitur quisque non sæpius. Benedicitur enim, vt ait Ambrosius, cum prima, & non secunda vxore. Si ergo cum dicitur sacramentum non esse iterandum, nec iniuria ei esse facienda, rationem dicti referas ad sanctificationem rei qua sacramentum expletur: de omni sacramento generaliter id verum est. Si vero ad susceptionem sacramenti: de quibusdam verum est, quòd non iterantur crebra susceptione, de aliis vero quibusdam non: quia frequenter sumuntur, vt hoc vnctionis sacramentum quod in omni penè Ecclesia sæpè repetitur.

ARTICVLVS XX.

An extrema vnctio possit iterari?

DEinde quæritur de hoc quòd dicit *ibi* [Quærunt aliqui, Si hoc sacramentum, &c.] Videtur enim, quòd non debeat iterari: quia nulli sacramento facienda est iniuria: sed iteratio, vt dicit August. iniuria est sacramenti: ergo iterari non debet.

2 Adhuc, Ipso nomine videtur ostendere, quòd non debeat iterari: quia dicitur vnctio extrema: post extremum autem nihil est: ergo videtur, quòd iterari non possit.

3 Adhuc, Post purgationem reliquiarum peccati nihil remanet purgandum de peccato: sed quando nihil remanet purgandum de peccato, sacramentum inutiliter reiteratur: ergo videtur, quòd inutiliter iteretur si iteraretur: nihil autem inutile est in operibus Ecclesiæ: ergo videtur, quòd non iteratur sacramentum.

Quæstiuncula. VLTERIVS quæritur de ratione duarum opinionum, quas inducit Magister quæ sit verior?

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd hoc sacramentum sicut cætera quædam iteratur, si causa eorum iteratur: sicut expressè dicit Augustinus in litera, Si morbus non reuertitur, medicina non iteretur. Si verò morbus non potest cohiberi, quare medicina debet prohiberi?

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd non fit iniuria sacramento, quando iteratur super idem subiectum, sed quando iteratur super eandem causam numero: vnde illa sacramenta quæ habent causas suas immobiles, non iterantur, vt baptismus, quia originale nunquam redit: & confirmatio, quia debilitas ex fomite nunquam redit. Similiter priuatio potestatis Ecclesiasticæ nunquam redit in eo qui suscipit ordinem: & ideo illa nunquam iterantur. Quædam autem habent causas mobiles super idem subiectum: & ideo in eodem homine iterantur, licet non eadem de causa. Et per hanc solutionem patet qualiter concordandæ sunt ambæ opiniones quæ recitantur in litera, & patet solutio ad vltimum.

AD ALIVD dicendum, quòd extrema vnctio dicitur à præsumptione & signo extremo vitæ, & non ab extremo secundum actum & rem: sufficit enim, quòd præsumatur extremum vitæ imminere ad hoc quod inungatur infirmus. Et sic patet, quòd non valet obiectio.

AD ALIVD dicendum, quòd purgatis reliquiis iterum alia reuertuntur peccata, & aliæ reliquiæ si vita differtur: & ideo talis iterum indiget vnctione.

ARTICVLVS XXI.

An in morbis chronicis debeat & possit semper iterari extrema vnctio?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Si vero morbus non potest cohiberi, &c.] Quæritur hic de chronicis morbis qui nunquã recedunt, sicut paralysis, lepra, ethica, & huiusmodi: vtrum iterari possit in eis sacramentum? Et videtur, quòd non per ea quæ dicuntur in litera: quia morbus ille nõ reuertitur, eo quod nunquam recedens nunquam reuertitur: ergo videtur, quòd non debeat medicina super eum iterari.

2 Adhuc, Vna de causa non est sumenda nisi vnica medicina spiritualis: sed hic est vna causa: ergo vna medicina spiritualis.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est, quòd quandiu remanet morbus post acceptionem sacramenti,

menti, tandiu contrahuntur peccata, & reliquiæ peccatorum: ſed ſacramentum principaliter ordinatur contra reliquias peccatorum ergo videtur, quòd etiam in eodem morbo chronico debeat iterari.

Solutio. RESPONSIO. Ad hoc ſine præiudicio dicendum puto, quòd ſi vltra annum remanet morbus poſt acceptam vnctionem, iterari poteſt vnctio. Et cauſa huius eſt: quia non iudicatur idem morbus numero, qui eſt ſecundum perfectam imitationem ſuperiorum alteratus: corpora enim noſtra per illationem ſuperiorum ſecundum quatuor humores in quatuor anni temporibus mutantur, & franguntur habitus in diſpoſitiones, & non ſunt eædē: & ideo non ex eadem cauſa omnino iterabitur ſacramentum. Si tamen ab aliquo patre ſancto vel à Domino Papa aliter in hac quæſtione determinari inuenitur, magis iudicarem illius ſententiæ ſtandum quàm meæ: quia magis in hac parte credendum eſt inſpirationi Eccleſiæ, quam rationi coniecturanti ex incertis. Per prædicta patet ſolutio ad ambo obiecta. Notanda autem verba Auguſtini, quibus dicit, ſicut oratio iterari poteſt, &c. quia ex hoc expreſſe videtur fauere illi opinioni, quæ dicit deprecatiuum modum ponendum eſſe in forma huius ſacramenti. Et hæc de extrema vnctione dicta ſufficiant. Sequitur de ſacramento ordinis.

DISTINCTIO XXIV.

De ordinibus Eccleſiaſticis.

De ſacramento ordinis quātum ad ea quæ ad illud diſponūt.

A NVNC ad conſiderationem ſacræ ordinationis accedamus. Septem ſunt ſpiritualium officiorum gradus ſiue ordines, ſicut ex ſanctorum patrum dictis apertè traditur, & capitis noſtri, ſcilicet Ieſu Chriſti exemplo monſtratur, qui omnium officia in ſemetipſo exhibuit, & corpori ſuo quod eſt Eccleſia eoſdem ordines obſeruandos reliquit. Septem autem ſunt propter ſeptiformem gratiam ſancti Spiritus, cuius qui non ſunt participes, ad gradus Eccleſiaſticos indignè accedunt. Illi vero in quorum mentibus diffuſa eſt ſeptiformis gratia Spiritus ſancti, cum ad Eccleſiaſticos ordines accedunt, in ipſa ſpiritualis gradus promotione ampliorem gratiam percipere creduntur.

DIVISIO TEXTVS.

NVNC ad conſiderationem ſacræ ordinationis accedamus] Habito de ſacramentis perſonalibus, tāgit hic Magiſter de ſacramentis Eccleſiæ, ſiue corporis myſtici in communi. Et primo tangit de ordine. Secundo de matrimonio. De ordine autem dupliciter determinat. Primo enim quærit de ordine in ſe in communi, & ſecundum partes. Deinde quærit de ordine ex parte dantis, & ſuſcipientis. Et hoc incipit diſtinct. 25. *ibi* [Solet quæri, Si hæretici ab Eccleſia præciſi, &c.] De ordine autem in ſe quatuor quærit, ſcilicet de ordinibus ſingulis per diſtinctionem ad ordinem præcedentia: & de ordinibus ſingulis ſecundum actus proprios *ibi* [Oſtiarij iidem & ianitores] Tertio, Quid ſit ordo in communi *ibi* [Si autem quæritur, Quid ſit quod vocatur ordo] Quarto de nominibus officiorum coniunctorum ordinatis habentibus iuriſdictionem *ibi* [Sunt & alia quædam, &c.] Per hoc ſufficienter patet diuiſio ad introductionem quæſtionum.

ARTICVLVS I.

An ſacramentum ordinis benè ſequatur ſacrammentum extremæ vnctionis.

INcidit autem hic quæſtio de ordine iſtius ſacramenti. Videtur autem quod ante omnia debuit ordinari: quia ſacramentum cui conceditur diſpenſatio omnium aliorum ſacramentorum, eſt ante omnia alia.

2 Adhuc, Sacramentum ponens in gradu dignitatis, prius eſt eo quod non ponit niſi in gradu ſubditi: ſed tale ſacramentum eſt ordo reſpectu omnium aliorum: ergo ante omnia alia de ordine debuit tractari. Si forte dicas, quòd

quòd est ad Ecclesiæ multiplicationem spiritualem: & alia sunt personalia. Contra: Quia multiplicatio materialis Ecclesiæ est ante spiritualem: quia nullus potest fieri spiritualis, nisi prius sit aliquid in natura: sed matrimonium est ad multiplicationem naturalem, & ordo ad spiritualem: ergo matrimonium est ante ordinem: & contrario modo determinat Magister, scilicet de ordine ante matrimonium.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd de ordine sacramentorum habitum est sufficienter. Ad præcedens autem dictum est, quòd in veritate personalia sacramenta sunt ante ea quæ deseruiunt communiter Ecclesiæ: & ideo quinque præcedentia sunt ante duo quæ restant. Præterea, Baptismus est ianua sacramentorum, sine quo nullum suscipi potest: cætera autem personalia sunt sicut dispositiones ad idoneè percipiendum ordinem: si enim sibi bene præfuit in perceptione illorum, est idoneus vt promoueatur ad ordinem.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd non valet: quia aliter non disponuntur ministri sacramentorum nisi per sacramenta personalia, quæ contra defectus personales ordinantur: & ideo non oportet illa præcedere.

AD ALIVD dicendum, quòd dignius est istud sacramentum quantum ad hoc quod collocat in gradu sublimi: sed ordo iste non potest attendi, quia gradum Ecclesiæ præcedit idoneitas. Et hoc vt dictum est, non fit nisi per alia sacramenta.

AD VLTIMVM dicendum, quòd in Nouo Testamento magis attenditur fœcunditas spiritualis, quam carnalis: & ideo sacramentum quod dat officium spiritualis propagationis, est ante sacramentum corporalis fœcunditatis, id est, ordo ante matrimonium.

ARTICVLVS II.

Quare istud sacramentum præ cæteris diuiditur in partes?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Septem sunt spiritualium officiorum gradus siue ordines, &c.] Quæruntur autem hic quatuor. Primum est, Quare istud sacramentum præ cæteris multiplicatur in partes? Secundum, Qua diuisione diuidatur? Tertium, Vtrum sit vnum sacramentum vel plura? Quartum, Quæ sit ordinum sufficientia?

Ad primum obijcitur sic: Vnius gratiæ est vnicum & indiuisum sacramentum: sed ordo est vnius gratiæ: ergo est vnum & indiuisum sacramentum: ergo in partes non debet diuidi. Probatur secunda ex hoc, quòd non sunt nisi septem gratiæ sacramentales, sicut septem sacramenta. Prima autem constat per se.

2 Adhuc, Duo, sicut sæpius habitum est, sunt contra defectum Ecclesiæ ordinata, scilicet matrimonium & ordo: matrimonium autem non diuiditur in partes: ergo nec ordo diuidi debet.

3 Adhuc, Nihil valet diuisio vbi genus aliquod commune condiuiditur cum specie. Verbi gratia, si sic dicatur, Substantiarum alia est animal, alia est homo: sed sacramentum in communi acceptum, diuiditur in septem sacramenta: ergo si vnum sacramentum est species indiuisibilis per differentias, omnia alia sacramenta species erunt: sed baptismus, confirmatio, &c. sunt species specialissimæ indiuisibiles, nisi diuisione materiæ: ergo & ordo: ergo ordo non debet diuidi, nisi sicut dicitur ordo Petri & Martini, & sic de aliis ordinem percipientibus.

4 Adhuc, Aristot. in 10. ethicorum dicit, quòd quantò aliqua sunt potentiora, tantò indiuisibiliora & minora quantitate: potentius autem est illud sacramentum quod collocat in gradu dignitatis: ergo minimum quantitate: ergo videtur, quòd sit maximè indiuisibile.

5 Adhuc, Virtus vnita magis est infinita, quam multiplicata, vt dicitur in libro de causis: ergo quæ magis est vnita, magis est potens: sed potentissimum est istud sacramentum: ergo maximè debet esse vnum & vnitum: ergo minimè diuisum: ergo non diuisum per septem, vt dicitur in litera.

Sed contra. IN CONTRARIVM est quod dicit in litera ex verbis Isidor. Adhuc per rationem sic, Quanto aliquid est magis propinquum primo, tanto pluribus donis & officiis & potestatibus participat bonitatem eius: sed ordo maximè collocat iuxta primum caput Ecclesiæ, scilicet Christum: ergo, &c. ergo secundum omnia, quæ participat, contingit diuidi ipsum. Prima scribitur per sensum in lib. de causis: quia est correlatiuum cuiusdam propositionis. Secunda autem patet ex prælatione & dignitate ministrorum habentium ordinem.

2 Adhuc, In naturis ita est, quòd ea quæ dignissimam formam habent, maximæ sunt diuisionis: ergo & in gratiis ita erit: sed dignissimum est ordo: ergo maximæ diuisionis erit. Prima patet in homine, qui etiam in corpore & anima conuenit cum eo quod est: quia simplicium habet commixtionem, & mixtorum complexionem, & dissimilium compositionem in corpore: in anima autem est viuere, sentire, ratiocinari, & intelligere simpliciter per possibilem & agentem intellectum: ergo constat propositum.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd congruebat ordinem diuidi per differentias, vt vltimæ probant rationes.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd ordo est vnius gratiæ vltimæ, quæ tamen propter sui perfectionem multas exigit præcedentes, ad quas dantur ordines inferiores.

AD ALIVD dicendum, quòd non est simile de matrimonio & ordine: quia spiritualis fœcunditas maximam secundum potestatem & gratiam requirit perfectionem: & ad hoc non requiritur vnum, sed multa: sed materialis fœcunditas est propter infirmitatem carnis, & est imperfectorum in Ecclesia: & ideo minimæ est gratiæ, nec requirit multa in quæ diuidatur.

AD ALIVD dicendum, quòd ordo secundum quod diuidit sacramentum cum aliis speciebus, sacramenti non est genus, sed species: quia

quia omnes ordines inferiores vniuntur & complentur in vltimo, ſcilicet in ordine preſbyterorum, vt infra patebit, & ratione illius eſt ſpecies diuidens ſacramentum in communi cum aliis.

Ad aliud dicendum, quòd verum eſt, quòd talia ſunt minimæ quantitatis mobilis, vt ipſe ibidem dicit, ſed tamen ſunt plurium poteſtatum: & ideo ſi pro poteſtate diuidantur talia, maximè diuiſibilia ſunt: ipſe enim loquitur de potentia intellectus reſpectu aliarum virium organis corporalibus coniunctarum: & hoc modo dicit verum. Sed non valet ad propoſitum, niſi de diuiſione quantitatis mobilis inferatur, & non de diuiſione per poteſtates & virtutes.

Ad vltimvm dicendum, quòd virtus vnita extra primum non poteſt eſſe niſi in qua concurrunt poteſtates multæ: ſicut eſt vltima poteſtas totius poteſtatis, ſicut regnum in vrbanitatibus, & ratiocinari vel intelligere in naturis ſpiritualibus: & hoc modo eſt preſbyteratus in ordinibus. Et quia in ea ſic vniuntur tanquam in vltima, ipſa poteſt diuidi ſecundum eas. Quod autem dicit Philoſophus, quòd eſt magis potens virtus vnita, quam multiplicata, intelligit de multiplicitate quæ non colligitur in vnum vltimum, ſicut eſt multitudo molis. Et per hoc patet, quòd non eſt ad propoſitum. Qualiter autem poteſtates ordinum colligantur in vnum, infra patebit.

ARTICVLVS III.

Qua diuiſione diuidatur hoc ſacramentum ordinis?

Secundo quæritur, Qua diuiſione diuiditur? Videtur enim, quod non diuiſione generis in ſpecies: quia in illa diuiſione vna ſpecies non eſt diſpoſitio ad alteram: ſed vnus ordo diſponit ad alterum: ergo diuiſio ordinis non eſt diuiſio generis per ſpecies.

2 Adhuc, Species ſunt formæ diſparatæ ſuper materias diuerſas: ſed ordines omnes imprimuntur vni ſubiecto vt materiæ, quia vnus homo habet omnes ordines: ergo ordines non ſunt ſpecies ordinis in communi ſumpti.

3 Adhuc, Diuiſio ſacramenti per ſeptem ſacramenta nulla eſſet omnino, vt habitum eſt in articulo præcedenti.

Si forte dicatur, quòd eſt diuiſio totius in partes. Contra: Partes non recipiunt totius rationem & prædicationem: ſed ordines particulares recipiunt rationem & prædicationem totius ordinis in communi: ergo non ſunt partes eius integrales, quia de illis hîc agitur.

2 Adhuc, Partes ſimul venientes conſtituunt totum: & ante hoc nec totum eſt, nec vt totum vocatur: ſed ordo in vno & duobus & tribus, &c. vocatur, & eſt ordo: ergo particulares ordines non ſunt partes eius integrales.

Conſtat autem, quòd diuiſio æquiuoci hîc non eſt. Si autem eſt aliqua diuiſio accidentalium: hoc videtur inconueniens: quia tunc aut inferiores erunt accidentales ſuperiorum, aut è conuerſo: & vtrumque eſt inconueniens: quia poſſent abeſſe, ita quòd ſequentes haberent poteſtatem executionis, & hoc non tenet Eccleſia, nec admittit.

Responsio. Ad hoc dicendum, quòd hæc diuiſio eſt totius in partes: ſed differunt partes, ſicut & totum. Colligitur enim quoddam totum ex partibus quantitatis ſecundum molem, vt domus, & cætera corporaliter compoſita: alia vero colliguntur ex partibus quantitatis ſecundum poteſtatem & virtutem, ſicut colligitur regimen ſub monarchia ex parte baliui, præpoſiti, prætoris, & præſidis, & omnium aliorum, & perficiuntur in illo: & hoc modo diuiditur anima per ſuas potentias in ea quæ perficiunt animam, vt ordo: ordo enim etiam ſecundum Grammaticos reducitur ad poteſtatem, quia eſt pars poteſtatis. Vnde dico, quòd hoc totum medium eſt inter integrale & vniuerſale: quia in modo conſtitutionis ſiue perfectionis ex partibus, ſimile eſt integrali, hoc eſt, per reſpectum partium ad totum: ſed per reſpectum totius ad partes, habet ſimilitudinem cum toto vniuerſali, quia prædicatur de qualibet parte: ſed deficit ab vtroque in aliquo: ab vniuerſali quidem, quia licet prædicetur de omnibus, tamen ſecundum perfectam rationem ſuæ poteſtatis non prædicatur niſi de vltimo: & de omnibus aliis prædicatur non ſecundum perfectam rationem, ſed prout participatur aliquid de poteſtate vltimæ partis: quia in omni toto poteſtatiuo ſemper pars poteſtatis antecedentis eſt in ſubſequente. Vnde Boët. dicit, quod quicquid poteſt inferius, poteſt & ſuperius, & non conuertitur: & Dionyſ. quòd ſuperiora habent poteſtatem inferiorum excellenter & eminenter, ſed non conuertitur. A toto autem integrali deficit: quia eſſentia totius adeſt cuilibet parti, & propter hoc etiam ratio adeſt, licet ſecundum poteſtatem imperfectam & perfectam, vt prius dictum eſt. Et per hoc patet ſolutio ad totum: quia primas rationes concedendas puto: quia non eſt diuiſio generis in ſuas ſpecies. Secundæ autem non procedunt niſi de toto integrali corporaliter ſecundum molem compoſito ex ſuis partibus. *Solutio.*

ARTICVLVS IV.

An hoc ſacramentum ſit vnum vel plura?

Tertio quæritur vtrum ſit ſacramentum vnum vel plura? Videtur autem, quòd plura: quia multiplicatio inferioris multiplicat etiam ſuum ſuperius, vnde plures homines ſunt plura animalia: ſed conſtat, quòd ſunt plures ordines, vt dicitur in litera: ergo videtur, quòd plura ſunt ſacramenta.

2 Adhuc, Quæcunque poteſtates diuiduntur actibus diuerſis ſpecie ad vnam rationem obiecti non reducibilibus, differunt ſpecie, & ſunt plures: ſed tales ſunt poteſtates ordinum: ergo ſunt plures ſimpliciter: ergo ſunt

plura

plura sacramenta, vt prius. Probatur autem prima: quia omnis potestas per actum suum diffinitur: quia præuij sunt actus potentiæ secundum rationem, vt dicit Philosophus. Secunda autem probatur inducendo actus ordinum singulorum: sicut coniurare dæmones non est eiusdem rationis actus cum legere prophetias: & neutrum illorum est clausura ostiorum, & nullus horum idem cum portatione candelarum,& huiusmodi: ergo patet propositum.

Adhuc, Sequens ordo totus habetur sine præcedenti susceptо: ergo totus diuisus est ab illo: ergo diuisum sacramentum: ergo sunt plura sacramenta. Prima probatur: quia faciens saltum,nunquam amplius accipit posteriorem ordinem, sed semper habet eum, licet careat executione quæ potius est iurisdictionis quam ordinis: & sic constat propositum.

Sed contra. In contrarivm huius est,quòd Ecclesia non numerat nisi septem sacramenta: & vnum illorum dicit esse ordinem: ergo ordo non est nisi vnicum sacramentum.

2 Adhuc, Omnes præcedentes vniuntur in vltimo, sicut prius patuit in toto potestatiuo: ergo omnes sunt vnum in illo:ergo omnes sunt sacramentum vnum tantum.

Solutio. Responsio. Dicendum, quòd ordo simpliciter est vnum sacracramentum, sed secundum aliquid plura. Secundum enim potestates imperfectas est plura,sed secundum perfectionem potestatis est vnum solum:& huius ratio satis patet ex præhabitis.

Ad primvm ergo dicendum, quòd si diuisio inferioris esset per separantia ab inuicem perfectè, tunc requireretur quod dictum est: sed non separantur, sed potius vnum est dispositio ad alterum: & ideo ordinantur inter se. Separantia autem perfecte sunt duo, scilicet oppositæ differentiæ specificæ quæ separant formaliter in diuersas, species deducendo: & separatæ materiæ, scilicet quæ separant indiuidua vnius speciei. Et neutrum horum est in diuisione totius potestatis, vt iam patuit.

Ad alivd dicendum, quòd omnes actus ordinum reducuntur & respiciunt ad vnum vltimum: vnde media est falsa. Ad id autem per quod probat eam, dicendum quòd ostia non sunt obiecta ostiariis simpliciter, sed prout ipsis clauditur locus conseruationis Eucharistiæ. Similiter exorcista non coniurat simpliciter dæmones, sed prout impediunt à perceptione sacramentorum. Et similiter actus lectorum & ceroferariorum, vt infra patebit, respiciunt ad communionem Eucharistiæ: & ratio communis aliquo modo respicitur in obiectis eorum: & ideo obiecta non omnino diuiduntur.

Ad vltimvm dicendum, quòd sequens ordo diuisus est diuisione partis à præcedenti, & ideo iterum non suscipitur: sed diuisione perfecti non est ipse diuisus, sed potius sic ordinatur ad præcedentem, vt habens totum quod est præcedentis: & ordinatur ad sequentem, vt in quo completa & perfecta est potestas eius: & ideo non sequitur, quòd sacramentum sit simpliciter plura, sed simpliciter vnum, & secundum quid plura.

ARTICVLVS V.

Quæ sit ordinum sufficientia?

QVarto quæritur, Quæ sit ordinum sufficientia? Videtur enim, quòd sint plures ordines: quia hierarchia humana descendit à cælesti: sed in cælesti sunt nouem ordines: ergo & in humana.

2 Adhuc, Quanto aliqua sunt inferiora & materialiora, tanto sunt amplioris diuisionis, sicut patet descendendo à generalissimis ad indiuidua in rationibus,& à primo motore in totam naturalium diuersitatem in naturis rerum. Constat autem, quòd Ecclesiastica hierarchia est inferior & materialior, quam sit angelica: ergo amplioris est diuisionis, quam illa,vel ad minus debet esse tantæ:ergo ad minus nouem ordines esse debent.

3 Videtur autem, quòd octo esse debent: quia duorum actuum non reducibilium adinuicem circa sacramentum, duæ sunt potestates:sed conficere corpus Christi, & ligare & soluere,sunt huiusmodi actus: ergo duas exigunt potestates: & potestas facit ordinem specialem: ergo sunt duo sacramenta ad illos duos actus: ergo in vniuerso sunt octo sacramenta.

4 Videtur autem, quòd tria tantum esse debeant: quia in primitiua Ecclesia, vt patet in hierarchia Dionys. non erant nisi tria, scilicet ministri, sacerdotes, & Episcopi: ergo videtur etiam, quòd nunc tria tantum esse debeant.

5 Adhuc non videtur plura exigi: quia si propter reuerentiam, vt dicitur, sacramenti, exigantur inferiores ordines, constat, quòd non exiguntur nisi ad ministrandum: totum autem ministerium oblationum super altare (vt infrà patebit)habet ordo diaconorum: ergo videtur,quòd ille præter presbyteratum solus exigatur. De tonsura autem & psalmistis & aliis huiusmodi infrà propriis locis ponentur obiectiones.

Solutio. Responsio. Dicendum ad quæstionem istam, quòd non sunt nisi septem ordines, vt Magister dicit: & alia sunt non ordinum, sed officiorum nomina: & quædam sunt ad ordines præparationes. Sufficientia autem licet multis modis possit accipi: tamen ex hoc potest assignari,scilicet vt dicatur,quòd solus est ordo perfectus, qui presbyteratus vocatur: & vnum habet actum principalem, scilicet conficere corpus & sanguinem Domini: & alium secundarium, qui est datus ad præparandum populum, vt idoneè communicet corpori & sanguini Christi: & hic actus est ligare & soluere. Omnes autem alij ordines sunt subministrantes illi in altero actuum istorum. Dicatur ergo sic, quòd ordo qui est potestas spiritualis: aut datur super corpus Christi verum, aut super corpus Christi mysticum. Si ergo super corpus Christi verum: aut in actu principali, aut in actu ministrante ad prin-

cipalem ordinato. Si in actu principali:tunc est sacerdotium siue presbyteratus in actu principali. Si autem in ministrante ad principalem ordinato : tunc erit super hostias ex quibus conficitur corpus Christi verum. Illæ autem habent comparationes duas:vnam ad populum ipsas in templo offerentē,aliam ad sacerdotem ipsas prece sacra consecrantem. Si super hostias in comparatione ad populum in templo eas offerentem,est subdiaconus qui accipit hostias à populo, vt dicit Isid. & reponit eas in presbytero. Super hostias autem in comparatione ad sacerdotem,accipit potestatem diaconus : vt dicit Isid. quòd diaconi est hostias à subdiacono in presbytero acceptas super altare ponere, & ordinare, vt eas ibi sacerdos consecret. Si autem ordo est super corpus Christi mysticum : aut in actu principali, aut sccundario ministranti illi. Si in principali: tunc iterum est ordo presbyteratus in actu,qui est super corpus Christi mysticum præparando ipsum, vt dignè percipiat corpus Christi verū. Si autem ministrando circa illud:aut ministrat remouendo à malo, aut in ordine ad bonum. Si remouendo à malo : aut à malo extra, aut à malo quod est intra. Si à malo extra : tunc est ordo ostiariorum, quorum officium est indignos excludere,& res viles,ne violent locum communionis fidelium. Si autem à malo intra:tunc est ordo exorcistarum, quorum officium est arcere vim dæmonis in fomite,ne impediat perceptionem sacramentorum. Si autem ministrat in ordine ad bonum, aut est ex parte intellectus, aut ex parte affectus. Si ex parte intellectus:tunc est ordo lectorum, quorum est legere distinctè & apertè ad intellectum, vt dicit Isid. Si autem in ordine ad affectum, est ordo ceroferariorum, quorum est pellere tenebras peccati per ignitum eloquium, vt incalescat & inflammetur affectus.

Ad primvm ergo obiectum patet solutio: quia ordines cælestis hierarchiæ multiplicantur secundum conuersionem in Deum & in Angelum & in hominem : sed Ecclesiæ hierarchia secundum conuersionem super homines tantum. Et ideo cælestis quæ est penes triplicem conuersionem, est amplioris diuisionis quam Ecclesiastica. Ad argumentum autem dicendum, quòd non sequitur : quia licet ista descendat ab illa, non tamen in toto potest eam imitari:& ideo particulariter ab ea descendit, scilicet per conuersionem in hominem tantum : & differt ab illa, quia alia sunt officia Angeli ad hominem, & alia officia hominis: sed in hoc imitatur, quòd reducit inferiores purgatos illuminatos & perfectos in Deum sicut cælestis.

Ad alivd dicendum, quòd propositio dubia est:quia Dionysius videtur dicere oppositum : dicit enim, quòd si hæc materialia in tanta consistunt multudine, quòd multo magis credendum est superiora esse in multitudine maxima. Si tamen concedatur : tunc distinguendus est duplex descensus ab vno: vnus enim est in numero mutabili per motum & gubernationem, & tunc verum est quod obiicit.Alius modus est exitus ab vno in participationem gloriæ primi, & sic loquitur Dion. & dicit,quòd multo plura sunt inferiora quam superiora : quia non deceret diuinam largitatem paucis exhibere beatitudinem præsentiæ suæ : & cum ordo sit de differentiis gloriæ illius, tunc patet, quòd secundum hoc maioris diuisionis debet esse, quam ordo in Ecclesia qui est gratiæ tantum.

Ad alivd dicendum, quòd actus illi diuidi non possunt ab vna potestate: quia corpus Christi verum non consecratur nisi propter mysticum:& vnire corpus verum cum mystico subiecto, non est inferioris potestatis, quam consecrare ipsum pro mystico. Et ad obiectum dicere oportet, quòd ligare & soluere absolutè non sunt actus sacerdotum, sed ligando & soluendo coniungere sacramentis, sicut supra quæstione de clauibus est determinatum : & sic patet, quòd actus illi coniuncti sunt, & ad idem ordinati.

Ad alivd dicendum, quòd in primitiua Ecclesia non dicuntur fuisse ordines, nisi qui simpliciter ordines & sacramenta sunt. Et id quod vocamus modo ordines & qui in veritate ordines sunt, officia vocauerunt.

Ad alivd dicendum, quòd licet non sit nisi ministerium in secundariis ordinibus, tamen ministerium multiplex est, vt prius patuit in ordinum diuisione & sufficientia.

ARTICVLVS VI.

An sint septem ordines propter septiformem gratiam?

Deinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Septem autem sunt propter septiformem gratiam, &c.] Videtur enim hoc esse falsum : quia non possunt septem gradus ordinis septem donis adaptari : ergo penes numerum donorum non accipitur numerus ordinum.

2 Adhuc, Donis Spiritus sancti habitis, tunc primum accipiendus est primus ordo: ergo omnia dona præexiguntur ante ordinis susceptionem : non ergo secundum numerum donorum accipitur numerus ordinum.

Quod hic puto esse concedendum : sed quod dicit, intendit tantum propter idoneitatem accipientis : tamen quidam sunt, qui dicunt,quòd ostiariis attribuitur timor,qui principium est sapientiæ, siue ostium : exorcistis autem scientia, quæ docet vitare malos, sicut exorcistæ expellunt dæmones : lectoribus autem pietas per hoc quod illuminat secundum intellectum imagine Dei insignitos : acolythis autem spiritus fortitudinis, qui expellunt tenebras aeris per fortitudinem iguiti eloquij & exempli : subdiaconis autem spiritus consilij propter vitæ excellentiam, quia consilia implent per castitatem:& diaconis spiritus intellectus, quia interiora penetrant, quod significatur, quia immediate stant apud altare iuxta sacerdotem: & sacerdotibus spiritus sapientiæ propter saporem æternorum,quia anima sacerdotum pinguedine inebriatur in confectione corporis Christi. Sed tamen quia extorta est expositio, primum plus placet. Sed siquis Solutio.

ita

ita dicere vult, poterit respondere, quòd adaptantur modo prædicto.

Ad alivd dicendum, quòd non ita adaptantur, quòd vno ordine suscepto suscipiatur vnum donum, vel è conuerso:sed potius, quia cum actibus donorum aliquam conuenientiam habent actus ordinum, vt prius patuit.

Quales assumendi sunt ad clerum.

Tales autem ad ministerium spirituale eligendi sunt clerici, qui dignè possint Dominica sacramenta tractare. Melius est enim Episcopo paucos habere ministros, qui possint dignè opus Dei exercere, quam multos inutiles, qui ordinatori graue onus inducant. Tales enim decet esse ministros Christi, qui septiformis gratia Spiritus sancti sint decori, ex quorum doctrina & conuersationis forma, eadem gratia in aliis transfundatur, ne cælestes margaritas spiritualium verborum officiorumque diuinorum sordidæ vitæ pedibus conculcent. In sacramento ergo septiformis spiritus septem sunt gradus Ecclesiastici, scilicet Ostiarij, Lectores, Exorcistæ, Acolythi, Subdiaconi, Diaconi, Sacerdotes: omnes tamen clerici vocantur, id est, sortiti. Corona enim signaculum est, quo signantur in partem sortis ministerij diuini. Corona regale decus significat: quia seruire Deo regnare est Vnde ministri Ecclesiæ reges esse debent, vt se & alios regant: qiibus Petrus ait, Vos estis genus electum, regale sacerdotium, &c. Summitas capitis desuper nudatur, vt eorum mens ad Dominum libera monstretur, quæ reuelata facie gloriam Dei contempletur. Summitas enim capitis est eminentia mentis. Denudatio capitis est reuelatio mentis. Clericus enim secretorum Dei non ignarus esse debet. Tondentur etiam capilli vsque ad reuelationem sensuum, scilicet oculorum & aurium: vt vitia in corde & opere pullulantia doceantur præcidenda, ne ad audiendum & intelligendum verbum Dei præpediatur mens,pro quo seruato reddetur in excelsis corona. Tonsuræ autem Ecclesiasticæ vsus à Nazareis exortus videtur, qui prius crine seruato, deinde ob vitæ continentiam caput radebant, & capillos in igne sacrificij ponebant. Hinc vsus inoleuit, vt qui diuinis cultibus mancipantur, quasi Nazarei, id est, sancti, crine posito inueniantur. Sicut ad Ezech. dicitur, Fili hominis sume gladium acutum, & duc super caput tuum & barbam. In actibus etiam Apostolorum Priscillam & Aquilam hoc feciſſe legimus. Paulus quoque & alij quidem discipuli Christi hoc fecerunt. Rectè ergo in quibuslibet gradibus constituti, clerici vocantur,quorum nomina & rationes nominum Isid. exponens ait, Cleros & clericos hinc appellatos esse credimus, quia Matthias electus est sorte: quem primum per Apostolos legimus ordinatum.Cleros enim Græcè,Latinè sors vel hæreditas dicitur.Ideo ergo dicti sunt clerici, quia de sorte sunt Domini, vel quia Deum partem habent. Generaliter vero clerici nuncupati sunt omnes,qui in Ecclesia Dei seruiunt:quorum gradus & nomina sunt hæc, Ostiarius, Lector, &c.

B Clemens Papa dist.23. c.Tales

Matt.7.

Hugo lib.1. parte 3 t. cap.1. 1. Pet.2.

1.Cor.3.

Hugo vt suprà cap.2. Num. 6.

Ezech.5. Act.18.

1.Cor.11.

ARTICVLVS VII.

Quæ requiruntur ad hoc, quod aliquis possit suscipere ordines?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Tales autem ad ministerium spirituale eligendi sunt clerici, &c.] Hîc est vtilis quæstio de idoneitate promouẽdorum ad ordines. Et de illa sex quæramus summatim. Primo, Quæ exiguntur summatim ad hoc quod quis sit idoneus? Secundo, Quæ scientia sufficit ei qui promouẽdus est? Tertio, Quæ vita? Quarto, Quantum peccet inidoneum promouens: vtrũ mortaliter, vel venialiter, vel si necessitate aliqua excusatur? Quinto, Vtrum inidoneè promotus omni actu ordinis peccet mortaliter, vel non? Sexto & vltimo, Qualiter de peccato illo potest haberi remedium, vtrum per dispensationem vel alio modo?

AD PRIMVM autem horum obiicitur per verba Apostoli 1. Tim. 3. vbi sic dicit, Oportet Episcopum irreprehensibilem esse, vnius vxoris virum, sobrium, ornatum, prudentem, &c. quæ ibi enumerat Apostolus. Si forte dicas, quòd hæc exiguntur ad Episcopum, sed non ad quemlibet ministrantem in ordinibus. Contra: Ibidem subdit, diaconos similiter pudicos, &c. Constat autem, quòd in primitiua Ecclesia non erant ordines nisi diaconorum qui ministrantes dicuntur, & sacerdotum qui maioribus intendebant: ergo videtur, quòd omnes ordinati ad id tenentur ad minus.

2 Adhuc, In decreto alio enumerantur nouem, scilicèt quòd non fuerit solenniter pœnitens, non curialis, non seruus, non corpore vitiatus, non de presbytero vel aliter illegitimè natus, non adultus in ægritudine baptizatus, non peregrinus vel ignotus, non minoris ætatis, non infamis: ergo videtur, quòd ad omnia hæc tenentur.

3 Adhuc, Totum quod est ibi, in sacerdote reducitur ad quatuor, quorum duo sunt ex parte eius qui ordinem suscipit, & duo expedientia ad actum. Duo ex parte ordinandi videntur esse, regularitas, & ætas legitima. Duo autem expedientia ad actum, scilicet scientia, & vita. Ergo videtur, quòd ista sint summatim ad quæ tenentur.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius obiicitur, quòd ad aliquos ordines videmus prauos promoueri, de quorum scientia & moribus non constat: hoc autem videmus tam à religiosis quàm ab aliis fieri: & non dicuntur mortaliter peccare: ergo videtur, quod non vniuersaliter ordinandi tenentur ad ista. Si fortè tu dicas, quòd suscipiendo ordines ad ista potest præparari, vt sic idoneè ministret, & non tenetur ante ordinis susceptionem ista habere. Contra: Nulla forma est quæ imprimatur in subiecto præparando, sed iam præparato: ergo cum ea quæ sunt gratiæ sint magis ordinata, quam ea quæ sunt naturæ, etiam forma ordinis & character non debet imprimi, nisi iam præparato & non præparando: ergo solutio inducta nulla est.

2 Adhuc, Si aliquis videat formam hominis in lapide corpore cauo toto & non organizato, monstrum iudicabit: quia contra naturam est esse formam alicuius in subiecto, nisi sibi prius præparato: ergo hoc multo fortius mõstruosius erit in moribus: ergo si ordo imprimatur non idoneè disposito sed disponendo, monstruosum erit, & contra naturam: ergo solutio ista nulla.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum ad hoc, quòd ordo habet partes, sicut supra dictum est: & ratione vltimi ordinis tenetur ordinandus ad quædam de necessitate, & ad quædam de bene esse. De necessitate videtur mihi, quòd tenetur ad quatuor supra inducta, nisi fortè de ætate fiat aliquando ex causa rationabili dispensatio: & tunc oportet, quòd rationabilis ætas habeatur. Si autem quæritur, quæ sunt ad quæ tenentur ex necessitate, & quæ ad quæ tenentur ex honestate & bene esse? Dicendum, quòd quædam sunt sine quibus non est vita virtutis, vt sobrietas, prudentia, & huiusmodi: & quædam sine quibus non potest exequi actum sui officij, vt scientia, & ætas in qua residet complexio, quia pueri sapienter actus suos agere non possunt: & ad ista tenetur ex necessitate. Quædam autem sunt, quæ ornant hominem: & si desunt, non propter hoc est vita vitiosa, & officium frustratum ab actu, sicut hoc quod vocat Apostolus ornatum, hoc est, in moribus & exteriori decentia compositum: & ad talia tenentur ex honestate & bene esse.

AD HOC autem quod quæritur, Vtrum ordo velit ista inuenire in subiecto, vel suscipiendo ordines se debeat etiam in istis disponere? Dicendum, quòd quantum est de congruitate rationis omnis ordo vult ista inuenire in subiecto: sed de necessitate vltimus ordo qui est sacerdotium, vult inuenire ista quæ exiguntur ad suum officium: minus enim in monacho exigitur scientia, & magis in eo qui habet curam.

AD OBIECTA duo quæ sunt contra, dicendum quòd ordines prædẽtes quasi quædam dispositiones sunt ad ordinem vltimum: & ideo non est monstruositas, si illi ante quædam istorum recipiuntur: sed si essent perfectiones vltimæ, tunc sine dubio tenerent obiectiones.

ARTICVLVS VIII.

Quæ scientia requiritur ad promotionem ordinum?

SEcundo quæritur, Quæ scientia exigitur ad promotionem ordinum? Videtur autem? quòd sacræ Scripturæ. In decretis 38. dist. 1. dicit capitulum, Ignorantia mater cunctorum errorum, maximè in sacerdotibus Dei euitanda est, qui docendi officium in populo susceperunt. Constat autem, quòd non susceperunt officium docendi nisi sacramenta. Ergo sacram Scripturam tenentur scire.

2 Adhuc, 1. cap. Omnes psallentes, &c. Sic dicitur, Substãtia summi sacerdotij nostri sunt eloquia diuinitus tradita, id est, vera diuinarum Scripturarum disciplina. Et ex hoc sequitur idem quod prius.

3 Adhuc

3 Adhuc, Quarta distinctione Isidor. dicit, Sicut viri & mulieris digna coniunctio facit vnum matrimonium, & sicut duorum copulatio vnum perficit corpus: ita clericatus & sacerdotium vnum faciunt presbyterum. Et clericatum vocat scientiam clericalem.

4 Adhuc, Gregor. in pastor. Nulla ars doceri præsumitur, nisi intenta prius meditatione discatur. Ab imperitis ergo pastoribus magisterium pastorale suscipitur in magna temeritate: quoniam ars est artium regimen animarum.

5 Adhuc ibidem, Quis autem cogitationum vulnera occultiora esse nesciat vulneribus viscerum? Et tamen sæpè qui nequaquam spiritualia præcepta cognouerunt, cordis se medicos profiteri non metuunt, dum qui pigmentorum vim nesciunt, videri medici carnis non erubescant.

6 Item Deuter. 23. Eunuchus non intret Ecclesiam. Dicit ibi Gloss. Qui non habet semen verbi Dei, non potest gignere bona opera: vel non debet intrare, id est, locum reiminis accipere.

7 Item Isidor. Desinat docendi locum accipere, qui nescit docere. Ignorantia quippe præsulum, vitæ non congruit subiectorum: nam si cæcus cæco ducatum præbeat, ambo in foueam cadunt.

8 Item, Præcipitur à Domino, vt in pectore sacerdotis doctrina scribatur & veritas: & in Gloss. Vt meminerit sacerdos se studiis doctrinæ & veritatis inquirendis, non curandis ruminandisque secularibus negotiis per acceptum sacerdotium fuisse consecratum.

9 Item 1. Petr. 3. Parati semper ad satisfactionem omni poscenti vos rationem de ea quæ in vobis est spe: hoc autem non potest fieri nisi per scientiam sacræ Scripturæ: ergo, &c.

10 Item, Malach. 2. Labia sacerdotis custodiunt scientiam, & legem requirent de ore eius: quia Angelus Domini exercituum est.

11 Item, Oseæ 4. Quia tu scientiam repulisti, repellam te & ego, ne sacerdotio fungaris mihi.

12 Item Apostolus ad Titum 1. Amplectentem eum qui secundum doctrinam est, id est, fidelem sermonem, vt potens sit exhortari in doctrina sana, & eos qui contradicunt arguere. Ex ista auctoritate habetur, quòd etiam excellenter tenetur scire, ita quòd possit reuincere hæreticos.

13 Item, 1. Timoth. 4. Attende lectioni, exhortationi, & doctrinæ.

14 Si forte dicas, quòd istæ auctoritates sunt ad terrorem, obiicitur per rationem sic: Nullus præsumit actum, non habens habitum ad illum: sacerdotij actus est aliquis actus: ergo nullus nisi peruersè præsumit eum, non habens habitum: sed habitum est supra, quòd scientia & clauis habent vnum actum: ergo non habens scientiam, non nisi peruersè præsumit actum clauis: ergo nec actum sacerdotij.

15 Adhuc, Operatio peruersa est, quæ non rectificatur habitu, regente: sed regere populum operatio sacerdotis est: ergo peruersa erit, nisi habeat habitum regentem: sed hic habitus non potest esse nisi scientia sacræ Scripturæ: ergo sacerdotes tenentur ad scientiam sacræ Scripturæ.

IN CONTRARIVM huius est, quòd videmus in multis terris sacerdotes omnino ignaros, & non intelligentes ea quæ legunt: & tamen non condemnantur, sed sustinentur ab Ecclesia: cum igitur Ecclesia non erret, videtur quòd sacerdotes non teneantur ad habendum scientiam. *Sed contra.*

RESPONSIO. Distinguendum mihi videtur in ordinandis: quidam enim ordines sumunt ex sola deuotione, vt monachi, & alij religiosi: quidam autem alij suscipiunt ordines, vt illis ministrent populo verba & sacramenta dispensando, vt quidam religiosi, & illi qui sunt intitulati ad curam animarum. De primis adhuc distinguendum puto: aut enim habent curam animarum in suis ordinibus, vt abbates, & confessores ab abbatibus constituti: aut non habent, nec habebunt. Si habent, idem iudicium videtur de eis, quod de aliis qui habent curam. Si verò non habent, & causa deuotionis ordinem suscipiunt, videtur mihi quòd non tenentur, nisi vt sciant pronuntiationes Psalmorum & lectionum distinctiones, quæ ex scientia grammaticæ discuntur. Si autem accipiunt officium docendi ex beneficio, vt clerici intitulati: vel ex professione, vt quidam religiosi: dicendum videtur, quòd tenentur plura scire, & ea credo esse quæ in grosso sunt exponenda populo in fide & moribus, quæ rudimenta Christianæ fidei vocantur: & vt in aliis determinent casus & quæstiones secundum consilium superiorum. Vnde auctoritates supra inductas intelligo de huiusmodi ordinatis: & quantum ad huiusmodi scientiam discernendi scilicet quid veniale, & quid mortale in communibus, & qui articuli solennizati ab Ecclesia, & cætera talia. Et ad alia meo iudicio non tenentur: quia theologica probari non possunt nisi per constantiam martyrij. In perplexis autem quæstionibus tenetur esse tam discretus, vt talia difficilia esse sciat, nec procedendum in eis esse sine superiorum consilio vel auctoritate canonum: & hæc puto sufficere ad rationem eius qui petit rationem de ea quæ in nobis est fide & spe. *Solutio.*

AD RATIONES autem inductas, dicendum quòd non erit peruersus actus cum tanto habitu præsumptus: sed tantus sufficit ad regimen meo iudicio, nisi fortè sit in gradu sublimiori: quia superior ad maiora tenetur, vt Archiepiscopus, vel Episcopus, vt infra patebit, cum de Episcopis agetur. Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICVLVS IX.

Quæ vita requiritur ad hoc vt aliquis sit idoneus?

TErtio quæritur, Quæ vita requiritur? Videtur autem, quòd illa quæ est nota secundum famam, & bona secundum virtutem:

& hoc per multas ſanctorum auctoritates, quarum quaſdam tangemus, & alias dimittemus propter prolixitatem vitandam.

2 Hieron. in epiſtola quadam, Sine crimine iubetur eſſe Epiſcopus: non pro eo tantum tempore quo ordinandus eſt, ſit ſine vllo crimine: ſed ex eo tempore quo per Chriſtum renatus eſt, nulla peccati conſcientia remordeatur. Ergo videtur hoc etiam proportionabiliter eſſe verum de ſacerdote.

3 Gregor. in paſtoral. Solerter ſe quiſque metiatur, ne locum regiminis aſſumere audeat, ſi adhuc in ſe vitium damnabiliter regnat: nam diluere aliena delicta non valent, quos adhuc propria denigrant. Et ex hoc arguitur vt prius.

4 Adhuc, Leuit. 21. Homo de ſemine Aaron qui habet maculam, non offerat panes coram Domino, nec accedat ad miniſterium eius. Dicit autem Gloſſ. ibidem, quòd per maculam vitium intelligitur. Ergo videtur, quòd vitium habens, ſacerdotis officium in ſola celebratione miſſæ agere non poteſt.

5 Item Iſidor. Qui non viuit ſicut docet, ipſam veritatem quam prædicat, contemptibilem facit: ſicut Pſalm. 49. dicit, Peccatori autem dixit Deus, Quare tu enarras iuſtitias meas, &c. Ergo multo minus peccator poteſt officium enarrantis habere.

6 Item Eccleſ. 15. Non eſt ſpecioſa laus in ore peccatoris. Item Iſidor. Tam doctrina quam vita clarere debet Eccleſiaſticus Doctor: nam doctrina ſine vita arrogantem reddit, vita ſine doctrina inutilem facit.

7 Adhuc Gregor. Qui contemptum temporalium prædicat, neceſſe eſt vt ipſe prior contemnat: tunc enim prædicatio vtiliter profertur, quando efficaciter adimpletur.

8 Item Gregor. Neſcienti legem lingua tua ſit codex, & in opere tuo aſpiciat quid imitetur.

9 Item Auguſtinus, Innocens abſque ſermone conuerſatio quantum exemplo prodeſt, tantum nocet ſilentio.

10 Vlterius videtur, quòd etiam excellentem vitam tenetur habere clericus. Vnde Iſidor. Non debet honoris ducatum ſuſcipere, qui neſcit ſubiectos tramite melioris vitæ præire.

11 Item Gregor. Tantum debet actionem populi actio tranſcendere præſulis, quantum diſtare ſolet à grege vita paſtoris: qui enim loci neceſſitate exigitur ſumma docere, hac eadem neceſſitate compellitur ſumma monſtrare.

12 Item Hieronym. in decreto. 8. quæſt. 1. Qualis enim erit ædificatio diſcipuli ſi intelligat magiſtro ſe eſſe maiorem. Vnde non ſolum Epiſcopi & preſbyteri & diaconi debent magnoperè præuidere vt cunctum populum cui præſident, conuerſatione & ſermone præeant: verum etiam inferiores gradus, exorciſtæ, lectores, cuſtodes ædium, acolythi, & omnes omnino qui domui Dei deſeruiunt: quia vehementer Eccleſiam Dei deſtruit, meliores eſſe laicos quam clericos.

13 Alia autem infinita his concordantia inueniuntur. Vnde etiam per rationem probandum eſt idem, In omni re exemplar directius debet eſſe exemplato: ſed clericus eſt exemplar laici: ergo directiorem oportet eſſe laico.

14 Adhuc, Magis appropinquanti ſanctis, maior indicitur ſanctitas: quia mundari debent, qui ferunt vaſa Domini: ſed clericus magis appropinquat, quam laicus: ergo videtur, quod ad maiorem virtutis perfectionem teneatur.

15 Adhuc, Omnis docens neceſſe eſt vt habeat proprium probandi inſtrumentum: ſed clericus quod docet non poteſt probare niſi per operis excellentiam, vt dicunt Sancti: ergo videtur, quòd teneatur ad operis excellentiam.

IN CONTRARIVM huius eſſe videtur quod dicit Dominus Matth. 23. Quæ dicunt facite, ſecundum autem opera eorum nolite facere: dicunt enim, & non faciunt. *Sed contra.*

RESPONSIO. Nulli ſanæ mentis dubium eſt, quod probatum eſt primo, quòd clericus quandiu miniſtrat in domo Dei, tenetur ad maiorem perfectionem quam laicus, & præcipuè ſi curam ſuſcipit paſtoralem. *Solutio.*

AD HOC ergo quod obiicitur in contrarium, dicendum quòd hoc dicit Dominus vt recognoſcatur poteſtas etiam apud malos: habent enim tales poteſtatem ad augmentum damnationis eorum.

ARTICVLVS X.

Quantum peccatum committit promouens non idoneum, & an neceſſitate aliqua poteſt excuſari?

QVarto quæritur, Quantum peccat promouens inidoneum, vel ſi neceſſitate aliqua excuſatur, vt dicunt communiter? Videtur autem, quòd mortaliter. Ezech. 44. Inducitis filios veſtros in ſanctuarium Domini, incircunciſos corde, & incircunciſos carne. Et improperat ibi ſacerdotibus Veteris Teſtamenti. Ergo multo magis hoc eſt damnabile prælatis Noui Teſtamenti.

2 Adhuc, Minus peccatum eſt inidoneum, quando promotus eſt, non corripere, quam inidoneum promouere: ſed Heli eò quod non corripuit, à ſacerdotio cum parentela expulſus eſt, & Iſraël in gladium & captiuitatem ductus, & arca capta, & filij occiſi, & ipſe mortuus, vt habetur 1. Reg. 4. ergo multo magis damnabiliſſimus eſt, qui promouet non idoneum.

3 Adhuc, Hoc dicitur in litera, quòd non idoneus graue onus ordinanti inducit: graue autem onus non eſt niſi onus æternæ damnationis: ergo mortaliter peccat, qui non idoneum ſcienter promouet: ergo multo magis qui dat ei beneficium, præcipuè habens curam animarum.

4 Adhuc, Sub periculo ponens temporalia Eccleſiæ, peccat mortaliter: ergo multo magis qui in periculo ponit animas: ſed inidoneum promouens, ſub periculo ponit animas: ergo peccat mortaliter.

VLTERIVS

Quæstiũcula. VLTERIVS hic quæritur, Si excusari potest? Et ponuntur tres causæ, quas prætendunt suæ excusationis. Prima: quia Ecclesia ex illo propter nobilitatem honoratur. Secunda: quia alius non de facili ita in temporalibus vtilis Ecclesiæ reperitur. Tertia: quia melius est habere aliquos, quam nullos.

Sed contra. SED CONTRA istas omnes tres causas sic obiicitur, De veritate vitæ propter nullam causam est aliquid omittendum: sed promouere idoneum est de veritate vitæ: ergo nullo modo est omittendum.

2 Adhuc, Ad Rom.3. Faciamus mala vt eueniant bona: quorum damnatio iusta est. Ergo multo fortius non facienda sunt mala, ne eueniant mala: sed promouere inidoneos est malum: ergo non est faciendum aliquo modo.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum ad hoc, quòd nullum dubium est mortaliter peccare omnem illum qui indignum scienter promouet ad sacros ordines, vel ad curam pastoralem, vel ad aliquod ecclesiasticum beneficium. Est autem indignus dupliciter, scilicet contrariè, & priuatiuè. Contrariè indignus est, qui contrarium habet dignitati: & ille nullo modo est promouendus. Priuatiuè autem indignus est, qui priuatur dignitate, non habens tamen contrarium: & in talibus propter necessitatem aliquarum Ecclesiarum quæ indigent literatis & defensoribus, posset dispensari, quòd aliquid haberent de Ecclesia, donec addiscerent: sed puto, quòd sine peccato non potest eis conferri cura vel præbenda: sed expensæ pro eis possent fieri de Ecclesia vel de beneficio Ecclesiæ quod alteri interim committetur.

Adquæst. AD ID quod obiicitur contra causas, dicendum quòd illa ridiculosa est, quæ est de generis nobilitate vt propter hoc malus posset promoueri: quia quanto nobilior est, tantò nociuior si malus est. Nec puto, quòd sufficit hoc, quod non sit malus: sed puto, quòd necessarium est scire esse bonum per talem scientiam qualem possibile est haberi de homine. Quod autem dicitur, quòd alius non esset ita vtilis, nihil est omnino: quia omnis vtilitas temporalis est spirituali postponenda. Tertia autem omnino nulla est: quia in litera dicitur, quòd melius est habere paucos bonos, quam multos malos. Præterea, Quod malis confertur, facit eos malos: quia sciunt tales habere locum in Ecclesia & bonos expelli: & ideò efficiuntur mali, vt citius promoueantur.

ARTICVLVS XI.

An non idoneè promotus in quolibet actu officij sui peccet mortaliter?

QVinto quæritur, Vtrum inidoneus promotus in quolibet actu ordinis & officij sui peccet mortaliter? Videtur autem, quod sic: quia propter sanctitatem ordinis peccat mortaliter primò accedendo: sed eadem sanctitas semper manet in ordine: ergo si ipse sit non idoneus, semper æqualiter peccabit ordinem exequendo: sed in omni actu ordinis exequitur ordinem: ergo in omni actu ordinis peccat mortaliter.

2 Adhuc, Susceptio ordinis est propter executionem: ergo executio est melior: sed in suscipiendo ad minus propter inidoneitatem mortaliter peccauit: ergo & in exequendo magis mortaliter peccabit propter eandem rationem.

3 Adhuc, 2.Reg.6. Oza percussus est, vt dicit Dionysius, quia indignè sanctis communicauit: percussio autem significat mortale peccatum quod interficit animam: cum ergo sanctiora sunt ea quæ sunt Noui Testamenti, quam Veteris, peccabit mortaliter omnis qui indignè administrat ordinem vel officium ecclesiasticum: sed administratio in quolibet actu ordinis est officium ecclesiasticum: ergo in quolibet actu ordinis & officij sui peccabit mortaliter.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est, quòd hoc esset graue iudicare.

2 Adhuc, Quia vouens virginitatem voto non solenni, peccat mortaliter contrahendo, non tamen postea soluendo debitum: ergo à simili suscipiens ordinem vel officium ecclesiasticum indignè, peccabit mortaliter, non tamen posteà administrans.

3 Adhuc, Si in quolibet actu peccaret mortaliter, videretur esse perplexus: quia ex officio & ordine tenetur administrare: ergo peccat mortaliter omittendo. Item, Ex indignitate tenetur dimittere ne ministret: ergo peccabit mortaliter ministrando: ergo quicquid fecerit, peccabit mortaliter: ergo est perplexus.

Solutio. RESPONSIO. Videtur mihi, quòd peccat mortaliter quotiescunque scienter & sine necessitate administrat ordinem vel officium in quolibet actu qui indignus est, sicut probat prima pars istius disputationis. Dico autem sine necessitate duplici tantum: si enim corpus Domini vel aliquid sacrorum decideret, & non esset alius subleuans, posset tunc cum humilitate cordis & cum timore & reuerentia subleuare. Item, Si aliquis exemplo suo duceretur ad peccatum, posset rogare eum cum dolore ne exemplum in eo acciperet, sicut suprà diximus in quæstione de fraterna correctione. In aliis omnibus casibus peccat mortaliter administrando sancta indignè.

AD HOC autem quod obiicitur in contrarium, dicendum quòd via lata est, quæ vadit ad infernum, & multi sunt qui vadunt per eam, sicut habetur Matth.7.

AD ALIVD dicendum, quòd non est simile, cum in matrimonio contracto non manet votum, sed frangitur: & ideo non omnem actum sequentem facit illicitum: sed cum administratione manet indignitas, & ideo omnis actus illicitus efficitur.

AD ALIVD dicendum, quòd non est perplexus: quia cedat officio, & non administret, & erit expeditus: vel si mauult, emendet peccatum, & administret dignus: & iterum est expeditus de perplexitate.

ARTICVLVS XII.

Qualiter illius peccati remedia possunt acquiri?

SExto quæritur, Qualiter illius peccati remedia acquirantur? Videtur autem, quòd per dispensationem: quia constat, quòd qui habet vniuersitatem potestatis, potestatem habet dispensandi: sed dispensatio est iuris relaxatio: ergo isti potest relaxari quod de iure tenetur facere: sed de iure tenetur esse dignus vita & scientia: ergo hoc relaxari potest ei.

2 Adhuc, Nos videmus hoc tota die fieri in curia Domini Papæ, de qua non licet præsumere, quòd aliquid fiat iniustum: ergo videtur, quòd per dispensationem hoc fieri possit.

3 Adhuc, Non est nostrum iudicare de dispensatione: ergo videtur, quòd vel ille cum quo dispensatur omnino deceptus sit, vel ipse absoluitur à peccato.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est quod dicit Bernard. ad Eugenium Papam, quòd si dispensatio careat causa vtilitatis publicæ vel necessitatis legitimæ, dispensatio non dispensatio sed dissipatio est.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd cum indigno nunquam ita dispensari potest, quin ipse peccet mortaliter quolibet actu administrationis, quandiu est indignus. Dominus enim Papa sicut ipsemet in quadam decretali protestatur, vnumquemque propriæ conscientiæ quoad Deum relinquit: sed quandoque eò quod oportet mala tolerare ne eueniant peiora, hoc modo dispensat, quòd in iudicio hominum eis hoc super quo dispensatum est, obiici non possit.

AD HOC ergo quod primo obiicitur, dicendum quòd habet vniuersitatem potestatis super iudicia hominum, sed non super iudicium diuinnm: & hoc est iudicium conscientiæ,

AD ALIVD dicendum, quòd abusiones non diminuunt mala, sed aggrauant: & ideo si in talibus dispensationibus prælatus aliquid facit, ipse peccat mortaliter. Si autem patitur necessitate mali compulsus ne eueniat peius, tunc non peccat mortaliter, sed tunc non dispensat, sed dissimulat ad tempus donec corrigi possit.

AD ALIVD dicendum, quòd verum est, quòd non est nostrum vt iudices simus: sed tamen nostrum est vt doctores simus, & cognoscere speculatiuè, quid dignum, & quid iustum est, & hoc aliis dicere: vnde non cognoscimus per modum iudicij vt corrigamus vel puniamus: sed cognoscimus per modum sapientium in lege Dei, quid legi Dei concordat, & quid ab ea discordat, à quocunque hominum agitur siue superiore siue inferiore.

ARTICVLVS XIII.

An corona sit ordo vel tantum dispositio ad ordinem?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Corona enim signaculum est quo signantur, &c.] Videtur enim, quòd corona sit ordo: quia in omnibus spiritualibus exteriora fiunt propter interiora: sed exterius fit signaculum in corona: ergo fit propter signaculum interius: sed signaculum interius est character: ergo corona imprimit characterem: quicquid autem imprimit characterem, collocans in gradu dignitatis in Ecclesia, est ordo: ergo corona est ordo.

2 Adhuc, Corona aut est purè corporale, aut in corporali habetur spirituale. Si purè corporale: ergo à quolibet conferri posset, quod falsum est: quia non potest hodie conferri nisi ab Episcopo. Si autem spirituale est acceptum in corporali: tunc est sacramentum per diffinitionem sacramenti: constat autem, quòd non est sacramentum nisi ordinis: ergo corona est ordo qui est sacramentum.

3 Adhuc, Excellentium in Ecclesia est dare aliquid excellens, sicut patet in confirmatione, vbi excellentes in Ecclesia Spiritum sanctum dant ad robur: sed coronam in Ecclesia non dant nisi excellentes in Ecclesia vt Episcopi: ergo in ea dant aliquid excellens: sed nihil excellens est corporale: ergo videtur, quòd dent aliquid spirituale: & hoc non potest esse nisi character: ergo imprimit characterem: ergo est ordo.

4 Adhuc, In baptismo vbi distinguitur homo à non baptizato, imprimitur character: ergo & in corona vbi homo distinguitur in sortem Domini: sed hoc fit in corona: ergo videtur, quòd in corona imprimitur character.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est, quòd à Magistro in litera non distinguuntur nisi septem ordines: & corona non est vnus de illis: ergo corona non est ordo.

2 Adhuc, Omnis excellens forma in natura, multas ex parte materiæ exigit dispositiones: ergo & in gratia similiter erit: sed excellens in gratia est ordo: ergo præexigit dispositiones ex parte susciptentis. Primum autem quod susciptur, est corona: ergo videtur, quòd corona sit prima dispositio ad ordinem, & non ordo.

Solutio. QVOD CONCEDIMVS, dicentes ad primum, quòd exteriora in corona, fiunt propter interiora: sed interius quod respondet coronæ, est reuelatio mentis ad diuina, vt sic disponatur homo ad recipiendum ordinem: & non est character vel ordo.

AD ALIVD dicendum, quòd corona non est purè corporale, sed est corporale ad spirituale ordinatum: sed hoc spirituale est coniunctum in parte, & in parte consequens: coniunctum enim est mentis reuelatio ad diuina, vt dictum est: consequens autem est ordo qui susciptur.

AD

Ad aliud dicendum, quòd hæc non est causa quare non possit conferri nisi ab Episcopo, quia aliquid excellens in corona conferatur: quia quandoque conferebatur à non Episcopis. Sed hoc institutum est, vt cognoscantur ab Episcopo, qui præparantur ad ordines suscipiendos: quia cum maiori solicitudine agendum est circa tales: & ideo per coronam ad manum & agnitionem Episcopi instituti sunt transire.

ARTICVLVS XIV.

An tonsura in veteri lege figurabatur in Nazareis?

Deinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Tonsuræ autem Ecclesiasticæ vsus,' &c.] Videtur enim, falsum esse: quia quicquid ad sacramentum ordinis pertinet in Nouo Testamento, in sacerdotio & sacerdotibus Veteris Testamenti significabatur: Nazarei autem non necessariò erant de sacerdotibus: ergo videtur, quòd in eis tonsura Ecclesiastica non significabatur.

2 Adhuc, Nazarei in fine voti crines offerebant (alias tondebant) vt habetur Num. 6. sed clerici in principio suæ religionis crines offerunt: ergo videtur, quod nulla sit conuenientia: ergo nulla signa.

3 Vlterius videtur, quòd ordo in Veteri Testamento non poterat signum respondens habere: habitum enim est suprà, quòd sacramenta excellentis effectus, in Veteri Testamento nihil respondens in figura habuerunt: sed ordo in excellentissimo statu ponit per suum officium: ergo videtur, quòd nihil respondens in Veteri Testamento habere potuit.

Solutio. Responsio. Dicendum ad hoc, quòd ea quæ sunt Noui Testamenti, propter suam perfectionem non in vno solo typo Veteris Testamenti potuerunt significari, sed in multis significabantur quoad diuersa. Et ita etiam sacerdotium quoad tonsuram significatur in Nazareis, & quoad potestatem offerendi in sacerdotio, & quoad potestatem ligandi & soluendi in potestate iudicandi inter lepram & non lepram, & munditiam & immunditiam sacerdotum. Et per hoc patet solutio ad primum.

Ad aliud dicendum, quòd licet in tempore non sit conuenientia, tamen est conuenientia facti ad factum: quia capilli prius nutriti Domino offeruntur & hic & ibi. Et hoc intendit Auctor in litera: multis enim modis, vt dicit Gregor. sumitur allegoria.

Ad hoc quod vlterius quæritur, dicendum quòd hoc non intelligendum est de excellentia potestatis, sed de excellentia gratiæ, vt dictum est in confirmatione, & extrema vnctione quoad immediatum euolatum, quod ibi fieri non poterat: sed perfecta potestas ministrorum benè poterat ibi significari.

ARTICVLVS XV.

An clerici habeant ius hæreditatis inter parentes suos vel non?

Deinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Quia de sorte sunt Domini, vel quia partem Domini habent, &c.] Ex hoc enim arguitur, quòd clerici ius hæreditatis inter parentes suos non habent. Hoc etiam aliis videtur rationibus. Dicitur enim Matth. 5. Nisi abundauerit iustitia vestra plus quam Scribarum vel Pharisæorum, non intrabitis in regnum cælorum. Sed Leuitæ & Scribæ & Pharisæi in Veteri Testamento non habebant hæreditatem: ergo nec in Nouo debent habere. Quod autem Leuitæ hæreditatem non habuerunt, patet Num. 18. vbi hoc multoties dicitur, Non habebunt filij Leui hæreditatem in medio fratrum suorum: ego enim hæreditas eorum.

2 Adhuc, In tonsura ore proprio ab Episcopo iubentur dicere, Dominus pars hæreditatis meæ & calicis mei, &c. ergo ore proprio videntur terrenam hæreditatem resignare: ergo ius in ea de cætero nullum habent.

3 Adhuc, Terrena habens, necessariò habet terrena cogitare: sad clericus ideo raditur, vt dicitur in litera, quia non nisi cælestia debet cogitare: ergo nihil terrenum debet habere: ergo nec ius habet in hæreditate terrena.

4 Adhuc, Terrenæ possessiones in iure Imperatorum, vt dicunt leges, & confirmat Augustinus, possidentur: sed clericus nullum debet habere respectum quantum ad Imperatores vel Reges: ergo videtur, quòd nihil terrenum debeat possidere.

Sed contra. In contrarium huius est quod dicitur Ierem. 32. Eme tibi agrum meum, qui est in Anatoth: tibi enim iure propinquitatis competit. Hoc enim dixit Ananeel ad Ieremiam: qui tamen sacerdos fuit: ergo competebat sacerdotibus hæreditas.

2 Adhuc, Leuitici 5. Ædes Leuitarum quæ in vrbibus sunt, semper redimi possunt. Ergo Leuitæ ius habebant redimendi hæreditatem, etiam magis quam alij: cum igitur non sint minus digni Noui Testamenti sacerdotes, ius percipiendi hæreditatem suam possunt habere.

Solutio. Responsio. Non est dubium quin clerici ius habeant in sua hæreditate, quæ patrimonium est: aliter enim videtur in feudalibus quibusdam: quædam enim feudalia sunt ad pretium annuum cum homagio alicui exhibita: & quædam sunt pro stipendiis militiæ debitis. Patrimonium ergo videtur quòd habere possunt. Et etiam feudalia scio quòd in multis locis habent, & pretium exhibent: & pretio vel precibus inducunt alium aliquem sibi in temporalibus æquiualentem, & æque dignum, qui loco eorum facit homagium: sed illa feudalia quæ sunt quasi pro stipendiis militum, videtur mihi, quòd sine iniuria Domini feudi haberi non possint.

Ad

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd Leuitæ habebant ius percipiendi hæreditatem suorum parentum in Veteri Testamento: sed non habebant ius ex æquo diuidendi terram cum aliis tribubus. Et hoc ideo præcepit Dominus: quia si ex æquo habuissent vnam portionem sicut aliæ tribus, tunc habitassent in vno loco, & non fuissent diuisi per populum, vt docerent omnes: & hoc non fuisset competens officio eorum.

AD ALIVD dicendum, quòd in tonsura non renuntiat, nisi solicitudini hæreditatis retrahenti ab officio clericali: ad hoc enim non tenetur laicus: & ita intelligitur quod ore suo dicit coram Episcopo.

AD ALIVD dicendum, quòd benè possunt cogitare terrena in ordine ad cælestia: quia hoc meritorium est. Item benè possunt cogitare non retrahendo cogitatum à cælestibus: sed terrena vt terrena non debent cogitare: & hoc solum significat tonsura & reuelatio sensuum.

AD ALIVD dicendum, quòd iure Imperatorum possidentur feuda & alia ad defensionem: & ideo cum iustum tributum non subtrahitur principibus, talia potest possidere clericus, vel alius homo officiis Ecclesiæ mancipatus.

De ostiariis.

Ibidem. 1. Paral. 29.

OSTIARII iidem & ianitores sunt, qui in Veteri Testamento electi sunt ad custodiam templi, vt non ingrederetur in illud immundus. Dicti autem ostiarij, eo quod præsint ostiis templi. Ipsi enim tenentes clauem, omnia intus & extra custodiunt, atque inter bonos & malos habentes iudicium, dignos recipiunt, indignos respuunt. Vnde & eis cum ordinantur, claues Ecclesiæ dantur ab Episcopo. Et dicitur eis, Sic agite tanquam rationem Deo reddituri pro rebus quæ clauibus istis recluduntur. Hoc officium Dominus in sua persona suscepit, quando flagello de funiculis facto vendentes & ementes eiecit de templo. Ipse enim se ostiarium significans dicit, Ego sum ostium, per me siquis introierit, saluabitur, & ingredietur & egredietur, & pascua inueniet.

De consec. dist. 23. cap. Ostiarius.

Ioan. 2.

Ioan. 10.

ARTICVLVS XVI.

An ordo ostiariorum sit primus, & habeat aliquem actum spiritualem?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Ostiarij iidem & ianitores] Et quæramus hic duo, scilicet de actu ostiariorum: & vtrum iste ordo sit imprimens characterem? Ad primum accipiatur quod dicit in litera, ea quæ sunt intus & extra custodire, est actus ostiariorum: sed claue materiali talem custodiam facere, est purè corporale: ergo videtur, quòd ad hoc non ordinatur nisi potestas corporalis: omnis autem ordo est potestas spiritualis: ergo videtur, cum ordo ostiariorum sit ordo spiritualis, quòd iste non sit actus eius.

2 Adhuc, Ad corporalem actum frustra requiritur spiritualia ministrans: sed in ordine ostiariorum requiritur minister excellens in Ecclesia spiritualia ministrans: ergo non est ad corporalem actum: ergo actus qui dicitur in litera, non est actus eius.

3 Adhuc, Sacramentis quæ Christus in se exhibuit, virtutem contulit spiritualem: sed illud per se exhibuit, vt dicitur in litera: ergo spiritualem vim isti exhibuit: sed spiritualis vis est ad actum spiritualem, non corporalem: ergo videtur, quòd iste non sit actus eius.

IN CONTRARIVM huius obiicitur: quia ad hoc confertur actus in ordine, cuius instrumentum ab Episcopo datur ordinato: sed claues materiales templi & sacrarij dantur ostiariis: ergo ad hoc confertur eis ordo & potestas: sed actus clauis est claudere & aperire templa & sacraria: ergo iste est actus illius ordinis. *Sed contra.*

RESPONSIO. Dicendum, quòd ille qui dicitur ordo ostiariorum, est ordo primus, & habens actus super corporale ad spirituale ordinatum: est enim suum custodire locum sacramentorum, in quo & sacramenta conferuntur & populus communicat sacramentis, ab immundis rebus & hominibus. *Solutio.*

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd non est purè corporale: & ideo exigitur ad hoc potestas spiritualis, quia spiritualia sunt benè circa corporalia ad spiritualia ordinata: sed verum est, quòd est spiritualis potestas ista in infimo gradu spiritualium.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc sequeretur, si esset actus corporalis, & circa purè corporale: sed est actus corporalis iuxta corporale ordinatum ad spirituale: & spirituale est finis: quia tota custodia fit ne spiritualia violentur.

AD ALIVD dicendum, quòd Christus huic potestati dedit vim spiritualem: quia sicut à Christo quando expulit immundos de templo, luxit quoddam diuinum, vt dicit Gloss.

Gloss. Ioan. 2. quo territi fuerunt illi quos expulit, & cesserunt ei: ita quiddam diuinæ potestatis facit prævalere ostiarios, vt expellant à loco sacro ea quæ sacra violant: & hoc habent à Christo istum ordinem suscipientes.

ARTICVLVS XXII.

An ordo ostiariorum imprimat characterem?

SEcundo quæritur, Vtrum iste ordo characterem imprimat? Videtur enim, quòd non: sicut enim dictum est in quæstione de baptismo, tractatu de charactere, character consignat trinitatem creatam increatæ, & collocat in aliquo spirituali statu fidei: iste autem ordo non videtur hoc facere: ergo non imprimit characterem. Probatur autem media: quia status fidei est prælationis vel subiectionis, & tunc incipientium vel pugnantium pro fide perfecta: & neutrum istorum confert iste ordo, quia prælatos non facit, sed potius ministros, quia ostiarij ministri sunt: ergo non imprimit characterem.

2 Adhuc, Perfectissimorum sacramentorum est imprimere characterem: sed iste ordo non est perfectissimus, sed potius ordo sacerdotij: ergo videtur, quòd characterem non imprimat.

3 Adhuc, Taliter ordinatus licet sit distinctus à populo vt ministret in templo: nihilominus tamen adhuc coniungibilis est populo, quia potest ducere vxorem: ergo videtur, quòd non distinguatur distinctione perpetua: sed perpetua distinctio est characteris: ergo videtur, quòd non imprimat characterem.

4 Adhuc, Hoc officium totum est viæ, quia in futuro non erit indigentia custodiæ: ergo videtur, quòd deficiat cum via: ergo ministri eius non indigent nisi charactere viæ: sed character spiritualis, est perpetuus: ergo videtur, quòd istud sacramentum non imprimat characterem spiritualem.

5 Adhuc, Custodes illi qui sunt in cælesti hierarchia & sunt custodes animarum, digniores sunt quam custodes templorum: & tamen non dicimus, quòd propter officium ipsorum imprimatur eis character: ergo non propter officium istorum istis character imprimitur.

6 Adhuc, In actum illius sacramenti siue officij quod imprimit characterem, non potest aliquis nisi characterizatus illo: sed in actum istius ordinis potest non habens istum ordinem: ergo non imprimit characterem. Probatur autem prima inducendo: quia in detestationem originalis non potest nisi recipiens baptismum si articulus necessitatis sacramentum non excludat, nec in confortationem quæ est ex confirmatione, nec in consecrationem corporis & sanguinis Domini qui non habet ordinem. Probatio secundæ est ad oculum: quia custodire templa etiam quilibet laicus potest: ergo constat propositum.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius obiicitur sic: Nihil collocat in gradu spiritualis potestatis immobiliter, nisi aliquid suscipiatur immobile à suscipiente: ostiariorum ordo collocat in gradu spiritualis potestatis immobiliter; ergo ipse est aliquid immobile. Prima probatur ex hoc, quòd nulla causa quæ est vt disponens in subiecto, separabilis est à suo effectu, quicquid etiam sit de causa efficiente, cum de omni causa dicat hoc esse verum Philosophus, & probat Auicenna: sed propter prolixitatem hic accipitur in dispositione, quia in illa perspicuè verum est. Omne autem sacramentum causat suum effectum vt causa disponens in subiecto, vt patet ex præhabitis circa principium huius quarti. Secunda autem probatur: quia ostiarius quantumcunque deuiet, nunquam reordinatur, sed reconciliatur tantum: & sic ministrat, si prælato videatur expedire. Inde sic: nec id quod est ibi signum tantum, nec id quod est ibi res tantum, immobile est à suscipiente ordinem istum: ergo est ibi medium immobile, quod est res & signum: medium autem immobile existens in omnibus sacramentis, est character; ergo & in isto sacramento: ergo istud sacramentum imprimit characterem. Prima probatur: quia actio Episcopi super ostiarium, est transitoria: & quia gratia quæ tantum est res, sæpè perditur: igitur constat prima. Secunda probatur ex inductione in baptismo, confirmatione, & sacerdotio.

2 Adhuc, Non iterationis sacramentorum super idem subiectum, non est nisi duplex causa, scilicet quia causa non redit, sicut originale non redit post baptismum: & quia immobile aliquid manet in suscipiente, propter quod iterari non potest: constat ergo, quòd prima causa non est in hoc sacramento, quare non iteratur: ergo secunda erit: ergo aliquid immobile imprimitur in hoc sacramento, quod nunquam deletur: hoc autem in omnibus vocatur character: ergo & in isto.

3 Adhuc, signum distinctiuum collocans in gradu fidei & ad actum spiritualem, videtur esse character: tale signum datur ostiario: ergo datur ei character. Probatio mediæ: constat enim, quòd pet separationem in officio determinatur & distinguitur ab aliis, non distinctione dispositionis vt in corona, sed officij spiritualis mancipatione: ergo constat propositum.

4 Adhuc, Characteris increati est characterizare charactere creato: video autem, quòd increatus character hoc officium characterizauit: ergo huic officio mancipatum ipse characterem imprimit.

RESPONSIO. Dicendum, quòd non videtur mihi esse dubium, quin imprimat characterem: quia aliter nullo modo videri posset, qualiter esset impressa potestas indelebilis ostiario, sicut probant vltimæ rationes. *Solutio.*

AD PRIMVM autem dicendum, quòd iste character configurationem facit: quia imprimitur nostræ imagini vt in potestate spirituali imitetur eum qui non dormitabit neque dormiet custodiendo Israël, & ponit in statu prælationis & in statu fidei. Ad id quod contra obiicitur, dicendum quòd prælatus est in populo

pulo non habenti potestatem sic accedendi, licet non sit prælatus simpliciter : in altiori enim gradu est quam simplices de populo : & hoc sufficit ad statum prælationis in statu fidei: sicut tota tribus Leui prælata fuit, nec tamen inferiorum ordinum Leuitæ prælati fuerunt simpliciter.

Ad aliud dicendum, quòd ordo iste est aliquid perfectissimi sacramenti, sicut pars totius potestatiui est aliquid totius : & ideò inquantum ordinatur ad illud, habet aliquid de effectu ipsius : & hoc est imprimere characterem potestatis secundum partem, sicut illud habet imprimere characterem potestatis perfectæ : aliter enim non esset pars potestatiua illius. Et hoc facile est videre: quia nisi baliuo det potestatem in parte, non erit pars potestatiua regni quod habet dare potestatem perfectè, & sic de aliis est. Hic autem propter indelebilitatem & fidei statum & configurationem ad potestatem diuinam, datur potestas talis vel talis per characteris impressionem.

Ad aliud dicendum, quòd nunquam est coniungibilis populo, ita quòd amittat signaculum, imo in perpetuum tenetur habere extra, sicut carere non potest intra : sed iurisdictionem amittere potest, & quantum ad hoc effici sicut vnus de populo: quia si in toto efficeretur sicut vnus de populo, reordinaretur quando iterum rediret ad clericatum : & hoc non fit.

Ad aliud dicendum, quòd non sequitur, si officium aliquod totum est viæ, quòd non imprimat characterem: quia etiam baptismus est viæ & confirmatio & sacerdotium, & tamen imprimunt characterem: quia licet vsus gradus talis in patria non sit futurus cum cessabit omnis prælatio, tamen signum gradus manet ad gloriam pro eo quod fideliter & bene ministrauit in officio sibi commisso.

Ad aliud dicendum, quòd de signis Angelorum nobis est incertum : sed tamen de gradibus Angelorum hoc nobis certum est, quod quantum ad eminentiam dignitatis vnus super alium perpetuò manet, licet fortè euacuentur quantum ad actum & officium, quando Deus erit omnia in omnibus, vt dicitur 1. Corinth. 15. Vnde puto falsum esse, quòd Angeli non sint distincti signaculis naturæ gratiæ & gloriæ inter se, secundum quod officia eorum sunt diuersa altiora & inferiora.

Ad aliud dicendum, quòd in actum illius ordinis nihil potest nisi habens ordinem. Et ad hoc intelligendum, reuocandum est ad memoriam quod prius dictum est, scilicet quòd sicut Christus ostendit quendam diuinum radium, ratione cuius territi cesserunt hi qui violabant locum sanctum : ita quædam diuina virtus deterrendi immũda à loco sancto sanctificato confertur ostiariis, & ex tali virtute pellere immunda est actus ostiarij. Et planum est, quòd hoc ille non potest, qui illã virtutem non habet: non autem habet, qui ordinem non suscipit.

ARTICVLVS XVIII.

An in sacramento istius ordinis sit aliqua specialis forma?

Deinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Et dicitur eis, Sic agite tanquam Deo rationem reddituri, &c.] Ex hoc enim videtur, quòd ista sit forma huius ordinis. Sed contra hoc obiicitur : forma enim sacramenti, aut est per modum indicationis, vel deprecationis: ista autem est per modum imperij : ergo videtur, quòd non sit forma sacramenti.

2 Adhuc, In sacramento operatur virtus diuina: ergo operatio sacramenti non subiacet imperio hominis: ergo nec collatio sacramenti per modum imperij debet conferri.

3 Adhuc, Quod imperio alicuius fit, in potestate illius consistit : sed operatio ordinis non consistit in potestate Pontificis, sed Dei: ergo per modum imperij forma esse non debet.

4 Adhuc, Illa verba videntur potius sonare iniunctionem officij habenti iam potestatem, quam collationem potestatis: si enim tunc conferret potestatem, deberet dicere, Accipite potestatem claudendi & aperiendi.

Responsio. Dicendum, quòd secundum diuersitatem sacramentorum diuersificantur formæ ipsorum, sicut patuit in baptismo, & Eucharistia, & extrema vnctione. Vnde cum in isto sacramento conferatur potestas ad actus diuinos & circa diuina, debet significari per modum traductionis potestatis ab vno in aliũ, quemadmodum à Domino significata est Ioan. 20. cum dixit, Accipite Spiritum sanctum: quorum, &c. In illo enim verbo intelligitur per simile quantum ad modum omnis forma collationis sacramenti ordinis significata & instituta. Solutio.

Ad primvm ergo dicendum, quòd patet solutio.

Ad secvndvm dicendum, quòd licet in sacramento operetur diuina virtus effectum vltimum sola: tamen actus illius sacramenti est in potestate ministrorum : & cum ordo sit ad accipiendum potestatem ad actum illum, per modum traductionis illius potestatis significatur ab Episcopo, qui ibi est loco Christi potestatem illam conferens.

Ad aliud dicendum, quòd in potestate hominis est vt ministri participantis locum Dei : sed non est in potestate hominis inquantum homo, & potestas hominis refertur actum: sed verum est, quòd potestas diuina sola est ad effectum gratiæ quæ fit in sacramentis : & hoc significatur ex modo loquendi quo non dicit, Accipite gratiam, &c. sed potius, Sic agite & cætera.

Ad aliud dicendum, quod potestas non est completa nisi in actu suo ad quem est : & ideo vt notetur potestas completa, dicit, Sic agite &c. Et tamen est sensus iste, Habete completam & perfectam potestatem agendi.

De

De lectoribus.

SECVNDVS est gradus lectorum. Lectores à legendo, sicut psalmista à psalmis canendis, vocati sunt. Illi enim prædicant populis quid sequantur: isti cantant, & excitant ad compunctionem animos audientium: licet quidam lectores ita miserabiliter pronuntient, vt quosdam ad luctum & lamentationem compellant. Iidem etiam pronuntiatores vocantur, qui porrò antè nuntiant: quia tam erit clara eorum vox, vt etiam longè positorum aures adinpleat. Ad lectorem autem pertinet lectiones pronuntiare, & ea quæ Prophetæ vaticinauerunt, populis prædicare: vt iam ex officio in Ecclesia legant prophetias & lectiones. Vnde & ei vidente populo, traditur ab Episcopo codex diuinarum lectionum, & dicitur, Accipe & esto verbi Dei relator: habiturus si fideliter impleueris officium, partem cum his qui benè verbum Dei ministrauerunt. Qui ad hunc gradum prouehitur, literarum scientia debet esse instructus, vt sensum verborum intelligat, vim accentuum sciat, distinctè legat: ne confusione prolationis intellectum auditoribus auferat. Attendat quid indicatiuè, quid interrogatiuè sit legendum, vbi sit in oratione facienda distinctio. Hæc enim malè seruata, intellectum turbant & alios ad risum prouocant. Auribus & cordi consulere debet vox lectoris. Hoc officium impleuit Christus, cum in medio seniorum librum Isaiæ aperiens, distinctè ad intelligendum legit, Spiritus Domini super me, &c. Ex quo lectoribus datur intelligi, quia gratia spirituali clarere debent, qui aliis verbum Dei annuntiant. Hic ordo formam & initium à Prophetis accepisse videtur: quibus dicitur, Clama, ne cesses: quasi tuba exalta vocem tuam.

D Isid.21. dist. cap. Cleros.

Idem dist.25. c. Perlectis.

Isaiæ.61. Luc.4.

Isaiæ 58.

ARTICVLVS XIX.

An ordo lectoratus sit benè ordinatus inter ordines?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Secundus gradus est lectorum, &c.] Et quæruntur tria, scilicet de ordine istius ad præcedentem, & ad sequentes non sacros ordines. Secundo de differentia ipsius ad psalmistatum. Et tertio de actu ipsius proprio. Alia enim, scilicet vtrum imprimat characterem? & de forma, ex præcedenti habita sunt: quia idem modus disputandi est vtrobique.

Ad primum sic proceditur: Inter quatuor ordines non sacros sunt duo remouentes à malo, scilicet ostiariorum, & exorcistarum: & duo ordinantes in bonum, scilicet lectorum, & acolythorum: sed habentia symbolum conuenientius coniunguntur: ergo videtur, quòd exorcistæ immediatè præordinari deberent ianitoribus.

2 Adhuc, In via iustitiæ prius est declinare à malo, quam facere bonum: sed exorcistæ sunt per modum declinationis à malo, lectores autem ad facere bonum: ergo exorcistæ sunt ante lectores: non ergo lectores habent secundum gradum.

3 Adhuc, Boetius dicit, quòd prius sunt extirpanda vitia, quam inserendæ virtutes: sed exorcistæ extirpant vitia, & lectores inserunt virtutes: ergo videtur, quòd exorcistæ sint ante lectores.

IN CONTRARIVM huius est, quòd malum volunratis non deseritur nisi cognitum: ergo cognoscere malum, est ante deserere ipsum: lectorum autem officium est ad mali cognitionem, & exorcistarum ad mali desertionem: ergo lectorum gradus est ante gradum exorcistarum,

Sed contra.

QVOD CONCEDENDVM est. Dicendum ergo ad primum, quòd ordines ordinantur hîc secundum quod generantur actus ipsorum in percipientibus sacramenta. Vnde primum in illis est præparatio & custodia loci sanctificati, & deinde totum aliud est in præparatione communicantium sacramentis & confectione sacramentorum. Sicut autem dicit Aristo: in vltimo cap.10.ethic. Admonitio est primum per verba disponens ad virtutem & ad bonum, licet coactiuam virtutem non habeat. Et ideo inter gradus est primus, & ideo secundus inter omnes: & non ordinantur secundum quod

Solutio.

conueniunt in generali quodam, ſcilicet quod eſt eſſe à malo, & eſſe ad bonum.

AD ALIVD dicendum, quòd in via iuſtitiæ etiam id quod eſt à malo, præcedit perſuaſio & oſtenſio mali quod pertinet ad officium lectoris. Vnde licet lectio ingerat bonum intellectus, & ideo dicatur eſſe in ordine ad bonum, ſicut patet in diuiſione ordinum ſupra aſſignata: tamen ad continuationem lectorum, id eſt, eorum quæ leguntur, præcedit & ordinem à malo & ordinem ad bonum, ſicut probat vltima obiectio. Et per hoc patet ſolutio ad vltimum.

ARTICVLVS XX.

De differentia lectoratus ad pſalmiſtatum?

SEcundo quæritur de differentia iſtius ad pſalmiſtatum, quem tangit in litera. Videtur autem, quòd in nullo differant: quia ſicut dicit in litera, lectorum officium eſt prophetias legere in Eccleſia: & pſalmi ſunt pars erophetiæ nobilior: ergo videtur, quòd non differant niſi per materiam: quia lectores vnam partem prophetiæ pronuntiant, & pſalmiſtæ aliam & nobiliorem: ergo aut pſalmiſtatus eſt ordo, aut pars ordinis lectorum.

2 Adhuc, Si fiat vis in ſanctitate lectionis ſiue in difficultate eorum quæ legutur, pſalmi in tanta excellentia ſunt, in quanta aliæ prophetiæ ſunt: ergo ſicut exigitur ordo ad legendas alias prophetias, ita exigitur ad legendos pſalmos: ex quo ſequitur idem quod prius.

3 Adhuc, Ad illa principaliter exigitur ordo, quæ magis frequentant miniſtri Eccleſiæ: pſalmos autem plus omnibus aliis prophetiis frequentant: ergo ſpecialis ordo exigitur ad eos.

4 Adhuc, Gregorius ſuper Ezech. ſuper illud verbum Pſal. 49. Illic iter quo oſtendam illi ſalutare Dei: dicit, quòd in pſalmorum cantu, aut datur ſpiritus compunctionis, aut ſpiritus propetiæ, ſi cum attentione & deuotione fiat: ſed non fit ita in aliis prophetiis: ergo pſalmi etiam maioris auctoriratis ſunt & maioris ſanctitatis & vtilitatis, quam cæteræ prophetiæ: ergo ordo debet eſſe ad eos ſicut ad alias prophetias legendas, vel erit pars ordinis lectorum.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius eſt, quòd cantus pſalmorum eſt deprecatio & oratio quædam: hæc autem à nullo prohibenda ſunt: & quod à nullo prohibetur, non habet ordinem, cum ordo ſit diſtinctarum perſonarum: ergo ad pſalmos legendos ordo eſſe non debet.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd pſalmiſtatus non eſt ordo, ſed officium totius chori. Chorus autem totus eſt conuentus fidelium reſpondentium præcinentibus quibuſdam in laude Dei: & ideo officium eſt communitatis & totius corporis Eccleſiæ in deuotione Deo ſeruientis, & non officium miniſtrorum vt miniſtri ſunt. Et quod indicuntur eis horæ & pſalmi, hoc fit pro perficiẽdo eos in merito ſanctitatis, ſicut perfecti ſunt in poteſtate ordinis.

AD ID ergo quod primo obiicitur, dicendum quòd prophetia vt eſt ſimpliciter lecta in Eccleſia, non habet ordinem ad ſe ordinatum, ſed vt eſt lecta cum explanatione: ſic enim habet ordinem dantem auctoritatem hoc faciendi, quia ad hoc indiget poteſtate & gratia Spiritus ſancti, vt in ſequenti patebit articulo.

AD ALIVD dicendum, quòd in neutro ſit vis, ſed tantum in auctoritate explanandi id quod legitur vel canitur de prophetiis.

AD ALIVD dicendum, quòd quædam frequentantur ad meriti cumulationem à miniſtris Eccleſiæ, & quædam ad fidelium communionem vt communicent ſacramentis. Et quæ primo modo frequentantur, non habent ordinem ſed liberum arbitrium gratia informatum, vt mereri poſſint. Sed quæ ſecundo modo frequentantur, neceſſario habent ordinem in quo confertur poteſtas talia frequentandi, ſecundum quod ſacramenta in principio huius quarti dicta ſunt eſſe ad exercitium.

AD VLTIMVM dicendum, quòd hoc non oſtendit neceſſiatem ordinis, ſed vim iſtarum orationum quæ in pſalmo dicuntur ad gratiam promerendam.

ARTICVLVS XXI.

Quis ſit actus ordinis lectoratus?

TErtio quæritur de actu iſtius ordinis. Videtur enim, quòd non ſit actus ordinis: quia vis accentuandi & proferendi diſtinctè, ſufficienter cauſatur ex ſcientia grammaticæ: ergo ad hoc non oportet eſſe ordinem vnum. Similiter poteſtas explanandi ſufficienter cauſatur ex ſcientia theologiæ: & ſic iterum ad hoc non oportet eſſe ordinem: ergo ex actu iſtius ordinis oſtenditur, quòd ordo iſte ſit ſuperfluus.

2 Adhuc, Multos videmus qui habent ordinem, & tamen iſta facere non poſſunt quæ dicuntur in litera. Cum igitur omnis ille qui habet perfectam poteſtatem ad aliquid faciendum, poteſt facere illud quandocunque voluerit, videtur quòd illi non habeant poteſtatem perfectam: ergo nec ordinem: quia ordo confert poteſtatem perfectam.

3 Adhuc, Duo actus hîc tanguntur in litera, ſcilicet diſtinctè pronuntiare, & prædicare, quę ſunt diuerſarum facultatum, ſcilicet grammaticæ & theologiæ: ergo videtur, quòd non debeant reduci in vnam poteſtatem immediatam: ergo nec ad vnum ordinem, quia vnus ordo eſt vnica poteſtas ad actum aliquem miniſtrorum, ſicut ſæpius patuit ex ante dictis.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd poteſtas iſtius ordinis eſt legere prophetias cum auctoritate explanandi eas populo. Et ratio huius colligitur ex litera in duobus locis, ſcilicet in forma huius orationis, quam dicit Epiſcopus, quando traducendo poteſtatem & imprimendo characterem dat librum dicens, Eſto verbi Dei relator,

relator, habiturus si fideliter impleueris officiũ tuum, partem cum his qui verbum Dei bene ministrauerunt, &c. non enim tales aliqui dicuntur in Ecclesia nisi prædicatores sermonũ Dei. Secundum est, quòd Dominus quando exhibuit actum huius ordinis, non solum legit planè & apertè, sed explanauit statim populo. Ex tertio etiam colligi potest, scilicet quod dicit à Prophetis exortum ordinem, cum dixerunt, Clama, ne cesses: illi enim prophetias populo prædicauerunt ad ædificationem. Et hæc tria argumenta valent pro confirmatione intentionis nostræ.

DICENDVM ergo ad primum, quòd ad legere non datur ordo vel ad explanare, sed ad auctoritatem legendi & explanandi: & tamen ista falsa est, quòd facultas explanandi prophetias sufficienter habeatur à theologia: licet enim facultas accentuandi sufficienter habeatur à grammatica, non tamen ita habetur sufficientia explanandi à theologia: quia non est ex ratione quod ibi docetur, sed ex gratia: vnde oportet esse ordinem conferentem & gratiam & auctoritatem.

AD ALIVD dicendum, quòd in veritate nisi necessitas vrgeat Ecclesiam aliquam, nullus non literatus sufficienter hunc ordinem suscipere debet. Vnde in litera dicit, quòd ad hunc ordinem scientia exigitur literarum. Si tamen est necessitas: tunc potest conferri potestas, & expectari actus ad tempus, sicut fit modo, quia satis pueris confertur ordo iste.

AD ALIVD dicendum, quòd ambo actus consequuntur se: quia primus est quasi acceptatio materiæ & thematis, vt populus sciat fontem prædicationis esse Scripturam sacram: sed perfectio officij consistit in secundo, & ibi est vltimum ordinis istius. Ad id quod contra obiicitur, dicendum quòd quantum est de voce & significatis, referuntur ad diuersarum facultatum habitus. Sed hîc non ita sumitur: imo pronuntiatio refertur ad res pronũtiatas, & res pronuntiatæ continentur sub ordinis potestate & gratia quæ in ordine confertur: quia, sicut prius dictum est, nec scientia nec facultas rationis, sed potius ex potestate ordinis & gratia. Et secundum hoc ad vnam reducuntur potestatem & facultatem.

De exorcistis.

TERTIVS est ordo exorcistarum. Exorcistæ autem ex græco in latinum adiurantes vel increpantes vocantur. Inuocant enim super cathecumenos, & super eos qui habent spiritum immundum, nomen Domini: adiurantes per eum, vt egrediatur ab eis. Ad exorcistam pertinet exorcismos memoriter retinere, manusque super energumenos & cathecumenos in exorcizando imponere. Debet autem habere spiritum mundum, qui spiritibus immundis imperat: & malignum expellere de corde suo, quem expellit de corpore alieno: ne medicina quam alij facit, sibi non prosit, & dicatur ei, Medice cura teipsum. Hi cum ordinantur, accipiunt de manu Episcopi librum exorcismorum: & dicitur eis, Accipite & habetote potestatem imponendi manus super energumenos vel cathecumenos. Hoc officio vsus est Dominus, quando saliua sua tetigit aures & linguam surdi & muti, dicens, Effeta, quod est ad aperire: per hoc docens nos spiritualiter debere aperire aures præcordiorum hominum ad intelligendum, & ora ad confitendum: vt pulso dæmone, Spiritus sanctus vas suum recipiat. Hoc etiam officio vsus est Christus, cùm dæmoniacos multos sanauit. Hic ordo à Salomone videtur descendisse, qui quendam modum exorcizandi inuenit, quo dæmones adiurati ex obsessis corporibus pellebantur. Huic officio mancipati exorcistæ vocati sunt. De quibus Christus in Euangelio. Si ego in Beelzebub eiicio dæmonia, filij vestri, scilicet exorcistæ, in quo eiiciunt?

E Isid. dist. 21. cap. Cleros.

Dist. 15. cap. Perlectis.

Luc. 4. Dist. 13. c. Exorcista.

Marc. 7.

Matt. 8. Luc. 8. Dist. 21. c. Cleros.

Matt. 11. Luc. 11.

ARTICVLVS XXII.

Quis sit actus exorcistarum?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* Tertius est ordo exorcistarum, &c.] Et quæruntur de hoc ordine duo, scilicet de actu ad quem est, & vtrum in seipso omnes colligat præcedentes secundum naturam totius potestatiui?

Ad primum obiicitur, Exorcismi vim habent à verbis exorcismorum: ea ergo verba quicunque pronuntiet, semper vim suam consequuntur: ergo æqualiter valent pronuntiata ab ordinato, & non ordinato: ergo non exigitur ordo ad istum actum, vt videtur.

2 Adhuc, Salomon inuenit exorcismos: & constat, quòd effectum habuerunt: & tamen nullum habuit ordinem: ergo videtur, quòd non exigitur ad hoc ordo.

3 Adhuc, Actus sacramenti Noui Testamenti nunquam eundem habent effectum in Nouo & Veteri Testamento: sed iste actus habet eundem effectum in Nouo & Veteri Testamento, vt patet ex litera: ergo non videtur actus esse sacramenti Noui Testamenti.

4 Adhuc, Ad eundem effectum non est facultas mali spiritus & sacramenti Ecclesiæ: sed ad expellendos dæmones per exorcismos est facultas mali spiritus: ergo ad hoc non est sacramentum Ecclesiæ. Prima patet ex se. Secunda probatur per artem nigromantiæ: & sic constat propositum.

5 Adhuc, Exorcismi Salomonis qui habentur, omnes nigromantici sunt, sicut patet in lib. qui dicitur Alman Dei, qui inscribitur Salomoni regi Israël: ergo videtur, quòd actus illi à nigromantia principium habuerunt: ergo & actus tales non debent esse sacramenti Ecclesiæ.

Quæstiuncula. VLTERIVS quæritur de actibus in litera dictis: quia tres videtur ponere in litera, scilicet dæmones pellere, mutos & surdos miraculosè curare, & hominum ora ad confitendum & corda ad intelligendum aperire. Et videtur, quòd isti actus non sunt reducibiles in potestatem vnam: quia pulsio dæmonum est exorcismorum, & curatio infirmorum est gratiæ miraculorum, & apertio orum ad intelligendum est doctrinæ prædicatorum vel magistrorum: ergo videtur, quòd non debeant assignari vni ordini sacro.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd potestas exorcistarum est pellere vel diminuere vim dæmonis in fomite impedientis sacramentorum perceptionem: & alia, scilicet liberationem dæmoniacorum, & curationem infirmorum, habet adiuncta, quando expedit, & non semper.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd exorcismi non habent totam vim à verbis, imo exigunt proprium agentem & ministrum, prout sunt ad talem actum qui dictus est: sicut & confectio Eucharistiæ non totum habet à forma, sed etiam quærit agentem proprium, quia non sacerdos hoc agere non posset.

AD ALIVD dicendum, quòd Salomon inuenit exorcismos imperfectæ curationis, sicut Veteri Testamento competebant. Et puto, quòd non valuerunt nisi ad curationem corporum: isti autem valent ad animas: & si ad corpora referuntur, tunc hoc fit inquantum infirmitas corporis pendet ex mente: & si valet curatio infirmitatis corporis ad mentis curationem, tunc quandoque valet etiam ad corpus. Et licet Salomon inuenerit, tamen ipse non fuit proprius agens, sed Leuitæ: sicut etiam Dauid inuenit Psalmos, & tamen Leuitis committebantur cantandi.

AD ALIVD dicendum, quòd non habuit ita plenum effectum in Veteri Testamento, sicut dictum est: quia in Nouo Testamento debilitat vim eius in fomite qui impedit sacramentorum perceptionem, in Veteri autem Testamento non valuit nisi in corpore.

AD ALIVD dicendum, quòd absit hoc, quòd facultas mali spiritus sit ad hoc: sed, sicut dicitur in vita beati Bartholomæi, quandoque nocent dæmones, & videntur curare quando cessant à læsione: & ita operatur nigromantia, quia vnus dæmon lædit, & alter arcet lædentem vel facit cessare à læsione: sed sacramentum operatur per gratiam contrariam omnibus dæmonum operationibus.

AD ALIVD dicendum, quòd falsa inscriptio est: quia non creditur, quòd Salomon fecerit: sed si fecit, absque dubio tunc fecit, quando idola coluit, & femora mulieribus inclinauit.

AD VLTIMVM dicendum, quòd illi tres actus ad vnum referuntur, scilicet pellere vim dæmonis inquantum est impeditiua perceptionis sacramentorum: cum enim operatur in corpore siue obsesso siue surdo siue muto vel alias infirmo, non operatur circa hoc nisi prout à dæmone curatur per corpus impediente mentem: & vltimum istius ordinis & virtus eius est aperire intellectum & os ad confitendum, sed aperire remouendo virtutem dæmonis claudentis: sed lector aperit ingerendo habitum illuminatiuum ad actum. Et hoc diuerso modo nihil prohibet diuersos ordines esse ad idem. Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICVLVS XIII.

An ordo exorcistarum colligat duos præcedentes secundum naturam totius potestatiui?

SEcundo quæritur, Vtrum colligat iste ordo duos præcedentes secundum naturam totius potestatiui? Videtur autem, quòd non; quia ea quæ sunt eiusdem potestatis, ordinem habent, ita quòd præcedens necessariò supponitur in potestate sequentis, sicut in sensibili supponitur vegetabile vt trigonum in tetragono: sed non necessario supponitur in operatione exorcismorum operatio lectorum: ergo videtur, quòd non vniat in se præcedentium actus ordinum.

2 Adhuc, In toto potestatiuo sequens nullo modo est sine præcedenti: sed exorcistatus

potest

poteſt eſſe ſine lectoraru, ſicut patet in facientibus ſaltum : ergo videtur, quòd non vniat in ſe præcedentes ordines. Probatio mediæ: ſi aliquis facit ſaltum, habet quidem ordinem ſequentem, licet non habeat executionem; ergo conſtat propoſitum.

Solutio. RESPONSIO. Ad hoc dicendum, quòd iſte ordo vnit in ſe præcedentes, & characteres præcedentium vniuntur in ſuo charactere, cum character ſit habitus ſecundum ſubſtantiam, & accidat ſi aliquid ratione cuius diſtinguat, habitus præcedentium actuum vniuntur in habitu iſtius, ſicut illi qui ordinati ſunt ad finem vnum: & tamen manent facultates ad actus ſingulorum, ſicut fit in omni toto poteſtatiuo: hoc enim habet partes diuiſim relatas ad actus, & vnitas in poteſtate vltimi actus, qui eſt à poteſtate perfecta.

DICENDVM ergo ad primum, quòd in partibus animæ vnio eſt per naturam. Hæc autem vnio per Eccleſiæ & Chriſti inſtitutionem perficitur. Cuicunque enim conceditur arcere dæmones, in illo præſupponitur poteſtas oſtiariorum & lectorum, quia ſunt inferiorum actuum ad dæmonum expulſionem ordinatorum poteſtates: & cum vnio minor eſt quam naturæ, tamen talis eſt quæ ſufficit officiis Eccleſiæ.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc modo in ſequenti ſupponitur præcedens, ſcilicet quia eſt ad idem ordinatum, licet ſit gradus inferioris officij præcedens: & ideo faciens ſaltum cum habet characterem, non habet tamen executionem, quia oportet poteſtatem inferioris concurrere. Et eſt ſimile ſicut ſi ſenſibile non haberet vegetabile, non poſſet agere, quia omnis actus ſenſibilis in vegetabili fundatur.

De acolythis.

QVARTO loco ſuccedunt acolythi. Acolythi vero Græcè, Latinè ceroferarij dicuntur, à deportandis cereis quando legendum eſt Euangelium vel ſacrificium offerendum. Tunc enim accenduntur luminaria, & deportantur ab eis: non ad effugandas aëris tenebras, cum ſol eo tempore rutilet, ſed ad ſignum lætitiæ demonſtrandum: vt ſub typo luminis corporalis, illa lux oſtendatur de qua legitur, Erat lux vera quæ illuminat omnem hominem venientem in hunc mundum. Ad acolythum pertinet præparatio luminarium in ſacrario. Ipſe cereum portat, ipſe vrceolum cum vino & aqua ſuggeſta pro Euchariſtia ſubdiaconis præparat. Hi cum ordinantur, cum edocti fuerint ab Epiſcopo qualiter in officio ſuo agere debeant, ab archidiacono accipiunt candelabrum cum cereo, & vrceolum vacuum. Hoc officium Dominus ſe habere teſtatur dicens, Ego ſum lux mundi: qui ſequitur me, non ambulat in tenebris. Huius officij formam illi gerebant in Veteri Teſtamento, qui lucernas candelabri componebant, & accendebant igne cæleſti, ad illuminandas tenebras aquilonares.

F Iſidor. ibidem diſt. 21. cap. Cleros.

Ioan. 1.

Diſt. 25. cap. Perletis.

Ioan. 8.

Exo. 27. Leu. 6. & Exod. vltim.

ARTICVLVS XXIV.

An acolythatus ſit ordo?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Quarto loco ſuccedunt acolythi.] Et quæruntur hic duo, ſcilicet vtrum acolythatus ſit ordo? Et ſecundo, quando imprimitur eis character?

Ad primum obiicitur ſic: Ad actum corporalem non exigitur ordo aliquis: ferre candelas & cereos, eſt actus corporalis: ergo ad hoc non exigitur ordo aliquis.

2 Adhuc, Præparatio luminarium in ſanctuario eſt ædituorum & cuſtodum, qui ſupra oſtiarij dicti ſunt: ergo videtur, quòd ad hoc non inſtituendus ſit ſpecialis ordo.

3 Adhuc, Liber ſanctior eſt quam candelabrum: & ad præparationem libri & portationem non exigitur ordo aliquis: ergo nec ad præparationem candelabrorum & candelarum.

4 Adhuc, Si ordo eſt ad hunc actum qui eſt præparare & portare cereos & candelabra, videtur quòd ille ſit multo inferioris gradus, quam lectorum ordo vel exorciſtarum. Cùm igitur hic ordinentur ordines ſecundùm quod ſunt remotiores ab vltimo qui eſt ſacerdotium, videtur, quòd iſte debet eſſe ſecundus vel primus & non quartus.

5 Adhuc, Qualiter eſt verum diuiſim, quòd præexigantur ad eius actum tres præcedentes, cum nos videamus, quòd candelas ferre poteſt æquè doctus & indoctus: & ad lectoris officium pertinet eſſe doctum?

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd ſecundum meum iudicium ferre candelas non eſt actus huius ordinis, niſi ſicut ſignum oſtendit illud

illud cuius est signum : sed actus eius est igneo eloquio & exemplo operari ad accensionem affectus. Et per hoc patet solutio ad primum & secundum.

Ad tertivm autem dicendum, quòd lectorum ordo magis est ad hoc quod datur eis liber : intellectus enim perfectio magis est per scientiam, & affectus perfectio est per gratiam exemplorum non verborum : vnde videtur istius ordo continuatio esse ad sacros ordines, qui operantur supra materiam corporis Christi.

Ad sequens patet solutio per antecedēs.

Ad vltimvm dicendum, quòd patet hoc modo intelligendo vt dictum est : quia tunc altissimum est inter quatuor officia. Et quòd ita sit, patet per hoc quòd dicit Magister in illo loco, Non ad effugandas aëris tenebras, cum sol eo tempore rutilet, sed, &c. Item per illud quod dicit, quòd Christus hunc ordinem exhibuit cum dixit, Ego sum lux mundi.

ARTICVLVS XXV.

Quando acolythis imprimitur character?

Secundo quæritur, Quando imprimitur character in ordine isto? Duo enim hic dicuntur, scilicet quod cereum portat, & ipse vrceolum portat cum vino & aqua suggesta pro Eucharistia. Constat autem, quòd vicinius est Eucharistiæ opus quod habet cum portat vrceolum cum aqua, quam portatio cereorum: sed in digniori parte imprimitur facilitas ad operandum : ergo videtur, quòd character tunc imprimitur cum vrceolus ille sibi datur.

In contrarium huius est, quòd à portatione cereorum denominatur : ergo videtur, quòd quando candelabrum accipit, tunc character sibi imprimatur. *Sed contra.*

2 Adhuc, Ab Episcopo accipiendo candelabrum primo edocetur qualiter in officio ministrare debet : & tunc ab archidiacono accipit vrceolum : constat autem quòd archidiaconus non dat ordinem, sed Episcopus: ergo videtur, quòd det eis ordinem in hoc quod dat eis candelabrum, & non actum vrceoli.

Responsio. Dicendum, quòd mihi videtur, quòd imprimatur character cum datur candelabrum cum instructione significationis ad fugandas tenebras aquilonares, id est, diaboli : sic enim respondet ei figura in Veteri Testamento, vt patet in litera : & sic ordinem exhibuit Christus. Quod autem archidiaconus facit, hoc est ad excellentiam ordinis denotandam, vt ostendatur continuatio in isto esse ad ordines sacros. *Solutio.*

Ad obiectvm ergo dicendum, quòd opus vrceoli non est opus in ordinibus nisi accidentale & populare, præter quam quando datur subdiacono : & ideo non est nisi acolythi ministrare cum vrceolo diacono immediatè : sed potius præuidere ne sit impedimentum ex parte populi offerentis quin in sacrario sit materia parata de qua conficiatur Eucharistia: sed opus diuinum quod facit circa sacramēta, est pellere tenebras spirituales lumine verbi & exempli: ipse enim quasi argumentum est probationis eius quod dicit ad eloquium diuinum. Et per hoc patet solutio ad totum.

De Subdiaconis.

G Dist. 21. cap. Cleros.

Qvintvs est ordo subdiaconorum. Græcè hipodiacones vocantur, quos nos subdiacones dicimus. Qui ideò sic appellantur, quia subiacent præceptis & officiis Leuitarum. Oblationes enim in templo à fidelibus suscipiunt, & Leuitis superponendas altaribus deferunt. Hi apud Hebræos nathinnei vocabantur, id est, in humilitate Domino seruientes. Ad subdiaconum pertinet calicem & patenam ad altare Christi deferre, & Leuitis tradere, eisque ministrare. Dist. 25. c. Perlectis. Vrceolum quoque & aquamanile & manutergium tenere : Episcopo & Presbyteris & Leuitis, pro lauandis ante altare manibus aquam præbere. Hugo lib. 1. parte 3. c. 9. Isaiæ. 52. His lex continentiæ imponitur : quia altari propinquantes, vasa corporis & sanguinis Christi portant. Vnde illud implere debent, Mundamini qui fertis vasa Domini. Ad hos etiam pertinet tantum de oblationibus ponere in altari, quantum sufficere possit populo : necnon corporales & pallas & subsstratoria lauare. Hi cum ordinantur, accipiunt de manu Episcopi patenam & calicem vacuum. Ab archidiacono vero vrceolum cum aquamanili & manutergium. Ioan. 13. Hoc officio vsus est Dominus quando linteo se præcinxit, & mittens aquam in peluim, pedes discipulorum lauit & linteo tersit.

ARTICV

ARTICVLVS XXVI.

Quis sit actus diaconi ad quem imprimitur character?

DEinde quæritur de hoc quod dicitur *ibi* [Quintus ordo subdiaconorum, &c.] Quęruntur hic tria, scilicet, quid sit actus subdiaconi verus, ad quem imprimitur character? Secundò, Vtrum excellit quatuor antecedentes? Tertiò, Quare quidam ordines dicuntur sacri, quidam autem non sacri?

Ad primum obiicitur sic: Subdiaconus subiicitur diacono: ergo inferiorem habet actum pro actu: sed Nouum Testamentum datur legendum diacono, vt dicitur in sequenti capitulo: ergo Vetus datur legendum subdiacono: sed hoc idem datur lectori: ergo videtur, quòd vnius & idem sit actus lectoris & subdiaconi.

2 Adhuc, In litera dicit, quòd calicem & patenam debent ad altare deferre & Leuitis tradere: hoc autem minus est quam lectiones diuinas exponere: ergo videtur, quòd nobilior actus sit, quòd legant epistolas & prophetias: sed ordo sicut & quodlibet aliud diffinitur ad vltimum actum: ergo diffinitur ad legendum: & inde vt prius.

3 Adhuc, Magis est ministrare Episcopo & presbyteris, quam diacono: sed in vrceolo & manutergio & manili seruit Episcopo, & presbyteris, in calice & patena diacono tantum: ergo videtur, quòd magis excellentis potestatis indicium sit, quòd suscipit manile & manutergium, quam quod suscipiat calicem: sed in potestate excellentiori datur character: ergo videtur, quòd character ei impremitur quando suscipit manile & manutergium.

4 Adhuc, Ille est actus ad quem character imprimitur, quem exhibuit Christus ordinem hunc præfigurando: sed actum ablutionis in manili & manutergio exhibuit Christus ordinem istium præfigurando: ergo ad illum imprimitur character istius ordinis. Prima patet per hoc quod hic ordo sicut nec aliud sacramentum, vim aliquam habuit nisi ab institutione diuina. Secunda autem scribitur in litera in fine huius capituli.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius obiicitur: quia tanto est excellentior actus in ordinibus, quãtò est actui sacerdotis qui est conficere corpus Christi, vicinior: sed præparare calicem & hostias super altare proportionare numero sumentium, præ omnibus est actui sacerdotis qui est conficere Christi corpus, vicinior: ergo videtur, quod ille actus sit excellentior: sed ad excellentiorem imprimitur character: ergo character huius ordinis tunc imprimitur, cum calicem à manu Episcopi suscipit cum verbis ad hoc pertinentibus.

Solutio. RESPONSIO. Quod hic vltimo probatum est, videtur mihi concedendum esse.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd subdiaconus dicitur, eò quod ministrat diacono in actu principali qui est, quòd diaconus ministrat super altare sacerdoti materiam corporis Christi, sicut patuit in diuisione ordinum supra posita.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc multo magis est quam lectiones legere: quia hoc est ministrare ad corpus Christi verum, aliud autem ad mysticum tantum: & tamen lectio subdiaconi altior est quam lectoris, sicut explanatio Euangelij quæ est in epistolis, maior est explanatione legis quæ est in prophetiis.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc verum est inquantum Episcopus est: sed non facit sibi hoc ministerium nisi in communi prout exigitur munditia quædam lucere in omnibus ministris. Vnde in eodem ministerio seruit etiam Leuitis, vt dicit in litera. Vnde actus illius ministri non fit Episcopo vt Episcopus est, vel presbytero vt presbyter est: sed hoc est cõmune ministerium seruientium iuxta altare, & hoc est adiunctum diacono qui inter ministros inferiores magis ad sancta potest accedere.

AD ALIVD dicendum, quòd Christus vtrumque in cœna exhibuit: necessarium enim fuit vasa parare in quibus corpus & sanguinem illum conficeret: vnde etiam dixit, Accipite, hic calix Noui Testamenti est: sed Magister hîc ex posteriori actu priorem demonstrat esse suppositum: quia nemo dubitat si inferiorem & adiunctum actum qui humilitatis est fecit Christus per seipsum, quin etiam per seipsum fecit actum excellentiorem qui vicinior est sacramento Eucharistiæ.

ARTICVLVS XXVII.

An ordo subdiaconatus præcellat quatuor alios ordines?

SEcundo quæritur, Vtrum iste ordo excellat quatuor antecedentes ordines? Et videtur, quòd non: quia sicut dicit Aristot. in 10. eth. Operatio intellectus dignior est omni operatione hominis: sed lectoris actus circa operationẽ intellectus est, & subdiaconi circa vasa quædam irrationalia & inanimata: ergo videtur, quòd operatio lectoris dignior sit, quam operatio subdiaconorum: sed sicut se habet operatio ad operationem, sic se habet ordo ad ordinem: ergo ordo lectorum dignior est, quam ordo subdiaconorum.

2 Adhuc, Arcere dæmones potestatis est supermundanæ, sed præparare vasa Ecclesiæ est operatio mundana: sed supermundana operatio est dignior quam mundana siue humana: ergo videtur, quòd operatio exorcistarum sit dignior operatione subdiaconorum: ergo vt prius.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est, quòd subdiaconus intrat ad sancta, ad quæ non licet accedere inferioris ordinis gradibus: sed qui sanctis est vicinior, est dignior: ergo ordo subdiaconorum dignior est omnibus inferioribus ordinibus.

2 Adhuc, Ordo qui in sua operatione vicinior est primo actui sacerdotum, est nobilior: sed inter omnes plus appropinquat in operatione subdiaconus præter diaconum solum: ergo ipse ordo dignior est præter ordinem diaconatus.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd duabus

vltimis rationibus consentiendum est.

Ad primvm ergo dicendum est, quòd licet sit circa vasa irrationalia & inanimata, non tamen est circa ea prout huiusmodi sunt, sed potius prout referuntur ad continentiam corporis Christi, quod dignius est quam totus mundus etiamsi millies multiplicaretur mudus. Ad dictum autem Philosophi dicendum, quòd intelligitur de operationibus hominis inquantum homo est: sed istæ operationes quæ sunt ministrorum in sacramentis, sunt diuinæ potius quam humanæ.

Ad alivd dicendum, quòd arcere dæmones nullo modo est ita dignum sicut operari circa vasa corporis Domini prout sunt contentiua corporis Christi: & licet illa sit supermũdana potestas, tamẽ ista est etiã supermũdana, quia à Deo datur homini potestas ista.

ARTICVLVS XXVIII.

Quare isti tres ordines dicuntur sacri?

Tertio quæritur de ordinibus sacris, quare tres isti dicuntur, sacri? Et obiicitur sic: Omnis operatio sacra est, quæ est circa sacra: sed omnis operatio ordinis est circa sacra: ergo omnis ordo est sacer.

2 Adhuc, Operatio dupliciter dicitur sacra, scilicet à sanctitate operantis, sicut actus meritorius sanctus est: vel à sanctitate materiæ circa quam est. Et constat, quòd primo modo non dicitur ordo sacer: quia multi non habentes ordines, habent taliter sacras operationes. Si autem secundo dicitur ordo sacer: tunc sequitur vt prius, quòd omnis ordo est sacer.

Responsio. Dicendum, quòd sacri dicuntur isti ordines propter sanctitatem quæ indicitur ministrantibus in eis: oportet enim habere votum continentiæ vel simpliciter vel secundum tempus. Simpliciter vt in Occidentali Ecclesia, quia non dantur isti vltimi tres ordines nisi vouentibus & seruantibus castitatem perfectam. Secundum tempus autem in primitiua Ecclesia, & in Ecclesia Orientali si qui in matrimonio ordinem suscipiunt, permanent in matrimonio: sed tamen quandiu ministrant, separantur ab vxoribus: & iterum illa mortua aliam ducere non possunt. Et per hoc patet solutio ad ambo obiecta. Solutio.

De diaconis.

Hugo lib. 2. parte 3. c. 16.

Diaconorvm ordo sextum tenet locum, propter senarij perfectionem. Hic ordo in Veteri Testamento à tribu Leui nomen accepit vel traxit. Dicuntur enim & leuitæ. Præcepit quippe Dominus Moysi, vt post ordi-

Num. 3. Leuit. 8.

nationem Aaron & filiorum eius, prorsus tribus Leui ad diuini cultus ministeria ordinaretur & consecraretur Domino: & ser-

Num. 4. uirent pro Israël coram Aaron & filiis eius in tabernaculo. Ipsique gestarent arcam & tabernaculum, & omnia vasa eius: & in circuitu tabernaculi excubarent, & in transportando tabernaculo ipsi deponerent, rursumque componerent. A vigintiquinque annis & supra iussi

Num. 18.

sunt seruire in tabernaculo: quam regulam in Nouo Testamento sancti Patres constituerunt, quia hæc ætas ad ferenda onera est robusta. Leuitæ ergo ex nomine Auctoris vocati sunt. De Leui enim

Isid. 7. etym. Dist. 21. c. Cleros.

leuitæ exorti sunt, à quibus in templo mystici sacramenti mysteria explebantur. Hi Græcè diacones, Latinè ministri dicuntur: quia sicut in sacerdote consecratio, ita & in diacono ministerij dispensatio ha-

Dist. 25. c. Perlectis.

betur. Ad diaconum pertinet assistere sacerdotibus, & ministrare in omnibus quæ aguntur in sacramentis Christi, scilicet in baptismo, in chrismate, in patena, & calice: oblationes quoque inferre, & disponere in altari. Componere etiam mensam Domini & vestire, crucem ferre, & prædicare Euangelium & epistolam ad populum. Nam sicut lectoribus Vetus Testamentum, ita diaconibus Nouum prædicare præceptum est. Ad ipsum etiam pertinet officium precum,

Num. 4.

& recitatio cathecumenorum nominum. Ipse præmonet aures habere ad Dominum, ipse donat pacem, & ipse annuntiat. Quod autem huic ordini à Moyse statutum est, hoc etiam in Nouo Testamento

repræsen

repræsentatur, cum diacono super læuum humerum stola ponitur, & casula in diebus ieiunij complicatur: quia quicquid laboris & sustinentiæ in hac vita toleratur, quasi in læua portatur, donec in dextera, id est, in æternitate, requies habeatur. Hic ordo ab Apostolis celebratus est, quando (vt legitur in actibus Apostolorum) septem viros plenos Spiritu sancto ad hoc officium elegerunt, & oratione præmissa manus eis imposuerunt. Vnde & consuetudo inoleuit, vt in omni matrice Ecclesia septem diacones circa Christi aram, quasi septem columnæ assistant. Hi sunt septem Angeli tuba canentes in Apocalypsi, qui quales esse debeant, Apostolus docet Timotheo scribens. Hi cum ordinantur, solus Episcopus eis manum imponit: quia ad ministerium applicantur. Ponit eis orarium, id est, stolam, super læuum humerum, vt per hoc intelligant se accepisse iugum Domini suaue, quo ad sinistram pertinentia, diuino timori subiiciant. Accipiunt & textum Euangelij, vt intelligant se esse præcones Euangilij Christi. Hi autem antequam ordinentur, probentur vt docet Apostolus: & sic ministrent, nullum crimen habentes. Hoc officio vsus est Christus, quando post cœnam sacramentum carnis & sanguinis discipulis dispensauit, & quando Apostolos dormientes ad orationem excitauit dicens: Vigilate & orate vt non intretis in tentationem.

Cant. 8. Actuū 6.

De consec. dist. 1.c.Episcopus.

Apoc. 7. 1.Tim.3.

Mat. 11.

1.Tim.3.

Mat. 26. Luc. 22.

ARTICVLVS XXIX.

Quis sit actus principalis ordinis diaconatus?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Diaconorum ordo sextum tenet locum, &c.] Tria autem quæruntur de diaconibus, scilicet de actu principali huius ordinis. Secundo, Vtrum ille ordo vt alij præexigat alia sacramenta, vel sine his susci pi potest? Tertio quæritur de vestibus sacris huius ordinis & præcedentium.

Ad primum obiicitur per ea quæ dicuntur in litera, vbi dicit, Ad diaconum pertinet assistere sacerdotibus, &c. Ibi enim enumerat nouem ad diaconum pertinentia, scilicet, assistere sacerdotibus in ministrando in sacramentis. Secundo, oblationes fidelium inferre, & disponere in altari. Tertio, componere missam. Quarto, crucem ferre. Quinto, prædicare Euangelium & cæteras Scripturas. Sexto, frequentatio precum. Septimo, recitatio cathecumenorum. Octauo, quod præmonet aures habere ad Dominum. Et nono, quòd pacem donat, & annuntiat. Quæritur ergo, Quis istorum sit actus principalis? vnius enim potestatis est vnicus actus: & ordo diaconi est vna potestas tantum: ergo non habet nisi vnum actum.

Videtur autem, quòd ille sit prædicare Euangelium: quia prædicatio Euangelij fuit officium Christi: constat autem, quòd officium Christi fuit dignissimum & diuinissimum: ergo nullum actum etiam diaconus potest habere digniorem.

2 Adhuc, In litera dicit circa hunc actum, quia diaconibus conceditur prædicatio Noui Testamenti sicut lectoribus Veteris: sed Vetus & Nouum prædicare non differunt nisi per materiam: ergo ordo lectoris & diaconi non differunt nisi per materiam, quod falsum est.

3 Adhuc falsum videtur: quia etiam subdiaconis conceditur recitatio epistolarum Noui Testamenti: & cum recitant, quasi choro prædicant: vnde etiam chorus respondet eis cantando gradualia per quæ significatur profectus de virtute in virtutem, & tractus per quos significatur longanimitas in tribulatione præsentis vitæ, & alleluia per quod significatur gaudium in spe futurorum: & hoc est totum quod prædicatur. Per hoc etiam videtur, quòd non sit verum, quòd proprium sit diaconorum prædicare Nouum Testamentum.

4 Adhuc, Ministrare vestiendo mensam & crucem ferendo non videtur esse diaconorum, sed potius acolythorum: quia secundum vsum Ecclesiarum hoc videmus facere acolythos.

Solutio. REPONSIO. Ad hæc & similia dicendum, quòd actus summus & principalis diaconi est ministrare sacerdoti in consecratione corporis Christi immediatè super altare. Dat enim ei calicem cum hostia & vino, & osculando manum reportat patenam subdiacono, corporale componit, & super ipsum hostias consecrandas componit. Ipse etiam si necesse est, sacramentum ipsum iam confectum populo dispensat, vt patet vbi dicit, quòd hoc officio vsus est Dominus cum post cœnam corpus & sanguinem suum discipulis dispensauit. Ad hunc autem actum omnes alij referuntur: quòd enim sacerdoti ministrat, totum refertur ad compositionem hostiarum in altari. Quod autem populum præmonet dicendo, Flectamus genua, leuate, & huiusmodi. Quod pacem dat immediatè sumens eam à sacerdote, quòd recitat cathecumenos, quòd prædicat, &c. hoc

totum

totum ordinatur ad hoc, quòd dignè communicet de manibus eius Eucharistiam dispensantis. Vnde patet, quòd iste est actus primus.

Ad id ergo quod obiicitur, dicendũ quòd annuntiare Euangelium est actus dignissimus qui potest fieri circa corpus mysticum: & hoc modo operabatur Christus salutem nostram: sed digniorem habuit actum circa corpus suum verum, quando de pane & vino nobis sacramentum suiipsius effecit, & ad illum actum accedit diaconus ministrando in altari sacerdoti, vt dictum est.

Ad aliud dicendum, quòd sicut dicit Dionysius, ea quæ sunt inferiorum ordinum, superiores habent præpotenter & eminenter. Vnde prædicatio lectoris est secundum obscuram resonantiam Veteris Testamenti: sed subdiaconi clarior, & clarissima diaconi. Et hoc modo non potest sensibiliter distingui, nisi quòd vni Vetus, alij Epistolæ, & tertio Euangelium committitur: vt sciatur, quòd in plena claritate conuenit diacono, quod modo proportionato sibi conuenit lectori, & subdiacono. Et ideo hæc differentia non est materialis tantum, sed potestatis: sicut dico, quòd candela lucet; & sol, non differt materialiter tantum, scilicet per exile & eminens, sed secundum potestatem lucendi: & huius potestatis causæ sunt formæ diuersæ.

Ad aliud patet solutio per dicta: quia eminens modus proprius est diacono, & inferior subdiacono. Et si quis obiiciat, quòd magis & minus non diuersificat speciem: nihil est: quia dicit Aristot. quòd qui credunt, quòd id quod secundum magis & minus dicitur, sit vniuocum, non sufficienti crediderunt signo: quia magis & minus quandoque causantur à potestatibus diuersarum formarum magis & minus nobilium, & tunc non sunt vnius speciei: & ita est hic. Quandoque autem causantur per motum ad terminum ab eadem forma, & tunc sunt eiusdem speciei: & ita non est hic. Hoc autem etiam notatum est in secundo, quæstione, vtrum anima & Angelus differant specie?

Ad aliud patet solutio, quòd in festis magnis in celebratione Episcoporum diaconus portat crucem, præcipuè ante Archiepiscopum: & præparatio altaris hîc intelligitur compositio corporalis in altari: hoc enim non debet facere nisi diaconus. Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICVLVS XXX.

An tam diaconatus quam alij priores præexigant alia sacramenta?

Secundo quæritur, Vtrum tam iste quam alij præexigant alia sacramenta in suscipiente? Videtur autem, quod sic: quia essentialius coniungitur ordo ordini, quam aliis sacramentis: & ordo sequens potest suscipi non susceptis præcedentibus: ergo etiam potest suscipi non susceptis aliis sacramentis.

2 Adhuc, Ponamus, quòd aliquis non sit baptizatus, tamen firmiter credat probabilibus signis, quòd sit baptizatus, & suscipiat diaconatum vel alium ordinem sacrum, & ministret: aut ipse perficit actum sacramenti, aut non? Si non perficit: tunc Ecclesia esset decepta. Sit enim talis sacerdos: tunc nec essent absolnti quos audiuit in confessione, nec esset verum corpus Christi quod conficit, & multa abominabilia sequerentur. Si autem conficit & perficit actum ordinis: cum actus non procedat nisi à potestate characteris, videtur quòd ipse characterem ordinis habere potest sine charactere baptismi, quod fere omnes negant. Si fortè dicas, quòd talis baptizatus reputatur ab Ecclesia. Contra: Constat, quòd characterem baptismi non habet, licet fortè habeat gratiam & effectum quendam baptismi: ergo sine charactere baptismi potest haberi character ordinis: & hoc proposuimus ostendere.

In contrarium huius est, quòd character baptismi fundamentum est aliorum sacramentorum & characterum: & sine fundamento nihil stabile ædificatur: ergo ipse sine charactere baptismi nullum recipit ordinem. Adhuc, Contingat quòd talis sciatur non esse baptizatus, vel per reuelationem, vel alio modo: constat, quòd ipse reordinabitur: non autem reordinaretur si prius habuisset characterem ordinis: ergo videtur, quòd prius characterem ordinis non habuit. Si fortè dicas, quòd habuit prius, tamen ignorauit, sed amisit cum sciuit: hoc ridiculum est, quòd character indelebilis per scientiam alicuius rei destruatur. *Sed contra.*

Responsio. Absque dubio dicendum, quòd non habens baptismа non percipit aliquem ordinem, sed sine aliis sacramentis percipere potest: quia licet actuale peccatum maius sit quam originale: non tamen ita exigitur pœnitentia vt baptismus, quia pœnitentia non est ianua sacramentorum & fundamentum per quod fundemur in Christo sicut baptismus. *Solutio.*

Ad primvm ergo quod obiicitur, dicendum quòd licet ordo ordini sit substantialior quoad formam sacramenti, tamen non ita habet ordinem ad ipsum fundamentum, quia actus habet diuersos: sed nullum actum habet ordo diuersum à fide: & ideo sacramentum fidei quod est baptismus, est fundamentum. Et est simile in sensibus etiam in natura: quia auditus similior est visui quantum ad formam sentiendi, quam tactus: & tamen sine auditu potest esse visus, sed nullo modo sine tactu, quia tactus non tam est sensus quam fundamentum sensuum.

Ad aliud dicendum sine præiudicio, quòd ille talis nullum habet ordinis characterem: tamen puto, quòd conficiat sacramenta, non in potestate sua, sed in potestate Ecclesiæ: & ideo reordinatur cum scitur per aliquem modum, quòd non fuit baptizatus: descendit enim tunc à virtute Spiritus sancti vegetantis Ecclesiam potestas in illum, ne Ecclesia decipiatur, & istum excusat ignorantia inuincibilis.

ARTI

ARTICVLVS XXXI.

An vestis sacra exigatur ad hoc vt fiat actus ordinis?

TErtio quæritur de vestibus sacris istius & aliorum ordinum: quia Magister primo in litera de illis facit mentionem. Quæritur autem, Vtrum vestis sacra exigatur ad hoc, quòd fiat actus ordinis, ita quòd sine veste fieri non possit? Et videtur, quod sic: quia illæ vestes sicut & ordines sunt à Domino institutæ, sicut patet Leuit. 9. sed nulla vis est in sacramentis ad conferendum effectum, nisi ab institutione diuina: ergo si prætermittatur quod à Deo institutum est, non erit sacramentum: sed vestes institutæ sunt: ergo si prætermittantur, non erit sacramentum.

2 Adhuc, In omnibus artibus sic est, quòd oportet artificem esse perfectum secundum habitum proprium illi operi quod facit, vel ipse non operatur secundum artem quæ est in ipso, benè, sed per accidens, & malè, sicut vetula sanat: ergo similiter debet etiam esse in sacrameatis: sed vestes vt dicit in litera, proprios ministrorum significant habitus, vt munditiam castitatis, & sic de aliis: ergo videtur, quòd si non sint in ministris vestes illæ, non vt ministri operentur: sed sacramentorum actus sunt ipsorum vt ministri sunt: ergo sine vestibus actus sacramentorum non perficiunt.

SOLVTIO. Ad hoc dicendum, quòd vestes sunt de bene esse, & non de esse ordinum. *Solutio.*

AD OBIECTA ergo duo quæ facta sunt, dicendum quòd duplex est habitus ministri, scilicet idoneitatis, & necessitatis. Idoneitatis habitus ostendunt vestes: sed necessitatis habitus est ordo qui datur illis: & ille solus similis est habitui artificum: sicut enim sine arte non operatur artifex artificiosè, ita sine ordine non operatur minister vt minister sacramentorum.

De presbyteris.

SEPTIMVS est ordo presbyterorum. Presbyter Græcè, senior interpretatur Latinè. Non modo pro ætate vel decrepita senectute, sed propter honorem & dignitatem quam acceperunt, presbyteri nominantur: qui morum prudentia & maturitate conuersationis, præcellere debent in populo. Vnde scriptum est, Senectus venerabilis est, non diuturna nec annorum numero computata. Cani enim sunt sensus hominis, & ætas senectutis vita immaculata. Ideo autem etiam prcsbyteri sacerdotes vocantur, quia sacrum dant, qui licet sint sacerdotes, tamen pontificatus apicem non habent sicut Episcopi: quia ipsi nec chrismate fontem signant, nec paracletum dant: quod solis deberi Episcopis lectio Actuum Apostolorum demonstrat. Vnde & apud veteres iidem Episcopi & presbyteri fuerunt: quia illud est nomen dignitatis, non ætatis. Sacerdos nomen habet compositum ex Græco & Latino, quod est sacrum dans, siue sacer dux. Sicut enim rex à regendo, ita sacerdos à sacrando dictus est, consecrat enim & sanctificat. Antistes vero sacerdos dictus est ab eo, quòd ante stat: primus enim est in ordine Ecclesiæ. Ad presbyterum autem pertinet sacramentum corporis & sanguinis Domini in altari Dei conficere, orationes dicere, & dona Dei benedicere: qui cum ordinantur, inunguntur eis manus, vt intelligant se accepisse gratiam consecrandi, & charitatis opera debere extendere ad omnes. Accipiunt & stolam, quæ vtrumque tenet latus, quia debent esse muniti armis iustitiæ contra aduersa & prospera. Accipiunt etiam calicem cum vino, & patenam cum hostiis, vt per hoc sciant se accepisse potestatem placabiles Deo hostias offerendi. Hic ordo à filiis Aaron sumpsit initium. Summos enim pontifices & minores sacerdotes instituit Deus per Moysen, qui ex præcepto Dei Aaron in summum Pontificem, filios verò eius vnxit in minores sacerdotes. Christus quoque

1 Isidor. 7. etym. cap. 13. Dist. 21. c. Cleros.

Sap. 4.

Act. 8. & 19.

Isid. vbi suprà.

Dist. 25. c. Presbyteris.

Dist. 21. post princ.

Exo. 29.

Matt. 10.

que duodecim elegit discipulos prius, quos & Apostolos vocauit, quorum vicem gerunt in Ecclesia maiores pontifices: deinde alios septuaginta & duos discipulos designauit, quorum vicem in Ecclesia tenent presbyteri. Vnus autem inter Apostolos princeps extitit Petrus, cuius vicarius & successor est pontifex summus. Vnde dicitur Apostolicus, qui & Papa vocatur, scilicet pater patrum. Qualis autem eligi debeat presbyter, Apostolus scribens Timotheo ostendit, vbi nomine Episcopi presbyterum significat. Hoc autem officio vsus est Christus, cum seipsum in ara crucis obtulit, idem sacerdos & hostia: & quando post cœnam panem & vinum in corpus suum & sanguinem commutauit. Ecce de septem Ecclesiæ gradibus breuiter elocuti, quid ad quemque pertineat insinuauimus. Cumque omnes spirituales sint & sacri, excellenter tamen canones duos tantum ordines appellari censent, diaconatus scilicet, & presbyteratus: quia hos solos primitiua Ecclesia legitur habuisse, & de his solis præceptum Apostoli habemus. Apostoli enim in singulis ciuitatibus Episcopos & presbyteros ordinauerunt. Leuitas etiam ab ipsis ordinatos legimus, quorum maximus fuit beatus Stephanus. Subdiaconos vero & acolythos procedente tempore Ecclesia sibi constituit.

Luc.10.
Matt.17.
1.Tim.3.
Mat.27. Heb.9.
1.Tim.3.
Act.6.

ARTICVLVS XXXII.

An sacerdotium conferatur consecratione vel merito sanctitatis?

SEptimus ordo est presbyterorum,&c.] Quatuor quæruntur hîc de sacerdotio. Primo quæritur, Vtrum detur consecratione vel merito sanctitatis? Secundo, Vtrum sit idem sacerdotium Noui & Veteris Testamenti. Tertio, Qualiter character sacerdotij vniat sibi omnium præcedentium ordinum characteres? Quarto & vltimo de actibus sacerdotij, quos tangit in litera.

Ad primum sic obiicitur: Dicit Chrysost. Non omnis sacerdos sanctus: sed omnis qui est sanctus, est sacerdos. Constat autem, quòd non omnis sanctus habet sacerdotium ex consecratione. Ergo videtur, quòd sacerdotium sanctitate meriti non consecratione conferatur.

2 Adhuc, Apocal. 1. dicunt Sancti, Fecisti nos Deo regnum, & sacerdotes. Et ex hoc sequitur idem.

3 Adhuc, In Psalm. 98. Moyses & Aaron in sacerdotibus eius: & constat, quòd Moyses nunquam consecratus fuit; ergo vt prius.

4 Adhuc, 1. Petr. 2. Vos estis genus electum, regale sacerdotium, gens sancta, populus acquisitionis, Et loquitur omnibus qui fuerunt in Ecclesia, tam mulieribus, quam viris: ergo vt prius.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est: quia vnum quod requiritur ad ordinum susceptionem, est sexus, vt dicunt canones: ergo fœmina non potest fieri sacerdos: potest tamen esse sancta & corpore & spiritu, vt dicit Apostolus 1.Cor.7. ergo sanctitas non confert sacerdotium.

Solutio. SOLVTIO. Ad hoc dicendum, quòd sanctitas confert idoneitatem sacerdotij, sed non sacerdotium.

AD OMNIA obiecta dicendum, quòd sacerdos dicitur dupliciter, scilicet secundum significatum, & secundum nominis interpretationem. Secundum significatum non est sacerdos nisi consecratus legitimè in sacerdotem. Secundum nominis interpretationem dicitur quilibet iustus: quia est sacerdos per meritum, & sacerdux per exemplum. Et hoc modo etiam rex dicitur quilibet iustus, vt dicitur in litera. Hoc autem modo sumitur sacerdos in auctoritatibus inductis.

ARTICVLVS XXXIII.

An sacerdotium veteris legis & nouæ sit idem sacerdotium?

SEcundo quæritur, Vtrum sit idem sacerdotium Noui & Veteris Testamenti? Et videtur, quòd sic: quia Exech.10. Rota est in medio rotæ: ergo & sacerdotium in sacerdotio; ergo non distinguitur.

2 Adhuc, 1. Corinth. 10. Omnes eandem escam spiritualem manducauerunt. Ergo spiritualis esca in Veteri Testamento fuit præparata sicut & in Nouo: & hoc est sacerdotium Noui Testamenti: ergo idem est sacerdotium Noui & Veteris Testamenti: quia cui conuenit proprium, illi etiam conuenit illud cuius est proprium.

3 Adhuc, August. dicit, quòd vna fuit fides antiquorum & modernorum. Ergo & eadem charitas: ergo & idem sacerdotium.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est quod dicit Apustolus Hebr.7. Translato enim sacerdotio necesse est vt legis translatio fiat. Ergo supponit illud sacerdotium esse translatum.

Nouum

Nouum autem manet, vt ibidem probet: quia Christus est sacerdos in æternum secundum ordinem Melchisedech: ergo non sunt idem sacerdotium.

2 Adhuc, Sacerdos Veteris Testamenti conuersus ad fidem ordinandus erat: sed hoc non fieret, si esset idem sacerdotium: ergo non est idem.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd non est idem: sed differunt sicut figura & veritas: & ita est vetus in nouo, sicut figura in veritate: nouum autem in veteri sicut veritas latens in figura. Vnde vetus in nouo est apertè per ostensionem veritatis signatæ: & ideo non amplius seruatur, sed est translatum. Sed nouum in veteri est occultè: & ideo seruabatur vsque ad istius reuelationem: & hoc intendit dicere Ezech. & per hoc patet solutio ad primum.

AD ALIVD dicendum, quòd non fuerunt eadem nisi per spiritualem intellectum & fidem, & non secundum speciem: quia ista in illis intelligebantur; sed species sacramentorum hinc inde est alia, & ideo alius ritus, & aliud sacerdotium, & alia potestas, & alia gratia sacerdotum, vt in quæstione de clauibus habitum est.

AD ALIVD dicendum, quòd non ab vnitate fidei est vnitas sacerdotij, sed potius ab vnitate potestatis & ritus sacramentorum.

ARTICVLVS XXXIV.

Qualiter character sacerdotij vniat sibi characteres ordinum præcedentium?

TErtio quæritur, Qualiter character sacerdotij vniat sibi characteres ordinum præcedentium? Quæcunque enim sunt plura non vnita, simpliciter sunt plura: si igitur septem ordinum characteres non habent aliquid vniens, simpliciter erunt plura, & non vnum sacramentum.

Sed contra. IN CONTRARIVM obiicitur, quòd nos videmus actus ordinum esse diuisos: & sicut se habent actus, ita & habitus: ergo si potestates ordinum sunt diuisæ: ergo & characteres.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd character sacerdotalis solus est vt perfectio sacramenti, & omnes alij sunt dispositiones.

AD ARGVMENTVM contra, dicendum, vt supra in quæstione simili solutum est, quòd in omni toto potestatiuo actus partium distincti sunt, sed per hoc perficiuntur in sequenti & in toto: quia in illo accipiunt perfectionem secundum eminentiam: sicut cognitio sensibilis in sensu imperfecta est, & perficitur plus in ratione & maxime in intellectualitate. Vnde omnes characteres ordinum præcedentium vt dispositiones sunt hoc modo ad ordinem vltimum: & ipse est vniens in se & perficiens omnes.

ARTICVLVS XXXV.

An tres actus sacerdotij positi à magistro, sint sufficienter assignati?

QVarto & vltimo quæritur de actibus sacerdotum. Tangere autem videtur in litera tres, scilicet sacramentum Eucharistiæ conficere, & orationes dicere, & dona benedicere. Quæritur autem, Cum potestas ligandi & soluendi conferatur solis sacerdotibus, præcipuè in foro confessionis: quare Magister non tangit actum qui est ligare & soluere in foro confessionis?

2 Adhuc, Cum plures hic dantur actus, quis est principalis ad quem confertur character,

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd ex præhabitis disputationibus clauium est fere dictũ quicquid potest quæri de hoc ordine. Dicendum tamen ad primum, quòd Magister hîc non tangit nisi actum principalem sacerdotis, ad quem substantialiter est ordo, & non actum secundarium: quia de ipso sufficienter in tractatu de pœnitentia, vbi de clauibus agebatur, dictum est.

AD ALIVD dicendum, quòd actus principalis est conficere Eucharistiam: & alij sunt adiuncti ad idoneitatem communicantium Eucharistiæ, & sacerdotis, vt orationes, benedictiones, & huiusmodi. Nota autem, quòd quidam hîc moralizant omnes vestes sacerdotum Veteris & Noui Testamenti, & signa quæ fiunt in Missa, & ea quæ pro habitu habent & faciunt alij ministri: sed quia hæc potius prædicatio quam disputatio est, ideo à me penitus prætermittitur, quia istius scientiæ non est proprium.

ARTICVLVS XXXVI.

An canones bene appellent duos sacros ordines?

DEinde quæritur de hoc quod dicit [Excellenter canones duos tantum sacros ordines appellant, &c.] Hoc enim videtur contrarium his quæ supra determinata sunt, scilicet quod tres sunt ordines sacri.

2 Adhuc, Videtur enim falsum dicere in litera: quia non est aliquid sacramentum nisi ab institutione diuina: sed inferiores ordines præcipuè subdiaconatus sunt sacramentales: ergo ab institutione diuina fuerunt: ergo à principio Ecclesiæ.

3 Adhuc, Videtur sibiipsi contrarius: quia in quolibet ordine ostendit, quando & qualiter officio illius ordinis functus est Christus: constat autem, quòd Apostoli & primitiui patres non neglexerunt quæ Christus tam solicitè exhibuit in seipso: ergo illi ordines fuerunt in primitiua Ecclesia.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd absque dubio omnes ordines in Ecclesia primitiua

fuerunt, & à Christo instituti illo modo institutionis qui supra determinatus est: sed dupliciter obseruatur ordo, scilicet coniunctus alij ordini, & disiunctus. In primitiua enim Ecclesia propter paucitatem ministrorum & magnam idoneitatem suscipientium, quia fere omnes excellentis fuerunt sanctitatis, omnes inferiores conferebantur cum diaconatu: sicut adhuc in quibusdam Ecclesiis quatuor primi simul conferuntur. Postea autem creuit numerus ministrorum, & decreuit idoneitas: & tunc Ecclesia statuit diuidendos ordines inter se. Vnde Magister intelligit, quòd in primitiua Ecclesia non erant diuisim per ministros obseruati: & per hoc patet solutio ad omnia preter primum.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd Magister alia ratione vocat hic sacros ordines, & alia ratione vocantur hodie sacri: quia sua ratio est auctoritas primitiuæ Ecclesiæ, quæ sacra est & veneratione digna: sed hodie vocantur sacri à sanctitate, quam licet pauci habeant, tamen omnes eam vouent & profitentur ministri simpliciter vel secundum quid, vt dictum est suprà in quæstione de subdiaconorum ordine.

Qid sit quod hic dicitur ordo.

K SI autem quæritur, Quid sit quod hic vocatur ordo? Sane dici potest signaculum esse, id est, sacrum quoddam quo spiritualis potestas traditur ordinato & officium. Character ergo spiritualis, vbi fit promotio potestatis, ordo vel gradus vocatur. Et dicuntur hi ordines sacramenta, quia in eorum perceptione res sacra, id est, gratia confertur, quam figurant ea quæ ibi geruntur.

De nominibus dignitatum vel officij.

L SVNT & alia quædam non ordinum sed dignitatum vel officiorum nomina. Dignitatis simul & officij nomen est Episcopus. Episcopatus autem vocabulum inde dictum est, quod ille qui Episcopus efficitur, superintendat, curam scilicet subditorum gerens. Scopin enim Græcè, Latinè intendere dicitur. Episcopi autem Græcè, Latinè speculatores interpretantur. Nam speculator est præpositus in Ecclesia dictus, eò quod speculetur atque perspiciat populorum infra se positorum mores & vitam. Pontifex est princeps sacerdotum, quasi via sequentium. Ipse & summus sacerdos nuncupatur: ipse enim leuitas & sacerdotes efficit, ipse omnes Ecclesiasticos ordines disponit.

Dist. 21. c. Cleros.

Ezech. 33.

Dist. 11. c. Cleros.

ARTICVLVS XXXVII.

An ordo bene diffiniatur in litera à Magistro?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Si autem quæritur, Quid sit quod hic ordo vocatur?] Et quæruntur duo, scilicet quid sit ordo, & quid habeat pro materia, & quid pro forma?

Ad primum accipiantur duæ diffinitiones in litera positæ. Prima est ista, Ordo est signaculum quoddam, id est, sacrum quoddam quo spiritualis potestas traditur ordinato & officium. Secunda est quasi concluſa ex ista, Character spiritualis vbi fit promotio potestatis, ordo vel gradus vocatur. Tertia est antiquorum Magistrorum, & est hæc: Ordo est sacramentum spiritualis potestatis ad aliquod officium ordinatum in Ecclesia ad sacramentum communionis.

Obiicitur autem contra primam: quia signaculum aut dicitur characteris, aut signa exteriora. Si characteris: ergo cum character etiam in duobus aliis sacramentis imprimatur, videtur, quòd in diffinitione illorum poni debuit: & hoc est falsum: ergo nec in diffinitione istius debet poni. Si dicit signa exteriora: cum hæc sint in omnibus sacramentis, in omnibus sacramentis debet poni signaculum quando diffiniuntur, vt videtur: & hoc iterum est falsum.

2 Adhuc, Mala videtur esse expositio signaculi per sacrum: quia multa signacula sunt non sacra, sicut illud de quo Ezech. 38. legitur, quòd est signaculum similitudinis, &c.

3 Adhuc, Melius dicitur sacramentum quã sacrum quoddam: quia sacramentum est ordinis genus, sacrum autem extra genus est ordinis, quia etiam conuenit operi meritorio, & aliis quæ non sunt sacramenta.

4 Adhuc, Nullus modus diffiniendi est per signum particulare: nihil enim est dictu, homo

est

est animal quoddam: quia si ista esset diffinitio, tunc etiam diffinitio hominis conueniret asino, quia etiam asinus est animal quoddam: ergo videtur, quòd mala sit diffinitio.

Eodem modo obiicitur contra secundam, vbi dicit, Character, &c. quia in aliis sacramentis imprimitur character: & tamen non diffiniuntur per characterem: ergo nec istud.

2 Adhuc ordo & gradus, aut dicunt gradum naturæ, aut gradum dignitatis aut gradum gratiæ. Si dicas primo modo, falsum est: quia omnes ordinati & non ordinati homines sunt vnius naturæ: vnde Greg. dicit, quòd contra naturam superbire, est hominem homini velle præesse. Si secundo modo. Contra: Illud ad quod promouetur suscipiens sacramentum, est res sacramenti: ergo si ad dignitatem promouetur suscipiens sacramentum, dignitas erit res sacramenti: & hoc falsum est, quia sicut dicit hîc in litera, gratia est res huius & omnium aliorum sacramentorum. Si verò dicatur, quòd gradus dicit promotionem in gratia: tunc omne sacramentum erit ordo vel gradus, quia in omni sacramento est promotio secundum gradum: & hoc iterum falsum est.

Solutio. Responsio. Dicendum, quòd in veritate secunda diffinitio Magistri corrigit primam, & est explanatio ipsius. Vnde prima non est diffinitio, sed inuestigatio siue assumptio generis proximi. Secunda vero dicit esse ordinis. Quod ergo primo quæritur dico, quòd signaculum supponit pro charactere.

Ad argvmentvm contra, dicendum quòd licet in duobus aliis character imprimatur, tamen non character excellentiæ seu dignitatis, sicut in isto: & ideo specialiter ponitur in diffinitione istius.

Ad alivd dicendum, quòd signaculum tale semper sacrum est, & sacri signum & causa quantum in se: & tamen non valet obiectio, quia illud est signaculum similitudinis, quod est in imagine Dei expressa: & est æquiuocatio in argumento.

Ad alivd dicendum, quod sacrum ponitur ibi vt contrahens signaculum ad proprium genus: & hoc est idem sacramentum quod verè sacramentum est imprimens characterem: vnde signaculum est immediatius genus hoc modo sumptum, quam sacramentum: & ideo magis congruè ponitur in diffinitione.

Ad alivd dicendum, quòd ly quoddam non intendit nisi distinguere æquiuocationem quæ est in signaculo, vt dictum est. Vel melius dicatur, quòd intendit per signum particulare sumere genus sub genere, scilicet sacrum signaculum sub sacramento, & ita concludere diffinitionem veram: & hoc bene potest fieri quando venamur diffinitiouem.

Ad id quod primo obiicitur contra diffinitionem veram, patet solutio per antedicta.

Ad alivd dicendum, quòd gradus est dignitatis. Ad obiectum contra, dicendum quòd ad duo promouetur exteriori sacramento, scilicet ad id quod est res & signum, & ideo substantialiter sacramentum, & hoc est character excellentiæ secundum dignitatem: & promouetur ad id quod est res tantum, & hoc est gratia.

ARTICVLVS XXXVIII.

Quid sit in sacramento ordinis pro materia & forma?

Secundo quæritur, Quid sit hic pro materia, & quid pro forma? Omne enim sacramentum (vt dixit Magister supra) consistit in rebus & verbis. Et idem dicit August. Quæritur, Quæ sit materia, præcipuè in inferioribus ordinibus? Videtur enim, quòd chrisma vel oleum consecratum ab Episcopo esse debeat: quia in sacramentis excellentibus excellenter præparatæ esse debent materiæ: sed istud est excellens: ergo materia sanctificata debet esse ab Episcopo.

2 Adhuc, Sicut quidam dicunt, claues vel candelabra, libri exorcismorum, calix, quæ dantur ordinatis in ordinibus, sunt materia sacramenti huius: tunc videtur, quod sicut baptismus non est sine aqua & oleo, & confirmatio sine chrismate, &c. ita non possit esse ordinatio sine istis: ergo si aliquis non tangit illa, ipse non est ordinatus, quod graue esset dicere.

Responsio. Dicendum, quòd materia *Solutio.* est illa quæ sunt enumerata, & ab Episcopo porriguntur ordinatis

Ad primvm autem dicendum, quòd non propter excellentiam sanctificatur materia, quia in baptismo non sanctificatur: sed propter actum quem conferunt ista sacramenta, vt patuit cum de his ageretur. Vnde sacramentum hoc habet pro materia in quo ostenditur per similitudinem eius actus & effectus: horum autem ordinum actus ostenduntur in instrumentis quæ porriguntur eis ab Episcopo.

Ad alivd dicendum, quòd non exigitur nisi porrectio, & tactus est de bene esse: quia sicut dictum est in hoc sacramento est forma significans traductionem potestatis: & hæc significatur porrectione tota, non expresse dissentiente eo cui porrigitur: intelligitur enim accepisse, quando non dissentire se ostendit quando ad accipiendum est præsentatus. Alij vero aliter dicunt: sed non est curandum, quia rationem paruam habent.

De quadripartito ordine Episcoporum.

Dist. 21. c. Cleros.

MRDO autem Episcoporum quadripartitus est, scilicet in Patriarchis, Archiepiscopis, Metropolitanis, & Episcopis. Patriarcha Græcè summus patrum interpretatur; quia primum, id est, Apostolicum tenet locum: vt Romanus, Antiochenus, Alexandrinus: sed omnium summus est Romanus, Archiepiscopus princeps Episcoporum: archos enim Græcè, Latinè princeps dicitur. Metropolitæ autem à mensura ciuitatum dicuntur. Singulis enim prouinciis præeminent, quorum auctoritati & doctrinæ cæteri sacerdotes subiecti sunt. Solicitudo enim totius prouinciæ ipsis Episcopis commissa est. Omnes autem superius designati ordines, Episcopi nuncupantur. Nota, quòd Archiepiscoporum nomine, Primates superius significasse videtur, & Metropolitanorum, quos nunc Archiepiscopos dicimus. Horum autem discretio à Gentilibus introducta videtur, qui suos flamines, alios simpliciter flamines, alios archiflamines, alios protoflamines appellabant. Sacerdotes enim Gentilium flamines dicebantur, qui habebant in capite pileum, in quo erat breuis virga, desuper habens aliquid lanæ: quod cum per æstum ferre non possent, filum tantum in capite ligare cœperunt. Nudis enim capitibus eis incedere nefas erat. Vnde & à filo quo vtebantur, flamines dicti sunt, quasi filamines. Sed festis diebus filo deposito pileum imponebant pro sacerdotij eminentia. Vates à vi mentis appellati sunt, cuius significatio multiplex est. Modo enim sacerdotem, modo Prophetam, modo poëtam significat. Cantor vero vocatur, qui vocem modulatur in cantu. Huius sunt duo genera, Præcentor, & Succentor. Præcentor qui vocem præmittit in cantu. Succentor qui subsequenter canendo respondet. Concentor autem dicitur, quia consonat. Qui autem non consonat nec concinit, concentor non erit. His breuiter tractatis admonendi sunt Christi ministri, quatenus sicut excellunt ordinis dignitate, ita præcellant vitæ sanctitate, vt plebs eis commissa, eorumque disciplinis edocta, gratanter eis obediat, & eorum imitatione de die in diem proficiat, à quibus diuina sacramenta percipiunt, & missarum solemnia audiunt. Missa autem dicitur, vel quia missa est hostia, cuius commemoratio fit in illo officio: vnde dicitur, Ite missa est, id est, sequimini hostiam quæ missa est ad cælestia, tendentes post eam: vel quia missus cælestis venit ad consecrandum Dominicum corpus, per quem ad altare cæleste defertur hostia: vnde & dicitur, Missa est.

Isidotus.

Hugo. lib. 2. part. 3. cap. 13.

ARTICVLVS XXXIX.

An Episcopatus & alia quæ Magister enumerat, sint ordines?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Ordo autem Episcoporum quadripartitus est, &c.] Et quæruntur duo, scilicet vtrum sint ordines ea quæ enumerat hîc? & quando & qualiter conferuntur?

Ad primum videtur, quòd sint ordines: quia sunt potestates ad actus diuinos in Ecclesia, sicut velare moniales, consecrare Ecclesias, & huiusmmodi: ergo sunt ordines.

2 Item, Hoc est signaculum promotionis potestatis: ergo à diffinitione sunt ordines.

Solutio.

RESPONSIO. Totum istud patet per antedicta: cum enim nullus possit esse actus excellentior, quam conficere corpus Christi, nullus potest esse ordo post sacerdotium: sed iurisdictionum officia sunt quæ enumerat distincta super corpus mysticum, cui intendunt taliter officiati: & quando consequuntur, accipiunt

cipiunt gratiam non ad ordinem, sed ad executionem iurisdictionis in Ecclesia si sunt digni. Et per hoc patet solutio obiectorum: quia cum dicitur, quòd ordo est promotio potestatis, non intelligitur de potestate iurisdictionis, sed potius operandi circa sacramentum Eucharistiæ.

ARTICVLVS XL.

Quando & qualiter prædicta conferantur?

SEcundo quæritur, Quando & qualiter conferuntur? Dicit enim Apostolus Hebr. 7, quòd sine contradictione quod minus est, à maiori benedicitur. Ergo Archiepiscopus non benedicitur ab Episcopo: ergo nec consecratur: ergo nec confertur ei iurisdictio aliqua: sed secundum omnem vsum Ecclesiæ Archiepiscopus benedicitur ab Episcopo: ergo, &c.

2 Eadem est obiectio de Domino Papa, quem benedicit Hostiensis.

3 Adhuc, Cum Dionysius in epistola ad Demophilum monachum, non videatur distinguere nisi sacerdotes & Episcopos in hierarchia: vnde venit iste quadripartitus ordo Episcoporum?

4 Adhuc, Primates sunt in Ecclesia quos hic prætermittit: ergo insufficiens est, vt videtur.

AD HOC videtur dicendum, quòd ordo vocatur hîc gradus dignitatis secundum iurisdictionem, vt prius dictum est: & dicitur ordo, quia actus quosdam sacros iurisdictionis exercet. *Solutio.*

AD HOC autem quod obiicitur, dicendum quòd Archiepiscopus non consecratur ab Episcopo, sed potius Episcopus ab eo: sed ius Archiepiscopale confertur ei à Papa cum pallio: vnde cum maior est Episcopus, non benedicitur ab Episcopo.

AD ALIVD dicendum, quòd etiam summus Pontifex non consecratur ab Hostiensi inquantum est summus, sed inquantum est pontifex tantum: sed iurisdictio vniuersitatis potestatis descendit in ipsum à Domino, ex hoc quod Petro succedit.

AD ALIVD dicendum, quòd Dionysius sub hierarchiis comprehendit tres ordines, scilicet Primatus, Archiepiscopatus, & Papatus.

AD ALIVD dicendum, quòd Magister Hugò Archiepiscopos vocat, quos nunc Ecclesia vocat Primates: quos autem Ecclesia nunc vocat Archiepiscopos, ipse vocat Metropolitanos. Et per hoc patet solutio ad totum.

DISTINCTIO XXV.

De ordinatis ab hæreticis.

SOLET etiam quæri, Si hæretici ab Ecclesia præcisi & damnati, possint tradere sacros ordines? & si ab eis ordinati redeuntes ad Ecclesiæ vnitatem debeant reordinari? Hanc quæstionem perplexam ac penè insolubilem faciunt Doctorum verba, qui plurimum dissentire videntur. Videntur enim quidam tradere hæreticos sacros ordines dare non posse, nec illos qui ab eis ordinati videntur, gratiam recipere. Dicit enim Innocentius Arrianorum clericos non videri suscipiendos, cum sacerdotij vel ministerij alicuius dignitate: quibus solum baptisma ratum esse permittit, quod in nomine Patris & Filij & Spirirus sancti percipitur. Dicit etiam eos non posse dare Spiritum sanctum quem amiserunt, & ordinatos ab hæreticis caput habere vulneratum, & eum qui honorem amisit, honorem dare non posse: nec illum aliquid accepisse: quoniam in dante nihil erat quod ille posset accipere. Tradit etiam venientibus ab hæreticis per manus impositionem laicam tantum tribuendam communionem: nec ex his aliquem in clericatus honorem vel exiguum surrogare. Gregorius etiam dicit sacrilegam esse Arrianorum consecrationem, cum ex eorum manu communio percipitur.

A *De dispensatione sacramentò ordinis.*

1 qu. 1. c. Arrianos.

Lib. 3. dialog. & allegatur 1. q. 1. cap. Superueniẽte.

Epiſt. contra hær. & ponitur. 1. qu. 1. c. Signis inquit.

Cyprianus etiam dicit, Omnia quæcunque faciunt hæretici, carnalia & inania & ſacrilega eſſe: & eorum altaria falſa & illicita, ſacerdotia & ſacrificia ſacrilega: qui more ſimiarum, quæ cum homines non ſint, formam imitantur humanam, vultum Eccleſiæ Catholicæ & auctoritatem ſibi vendicant, cum ipſi in Eccleſia non ſint: & cum ſint ſacrilegi, ſacerdotium adminiſtrant, & altare ponunt: cum nec ſacrificari oblatio illic poſſit, vbi Spiritus ſanctus non ſit: nec cuiquam Dominus per eius preces & orationes proſit, qui Dominum ipſum violauit. Hieronym. quoque aſſerit, omnia quæ offeruntur ab hæreticis, contaminata eſſe in conſpectu Domini: quia licet ſancta videantur ſpecie ſui, tamen quia contacta ſunt ab illo qui pollutus eſt, polluuntur omnia. Idem, Odit Deus ſacrificia hæreticorum, & à ſe proiicit: & quoties in nomine eius congregati fuerint, deteſtatur fœtorem eorum, & claudit nares ſuas. Idem, Illi offerunt panem ſacrilegum, &c. Leo etiam teſtatur extra Eccleſiam nec rata eſſe ſacerdotia nec vera eſſe ſacrificia. Idem etiam dicit, per crudeliſſimam veſaniam in Alexandrina ſede omnium ſacramentorum lumen extinctum. Intercepta eſt ſacrificij oblatio, defecit chriſmatis ſanctificatio: & parricidalibus manibus impiorum omnia ſe ſubtraxere myſteria. His aliiſque teſtimoniis aſtrui videntur ſacramenta Eccleſiaſtica, præcipuè corporis & ſanguinis, ordinationis, & confirmationis, per hæreticos non poſſe miniſtrari.

Super Aggæ. 2. & ponitur. 1. q. 1. c. Si populus.

Super Amos 5. & habetur. 1. q. 1. cap. Odit.

Lib. 2. ad cap. 8. Oſeæ.

Leo ad Anatholium, Cõſtantinopol. Epiſcopum: & habetur 1. qu. 1. c. In Eccleſia.

Auctoritates ponit quæ videntur præmiſſis obuiare.

B CONTRA autem alij ſentire videntur, quòd ab hæreticis etiam ptæciſis ſacri ordines, ſicut & baptiſmus, tradi valeant: nec ab hæreticis redeuntes, qui illic ordinati ſunt & baptizati, iterum ordinandi ſunt, ſicut nec baptizandi. Vnde Auguſt. De hæreticis etiam damnatis quod quidam dicunt, baptiſma quod accepit non amittit, qui recedit ab Eccleſia, ius dandi quod accepit amittit: multis modis apparet inaniter dici. Primo, quia nulla oſtenditur cauſa, cur ille qui illud baptiſma amittere non poteſt, ius dandi poſſit amittere. Vtrumque enim ſacramentum eſt, & quadam conſecratione vtrumque homini datur: illud cum baptizatur, & illud cum ordinatur. Ideo non licet in Eccleſia Catholica vtrumque itetari. Nam quando ex ipſa parte venientes, etiam præpoſiti, pro bono pacis correcto ſchiſmatis errore ſuſcepti ſunt: & ſi viſum eſt opus eſſe vt eadem officia gererent quæ agebant, non ſunt rurſus ordinandi. Sed ſicut baptiſmus in eis, ita in eis manſit ordinatio integra: quia in præciſione fuerat vitium, quod in vnitate pacis eſt correctum: non in ſacramentis, quæ vbicunque ſunt, ipſa ſunt. Et cum ipſi expedire videtur Eccleſiæ, vt præpoſiti eorum venientes ad catholicam ſocietatem, honores ſuos ibi non adminiſtrent: non eis tamen ipſa ordinationis ſacramenta detrahuntur, ſed ſuper eos manent: ideoque non eis manus imponitur, ne non homini, ſed ipſi ſacramento fiat iniuria. Sicut autem in baptiſmo eſt ius, quod per eos dari poſſit: ſic in ordinatione ius dandi eſt: vtrumque quidem ad perniciem ſuam. Sed aliud eſt non habere, aliud perniciosè habere, aliud ſalubriter habere. Idem, De his

Lib. 2. contra Epiſtolam Parmenian.

In eiſdem lib. & cap.

his qui ab Ecclesiæ vnitate separati sunt, nulla iam quæstio est quin habeant & dare possint: sed perniciosè habent, pernicioseque dant, quia extra vinculum pacis sunt. Neutri sacramento facienda est iniuria. Sicut non rectè habet qui ab vnitate recedit, sed tamen habent, & ideo redeunti non redditur: sic etiam non rectè dat qui ab vnitate recedit, & tamen dat: & ideo qui ab eo accipit, venienti ad vnitatem non iteratur. Idem, Aliud est non habere aliquid, aliud est non iure habere, vel illicitè vsurpare. Non ergo ideo non sunt sacramenta Christi & Ecclesiæ, quia eis illicitè vtantur non modò hæretici, sed etiam omnes impij: sed illi corrigendi sunt & puniendi, illa autem sunt agnoscenda & veneranda. Item Gregor. Quod dicitis vt qui ordinatus est iterum ordinetur, valdè ridiculosum est. Vt enim baptizatus semel, iterum baptizari non debet: ita qui consecratus est semel, in eodem ordine non valet iterum consecrari. His aliisque auctoritatibus videtur asseri, in omnibus impiis, etiam in hæreticis precisis & damnatis, Christi sacramenta permanere, cum iure dandi. Possunt enim dare, sed perniciosè: & quibus dederint, non sunt iterum ordinandi: quæ præmissis ex opposito obuiare videntur.

Eph. 4.

Augustin. in lib. 2. de vnico baptismo contra Parmenianum.

Gregor. Ioan. Rauennati Episcopo. dist. 68. Sicut semel.

Lib. 2. epist. ep. 32.

Determinatio præmissæ contradictionis auctoritatum.

HÆc autem quidam ita determinant. Dicunt enim hæreticos C accepta sacerdotali vel Episcopali vnctione ab Ecclesia recedentes, baptismi quidem dandi ius retinere: sed non habere facultatetem tribuendi sacros ordines, vel consecrandi dominicum corpus postquam præcisi & damnati sunt ab Ecclesia: sicut degradatus Episcopus non habet potestatem largiendi sacros ordines: facultatem tamen baptizandi non amisit. Quod vero Augustinus ait, intelligunt dictum de hæreticis qui non sententia Ecclesiæ sed prauitate sensus sui à fidei veritate ac doctrinæ vnitate diuisi sunt: qui licet tales sint, ius tamen ordinandi & consecrandi habent. Et qui ab eis ordinantur ante manifestam præcisionem, etiamsi cum eis apertè exierint, & sententia Ecclesiæ damnati fuerint: tamen si redierint, iterum ordinandi non sunt. Et vbicunque legitur de ordinatis ab hæreticis, quod ordinibus ministrare valeant, vel iterum ordinandi non sint, de huiusmodi accipiendum dicunt. Nam postquam præcisi fuerint & damnati iudicio Ecclesiæ, ius ordinandi & consecrandi eis detractum asserunt, vt degradatis vel excommunicatis. Alij vero dicunt sacramenta ab hæreticis & præcisis secundum formam Ecclesiæ celebrata, vera esse & rata: quia recedentes ab Ecclesia, ius dandi & consecrandi non perdiderunt: & qui sic ab hæreticis ordinantur, cum redeunt, iterum ordinandi non sunt. Quæ veto ab hæreticis aliter quam in Ecclesia fiunt, falsa sunt & inania: & qui à talibus ordinari videntur, non munus, sed vulnus accipiunt. Et secundum hanc differentiam variè de his loquuntur Doctores. Quidam vero dicunt eadem sacramenta ab hęreticis precisis posse celebrari, quę à Catholicis, si ab illis forma Ecclesiæ seruetur, & ab eis celebrata vera esse & rata, quantum ad se: quantum vero ad effectum, falsa esse & inania, & in his qui malè tractant, & in

1. qu. 1. Opponitur autem.

Cap. proximo.

his qui malè ſuſcipiunt, & ideò irrita & falſa: quia quod promittunt, non tribuunt. Damnanda etiam dicuntur: quia illicitè dantibus vel accipientibus ſunt in iudicium. 1. Cor. 11. Polluta etiam dicuntur, non quantum ad ſe, ſed propter indignam hęreticorum tractationem. Ideo Gregorius communionem Arrij vocat execrationem, & Innocentius Bonoſij ordinationem, damnationem: non quòd ita in ſe ſint, ſed quia malè dantes vel accipientes tales facit. Hieron. ſuper Oſeam. Sicut etiam Hieronymus ſacrificia eorum panem luctus vocat: non quantum ad ſe, ſed quantum ad effectum. Nonnulli verò tradunt illos hæreticos qui in Eccleſia ordinati ſunt, ius ordinandi & conſecrandi etiam cum ſeparati fuerint, habere. Qui vero in ſchiſmate vel hæreſi poſiti, ab eis ordinati & iniuncti fuerint, illo iure carent, ideoque cum ordinare volunt, vulnus potius infigunt, quam gratiã conferant.

ARTICVLVS I.

An hæretici ab Eccleſia præciſi, poſſunt conferre ordines?

SOlet quæri, Si hæretici, &c.] In iſta diſtinctione continentur duo, ſcilicet, an hæretici poſſunt dare ſacros ordines, & de diuerſitatibus ſimoniæ ibi [De ſimoniacis vero non eſt ambigendum.] Circa primum diſputat Magiſter multum in litera: & nos ibi quærimus, Vtrum hæretici ab Eccleſia præciſi, ſacros ordines conferre poſſint, vel non.

Videtur autem, quòd non: omne enim quod deſcendit ab alio in alium, vel merito perſonali deſcendit in ipſum, vel merito Eccleſiæ: ſed in hæretico nihil eſt de merito perſonali, vel de merito Eccleſiæ, cum præciſus ſit ab Eccleſia, vt poſitum eſt: ergo nihil deſcendit per ipſum: ergo nihil confertur: ergo nec ordo.

2 Adhuc, Per canale non coniunctum fonti, nihil fluit de fonte: ſed hæreticus præciſus, eſt ſicut canale non coniunctum fonti: ergo nihil deſcendit per ipſum: ergo nec ordo.

3 Adhuc, Nullus ſapiens operatur ad ſui operis deſtructionem, ſed ſi hæreticus, vt dicit, conferret Eccleſiæ ſacramenta, hoc eſſet in Eccleſiæ deſtructionem: ergo author Eccleſiæ non operatur opus illud: ſed author Eccleſiæ operatur omnem effectum ſacramenti: ergo per hæreticos præciſos non operatur aliquid: ergo nihil conferunt.

4 Ad hoc ipſum multæ adducuntur auctoritates in litera.

IN CONTRARIVM obiicitur ſic, In ſacramentorum collatione non operatur niſi forma & intentio: ſi ergo iſta ſeruentur ab hæretico, de neceſſitate conferretur effectus ab hæretico qui eſt ſacramentum. *Sed contra.*

2 Adhuc, In ſacramentorum collatione non differt malus miniſter à bono: ergo nec fidelis ab infideli, dummodò ſeruet formam & intentionem ſacramenti: ergo etiam præciſi conferunt: & pro iſta parte etiam multæ auctoritates in litera adducuntur. *Solutio.*

MAGISTER autem ad ſolutionem horum, quatuor inducit opiniones, quæ notæ ſunt literam inſpicienti. Sed apud modernos non eſt dubium de hoc: quia ab hæreticis ſiue adhuc intra Eccleſiam, ſiue etiam extra exiſtentibus conferuntur omnia ſacramenta, dummodo ſint ſacerdotes vel Epiſcopi, vel in aliis ordinibus in quibus miniſtrare poſſunt ſacramẽta, & ſeruent formam & Eccleſiæ intentionem.

SECVNDVM hoc ergo dicendnm ad primum, quòd nec merito Eccleſiæ ſit ſacramentum, ſed virtute inſtituentis, qui dedit hanc poteſtatem homini, vt quando ſeruaret formam & intentionem, efficeretur tale vel tale ſacramentum.

AD ALIVD dicendum, quòd canale iſtud coniunctum eſt Eccleſiæ per ſimilitudinem formæ & intentionis: & hæc ſufficiunt, vt dictum eſt.

AD ALIVD dicendum, quòd Deus non operatur in ſui operis deſtructionem, ſed potius in conſtructionem: quia ſui operis oſtendit virtutem etiam per malos operando: & Eccleſia propter hoc magis adhæret ei, & hæreticorum iuſtior eſt damnatio.

De ſimonia vnde dicitur & quid ſit

DE ſimoniacis vero non eſt ambigendum quin ſint hæretici: qui tamen ante ſententiam degradationis & ordinant & conſecrant. Act. 8. Et licet ſimoniaci propriè dicantur, qui inſtar Simonis magi impretiabilem gratiam pretio conducere volunt, & qui pro miniſterio ſacro pretium recipiunt in modum Giezi, Giezitæ vocandi ſunt. Omnes tamen & dantes & accipientes, ſimoniaci dicuntur, & vtrique eadem ſententia percelluntur.

De

De his qui scienter à simoniacis ordinantur.

DIFFERT tamen inter eos qui ordinantur à simoniacis scienter, & eos qui ignoranter. Qui enim scienter à simoniacis se permiserint consecrari, imo execrari: eorum consecratio omnino irrita est. Qui verò ordinantur à simoniacis, quos cum ordinantur, nesciunt esse simoniacos, qui & tunc pro Catholicis habentur: eorum ordinatio misericorditer sustinetur. E Vrbanus Papa. 1.q.1.

De his qui dicunt se emere corporalia, non spiritualia.

SI verò aliqui obiecerint, se non consecrationes emere, sed res ipsas quæ ex consecratione proueniunt, penitus desipere probantur. Nam quisque horum alterum vendit, sine quo alterum non habetur, neutrum vendere derelinquit. F Pascha. 1.q.3. c. Siquis obiecerit.

ARTICVLVS II.

Quid sit simonia?

DEinde quæritur de secunda parte de hoc quod dicitur *ibi* [De simoniacis, &c.] Quæruntur autem hic quatuor de simonia. Primo, Quid sit. Secundo, An sit hæresis, vt dicere videtur in litera? Tertio, Vtrum inferior cum superiori committere possit simoniam? Quarto, Quibus modis committitur simonia?

Ad primum sumitur diffinitio Iurisperitorum communiter sic diffinientium: Simonia est studiosa voluntas emendi vel vendendi spirituale, vel spirituali annexum. Quæritur ergo, Quid vocatur voluntas studiosa? Aut enim hæc est, quæ nititur exire in actum, & non exit: aut quæ perficitur, & exit. Si primo modo: tunc voluntas emendi spirituale esset simonia, quod falsum est, vt patet infra in diuisione simoniæ. Si autem est illa quæ nititur & exit in actum emendi vel vendendi: tunc multæ fiunt simoniæ in venditione calicum, & aliorum Ecclesiæ vasorum: quod iterum falsum est, cum talia licitè fieri possint.

2 Adhuc videtur, quòd sola voluntas sine studio sufficit ad simoniam: quia turpior est simonia quam vsura: & vsurarius est quis ex sola spe lucri: ergo videtur, quòd etiam sit simoniacus ex sola voluntate vel spe emendi. Adhuc videtur hoc Act. 8. vbi nunquam Simon spirituale emit, sed tantum emere voluit: & tamen simoniacus fuit, ita quòd omnes simoniaci ab eo sunt denominati: ergo videtur, quòd sola voluntas facit simoniacum.

3 Vlterius quæritur, Quare dicit, Studiosa? Illud enim quod fit ex ignorantia, fit sine studio: sed multi sunt qui ignorant spiritualia non debere poni sub pretio: ergo si illi ponunt sub pretio spiritualia emendo vel vendendo, non habet in hoc voluntatem studiosam: ergo non committunt simoniam, quod absurdum est. Item, Tullius dicit, quòd studium est vehemens animi applicatio ad aliquid agendum. Ergo videtur, quòd illud non sit in emendis vel vendendis: & ideo malè ponitur in diffinitione ista.

4 Vlterius quæritur de illa parte qua dicit, Emendi vel vendendi spirituale. Studiosa enim voluntas emendi vas sepulchri fuit in Abraham, quando conuenit cum Ephron de spelunca agri duplici: & tamen non dicitur simoniacus: ergo diffinitio est falsa, vt videtur. Gen. 23.

5 Adhuc, Nihil spiritualius est quam regnum cælorum: & tamen emitur & venditur tota die, vt videtur Matth. 13. Simile est regnum cælorum homini quærenti bonas margaritas, &c. Et Augustin. dicit, Venale habeo, &c. Gregor. Regnum cælorum tantum valet, quantum habes. Ergo videtur, quòd etiam alia spiritualia vendi possint.

6 Vlterius quæritur, quid vocatur annexum spirituali? Nihil enim est annexum sibi: ergo nec est spirituale sibi annexum: ergo annexum spirituali est corporale: corporale autem potest vendi, quod est annexum spirituali, vt patet quando miles vendit villam in qua habet ius patronatus: ergo diffinitio falsa.

RESPONSIO. Ad hoc videtur, quòd diffinitio sit bona: & quòd dicitur, Studiosa voluntas, dicit voluntatem cum effectu operis quantum est ex parte simoniaci. Quod autem dicit, Emendi vel vendendi, dicit proprium actum simoniæ. Et quod dicit, Spirituale vel annexum spirituali, dicit materiam. *Solutio.*

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd dicit voluntatem cum actu ex parte simoniaci. Ad obiectum contra, dicendum quòd calices & huiusmodi sunt spiritualia secundum quartum modum spiritualitatis, vt infra patebit: & illa talia vendi possunt: & hæc est solutio Decretistarum, & nihil habet rationis. Vnde dicendum, quòd quando dicit, Emendi vel vendendi spirituale inquantum est spirituale: intelligitur, quòd emptio vel venditio cadit super

per ſpirituale inquantum eſt ſpirituale, vt ſpiritualitas augeat pretium:& tunc vera eſt diffinitio, quia ſic tam in calicibus, quam in aliis committitur ſimonia.

Ad alivd dicendum, quòd licet turpius ſit iſtud peccatum, tamen in alio perficitur, quam vſura, quia in actu exteriori, aut ad perfectionem ſufficit completa voluntas. Et eſt inſtantia: quia homicidium turpius eſt quam vſura,& maius peccatum: & tamen non completur in ſola voluntate ſicut vſura.

Ad alivd dicendum; quòd ſtudium hîc ſumitur pro diligentia adhibita ab ipſo ſimoniaco vt perficiat peccatum: & ideo æquiuocatio decipit, quia non in illo ſenſu diffinitur à Tullio.

Ad alivd dicendum, quòd ignorantia neminem excuſat: & poteſt bene aliquis eſſe diligens in eo quod ignorat vtrum peccatum ſit, ſcit tamen inquantum eſt quidam actus quem facere nititur & intendit.

Ad alivd dicendum, quòd Abraham non fuit ſimoniacus, ſed Ephron, vt dicit Hieronym. quia ſciuit, quòd niſi pro redemptione iuris ſui aliquid daret, moleſtaretur in poſterum ab ipſo: & ſi placeret Hieronymo dici poſſet, quòd neuter fuit ſimoniacus: quia non emit cimiterium, ſed potius locum non ſacrum, ſcilicet agrum cuiuſdam ruſtici Ephron dicti: & poſtea fecit inde cimiterium, quia ſepeliuit ibi corpora Sanctorum, in quibus Spiritus ſanctus requieuerat: & hoc ſemper omni homini facere licet.

Ad alivd dicendum, quòd regnum cælorum non emitur propriè, ſed meretur: emptum enim propriè tranſit de dominio vendentis in poſſeſſionem & dominium ementis: hic autem emens regnum cælorum, tranſit in dominium vendentis ipſum, vt poſſideat & hunc ementem Dominus regni cælorum. Alia cauſa aſſignatur eiuſdem: quia ſic emens nihil dat Deo quod ſuum non fuerit, ſed tantum ordinat ad Dominum, quod inordinatum fuit ex peccato: & hoc eſt opus virtutis quod omnis homo facere debet.

Ad alivd dicendum, quòd annexum ſpirituali dicitur annexum ſpiritualibus: quia non niſi à ſpiritualibus perſonis haberi debet, vel locis, ſicut ius patronatus: quod etſi dicatur habere miles, non tamen habet niſi ad vſum ſpiritualium perſonarum & locorum: & per hoc ceſſat obiectio, quia idem numero non eſt ſibi annexum, ſed idem genere vel ſpecie.

ARTICVLVS III.

An ſimonia ſit hæreſis?

Secundo quæritur, An ſit hæreſis, vt dicitur in litera? Videtur autem, quòd non: quia ad Titum vltim. ſuper illud, Hæreticum hominem poſt primam, &c. dicit Gloſſa: Hæretici ſunt, qui per verba legis legem impugnant: ſed tales non ſunt ſimoniaci: ergo non ſunt hæretici.

2 Adhuc ſupra diſtinct. 13. dicit Auguſt. quòd hæreticus eſt, qui pro alicuius temporalis commodi, & maximè gloriæ principatuſque ſui gratia, falſas aut nouas quæſtiones gignit vel ſequitur: ſed talia non facit ſimoniacus: ergo videtur, quòd ipſe non eſt hæreticus.

3 Item, Hæreſis eſt in ciuilibus vel credibilibus: ſimonia autem tantum in operabilibus: ergo ſimonia non eſt hæreſis. Si forte dicas, quòd errat in operationibus. Contra: quia ſi hoc eſſet, cum omnis malus ſit ignorans, omnis malus eſſet hæreticus, quod falſum eſt: ergo, &c.

Reponsio. Ad hoc dicendum ſecundum quoſdam, quòd hæreſis eſt attribuere Deo quod ſibi non conuenit, vt dicit Auguſt. 1. de Trinitate: & hoc facit ſimoniacus: ideo dicunt eum hæreticum, quia dicit ſibi conuenire, quod ſua ſub pretio ponantur & ipſe. Mirum autem videtur ſi hoc mouit ſanctos patres. Solutio.

Ad alivd dicendum, quòd ſimonia ſit hæreſis: quia non attribuũt hoc tanquam aſſerẽtes ſimoniaci, ſed tanquam poſſidere qualitercunq; volentes. Vnde dicendum videtur, quòd ſicut dicit Hieron. & ſuprà diſt. 13. notatum eſt, ex verbis inordinatè prolatis incurritur hæreſis, præcipuè quando verba illa ſunt de ſpiritualibus credendis & ſperandis. Duo autem ſunt quæ credimus & ſperamus de ſpiritualibus, ſcilicet quod ſunt, & quia in infinitum hæc mundana valore excedunt, quia ipſa ſunt quæ oculus non vidit, nec auris audiuit, nec in cor hominis aſcenderunt, quæ præparauit Deus diligentibus ſe. Contra primum ergo illorum peccat hæreſis ſtrictè accepta. Contra ſecundum autem directè peccat ſimonia: quia ponit ea viliora temporalibus pro quibus ea vendit & emit: & ideo dicitur hæreſis.

Ad primvm ergo dicendum, quòd ibi ſumitur hæreſis ſtrictè inquantum opponitur credendis ex parte ſcientiæ quæ habetur de ipſis, quia ſunt. Et ſimiliter accipitur ab Auguſtino ſuprà diſt. 13. Sed ſimonia peccat pocontra valorem quem credere debet eſſe in ſpiritualibus ipſis. Et per hoc patet ſolutio ad totum.

ARTICVLVS IV.

An inferior cum ſuperiori poteſt committere ſimoniam?

Tertio quæritur, Vtrum inferior cum ſuperiori committere poſſit ſimoniam: & præcipuè aliquis de Eccleſia cum Domino Papa? Et videtur, quòd non: quia Iacob non commiſit ſimoniam emendo hoc quod ſibi ex ſucceſſione debebatur, ſed potius Eſau qui hoc alio modo dare voluit: ergo cum omnia ſint credita Domino Papæ, quæ ſunt Eccleſiarum, videtur quòd ipſe nunquam committat ſimoniam accipiendo à perſonis eccleſiaſticis pro ſpiritualibus, cum ſibi alias non darent.

2 Adhuc, Nulla perſona habet ius in bonis eccleſiaſticis niſi per iuriſdictionem Domini Papæ: ergo ſicut ipſa perſona accipit ita Papa poteſt accipere.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est, quòd simonia dicta est simonia à contractu quem voluit facere Simon cum Petro qui erat Papa Apostolorum: ergo multo magis cum aliis Papis potest committi simonia.

2 Adhuc, Iuuans ad peccatum mortale, & non impediens cum possit impedire, peccat pari peccato cum faciente, vt dicunt Sancti: sed Papa scit istum posse committere simoniam secum, & committit: ergo si non prohibet, sed iuuat decipiendo & concedendo quod petit, ipse pari peccato peccat: ergo simoniacus efficitur.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd in veritate benè puto, quòd simoniam committere possit: nec videtur mihi hoc dubium, quando vendit spirituale.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd non fuit simile: sed potius primogenituræ ius à Domino erat datum Iacob: & ideo redemptio fuit vexationis quam ipse fecit potius quam contractus emptionis. Sed bona Ecclesiarum non sunt data prælatis ad possidendum, sed ad dispensandum ad vsus aliorum, scilicet pauperum: vnde non possunt emere & vendere vel etiam dare pro libitu suo cui volunt: sed ad necessitates generales Ecclesiæ vel esus pauperum vel personarum Ecclesiæ sunt expendenda.

AD ALIVD dicendum, quòd verum est, quòd nullus habet ius in Ecclesiis nisi per ipsum: sed tamen non puto hoc esse ex eo quod sua sint, & conferat vt sua, sed quia collatum est ei patrocinium defensionis: sicut etiã legislator dicit, quòd omnia sunt Imperatoris ad defensionem & tuitionem: sicut enim dicit Basilius, & Aristoteles dixerat ante eum, tyrannus est, qui omnia extorquet in vsus proprios, & non quærit vtilitatem subditorum.

ARTICVLVS V.

Quibus modis committatur simonia?

QVarto quæritur, Quibus modis committatur simonia? Ponuntur autem multi modi à Iurisperitis qui notantur in his versibus.

Munus, lingua, timor, caro, cum fama populari,
Non faciunt gratis spirituale dari.

Vel sic:

Lausque parentela, violenta rogatio, dona,
Obsequium vile, vendunt ius spirituale.

Quæratur ergo de istis. Laus enim est munus ab ore. Est autem, vt dicit Philosophus, laus propriè de actu virtutis, & de virtute secundum quòd actus procedit ab ipsa, & quæritur à bonis & notis: sed constat, quòd boni secundum virtutem nihil mali intendunt: ergo non emere spiritualia: ergo per laudem non committitur simonia.

3 Adhuc, Laus non est corporale donum, quia fama etiam est Sanctis necessaria: ergo in laude non datur spirituale pro corporali, sed potius pro spirituali: ergo non committitur simonia.

3 Similiter & parentela non videtur facere simoniam: quia in omni simonia contractus est: parentela autem facit vt sine contractu donum detur: ergo parentela magis destruit simoniam, quam faciat ipsam. Probatur prima per hoc, quòd in diffinitione simoniæ cadit emptio vel venditio, quæ non fiunt sine contractu. Secunda autem constat per hoc, quòd parentela est ad conciliandum amicitiam, quæ facit gratis donari dona.

4 Adhuc, Nos videmus, quòd sacerdotium Veteris Testamenti iure propinquitatis habebatur, & omnes alij gradus Leuitarum: ergo videtur, quòd parentela etiam possit esse ratio habendi spirituales dignitates in Ecclesia: ergo non facit simoniam.

5 Eodem modo obiicitur de hoc quòd vocat violentam rogationem. Quia videtur esse oppositio in adiecto: quia si rogat, non cogit: & si cogit, non rogat: quia rogatio fit ad inclinationem voluntatis liberæ vt pro petitione faciat: violentia autem excludit voluntarem ab extremis, quia violentum est (vt dicit Philosophus) cuius principium est in alio, nihil conferente vim passo: principium autem notat factiuam causam, vt dicit Damascenus: ergo videtur, quòd nulla est rogatio violenta, vel preces armatæ.

6 Vlterius obiicitur de donis. Quia dicit Philosophus, quòd donum est datio irreddibilis: ergo dona non quærunt dari sibi pro donis aliquid, nec spirituale, nec temporale: ergo non constituunt simoniam.

7 Vltimo etiam de obsequio vili. Vile enim obsequium est in vilibus: ergo si in honestis seruiret, non videtur committere simoniam: & hoc est falsum: ergo videtur, quòd ista nulla sint quæ dicuntur facere simoniam.

Adhuc quæritur de casibus tota die occurrentibus, scilicet hypocritarum, qui vendunt pro laude hominum orationes longas, vtrum sint simoniaci? Et Videtur, quòd sic: quia dant spirituale pro temporali. Adhuc, Claustrales vel canonici pactum quidem non faciunt: sed tamen ita diu tardant & considerant circunstantias, donec probabiliter sciant quid dabit recipiendus in confratrem: & si tunc est multum, ipsi eum recipiunt: si parum videatur, refutant. Quæritur ergo, Vtrum sint simoniaci? videtur, quòd sic: quia causa est (vt dicit Philosophus) qua posita ponitur effectus, & destructa destruitur: sed apud istos, posito tanto emolimento quod coiiciunt se percepturos, offerunt præbendam, & cessante non conferunt: ergo temporale est causa conferendi præbendam: ergo committunt simoniam. Si forte dicas, quòd non per se inquirunt, sed alij vice eorum, qui tamen sunt procuratores eorum. Contra hoc: Non differ per se vel per alium facere, vbi tota causa est collationis præbendæ, expectatio lucri temporalis: quia per quencunque fiat, ipsi hoc expectant pro collatione: ergo simonia committitur quocunque modo fiat.

Sed contra. SI AVTEM hoc dicatur: tunc omnia loca religionis perirent: quia tot ibi ponerentur, quòd non sufficerent bona: & hoc videtur esse inconueniens.

2 Adhuc, Non est malum inducere homines

nes ad eleemosynas: ergo si inducunt vt eleemosynam cum recipiendo conferant, quem alias non reciperent, non est malum: ergo non est simonia.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum videtur, sicut dicunt iurisperiti, quòd quadruplex est spirituale. Quoddam enim non est vendi possibile pro sua spiritualitate, quia nihil communicat cum corporalibus, & ideo non potest transire in dominium alterius, sicut ipsa dona Spiritus sancti, & virtutes, & beatitudines. Quoddam est secundo loco spirituale, quod essentialiter totum spirituale est, tamen in corporalibus datum, vt gratiæ sacramentales: & ideo istud vendi quidem de natura sua & de iure non potest: sed sæpè venditur ex parte corporalis operæ, quæ est in potestate ministrorum: sed nunquam venditur sine simonia. Tertium est non essentialiter spirituale, sed potius corporale: sed personis spiritualibus attributum ad sustentandum eas in spiritualibus exercitiis, vt præbendæ, & alij prouentus Ecclesiarum: & ideo ista venduntur: sed committitur simonia in ipsis ratione spiritualis cui attributa sunt. Quarto & vltimo modo spiritualitatis dicuntur spiritualia inanimata corporalia, quibus tractaniur spiritualia quædam, vt vasa decoris domus Dei, vt calices, thuribulum, cruces, libri, & huiusmodi: & de his solum verum est, quòd vendi possunt sine simoniæ commissione. Sed differunt, aut enim vendit Ecclesia Ecclesiæ alteri: & tunc integra vendi possunt non aucto pretio pro consecratione vasorum. Aut venduntur personis laicis: & tunc prius confringi & commassari debent à sacris personis præmissa oratione pro indulgentia fractionis. Cimiteria autem spirituale ius videntur habere: aut enim sunt consecrata tantum: aut sepulta sunt ibi corpora. Si consecrata tantum, dicunt quòd deconsecrari possunt & redigi in vsus alios. Si autem sunt ibi corpora beatorum sepulta, cum cinis corporum seperari non possit à reliqua terra, sicut corpus Sancti vendi non potest & in alios vsus redigi, propterea quòd Spiritus sancti, cuius templum fuit dum viueret: ita nec locus sepulturæ illius corporis in alios vsus redigi potest.

DICENDVM ergo ad primum, quòd aliud est pro quo debet esse laus, & aliud pro quo est: Philosophus enim tangit hoc tantum quod debet laudari: sed tamen laudatur impius cum malefecerit: & ideo cum ratio dandi spirituale laus est, fit simonia.

AD ALIVD dicendum, quòd laus popularis nihil spirituale habet: imo temporalior est etiam ipso tempore: quia rarior est, & in aerem dissoluitur: sed fama Sanctorum in spiritualibus est, & ideo est spiritualis.

AD ALIVD dicendum, quòd similiter intelligitur, quòd parentela debet esse causa & ratio dandi: si enim esset bonitas vitæ causa & parentela concausa, non esset simonia, quia parentela est corporale quid & ex carne deriuatum. Ad argumentum autem dicendum, quòd non sumitur ita strictè vēditio & emptio in diffinitione simoniæ: sed dicitur venditio quando quodcunque pretium facit dari spirituali pretio largo modo sumpto pro temporali omni quod est tota & sola causa dationis.

AD ALIVD dicendum, quòd sacerdotium Veteris Testamenti non habuit spiritum, sed fuit vmbra spiritualis sacerdotij: sed Nouum habet spiritum: & ideo in libertate spiritus donari debent spiritualia noui sacerdotij.

AD ALIVD dicendum, quòd rogatio violenta sumitur ibi pro ea quæ inducit timorem in constantem virum. Timorem autem voco amissionis rerum, vel læsionis famæ vel personæ. Cum enim hæc est causa dandi, simonia committitur. Ad argumentum dicendum, quòd non ita strictè sumitur hic violentum: sed sufficit ad violentiam hîc necessarium mixtum violentiæ: sicut est proiectio mercium tempore tempestatis in mare: de talibus enim dicit Philosophus, quòd mixta sunt ex voluntario & inuoluntario: & hoc sufficit hic ad liberalitatem donationis spiritualium amittendam.

AD ALIVD dicendum, quòd omne obsequium temporale quod est causa dandi spiritualia, vile est in comparatione ad spiritualia, etsi honestum sit vel vtile simpliciter: & ita intelligitur hîc obsequium vile.

AD VLTIMVM dicendum, quòd in datione præbendæ tria consideranda mihi videntur, scilicet paupertas loci, libertas spiritualium, & intentio salutis recipiendi. Si locus est pauper, videtur quòd non potest conferri præbenda sine multo grauamine personarum ibi degentium, quantuncunque liberaliter vellent si possent dare spirituale, & intendere salutem recipiendi: & tunc videtur mihi, quòd per se vel per alios sibi prouidentes possent dicere, quòd si crescerent bona eorum, libenter eum reciperent, & alias non possent eum recipere. Crescere autem intelligo cum notabili incremento, vt persona recepta sine grauamine notabili aliorum in loco illo sustineri possit. Si autem non crescant, quòd non possint recipere. Sed sub pacto, præcipuè quando nulla est loci necessitas, recipere, apertè est simonia. Ad argumentum autem dicendum, quòd hoc non facit causam dationis, sed potius necessitas extorquet: quia libenter darent gratis: & ideo habent oculum ad hoc in collatione. Ad auctoritatem autem Philosophi dicendum, quòd in naturalibus verum est quod dicit: sed in voluntariis quotidie fallit: quia bene potest esse, quòd aliquid simpliciter volo pro causa bona & honesta, nec tamen possum: & tunc aliquo posito facio, quo non posito non facio: & non est causa factionis secundum quod ex voluntate mea procedit, vt patet cuilibet. Et per hoc patet solutio ad totum.

Distinctio

Distinctio simoniacorum.

SIMONIACÆ autem hæresis tripartita est distinctio. G Alij enim simoniacè à simoniacis ordinantur : alij simoniacè à non simoniacis : alij non simoniacè à simoniacis. Vnde Nico. Papa, Statuimus decretum de simoniaca tripartita hæresi, id est, de simoniacis simoniacè ordinantibus vel ordinatis, & de simoniacis simoniacè à non simoniacis, & de simoniacis non simoniacè à simoniacis. Simoniaci simoniacè ordinati vel ordinatores, secundum canones, à proprio gradu decidant. Simoniaci etiam simoniacè à non simoniacis ordinati similiter ab officio remoueantur. Simoniacos vero non simoniacè à simoniacis ordinatos, misericorditer per manus impositionem pro temporis necessitate in officio permittimus permanere. Quod intelligendum est de his qui ordinantur à simoniacis, ignorantes eos esse simoniacos. Hos facit simoniacos non reatus criminis, sed ordinatio simoniaci.

1.q.1.c. Statuimus decretum.

Alexander Papa de his qui violenter à simoniacis vel ab hæreticis ordinantur.

SIMILITER cum decernit Alexander Papa simoniacos H omnino damnandos ac deponendos, subintelligendum est, nisi violenter quis attractus fuerit. De his enim & à quibuslibet hæreticis violenter ordinatis dicit Inno. quòd possunt habere aliquem colorem excusationis, si statim discedunt ab eis, & pessimo eorum conciliabulo renuntiant.

1.q.1.c. Erga simoniacos.

1.q.1. Constat.

ARTICVLVS VI.

Quare venditores spiritualium dicuntur simoniaci: cum tamen non sequantur Simonem, sed potius Giezi?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Simoniacæ autem hæresis, &c.] Quæritur, Cum venditores non imitentur Simonem, sed potius Giezi, quare dicuntur simoniaci?

ITEM quæritur, Cum simoniaci non habeant ius percipiendi præbendas, vtrum tenentur ad restitutionem? Videtur, quod sic: quia percipiunt non suum.

ADHVC quæritur de quodam casu. Ponamus enim, quòd ego scio Episcopum meum esse simoniacum, vel alias irregularem & latenter. Adhuc toleratur ab Ecclesia. Et instent ordines: & mihi præcipiatur, quòd ordines accipiam, quid debeo agere? si enim accipiam à simoniaco, degradandus sum: si autem non accipio, inobediens sum: ergo sum perplexus.

Solutio.

RESPONSIO. Dicendum ad primum, quòd largè dicuntur simoniaci siue emant siue vendant: quia etiam Simon emptam gratiam vendere posteà cogitauit; tamen versus est differentiam notans,

Quod Giezi vendit, Simon conducere quærit.

AD ADIVID dicendum videtur, quòd si scienter commisit simoniam, ad restitutionem tenetur. Si autem eo ignorante commissa fuit propter eum per alios, non tenetur quandiu ignorat: sed postquam sciuerit, tenetur, vt videtur.

AD ALIVD dicendum, quòd in tali casu debeo quærere licentiam, aut aliam viam euadendi: si autem non possum habere, debeo quærere effugium obedientiæ: quod si nec hoc habere possum, debeo dolens suscipere ordinem tituli. Ad argumentum contra, dicendum quòd non intelligitur de his qui latentes sunt, quos adhuc tolerat Ecclesia. Sed hoc hodie vix habet locum, quia ferè nullus nisi nummularius habet locum in templo,

De ætate ordinandorum ita decreuit Nicolaus Papa.

I Dist.77. & 78. SACRI, inquit, canones sanxerunt vt subdiaconus non ordinetur ante quatuordecim annos, nec diaconus ante 25. nec presbyter ante 30. Deinde si dignus fuerit, ad Episcopatum eligi potest: quod nos etiam pari modo seruare iubemus. Item Fabianus, Siquis 30.ætatis non impleuerit annos, nullo modo presbyter ordinetur, etsi valdè sit dignus: quia & ipse Dominus 30.annorum baptizatus est, & sic cœpit docere. Luc. 3.

ARTICVLVS VII.

An canones bene dispoſuerint de ætate ordinandorum, cum tamen non seruetur?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Sacri, inquit, canones, &c.] Hoc enim hodie præcipuè in religionibus non obseruatur: ergo videtur, quòd violent canones sanctorum patrum: & hoc est peccatum mortale.

RESPONSIO. Dicendum, quòd sicut in matrimonio malitia quãdoque supplet ætatem, ita è conuerso in religionibus morum grauitas & disciplina supplet ætatem: præcipuè cum hoc quod hîc dicitur de his qui promouentur non ad ordines tantum, sed etiam ad iurisdictionem, vt archidiaconi, presbyteri, & Episcopi. Et hæc de ordine dicta sint à nobis pro tempore præsenti. Solutio.

DISTINCTIO XXVI.

De sacramento coniugij cuius institutio & causa ostenditur.

A *De matrimonio secũdum causam formalem.* Gen. 2. CVM alia sacramenta post peccatum & propter peccatum exordium sumpserint, matrimonij sacramentum etiam ante peccatum legitur institutum à Domino: non tamen ad remedium, sed ad officium. Refert enim Scriptura Genes. in Adam misso sopore, atque vna de costis eius sumpta, & exinde muliere formata, virum in spiritu intelligentem ad quem vsum mulier facta esset, post extasim propheticè dixisse, Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea: propter hoc relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna.

DIVISIO TEXTVS.

CVM alia sacramenta post peccatum, &c.] In hac parte quatuor inquirit Auctor de matrimonio, scilicet de causa, de effectu, scilicet vbi de bonis matrimonij agit distinct.31. *ibi* [Post hoc de bonis coniugij] De statu dist.33. *ibi* [Quæritur hic de antiquis patribus] Quarto de materia, scilicet quæ personæ sint legitimæ, & quæ non, distinct.34. *ibi* [Nunc superest attendere quæ personæ sint legitimæ, &c.] Circa primum inquiruntur duo. Primum est de causa institutionis matrimonij. Secundum est de causa ipsius matrimonij secundum se: & hoc tangitur distinct.27. *ibi* [Post hæc aduertendum est] In ista distinctione tria facit: primo enim tangit de institutionibus matrimonij. Quia autem nihil instituit Deus nisi bonum, ideo in secunda parte reprobat errorem quorundam hæreticorum dicentium matrimonium esse malum *ibi* [Fuerunt autem nonnulli hæretici] Quia vero iterum ex institutione

titutione signans est omne sacramentum, vt dicit Magister Hugo, ideò in tertia parte ostendit quid sit res & quid sit signum in hoc sacramento *ibi* [Cum igitur hoc sacramentum coniugium sit] Et ex his satis patet litera.

ARTICVLVS I.

Quare matrimonium sit institutum?

INcidit autem primo quæstio de hoc quod dicit *ibi* [Cum alia sacramenta, &c.] Luc. enim 10. dicitur, quòd ligaturis sacramentorum sunt ligatæ plagæ saucij: sed ligaturæ non sunt necessariæ nisi sauciato, igitur sacramenta non sunt necessaria nisi vulnerato peccatis: sed eadem est ratio sacramenti & omnis sacramenti: ergo omnis sacramenti est alligare saucium: ergo & istius: falsum est ergo quod dicit in litera.

2 Item, Sacramentum de se ordinatur contra peccatum, vt notatum est in principio harum notularum super quartum: ergo si non sit peccatum, non etiam erit sacramentum: sed si non est sacramentum, non est matrimonium per locum à genere: ergo si non est peccatum, non est matrimonium: & ita falsum iterum dicit in litera.

3 Item, Differt gratia in sacramentis, & virtutibus & donis, vt supra probatum est: cum igitur omnis sacramentalis gratia ordinetur contra peccatum, videtur, quòd etiam gratia matrimonij contra idem ordinetur.

4 Item, Sicut se habet ianua sacramentorum & fundamentum, ita se habent omnia superædificata: sed ianua sacramentorum quæ est baptismus, ordinatur contra vulnus peccati: ergo & omnia superædificata: sed vnum superædificatorum est matrimonium: ergo matrimonium ordinatur contra peccatum.

5 Item, Quicquid fit secundum indulgentiam, ordinatur contra peccatum: sed matrimonium fit secundum indulgentiam: ergo ordinatur contra peccatum. Prima & secunda posterius in hac eadem distinctione scribuntur in litera.

6 Item, Maximè corrupto, maximè necessaria est medicina: sed generatiua maximè est corrupta: ergo sibi maximè necessaria est medicina: sed medicinam non habet nisi matrimonium: ergo matrimonium est medicina eius: sed constat medicinam non ordinari nisi contra morbum: ergo matrimonium ordinatur contra morbum peccati. Item, In quo primo sentitur morbus, contra id principaliter ordinatur medicina: sed morbus primo sentitur in genitalibus: ergo primo medicina contra hoc inuenitur: est autem hæc medicina matrimonium: ergo matrimonium est medicina & tantum, vt prius.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est, quòd non attendentes medicinam peccati, ordinant leges matrimonij, sicut ciuiles: ergo non est contra peccatum tantum.

2 Item, Non existente peccato adhuc fuisset multiplicatio: sed non nisi per matrimonium: ergo matrimonium fuisset non existente peccato: ergo non spiritualiter vel substantialiter ordinatur contra peccatum.

3 Ad idem faciunt ea quæ dicuntur in litera quæ supponuntur ad præsens.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum est cum Magistro, quòd matrimonium non habet substantialem ordinem contra peccatum: sed principaliter est ad officium, in quo tamen officio inuentum est remedium contra vulnus quod accidit ex peccato.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd omnia sacramenta sunt ligaturæ plagarum saucij: sed hæc ligatura adhibita est partim de nouo institutis, partim etiam institutis ante, sed tamen effectum medicandi contrahentibus à passione Christi. Vnde illud quod est sacramentum potuit esse ante peccatum: sed tamen secundum quod sacramentum est vnctio vulneris, sic est institutum contra peccatum.

AD ALIVD dicendum, quòd omne sacramentum inquantum est sacramentum, vel actio sacratione sua sanans, contra peccatum ordinatur: sed tamen non oportet, quòd omne illud quod est sacramentum, habeat illud, vt patet ex præhabitis.

AD ALIVD dicendum, quòd illa differentia accidit gratiæ sacramentali inquantum huiusmodi, & non est eius quod est sacramentum si generaliter accipiatur.

AD ALIVD dicendum, quòd baptismus est fundamentum matrimonij secundum aliquid. Est enim fundamentum eius quoad faciendum personas simpliciter legitimas: quia quæ sunt de dispari cultu, in aliquo casu possunt separari: sed secundum substantiam matrimonij non est fundamentum matrimonij: & ideo non oportet, quòd licet baptismus ordinetur contra peccatum, quod etiam matrimonium ordinetur contra peccatum.

AD ALIVD dicendum, quòd matrimonium non habet indulgentiam simpliciter, sed tantum secundum hoc quod fit concubitus causa libidinis satiandæ. Potest autem aliis de causis fieri, scilicet spe prolis, vel causa fidei vel debiti reddendi. Et tunc est actus nulla indigens indulgentia.

AD ALIVD dicendum, quòd maximè corruptum magis indiget medicina, quam minus corruptum: sed tamen matrimonium non secundum omnem modum est medicina eius, sed tantum secundum quod est in remedium: vnde nihil prohibet quin secundum quod est in officium, possit institutum esse ante peccatum. Et per illud patet solutio ad vltimum.

ARTICVLVS II.

An Adam doluerit in ablatione costæ?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [In Adam misso sopore, atque vna de costis eius sumpta] Et quæruntur hic duo principaliter, & tertium ex incidenti. Primum principale est, Vtrum doluerit Adam in costæ ablatione? Secundum de parte quam sumpsit. Tertium autem quod ex incidenti quæritur, est tota quæstio de raptu.

Ad primum sic procéditur: Dolor est sensus diuisionis continui, vt dicit Philosophus: sed in ipso diuidebatur continuum: ergo fuit in ipso dolor, vt videtur.

2 Item, Anima non tantum secundum se tota naturaliter appetit coniunctionem corporis, sed etiam quælibet pars appetit illius partis coniunctionem cui vnita est: igitur dolet naturaliter in diuisione à parte illa: constat autem, quòd anima Adæ vel pars eius separabatur à parte illa quæ est ab Adam diuisa: ergo naturaliter doluit.

3 Si fortè tu dicas, quòd somnus ita ligauit sensus, quod non percipit. Contra: Somnus non ligat ita fortiter quin etiam minor dolor excitet, præcipuè benè complexionatum, sicut fuit Adam: ergo videtur, quòd etiam Adam in tanta diuisione euigilauerit: ergo doluit.

Quæstiũcula. VLTERIVS quæritur, Vnde venerit ille sopor? Dominus enim immittendo soporem, aut contra naturam, aut secundum naturam illi soporem immisit. Si dicas, quòd contra naturam, videtur falsum: quia Augustinus dicit, quòd Dominus contra naturam quam ipse fecit, non operatus est. Si autem secundum naturam fecit: secundum naturam non fit somnus nisi per cibi euaporationem: sed Adam tunc non comederat: ergo ipse secundum naturam somnum habere non poterat.

2 Adhuc videtur falsum quod dicit in litera, quòd in spiritu intellexit ad quem vsum mulier facta fuerit: quia somnus est ligamentum sensuum per se, & rationalium virium per accidens: sed ligatis rationalibus viribus impossibile est aliquid intelligere: ergo non potuit Adam tunc intelligere ad quem vsum mulier esset facta.

3 Item, Si aliqua potentia accipit ab anteriori, si interior non sit in actu, posterior non erit in actu: sed ratio accipit à sensu: ergo cum sensus est ligatus, non erit ratio in actu: sed in somnis est sensus ligatus: ergo ratio non potest esse in actu: ergo falsum est quod dicit in litera.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd Adam non doluit in separatione costæ ab ipso: cuius multiplex assignatur causa: vna quam habet Augustinus: quia ille hoc facere potuit, qui eum condidit, vt non doleret quando costam accepit. Alia autem causa est, aut potest esse: quia illud quod in homine est de superfluo indiuidui, licet de necessario speciei, separatur ab homine non tantum sine dolore, sed etiam cum delectatione. Et hoc quidem dupliciter: quandoque enim illud superfluum est in quo fiat homo, sicut est semen hominis: & hoc separatur per naturæ actionem & decisionem. Aliud autem est non in quo est vt fiat homo, sed vt fieri possit, vt dicit Augustinus, hoc est, in quo est possibilitas obedientiæ: & hoc non separatur nisi per actum primi opificis: & hoc modo separata est costa in qua non erat, vt fieret mulier, sed vt fieri posset. In semine autem non est possibilitas materialis tantum, sed etiam formalis: vnde in ipse est vt ex ipso fiat homo. Vtrumque autem separatur cum delectatione, vt puto, etiamsi non esset peccatum, sed non esset delectatio ligans ad rationem: & hoc est quod dicunt Auicenna & Constantinus, quòd natura in coitu posuit delectationem vt appeteretur propter indigentiam speciei.

AD PRIMVM autem dicendum, quòd sensus diuisionis continui qui facit dolorem, est sensus diuisionis siue separationis coniuncti ad consistentiam indiuidui pertinentis: costa autem non fuit sic, sed potius fuit superfluum indiuidui datum ad multiplicationem speciei.

AD ALIVD dicendum, quòd anima non appetit vniri alicui, nisi ei quod est materia animæ, prout ipsa est motor & forma organici corporis physici: tale autem non fuit costa, vt iam habitum est.

AD ALIVD dicendum, quòd non euigilauit: quia separatio dictis de causis non incussit dolorem.

AD ID quod vlterius quæritur, dicendum quòd secundum naturam immisit soporem. Ad id autem quod contra obiicitur, dicendum, quòd Dominus creauit Adam per omnia perfectum secundum statum animalitatis: & ideo venæ plenæ erant sanguine, & vasa nutritiua plena nutrimento: & ex illis processit ei omnum. *Ad quæstiuncu-lam.*

AD ALIVD dicendum, quòd non semper ligantur vires animæ rationalis; sed quandoque magis laxantur, inquantum anima tunc circa alia non occupatur: & tunc fiunt reuelationes, sicut dicitur Num. 24. Qui cadit, & sic aperiuntur oculi eius, id est, qui iacet dormiens & sopiens, & sic videt Dei visiones: & sic fuit in Adam.

AD ALIVD dicendum, quòd intellectus non semper sumit à sensu, sed potius quandoque sumit ab intelligentiis separatis, & illarum impressiones sunt in ipso, quando circa strepitus sensuum non occupatur: & hoc fit in somnis, & præcipuè in sopore propter differentiam quam quidam assignauerunt somni & soporis, dicentes quod somnus sit quies animalium virtutum cum intensione naturalium: sopor autem quies animalium cum intensione intellectualium.

ARTICVLVS III.

An Eua de osse vel de carne debuit formari?

SEcundo quæritur de parte quam sumpsit, scilicet de costa? Videtur enim, quòd carnem assumpsit & costam: quia infra dicit, Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea.

2 Adhuc videtur, quòd melius fuisset sumere carnem: quia caro erat formabilior quam os, & magis apta figurationi: ergo videtur, quòd magis debuit carnem quam costam sumere.

3 Item, Mulier est mollior viro: ergo de molliori materia videtur fuisse sumpta: sed hæc non est os: ergo videtur, quòd de osse non debeat sumi.

4 Adhuc videtur, quòd nec de osse, nec de carne

carne sumi debuit: quia quod est actu aliquid non potest esse potentia ad illud: sed os actu est os: ergo non potuit potentia esse os: ergo de osse non potuit fieri os mulieris.

5 Adhuc, Quod est actu pars vna hominis, non est potentia omnes partes: sed os est actu pars vna hominis: ergo non est potentia partes omnes: sed illud ex quo facta fuit mulier, potentia fuit tota mulier: igitur non debuit actu esse pars aliqua hominis: sed os est actu pars vna: ergo illud vnum ex quo facta est mulier, non debuit esse pars illa quæ est os.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd de osse facta est & debuit fieri mulier, multiplici de causa: quarum vna causa est, vt per hoc daretur intelligi potentia opificis: quia etiam non tantum de obediente, sed etiam de inobediente & de duro quæque mollia producere potest. Alia causa est: quia si de molli materia accepta fuisset, nimis mollis fuisset effecta, & de mollitie eius excusata videretur: & ideo Dominus mollitiem complexionis temperare docuit per duritiem materiæ: vt sic constantiam & continentiæ duritiem vniuersaliter mulier doceretur. Quare autem sumpta est de latere, & non de capite, vel pede, Magister in secundo assignauit rationem: & hæc sufficiant.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd non ideo dicit, Caro ex carne, quòd essentialiter sit de carne sua sumpta, sed quia originaliter: quia caro pro costa repleta est, & costa in carnem & alias partes mulieris transformata.

AD ALIVD dicendum, quòd licet caro formalior sit quam os; tamen artifici infinitæ virtutis vnum formalius non est reliquo: & ideo prædictis de causis os & non carnem sumpsit.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc habet mulier ex complexione, & non ex materia, vt prius explanatum est:

AD ALIVD dicendum, quòd hoc verum est quandiu manet in actu partis illius cuius formam habet: sed Dominus transformauit seu transmutauit os à forma ossis, & tunc induit ei formam aliam.

AD VLTIMVM dicendum eodem modo. Et sic patet solutio ad totum.

ARTICVLVS III.

An Adam propheticè dixit, Hoc nunc os ex ossibus meis, & caro de carne mea?

DEinde quæritur de hoc quod dicit [Post extasim propheticè dixisse, &c.] De rebus enim præsentibus quæ subiacent sensui & rationi, non est prophetia: sed quòd ad hunc vsum facta fuit mulier, subiacuit rationi accipienti ex sensu: ergo non dixit hoc propheticè. Si autem dicatur, quòd prophetia refertur ad statum Ecclesiæ futurum, qui significabatur in muliere, videtur esse falsum: quia non propagarentur sacramenta de latere Christi nisi homo peccasset: ergo non cognoscitur propagatio nisi cognito peccato: ergo præcognouit Adam suum casum, quod negat Augustinus, & etiam in secundo est probatum.

Solutio. SOLVTIO. Ad hoc dicendum, quòd prophetia refertur ad statum futurum Ecclesiæ, & non ad præsentem vsum mulieris: quia ille ex discretione sexus & ratione poterat sensibiliter cognosci.

AD HOC autem quod contra obiicitur, dicendum quòd non sequitur: hoc non fit sine illo: ergo non cognoscitur sine illo. Et est instantia: quia lineæ mathematicæ non sunt sine materia sensibili, & tamen cognoscuntur sine illa: & animal vniuersale non fit sine indiuiduo, & tamen cognoscitur sine illo. Et est fallacia consequentis. Dicunt tamen aliqui, quòd ideo non præcognouit casum suum, quia non contulit, nec tenebatur conferre: quia alias liberari potuit. Videtur tamen mihi, quòd etiam potest dici, quòd scire potuit propagationem futuram de latere Christi, & non præscire casum, etiamsi contulit: quia multis de causis potuit Christus incarnari, & non tantum pro peccato.

De duplici institutione coniugij.

CONIVGII autem institutio duplex est. Vna ante peccatum ad officium facta est in paradiso, vbi esset thorus immaculatus & nuptiæ honorabiles: ex quibus sine ardore conciperent, sine dolore parerent. Altera post peccatum ad remedium facta extra paradisum, propter illicitum motum deuitandum. Prima, vt natura multiplicaretur. Secunda, vt natura exciperetur, & vitium cohiberetur. Nam & ante peccatum dixit Deus, Crescite & multiplicamini: & post peccatum omnibus penè hominibus per diluuinm consumptis. Quod vero ante peccatum institutum fuerit coniugium ad officium, post peccatum vero ad remedium concessum Augustinus testatur dicens, Quod sanis est ad officium, ægrotis est ad remedium. Infirmitas enim incontinentiæ, quæ est in carne per peccatum mortua ne cadat in ruinam flagitiorum: excipitur honestate nunptia

B

Gen. 1.

nuptiarum. Si vero non peccassent primi homines sine carnis incentiuo ac feruore libidinis ipsi ac successores eorum conuenirent. Et sicut remunerabile est aliquod bonum opus, sic coitus eorum vnus
Rom. 6. esset & remunerabilis. Quia vero propter peccatum lethalis concupiscentiæ lex membris nostris inhæsit, sine qua carnalis non fit commixtio, reprehensibilis est & malus coitus nisi excusetur per bona coniugij.

ARTICVLVS V.

An matrimonium potest institui pluribus viris?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Coniugij autem institutio duplex est] Videtur enim hoc esse falsum: quia institutio diuina est illa à qua coniugium accepit virtutem, sicut & omne sacramentum: sed institutio diuina efficacissima est: ergo non duplicatur vel triplicatur ad idem efficiendum. Prima probatur per diffinitionem sacramenti Magistri Hugonis, qui dicit, quòd est ex institutione significans.

2 Adhuc, Alia sacramenta sunt magis efficacia, quam istud: & sufficit in eis institutio vna: ergo & in isto.

3 Adhuc, Ad idem non multiplicatur causa secundum causalitatem vnã, nisi sit inefficax. Sed ad idem dicitur hic multiplicari institutio: quia per eadem verba fit & ad eundem actum, scilicet ad crescere & multiplicari, vt patet inspicienti literam in duabus institutionibus in Adam & Noe & filiis eius factis: ergo institutio diuina fuit inefficax, quod nefas est dicere.

4 Item, In legibus humanis vna sola sufficit institutio sancita per imperatorem: ergo multo plus in legibus diuinis: ergo non potuit esse duplex institutio matrimonij.

Contra hoc est quod dicitur in litera.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd nihil prohibet idem bis vel ter vel pluries institui secundum plures rationes & effectus ipsius: vnde cum matrimonium sit in officium naturæ, & in remedium concupiscentiæ: & hoc dupliciter, scilicet ex actu ipso ordinato per fidem thori, & per significationem sacramenti, & ex gratia quæ est ex desponsatione humanæ naturæ cum diuina in persona Christi: nihil prohibet matrimonium sic habere duas vel tres etiã institutiones diuinas: vnam quoad naturam secundum se, aliam quoad naturam corruptam, & tertiam secundum statum naturæ reparatæ per Christum: & sic matrimonium est sacramentum innocentiæ, veteris legis, & legis nouæ.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd institutio aperte instituentis efficax est: sed tamen ex parte nostra oportet ipsam duplicari vel triplicari, vt sciamus ipsum esse ad plura, & non ad vnum, cum ista plura efficere non possit nisi virtute institutionis. Si autem obiiciat quis dicens, quòd vna dictione potuit instituere dicens, Valeat matrimonium: ad hoc tamen dicendum, quòd hoc non fuit congruum: quia sic reuelasset homini suam corruptionem futuram! Præterea cum successu temporis debuit innotescere morbus & medicina, sicut dicitur Matth. 5. & huius causæ sunt supra assignatæ.

AD ALIVD dicendum, quòd quædam de aliis sunt magis efficacia: sed maior efficacia vel minor non est causa vnius vel plurium institutionum, sed potius pluralitas effectuum, vt dictum est. Et si arguat quis, quòd si istud habet plures effectus: ergo est magis efficax: dicendum quòd fallit secundum fallaciam figuræ dictionis mutando speciem prædicamenti, scilicet discretum in continuum vel quasi continuum.

AD ALIVD dicendum, quòd non multiplicatur secundum causalitatem eandem. Ad probationem autem dicendum, quòd licet repetatur idem actus, non tamen sub eisdem dispositionibus: quia enim propter ipsum æstum concupiscentiæ inundauerat catheclismus, & diuisim iussi sunt intrare in arcam Noe, & filij eius, & vxores eorum, poterant timore concupiscentiæ timere ne esset multiplicandum iterum genus humanum: & ideo iterum præcipuè excepta concupiscentia per fidem thori & bonum sacramenti, ne rueret in præceps.

AD VLTIMVM dicendum, quòd illa ratio procedit ac si virtus instituentis esset causa vnius vel plurium institutionum. Et hoc non est verum, vt patet ex prædictis.

ARTICVLVS VI.

An in paradiso fuissent nuptiæ & matrimonium?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Vbi esset thorus immaculatus, & nuptiæ honorabiles, &c.] Dicit enim Augustinus in lib. de bono coniugij, quòd nuptiæ bonum sunt mortalium: sed in paradiso erant homines immortales: ergo non fuissent nuptiæ in paradiso.

2 Item, Ioan. Damasc. dicit quòd si homo non peccasset, immortalis remansisset: ergo non per nuptias, sed aliter fuisset propagata natura humana: ergo falsum est quod dicit Augustinus in litera.

3 Item, Secundum omnem naturam habens salutem in se perpetuam, nunquam quærit perpetuari in altero eiusdem speciei: sed si homo immortalis remansisset, ipse haberet esse perpetuum saluatum in seipso: ergo non quæreret perpetuari in alio: ergo non fuissent nuptiæ,

nuptiæ, quia nuptiæ in paradiso non fuissent nisi propter illud.

4 Item, Nihil quærit in alio, quod habet nobilius in seipso: sed hanc permanentiam habens in seipso, nobilius habet, quam qui habet eam in alio: ergo habens eam in seipso non quærit eam in alio: sed homo si non peccasset, habuisset eam in seipso: ergo non quæsiuisset eam in alio, scilicet in filiis per fœcunditatem.

Sed contra. In contrarium huius est, quòd secundam naturam omne illud cuius tota materia non est intra, multiplicat se per indiuidua, vt materiam inducat sub formam suam: sed hominis materia non tota fuit intra: ergo multiplicasset se per generationem indiuiduorum. Prima constat ex disputatis ab Aristot. in primo lib. de cælo & mundo. Secunda probatur per hoc, quòd id quod totam materiam habet intra, impossibile est multiplicari per indiuidua: homo autem est multiplicatus. Si forte dicatur, sicut Damascen. videtur sentire, quòd aliter quam per commixtionem sexus fuisset facta propagatio. Contra: Sexus à Domino in paradiso discretus creatus est. Cum igitur omnis sapiens finem determinatum intendat in opere suo, ipse finem discreti sexus intendit: non est autem nisi commixtio: masculus enim est qui generat in alio ex se semine proprio, fœmina autem in se ex alio, vt dicit Philosophus: ideo videtur, quòd tunc commixti fuissent.

2 Item per literam Genes. 3. patet quòd Eua Adæ facta est in adiutorium: constat autem, quòd non in adiutorium vitæ, aut operationum: quia non habuit indigentiam tunc homo, præcipuè cum vir viro magis cooperaretur ad vitam & operationes, quam mulier viro: ergo relinquitur, quòd facta fuerit in adiutorium generationis: sed in diuerso sexu iuuare non potuit, nisi per sexus commixtionem: ergo videtur, quòd tunc vt nunc quoad hoc fuisset propagatio.

Solutio. Responsio. Dicendum, quòd quoad commixtionem sexus idem fuisset modus propagationis tunc, vt nunc.

Ad primum ergo dicendum, quòd dictum August. intelligitur secundum naturam mortalium in statu animali: homo enim secundum naturam quidem semper fuit mortalis etiam in paradiso, sed per gratiam innocentiæ habuit immortalitatem, vt disputatum inuenire quis potest in fine secundi.

Ad alivd dicendum, quod Damascen. non refert dissimilitudinem ad actum commixtionis, sed ad coniunctum quod est corruptio in conceptu, grauitas in imprægnatione, & dolor in partu.

Ad alivd dicendum, quòd Philosophus loquitur de incorruptibilibus secundum naturam: & hæc non sunt nisi ea quæ natura elongauit à contrarietate & mutatione: & talis per naturam non fuit homo in primo statu, sed ex gratia, vt dictum est. Per idem patet solutio ad sequens: verum est enim, quòd talia naturaliter incorruptibilia, non quærunt saluari vel multiplicari secundum speciem, nisi in indiuiduis.

ARTICVLVS VII.

An in paradiso fuisset conceptus sine ardore libidinis?

Deinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Ex quibus sine ardore conciperent, & sine dolore parerent] Videtur enim hoc esse falsum: aut enim ardor ibi intelligitur calor membrorum in coitu, aut illa vehemens delectatio quæ in coitu sentitur. Sed primo modo falsum est: quia etiam in primo statu magis quam nunc calorem habuisset homo obsequentem operibus naturæ: ergo cum opus naturæ sit generare, calor tunc fuisset obsecutus ad opus illud: sed obsequi est extendere membra, vt dicunt Philosophi: ergo & tunc vt nunc vel plus membra extendisset: ergo tunc fuisset ardor. Si autem dicit delectationem. Contra: Naturale est in natura bene disposita delectari in propria operatione, vt vult Aristot. in 10. ethic. sed optimè disposita fuisset natura in statu innocentiæ si stetisset homo: ergo in propria operatione magis quam nunc fuisset delectatus: propria autem operatio est generatio: ergo in actu generationis tunc plus quam nunc fuisset delectatus. Si forte quis dicat, quòd vsum membrorum habuisset ad imperium rationis, & non virtute caloris. Contra: Hoc stultum est dicere: quia ratio non mouet, sicut vix affixa organo, sed per imperium tantum: ergo oportet aliquam esse affixam organo cui imperet: hæc autem quæcunque est, non mouet sine instrumento: & cum hoc non sit nisi calor, sequitur vt prius.

2 Item, In omni natura complexionata bene disposita dolor grauissimus surgit ex excellenti tactu neruorum, & delectatio vehemens ex tangenti conuenienter & suauiter: sed in resolutione seminis conuenientissimus fit neruorum tactus, & similiter tunc vt nunc fuisset: ergo tunc vt nunc vel plus fuisset homo delectatus: ergo ardorem delectationis sensisset.

Vlterius videtur, quòd cum maiori dolore peperisset quam nunc: quia dolor est sensus diuisionis continui: ergo sensus diuisionis continui nobilius coniuncti magis facit dolorem: sed mulier tunc fuisset nobilius coniuncta, quam modo sit aliqua: ergo in diuisione magis doluisset: sed impossibile est nasci infantem debitæ quantitatis sine diuisione & extensione membri genitalis: ergo tunc impossibile fuisset parere sine dolore.

Responsio. Dicendum, quòd conceptus fuisset tunc sine ardore, & partus sine dolore. Ardor autem dicit delectationem quæ rationem secundum actum suffocat. Et bene concedo quod tunc fuisset maior & sincerior delectatio in opere: & tamen sub imperio rationis, quia ratio tunc fuisset confortata gratia innocentiæ, ita quòd nihil existens sub ipsa quantumcunque vehemens fuisset, auertisset eam à contuitu immutabilis boni primi. Et per hoc patet solutio ad totum quod obiicitur de ardore. *Solutio.*

Ad aliud quod obiicitur de dolore, dicendum quòd dolor nullus fuisset nec diuisio: quia nimia extensio mulierum & arctatio prouenit ex peccato; sed tunc fuissent membra proportionata nascentibus, ita vt per extensionem non diuidentem corpus mulieris infantes potuissent profundi: si tamen etiam tunc corpus fuisset ferro percussum, non fuisset diuisum, vt dicit Isidor. & ideo etiam non fuisset doloris susceptibile.

ARTICVLVS VIII.

An matrimonium sit remedium & medicina contra morbum concupiscentiæ?

Deinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Quod sanis est ad officium, ægrotis est ad remedium, &c.] Videtur enim hoc esse falsum: nulla enim infirmitas accipit medicamentum ab eodem à quo accipit intensionem: sed concupiscentia coeundi est infirmitas: ergo, &c. Constat autem, quòd ex materia ad facultatem exhibita & licentia coeundi satisfit concupiscentiæ carnali: & hoc fit per matrimonium: ergo matrimonium intendit concupiscentiam: ergo non est remedium contra morbum concupiscentiæ.

2 Item, Nulla infirmitas curatur per id quod appetit: sed concupiscentia est infirmitas destitutæ naturæ: ergo non curatur per idem quod appetit: appetit autem coitum: ergo non curatur per illum: cum igitur matrimonium consummetur per coitum, videtur quòd matrimonium non curet concupiscentiam. Prima probatur per dictum Galeni & Aristot. qui dicunt, quòd appetitus infirmorum sunt corrupti per ægritudinalem habitum: & ideo eis non est satisfaciendum.

3 Item, Nulla infirmitas manet post suam curam si cura est efficax: sed concupiscentia coeundi adhuc manet & agit post matrimonium: ergo matrimonium non est curans concupiscentiam coeundi.

4 Item, In omnibus corporalibus & spiritualibus medicinæ sunt per contrarium: ergo videtur, quòd etiam in isto: videtur ergo cum matrimonium non habeat contrarietatem ad concupiscentiam coitus, quòd non sit cura ipsius.

5 Si forte dicas, quòd matrimonium est medicina hoc modo: quia concupiscentia coitus quæ rueret in præceps per coitum absolutum, ligatur ad vnam: & quia fide thori restringit, ideo efficitur non illicitus, & sic accipit medicinam. Contra: Nullus morbus sic medicatur, quòd restringatur ad partem materiæ in qua diffunditur: quia quanto magis restringitur, tanto acerbior efficitur circa id in quo est: ergo nec concupiscentia sic debet medicamentum accipere. Item, Quod secundum se est illicitum, nunquam efficitur licitum ex hoc quod est circa vnum & non circa plura: sed concupiscentiæ concubitus secundum se est illicitus: ergo non efficitur licitus ex hoc quòd per matrimonium restringitur ad vnum coniugium. Prima probatur in omnibus moralibus. Auaritia enim & prodigalitas & sic de aliis, quæ secundum se sunt illicita, nunquam licita efficiuntur ex hoc, quòd sint circa vnum. Secunda probatur per hoc, quòd nihil secundum se ruit in vitium & præceps, nisi quod secundum se est illicitum: concupiscentiæ autem concubitus secundum se ruit in præceps, vt sæpè dicitur in verbis Augustini in litera: & sic constat propositum. Item, In naturis sic est, quòd virtus naturalis restricta ad vnum, magis intenditur in illo, sicut patet in calido, frigido, & omnibus aliis: cum igitur concupiscentia agit per modum naturæ, videtur quòd nec ipsa hoc modo potest capere medicinam.

Solvtio. Ad hoc autem dicendum videtur, quòd matrimonium duplex est medicina concupiscentiæ coeundi. Vno modo ex gratia quam dat in fide mediatoris contrahentibus quæ sibi est gratia sacramentalis: & hæc mitigat concupiscentiam, sicut patet Tob. 6. Audi me, & ostendam tibi qui sunt in quos potest prævalere dæmonium. Sunt qui sic accipiunt vxores, vt suæ libidini ita vacent sicut equus & mulus in quibus non est intellectus: & in hos habet potestatem dæmonium. Et subiungit, quòd alij timore Dei accipiunt, in quos non habet potestatem. Potestas autem dæmonis ibi vocatur potestas in fomite quoad concupiscentiam coeundi. Alio autem modo medicatur restringendo legibus diuinis & humanis, quibus excluditur turpitudo quæ coniuncta est concupiscentiæ: & hoc modo excipitur ne ruat in præceps, sicut dicitur in litera.

Ad obiectvm ergo primum dicendum, quòd non ab eodem accipit intensionem & medicamentum: quia matrimonium per gratiam interiorem ignem fomitis remittit, & per honestatem legum exteriorum diuinarum & humanarum turpitudinem tollit vitij: ita quòd non manet nisi pœnæ turpitudo quæ est actui inseparabiliter coniuncta. Et hoc falsum est, quòd per matrimonium detur facultas & licentia concumbendi: licet enim hoc sit in matrimonio, non tamen est ad hoc, sed potius ad ea de quibus dictum est.

Ad aliud dicendum, quòd infirmitas hæc non appetit hanc duplicem sui restrictionem, sed potius licentiosum concubitum: & ita patet, quòd illa ratio non procedit.

Ad aliud dicendum, quòd infirmitas vitij concupiscentiæ non manet post matrimonium, sed infirmitas pœnæ est minorata duabus de causis suprà dictis.

Ad aliud dicendum, quòd non omnino per contrarium potest fieri medicina, quando infirmitas radicata est in mẽbris radicalibus & chronica: quia talem medicinam natura sustinere non posset: & sic est hic: quia concupiscentia radicata est in natura corrupta, & ideo fit per contrarium quantum potest, vt saluetur bonum naturæ & gratiæ, ne morbi violentia subuertatur.

Ad aliud quod contra solutionem inductam obiicitur, dicendum quòd istæ duæ rationes procedunt ac si fiat restrictio illa tantum per diminutionem materiæ, & non per diminutionem concupiscentiæ: & hoc iam ex dictis

dictis patet esse falsum. Et hoc confirmatur ex hoc, quòd etiam ille qui æquali concupiscentia ardet in coniugem & meretricem vel adulteram, adulter dicitur in sententiis Sexti Pithagorici, vt infra dicet Hieron. in litera. Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICVLVS IX.

An concupiscentia sit mortalis vel lethalis, & cum concupiscentia inhæreat coitui, an ille sit semper mortalis?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Lethalis concupiscentiæ lex membris inhæsit, &c.] Ex hoc videtur, quòd concupiscentia est lethalis: quia idem est lethale & mortale.

2 Item, Si aliquid vituperatur propter aliquid ei ineuitabiliter coniunctum, semper vituperabitur: sed sicut in litera dicitur, concubitus vituperatur propter concupiscentiam: sed hæc ineuitabiliter inhæret coitui: ergo semper vituperatur: ergo semper est mortalis.

3 Item, Vnus actus specie in moribus vocatur, qui est circa idem volitum specie, & eodem mouente formaliter: sed iste actus sic idem est specie in meretrice & coniuge: ergo est idem specie: sed de similibus specie idem est iudicium: ergo si in meretrice est mortalis, & in coniuge erit mortalis. Probatur prima per inductionem: quia in omnibus actio ideo dicitur actio, quia est ab actu facientis, id est, à forma, sicut dicit Commentator super primum primæ Philosophiæ. Secunda autem probatur: quia meretrix & coniugata sunt eiusdem speciei, & concupiscentia mouens in coniugem & meretricem est eiusdem speciei: quæ est forma delectabilis apprehensi in coniuge & meretrice.

4 Item, In litera parum infrà dicet, quòd malus est coitus nisi excusetur per bona coniugij: si igitur excusari non potest, semper erit malus. Probemus igitur, quòd excusari non possit. Bonum enim prolis comitatur coitum vtrobique, scilicet in coniugata & soluta. Bonum autem fidei videtur non operari, quia fides nihil facit nisi vt alteri, ea viua, non coniungatur: sed hæc fides potest dari amasiæ solutæ: ergo nec videtur facere excusationem: sed sacramentum causatur ex indiuiduitate carnis: cum autem coniungitur meretrici, efficitur vna caro: ergo videtur, quòd omnino æqualiter sit in meretrice & coniuge: & ideo cum non excusent in vna, non videntur excusare in alia: & ita habetur propositum.

5 Item, Omne quod excusatur, malum est: sed omnis coitus matrimonialis excusatur, vt dicitur in litera: ergo est malus.

6 Item si forte velis dicere, quòd cum excusationem habet, efficitur non malus. Hoc primo est contra disciplinam rhetoricam, in qua ad nihil retrahuntur argumenta excusationis nisi ad malum. Secundo autem videtur, quòd non possit excusari: quia non sunt facienda mala vt veniant quæcunque bona, vt habetur Rom. 3. sed coitus est malus, vt dicitur in litera: igitur non est faciendus vt eueniant quæcunque bona: ergo nec vt eueniant bona matrimonij. Hæ autem sunt, vel esse possunt rationes hæreticorum damnantium omnem concubitum matrimonialem.

IN CONTRARIVM huius obiiciatur sic: Luc. 1. de parentibus Ioannis Baptistæ charitate se mutuo cognoscentibus dicitur, Erant ambo iusti ante Deum, & sine querela incedentes, &c. hoc autem non posset esse verum si coitus esset peccatum: ergo coitus non est peccatum. *Sed contra.*

2 Item 1. Corinth. 7. Vxori vir debitum reddat: similiter vxor viro. Constat, quòd non loquitur de debito pecuniæ, sed corporis: sed nulli debetur peccatum: ergo communicare corpus ad concubitum, non est peccatum coniugum.

3 Item etiam per rationem obiicitur sic: Omnis actus voluntarius radicatus in natura, vel hominum communicatione, medium accipit virtutis: sed coitus est hiusmodi actus: ergo accipit medium virtutis: ergo aliquando non solum non est peccatum, sed etiam virtus: & hoc non est nisi in matrimonio: ergo matrimonialis concubitus non semper est peccatum. Probatur prima ex inductione in operibus castitatis, fortitudinis, & iustitiæ. Secunda autem patet ex hoc, quòd virtus generatiua est virtus naturalis: & ideo necessarius est actus eius.

4 Item, In vnaquaque natura maximè est diuinum, quod maximè attingit perpetuitatem: ergo & in homine similiter est: sed quod maximè attingit perpetuitatem, est actus saluans speciem: ergo iste maximè est diuinus: ergo licet lege diuina vel humana formetur, ipse erit honestus: ergo tunc non tantum non erit peccatum, sed etiam actus virtutis.

5 Item, Quod natura in quibusdam facit in vno & in quibusdam per diuersa, æquè naturale est in vno & in diuersis factum: sed imprægnare & imprægnari natura in vegetabilibus facit in vno, & in sensibilibus in diuersitate sexus: ergo æqualiter est naturale in vtrisque: sed quod est naturale in omnibus si voluntarium efficiatur, per hoc non efficietur vituperabile: ergo imprægnare & imprægnari per rationalem voluntatem, adhuc non efficitur vituperabile: omne autem voluntarium naturale per rationem ordinabile debitis circunstantiis naturæ, erit actus virtutis: ergo concubitus imprægnans & imprægnatus, siue imprægnantis & impregnati, potest esse actus virtutis: & inde vt prius.

RESPONSIO. Dicendum, quòd profana sunt ea quæ probant rationes primæ: & sufficit ad vituperium illorum hæreticorum dicere, quòd ipsi sunt filij adulterorum & filij tenebrarum & diaboli secundum suam propriam confessionem: & ergo etiam hæreditatem patris sui diaboli percipiēt, id est, pœnas æternas, nisi resipiscant: & hoc certissime verum est. *Solutio.*

AD HOC ergo quod primo obiiciunt, dicendum quòd lethalis dicitur concupiscentia: quia à letho inducta, non quod semper lethum inducat: dicitur etiam lethalis, quia lethali corpori inhæret.

AD

Ad alivd dicendum, quòd concupiſcentia pœnæ ineuitabiliter eſt adiuncta ad coitum, ſed non culpæ. Et pœna non eſt vituperabilis niſi ſecundum quid, ſcilicet ſecundum quod eſt ex peccato.

Ad alivd dicendum, quòd ſecundum ſpeciem moris non eſt idem actus ſpecie concubitus matrimonialis, & ſolutus. Ad probationem autem dicendum, quòd materialiter eſt idem obiectum remotum ſpecie, ſed non formaliter & propinquum. Remotum enim eſt materialiter vtrobique idem: ſed propinquum eſt materialiter ſub circunſtantiis, quæ in vno ſunt ſolutum indebitum in ſuæ laſciuiæ fomentum: in alio autem legibus humanis & diuinis aſtrictum & alligatum ex iure diuino & humano, in quo bonum prolis quæritur, vel medicinæ. Similiter habitus mouens in vno eſt concupiſcentia fornicandi: in altero autem honeſtas nuptiarum. Et ideo patet, quòd non procedit ratio illa.

Ad alivd dicendum, quòd nullum bonorum matrimonij eſt in ſoluta: quia non eſt bonum prolis: quod patet per hoc, quia de diffinitione boni prolis eſt, quòd honeſte ſuſcipiatur, quod non quæritur in ſoluta. Nec fides eſt ibi: quia non contingit fidem habere niſi ad ſuam: & hæc non eſt ſua: ſed eſt ibi quædam ſtabilita turpitudo. Nec ſacramentum eſt ibi: quia hoc magis radicatur in diuiſione ſpirituum, quam corporum. Vnde patet, quòd probatio illa nihil valet.

Ad alivd dicendum, quòd illud quod excuſatur, dupliciter excuſatur, ſcilicet ſicut id quod eſt eſſentialiter reatus, & ſicut id quod non eſt eſſentialiter reatus, ſed eſt coniunctum turpitudini propter aliquid præcedens quod fuit reatus eiuſdem in ſpecie non in numero, à quo eſt dependentia, vt ad patrem. Quod ergo excuſatur primo modo, hoc ſine dubio malum eſt culpæ: & de hoc tenet obiectio. Quod autem ſecundo modo excuſatur, non eſt malum ſecundum ſe, nec eſt culpa eius in quo excuſatur, ſed potius pœna ex culpa patris procedens.

Ad alivd dicendum, quòd mala culpæ non ſunt facienda, nec minima, vt eueniant quæcunque bona: ſed coitus ſecundum ſe non eſt huiuſmodi culpa, vt patet ex præhabitis. Tamen cum dicitur, quòd coitus ſecundum ſe eſt malus vel peccatum, eſt duplex æquiuocatio eius quod eſt ſecundum ſe. Si enim dicat proprietatem ſiue conditionem naturæ & eſſentiæ coitus, locutio eſt falſa: quia ſic coitus in paradiſo etiam fuiſſet malus. Si autem dicat excluſionem eorum quæ ordinant coitum legibus & bonis matrimonij, tunc eſt vera: & ſic intelligatur coitus ſecundum ſe, id eſt, per ſe ſolus non coarctatus lege & bono matrimonij. Et hæc diſtinctio valet tam ad præcedentia, quam ad ſequentia.

Quando ſecundum præceptum, & quando ſecundum indulgentiam contractum ſit coniugium.

C PRima inſtitutio habuit præceptum, ſecunda indulgentiam. Didicimus enim ab Apoſtolo, humano generi propter vitandam fornicationem indultum eſſe coniugium. Indulgentia vero quia meliora non eligit, remedium habet, non præmium: à qua ſiquis declinauerit, meretur exitiale iudicium. Quod ſecundum indulgentiam conceditur, voluntarium eſt, non neceſſarium, alioquin tranſgreſſor eſſet, quod illud non faceret. Et poteſt ſanè intelligi illud ſub præcepto dictum hominibus primis ante peccatum; Creſcite & multiplicamini. Quo etiam poſt peccatum tenebantur, vſquequo eſt facta multiplicatio, poſt quam ſecundum indulgentiam, matrimonij contractus fuit. Ita etiam poſt diluuium quo vniuerſum penè humanum genus deletum eſt, ſecundum præceptum dictum eſt filiis Noë, Creſcite & multiplicamini. Multiplicato vero homine, ſecundum indulgentiam contractum eſt, non ſecundum imperium.

1.Cor.4.

Gen 9.

ARTICVLVS X.

An prima inſtitutio matrimonij habuit præceptum?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Prima inſtitutio habuit præceptum] Hoc enim falſum videtur: aut enim hoc fuit præceptum affirmatiuum, aut negatiuum. Si affirmatiuum: ergo ſemper tenetur ad illud omnis homo: ergo nullus homo abſolutus eſt ab illo: quia non legitur fuiſſe retractatũ: ergo aliquo tempore etiam monachi & moniales tenentur ad actum matrimonij: quod falſum videtur, cum voueant continentiam perpetuam, & non ſit ponderatio condigna continentis animæ. Si autem eſt negatiuum; tunc obligat ſemper & ad

ad ſemper : & tunc ſemper oportet hominem eſſe in actu matrimoniali, quod eſt impoſſibile & friuolum.

2 Item, Si fuit tunc præceptum : aut hoc præceptum fuit tunc pro bonis, aut de per ſe faciendis. Si primo modo : tunc debuit eſſe in re indifferenti, & non obligare poſt ſtatum peccati, ſicut nec præceptum de non comedendo de ligno ſcientiæ boni & mali. Si autem eſt de per ſe faciendis, cum per ſe facienda ſint ſemper vno modo, præceptum obligabit vno modo : ergo adhuc obligat omnem hominem, quod falſum eſt.

3 Item videmus, quòd præceptum de ſalute indiuidui quod eſt de comedendo, adhuc obligat omnem hominem : ergo à ſimili etiam præceptum de ſalute ſpeciei debet omnem hominem adhuc obligare.

4 Item, Dignior eſt ſpecies quam indiuiduum & magis neceſſaria : ſed ad dignius & & magis neceſſarium eſt maior obligatio: ergo maior eſt obligatio ad actum ſaluantem ſpeciem, quam indiuiduum: ſed ad actum ſaluantem indiuiduum adhuc obligamur : ergo & ad illum: ergo omnes vouentes continentiam, mortaliter peccant vouendo continentiam.

5 Si forte dicas, quòd obligabat quando pauci erant homines, & adhuc obligaret in ſimili caſu. Contra : Præceptum morale obligat æqualiter, paucis exiſtentibus & multis: ergo ſi iſtud eſt morale, videtur quòd nihil ſit dictum, quòd paucis exiſtentibus obligat, & multis exiſtentibus non obligat. Si autem dicatur eſſe cerimoniale, hoc friuolum eſſe patet cuilibet.

6 Item videtur, quòd omnibus modis adhuc obliget omnes : quia ſecundum deſiderium naturæ ſemper debet eſſe ordo naturaliũ: ſed deſiderium naturæ eſt ad omnimodam multipicationem indiuiduorum : ergo præceptum & ordo naturalium debet eſſe ad hoc. Probatur prima per hoc quod natura nunquam errat, vt dicunt Philoſophi, & ſapientiſſima eſt in ſuis effectibus & actibus. Secunda autem patet per ſe.

7 Item, Multis exiſtentibus ſi quilibet bene faciat continendo, diſſolueretur generatio: & hoc eſſet malum: ergo non bene faceret continendo : ſed eadem eſt de vno ratio & de alio: ergo aut omnes benefacerent continendo, aut nullus : non omnes ; ergo nullus : ergo omnes peccant qui continent. Et hæ ſunt vel eſſe poſſunt rationes Iudæorum dicentium, omnes debere contrahere matrimonium, & iudaizantium quorundam hæreticorum.

Sed contra. SED CONTRA: Eccli. 26. Non eſt digna ponderatio continentis animæ : ſed continentia præcipuè eſt in virginitate, ſcilicet in indiuiduitate : ergo videtur, quòd melior eſt quam caſtitas matrimonialis.

2 Item, Præcipuum bonum eſt quod præcipuè præbet facultatem ſine impedimento ſe Domino obſeruandi : ſed hæc eſt caſtitas virginalis & vidualis: ergo videtur, quòd illa melior ſit quam matrimonialis.

3 Item, Virtus eſt circa difficile & bonum, ſcilicet honeſtum : ſed magis circa difficile & bonum ſunt virginitas & viduitas: ergo magis ſunt bonæ quam matrimonium.

4 Item, Viduitati debetur fructus ſexageſimus, & virginitati centeſimus, matrimonio autem trigeſimus tantum : ergo videtur, quòd virginitas & viduitas ſint meliora quam matrimonium.

5 Item, Non eſt præceptum de facili ad quod natura per ſe inclinat, etiamſi ſit de faciendis: ſed ad actum concumbendi matrimonialiter inclinat natura, & eſt facile : ergo non debet eſſe præceptum de illo. Probatur prima per hoc, quòd omnes dicunt, quòd ideo non eſt præceptum de diligendo ſeipſum, quia hoc eſt facile, & natura inclinat ſe ad illud. Secunda autem patet per ſe.

6 Item, Omne quod præcipitur aliqua de cauſa, videtur quod non obliget cauſa illa non exiſtente : ſed cum dicitur, Creſcite & multiplicamini, ſi ſit incrementum & multitudo, non habet cauſam & rationem præceptum: ergo videtur, quòd tunc non obliget.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd hoc præceptum eſt naturæ ex cauſa defectus multitudinis : & ideo bene concedo, quòd non obligat multitudine exiſtente.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd fuit præceptum affirmatiuum ex cauſa determinata factum, & omnem hominem obligat quando eſt eadem cauſa, quia tunc eſt tempus neceſſitatis : & tunc bene concedo, quòd nullo voto obſtante omnis homo teneretur ſi ſimilis eſſet caſus.

AD ID autem quod probatur, dicendum eſt quòd ponderatio perſonalis boni non eſt condigna continentis animæ : ſed tamen ponderatio boni communis præponderat quantuncunque bono perſonali, præcipuè tale bonum quale eſt ſalus ſpeciei humanæ. Et hoc eſt quod dicit Ariſt. quòd ſi bonum eſt bonum hominis, melius erit quod ciuitatis, & maximum bonum quod gentis.

AD ALIVD dicendum, quòd eſt de per ſe faciendis ex cauſa quæ eſt defectus habitatorum mundi & ſeruientium Deo : & ideo non obligat niſi illa cauſa exiſtente.

AD ALIVD dicendum, quòd non eſt ſimile: quia ſalus indiuidui non procuratur niſi per idem indiuiduum : ſed ſalus ſpeciei poteſt procurari per alium.

AD ALIVD dicendum, quòd verum eſt digniorem eſſe ſpeciem quam indiuiduum, & melius eſſe quod ſaluetur ſpecies quam indiuiduum, ſi alterum ſine altero ſaluari non poſſit: ſed ſalus ſpeciei nullo modo eſt in periculo multis exiſtentibus hominibus, eò quod ad actum generationis inclinant natura & concupiſcentia & amor prolis : & ideo abſtinens propter Deum meretur.

AD ALIVD dicendum, quòd non eſt ſimpliciter datum hoc præceptum, Creſcite & multiplicamini : quia non contingit creſcere poſt perfectum incrementum, nec multiplicari poſt perfectam multiplicationem : ſed datum eſt ex cauſa, vt dictum eſt : & ideo obligat illa cauſa exiſtente, & non aliter.

AD ALIVD dicendum, quòd eſt natura integra & natura corrupta : & ſecundum hoc habet duplex deſiderium : & quia deſiderium

naturæ

naturæ corruptæ est permixtum corruptioni, ideo oportet resistere desideriis naturæ & maximè veneris: ratio autem procedit de desiderio naturæ integræ tantum.

Ad alivd dicendum, quòd multis existentibus quilibet bene facit continendo: & si quilibet voueat continentiam, certum est, quòd tunc Deus suam voluntatem de dispositione mundi reuelaret vel per se, vel per fideles Ecclesiæ dispensatores: & tunc illis obediendum esset in omnibus quæ præciperent, aut de seruando voto, si fortè ex præsentibus numerus electorum impleretur: vel de frangendo voto & recompensando per materialem fidelium multiplicationem, ne mundus dissolueretur.

ARTICVLVS XI.

An actus matrimonialis habet indulgentiam vel præmium?

Deinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Indulgentia vero quia meliora non eligit, remedium habet, non præmium, &c.] Videtur enim primo, quòd hæc consequentia nulla sit: & est instantia, quia præceptum Domini quodcunque meliora non eligit, sed potius consilium: ergo indulgentiam tantum habet, non præmium: & hoc falsum est.

2 Adhuc videtur esse falsum: quod enim faciendum nuntiatur ab Angelo, præmium habet, non indulgentiam: sed actus matrimonij quandoque faciendus nuntiatur ab Angelo: ergo præmium habet, non indulgentiam. Probatur prima ex hoc, quòd Deus per Angelos nec mala magna nuntiat nec parua: sed omne quod habet indulgentiam, peccatum est, vt dicit in litera ex verbis Augustini. Secunda autem probatur per conceptum Ioan. Bapt. & Samsonis, & aliorum quorundam.

3 Item, Omnis actus ad quem mouet virtus formata, meritorius est, & habet præmium: sed talis multoties est actus matrimonij: ergo multoties habet præmium. Probatur prima: quia actus accipit rationem meriti à forma virtutis formatæ. Secunda autem probatur: quia fides thori est virtus formata in habentibus charitatem, & sæpè mouet ad actum matrimonij.

4 Item, Omnis actus iustitiæ formatæ est meritorius, & habet præmium: sed redditio debiti in actu matrimonij, est actus iustitiæ formatæ: ergo est actus meritorius, & habet præmium.

5 Item, Actus virtutis in quocunque statu dum formata maneat charitate, est meritorius, & habet præmium: sed actus matrimonij est actus cuiusdam status continentiæ habentis formam charitatis: ergo habet præmium, & est meritorius.

6 Item, Omne id quod præcipit ius diuinum & humanum, & punit si non fiat, est meritorium si fiat in charitate: sed actum matrimonij præcipit ius diuinum & humanum, & punit si non fiat: ergo est meritorius si fiat in charitate.

7 Item, Omne id quod in solo timore Dei fit, non cum libidine hominis, potest esse meritorium: talis autem est actus matrimonij: ergo, &c. Probatio maioris est Tobiæ 3. vbi dixit Sara, In timore tuo non cum libidine mea virum consensi suscipere.

8 Item, Apostolus 1. Corinth. 7. Iterum conuertimini in idipsum. Constat autem, quòd nullo modo præciperet committi peccatum: ergo conuerti ad actum matrimonij non est peccatum: ergo non semper habet indulgentiam post peccatum, vt videtur sonare litera.

9 Item, Regula est apud Doctores, quòd nullus debet facere peccatum minus, vt alius euitet maius: sed si coitus matrimonij semper haberet indulgentiam, mulier consentiens viro ad coitum ne ipse incideret in adulteriũ, faceret peccatũ minus, vt alius euitaret maius: ergo hoc non est faciendum mulieri: ergo consulendum est mulieribus, vt non reddant debitum, quod absurdum est: ergo non semper concubitus habet indulgentiam: falsum est ergo, quòd post peccatum semper fuerit in remedium: quod tamen videtur sonare litera.

Sed contra.

Sed contra: Generaliter loquitur Apostolus cum dicit 1. Corinth. 7. Hoc autem dico secundum indulgentiam: quicquid autem habet indulgentiam est peccatum, vt dicitur in litera: ergo generaliter omnis concubitus matrimonialis est peccatum.

2 Item, Cuius causa est mala, & ipsum est malum: sed causa concubitus est concupiscentia ipsi necessario adiuncta: ergo concubitus matrimonij generaliter est malus.

3 Item, In naturis dicitur malum & corruptum, quod malo & corruptioni est permixtum: ergo similiter & in moribus malum dicitur quod corruptioni & malo moris est permixtum: sed coitus matrimonij malo moris quod est fœditas concupiscentiæ, est ineuitabiliter permixtus: ergo omnis coitus matrimonij est malus.

4 Item, Quod malum semper consequitur, quando causatur ab illo, videtur esse malum sicut causa mali: sed concupiscentia coitus semper consequitur malum originalis peccati, vt dicit August. in libro de nuptiis & concupiscentia contra Iulianum Pelagianum: ergo coitus matrimonij generaliter est malus.

5 Item, Damasc. dicit, quòd verecundia est in actu matrimonij: ergo est turpis: sed omne turpe opponitur honesto: ergo coitus matrimonij est oppositus honesto: sed nihil opponitur honesto nisi vitium: ergo actus matrimonij est vitium: ergo est peccatum.

Solutio.

Responsio. Dicendum, quòd actus matrimonij quatuor de causis potest fieri, & triq bus mouentibus. Prima causa est spes prolis. Secunda est fides reddendi debiti. Tertia est in rememoratione boni sacramenti. Quarta est causa infirmitatis sanandæ. Mouens autem quandoque tantum est virtus, & hoc tripliciter, scilicet amor cultus Dei propagandi in prole, amor iustitiæ in redditione debiti, & fides vnionis futuræ in vno spiritu ad Deum: quandoque est mouens natura cum virtute: quandoque est mouens natura cum vitio, & hoc dupliciter, quandoque enim natura præcedit vitium,

quan

quandoque è conuerso vitium præcedit naturam. Dicendum ergo, quòd si fiat concubitus tribus primis de causis, & primis duobus motuentibus, meo iudicio actus est meritorius, & habet præmium, & nullam habet indulgentiam. Si autem fiat quarta de causa, & tertio mouente, ita quòd natura præcedat continendo concupiscentiam ne moueat in vxorem vt in adulteram, tunc est veniale peccatum, & habet indulgentiam. Si autem præcedat concupiscentia, & libido ponatur vltimus finis, est peccatum mortale non habens indulgentiam, nisi per pœnitentiam sicut aliud mortale: quia libidini suæ vacat sicut equus & mulus, in quibus non est intellectus: & ideo in eum potestatem habet dæmonium, vt dicitur Tob. 6. Per hoc ergo patet solutio ad primas obiectiones.

Ad id quod in contrarium obiicitur, dicendum quòd non generaliter loquitur Apostolus, nisi dicatur indulgentia concessionis, sicut distinguitur in litera: sed tunc non omne quod habet indulgentiam, est peccatum. Et quod dicit Augustinus, quòd quicquid habet indulgentiam, est peccatum, intelligitur de indulgentia permissionis.

Ad alivd dicendum, quòd causa concubitus matrimonij non semper est mala, vt patet ex prædictis: & ideo ratio illa nihil valet.

Ad alivd dicendum, quòd coitus matrimonij generaliter est malo pœnæ permixtus, sed non malo culpæ: & ideo non potest dici malum culpæ, sed pœnæ.

Ad alivd dicendum, quòd hoc originale peccatum quod innascitur ex concupiscentia, non est ex malo actu, quia non est malus, sed potius ex vi sententiæ iusti iudicis à qua robur trahit concupiscentia pœnalis, inficiens infantem qui nascitur, eo quod omnis homo generans (vt dicit Anselmus) Adam est in natura generante, qualiscũque sit in persona.

Ad alivd dicendum, quòd turpe est duplex, scilicet pœnæ, & culpæ: & coitus matrimonij habet turpitudinem pœnæ, non culpæ: multæ autem pœnæ tales habent verecundiã, non accusabilem tamen, sicut egestio, vrinatio, & huiusmodi: & tale turpe vulgariter vocatur turpe, sed non opponitur honesto. Est aliud turpe quod est crimen non habens pulchritudinem in actu virtutis, & hoc opponitur honesto, & est peccatum: sed hoc turpe non est in actu matrimonij.

Quibus modis accipiatur indulgentia.

Indvlgentia autem diuersis modis accipitur, scilicet pro confessione, pro remissione, pro permissione. Et D est permissio in Nouo Testamento, de minoribus bonis, & de minoribus malis. De minoribus bonis est coniugium, quod non meretur palmam, sed est in remedium. De minoribus malis, id est, de venialibus, est coitus qui fit causa incontinentiæ. Illud scilicet coniugium indulgetur, id est, conceditur. Illud verò, id est, coitus talis, permittitur, id est, toleratur, ita quod non prohibetur.

ARTICVLVS XII.

An permissio in Nouo Testamento sit de bonis moralibus?

Deinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Permissio in Nouo Testamento de minoribus bonis, &c.] Videtur enim hoc esse falsum: quia cũ quinque sint signa diuinæ voluntatis, vt habitum est ante finem primi libri huius voluminis: sed permissio ibi semper est de malo: ergo non est de minoribus bonis.

2 Item, Non eiusdem est diuina operatio & permissio: sed Deus operatur minora bona, sicut & maiora: ergo videtur, quòd non permittat ea fieri.

3 Item, Præceptum Dei & permissio sunt de signis voluntatis: cum igitur sint diuersa, non erunt circa idem: est autem præceptum de minoribus bonis: ergo permissio non est de minoribus.

Quæstiũcula.

Vlterivs quæritur, Quare dicit in *D. Alb. Mag. in Lib. 4. Sentent.* Nouo Testamento? Videtur enim, quòd permissio non sit circa cerimonialia, sed circa moralia: ergo æqualiter commetitur Nouo & Veteri Testamento: non ergo in Nouo Testamento tantum est de minoribus bonis.

Ad hoc dicendum, quòd permissio secundum quod est signum diuinæ voluntatis, & secundum quod est de minoribus bonis, non in ratione vna sumitur: ibi enim operationi opponitur cũ vtrunque sit circa præsens: vnum circa malum, & alterum circa bonum: hic autem opponitur consilio, eò quod maiora bona sunt de quibus est consilium: & cum non inclinatur homo ad illa, permittit Deus hominem saluari in minoribus bonis, id est, concedit. Alia autem differentia est: quia in permissione secundum quod est signum voluntatis diuinę, Deus non vult actum, sed aliquid circa ipsum quod ex ipso malo actu ordinato elicitur: hic autem Deus vult actum ipsum: sed magis remuneraret eum, qui esset meriti excellentioris. Et per hoc patet solutio ad primum quod fallit secundum æquiuocationem. Per *Solutio.*

idem etiam patet ſolutio ad ſecundum & tertium.

AD ID autem quod vlterius quæritur, dicendum quòd in Veteri Teſtamento aliud reformat peccatum:quia ibi erat ſtatus imperfectionis,gratia nondum propalata,& erant pauci Deo ſeruientes, & omnes gentes per circuitum ad idololatriam pertrahentes:& ideo tunc non erat permiſſio,ſed præceptum,vt multiplicatio fieret colentium Deum,vt cum propagatione ſeminis fieret propagatio religionis. Et ideo tunc plures erant vnius viri vxores.

Quod nuptiæ ſint bonæ.

EVERVNT nonnulli hæretici nuptias deteſtantes qui Tatiani appellati ſunt. Hi nuptias omnino damnant, ac pares fornicationibus aliiſque corruptionibus faciunt : nec recipiunt in ſuorum numero, coniugio vtentem marem vel fœminam. Quod autem res bona ſit coniugium, non modo ex eo probatur, quòd Dominus legitur coniugium inſtituiſſe inter primos parentes, ſed etiam quòd in Cana Galilææ nuptiis interfuit Chriſtus, eaſque miraculo commendauit, aqua in vinum conuerſa. Qui etiam poſteà virum dimittere vxorem prohibuit, niſi cauſa fornicationis. Apoſtolus etiam ait, Virgo non peccat, ſi nubat. Conſtat ergo rem bonam eſſe matrimonium : alioquin non eſſet ſacramentum. Sacramentum enim ſacrum ſignum eſt.

Aug. de hæreſ. cap.25. Hugo 4. ſent. cap.3.

Gen.2. Ioan. 2. Matt.19.

1.Cor.7.

ARTICVLVS XIII.

An opinio hæreticorum dicentium coitum cum vxore eſſe peccatum, ſit toleranda?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Fuerunt autem nonnulli hæretici, &c.] Videtur enim eſſe pro illis quod dicit Apoſtolus 1.Corinth.7. Qui habent vxores,ſint tanquam non habentes : non habens enim vxorem non vtitur vxore:ergo & habens eam,non debet ea vti.

2 Item,Quod impedit ad Deum recipiendum,videtur eſſe peccatum : ſed hoc facit coitus vxoris : ergo videtur, quòd ſit peccatum. Probatur prima per dictum Iſaiæ 39.Iniquitates veſtræ diuiſerunt inter vos & Deum. Secunda ſcribitur Exod.19.vbi cum populus occurrere debuit Domino, dixit Moyſes, quòd non appropinquarent vxoribus ſuis.

3 Item 2.Regum 6.dicitur Oza percuſſus, quia cum iacuiſſet cum vxore ſua, voluit tenere arcam ne caderet, eo quod calcitrans bos inclinaſſet eam : hoc autem eſſe non poſſet, niſi magnum peccatum coitus reputaretur:ergo iſti hæretici videntur dicere verum.

4 Item, Diſcipuli audientes à Domino, qualiter eſſet res viri cum vxore dixerunt,Non expedit nubere : ergo videtur, quòd hoc ſit malum, quia omne bonum eſt expediens vel honeſtum : & etiam honeſtum habet expediens adiunctum ſibi, vt dicit Tullius : cum igitur matrimonium ſit bonum, ipſum erit expediens.

5 Item per rationem probatur idem ſic, Actus naturæ non diuerſificatur ſpecie propter id quod voluntas ponit circa eum; ſed coitus eſt actus naturæ : ergo propter nullam circunſtantiam voluntatis diuerſificabitur ſpecie:ergo ſiue fiat cum coniugata, ſiue cum ſoluta, eſt idem ſpecie : ergo erit eiuſdem iudicij in bono & in malo. Probatur autem prima ex eo quod artificialia cauſantur à voluntate, & ſpeciem non diuerſificant. Secunda autem per ſe patet : quia generatiua eſt potentia naturalis.

6 Item, Sicut dicit Philoſophus in 10. ethic. Totum bonum hominis inquantum eſt hominis, eſt bonum rationis & intellectus: ergo quod ſubuertit illud, eſt malum ſecundum ſe : ſed coitus ſubuertit & ligat rationem : ergo eſt malum : ſed malum hominis quod eſt culpa,vt dicit Dionyſius, eſt contra rationem eſſe : ergo coitus generaliter eſt malum culpæ.Si forte tu dicas, quòd coitus ſubuertit rationem in actu, ſed non in habitu. Contra : Ex omnibus actibus (vt dicit Philoſophus) qui voluntarij ſunt, relinquuntur ſimiles habitus : ergo ex actu voluntario qui eſt actus matrimonij, habitus relinquitur : ſed ſicut ſe habet actus ad actum, ita habitus ad habitum : ergo ſicut actus ſubuertit actum, ita habitus ſubuertit habitum.

7 Item, Actus qui ſunt circa paſſiones innatas,& illi qui ſunt circa delectationes æqualiter intenſas, æquales ſunt in ſuperfluitate: ſed actus matrimonij & actus ſoluti concubitus ſunt circa delectationes æqualiter intenſas : igitur æquales ſunt in ſuperfluitate : ſed actus qui æquales ſunt in ſuperfluitate delectationis,ſunt æqualiter vitioſi:ergo actus matrimonij & ſoluti concubitus ſunt æqualiter vitioſi : ergo ſicut concubitus ſolutus eſt peccatum mortale,ita & actus matrimonij.

8 Item,In actibus qui ſunt circa paſſiones illatas, æquales ſunt qui ſunt circa æqualiter terribile:

terribile: ergo à simili actus qui sunt circa æqualiter delectabile, sunt æquales: sed actus matrimonij & soluti concubitus, sunt circa æqualiter delectabile: ergo sunt æquales: ergo quantum vitium est solutus concubitus, tantum vitium est actus matrimonij.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est quod dicitur 1. Corinth. 7. Qui emunt, sint tanquam non possidentes. Sed non potest intelligi quantum ad vsum rei emptæ: ergo nec hoc quod dicit, Qui habent vxores, sint tanquam non habentes, intelligitur quantum ad vsum.

2 Item, Aut matrimonium impedit simpliciter ad Deum recipiendum, aut non. Si sic: tunc Moyses simpliciter debuit interdicere vxores, & non tantum vsque ad tres dies. Si non: tunc habetur propositum, scilicet quod non sit peccatum mortale: quia omne peccatum mortale simpliciter impedit ad Deum recipiendum.

3 Item, Pater Ioannis laudatur, similiter & mater: sed Ioannem illi hæretici condemnant: ergo non potest hoc intelligi de patre & matre spiritualibus: ergo intelligitur de carnalibus: ergo carnalis pater qui coit cum vxore possunt esse sancti: & hoc non esset, si coitus esset peccatum: ergo coitus non est peccatum.

4 Item, Dominus Matth. 5. dicit, Qui dimiserit vxorem, excepta causa fornicationis, facit eam mœchari. Ergo debet manere cum ipsa: ergo coitus cum ipsa non est peccatum. Item, Nihil prohibet actus maioris delectationis esse virtutis, & minoris delectationis esse actum vitij, sicut patet in comedendo quando oportet, & vbi oportet, & quantum oportet, delectabilia, & comedendo vt non oportet, & quando non oportet, & quantum non oportet, grossa cibaria, sicut Esau qui propter vilem escam vendidit primogenita: ergo à simili sic est in coitu: ergo non sequitur si coitus matrimonij sit tantæ vel maioris delectationis, sicut coitus cum soluta, quòd si vnus est peccatum, sit & alius.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd isti sunt pessimi hæretici qui quondam Tatiani, nunc autem Paterniani vocantur, qui de se perhibent, quòd sint filij fornicationum & meretricum: & ideo nihil iuris eis in hæreditate temporali dimitti debet, sicut nec aliquid iuris habent in hæreditate æterna. Dicendum autem, quòd mentiuntur non intelligentes de quibus loquuntur, nec de quibus affirmant.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd sicut patet ex obiectione in contrarium facta, non intelligitur, quòd non debeant cognoscere vxores, sed quod non debeant spem ponere in eis sicut in re fruibili.

AD ALIVD dicendum, quod non impedit ad Deum recipiendum, sed habet incongruitatem ad subito post coitum videndum Deum propter annexam concupiscentiam.

AD ALIVD dicendum, quòd Oza fortè non est ideò percussus sicut dicitur in libro Regum: sed quia cum Leuita esset, arcam propriis humeris non portauit. Si autem percussus est propter hoc, tunc fuit propter inidoneitatem ex concupiscentia & carnalitatem, & non ex peccato.

AD ALIVD dicendum, quòd discipuli dicunt, quòd non expedit, ideo quia propter intricationem rerum mundanarum retrahit ab obsequio diuino: sicut dicit Apostolus per oppositum de virginitate, 1. Corinth. 7. quòd ad id quod honestum est, prouocet, & quod sine impedimento facultatem præbeat se Domino obseruandi. Et non est verum, quòd tali non expedienti opponatur bonum gratiæ, nec ipsum est malum culpæ: sed tantum ei expedienti quod sequitur honestum: quandoque enim ipsum malum dicitur expediens, secundum quod cooperatur ad bonum: licet impropriè dicatur, eò quod non cooperatur ad bonum nisi per occasionem.

AD ALIVD dicendum, quòd actus naturæ duplex est: nam quidam est actus voluntatis qui est natura quædam, & actus naturæ determinatæ vno modo se habentis, quæ diffinitur ab Aristot. quòd est principium motus & status in quo est per se & non secundum accidens. Dicendum ergo, quòd actus naturæ secundum quod voluntas est natura quædam, bene variatur ex voluntate, & talis naturæ actus est coitus: sed actus naturæ secundo modo dictæ non variatur ex voluntate. Ad id autem per quod nititur probare, dicendum quòd generatiua non est primum mouens in actu generationis, sed potius voluntas imperans: & ideò ab illo primo mouente coitus est actus voluntarius, & propter circunstantias diuersas efficitur peccatum in soluta, & actus virtutis in coniugata.

AD ALIVD dicendum, quòd ratio dupliciter se habet ad opera illa in eo quod ratio quæ est ratio recta, scilicet vt præcedens, & vt concomitans: præcedens enim ordinat circunstantias quantum debet, & vt, & quando, & cum qua, & quomodo: sed concomitans dirigit. Dicendum ergo, quòd vitium subuertit rationem præcedentem, sicut dixit Socrates, & Aristot. attestatur, quòd delectatio subuertit existimationem prudentiæ in minori propositione: & hoc est scriptum in 6. ethicorum, cap. de prudentia. Sed actus matrimonij non subuertit rationem præcedentem, sed concomitantem: & ideo non est vitium. Et si obiiciatur, quòd quia illa ratio concomitans dirigit, si subuertitur, manet actus non directus: dicendum quòd non dirigit vt ordinans, sed vt inspiciens: imo actus ordinatus est à præcedenti discretione rationis: & manet iste ordo in actu matrimonij, sicut vis proiectiua manet in medio, etiam cessante primo proiiciente.

AD ALIVD dicendum, quòd ex omnibus actibus relinquitur habitus similis actui: & ideo si ex actibus matrimonij relinquitur habitus, cum actus illi sint ordinati, non erit habitus inordinatus.

AD ALIVD dicendum, quòd falsum est quod supponitur pro vero, scilicet actus esse æquales in malo & bono, qui sunt circa delectationes æquales: quia actus natu-

ræ nec malum nec bonum facit quod est circa delectationes: quod patet ex hoc, quòd actus virtutum & vitiorum sunt circa delectationes & tristitias: sed actus facit bonos vel malos, indebitas vel debitas circunstantias & fines habere. Et per hoc patet solutio ad vltimum: quia illa ratio procedit super simile falsum.

Cuius rei sacramentum sit coniugium.

FCVM ergo coniugium sacramentum sit, & sacrum signum est & sacræ rei, scilicet coniunctionis Christi & Ecclesiæ, sicut ait Apostolus. Scriptum est, inquit, Relinquet homo patrem & matrem, & adhærebit vxori suæ, & erunt duo in carne vna. Sacramentum hoc magnum est. Ego autem dico in Christo & in Ecclesia. Vt enim inter coniuges coniunctio est secundum consensum animorum, & secundum permixtionem corporum: sic Ecclesia Christo compulatur voluntate & natura, qua idem vult cum eo: & ipse formam sumpsit de natura hominis. Copulata est ergo sponsa sponso spiritualiter & corporaliter, id est, charitate ac conformitate naturæ. Huius vtriusque copulæ figura est in coniugio. Consensus enim coniugum copulam spiritualem Christi & Ecclesiæ, quæ fit per charitatem, significat. Commixtio vero sexuum, illam significat quæ fit per naturæ conformitatem.

Ephes. 5. Gen 2.

ARTICVLVS XIV.

An matrimonium sit sacramentum, & quæ sit res ipsius, & à quo trahat virtutem sui effectus?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Cum ergo sacramentum coniugium sit, &c.] Et vadit disputatio super totum capitulum? Videtur enim, quòd Magister malè rem huiusmodi sacramenti determinet: sacramento enim Noui Testamenti substantialior est res contenta & signata, quam signata & non contenta: sed vnio fidelis animæ cum Deo in vno spiritu, vel vnio duarum naturarum in Christo est res signata & non contenta: ergo videtur, quòd non debet determinari respectu illius.

2 Item, Sacramentum nouæ legis efficit quod figurat: sed matrimonium est sacramentum nouæ legis: ergo efficit quod figurat: sed figurat vnionem duarum naturarum in Christo: ergo efficit eam, quod falsum est: ergo non est res eius: videtur ergo, quòd falsum dicit in litera.

3 Item, Quod æqualiter efficitur ab omni gratia & merito vel potissimum à charitate, non videtur esse res matrimonij: sed coniunctio fidelis animæ cum Deo in vno spiritu, efficitur cum virtute, & præcipuè charitate: ergo non est effectus matrimonij.

Quæstiũcula 1. IVXTA HOC vlterius quæruntur tria, scilicet an matrimonium sit sacramentum nouæ legis? Secundo, Quæ sit res ipsius? Tertio, A quo trahat virtutem sui effectus in ipso? Ad primum autem horum obiicitur multis modis: primo quidem ex parte formæ sacramenti: omne enim sacramentum habet formam ab institutione diuina promulgatam, quæ tribuit sacramento sanctificationem: sed matrimonium non habet talem formam: ergo non est sacramentum nouæ legis. Prima patet ex dicto August. qui dicit, quòd accedit verbum ad elementum, & fit sacramentum. Secunda autem patet: quia consensus qui efficit matrimonium, est secundum leges eorum qui contrahunt, vt habetur infra in litera. Secundo obiicitur ad hoc idem ex consideratione materiæ: omne enim sacramentum nouæ legis vel plura habent materiam quæ est visibile aliquod elementum, vt aqua, oleum, panis, & huiusmodi, vt dicit Hugo: sed istud non habet materiam: ergo non est sacramentum nouæ legis. Ad idem tertio obiicitur ex consideratione effectus: quia omne sacramentum nouæ legis efficit gratiam quæ intus adiuuat: sed matrimonium non efficit aliquid tale: ergo matrimonium non est sacramentum nouæ legis. Probatur prima ex diffinitionibus sacramenti in principio huius quarti assignatis. Secunda autem scripta est infra, vbi dicit, Matrimonium non meretur palmam.

SECVNDO quæritur, Quæ sit res ipsius si sit sacramentum nouæ legis? Videtur enim, quòd nulla: quia actus cum turpitudine est consummans matrimonium: ergo non confert gratiam. *Quæstiũcula 2.*

2 Item, Quod conceditur infirmitati, sufficit quòd vitet pœnam: sed matrimonium conceditur infirmitati: ergo sufficit quòd euitet pœnam: videtur ergo, quòd non conferat gratiam aliquam.

3 Item, Omne id quod confert gratiam, illius exercitium si iterari potest, non dissuadetur:

detur: sed matrimonij, mortua vxore, iteratio dissuadetur, & adiungitur pœna irregularitatis: ergo matrimonium non confert gratiam.

Quæstiuncula. VLTERIVS quæritur tertio, In quo fundetur efficacia ipsius? Videtur autem, quòd in nullo: quia omne sacramentum efficit quod figurat virtute passionis Christi: sed istud non habet figuram cum passione Christi, quia consistit in maxima delectatione: ergo videtur, quòd non habeat aliquid vnde trahat effectum.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum ad primum, quòd Magister non tangit in litera nisi rem signatam & non contentam: quia secundum eum & multos alios rem aliam non habuit baptismus. Quid autem nobis super hoc videatur, infra patebit in solutione eiusdem quæstionis.

AD ALIVD dicendum, quòd sacramentum nouæ legis duplex est: vnum quod est sacramentum tantum, aliud quod est sacramentum & officium. Sacramentum tantum est, cuius totus effectus substantialis est in opere operato, sicut est baptismus, confirmatio, Eucharistia, ordo, & extrema vnctio. Sacramentum & officium est duplex, scilicet officium personæ, & officium naturæ. Officium personæ est pœnitentia, officium naturæ est matrimonium. Quod ergo dicitur, quòd sacramentum nouæ legis efficit quod figurat, dicunt quidam intelligi de illo quod est sacramentum tantum: quia illud ita est nouæ legis quod non fuit ante eam, & totam vim trahit à noua lege. Et non intelligitur de eo quod est sacramentum & officium: quia in illo est actus personalis & moralis & ciuilis, qui etiam fuit ante nouam legem, & non trahit vim ab opere operato tantum, sed etiam ab opere operante.

AD ALIVD dicendum, quòd bene conceditur, quòd coniunctio fidelis animæ cum Deo non est effectus istius sacramenti contentus, sed signatus tantum. Et ratio dicta est prius.

AD ID quod quæritur, Vtrum matrimonium sit sacramentum nouæ legis, dicendum quòd matrimonium quadrupliciter consideratur quoad quatuor quæ sunt in ipso: quorum primum est commixtio sexus ad salutem naturæ. Secundum est distinctio circa coniunctiones in diuersitate sexus. Tertium autem effectus eius contra vulnus concupiscentiæ. Et quartum & vltimum est honestas quæ circunstat causam efficientem matrimonij, & amicitia quæ consequitur ex ipso, & adiutorium coniugum ex mutuis operibus sibiinuicem communicatis. Quoad primum quidem est matrimonium de lege naturæ: & quia lex naturæ comitatur omnem legem, ideo hoc manet in omni lege: & sic institutum est in paradiso. Quoad secundum autem est de lege Moysi, in qua fit distinctio personarum ad matrimonium legitimarum. Quoad tertium autem specialiter est de lege Christi, quia ex ipso opere operato confert medicinam contra morbum, quod non faciebat ante nisi in opere operante. Sed quoad alia tria consequentia matrimonium ex causa efficiente & ex effectu ipsius, est de lege ciuili. Et hoc modo loquuntur Philosophi de honestate nuptiarum, vt Tullius, Aristoteles, Alspasius, & alij quidam.

AD OBIECTVM autem quod contra obiicitur, dicendum quòd matrimonium habet formam quæ est cõsensus per verba expressus. Nec oportet, quòd sacramentum semper ex forma habeat sanctificationem: quia hoc non oportet nisi in illo sacramento, quòd purè sacramentum est: & talia non sunt pœnitentia & matrimonium, vt prius dictum est: quia illa sunt ad ea circa quæ sunt opera nostra: & ideo oportet, quòd perfectionem aliquo modo trahant à nobis. Et ideo in matrimonio pro perfectiuo formali est indiuiduitas vitæ; quæ causatur ex consensu in vtroque coniugum perfecto existente.

AD ALIVD dicendum, eodem modo: quia talis materia non est nisi in illis sacramentis quæ totam rationem efficiendi trahunt à passione Christi, & sacramentis quæ sunt in Christo, sicut est baptismus Christi, passio Christi, Resurrectio Christi, & huiusmodi. In his autem quæ sunt circa opera nostra, sunt materia aliqua nostra, vel nos sub aliqua dispositione: sicut in pœnitentia dolor est materia, & in matrimonio nos sub potentia commixtionis sexuum existentes.

AD ALIVD dicendum, quòd bene efficit quod figurat: quia efficit medicinam contra concupiscentiam. Et qualiter efficiat illam, iam patebit in solutione sequentis articuli, & partim claruit ex præmissis.

AD ID ergo quod quæritur vtrum conferat gratiam? Dicendum, quòd circa hoc sunt tres opiniones, quarum nulli præiudicandum est. Prima autem est quorundam dicentium, quòd non confert gratiam aliquam: & secundum hos dicitur sacramentum de hoc & aliis per prius & posterius, quia de aliis dicitur per signare & causare gratiam, de isto autem per signare tantum. Et hæc videtur fuisse opinio Magistri in litera: & fuit opinio Præpositiui & Guilelmi Altisiodoren. & aliorum antiquorum. Fuerunt alij qui dicerent, quòd confert gratiam, scilicet recessum à peccato, non autem ordinem ad bonum. Et si quæritur, Quæ sit illa gratia? dicunt, quòd est illa quæ excipit concupiscentiam ne ruat in præceps: & secundum illos oportet dicere, quòd secundum matrimonium sit gratia illa, vel aliquid ei coniunctum exterius, quod mitigat concupiscentiam, ne ferueat vltra nuptiarum honestatem & bona matrimonij. Et hoc vltimo modo dicunt illi esse gratiam quam confert matrimonium. Et dicunt probabiliter isti, quod hæc est causa qnare quidam patres videntur dicere, quòd non confert gratiam, quia non confert eam in ordine ad bonum, sed à malo tantum: ad bonum autem habet quoddam impedimentum non ex se, sed ex consequentibus oneribus. Et hoc dicunt sentire Apostolum 1. Corinth. 7. dicentem, Porro hoc ad vtilitatem vestram dico: non vt laqueum vobis iniiciam, sed ad id quod honestum est, prouocem, & quod facultatem præbeat Domino se obseruandi. Hæc autem opinio plus placet mihi quam prima. Tertij quidam satis periti dixerunt, quòd confert gratiam in ordine ad bonum,

num, non quodcunque bonum, ſed hoc bonum quod facere debet coniugatus: & hoc eſt quod fideliter coniugi aſſiſtat, & opera ſua illi communicet, & prolem ſuſceptam religioſè nutriat, & huiuſmodi. Et hæc etiam probabilis eſt multum. Ad obiectum autem contra, dicendum quòd gratiam confert: & qualiter intelligatur, quòd non meretur palmam, ſupra expoſitum eſt. Quod autem dicitur, quòd conſummatur per actum turpitudinis, dicendum quòd falſum eſt, ſed conſummatur per actum honeſtum à Domino benedictum, cui in pœnam adiuncta eſt turpitudo concupiſcentiæ: & hæc non obſtat, vt ſuperius dictum eſt.

AD ALIVD dicendum, quòd conceditur infirmitati, ſicut Sancti dicunt: ſed eſt infirmitas duplex. Vna eſt infirmitas proſtrata iacens in infimis, & alia quæ non iacet, ſed eſt infirma ad excellens eleuatum, quod tamen eſt maiori laude dignum. Et quod primo modo conceditur infirmitati, eſt ſicut id quod dicitur Rom. 14. Qui infirmus eſt, olus manducet. Et hoc non habet præmium nec gratiam. Sed quod ſecundo modo conceditur infirmitati, eſt bonum meritorium, ſed non habet laudem excellentem: & hoc eſt matrimonium, & ideo confert gratiam.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc accidit matrimonio ex adiunctis, & non ex ſeipſo, præcipuè tamen ex adiunctis duobus, ſcilicet concupiſcentia quæ eſt adiuncta actui, & impedimento Domino ſe obſeruandi quod adiungitur oneribus eius: & ideo decipit argumentatio illa per accidens.

AD ID quod tertio quæritur dicendum, quòd trahit efficiendi virtutem ex vnione naturarum in Chriſto, in quibus naturis ſponſus Eccleſiæ paſſus eſt, propter quod dicitur Exod. 4. Sponſus ſanguinum tu mihi es. Et ſic patet ſolutio ad totum ſecundum duas vltimas opiniones, ſed ſecundum primam non indigent iſta ſolutione.

Qualiter intelligendum ſit illud, Mulier illa non pertinet ad matrimonium, cum qua non eſt commixtio ſexuum.

27. q. 2. cap. Non eſt.

Ibidem. cap. Cum ſocietas.

In ſoliloquiis.

Epheſ. 5.

Epheſ. 5.

GINDE eſt quod quidam Doctorum dixerunt, illam mulierem non pertinere ad matrimonium, quæ non experitur carnalem copulam. Ait enim Auguſtinus, Non dubium eſt illam mulierem non pertinere ad matrimonium, cum qua docetur non fuiſſe commixtio ſexus. Item Leo Papa, Cum ſocietas nuptiarum ita à principio ſit inſtituta, vt præter commixtionem ſexuum non habeat in ſe Chriſti & Eccleſiæ ſacramentum, non dubium eſt illam mulierem non pertinere ad matrimonium, in qua docetur non fuiſſe nuptiale myſterium. Item Auguſtinus, Non eſt perfectum coniugium ſine commixtione ſexuum. Hoc ſi ſecundum ſuperficiem verborum quis acceperit, inducitur in errorem tantum, vt dicat ſine carnali copula non poſſe contrahi matrimonium: & inter Mariam & Ioſeph non fuiſſe coniugium, vel non fuiſſe perfectum: quod nefas eſt ſentire. Tantò enim ſanctius fuit atque perfectius, quantò à carnali opere immunius. Sed ſuperius poſita, ea ratione dicta intelligendum eſt, non quin pertineat mulier illa ad matrimonium, cum qua non eſt permixtio ſexuum: ſed non pertinet ad matrimonium, quod expreſſam & plenam tenet figuram coniunctionis Chriſti & Eccleſiæ. Figurat enim illam vnionem Chriſti & Eccleſiæ, quæ eſt in charitate: ſed non illam, quæ eſt in naturæ conformitate. Eſt ergo & in illo matrimonio typus coniunctionis Chriſti & Eccleſiæ: ſed illius tantum, qua Eccleſia Chriſto charitate vnitur: non illius, qua per ſuſceptionem carnis, capiti membra vniuntur. Nec ideo tamen minus ſanctum eſt coniugium: quia vt ait Auguſt. In nuptiis plus valet ſanctitas ſacramenti, quam fœcunditas ventris. Eſt etiam coniugium ſignum ſpiritualis coniunctionis & dilectionis animorum, qua inter ſe coniuges vniri debent. Vnde Apoſtolus ait, Viri diligite vxores veſtras vt corpora veſtra.

ARTICVLVS XV.

An matrimonium ante carnalem copulam sit perfectum?

DEinde quæritur de hoc quod dicitur in illo capitulo [Non dubium est illam mulierem non pertinere ad matrimonium, & cætera.] Videtur enim hoc esse verum quod dicunt decreta tria primo inducta: secundum Philosophos enim idem est esse rem perfectam & consummatam: sed matrimonium non est consummatum sine carnali copula: ergo nec perfectum.

2 Item, Perfectum est cui nihil deest de adhuc faciendis: sed in coniunctis per consensum solum, deest aliquid de faciendis adhuc, quia commixtio corporum: ergo videtur, quòd matrimonium ante commixtionem corporum non sit perfectum.

3 Item hoc videntur innuere verba protoplasti qui dixit, Erunt duo in carne vna: ergo si non erunt in carne vna, non sunt in matrimonio perfecto: ergo antequam efficiantur in carne vna, non habent perfectum matrimonium.

4 Item, Si aliquid essentialium alicuius non est perfectum, & ipsum est imperfectum: sed signare est aliquid de numero essentialium sacramentorum: ergo si ipsum in aliquo non est perfectum, sacramentum est ibi imperfectum: sed matrimonij ante carnalem copulam est imperfecta significatio, vt dicit Magister in solutione sua in litera: ergo ante hanc matrimonium est imperfectum sacramentum. Probatur prima ex hoc, quòd omnia sic perficiuntur, quando essentialia eorum perfecta sunt. Secunda autem per hoc ostenditur, quòd significare ponitur in diffinitione sacramenti, & signum prædicatur de ipso vniuocè & in recto, sicut superius de inferiori, id est, vt de subiecto, vt dicit Aristot. in prædicamentis.

5 Item, Ab eodem trahit sacramentum causalitatem & significationem, vt in principio huius libri habitum est: ergo quod est imperfectæ significationis, est & imperfectæ causalitatis: ergo est imperfectum in omnibus his quæ sunt de essentia sacramenti nouæ legis & veteris: si ergo imperfectum sit illud matrimonium in significatione, imperfectum erit simpliciter illud matrimunium: & sic habetur propositum.

Solutio.

RESPONSIO. Dicendum, quòd matrimonium est perfectum per consensum: quia ab illo essentialiter causatur indiuiduitas quæ est essentia matrimonij: & ideo siue contineant pari voto, siue commisceantur, semper est æqualiter matrimonium quantum ad essentiam.

AD ID autem quod contra obiicitur, dicendum quòd Philosophi perfectum in essentia & consummatum in essentia dicunt idem, & illud etiam dicunt Theologi, quia perfectum est quod attingit terminum & finem eius quod est fieri: & hæc est forma vltima, & hoc etiam est summum eius ratione cuius in essentia dicitur consummatum, si est summum rei non tantum in esse, sed in vltimo suo posse: & secundum hoc consummatum addit aliquid supra perfectum, quia perfectum dicit illud quod attingit terminum suæ factionis & fieri, sed consummatum dicit vltimum posse consequens ipsum perfectum: sicut infantem dicimus perfectum hominem, non tamen consummatum. Et hoc modo sumitur consummatum quando matrimonium dicitur consummatum, scilicet quando est in vltimo suo posse potens significare maximè: & hoc facit, quando commixta sunt corpora, quia tunc plura significat.

AD ALIVD dicendum est, quòd perfectum est in quo nihil deest de faciendis quoad esse: sed quoad bene esse potest aliquid deesse: & illa est copula carnalis quæ facit ad bene esse secundum significationem.

AD ALIVD dicendum, quòd protoplastus dixit hoc de matrimonio consummato, quale tunc erat necessarium, nondum multiplicatis hominibus.

AD ALIVD dicendum, quòd significare perfectum, est in sacramento matrimonij, etiam ante carnalem copulam: quia perfectè significat & id quod figurat extra coniunctionem suam, & id quod figurat intrà: extra, coniunctionem spiritualem Ecclesiæ cum Deo: intra, vnionem spiritualem inter coniuges, vt dicit Magister in fine huius capituli: sed plura significat per commixtionem, non tamen plus vel magis significat. Et ideo in argumento est fallacia figuræ dictionis, eò quod mutatur continuum in discretum. Per idem patet solutio ad vltimum. Et per hæc patet aliqualiter id quod dicitur in hac distinctione: quia de hoc quod dicit de sanctitate continentium, infra erit tractatus specialis. Sequitur alia distinctio.

DISTINCTIO XXVII.

Quæ ſunt conſideranda in coniugio.

A *De matrimonio ſecũdum cauſam efficientem, determinans generaliter quòd cõſenſus ſit matrimonij cauſa.*

POST hæc aduertendum eſt quid ſit coniugium, & quæ ſit efficiens cauſa coniugij, & cauſa propter quam contrahi debeat, & quæ ſint bona coniugij, & quomodo per ea excuſetur coitus carnalis, quæ ſint legitimæ perſonæ ad matrimonium. Sunt & alia plura in matrimonio conſideranda, quæ ſub compendio perſtringemus.

DIVISIO ET EXPOſitio textus.

POST hæc aduertendum quid ſit coniugium] In hac diſtinctione tria dicuntur. Prælibat enim primo de his de quibus dicit. Deinde quid ſit matrimonium aperit *ibi* [Sunt ergo,&c. Tertio dicit de conſenſu qui eſt cauſa efficiens nuptiarum *ibi*[Efficiens autem cauſa] Incidit autem quæſtio de hoc quod dicit *ibi* [Sunt ergo nuptiæ vel matrimonium, &c.] Videtur enim peccare duo nomina ponens vni diffinito: nominantes enim ſecundum aliquid nominant: ergo imponentes diuerſa nomina,aliquid diuerſum nominant: ergo vnica diffinitio non reſpondet nominibus duobus.

Solutio. AD HOC dicendum, quòd ipſe attendit eandem rem ſecundum diuerſas proprietates. Dicuntur enim nuptiæ ab actu matrimonij: matrimonium autem dicitur à bonis, quia mulier coniuncta viro munia habet matris in effuſione prolis, & aliorum operum in quibus communicat viro. Sed nunc quæritur, Quare non dicitur patrimonium? Et dicendum, quòd vinculum matrimonij magis onerat matrem, hoc eſt, eam quæ efficitur mater, quia in dolore profert & nutrit: & ideo magis eſt munia matris,quam patris.

AD ID autem quod obiicitur, quòd vna diffinitio ſequitur duo nomina, dicendum quòd eſt diffinitio rei potius quam illarum proprietatum à quibus nomina ſunt impoſita. Vel dicatur, quòd proprietas qua nuptiæ dicuntur nuptiæ, eſt ad illam qua dicitur matrimonium: & ideo vtrumque nomen reſpondet diffinitioni: vnum in differentiis remotis, alterum autem in propinquis & vltimis: cum enim diffinitiones neceſſe ſit incipere à generaliſſimis, continent tam differentias remotas quam propinquas.

ARTICVLVS I.

In quo genere ſit matrimonium?

HOc habito incidunt hic tres quæſtiones ad intellectum huius capituli pertinentes, quarum prima eſt hæc, In quo genere ſit matrimonium? Secunda autem, Quid ſit? Tertia de conſequentibus matrimonium, de quibus mentio fit in litera.

Ad primum obiicitur ſic: Nullum eſt vinculum niſi aliquid ſit vinciens quod eſt ligatio qua vincit: ſed matrimonium eſt vinculum quo ligantur legitimæ perſonæ contrahentes matrimonium: ergo non eſt ligatio ipſa: ergo eſt aliquid quod eſt ante ipſam ligationem: hoc autem eſt abſolutum: ergo matrimonium eſt in aliquo genere abſoluto.

2 Adhuc, Si quæratur ab aliquo matrimonio iuncto, à quo ſit ligatus? ipſe dicet, matrimonio: ergo matrimonij eſſentia diuerſa eſt à ligatione ipſa: ergo vt prius.

3 Adhuc, Nunquam eſt ſimilitudo inter aliquos niſi ſit qualitas abſoluta vna in eis ambobus: ergo à ſimili nunquam erit coniunctio vel vinculum inter aliquas perſonas, niſi ſit abſolutum aliquid coniungens ambas: & hoc eſt eſſentia matrimonij: ergo matrimonium eſt in genere abſoluto.

4 Adhuc, Auguſtinus in ſexto de Trinitate dicit, quod nullum eſt relatiuum quin ſit etiam aliud quod non eſt relatiuum: ſed coniunctio matrimonij relatio quædam eſt: ergo matrimonium eſt etiam aliud aliquid quod non eſt relatiuum, ſed abſolutum: ergo in genere abſoluto.

5 Adhuc, De eſſentiali ſibi non prædicatur aliquid abſolutè obliquè, nec eſſentiale de ipſo: quia non dicitur, homo eſt animalis, ſed potius animal: ſed ſatis perſpicuum eſt, quòd matrimonium obliquè prædicatur de coniunctione, quia dicimus, quòd hæc eſt coniunctio matrimonij: ergo matrimonium non eſſentialiter eſt coniunctio.

6 Adhuc, Dicit Ariſtot. quòd differentes ſunt diffinitiones paſſionum, & ſubiectorum: quia in diffinitione paſſionis id quod eſt eſſentiale,

tiale, est sicut genus,& passionis subiectum est vt diffinitio : sicut cum diffinitur simum,& dicitur nasi curuitas,curuitas specificatur & contrahitur à naso : & tamen curuitas est essentia simi, & nasus subiectum:& in omnibus talibus contrahens nihil est de essentia contracti:ergo à simili cum dicitur, coniunctio matrimonij est coniunctio, videtur quòd coniunctio trahitur per hoc quod dico matrimonium:ergo matrimonium non est de essentia coniunctionis: ergo videtur, quòd sit in aliquo genere absoluto, & non in relatione : & hoc est contra omnes.

Sed contra. In contrarivm huius sic obiicitur: Matrimonium diuiditur per coniunctionem & vinculum : ergo est in ipso tanquam in genere proximo:ergo in genere coniunctionis est sicut in genere primo,

2 Adhuc,Quando alterum de altero prædicatur vt de subiecto, id quod est genus superioris,etiam est genus inferioris : sed coniunctio hcc modo prædicatur de matrimonio:ergo quod est genus coniunctionis,est etiam genus matrimonij:genus autem omnis coniunctionis est relatio : ergo matrimonium est in relatione vt in genere.

3 Adhuc, Quicquid est in vno respectu alterius, & è conuerso in altero respectu istius, est relatiuum æquiparantiæ : sed sic in viro & in muliere est matrimonium : ergo , &c.

Solutio. Responsio. Ad hoc Dicendum , quòd matrimonium est genere relationis , sicut probant vltimæ obiectiones , & dicit relationem æquiparantiæ : quia vir & mulier æquales sunt in his quæ sunt matrimonij.

Ad primvm autem quod contra obiicitur, dicendum quòd matrimonium est ipsum vinculum : sed sicut dicitur , quòd paternitas est ipsa natura relationis qua pater refertur ad filium, & tamen paternitas est relatio:sed quia significatur vt abstracta , ideo non quærit determinari extra : ita matrimonium dicitur abstractum:& ideo dicitur matrimonium vinculum siue coniunctio,sicut paternitas telatio:& non est ibi diuersitas , nisi in matrimonio. Et per hoc patet solutio ad tria prima.

Ad alivd dicendum , quòd Augustinus accipit relatiuum relatum , & non naturam ipsius relationis:& de ista verum est quod dicit. Sed matrimonium dicit ipsam relationis naturam. Et per hoc patet solutio ad omnia præter vltimum. Et ad illud dicendum, quòd non ita coniunguntur cum dicitur matrimonium vinculum , sicut cũ dicitur curuus nasus. Prima enim coniunguntur in habitudine formæ ad suum actum , secunda autem in habitudine ad suum subiectum & formam : & ideo non est simile. Cum enim dicitur vinculum matrimonij,simile est ac si diceretur, relatio paternitatis est qua pater refertur ad filium.

ARTICVLVS II.

An diffinitiones matrimonij sint bene assignatæ?

Secundo quæritur, Quid sit matrimonium? & accipiantur quæcunque diffinitiones inueniuntur de ipso. Prima autem in litera est hæc , Matrimonium est viri mulierisque maritalis coniunctio inter legitimas personas indiuiduam vitæ consuetudinem retinens. Iuris autem periti diffiniunt dicentes,Matrimonium est consortium vitæ communis , & coniunctio diuini & humani iuris. Hugo de san. Vict. sic diffinit , Matrimonium est duarum idonearum personarum legitimus de coniunctione consensus.

Contra primam sic obiicitur,quia dicit,Viri & mulieris : poterant enim aliquando haberi plures mulieres ab vno viro:ergo deberet dicere, Viri & mulieris vel mulierum.

2 Item quæritur de hoc quod dicit, Coniunctio maritalis:sicut enim est maritalis coniunctio , ita & vxoralis : ergo ita bene deberet dicere , vxoralis vel vxoria coniunctio sicut maritalis.

3 Item , In his quæ pertinent ad matrimonium, vir & mulier æquales sunt : ergo ita bene debet illa coniunctio nominari à muliere sicut à viro. Item , Coniunctio maritalis non videtur esse nisi in actu mariti : actus autem mariti est copulâ carnalis:ergo videtur , quod non sit matrimonium nisi in copula carnali : & hoc est ante reprobatum.

4 Item quæritur de hoc quod dicit , Inter legitimas personas : omnis enim persona est legitima, quia quæ non est legitima vni,est legitima alij:ergo videtur,quòd hoc superfluè sit additum diffinitioni,

5 Adhuc , Si dicatur , quòd legitimæ sunt quæ potentes sunt ad coeundum. Contra: Matrimonium nec perficitur nec est per concubitum carnalem:ergo illo non existente non impeditur:ergo videtur, quòd etiamsi sint impotentes ad coeundum , adhuc legitimæ sint ad contrahendum.

6 Item , Legitimæ personæ sunt legibus matrimonij ligatæ : ergo vxor alicuius adhuc legitima est ad contrahendum , quod falsum est:ergo malè videtur hoc additum.

7 Vlterius obiicitur de hoc quod sequitur, Indiuiduam vitæ consuetudinem retinens. Videtur, quòd sit vita diuidua:quia nec in merito nec in actu peccati conueniunt , sed distinguuntur:ergo non habent indiuiduam vitę consuetudinem.

8 Item fiat diuortium vel separatio à thoro in perpetuum , tunc inter eos non est consuetudo vitæ indiuiduæ:ergo non est inter eos matrimonium,quod falsum est.

Vlterivs quæritur de secunda sic. Inter socios,vt dicunt Philosophi, Arist. & Tullius, est consortium vitæ communis, & etiam inter ciues , & similiter inter patrem & natum , & communicatio diuini & humani iuris : ergo videtur, quòd sit matrimonium inter eos,quod falsum est.

2 Item,

2 Item, Quid vocatur ibi ius diuinum? non enim communicant in diuinis. Probatio. Diuina (vt dicit beatus Dionysius) non dantur nisi per meritum: sed meritum dispar est inter mulierem & virum: ergo non communicant sibi inuicem diuina.

3 Item, Contingit sæpè, quòd vnus coniugum participat & sequitur ius diuinum, & alter non: ergo videtur, quòd non communicant sibi inuicem ius diuinum.

4 Similis obiectio est de iure humano: quia humano iure & diuino vir est caput vxoris: & hoc ius non communicat vxori: ergo videtur, quòd nec diuini nec humani iuris communicatio sit matrimonium.

Vlterius quæritur de tertia quæ est Hugonis in lib. 2. de sacramentis. Videtur enim instantia contra hoc quod dicit, Duarum personarum, &c. hoc quòd Iacob habuit duas vxores, & Dauid decem: non ergo est tantum duarum, sed duarum, vel trium, vel plurium.

2 Item videtur, quòd malè additur, Idonearum: quia idoneitas est per virtutem, vel gratiam dignitatis: & non tantum ille, sed etiam existentes in peccatis contrahere possunt. Item, Idonearum aut dicit idoneitatem gratiæ, aut naturæ. Si gratiæ. Contra: Existentes in peccato contrahere possunt, & sunt idonei ad contrahendum: ergo non dicit idoneitatem gratiæ. Si autem dicat idoneitatem naturæ. Contra: Secundum hoc natura omnes homines æquales genuit: ergo omnes æqualiter idonei sunt ad contrahendum, quod falsum est: ergo malè ponitur ibi, Idonearum.

3 Vlterius, Legitimus consensus est causa efficiens matrimonij: & causa efficiens non est suum causatum: ergo legitimus consensus non est matrimonium: videtur ergo, quòd diffinitio sit mala.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd istæ diffinitiones satis bonæ sunt. Prima enim dicit genus, & materiam remotam & proximam, & actum qui est vitæ indiuiduitas. Genus autem est sicut forma: & ideo illa omnibus aliis dari potest.

AD PRIMVM ergo quod contra obiicitur, dicendum quòd secundum naturam optimè institutum est, vt dicit Magister Hugo, quòd non est nisi vna vnius: propter quod dixit Adam, Hoc nunc os ex ossibus meis, & erunt duo in carne vna: non dixit tres vel quatuor. Et quoad hoc, quòd secundum naturam optimè institutum est, datur hæc diffinitio matrimonij. Et hoc est quod dicit Magister Hugo: Hoc tempore cum vna muliere non simul cum pluribus initur coniugium, dicente Apostolo, Propter fornicationem vnusquisque suam vxorem habeat. Non dicit vxores.

AD ALIVD dicendum, quòd coniunctio maritalis est vnio in maritalem copulam. Ad hoc quod contra obiicitur, dicendum quòd maritalis copula vocatur communicatio operationum ea communicatione qua vir & mulier communicant coniugaliter: hoc autem contingit fieri etiam non subsequenti copula carnali. Et ita patet solutio ad obiectum contra illam particulam.

AD ALIVD dicendum, quòd à digniori denominatur copula illa, scilicet à marito.

AD HOC autem quod obiicitur, quòd æquales sunt, &c. dicendum, quòd verum est in debiti solutione & petitione: sed tamen in aliis pluribus vir caput est mulieris.

AD ALIVD dicendum, quòd non omnes personæ sunt legitimæ, sed quædam sunt legitimæ simpliciter, & quædam legitimæ secundum quid. Simpliciter legitimæ sunt quibus non obstat aliquod eorum impedimentorum quæ personas faciunt illegitimas. Legitimæ secundum quid sunt, quibus aliquid obuiat. Nec valet, Hæc mulier est legitima huic: ergo est legitima: quia est ibi fallacia secundum quid, & simpliciter.

AD HOC autem quod obiicitur de impotentibus ad coeundum, dicendum quòd hæc est vna causa illegitimitatis personarum: plures autem esse infra determinantur.

AD ALIVD dicendum, quòd legitimæ personæ sunt, quibus nullum impedimentum obuiat: sed non sequitur, quòd illæ semper contrahere possint, quia iam contraxerunt: & tunc essentialiter est inter eas matrimonium.

AD ALIVD dicendum, quòd indiuidua dicitur vita, eò quod opera communicat ad matrimonium, & ad onera matrimonij subleuanda ordinata, scilicet quia non possunt viuentes disiungi, vt aliis copulentur quandiu ambo viuunt: & non vocatur communio in merito vel peccato, quia in talibus personæ manent discretæ.

AD ALIVD dicendum, quòd etiamsi fiat separatio à thoro vel ex malitia, vel ex alia causa iusta vel iniusta, nihilominus adhuc manet indiuiduitas quoad hoc, quòd aliis coniungi non possunt.

AD HOC quod obiicitur de secunda, dicendum quòd consortium viri & mulieris est consortium vitæ indiuiduæ & indissolubilis, nisi per mortem: & tale consortium non est inter socios & alias personas inductas: & ideo etiam non est consortium simpliciter, nisi inter coniuges, sicut dicitur Esther 7. Consortem regni nostri Esther voluit opprimere. Ad hoc autem quod dicitur de communicatione, dicendum quòd intelligitur de communicatione animorum & corporum, nisi de pari consensu abstineatur: & hoc ex diuino & humano iure confirmatur. Et si ita intelligatur diffinitio, tunc non tenent obiectiones: tamen Decretistæ parum solent curare de diffinitionibus vel aliis ad subtilem intellectum pertinentibus.

AD ID quod obiicitur de tertia, dicendum quòd secundum Hugonem sicut ipse Glossat, intelligitur diffinitio illa de matrimonio in Nouo & non Veteri Testamento contracto. Si tamen aliquis vellet eam extendere ad omne tempus, dicatur vt prius, quòd secundum naturam matrimonij vna est vnius: sed ex causa possunt accipi plures: & hoc contingit per accidens, scilicet quando pauci sunt Deum colentes.

AD

Ad alivd dicendum, quòd idoneitas hîc nec est ex natura, nec ex gratia, sed ex causis legitimis: & ideo illa ratio procedit ab insufficienti.

Ad alivd dicendum, quòd re vera hæc diffinitio datur per causam efficientem: vnde non est ibi prædicatio essentialis, sed potius per causã dicitur, sicut dies est sol lucẽs super terrã.

Quid sit coniugium.

Svnt ergo nuptiæ vel matrimonium, viri mulierisque coniunctio matitalis, inter legitimas personas indiuiduam vitæ consuetudinem retinens. Ad indiuiduam consuetudinem vitæ pertinet, quòd absque consensu alterius neuter continentiam profiteri potest, vel orationi vacare: & quod inter eos dum viuunt, vinculum coniugale permanet, vt alij se copulare non liceat, & vt inuicem alter alteri exhibeat, quod quisque sibi. Hac autem descriptione legitimorum & fidelium tantum matrimonium includit. B 27.q. in princ.

ARTICVLVS III.

An alter coniugum sine altero continere potest?

Tertio quæritur de his quæ consequenter dicit Magister in explanatione diffinitionis, & præcipuè de hoc quod dicit, quod dum viuunt alter sine altero continere non potest, & alter alteri exhibeat, &c. Videtur enim hoc esse falsum: quia veri coniuges efficiuntur per consensum: sed post illum ante carnalem copulam, alter irrequisito alio potest conuolare ad frugem melioris vitæ: & tunc datur alteri licentia nubendi: ergo falsum videtur quod dicitur in litera.

2 Item, Minus bonum non præiudicat maiori bono: sed maius bonum est votum continentiæ, quam matrimonium: ergo matrimonium non præiudicat voto: ergo matrimonium non excludit votum continentiæ: ergo etiam post contractum & consummatum matrimonium, potest fieri votum continentiæ, etiam alio irrequisito.

3 Item, In naturis minus lumen non excludit maius, sed è conuerso: sed matrimonium est sicut lumen, & votum continentiæ perpetuæ est sicut maius lumen: ergo licet votum excludat matrimonium, tamen ipsum non excludit votum continentiæ perpetuæ.

4 Item, Nulli præcludenda est via proficiendi in melius: ergo nec matrimonio iuncto: sed per votum continentiæ proficit in melius: ergo matrimonium non debet eum ab hoc voto impedire.

5 Item, In nulla alia virtute status inferior excludit statum altiorem, sicut castitas incipiens, non excludit statum castitatis proficientis & perfectæ, & sic est de iustitia, fortitudine, & omnibus aliis: ergo etiam in continentia status inferior non excludit statum altioris continentiæ: ergo licet aliqua persona matrimonio iuncta sit, non tamen potest ei prohiberi per coniugem quin transeat ad continentiam altioris status.

In contrarivm est, quòd nihil est faciendum cum præiudicio iuris alterius personæ: sed per matrimonium mulier efficitur iuris alterius personæ, & è conuerso: ergo nihil est faciendum cum præiudicio iuris illius: votum autem continentiæ non potest fieri sine præiudicio alterius coniugis: ergo sine consensu suo fieri non potest. Probatur autem prima per hoc quod dicit Apostolus Roman.3. Faciamus mala vt eueniant bona, quorum damnatio iusta est. Secunda autem probatur per hoc quod dicit Apostolus 1.Cor.7. Mulier non habet potestatem sui corporis, sed vir. Similiter autem & vir, &c. *Sed contra.*

Qvod est concedendum, dicendo ad primum, quòd ante carnalem copulam non est inter eos nisi vinculum spirituale: & ideo ad solutionem illius sufficit mors spiritualis. Vnde cum alter conuolat ad frugem vitæ melioris in claustro, tunc moritur spiritualiter: & tunc alter est absolutus. *Solutio.*

Ad alivd dicendum, quòd bonum minus quando simpliciter est, tunc non præiudicat bono meliori: sed quando melius non potest fieri nisi cum damno & læsione iuris alieni, tunc non est transeundum de minori bono ad melius: quia non est melius quod est iniustum.

Ad alivd dicendum, quòd non est simile quòd inducitur: quia votum continentiæ perpetuæ in tali casu non est sicut lumen maius, sed potius sicut tenebra iniustitiæ ex inuasione iuris alieni, vt dictum est.

Et per hoc etiam patet solutio ad duo vltima.

***

De conſenſu qui efficit coniugium.

C EFFICIENS autem cauſa matrimonij eſt conſenſus, non quilibet, ſed per verba expreſſus: nec de futuro, ſed de præſenti. Si enim conſentiunt in futurum dicentes, Accipiam te in virum, & ego te in vxorem: non eſt iſte conſenſus efficax matrimonij. Item ſi conſentiant mente, & non exprimant verbis vel aliis certis ſignis: nec talis conſenſus efficit matrimonium. Si autem verbis explicant quod tamen corde non volunt, ſi non ſit coactio ibi vel dolus, obligatio illa verborum quibus conſentiunt dicentes, Accipio te in virum, & ego te in vxorem, matrimonium facit.

Auctoritatibus probat, quod ſolus conſenſus facit matrimonium.

D QVOD autem conſenſus matrimonium faciat, ſubditis probatur teſtimoniis. Ait enim Iſidorus, Conſenſus facit matrimonium. Item Nicolaus Papa, Sufficiat ſolus ſecundum leges eorum conſenſus, de quorum coniunctionibus agit: qui ſolus ſi forte in nuptiis defuerit, cætera etiam cum ipſo coitu celebrata fruſtrantur. Item Ioan. Chryſoſt. Matrimonium quidem non facit coitus, ſed voluntas: & ideò non ſoluit illud ſeparatio corporis. Item Ambroſius, Non defloratio virginitatis facit coniugium, ſed pactio coniugalis. Ex his apparet, quod conſenſus id eſt pactio coniugalis, matrimonium facit: & ex tunc coniugium eſt, etiamſi non præceſſit vel ſecuta eſt copula carnalis.

27.q.2. in princ. Vbi ſupra. cap. Sufficiat.

Hom. 32.ad cap. 19. Matth. In expoſitione 2. in Matth.

DIVISIO TEXTVS.

DEINDE quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Efficiens cauſa matrimonij, &c.] Hæc pars diuiditur in tres partes, in quarum prima oſtendit cauſam efficientem matrimonij. In ſecunda inducit opiniones, quare dicatur coniunx ea quæ coniungitur matrimonio *ibi* [quod enim ab ipſa deſponſatione, &c.] In tertia dicit cauſam, quare non ſtatim exhibetur coniunx, quando contractum eſt matrimonium *ibi* [De nuptialibus pactis] In quarta & vltima dicit, quæ coniunx efficiatur vidua, mortuo viro, & quæ non *ibi* [Et eſt ſciendum, quod illa ſponſa, &c.] Harum partium ſecunda diuiditur in tres, in quarum prima tangit opinionem veram, in ſecunda falſam cum ſuis aſſertionibus *ibi* [Quidam tamen aſſerunt] In tertia repugnando ſoluit *ibi* [His ita reſpondemus, &c.] Et hæc de diuiſione iſtius diſtinctionis ſufficiant.

ARTICVLVS IV.

An mutuus conſenſus per verba vel ſigna expreſſus, ſit cauſa efficiens matrimonij?

INcidunt ſuper primam quæſtionem Magiſtri hîc quæſtiones tres: quarum prima eſt, Vtrum mutuus conſenſus per verba vel ſigna expreſſus ſit cauſa efficiens matrimonij? Secunda, Vtrum ſemper fuerit cauſa efficiens matrimonij talis conſenſus, vel non? Tertia, Quare in hoc ſacramento conſenſus requiritur pro cauſa, & non in aliis?

Ad primum obiicitur ſic: Dicit Hugo de ſanct. Vict. in libro de ſacramentis, tractatu de matrimonio: Eos qui coniunguntur, ſic oportet conſentire, vt inuicem ſe ſponaneè recipiant. Ergo conſenſus facit matrimonium.

2 Ad hoc autem multæ in litera inducuntur auctoritates.

3 Item per rationem obiicitur ſic: quia de meo non poteſt fieri tuum, niſi de meo conſenſu: cum ergo in matrimonio de meo efficiatur tuum, & è contra; ergo oportet mutuum adeſſe conſenſum qui hoc efficiat.

SED

Sed contra. SED QVIA hoc ab omnibus dicitur, obiiciatur in contrarium sic : Matrimonium est sacramentum : sed in omni sacramento efficiens est diuina virtus, vt dicit Augustinus. ergo in matrimonio causa efficiens est diuina virtus: ergo consensus mutuus non est efficiens causa matrimonij.

3 Item, Diuersorum specie sunt diuersæ causæ efficientes : sed sacramentum & & contractus iustitiæ sunt diuersa specie : ergo diuersæ suut causæ efficientes: sed consensus est contractus causa : ergo non est causa matrimonij.

3 Item, Omne sacramentum Ecclesiæ consistit in operatione ministrorum Ecclesiæ: ergo & matrimonium : sed contrahentes matrimonium non sunt ministri Ecclesiæ : ergo operatio ipsorum non debet esse causa efficiens matrimonij.

4 Item, Consensus latet: sed causa efficiens debet esse aperta ad minus quoad operationem : ergo videtur, quòd consensus non sit caasa efficiens. Si dicas, quòd per verba exprimitur. Contra : Verbum sæpè est nuntius fallax, quia dicitur Psalm. 115. quòd omnis homo mendax : ergo videtur, quòd per verba non possit sufficienter certificari.

5 Item, Ponamus, quòd aliquis dicat verba exprimenria consensum ad decipiendum, & non ad consentiendum : constat, quòd hic non est consensus : ergo non est matrimonium: ergo mulier admittens illum, fornicabitur, quod graue est dicere, & falsum est.

6 Item, Matrimonium sicut quærit consensum in vno, ita quærit consensum in alio coniuge: ergo oportet esse duos consensus : & isti duo certificari non possunt : ergo semper remanent in dubio, vtrum sit matrimonium vel non: sed qui facit dubium quod timet esse peccatum mortale, peccat mortaliter: ergo quilibet cognoscens vxorem suam, secundum hoc mortaliter peccaret, quod falsum est.

7 Item obiicitur de hoc quod dicit, Per verba expressus : aliqui enim sunt muti, qui verba non formant : ergo illi contrahere non possunt, quod falsum est.

8 Item, Aliqui sunt sese non intelligentes: ergo isti non possunt contrahere.

9 Item, Aut consensus habet à verbis quod facit matrimonium, aut è contrario verba à consensu, aut vtrunque simul habet facere matrimonium. Si tu dicas, quòd consensus habet à verbis. Contra : Nihil dat quod non habet: ergo verba habent illud etiam sine consensu: ergo siquis dicat verba, etiamsi non consentiat, ipse efficit matrimonium, quod falsum est. Si è conuerso verba habent à consensu, similiter obiicitur: ergo consensus habet illud ante verba : contingat ergo, quòd duæ personæ silenter in se mutuò consentiant: ergo inter eos erit matrimonium : ergo non possunt aliis copulari, quod falsum est. Si autem vtrunque simul habet : tunc malè dicitur in litera, quòd solus consensus facit matrimonium.

10 Item, Videmus quasdam suum consensum non exprimere, sed omnino tacere parentibus eas aliis tradentibus : ergo videtur, quòd tale nõ esset matrimoniũ: quod iterũ falsũ est.

11 Item, Iuramentum fortius est, quam simplex verbum. Ponamus ergo, quòd aliquis contrahat hodiè in facie Ecclesiæ per verbum de præsenti, & cras vel alio tempore iuret in facie Ecclesiæ, quod nunquam consenserit, magis standum erit suo iuramento, quam suo verbo : ergo istum talem non debet Ecclesia compellere ad commanendum. Si dicas, quòd Ecclesia testis est de præterito consensu. Contra: Ecclesia non est testis nisi de eo quod vidit: sed non vidit consensum: ergo non potest esse testis de consensu, nisi quantum credit verbo quod tunc dixit : sed iste modo iurat, quod nunquam intendit consentire : videtur ergo, quòd standum sit suo iuramento, quod falsum est : ergo videtur, quòd causa efficiens matrimonij non sit consensus.

VLTERIVS quæritur de hoc quod additur in litera, Per verba de præsenti : & si consentiant in futuro, quòd ille consensus non est efficax ad matrimonium faciendum. Videtur enim hoc esse falsum : quia de quacunque alia re potest fieri contractus in futurum : ergo & de ista. *Quæstiũcula.*

2 Item, Philosophi locuti sunt de commutationibus & contractibus, & nunquam ponunt aliam causam efficientem contractus in futurum, & aliam causam contractus in præsenti: ergo videtur, quòd nihil sit quod dicitur in litera.

3 Item, Sicut futurum distat à præsenti per expectationem, ita præteritum per memoriam, vt dicit Augustinus: cum ergo consensus in futurum non faciat matrimonium, videtur quòd neque consensus qui fuit in præterito faciat matrimonium : quod falsum est, quia matrimonium est inter eos qui in præterito consenserunt.

4 Item, Futurum & præsens non differunt nisi per materiam: sed ea quæ tantum materia differunt, non differunt specie per causam efficientem : ergo non est alia causa efficiens matrimonij in futuro, & in præsenti.

5 Item, Maius est intrare claustrum, quam contrahere matrimonium: sed in futurum possum consentire de intrando claustrum : ergo etiam possum consentire in futurum de contractu matrimonij : ergo nihil est quod dicitur in litera, vt videtur.

RESPONSIO. Dicendum, quòd Magister verum dicit in litera. Ad primum ergo quod contra obiicitur, dicendum quòd istud sacramentum, vt prius determinatum est, non est tantum diuinum : & dictum Augustini intelligitur de sacramentis tantum diuinis: istud autem cum sit circa actus hominum, ab actibus hominum dependet, sicut & pœnitentia in quibusdam actibus suis. *Solutio.*

AD ALIVD dicendum, quòd ministri Ecclesiæ simpliciter in administratione habent Ecclesiæ sacramenta tantum diuina : sed illa quæ sunt humana secundum doctrinam administranda sunt : & ideo talia propter imperfectum eis adiunctum non administrant, sed docent qualiter honestè & secundum Deum fiant: & hoc sufficit in talibus sacramentis.

AD ALIVD dicendum, quòd latens omnino consensus non potest facere matrimo-

nium, quia non est nisi vnius, eo quod non procedit in alium: & ideo consensus in signis expressus facit eum, & tunc non latet. Ad id quod contra obiicitur, dicendum quòd verbum quandoque nuntius fallax est: sed tamen quia Ecclesia non nititur ad impossibile, & impossibile est homini cognoscere cor, ideo iudicat secundum faciem: & ideo dicit esse matrimonium, quando est per verba de præsenti contractum, & ideo compellit illum commanere.

AD ALIVD dicendum, quòd quoad illum qui non consentit, non est matrimonium, nec simpliciter est matrimonium: quia matrimonium non est in vno, sed in duobus, & non claudicat: tamen alter excusatur in coitu, quia secundum faciem in plenum est ei satisfactum de matrimonio: & ideo est ibi ignorantia facti particularis, sed non iuris siue vniuersalis: & Ecclesia compellit eum commanere, quia secundum faciem iudicat: & si vult euitare gehennam, necesse est quod consentiat. Sed ponamus talem casum, quòd aliquis per verba de præsenti decipiat primam in facie Ecclesiæ, sed cum secunda contraxerit verè, quid illi est faciendum? Dicendum, quòd Ecclesia debet eum compellere ad primam: ipse autem potius debet excommunicationem sustinere, quam commanere cum illa: sed vadat cum secunda in extremas regiones, & ibi commaneat sibi reddendo debitum: quod si non potest, sustineat excommunicationem cum dolore cordis & moriatur in ea.

AD ALIVD dicendum, quòd homini debet sufficere certitudo secundum faciem: quia aliam habere non potest, & illam habet per verba de præsenti consensum exprimentia.

AD ALIVD dicendum, quòd verba ponuntur ibi generaliter pro quibuslibet signis consensum de præsenti exprimentibus, & præcipuè pro coitu si sponsionem de futuro sequeretur.

AD ALIVD dicendum, quòd verba habent de consensu, & consensus solus efficeret si in notitiam alterius procedere posset. Ad obiectum contra, dicendum quòd illi tales non habent consensum per verba expressum, & consensus in verbis tantum facit matrimonium, causa dicta: & ideo nihil valet illa obiectio.

AD ALIVD dicendum secundum Hugonem dicentem sic: Eos qui coniunguntur sic oportet consentire, vt inuicem se spontaneè recipiant: quod iudicatur fieri si in desponsatione minimè contradicant: consentit enim qui minime contradicit, Iuxta illud Pandectarum, Isti filia patri consentire videtur, nisi euidenter dissentiat. Et alibi, Quæ patris voluntati non repugnat, consentire intelligitur.

AD ALIVD dicendum, quòd etiamsi cum multis iuret, dummodo antecedens probari possit, non credetur ei: quia Ecclesia secundum faciem iudicat, Deus autem intuetur cor: & ideo ille talis faciat pacem inter se & Deum sicut vult & potest: quia Ecclesia cogit eum redire ad primam.

Ad qu. 1. AD ALIVD dicendum, quòd solus consensus de præsenti facit matrimonium, & non de futuro. Ad id quod contra obiicitur, dicendum quòd alius contractus de futuro, etiam non est contractus, sed erit contractus si in futuro per præsens fiat: sed tamen aliud est contractus de futuro, & aliud expectatio pretij in futuro de contractu iam facto. Vnde patet, quòd contractum possibile est esse præsentem, cum pretium recipietur in futuro. Et similiter est in matrimonio, quòd sponsalia de futuro non faciunt matrimonium, sed erit matrimonium quando consensus de præsenti interuenerit.

AD ALIVD dicendum, quòd dictum Philosophorum est verum & de contractu & de matrimonio, vt patet ex præhabitis.

AD ALIVD dicendum, quòd contractus de præterito matrimonium non efficit, sed effecit ipsum: & ita se habet contractus de futuro, quod non efficit, sed efficiet quando conuertetur in præsens.

AD ALIVD dicendum, quòd ea quæ differunt specie in rebus, nihil prohibet differre specie in voluntate & desiderio: quia accidens quod accidit rei per se vt finis voluntaris, accipitur ab actu animæ: & ideo differentia accidentalis in re facit quandoque substantialem in voluntatibus, quæ differunt penes volita quæ vt fines accipiuntur. Et ita est in consensu relatio ad verbum præsentis temporis & futuri. Et hæc solutio notanda est in tota materia ista: quia necessaria est.

ARTICVLVS V.

An talis consensus semper efficiat matrimonium?

SEcundo quæritur, Vtrum consensus talis semper efficiat matrimonium vel non? Videtur autem, quòd non: quia dicit Magister Hugo, Arbitror, quòd sufficiebat in antiquo tempore patrum ad contrahendum coniugium alterna viri & mulieris in rebus necessariis prouidentia, & de soluendo carnis debito consensus: ita tamen, quòd mulier promittebat se fidem thori viro seruaturam, vir autem quandoque poterat aliam ducere, & dato libello repudij vxorem dimittere. Ergo videtur, quòd vir tunc non tenebatur consentire.

2 Item, Si verba de præsenti fuerunt, accipio te in meum: cum meus non possit esse qui alterius est, videtur quòd mulier non possit hoc dicere, quæ coniungitur vni qui plures habet: ergo non potest in eum consentire: ergo videtur, quòd tunc consensus matrimonium non fecit.

3 Item, Meus non est, qui potest me dimittere: sed tunc potuit dimittere dato libello repudij: ergo videtur, quòd non suus: ergo nec fuerat ibi consensus, quia consensus facit suum. Et hæc quandoque fuit opinio Hugo de sancto Victor.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius obiicitur: quia dicitur Genes. 24. Vocemus puellam, & quæramus ab ipsa: & quærebatur consensus puellæ: non quærebatur autem nisi propter matrimonium:

trimonium : igitur consensus de præsenti, & tunc fecit matrimonium.

2 Item, Quid faceret matrimonium nisi consensus ? constat autem quòd illa quæ matrimonialiter coniuncta est, cognoscitur vt sua: sed suam non potest aliquid facere nisi consensus : ergo videtur, quòd etiam tunc consensus fecit matrimonium.

Solutio. RESPONSIO. Videtur mihi sine præiudicio, quòd etiam tunc matrimonium fecit consensus per verba de præsenti expressus. Et dico, quòd vir potest esse suus mulieris dupliciter, scilicet simpliciter in omnibus : & sic alij coniugi non posset : & hoc modo suus est in Nouo Testamento in quo vna est vnius. Alio modo poterat esse suus in opere generationis: & hoc modo vnus potest esse plurium, sicut dicit Aristot. in 4. primæ philosophiæ, quod vnus multas implet. Et consensus Veteris Testamenti quando dicebatur, Accipio te in meam, sic intelligebatur, & ille erat consensus qui tunc effecit matrimonium : & est causa illa quæ dicta est, scilicet paucitas Deo seruientium, & multitudo eorum qui ad idololatriam pertrahebant, quando adhuc non erat tempus fœcunditatis spiritualis.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd auctoritas inducta intelligitur, quòd non omnino consentiebant vt modo.

AD ALIVD dicendum, quòd iam dictus est verborum sensus quando dicebant, Accipio te in meum. Et per illam expositionem distinctionis præhabitæ patet solutio ad argumentum illud.

AD TERTIVM dicendum, quòd sicut dicit Dominus Matth.5. & 19. libellus repudij dabatur propter duritiam, & ideo præter ius matrimonij fuit : & ideo dimissa adhuc per ius fuit sua. Vtrum autem huiusmodi dimissio imputaretur tunc vel non, infra erit in quæstione.

ARTICVLVS VI.

Quare in hoc sacramento potius quam in alio requiritur consensus ?

TErtio quæritur, Quare in hoc sacramento potius quam in alio quæratur consensus ? Videtur, quòd non debeat quæri : quia matrimonium est inferiorum de Ecclesia : sed inferioris est moueri secundum dispositionem superioris in sacramentorum perceptione : ergo videtur, quòd non debeat quæri consensus inferioris, sed superioris.

2 Item, Omnis participatio hierarchicorum deriuatur à hierarcha, vt dicit Dionysius Ecclesiasticæ hierarch. cap.3. sed omne sacramentum est participatio quædam hierarchicorum : ergo videtur, quòd participatur secundum consensum vel dissensum hierarchæ, & non secundum consensum inferioris.

RESPONSIO ad hoc est, quòd istud sacramentum, vt prius dictum est, consistit in quadam commutatione siue contractu ipsius personæ contrahentis : talis autem commutatio non potest fieri sine consensu commutantis siue contrahentis : & ideo in isto & non in aliis requiritur consensus. *Solutio.*

AD ID quod contra obiicitur, dicendum quòd in omnibus quæ pertinent ad hierarchiam inferiores debent moueri ad nutum superiorum : sed matrimonium est de his, scilicet quando, & qua forma contrahant, & huiusmodi : sed ipse contractus non subditur obedientiæ, sed consensui contrahentis.

AD ALIVD dicendum, quòd ex illa parte vbi est circa actus humanos tantum, non est de hierarchicis : sed ex illa parte vbi est sacramentum, & hoc modo dispensatur per ministros habentes potestatem à hierarcha : & hac parte etiam nuptiæ benedicuntur, & Ecclesiæ præsentantur.

Quando incipiat esse coniugium.

QVOD enim ab ipsa desponsatione in qua pactio coniugalis exprimitur, coniuges sint, Sanctorum testimonia probant. Ait enim Ambros. Cum initiatur coniugium, coniugij nomen ascisitur : cum coniungitur viro, coniugium est, non cum viri admixtione cognoscitur. Item Isidor. Coniuges verius appellantur à prima desponsationis fide, quamuis adhuc inter eos ignoretur coniugalis concubitus. Item Augustinus, Coniunx vocatur ex prima desponsationis fide, quam concubitu non cognouerat, nec fuerat agniturus. Nec peierat, nec mendax manserat coniugis appellatio, vbi non fuerat nec futura erat carnis vlla commixtio. Propter quod fidele coniugium ambo parentes Christi vocari meruerunt, non solum illa mater, sed etiam ille pater eius, sicut coniunx matris eius, vtrumque tamen mente, non carne. Ex his euidenter insinuatur, quòd ex tempore quo intercedit consensus voluntarius ac maritalis (qui solus coniugium facit) veri coniuges sunt sponsus & sponsa.

E Lib. de virginibus.17. q.2.

Lib. etym.9. cap.8.

Lib. de nuptiis & concupisc. cap.11.

Mat.12. Luc.3.

Secundum quosdam non est coniugium ante carnalem copulam, sed sponsi & sponsæ sunt.

F QVIDAM tamen asserunt, verum coniugium non contrahi ante traductionem & carnalem copulam: nec verè coniuges esse aliquos, antequam intercedat commixtio sexus: sed à prima fide desponsationis vir sponsus, & mulier sponsa est, non coniunx. Sponsos autem & sponsas coniuges frequenter appellari dicunt, non quia sint, sed quia futuri sunt, cuius rei sponsionem inuicem fecerunt. Et secundum hoc verba præmissarum auctoritatum intelligenda fore tradunt.

ARTICVLVS VII.

An coniugium dicatur consistere in vnione animorum vel corporum?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Quod autem ab ipsa desponsatione, &c.] Videtur enim obiici pro ista opinione sic: Debitum habere in corpore alterius, cum ante non fit habitum, non contingit nisi in alio conferente ius illud in illo corpore: sed ius illud confertur ex primo consensu per verba de præsenti expresso: ergo ex tunc est illud debitum: sed hoc debitum est effectus coniugij: ergo est tunc est matrimonium: ergo coniugium est ex tunc.

2 Item, Nobilior est anima, quam corpus: ergo vnio animarum nobilior est in matrimonio, quam corporum; ergo coniugium magis perficitur ex coniunctione animarum, quam corporum: ergo in tali coniunctione magis est coniugium.

3 Item, Supra probatum est, quòd coniugium magis perficitur per consensum animorum: ergo ex tunc etiam vocatur coniugium, & nec ante, nec post.

4 Item, Illud facit rem quo posito ponitur, & destructo destruitur: sed ita facit coniugij consensus: ergo ex tunc vocantur coniuges. Secunda patet ex hoc, quòd si coniunctio corporum faceret matrimonium, semper faceret: & hoc patet esse falsum; cum ergo non sint in matrimonio nisi consensus, & commixtio corporum, videtur quòd ex consensu coniuges vocantur.

5 Item, Copula non efficit coniugium nisi præcedente consensu, & per consensum: ergo consensus magis efficit matrimonium; & sic iterum habetur propositum.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius obiicitur pro sequenti opinione quod dicit Augustin. quòd nuptiæ sunt bonum mortalium, sed mortalitati non subuenitur nisi per commixtionem corporum: ergo nuptiæ non sunt nuptiæ nisi per commixtionem corporum: ergo nec coniuges vocari debent nisi per commixtionem corporum.

2 Item, Vxor datur viro in adiutorium, sicut dicitur Genes. 2. sed non est adiutorium nisi generationis: cum ergo hoc non fiat nisi per corporalem commixtionem, videtur quòd à corporali commixtione vocetur vxor.

3 Item, Non dixit Adam, Erunt duo in anima vna, sed potius erunt duo in carne vna: ergo ab vnitate carnis dicuntur coniuges: ergo ante corporalem commixtionem coniuges dici non debent.

4 Item, Quædam personæ prohibentur à matrimonio tam in lege naturæ, quam in lege veteri, quam etiam in lege noua: aut ergo hoc fit propter coniunctionem cordium, aut propter commixtionem corporum, aut propter vtrumque. Si primo modo, videtur quod hoc sit falsum: quia consanguinitas magis facit ad vnitatem cordium confouendam: ergo non deberent tales personæ à matrimonio prohiberi: ergo relinquitur, quòd aut propter vnitatem corporum, aut propter vtrumque: & quodcunque dicatur, habetur quod dicit sequens opinio.

5 Item, Vbi Moyses prohibet personas quæ vxores esse non possunt, ibi tali modo vtitur loquendi, Turpitudinem matris tuæ non discooperias: constat autem, quòd hoc non fit nisi per commixtionem corporum: ergo non fit vxor nisi per commixtionem corporum.

6 Item, Coniunctio cordium inter multos est non per coniugium: sed coniunctio corporum præcedente pactione matrimonij inter nullos est nisi inter coniuges: ergo videtur, quòd coniunctio corporum faciat matrimonium, & non coniunctio animorum tantum.

Solutio. SOLVTIO. Ad hæc dicendum, quòd prima opinio est vera: secunda autem falsa.

AD HOC autem quòd primo obiicitur pro secunda, dicendum quòd nuptiæ dicuntur bonum mortalium ratione boni prolis: sed tamen non sunt tantum bonum mortalium, quia etiam essent si mortalitas non esset: & ideo non oportet, quòd actu concubitus efficiatur.

AD ALIVD dicendum, quòd vxor datur viro in adiutorium generationis, & secundum Aristot. etiam datur in adiutorium aliarum operationum: quia homo est animal coniugale, eò quod non sufficit sibi in suis operationibus, & ideo etiam est animal gregale, vt dicit Philosophus. Sed tamen si concedatur dari in adiutorium generationis, non oportet propter hoc, quòd efficiatur coniunx ipso concubitu,

bitu, sed potius per pactionem coniugalem præcedentem: quia aliter in primo concubitu non cognosceret vt suam.

Ad alivd dicendum, quòd Adam dixit hoc de matrimonio ratione boni principalis, & non dixit hoc ratione essentialis causæ matrimonij: bonum autem principale matrimonij est bonum prolis.

Ad alivd dicendum, quòd illæ personæ prohibentur ratione bene esse matrimonij: quia cum consanguinitas sit sufficiens causa fœderis humani, voluit Deus dare fœdus, quo alligarentur etiam remotiores: & ideo excipit propinquiores, vt necessitatem faceret se coniungẽdi aliis in fœdere matrimoniali. Vnde hic non tangit essentiam matrimonij: & ideo istud non ostendit proprium essentiale matrimonij.

Ad alivd dicendum eodem modo.

Ad vltimvm dicendum, quòd alia est societas in genere, & alia societas coniugalis. Prima enim potest esse inter multos non matrimonio coniunctos. Secunda autem non: quia etiamsi nunquam cognosceret corporaliter, adhuc vir non posset habere pactionem coniugalem cum personis prohibitis. Et sic patet solutio ad totum.

Qua ratione nituntur.

Qvia vero inter sponsam & coniugem plurimum interest, ex eo astruunt, quia licet sponsæ ante carnalem copulam inconsulto vel nolente sponso monasterium eligere: quo facto, sponso etiam licet aliam ducere. Coniugatus vero vel coniugata, nec continentiam nisi ex communi consensu seruare valet, nec monasterium petere, nisi vterque continentiam pariter profiteatur. Quod vero liceat sponsæ monasterium eligere, auctoritatibus Sanctorum probatur. Ait enim Eusebius Papa, Desponsatam puellam non licet parentibus alij viro tradere: tamen licet sibi monasterium eligere. Item Gregorius. Decreta legalia desponsatam, si conuerti voluerit, nullo penitus censuerunt damno mulctari. Refert etiam Hieronymus, quòd Macharius inter Christi eremitas præcipuus, celebrato nuptiali conuiuio cum vespere thalamum esset ingressurus, ex vrbe egrediens transmarina petiit, & eremi solitudinem sibi elegit. Beatus etiam Alexius similiter ex nuptiis diuina gratia vocatus, sponsam deseruit, & nudus Christo famulari cœpit. His auctoritatibus & exemplis liquet, licere sponsis sine consensu suarum sponsarum, & è conuerso continentiam profiteri. G

16.q.7. cap. Desponsatam.

ARTICVLVS VIII.

Vtrum & quando necesse est reddere debitum?

Deinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Quia licet sponsæ ante carnalem copulam,&c.] Quæritur enim hîc, Quando necesse sit reddere debitum si petatur? Videtur, quòd statim: quia per verba de præsenti vnusquisque potestatem habet & ius in corpore alterius: sed ius meum possum statim exigere: ergo videtur, quòd statim post matrimonium vterque debitum tenetur soluere.

2 Item, Siquis facit contractum cum aliquo simpliciter non determinans tempus, statim soluere tenetur: sed in contractu matrimonij sic fit contractus, quòd non determinatur tempus: ergo statim tenetur soluere.

3 Item 1.Corinth.7. Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus. Ergo non potest negari debitum nisi ex consensu: ergo statim tenetur soluere si petatur.

4 Item, Ponamus, quòd sibi immineat periculum tentationis quod præcauens contrahit: cum ergo debeat cauere suo periculo, statim debet petere debitum: ergo & ille statim tenetur reddere.

In contrarivm huius est, quod infra habebitur, quòd non statim sponsa exhibeatur, ne vilem habeat maritus datam, quam suspirauit dilatam: ergo videtur, quòd non statim debeat reddere.

2 Item, Tob.8. Tobias iunior non statim reddidit debitum: sed prius tribus noctibus Deum inuocabant ambo, ipse & vxor sua secundum doctrinam Angeli: ergo videtur, quòd & aliis sic sit faciendum. *Solutio.*

Solvtio. Dicendum, quòd secundum quod dicunt Iurisperiti, infra mensem tenetur debitum reddere. Hoc enim tempus præfigitur ei propter tres causas. Vna & præcipua causa est, vt deliberationem habeat conuolandi ad altiora vota si voluerit. Secunda est præparatio eorum quæ exiguntur ad solennitatem matrimonij. Tertia est, vt desiderium dilatum affligat animos eorum, & ex hoc amplius posteà in

D. Alb. Mag. in Lib. 4. Sentent.

ſuiinuicem perſeuerent dilectione.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd ſtatim habet ius, ſed non habet ad ſtatim vſum: quia intereſt Legiſlatoris qualiter quiſque ſuo vtatur iure: & ideo ſtatuit lex qualiter matrimonium honeſtè conſummetur.

AD ALIVD dicendum, quòd ſecus eſt in emptione alterius rei: quia illi non eſt adiectum onus & indiuidualis ſocietas, ſed vſus tantum qui nulli diſplicere poteſt: & ideo non oportet, quòd ſuſpendatur deſiderium emptoris ad hoc vt habitam rem amplius diligat: ſed vtrumque illorum eſt in matrimonio.

AD ALIVD dicendum, quod Apoſtolus loquitur de matrimonio iam conſummato.

AD ALIVD dicendum, quòd qui contrahit propter tentationem, poteſt apponere conditionem vt ſtatim fiat copulatio per carnalem copulam. Eſt tamen nimis debilis, qui tentationi vſque in tam paruum tempus reſiſtere non poteſt.

Quod coniugatus vel coniugata nequeant continentiam profiteri ſine alterius conſenſu.

HOC autem coniugatis nullatenus licet. Non enim poteſt vir melioris vitæ propoſitum ſumere ſine vxoris conſenſu, & è conuerſo. Vnde Gregor. ſcribens Theotiſtæ patritiæ. Sunt qui dicunt religionis gratia coniugia debere ſolui. Verum ſciendum eſt, quia etſi hoc lex humana conceſſit, tamen lex diuina prohibuit. Si verò vtriſque conueniat continentem vitam ducere, hoc quis audeat accuſare? Sic enim multos Sanctorum nouimus cum ſuis coniugibus & prius continentem vitam duxiſſe, & poſt ad ſanctæ Eccleſiæ regimina migraſſe. Si vero continentiam quam vir appetit, mulier non ſequitur: aut quam vxor appetit, vir recuſat: coniugium diuidi non poteſt: quia ſcriptum eſt, Mulier poteſtatem ſuæ carnis non habet, ſed vir. Similiter & vir poteſtatem ſuæ carnis non habet, ſed mulier. Idem, Agathoſa, latrix præſentium, queſta eſt virum ſuum contra voluntatem ſuam in monaſterium eſſe conuerſum. Quapropter experientiæ tuæ præcipimus, vt diligenti inquiſitione diſcutias, ne forte eius voluntate conuerſus ſit, vel ipſa mutare ſe promiſerit. Et ſi hoc repereris, & illum in monaſterio permanere prouideas, & hanc ſicut promiſit, mutare vitam compellas. Si vero nihil horum eſt, nec quondam fornicationis crimen (propter quod licet vxorem dimittere) prædictam mulierem commiſiſſe cognoueris, ne illius conuerſio vxoris relictæ in ſeculo fieri poſſit perditionis occaſio, volumus vt maritum ſuum illi, etiamſi iam tonſuratus eſt, reddere debeas, omni excuſatione ceſſante. Quia niſi fornicationis cauſa virum vxorem dimittere nulla ratio concedit. Poſtquam enim copulatione coniugij viri & mulieris vnum corpus efficitur, non poteſt ex parte conuerti, & ex parte remanere in ſeculo. Item ex 8. ſynodo, Siquis coniugatus conuerti ad monaſterium velit, non eſt recipiendus, niſi prius à coniuge caſtimoniam profitente fuerit abſolutus. Tales ergo tunc ſine culpa ſequuntur Chriſtum relicto ſeculo, ſi habent ex pari voluntate caſtitatis conſenſum. Item, Si vir & vxor diuertere pro ſola religioſa inter ſe conſenſerint vita, nullatenus ſine conſenſu Epiſcopi fiat: vt ab eo ſingulariter prouiſo conſtituantur loco. Nam vxore nolente, vel altero illorum, etiam pro tali re matrimonium non ſoluitur. Item Auguſtinus, Si abſtines ſine vxoris voluntate, tribuis ei fornicandi licentiam: & peccatum illius tuæ imputabitur abſtinentiæ. Item Nicol. Papa, Scripſit nobis Thaberga regina, regia ſe velle dignitate vel copula exui, & ſola vita priuata eſſe contentam deſiderare. Cui ſcripſimus,

H 27.q.2. c. Sunt qui.

Matt.5. & 19.

1.Cor.7.

Matt.7. & 19.

27.q.2. c.Siquis.

Ex ſynodo Eugenij.

De adulterinis cõiugiis 27.q.2. c.Vbi ſupra.

mus, non hoc aliter fieri posse, nisi eandem vitam vir eius Lotharius elegerit. Ex his patet, quòd coniugati sine communi consensu monasterium eligere, continentiam profiteri, vel habitum religionis sumere non valent: & si fecerint, reuocari debent. Sponsi vero possunt sine communi consensu monasterium eligere. Vnde videtur inter sponsum & sponsam coniugium non esse. Ideoque asserunt à prima fide desponsationis coniuges appellari, non re præsentium, sed spe futurorum: quia ex fide quam ex desponsatione sibiinuicem debent, posteà efficiuntur coniuges. Præmissas autem auctoritates, quibus asseritur quod consensus matrimonium facit, ita intelligi volunt, vt consensus vel pactio coniugalis non ante coitum faciat matrimonium, sed in coitu. Sicut enim defloratio virginitatis non facit matrimonium, nisi præcedat pactio coniugalis: ita nec pactio coniugalis, antequam adsit copula carnalis. Ex pactione ergo coniugali sponsi & sponsæ fiunt ante coitum, in coitu verò efficiuntur coniuges. Facit enim pactio coniugalis, vt quæ prius erat sponsa, in coitu fiat coniunx.

ARTICVLVS IX.

An vir potest vxorem suam dimittere?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Et si hoc lex humana concessit, tamen lex diuina prohibuit, &c.] Videtur enim, quòd lex diuina hoc prohibere non debuit: quia perfectior est lex diuina, quam humana: ergo magis debet concordare perfectis: sed perfectorum est esse sine coniugio: ergo hoc lex Dei debuit concedere.

2 Item, Lex humana exemplata est à lege diuina: aut ergo lex humana est iusta, aut iniusta. Si iusta: cum igitur omne iustum iusto concordet, non debuit lex diuina prohibere quod lex humana concessit. Si autem est iniusta: ergo sic fuit exemplata à lege diuina, quod est contra hypothesim.

3 Item, Aliqui sunt steriles ex altero coniugum, aut ex vtroque, sed ille qui sterilis est, vtilius circa vitam contemplatiuam occupatur: cum autem nihil deperiret si daretur ei licentia nubendi alteri: ergo videtur, quòd cum hoc perfectius esse videatur, quod lex diuina hoc suadere debuit vel permittere.

4 Item, Hoc lex humana concessit. Vnde marchia Catonis ab ipso separata propter sterilitatem Catonis alij ad tempus coniuncta fuit: & hoc etiam Philosophi scribunt esse iustum: ergo videtur, quòd exemplatum sit à diuina iustitia: ergo diuina iustitia in Euangelio promulgata, debuit hoc suadere & concedere.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd iniustum est, quòd vxor dimittatur post matrimonium consummatum, nisi consentiant vterque coniuges ad vota continentiæ: & semper fuit iniustum.

AD HOC autem quod primo obiicitur, dicendum quòd perfectorum nihil est quod cum iniuria fit: sed amissio vel ablatio iuris alterius eo inuito nunquam potest fieri sine iniuria: & ideo cum fieret si inuita dimitteretur, prohibuit lex diuina ob religionem vxorem dimittere, nisi ipsa velit effici religiosa.

AD ALIVD dicendum, quòd lex humana quæ sine errore est, exemplatur à lege diuina: sed ista fuit cum errore, & causa erroris, vt infra in hac solutione determinabitur.

AD ALIVD dicendum, quòd etiamsi sint steriles ambo, vel alter: tamen propter fidem fœderis & sacramenti, dum viuunt separari non possunt, ita quòd aliis valeant copulari: quia dicit Apostolus 1. Corinth. 7. quòd mulier subiecta est legi viri, quanto tempore vir eius viuit, &c.

AD VLTIMVM dicendum, quòd Philosophi gentiles non considerabant matrimonium nisi ex bono prolis: & ideo quando hoc non erat, soluebant: sed diuina lex considerat ipsum ex tribus bonis; & ideo licet desit bonum prolis, tamen præcipit non dissolui propter duo bona residua.

ARTICVLVS X.

An post introitum religionis & votum continentiæ emissum potest vir redire ad vxorem, & an vxor teneatur eum recipere?

DEinde quæritur de hoc quod dicit [Discutias si fortè eius voluntate conuersus sit, &c.] Videtur enim non valere: quia statutum est tempus probationis, in quo potest ad seculum & ad secularia redire: ergo sine vxoris voluntate si non habitum assumpsit, in aliquo casu potest eum recipere & tenetur.

2 Item, Ponamus, quòd eius voluntate sit factum, & ambo intrauerint religionem, & ante tempus professionis velint exire, videtur quòd habeant potestatem: quia non intrauerunt nisi ad probandum: ideo iam probaue-

runt, quòd nolunt, vel non possunt amplius sustinere.

3 Item demus alium casum, scilicet quòd prima die profiteantur,& postea pœniteant,& velit alter exire, videtur quòd teneatur eum recipere: quia à Papa & sanctis patribus tempus probationis institutum est propter bonum communitatis, ne omninò infames remaneant illi, qui exeunt propter violentiam tentationis à religione. Quod autem propter communitatem introductum est, ab vno renuntiari non potest. Ergo videtur, quòd non sit professio talis professio: ergo si vult redire ad seculum, tunc etiam alius exire compellendus est vt reddat debitum.

4 Item hoc præcipit Papa Innoc. quartus dicens,quòd professio quæ ante annum fit, irrita & inanis habeatur: sed quod est irritum & inane, non impedit reditum ad matrimonium: ergo videtur, quòd talis rediens vxorem suam debet recipere, etiamsi sit in alia religione.

5 Item pono, quòd in domo emiserint votum continentiæ perpetuæ, & alter eorum velit frangere, quæritur, vtrum alter sibi debeat consentire? Videtur, quod sic: quia votum religionis maius est,quam simplex votum continentiæ:& ab illo potest redire:ergo & ab isto.

Sed contra. CONTRA, Frangendo votum peccat mortaliter, sed consentiens peccanti mortaliter, peccat etiam mortaliter, vt dicit Glossa. Rom. 1.super illud, Non intellexerunt quoniam qui talia agunt, digni sunt morte, &c. Ergo si mulier consentiat ei, ipsa peccat mortaliter: sed pro nullo debet peccare mortaliter: ego pro nullo debet consentire: ergo nec reddere debitum.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd ibi loquitur in illo casu quando votum continentiæ emisit cum susceptione habitus pertinentis ad professionem: quia aliter non præciperet vt prouideret eum in monasterio permanere.

AD ALIVD dicendum, quòd tales nisi obstet eis votum aliud quam probationis,sicut est votum continentiæ perpetuæ, benè sana conscientia propter infirmitatem ad priores amplexus redire possunt:nec de talibus loquitur in litera.

AD ALIVD dicendum sine præiudicio, quòd nisi obstet eis præceptum superioris, qui hoc prohibeat vel prohibuerit, primo die bene facere possunt professionem:& tunc de licentia superioris tempus probationis renuntiauerunt. Et tunc non valet obiectio: quia licet pro communitate sit inductum, tamen de licentia superioris potest reuocari.

AD ALIVD dicendum, quòd illud præceptum & constitutio Papæ Innocentij liberat illum ab impeditione qua impediret eum religio, si ante tempus constitutum profiteretur:tamen quia Papa se de corde non intromittit, ipse videat qualiter sit inter se & Deum.

AD VLTIMVM ergo de plano concedo, quòd post votum etiam simplex perpetuæ continentiæ mulier peccat mortaliter recipiendo eum, nec tenetur reddere debitum.

AD ID autem quod contra obiicitur, dicendum quòd est simile nisi in voto religionis cointelligatur votum continentiæ perpetuæ. Si autem sit votum probationis tantum, tunc non est simile: quia æternum præiudicat temporali:nec votum est, sed experimentum sui, an vouere velit,an non.

Deinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Non potest ex parte conuerti, & ex parte manare in seculo, &c.] Secundum hoc enim non posset mulier esse sancta, & vir non esse sanctus,nec è conuerso.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd conuersio dicitur hic in transitu ad religionem per habitus susceptionem, & votum continentiæ perpetuæ,

ARTICVLVS XI.

An impotentia coeundi vel aliud impedimentum possit dirimere matrimonium?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Si abstines sine vxoris voluntate, &c.] Videtur enim à simili: quia illi qui efficiuntur impotentes ad coeundum, occasionem dant vxoribus adulterandi: ergo videtur,quòd tales sint separandi, & danda sit vxori licentia coniungere se alij.

2 Item, Dicit Beatus Bern. Quod pro charitate institutum ast, contra charitatem non debet militare. Ergo à simili quod pro medicina institutum est, contra medicinam non debet militare: sed contractus matrimonij pro medicina institutus est:ergo non debet militare contra medicinam:sed militat contra medicinam isto facto impotente ad coeundum:ergo in talibus non debet matrimonium amplius obseruari.

3 Item,In omnibus agendis istud est,quòd cessante fine rationabilis actionis, cessat actio & obseruatio actionis: ergo & in contractu & obseruatione matrimonij. Pono ergo, quòd ista tantum propter infirmitatem suam contraxerit, & ad hoc quod sit matrimonium:sed superueniens potentia coeundi tollit vtrumque: ergo videtur, quòd matrimonium debet dirimi sicut fine carens intento. Item, Auferens rem alienam meretur amittere propriam: sed iste impotens non soluit alienum, id est, debitum vxoris:ergo demeretur suum,id est, debitum quod ei vxor debet:sed si nihil sibi debet, tunc absoluta est ab ipso: & absoluta ab ipso, potest se alij coniungere: ergo isto facto impotente ad coeundum, alij se potest coniungere.

Solutio. RESPONSIO, quòd nullum impedimentum superueniens matrimonio, dirimit matrimonium.

VNDE DICENDVM ad primum,quòd non est simile: quia in illo qui negat debitum cum possit reddere, causatur iniuria iniqua voluntate hominis:& ideo illi imputatur, & cogitur reddere & satisfacere petenti:sed quando impotentia coeundi matrimonio superuenit, tunc causatur à iusto Dei iudicio occulto: &

ideo

ideo tunc inopia debitoris excludit actionem mulieris.

Ad alivd dicendum, quòd non militat contra matrimonium, sed potius pro ipso: quia matrimonia sanctiora sunt sine coitu, quam cum ipso: & ideo non est simile, quia nihil militat contra charitatem nisi malum: sed non est ita, vt patet ex dictis.

Ad alivd dicendum, quòd finis est duplex, scilicet matrimonij, & matrimonium contrahentis. Finis autem matrimonij saluatur adhuc in bono fidei, & bono sacramenti: sed ad finem contrahentis matrimonium non est respiciendum, quia contrahentium intentio sæpè est vitiosa, matrimonium autem nunquam est vitiosum, sed semper honestum.

Responsio ad prædicta cum determinatione superiorum.

His autem ita respondemus, Fit aliquando desponsatio, vbi I
est compromissio viri & mulieris de contrahendo matrimonio: non est autem ibi consensus de præsenti. Est & desponsatio habens consensum de præsenti, id est, pactionem coniugalem, quæ sola facit coniugium. In illa ergo desponsatione, vbi est pollicitatio contrahendi matrimonium, sponsi tantum & sponsæ fiunt, non coniuges, & talibus sponsis licet sine communi consensu continentiam profiteri, & monasterium eligere. In ea vero desponsatione vbi est consensus de præsenti, coniugium contrahitur, & ab illius desponsationis prima fide veri coniuges appellantur. Secundum hanc distinctionem desponsationis, de sponsis variè loquuntur Doctores.

Quomodo accipiatur sponsa in subditis capitulis.

Aliquando enim sponsas vocant, quæ talem habuerunt K
desponsationem, vbi fuit pactio coniugalis de præsenti; & illæ vere coniuges sunt. Vnde Gregor. Siquis vxorem desponsauerit 27. q. 2. c. Siquis vxorem.
vel subarrhauerit, quanquam postmodum præueniente die mortis eius nequiuerit eam ducere in vxorem, tamen nulli de consanguinitate eius licet accipere eam in coniugio, & si inuentum fuerit factum separetur omnino. Item Iulius Papa, Siquis desponsauerit vxorem vel subarrhauerit, & vel præueniente die mortis, vel irruentibus quibusdam causis eam non cognouerit, nec frater eius, nec vllus de consanguinitate eius eandem sibi tollat in vxorem vllo vnquam tempore. Item Gregorius, Qui desponsatam proximi sui puellam ceperit in coniugium, anathema sit ipse, & omnes consentientes ei: quia secundum legem Dei mori decernitur. Nam diuinæ legis mos est sponsas appellare coniuges: vt in Euangelio, Accipe Mariam coniugem tuam. Et in Deuter. Siquis alterius sponsam in agro vel quolibet loco oppresserit, vel abduxerit in domum suam moriatur: quia vxorem proximi sui violauit: non quæ iam vxor erat, sed quæ à parentibus vxor fieri debebat. Ex his colligitur, quod sponsæ quædam coniuges sunt ante commixtionem sexuum. Sed fortè illud mouet quod in fine capituli dicitur, Non quæ iam vxor erat, sed quæ vxor fieri debebat. Quod non ita intelligi debet, quasi vxor verè non fuerit, ex quo pactio coniugalis intercessit: sed quia nondum traducta fuerat, nec res vxoria interceserat, scilicet concubitus coniugalis.

Vbi supra. cap. Siquis desponsauerit.

Ibidem cap. Qui desponsatam. Deut. 22. Matth. 1. Deut. 22.

ARTICV

ARTICVLVS XII.

An definitio sponsalium bene sit assignata?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [His itaque respondemus, &c.] Quæritur enim hic, Quæ sint sponsalia, quorum sint, cuius sint effectus, quibus modis contrahantur, & quibus modis dirimantur?

Ad primum accipiatur diffinitio sponsalium à Iurisperitis quæ est hæc, Sponsalia sunt futurarum nuptiarum promissio. Et hæc diffinitio trahitur à verbis Nicolai Papæ, 30. quæst. 5. cap. Nostrates. Et infra, Sed post sponsalia quæ futurarum nuptiarum sunt promissio, fœdera quoque consensu eorum qui hoc contrahunt, & horum in quorum potestate sunt, celebrantur, &c.

2 Item ratione probatur: quia sponsalia à verbo spondendi deriuatur: sed spondere respicit futurum: ergo sponsalia sunt nuptiæ promissæ in futurum.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius obiicitur, Quod incertum est, certitudinaliter promitti non potest: copula autem futura est incerta: ergo videtur, quòd promitti non potest sine conditione: ergo sponsalia nunquam absolutè contrahuntur, quod falsum est: ergo & hoc falsum est, quòd sponsalia sunt futurarum nuptiarum promissio.

2 Item Iacobi 4. Quæ est vita nostra? vapor est ad modicum parens, & deinceps exterminabitur pro eo vt dicatis: Si Dominus voluerit, & si vixerimus, faciemus hoc aut illud. Ergo videtur, quòd propter vitæ incertitudinem sponsio talis non sit simpliciter facienda.

3 Item, In aliis rebus sponsio facta & firmata obligat ad soluendum, ita quòd compellitur ad solutionem, etsi alij postea oppositam fecerit sponsionem: ergo multo magis in ista sic etiam est faciendum: ergo quicquid promittatur post sponsalia alij viro, videtur quòd compellitur ad hoc quod contrahat matrimonium cum illo primo: ergo etiamsi contrahat cum alio per verba de præsenti, videtur quòd tenetur redire ad eum cui primo spopondit.

4 Item, Aut ei cui promittuntur sponsalia aliquid iuris acquiritur in puella, aut nihil. Si sic; ergo cum ipse nullo suo peccato id perdit, debet in omni statu puella compelli vt hoc soluat: ergo etiamsi contrahat cum alio, adhuc debet compelli vt soluat primo, quod falsum est: ergo sponsalia non sunt promissio, &c. Si autem nihil iuris ei acquiritur: ergo sibi nullo modo coniungitur vel vnitur: ergo nulla ratione prohibetur ab acceptione suæ consanguineæ, quod iterum falsum est: ergo diffinitio nulla, ex qua sequitur istud.

5 Item, Nuptiæ futuræ, aut ad determinatum tempus sunt futuræ, aut ad indeterminatum. Si ad determinatum, tunc videtur, quòd tempus esset apponendum in diffinitione, sicut solet fieri in aliis contractibus venditionis & emptionis: & non apponitur: ergo diffinitio diminuta est. Si autem promissio fit ad tempus indeterminatum: ergo videtur, quòd nunquam aliquo tempore determinato soluere tenetur: & ita si ad annos pubertatis venerit, non potest compelli ad solutionem promissi, quod falsum est: ergo videtur, quòd diffinitio sit inconueniens.

RESPONSIO. Dicendum, quòd diffinitio Nicolai Papæ conueniens est: hoc enim quod dicit, Promissio, est vt genus. Hoc autem quod dicit, Futurarum, excludit matrimonium quod contrahitur per verba de præsenti. Hoc autem quòd dicit, Nuptiarum, facit differre ab aliis promissionibus, in quibus sibi homines communicant. *Solutio.*

DICENDVM ergo ad primum, quòd in promissione intelligitur id quod facit necessitas: quia dicit Hieron. quòd maledictus est, qui dicit Deum requirere impossibilia. Et Deus si impossibilia non requirit, etiam homo non debet ea requirere: quia si moriatur, tunc per ipsam impossibilitatem soluendi absoluitur.

AD ALIVD dicendum, quòd Iacobus in communi sermone docet cautè loqui: sed in contractibus ipso iure intelligitur, quòd legitimum impedimentum soluit contractum de futuro, sicut etiam mors, vel huiusmodi.

AD ALIVD dicendum, quòd ista sponsio ligat, sicut & alia: sed ligat ad contrahendum matrimonium: & compellitur soluere nisi legitimum habeat impedimentum. Legitima enim impedimenta sunt, si aliquid post factum primo præiudicat: tunc enim non cogitur: & hoc ideo, quia coniugia inuita malos sortiuntur euentus: propter quod etiam in Veteri Testamento Dominus dari libellum repudij permisit.

AD ALIVD dicendum, quòd aliquid iuris in ea acquisiuit quam desponsauit: sed hoc non est ius debiti in corpore, sed potius dispositio ad debitum illud: & propter paruitatem illius in quo damnificatur, & quia in alia recuperare potest, deobligatur puella in aliquibus casibus propter sequens factum etiam sine aliquo peccato alterius sponsi qui secum sponsalia contraxerat.

AD ALIVD dicendum, quòd nulla sponsio fit ad tempus infinitum: sed tempus aliquando verbo, aliquando rebus determinatur. Tempus dico reddendi quod promissum est. Rebus autem determinatur, scilicet quando discretione & quantitate corporis puberes efficiuntur: & tunc compellendi sunt soluere quod spoponderunt, nisi legitimum prætendant impedimentum.

ARTICVLVS XIII.

Quorum sunt sponsalia?

SEcundo quæritur, Quorum sunt sponsalia? Videtur, quòd omnium qui possunt in futurum coniungi matrimonialiter: taliter autem coniungi possunt pueri ab incunabulis: ergo pueri recenter nati possunt contrahere sponsalia.

2 Item, Contractus qui per alium & per me potest fieri, potest fieri, siue ego possum discernere,

discernere, siue non: sed talis est contractus sponsalium: ergo videtur, quòd in omni ætate contrahi possunt.

3 Item videtur, quòd septennium non sit tempus in quo debeant contrahi sponsalia: quia aliqui pueri in septennio minus sunt discernentes nuptias, quam alij in quinto anno: ergo videtur, quòd non generaliter omnibus sit præfigendum septennium.

4 Item, Narrat beatus Gregorius in quarto dialog. quòd quidam in quinto fuit tantillus puer, & tantus peccator, ita quod etiam propter peccatum blasphemiæ diabolus ipsum interfecit: cum igitur nulli indiscreto peccatum imputetur, videtur quòd ille puer quinquennis discretionem habuit: ergo ipse contrahere potuit ad minus sponsalia.

5 Item videtur nulla esse causa illa quæ assignatur: quia sponsalia tunc placent. Aut enim hoc accipitur à signis, aut à complexionis incitatione. Si à signis, videtur nihil esse: quia pueri etiam ante hanc ætatem turpes adinuicem ludos exercere videntur frequenter: ergo etiam ante hanc ætatem placent eis sponsalia, vt videtur. Si autem ab incitatione complexionis. Contra: Semen non distillat ante secundum septennium, vt dicit Philosophus: ergo videtur, quòd ex parte qualitatis passiuæ in concubitu, scilicet ex parte humoris, ante secundum septennium non incitetur: ergo ratione huius non debet poni ætas in septennio primo. Si forte dicatur, quòd hoc fit ratione incitantis ex parte qualitatis actiuæ. Contra: Actiua qualitas quæ est calor, etiam ante septennium extendit membra: ergo incitatio ex parte qualitatis actiuæ est ante septennium: ergo irrationabiliter ponitur primum septennium ætas contrahentium.

6 Item, Ætas contractus matrimonialis in puero & puella non est vna: quia puella duodennis potest contrahere, & puer quatuordecim annorum: cum ergo puer & puella ita se habeant ad matrimonium contrahendum sicut ad sponsalia contrahenda, videtur quòd ætas sponsalium contrahendorum in puero & puella non debet esse vna.

7 Item, Natura non format vno tempore puerum & puellam, sed puellam tardius: ergo etiam maior ætas debet dari puellæ ad contrahendum sponsalia, quam puero: ergo si puero septem anni assignantur, puellæ debent plures assignari ad contrahenda sponsalia.

8 Item, Ponamus, quòd adultus cum iuniore annis septem contrahat sponsalia: & quæratur, quid dicatur? Si dicas, quòd sic. Contra: Sponsalia non possunt contrahi ante septennium. Si autem nihil. Contra: Sponsalia sunt promissiones futurarum nuptiarum.

9 Item, Pro vna parte est ibi plus quam legitima ætas ad contrahenda sponsalia: ergo quoad illum ad minus aliquid potest fieri.

10 Item, Ponamus, quòd talis contrahat per verba de præsenti, cum ipse sit plenæ ætatis, quia ipse facit quod in se est: ergo ligat se isti, licet ista non ligetur ipsi: ergo quoad hunc est matrimonium. Contra: Matrimonium non est in vno, sed in duobus, vt supra habitum est: ergo nisi agatur matrimonium ab vtroque coniuge, nihil agitur: sed hic non agitur ex vtroque: ergo nihil agitur.

11 Item, Pono si adultus contrahit per verba de præsenti cum septenni vel minore septem annis, videtur quòd ad minus ibi efficiantur sponsalia: quia natura quando non potest facere maius intentum ab ipsa, facit tamen quod fieri potest: ergo etiam hoc est in operibus hominum: possunt autem inter tales contrahi sponsalia: ergo sponsalia tali contractu efficiuntur. Sed contra: In voluntatiis dicitur ab Ambr. quòd intentio nomen operi imponit: sed iste per verba de præsenti intendit contrahere matrimonium, & non sponsalia: ergo non efficiuntur ibi sponsalia, nec matrimonium inter tales effici potest: ergo nihil efficitur inter eos.

12 Vlterius pono casum alium: ponamus enim, quòd pueri ante septennium contrahant sponsalia quantum possunt, & post septennium contrahant per verba de præsenti ante tempus pubertatis, videtur quòd inter eos nihil efficiatur: quia sponsalia ante septennium contrahi non possunt: & quæ non sunt contracta, nunquam possunt esse consummata: ergo per sequentem contractum sponsalia non consummantur. Item, Per verba de præsenti non intendunt sponsalia efficere, sed matrimonium: & hoc inter eos ante annos pubertatis esse non potest: ergo nec sponsalia, nec matrimonium efficiunt: ergo nihil efficiunt. In contrarium huius est, quòd sponsalia ante septennium contracta, & post approbata certo signo placentiæ, tenent, vt dicunt iura: sed sequens contractus per verba de præsenti est certum signum placentiæ sponsalium ante annos contractorum: ergo videtur, quod perficiant sponsalia.

13 Vlterius pono, quod adultus vel iuxta adultam ætatem existens, contrahat cum puella minore ætate pubertatis, vel ferè iuxta pubertatem, & contrahat per verba de præsenti, & quæratur, vtrum iste efficiat matrimonium vel sponsalia? Videtur, quòd non matrimonium: quia non sunt ambo in ætate legitima: ergo matrimonium non efficiunt. Contra videtur, quod nec sponsalia: quia nec forma verborum quæ est in sponsalibus seruatur, nec etiam sponsalia intendunt perficere: ergo neutrum perficiunt: ergo nihil agunt. Sed contra: Extra de sponsalibus, sicut dicit Alexand. tertius de istis qui in minori ætate desponsantur: Si ita fuerint ætati proximi, quòd potuerunt copula carnali coniungi, minoris ætatis intuitu non debent separari si vnus in alium visus fuerit consentire, &c. ergo videtur, quòd tales inter se matrimonium efficiant.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd septennium ponitur tempus in quo placent connubia: licet ætas impotens sit ad carnalem commixtionem. Hæc autem sufficiens sit auctoritas, quia sic placuit patribus Spiritu sancto inspiratis: tamen quia hoc in naturis fundatur, ratio à philosophia est trahenda. Dicit autem Aristot. in lib. de animalibus tractatu 18. quòd omnes impræg nationes & maturationes

rationes partium sunt secundum orbis reuolutiones. Scribunt autem hi qui de naturalibus loquuntur, scilicet Ptolemæus & Albumasar, quòd reuolutio circuli in nato pro quolibet signo dat annum. Prima autem computatio circuli est in signum ascendenti oppositum, & hoc est ab ascendente septennium. Et secunda computatio est in septennium ab illo, & hoc est ascendens. Et tertia iterum in septennium quod est oppositum. Et quarta iterum in ascendens secundum circulum iteratum. Et secundum hoc est mutatio complexionis in nato. Vnde post primos septem annos in pluribus residet fluens humidum, quod in pueris propter vicinitatem spermatis dominatur: ita quod tunc capaces sunt eorum quæ audiunt, præcipuè ad corpus pertinentium. Vnde ex tunc incipiunt subdi disciplinis, & ex tunc tradi literalibus studiis: & ideo tunc dicuntur esse capaces placentiæ nuptiarum vel displicentiæ, & ideo sponsalia promittere possunt. In secundo autem septennio incipiunt iam vaporare genitalia, & lanugines ibi contrahunt propter tractum seminis ad loca illa: & ideo tunc potest esse matrimonium inter eos. In tertio autem septennio quando circulus dimidius est iam completus, secundum Philosophos semen tendit ad maturitatem quæ completur in secundo circulo perfecto, & tunc est in statu vsque ad tertium circulum, & postea incipit esse in declinatione: hoc tamen variatur secundum dominium planetarum qui præsunt figuris natiuitatis: quia sicut dicit Augustinus in quinto de ciuitate Dei, Non est inconueniens, quòd afflatus siderum ad immutationem corporum valeant, licet non possint super liberum arbitrium nisi eatenus quatenus trahitur à corpore.

Ad primvm ergo dicendum, quòd ante septennium vt in pluribus non sunt capaces disciplinæ, nec nuptiarum boni: & ideo tunc nihil promittere possunt, quia promissio est actus rationis, & oportet quòd sit ratio in aliquo statu, quando promittere potest. Sedendo autem & quiescendo, vt vult Philosophus, 7. physic. anima fit sciens & prudens: & dum residet fluens humidum, & incipit quiescere virtus animalis: quia tunc fortificatur conuersio animæ super apprehensum: & hoc incipit post primum septennium, vt iam habitum est.

Ad alivd dicendum, quòd si per alium fiat contractus, pueri ambo vel alter ante annos puberratis potest reclamare, & nihil actum est: ita etiam quòd alter puerorum non vetatur accipere consanguineam alterius, eo quod nihil factum est inter eos: sed hoc quod dicitur, quòd parentes promittunt quandoque pro pueris, sic intelligitur, si pueri ætatem venientes ratam habent parentum promissionem.

Ad alivd dicendum, quòd licet quidam in quibus humidum minus est naturale, in septennio minus sunt discreti, & capaces boni nuptiarum: tamen vt in pluribus in septennio efficiuntur capaces disciplinæ, & eorum quæ audiunt & vident: & ideo id quod accidit in pluribus considerat lex: cum enim particularia accidentia quæ sunt secundum vnumquemque sint infinita, lex non potuit dari secundum vnumquemque singulariter, sed secundum hoc quod accidit vt in pluribus.

Ad alivd dicendum, quòd ego sine præiudicio magis hoc puto fuisse factum ad terrorem parentum: & puerum non nisi hoc punitum in corpore, qui sicut brutum animal loquebatur ea quæ à parentibus audiuit, cum in illa ætate quasi nihil adhuc appareat rationis.

Ad alivd dicendum, quòd placentia illa accipitur à signis discernendi inter ea quæ audiunt pueri, vt prius dictum est, quod primo incipit in ætate septennij. Ad hoc autem quod obiicitur, dicendum quòd sicut dicit Aristot. membra genitalia multorum sunt vaporum, & ideò pruritum excitantia: & ideò puto, quòd motus minorum ætate puerorum quam septem annorum, procedit à natura corrupta: sed post septem annos incipit admisceri ratio, vt prius est ostensum. Vnde signum proprium huius est, quia tunc actibus humanis ratio incipit admisceri.

Ad alivd dicendum, quòd ætas contractus matrimonij non est vna: quia in puella caro est mollis & extensibilis: & ideo humidum facile digestibile ad maturitatem: & ideo citius maturatur ad recipiendum, quia recipere causatur ex humido frigido, vt humidum sit recipiens, & frigidum tenens. Sed humidum pueri digeritur ad imprimere & sigillare: & hoc causatur ex calido sicco, quia contingit ex calido vincente super humido. Et ideo plus temporis requiritur ad maturationem masculi quam fœminæ: sicut plus exigitur temporis ad hoc quod calidum vincat humidum exiccando, quam quod dirigat ipsum tantum & extendat ad recipiendum. Et ideo alia est ætas coeundi masculi, & alia fœminæ. Sed in admixtione rationis ad actus non est sic: quia hæc causatur ex hoc, quòd incipit residere humidum, & non impedire conuersionem rationis super audita & visa: & hoc contingit æqualiter in masculo & fœmina.

Ad alivd dicendum, quòd animatio puellæ est longioris temporis, quam pueri: sed tamen quia humidum nati iam pueri æqualiter incipit residere, vel non residere, æqualiter datur eis tempus sponsalium: sed inæquale tempus contrahendi, quia frigiditas in fœmina quando est cum humido, operatur ad bonam fœminæ dispositionem, vt dictum est: & hoc est quando calidum non plene vincit humidum.

Ad alivd dicendum, quòd secundum multos & magnos in tali casu potest quis duplicibus vti verbis: si enim dicat, Ego accipio te in meam: & illa respondeat, Et ego te in meum, vel verba æquipollentia, nihil agitur: quia matrimonium agi non potest, & sponsalia contrahere non intendunt. Si autem quis dicat, Verba mea etsi matrimonium contrahere non possint, valeant quod valere possunt: tunc sponsalia contrahuntur, quia hæc contrahi inter tales possunt, & bene potest esse, quòd verum dicant. Ad hoc autem quod obiicitur, quòd ante septennium non contrahuntur,

dicendum

dicendum quòd hoc verum est nisi post septemnium placeant. Si autem puella est septemnis & alius pubes, sponsalia contrahuntur, & tenetur eam sponsus expectare, donec veniat ad annos pubertatis.

AD ALIVD dicendum, quòd quoad vnum nihil potest ibi fieri: quia oportet, quòd omne id quod fit in matrimonio, de communi vtriusque fiat consensu: vnde nihil ibi efficitur.

AD ALIVD dicendum, quòd ille qui ita contrahit, etiam nihil efficit, ratione prius dicta. Et obiectio in contrarium facta, tenet & soluit.

AD ALIVD dicendum, quòd secus est de natura, & de isto opere: quia natura operatur ad intentum, iste autem nec intendit sponsalia, nec operatur ad ea: & ideo non est simile.

AD ALIVM casum dicendum, quòd talia sponsalia tenent, quia nihil ante fecerunt: tamen per factum post intelliguntur approbasse factum quod præcessit: & hæc approbatio facit inter eos sponsalia. Ad id autem quod obiicitur in contrarium, dicendum quòd approbatio præteriti quæ certissimè supponitur in verbo præsentis temporis, facit sponsalia: & falsum est, quòd ante omnino nihil factum: sed verum est, quòd nihil sponsalium fecerunt, sed fecerunt aliquid ad sponsalia, quia dispositionem, quæ si etiam per alios ante facta fuisset, per approbationem eorum sequentem posset consummari. Ad id autem quod obiicitur, quòd matrimonium non efficiunt, de plano concedo, præcipuè si multum distant ab anno pubertatis.

AD VLTERIOREM casum dicendum videtur, quod tales contrahere possunt, præcipuè si dispositione corporis & sagacitate ingenij ætas deficiens suppleatur. Dispositionem autem corporis intelligo præcipuè in locis genitalibus, scilicet vt agere & pati possint in opere carnali. Dicunt tamen quidam tempus distantiæ ab ætate debita non debere protendi vltra sex menses: sed mihi videtur potius, quòd secundum plus & minus determinandum est, etiam secundum diuersam dispositionem membrorum & sagacitatis: quia ego vidi puellam de qua perhibebatur, quod annorum existens nouem, concepit & peperit puerum cum complere inciperet decimum annum. Et Philosophi dicunt, quòd quidam dentati nascuntur & lanuginosi & pilosi in locis genitalibus, & citius maturantur ad coitum quam alij. Et puto, quòd hoc etiam variatur in regionibus calidis & siccis: sicut & ipsa imprægnatio & corporis incrementum. Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICVLVS XIV.

Quis sit effectus sponsalium & an possunt solui?

TErtio quæritur de effectu sponsalium. Videtur autem, quòd effectus sit obligare ad contrahendum matrimonium: quia effectus generis saluatur in specie: sed genus sponsalium est promissio: ergo videtur, quòd sicut promissio obligat ad soluendum, quod ita sponsalia obligent ad soluendum.

2 Item, Extra lib. 4. de sponsalibus, Ex literis, dicit Alexand. tertius Pictauiensi Episcopo, Eum admoneas: & si non monitis acquiescat, ecclesiastica eum censura compellas, vt ipsam in vxorem recipiat, & maritali affectione pertractet. Et loquitur de quadam quam ante desponsauit: & loquitur, quod compellendus sit ducere eam quam desponsauit: ergo sponsalia obligant ad contrahendum.

IN CONTRARIVM huius est, quòd obligatio quæ fit de iure, non soluitur nisi solutione facta: sed sponsalia in multis casibus soluuntur solutione non facta: ergo sponsalia non obligant. *Sed contra.*

2 Item, Si sponsalia obligarent, tunc peccatum mortale esset non soluere: sed pastor Ecclesiæ tenetur arcere à peccato mortali: ergo per censuram ecclesiasticã tenetur compellere ad contrahendũ semper illos qui spõsalia contraxerunt: hoc autem falsum est, vt patet extra. quarto de sponsalibus. Præterea hi, vbi dicit Innoc. secundus. Si autem se adinuicem admittere noluerint, ne fortè deterius inde contingat, vt talem scilicet ducat, quam odio habet: videtur quòd ad instar eorum qui societatem interpositione fidei contrahunt, & postea eandem sibi remittunt, hoc possit in patientia tolerari.

VLTERIVS quæritur de alio effectu sponsalium, qui est quædam affinitas. Videtur enim quòd istum non faciant sponsaliã: quia quod spondetur in futurum, non est: sed in sponsalibus nuptiæ spondentur in futurum: ergo adhuc non sunt: sed quod non est, nihil facit: ergo tales nuptiæ nihil faciunt: ergo nec affinitatem. *Quæstiũcula*

3 Item, Non potest fieri affinitas nisi vnum sit genus, vt infra habebitur: sed sponsi non vniuntur generi: ergo inter eos non fit affinitas. Probatio minoris. Non vnitur generi secundum carnem, qui carnaliter nulli de genere copulatur: sed sponsalia tantum contrahens, nulli de genere copulatur carnaliter: ergo generi non vnitur: & sic habetur propositum.

3 Item, In aliis contractibus vbi promittitur aliquid de futuro, si rescindatur, non impedit quin cum alio eiusdem generis possit facere contractum illum: ergo nec in isto debet impedire, vt videtur.

IN CONTRARIVM huius est, quòd dicitur extra. lib. 4. Ad audientiam, &c. ita dicit Alexand. tertius, Quoniam scriptum est, quòd sponsam fratris frater habere non potest, mandamus quatenus eum suum propositum implere non permittas. Et loquitur de quodam qui fratri illius suam filiam dare voluit, qui ante, eandem consentiente puella, desponsauerat. *Sed contra.*

RESPONSIO. Dicendum, quòd effectus sponsalium est ligare ad matrimonium contrahendum, quandiu manent sponsalia, sicut probant primæ rationes: sed verum est, quòd quibusdam de causis soluuntur, vt infra patebit, & tunc non ligant, quia soluta sunt: nec hoc *Solutio.*

est mirum, quia non ligant quando soluta sunt.

Ad id ergo quod contra obiicitur, dicendum quòd quandiu manent, tandiu ligant: sed soluuntur in casibus in quibus ligarent cum nocumento maiori: ideo secundum ius commune reputantur soluta: quod enim pro vtilitate contrahentium & honestate Ecclesiæ constitutum est, destituitur quando contra vtilitatem contrahentium & Ecclesiæ honestatem obseruatur.

Ad alivd dicendum, quòd hoc dicit Alexand. in casu in quo soluuntur sponsalia propter matrimonium superueniens cum alio: quia minus vinculum cedit maiori, & rumpitur illo superueniente.

Ad id autem quod obiicitur, quòd Ecclesia debet arcere à peccato mortali: dicendum, quòd sic facit: quia pro peccato indicit & iniungit pœnitentiam, sed non compellit complere promissum: quia iam de iure communi sponsalia soluta sunt.

Ad quæstiunculam.

Ad id quod quæritur de vlteriori effectu, dicendum quòd faciunt affinitatem, vt dictum est secundum patrum institutiones.

Ad id autem quod postea obiicitur, dicendum quòd id quod non est, non facit, sed id quod est: sed sponsalia sunt, & sunt aliquid matrimonij, scilicet dispositio ad ipsum, vt supra dictum est.

Ad alivd dicendum, quòd est in sponsalibus coniunctio ad genus secundum quid, licet non simpliciter: sicut enim in naturis aliquid per dispositionem ignis efficitur igni affine, etiam antequam habeat speciem: ita & in moralibus per dispositionem accedit aliquis ad genus alterius, quando cum ipso contrahit sponsalia, licet cum ipso non efficiatur vna caro: & ideo sancti patres statuerunt, quod inter tales affinitas contraheretur.

ARTICVLVS XV.

Quibus modis sponsalia contrahantur?

Qvarto quæritur, Quibus modis sponsalia contrahantur? Dicunt autem Iurisperiti, quòd dupliciter sponsalia contrahuntur, scilicet absolutè, & sub conditione. Absolute autem contrahuntur quatuor modis, scilicet nuda promissione, vt accipiam te in meam, vel è contrario datis arrhis sponsalitiis, vt aliqua pecunia, vel aliis rebus, anuli subharratione, & interueniente iuramento. Sub conditione dupliciter contrahuntur, scilicet sub conditione honesta, vel sub conditione inhonesta. Honesta vt si sic dicat, Contraham tecum si placuerit parentibus: & tunc dicunt, quòd stante conditione stat promissio, & non stante non stat, nisi sequatur consensus per verba de præsenti vel copula carnalis. Conditio autem inhonesta duplex est, scilicet contraria matrimonij bono & honestati, & non contraria. Exemplum primi est, vt sic dicat, Tecum contraham, si venena procures sterilitatis, vel procures aborsum, vel sodomitice mecum coniungaris, vel adulterando mihi victum lucreris, vel aliquid huiusmodi: & tunc non stat promissio facta de matrimonio. Exemplum conditionis secundæ est, vt si dicat, Contraham tecum, si in futuro mihi lucreris, vel vsuris, vel huiusmodi aliquo peccato inuolutis: & tunc renuntiandum est conditioni, & tenent sponsalia, iuxta illud Bedæ, In turpi voto rescinde fidem, & in malis promissionibus muta decretum. Item quando absolutè contrahuntur, si sine iuramento contrahantur, monendi sunt vt consummentsed non cogendi sit nolunt. Si autem cum iuramento contraxerunt, cogendi sunt propter iusiurandam per censuram ecclesiasticam: & hoc intelligo de illis qui sunt ambo septem annorum, quia minores ambo vel alter contrahere non possunt sponsalia, vt patet ex ante habita disputatione. Et hoc est totum quod iura diffiniunt de sponsalium contractione.

In contrarium autem huius obiiciiur: & primo quidem de diuisione quæ dicit, quòd quatuor modis sponsalia absolutè contrahuntur. In promissione enim non obligatur homo nisi ex seipso: sed dicunt sancti patres, quòd Deus promittens non obligatur ex nobis, sed ex se tantum, & non esset iniustus, si non solueret; ergo à simili contrahens nuda promissione, non erit iniustus si non soluat: ergo videtur, quòd alter agere non possit, quod falsum est; ergo sponsalia non nuda contrahuntur promissione.

2 Item videtur falsum quod dicit ius, quòd nuda promissione contrahens non sit cogendus ad consummandum matrimonium. Qui enim promittit & non soluit promissum, mentitur; os autem quod mentitur, occidit animam: ergo ille peccat mortaliter: sed arcendus est quilibet à mortali peccato: ergo quilibet arcendus est ad consummationem promissi.

3 Item, In minori decipit qui decipit alium in pecunia, quam qui decipit eum in matrimonio & in seipso: sed decipiens in pecunia, cogitur à iudice ad solutionem: ergo multo magis debet compelli ad solutionem ille qui decipit alium in matrimonio & in seipso: ergo nihil videtur esse quod dicunt iura.

Vlterius obiicitur de secundo modo. Videtur enim, quòd ille modus sit illicitus: quia matrimonia debent esse libera: sed non est liberum, quod est appretiatum: ergo matrimonia non debent esse appretiata: sed arrha est pars pretij, vt dicit Gloss. super Apoc. ergo non debent esse sponsalia subarrhata.

2 Item, Matrimonium, vt infra probabitur, est in genere honesti ratione duorum bonorum suorum, & in genere vtilis ratione tertij: honestum autem omne spirituale est: ergo sub pretio poni non debet matrimonium: ergo nec datis arrhis contrahitur, quia arrha est pars pretij, vt iam habitum est.

3 Item, Contingit solui sponsalia illa aliquo de casu; aut ergo reddentur arrhæ, aut non. Si non reddantur, contra: quia secundum hoc iniustè videtur agi cum illo cuius pars pretij retinetur: & tamen contractus rescinditur. Si autem reddantur: tunc videtur, quòd matrimonium positum fuit sub pretio: quia non videtur esse causa redditionis, nisi

quia

quia contractus rescinditur quem pretium efficiebat.

De tertio modo similiter obiicitur: quia anulus significat fidem maritalem: sed hæc est consequens matrimonium: cum igitur in sponsalibus matrimonium non contrahatur, videtur quod anuli subarrhatio non pertineat ad sponsalium contractionem.

2 Item, Monile, vt dicit Isidor. dicitur quasi munile, eo quod munit sinum ne adulter inserat manum: ergo videtur, cum sponsalia ligent ad vnum potius quam ad alium, quòd potius debeant fieri per monile quam per anulum.

3 Item Genes. 24. Eliezer dedit Rebeccæ inaures, & anulos: quæratur ergo, Quid in sponsalibus significent inaures, & quid monilia, & quid anuli, & quare his tribus frequentius fiant quam aliis?

Vlterius obiicitur de quarto modo qui fit interposito iureiurando. Videtur enim, quod ille modus sit illicitus: quia multis de causis potest iuramentum fieri illicitum: nemo autem iurare potest id quod potest fieri illicitum: ergo ad sponsalia non debet fieri iuramentum.

2 Item videtur, quòd in aliquo casu perplexitatem inducat iuramentum. Verbi gratia ponamus enim, quòd odiat eam antequam contrahat per verba de præsenti: tunc periculum est complere matrimonium, quia matrimonia inuita malos exitus sortiuntur, & quod cum periculo fit, non est faciendum: ergo istud matrimonium non est consummandum. E contrario autem iuramentum licitum est obseruandum: & iuramentum est de matrimonio: ergo est consummandum, & non consummandum, quod est impossibile: ergo videtur, quòd iuramentum non sit interponendum.

Vlterius obiicitur de modis illis qui fiunt sub conditione. Et obiiciatur primo de conditione honesta: hæc enim est duplex secundum Iurisperitos, scilicet simpliciter honesta quæ spectat ad bonos mores, vt contraham tecum si placet parentibus, aut pædagogis, aut sacardotibus, aut Ecclesiæ, siue aliquid huiusmodi. Et conditio vtilis propter onera matrimonij, vt contraham tecum si dederis marcas centum. Obiiciatur ergo de prima conditione quæ simpliciter est honesta. Videtur enim, quòd apponi non debet: quia matrimonium vnus non potest contrahere pro alio, nisi ipse consentiat: ergo nihil est dicere, contraho tecum si placet illi, aut illi.

2 Item, Si placet parentibus & non filiæ non fit ibi matrimonium, nec etiam sponsalia: si ergo in negando consensus filiæ non dependet ad parentes: ergo nec in affirmando dependet: ergo nullo modo dependet: quia consensus est vel affirmando, vel negando: ergo pro nihilo apponitur conditio de consensu parentum, vel etiam quorumlibet aliorum.

3 Vlterius obiicitur de alia conditione quæ etiam non inhonesta reputatur, scilicet quæ est cum adiunctione pecuniæ. Videtur enim, quòd illa non teneat: quia libera debent esse matrimonia. Dicit autem Philosophus, quòd liberum est quod causa sui est: ergo matrimonium debet esse causa sui: ergo non debet esse conditio pretij vel pecuniæ.

4 Item Aristot. dicit, quòd quædam sunt mixta inter voluntaria & inuoluntaria, scilicet quæ non volumus simpliciter, sed tamen ne alia deteriora contingant, eligimus ea, sicut proiicere merces in tempore tempestatis ne nauis submergatur: & hæc in moribus non sunt laudabilia: cum igitur in moribus secundum omnes Philosophos matrimonij honestas sit de numero laudabilium bonorum, videtur quòd non debeat esse sic partim voluntarium & partim inuoluntarium. Est autem sic mixtum si additur pœna pecuniaria: ergo non debet esse conditio pœnæ pecuniariæ.

5 Item, Coactio excludit consensum qui est causa efficiens matrimonij: vnde dicit Prætor, Quod vi vel metus causa fit, ratum non habeo. Sed est metus duplex, scilicet personæ, & naturæ: & vterque cadit in constantem virum, quem ciuilis constantem reputat: ergo videtur, quòd excludat consensum matrimonij; cum igitur talis sit metus damni, quando fit pœnæ pecuniariæ adiectio, videtur quòd consensus euacuatur; ergo non debent tali modo contrahi sponsalia.

6 Vlterius obiicitur de conditione turpi, non contraria matrimonio. Videtur enim, quòd illa matrimonium euacuet: quia sunt quædam, vt dicit August. quæ non possunt fieri bono fine, eò quod essentialiter coniuncta sunt fini malo, vt furtum, adulterium, & huiusmodi: sed matrimonium est bonum: ergo si sumatur vt finis, ipsum erit finis bonus: ergo non potest esse finis talis mali: ergo videtur, quòd annihilatur matrimonium, quando tali fine contrahitur, vel quando efficitur finis talis mali.

Quæstiuncula.

IVXTA hoc quæritur, Vtrum peius sit contrahere tali fine, siue conditione, vel non contrahere, & vti muliere ad hoc fine contractu more lenonum qui prostituunt meretrices? Videtur enim, quòd secundum sit peius, quam primum: quia ad minus excusatur in coitu suo qui cognoscit suam: sed cognoscens non suam & prostituens, nec in suo, nec in alieno excusatur: ergo secundum peius est, quam primum. Contra: In priori est adulterium in quod consentit maritus: in secundo autem tantum fornicatio: ergo primum peius est, quam secundum.

Vlterius quæritur de conditione vltima, quæ turpis est & matrimonio contraria. Videtur enim, quòd illa non dirimat contractum: quia de quolibet tenendum est bonum quod idem potest elici: sed duo sunt contractus, & est conditio contractus bona, & conditio mala: ergo tenendus est contractus, & refutanda conditio. Confirmatur autem prima ex hoc quod dicitur 1. Thess. 5. Omnia probate: quod bonum est tenete. Ab omni autem specie mala abstinete vos.

Solutio.

SOLVTIO. Dicendum, quòd supra dicti modi sunt quibus sponsalia contrahuntur, sicut dicunt docentes iura. Reducuntur autem ad duos, scilicet promissionis simplicis,

& promiſſionis confirmatæ. Confirmata autem eſt duplex, per conditionem, ſiue per vlterius vinculum. Et conditio dicitur tunc eo modo quo ſupra dictum eſt. Vinculum autem amplius ligans, quam promiſſio: aut eſt ſignum approprians ſponſam, aut confirmatio promiſſionis. Signum autem aut eſt de pertinentibus ad datum propter nuptias, aut ad ornatum ſponſæ. Et primum videtur arrha nuptialis: ſecundo autem modo anuli ſubarrhatio. Si autem eſt confirmatio promiſſionis: tunc eſt iuramentum. De hac tamen reductione ad artem non curant Iuriſperiti: quia intendunt groſſis pro vulgaribus, circa quæ ſunt caſus & particularia.

His habitis reſpondendum eſt ad id quod obiicitur de primo, & dicendum, quòd ſecus eſt de Deo, & homine: quia Deus promittens nec cauſam promiſſionis habet in nobis, nec vtilitatem, nec finem, & ideo non obligatur obligatione debiti: quia vt dicunt ſancti, Deus nihil debet homini, ſed homo omnia ſua debet Deo. Sed quando homo promittit, cauſam promiſſionis & vtilitatem habet in eo cui promittit: ſicut hîc in contractu vnus coniugum promittit, & cauſa eſt in alio qui repromittit ſibi, & vtilitas quæ eſt debitum in corpore eius cum qua contrahit, quod etiam iure matrimonij exigere poteſt: & ideo iſte obligatur.

Ad aliud dicendum, quòd promittens tenetur ſoluere quantum in ſe eſt, niſi ſtet per alium: & bene concedo, quòd peccat non ſoluens ſi ſoluere poſſit. Ad hoc autem quod obiicitur, quòd ſit cogendus, dicendum quòd non: quia frequenter diſſimulatur minus malum, ne accidat maius. Diſſimulatur, inquam, ita quòd non deducitur in faciem Eccleſiæ ad iudicium, licet non diſſimuletur in confeſſione. Et hoc eſt quod dicitur extra. lib. quarto de ſponſalibus. Præterea hi qui, &c. vbi dicit Innocent. ſecundus, Si autem ſe adinuicem admittere noluerint, ne forte deterius inde contingat, vt talem: ſcilicet ducat quam odio habet: videtur quòd ad inſtar eorum qui ſocietatem interpoſitione fidei contrahunt, & poſtea eandem ſibi remittunt, hoc poſſit in patientia tolerari.

Ad tertium dicendum, quòd licet in maiori decipiat: tamen eſt damnum recuperabilius, quam pecuniæ: quia cum multis aliis poteſt contrahere: ſed pecuniam aliam non contingit eum de facili recuperare: & ideo iſtud ad iudicium non deducitur ſicut illud.

Ad id quod obiicitur vlterius de ſecundo modo, dicendum quòd ille eſt quædam confirmatio promiſſionis, eò quod per donaria ſponſa quodammodo ſponſo appropriatur, vel è conuerſo, ſicut innuitur in Geneſ. 3. vbi dixit Lia ad Iacob, Ad me introibis: quia pretio te conduxi pro mandragoris filij mei. Ad primum autem quod contra obiicitur, dicendum quod arrha hic aliter ſumitur quam pro pretio, vel pro parte pretij: ſicut enim per arrham res empta emptori appropriatur, ita ſponſa ſponſo per ſubarrhationem nuptialem: & ideo prima argumentatio fallit per æquiuocationem. Si tamen concederetur, quòd eſſet pars pretij, tunc dicendum quòd matrimonium non ponitur ſub pretio: ſed id quod datur, eſt ad onera matrimonij ſubleuanda. Et per hoc patet ſolutio ad ſecundum.

Ad tertium dicendum, quòd ſi daretur dotis nomine, vel promitteretur, & non ſequeretur matrimonium, reſtituere teneretur. Si autem alia donaria ſunt potius amorem indicantia, quam magnam afferentia vtilitatem, non credo quòd tenetur ad reſtitutionem: ſed tamen non ſequitur, quòd matrimonium ſub pretio ponatur ratione ſupra dicta.

Ad id quod vlterius obiicitur de tertio modo, dicendum quòd anulus ille ſignificat fidem ſponſalium in præſenti, ſcilicet ne alij promittat, & fidem thori in futuro ſeruet: & ideo ponitur in digito ſiniſtræ manus, qui anularis dicitur, quia in illum vena quædam pulſatilis, ſiue arteria venit à corde, quæ circulo ligatur ad amoris ſignum. Et per hoc patet ſolutio ad primum: quia ex falſo, vel ex inſufficienti cauſa anuli procedit: & ideo non concludit.

Ad aliud dicendum, quòd nihil prohibet monili ſubarrhationem fieri, ſed magis congruè fit per anulum: quia cum fides ſponſalium obliget ad duo, vnum illorum eſt principale, & alterum eſt conſequens: & principale quidem eſt ad ſeruandum fidem ſponſo: conſequens autem eſt ad cuſtodiendum ſe ab alio: anulus autem ſignificat principale, & monile ſignificat conſequens: & ideo magis congruè fit per anulum, quam per monile.

Ad tertium dicendum, quòd in tribus ſe habet ſponſa ad ſponſum: inquantum enim caput mulieris eſt vir, tenetur eum audire, ſequi, & obedire. Ex matrimonio enim tenetur ad fidem, & cuſtodiam ab altero: nec ſunt plura adeò ſubſtantialia ſponſæ inquantum eſt ſponſa. Primum autem horum ſignificat inauris: ſecundum autem ſignificat anulus, & tertium monile. Et ideo his tribus antiquitus puellæ ſubarrhabantur.

Ad hoc autem quod vlterius obiicitur de iuramento, dicendum quòd benè poteſt fieri, ſi aliter non credant ſibiinuicem contrahentes: quia ſicut dicit Apoſtolus Hebr. 6. Finis ad confirmationem controuerſiæ eſt iuramentum. Ad hoc autem quod contra obiicitur, dicendum quòd in talibus caſibus, vt infra patebit, ſoluuntur ſponſalia: & tunc deobligatur à iuramento, eò quod ipſe iuramento non tenetur, niſi modo ſponſalium: & ideo ſponſalibus fractis, non tenetur iuramento amplius: ſed bene concedo, quòd incautum eſt in talibus iurare.

Ad aliud dicendum, quòd in talibus non eſt perplexitas: quia poteſt complere iuramentum: alioquin peccat mortaliter. Si autem matrimonium aliud ſuperuenit: tunc peccat mortaliter contrahens cum alio, ſed tamen non tenetur ad ſponſalia perficienda, quia ſoluta ſunt: ſed debet facere pœnitentiam de periurio. Ad hoc autem quod quæritur, Vtrum ſit cogendus? Dicendum, quòd licet quidam dixerunt, quod ſit cogendus propter iuramentum: tamen videtur ſapientibus, quòd non: ſed diſſimulandum eſt ſi ex odio ſponſæ non

vult perficere quod iurauit, quia posset maius malum sequi: & iste casus expresse scriptus est extra. lib. quarto de sponsalibus. Requisiuit: vbi sic dicit Lucius tertius. Requisiuit à nobis tua fraternitas, qua censura mulier compelli debeat quæ iurisiurandi religione neglecta nubere renuit cui se nupturam interposito iuramento firmauit. Et infra, Ad quod breuiter respondeo, quòd cum libera debeant esse matrimonia, monenda est potius, quam cogenda, cum coactiones difficiles soleant exitus habere frequenter.

Ad id autem quod obiicitur de conditione simpliciter honesta, dicendum quòd illa merito est apponenda, ita quòd vituperari possunt contrahentes, si non apponant: quia contrahentes aut sunt maturæ ætatis, aut infantuli. Si sunt adulti, adhuc licet in eis sit confortata ratio, tamen vnus solus non potest videre quid expediat, sicut vident plures fideliter consulentes. Si autem sunt infantes, non possunt discernere nisi doctrina & consilio aliorum seniorum: & ideo cum discretio faciat ad libertatem & honestatem consensus, talis conditio potius facit ad liberum matrimonium, quam ancillare vel seruile: non enim dicitur liberum apud sapientes, quod quasi vinculum vel velamen malitiæ habet libertatem, sed id potius quod secundum virtutem liberè fit: & ideo talis conditio tenet, & est fauorabilis. Et sic patet solutio ad primum.

Ad aliud dicendum, quòd duplex est consensus, scilicet matrimonium faciendi, & iste non dependet ad alium in matrimonio. Est etiam consensus conditionatus, quando de voluntate propria apponit conditionem, eo quod sibi homo non sufficit ad consilium, & ille dependet ratione prius inducta.

Ad id quod vlterius quæritur de conditione vtilitatis quæ est pecunia, dicendum videtur, quòd illa dupliciter apponi potest, scilicet aut vt in modum dotis, aut vt in modum pœnæ si non consummantur matrimonia. Si primo modo apponatur, dico quòd stat & exigi potest: & si non stet conditio, non tenetur ad consummationem promissionis. Et hoc contingit propter onera matrimonij, vt dictum est supra. Si autem adiiciatur per modum pœnæ, vt si sic dicatur, Nisi contraxero tecum, ego dabo tibi centum marcas: dico quòd non tenet conditio nec exigi potest si non consummetur matrimonium. Argumentum autem ad hoc est in decretali prius inducta, Requisiuit: quia scilicet matrimonia debent esse libera. Ad id autem quod contra obiicitur, dicendum quòd matrimonium non ponitur sub pretio, vt patet ex supra dictis.

Ad alia duo est concedendum: quia illa procedunt in sensu illo quo conditio pecuniaria adiicitur in modum pœnæ, & sunt bona contra illos qui aliter sentiunt, quam hic est determinatum.

Ad id quod vlterius obiicitur de conditione turpi & contraria matrimonio, dicendum quòd matrimonium nunquam est finis mali, nec etiam ad malum finem. Est enim duplex finis, sicut & super secundum lib. notatum inuenies, scilicet finis operis, & finis operantis. Finis operis matrimonij nunquam est ad malum finem, vel finis mali. Finis autem operantis sic potest esse in malo: & dictum Augustini intelligitur de fine operis, non operantis. Et quia finis operantis non est essentialis finis matrimonij, ideo dicit ius, quòd cessat conditio quæ est turpis finis intentio ex parte contrahentis, non contractus: & tenet contractus sponsalium. Et per hoc patet solutio & ratio iuris.

Ad aliud dicendum, quòd vnus plus peccat in actu, & alter plus in circunstantia trahente in id genus peccati, hoc est, in adulterium: nihil enim prohibet vtrumque plus peccare consideratione diuersa. Si autem quæritur, Quis simpliciter plus peccet? Videtur, dicendum, quòd ille qui prostituit vxorem propriam, ex hoc peccat maiori peccato quod est adulterium, & contra plura: quia contra quæcunque peccat leno, peccat & iste, & insuper contra bonum matrimonij. *Ad quæstiunculam.*

Ad hoc quod obiicitur de conditione vltima, dicendum quòd illa annihilat contractum: quia non est consensus in talibus in matrimonium secundum intellectum, sed secundum vocem tantum: sed secundum intellectum consentiunt in vile contubernium, quia non potest esse matrimonium, vbi renuntiatur bonis omnibus matrimonij. Et per hoc patet solutio ad obiectum: quia in tali contractu nihil boni est: & ideo nihil boni inde potest elici quod teneatur, sicut fuit in aliis contractibus conditionatis.

ARTICVLVS XVI.

Quibus modis sponsalia dirimantur?

Quinto quæritur, Quibus modis sponsalia dirimantur? Accipiatur autem primum illud, quod determinatum est à iure. Sunt igitur octo casus in quibus sponsalia dissoluuntur: quorum primus est si alter sponsorum transeat ad religionem, quod potest facere etiam inuito & reclamante altero ante carnalem copulam: & tunc ille qui remanet in seculo, absoluitur à vinculo sponsalium, etiamsi fuerint sponsalia per verba de præsenti. Secundus est, quando sponsus non inuenitur, quia transfert se ad aliam regionem: si tamen per eam non steterit, quòd matrimonium non fuit consummatum: si enim per eam steterit, tunc aget pœnitentiam de promissione, & etiam de periurio si iuramentum interuenit. Tertius est, si alter sponsorum post contracta sponsalia incurrerit lepram, aut paralysim, aut epilepsiã, aut turpitet naso aut oculo fuerit mutilatus. Quartus est, si superueniat affinitas, scilicet si sponsus cognouit consanguineam sponsæ, vel è conuerso: & hoc sufficit probare sola fama. Quintus est, si mutuò se absoluerunt: quem tamen casum quidam non recipiunt. Sextus, Si alter eorum fuerit fornicatus. Septimus, quando superuenit matrimonium per verba de præsenti cum alio contractum: quia tunc soluitur minus vinculum propter maius superueniens;

ueniens: sed tunc debet agere pœnitentiam de fide vel iuramento vel promissione mentita. Octauus, quando minor venit ad ætatem adultam, & petit absolui à vinculo sponsalium, & dari sibi licentiam nubendi alij. Dicunt insuper Iurisperiti, quòd in duobus casibus soluũtur ipso iure, scilicet quando alter intrat religionem, & quando alter contrahit cum alio per verba de præsenti. In aliis autem omnibus casibus soluenda sunt per iudicium Ecclesiæ. Ecce quid ius determinat de isto articulo.

Sed obiicitur contra primum cásum. Immolantis enim ex iniquo oblatio erit execrabilis: sed ex iniquo immolat, qui immolat alienum: ergo non est Deo accepta. Alienum autem est, quod est alteri promissum, & per promissum debitum: cumigitur ita debitus efficiatur sponsus per sponsalia, & sponsa vice versa, videtur, quòd Deo se non potest immolare: ergo non potest intrare religionem.

2 Item, Si pecuniæ aliquis mihi efficeretur debitor, istam pecuniam qua efficeretur mihi non soluendo, immolare vel offerre non posset: sed maius est debitum matrimonij: ergo multo minus offerri potest per quod efficitur alteri non soluendo: sed si intrat religionem, propter votum continentiæ efficitur impotens ad soluendmm debitum matrimonij: ergo videtur, quòd non debeat intrare religionem.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est quod dicitur extra. de conuer. coniuga. lib. 3. dicit enim Alex. tertius, Ex publico instrumento, &c. ita, Cæterum quia licet à præfato viro desponsata fuit, adhuc tamen (sicut asserit) ab ipso est incognita, mandamus quatenus si prædictus vir ipsam carnaliter non cognouerit, & eadem ad religionem transire voluerit: recepta ab ea sufficienti cautione, quod vel ad religionem transire vel ad virum suum redire infra duorum mensium spatium debeat, ipsam à sententia qua tenetur absoluas: ita quod si ad religionem transierit, vterque restituat alteri quod ab eo noscitur recepisse, &c. & infra, Sanè quod Dominus in Euangelio dicit, Non licere viro nisi ob causam fornicationis dimittere vxorem suam, intelligendum est secundum interpretationem sacri eloquij de his quorum matrimonium carnali copula est consummatum, sine qua confirmari non potest. Ex his patet, quod ius verum dicit in hoc primo casu.

Vlterius quæritur de secundo. Videtur enim quod ille sit iniustus: quia in dubiis tutior pars est accipienda vel tenenda: sed tutius est quod expectet: quia in expectando nullum fit alteri præiudicium: ergo videtur, quod non sint sponsalia soluta ex illa absentia.

2 Item, Absentia corporum in nullo repugnat vinculo spirituali: quia ex consensu contractum est inter sponsos: ergo videtur, quod propter absentiam corporum non soluetur vinculum, quod est inter eos: ergo nec sponsalia.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius obiicitur: quia extra. lib. quarto de sponsalibus sic scribit Alexand. tertius Panormitano Episcopo; De illis autem qui præstito iuramento promittunt se aliquas mulieres ducturos, & postea eis incognitis dimittunt terram, se ad partes alias transferentes: hoc tibi volumus innotescere, quòd liberum erit mulieribus ipsis (si non amplius in facto est processum) ad alia se vota transferre: recepta tamen de periurio pœnitentia, si per eas steterit, quo minus matrimonium fuerit consummatum.

Vlterius quæritur de tertio. Videtur enim quod corporalis necessitas non debet facere, quod aliquis cadat à suo iure: sed iste ius acquisiuit de contrahendo matrimonio: ergo videtur, quod per corporalem infirmitatem illud perdere non debeat.

2 Item, Inuoluntarium quod hominem compellit secundum Aristot. meretur ignoscentiam & veniam: ergo multo magis id quod intulit Deus: sed talis est necessitas istius infirmitatis: ergo videtur, quod sponsa talia debet ignoscere.

3 VLTERIVS quæritur, Quare non ita dirimit febris vel quid tale, sicut infirmitates supra memoratæ? *Quæstiuncula*

IN CONTRARIVM huius obiicitur per id quod dicit Vrbanus secundus. lib. quarto de coniugio leprosorum. Literas. Et infra, Quia postulasti vtrum si post sponsalia de futuro inter legitimas personas contracta, antequam à viro mulier traducatur, alter eorum lepræ morbum incurrat, alius ad consummandam copulam maritalem compelli debeat. Respondemus, quòd ad eam accipiendam cogi non debet, cum nondum inter eos matrimonium fuerit consummatum. *Sed contra.*

Vlterius quæritur de quarto casu. Ille enim videtur omnino iniustus: ex peccato enim alterius non debet alius ab ipso puniri: ergo si alter sponsorum per fornicationem faciat affinitatem, non debet ille puniri qui non fornicatur: ergo non debet perdere ius sibi per sponsalia acquisitum.

2 Item, Ponamus, quòd ad hoc aliquis fornicetur cum consanguinea sponsæ, vt soluat sponsalia: constat enim, quòd dolus nulli debet patrocinari: ergo nec isti: ergo nec iste per dolum suum debet consequi absolutionem à sponsalibus.

IN CONTRARIVM autem obiicitur per hoc quod dicitur 27. quæst. 2. ex concilio Tiburicensi. Siquis sponsam filij sui oppresserit, & postea filius eius eam duxerit: pater postmodum non habeat vxorem, nec mulier virum: filius qui patris facinus ignorauit, aliam accipiat. *Sed contra.*

Vlterius quæritur de quarto casu isto, vtrum sufficit probare per solam famam? quia cum potius semper iudicandum sit pro matrimonio, videtur quòd sponsalia stare debeant, donec certissimè factum probetur: ergo non propter solam famam sponsalia sunt soluenda.

2 Item, Fama sæpè est falsa: & ideo videtur, quòd non sit soli famæ credendum.

IN CONTRARIVM huius est id quod habetur extra. quarto lib. de consang. & affin. vbi Vrbanus tertius sic scribit Burd. Archiepiscopo, Super eo quod iuuenem asseris puellam nondum nubilem fide interposita desponsasse, quæ iam facta nubilis eum repetit: & ille respuit *Sed contra.*

puit dicens se non debere eam ducere, pro eo quod postquam puellam affidauit, eandem carnaliter propinquam ipsius cognouit. Respondeo, quòd si manifestum est iuuenem agnouisse propinquam prædictæ puellæ: vel si non est manifestum, fama tamen loci hoc habet, cum esset sponsa tantummodo de futuro, idem ab eius impetitione debet absolui.

Vlterius de quinto quæritur. Quia ille omnino non videtur esse recipiendus: quia quod semel iustè factum est, pro non facto haberi non potest: ergo videtur, quòd nulla sit absolutio qua seinuicem absoluunt.

2 Item, Quod leuitatis est, non debet admittere Ecclesia: sed maximæ leuitatis est modo contrahere, & modo mutuò se absoluere: ergo iste casus ab Ecclesia non debet recipi.

Sed contra. IN CONTRARIVM est decretalis supra inducta extra. de sponsalibus, Præterea, vbi dicit Innoc. secundus, quòd ad instar eorum qui societatem fidei contrahunt, & post eandem sibi remittunt, potest in patientia tolerari si se mutuò absoluunt: ita & illi qui sponsalia contraxerunt.

Vlterius quæritur de sexto, si alter eorum fuerit fornicatus. Ex hoc enim non videntur solui sponsalia simpliciter, sed tantum ad thori separationem: vinculum tamen videtur debere manere: quia Dominus dicit, quòd qui dimissam duxerit, fornicatur. Adhuc quæritur, vtrum sit monendus vt recipiat eam? Videtur autem, quòd sic: quia infra habebitur, quòd misericordia est recipere pœnitentem: sed omnis homo monendus est ad misericordiam: ergo & iste est monendus, vt recipiat illam quę fornicata est: vel è conuerso sponsa sponsum.

2 Item, Tota die videmus hoc, quòd sponsi fornicantur: & tamen sponsæ recipiunt eos iure sponsalium contractorum: ergo videtur, quòd iste casus nullus sit.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est, quòd etiam in matrimonio consummato vxor separatur à thoro propter fornicationem: ergo multo magis per eam sponsalia annullari debent.

2 Item, Sponsos nihil adeò reddit odiosos sicut fornicatio: sed periculum est si odiosi sibiinuicem contrahunt: ergo videtur, quòd talis casus debet separare siue soluere sponsalia.

Vlterius obiicitur de septimo. Videtur enim, quòd non teneat ille: quia posterius non debet infringere id quod prius factum est: sed prius facta sunt sponsalia iustè: ergo non derogatur eis superueniente matrimonio.

2 Item, Siquis vendat alij rem quam mihi prius vendidit: si ego probauero rem illam prius mihi venditam, restituetur mihi: ergo à simili sic est in sponsalibus, & matrimonio superuenientę: ergo in tali casu recedendum est à matrimonio, & redeundum ad sponsalia.

Sed contra. IN CONTRARIVM autem huius est decretalis Gregor. 9. quarto lib. de sponsalib. Si inter virum & mulierem, &c. Verum si inter ipsos accessit tantum promissio de futuro, vtroque dicente alteri, Ego recipiam te in meam: & ego te in meum: seu verba similia: si alius mulierem illam per verba de præsenti desponsauerit, etiamsi inter ipsam & primum iuramentum interuenerit (sicut diximus) de futuro, huiusmodi desponsationis intuitu secundum matrimonium non poterit separari: sed eis est de violatione fidei pœnitentia iniungenda.

Vlterius quæritur de octauo & vltimo. Quia illud nihil ad propositum videtur: quia, sicut supra habitum est, minor ætate debita non potest contrahere sponsalia: ergo nullus est casus iste.

2 Item, Ab eo quod nihil ligat, non est petenda absolutio: sed ante ætatem debitam sponsalia nihil ligant: ergo ab eis non est petenda absolutio.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est decretalis Alexand. tertij quarto lib. de sponsalibus. De illis qui infra annos aptos matrimoniis sponsalia contrahunt, siue vterque, siue alter reclamet, antequam ad annos matrimonio aptos peruenerint, & postulent separari, non sunt vllatenus audiendi. Si vero alteruter istorum ad annos pubertatis peruenerit, infra eosdem annos altero existente cum sponsalia contrahuntur, si is qui minoris ætatis est, cum ad annos illos peruenerit reclamauerit, nec in alterum voluerit consentire, iudicio Ecclesiæ poterunt abinuicem separari.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd in sponsalibus contrahendis attenduntur plura: quando enim promittitur in futurum de matrimonio contrahendo, illa promissio est ad solutionem matrimonij in determinato tempore pubertatis ad bonum prolis in indiuidua vita suscepta cum persona legitima ad contrahendum. Primus igitur casus dirimit sponsalia, eò quod intercidit mors spiritualis impotens ad soluendum quod promisit: & ideo etiam alter soluitur à promisso. Secundus autem casus peccat contra determinatum sponsionis tempus: quia tempore condicto solutionis promissi non comparet. Tertius vero peccaret in bonum prolis ex parte corporis: quia infirmis infirmi nascuntur. Peccat etiam contra finem quendam matrimonij qui est collatio operum, eò quod vnus homo sibi est insufficiens in opere: & hunc finem matrimonij ponunt tres Philosophi, scilicet Tullius, Aristoteles, & Aspasius: sponsus enim infirmus chronica infirmitate non potest conferre aliquid de operibus suis, vt leuiora sint onera matrimonij. Quartus autem peccat contra legitimitatem personarum coniungendarum. Quintus autem contra indiuiduitatem hoc modo quo soluit sponsalia, quia non omni modo soluit, vt infra patebit. Sextus autem contra bonum fidei peccat. Septimus, quia in oppositum stringit maiori vinculo: & ideo contrarium est indiuiduitati futurę in matrimonio promisso. Octauus autem est, eò quod in contrahentibus non fuit dispositio debita: sicut enim omnis forma debitam dispositionem requirit in materia, ita etiam faciunt sponsalia: & vna illarum dispositionum est ætas debita, vt patet ex prius habitis. Et per hoc patet ra-

tio iuris, ſiquis ipſum ad vniuerſale & ad artem reducere voluerit: licet enim ſi poſitiuum, tamen ſecundum Tullium nullum eſt ius poſitiuum, quod non ſit ex ratione profectum: quod autem ex ratione profectum eſt, ad rationem & vniuerſale poteſt reſolui.

AD PRIMVM igitur dicendum, quòd ille non immolat ex iniquo: quia ſoluuntur ſponſalia per melius & maius vinculum: ſed ſi manentibus ſponſalibus faceret, tunc valeret obiectio. Si autem quæritur, quomodo ſoluũtur? Dicendum, quòd ipſo iure: ſicut lumine maiore ſuperueniente offuſcatur lumen minus.

AD ALIVD dicendum, quòd ſecus eſt de pecunia: & ratio illa in præcedenti articulo expedita eſt: & ideo non valet illa obiectio. Præterea inter ſponſos vterque alteri æqualiter debet, & ideo quantum iſte ſubtrahit qui intrat religionem, tantũ recompenſatur alteri per retentionem ſui debiti qui manet in ſeculo. Decretalis autem adducta in oppoſitum, eſt concedenda & probat caſum. Et eodem modo de omnibus iuribus eſt dicendum, quæ in iſta quæſtione ſunt inducta.

AD ID quod vlterius quæritur de ſecundo, dicendum quòd dubium determinatur ex modo promiſſionis: quia tempus certificatur in annis pubertatis. Vnde extra. lib. quarto de ſponſalibus, præcipitur, quòd tempore pubertatis, vel infra duos menſes, debitum reddat ſponſo, vel intret religionem: & ideo quando tempore illo non inuenitur ſponſus, abſoluitur alter qui remanet in terra.

AD ALIVD dicendum, quòd abſentia repugnat effectui matrimoniali qui eſt copula carnalis, & ideo etiam vinculo repugnat: & ideo ſoluuntur ſponſalia.

AD ID quod vlterius quæritur de tertio, dicendum quòd quando eſt ante matrimoniũ huiuſmodi defectus corporis, ſponſos ſibi facit abominabiles, & illorum indiuiduitas vitæ eſt amara: & ideo melius eſt vt non coniungantur, quia malos exitus talia connubia ſortiuntur, & quia proles ex parte corporis deſtrueretur: ſed ſi ſuperuenerit matrimonio, tunc tenet illud quod obiectum eſt. Cum enim ſponſalia non ſint niſi diſpoſitio ad matrimonium, facilius ſoluuntur, quam matrimonium.

AD ALIVD dicendum, quòd neceſſarium tale ſiue inuoluntarium in actu, meretur veniam & ignoſcentiam: ſed in contractibus ſecus eſt, quia ibi attendit homo vtilitatem propriam, & ideo cauet ſibi à contractu indelectabili & nociuo.

AD ALIVD dicendum, quòd chronicæ ægritudines, & generantes horrorem & impotentiã cooperandi ad onera matrimonij ſubleuanda, ſoluunt ſponſalia: ſed febres & huiuſmodi, temporales ſunt, & ideo non ſoluunt: quia non ſemper reddunt impotentes, ſed ad tempus breue & modicum.

AD ID quod obiicitur de quarto, dicendum quòd qui fornicatur, perdit ius ſuum, & alteri efficitur abominabilis: & ideo datur ei licentia, quòd non teneatur ſponſalibus niſi velit; vnde nihil de ſuo iure perdit, ſed potius lucratur libertatem ab eo qui ſe Deo & ſibi reddidit abominabilem.

AD ALIVD dicendum, quòd dolus ei non patrocinatur, ſed nocet quando ius ſuum perdit: & hoc in fauorem alterius qui non peccat eſt inductum, vt dictum eſt.

AD ID quod vlterius quæritur, Vtrum in tali caſu ſufficit probare per ſolam famam? Dicendum quòd ſic: quia hoc crimen præcipuè conturbat ſponſos, & facit eos odioſos ſibi: & ideo de facili permittitur ſeparatio propter crimen illud. Ad hoc autem quod in contrarium obiicitur, dicendum quòd hoc eſt verum de matrimonio: ſed ſponſalia non ſunt matrimonium, vt ſupra patuit: & ideo propter periculum futurum quod ex odio generari conſueuit, etiam propter ſolam famam admittitur ſeparatio ſponſalium.

AD ALIVD dicendum, quòd ille caſus à quibuſdam non ponitur: & reſpondent ad decretalem inductam, quod non eſt decretalis, nec continet ius, ſed loquitur de permiſſione comparatiua, hoc eſt, quòd ſicut permittitur violatio ſocietatis, ne maius malum fiat: ita etiam ſolutio ſponſalium per hoc quòd vterque alium abſoluit, ne in odio conuenientes ſe adinuicem interficiant. Poſſet tamen dici, quòd caſus iſte tenet cum pecunia mouentur de promiſſo: tunc enim ſignum eſt, quòd non bene conueniunt: & ideo tunc Eccleſia patitur magis quam agat ſeparationem ipſorum. Ad id autem quod contra obiicitur, dicendum quòd ſponſalia non dicunt aliquid perfectè factum, ſed potius faciendum: & ideo poſſunt reuocari: quia quantum ad principale quod eſt in eis, dependent in futurum.

AD ALIVD dicendum, quòd in veritate taliter ſe abſoluentes non cauent voto: tamen Eccleſia patitur prædicta ex cauſa.

AD ID quod obiicitur de ſexto dicendum, quòd ſecus eſt in matrimonio & ſponſalibus: quia in matrimonio non poteſt fieri coniunctio ad alium: & ideo monetur vt redeat ad ſuum, ne in periculo ſit caſtitas ſua: ſed in ſponſalibus poteſt fieri coniunctio ad alium, & ideo ſoluuntur: & non monetur, quia tales ſibi inuicem ſunt odioſi: & per hoc patet etiam ſolutio ad ſecundum.

AD ALIVD dicendum, quòd aliter eſt in maſculis, & aliter in fœminis: quia maſculus habet ad libidinem impellens magis quam fœmina: & ideo minus turpe eſt de maſculo ſi fornicetur: & ideo de gratia maſculi à fœminis facilius recipiuntur, ſed non de iure.

AD ID quod vlterius obiicitur de ſeptimo, dicendum quòd matrimonium eſt maius vinculum ſuperueniens: & ideo quando ſtringit in oppoſitum, vinculum ſponſalium rumpitur. Ad obiectum autem dicendum, quòd ſi in omnibus eſſent æqualia, tunc teneret obiectio: ſed inæqualia ſunt, vt iam dictum eſt.

AD ALIVD dicendum, quòd non eſt ſimile, ſicut ſupra expeditum eſt.

AD ID quod vlterius obiicitur de octauo, dicendum quòd ibi eſt modus ſponſalium, licet non materia pro toto, ſed pro altera parte tantum: & ideo in tractatu de ſolutione ſponſalium

salium ponitur iste casus.

AD ALIVD dicendum, quòd quia videbatur approbare in annis deputatis ad sponsalia contrahenda, & propter bonum exemplum, petit absolui: & non ideo quòd sciat se esse ligatum personæ tali.

Quod aliter accipitur in his aliis capitulis sponsa.

HÆc etiam sponsa est, quæ sic viro desponsata est, vt non interceſſerit consensus de præsenti, sed sponsio futuri. Secundum quem modum illud decretum intelligitur, Siquis sponsam filij oppresserit, & post filius eius eam duxerit, pater posteà non habeat vxorem, nec mulier virum: filius qui patris facinus ignorauit, aliam ducat. Si coniunx illa fuisset (quod vtique foret, si in sponsalibus pactio coniugalis interceſſisset) non permitteretur sponso aliam ducere. Mœchis autem pœna non nubendi ex rigore infligitur, vt alij terreantur. Idem ex eodem, Quidam desponsauit vxorem & dotauit, & cum ea coire non potuit, quam clanculo frater eius corrupit & grauidam reddidit, decretum est, vt quamuis nupta non potuerit esse legitimo viro, desponsatam tamen fratri frater habere non possit: sed mœchus & mœcha fornicationis quidem vindictam sustineant, licita vero eis coniugia non negentur. De illa desponsatione hoc intelligi debet, vbi non fuit consensus coniugalis de præsenti, alioquin non liceret eis talia sortiri coniugia. Secundum hoc etiam illud intelligi debet, Statutum est à sacro conuentu, vt siquis sponsam alterius rapuerit, publica pœnitentia mulctetur, & sine spe coniugij maneat. Et si ipsa eidem crimini consentiens non fuerit, licentia nubendi alteri non negetur. Apparet hanc fuisse desponsatam sine pactione coniugali de præsenti, & ideo non fuisse coniugem, cui viuente sponso, alteri nubendi licentia non negatur. Sunt enim quædam nuptialia pacta de futuro, ex quibus sponsi & sponsæ vocantur, nec exinde coniuges sunt. Et est pactio quædam coniugalis de præsenti, quæ sponsum & sponsam etiam coniuges facit. Et vtraque pactio desponsatio vel sponsalia interdum dicuntur, propriè tamen sponsalia dicuntur quædam solennia pacta nuptialia.

L Ex concil. Tiburicensi. & habetur 27. q. 2. c. Siquis.

Ibidem c. Quidã desponsauit.

Ex concil. Toletano vbi supra. cap. Statutum.

Quare non statim tradatur sponsæ.

DE nuptialibus pactis, vbi est tantum sponsio futuri, ait Augustinus, Institutum est vt iam pactæ sponsæ non statim tradantur, ne vilem habeat maritus datam, quam suspirauit sponsus dilatam.

M Cap. Institutum.

ARTICVLVS XVII.

An dicantur sponsalia à sponsa de futuro, vel de præsenti, vel de solennitate nuptiarum?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Sunt enim quædam nuptialia pacta, &c.] Hîc enim colligitur, quòd tripliciter dicitur sponsa, scilicet de futuro, & de præsenti, & solennitas nuptiarum. Et dicit Magister, quòd vltimo modo propriè sponsalia dicuntur. Videtur autem falsum ex decreto Nicolai Papæ supra inducto, vbi dicit, quòd sponsalia sunt futurarum promissiones nuptiarum: ergo primo modo propriè dicuntur sponsalia & sponsa, vt videtur.

2 Item hoc videtur sonare nomen, vt supra habitum est: ergo mentitur in litera.

VLTERIVS

Quæstiuncula.

VLTERIVS quæritur hîc, Vtrum æquiuocè vel vniuocè dicitur de his tribus? Videtur autem, quòd æquiuocè: quia distinguit in litera vocem sponsalium in suas significationes: talis autem distinctio non conuenit nisi æquiuoco: ergo est æquiuocum.

2 Præterea, Nullus distinguit sic, quòd homo aliter significet Sortem, & aliter Platonem: sed Magister dicit, quòd aliter vnum significet, & aliter aliud: ergo est æquiuocum.

Sed contra.

IN CONTRARIVM huius obiicitur: ab vna enim sponsione dicitur quocunque modo dicatur: ergo vnam habet rationem: ergo est vniuocum.

Solutio.

RESPONSIO, quòd sponsalia propriè dicuntur pacta futurarum nuptiarum cum solennitate facta: & ideo quod dicit Magister, non intelligitur de solennitate sola, sed potius concretiuè de sponsione solenni futurarum nuptiarum: & per hoc patet, quòd non est contrarium præhabitis; & per hoc soluuntur duo prima.

AD ALIVD dicendum, quòd nec vniuocè dicitur de his, nec etiam æquiuocè, sed potius peranalogiam ad vnum, vt probat vltima obiectio. Analogum enim dicitur de pluribus diuersis modis respicientibus ad vnum: & ideo distinguit Magister in litera modos diuersorum sponsalium. Et hæc est solutio omnium quæsitorum.

ARTICVLVS XVIII.

An in sponsalibus debeat esse terminus ad solennizandum matrimonium?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [De nuptialibus pactis, vt est sponsio futura, &c.] Videtur enim, quòd nulla sit causa quam assignat in litera: quia istud, vt dicit Auctor, intelligitur de sponsalibus in futurum promissis: sponsalia autem non contrahuntur in futurum, quia non est sufficiens ætas contrahentium: non ergo causa est, quòd non exhibetur statim, vt desideret dilatam, sed quia non est sufficiens ætas & habitus corporis ad matrimonium consummandum.

2 Item videtur esse contra Apostolum 1. Corinth. 7. Melius est nubere, quam vri. Cum igitur in dilatione alter coniugum vratur, vel ambo, melius esset, quòd statim exhiberetur.

3 Item, Omnis dilatio est ad terminum aliquem qui est in contractibus humanis: videtur ergo, quòd huic dilationi deberet terminus assignari.

RESPONSIO. Dicendum, quòd sancti patres à principio ita constituerunt, vt litera continet, & propter causam quæ in litera assignatur. Solut.

AD PRIMVM autem dicendum, quòd frequenter etiam habentes ætatem contrahunt sponsalia de futuro: & de illis putò, quòd loquatur: & hoc patet per hoc quia paruuli ante ætatem contrahentes, non suspirarent ad dilationem nuptiarum.

AD ALIVD dicendum, quòd non diu differtur: & ideo non potest multum exardescere concupiscentia: non differtur enim nisi ad duos menses, vt patet ex superius inducta decretali: si tamen nimis perriculosè crescceret tentatio, melius putarem ego saluo iudicio maioris, quòd statim matrimonium consummaretur.

AD VLTIMVM dicendum, quòd tempus contrahentium habentium ætatem præfixum est à iure, scilicet ad plus duo menses vel vnus, vt supra patuit.

Quæ sponsa sit vidua mortuo sponso, & quæ non.

NOTANDVM est sciendum, quòd illa sponsa quæ tantum in futuro est pacta, mortuo sponso non remanet vidua, quia non fuerat vir eius: vnde siquis eam duxerit, ad sacros ordines conscendere non prohibetur, quia non duxit viduam. Viduæ enim maritus æquè sicut bigamus, sacerdos fieri prohibetur. Ex tali autem copula nullus arcetur à sacris ordinibus.

N August. in lib. confessio. & habetur 27. q. 2.

Qui alterius sponsam eo mortuo ducit, ad sacros ordines accedere potest.

SECVNDVM hoc intelligendum est quod ait Pelagius Papa, de illo qui mortuo sponso eius sponsam ducit in vxorem. Nihil est, inquit, quantum ad hunc articulum attinet, quod ei obuiet de canonicis institutis, quin ad sacros ordines promoueri valeat. Si verò talis sponsa fuisset, inter quam & sponsum eius consensus de præsenti interceſſisset, eo mortuo vidua remansisset,

O Pelagius Papa. dist. 34. cap. vltimo.

remansisset, cui copulatus in coniugio vlterius ad sacros ordines non accederet, cum viduam duxerit. Non est ergo ambigendum, quin solus de præsenti consensus coniugium efficiat, & exinde veri coniuges appellentur. Ideo post talem consensum siquis alij se copulauerit, etiamsi carnis commixtio illic sequatur, ad priorem copulam reuocandus est.

ARTICVLVS XIX.

An definitio bigamiæ sit benè assignata?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Viduæ enim maritus æque sicut bigamus sacerdos fieri prohibetur, &c.] Quæruntur autem hic quatuor de bigamia. Primo, Quid sit, & vnde dicatur? Secundo, Quot modis fiat? Tertio, Qua ratione ei irregularitas adiungatur? Quarto, Vtrum illa irregularitas admittat aliquam dispensationem?

Ad primum horum proceditur sic: Dictum aliquorum est, quòd bigamia est diuisio vnius in non vnam vxorem vel vxores. Videtur autem, quòd hæc diffinitio non valet: quia bigamia opponitur monogamiæ: & monogamus diuiditur: ergo bigamia non est diuisio vnius, &c. Probatio mediæ. Omne id quod vnitur alteri à se, oportet quòd in se diuidatur: sed omnis homo adhærens vxori, vnitur alteri à se: ergo diuiditur in seipso.

2 Si forte dicas, quòd diuiditur in vnam. Contra: Probatio, quòd non: quia ipsa etiam diuisa est à se, & vnita viro qui commiscetur ei: ergo diuiditur in non vnam.

3 Item, Nihil videtur dictum, in non vnam: quia dicit Boëtius, quòd omnis res est vna: ergo omnis vxor est vna vxor: nullus ergo diuiditur in non vnam.

4 Item, Omne quod est (vt probat Philosophus) est vnum, vel multa: ergo & vxor vel fœmina in quam diuiditur iste, est vna, vel multæ: constat autem, quod non multæ: ergo vna: falsum ergo est, quòd aliquis diuidatur in non vnam.

5 Item, Nunquam dicimus aliquid diuidi in plura quæ non sunt, sed in plura quæ sunt: si ergo nullus diuidatur in plures vxores quæ sunt, nullus diuidetur in plures vxores: sed quæ non simul in eodem tempore sunt, sed vna decessit, & alia superest, illæ vxores plures non sunt: ergo qui primo habet vnam, & post mortem illius aliam, videtur quòd ipse non sit diuisus in plures.

6 Item hoc videtur ex verbis Apostoli Rom.7.& 1.Corinth.7. Mulier subiecta est legi viri quandiu vir eius viuit: sed diuisio est ex lege: ergo cum absoluitur à lege, absoluitur à diuisione: ergo post mortem eius non est diuisus in eam: si ergo tunc in vnam posteà ductam diuidatur, non videtur esse diuisus in plures.

7 Item obiicitur de hoc quod dicit, Vxorem, vel vxores. Diuisio enim sequitur vnius separationem: quia ita dicit Aristot. quòd numerum cognoscimus diuisione continui: sed huiusmodi vnio est etiam ad meretricem, vt dicitur 1.Corinth.6. An nescitis quoniam qui adhæret meretrici, vnum corpus efficitur? Ergo consequitur talis diuisio, si pluribus fornicario concubitu coniungatur: ergo qui cum pluribus fornicatur, est bigamus, quod falsum est.

RESPONSIO. Dicendum, quòd superius inducta diffinitio est satis bona. Dicitur enim bigamus à bis, & gamos quod est mulier in Græco, quasi diuisus bis iteratus in mulierem: sicut etiam monagamus non sic iteratus, & trigamus ter iteratus, & quadrigamus, & pentagamus, & exagamus, & heptagamus, & poligamus. *Solutio.*

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd separatio quæ inest bigamiæ, vnitati sacramenti opponitur: vnitas autem sacramenti est indiuiduitas signi: & hæc nunquam melius quam ex signato cognoscitur: signatum autem est duplex, scilicet vnio spiritus fidelis cum spiritu increato, & vnio diuinæ naturæ cum humana in vna persona Christi. Et prima quidem significatur per indiuiduitatem consensus: secunda autem per indiuiduitatem carnis, vt supra patuit in distinctione præhabita. Dicendum est igitur indiuiduitatem signi nihil aliud esse, quam indiuiduitatem consensus, & coniunctionis carnalis. Est autem indiuiduitas consensus à duobus, scilicet quòd sit ab indiuiduo, & indiuiduum: & ab eisdem duobus causatur indiuidua coniunctio carnis: indiuiduus autem nullus est, nisi qui in se est indiuisus: & similiter indiuidua nulla est mulier, nisi quæ est in se indiuisa: & hæc sola est quæ nullam vnquam in alium habuit coniunctionem per copulam indiuidualem. Et sic patet, quòd bigamia est priuatio huius copulæ indiuidualis, eò quod bigamia sit priuatio indiuiduitatis, sicut cæcitas est priuatio visus. Vnde patet, quòd monogamus non habet priuationem indiuiduatis: quia cum vnica non est nisi vna indiuiduitas, non separata. Ad aliud dicendum, quòd ipsa est vnita in huiusmodi indiuiduitate si virgo fuit quando ducta est: eò quod indiuiduitas est matrimonij, vt dictum est, potius quam vnius in se personæ, quia est sacramenti & signi.

AD ALIVD dicendum, quòd vnum quandoque dicit vnitatem suppositi, & quandoque vnitatem accidentis: & similiter sit negatio siue priuatio in non vno. Dicendum igitur, quòd hic negat accidens secundum quod vna in tali signi indiuiduitate & vnitate dicitur, quæ vnius fuit vel est: & non vna quæ plurium fuit vel est, licet semper sit vna secundum suppositum.

AD ALIVD dicendum, quòd si ly vnum dicat vnitatem suppositi, tunc verum est, quòd nihil

nihil est quod non sit vnum: quia omne quod est, tantum vnum est. Si autem dicat vnitatem accidentis oppositi diuisioni prædictæ, tunc multæ sunt mulieres quæ non sunt vnæ: quia non sunt vnicæ vnius, sicut accipitur Cant. 6. Vna est columba mea: vna est genetrici suæ dilecta, hoc est, vnica.

AD ALIVD dicendum eodem modo, quòd de vnitate suppositi intelligitur.

AD ALIVD dicendum, quòd benè diuiditur aliquid in ea quæ non sunt, sed quæ fuerunt: licet enim non maneat mulier in quam diuisus est vir prius, tamen diuisio manet in ipso quando coniunctus est sequenti: & hoc patet respiciendo in signato per indiuisionem matrimonij: quia vnitas naturarum in Christo non est nisi inter duo extrema & semel. Potest igitur tripliciter signum non respondere signato, scilicet si sit quasi vnus, sed non vna: vel si vna, sed non vnus: vel si non semel, sed iste tertius modus non potest esse inter eundem virum & eandem mulierem: quia sacramenta non iterantur super eandem numero materiam: & ita patet, quòd sit duobus primis modis. Forma autem argumentandi non valet: quia instantia est, quia si aliquid primo diuidatur, vt lignum in ignem: igne enim non existente diuisio adhuc manet in ligno: & si postea diuidatur, erit bis diuisum: & non erit ibi diuisio vnius in vnicum, quia licet primum cum secundo non sit secundum rem, est tamen quoad effectum quem relinquit in eo in quod ipsum diuisum est.

AD ALIVD dicendum, quòd Apostolus intelligit de lege redditionis debiti & obedientiæ, & non de effectu qui relinquitur in viro etiam post mortem mulieris.

AD ALIVD dicendum, quòd dupliciter est vnio inter virum & mulierem, scilicet carnalis operis & indiuiduitatis signi. Prima est cum qualibet muliere quæ carnaliter cognoscitur. Secunda autem est cum legitimè coniuncta tantum: & ideo sola illa potest facere bigamiam: alia enim non facit nisi per coniunctionem ad istam de iure vel de facto consummato, vt infra patebit.

ARTICVLVS XX.

Quot modis fiat bigamia?

SEcundo quæritur, Quot modis fiat bigamia? Sunt autem super hoc à iure notati quatuor modi: & illi primum accipiantur, & postea obiiciatur contra illos. Primus est qui & proprius est, quando aliquis successiuè duas vxores habet, quas ambas carnaliter cognouit. Secundus autem improprius modus est, quando duas simul habuit, vnam de facto, & alteram de iure. Tertius est, quando vnam habuit de iure, & illa mortua, aliam duxit de facto, & non de iure. Quartus est, quando aliquis contrahit cum corrupta.

Obiicitur autem primo contra primum modum. Nunquam enim duabus coniungitur, qui coniungitur vni, & non coniungitur alij, nisi solutus ab illa: sed talis contingitur ille qui accipit duas successiuè: ergo videtur, quod nunquam coniungitur duabus: ergo nunquam efficitur bigamus.

2 Item, In antiquis temporibus simul vni plures coniungi poterant in vno vxorio affectu: ergo multo magis plures successiuè possunt coniungi vni in vno vxorio affectu: sed vni affectui vxorio respondet vna indiuiduitas sacramenti: ergo in vna indiuiduitate sacramenti potest aliquis coniungi pluribus successiuè: cum igitur bigamia non fiat nisi à violatione huius indiuiduitatis, videtur quòd talis non efficiatur bigamus.

3 Item, Qui nunquam est nisi vnius, nunquam efficitur bigamus: sed ille nunquam est nisi vnius solius: ergo, &c. Probatio: quia non est dare tempus in quo ille sit duarum: ergo habetur propositum.

IN CONTRARIVM huius est quod habetur in decretis, vbi sic dicit Hieron. Aperiant quæso aures obtrectatores mei, & videant secundas & tertias nuptias in Domino concessisse, &c. Et ita non damno bigamos, imo nec trigamos: sed si dici potest, nec octogamos. Ex hoc accipitur, quòd est bigamus, qui secundas vel deinceps nuptias consummat: ergo ille est vnus & proprius modus bigamiæ. *Sed contra.*

VLTERIVS quæritur de casibus qui sæpè sumuntur iuxta hunc modum. Pono enim, quòd aliquis ducit vnam per verba de præsenti, & antequam consummet matrimonium illa moritur: & postea ducit aliam, & illam cognoscit carnaliter. Videtur enim, quòd ille sit bigamus per ea quæ expressè dicuntur in litera ex verbis Magistri & distinctione Nicolai Papæ, quæ fit in litera inter contrahentem cum sponsa alicuius defuncti quæ fuit per verba de præsenti. *Quæstiuncula*

IN CONTRARIVM autem huius obiicitur id quod Innocent. tertius scribit Metens. Episcopo lib. 1. extra. de bigamis, Debitum pastoralis officij, &c. & infra, Cum ergo propter sacramenti defectum inhibitum sit, ne bigamus aut maritus viduæ præsumat ad sacros ordines promoueri: quoniam nec illa est vnica vnici, nec iste vnus vnius, profecto vbi deficit inter huiusmodi coniuges corporis commixtio, non deest huiusmodi signaculum sacramenti. Vnde is qui mulierem ab alio viro ductam, sed minimè cognitam duxit vxorem (quia nec illa, nec ipse carnem suam diuisit in plures) propter hoc impediri non debet quin possit ad sacerdotium promoueri. Hæc decretalis valdè est notabilis: quia abrogatur per eam quod dicit Magister in isto capitulo. *Sed contra.*

Vlterius quæritur de secundo. Ille enim non videtur esse casus: quia non est defectus sacramenti, vbi nullum est sacramentum: sed cum ea cum qua contraxit, de facto nullum est sacramentum: ergo non videtur, quòd propter hoc fiat defectus sacramenti.

2 Item, Absurdum esset dicere, quòd commixtio ad meretricem haberet significare copulationem naturarum in vna persona Christi: ergo illa adhæsio qua adhæret mulieri de facto, non habet indiuiduitatem aliquam: cuius signum est, quia separatur ab ea quando voluerit; ergo videtur, quòd ille nunquam habet

bet nisi vnam indiuiduitatem cum vnica: ergo ipse non debet reputari bigamus.

Sed contra. In contrarium huius est quod dicit Hieronym. 31.quæst.1. Quomodo virginibus. Et infra, Primus Lamech sanguinarius atque homicida vnam carnem in duas diuisit vxores: fratricidium & bigamiam eadem cataclysmi pœna deleuit,&c. Ex hoc accipitur, quòd qui habet duas simul non de iure, sicut Lamech qui non habuit de iure, nec de diuina inspiratione, bigamus dicitur à Hieronymo.

2 Ad idem facit id quod habetur dist. 34. ex concilio Toleta. Christiano non dicam plurimas, sed nec duas simul habere licitum est, nisi vnam tantum, aut vxorem, aut certè loco vxoris (si coniunx deest) concubinam. Cæterum si non talis concubina fuerit, & ætas illius de quo agitur, futuræ incontinentiæ suspicionem auferre dignoscitur, Apostolica concessione ad ordinem diaconatus prouehi potest. Ex hoc accipitur à contrario sensu, quòd si contraxit de facto cum secunda, prohibetur ab ordine,& non nisi propter bigamiam: ergo iste talis est bigamus.

3 Ad idem est quod habetur extra. de diuort. Gaudemus,& est longa decretalis: sed ibi dicitur, quòd nulli licet duas simul habere: ergo multo minus vnam de iure, & aliam de facto, quin ipse bigamus reputetur.

Quæstiuncula 1. Vlterius quæritur de casibus qui reducuntur ad illum. Ponamus ergo, quòd habeat vnam de iure, sed non consummauit cum illa matrimonium, sed tantum cum ea contraxit matrimonium per verba de præsenti, & cum alia contraxit de facto, & cognoscit eam: videtur enim, quòd iste sit bigamus, quia ipse aut de iure aut de facto habet duas: & qui duas habet, est bigamus: ergo iste est bigamus.

2 Item, Indiuiduitas consensus significans indiuiduitatem animæ fidelis cum Deo, saluatur in illa quam habet de iure: sed cum alia est etiam quædam indiuiduitas carnis: ergo ipse non est vnicus vnius, sed potius duplex duarum: ergo non saluatur in eo ratio sacramenti: ergo ipse est bigamus.

3 Adhuc, Ponamus, quòd ipse reuertatur ad primam quam habet de iure: constat, quòd ipse tunc est bigamus: cum igitur ante reditum plus peccet contra Deum & contra matrimonium, videtur quòd tunc magis debeat bigamus reputari.

Sed contra. In contrarium est, quòd iste actu carnem suam in plures non diuisit: ergo secundum decretalem Innoc. supra inductam, non debet dici bigamus.

Vlterius quæritur de tertio casu. Videtur enim, quòd ille nullus sit omnino: quia magis est diuidi cum peccato, quam sine peccato: sed siquis diuidatur in plures fornicarias, non efficitur bigamus: ergo videtur, quòd nec ille qui vnam habuit de iure, qua mortua, aliam ducit de facto.

2 Adhuc, Ponamus, quòd post mortem suæ vxoris multas cognoscat fornicario concubitu, & non contrahat cum aliqua: videtur, quòd ille sit magis bigamus, quia nec forma honestatis in illo saluatur: ergo videtur, quòd etiam talis sit bigamus plus quam primus.

Sed contra. In contrarium autem huius est, quod dicitur extra. de bigamis non or. &c. Et infra, Nos autem in hac quæstione taliter respondemus, quòd cum huiuscemodi clericis qui quantum in ipsis fuit secundas mulieres sibi matrimonialiter coniunxerunt, tanquam cum bigamis non liceat dispensari, licet in veritate bigami non existant, non propter sacramenti defectum, sed propter affectum intentionis cum opere subsecuto.

Vlterius quæritur de quarto. Quia de illo nulla ratio esse videtur: non enim propter diuisionem alterius ego diuidor: ergo nec propter mulieris diuisionem diuiditur vir: ergo ipse manet vnicus vnius: ergo ipse non est bigamus.

2 Item, Filius non portabit iniquitatem patris, nec pater portabit iniquitatem filij, vt dicitur Ezech. 18. ergo nec vir portabit iniquitatem vxoris, nec è conuerso: ergo nec pœnam bigamiæ: ergo videtur, quòd ille non sit bigamus, qui contrahit cum corrupta.

Sed contra. In contrarium huius est, quod dicitur distinctione 32. vbi Leo Papa contra epistolam Nicetæ Abbatis. Seriatim & apertè prosequamur, quod sancta Romana Ecclesia de gradibus clericorum ait. Clericos, ostiarios, lectores, exorcistas, acolythos, si extra votum & habitum monachi inueniantur, & continentiam profiteri noluerint: vxorem ducere virginem cum benedictione sacerdotali permittuntur: non autem viduam aut repudiatam: quia propter hoc deinceps nec ad subdiaconatum prouehi poterunt: quia nec laicus nisi virginem sortitus vxorem. Ex hoc accipitur, quòd siue acceperit viduam siue repudiatam, ipse reputatur vt bigamus irregularis ad ordines sacros.

2 Item 34. distinctione dicit, Curandum est ergo in primis, ne ad sacros ordines (sicut in gestis prioribus ante scriptum est) quisquam qui in vxorem virginem non duxit, aspiret.

3 Ad idem est quod Gregorius Silitano Episcopo scribit sic, Præcipimus ne vnquam illicitas ordinationes facias, nec bigamum, aut qui virginem non est sortitus vxorem, aut ignorantem literas, vel qualibet ex parte corporis vitiatum, vel pœnitentiæ, vel curiæ, aut cuilibet conditioni obnoxium, ad sacros ordines permittas accedere: sed siquos huiusmodi repereris, non audeas promouere.

Quæstiuncula 3. Vlterius quæritur hic de casibus qui videntur similes. Ponamus enim, quòd aliquis primo defloret aliquam fornicario concubitu, & postea contrahat cum eadem. Viderur enim, quòd iste sit bigamus: quia non ducit vxorem virginem, sed corruptam: ergo secundum decreta inducta ipse est irregularis vt bigamus. Hoc videtur confirmari per hoc quod habetur distinctione 32. Nemo ad sacrum ordinem permittatur accedere, nisi aut virgo, aut probatæ castitatis,& qui vsque ad subdiaconatum vnicam & virginem vxorem habuerit.

2 Ad idem facere videtur 30. quæst.5. Qualis debeat esse vxor quæ habenda est

secundum legem, virgo casta, & desponsata in virginitate, & dotata legitimè, & à parentibus tradita sponso, & à paranymphis accipienda. Ergo si non sit talis, non videtur esse vnica vnici: ergo contrahens cum ipsa efficitur bigamus: sed supra dicta non est talis: ergo contrahens cum ea, bigamus reputatur.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius videtur, quòd ille in aliam non est diuisus, nisi in istam: ergo non debet reputari bigamus.

2 Ad idem facit quod habetur extra. de bigamis. Debitum, Et est supra inducta decretalis, quæ dicit, quòd nisi secundum carnalem concubitum in plures diuidatur, non reputatur bigamus.

Quæst. 4. VLTERIVS quæritur de alio casu, scilicet quòd si aliquis contrahat cum aliqua, quam credit virginem, & cum consummat matrimonium, non inuenit eam virginem: videtur enim ille non esse bigamus, quia est ibi pura ignorantia facti: ergo si ibi esset etiam peccatum, in toto excusaretur: ergo multo magis excusatur à pœna: ergo non debet reputari irregularis ex hoc ad sacros ordines suscipiendos.

2 Item, In his quæ non apertè mala sunt, intentio nomen operi imponit: sed ille intendit contrahere cum virgine, & facit quod in se est ad hoc, quod contrahat cum virgine: ergo videtur, quòd non puniatur irregularitate bigamiæ ex hoc quod non inuenit eam virginem.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est decretum Leonis Papæ, quòd illæ famulæ Dei, quæ integritatem pudoris oppressione barbarica perdiderunt, laudabiliores erunt in humilitate ac verecundia, si se incontaminatis non audeant comparare virginibus. Ergo à simili & iste talis non omnino est comparandus monogamis: ergo videtur, quòd sit bigamus & irregularis.

Quæst. 5. VLTERIVS quæritur de alio casu, scilicet quòd aliquis contrahit cum virgine & cognoscit eam: deinde cognoscitur ab alio per adulterium: & maritus ignorans hoc, cognoscit eam. Videtur enim, quòd ille non est bigamus: quia est vicus vnius: ergo non est bigamus.

Sed contra. SED CONTRA: Illa non est vnica, quæ est diuisa in plures: ergo non est vnica vnius: ergo violauit sacramentum: ergo videtur, quòd sit reputandus bigamus.

2 Ad hoc etiam videtur esse quod dicitur distinctione 34. Si cuius vxorem adulterium commisisse cum esset laicus, euidenter fuerit probatum, hic ad ministerium ecclesiasticum admitti non potest. Quod si in clericatu iam eo constituto adulterauit, dato repudio eam dimittere debet. Si vero retinere eius consortium velit, non potest suscepto ministerio perfrui.

3 Ad idem ibidem capitulo sequenti, Si laici vxor in adulterio deprehensa fuerit, hic talis ad ministerium ecclesiasticum nullo modo adducatur. Si autem post ordinationem alicuius clerici vxor adulterata fuerit, dimittat eam. Si autem cum ipsa voluerit permanere, à ministerio sit alienus.

Quæst. 6. VLTERIVS quæritur de alio casu. Sit enim, quòd maritus vxorem accuset de adulterio, & illa antequam sententia detur, petat debitum, & ille reddat sicut tenetur, & postea sententia dicat eam esse ream. Et quæratur, vtrum iste sit reputandus bigamus? Videtur, quòd non: quia ille facit quod debet: nemo autem punitur pro eo quod facit id quod debet: ergo nec iste: sed magna pœna est irregularitas: ergo iste non efficitur irregularis.

2 Item, Iste non agit, sed potius patitur: passiones autem non merentur puniri: ergo iste non debet puniri irregularitate.

Sed contra. IN CONTRARIVM est, quòd irregularitates non contrahuntur sæpè nisi solo facto præter voluntatem & peccatum: cum igitur ille non misceatur adulteræ sicut vnicus vnicæ, videtur, quòd ipse bigamus reputandus sit & irregularis.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum ad primum, quòd illi quatuor modi prædicationem bigamiæ per prius & posterius recipiunt: quia primus dicitur propriè: quia in illo sacramentaliter nec vnicus est, nec vnius vxoris. Alij autem dicuntur per accessum aliquem ad istum modum, secundum quòd potest priuari vnicus & vnius. Aut igitur priuatur per similitudinem sacramenti, aut sine similitudine. Si cum similitudine: aut cum successione, aut sine successione. Si sine successione, est casus secundus: & iste imitatur Lamech. Si cum successione, est casus tertius: & iste imitatur secundas nuptias, licet existentiam non habeat, nisi sicut id quod de facto imitatur id quod est de iure, vt saltem formam honestatis seruet coram Ecclesia. Si autem est sine similitudine sacramenti matrimonij quod est inter duas successiuè in primis & secundis nuptiis: tunc est quartus casus: & hoc modo particularia iuris ad vniuersalia reducuntur.

DICENDVM ergo ad primum, quòd sicut Christo non fuit nisi vnica natura vnita humanæ, & vnione vnica non iterata: ita oportet esse, quod sit in signo: vnde cum in tali ipse diuidatur in plures & pluribus vnionibus, patet quòd non saluatur sacramentum. Et cum dicitur, quòd nunquam est nisi vnum sacramentum, dicendum quòd verum est hoc actu, sed tamen successiuè sunt duo: sicut nunquam est nisi vna hora diei, & tamen successiuè sunt multæ.

AD ALIVD dicendum, quòd nunquam plures vxores fuerunt vnius secundum perfectum statum matrimonij: sed ex dispensatione diuina licuit quandoque iungi pluribus: & inter illos nunquam saluabatur sacramentum, sicut nec hodiè saluatur in bigamis.

AD TERTIVM dicendum, quòd iste nunquam est nisi vnius actu: sed tamen diuisus est in plures, quia diuisio manet in ipso, etiam vxore mortua, vt patet ex præhabitis. Hoc autem quod adducitur in contrarium, est concedendum.

AD ID quod obiicitur ad vlteriorem casum qui sumitur iuxta istum, dicendum quòd hodie non tenet hoc quod dicitur in litera, & est abrogatum per decretalem Innocentij quæ adducta est in contrarium. *Ad quæstiunculam.*

AD

AD ID quod obiicitur de secundo casu, dicendum quòd ille bigamus reputatur: quia quantum in se est, operatus est ad hoc quod sit bigamus, & se diuisit in plures. Ad obiectũ contra, dicendum quòd non oportet, quòd in qualibet bigamia sit sacramenti iteratio: sed oportet, quòd ibi sit vnio aliqua non vnius cum vnica: & ita est hic, quia vnitur primo cum vna, & ipse posteà quantum in se est, vnitur cum alia: & ideo signum non saluatur.

AD ALIVD dicendum, quòd nulla indiuiduitas significatur in adhæsione meretricis, & ideo ex coniunctione ad illas vt ad meretrices non contrahitur bigamia: sed in his quibus de facto vel de iure contrahitur indiuiduitas, est signum: quæ cum deficit sacramenti forma, violatur: & ideo bigamia incurritur. Obiectum autem in contrarium est concedendum.

Ad quæstiunculam 2.

AD ID quod quæritur de casu iuxta hunc casum inducto: dicendum quòd ille meo iudicio non est bigamus, quia non est bigamus, nisi quando consumato matrimonio de iure vel de facto carnem suam diuidit, vt patet ex decretali Innocentij supra inducta. Ad obiectum contra, dicendum quòd non sunt ibi diuersæ vniones carnales: mentaliter autem solum vnio diuersa bigamiam non inducit.

AD ALIVD dicendum, quòd ipse vnicus est vt vnicæ, licet non vnicæ, quia non est sua: & ideo non est vnica sua: sed tamen quantum ad formam exteriorem est vt vnica sua: & ideo non est bigamus.

AD TERTIVM dicendum, quòd sicut Augustinus dicit super epistolam ad Titum, de sacramento hic agitur, non de peccato. Vnde licet cum peccato adhæreat illi cum qua contraxit de facto, dimissa illa cum qua de iure contraxit: tamen si redit, & cognoscit primam carnaliter, erit caro sua actualiter diuisa, & tunc erit bigamus.

AD ID quod quæritur de tertio casu, dicendum quòd ille talis, vt probat decretalis in contrarium inducta, bigamus reputatur. Ad obiectum contra, dicendum quòd peccatum maius non facit bigamiam: quandoque enim sine omni peccato contrahitur bigamia: & ideo licet ille qui plures cognoscit fornicariè, non efficiatur bigamus: tamen iste bigamus efficitur in quo est sacramenti forma, & non est vnici ad vnicam.

AD ALIVD dicendum, quòd talis non efficitur bigamus: & non est simile ad propositum, vt patet ex prædictis.

AD ID quod quæritur de quarto casu, dicendum quòd ille contrahit irregularitatem vt bigamus, & habet quendam modum bigamiæ. Ad id autem quod contra obiectum est, dico sine præiudicio, quòd ille non diuiditur nisi in vnam: & sacramentum benè manet quantum ad hoc, quòd ipse est vnicus: sed violatur quantum ad hoc, quòd non est vnius siue vnicæ, quia mulier cum qua contrahit, diuisa est, & sic discordat à natura desponsata in Christo: & ideo est irregularis.

AD ALIVD dicendum, quòd bigamia non est iniquitas, sed pœna: & ad hoc quod obiicitur, quòd est præter culpam: ergo non est iusta, &c. dicendum, quòd pœna directè non infligitur nisi pro culpa facta in se vel in pluribus. Hæc autem pœna infligitur indirectè, & magis consequitur quoddam aliud, quam infligatur: sequitur enim defectum sacramenti: & hoc bene potest iustè contingere. Sed si ex sententia iudicis infligeretur, tunc non esset iusta, nisi causaretur ex culpa. Ea autem quæ in contrarium adducuntur, sunt concedenda.

Ad quæstiunculam 3.

AD ID quod vlterius quæritur de illo qui contrahit cum illa quam ante defloruit ipse, dicendum, quòd ad vtramque partem sunt opiniones: sed tamen videtur esse dicendum, quòd non sit bigamus, propter ea quæ in contrarium inducuntur. Ad id autem quod primo obiicitur, dicendum, quòd ipse carnali concubitu non diuiditur nisi in vnam: quia etiam per concubitum qui fuit ante copulam matrimonij, illa non est facta alterius, & ideo non diuisa: sed & ante & modo est vnica sua & vnius sui: & hæc est ratio iuris dicentis non esse bigamum talem: non enim efficitur quis non vnicus, nisi per hoc quòd non est vnicæ: nec aliqua efficitur non vnica, nisi per hoc quòd est non vnius.

AD IVRA autem quæ allegantur in contrarium, dicendum quòd loquuntur de his quæ corrumpuntur ab aliis, & non ab illis eisdem qui podeà contrahunt cum eis.

Ad quæstiunculam 4.

AD ID quod vlterius quæritur de illo qui contrahit cum ea quam credit virginem, & inuenit corruptam: dicendum, quòd ipse est bigamus.

AD DVO autem obiecta quæ obiiciuntur in contrarium, dicendum quòd bene sequeretur si de peccato ageretur: sed hic non agitur nisi de sacramento. Ratio autem quare hic est bigamus hæc est, quia sua non est vnica, vt patet ex antedictis. Hoc autem quod in contrarium adducitur, est concedendum.

AD ID quod vlterius quæritur de illo qui contrahit cum virgine, quæ cum adulterium cognoscitur perpetrasse, eam ignoranter cognoscit: dicendum quòd sicut probatur per canones inductos, ipse est bigamus. Ad id autem quod primo obiicitur, dicendum quòd sua non est vnica: & ideo falsum supponitur in obiectione. Vnde obiectio facta in contrarium soluit primam obiectionem.

Ad quæstiunculam 5.

AD ID quod quæritur vltimo de illo qui cognoscit eam quam accusat, antequam probetur adulterium, ad petitionem vxoris: dicendum quòd ad vtramque partem sunt opiniones, & illarum rationes innuuntur in obiiciendo: videtur tamen dictis Sanctorum consentaneum, quòd ipse sit bigamus reputandus. Ad id autem quod obiicitur in contrarium, dicendum quòd non est pœna directè inflicta, sed potius consequens sacramenti defectum: & hoc frequenter innascitur alicui sine peccato.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc benè excusat peccatum & præiudicium quod sibi generaretur in eam quam accusat modo: sed hic de sacramento quæritur: & quia illud deficit, puto quòd bigamus est reputandus. Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICVLVS XXI.

An bigamiæ adiungatur irregularitas?

TErtio quæritur, Qua ratione bigamiæ irregularitas adiungitur? Aut enim hoc fit ratione concupiſcentiæ, aut ratione peccati. Non ratione concupiſcentiæ: quia in fornicatione cum pluribus maius eſt ſignum concupiſcentiæ:& tamen non adiugitur ei irregularitas.

2 Item in ſodomia & mollitie feruet concupiſcentia contra gratiam & rationem & naturam: in fornicatione autem contra gratiam, & non contra naturam, nec contra rationem: ſed in bigamia aliqua nec contra gratiam, nec contra rationem, nec contra naturam:cum igitur ſodomiæ non adiungitur irregularitas, videtur quòd nec bigamiæ debeat adiungi. Si autem eſt ratione peccati:adhuc videtur,quòd fornicationi potius debeat adiungi:& non fit: ergo nec bigamiæ,vt videtur.

3 Item vt dicit Greg. peccata ſpiritualia maioris ſunt culpæ, quam carnalia, licet minoris ſint infamiæ:& illis non adiungitur irregularitas:ergo nec iſti.

Quæſtiũcula. VLTERIVS quæritur hîc de controuerſia quæ eſt inter Hieronymum, & Auguſt. & ponitur in Gloſſ. 1. Tit. 4. Dicit enim Hier. quòd ſiquis ante baptiſmum plures habuit, ſiue vnã ante baptiſmum, & aliam poſt, non ſit bigamus. Auguſt. autem dicit totum contrarium, quòd ſiue ante, ſiue poſt habuit, bigamus debet reputari. Videtur autem obiici pro Hieron. ſic, Quicquid ſordidum eſt, deletur in baptiſmo:ſed bigamia eſt aliquid ſordidum: ergo & deletur in baptiſmo: ergo videtur, quòd poſt baptiſmum non debeat bigamus reputari.

2 Item, Quod facit quod maius eſt, videtur etiam poſſe facere quod minus eſt:ſed maius eſt expellere omne peccatum, quam purgare bigamiam, & primum facit baptiſmus: ergo & ſecundum.

3 Item, In baptiſmate configuratur homo Trinitati increatæ, vt ſupra notatum eſt in quæſtione de baptiſmo: ergo videtur, quòd quicquid deformat configurationem illam, totum tollitur:ſed bigamia deformat:ergo tollitur,vt videtur.

4 Item videtur, quòd etiam bigamia manens non impedit:quia dicit Auguſt. ſuper epiſtolam ad Titum & ponitur in decr. diſt. 21. Vnius vxoris vir Epiſcopus ſignat ex omnibus gentibus vnitatem vni viro ſubditam: conſtat autem, quòd in collatione omnium gentium multæ ſunt diuiſiones:ergo melius ſignificatur per diuiſum, quam per vnicum: ſed bigamia diuidit:ergo melius ſignificatur per bigamum, quam per non bigamum.

5 Item, In Eccleſia quæ ſecundum prius habita verba per Epiſcopum ſignificatur ſiue per ſacerdotem, perfectio eſt actiuæ & contemplatiuæ vitæ, quæ in duabus vxoribus Iacob, ſcilicet Lia & Rachel ſignificantur: & non poſſunt in vna ſignificari; ergo videtur, quòd perfectio Eccleſiæ melius ſignificatur per bigamum,quam per non bigamum:ad minus igitur poſt baptiſmum videtur, quòd poſſit ordinari bigamus, vt dicit Hieron.

IN CONTRARIVM huius eſt, quod dicit Auguſt. ad Titum 2. in Gloſſa & diſt. 26. ſic, Acutius intelligunt, qui nec eum qui cathecumenus vel paganus habuit adulteram, ordinandum eſſe cenſuerunt: quia de ſacramento agitur,non de peccato propter ſanctitatem ſacramenti:ſicut ſi fœmina cathecumena vitiata eſt, non poteſt poſt baptiſma inter Dei virgines conſecrari:ita non abſurde viſum eſt bigamum non peccaſſe, ſed normam ſacramenti amiſiſſe,non ad vitæ meritum, ſed ad ordinationis ſignaculum. *Sed contra.*

2 Ad idem ibidem Ambroſ. Vna tantum nec repetita nobis copula permittitur: & in ipſo coniugio lex eſt non iterare coniugium, nec ſecundæ coniugis ſortiri coniunctionem: quod pleriſque mirum videtur, cum etiam ante baptiſma iterata coniugia electioni muneris & prærogatiuæ ordinationis impedimenta generent:cum etiam delicta obeſſe non ſoleant, ſi lauachri remiſſa fuerint ſacramenta. Sed intelligere debemus, quòd in baptiſmo culpa remitti poteſt, lex coniugij aboleri non poteſt:in coniugio non culpa,ſed lex eſt. Quod culpæ eſt igitur, in baptiſmo relaxatur: quod legis eſt, in coniugio non ſoluitur. Quomodo autem poteſt eſſe hortator viduitatis, qui & ipſe coniugia frequentauerit?

3 Ad idem infra,Bigamus vero in ſacerdotem promoueri non debet: non quia deliquerit ſecundam accipiendo vxorem, ſed quia prærogatiua exutus eſt ſacerdotis.

REPONSIO, quòd plures ſunt cauſæ quare bigamiæ adiuncta eſt irregularitas. Vna tamen eſt vera, & cauſa aliarum, ſcilicet quia deficit in eo ſacramentum, id eſt, ſignum indiuiduæ coniunctionis vnici ad vnicam:& hoc ſatis habitum eſt in præcedentibus & explanatum. Hoc autem trahitur ex decreto Auguſt. inducto, Acutius:& ex decreto Ambroſij,Vna tantum:& ex decretali ſupra inducta de bigamis, Debitum. Aliæ autem ſecundariæ cauſæ ad hoc aſſignantur, quarum vna eſt propter irregularitatem adiunctam: ſed illa cauſatur ab iſta:& hic non eſt ad propoſitum, quia hoc eſt in quæſtione quare ſit. Tamen quidam aſſignant hoc pro cauſa, ſicut Iuriſperiti, non ſatis aduertentes in ſolutione ſua petitum eſſe principium. Vnde pro alia cauſa aſſignatur ſignum incontinentiæ:quia nec refrigerata in eo concupiſcentia per primam ceſſauit vxorem, ſed exarſit in ſecundam. Et hoc trahitur ex verbis Ambroſij inductis in fine capituli, vbi dicit: Quomodo poteſt eſſe hortator viduitatis, qui nuptias frequentauerit? Alia cauſa eſt excellentia ordinum, quòd ad tam excellentem gradum, ſcilicet vt ſit in gradu miniſtri Chriſti, non decet admittere eos qui diuiſi ſunt, & cogitare coguntur quæ ſunt vxoris, & quomodo placeant vxori. Et hoc etiam trahitur ex verbis beati Ambroſij, &c. Medium auctoritatis inductæ trahitur etiam ex verbis Apoſtoli 1. Corinth. 9. vbi de ſacerdote dicit,quòd omnis qui in agone contendit, ab omnibus ſe abſtinet, *Solutio.*

abstinet, &c. Alia causa potest esse: quia licet coitus matrimonialis non sit peccatum, habet tamen concupiscentiæ immunditiam adiunctam: sed in officio ordinis maxima est munditia & congruitas: ergo munditiæ maximæ & immunditiæ iteratæ cum secunda, causa est quòd prohibetur promoueri. Et hoc trahitur de hoc quòd habetur Isa. 52. Mundamini qui fertis vasa Domini. Et Exod. 19. præcepit Moyses, quòd non appropinquarent vxoribus, qui Deum videre voluerunt. Et 1. Reg. 21. vbi Abimelech sacerdos quæsiuit à Dauid cum daret ei edere panes propositionis: si mundi sunt pueri à mulieribus. Alia iterum potest esse causa: quia exercitium spiritualium officiorum & præcipuè psalmorum, gratiam dat prophetiæ, vt dicit Greg. ad illuminationem intellectus: sed exagitatio concupiscentiæ impedit: & ideo cum exagitatio concupiscentiæ denotetur in bigamo, prohibetur ne ordinetur ad diuina officia. Alia iterum & melior omnibus aliis trahitur ex verbis in Ecclesiastica hierarchia Dionysij, in theoria sanctæ synaxeos, id est, communionis: vbi dicit, quòd sacerdos est procedens in populum, & rediens ad sanctum altare, sicut Deus procedit in omnem creaturam, & redit in seipsum, non detentus, nec pollutus aliquo. Et ideo sacerdoti prohibetur signum incontinentiæ quod signat detentionem cordis eius in eis quos sanctificare habet & redire in se per contemplationem diuinorum: & si signum affectatæ & perseuerantis concupiscentiæ inueniatur in eo, irregularis reputatur. Aliæ etiam plurimæ huius causæ possunt inueniri: sed istæ sufficiunt ad præsens. Dicatur ergo ad primum, quòd hoc principaliter fit ratione sacramenti, scilicet signi violati, & secundariò propter signum infirmitatis incontinentiæ adhærentis sibi ex longo tempore, quod instigat vt contrahat cum secunda.

Ad obiectum contra, dicendum quòd in fornicatione & sodomia non est violatio sacramenti: & licet significetur ibi maior feruor incontinentiæ, non tamen ita adhærens de vna in aliam se ligans propter continentiæ infirmitatem.

Ad alivd patet solutio per idem.

Ad alivd patet solutio per ante dicta: quia non est propter peccatum, sed propter causam dictam.

Ad id quod vlterius quæritur de dictis Hieronym. dicendum quòd in hoc Hieronymo contradicitur. Siquis autem eum saluare velit, dicendum quod ipse loquitur quoad faciliorem dispensationem cum illo faciendam, quam cum alio: præcipuè si ignorans fuerit, quòd talis esset adiuncta irregularitas. Ad id quod pro hoc obiicitur, dicendum quòd irregularitas non est aliquid sordium: quia est pœna, non pœna sensus, sed damni: est enim defectus quidam consequens ex violatione sacramenti indiuiduitatis matrimonij, vt patet ex habitis: & ideo non oportet, quòd soluatur in baptismo: quia baptismus contra huiusmodi pœnas non ordinatur.

Ad alivd dicendum, quòd illa propositio generaliter intellecta falsa est, nisi magis & minus sint eiusdem generis: sicut expugnatio centum hominum & vnius, & comedere centum vuas & vnam, & huiusmodi: non enim oportet hæc ita se habere quando non sunt eiusdem generis: quia tunc etiam non habent propriè dictam comparationem: non enim maius est propriè vincere decem homines, quam comedere bucellam panis. Et simile est hic: quia expellere peccatum & expellere pœnam non sunt eiusdem potestatis, nec eiusdem generis: & ideo etiâ non proprie vnũ dicitur maius quam alterum: nec oportet si baptismus faciat vnũ, quòd etiam faciat reliquũ.

Ad alivd dicendum, quòd homo configuratur Deo in baptismate, secundum quod ipse est trinus & vnus in se, sed non secundum quod ipse sibi nostram vniuit naturam: & talis configuratio exigitur in eo qui non est irregularis. Vnde nihil est ad propositum quod inducitur.

Ad alivd dicendum, quòd illa obiectio procedit secundum falsum intellectum literæ: quia quidam decretistæ ita exposuerunt. Verus autem sensus est iste, quòd factum cõparatur ad factum: sic quòd vnitas Ecclesiæ collectæ habet relationem ad Christum, sicut vnica ad vnicum virum qui est Episcopus, quando matrimoniatus Episcopus efficitur: & tunc non valet obiectio nisi ex parte vxoris facta: & tunc dicendum, quòd licet in Ecclesia modo multæ sint varietates personarum & operum, & multæ impuritates admixtæ: tamen signum Ecclesiæ non debet esse impuritatis, sed perfectionis quæ erit in futuro, quando tota vnita erit Ecclesia non habens maculam neque rugam, sicut dicitur Ephes. 5. Contingit autem illa expositio quibusdam decretistis: quia nesciunt soluere vnam obiectionem quam faciunt, hanc scilicet, fœmina si corrumpitur per fornicarium concubitum, vel etiam violenter, vt videtur velle Leo Papa, non potest inter sacras virgines consecrari: cum igitur maioris perfectionis debeat esse Episcopus, quam velata fœmina, videtur quòd etiam Episcopus non debeat ordinari qui est fornicatus. Ad soluendam illam obiectionem dicunt, quòd velata significat Ecclesiam triumphentem in qua est omnimoda puritas: & ideo oportet eam esse omnino puram. Sed Episcopus militantem significat, in qua sunt multæ impuritates: & ideo Episcopus potest esse impurus, dummodo non sit bigamus: vnde dicitur Matth. 13. Simile est regnum cælorum sagenæ missæ in mari, & ex omni genere piscium congreganti, quam cum impleta esset, educentes & secus litus sedentes, elegerunt bonos in vasa sua, malos autem foras miserunt. Sed vt mihi videtur, tantum valet solutio eorum, quantum & obiectio: quia dicendum videtur, quòd idem significatur diuersis modis: vnde virgo velata significat Ecclesiam in custodia amoris & conformitate mentium: & illius est nullum præter eum amatorem admittere vel admisisse: quia aliter non dicitur inter virgines, sed post virgines proximæ: sicut dicit Augustin. in Glossa super illud Psalm. 44. Offerentur regi virgines. Sed Episcopus sponsam significat purgantem & illuminantem & perficientem

perficientem ſponſam ſibi vnitam, vt dicit Dionyſius in eccleſiaſtica hierarchia: & quia typum non eſt neceſſe in omnibus implere prototypum, ideo vt dicit Apoſtolus Hebr. 5. Et ipſe poteſt eſſe circundatus infirmitate: & ideo poteſt habere multas imperfectiones, dummodo non habeat illam quæ tollit ſacramentum: ſicut & velata poteſt habere multas imperfectiones inuidiæ, gulæ, & huiuſmodi, dummodo careat illa quæ aufert ſignum coniunctionis in caſto amore. Sed ſecundum eos ſi virgo debet omnino eſſe pura, eò quod ſignificat triumphantem, non debet tunc velari inuidia maculata, vel ſuperbia, vel ira, vel auaritia, vel gula: quoniam nihil horum eſt in Eccleſia triumphante, ſicut nec fornicatio.

AD ALIVD dicendum, quòd Lia & Rachel concordant in integritate puritatis: & ideo licet fuerint duæ mulieres, non tamen quantum ad hoc ſignificant duos actus Eccleſiæ, ſed potius ſecundum quod in communi ex integro ædificabant domum Iacob, ſcilicet agendo & contemplando: & licet ſit diſſimilitudo in typo quoad aliquid, non oportet quòd ab illo ſimilitudo ſumatur: quia non in omnibus oportet eſſe ſimile, quia ſic non eſſet ſimile, ſed idem eſſet: & ideo hic vxorem vnam decet eſſe operantem, & contemplantem, & non carere ſacramento vnitatis. Et per hoc patet ſolutio ad totum.

ARTICVLVS XXII.

An bigamia admittat diſpenſationem?

QVarto quæritur, Vtrum bigamia admittat diſpenſationem? Videtur autem, quòd non: quia Apoſtolus dicit, quòd oportet Epiſcopum non eſſe bigamum: ſed in his quæ oportet non eſſe, non admittitur diſpenſatio quæ ipſa eſſe faciat: ergo videtur, quòd in bigamia non admittatur diſpenſatio.

2 Ad idem, Extra. de bigamis non or. & infra, Nos autem in hac quæſtione taliter reſpondemus, quòd cum huiuſmodi clericis qui quantum in ipſis fuit, ſecundas mulieres ſibi matrimonialiter coniunxerunt, tanquam cum bigamis non liceat diſpenſari.

3 Ad idem obiicitur per rationem: facta enim Eccleſiæ debent eſſe rationabilia; ſed irrationabile factum eſt, quod non habet conuenientiam cum eo quod ſignificat: ergo tale non debet eſſe factum Eccleſiæ: ſed ſi bigamus ordinaretur, careret conuenientia: ergo videtur, quòd non ſit diſpenſandum cum eis.

4 Item, Dionyſius dicit in Eccleſiaſtica hierarchia, quòd in omnibus theletis Eccleſiæ inuiſibilia theoremata conſiderantur. Ergo & in hoc quòd eſt Epiſcopum vel ſacerdotem ordinari: dicit autem Dionyſius in eccl. hier. cap. 1. quòd inuiſibilia ſunt principia & ſcientiæ viſibilium: ergo ſi inuiſibilia ſunt vnica & indiuidua, oportet quòd etiam ipſa viſibilia ſint huiuſmodi, vel non erunt principiata ab illis: ſed ſi diſpenſetur cum bigamo, erit indiuiduum principium diuiſi & ſcientia: ergo videtur, quòd ritus Eccleſiæ euacuetur: ſed quia hoc eſt impoſſibile: ergo non poteſt diſpenſari cum talibus.

IN CONTRARIVM huius eſt quod legitur 34. vbi dicit Martinus Papa, Lector ſi viduam alterius vxorem acceperit, in lectoratu permaneat: aut ſi neceſſitas fuerit, ſubdiaconus fiat: nihil autem ſupra ſi bigamus fuerit. Ergo ad minus ad minorem ordinem ſacrum ſuſcipiendum poteſt fieri diſpenſatio. *Sed contra.*

2 Item communiter dicitur, quòd Lucius Papa diſpenſauit cum Panormitano Epiſcopo qui fuit bigamus: ergo videtur, quòd poteſt diſpenſari.

3 Item 2. Corinth. 2. Cui aliquid donaſtis, & ego. Nam & ego quod donaui, ſiquid donaui, propter vos, in perſona Chriſti. Gloſſa dicit: Ac ſi Chriſtus donaret. Sed conſtat, quòd ſi Chriſtus diſpenſaret cum bigamo, diſpenſatum eſſet: cum igitur Apoſtolica auctoritas ſit in terris, poteſt adhuc diſpenſari per eos qui habent auctoritatem Apoſtolorum.

SED TVNC vlterius quæritur, Per quem poſſet diſpenſari, Vtrum per Epiſcopum ſuum, vel tantum per Dominum Papam? Et videtur, quòd per Epiſcopum: quia illud decretum Martini Papæ ſupra inductum, non poteſt intelligi de Papa: quia par in parem non habet poteſtatem: ergo intelligitur de inferiori, ſcilicet de Epiſcopo dioceſano: ergo ille in neceſſitate poteſt diſpenſare. *Quæſtiuncula.*

2 Item extra, Qui clerici vel vouentes matrimonium contrahere poſſunt: vbi Alexand. tertius ſic ſcribit Remenſi Archiepiſcopo, De diacono, qui in ſabbato ſancto alium diaconum vulnerauit, & vxorem accepit. Taliter reſpondemus, quòd ſi contrito & humiliato corde ad Eccleſiam redire voluerit, dimiſſa illa quam accepit in vxorem, & abſolutione obtenta, iniunctaque ſibi pœnitentia de vtroque exceſſu, poſt eam peractam, diſpenſatiuè poteris ei diaconatus officium reddere: & ſi perfectæ vitæ & bonæ conuerſationis fuerit, eum in preſbyterum ordinare. Subdiaconum autem ſiue hominem interfecerit ſiue non, matrimonium non poſſe contrahere ſacrorum canonum cenſura demonſtrat. Ex hoc accipitur, quòd Epiſcopus & poteſt diſpenſare & reddere executionem ordinis prius ſuſcepti, & ad vlteriorem ordinem ſuſcipiendum diſpenſare.

3 Item ibidem Alexand. ſic dicit, Ex literarum tuarum tenore accepimus, quòd lator præſentium in ſubdiaconatus officio conſtitutus, quandam ſibi in coniugium copulauit, quam eundem abiurare feciſti. Super quo prudentiam tuam in Domino commendamus mandantes, quod ſi ad monaſticum ordinem tranſire voluerit, & tibi poſt laudabilem ipſius conuerſationem viſum fuerit, eum ad maiores ordines promoueri concedas. Quod ſi ad religionem ſe transferre noluerit, eum neque in ſubdiaconatu miniſtrare, neque ad vlteriores permittas ordines promoueri.

RESPONSIO. Dicendum, quòd cum bigamo poterit diſpenſari: & ſine præiudicio dico, quòd per Epiſcopum poteſt diſpenſari ad minores ordines ſi neceſſe fuerit, hoc eſt, *Solutio.*

vſque

vsque ad subdiaconatum, & quod ministret in susceptis: & sic intelligitur decretum Martin. Papæ supra inductum. Vel si bigamus intrat religionem propter fauorem religionis & laudem conuersationis & discursum vitandum, potest etiam Episcopus dispensare ad maiores ordines suscipiendos. Et in tali casu loquuntur duæ vltimæ decretales Alexand. inductæ. Si autem in seculo maneat, ad minores ordines suscipiendos dispensare non potest nisi solus Papa. Ex hoc patet solutio ad omnia inducta præter rationes quæ sunt inductæ.

Ad primam illarum dicendum, quòd Papa in illa decretali restringit potestatem Episcopis, non sibi.

Ad alivd dicendum, quòd Ecclesiæ factum semper est rationabile: sed ratio variatur secundum statum, quia aliter ratiocinatur pro necessitate, & aliter quando abundant ministri: & ideo cum minori signo accipit ministros tempore necessitatis, dummodo sit idoneitas ex parte vitæ.

Ad alivd dicendum, quòd illa congruitas est de bene esse ordinis, & trahit vim ab institutione Ecclesiæ, & non de esse: & ideo etiam ab Ecclesia cum talibus potest dispensari.

Ad alivd dicendum, quòd beatus Dionysius loquitur de theoriis theletarum secundum summum & optimum statum: vnde multa ponit quæ sunt de bene esse, & non de esse: & ideo in talibus dispensare potest vicarius Christi in Ecclesia. Et sic patet solutio ad omnia quæsita de bigamia.

DISTINCTIO XXVIII.

Si consensus de futuro cum iuramento faciat coniugium.

A *Inquirit qualiser sit ille cõsensus qui est efficiens matrimonij causa, ostendens quòd non debet esse defectiuus ex aliquo exterior.*

Hic quæri debet, Vtrum consensus de futuro, addito etiam iuramento, coniugium efficiat? vt siquis promittat, vel etiam iuret aliqui se vsque ad tempus placitum illam ducturum, & illa promittat vel iuret se illi nupturam: nunquid talis sponsio eos coniuges facit? Si mutato proposito alter vel vterque ad alienam copulam transit, nunquid ob priorem sponsionem iuramento subnixam, secundæ fœderationis pactum scindetur? Considera quia longè aliud est promittere, & aliud facere. Qui promittit, nondum facit. Qui ergo promisit se in vxorem ducturum aliquam, nondum eam duxit vxorem: & quæ spopondit se nupturam, nondum nupsit. Quomodo ergo coniuges appellari possunt, qui nondum contrahunt, sed in futuro se contracturos iurando promittunt? Item, Si ex vi iuramenti ad futurum pertinentis mox efficiuntur coniuges: cur iurant in futuro se facturos quod in præsenti efficiunt? Item, Si ex quo iurant, mox efficiuntur coniuges, tunc rem hanc efficiunt, quam iurant se facturos. Ideo dico, quia coniugium tunc non fuit, sed futurum promittitur. Si vero ille post vxorem duxit, & illa marito nupsit, coniugium vtrimque fuit, & non potest dissolui. Præcedens ergo mendacium vel periurium, pœnitentia est corrigendum, sed coniugium sequens non est dissoluendum. Non autem sic est, quando iuramentum coniugij præsentis consensus attestatione firmatur, quia post talem consensum siquis alij se copulauerit, etiamsi prolem procreauerit, & irritum debet fieri, & ipse ad priorem copulam reuocari.

DIVISIO TEXTVS.

HIc quæri debet, Vtrum conſenſus de futuro,&c.] Habito de conſenſu qui facit matrimonium, hîc agit de conſenſu confirmato, vtrum perficiat matrimonium ſi ſit de futuro. Diuiditur autem diſtinctio hæc in duas partes: & in prima agit de quæſtione iſta, vtrum conſenſus de futuro faciat matrimonium? In ſecunda agit de qua re ſit conſenſus. In prima quæſtione tangit primo veritatem. Secundo obiicitur in contrarium *ibi* [Præmiſſæ autem ſententiæ.

ARTICVLVS I.

An iuramentum cum ſponſalibus faciat matrimonium?

INcidit autem hîc quæſtio circa principale quæſitum: & quæruntur tria. Primum eſt, Vtrum iuramentum cum ſponſalibus faciat matrimonium? Secundum, Si non faciunt matrimonium, vtrum ſponſalia & iuramentum de futuro cum concubitu ſubſecuto faciant matrimonium? Tertium, Si non faciunt aliquando, quæ pœnitentia ſit iniungenda ei qui decipit?

Ad primum obiicitur ſic: Si duo ſint ordinata ad idem faciendum, ſi debilius ipſum poteſt efficere, tunc etiam fortius ipſum poteſt efficere: ſed ſimplex verbum & iuramentum ordinatur ad obligationem matrimonij faciendam, & ſimplex verbum debilius eſt, quam iuramentum: cum igitur ſimplex verbum efficiat matrimonium, iuramentum multo magis faciet ipſum: ergo videtur, quòd iuramentum cum verbo de futuro faciat matrimonium.

2 Item, Maior eſt Deus homine: ſed in iuramento operatur veritas diuina, in ſimplici verbo veritas humana tantum; ergo iuramentum potius poteſt quam ſimplex verbum: ergo iuramentum de futuro facit matrimonium.

2 Si forte dicas, quòd hoc eſt verum de iuramento de præſenti. Contra: Quod præſens eſt, ſub oculis eſt: ergo hoc non oportet iurare: cum igitur faciat matrimonium, de futuro erit: & ſic procedunt rationes præhabitæ. Conſtat autem, quòd ſimplex promiſſio de futuro facit ſponſalia: cum ergo iuramentum maioris ſit obligationis, aliquid addit iuramentum vltra hoc quam faciunt promiſſiones ſimplices: ſed nihil eſt quod adiici poſſit ſponſalibus, niſi matrimonium, quia nihil eſt medium inter ſponſalia & matrimonium: ergo videtur, quòd iuramentum adiiciat ipſum matrimonium, & facit matrimonium.

4 Item Matthæi 5. Reddes autem Domino iuramenta tua: & hoc eſt in lege diuina: ergo eſt omnibus modis obſeruandum: & ſiquis veniat in contrarium, reuocandum eſt in irritum: ergo ſiquis iurat alicui ſe eam ducturum in matrimonium, & eam non ducat, ſed ducat aliam, ſequens reuocandum eſt in irritum: ergo iuramentum dirimit matrimonium contractum, non ideo niſi quia prius fecit matrimonium: ergo iuramentum cum ſponſione futuri facit matrimonium.

3 Item, Iuramentum quod in deteriorem non vergit exitum, vt dicit Beda, ſeruandum eſt: ſed iſtud iuramentum eſt licitum, & non vergit in exitum mali: ergo omnino ſeruandum eſt: ergo ſi etiam poſteà contrahit cum alia per verba de præſenti, videtur quòd debet redire ad primam.

6 Item, Maior eſt obligatio diuina, quam humana: ſed in humana obligatione ſi me obligarem vni, non poſſem me obligage alteri in præiudicium prioris: ergo multo magis hoc eſt in diuina: ergo videtur, quòd ſi etiam poſteà ſe obliget alteri per verba de præſenti, redeundum ſit ei ad primam.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius ponit Magiſter in litera tres rationes. Vna eſt: quia quod in futuro promittitur, nondum agitur: ſed nuptiæ in futurum cum iuramento promittuntur: ergo nondum aguntur: ſed res fit, quando agitur per cauſam efficientem: ergo nuptiæ nondum fuerunt per cauſam efficientem: ergo ſponſio cum iuramento non eſt cauſa efficiens matrimonij.

2 Item, Si ex vi iuramenti mox efficiuntur coniuges, non oportet aliquid addere in futurum illi matrimonio: ſed quando nihil agendum eſt in futurum, fruſtrà iuratur aliquid faciendum in futuro: ergo tale iuramentum quod facit matrimonium, fruſtrà iuratur, quod eſt inconueniens: ergo & illud eſt falſum ex quo ſequitur, ſcilicet iuramentum de futuro facere matrimonium.

3 Item, Si iuramentum facit matrimonium: ergo effectum eſt quod iurant ſe facturos: ſed quod iurant ſe facturos, adhuc reſtat faciendum: ergo iam effectum eſt quod adhuc reſtat faciendum, quod eſt impoſſibile.

Solutio. IDEO dicendum eſt cum Magiſtro, quòd iuramentum cum ſponſione de futuro non facit matrimonium.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd prima vera eſt: ſed ſecunda habet calumniam, eò quod ſponſio ſimplex abſolutè non facit matrimonium, ſed ſponſio ſimplex de præſenti: & benè verum eſt, quòd ſi iuramentum etiam fiat de præſenti, fortius obligabit: ſed ſponſio ſimplex de futuro & iuramentum non ſunt ordinata ad matrimonium faciendum, ſed ſponſalia ſolum: & ibi iterum iuramentum fortiorem facit obligationem.

AD ALIVD dicendum, quòd ſi eſſet de præſenti, tunc teneret iuramentum.

AD ID quod contra obiicitur, dicendum quòd de eo quod eſt ſub oculis ſecundum quod eſt ſub oculis, non oportet iurare, ſed ſecundum quod non eſt ſub oculis: licet enim vera dicat, dubium tamen eſt vtrum intendat & corde conſentiat, & hoc poteſt confirmari per iuramentum, vt firmior ſit contractus, & hoc modo iuramentum cadit ſuper verba de præſenti. Ad aliud dicendum, quod iuramentum

tum additum sponsioni de futuro, non facit aliquid sed idem magis confirmat: nullum enim iuramentum fit ad hoc quòd aliquid efficiat, quã id quod dicit verbum, licet ad confirmationem est inuentum, sicut dicit Apostolus Hebr.16. Homines per maiorem sui iurant: & omnis controuersiæ finis ad confirmationem est iuramentum.

AD ALIVD dicendum, quòd illa ratio nihil plus probat nisi quòd iuramentum tenendum est quandiu est licitum: & hoc de plano est condendum: sed dicendum, quòd statim quando cum alia contrahit per verba de præsenti, iuramentum efficitur illicitum: & ideo tunc non est seruandum. Et præceptum quod dicit, Reddes Domino, &c. intelligendum est secundum quod possibile & licitum est reddere: & ideo fit hoc, quia matrimonium contractum robur contrahit à sententia diuina qua dixit, Quos Deus coniunxit, homo non separet: omnes enim personæ legitimæ per verba de præsenti contrahentes, coniunguntur à Deo: & ideo iuramentum primum periurium factum est: & ideo iniungenda est pœnitentia de periurio, & matrimonium stat: & hoc modo etiam determinant iura, quod longum esset hîc interponere.

AD ALIVD dicendum, quòd iuramentum primo est licitum, sed posteriori facto illicitum efficitur; quia sententia Domini violaretur, matrimonium enim sequens ex firmitate sententiæ diuinæ roboratum, maius vinculum est quam iuramentum primum: & ideo vinculum iuramenti rumpitur, & debet pœnitentia de periurio susci pi.

AD ALIVD dicendum, quòd in omnibus aliis paribus maior est obligatio diuina, quam humana: sed hîc sunt imparia, quia obligatio diuina est in iuramento de futuro tantum: in matrimonio autem est contractus de præsenti, firmitatem habens à sententia diuina. Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICVLVS II.

An accedente copula carnali sponsio de futuro faciat matrimonium?

SEcundo quæritur, Vtrum accedente copula carnali sponsio de futuro cum iuramento faciat matrimonium? Videtur autem, quòd sic (De hoc planus textus est extra. de spon. & ma. in c. 16. Qui fidem) quia vnunquodque efficitur actu ipsum consummante: sed copula carnalis est actus consummans matrimonium: ergo videtur, quòd in talibus matrimonium efficitur.

2 Item, Sponsio & iuramentum de futuro sunt de copula carnali: ergo veniente copula carnali fit id quod sponsum fuit & iuratum de futuro: hoc autem fuit matrimonij perfectio: ergo accedente copula carnali fit matrimonij perfectio.

3 Item, Aliter copulantur præmittentes pacta sponsalia, & aliter non præmittentes: quia illi seruant fidem quam promiserunt, alij vero non: seruare vero fidem promissam honestatis est matrimonij: ergo videtur, quòd illi copulantur matrimonialiter: sed copulari matrimonialiter non est nisi matrimonij perfectio: ergo videtur, quòd per copulam huiusmodi perficiatur matrimonium.

4 Item, Si in aliis rebus fiat contractus, & posteà soluatur, perficitur quod prius promissum est: ergo similiter se habet in sponsalibus: ergo copula sequens perficit matrimonium prius promissum, vt videtur.

IN CONTRARIVM supra habitum est, quòd solus consensus per verba de præsenti facit matrimonium, qui si defuerit, cætera etiam cum ipso coitu matrimonium efficere non possunt: constat autem, quòd iste consensus hic deficit: ergo videtur, quòd matrimonium non efficiatur. *Sed contra.*

2 Item, Ponamus, quòd aliquis sponsalia contraxerit, & non intendat consummare matrimonium: constat, quòd iste non consentit: sed solus consensus verus vel interpretatus facit matrimonium: ergo ille perficit vel consummat matrimonium.

3 Item, Præter sponsalia non est hîc nisi coitus: sed coitus est fœdus non consummans matrimonium, quia sanctiora sunt coniugia pari voto continentium: ergo per coitum solum non efficiuntur coniugia.

4 Item, Idem non est consequens aliquid & faciens ipsum: sed coitus est consequens matrimonium: ergo non est faciens ipsum, Probatio mediæ: quia prima per se patet. Sicut dicit August. quòd coitus excipitur ab honestate nuptiarum: quicquid autem excipitur ab aliquo dum fit, est consequens id quod excipit ipsum, & sic constat propositum.

IN CONTRRIVM etiam huius est pro solutione, quòd consensus interpretatus non solum expressus facit matrimonium: nullus autem interpretabilior est illo quo post sponsalia carnaliter conueniunt: ergo ille facit matrimonium, & hic est in coitu ipso: ergo matrimonium aut perficit coitus cum sponsalibus, aut perficitur ipso coitu. *Sed contra.*

2 Item, Augustinus dicit, quòd plus est dicere facto, quam verbo: ergo etiam plus est consentire facto, quam verbo: sed in coitu cum sponsalibus præcedentibus consentitur facto: ergo cum consensus per verba expressus facit matrimonium, multo magis facit matrimonium per factum expressus consensus.

RESPONSIO. Ad hoc dicendum videtur, quòd interpretatus consensus est si post sponsalia carnaliter conueniunt, habentes ætatem & habitum corporis ad potentiam coeundi: & puto, quòd facit matrimonium, nisi dissensus matrimonij ab vtroque aut altero exprimatur. *Solutio.*

AD ID autem quod primo obiicitur, dicendum quòd vis est in hoc quod dicit, quòd si defuerit, &c. hic enim non intelligitur deesse nisi protestetur: imo verisimiliter intelligitur adesse: sufficit enim coniectura vehemens iudici, sicut probatur in rhetoricis.

AD ALIVD dicendum, quòd si non intendit & exprimit: tunc planum est, quòd non est matrimonium. Si autem non intendit & non

non exprimit:tunc quoad eum non est matrimonium, & alter excusatur propter ignoratiam facti.

Ad aliud dicendum, quòd propter coitum est consensus interpretatus qui facit facit mntrimonium.

Ad vltimvm dicendum, quòdd coitus in tali matrimonio est natura consequens & tempore concomitans: & hoc sufficit, quia in multis etiam secundum naturam est ita.

ARTICVLVS III.

Quæ pœnitentia venit iniungenda ei qui exprimit verba consensus & non intendit: & ita decipit eum cum quo videtur contrahere?

TErtio quæritur, Quæ pœnitentia debeat iniungi ei qui exprimit verba consensus, & non intendit, & ita decipit eum cum quo contrahere videtur? Videtur autem, quòd nulla nisi vt ex corde contrahat matrimonium: quia non dmittitur peccatum nisi restituatur ablatum, vt supra in tractatu de pœnitentia est habitum: sed iste abstulit illi matrimonium: ergo oportet ipsum restituere. Si dicas, quòd non: quia potest contrahere cum alia. Contra: Ipse fortè defloravit eam, & tunc non adeò bene potest contrahere sicut quando fuit virgo: cum igitur virginitatem restituere non possit, videtur quòd tenetur eam ducere in matrimonium.

2 Item, Dolus nulli debet patrocinari: sed iste commisit dolum: ergo non debet sibi patrocinari: ergo debet condemnari in pœnitentiam, vt stet matrimonium.

Sed contra. In contrarivm huius est quod Dominus Exod. 22. Non condemnat eum qui defloravit virginem determinatè ad hoc vt habeat eam vxorem, sed quod vel habeat eam, vel prouideat ei de nuptiis si libera est. Ergo cum Noui Testamenti minus sit condemnare quam Veteris, videtur quòd nec Nouum debet determinatè condemnare ad hoc quod habeat eam vxorem.

2 Item, Ponamus, quòd ipse post deceptionem primæ secundum veritatem contraxerit cum secunda: videtur tunc, quòd non possit separari à secunda: ergo non semper condemnandus est vt ducat primam quam defloravit.

3 Item, Ex distantia conditionis vel fortunæ facilè innotescit deceptio, sicut si liber promittendo decipiat ancillam, & diues pauperem: facile est enim tunc aduertere, quia non intendit corde quod dicit ore: ergo tunc videtur, quòd non in toto decipitur: quia per exteriora de interioribus coniicere posset, si vellet & concupiscentia cor suum non excæcaret: ergo videtur, quòd in tali casu non sit condemnandus, nisi sicut pro simplici fornicatione & mendacio verbi: neutrum autem illorum condemnatur, quòd vel ducat eam, vel prouideat ei de nuptiis: ergo videtur, quòd dicens verba cum deceptione, non semper tenetur ducere illam vel de nuptiis prouidere.

Responsio. Dicendum sine præiudicio, quod si sit æqualitas vtrarumque personarum & conditione & fortuna, vel & ex parte personæ deceptæ sit melior fortuna, & decipiens non contraxit cum alia: debet deceptori iniungi, quòd ex corde contrahat, vel de nuptiis prouideat, sicut probant primæ obiectiones. Quod si non fecerit, puto quòd peccet mortaliter. Decepta autem in tali coitu excusatur per ignorantiam facti: quia vt suum admisit eum. Si autem sit distantia personarum multa, videtur mihi, quòd ad neutrum tenetur, sicut vltima probat obiectio. Et ex hoc patet solutio ad omnia obiecta. *Solutio.*

Quæ videntur obuiare præmissis.

B PRÆMISSÆ autem sententiæ videtur obuiare illud quod leges tradunt, Siquis tactis diuinis Scripturis iurauerit mulieri se legitimam vxorem habiturum, vel etiam si in oratorio tale sacramentum dederit, sit illi legitima vxor quamuis nulla dos, nulla alia scriptura interposita sit. Sed hic ostenditur quid fieri vel esse debeat, non quid tunc fiat. Non enim per illud iuramentum tunc fit vxor, sed fieri debet, quia iuratum est. Potest & de illo iuramento hoc dictum intelligi vbi de præsenti consentiunt ac se inuicem suscipiunt. Illi etiam sententiæ qua dictum est, solum consensum facere coniugium, videtur obuiare quod Euaristus Papa ait: Aliter legitimum non fit coniugium, nisi ab his qui super fœminam dominationem habere videntur, & à quibus custoditur vxor petatur, & à parentibus sponsetur, & legibus dotetur, & à sacerdote (vt mos est) benedicatur, & à peranymphis custodiatur, ac solenniter accipiatur. Item, Ita legitima scitote esse connubia: aliter verò

In auct. quibus mona. effic. le. §. pen. col. 6. & allegatur 30. q. c. Siquis. Determinatio. 30. q. 5. c. Aliter.

30. q. 5. c. Nec aliud. §. Sed obiicitur.

verò præsumpta, non coniugia, sed adulteria vel fornicationes sunt, nisi voluntas propria suffragata fuerit, & vota succurrerint legitima. Hoc autem non ita intelligendum est, tanquam sine enumeratis non possit esse legitimum coniugium: sed quia sine illis non habet decorem, & honestatem debitam. In huius enim sacramenri celebratione, sicut in aliis, quædam sunt pertinentia ad substantiam sacramenti, vt consensus de præsenti qui solus sufficit ad contrahendum marrimonium: quædam vero pertinentia ad decorem & solennitatem sacramenti, vt parentum traditio, sacerdotum benedictio, & huiusmodi: sine quibus legitime fit coniugium, quantum ad virtutem, non quantum ad honestatem sacramenti. Sine his ergo non quasi legitimi coniuges, sed quasi adulteri vel fornicatores conueniunt, vt illi qui clanculo nubunt: & vtique fornicatores essent, nisi eis suffragaretur voluntas verbis expressa de præsenti, quæ legitimum inter eos facit matrimonium. Nam & consensus occultus de præsenti per verba expressus, coniugium facit, licet non sit ibi honestus contractus, sed matrimonium non sanxit consensus, qui in occulto fuit. Si enim alter alterum dimiserit, non cogitur iudicio Ecclesiæ redire, & commanere quasi cum coniuge, quia non potest probari testibus contractus, qui in occulto est factus. Quod si ipsi qui in occulto sibi consenserunt, eundem consensum voluntarie in manifesto profiteantur, tunc vtique propria voluntas suffragatur, & legitima vota succurrunt ad sanciendum coniugium, quod prius occultè fuerat contractum. Voluntas ergo verbis expressa in occulto ad hoc suffragatur, vt fiat coniugium: manifestè verò expressa suffragatur, vt sanciat & roboret, ac liberum sit Ecclesiæ de hoc iudicare si expedierit.

ARTICVLVS IV.

An filiafamilias potest inuitis parentibus tradi marito.

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Aliter legitimum non fit coniugium, nisi ab his qui supet fœminam videntur habere dominationem, &c.] Videtur enim hoc esse simpliciter verum: res enim in potestate alterius existens, non transfertur ad alterum, nisi illo donante in cuius potestate est: sed filiafamilias est in potestate parentum: ergo non debet dari marito nisi dantibus parentibus.

2 Item, 30. q. 2. dicit Leo Papa qualis debet esse vxor, quæ secundum legem habenda est virgo casta, & desponsata in virginitate, & dotata legitimè, & à parentibus tradita sponso, & à paranymphis accipienda. Ex hoc patet, quòd non est coniunx nisi à parentibus tradita sit: ergo verum est quod dicitur in litera.

3 Item ex concilio Carthaginensi, Sponsus & sponsa cum benedicendi sunt à sacerdote, à parentibus vel paranymphis offerantur in Ecclesia sacerdoti. Ex hoc sequitur idem quod prius. Si dicas fortè, quòd verum est quoad solennitatem, vt dicit hic Magister, sed non quoad esse matrimonij. Contra, Ibidem dicit Gratianus, His omnibus auctoritatibus occultæ prohibentur nuptiæ: atque ideo cum contra auctoritatem fiunt nuptiæ, pro non factis haberi debent. Patet ergo, quòd si non sint ista in nuptiis quæ hîc dicit, nuptiæ non sunt: non ergo sunt tantum de solennitate, sed etiam de essentialibus.

4 Item, Philosophus dicit, quòd sperma emissum ab homine, filio assimilatur egredienti de domo patris: quia illud partem habet substantiæ à patre, & hanc multiplicat per augmentationem sanguinis menstrui: sicut filius partem substantiæ accipit à patre, & hanc multiplicat per lucrum extra domum: constat autem, quòd sic egrediens & de potestate patris egreditur, & ea quæ patris sunt, asportat secum: ergo oportet, quòd hoc sit de consensu patris: talis autem est egressus ad nuptias: ergo videtur, quòd oporteat fieri nuptias de consensu patris.

5 Item, Genes. 24. postulata est Rebecca à parentibus: ergo videtur, quòd hoc incassum fieret, si parentum consensus non operatur ad coniugium.

6 Idem patet Tobiæ 3. vbi Sara à parentibus postulatur.

7 Item, Aut placet Deo statutum Ecclesiæ, aut non: constat autem, quòd placet: ergo omittens statutum Ecclesiæ, peccat contra Deum: sed statutum est Ecclesiæ, vt à parentibus

tibus petatur: ergo non petens eam à parentibus, peccat contra Deum: sed nullum omnino peccatum contra Deum est stabile: ergo tale coniugium non est stabile: sed omne matrimonium est stabile: ergo nulla coniunctio quæ est sine parentum consensu, est matrimonium.

8 Item, Honesti & inhonesti modus idem esse non potest: sed matrimonium est honestum, & fornicatio inhonesta: ergo non sunt eiusdem modi: sed fornicationis modus est clanculo fieri sine parentum consensu: ergo ex opposito erit matrimonium cum consensu parentum & benedictione sacerdotis.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est quod supra habitum est, quòd solus consensus de præsenti facit matrimonium: ergo non exigitur parentum consensus.

2 Item, Licet filia sit in potestate parentum quoad aliquid, non tamen quoad omnia, quia non est ancilla vel serua eorum; constat autem cum non sit eorum serua, quòd suum & non alterius est dare id in quo non est alterius nisi suum: hoc autem est corporis communis seruitus in officio matrimonij, quia sic non est sub patre: ergo ad hoc, quòd in hoc efficiatur alterius, solus operatur suus consensus.

Solutio. RESPONSIO. Consentiendum est his vltimis rationibus, & præcipuè secundæ: quia illa dicit totam causam eius quam Magister determinando dicit in litera.

AD PRIMVM ergo quod contra hoc est, dicendum quòd non est in potestate parentum ad possidendum, sed ad educandum & dirigendum vsque ad ætatem adultam.

AD ALIVD dicendum, quòd decretalis inducta intelligitur de matrimonio, de quo iudicat Ecclesia, & non de matrimonio secundum sui primum esse: sed potius prout cadit sub iudicio Ecclesiæ secundum maximam sui honestatem.

AD ALIVD dicendum, quòd Gratianus loquitur secundum iudicium Ecclesiæ: quia Ecclesia pro non matrimonio habet, nisi ei consensus innotescat: quia aliter censura ecclesiastica tanquam fornicatores eos abinuicem discedere compelleret.

AD ALIVD dicendum, quòd in parte simile est, & in parte dissimile: non enim potest habere substantiam filius quam non dat ei pater, & in hoc est simile; sed tamen quia habet in se potestatem quoad debitum corporis dandum cui vult, in hoc est dissimile.

AD HOC quod vlterius obiicitur, dicendum quòd sicut dicitur in fine eiusdem capituli, vocata fuit puella, & quæsitus eius consensus: vnde consensus parentum facit de bene esse.

AD ALIVD dicendum, quòd secundum dictum Magistri Hugonis per legem Pandectarum confirmatum, Sara consensit, quando patri non contradixit: & huiusmodi sæpè fit per parentes, quia puellæ per se talia facere verecundantur.

AD ALIVD dicendum, quòd Deo placet omne factum Ecclesiæ quod verè Ecclesiæ est: & iste peccat clam contrahens, sed non peccat contrahens: & ideo hoc quod peccatum est, non manet, quia publicatur: sed hoc quod non fuit peccatum, scilicet contractus ex vtriusque coniugis consensu procedens, manet firmus & ratus.

AD ALIVD dicendum, quòd non est idem modus substantialis honesti & inhonesti: quia in fornicatione non est contractus & consensus matrimonialis, sed in matrimonio: & sic modus substantialis non est idem. Modum autem accidentalem nihil prohibet esse eundem, sicut & in multis aliis vitiis & virtutibus: sicut idem est modus largitatis & auaritiæ in retinendo retinenda.

ARTICVLVS V.

An consensus qui fit in occulto, sanciat matrimonium, vel solum ille qui fit in publico?

DEinde quæritur de hoc quod dicit [Sed matrimonium non sanxit consensus, qui in occulto fuit, &c.] Videtur enim hoc esse falsum: quia illud sanxit matrimonium, quod efficit ipsum: sed consensus facit ipsum: ergo etiam sanxit.

AD ILLVD dicendum, quòd Magister loquitur de confirmatione in iudicio Ecclesiæ, non in iudicio pœnitentiali: quia in illo satis sancitum est per consensum in occulto factum, sed de iudicio fori causarum loquitur litera.

De qua re sit consensus ille: an de carnali copula, an de cohabitatione, an de alio.

C. 27.q.2. c. Subiiciat. §. Cum ergo inter istos. Aug.lib. de sancta virginitate. cap.5. Luc.1.

HIC quæritur, Cum consensus de præsenti matrimonium faciat, cuius rei consensus sit ille: an carnalis copulæ, an cohabitationis, an vtriusque? Si cohabitationis consensus matrimonium facit, tunc frater cum sorore, pater cum filia potest contrahere matrimonium. Si carnalis copulæ: tunc inter Mariam & Ioseph non fuit coniugium. Proposuerat enim Maria in virginitate manere, nisi Deus aliter facere iuberet: secundum quod videtur Angelo dixisse, Quomodo fiet istud, quoniam virum non cognosco, id est, me

me non cognituram proposui. Neque enim quia virum tunc non cognoscebat, necesse erat inquiri quomodo posset habere filium: sed quia se nunquam cognituram proposuerat. Dicit enim Beda, quòd in virginitate manere dispositum. Si ergo contra suum propositum post consensit in carnalem copulam, videtur facta voti rea, mente, etsi non opere violata. Dicamus ergo, quòd consensus cohabitationis vel carnalis copulæ non facit coniugium: sed consensus coniugalis societatis, verbis secundum præsens tempus expressus: vt cum vir dicit, Ego accipio te in meam, non dominam, non ancillam, sed coniugem. Quia enim non ancilla vel domina datur, ideò nec de summo nec de imo à principio formata est, sed de latere viri ob coniugalem societatem: ne si de summo fieret, vt de capite, videretur ad dominationem creata. Si vero de imo, vt de pedibus, videretur ad seruitutem subiicienda. Sed quia nec dominam, nec in ancillam assumitur, facta est de medio, id est, de latere: quia ad coniugalem societatem assumitur. Cum ergo sic conueniunt vt dicat vir, Accipio te in meam coniugem. Et dicat mulier, Accipio te in meum virum: his verbis vel aliis idem significantibus exprimitur consensus, non copulæ carnalis vel cohabitationis corporalis: sed coniugalis societatis: ex qua oportet eos cohabitare, nisi fortè causa religionis pari voto corporaliter separentur vel ad tempus, vel vsque in finem.

Super Lucam cap. 3. ad cap. 1. Lucæ. Ecce in quam rem fuit ille consensus.

ARTICVLVS VI.

An consensus sit in carnalem copulam?

DEinde quæritur de hoc quod dicit [Sed quæritur, Cum consensus de præsenti matrimonium faciat, &c.] Videtur enim, quòd consensus sit in copulam carnalem: consensus enim matrimonij rati ordinatur ad consummans matrimonium: sed matrimonium consummatur per copulam carnalem: ergo videtur, quòd sit consensus in illam.

2 Item Genes. 2. dicit Adam, Erunt duo in carne vna: sed hoc non fit nisi per carnalem copulam: ergo secundum prophetiam inspirationis diuinæ consensus est in copulam carnalem.

3 Item, Præcipuum inter bona matrimonij, est bonum prolis: hoc autem principaliter intenditur: ergo ad hoc principaliter consentitur, sicut probatur Tobiæ 8. vbi dicit, Sola posteritatis dilectione in qua laudetur nomen tuum: sed non potest fieri proles nisi per copulam carnalem: ergo videtur, quòd ad illam principaliter consentitur.

4 Item, Nuptiæ sunt bonum mortalium: sed mortalitati non subuenitur nisi per coitum: ergo consensus matrimonij est principaliter ad coitum.

5 Item, Significatio imperfecta reducitur ad perfectam, sicut omne imperfectum ad perfectum necesse est reduci: sed matrimonium in quo tantum est consensus animorum, est significationis imperfectæ, vt supra habitum est distinctione 26. & matrimonium commixtionis corporum est significationis perfectæ: ergo illud ordinatur ad istud sicut perficiens & complens: sed primum est in consensu, & secundum in concubitu: ergo consensus est ad concubitum: & sic habetur propositum.

6 Item, Detur, quòd ordinetur tantum in societatem coniugalem, vt dicit Magister in litera: sed societas coniugalis non impedit conuolationem ad frugem melioris vitæ: ergo post cohabitationem societatis coniugalis alter coniugum inuito altero ad religionem transire posset, quod falsum reputant multi.

7 Item, Instantia quam fert in litera, nulla esse videtur: quia ab omnibus dicitur & creditur beata Virgo commisisse Deo votum suum seruandum, vel non seruandum: ergo ipsa consensu suo ordinauit se in potestatem viri, si debitum vellet petere: ergo instantia nulla videtur.

IN CONTRARIVM horum est, quod dicitur in litera. Et præterea quod dicit Augustinus, quòd sanctiora sunt coniugia pari voto continentium: ergo etiam meliora sunt: sed vnumquodque ordinatur ad melius sui: ergo potius ordinatur matrimonium ad continentiam, quam ad concubitum: ergo consensus ad concubitum non ordinatur. *Sed contra.*

RESPONSIO. Dicendum, quòd Magister dicit verum. Tamen quidam dicunt, quòd consensus in communi fit ad carnalem copulam, & ad cohabitationem, non quamcunque, sed maritalem: & bene puto, quòd illi expressius dicunt. Sed pro Magistro est, quòd copula carnalis nisi impediat votum vtriusque, in- *Solutio.*

cluditur in matitali societate, & ita duæ solutiones reuertuntur in idem; sed prior est expressior.

Ad primvm ergo dicendum, quòd coitus non est consummans matrimonium in esse primo, sed in esse secundo, quod consistit in habenda thori coniunctione, vt patet ex dictis supra distinctione 25.

Ad alivd dicendum, quòd Adam dixit hoc ratione status qui tunc fuit, & non propter essentialia matrimonij: quia tunc non erant nisi duo homines, & necessaria fuit multiplicatio: non tamen voluit dicere, quòd non esset matrimonium sine hoc.

Ad alivd dicendum, quòd bonum prolis est effectus consequens ex quodam actu matrimoniali, & non consequens matrimonium immediatè, sed post opus & actum eius quendam, vt dictum est: & ideò hoc non ostendit, quòd consummetur per illud in esse, nec quod ad hoc fit, sed potius est ad suum optimum, quod est significatio vnionis duplicis de qua habitum est supra: hæc enim multo melior est, quam bonum prolis.

Ad alivd dicendum, quòd nuptiæ sunt bonum mortalium secundum statum matrimonij post culpam: tamen etiamsi non esset culpa, adhuc nuptiæ bonum essent hominum: & ideò accidit matrimonio. Nihil autem est ad hoc quod ei accidit, sed potius ad finem suum substantialem.

Ad alivd dicendum, quòd ibi fit fallacia figuræ dictionis: perfectè enim significat hoc, quod significat matrimonium perfectum, sed non tot, quot consummatum: & ideo mutatur ibi discretum in continuum, & ideo non valet processus.

Ad alivd dicendum, quòd non reputatur hoc inconueniens, quòd transeat ad religionem: quia tunc moritur spiritualiter, & alter absoluitur à vinculo matrimonij: tamen postquam cohabitauit, Ecclesia compellit eum stare cum alio, nisi etiam ille consentiat: & hoc ideo, quia non est certa, quòd continuerunt cohabitantes de pari consensu.

Ad alivd dicendum, quòd instantia bona est: quia probabile est, quòd fuit ei reuelatum de Ioseph, quòd etiam ipse fuit in simili voto. Et quod dicunt Sancti, quòd commisit Deo virginitatem: dicendum quòd hoc fecit propter statum legis & diuinum imperium, si forte aliud iuberet Deus.

ARTICVLVS VII.

An vir sit Dominus suæ vxoris?

Deinde quæritur de hoc quod dicit [Quia non de capite vel de pedibus, &c.] Videtur enim, quòd de excellentissimo loco sumpta sit: quia sicut dicit Basilius & Aristot. Cor est principium vitæ & generationis in homine. Cum igitur sumpta sit de eo quod est iuxta cor, videtur quòd traditum sit ei dominium. Si dicas, quòd non de corde, sed de costa sumpta est. Contra: Costæ munimenta sunt cordis & ventris: ergo videtur, quòd mulier debet munimentum viri: & non est, sed potius è conuerso: ergo videtur, quòd ex male parte sit sumpta.

2 Item, Philosophus dicit, quòd extraneissimus modus habendi est, quo vir habet vxorem: ergo videtur, quòd non propriè habet eam: sed omne superius ad aliquid gubernans ipsum, propriè habet illud: ergo vir non est superior ad mulierem: ergo non est caput eius, sicut caput est caput lateris & gubernaculum. Item 2. ethic. dicitur, quod iustitia dominatiua non propriè est inter virum & vxorem: ergo non propriè est Dominus: ergo nec caput: ergo videtur, quòd ex æquali parte vel terræ vel corporis sumpta esse debuit.

3 Item, Quorum vtrumque habetur ab alio, illa sunt æqualia: sed inter virum & mulierem sic est: ergo vtrumque est æquale vtrique: ergo de æqualiter altis partibus sumi debuerat.

4 Item, In his quæ matrimonij sunt, sunt æquales: ergo etiam in factura corporali æquales esse debebant.

In contrarivm est quod dicit Dominus Genes. 3. Sub viri potestate eris, & ipse dominabitur tui. Et 1. Corinth. 11. Caput mulieris vir. Et 1. Timoth. 2. Mulieri dominari in virum non permitto. Ergo videtur, quòd non de altiori parte corporis debuit assumi. *Sed contra.*

Responsio. Dicendum, quòd Magister bene dicit in litera, & est ratio Augustini. *Solutio.*

Ad primvm ergo quod contra obiicitur, dicendum quòd non consideratur hîc dignitas primi mouentis siue influentis vitam, sed potius dignitas altitudinis in situ membrorum quæ manifestè apparet hominibus.

Ad alivd dicendum, quòd causa dicti Philosophi est, vt ipse in quinto ethicæ exponit, æqualitas iuris in dominio & iuribus matrimonij inter virum & mulierem, cum nihil propriè habeatur nisi quod vt proprium possidetur: habetur tamen quoad vsum regiminis & debitum in corpore. Ad hunc vsum etiam mulier habet virum: & iste modus etiam est extraneus.

Ad alivd dicendum, quòd licet vterque coniugum habeatur ab alio, non tamen vterque gubernatur ab alio: & ideo gubernans capitis dignitatem solus retinuit.

Ad alivd dicendum, quòd verum est, quòd in his quæ pertinent ad debitum matrimonij, sunt æquales: sed in gubernatione domus & familiæ sunt inæquales. Et sic patet solutio ad totum.

DISTIN

DISTINCTIO XXIX.

Coactio excludit consensum coniugalem.

PORTET autem consensum coniugalem liberum esse à coactione. Coactus enim consensus, qui nec consensus appellari debet, coniugium non facit, sicut testatur Vrbanus Papa scribens Sanctio regi Arragonum in hæc verba, De neptis tuæ coniugio quam te cuidam militi daturum necessitatis instante articulo sub fidei pollicitatione confirmasti, hoc æquitate decreuimus: vt si illa virum illum omnino (vt dicitur) renuit, & in eadem voluntate persistit vt viro illi se prorsus deneget nupturam: nequaquam eam inuitam ac renitentem eiusdem viri cogas coniugio copulari. Idem, Si verum esse constiterit, quod nobis legati Iordanis principis retulerunt, scilicet quòd ipse coactus & dolens filiam suam flentem & pro viribus renitentem, Raynaldo desponsauerit: quoniam legum & canonum auctoritas talia sponsalia non approbat, ne ignorantibus leges & canones nimis durum videatur, ita sententiam temperamus, vt si princeps cum assensu filiæ id quod ceptum est perficere voluerit, concedamus. Sin autem legatus noster vtrasque partes audiat, & si nihil fuerit ex parte Raynaldi quod amplius impediat, ab ipso Iordane sacramentum, quo constent hæc quæ dicta sunt, accipiat. Et nos canonum & legum scripta sequentes, deinceps non prohibemus, quin alij viro si voluerit, prædicta eius filia tantum in Domino nubat. Ex his apparet coniugium fieri inter consentientes & spontaneos, non inter renitentes & inuitos. Veruntamen qui inuiti & coactè coniuncti sunt, si posteà ab aliquo temporis spatio sine contradictione & querimonia cohabitauerint, facultate discedendi vel reclamandi habita, consentire videntur: & consensus ille consequens supplet, quod præcedens coactio tulerat.

A *Consensus qui est efficiens matrimonij causa, non debet esse defectiuus ex aliquo interiori, scilicet voluntate. Vrbanus Papa* 31. q. 2. c. De neptis. Ibidem c. Si verum.

In libro pandectarum.

CONSENTIRE autem probatur, qui euidenter non contradicit, secundum illud, In sponsalibus eorum consensus exigendus est, quorum in nuptiis desideratur. Intelligitur tamen semper patri filia consentire, nisi euidenter dissentiat. Item, Sponsalia, sicut nuptiæ, consensu fiunt contrahentium. Et ideò sicut in nuptiis, ita & in sponsalibus patrisfamilias filiam consentire oportet: quæ si patris voluntati non repugnat, consentire intelligitur.

DIVISIO TEXTVS.

OPORTET autem consensum coniugalem,&c.] In duabus distinctionibus hîc sese consequentibus Magister remouet duo impedimenta consensus qui facit matrimonium: secundum enim, quòd consensus procedit à voluntate, excludit ipsum coactio,& de hoc hic agit in prima:secundum autem quòd procedit à ratione, excludit ipsum error, & de hoc hic aget in sequenti distinctione. Item in ista facit tria. Primo enim ostendit, quòd coactio excludit consensum qui facit matrimonium. Secundo agit de consensu posterius ad matrimonium accedente *ibi* [Veruntamen qui inuiti & coacti, &c.] Tertio agit de consensu interpretatiuo *ibi* [Consentire autem probatur, &c.] Et per hoc satis plana sunt quæ dicuntur in litera. Incidit autem hic quæstio de principaliter quæsito in litera: circa quod quinque quæruntur. Primum est, Quid sit vis siue coactio? Secundum de diuisione coactionis. Tertium, Vtrum aliqua coactio cadat in constantem virum vel non? Quartum, Vtrum coactio vel vis euacuat matrimonij consensum? Quintum, Vtrum in eo qui vim patitur, aliquod relinquat peccatum, & qualiter illud sit emendandum?

ARTICVLVS I.

Quomodo definitur vis siue coactio?

CIrca primum accipiantur definitiones auctoritatis. Dicunt autem Aristot. Gregor. Nicenus, & Damascenus,quòd per violentiam siue per vim fit, cuius principium est in alio, nihil conferente vim passo. In Digestis autem siue Pandectis ita diffinitur,Vis est maioris rei impetus, qui repelli non potest. Et ibidem dicitur de metu, Metus est instantis vel futuri periculi causa trepidatio mentis.Item Tullius, Vis est impetus dominantis retinens rem infra terminos alienos.

Obiicitur autem de prima.Quia cuius principium est omnino in alio, non habet in illo qui patitur, laudem vel vituperationem:sed ea quæ fiunt vi siue coactione, quandoque habent laudem vel vituperationem: ergo videtur, quòd non fiant violentia. Prima patet per se, cum in his quæ tantum patimur, nec laus sit, nec vituperium. Secunda autem probatur ex hoc, quòd siquis metu vel violentia coactus periret, condemnabitur ab ecclesiastico iudice in foro pœnitentiæ,& moritur qui timore mortis negat.

2 Item videtur, quòd coactum siue violentum licet non respiciat hominis voluntatem,non tamen ita voluntas vim patitur,quòd nihil conferat: sed in ista diffinitione dicitur, Nihil conferente vim passo:ergo videtur,quòd non sit circa voluntatem.

3 Item, Aristot. vult, quòd illa quæ fiunt metus causa, sicut proiectio mercium de naui tempore tempestatis, sint mixta: simpliciter enim sunt inuoluntaria, sed secundum quid sunt voluntaria:cum igitur in illis aliquid conferat voluntas eius qui patitur, videtur, quòd non sint violenta:ergo à simili cum aliquis cogitur ab homine potente aliquid dare vel promittere, non simpliciter est iudicandum esse inuoluntarium,& per vim siue per violentiam factum.

Quod si concedatur,in contrarium est illud quod habetur in digesto veteri, lib. quarto,de his quæ vi metusue causa fiunt, vbi dicit Prætor, Quod metus causa fit, ratum non habeo:constat autem, quòd omnem aliquo modo voluntariam promissionem Prætor habet ratam:ergo videtur, quòd nulla promissio quæ metus causa fit, simpliciter sit inuoluntaria.

Vlterius obiicitur de secunda. Videtur enim, quòd non benè dicatur, Maioris rei impetus:quia sæpè impetus iste est etiam à minori:sicut seruus quandoque cogit dominum,opportunitatem adiutorio amicorum vel aliorum accipiens: ergo videtur, quòd non semper sit impetus maioris rei.

2 Item videtur non benè dici impetus:quia impetu fit,quod sine præmeditatione & subito fit: sed coactiones humanæ non semper sic fiunt, sed frequenter cum deliberatione: ergo videtur, quòd non benè dicatur impetus. Item, Omnis impetus potest repelli ab eo qui non potest cogi:sed voluntas non potest cogi: ergo omnis impetus potest repelli à voluntate hominis.

Vlterius videtur, quòd illa non sit competens diffinitio metus:quia siquis in possessione existens, venire videat armatos, & fugiat,non potest agere, quòd eiectus sit à possessione causa metus:& tamen ibi fuit periculum:ergo videtur, quòd metus ille de quo hic agitur qui integrum restituit, non sit futuri vel præsentis periculi causa mentis trepidatio.

5 Item, Non est metus aliquis de periculo instanti, sed potius de futuro: ergo videtur, quòd malè dicitur, Præsentis,vel futuri, &c.

3 Item, Trepidatio mentis quandoque est in paruis periculis & formidolosis: & tamen illos non excusat metus, sicut dicit Pedius. Dicit enim sic lib. 7. Siquis meticulosus rem vllam frustrà timuerit, per edictum non restituitur, scilicet quod ait Prætor, Quod metus causa fit,ratum non habeo:ergo videtur,quòd non benè diffinit metum ciuilem.

Vlterius obiicitur de illa quæ est Tullij. Non enim semper tantum vim facit dominans, sed etiam repulsum antequam repellatur:ergo videtur,quòd non semper sit impetus dominantis.

2 Item, Termini alieni aut sunt essentiæ, aut loci. Si dicatur, quòd essentiæ: tunc non pateretur vim aliquis manens essentialiter id quod est, quod falsum est. Si autem sunt termini loci, iterum falsum videtur: quia aliquis quandoque in loco proprio vim patitur.

RESPONSIO. Dicendum,quòd quælibet *Solutio.*

liber istarum diffinitionum est satis bona. Prima autem quæ est Aristot.in 3.eth.illa est eius, quod simpliciter & absolutè est violentum, quale homo non potest pati nisi secundum corpus, sicut est oppressio virginis in corpore, vel ablatio pecuniæ sine omni tam interiori quam exteriori consensu voluntatis: & ideo tale meretur apud Aristot. ignoscentiam, siue veniam & misericordiam.

Ad id quod primo obiicitur, dicendum quòd tale violentum nunquam vituperium, sed verecundiam & ruborem habet quandoque, sicut in oppressione fœminarum:propter quod etiam dicit Leo Papa,quòd illæ virgines quæ oppressione barbarica corruptæ sunt, non se audeant sacris virginibus comparare. Ad argumentum autem dicendum, quòd ecclesiasticus iudex tunc considerat actum à voluntate procedentem,qui habet principium in iurante, & ideo non est omnino violentus: & ideo taliter periurans condemnatur ab ipso.

Ad alivd dicendum, quòd taliter coactum non cadit super hominis voluntatem: sed tamen quia cadit super aliquid quod est status & decor virtutis castitatis vel iustitiæ, propter hoc tractatur ab ethico,& leges accipit à ciuilibus.

Ad alivd patet solutio per antedicta: quia bene conceditur, quòd talia non sunt simpliciter violenta.

Ad id autem quod obiicitur per legem Prætoris, dicendum quòd Prætor respicit æquitatem naturalem, secundum quam respicitur in contractibus & promissis ad sufficienter inducentem causam: & hæc quandoque est voluntas aliena,& quandoque metus: & tunc rescindit Prætor, quia licet ibi sit voluntatis actus, tamen causa non est voluntaria.

Ad id autem quod vlterius quæritur de secunda, dicendum quòd illa est Pauli cuiusdam Iurisconsulti, & bona: & accipit ibi vim ciuiliter, prout vis dicitur necessitas contraria voluntati, ne incidatur in maius periculum. Ad id autem quod contra obiicitur,dicendum quòd omne illud hic dicitur maior res, quod fortius est sufficienter ad cogendum: & non dicitur ibi maius dignitate,vel statu.

Ad alivd dicendum, quòd voluntas non potest cogi sufficienter, quòd nihil conferat ad actum: sed efficienter cogitur metu, qui cadit in constantem virum: & hoc sufficit in lege ciuili.

Ad id quod vlterius quæritur de diffinitione metus,dicendum quòd ipsa est Vulpiani,sicut dicitur supra veteri. ff. lib. quarto de his quæ causa metus fiunt: & est bona. Ad id autem quod contra obiicitur, dicendum quòd ille in hoc casu non potest agere: quia adhuc non fuit tempus metus, quia nesciuit ad quid venerint hostes: sed tunc est tempus metus, quando feriunt vel ferire minantur, probabiliter hoc intendere æstimati.

Ad alivd dicendum, quòd ibi dicitur instans periculum, cuius instrumenta & causa efficiens sunt præsentia, licet adhuc non exerceantur in opere: & de illo bene est metus, quia est præsens secundum quid, & futurum simpliciter.

Ad alivd dicendum, quòd non dicitur hic periculum alicui periculum,sed quod omnibus periculum esse videtur: hoc enim est quod non contingit auertere: & ideo Pedius Iurisconsultus in legibus suis bene dicit.

Ad id quod obiicitur de illa quæ est Tullij,dicendum quòd nisi sit à dominante,non est nec dicitur periculum in iure simpliciter: quia non est periculum quod contingit declinare de facili. Vnde Vulpianus periculum vocat necessitatem contrariam voluntati:quod enim necessitas est, supra posse nostrum est eleuatum,& opprimit patientem: & tollit ab eo liberum consensum ad hoc faciendum.

Ad alivd dicendum,quòd termini alieni dicuntur ibi termini liberæ potestatis ad consentiendum: extra terminos enim libertatis ponitur quis à cogente vel vim faciente: quia liber est causa sui, vt dicit Philosophus: & liberè faciens actus suos, causa est suorum actuum.

ARTICVLVS II.

Quomodo diuidatur coactio?

Secundo quæritur de diuisione coactionis. Accipiantur autem quæcunque diuisiones sunt in iure. Colligitur autem ex Pandectarum veterum lib.4. quòd vis aliqua cadat in constantem virum,alia autem non cadit. Item, Vis siue metus quandoque est oppressionis, quandoque corporis,quandoque rerum,quandoque vxoris, quandoque liberorum. Item, Metus siue vis quandoque est circa res turpes, quandoque circa honestas. Item,Metus quandoque est de conditione deteriori circa se vel liberos,quandoque de re aliena.

Obiicitur autem de prima. Videtur enim, quòd nullus metus cadat in constantem virum: constans enim non est nisi ex virtute & gratia: sed talis nihil debet facere ex metu mortis: ergo videtur, quòd non cadat in ipsum.

2 Item,Seneca probauit, quòd nulla perturbatio cadit in sapientem: ergo nec in constantem: ergo nec perturbatio metus: ergo nihil debet facere causa metus.

3 Item, Si aliquis metus cadit in constantem virum,ille est metus mortis: præcipit autem Dominus in Euangelio Matth.10. Nolite timere eos qui occidunt corpus. Ergo nec aliquod aliorum periculorum timeri debet: ergo nullus metus cadit in constantem.

4 Si forte dicas, quòd ad cogenda peccata non cadit aliquis metus in constantem virum, sed ad cogenda alia, sicut ad promittendum aliquod temporale, scilicet matrimonium, vel pecuniam, quam si promittit, soluere non tenetur. Contra 1.Thess.5. dicitur, Ab omni specie mala abstinete vos: mala autem species est promittere & non soluere: ergo ab illa est abstinendum: ergo peccat qui non abstinet: ergo coactio facit illud solui, quia aliter accideret peccatum.

5 Item, Aristot.dicit,quòd fortis etiam in

magnis periculis, ſicut in morte, non flectitur: ergo videtur, quòd nullus excuſetur per metum.

Quæſtiuncula. VLTERIVS quæritur hîc, Vtrum eadem diuiſio ſit iſta cum illa quæ datur à quibuſdam Iuriſperitis, quòd violentia alia leuis, alia violenta. Et videtur, quòd ſic: quia violenta cadit in conſtantem virum, & leuis non: ergo eſt eadem.

Sed contra. SED CONTRA videtur, quòd non ſit eadem: quia quædam cadit in conſtantem virum, quæ non cadit in alium: ſed violenta eſt vno modo reſpectu omnium: ergo videtur non eſſe eadem. Probatio maioris: quia dicit lex, quòd non eſt probabile hominem claræ dignitatis timuiſſe in vrbe, in qua timet homo dignitatis non claræ. Secunda autem probatur ex ratione violenti ſimpliciter, quod omni homini violentum videtur.

Vlterius quæritur de ſecunda diuiſione. Iſta enim pro prima parte videtur bona eſſe, & quæ cadit in conſtantem virum: quia dicit Hieron. quòd crudelis eſt, qui famam negligit: ergo etiam qui facit aliquid metu famæ, ipſe debet mereri veniam & ignoſcentiam.

2 Item Ariſtot. in primo lib. de regimine dominorum, dicit quòd fama à regibus & aliis maximè debet deſiderari: ergo denigrans famam, debet timeri maximè: ergo pro periculo famæ metus habitus excuſat, vt videtur.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius eſt, quod dicit Vulpianus, quod metus cauſa geſtum eſt, ſic non timorem infamiæ hoc edicto contineri. Pedius dicit idem.

2 Item, Ridiculum eſt ſi aliqua velit ſibi à iudice de ſtupro ſatisfieri, eò quod timens infamia notari, non clamauerit: ergo timor infamiæ nullus timor eſt, vt videtur.

3 Item, De timore corporis nihil videtur eſſe: quia dicitur Iob. 2. Pellem pro pelle, & cuncta quæ habet homo, dabit pro anima ſua. Ergo videtur, quòd pro periculo corporis non ſit dimittenda: ergo ſi facit aliquid pro corporis periculo, eſt vituperabile: ſed vituperabile non excuſat: ergo videtur, quòd ille excuſationem non mereatur à iudice.

4 Item, Malum neminem excuſat: ſed timor humanus, malus eſt, vt dicunt Beda & Gregorius: ergo nullum excuſat: ſed timor humanus eſt, quando aliquis pelli ſuæ timet: ergo talis non excuſatur: ergo ſi tali timore contrahat, ipſe non debet excuſari.

Vlterius obiicitur de timore rerum: quia etiam Ariſt. dicit in 3. ethic. quòd non eſt fortis magna pati pro paruis rebus: ſed res paruæ ſunt res: ergo pro illis non debet aliquis magna pati: ergo vituperabilis eſt, qui hoc facit: ſed per vituperabile nullus excuſatur: ergo videtur quod metus rerum, non excuſat aliquem apud iudicem.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius eſt decreealis Alexand. tertij in primo lib. de his quæ vi metuſve cauſa fiunt, Abbas ſancti Eadmundi à quo R. præſen. lator patrimonium ſuum tenere dignoſcitur, milites & burgenſes ad domum prædicti R. ſicut accepimus, deſtinauit, qui cum à domo & ab vniuerſa poſſeſſione expellerent, niſi Eccleſiam ſuam penitus abiuraret: quod cum idem R. tali modo coactus feciſſet, Abbas alij conceſſit Eccleſiam ſupra dictam. Vnde quia quæ metu & vi fiunt, de iure debent in irritum reuocari. Mandamus quatenus prædicto R. cum integritate reſtituas vniuerſa. Ex hoc accipitur, quòd ille fecit reſignationem illam metu rerum, ſcilicet expulſionis à poſſeſſione & domo: & tamen à Papa in irritum reuocatur: ergo metus rerum excuſat, & reſtituit in integrum.

Vlterius quæritur de hoc quod dicit metum eſſe vxoris. Videtur enim hoc non eſſe faciendum: quia legimus Geneſ. 12. & 20. quòd Abraham ſuam vxorem metu corporis expoſuit alij, quando dixit ſororem ſuam eſſe. Et ſimiliter fecit Iſaac. Ergo videtur, quòd potius vxor ſit exponenda, quam aliquid fiat pœnale: ergo metus vxoris non excuſat.

2 Item, Dicit Auguſtinus primo de ciuitate Dei, quòd libido aliena non maculat animam: & ponitur in decreto cauſa 13. ſed propter illud quod non maculat, ſtultum eſt aliquid pati: ergo qui facit aliquid propter vxoris metum, ſtultus eſt: & propter ſtultitiam nullus excuſatur: ergo nec iſte metus excuſat. Eadem prorſus eſt obiectio de liberis.

Sed contra. IN CONTRARIVM autem eſt quod dicit lex Pauli, Quæ metus cauſa geſta ſunt, hæc vt diximus ad edictum pertinere nihil intereſt, an in ſe quis veritus ſit, aut in liberis ſuis: tamen pro affectu parentes in liberis magis iterantur.

Vlterius quæritur de alia diuiſione, quòd metus quandoque eſt circa res turpes, quandoque circa honeſtas. Nulla enim videtur eſſe vis aut metus circa res turpes: quia potius omnia debemus ſuſtinere ſecundum Philoſophos, antequam turpia debemus admittere: ergo videtur, quòd hoc nihil ſit quod dicit.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius eſt quod dicit Vulpianus, Vim accipimus atrocem, & eam quæ aduerſus bonos mores fit.

Vlterius obiicitur de vltima. Quia videtur, quòd vanum ſit curare de conditione: ergo videtur, quòd non ſit cauſa metus ſufficiens, conditio. Probatur 1. Corinth. 7. vbi dicitur, Seruus vocatus es, non ſit tibi curæ, &c. Ergo videtur etiam, quòd debemus appetere mutari noſtram conditionem in peius: ergo videtur, quòd hæc cauſa non eſt ſufficiens.

Sed contra. IN CONTRARIVM eſt quòd dicit Paulus, Ego puto etiam ſeruitutis timorem ſimiliumque admittendum. Et ita Paulus libro eodem, Si is accipiat pecuniam qui inſtrumenta ſtatus mei iterum ſumpturus eſt niſi dem, non dubitatur quin maximo metu compellar vtique ſi iam in ſeruitutem petor, & illis inſtrumentis perditis non poſſim liber pronuntiari.

RESPONSIO. Dicendum, quòd omnis metus diuiſio propriè reducitur ad tres, quarum vna eſt ex parte inferentium metum, & hæc notatur in hoc verſu, ſcilicet, Stupri ſiue ſtatus, verberum atque necis. Alia eſt ex parte eorum circa quæ eſt metus, ſicut circa materiam, & hæc quandoque ſunt honeſta, quandoque inhoneſta ſiue aduerſus bonos mores exiſtentia: quandoque autem non. Verbi gratia, vt ſi cogatur

gatur aliquis dare vel promittere ne stupretur, vel cogatur promittere ne impediatur à stupro: quia dicit Aristot. quòd absentia delectationum in continentibus facit tristitiam. Tertia sumitur ex parte eius qui cogitur, scilicet quòd alia cadit in virum constantem, alia autem non, sed in formidolosum: & hoc est quod dicit Vulpianus, Metum accipiendum Labeo dixit non quemlibet, sed maioris mali. Et Paulus, Metum non vani hominis, sed qui merito in homine constantissimo cadere debeat, ad hoc dictum pertinere dicimus.

DICENDVM ergo ad primum, quòd metus est respectu boni minoris quam sit id quod minatur metus: sicut minatur metus mortem, vel quòd detur pecunia, danda est pecunia vel promittenda. Eodem modo si minetur stuprum, vel conditionis deteriorationem. Sed si minetur mortem pro fidei negatione vel iustitiæ, non est respiciendus metus etiam secundum Philosophos & secundum ciuiles. Et ita intelligitur lex quæ facit integrum restitui, si aliquid fit metus causa: quæ restitutio fieri non potest in negatione fidei vel iustitiæ: sapientis enim est eligere minus malum, scilicet mortem quam negationem fidei: vel etiam bonorum perditionem, quam virtutis, vel corporis. Et hoc est quod dicitur Hebr. 10. Rapinam bonorum vestrorum cum gaudio suscepistis cognoscentes vos habere meliorem & manentem substantiam. Et per hoc patet solutio ad tria prima.

AD ALIVD dicendum, quòd Prætoris lex intelligitur de his quæ minora sunt, & potius toleranda, quam id quod minatur metus, sicut dictum est.

AD ID quod obiicitur, dicendum quòd non est species mala promittere, quia hoc potest fieri malè & benè: sed non soluere promissum nisi excusetur, est species mala. Et bene concedo, quòd vbi est iudicium, inueniri potest defensio. A iudice etiam coactus debet soluere promissum: & competit ei actio ex lege & canone, & iudex debet eum restituere in integrum. Si autem defectus sit iudicis, puto quòd non debet soluere, sed aliquam leuem propter cautelam facere pœnitentiam de promisso, præcipuè si fides vel iuramentum non interuenit: si enim iuramentum fecit de soluendo, dicunt multi, quod etiam mihi satis probabile videtur, esse soluendum. Si autem non soluit, & iuramentum violauit, & posteà venit ad pœnitentiam, videtur mihi non esse cogendus ad solutionem, sed tantum ad facti iuramenti emendationem.

AD ALIVD dicendum, quòd Aristot. loquitur de his qui sustinent pericula gratia boni hominis, vel ciuitatis, vel gentis: tunc enim sustinendum est, quod minus periculum est, quam id quod extorquere intendit.

Ad quæstiunculam.

AD ID quod vlterius quæritur, dicendum quòd eadem est diuisio, licet alia ratione sit data. Prima enim respicit constantiam patientis, & secunda quantitatem mali inferentis metum. Ad id quod contra obiicitur, dicendum quòd illa quæ non est violenta, dicitur quæ non mouet constantem, & hæc non est vno modo: & ideo falsum supponitur in obiectione.

AD ALIVD dicendum, quòd metus famæ non excusat: non enim intelligitur de fama quæ est, sed de illa quæ posset oriri de hoc quod minatur metus si fieret, sicut factum fuit in Susanna Daniel. 13. cui senes dixerunt, nisi assentiret eis, quòd dicerent contra eam testimonium quod fuerit cum ea iuuenis: & illa dixit, Melius est mihi absque opere incidere in manus vestras, quam peccare in conspectu Domini. Dictum autem Hier. intelligitur de eo qui occasionem infamiæ dat propriо facto, vel negligentia.

AD ALIVD dicendum eodem modo: & ideo aliter loquitur lex, aliter Philosophus.

AD DVO alia quæ obiiciuntur de timore corporis, dicendum secundum supra habitam regulam, quòd timor cruciatus corporis vel metus facit excusari, quando est respectu minoris mali, quam sit id quod minatur metus: & sic patet, quòd non valent obiectiones illæ.

PER IDEM patet solutio ad id quod obiicitur de timore rerum: tamen ille timor non continetur in versu supra habito, sed secundum regulam præhabitam timet in omnibus timoribus: quia sicut probat Aristot. Non est sapientis & fortis maius periculum sustinere pro re parua vel minori, quam sit periculum illarum.

AD ID quod vlterius obiicitur de metu vxoris, scilicet ne adulteretur, dicendum quòd illa causa sufficientissima est: quia dicit lex Pauli, quòd si dederit ne stuprum patiatur vir siue mulier, hoc edictum habet locum, cum viris bonis iste metus maior quam mortis esse debeat. Ad id autem quod obiicitur de Abraham, dicendum quòd facta Patriarcharum in consequentiam non sunt trahenda: quia ipsi omnia in figura futurorum & instinctu Spiritus sancti agebant. Nihilominus tamen potest dici quod Abraham vxorem non exhibuit, sed sibi cauit, certificatus per inspirationem, quòd non posset maculari. Vnde in Psalm. 104. Et corripuit pro eis reges, Nolite tangere Christos meos: & in Prophetis meis nolite malignari.

AD ALIVD dicendum, quòd libido aliena quandiu aliena est, mentem non maculat: sed quæ primo est aliena, per consensum efficitur propria, & tunc maculat. Et ideo si aliquis etiam coactus diceret se consentire in stuprum vxoris suæ, ipse peccaret mortaliter: quia iam turpitudini quæ grauior est, quam quod minatur tyrannus aliquatenus permittendo cooperaretur.

AD ALIVD dicendum, quòd Vulpiani dictum intelligitur quando violentia tyranni cogit facere aliquid contra bonos mores, sicut iniuste promittere vel dare, vel consentire matrimonio, vel stupro, vel alicui tali: tunc enim id quod metus causa factum est, in irritum reuocatur. Sed quando compellit ad id quod est secundum bonos mores, vt restituere, vel aliquid tale: tunc non iudicatur violentia. Et per hoc patet solutio ad totum.

Habet tamen hoc vltimum duas dubitationes. Ponamus enim, quòd iudex qui habet potestatem, compellat aliquem ad iniustè promittere, nunquid in irritum reuocabitur? Videtur, quòd non: quia res facta per iudicem rescindi non debet. Contra: Hic nihil fit nisi metus causa. Ad hoc dicendum, quòd reuocari debet in irritum per superiorem: & hoc est quod dicit lex sic, Si per iniuriam quid fecit populi Romani magistratus vel prouinciæ præses, Pomponius scribit hoc edictum locum habere. Fortè, inquit, si mortis aut verberum terrore pecuniam extorsit alicui.

Secundum dubium est, si pono, quòd aliquis adulterium commisit quem ego prodere possum, & ne prodam eum ad mortem, dat pecuniam, vtrum hic edictum Prætoris locum habeat an non? Videtur autem, quod non habeat locum: quia pro turpi re dat: ergo non debet restitui quod vi factum est. Responsio. Dicendum, quòd locum habet edictum: quia non habet iudex respicere ad causam dandi, sed potius ad modum extorquendi: & hoc est quod dicit Paulus in eodem casu loquens, Prætor vt restituat, interuenire debet: nam etsi gestum est malo more, Prætor non respicit an adulter sit qui dedit, sed hoc solum quod hic accepit metu mortis illato.

ARTICVLVS III.

An metus cadat in constantem, & quis sit constans?

TErtio quæritur, Vtrum aliqua vis vel metus cadat in constantem virum vel non? Videtur autem, quòd non: quia de ratione constantis est non trepidare in periculo: ergo nullum periculum infert ei metum.

Quæstiuncula. VLTERIVS hic quæratur, Quis sit vir constans, vtrum vir dicatur constans ab animi virtute, vel à natura? Videtur autem, quod non ab animi virtute: quia qui habet vnam virtutem, habet omnes: ergo qui habet animi constantiam, habet omnes virtutes: si igitur dicatur constans à virtute animi, non erit constans nisi qui habet omnem virtutem: ergo peccator nunquam excusaretur per metum: & hoc falsum est, cum etiam adulter quandoque per metum excusetur à promisso, vt ante habitum est ex sententia Pauli Iurisconsulti. Si autem dicatur à natura constans: ergo omnium quorum vna est natura, est vna constantia: sed omnium hominum vna est natura: ergo vna est constantia: & hoc iterum falsum est.

Quæst. 2. ITEM quæritur vlterius, Quare non similiter dicatur de constanti muliere, cum mulier fortis laudetur Prouerb. vltim. de qua dicitur, Accinxit fortitudine lumbos suos, &c.

Quæst. 3. ITEM vlterius quæritur, Vtrum vno modo sit constantia in omnibus constantibus? Et videtur, quòd sic: quia perfectio consequens speciem hominis, æqualiter est in ipsa: honestum autem, vt dicit Auicen. naturaliter participat homo: ergo videtur, quòd æqualiter participet & honestum & partes honesti: sed de partibus honesti vna est constantia: ergo videtur, quòd æqualiter est in omnibus constantibus.

2 Item, Humilitas, misericordia, & huiusmodi, non differunt in magno & paruo, nisi secundum meritum: ergo videtur, quòd nec constantia: ergo vbi paruus dicetur constans, ibi & magnus, & è conuerso: & vbi timet paruus, & magnus.

Sed contra. IN CONTRARIVM est responsum sapientum, quòd hoc timere potest paruus homo & constans, quod si timet homo claræ dignitatis, formidolosus vocabitur: ergo non vno modo dicta est constantia in omnibus constantibus.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd constans vir est, qui non timet non timenda. Et dicitur à parte fortitudinis ciuilis constans. Et accipitur intellectus constantis principaliter ex quatuor, scilicet animi virtute, statu, tempore, & loco. Animi virtute, quòd habeat fiduciam multam vincendi pericula sibi proportionata, & non deiiciatur statim, vt vir vanus & formidolosus, de quo dicitur in Psalm. Trepidauerunt timore vbi non erat timor. Et Iob 15. Cum pax sit, ille semper insidias suspicatur. Ex statu: quia princeps non habet timere hoc quod habet timere plebeius. Ex tempore: quia aliud est tempore desolationis, & adiutorij timendum. Ex loco: quia aliud timetur in campo, & aliud in vrbe vbi adiutores parati sunt. In omnibus tamen his si adsit probatio sufficientis metus, potest vir constans claræ dignitatis in vrbe tempore pacis habere metum rescindentem omne promissum. Sed istæ conditiones sunt constantis vt frequenter.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd de ratione constantis non est, vt nihil timeat, sed potius vt non timeat non timenda, sicut etiam est de ratione fortis: sed nihil timens, & in audendo superabundans, præsumptuosus & audax nominatur.

AD ALIVD dicendum, quòd dicitur ab animi virtute constãs: sed illa virtus est ciuilis: & ideo non oportet, quòd qui habet vnam, habeat omnes, scilicet quod non sit peccator: quia Hercules, Hector, & alij quidam, habebant huiusmodi virtutem excellenter: & tamen peccatores fuerunt. Quod enim dicitur, Qui habet vnam, habet omnes: intelligitur de virtutibus infusis, & non cardinalibus secundum omnem sui statum, sed potius secundum statum perfectissimum, vt probatur in 6. eth. versus finem. Ad aliud dicendum, quòd etiamsi diceretur esse virtus naturalis, id est, naturale animi robur, non sequeretur, quòd in omnibus esset æqualiter: quia non sequitur speciem, sed potius complexionem, scilicet melancholiam. Cum enim melancholia sit terrea frigida, habet euaporationes nigras ad cerebrum lucidum, quibus imprimuntur terribilia phantasmata: & est in eis calor non sufficiens ad calefactionem cordis & sanguinis, vt faciat cordis motum secundum diastolen, & exsufflationem sanguinis & spirituum in membra exteriora & corpus: & ideo manent destituta frigida & timida, refugiente sanguine ad cor & stante ibi. Et cum hæc complexio non sit in omnibus, non oportet, quòd omnes æqualiter sint constantes.

AD

Ad aliud dicendum, quòd mulierum complexio est multum timida propter debile calidum & vicens humidum, in quo cito profundantur terribilia: & calidum debile non sufficit calefacere cor & sanguinem, vt prius dictum est: vnde omnis mulier naturaliter est timida, nisi sit per accidens, vt virgines quæ non timent. Et quod obiicitur de Prouerbiis, dicendum quod intelligitur de fortitudine in spiritualibus, & non interioribus & exterioribus.

Ad aliud dicendum, quòd constantia non est vno modo in omnibus constantibus, & variatur ex duobus, scilicet ex complexione, & studio virtutis, vt dictum est. Et hoc quod dicit Auicenna, non intelligitur nisi ad capacitatem honesti relatum, & non quòd æqualiter participetur.

Ad aliud dicendum, quòd etiam aliæ virtutes in actibus suis inæqualiter habentur propter supra dictas causas: & ideo de quolibet sancto verificatur illud, Non est inuentus similis illi, &c. Eccli. 44.

ARTICVLVS IV.

An vis euacuet matrimonij consensum?

Qvarto quæritur, Vtrum vis euacuet matrimonij consensum? Videtur autem, quòd non: quia in aliorum sacramentorum perceptione si extrinsecus consentiat, non oportet eum interius consentire: ergo nec in isto.

2 Item, Matrimonium super iudicium cadit hominum: sed hoc non est ex corde: ergo etiamsi metu dissentiat interius, dummodo extra se dicat consentire, videtur stare matrimonium.

Sed contra. In contrarivm est quod dicitur extra. de sponsalibus. Cum locum, vbi scribit Alexander tertius, Cum locum non habeat consensus, vbi metus vel coactio intercedit, necesse est vt vbi assensus cuiusquam requiritur, coactionis materia repellatur. Matrimonium autem solo consensu contrahitur: & vbi de ipso quæritur, plena debet securitate ille gaudere, cuius est animus iudagandus, ne per timorem sibi dicat placere quod odit, & sequatur exitus qui de inuitis nuptiis solet prouenire, &c.

Solutio. Responsio. Dicendum, quòd metus qui cadit in constantem virum, excludit matrimonij consensum, vt contractus in irritum reuocetur.

Ad primvm dicendum, quòd non est simile de aliis sacramentis & de isto: quia alia non habent obligationem nisi fortè diuinam, istud autem efficitur in quadam obligatione humana, quæ metu fieri potest.

Ad aliud dicendum, quòd iudicium Ecclesiæ est de viso & audito: & licet metus in corde sit, tamen per signa propalatur extra, sicut quando videntur arma, gladij, & huiusmodi, & quando minæ audiuntur: & ideo tunc Ecclesia iudicare potest.

ARTICVLVS V.

An metus in eo qui vim patitur, aliquod relinquat peccatum?

Qvinto quæritur, Vtrum metus in eo qui vim patitur, aliquod ralinquat peccatum? Videtur autem, quòd non: quia quod ab alio fit, nobis non debet imputari: sed metus ab alio fit: ergo nobis imputari non debet: ergo nullum in nobis relinquit peccatum.

2 Item, Iustitia humana non imputat id quod fit per metum: ergo nec diuina: ergo non est inde peccatum aliquod.

3 Item, Si esset peccatum, tunc malè faceret iudex absoluendo vel restituendo illi qui fecit aliquid propter metum: sed constat, quòd non male facit: ergo videtur, quòd nullum in eo qui vim patitur, relinquat peccatum.

Sed contra. In contrarivm est, quòd ille qui metu promittit, mentitur: quia dicit verbum, & aliud intendit: omne autem mendacium est peccatum: ergo metus relinquit peccatum in eo qui patitur.

2 Item, Species mali est promittere, & non soluere: ergo ab illa est abstinendum, sicut dicitur 1. Thes. 5. Ergo soluere tenetur: & si non soluit, peccat, vt videtur.

3 Item, Promissio & iuramentum quæ in deteriorem non vergunt exitum, sunt tenenda, sicut dicit Beda: sed in nullum malum exitum vergit obseruatio istius promissi vel iuramenti: ergo videtur, quòd debeat obseruari.

4 Item ad hoc Iudicum vltimo, vbi filij Beniamin rapuerunt filias Silo: & tamen stetit matrimonium: ergo videtur, quòd etiam aliis iniungendum sit, quòd seruent, quod vi cogente vel promiserunt, vel permiserunt.

Solutio. Responsio. Dicendum, quòd non est iniungendum semper quod seruetur: sed quando vtile est seruare propter timorem futuri periculi, tunc possunt moneri, sed non debent cogi, nec hoc eis debet in pœnitentia iniungi.

Ad id autem quod contra obiicitur, dicendum quòd pro illo mendacio potest iniungi pœnitentia, vel etiam de periurio, & induci potest vt teneatur: sed non puto, quòd debeat iniungi.

Ad aliud dicendum, quòd species mali est non soluere promissum quod voluntate fit: sed non est ita de promisso coacto, quia hoc obesset multis si obseruaretur: & ideo non est iniungendum.

Ad aliud dicendum, quòd istud vergit in deteriorem exitum: quia illi augetur macula peccati per hoc quòd recipit alienum: & etiam dictum Bedæ intelligitur de votis & & iuramentis non coactis, in quibus firmatur voluntarius consensus. Sed in hoc casu pro periurio debet iniungi pœnitentia, & non iniungi, quòd fiat, licet possit induci & moneri, vt prius dictum est.

Ad hoc quod obiicitur de filiis Beniamim, dicendum quòd Magistratus populi fecit vim illam licitè, ne vlla tribus periret: & illa vis tenet, sicut dicit Vulpianus in lege supra inducta.

DISTIN

DISTINCTIO XXX.

De errore qui euacuat consensum.

A *Consensus qui est efficiens causa matrimonij, non debet esse defectiuus ex parte rationis.* 26.q.1. post principium, vbi totum ponitur quod hic habetur vsque ad cap. Præmissis.

NEc solum coactio impedit vel excludit consensum, sed etiam error. Non autem omnis error consensum impedit. Est enim error alius fortunæ, alius conditionis, alius qualitatis. Error personæ, quando hic putatur esse homo ille, & est alius. Error fortunæ, quando putatur esse diues qui pauper est, vel è conuerso. Error conditionis, quando putatur esse liber qui seruus est. Error qualitatis, quando putatur esse bonus qui malus est. Error fortunæ & qualitatis, coniugij consensum non excludit. Error verò conditionis coniugalem consensum euacuat: de qua conditione postmodum tractabimus. Error quoque personæ, consensum coniugalem non admittit: vt siquis fœminam nobilem in coniugium petat, & pro ea alia ignobilis tradatur ei, non est inter eos coniugium: quia non consensit vir in istam, sed in aliam. Vt siquis promitteret mihi se venditurum aurum, & pro auro offerret mihi aurichalcum, & ita me deciperet: nunquid dicerer consensisse in aurichalcum? nunquam volui emere aurichalcum, nec ergo in illud consensi: quia consensus non nisi voluntatis est. Sicut ergo error materiæ excludit consensum, ita
Gen 29. & in coniugio error personæ. Sed obiicitur de Iacob qui pro Rachel septem annis seruierat, & supposita est ei Lia: nunquid error personæ excluſit coniugium, cum non in eam, sed in Rachel consenserit? Sed quod ibi factum est, in mysterio gestum non improbè traditur: ibi tamen etsi non præcessit, secutus est consensus, nec ex illo concubitu qui consensum præcessit, fornicarij iudicantur, cum ille maritali affectu eam cognouerit, & illa vxorio affectu debitum persoluerit, putans lege primogenitarum, & paternis imperiis se illi iure copulatam. Excusatur etiam quia Dei consilio in mysterio ita actum est. Hodie etiam excusaretur ille, cui inscio vxoris soror lectulum eius ingressa se subiiceret, quæ cum sine spe coniugij perpetuo manere censeatur, ille tamen qui cognouit eam per ignorantiam, excusa-
1.Cor.11. tur: quod per simile probatur. Si enim diabolus transfigurans se in Angelum lucis, credatur bonus, non est error periculosus. Quod autem vir ille in illam mulierem non consenserit, ex simili ostenditur. Siquis hæreticus nomine Augustini vel Ambrosij, alicui Catholico se offerret, eumque ad suæ fidei imitationem vocaret, si ille assentiret, in cuius sententiam fidei diceretur consensisse? Non in hæreticorum sectam, sed in integritatem fidei, quam ille hæreticus se mentiebatur habere. Error vero fortunæ consensum non excludit. Quæ enim nubit pauperi, putans illum esse diuitem, non potest renuntiare priori conditioni,

conditioni, quamuis errauerit. Nec error qualitatis, vt ſiquis ducat vxorem meretricem vel corruptam, quam putat eſſe caſtam vel virginem, non poteſt eam dimittere.

ARTICVLVS I.

Quid ſit error?

NEc ſolum coactio impedit,&c.]Hic agitur de impedimento erroris. Diuiditur autem in tres partes. In prima agit de errore perſonæ qui euacuat conſenſum. In ſecunda de coniugio beatæ Virginis *ibi* [Præmiſſis aliquid addendum eſt, &c.] In tertia agit de cauſis ſecundariis matrimonij *ibi* [Expoſito quæ ſit efficiens cauſa] Adhuc prima ſubdiuiditur in duas. In prima tangit quis error matrimonij conſenſum euacuet, & quis non. In ſecunda obiicit contra hoc *ibi* [Sed obiicitur de Iacob qui pro Rachel] Incidit autem hic quæſtio de errore: & quæruntur ante literam quatuor. Primum,Quid ſit error? Secundum,Vtrum ex ſui natura impediat matrimonium vel ex alio aliquo? Tertium, Quis ſit error perſonæ? Quartum de diuiſione erroris quam ponit Magiſter in litera.

Ad primum obiicitur ſic:Dicit Auguſtinus, quòd error eſt cum falſa pro veris approbantur:ergo error eſt approbatio falſorum pro veris. Videtur autem ſecundum hoc, quòd error non differat ab ignorantia: quia ex ignorantia facti falſa pro veris approbantur: ergo ignorantia & error ſunt idem,quod eſt contra Auguſtinum in 2. de lib. arb. vbi dicit, quòd ignorantia eſt neſcientia alicuius faciendorum.

2 Item videtur potius debere poni ignorantia pro impedimento conſenſus.Cum enim conſenſus debeat eſſe voluntarius,id quod eſt contrarium voluntati,videtur eſſe contrarium conſenſui:ſed inuoluntarium per ignorantiam, eſt contrarium voluntati: ergo conſenſui:ergo videtur, quòd iſtud magis conſenſum excludat: ergo magis debet poni pro impedimento conſenſus.

3 Item, Voluntas ſupponit notitiam voliti: ergo quod omnino priuat notitia voliti, magis tollit voluntatem quam id quod relinquit notitiam in parte: ſed ignorantia tollit in toto,error autem tantum in parte; ergo videtur, quòd ignorantia plus impediat conſenſum,quam error.

4 Item, Non dicitur, quòd error facti excuſet,ſed potius ignorantia facti: quod autem in omnibus excuſat,eo quod non permittit eſſe voluntarium,illud magis debet impedire conſenſum matrimonij, quam illud quod non dicitur ibi; ſed ignorantia ab omnibus ponitur excuſare factum; ergo videtur,quòd magis ſit ponendum impedimentum,quam error.

Quæſtiuncula.

VLTERIVS quæritur; quia dicit Ariſtot. quòd inuoluntarium per ignorantiam, conſequitur neſcientiam ſingularium, in quibus eſt actus & pœnitudo in actu: ſed errorem non concomitatur omnis ignorantia particularium in quibus eſt actus; ergo videtur, quòd ignorantia magis ſit ponenda impedimentum quam error.

2 Item videtur, quòd in omni mendacio & deceptione, falſa pro veris approbantur: ergo videtur, quòd in omnibus talibus ſit error: ergo omnia talia eſſent inuoluntaria, quod falſum eſt.

RESPONSIO. Dicendum,quòd illa definitio erroris eſt bona: error enim non eſt ignorantia vel neſcientia: quia neſcientia eſt priuatio ſcientiæ cuiuſcunque rei ſpeculatiuæ, & ideo non eſt peccatum: ſed ignorantia eſt neſcientia operandorum quæ debent ſciri, & ideo peccatum eſt: ſed error non tollit totam ſcientiam, ſed quandoque fit ex eo quod ſupponuntur oppoſita principiorum, & tunc vocatur à Philoſophis ignorantia malæ diſpoſitionis, & tunc contingit in maiori propoſitione:quandoque autem contingit in minori propoſitione, & tunc eſt error qualitatis, vel perſonæ, vel alicuius alterius enumeratorum in litera. Et ex hoc patet,quòd error ſemper præſupponit aliquam notitiam eius circa quod erratur, ſcilicet per famam, vel viſum,vel opinionem,ſicut dicunt Iuriſperiti: & ideo patet, quòd non eſt priuatio pura: & hoc eſt quod dicit definitio, vera pro falſis approbare: quia ignorantia vel neſcientia nihil approbatur pro aliquo, ſed ſimpliciter priuatur ſcientia ab ignorante: ſed error in maiori propoſitione eſt ſicut error iuris, & error in minori eſt ſicut error facti,ſicut error Nicolai Apoc. 2.qui ideò quod dixit Deus, Creſcite, &c. dixit non eſſe peccatum mulieri quocunque modo commiſceri in ſexu quem Dominus creauit, & cuius commixtionem præcepit & fructum benedixit. Error autem Iacob Geneſ.29. fuit ſicut error facti, qui factum ad non factum reuocat. Et per hoc patet ſolutio ad primum. *Solutio.*

AD OMNIA alia præter vltimum eſt vna ſolutio, quòd in ignorantia & neſcientia nullus eſt omnino conſenſus: quia de ignorato nulla eſt cognitio, & ideò nunquam contingit fieri conſenſum matrimonij: & ideo non euacuat eum: ſed errans cogitat de eo quod ſecundum quid nouit & non perfectè: & ideo alium pro eo accipit: ſed in eum quem ſecundum quid nouit, conſentit: & ideo euacuat conſenſum in iſtum:licet non ſimpliciter euacuet conſenſum in eum qui ſecundum quid notus eſt.

AD VLTIMVM dicendum, quòd in omni mendacio eſt intentio decipiendi: ſed non decipitur qui mentitur: quia non approbat quod dicit: ſed audiens circa dictum errare & decipi poteſt: & ideo circa audientem mendacium bene poteſt error attingere.

***

ARTICV

ARTICVLVS II.

An error ex ſui natura euacuet & impediat matrimonium?

SEcundo quæritur, Vtrum ex ſui natura euacuet conſenſum matrimonij? Videtur autem, quod non: quod enim ex ſui natura euacuat matrimonium, videtur peccare contra aliquod bonorum matrimonij: ſed error talis non peccat contra aliquod bonorum matrimonij: ergo videtur, quòd ex ſui natura matrimonium non euacuet. Prima patet per ſe. Secunda autem probatur ex hoc, quòd matrimoniũ non faciunt honeſtum, niſi bona quæ ipſum efficit.

2 Item, Quod ex ſui natura impedit matrimonium, ſecundum totum ſui ambitum ſuæ communitatis impedit matrimonium: ſed error non ſecundum totum ambitum ſuæ communitatis impedit matrimonium: ergo non ex ſua natura impedit ipſum. Probatur autem prima ex hoc, quòd quicquid conuenit homini ſecundum ſuam naturam, conuenit omni homini. Secunda autem ſcribitur in litera: quia ibi dicitur, quòd error qualitatis vel fortunæ, matrimonium non impedit.

3 Item, Quod conuenit alicui ſecundum ſuam naturam, illi maximè conuenit, in quo eſt natura illa maxime: ſed erroris natura magis eſt in errore vniuerſalis propoſitionis ſiue iuris, quam in errore minoris propoſitionis ſiue facti: ergo ille error magis euacuat matrimonium: ſed hoc eſt falſum, quia ſicut ignorantia iuris neminem excuſat, ita nec error: ergo videtur, quòd & hoc falſum ſit ex quo ſequitur, ſcilicet quòd error ex ſui natura euacuat matrimonium.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius eſt, quòd dicit Gratianus 29.quæſt.1. ſic, Conſenſus eſt duorum vel plurium ſenſus in idem. Qui autem errat, non ſentit nec conſentit, id eſt, ſimul cum aliis ſentit: patet igitur ex diffinitione erroris & conſenſus, quòd error eſt contrarius conſenſui: ergo & ſecundum naturam: quia hoc rei maximè conuenit per naturam, quod conuenit ei ex diffinitione.

2 Item, Omnis error excludit voluntarium: ſed omnis conſenſus eſt voluntarius: ergo omnis error excludit conſenſum circa hoc circa quod erratur: ergo hoc conuenit ei naturaliter, quia generaliter.

3 Item, Digeſtis de iuriſdictione iudicum 2.lib. veterum pandectarum, ſicut dicit Vulpianus, ſi per errorem alius pro alio Prætor fuerit additus, nihil valebit quod actum eſt: nec enim ferendus eſt qui dicat conſenſiſſe eos in præſidem, cum vt Iulianus ſcribit, non conſentiant qui errant: quid enim tam contrarium eſt conſenſui quam error qui imperitia detegitur? Ex hoc accipitur quod nihil adeo contrarium eſt conſenſui ſicut error: ergo de natura ſua euacuat conſenſum.

4 Item 39.quæſt.1. Gratianus, Siquis enim paciſceretur ſe venditurum agrum Marcello, & poſteà veniret Paulus dicens ſe eſſe marcellum, & emeret agrum ab illo, nunquid cum Paulo conuenit ille de pretio? Quaſi diceret, non: ergo error de ſe excludit pactum communicationis in contractu quocunque: ergo de ſua natura etiam excludit conſenſum.

5 Item Ariſt. Gregor. Nicenus, & Damaſc. dicunt communiter, quòd voluntarium eſt, cuius principium eſt in ſeipſo conſciente ſingularia in quibus eſt actus: ſed errans in perſona, principium ſingularium ignorat: ergo ipſius actus non eſt voluntarius: ergo nec circa hoc eſt conſenſus, quia omnis conſenſus eſt voluntarius: & ſic habetur idem quod prius.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd de ſui natura error perſonæ euacuat conſenſum, & per conſequens matrimonium, ita quòd etiamſi Eccleſia non ita determinaret & ſtatueret, tamen æquitate naturali conſenſus per errorem excluderetur.

AD PRIMVM ergo quod contra hoc eſt, dicendum quòd error peccat contra ipſam matrimonij eſſentiam, quæ eſt indiuiduitas animorum & corporum, indiuiduam vitæ conſuetudinem retinens: & ideò poſteà non habent locum bona matrimonij, quia ſtatim euacuat fidem conſentienter contrahentium.

AD ALIVD dicendum, quòd ſecundum totum ambitum ſpeciei impedit matrimonium, & dirimit contractum, quia non eſt contractum: & hoc ideo contingit, quia vis impeditiua conſenſus in hunc conſequitur ſpeciem & non genus: & ideo error perſonæ impedit, non autem error qualitatis.

AD ALIVD dicendum, quòd error in iure matrimonij circa matrimonium contractum non poſſet eſſe niſi hoc modo, quòd diceretur matrimonium eſſe ſi non legitimo conſenſu contraheretur, & inter legitimas perſonas: & tunc bene euacuaretur, quia non eſſet ibi conſenſus matrimonij, & imputaretur eis in peccatum qui ſic conuenirent. Et ideo illa obiectio non eſt ad propoſitum. Et quod infert, quòd error iuris non excludit, ipſe dicit falſum: ſed verum eſt, quòd non excuſat eum à peccato ſicut error facti. Et per hoc patet ſolutio ad totum.

ARTICVLVS III.

Quid ſit error perſonæ?

TErtio quæritur, Quid ſit error perſonæ? Videtur enim, quòd hoc ſit perſonam pro perſona approbare: ſicut ſi intendam conſentire in Petrum, & exhibeatur mihi Marcianus. Videtur autem, quòd iſte non excludit matrimonium: quia omnia quæ requiruntur ad bona matrimonij, ita inueniuntur in vno ſicut in alio: ergo videtur, quòd tantum valet exhibere vnum, quantum alium.

2 Item, Si aurum intendam emere aliquod, & alius exhibeat mihi aliud aurum æquialens illi, non poſſum me dicere deceptum: ergo ſi mulier conſentit in alicuius dignitatis & conditionis virum, & exhibeatur ei vir æquè bonæ conditionis, videtur quòd non poteſt dicere ſe eſſe deceptam: ergo nec matrimonium quod contraxit, impedietur.

3 Item, Ponamus, quòd illa quæ errauit

in

in persona, multis annis federit cum eo, & post filiorum partus primo sciat, & poscat eum in quem consensit: videtur quòd tunc graue sit recedere ab isto: ergo videtur, quòd non semper error personæ excludat consensum matrimonij.

4 Item, Ponamus, quòd frater ei pro fratre supponatur, & in primum consensit per verba de præsenti: cum secundo autem commixta est carnaliter. Videtur igitur quod melius sit, quòd maneat cum secundo, licet per errorem illi sit coniuncta, quia propter affinitatem primum videtur non debere habere.

Solutio. AD HOC dicendum, quòd vbi est error, ibi est nulla voluntas, vt dicit ius: & ideo error personæ totum excludit consensum, & nullum ibi patitur esse matrimonium.

AD PRIMVM ergo benè videtur esse concedendum, quòd talis est error personæ prout ibi exponitur.

AD ALIVD dicendum, quòd licet cum alio possit esse fides thori, proles, & sacramentum: tamen non est matrimonium, quia non est consensus in ipsum: & ideo ibi nulla est matrimonij essentia.

AD ALIVD dicendum eodem modo, quòd non est simile, quia in contractu emptionis & venditionis potest esse recompensatio per æquiualens: & hoc non potest esse in matrimonio: non enim æquiualentem pro suo mulier recipere potest, quia illius legi subiecta est, quanto tempore vir eius viuit, vt dicit Apostolus 1. Corinth. 7.

AD ALIVD dicendum, quòd si consensit cum primo per verba de præsenti, secundus non potest esse vir eius, etiamsi liberos habeat per ipsum, & sit frater prioris: & ideo debet separari ab eo, & reddi primo.

ARTICVLVS IV.

An erroris diuisio quam ponit Magister in litera, sit benè assignata?

QVarto quæritur de diuisione erroris quam ponit in litera, scilicet quod est error conditionis, personæ, fortunæ, qualitatis, &c.] Videtur autem, quòd omnes isti errores excludant consensum matrimonij: quia omnis consensus de se facit voluntarium, & omnis error de se facit inuoluntarium: ergo omnis error de se excludit consensum.

2 Præterea videtur, quòd error euacuet voluntatem per illud Aristot. supra inductum: quia voluntarium conscit singularia: sed errans non conscit: ergo omnis error excludit consensum.

3 Vlterius videtur, quòd error conditionis non euacuet: quia non est contrarius bono matrimonij: ergo videtur, quòd non debeat excludere.

4 Item, Plus deprauat cohabitationem & prolem error cuiusdam qualitatis, vt lepræ, quam error conditionis: & primus error non excludit: ergo nec secundus.

5 Vlterius videtur, quòd error qualitatis quandoque excludit consensum: quia impotentia coeundi est qualitas: & excludit, vt infra habebitur: ergo error qualitatis quandoque euacuat matrimonium.

6 Item, Magis fugienda est mala qualitas animæ quam corporis: sed aliqua mala qualitas corporis excludit, vt probatum est: ergo etiam mala dispositio animæ: ergo si credatur bonus, qui malus est, videtur quòd error ille excludat consensum.

7 Vlterius videtur, quòd etiam error fortunæ consensum euacuet: quia multa sunt onera matrimonij, propter quod indiget dote & paraferna: sed pauper hæc onera subleuare non potest: ergo cum consentitur in pauperem qui diues esse creditur, videtur quòd error fortunæ matrimonij consensum excludere debeat.

8 Vlterius quæritur, Cum multæ sint qualitates vt & illæ quas in litera enumerat, sicut iuuentus & senectus, sanitas & infirmitas, & alia plura quæ onerosam vel iucundam coniugum faciunt cohabitationem, quare ipse omnes illas in litera non tangit sicut istas qualitates?

RESPONSIO. Dicendum, quòd nullus *Solutio.* error euacuat consensum matrimonij, nisi ille qui est circa rem illam super quam cadit consensus, sicut super materiam: quia illam debet scire si consentit, sicut patet in exemplis in litera inductis. Et hoc patet expresse in errore personæ. Sed quia conditio immobilis est circa personam, ideò impossibile est vt idem ingenuus sit & seruus: & ideo quando consentitur in ingenuum, & exhibetur seruus, non est tantum error conditionis, sed etiam personæ: & ideo isti duo errores euacuant consensum.

AD ID ergo quod primo obiicitur, quòd omnis error euacuat consensum matrimonij, dicendum quòd non omnis error euacuat consensum matrimonij, nec facit consensum inuoluntarium de persona, sed de aliquo quod creditur in persona per accidens & mobiliter, sicut diuitiæ, bonitas, & huiusmodi: & ideo cum non directè facit inuoluntarium consensum, non excludit matrimonium.

AD ALIVD dicendum, quòd conscit singularia sub aliquo actu: quia scit in quo siue in quem consentit: sed aliquid est circa illum per accidens, quod ignorat, & hoc non obstat matrimonio.

AD ID quod vlterius obiicitur de errore conditionis, dicendum quòd euacuat consensum ex causa prius dicta. Ad obiectum contra, dicendum quòd est contra liberum statum matrimonij, & contra omnia iura coniugis & prolis, & deturpat totam honestatem & coniugum & liberorum, & ideo libertas fauorabilis est, & ideo excludit error conditionis consensum.

AD ALIVD dicendum, quòd non est ex hoc quod excludit consensum, sed potius ex hoc quòd error conditionis implicat errorem personæ, licet adiiciat deturpationem conditionis in coniugibus & liberis, vt dictum est.

AD ALIVD dicendum, quòd non accipitur hic qualitas largè, sed specialiter pro illa

quæ non est contraria actui matrimoniali: quia illa etiam qualitas est: alia autem est sicut cuiusdam substantialis matrimonij priuatio.

Ad aliud dicendum, quòd qualitas mentis aliter potest curari, quam per exclusionem coniugij, scilicet si mulier non imitetur virum: quia in tali casu etiam vtile est quandoque coniungi malum virum cum bona fœmina, vel è conuerso: quia dicit Apostolus 1. Corinth. 7. quòd vnus coniugum frequenter sanctificatur per alium bonum.

Ad id quod vlterius quæritur de errore fortunæ, dicendum quòd illa mobilis est circa personam, & ideo non excludit. Ad id autem quod contra obiicitur, dicendum quòd hoc fit ad bene esse matrimonij, & non ad esse: & ideo non valet obiectio.

Ad aliud dicendum, quòd tales qualitates frequenter subiacent oculis contrahentium, scilicet senectus, iuuentus, infirmitas, & sanitas: & ideo tales non oportet ponere: quia cum vident esse, possunt consentire vel dissentire. Sed istæ quas hîc enumerat, sunt magis latentes, & posset alicui videri, quòd excluderent consensum nisi exprimerentur.

ARTICVLVS V.

An Lia coniungens se Iacob qui consenserat in Rachel, mortaliter peccauit, & adulterium commisit?

Deinde quæritur de hoc quod dicit [Sed obiicitur de Iacob, &c.] Videtur enim falsum dicere in litera, quòd Lia excusetur per hoc, quòd vxorio affectu debitum reddiderit, putans lege primogenitarum & paternis imperiis se iure copulatam: hoc enim videtur falsum: quia ignorantia iuris neminem excusat: sed hæc est ignorantia iuris, quòd aliquis eo ipso credat se esse coniugem sponsi sororis, quia est primogenita: ergo videtur, quòd Lia non excusetur.

2 Adhuc, Sine consensu puellæ non potest fieri matrimonium: consensus autem est sensus duorum, vt habitum est ante: & hoc bene sciuit Lia, quod ipsa non fecerit: ergo sciuit se non esse coniugem: ergo peccauit mortaliter se Iacob coniungendo.

Solutio. Ad hoc dicendum, quòd Laban peccauit mortaliter, sed non Lia: quia consensus matrimonij non tantum fit per se, sed per alium mediatorem existentem, & ita per patrem vt mediatorem consentit Lia. Et sic patet solutio obiectorum.

ARTICVLVS VI.

An aliquis adorans diabolum transfiguratum in Angelum lucis mortaliter peccet?

Deinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Si enim diabolus transfigurans se in Angelum lucis, &c.] Videtur enim, quòd falsum dicit: quia dicitur 1. Ioan. 4. Nolite omni spiritui credere, sed probate spiritus vtrum ex Deo sint. Ergo peccat, qui non probat: sed non probat, qui diabolum loco Christi adorat, ergo videtur, quòd ipse peccat: ergo simile non valet.

Solutio. Sed quia de hoc super tertium est notatum, dicendum quòd ipse loquitur in tali casu, quando sufficiens cautela de probatione spiritus est adhibita: tunc adhuc debet dicere cum Bartholomæo, Adoro, sed non idolum, sed Deum adoro, non dæmonem sed Iesum Christum: & si tunc etiam est deceptus, non nocet.

ARTICVLVS VII.

An suscipiens hæreticum nomine Catholici peccet mortaliter?

Vlterius quæritur de alio simili quod tãgit *ibi* [Siquis hæreticus nomine Augustini, &c.] Hoc enim videtur nihil valere: quia ille suscipit hæresim: sed qui suscipit hæresim, non excusatur etiamsi per Angelum suscepisset eam: ergo ipse peccat: & sic simile nihil valet. Quod autem minor vera sit, patet Galat. 1. Si Angelus de cælo Euangelizet vobis præter id quod Euangelizauimus vobis, anathema sit.

Solutio. Responsio. Loquitur hîc de deceptione hominis, non erroris: licet enim deceptores hæreticorum condemnentur, tamen recipiens hæreticum nomine Catholici, non condemnabitur. Et hoc intendit in litera. Et per hoc patet solutio.

De coniugio Mariæ & Ioseph.

B Aug. lib. 24. cõtra Faustũ Manichæum. c. 8. & 9.

Præmissis aliquid addendum est de modo illius consensus, qui inter Mariam & Ioseph interceſſit. Sanè credi potest, non solum Mariam, sed etiam Ioseph apud se dispositisse virginitatem seruare velle, nisi Deus aliter iuberet, eosque sic consensisse in coniugalem societatem, vt vterque de altero, reuelante Spiritu sancto, intelligeret, quòd virginitatem seruare vellet, nisi Deus aliter inspiraret: sed illam voluntatem verbis non expressérant, postea verò expresserunt, & in virginitate permanserunt.

ſerunt. Conſenſit ergo Maria in maritalem ſocietatem, ſed non in carnalem copulam, niſi de eadem ſpecialiter Deus præciperet: cuius etiam conſilio in maritalem conſenſit copulam, quia virginitatem ſeruare volebat: & ideò non aliter conſeſiſſet in coniugalem ſocietatem, niſi familiare Dei conſilium habuiſſet: de qua Auguſt. ſic ait, Beata Maria propoſuit ſe ſeruaturam votum virginitatis in corde, ſed ipſum votum non expreſſit in ore. Subiecit ſe diuinæ diſpoſitioni, propoſuit ſe perſeueraturam virginem, niſi Deus aliter ei reuelaret. Committens ergo virginitatem ſuam diuinæ diſpoſitioni, conſenſit in carnalem copulam, non illam appetendo, ſed diuinæ inſpirationi in vtroque obediendo: poſtea vero ſimul cum viro labiis expreſſit, & vterque in virginitate permanſit.

Lib. de nuptiis & concup. & habetur 29. q. 2. c. Sufficiat. §. Cum ergo.

Quod perfectum inter eos fuit coniugium.

INTER quos, vt ait Auguſt. perfectum fuit coniugium, perfectum quidem non in ſignificatione, ſed in ſanctitate. Sanctiora ſunt enim coniugia pari voto continentium. Vnde Auguſt. Quod Deo pari voto & conſenſu voueratis, ambo perſeueranter reddere debuiſtis: à quo propoſito ſi lapſus eſt ille, tu ſaltem perſeuera. Non quia pariter temperabatis à commixtione carnali, ideo maritus tuus eſſe deſtiterat: imo vero tanto ſanctius coniuges manebatis, quanto ſanctiora concorditer placita ſeruabatis. Perfectum ergo fuit Mariæ & Ioſeph coniugium in ſanctitate. Perfectum etiam fuit ſecundum triplex bonum coniugij, fidem ſcilicet, prolem, & ſacramentum. Omne enim nuptiarum bonum, vt ait Auguſtinus, impletum eſt in illis parentibus Chriſti, fides, proles, ſacramentum. Prolem cognoſcimus ipſum Dominum. Fidem, quia nullum adulterium. Sacramentum, quia nullum diuortium. Solus ibi nuptialis concubitus non fuit: quia in carne peccati fieri non poterat ſine pudenda concupiſcentia carnis, quæ accidit ex peccato: ſine qua concipi voluit, qui ſine peccato futurus erat. Et licet non interceſſerit coniugalis concubitus, coniuges tamen verè fuerunt mente non carne, ſicut & parentes: quamuis Ambroſ. dicat perfectum fieri coniugium per carnalem copulam. In omni, inquit, matrimonio coniunctio intelligitur ſpiritualis: quam confirmat & perficit coniunctorum commixtio corporalis. Sed intelligendum eſt coniugium perfici commixtione corporali, non quantum ad veritatem vel ſanctitatem coniugij, ſed quantum ad ſignificationem, quia perfectius vnionem Chriſti & Eccleſiæ tunc figurat.

C 27. q. 2. §. Inter quos. Ad Enditiam.

Lib. de nuptiis & concup. c. 11. & habetur 27. q. 2. cap. Omne itaque.

Lib. de Patriarchis. 11. & c. 12. & habetur 27. q. . cap. Cũ initiatur.

ARTICVLVS VIII.

An erat verum matrimonium inter Ioſeph & glorioſam Dei genitricem Virginem?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Præmiſſis aliquid addendum eſt de modo, &c.] Quæruntur autem ibi quinque, quorum primum eſt, vtrum fuerit coniugium? Secundo, Vtrum fuerit perfectum? Tertio, Vtrum votum contrariatur conſenſui facienti matrimonium? Quarto, Vtrum bonum prolis illius matrimonij fuit bonum? Quinto & vltimo, Vtrum fuerit ibi indiuiduitas vitæ?

Ad primum horum ſic obiicitur: Altiſſimus ſtatus matri Dei competebat: ſed altiſſimus ſtatus eſt extra matrimonium: ergo mater Dei matrimonio ligata non fuit: ergo non fuit matrimonium inter eam & Ioſeph.

2 Adhuc, Perfectius eſt votum quod abſolutè

lutè sit, quam id quod sit sub dubio: sed optimum & perfectissimum imponendum est matri Dei: ergo videtur, quòd suum votum fuerit tale: sed hoc impedit matrimonium: ergo ipsa posteà non contraxit matrimonium.

3 Adhuc Genes. 15. dicitur, quòd generatione quarta reuertentur huc: & hæc est contraria secundæ: quia prima fuit viri de terra. Secunda mulieris virginis de viro virgine non desponsato. Et tertia de commixtione sexuum matrimonio consueta. Ergo quarta debuit esse viri de fœmina non coniugata: ergo beata Virgo coniugium cum Ioseph non habuit: quia ego relinquo pro constanti, quòd ipsa fecit, quicquid debuit.

4 Si forte dicas, quòd voluit Deus, quòd esset coniugata vt solatium viri haberet in procuratione. Contra: Maioris meriti est non habere virum nec procurationem viri, quam non habere quidem per commixtionem, sed habere sui procurationem: sed ipsa fecit semper quod fuit maius meritum: ergo videtur, quòd ipsa nullo modo habuit virum: ergo inter eam & Ioseph non fuit coniugium.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est, quòd summa sapientia summe cauere debuit matri suæ & ab infamia, & à periculo: sed non esset cautum nisi per desponsationem, quia aliter credita fuisset adultera, & lapidata: ergo Christus qui est summa sapientia, ordinauit quòd esset coniugata: ergo fuit coniugium inter eam & Ioseph.

2 Adhuc, Altior status est virginitatis, quanto magis habet impugnans, dummodo in perfecta munditia perseueret: sed talis impugnatio præcipuè est in coniugiorum sanctissima continentia: ergo in talibus altissimus est status virginis: sed status altissimus decebat matrem Christi: ergo decebat matrem Christi vt esset coniugata, dummodo in concupiscentia non esset comuncta coniugi suo.

Quæstiuncula. VLTERIVS quæritur de causis desponsationis beatæ Virginis quas tangit Origenes in homilia de vigilia Natiuitatis Domini sic dicens: Quæ fuit necessitas vt esset Maria desponsata Ioseph, nisi propterea quatenus hoc sacramentum diabolo celaretur? & ille malignus fraudis commenta aduersus desponsatam virginem nulla penitus inueniret? Vel ideo desponsata fuit Ioseph, vt nato infanti & ipsi Mariæ curam videretur gerere siue in Ægyptum iens, siue inde denuò veniens. Et infra, Si enim non fuisset desponsata, omnium bonorum incredibiles & inimici Iudæi lapidibus eam occidissent. Ex his colliguntur tres causæ quare de coniugata voluit Christus nasci, vt diabolo sacramentum celaretur, vt solatium & obsequium matri & sibi exhiberetur, & non mater tanquam adultera à Iudæis infamaretur & lapidaretur.

Videtur autem prima nulla esse: quia dæmones naturalia dona, sicut dicit Dionysius, non amiserunt, sed per naturam sciunt & cognoscunt Deum: ergo per naturam deitatem in Christo cognouerunt: ergo hoc sacramentum non fuit celatum dæmonibus per coniugium.

2 Adhuc, Dæmones vident omnia naturalia: ergo cognoscunt signa virginitatis & corruptionis: ergo per hæc signa cognouerunt matrem Christi esse virginem post partum: ergo sciuerunt Christum esse filium Virginis: ergo per hoc non fuit eis celatum sacramentum.

3 Adhuc, Ipsi cognouerunt Christum non habere peccatum per hoc quod de suo nihil inuenerunt in ipso: ergo sciuerunt eum aut esse mundatum, aut præter legem communem natum: sed non sciuerunt ipsum esse mundatum, quia nunquam habuit peccatum: ergo sciuerunt eum esse natum præter legem communem: ergo non de viro, nec de fœmina, sed de virgine natum: ergo non fuit eis celatum sacramentum. Quod autem sequatur, probatur per August. in lib. de nuptiis & concupiscentia contra Iulianum Pelagianum, & per Anselmum in lib. de conceptu virginali, qui multis rationibus persuadere contendunt, omnem illum contrahere originale qui per legem communem nascitur ex viro & fœmina: & ideo beatam Virginem non potuisse transfundere originale, quia præter legem communem peperit.

Vlterius quæritur de secunda: quia cum venerit pati paupertatem pro nobis, videtur quòd magis debuit tali solatio matrem velle destitui, quam iuuari.

Similiter de tertia obiicitur: quia Iudæi legerant Scripturam Isaiæ 7. in qua dicitur, Ecce virgo concipiet, &c. sed tunc expectabant redemptionem: ergo videtur, quòd si sine desponsatione peperisset, non lapidassent eam, sed cum gaudio suscepissent.

Item videtur, quòd coniugium fuit eis impedimentum credendi: quia sciuerant, quòd de Virgine Christus nasci debuit, & ipsa per coniugium virginitatem suam occultauit: ergo eis impedimentum credendi per hoc videtur generasse.

RESPONSIO. Dicendum, quòd verum & perfectum matrimonium fuit inter gloriosam Virginem, & sanctum Ioseph, testem & œconomum virginalis castitatis eius. *Solutio.*

AD HOC ergo quod primo obiicitur, dicendum quòd matrimonium ratione consensus coniugalis non deprimit statum virginitatis, sed potius ratione coitus: & ille in illo matrimonio non fuit: quia vt dicit Origen. licet esset desponsata, non tamen fuit in concupiscentia iuncta.

AD ALIVD dicendum, quòd votum est conceptio melioris boni: bonum autem melius est duplex, scilicet simpliciter, & secundum tempus in quo magis valet. Dicit enim Philosophus in 3. topicorum, quòd vnumquodque in tempore in quo magis valet, magis est eligendum: & ideo optimum fuit beatæ Virginis votum, quia simpliciter fuit de optimo, id est, de virginitate: sed bonum quod tunc plus valuit, commisit dispensationi: vnde non dubitauit vtrum vellet virgo permanere, sed potius vtrum deberet permanere quod volebat, eò quod tunc fructus ventris secundum tempus plus valuit Ecclesiæ, quam virginitas: quia multi ad idololatriam pertrahebantur,

trahebantur, & pauci verum Deum colebant. Et hoc est quod præceperat Dominus Leuit. 2. quòd in omni sacrificio sal offerretur: quia nullum votum debuit fieri, nisi discernendo voluntatem Dei circa bonum quod tunc magis voluit.

AD ALIVD dicendum, quòd quarta generatione reuertuntur, sicut dicit obiectio: sed non oportet, quòd per omnia sit similis secundæ: & hoc ideo, quia status temporis non fuit idem: solus enim existens vxorem habere non potest, sed formabatur ei vxor, & beatæ Virgini non nascebatur maritus, sed dulcissimus filius, qui sua generatione omnes genuit filios, vt reduceret ad patriam æternæ salutis.

AD ALIVD dicendum, quòd quia meritum est in voluntate, & indiscretio est carere solatio necessitatis, procurauit Deus matri solatium necessitatis, & solatium voluptatis excluſit: & ideo illa obiectio supponit falsum, quòd scilicet maioris meriti sit carere solatio necessitatis, quam ipsum habere: sed si dicat de solatio voluptatis, tunc non est ad propositum.

AD ALIVD quod obiicitur de causis quas assignat Origenes, dicendum quòd bonæ sunt. Ad id quod obiicitur contra primam, potest responderi dupliciter. Vno quidem modo: quia licet dæmones naturalem cognitionem habeant diuinitatis, tamen non vnionis; & ideo non sequitur, quòd nouerunt deitatem vt vnitam: & sic celatum fuit eis, quia si filius fuisset non coniugatæ virginis, habuissent certiores coniecturas. Alio modo potest dici, quòd de diabolo loquitur Origenes in membris suis, & non in se. Sed primum melius est: quia Gloss. 1. Corinth. 2. super illud, Quem nemo principum huius seculi cognouit: si enim cognouissent, nunquam Dominum gloriæ crucifixissent: exponitur de dæmonibus qui nescierunt sacramentum incarnationis: quia si sciuissent, nunquam persuasissent crucifixionem: sciuissent enim se per hoc amissuros potestatem. Et si obiicitur contra illud, quod dicitur Matth. 8., Quid nobis & tibi Iesu Fili Dei? venisti ante tempus torquere nos? Dicendum, quòd hoc dixerunt dæmones per coniecturas miraculorum & sanctitatis vitæ, & non ex certa scientia.

AD ALIVD dicendum, quòd bene potest esse, quod voluntate diuina impediti non considerare audebant aliquid circa matrem Dei: & ideo scientia eorum de naturalibus eius fuit quasi in habitu & sopita, sicut aliquis scit aliquid in vniuersali, quod tamen in particulari non considerat.

AD ALIVD dicendum, quòd de filio Dei benè cognouerunt, quòd nihil iuris habebant in ipso: sed hoc poterat multis aliis de causis voluntate diuina fieri: & ideo ex hoc non habebant nisi coniecturam. Et ideo Matth. 4. & Lucæ 4. multum instat tentationi diabolus, vt verum experimentum diuinitatis accipiat.

AD ALIVD dicendum sicut prius, quòd solatium necessitatis refutare est peruersum & non meritorium, & præcipuè in virgine cuius, cum sola est, non est discurrere per terras, & per diuersa negotia vagari.

AVLTIMVM dicendum, quòd amantes primatum, cæci facti erant: & ideo testimonio Scripturæ non credidissent, sed lapidassent, sicut posteà compertum fuit in opere, vbi magna & euidentia miracula eos flectere non poterant. Vnde licet Scripturam habuissent, tamen non credidissent beatam Virginem fuisse illam, de qua hoc prædictum fuit. Et per hoc patet etiam solutio ad sequens: quia non fuisset eis impedimentum, sed potius credulitatis argumentum per sancti viri Ioseph testimonium confirmatum.

ARTICVLVS IX.

An sacramentum matrimonij inter Mariam & Ioseph fuit perfectum, & an iustè Ioseph voluit Mariam dimittere?

SEcundo quæritur, Vtrum sacramentum hoc fuit perfectum? Videtur autem, quòd non, & hoc tripliciter. Primo ab ipsa causa efficiente: consensus enim simpliciter causat matrimonium simpliciter: ergo consensus conditionatus, non causat matrimonium simpliciter, sed secundum quid: sed consensus beatæ Virginis fuit conditionatus: ergo non causabat matrimonium nisi secundum quid: sed matrimonium secundum quid, est imperfectum: ergo matrimonium beatæ Virginis fuit imperfectum.

2 Item, Ex parte boni fidei videtur fuisse imperfectum: quia aliud est voti absoluti, & aliud fidei thori: votum enim absolutum custodit castitatem absolutam ab omni viro, & in omni hora: sed fides thori nec omni hora nec absolutè, & hæc custodia non fuit in beata Virgine: ergo suum matrimonium quantum ad fidem thori fuit imperfectum.

3 Item etiam quantum ad prolem videtur fuisse imperfectum: quia proles non fuit causata à matrimonio: ergo non fuit bonum eius: ergo non accipit ab ipsa aliquam perfectionem.

4 Item quantum ad bonum sacramenti: perfectum enim in bono sacramenti, est perfectum in signando: sed istud imperfectum est in signando, vt dicit litera: ergo est imperfectum sacramentum; ergo etiam imperfectum videtur.

5 Item quantum ad essentiam matrimonij videtur imperfectum: quia indiuiduitas est perfectio essentialis matrimonij: sed quæ nunquam perfectè fiunt vnum, illa nunquam habent perfectam indiuiduitatem: sed beata Virgo & Ioseph nunquam perfectè fuerunt vnum: ergo patet propositum. Probatio minoris est, quòd vnitas animorum ordinatur ad vnitatem corporum: finale autem in omnibus est complens: cum igitur nunquam fuerunt vnum vnitate corporis, nunquam perfectè fuerunt vnum.

6 Item, Omne illud in quo deficit vltimum complens, est imperfectum: sed in matrimonio

monio beatæ Virginis & Ioseph deficit vltimum complens : ergo est imperfectum. Probatio minoris est : quia vltimum consummans matrimonium est commixtio sexuum.

7 Item causa quam in litera dicit, videtur esse nulla, quia castitas non perficit coniugium, licet aliquo modo perficiat meritum: ergo nihil est quod dicit.

8 Item, Hoc perficit coniugium in quod exercendum consentiunt coniuges: hoc autem non est castitas: ergo castitas non perficit. Prima per se patet. Secunda autem probatur per hoc, quòd si castitas perficeret matrimonium, frustrà excluderentur à matrimonio mater, soror, & filia, & huiusmodi personæ.

Sed contra. IN CONTRARIVM est quod dicitur in litera, & idem est in decreto. 31. per totum.

2 Item, Adhuc obiicitur per rationem sic: Dei perfecta sunt opera: ergo præcipuè illa sunt perfecta quæ facit circa se & suos : matrimonium autem istud fecit circa se & suos: ergo est perfectissimum.

3 Item, Ipse Angelus dicit Matth. 1. Noli timere accipere Mariam coniugem tuam. Non autem dicuntur coniuges, vt supra est probatum, nisi ex quo matrimonium inter eos est perfectum : ergo fuit ibi perfectum matrimonium.

Quæstiuncula. SED SI hoc secundum veritatem conceditur, quæritur tunc, quare Ioseph cum esset iustus, nollet eam traducere, sed voluit occultè dimittere eam : non enim licuit ei eam dimittere & aliam ducere, nec in seculo manere, si erat matrimonium perfectum : sed licuit cum esset iustus, iustus enim nihil iniustè molitur : ergo non fuit matrimonium perfectum, vt videtur.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd perfectissimum fuit, incontaminatum, & immaculatum matrimonium : quia, sicut supra ostensum est, concubitus carnalis consequens est matrimonium, & non perficit ipsum, sed potius consensus per verba de præsenti expressus.

Dicta igitur non repetentes, dicimus ad primum, quòd consensus sufficiens fuit ad matrimonium, qui erat in matrimonialem copulam sub dispositione diuina permissam : charitas enim per se vult meliora: sed nonnunquam cogitur operari circa ea quæ inferiora sunt & magis necessaria tali tempore, sicut dicit Gloss. Tit. 2. Charitas veritatis vult semper quod melius est simpliciter ; sed veritas charitatis illa cogit facere velle ex tempore. Et ideo dicendum, quòd argumentum non procedit nisi de conditione coniugalem consensum diminuente, & talis non est ista.

AD ALIVD dicendum, quòd fides custodit castitatem propter se, & exhibet se maritaliter coniuncto propter infirmitatem vel bonum prolis. Vnde quod exhibet se, hoc est propter aliud : sed custodia castitatis est sicut per se desideratum : & ideo in primo est perfectio boni fidei, & non in secundo.

AD ALIVD dicendum, quòd duo faciunt bonum matrimonij, scilicet susceptio prolis per matrimonium, & educatio in ipso. Dicendum igitur, quòd Christus habet alterum expresse, quia educatur pietate parentum, & præsentatur Patri in templo, vt sisterent eum Domino : & loco primi habet quòd susceptus est in matrimonio, licet non per ipsum, & ideo dicitur bonum matrimonij, non omninò sicut alij infantes.

AD ALIVD dicendum, quòd significatio est de essentia sacramenti inquantum conuenit veteri sacramento : & ideo consequitur genus sacramenti, & non speciem : & ideo à significatione essentialem perfectionem sacramentum non contrahit.

AD ALIVD dicendum, quòd nulla vnio est essentialis matrimonij ratio, nisi maritalis in consensu animorum fundata : illa autem quæ est carnis, est consequens ipsum : & ideo prima non ordinatur ad illam sicut ad essentiale, sed sicut ad effectum qui potest consequi si volunt coniuges : & ideo argumentum falsum supponit.

AD ALIVD dicendum, quòd actus concumbendi non est perficiens & consummans secundum esse : & huius ratio satis ex superioribus habetur.

AD ALIVD dicendum, quòd causa bona est quam dat in litera : est enim castitas duplex, scilicet castitas simplex & in genere, & castitas specifica. Et simplex quidem dicta castitas, non perficit matrimonium, sed in specie, & hæc est castitas maritalis, & hæc est quæ est secundum voluntatem coniugum siue ad continendum siue ad reddendum debitum: & perfectior est quando est ad continendum, & talis fuit in matrimonio isto de voluntate vtriusque, eò quod ambo vouerunt castitatem, & hac de causa de communi voluntate continuerunt: & talis non est castitas virginis non iunctæ matrimonio, nec etiam castitas viduæ.

AD PROBATIONEM autem vlteriorem dicendum, quòd inter illegitimas personas non potest esse castitas coniugalis, sicut iam & supra patuit: & per hoc soluta sunt omnia quæ primo obiecta sunt.

AD VLTIMVM autem respondet Origenes, quòd non cogitauit hoc Ioseph: vt suspicionem haberet de gloriosa Virgine, sed potius, quia indignum se reputabat tantæ sanctitati seruire : & ideo, nisi confortatus fuisset ab Angelo, alio se subtrahere voluit, vt alij sua reputatione magis idoneo locum daret. *Ad quæstiunculam.*

ARTICVLVS X.

An bonum matrimonij istius fuit bonum prolis?

TErtio quæritur, Verum bonum prolis istius matrimonij bonum fuerit ? licet enim hoc iam ferè sit habitum, tamen amplius est inquirendum. Videtur autem, quòd non: bonum enim matrimonij se habet ad matrimonium sicut effectus ad causam : sed proles ista non est effecta à matrimonio isto ; ergo non potest esse bonum eius.

2 Item, Filius adoptatus ab aliquo, non

potest

potest esse bonum sui matrimonij: ergo multò minus ille qui non est, nec est etiam adoptatus.

3 Item, Sicut se habet pater ad filium qui matrimonio iunctus est, ita filius ad matrimonium: sed pater Christi non fuit Ioseph verus, sed solum putatiuus: ergo videtur, quòd Christus non fuit nisi putatiuum bonum prolis illius matrimonij: sed non sequitur, hoc est putatiuum bonum illius: ergo est bonum illius: ergo videtur, quòd non debet dici bonum illius matrimonij.

4 Item, Non est bonum matrimonij quod est ante coniunctionem matrimonialem: sed Christus conceptus verus homo existens fuit ante coniunctionem matrimonialem beatæ Virginis & Ioseph: ergo non fuit bonum illius matrimonij. Prima patet per se. Secunda scribitur Matth. 1. Antequam conuenirent, inuenta est in vtero habens de Spiritu sancto.

Solutio. AD HOC dicendum est, vt prius, quòd ad hoc quòd proles dicatur bonum matrimonij, plura exiguntur, scilicet quòd in matrimonio secundum timorem Dei suscipiatur & religiosè educetur, & quòd in ipso stet cultus diuinus sicut stetit in parentibus, sicut dicitur Tobiæ 8. Ad posteritatis dilectionem in qua laudetur nomen tuum. Et horum quædam fuerunt in Christo, ratione quorum dicitur bonum prolis illius matrimonij, scilicet quia in matrimonio est susceptus, licet non ex matrimonio, sed ex Spiritu sancto, & in matrimonio nutritus & educatus subditus illis, vt dicitur Lucæ 2. & religio parentum non tantum in ipso permansit, sed etiam tota quæ ceciderat, resurrexit.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd matrimonium sufficiens non fuisset ad tantum effectum, sed aliquid effecit circa ipsum, scilicet protectionem matris, & sui educationem.

AD ALIVD dicendum, quòd Christus non est filius adoptatus alicuius, sed naturalis matris filius, & per ipsam pertinens ad matrimonium.

AD ALIVD dicendum, quòd comparatio illa non valet: quia Christus dupliciter potest comparari ad matrimonium, scilicet per matrem, & Ioseph: sed Ioseph ad Christum non comparatur, nisi sicut pater putatiuus & nutriens: & ideo non procedit argumentatio.

AD ALIVD dicendum, quòd ante cohabitationem conceptus est Christus: sed non dicit Euangelium, quòd conceptus sit ante pactionem coniugalem, sed innuit, quòd post, cum dicit: Cum esset desponsata, &c. sed quicquid sit post pactionem coniugalem quæ ibi desponsatio vocatur, totum pertinet ad matrimonium.

ARTICVLVS XI.

An votum castitatis beatæ Virginis contrariebatur consensui matrimoniali?

QVarto quæritur, Vtrum votum illud consensui matrimoniali contrariebatur? Videtur autem, quòd sic: quia quorum actus sunt contrarij, & ipsa sunt contraria, vt dicit Philosophus: sed actus voti castitatis & matrimonij, sunt contrarij: ergo votum & consensus matrimonialis sunt contraria. Probatio minoris est, quòd votum vult continere ab omni, sed non consensus matrimonij.

2 Item, Votum non est de his quæ subsunt præcepto, quia ad hæc omnia tenetur quilibet sine voto: ergo votum non excludit ibi fornicationem carnalem: cum igitur excludat aliquid de his quæ non sunt sub præcepto, videtur quòd excludat matrimonium: ergo videtur, quòd consensui matrimonij contrarietur.

3 Item, Vouenti paupertatem voluntariam non licet redire ad diuitias habendas ad vsum, etiamsi subiiciat eas, sed oportet abiicere: ergo à simili vouenti statum virginitatis ad statum coniugij non licet redire, etiamsi contineatur in coniugio: ergo videtur cum sic vouerit beata Virgo, quòd ipsa non potuit posteà consentire in matrimonium. Si autem hoc dicatur, contra hoc est quod dicitur in litera, & in Euangelio, & ab omnibus patribus.

RESPONSIO. Dicendum, quòd nunquam vouit absolutè esse & permanere virgo: sed hoc semper voluit absolutè, & nunquam voluit carnalem copulam, nisi si hoc melius esse pro illo tempore reuelaret Deus: propter quod, vt in litera dicitur, virginitatem suam propter statum temporis diuinæ commisit prouidentiæ & dispositioni: eò quod omnis qui tunc temporis de stirpe Dauid per rectam lineam descenderat, participem se esse illius promissionis desiderabat, & posteritatem ex qua Christus nasceretur relinquere affectabat, & in hac spe in matrimonium consensit. *Solutio.*

DICENDVM igitur ad primum, quòd votum castitatis fuit conditionale, & ideo matrimonio non contrariabatur: vult enim Augustin. in litera, quòd sic consenserit in matrimonium, quòd nisi oppositum iuberet Deus, etiam debitum reddidisset.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc sequi videtur si solenniter & sine conditione votum emisisset.

AD ALIVD dicendum, quòd non est simile: quia qui vouit abiicere diuitias, non abiicit, sed vtitur eis quando habet: sed vouens virginitatem & tenens eam cum viro, non vtitur actu qui est in copula carnali.

ARTICVLVS XII.

An inter beatam Virginem & Ioseph fuit indiuiduitas vitæ?

QVinto quæritur, Vtrum inter beatam Virginem & Ioseph fuerit indiuiduitas vitæ? Videtur autem, quod non: quia indiuiduitas est, quando impossibilis est separatio: sed hoc non fit nisi per carnalem copulam: ergo videtur cum hoc non fuerit inter eos, quòd non fuit ibi plena indiuiduitas.

2 Item, Alia est indiuiduitas charitatis &

amicitiæ & matrimonij: ſed ego video, quòd indiuiduitas ſpiritus eſt inter diligentes & amicos: ergo illa non eſt propria matrimonij: cum igitur non habet aliam, videtur quòd propriam matrimonij indiuiduitatem non habuerunt inter ſe.

Sed contra. IN CONTRARIVM eſt, quod indiuiduitas cauſatur à conſenſu: conſtat autem pleniſſimè eos ſibi conſenſiſſe: ergo videtur, quòd pleniſſimam habuerunt indiuiduitatem.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd indiuiduitas animorum maxima fuit in illo ſacramento, quæ nunquam fuit inter alios coniuges.

AD ID ergo quod contra obiicitur, dicendum quòd vnio ponit ſeparationem poſſibilem per mortem, & illa eſt inter tales in morte ſpirituali: quia hoc non erat ibi niſi vinculum ſpirituale: & huius ratio patet ex ſupra dictis. Vnde falſum eſt, quòd ſit diuiſio poſſibilis, quandiu perdurant in vita matrimonio poſſibili ipſa vnita.

AD ALIVD dicendum vt ſupra, quòd hic ſpecificatur indiuiduitas per formam & differentiam contrahentem, quæ coniunctio eſt maritalis: talis enim non eſt inter diligentes vel inter amicos.

De cauſa finali coniugij.

DEXPOSITO quæ ſit efficiens cauſa matrimonij, conſequens eſt oſtendere ob quam cauſam ſoleat vel debeat contrahi matrimonium. Eſt igitur finalis cauſa matrimonij contrahendi principalis procreatio prolis: propter hoc enim inſtituit Deus coniugium inter primos parentes, quibus dixit, Creſcite & multiplicamini, &c. Secunda eſt, poſt peccatum Adæ vitatio fornicationis: vnde Apoſtolus, Propter fornicationem vnuſquiſque habeat vxorem ſuam, & vnaquæque habeat virum ſuum. Sunt & aliæ cauſæ honeſtæ, vt inimicorum reconciliatio, & pacis reintegratio. Sunt etiam & aliæ cauſæ minus honeſtæ, propter quas aliquando contrahitur, vt viri mulieriſque pulchritudo, quæ animos amore inflammatos ſæpè impellit inire coniugium, vt valeant ſuum explere deſiderium. Quæſtus quoque & diuitiarum poſſeſſio frequenter eſt coniugij cauſa, & alia multa, quæ cuique diligentiam adhibenti facile eſt diſcernere. Nec eſt aſſentiendum illis, qui dicunt non eſſe coniugium, quod propter has cauſas minus honeſtas contrahitur. Conſtat enim ex præmiſſis coniugium fieri ex communi conſenſu verbis de præſenti expreſſo, quamuis amor ad hoc attraxerit. Cuius rei documentum præſtat Iacob, qui Rachel decoram facie & venuſto aſpectu amauit, eamque multum diligens ait, Seruiam tibi pro Rachel ſeptem annis. In Deuteronomio etiam legitur, Si videris in medio captiuorum mulierem pulchram, & adamaueris eam, volueriſque vxorem habere, introduces eam in domum tuam, &c.

Gen. 1.

1. Cor. 7.

Gen. 29.

Deut. 21.

Quod malus finis non contaminat ſacramentum.

ET licet fine non bono contrahatur coniugium, quando ſpecies contrahentis mouet animum, coniugium tamen bonum eſt: quia vita mala vel intentio peruerſa alicuius, ſacramentum non contaminat. Habuit autem coniugium Mariæ & Ioſeph alias cauſas ſpeciales, ſcilicet vt virgo ſolatio viri ſuſtentaretur, & vt diabolo partus celaretur, vt Ioſeph eſſet teſtis caſtitatis, defendens eam ab infamia ſuſpicionis, ne vt adultera damnaretur.

ARTICV

ARTICVLVS XIII.

An matrimonium potest fieri pluribus de causis?

DEinde quæritur de hoc quod dicit [Exposito quæ sit causa efficiens matrimonij, &c.] Videtur enim, quòd vnum & idem non debet habere plures causas finales: sed proles, & infirmitas, & pulchritudo, & diuitiæ, & amicitia, & reconciliatio inimicorum sunt plura non eiusdem generis: ergo videtur, quòd non possunt esse causa vnius matrimonij.

2 Item, Si aliquid causatur à pluribus causis non existentibus in vno genere, impossibile est ipsum esse simplex: sed matrimonium est simplex: ergo videtur, quòd non causatur pluribus causis genere differentibus, sicut sunt illæ quas in litera enumerat.

3 Item Boëtius, Cuius causa est bona, ipsum quoque est bonum: ergo cuius causa est bonum & malum, ipsum est bonum & malum: ergo vlterius à simili, cuius causa est honesta & minus honesta, ipsum est simul minus honestum & magis honestum, quod falsum est.

4 Item, Nullum sacramentum requiritur sub inhonesta causa: ergo nec istud: falsum ergo dicit in litera.

5 Item, Ecclesia non iudicat vel ordinat de inhonestis, vel de his quæ fiunt inhonestis causis: sed iudicat de matrimonio: ergo nunquam fit causis minus honestis.

RESPONSIO. Dicendum, quòd duplices sunt causæ matrimonij, scilicet per se, & per accidens. Per se causæ matrimonij semper sunt honestæ, sed causæ per accidens non semper: per accidens autem sunt causæ, quæ non sunt directæ causæ matrimonij, sed potius causæ inclinantes ad contrahendum, & ideo sunt potius causæ contrahendi, quam matrimonij, sicut expressè dicit Magister in litera.

Dicatur ergo ad primum, quòd hoc intelligitur de causa per se.

AD ALIVD autem dici potest, quòd hoc verum est de causis essentialibus: sed iam ostensum est, quòd istæ non sunt tales.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc optimè sequeretur si æquali causalitate essent causæ: & ideo cum honestæ sunt essentiales matrimonio, ipsum est similiter honestum, sicut dicit in litera: sed cum inhonestæ non sunt essentiales causæ eius, sed potius quare contrahatur inclinantes, non ponunt suam inhonestatem circa matrimonium, sed potius circa matrimonium contrahentes. Et per hoc patet intellectus omnium eorum quæ dicuntur in hac distinctione.

DISTINCTIO XXXI.

De tribus bonis coniugij.

POST hæc de bonis coniugij quæ sint, & qualiter coitum excusent, dicendum est. Tria sunt principaliter bona coniugij. Vnde Augustt. Nuptiale bonum tripartitum est, scilicet fides, proles, sacramentum. In fide attenditur, ne post vinculum coniugale cum alio vel alia coeatur. In prole, vt amanter suscipiatur & religiosè educetur. In sacramento, vt coniugium non separetur, & dimissus vel dimissa ne causa prolis alteri coniungatur.

A *De matrimonio secũdum causam finalem quãtum ad bona coniugij communiter.* Super Genes. lib. 9. cap. 7.

ARTICVLVS I.

In quo genere boni sit matrimonium?

POst hæc de bonis coniugij, &c.] Hæc est pars in qua agitur de bonis coniugij ab Auctore, & diuiditur in duas partes. In prima agitur de bonis coniugij. In secunda qualiter per hæc bona coitus excusatur: & hæc incipit *ibi* [Cum igitur hæc tria bona] Item prima diuiditur in tres. In prima ostendit quæ sunt bona. In secunda ostendit, quòd non in omni matrimonio sunt tria *ibi* [Et est sciendum] In tertia quærit vtrum aliquod matrimonium sit, in quo nullum sit *ibi* [Solet quæri, &c.] Incidunt autem hîc ante literam sex inquirenda, quorum primũ est, In quo genere boni sit matrimoniũ? Secundũ, In quo genere incidãt sua bona? Tertium est de comparatione istorũ bonorũ. Quartum, Vtrũ conueniant ei secundum quòd est in remedium, vel secundum quod est in officium, vel secũdum vtrumque? Quintum, Vtrum hoc habeat omne matrimonium quarumcunque personarum? Sextum, Vtrum ista conueniant matrimonio inquantum est initiatum, vel inquãtum est ratũ, vel inquantũ est cõsummatũ?

. Ad primum obiicitur: & videtur, quòd sit in genere vtilis: quia dicit Augustin. in lib. de bono coniugij, quòd matrimonium est bonum mortalium: sed omne bonum mortalium inquantum huiusmodi, non est nisi vtile mortalitati: ergo matrimonium est vtile ad illud: ergo est in genere vtilis.

2 Item, Id quod non appetitur nisi propter aliud, est in genere vtilis: sed matrimonium non appetitur nisi propter aliud: ergo est in genere vtilis. Probatur prima ex diffinitione vtilis, quæ datur à Tullio ante finem 1. rhetoricæ. Secunda autem innuitur in verbis orationis sacræ Scripturæ Tob. 3. vbi dicit, Tu scis Domine, quia nunquam concupiui virum, &c. Ibi enim innuit, quòd nunquam appetiit matrimonium, nisi propter dilectionem posteritatis.

3 Item, Philosophus vult, quòd nihil petit generationem nisi vt ipso diuino bono quantum potest participet, vt saluetur in specie quod in indiuiduo saluari non potest: ergo generatio appetitur propter alterum: sed matrimonium non appetitur secundum naturam nisi propter generationem: ergo matrimonium multo magis quam generatio propter alterum appetitur: & sic habetur propositum, vt prius.

4 Item, In fine 1. physicorum dicitur, quòd fœmina desiderat masculum inquantum imperfecta est: ergo propter alterum: ergo coniunctio fœminæ ad virum est propter alterum: ergo videtur, quòd matrimonium sit in genere vtilis.

In contrarium huius videtur, quòd sit in genere delectabilis: matrimonium enim est in medicinam concupiscentiæ: fit autem hæc per delectationem quæ est in matrimonio: ergo videtur, quòd appetatur propter hoc: ergo est in genere boni delectabilis.

2 Item, Videtur hoc velle Salomon Prouerb. 5. Lætare cum muliere adolescentiæ tuæ, &c. & vbera eius inebrient te, &c. Constat autem, quòd ibi loquitur ad literam de matrimonio coniunctis: ergo videtur, cum inebriatio vberum sit in genere boni delectabilis, quòd etiam matrimonium sit in eodem.

3 Item, In lib. de coitu dicit Auctor, quòd natura in coitu posuit summam delectationem, vt magis appetatur: & hoc cum sit in matrimonio sicut in alio coitu, videtur quòd referatur ad appetitum sicut bonũ delectabile.

4 Item, Si esset vtile, tunc non esset vtile nisi ad finem beatitudinis consequendum, quia ad hunc finem refertur omne vtile: sed ad illud præstat impedimentum, sicut dicit Apostolus 1. Corinth. 5. ergo videtur, quòd non appetitur vt vtile: ergo videtur, quòd vt delectabile appetatur.

In contrarium huius videtur, quòd sit in genere honesti: omnis enim status virtutis & gradus est in eodem genere cum ipsa virtute: sed virtus est in genere honesti: ergo & gradus virtutis: sed matrimonium est gradus & status virtutis continentiæ: ergo, &c. Prima patet per se. Secunda scribitur in fine 1. rhetoricæ.

2 Item Hebr. 15. Honorabile connubium in omnibus, & thorus immaculatus. Ergo nuptiæ sunt honorabiles: sed omne honorabile est in genere honesti: ergo & nuptiæ. Probatio secundæ sumitur à diffinitione honoris, quæ colligitur ex 1. ethicorum, scilicet quòd honor est exhibitio reuerentiæ in signum virtutis. Et 1. Thess. 4. Sciat vnusquisque vas suum possidere in sanctificatione, &c. Et loquitur ibi de vase vxorio ad literam: ergo possessio est in sanctificatione & honore: sed omne sic possessum, est in genere honesti, sicut ipsa sanctitas, & honor: ergo videtur, quòd nuptiæ sint in genere honesti.

Soluit. RESPONSIO. Dicendum, quòd matrimonium est de bonis mixtis. Quæ sint autem bona mixta, docet Tullius in fine 1. rhetoricæ, scilicet quæ partim vtilitatis causa appetuntur, partim autem propter propriam vim nos trahunt, & propria dignitate nos alliciunt. Sed non est concedendum aliquo modo, quòd sit bonum delectabile meo iudicio: quia delectatio non est in ipso, nisi sicut incidens sine quo non exercetur actus. Hæc autem bona mixta (vt dicit Tullius) à digniori denominantur, & dicuntur honesta.

AD OMNIA ergo quæ primo obiiciuntur, concedendum est: sed tamen hoc non solum est causa quare appetatur, sed etiam honestas fidei & sacramenti, & consensus indiuiduitatis vitæ, & alia. Similiter patet solutio ad vltima: quia est in veritate honestum in matrimonio, sed est implicitum circa vtile.

AD MEDIA autem quæ obiiciuntur de delectatione, dicendum ad primum, quòd medicatur per honestum quod est in ipso, scilicet per fidem & gratiam quam confert: ridiculum enim est, quòd medicetur aliquis concupiscentiæ per hoc quod magis excitat eam, & facit feruere magis pruritum, quando enim non fuit huiusmodi suffocans delectatio, fuit matrimonium. Et per hoc patet, quòd non est bonum eius in genere delectationis: delectatio enim non respicit essentiam matrimonij, sed dicit quãdoque causam in cõtrahente tantum.

AD ALIVD dicendum, quòd ridiculosa est expositio illa: sed intendit Salomon, quòd delectentur in illa, prout delectatio est adiuncta honesto: & hæc est delectatio in bono rationis, scilicet in fide coniugali, & significatione, & pietate prolis susceptæ.

AD ALIVD dicendum, quòd matrimonium non facit impedimentum ad consecutionem beatitudinis per se, sed per accidens, scilicet per onera sibi adiuncta: & ideo non valet illa argumentatio.

ARTICVLVS III.

An bona matrimonij sint in eodem genere cum matrimonio, aut sint in genere boni honesti?

SEcundo quæritur, In quo genere boni incidant sua bona? Videtur enim, quòd non incidant in idem genus: signum enim quod est bonum sacramenti, non appetitur nisi vt est adminiculum ad significatum cognoscendum:

ergo non appetitur nisi propter alterum: ergo est in genere vtilis: sed de fide constat, quòd est in genere honesti: ergo videtur, quòd non sit in vno genere appetibilium.

2 Item, Proles constat, quòd non est in genere honesti: ergo videtur, quòd non sit in vno genere cum fide: ergo vt prius.

3 Item, Sicut dicit Tullius, Nihil est in genere honesti, nisi virtus, & pars virtutis: sed sacramentum & proles non sunt virtutes, nec partes virtutis: ergo cum fides sit virtus, proles & sacramentum, non sunt in eodem genere cum fide.

Quæstiuncula. QVÆRATVR ergo, Vtrum proles & sacramentum sunt in eodem genere boni? Videtur autem, quòd non: quia vnum est in genere boni naturæ in quo stat natura, alterum autem est in genere boni moralis: ergo non sunt in eodem genere.

2 Item, Sacramentum deseruit fidei: proles autem potius successioni: ergo, &c.

3 Item, Sacramentum non manet post matrimonium: sed bonum prolis manet: ergo, & cætera.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd hæc tria dupliciter considerantur, scilicet absolutè, & prout sunt bona matrimonij: si absolutè vnumquodque istorum in se consideretur: tunc non sunt in eodem genere. Si autem considerentur prout sunt bona matrimonij, tunc sunt bona omnia secundum formam illius bonitatis in eodem genere honesti, licet non secundum eandem speciem honestatis.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd non sequitur, si aliquid appetitur propter aliud, quòd non sit honestum: sicut enim dicit August. 1. de ciuit. Dei, Virtutes appetuntur propter beatitudinem: & tamen sunt in genere honesti. Et cum dicitur, quòd honestum propter se appetitur, intelligitur non per accidens: quia dicit Ambros. super epistolam ad Galat. 2. quòd habent quasdam innatas sibi dulcedines, quibus delectant suos possessores syncera & sancta delectatione. Vnde cum per se opponatur in duobus sensibus, scilicet ad propter alterum, & ad per accidens: dicendum quòd honestum appetitur per se, id est, non per accidens: & tamen propter alterum: & ita appetuntur omnia tria bona matrimonij.

AD ALIVD dicendum, quòd proles non est bonum matrimonij, vt patet hîc ex litera posita: sed potius proles prout stat sub pietate in qua suscipitur & educatur, vt fiat in ea propagatio religionis, sicut & carnis: & hoc modo habet in se formam honesti. Vnde inquantum bonum est, in genere est honesti.

AD ALIVD dicendum, quòd licet nihil sit in genere honesti essentialiter, nisi virtus & partes virtutis: tamen vnumquodque refertur ad honesti genus, inquantum participat virtutem & partem virtutis: & hoc modo non essentialiter, sed per formam boni matrimonij refertur ad genus virtutis sacramentum & proles.

Ad quæstiuncu-lam. AD ALIVD patet solutio per ante dicta. Ad obiectum contra dicendum, quòd aliud est proles, & aliud est bonum prolis, vt prius patuit. Et in prole quidem stat natura, sed in bono prolis stat bonus mos religionis.

AD ALIVD dicendum vt prius, quòd proles non nisi per substantiam deseruit successioni, & per habitum deseruit religioni.

AD VLTIMVM dicendum, quòd bonum prolis manet posteà quod est in diuerso subiecto quam sit subiectum matrimonij: sed fides & sacramentum non ideo per accidens manent: & ex hoc quòd vnum manet post, & alterum non, non sequitur, quòd sit in eodem genere. Et est instantia: quia filius manet post patrem sæpius, & tamen est in eodem genere & specie cum patre.

ARTICVLVS III.

Quod bonorum matrimonij sit præstantius?

TErtio quæritur de comparatione istorum bonorum. Videtur autem, quòd bonum prolis sit substantialius matrimonio & melius: quia in litera dicitur, quòd hoc est principale, propter quod institutum est matrimonium: ergo & substantialius & melius.

2 Item, Hoc videtur per verbum Adæ Genes. 2. Erunt duo in carne vna. Videtur enim ex hoc, quòd causa finalis matrimonij est bonum prolis potius, quam aliquid aliorum: & hoc etiam ante finem præcedentis distinctionis expressè habitum est in litera. Hoc etiam accipitur ex verbis Saræ Tob. 8. quæ dixit, Propter solam posteritatis dilectionem, &c.

3 Item, Ad hoc ordinatur benedictio matrimonij, quando dictum est, Crescite & multiplicamini: hoc enim non potest intelligi nisi de bono prolis: ergo, &c

4 Item, Hoc solum est finis desiderij naturalis, quod petit saluari in simili: ergo ipsum est substantialius & principalius.

In contrarium huius est quia quod ducit ad optimum, est optimum: sed sacramentum ducit ad optimum, quia ad intelligendam coniunctionem fidelium in vno spiritu cum Deo, & naturarum in vna persona Christi, quæ meliora sunt omnibus filiis: ergo videtur, quòd ipsum sit optimum.

2 Item, Id quod essentialius & generalius efficitur in omni matrimonio, videtur esse optimum suum bonum: sed hoc est sacramentum, hoc enim in omni matrimonio est, etiam quando violatur fides: ergo videtur, quòd illud sit suum principale bonum.

3 Item, In omnibus naturalibus & moralibus causis quas Philosophi considerant, semper principalis effectus causæ alicuius iudicatur, quem semper & vbique consequitur: sed bonum sacramenti sic se habet ad matrimonium: ergo ipsum est principale.

4 Item, Quod nomine & essentia simillimum est causæ, illud est effectus eius essentialior & principalior: sed bonum sacramenti nomine & essentia inter ea simillimum est matrimonio: ergo ipsum est essentialior & principalior effectus eius: ergo & principalius bonum & essentialius. Prima constat per se.

Secunda

Secunda autem probatur per hoc, quòd vtrumque dicitur signum sacrum, & vtrumque est indiuiduitas quædam: & hoc probatum est supra dist. 26. & sic constat propositum.

Videtur autem vlterius bonum fidei esse principale: quia si aliqua dicuntur bona, melius est id quod essentialius est bonum: sed fides essentialius est bonum, quia est virtus quædam in genere honesti, & alia non sic: videtur ergo, quòd fides est principalius bonum matrimonij.

2 Item, Efficiens causa matrimonij obligat directè ad fidem, & alia non respicit nisi ex consequenti: ergo videtur ipsa principalius effici à matrimonio: ergo est bonum principale.

3 Item, Intelligantur alia duo bona non esse, scilicet sacramentum & proles, adhuc erit matrimonium: sed intellecta fide non esse secundum habitum & actum, soluitur matrimonium: ergo fides est essentialius bonum matrimonij, quam sacramentum & proles. Probatur autem hoc: quia pactione coniugali non existente, non est matrimonium: & pactio coniugalis non erit, nisi fides sit secundum habitum saltem & debitum, licet non sit secundum actum.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd principalius bonum matrimonij dicitur tripliciter, scilicet maius & principalius ab instituente intentum, & communiter etiam intentum ab vtentibus matrimonio: & sic bonum prolis est principalius bonum matrimonij. Aliter dicitur principalius bonum quod essentialius participat naturam bonitatis: & sic fides est essentialius bonum & principalius. Tertio modo dicitur principalius quod essentialius & vltimius consequitur matrimonium: & sic bonum sacramenti est principalius bonum. Et ita diuersis considerationibus nihil prohibet quodlibet istorum esse principalius. Et per hoc patet solutio ad omnia primi ordinis argumenta: quia omnia illa considerant intentionem instituentis, & communiorem obseruantiam vtentium matrimonio.

AD ID autem quod obiicitur pro secunda parte, dicendum ad primum, quòd id quod ducit ad optimum, est duplex, scilicet ducens cognitiuè, & motiuè: sicut scientia eius quod est sursum, & leue, differenter ducunt sursum. Quod autem ducit sursum motiuè ad optimum, hoc est optimum: sed hoc modo non ducit ad optimum sacramentum, quod est bonum matrimonij, sed cognitiuè tantum.

AD SEQVENTIA est concedendum: sed non omne sacramentum est principalius bonum, nisi modo prius determinato. Et per hoc patet solutio ad omnia quæsita.

ARTICVLVS IV.

An ista bona conueniant matrimonio inquantum est in remedium?

QVarto quæritur, Vtrum conueniant matrimonio secundum quod est in remedium, vel secundum quod est in officium? Videtur autem, quòd secundum quod est in officium: quia vt dicit Tullius, Officium est communis actus personæ secundum instituta patriæ: video autem, quòd matrimonij officium exercetur in actibus his: si enim accipiatur secundum quod est officium naturæ, elicitur proles: & si in comparatione coniugis, elicitur fides: & si in comparatione futurorum & diuinorum, elicitur sacramentum: nihil autem horum est secundum quod est remedium: ergo non conueniunt ista ei secundum quod est in remedium, sed secundum quod est in officium.

2 Item, Si non esset peccatum, adhuc matrimonium esset habens hæc tria: sed tunc non esset nisi in officium: ergo videtur, quòd ista conueniunt ei secundum quod est in officium.

3 Item, Officium sonat in effectiuum vtilitatis: sed matrimonium efficit illas vtilitates: ergo hoc competit ei secundum quòd est in officium, quia omne officiosum est alicuius vtilitatis effectiuum.

IN CONTRARIVM huius est quod dicitur in litera, quia actus matrimonij coniunctus est concupiscentiæ, per hæc bona excipitur ne ruat in præceps: sed secundum quod excipitur, est in medicinam: ergo per hæc bona excipientia coitum est in medicinam. Quod autem sit in medicinam secundum quod concupiscentia in eo excipitur, probatur ex hoc quòd non indiget exceptione secundum quod est in officium: & sic constat propositum. *Sed contra.*

2 Item, Omne quod medicatur per excusationem, oportet habere adiuncta bona, per quæ malum excusatur & curatur, per modum medicinæ: sed matrimonium medicatur per excusationem, inquantum est in medicinam: ergo secundum quod est in medicinam, oportet habere adiuncta bona, per quæ excusetur & medicetur.

RESPONSIO. Dicendum, quòd illa tria bona efficiuntur à matrimonio inquantum est in officium, sed adiunguntur ei secundum quod est in remedium: quia aliter nullatenus coitum excusarent: vnde de plano concedendæ sunt primæ rationes. *Solutio.*

AD ID autem quod contra obiicitur, dicendum quòd excipit concupiscentiam non per bona quæ efficit inquantum est in medicinam, sed quæ habuit à prima institutione, & faciunt ipsum honestum, etiam postquam ingressa est concupiscentia.

AD ALIVD de plano concedendum est, quòd habet adiuncta sibi bona inquantum medicatur, sed non facit ea inquantum huiusmodi, sed potius vtitur factis ab ipso ad excusationem concupiscentiæ carnalis, quæ alias esset mortale peccatum, nisi honestate horum bonorum excusaretur.

ARTICVLVS V.

An hæc bona matrimonij habeat omne matrimonium?

QVinto quæritur, Vtrum hæc bona habeat omne matrimonium quarumcunque

quæ personarum? Videtur autem, quòd sic: quia omnium personarum est matrimonium secundum quod est in officium: & ipsum efficit hæc bona inquantum huiusmodi est: ergo videtur, quòd matrimonium omnium personarum habeat hæc omnia.

2 Item, In omni matrimonio personarum aliquarum est indiuiduitas quæ de se significat fidelis animæ cum Deo societatem, & carnalis commixtio quæ significat naturarum vnionem. Item sequitur procreatio prolis. Est etiam fides in reddendo debitum: ergo ista sunt matrimonij generaliter accepti prout est omnium personarum.

3 Si forte dicas, quòd infideles non habent sacramentum, quia non intelligunt ipsum. Contra: Si nullus intellexisset circuncisionem datam esse in signum, nihilominus tamen in signum esset: ergo similiter est de sacramento matrimonij: ergo responsio nulla videtur.

4 Item, Primus status in homine omnem statum antecedebat: ergo omnis alius status ab eo initium accepit: sed hæc tria conueniebant matrimonio secundum quod institutum fuit in paradiso: ergo quilibet status hominum secundum hæc tria accepit matrimonium.

Sed contra. In contrarivm huius est, quod in matrimonio infidelium non est omnino impossibilitas diuisionis: ergo non est ibi omnimoda indiuiduitas: ergo non est ibi bonum sacramenti perfectum.

2 Item, Fides est in hoc quod non coniungitur alteri: sed casus potest contingere, quòd absoluta à viro infideli alij potest coniungi: ergo videtur, quòd nec bonum fidei sit ibi perfectum.

3 Item, Proles non est bonum matrimonij, vt videtur in litera, sed potius piè susceptа & religiosè ad cultum Dei enutrita: sed nullam talem prolem suscipiunt infideles: ergo videtur, quòd nunquam bonum prolis per suum matrimonium acquirunt.

Solutio. Responsio. Dicendum, quòd hæc tria bona matrimonio fidelium & infidelium per prius & per posterius conueniunt: fidelium enim matrimonio conueniunt perfectè & integrè, & matrimonio infidelium conueniunt imperfectè, sicut manifestè probant tres vltimæ rationes: quia non sunt ibi ista tria bona perfectè: est enim ibi sacramentum habitualiter: fides mobiliter, quia moueri potest & mutari, & bonum prolis materialiter tantum.

Dicendvm ergo ad primum, quòd licet sit in omnibus in officium, non tamen est officium secundum leges Christi, sed tantum secundum politegias & ciuilitates ordinatur: & ideo efficit ista imperfectè: quia principia & iura super quæ fundatur, sunt imperfecta. Per hoc patet solutio ad sequens.

Ad alivd dicendum, quòd habitualiter in talibus est signum, vt prius dictum est, & est solubile: & ideo imperfecta est ibi indiuiduitas.

Ad vltimvm dicendum, quòd omnis status quantum habet æquitatis, tantum sumit à primo statu: tamen persuasione hominum multa sunt deprauata; & ideo peruersis & imperfectis iuribus nihil perfectè efficitur: sed in fide Christi omnia perfectè sunt: & ideo in matrimonio fidelium hæc tria sunt perfectè.

ARTICVLVS VI.

An ista bona conueniant matrimonio inquantum initiato, vel rato, vel consummato?

Sexto quæritur, Vtrum ista tria conueniant matrimonio inquantum est initiatum, vel inquantum ratum, vel inquantum consummatum? Dicitur enim à quibusdam initiatum per consensum de præsenti, ratum per traductionem, & consummatum per carnalem commixtionem: vel initiatum per sponsalia, ratum per consensum de præsenti, & consummatum per copulam carnalem.

Videtur autem, quòd duo istorum sint matrimonij initiati: quia ibi est sponsio fidei, & indiuiduitatis: ergo sacramentum & fides sunt matrimonij initiati.

Item videtur, quòd hæc duo sint rati: quia hoc expresse fidem facit, & indiuiduitatem animorum: ergo videtur, quòd hæc duo sint matrimonij rati.

Bonum autem prolis non videtur esse nisi consummati: quia non nascitur proles sine commixtione carnali: & hæc non est nisi in consummato: ergo, &c.

Item vlterius videtur, quòd nec perfectum bonum sacramenti: quia supra dictum est, quod non est dubitandum illam mulierem non pertinere ad matrimonium, quæ non experitur carnalem concubitum: & dictum est ibi, quòd hoc intelligitur quantum ad significationem: ergo significatio non est complete nisi matrimonij consummati: & sic habetur propositum.

Item vltérius videtur, quòd nullum istorum est matrimonij initiati: quia cum initiatur matrimonium per sponsalia, matrimonium non est: sed vbi non est matrimonium, nullum bonorum matrimonij est: ergo initiati matrimonij nullum est bonorum matrimonij.

Solutio. Responsio. Dicendum, quòd tria pleniſſimè sunt matrimonij consummati, & sunt minus plenè rati: quia ibi est fides, & imperfecta significatio, & bonum prolis in expectatione si velint carnalem commixtionem: sed in initiato si per sponsalia dicatur initiari non est aliquod istorum bonorum, sicut vltima probat obiectio.

Ad primvm ergo dicendum, quòd ibi est sponsio istorum, sed non essentia & veritas.

Ad omnia alia patet solutio per dicta.

ARTICVLVS VII.

An bonum nuptiale sit tripartitum?

Deinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Nuptiale bonum tripartitum est, &c.]

Quæritur enim hîc, Penes quid ſumitur numerus boni nuptialis? Videtur enim eſſe maioris diuiſionis: ſicut enim fides eſt in conſeruatione thori, ita iuſtitia eſt in redditione debiti: ergo videtur, quòd iuſtitia ſit vnum de bonis nuptialibus.

2 Item Ariſtot. probat, quòd ideò homo eſt animal coniugale, quia non ſufficit ſibi in operationibus: ſed cum duo conferunt opera in vnum operantes ſufficiunt: ergo ſufficientia operum eſt vnum bonum: ergo plura bona.

3 Item eſt ibi concupiſcentiæ medicina vtriuſque coniugis: & hoc eſt optimum bonorum: ergo videtur, quòd plura.

4 Adhuc in Prouerb. multa & plurima bona ponuntur fortis mulieris, in qua confidit cor viri ſui: ergo videtur, quòd male coarctatur ad trinitatem.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd nuptiale bonum dicitur illud bonum ſolum quod conſequitur ſemper, vel frequenter ex his quæ eſſentialiter conſtituunt matrimonium & conſummant ipſum: ex hoc enim quod eſt copula duarum perſonarum legitimarum vnitarum in indiuiduam vitam, & vnum corpus effectarum, conſequuntur hæc tria: ex vnione enim animorum eſt conſequens fides, & ex ipſa indiuiduitate vitæ conſequitur ſacramentum, & ex vnione corporum ſequitur proles.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd iuſtitia non immediatè conſequitur eſſentiam matrimonij, ſed mediante fide: quia fides eſt cauſa quare conſeruatum corpus ab alio exhibet coniugi.

AD ALIVD dicendum, quòd licet hæc poſſit eſſe vna de cauſis quare homo inter cætera animalia eſt coniugale animal, & contrahens coniugium: tamen non poteſt eſſe bonum effectum à coniugio, ſed ordinatur ad bene eſſe. Infra tamen conſiderabimus quare homo eſt animal coniugale ſolum.

AD ALIVD dicendum, quòd multæ ſunt laudes probæ mulieris ex virtute eius pendentes, & non ab eſſentialibus matrimonij effectæ: & ideo bona matrimonij non dicuntur.

ARTICVLVS VIII.

An fides ſecundum quod eſt bonum matrimonij, bene diffiniatur?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [In fide attenditur, &c.] Et quæruntur duo, ſcilicet quid ſit fides ſecundum quod eſt bonum matrimonij? & quis eius actus? Ad primum dicit Haymo ſuper Apoc. quòd fides dicitur & componitur à fio fis factus ſum, & dicta: vnde dicitur fides per quam fiunt dicta: ergo videtur, quòd fides matrimonij conſeruatio ſit dictorum per promiſſiones ſibiinuicem factorum in pacto coniugali.

Contra hanc autem diffinitionem obiicitur: quia ſecundum hoc fides efficitur ex verbis de præſenti facientibus matrimonium: ergo non efficitur ab ipſo matrimonio: ſed fides quæ eſt bonum matrimonij, ponitur effectus matrimonij: ergo videtur, quòd fides malè ſit diffinita.

2 Item, Secundum Philoſophos fides eſt conceptio in quam conſentit intellectus propter adiutorium rationis: dicit enim Ariſtot. quòd opinio iuuata rationibus fit fides, & Boëtius dicit, quòd argumentum eſt ratio rei dubiæ faciens fidem: ſed in coniugio nullo huiuſmodi ſunt rationes: ergo videtur, quòd in coniugio nulla ſit fides. Si forte dicas, quòd fides eſt ibi virtus. Contra: Aut eſt virtus cardinalis, aut virtus theologica. Non cardinalis: quod per inductionem patet: ergo theologica: ſed illa fides non intendit niſi in Deum: ergo non eſt inter conluges adinuicem: ergo non eſt bonum matrimonij. Si fortè quis velit dicere, quòd ibi eſt fides, ſicut Apoſtolus Roman. 14. dicit, Omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt. Contra: Gloſſ. dicit, quòd ibi fides dicitur conſcientia: ſed conſtat, quòd conſcientia non eſt vnum de bonis matrimonij: ergo nec fides.

RESPONSIO, quòd fides ſumitur primo modo ſecundum quod fiunt dicta: & bene concedo, quòd dicta ſunt nuptialia pacta per verba de præſenti: & dicta ſumuntur largè ad omnem modum quo nuptialia pacta fieri poſſunt. *Solutio.*

AD ID autem quod contra obiicitur, dicendum, quòd non efficitur fides immediatè à dictis, ſed mediante matrimonio: & hoc probatur ſic; Eſto enim, quòd verba alicuius pacti matrimonium non efficiant, quæro vtrum teneantur tunc ſibi fidem ſeruare? Conſtat, quòd non: igitur matrimonio poſito ponitur fides, & deſtructo deſtruitur: ergo matrimonium eſt fidei iſtius, quæ idem quod fidelitas eſt, immediata cauſa: & ſic patet ſolutio totius diſputationis.

ARTICVLVS IX.

Quis ſit actus huius fidei?

SEcundo quæritur, Quis ſit actus huius fidei? & dicit in litera, quòd ad fidem pertinet ne poſt vinculum coniugale cum alio vel alia coeatur. Sed contra hoc obiicitur: quia plus continetur in fide, quam hoc quod dicit: fidelitas enim in commiſſo duo importat ſecundum leges humanas, ſcilicet ne detur alteri, & vt reddatur mihi quando voluero: ergo ſimiliter eſt in fidelitate coniugum: ergo non continetur tantum, quòd cuſtodiant ſe ab aliis, ſed etiam vt communicent ſe ſibi.

2 Item Apoſtolus 1. Corinth. 7. Nolite fraudare inuicem, niſi fortè ex conſenſu ad tempus. Ergo fraus eſt ſubtrahere debitum: ſed fraus eſt contraria fidei: ergo in fidelitate continetur communicatio corporis, & ſolutio debiti.

3 Item, Principalius in fide continetur ſolutio debiti, quam cuſtodia ab adulterio. Probatio. Non poſſe dare alteri rem aliquam cauſatur ex eo, quia alius eſt in poſſeſſione illius rei: ergo à ſimili & in fide matrimonij quòd cuſtodit ſe coniugatus ab alio, cauſatur

ex

ex hoc quod est coniugis sui: ergo cum istud principalius sit, videtur quòd istud principaliter debuit ponere: peccat ergo quando ponit secundarium.

4 Item hoc expresse continetur 1.Cor.7. vbi dicit Apostolus, Mulier sui corporis potestatem non habet, sed vir. Similiter autem & vir, &c. Cum igitur hoc faciat obligationem fidei inter eos, videtur quòd hoc sit principale in fide: ergo potius de hoc quam de alio debuit facere mentionem.

Vlterius videtur, quòd neutrum horum sit fidei: quia vnus numero actus non potest esse duarum virtutum proprius: sed actus continentiæ coniugalis est cum alio non coire: ergo videtur, quòd non sit actus fidei.

2 Item, In nulla natura huius inuenitur simile, quòd actus vnus sit per se duarum naturarum: ergo nec in moribus debet ita fieri, cum dicat Tullius in fine 1.rhetoricæ, & Arist. in lib.ethicorum, quòd virtus mouet ad actus sicut natura. Si fortè tu dicas, quòd similiter est hic: quia iste actus est vnius per se, & alterius per accidens: sicut calor quando contra frigus confortatur per hoc quod aperit poros, per quos vndique frigus ingrediatur & constringit. Contrà: Actus iste cum sit circa materiam continentiæ & circunstantias, continentiæ coniugalis per se erit: ergo non erit fidei secundum se nisi secundum accidens: sed per id quod conuenit alicui per accidens, nunquam potest determinari: ergo fides per actum istum determinari non potest: nihil ergo est quod dicit Augustinus in litera, quando determinat fidem.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd sicut dicit Augustinus ita se habet veritas: sed bene concedo primam partem obiectionum, scilicet quod principalius quod est fidei, est subseruire inuicem obsequio corporis: & hoc quod dicit Augustinus, est sicut consequens ad istud.

AD ID autem quod obiicitur contra, dicendum quòd consequens est magis manifestum quoad plures: & ideo Augustinus fidem declarat per illud.

AD HOC autem quod posset obiici, quòd quælibet res determinari habet per essentialia sibi, & non per consequentia; & ita peccat Augustinus quando hoc non facit. Dicendum, quòd est rei determinatio duplex: in se, & quoad nos: siue diffinitiuè, & exemplariter. Et primo modo verum est, quòd habet determinari per essentialia priora: secundo autem modo per consequentia manifestiora nobis: & ita facit hic Augustinus quia non diffinit, sed exemplariter manifestat actum fidei.

AD ID autem quod vlterius obiicitur, dicendum quòd quando vna virtus formalis est ad aliam, tunc nihil prohibet vnum actum esse vtriusque, vnius sicut imperantis & dirigentis, alterius autem vt elicientis & exequentis: & sic est hic: quia fides hic imperat reddere primum & consequentem actum: sed continentia coniugalis exequitur. Et per hoc patet solutio ad primum.

AD ALIVD dicendum, quòd in natura est similiter: virtus enim cæli mouet virtutes elementales, & regit eas, & illæ exequuntur: & virtus vniuersalis in homine mouet & regit particulares. Sed id quod proponitur in obiectionibus, tenet quando virtutes sunt æquè particulares, vel æquè vniuersales: & hoc non est hic: quia fides in ratione est, & sicut forma quædam ambit concupiscibilem vt secundum promissum sit fidelis in comunicando coniugi corpus, & custodiendo ab altero. Et hoc patet tali signo: si enim quæratur à discreto coniuge, quare communicet se coniugi? dicet quia fidem tenetur seruare in promisso: & ita facile patet qualiter fides quasi ratio formalis est ad actum qui elicitur à continentia coniugali. Et per hoc patet solutio ad totum: non enim per accidens est actus iste alterius virtutis, sed per se secundum diuersas rationes virtutis.

ARTICVLVS X.

An proles secundum substantiam sit bonum matrimonij, vel secundum bonitatem?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [In prole vt amanter suscipiatur, &c.] Videtur enim hoc esse falsum: bonitatem enim prolis non operatur sacramentum matrimonij, sed substantiam: ergo videtur, quòd proles secundum substantiam sit bonum matrimonij, & non secundum bonitatem quæ ponitur circa prolem.

2 Adhuc videtur, quòd cadit in præcepto Domini, quando dixit Genes.1. Crescite, &c. Constat enim, quòd hoc intellexit de multiplicatione secundum numerum: ergo videtur, quòd proles non nisi per numerum, & non per meritum sit effectus matrimonij: ergo nec bonum: quia non est aliquid bonum matrimonij, nisi per hoc quod efficit ipsum.

3 Item hoc videtur accipi ex verbis Adæ, vbi dicit, Erunt duo in carne vna: & non dicit, in merito vno, secundum quod exponitur de vna carne pueri: ergo videtur, quòd proles secundum carnem, & non secundum meritum est bonum matrimonij.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est, quod habetur in sequenti capitulo in litera, vbi dicit: Nec omnes illi etiam qui prolem recipiunt, bonum prolis habent, &c. Patet enim ibi, quòd non dicitur bonum prolis, nisi prout est sub bonitate ad religionem pertinente.

2 Item, Coniugatorum non est destruere bonum effectum à matrimonio: sed Deut.21. præcipitur parentibus facere lapidari filium contumacem: ergo filius contumax non fuit bonum matrimonij: ergo oportet, quòd tantum bonum matrimonij sit filius stans sub bonitate religionis.

Solutio. QVOD concedendum est.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd matrimonium secundum hoc quod fundatur super cultum diuinum, à fundamento habet facere per dispositionem huiusmodi bonum, licet non habeat per mixtionem carnis tantum.

AD ALIVD dicendum, quòd ſicut dicitur Sapient. 4. Multigena impiorum multitudo non erit vtilis. Et ideo nunquam voluit Deus iniquorum multiplicationem, ſicut eis voluit religionis propagationem & multiplicationem: & ideo præcepit vt creſcerent.

AD ALIVD dicendum, quòd ſunt duo in carne vna pueri, quia illam materialiter & effectiuè operantur: ſed bonitatem non operantur niſi diſpoſitiuè & educatiuè, Deus autem effectiuè: & ideo non dicuntur ita eſſe in bonitate ſicut in carne.

ARTICVLVS XI.

Quid ſit diuortium?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [In ſacramento vt coniugium non ſeparetur, &c.] Quæritur hic de diuortio: & quæruntur duo. Primum eſt de diuortio propter matrimonij impedimentum. Secundum autem de ſeparatione à thoro propter fornicationem. Circa primum autem quæruntur tria, ſcilicet quid ſit diuortium? Secundum, Qui ſunt qui poſſunt denuntiare cauſas diuortij? Tertium, Qualiter fiat diuortium?

Ad primum proceditur ſic: Dicunt Iuriſperiti, quòd diuortium eſt ſeparatio ſacramentalis facta ob legitimum impedimentum matrimonij: & hæc diffinitio quaſi trahitur hic de litera, vbi Magiſter diuidit ſeparationem in corporalem, & ſacramentalem, vt patet literam inſpicienti.

Obiicitur autem contra hanc diffinitionem: quia ſacramentaliter nunquam diuiduntur, qui ſacramentaliter nunquam fuerunt coniuncti: ſed habentes legitimum impedimentum, nunquam fuerunt ſacramentaliter coniuncti: ergo videtur, quòd nunquam ſacramentaliter diuiduntur: ergo diffinitio nulla eſt.

2 Item, Cum dicitur, Separatio ſacramentalis: aut intelligitur de ſacramento matrimonij, aut de ſacramento quod eſt bonum matrimonij. Si dicitur primum: tunc idem eſt ſeparatio ſacramentalis, quod ſeparatio matrimonialis: ſed ibi ſunt oppoſita: quia matrimoniale eſt coniunctum in indiuiduam vitæ conſuetudinem: ergo cum dicitur ſeparatio ſacramentalis, ibi eſt oppoſitio in adiecto: ſicut ſi dicam, diuiſio indiuiſibilis. Si autem dicatur à ſacramento quod bonum eſt matrimonij: tunc hoc magis ſequitur, quia illud eſt indiuiſibilitas ipſa.

3 Item, In nulla natura vel ſcientia vnum oppoſitum denominat ſuum oppoſitum, nunquam enim dicitur indiuiſibile diuiſibile, & album congregans viſum, vel aliquid huiuſmodi: ergo nec hic vnum oppoſitorum denominat alterum: ſed ſeparatio oppoſita eſt ſacramento: ergo non poteſt dici ſeparatio ſacramentalis.

4 Ad idem obiicitur per hoc quod habetur in litera: quia in litera dicitur, quòd ad ſacramentum pertinet, quòd matrimonium non ſeparetur: & ex hoc obiicitur vt prius.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd hæc diffinitio poſſet eſſe melior: tamen ſuſtineri poteſt. Et tunc dicendum ad primum, quòd ſeparatio ſacramentalis dicitur ſeparatio vinculi ſacramenti non eius quod fuit, ſed eius quod videbatur eſſe antequam probaretur impedimentum: vnde ſi etiam diffinitio ſic corrigatur, vt dicatur: Diuortium eſt ſeparatio eorum qui coniuncti ſacramentaliter videbantur, ob legitimum impedimentum quod impedit matrimonium contrahendum, & dirimit contractum: credo, quòd melior eſſet diffinitio. Et per hoc patet ſolutio ad totum.

ARTICVLVS XII.

Qui ſunt qui poſſunt denuntiare cauſas diuortij?

SEcundo quæritur, Qui ſunt qui poſſunt denuntiare cauſas diuortij? Videtur autem ſecundum dicta Iuriſperitorum, quòd omnes prohibentur ab accuſatione matrimonij extranei, ſi ſint aliqui de conſanguinitate matrimonium accuſare potentes & volentes: ſi autem illi deſunt, admittuntur vicini ſeniores & veraciores. Quod autem hoc ita ſit, confirmatur extra. Qui matrimonium accuſare poſſunt videtur nobis: vbi ſic ſcribit Celeſtinus tertius Florentin. Epiſcopo, quod parentes, fratres, & cognati vtriuſque ſexus, in teſtificationem ſuorum ad matrimonium coniungendum vel dirimendum admittantur, tam antiqua conſuetudine, quam legibus approbatur. Ideo enim maximè parentes, & ſi parentes defuerint, proximiores admittuntur: quoniam vnuſquiſque genealogiam ſuam cum teſtibus & chartis ex recitatione maiorum ſcire laborat: qui enim melius recipi debent, quam illi qui melius ſciunt, & quorum eſt intereſſe, ita vt ſi non interfuerint & conſenſum non adhibuerint, ſecundum leges nullum fiat matrimonium? Quod vero legitur, Pater non recipietur in cauſa filij, nec filius in cauſa patris, in criminalibus cauſis & contractibus verum eſt. In matrimonio vero coniungendo vel diſiungendo, ex ipſius coniugij prærogatiua, & quia fauorabilis res eſt, congruè admittuntur. Ex hoc accipitur, quòd propinqui vel vicini ſi propinqui deſunt, debent matrimonium quod ſeparandum eſt accuſare.

2 Item ratio videtur eſſe ad idem: quia non debet aliquis teſtificari quod neſcit: ſed cauſas matrimonij quantum ad parentelam neſciunt niſi coniuncti ab infantia, quibus nati ſunt progenitores: ergo non niſi illi in hac cauſa poſſunt eſſe teſtes.

3 Item, Non noſcens perſonam aliquam, multo minus nouit genealogiam ipſius: extranei non nouerunt perſonam: ergo, &c. ergo teſtes eſſe non poſſunt.

IN CONTRARIVM huius eſt, quòd extraneus probans veritatem dicti ſui, exceptione maior eſt audiendus ſi aliquid voluerit deponere contra aliquem; ſed extraneus aliquis eſt omni exceptione maior: ergo ſi probat quod dicit, ipſe eſt audiendus. *Sed contra.*

IVXTA hoc vlterius quæritur, Vtrum de- *Quæſt. 1.*

curſus

cursus temporis siue præscriptio faciat matrimonium non accusabile, etiamsi habeat legitimum impedimentum? Videtur autem, quòd sic: quia difficile est post habitam prolem matrimonium separari, & ad destructionem congregationum & ciuitatum ordinatur: ergo non debet admitti in iure.

2 Item, In aliis allegatur præscriptio: ergo & in matrimonio.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est quod habetur extra. de consanguinitate & affinitate. Non debet: vbi sic dicit Innocentius in concilio generali: Prohibeo. Et infra. Et siquis contra prohibitionem huiusmodi præsumpserit copulari, nulla longinquitate defendatur annorum, cum diuturnitas temporis non minuat peccatum, sed auget: tantoque sint grauiora crimina, quanto diutius infelicem animam detinent alligatam. Sed esto, quòd aliquis præsens fuit quando copulabantur aliquæ personæ, & tacuit, & posteà vult denuntiare impedimentum, nunquid est audiendus? Videtur, quòd non: quia primo tacuit cum sine nocumento potuit denuntiare: ergo cum posteà cum nocumento vult denuntiare, videtur, quòd non sit audiendus.

2 Item, Cum primo præsens existens non dixit, præsumptio est contra eum, vel potest esse, quòd posteà malitiosè composuit: ergo videtur, quòd non sit audiendus.

Sed in contrarium huius est, quod dicitur extra. Qui matrimonium accusare possunt. Cum in tua. Et infra. Si vero post contractum matrimonium aliquis appareat accusator, cum non prodierit in publicum, quando banna secundum consuetudinem in Ecclesiis edebantur, vtrum vox sua debeat accusationis admitti, merito quæri potest. Super quo sic duximus distinguendum, quòd si tempore denuntiationis præmissæ is qui iam coniunctos impetit, extra diocesim existebat, vel alias denuntiatio non potuit ad eius notitiam peruenire, vtputa si nimiæ infirmitatis feruore laborans, sanæ mentis patiebatur exilium, vel in annis erat tam teneris constitutus, quòd ad comprehensionem talium eius ætas sufficere non valebat, seu alia causa legitima fuerit impeditus, eius accusatio debet audiri. Alioquin cum rationabiliter præsumatur, quòd denuntiationem publicè factam idem existens in ipsa diocesi minime ignorauit, tanquam suspectus est proculdubio repellendus: nisi proprio firmauerit iuramento, quòd posteà didicerit ea quæ obiecerit, & ad hoc ex malitia non procedat: quia tunc etiamsi didicisset ab illis qui denuntiationis tempore siluerunt, claudi non debet eidem aditus accusandi: quoniam etsi ab impetitione huiusmodi culpa de silentio tali contracta illos excluderet, iste tamen amoueri nequiret, cum culpabilis non existat. Ex hac decretali accipitur, quòd etiamsi primum tacuit, in multis casibus posteà potest matrimonium accusare.

Quæst. 2. VLTERIVS quæritur hic, Vtrum in testimonium possunt adduci pater, mater, & fratres illorum, de quorum separatione agitur? Et videtur, quòd non: quia testes suspecti de amore priuato vel odio non admittuntur: tales autem sunt isti: ergo non debent admitti.

2 Item, Sæpe nascitur odium inter coniuges, ita quòd alter coniugum induceret suos parentes ad testificandum contra matrimonium: ergo ne hoc fiat, iudex parentes & consanguineos non debet recipere in testimoniū.

Sed contra. IN CONTRRIVM huius est quod dicitur extra. de testibus: vbi sic dicit Alexand. tertius, Super eo quod à nobis tua deuotio postulauit, vtrum viro negante se mulierem affidasse ipsius mater mulieris, & altera mulier possint ad testimonium recipi. Taliter respondeo, quòd cum mater filiæ incrementum & honorem videtur diligere, vbi vir superior est diuitiis, & nobilitate, potentia, vel honore, testimonium eius videtur esse suspectum, & ideo non esse aliquatenus admittendum. Ex hoc enim accipitur, quòd alterius, scilicet coniugis pater, vel mater, inferiores existentes in diuitiis & honore matrimonij, sunt audiendi: quia præsumitur, quòd inuiti faciunt conscientia veritatis cogente, cum libentius vellent illi viro filiam esse coniunctam, quam ab eo separari.

Quæst. 3. VLTERIVS hîc quæritur, Vtrum idem in hac causa possit esse accusator & testis? Et videtur, quòd non: quia si coniunctus accusatori per sanguinem habetur suspectus, multo magis idem ad seipsum compararus, suspectus debet haberi: ergo non potest idem esse testis & accusator.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est, quòd habetur extra. de testibus cogendis. Præterea si testis, &c. vbi scribit Celestinus Papa, quòd testes publici qui synodales vocantur, possunt esse testes in matrimonio: & constat, quòd iidem sunt accusatores.

2 Argumentum ad idem sumitur in decreto. 35. quæst. 6. Episcopis in synodo. Et præcipuè in apparatu decreti super eundem locum.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum videtur ad hoc, quòd omnes non infames personæ, id est, exceptione maiores, hoc est, propter infamiam criminis non impediuntur, quantumcunque propinqui possunt denuntiare matrimonium, si agitur de impedimento matrimonij perpetuo, quod impedit contrahendum & dirimit contractum. Si autem agitur de ipso contractu, vtrum scilicet sit contractum, vel non, tunc parentes tanquam suspecti sunt repellendi: nisi ita sit, quòd parens ille qui contra matrimonium testificatur, sit inferior dignitate, diuitiis, & honoribus: quia tunc probabile est, quòd ille libenter vellet stare matrimonium.

DICENDVM ergo ad primum quod contra hoc obiicitur, quòd ipse qui obiicitur, est audiendus, si probat quod dicit: sed sufficienter probari non potest, nisi per propinquos, quia extraneus inquantum extraneus, consanguinitatem eorum qui sibi extranei sunt, scire non potest: & si dicat sine assumptione consanguineorum, ipse suspectus repellitur, quia sic posset quilibet matrimonium infirmare.

Ad qu. 1. AD ID quod vlterius quæritur iuxta hoc, Vtrum decursus temporis aliquid faciat? dicendum,

dum quòd in talibus vbi de conſcientia agitur, præſcriptio non habet locum, ſicut oſtenditur in decretali adducta. Ad hoc autem quod contra obiicitur, dicendum quòd licet ſit difficile: tamen illud difficile magis eſt ſubeundum, quam contra conſcientiam ſtandum in ſtupro, vel quòd aliquis ſtare in ſtupro permittatur: quia arcta eſt via quæ ducit ad vitam, & pauci ſunt qui inueniunt eam: & ideo tamen non eſt negligenda.

AD ALIVD patet ſolutio per antedicta.

AD ID autem quod poſtea obiicitur per decretalem, diſtinguitur ſatis benè quando audiendus eſt, & quando non audiendus eſt: & ideo per ipſam decretalem plena patet reſponſio.

Ad qu. 2. AD ID quod vlterius quæritur, dicendum quòd adduci poſſunt ſecundum modum qui in principio iſtarum ſolutionum eſt determinatus.

AD ID autem quod contra obiicitur, dicendum quòd vt patet in quadam decretali in obiectione adducta, hoc in caſu iſto non tenet: & hoc ideo quia cum detrimentum ſit honoris & rerum matrimonia huiuſmodi ſeparari, probabile eſt parẽtes huiuſmodi ſeparationem non affectare, & ideò nihil dicere amore filiorum: & præcipuè ideò quia ipſi certius nouerunt impedimenta.

AD ALIVD dicendum, quòd melius, id eſt, minus malum eſt tales ſeparari, quam commanere, ne homicidium ſequatur: & ideo iudex in tali caſu teſtes idoneos admittit.

Ad qu. 3. AD ID quod vltimo quæritur, dicendum quod idem ſubiecto in hac cauſa poteſt eſſe accuſator & teſtis, licet non idem ſecundum rationem: quia in veritate in tali caſu contra aliquid agitur per modum inquiſitionis potius quam denunciationis vel accuſationis: in tali autem modo agendi contra aliquem (vt dicitur in iure) fama accuſat: & poſtea quæ inducuntur, ſunt teſtes veritatis famæ; tamen quia non eſt hic alius homo accuſans & teſtificans, propterea dicitur quòd idem eſt teſtis & accuſator.

AD HOC autem quod contra obiicitur, dicendum quòd accuſator hic non teſtificatur id quod ipſe dicit, ſed potius hoc quod fama clamat: & ideo eſt hic quædam diuerſitas accuſantis & teſtificantis. Notandum autem eſt hic quiddam quod in 35. q. 6. dicitur in apparatu, quòd in pluribus locis valet, ſcilicet quòd ſpeciale eſt in matrimonio, quòd idem poteſt eſſe accuſator & teſtis: ſicut etiam, quòd non iuratur in hac cauſa de calumnia, cum ſit quaſi cauſa ſpiritualis, & quòd conſanguinei admittuntur, & quòd non omninò ibi ordo iudiciarius obſeruatur, cum denunciatione tali facta contumax lite non conteſtata poſſit excommunicari: & quòd valet hic teſtimonium de ipſius auditu, & quia poſt publicatam atteſtationem teſtes poſſunt adduci.

ARTICVLVS XIII.

Vtrum & quando matrimonium poteſt accuſari?

TErtio quæritur, Qualiter fiat diuortium, & quia huius cauſa eſt accuſatio, ideo quærendum eſt, quando matrimonium poſſit accuſari? Videtur autem, quòd ſtatim vt incipit eſſe culpabile: hoc autem eſt in prima voluntate & promiſſione contrahendi: ergo tunc poteſt accuſari: ergo inſponſalibus poteſt fieri accuſatio.

2 Item ad idem eſt, quòd tunc accuſatio facilius habet locum, & cum minori ſcandalo & damno contrahentium: ergo videtur, quòd tunc debeat fieri.

Sed contra. IN CONTRARIVM eſt, quòd non poteſt accuſari id quod non eſt: ſed matrimonium in ſponſalibus non eſt: ergo in illis non poteſt accuſari.

2 Item videtur, quòd non poſſit accuſari: quia ſicut dicit Innocent. in concilio generali, accuſatio fit per inſcriptionem: ſed denuntiatio fœderis matrimonij poteſt fieri per inſcriptionem, & ſine inſctiptione.

3 Item, In accuſatione accuſans obligat ſe ad pœnam talionis ſi probare non poſſit quod dicit: ſed in denuntiatione fœderis matrimonij nihil tale fit: ergo videtur, quòd non accuſatur nec accuſari poteſt.

Quæſtiuncula 1. VLTERIVS quæritur: ponamus enim, quòd duo frattes habeant duas ſorores, & vnus propter conſanguinitatem probatam ſeparatur à ſua vxore, vtrum alius eodem iure ſeparatur à ſua vxore? Videtur autem, quòd ſic: quia de ſimilibus ſimile eſt iudicium: ſed iſtorum matrimonia per omnia ſunt ſimilia quantum ad fœdera matrimonij: ergo ſi vnum ſeparatur, & reliquum erit ſeparandum.

Sed contra. SED IN CONTRARIVM huius eſt quod dicitur extra, de fide inſtruct. Inter dilectos: & dicit ibi Papa, quòd res inter alios acta, alij non præiudicat.

Quæſtiuncula 2. SED TVNC vlterius quæritur, Vtrum poſſint ſibiinuicem debitum reddere & exigere? Videtur autem, quòd ſic: quod enim nullo iure prohibetur, licitè pnteſt exigi: ſed iſtud (vt habitum eſt) nullo iure prohibetur: ergo licitè poteſt exigi.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius eſt, quòd conſcientia remordet, quia ſcit ſe ſimiliter iudicandum: ſed qui facit contra conſcientiam, ædificat ad gehennam: ergo videtur, quòd nec exigere nec reddere debet.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd ſicut habetur ex concilio Vrbani habito in Apulia: Si duo vel tres conſanguinitatem iureiurando firmauerint, vel ipſi fortè confeſſi fuerint, coniugia diſſoluantur: ſi vero neutrum contigerit, Epiſcopi eos per baptiſmum, per fidem Chriſti, per Chriſti iudicium in vera obedientia obteſtentur quatenus palam faciant vtrum ſe, ſicut fama eſt, recognoſcant eſſe conſanguineos: ſi negauerint, ſibiipſis relinquendi ſunt: ita tamen, vt ſi aliud in conſcientia habeant, ſe à liminibus Eccleſiæ, à corpore & ſangui

sanguine Domini, à fidelium communione nouerint segregatos atque infames effectos, donec ab incesti facinore desistant, si se Episcoporum iudicio segregauerint qui iuuenes sunt, alia via contrahere non prohibeantur. Ex hoc accipitur qualiter quantum ad numerum testium & inquisitionem diuortium sit faciendum. Denuntians autem matrimonium potest hoc facere dicto vel scripto per huiusmodi verba: Ego enim dico vel denuntio vobis Domine, quòd matrimonium N. & B. stare non potest, quia sunt consanguinei in tali gradu. Si autem alia est diuortij causa, ipsam debet apponere in libello. Adhuc autem de consanguinitate & affinitate libellum tenetur dare accusato, vt sciat quis impetit & qualiter possit respondere. Hoc habito respondendum est ad primum, quòd matrimonium non potest accusari nisi quando est, & ideo in sponsalibus accusari non potest: sed potest fieri denuntiatio impedimenti simplex sine probatione per testes, nisi fortè sponsalia iuramento sint firmata: quia tunc propter iuramenti obligationem tenetur ad probationem.

Ad argvmentvm autem quod contra hoc est, dicendum quòd matrimonium non incipit: quia nulla pars eius tunc est, sed tantum dispositio ad ipsum, sicut supra habitum est, cum de sponsalibus disputaretur.

Ad alivd dicendum, quòd denuntiatio consanguinitatis fieri potest, sed non accusatio matrimonij, quia non est.

Ad id quod vlterius quæritur, Vtrum accusari possit? Dicendum, quòd non proprie: sed accusatio sumitur hîc extenso nomine pro denuntiatione: & per hoc patet solutio ad sequens.

Ad hoc quòd vlterius quæritur, dicendum quòd non debet alius frater propter hoc à sua vxore recedere: quia sæpè humanum fallitur iudicium, quod procedit secundum allegata: & ideo non oportet de hoc similiter iudicare. *Ad quæstiunculam.*

Ad hoc autem quod obiicitur de conscientia, dicendum quòd aut est scientia de consanguinitate, aut opinio, aut nihil talium habet in conscientia. Si primo modo, nec reddere potest, nec exigere. Si secundo modo, reddere potest, sed non exigere. Et per hoc patet solutio ad totum. De separatione autem à thoro infra erit quæstio in loco proprio.

De duplici separatione.

Separatio autem gemina est, corporalis scilicet, & B
sacramentalis. Corporaliter possunt separari causa fornica- Matt. 19.
tionis, vel ex communi consensu causa religionis, siue ad tempus, siue vsque in finem. Sacramentaliter vero separari non possunt dum viuunt, si legitimæ personæ sint. Manet enim vinculum coniugale inter eos, etiamsi aliis à se discedentes adhæserint. Vnde Augustinus, Vsque adeò manent inter viuentes semel inita iura nuptiarum, vt potius sint inter se coniuges etiam separati, quam cum aliis quibus adhæserunt. Item, Manet inter viuentes quoddam coniugale vinculum, quod nec separatio, nec cum altero copulatio possit auferre: sicut apostata anima velut de coniugio Christi recedens, etiam fide perdita, sacramentum fidei non amittit, quod lauachro regenerationis accepit. Redderetur enim redeunti, si amisisset abscedens. Habet autem hoc qui recesserit ad cumulum supplicij, non ad meritum præmij. Item, Quibus placuit ex consensu ab vsu carnalis concupiscentiæ in perpetuum continere, absit vt vinculum inter illos coniugale rumpatur, imo firmius hæret, quò magis ea pacta secum gerunt: quæ charius concordiusque seruanda sunt, non voluptariis corporum nexibus, sed voluntariis animorum affectibus. Et attende, quòd tertium bonum coniugij dicitur sacramentum: non quod sit ipsum coniugium, sed quia eiusdem rei sacræ signum est, id est, spiritualis & inseparabilis coniunctionis Christi & Ecclesiæ.

Lib. 1. de nuptiis & concupisc. cap. 10. Ibidem. Ibidem, cap. 11. Hugo. 4. sentent. cap. 5.

ARTICVLVS XIV.

An matrimonium imprimat characterem?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Sicut apostata anima, &c.] Ex hoc enim videtur, quòd matrimonium imprimat characterem: quia aliter nihil valet similitudo inducta.

2 Item, Cessante causa cessat effectus: sed statim post horam primi contractus recedit & cessat effectus: ergo cessat & causa: ergo cum non cesset effectus, oportet quòd aliquid sit conseruans eum: sed hoc non potest esse nisi character: ergo matrimonium imprimit characterem.

3 Item, Æterni characteris non est signum corporalis character & delebilis: sed æternam coniunctionem fidelis animæ cum Deo significat matrimonium: ergo oportet, quòd hoc faciat per aliquod indelebile: hoc autem non potest esse nisi character: ergo matrimonium imprimit characterem.

4 Item, Anima coniugati transiens ab hoc seculo, aut est distinguibilis à non coniugato, aut non. Si sic: tunc cum hoc sit character, quia nihil distinguit nisi character, matrimonium imprimit characterem. Si autem non est distinguibilis, tunc matrimonium secundum totum suum esse est corporale, & non significat aliquid manens in æternitate.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est, quòd sacramenta imprimentia characterem iterari in eadem persona non possunt: sed matrimonium potest iterari: ergo non imprimit characterem.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd non imprimit characterem.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd similitudo est in parte, & non in toto: ita quod matrimonium non sequitur simile in parte: quia sicut propter perpetuum characterem animæ apostatanti à Deo non redditur sacram entum cum redit, ita hîc propter vinculum quod durat altero coniugum durante, non reiteratur matrimonium.

AD ALIVD dicendum, quòd quorum esse est in fieri, necesse est esse cum suis causis: sed quorum esse est post suas causas, præcipuè non propinquas, possunt permanere post, & præcipuè voluntarij effectus nostri: vnde non tenet hoc in contractibus voluntariis.

AD ALIVD dicendum, quòd distinguibilis est non per characterem, sed per notitiam prioris vitæ quæ remanet apud eum & apud alios.

ARTICVLVS XV.

An conseruatio continentiæ sit de confirmantibus matrimonium & essentiam eius?

DEinde quæritur de hoc quod dicit [Imo firmius hæret quo magis ea pacta, &c.] Videtur enim esse falsum: quia seruatio huius continentiæ non est de essentia vel confirmantibus matrimonium, sed potius de confirmantibus votum continentiæ: ergo falsum dicit in litera. Item videtur contrarium consummanti matrimonium: ergo non confirmat ipsum.

RESPONSIO. Dicendum, quòd loquitur in litera de confirmatione sanctitatis matrimonij magis quam matrimonij essentia. Et per hoc patet solutio ad vtrumque. *Solutio.*

Hæc tria non adsunt omni coniugio.

CIT est sciendum, ab aliquibus contrahi coniugium, vbi hæc tria bona non comitantur. Deest enim fides, vbi vir cum alia, vel mulier cum alio coit. Hoc ergo bonum ita coniugio adhæret, vt ex eo, si adsit, amplius commendetur coniugium: si non adsit, non inde annihiletur. Quæ enim adultera est, non ideò coniunx non est: imo si coniunx non esset, adultera non foret: non enim est adulterium, nisi cum fides thori violatur legitimi. Quod cum fit culpa committitur, sacramentum vero non cessatur. Bonum quoque prolis non omnibus adest coniugibus. Quidam enim pari voto continentiam seruant. Alij pro ætatis defectu vel alterius rei causa generare non valent. Nec omnes illi etiam qui prolem recipiunt, bonum prolis habent. Nam bonum prolis dicitur non ipsa proles, vel prolis spes quæ ad religionem non refertur, imo ad hæreditariam successionem (vt cum quis hæredes terrenæ possessionis habere desiderat) sed spes ac desiderium quo proles ad hoc quæritur, vt religione informetur. Multi ergo prolem habent, qui tamen bono prolis carent: nec ideò tamen coniugium esse desinit. Sacramentum verò ita inseparabiliter coniugio hæret

Hug. de sacramentis parte 11. cap. 8.

hæret legitimarum personarum, vt sine illo coniugium non esse videatur, quia semper manet inter viuentes vinculum coniugale: vt etiam interueniente diuortio fornicationis causa, coniugalis vinculi firmitas non soluatur. Vbi vero non inter legitimas personas contrahitur coniugium, non adest illud bonum quod dicitur sacramentum: quia potest solui talium copula, de quibus post dicetur. Quod vero coniugium sit inter eos, qui coniugali affectu, non tamen gratia prolis, sed explendæ libidinis causa conueniunt: nec fornicarij, sed coniuges appellentur, ostendit Augustinus inquiens, Solet quæri, Cum masculus & fœmina, nec ille maritus, nec illa vxor alterius, sibimet non filiorum procreandorum, sed pro incontinentia solius concubitus causa copulantur, ea fide media, vt nec illa cum altero, nec ille cum altera faciat id: vtrum nuptiæ sint vocandæ? Et potest fortasse non absurdè hoc appellari connubium, si vsque ad mortem alicuius eorum id inter eos placuerit: & prolis generationem, quamuis non ea causa coniuncti sunt, non tamen vitauerint vt vel nolint sibi nasci filios, vel etiam opere malo aliquo agant ne nascantur. Cæterum si vel vtrumque vel vnum horum desit, non inuenio quomodo has nuptias appellare possimus. Etenim si aliquam sibi ad tempus adhibuerit, donec aliquam dignam honoribus aut suis facultatibus inueniat, quam in coniugio adducat, animo ipso adulter est, nec cum illa quam cupit inuenire, sed cum ista cum qua sic cubat, vt cum ea non habeat maritale consortium. Ecce coniuges dicuntur, qui solius concubitus causa conueniunt, si tamen prolis generationem aliquo malo dolo non vitent. Lib. de bono coniugali. c. 5.

ARTICVLVS XVI.

An omne matrimonium habeat bona matrimonij?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Vbi vero non inter legitimas personas contrahitur coniugium, non adest illud bonum quod dicitur sacramentum, &c.] Videtur hoc esse falsum quia ibi est indiuiduitas indiuiduæ vitæ & consuetudinis: sed hoc sacramentum est: ergo dicitur falsum in litera.

2 Item, Nullum est matrimonium quod non habet aliquod bonum: sed pono, quòd tales non possint habere prolem, nec etiam fidem sibi seruent: cum igitur nec sit ibi bonum sacramenti, nullum bonorum est ibi: est autem inter tales matrimonium, vt probatur infra: ergo aliquod matrimonium est, quod nullum habet bonum, quod absurdum est dicere.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd sacramentum dicitur dupliciter, scilicet habitu, & actu. In actu non est ibi sacramentum, quia non ducit in sacram rem aliquam, sed habitu est ibi: sed in litera loquitur de sacramento in actu existente. Vel melius potest dici, quòd duplex est indiuiduitas, scilicet ex eo quod præpositio potest priuare actu diuisionis, vel potentia. Et primo quidem modo est indiuisibile matrimonium infidelium. Secundo autem modo non: quia aliquo casu contingenti diuidi potest, si alter conuertatur ad fidem, & reliquus sibi cohabitare nolit nisi in contumeliam creatoris. Et hoc modo intelligit in litera.

ARTICVLVS XVII.

An inter illos est matrimonium, qui causa libidinis exercendæ copulantur?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Solet quæri, Cum masculus & fœmina, &c.] Videtur enim, quòd inter tales non sit matrimonium: quia in tali muliere nullum quæritur bonum matrimonij, quod patet quærenti per singula: sed in omni matrimonio aliquod bonum quæritur: ergo videtur, quòd hoc non sit matrimonium.

2 Item, Sextus Pithagoricus dicit, vt infra dicetur, quòd ardentior amator propriæ coniugis, adulter est: sed ille videtur esse ardentior, quia non sequitur nisi libidinem ardoris: ergo videtur, quòd sit adulter.

3 Item, In litera dicit, Si non contra operetur, quòd tunc sit matrimonium: ergo si contra operetur, à contrario sensu non est matrimonium: ponamus ergo, quòd impediat partum, tunc videtur quòd soluatur

matrimo

matrimonium prius contractum & consummatum, quod falsum est.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd inter tales est matrimonium, sicut in littera dicitur: & de hoc satis est superius inquisitum.

AD HOC ergo quod obiicitur, dicendum quòd quæritur bonum medicinæ in tali matrimonio, & hoc non est paruum bonum: & supponuntur alia in potentia & in habitu, licet non in actu.

AD ALIVD dicendum, quòd illud dictum Sexti Pythagorici intelligitur de ardore feruenti extra communem honestatem matrimonij, scilicet qui scienter & cum intentione vtitur vxore loco meretricis & nomine, quod etiamsi non esset vxor, cum ipsa concumbere vellet.

AD ALIVD dicendum, quòd Magister non dicit hoc ideo, quòd ipse intelligat, quòd impedimentum superueniens matrimonio impediat matrimonium, vel dirimat contractum: sed quia tunc non vt coniuges, sed vt adulteri contra bona matrimonij feruent coniuges: & ipsi quidem coniuges existentes non agunt rem coniugalem. Et per hoc patet solutio.

De his qui procurant venena sterilitatis.

D. Lib. 1. de nupt. & concup. cap. 15. QVI verò venena sterilitatis procurant, non coniuges, sed fornicarij sunt: vnde Augustinus, Aliquando eousque peruenit hæc libidinosa crudelitas, vel libido crudelis, vt etiam venena sterilitatis procuret: & si nihil valuerint, conceptos fœtus inter viscera aliquo modo extinguat vel fundat, volendo prolem suam prius interire quam viuere: aut si in vtero viuebat, occidi antequam nasci. Prorsus si ambo tales sint, coniuges non sunt: & si ab initio tales fuerunt, non sibi per connubium, sed per stuprum potius conuenerunt. Si vero ambo tales non sunt, audeo dicere, aut illa quodammodo est mariti meretrix, aut ille adulter vxoris.

ARTICVLVS XVIII.

Quæ pœnitentia debetur illis qui venena sterilitatis procurant?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Qui verò venena sterilitatis procurant, &c.] Quæritur autem hic de pœnitentia istorum. Videtur enim, quod parricidæ sunt, vel propriorum filiorum occisores: quia qui occasionem damni dat, damnum dedisse videtur: sed ille dat occasionem homicidij: ergo facit homicidium.

2 Item, In exterioribus damnosius est reddere terram infœcundam, quam semel eradicare segetes: ergo à simili in natura humana facere naturam sterilem maius est peccatum, quam occidere semel infantem vnum viuum vel duos: grauiori ergo pœnitentia puniendi sunt, quam homicidæ.

3 Item Genes. 38. dicitur de Her & Onam qui semen fundebant, quòd percussit eos Dominus. Ergo adhuc videtur, quòd tales sint morte puniendi vel pœnitentia grauissima.

Quæstiuncula. VLTERIVS quæritur de illis qui consilia & adiutoria dant sterilitatis, vtrum sint irregulares? Videtur, quòd sic: quia ipsi interpretatum faciunt homicidium: homicidæ autem sunt irregulares: ergo illi tales sunt irregulares.

Sed contra. IN CONTRARIVM est, quod infra habebitur, quòd non sunt homicidæ nisi post susceptum formam: ergo nec irregulares.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd magna pœnitentia est iniungenda, & quòd cessent, ne de cætero faciant talia: & si possunt induci, quia peccant contra matrimonium, inducendi sunt, quòd de cætero non vtantur matrimonio: si autem non possunt induci, non credo, quòd arctari possint, ne peiora contingant.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd non est certum nasci puerum: quia dubium est de conceptione: & etiam postquam conceptum est, dubium est de animatione & partu: & ideo non directe dat occasionem talis.

AD ALIVD dicendum, quòd quoad hoc est grauius, quia probabiliter damnosius: sed non est maioris deformitatis in actu peccati: & à deformitatis quantitate dicuntur peccata grauiora simpliciter, & ab aliis circunstantiis dicuntur esse grauiora secundum quid.

AD ALIVD dicendum, quòd nequam erant illi ambo: sed non sequitur, si Deus illud peccatum morte puniuit, quòd etiam illi sint morte puniendi: quia Dominus fecit hoc ad terrorem, & Ecclesia non punit nisi contritum ad satisfactionem delicti.

Ad quæstiunculam. AD ID quod vlterius quæritur, dicendum quòd non sunt irregulares, quia non sunt homicidæ: & ideo falsum supponitur in obiectione.

Quando

Quando sunt homicidæ qui procurant abortum?

HIc quæri solet de his qui abortum procurant, quando iudicentur homicidæ, vel non? Tunc puerperium ad homicidium pertinet, quando formatum est, & animam habet, vt Augustinus super Exod. asserit. Informe autem puerperium vbi non est anima viua, lex ad homicidium pertinere noluit. Dicit etiam Augustinus, quòd informe puerperium non habet animam, ideoque mulctatur pecunia, non redditur anima pro anima. Sed iam formato corpori anima datur, non in conceptu corporis nascitur cum semine deriuata. Nam si cum semine & anima existit de anima, tunc & multæ animæ quotidie pereunt, cum semen fluxu non proficit natiuitati. Primum oportet domum compaginari, & sic habitatorem induci. Cum ergo lineamenta compacta non fuerint, vbi erit anima? Item Hieronym. ad Algasiam, Semina paulatim formantur in vtero: & tandiu non reputatur homicidium, donec elementa confecta suas imagines membraque suscipiant. His apparet tunc eos homicidas esse, qui abortum procurant, cum formatum est & animatum puerperium.

E 32.q.2. c. Quod verò.

Lib. qu. nou. & vet. test. cap. 12.

In tomo 3. epistolarum in quæstionibus, quæst 4.

EXPOSITIO TEXTVS.

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Nam si cum semine, &c.] De hoc autem, quia multum in tractatu de anima est disputatum, ibi est requirendum: quia non inducitur hic nisi per accidens, nec est de materia. Possunt autemhîc notari versus ad hoc vtiles sic:

Semine conceptum sex primis ritè diebus
Fit quasi lac, reliquisque nouem fit sanguis:
at illud
Consolidat duodena dies, bis nona deinceps
Effigiat, tempus sequens producit ad ortum.

ARTICVLVS XIX.

An actus reddendi debitum sit meritorius?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Cum igitur hæc tria bona in aliquo simul concurrunt, &c.]: Videtur enim falsum dicere: quia quod bonum est, non indiget excusatione: sed actus talis est bonum quoddam: ergo non indiget excusatione.

2 Item videtur, quòd sit meritorius: quia secundum speciem mouentis informatur motus & actus: sed species siue forma mouentis hîc est pietas prolis & iustitiæ: ergo actus est meritorius, vt videtur: & ita iterum excusatione non indiget.

3 Item, Reddens debitum, reddit alteri quod suum est: sed redens alteri quod suum est, meretur si est in charitate: ergo coniugati reddentes sibi debitum, merentur si sunt in charitate: ergo actus talis nulla excusatione indiget.

4 Item, Absurdum est dicere actum coniugij patriarcharum excusatione indigere: ergo videtur, quòd non oporteat bona plura vel vnum adesse, vt excusetur.

5 Item videtur, quòd si excusatione indigeret, tunc Apostolus 1. Corinth. 7. malè diceret præcipiendo, Nolite fraudare inuicem nisi fortè ex consensu, &c. & iterum reuertimini in idipsum, &c.

IN CONTRARIVM huius est, quòd omnis passio deducens rationem, est turpis rationali creaturæ: quia sicut dicit Philosophus, Ex de deductione rationis sequitur mos peruersus: sed in omni coitu est talis passio: ergo omnis coitus est turpis: omne turpe nisi excusetur, reputatur crimen: ergo omnis coitus criminosus est, si non excusetur. *Sed contra.*

2 Item, Omne quod excludit actum virtutis & Spiritus sancti, indiget excusatione si non debeat esse peccatum: sed hoc facit omnis concubitus: vt habetur infra, & dicitur in Gloss. 1. Corinth. 6. super id: Qui fornicatur, in corpus suum peccat. Ergo omnis coniugalis concubitus indiget excusatione.

RESPONSIO. Dicendum, quòd omnis concubitus indiget excusatione, id est, vt adiungatur ei aliquid, quo detracto erit turpis. Et tamen bene concedo, quòd quandoque est meritorius ex adiuncto illo: & hoc ideò quia non est ex se cognitio fœminæ mala, sed ex concupiscentia adiuncta: & illa quandoque est pœna tantum, & est turpis non sicut vitium culpæ, sed sicut pœna, quæ est orta ex culpa: & propter illam indiget excusatione. Et per hoc patet solutio ad omnia, quæ primo obiiciuntur: quia actus ille ex se bonus & meritorius *Solutio.*

torius est, sed ex adiuncto turpem habet pœnam annexam, quæ per bonum matrimonij protegitur: quia aliter homo peccaret, qui se illi ex voluntate subderet.

Ad id quod in contrarium est, dicendum quòd ratio duplicem habet actum ad opus voluntarium virtutis vel vitij, scilicet præambulum quo ordinat res agendas, & concomitantem quo quasi inspicit executionem. In coitu autem matrimonij qui fit specie boni mouente, non occumbit, nec deducitur ratio quantum ad actum præambulum operi, sed quantum ad actum concomitantem opus: sed hoc non facit aliquid esse peccatum, Sed tantum subiicit pœnæ non carenti verecundia, eo quod ratio si non fuisset peccatum, semper in visua & dignitate remansisset. Per hoc etiam patet solutio ad sequens.

De excusatione coitus qui fit per hæc bona.

Cvm ergo hæc tria bona in aliquo coniugio simul concurrunt, ad excusationem coitus carnalis valent. Quando enim seruata fide thori causa prolis coniuges conueniunt, sic excusatur coitus, vt culpam non habeat. Quando vero deficiente bono prolis, fide tamen seruata conueniunt causa incontinentiæ, non sic excusatur vt non habeat culpam, sed venialem. Vnde Augustinus, Coniugalis concubitus generandi gratia non habet culpam. Concupiscentiæ verò satiandæ, sed tamen cum coniuge propter thori fidem venialem habet culpam. Item, Hoc quod coniugati victi concupiscentia vtuntur inuicem, vltra necessitatem liberos procreandi, ponam in his pro quibus quotidiè dicimus, Dimitte nobis debita nostra, &c. Vbi autem hæc bona desunt, fides scilicet & proles, non videtur coitus defendi à crimine. Vnde in sententiolis Sexti Pithagorici legitur, Omnis ardentior amator propriæ vxoris, adulter est. Item Hieron. Sapiens iudicio amat coniugem, non affectu: non regnat in eo impetus voluptatis, nec præceps fertur ad coitum. Nihil est fœdius quam vxorem amare quasi adulteram. Qui dicunt se causa humani generis vxoribus iungi, imitentur saltem pecudes: & postquam venter vxoris intumuerit, non perdant filios, nec amatores se vxoribus exhibeant, sed maritos. Idem, In matrimonio opera liberorum concessa sunt, voluptates autem quæ de meretricum amplexibus capiuntur, in vxore sunt damnatæ.

Lib. de bono coniugali.c.6. & 7.

Hugo 4. sentent. cap.4.

Matt.6.

32.q.4. Origo. Ibidem. cap. Sapiens.

ARTICVLVS XX.

Quare ardentior amator suæ vxoris potius comparetur adultero quam fornicatori: & quis dicitur ardentor amator?

Deinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Omnis ardentior amator, &c.] Videtur enim falsum esse: quia suam cognoscit, quod non facit adulter: feruor autem coitus in vtroque est æqualis.

2 Item ardentior dicit comparationem, & comparatio notat excessum, quæratur respectu cuius? Si dicitur respectu ardoris qui est in coitu qui fit bonis matrimonij mouentibus, tunc ardentior erit amator qui victus concupiscentia vtitur coniuge: sed hoc falsum est, quia dicit Augustinus in litera, quòd hoc est veniale. Si autem dicitur, quòd notat excessum respectu illius qui victus concupiscentia vtitur coniuge: tunc videtur, quòd deberet dici ardentissimus, quia primus gradus est in eo qui vtitur coniuge motus bono matrimonij: secundus autem in eo qui victus concupiscentia: & tertius in excedente illos.

3 Item videtur, quòd nullus coitus matrimonij sit venialis, sed omnes sunt mortales: quia actus qui eiusdem & æqualis sunt conuersionis ad bonum commutabile, sunt etiam eiusdem auersionis: sed constat, quòd ille mortaliter auertitur, qui vtitur meretrice: ergo & ille qui vtitur coniuge.

4 Item 8.ethic. innuit Aristot. quòd delectatio corrumpens æstimationem prudentiæ, est vituperabilis in ethicis: sed quod ibi est vituperabile, Theologis est mortale: ergo talis delectatio est mortalis, quia est corruptiua virtutis: sed talis delectatio est in omni concubitu: ergo videtur, quòd omnis concubitus est mortale peccatum.

Responsio. Dicendum, quòd ardentior hic vocatur ardor excedens totius matrimonij concessionem & honestatem. Sub con- *Solutio.*

cessione

cessione autem matrimonij & honestate seruens est in positiuo gradu respectu cuius notatur excessus. Et per hoc patet solutio ad primum. Si autem quæratur, quare talis comparatur adultero, & non fornicatori? Dicendum, quòd hoc ideo est: quia fornicator non peccat in matrimonium, sed ille talis peccat: & ideo à corruptione matrimonij dicitur adulter, non à transgressione thori. Et per hoc patet solutio ad id quod obiicitur de adultero: quia non quoad hoc facit comparationem.

Ad id quod vlterius quæritur, dicendum quòd conuersio duplex est: est enim vna per rationem præambulam actui, & alia per ipsum opus. Et de conuersione rationis præambulæ actui verum est, quod obiicitur, scilicet quòd quæ sunt eiusdem & æqualis conuersionis, &c. sed hoc non tenet hic: quia ille considerat concessionem & honestatem matrimonij, & ideo sub Deo conuertitur: alius autem non considerat, nisi fœdam delectationem. Et hæc solutio valet in multis.

Ad alivd dicendum, quòd non corrumpit æstimationem prudentiæ delectatio matrimonij: quia prudentia præambula ordinat eam: sed actum prudentiæ opus concomitantem suspendit ad tempus.

ARTICVLVS XXI.

Quando coitus est bonus?

Deinde quæritur de hoc quod dicit [Non regnat in eo impetus voluntatis, &c.] Cum enim tria possunt esse mouentia simplicia in coitu, & duo composita, eò quod tertium esse non possit: quæratur de coitu secundum quodlibet mouentium, vtrum sit bonus, vel malus? & quantum bonus est, & quantum malus est? Est enim mouens natura quæ speciem saluare desiderat, & iterum mouens bonum matrimonij. Item est mouens libido: quæ sunt simplicia. Est autem mouens natura cum gratia, & natura cum libidine, quæ sunt duo mouentia composita. Sit ergo primo mouens natura. Videtur autem, quòd tunc sit bonus. Esse enim naturale est bonum: ergo & istud.

2 Item, Dignior est actus naturæ, qui ad melius operatur: sed dignior & melior est species indiuiduo: ergo dignior est actus operans ad speciem, quam ad indiuidui salutem: sed coitus operatur ad salutem speciei, comestio autem ad salutem indiuidui: ergo videtur, quòd melius sit coire, quam comedere.

3 Item, Philosophi dicunt, quòd coitus est res diuina, in qua natura posuit abundantiam delectationis, vt fortius appetatur propter speciei permanentiam: ergo videtur, quòd sit optimus & dignissimus actus.

4 Item, In aliis naturis ab homine non dubitamus, quin optimum & vltimum in eis sit generare tale alterum, quale est vnumquodque eorum, sicut scribitur in secundo de anima: ergo videtur, quòd similiter sit in homine: igitur si moueat ad coitum natura ad speciem ampliandam & sustinendam, vi-

detur quòd non tantum non sit malum, sed plurimum bonum.

In contrarivm huius est, quòd quotiescunque id quod est superioris naturæ, inclinatur ad inferiorem naturam, ipsum secundum naturam peioratur: & hanc quidem propositionem innuit Aristot. in prima parte 10. ethic. sed homo superiorem naturam habet, intellectualem, non organicam: ergo si operatur secundum naturam inferiorem, erit sibi operatio non secundum naturam propriam: ergo homo deturpatur in ea secundum naturam propriam: sed coire est secundum naturam inferiorem, quæ est bruti: ergo ipsa deturpat naturaliter hominem. *Sed contra.*

2 Item, Videmus Philosophos qui non peccatum hoc modo considerant vt theologus, nec etiam bona matrimonij, vituperare coitum, & laudare felicitati contemplatiuæ insistentes: cum igitur illi non considerant nisi naturam & naturale bonum, videtur, quòd coitus sit de turpibus hominum.

Vlterivs quæritur de bono matrimonij mouente. Videtur enim, quòd mouere non possit: quia malum est, quod malo permixtum est: sed bonum nunquam mouet ad malum: ergo nec mouet ad bonum malo permixtum: sed omnis coitus est malo concupiscentiæ permixtus: ergo bonum nunquam mouet ad coitum. *Quæstiuncula 1.*

2 Item, Virtus est arte certior, vt dicit Philosophus: ars autem finem nunquam quærit via remotiori, sed propinquiori: ergo nec virtus: sed omne bonum facilius & citius consequitur bonum mouens ad simpliciter bonum, quam ad permixtum turpitudine: ergo videtur, quòd nullum bonorum matrimonij vnquam moueat ad coitum, quia turpitudini permixtum est.

3 Item, Natura nunquam mouet ad aliquid in quo necesse sit deficere naturales actus: ergo cum virtus sit in modum naturæ mouens, videtur quòd virtus nunquam moueat ad aliquid in quo necesse sit deficere virtutis actus & operationes: sed omnes virtutis actus & operationes deficiunt, dum coitus est: ergo nullum bonum vnquam mouet ad coitum, vt videtur.

In contrrivm huius est, quod dicitur Tob. 3. Virum autem cum timore tuo, non cum libidine, &c. ergo timor Dei & amor posteritatis mouent ad coitum. *Sed contra.*

2 Item, Id quod imperat Deus speciali appatitione Angeli sacerdoti cultui insistenti, fit virtute & bono mouente ad ipsum: tale autem est cognitio vxoris aliquando: ergo, &c. Probatio primæ est Luc. 10. in conceptione Ioannis Baptistæ.

Vlterivs quæritur de libidine mouente. Videtur enim hec semper esse mortale peccatum. Dicit enim Augustinus, quòd libido est improba voluntas: sed omne quod à voluntate improba causatur, est vitium: ergo omnis coitus talis est vitium: sed vitium omne detestabile est: ergo coitus talis est mortale peccatum. *Quæstiuncula.*

2 Item, Quod nec rationem habet præambulam ordinantem, nec concomitantem, illud

omnino peruertit rationem: sed talis est coitus in quo libido mouet: ergo talis coitus subuertit rationem: sed omne quod subuertit rationem, est mortale peccatum: ergo omnis talis coitus est mortalis.

3 Item Tob.6. Sunt qui accipiunt vxores vt fiant sicut equus & mulus: ergo quicunque sic accipit, peccat mortaliter: sed omnis quem libido incitat, sic accipit: ergo omnis quem mouet libido ad actum, peccat mortaliter.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est, quòd concubitus qui fit causa libidinis satiandæ, ponitur in quotidianis & leuibus peccatis hîc in litera ab Augustt, ergo non est peccatum mortale.

Quæst. 3. VLTERIVS quæritur de actu isto, quando libido mouet cum natura. Videtur enim, quòd hoc sit semper: quia sicut dicit Auicenna, Nisi adsit libido in anima, non præcipit virtutibus præparantibus seminis decisionem, & extendentibus membra: sed sine illis non potest fieri coitus: ergo nec sine libidine.

2 Item dicit Augustinus, quòd ex concupiscentia adiuncta ad coitum innascitur originale peccatum in paruulis: sed ex omni concubitu quoad actum concumbendi potest innasci paruulus: ergo in omni actu concumbendi est concupiscentia: ergo nunquam fit concubitus sine ipsa.

3 Item, Leprosi actus digestiuus nunquam fit sine corruptione lepræ, eò quod ipsa vasa & humores in vasis sunt corrupti: ergo à simili in corrupto per concupiscentiam, nunquam fiet actus concupiscentiæ sine corruptione libidinis: sed generatiua in omnibus sic est infecta & corrupta: ergo nunquam potest esse in actu sine libidinis corruptione.

Quæst. 4. VLTERIVS quæritur de illo concubitu, qui fit ex natura & bono matrimonij mouentibus. Ille enim videtur esse actus optimus: quia duplici perfectione perfectus, scilicet naturæ, & moris: ergo optimus: sed optimi actus sunt meritorij: ergo talis actus est meritorius.

2 Item, Quicquid habet speciem boni virtutis, est ordinatum ad felicitatem: sed omnis talis actus est meritorius: ergo & iste.

Sed contra. IN CONTRARIVM autem huius est, quod dicit Apostolus, quod impedimentum est Domino se obseruandi: sed nihil talium est meritorium: ergo nec coitus matrimonialis.

2 Item, In litera nunquam dicitur, quòd sit meritorius, nec etiam Apostolus hoc dicit, sed tantum dicit, quòd non peccat virgo si nubit: ergo videtur, quòd non habeat meritum.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd sicut procedunt obiectiones, omnia ista quandoque possunt esse mouentia per intentionem: quia coiens potest moueri intentione boni naturæ, vel pietatis, & religionis, vel iustitiæ, vel delectatione libidinis simul & naturæ, vel bono pietatis simul & naturæ. Sed cum sola libido mouet, est vltimus distinguendum: quia aut mouet feruens extra honestatem matrimonij & concessionem, & tunc quodammodo adulter est, vt paulo ante patuit. Aut feruet intra metas honestatis & concessionis matrimonij: & tunc veniale dicendum est, vt patet ex verbis Augustt. in litera positis. Similiter cum libido mouet cum natura: aut libido præit, & natura sequitur, & vt puto, tunc est grauius peccatum, sed non mortale: aut libido sequitur, & tunc est minus.

HIS HABITIS ad obiecta est respondendum. Quod ergo primo quæritur, dicendum quòd nullum peccatum est quando natura sic mouet: & hoc, vt dicit Tullius, ordinat coitum ad honestas nuptias & certos liberos: quia aliter nullus certos liberos recognosceret: sed tamen licet non sit malum, quia non est necessarium, non tantum est malum abstinere à coitu, sicut à cibo. Et hoc duabus rationibus quarum prima est, quia subsistentia indiuidui est mihi magis necessaria, quam speciei in alio. Secunda autem est: quia non est verum generaliter, quòd melius simpliciter sit semper magis eligendum, sed melius mihi quandoque est eligendum: & ita est de cibo, & coitu. Omnes autem rationes procedunt ac si dignius & melius simpliciter semper mihi magis faciendum sit. Et per hoc patet solutio ad primam partem obiectionum.

AD ID autem quod obiicitur in contrarium, dicendum quòd ex hoc non probatur, quòd sit mala, sed potius sequitur, quòd non sit hominis propria. Et ita soluit Aristot. argumentum: quia conuenit homini secundum commune, & non secundum proprium, id est, intellectum. Aliter potest dici & melius, quòd descensus & delectationes inferiores fiunt duobus modis. Primus est cum ratione ordinante delectationes ipsas: & iste modus non contrariatur bono rationis. Alio modo secundum corruptionem rationis peruersæ: & iste contrariatur. In coitu autem coniugali est descensus primo modo, non secundo modo.

AD ID quod postea obiicitur, dicendum quòd intellectualis natura, cuius felicitatem Philosophi laudant, dupliciter consideratur, scilicet secundum se, & secundum suum esse. Si secundum se consideratur: tunc est separata, & etiam actus suæ felicitatis est separatus. Si autem non secundum se consideratur: tunc oportet, quòd inclinetur ad inferiora, ordinata tamen à ratione: quia aliter esse non habet nisi in inferiori, & secundum multiplicationem illius multiplicatur natura intellectualis, licet non ab eodem multiplicetur: quia inferior natura multiplicatur per generationem, superior autem per creationem: & secundum hoc esse differunt felicitates.

AD ID autem quòd vlterius quæritur, dicendum quòd primæ duæ obiectiones non concludunt nisi de malo culpæ, sed non de malo pœnæ, & tale malum pœnæ est permixtum in coitu matrimonij. *Ad qu. 1.*

AD TERTIVM autem dicendum, quòd natura non mouetur ad id in quo deficit essentialiter, sed sæpè mouet ad hoc in quo propter vnius intensionem actus potentiæ, subtrahitur ab actu alterius potentiæ: & ita fit hic: quia bonum matrimonij mouet ad hoc in quo abstrahitur ab actu alterius boni & potentiæ propter vehementiam delectationis.

AD ID quod vlterius quæritur, dicendum *Ad qu. 1.*

quòd

quòd si libido sequitur rationem, non est mortale peccatum: si autem libido præuenit & dominatur, tunc est mortale peccatum, sicut probant obiectiones.

Ad primvm autem dicendum, quòd libido dupliciter dicitur, scilicet improba voluntas contra Deum, quiescens in libidinoso coitu: & de hoc procedit obiectio. Est iterum libido non tam improba voluntas, sed pœna improbæ concupiscentiæ: & hæc non est omnino peruertens, sed potius rationem sequens, & ordinem rationis non corrumpens.

Ad alivd dicendum, quòd hoc non tenet nisi de libidine quæ præuenit rationem.

Ad alivd dicendum, quòd Augustinus loquitur de eo qui est ardentior amator suæ coniugis: & de illo verum est, quia Deum à mente sua excludit, quia in illo libido dominatur.

Ad id autem quod vlterius quæritur, dicendum quòd non semper libido mouet cum natura: quia sicut dicit Augustinus, libido est placentia boni commutabilis: hæc autem non semper mouet concumbentem, sed potius bonum æternum vel naturale quandoque.

Ad obiectvm autem dicendum, quòd vocat libidinem desiderium delectabilis in venereis: & hoc non dicitur semper libido, nisi nomine extenso: & de hoc verum dicit Auicenna, quia nisi sit desiderabile secundum corpus, corpus non disponetur ad consequendum illud.

Ad alivd dicendum, quòd hoc fit ex concupiscentia pœnali, non vitiosa, vt dicit August. in lib. de nuptiis & concupiscentia. Et ratio huius assignatur in secundo, tractatu de peccato originali.

Ad alivd dicendum, quòd non est simile de lepra nisi ad concupiscentiam pœnæ, quia hæc est necessaria: sed concupiscentia culpæ non est necessaria: & ideò non est simile ad illud quod pro simili est inductum.

Ad qu. 4. Ad vltimvm videtur mihi esse concedendum propter primas obiectiones, quòd sit actus meritorius: licet quidam aliter sentiant, de quibus modo non est curandum.

Ad id autem quod obiicitur in contrarium, dicendum quòd sicut supra dictum est, hoc dicitur ratione adiuncti, & non ratione actus, quòd sit impedimentum: quia si secundum se fuisset impedimentum, semper fuisset impedimentum, quod supra ostensum est non esse verum.

Ad vltimvm dicendum, quòd in litera non dicitur propter difficultatem illius boni quod concupiscentia nititur excludere, & multæ erunt insidiæ. Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICVLVS XXII.

An prægnantibus sit reddendum debitum?

Deinde quæritur de illo verbo Hieronymi [Imitentur saltem pecudes, &c.] Vi-

D. Alb. Mag. in Lib. 4. Sentent.

detur enim hoc esse irrationabile: quia matrimonium est ad medicinam, vt iam habitum est: sed medicina maximè est necessaria tempore maximæ infirmitatis: ergo matrimonium tempore maximæ concupiscentiæ: sed hoc est tempore imprægnationis, vt dicunt Philosophi: ergo tunc maximè debet ei reddi debitum. Dicunt enim Philosophi, quod tunc embria incipiunt tangere neruos, & titillando excitant concupiscentiam: & ideo fœmina nunquam tantum desiderat coitum, sicut quando est imprægnata: videtur ergo malè dicere in litera.

2 Item, Non perduntur propter hoc infantes: quia conceptu facto, dicunt Philosophi, quòd clauditur orificium interius matricis, quòd etiam acus non posset ingredi: ergo tunc non est periculum de effusione: ergo videtur, quòd non ex coitu perduntur infantes.

3 Item non videtur simile: quia homo propter cibi delectationem & abundantiam plus cæteris animalibus appetit coitum: cum igitur matrimonium sit medicina eius, videtur quòd omni tempore possit & debeat coire: ergo non est simile de hoc quod inducit.

4 Item, Alia animalia habent coniunctionem ad alias fœminas suæ speciei: homo autem non: ergo videtur, quòd nihil sit simile.

Ad hoc autem dicendum videtur, sicut dicit Auicenna in lib. suo de naturalibus, quòd motus matricis causatur ex delectatione in coitu, propter quod etiam Pithagoras opinatus est matricem esse animal: motus autem autem & delectatio simul faciunt matricis dilatationem & apertionem: & tunc frequenter effunduntur semina & embria concepta. Et hoc modo loquitur Hieron. *Solutio.*

Ad primvm dicendum, quòd ideo tunc propter timorem magni periculi se frænare debet: si tamen vtatur coitu, non peccat mortaliter.

Ad secvndvm dicendum, quòd in veritate clauditur: sed tamen propter motum ex delectatione prouenientem iterum aperitur, & præcipuè ante primos quatuor menses, antequam embria radicentur.

Ad alivd dicendum, quòd hoc verum est: sed tamen ideo rationabile est vt se temperet tunc à cibo & coitu: regnum enim cælorum vim patitur, & violenti rapiunt illud.

Ad vltimvm dicendum, quòd ideò homo habet rationem, quòd faciat quæ alia non faciunt animalia: & ad hoc hortatur, non præcipit beatus Hieronymus.

***

De indulgentia Apoſtoli quomodo ſit accipienda.

G SED ſi concubitus qui fit cauſa prolis, culpa caret: quid Apoſtolus ſecundum indulgentiam permittit? ita enim ait,
1.Cor.7. Hoc autem dico ſecundum indulgentiam. Cui enim præſtatur venia, niſi culpæ? Per hoc etiam quidam probare volunt nuptias eſſe peccatum. Sed, vt prædictum eſt, indulgentia alia eſt conceſſionis, alia permiſſionis. Egerat Apoſtolus de nuptiis, & de carnali coitu: & ad vtrumque retulit illud, Hoc autem dico ſecundum indulgentiam. Indulgentur enim nuptiæ ſecundum conceſſionem, & concubitus nuptialis, qui fit tantum cauſa prolis. Concubitus vero qui eſt præter neceſſitatem generandi ob incontinentiam, indulgetur ſecundum permiſſionem: quia ibi eſt aliqua culpa, ſed leuis. Ideoque non iubetur, nec conceditur, ſed permittitur, quia non eſt laudabilis,
De verbis Apoſtoli. ſed venialis. De hoc Auguſtinus ſic ait, Fortè aliquis dicet, ſi veniam conceſſit Apoſtolus: ergo peccatum ſunt nuptiæ. Cui enim venia, niſi peccato conceditur? Planè quod infirmitati permiſit ſecundum veniam, audeo dicere peccatum eſſe: veniam namque concedens Apoſtolus, concubitum attendit coniugatorum, vbi eſt incontinentiæ malum. Incontinentiæ malum eſt, quòd vir cognoſcit vxorem etiam vltra neceſſitatem procreandi liberos, ſed & ibi eſt nuptiarum bonum. Non enim quia incontinentia malum eſt, ideo coniugium, vbi eſt concubitus præter intentionem generationis, non eſt bonum, non propter illud malum culpabile eſt hoc bonum, ſed illud malum fit veniale propter bonum nuptiale, quod non reprehendit Apoſtolus,
Aug. in lib. de bono coniugali.cap. 10. ſed malum incontinentiæ. Item, Concubitum qui non fit cauſa prolis, nuptiæ non cogunt fieri, ſed impetrant ignoſci, ſi tamen non ita ſit nimius vt impediat tempora quæ orationi debentur: nec immutetur in eum vſum qui eſt contra naturam. Concubitus enim neceſſarius cauſa generandi, inculpabilis, & ſolus ipſe nuptialis eſt. Ille verò qui vltra neceſſitatem progreditur, non rationi, ſed libidini obſequitur: & hunc non exigere, ſed reddere coniugi ne fornicetur, ad coniugem pertinet. Si verò ambo tali concupiſcentiæ ſubiguntur, rem faciunt quæ non eſt nuptiarum: cuius delicti non ſunt nuptiæ hortatrices, ſed deprecatrices. Decus quidem coniugale eſt caſtitas, procreandi & reddendi carnalis debiti fides, hoc eſt opus nuptiarum, quod ab
1.Cor.7. Aug.c.4. de nupt. & concupiſc.1. omni peccato defendit Apoſtolus dicens, Non peccat virgo ſi nupſerit. Cum ergo culpabilis non ſit generandi intentione concubitus, qui propriè nuptiis imputandus eſt: quid eſt quod ſecundum veniam concedit Apoſtolus, niſi quòd coniuges debitum carnis expoſcunt, non propaginis voluntate, ſed libidinis voluptate? quæ tamen voluptas non propter nuptias cadit in culpam, ſed propter nuptias accipit veniam. Immoderata ergo progreſſio ſecundum veniam conceditur. Quocirca & hinc laudabiles ſunt nuptiæ: quia etiam illud quod non pertinet ad ſe, ignoſci faciunt propter ſe. Non enim iſte concubitus quo ſeruitur concupiſcentiæ, agitur vt impleatur fœtus quem poſtulant nuptiæ. Omnino ergo in genere ſuo nuptiæ bonæ

ſunt:

sunt: quia fidem thori seruant, & prolis suscipiendæ causa vtrumque sexum commiscent, & impietatem separationis horrent. Sanctitati etiam coniugij nec coniunx infidelis obesse potest, sed potius fidelis prodest infideli, vt Apostolus docet. Ex his ostenditur, quòd coniuges qui causa prolis tantum conueniunt, vel qui exigentibus debitum reddunt, defendit à peccato sanctitas coniugij bonumque nuptiale. Si enim absque peccato non posset fieri concubitus coniugalis, non præcepisset Dominus post diluuium eos copulari, dicens: Crescite & multiplicamini, cum iam sine carnali concupiscentia non possint commisceri.

August. contra Iulianũ hæreticũ. c.11. & 12. 1.Cor.7. Gen. 6.

ARTICVLVS XXIII.

An sit mortale peccatum tempore orationum statuto petere debitum?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Si tamen non ita sit nimius, vt impediat,&c.] Ex hoc enim videtur, quòd mortale peccatum sit tempore orationum constituto expetere debitum. Et hoc etiam videtur per illud 1.Corinth.7. Nolite fraudare inuicem, &c. & est finis orationis. Item Exod.19. Nolite propinquare vxoribus vestris. Ita dixit Moyses quando lex danda erat: ergo multo magis erit hoc seruandum in Nouo Testamento. Item Genes.6. & 7. diuisim ab vxoribus Noë & filij eius præcipiuntur intrare in arcam. Ergo cum Deus non præcipiat nisi rectum & iustum, videtur quòd faciens contrarium, peccet mortaliter: tempore ergo luctus & sacro non est reddendum debitum. Item Ioel.2. Egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsa de thalamo suo. Item 2.Reg.11. Dominus meus Ioab est in obsidione, & ego dormiam cum vxore mea? Ita dixit Vrias ad Dauid. Ergo videtur, quòd tempore luctus & sacro abstinendum sit.

2 Item per rationem probatur idem: simul enim in actu non potest esse spiritus & caro: sed tempore orationis debet esse in actu summo spiritus: ergo tunc vacandum est ab opere carnali. Quod autem tunc in actu debeat esse spiritus, probatur Ioan.4. vbi dicitur, Veri adoratores adorabunt Patrem in spiritu & veritate. Item, Hieronym. dicit, quòd tempore orationis abstinendum est etiam à licitis, vt facilius gratia impetretur. Ergo videtur, quòd illis temporibus sit mortale peccatum contra facere.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est, quòd circunstantia nulla facit peccatum veniale esse mortale: sed cognoscere vxorem propter infirmitatem, est veniale: ergo videtur, quòd ex circunstantia non fiat mortale: sed tempus est circunstantia: ergo ex illo non fiet mortale peccatum, quod alias est veniale.

2 Item, Qui tenetur sine termino, statim debet soluere: sed coniugati sibi inuicem tenentur sine termino: ergo statim soluere debent: ergo si petat in tempore sacro, tenetur soluere.

3 Item, Matrimonium est in medicinam: sed medicina debemus vti omni tempore morbi: ergo & matrimonio: sit ergo instans morbus concupiscentiæ tempore orationum constituto: ergo tunc debeo vti medicina.

RESPONSIO. Dicendum videtur, quòd incongruum est vti commixtione carnali tempore orationum constituto: sed non est mortale peccatum debitum exigere. Si autem probabiliter timeatur peior casus, si non reddatur, dico quòd alter coniugum tunc tenetur reddere, & facit hoc sine peccato, sed exigens peccat venialiter. *Solutio.*

AD ID autem quod dicit in litera, dicendum est, quòd non intendit excipere à veniali peccato, sed potius ab indulgentia concessionis. Vel potest dici melius, quòd notat nimium quando feruet vltra concessionem & honestatem matrimonij, qui nec eam curat, nec matrimonij honestatem, de quo supra dictum est, quòd adulter est ardentior amator suæ coniugis.

AD ALIVD dicendum, quòd vis faciendi est in verbis Apostoli: quia cum pondere dicta sunt: vnde ipse per hoc quod dicit, forte & ex consensu, innuit quòd potest esse talis instantia petendi debitum in altero coniugum, quòd etiam tunc reddendum est. Quod etiam fortè dicitur fieri, innuitur quòd aliquid potest esse quare non fiat. Similiter quod ex consensu fit, si alter non consentit, fieri non debet. Ad omnia alia quæ per auctoritates adducta sunt, dicendum quòd nihil amplius probant, nisi quòd tunc reddere in coniugio est veniale peccatum & exigere, & neutrum mortale. Nec Deus præcepit Noë diuisim intrare, sed potius quod congruum esset ostendit.

AD ID autem quod obiicitur per rationem, dicendum quòd simul orare & coire non possunt coniugati, nec ad hoc tenentur: sed post coitum & ante possunt orare, quia non semper possunt coire. Infra autem habebitur in litera quæ tempora orationi sint constituta.

ARTICVLVS XXIV.

An in propria coniuge potest esse vsus contra naturam, & an coeuntem contra vsum debitum contingit peccare mortaliter?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Nec immutetur in eum vsum qui est

contra naturam,&c.] Videtur enim,quòd nullus vſus contra naturam ſit in coniuge propria. Illo enim vti quod in vſum factum eſt, non eſt contra naturam:ſed mulier in vſum & adiutorium viri facta eſt: ergo ea vti non eſt contra naturam. Si dicas forte,quòd peruerſio modi coeundi eſt contra naturam. Contra: Dummodo coeat in vaſe debito nullus vſus vel modus coeundi videtur eſſe determinatus: ergo nullus modus coeundi erit magis contra naturam,quam alius.

2 Item, Membra ad coitum pertinentia ſibi proportionata ſunt: ergo dummodo illa ſeruetur proportio, non erit vis in alia diſpoſitione corporis:ſi ergo vir ſit ſubtus,vel ſupra, ſiue ſtando, ſiue iacendo, vel ſedendo, ſiue à poſteriori,ſiue ab anteriori coniunctus,non refertur,vt videtur.

3 Item,In quibuſdam per accidens impeditur communis modus: quia propter groſſitiem ventrum ventre ad ventrem coniungi non poſſunt, & bene coniungerentur ſi mulier retrorſum contra virum incuruata diſponeretur: cum igitur illi propter pinguedinem debitum in alterius corpore non amiſerint, videtur quòd ſine peccato hoc modo coniungi poſſunt.

4 Similiter contingit quandoque apoſtemari ventrem mulieris vel eſſe prægnantem, ita quòd anterius non eſt applicabilis viro: & tunc eſt eadem obiectio quæ prius: videtur ergo, quòd nullus illorum vſuum ſit contra naturam.

Quæſtiũcula. VLTERIVS quæritur, Vtrum ſic coeuntem præter communem modum ſemper contingat peccare mortaliter? Videtur autem, quòd ſic: quia immutat naturalem vſum: hoc autem Apoſtolus Rom.1.vocat paſſiones ignominiæ.Et tali nomine non cenſentur niſi mortaliter peccantes: ergo videtur,quòd ſit mortale peccatum.

2 Item, In litera videtur excipere iſtud à veniali peccato: ergo relinquitur ex litera, quòd ſit mortale. Dicit enim, quòd nuptiæ ſunt deprecatrices concubitus,qui non fit cauſa generandi, niſi mutetur in vſum contra naturam: ergo à deſtructione conſequentis ſi mutetur in eum vſum qui eſt contra naturam, nuptiæ non erunt deprecatrices: ergo talis concubitus non eſt veniale: ergo relinquitur, quòd ſit mortale.

3 Item Ariſt.dicit,quòd omni animali formatum eſt corpus ad coeundum: ſicut camelo virga retrorſum diſponitur,& ideo à poſteriori coit: & quibuſdam anterius diſponitur, & fœminis retro, & illa coeunt faliendo per aſcenſionem. Sed idem Ariſtot.dicit,quòd vulua fœminæ diſponitur ante:dicit enim,quòd omnes fœminæ animalium mingunt retrorſum præter fœminam hominis:& conſtat,quod hoc eſt propter vuluæ diſpoſitionem. Idem etiam dicit, quòd virga viri radicatur ſuper neruum cruris: ergo & vulua fœminæ diſponitur ab ante,& virga viri:ergo ſecundum hoc applicabiles ſunt anterius: ergo ſi aliter applicantur, mutatur modus naturæ: ſed mutare modum naturalem in innaturalem, eſt mortale peccatum: ergo omnis modus coeundi præter illum quo mulier iacet in dorſo, & vir incumbens ei iacet in ventre, mortale peccatum eſt.

RESPONSIO. Dicendum, quòd huiuſmodi turpes quæſtiones nunquam tractari deberent niſi ad illa cogerent monſtra, quæ his temporibus in confeſſione audiuntur. Videtur autem dicendum, quòd nihil eorum quæ facit maritus cum vxore ſeruato debito corpore ſeu vaſe, eſt ſecundum ſe mortale peccatum: ſed poteſt eſſe ſignum concupiſcentiæ mortalis, quando ſcilicet non ſufficit eis modus quem natura determinat per membrorum diſpoſitionem, & ineunt modos brutorum animalium. Vt ergo melius intelligatur modus naturalis, & corruptio ab eo, notandum quod propter hoc quod ſecundum Ariſtot. ſolus homo eſt longi & lati corporis, & quod membrum virile ſuper neruum cruris eſt fundatum, & membrum mulieris in fine ventris, docet natura quòd debitus modus eſt vt mulier in dorſo, vir autem in ventre incumbat ei, ſicut probatum eſt per rationem naturalem vltimo inductam: & hoc modo facilius quam alio concipiunt mulieres, niſi impediatur per accidens. Deuiatio autem ab illo minor eſt lateralis concubitus,& maior ſedentis, & maior illo ſtantium, & maxima qui eſt retrorſum modo iumentorum. Et ideo quidam hunc vltimum dixerunt eſſe peccatum mortale, quod tamen mihi non placuit, vt alibi patuit. His habitis dicendum, quòd naturale peccatum dicitur dupliciter, ſcilicet maius, & minus. Magis innaturale eſt, quando non expletur actus inſtrumentis ad hoc formatis à natura. Minus autem innaturale eſt,quando expletur actus qui non ſeruat naturæ modum qui accipitur à membrorum naturali diſpoſitione. *Solutio.*

AD HOC quod obiicitur de proportione, dicendum quod licet proportio inſtrumentorum ſeruetur, tamen non ſeruatur proportio modi diſpoſitionis.

AD ALIA duo dicendum, quòd in tali caſu bene licet: quia aliter conuenire non poſſunt.

AD ID autem quod vlterius quæritur, dico quod non eſt ſecundum ſe peccatum mortale.

AD OBIECTVM contra, dicendum quòd loquitur Apoſtolus de innaturali qui eſt non ſeruatis vaſis debitis.Similiter dicendum,quòd litera hic loquitur de tali modo.

AD VLTIMVM dicendum, quòd ex hoc non probatur modus innaturalis niſi minori modo:& ille non eſt mortale peccatum in coniuge,vt mihi videtur.

ARTICVLVS XXV.

An coitus procedens vltra neceſſitatem, ſit mortale peccatum?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi*[Ille vero qui vltra neceſſitatem progreditur,&c.] Videtur enim hoc falſum:quod enim libidini obſequitur, mox nominatum coniunctus

ctum est malo: & tale est peccatum mortale: ergo etiam talis actus est peccatum mortale.

Sed contra. QVOD SI dicatur, litera est in contrarium, quæ dicit, quod honestas nuptiarum huius actus est deprecatrix: quod non esset, si esset mortale peccatum.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd non est mortale peccatum.

AD OBIECTVM dicendum, quòd non obsequitur libidini sicut fini, sed sicut infirmitati. Et obiectio procedit ac si obsequeretur ei sicut fini. Vt autem hoc intelligatur, sciendum quod infirmitati obsequitur, qui tentatione potius cogitur quam hoc velit: sed libidini obsequitur, qui more peccatoris sibi talia quærit & procurat: propter quod dicitur in 8. ethic. quòd fornicator vituperabilior est incontinente: & vocat fornicatorem qui venerea quærit more fornicum, & incontinentem qui trahitur tentatione infirmitatis.

ARTICVLVS XXVI.

Quæ sunt illa quæ Apostolus secundum veniam concessit?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Quid est quod secundum veniam concedit Apostolus, &c.] Videtur enim, quòd huiusmodi concessio sit permissio mali: permissiones autem corriguntur, ne fiant in Nouo Testamento, vt patet Mat. 5. & 19. Ergo videtur, quod hîc Apostolus veniam concedere non debuit.

2 Item, Summæ perfectioni non competit permissio: sed Nouum Testamentum est summæ perfectionis: ergo non fit in eo aliqua permissio.

3 Item, Secundum doctrinam Noui Testamenti est iudicium: ergo quod concessum est in Nouo Testamento non iudicabitur: sed matrimonium est concessum, vt dicitur in littera: ergo non iudicabitur, quod falsum est.

Solutio. RESPONSIO. Quidam dixerunt, quòd permissio mortalis fuit in Veteri Testamento in libello repudij Deut. 24. & permissio venialis in Nouo in coitu qui fit causa libidinis explendæ. Sed hoc non videtur competere. De libello quidem repudij infra erit quæstio. Sed his quæ non supra distincta sunt inter concessionem & permissionem suppositis, hîc dicendum quòd non est in Nouo Testamento permissio mali per se, sed per accidens, hoc est, dicere, quòd conceditur aliquid in Nouo Testamento, cui plura bona adiuncta sunt: & potest incidere sibi malum, & propter malum quod potest se illo immiscere, non reuocatur: & talis quidem est coitus, cui adiuncta sunt bona matrimonij & potest immiscere se libido, & propter illam non reuocatur concessio. Et ideò patet, quòd obiectiones benè concludunt de per se malo, sed de malo adiuncto ei quod bonum est, & causa plurium bonorum, non concludunt: quia magis sunt illa bona, quam istud sit malum. Et per hoc patet solutio ad totum.

Quod non omnis delectatio carnis peccatum est.

SED fortè aliquis dicet, omnem carnis concupiscentiam & delectationem quæ est in coitu, malam esse & peccatum, quia ex peccato est & inordinata. Et nos dicimus illam concupiscentiam semper malam esse, quia fœda est & pœna peccati: sed non semper peccatum est. Sæpè enim delectatur vir sanctus secundum carnem in aliqua re, vt requiescendo post laborem, edendo post esuriem: nec tamen talis delectatio est peccatum, nisi sit immoderata. Sic & delectatio quæ fit in coitu coniugali, cui adsunt illa tria bona, à peccato defenditur. Videtur tamen beatus Gregorius aliter sentire, scilicet quod sine peccato non possit fieri carnalis commixtio, dicens: Vir cum propria coniuge dormiens, nisi lotus aqua Ecclesiam intrare non debet. Quam uis diuersæ hominum nationes de hac re diuersa sentiant, & alia custodire videantur. Romanorum tamen semper ab antiquioribus vsus fuit, post admixtionem propriæ coniugis, & lauacri purificationem quærere, & ab ingressu Ecclesiæ paululum temperare. Nec hoc dicentes culpam deputamus esse coniugium, sed quia ipsa licita admixtio coniugis sine voluptate carnis fieri non potest, à sacri loci ingressu est abstinendum: quia voluptas ipsa sine culpa nullatenus esse potest.

H Hugo 4. sent c. 4.

31. q. 4. cap. Vir cũ propria.

ARTICVLVS XXVII.

An omnis coitus sit vitium vel peccatum, & vnde habet illud peccatum vel vitium?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Sed fortè dicet aliquis omnem carnis concupiscentiam, &c.] Videtur enim hoc esse verum: omne enim quod in passionibus est excellentissimè, semper est vitium & peccatum: sed omnis coitus est huiusmodi: ergo omnis coitus est vitium & peccatum. Probatur autem prima ex ratione virtutis ethicæ, quæ in passionibus est circa medium quoad nos. Secunda autem per se patet.

2 Item, Omne quod actu auertit à conuersione ad immutabile bonum, est ad minus veniale peccatum: talis autem est omnis coitus: ergo ipse est ad minus veniale peccatum.

3 Item, Omnis actus frustratus fine essentiali & naturali, vanus & malus est: sed omnis concubitus qui fit causa delectationis, est huiusmodi: ergo omnis talis est vanus & malus: ergo est peccatum. Probatur secunda per hoc, quòd finis naturalis concubitus est procreatio prolis: quia ad hoc inuenit eum natura, & ad hoc taliter formauit organa. Prima patet per se: quia malum nihil est nisi finis perficientis priuatio.

4 Item, Animalia bruta videmus non moueri ad coitum nisi causa prolis procurandæ: cum igitur ratio sit in homine quæ magis regere debet vires inferiores in homine quam regantur in bruto, videtur quòd homo tenetur ad idem vel ad plus: ergo peccat quotiescunque coit nisi cum intentione generandi.

RESPONSIO. Dicendum ad hoc, quòd non omnis carnalis concubitus est peccatum. *Solutio.*

AD PRIMVM autem dicendum, quòd actus non dicitur esse in medio ratione delectationis, sed ratione circunstantiarum, scilicet quando coire debet, & vbi, & cum qua, & qualiter, & huiusmodi: & ideo obiectio & probatio primæ propositionis fundatur super peruersam expositionem verborum Aristotelis.

AD ALIVD dicendum, quòd non auertit rationem præambulam actui, sed tantum concomitantem, vt supra sæpius dictum est.

AD ALIVD dicendum, quòd iste actus non semper fine frustratur: quia habet finem medicinæ, & fidei thori, & sacramenti, quia horret separationem. Ad probationem dicendum, quòd iste actus est naturæ & hominis, & secundum quod est matrimonij actus, magis accipitur vt hominis actus, quam vt naturæ: & ideo sufficit ei finis hominis. Obiectio autem procedit ac si sit naturæ tantum.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc contingit in quibusdam brutis (vt dicit Aristoteles) propter cibi paruitatem: vnde etiam quando plus accipiunt de cibo, nisi infirmentur, tunc incipiunt sæpè saltare: & ideo etiam homo propter cibi abundantiam plus appetit quam alia. Vel dicendum, quòd homo mollioris est complexionis quam alia, & ideo citius immutatur desideriis: propter quod etiam loquitur, vt dicit Auicenna: & ideo constituitur ei medicina illorum desideriorum in sacramento matrimonij.

Determinat auctoritatem.

1 HOc autem ne prædictis obuiet, intelligendum est in illis qui non gratia prolis conueniunt, quorum voluptas non est sine peccato. Et vix aliqui reperiri possunt adhuc amplexus carnales experientes, qui non interdum conueniant propter intentionem procreandæ prolis. Hoc autem quoties fit, ab ingressu Ecclesiæ abstinendum est. Et quod ita intelligendum sit, Gregorius consequenter ostendit. Si quis verò ita sua coniuge, non cupidine voluptatis raptus, sed tantum creandorum liberorum gratia vtitur, iste profectò siue de ingressu Ecclesiæ, siue de sumendo corporis Dominici mysterio, suo est iudicio relinquendus, quia prohiberi à nobis non debet accipere, qui in igne positus nesciat ardere. Cum vero non amor procreandę sobolis, sed voluptas dominatur in opere commixtionis, habeant coniuges etiam de commixtione sua quod defleant. Tunc autem vir qui post admixtionem coniugis lotus aqua fuerit, etiam sacram communionem valeat accipere, cum ei secundum præfinitam sententiam Ecclesiam etiam licuerit intrare. *Ibidem.*

ARTICV

ARTICVLVS XXVIII.

An cognoscens vxorem suam aliquo casu sit repellendus ab Ecclesia?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Hoc autem quoties fit, ab ingressu Ecclesiæ est abstinendum, &c.] Hoc enim videtur esse falsum: quia non eiicit Ecclesia nisi excommunicatos: tales autem non sunt excommunicati: ergo videtur, quòd non oportet ab ingressu Ecclesiæ temperare.

2 Item, Præter excommunicationem non videmus ab Ecclesia nisi solenniter pœnitentes eiici: solennis autem pœnitentia non fit nisi pro crimine quo quis totam vrbem commouit, sicut supra in tractatu de pœnitentia habitum est: cum igitur illud non sit nisi veniale peccatum, non videtur, quòd ab Ecclesiæ ingressu in isto casu sit temperandum.

3 Item sicut dicit Dionysius in eccleſiast. hierarch. in theoria sanctæ synaxeos, id est, communionis, quinque genera hominum ab Ecclesia tempore communionis per diaconum in primitiua Ecclesia eiiciebantur, scilicet infideles, cathecumeni, energumeni, de nouo conuersi, & solenniter pœnitentes: sed isti in nullo illorum ordinum sunt: ergo ab ingressu Ecclesiæ propter actum matrimonij & vsum non oportet temperare.

4 Item, Supra habuimus in litera ex verbis Augustini, quòd hoc quod coniuges vtuntur se præter intentionem creandorum liberorum, ponendum in eis pro quibus quotidie dicimus, Dimitte nobis debita nostra: ergo reputatur inter quotidiana & leuissima peccata: sed propter illa nunquam oportet ab ingressu Ecclesiæ temperare: ergo videtur falsum dicere in litera.

5 Item dicit Gregorius, quòd spiritualia peccata maioris sunt ponderis quam carnalia: ergo & venialia in illis maioris sunt ponderis, quam venialia in istis: ergo pro motu iræ vel superbiæ magis est temperandum ab ingressu Ecclesiæ, quam pro tali actu vsus matrimonij.

RESPONSIO. Dicendum, quòd istud dictum est non propter magnitudinem reatus ostendendam, sed ad demonstrandam incongruentiam actus concubendi ad spiritualia intelligenda & videnda quæ tractantur in locis sacris in obsequiis diuinis & sacramentis: quia contemplatio diuinorum esse non potest, nisi spiritu ascendente super corpus: & in coitu sub carne quasi suffocatus iacet spiritus. Nec est dictum vt ita seruetur, sed potius vt moueantur carni seruientes, vt humiliter se tunc retrahant à sacris locis, sed non sunt redarguendi si non fecerint. *Solutio.*

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd excommunicatio eiicit à loco sacro etiam inuitum: sed hic tantum ostenditur incongruitas delectationis carnis ad contemplationem sacrorum, vt homo tunc humiliter seipsum retrahat. Per idem patet solutio ad duo sequentia.

AD VLTIMVM dicendum, quòd licet sint reatus maioris spiritualia quam corporalia, tamen non ita suffocant spiritum per impetum delectationis, sed remanent in vigore suo, & non habent verecundiam adiunctam: sed coitus totum eneruat spiritum, vt dictum est: & ideo tunc debet se homo retrahere à contuitu diuinorum. Qualiter autem se debeat habere in communicando, in sequenti distinctione propriam habebit disputationem, licet hîc quædam ad hoc valentia in litera dicantur.

De solutione carnalis debiti.

SCIENDVM etiam est, quia cum in omnibus aliis vir præsit mulieri, vt caput corpori (est enim vir caput mulieris) in soluendo tamen carnis debito pares sunt. Ideò Apostolus vtrique pariter præcipit in hac causa sibiinuicem subiici, inquiens: Vir debitum reddat vxori: similiter & vxor viro, quia mulier non habet potestatem sui corporis, sed mulier: quia nec mulier ad alium virum, nec vir ad aliam mulierem potestatem sui corporis habet, nec vir ad continendum, nec mulier potestatem habet sine mutuo consensu: sed alter alterius potestatem habet corporis, vt poscenti alteri non liceat alteri negare debitum. In hoc enim pares sunt, quia nec viro, nec mulieri corpus suum licet alij tradere: sed sibiinuicem debitores sunt in hac causa, ne peccandi detur occasio: per quod non dominium tollitur viro, sed vitium. Debent enim sibi coniugati non solum ipsius sexus sui commiscendi fidem liberorum procreandorum causa, quæ prima est in ista mortalitate societas, verum etiam infirmitatis inuicem

K
1. Cor. 11.
1. Cor. 6.
Aug. lib. de bono coniugali. c. 6.

inuicem excipiendæ ad illicitos concubitus deuitandos, mutuam quodammodo ſeruitutem: vt & ſi alteri eorum continentia placeat, niſi ex alterius conſenſu non poſſit. Ad hoc enim neuter habet poteſtatem ſui corporis: quod adeo verum eſt, vt etiam quod non filiorum procreandorum, ſed infirmitatis & incontinentiæ cauſa expetit vel ille de matrimonio, vel illa, non ſibi alterutrum negent, ne per hoc incidant in damnabiles corruptelas. Reddere enim debitum coniugale nullius eſt criminis: exigere autem vltra generandi neceſſitatem, culpæ eſt venialis. Fornicari vero vel mœchari, puniendi eſt criminis.

Ibidem. cap. 7.

ARTICVLVS XXIX.

An coniuges matrimonialiter coniuncti, ſint inter ſe æquales?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Sciendum etiam eſt, quia cum in omnibus aliis vir præſit mulieri, &c.] Videtur enim falſum quod dicit in litera: In quocunque actu duorum vnum eſt principale & agẽs, alterum autem ſecundarium & patiens, in illo illa duo non poſſunt eſſe æqualia, ſed ſic principalis & agens vir eſt in actu matrimonij, fœmina autem ſecundaria & patiens: ergo videtur, quòd non ſint æquales.

2 Item hoc accipitur in litera Gẽn. 2. vbi dicit Dominus, faciamus ei adiutorium. Ergo ipſe eſt principalis, & adiuuatur ab Eua: ergo non ſunt æquales.

3 Item, Philoſophus dicit, quòd fœmina deſiderat maſculum ſicut imperfecta, & ſicut turpe bonum: conſtat autem, quòd imperfectum & perfectum, turpe & bonum, non poſſunt eſſe æqualia: ergo nec vir & mulier in actu matrimonij.

4 Item, Impoſſibile eſt, quòd idem ſecundum idem ſit caput ad alterum & æquale: ſed in matrimonio vir eſt caput, vt dicit Apoſtolus: ergo in eodem non poteſt eſſe æqualis.

5 Item, Diſcretio ſexus eſt ſicut generantis in alio, & generantis ex alio: quia maſculus generat in alio ex ſemine proprio, fœmina autem ex ſemine alieno: ſed inæqualia hæc ſunt quantum ad naturæ modum: ergo contra naturam eſſet, quòd in matrimonio rediguntur ad æqualitatem.

6 Item, Sigillatio non eſt æqualiter ceræ & anuli, quia anulus totam facit ſigillationem, & cera tantum ſuſcipit: ſed ita ſe habent maſculinum & fœmininum, vt dicunt Philoſophi: ergo impoſſibile eſt, quòd ſint æquales.

7 Item, Hoc innuitur ex ipſis verbis Domini, vbi dicitur, Sub viri poteſtate eris, & ipſe dominabitur tui.

IN CONTRARIVM huius eſt, quòd dicitur, 1. Corinth. 7. vt in litera habetur, Mulier ſui corporis poteſtatem non habet, ſed vir, &c. *Sed contra.*

2 Item, Matrimonium non facit conſenſus vnius, ſed duorum, vt ſupra habitum eſt: ſed quod faciunt duo æqualia, æqualiter efficitur vtriuſque: ergo matrimonium efficitur æqualiter viri & mulieris: ergo & iura quæ conſequuntur ex matrimonio, æqualiter ſunt mulieris & viri.

RESPONSIO. Dicendum, quòd in iure matrimonij in reddendo debito & exigendo æquales ſunt coniuges, ſicut vltimo eſt probatum: ſed in diſpenſatione domus & actibus gubernationis inæquales: quia vir in talibus eſt principalis, & etiam in actu generationis: & hoc probant obiectiones prius inductæ. *Solutio.*

VNDE AD primum dicendum eſt, quod hoc verum eſt in actu generationis, ſed quoad exigendum & reddendum ſunt æquales.

AD ALIVD dicendum, quòd adiutorium illud pertinet ad actum generationis, & non ad gubernationem & regimen domus. Per hoc etiam patet ſolutio ad ſequens.

AD ALIVD dicendum, quòd idem quod habet in ſe multa, aliqua poſſunt eſſe æqualia & inæqualia: & hoc eſt dicere idem, non tamen ſecundum idem: & ita eſt hic.

AD ALIVD dicendum, quòd contra modum naturæ eſſet, ſi æquaretur in vi generandi: quia duo æqualia in vi generandi nunquam generant: quia illa vel eſſent ambo actiua, vel ambo paſſiua: ſed duo in generando inæqualia, in iure matrimonj poſſunt eſſe æqualia, vt iam patuit per antè dicta. Et per hoc patet ſolutio ad omnia ſequentia argumenta.

DISTIN

DISTINCTIO XXXII.

Quod neuter continere valeat nisi ex communi consensu.

QVOD vero sine consensu vxoris vir continere non valeat, subditis probatur testimoniis. Ait enim Augustinus, Si dicat vir, Continere iam volo. Nolo autem vxor, non potest. Quod enim tu vis, illa non vult. Nunquid per continentiam tuam illa debet fieri fornicaria? Si alij nupserit te viuo, adultera erit. Non vult tali lucro Deus tale damnum compensari. Redde debitum: & si non exigis, redde. Pro sanctificatione perfecta Deus tibi computabit, si non quod tibi debetur exigis, sed reddis quod debes vxori. Idem, Secundum verba apostolica, etiamsi vir continere valuisset, & tu noluisses, debitum tibi reddere cogeretur: & illi Deus imputaret continentiam, si non suæ, sed tuæ concederetur infirmitati ne in adulterium caderes. Quisquis ergo compatiens infirmitati vxoris reddit, non exigit debitum: aut si propter propriam infirmitatem ducit vxorem plangens potius, quia sine vxore esse non potuit, quam gaudens quia duxit, securus expectat diem nouissimum. Idem, Vna sola causa esse potest, qua te ad id quod vouisti, non modo non hortaremur, sed etiam prohiberemus implere: si fortè tua coniunx hoc tecum suscipere, animi vel carnis infirmitate recusaret. Nam vouenda talia non sunt à coniugatis, nisi ex consensu & voluntate communi: & si præpropere factum fuerit, magis est corrigenda temeritas, quam persoluenda promissio. Non enim Deus exigit siquis ex alieno aliquid vouerit, sed potius vsurpare vetat alienum. Idem, Apostolus nec ad tempus vt vacent orationi, nisi ex consensu voluit coniugem carnali inuicem fraudari debito. Idem, Manifestum est ita voluisse legem fœminam sub viro esse, vt nulla eius vota quæ abstinentiæ causa vouerit, reddantur ab ea, nisi auctor fuerit vir permittendo. Nam cum ad peccatum eiusdem viri pertinere voluerit lex, si prius permiserit, & posteà prohibuerit: non tamen dixit vt faciat mulier quod vouerat, quia permissa iam prius à viro fuerat. Viri dixit esse peccatum, quia abnuit quod prius concesserat: non tamen mulieri ex hoc iussum dedit, vt cum prius vir ei concesserit, posteà si prohibuerit contemnatur. Ex his apparet, quòd vir vel mulier continentiam Deo offerre non potest sine communi consensu, nec alter alteri debitum negare debet. Si verò quilibet eorum alterum à suo iure absoluerit, ad præteritam seruitutem nunquid reuocare poterit? Hoc enim videtur August. supra voluisse. Quibusdam videtur, quòd mulier non discedens à domo viri, quæ viro permittente continentiam vouerit vel promiserit, eodem prohibente soluere non valeat: & hoc propter

A *De matrimonio secũdum causam finalem quãtum ad fidem thori.* Super Psal. 46. & habetur 33. q. 3. cap. Si dicat.

Ad Armentarium. cp. 45.

In lib. de adulterinis cõiugiis. cap. 14. Idem in quæst. Numerorum lib. 4. c. 59.

dignitatem

dignitatem viri, qui est caput mulieris. Sed melius hoc intelligitur in tali casu, vbi vir concedit mulieri vouere continentiam, & ante votum prohibet implere. Si verò habitum mutauerit, non potest reuocari, secundum illud: Qui vxorem suam velare permiserit, aliam non accipiat, sed similiter conuertatur.

Ex concil. Remen. 23. q. 5.

ARTICVLVS I.

An semper & æqualiter contingat reddere debitum?

QVod vero sine consensu vxoris, &c.] Hîc agitur de debiti solutione in qua sunt coniuges æquales. Diuiditur autẽ in duas partes: & in prima facit quod dictum est. In secunda determinat tempora solutionis matrimonij *ibi* [Et licet debitum, &c.] Et hæc sufficiant de diuisione. Incidit autem primo hîc quæstio triplex. Prima est, Qualiter contingit soluere debitum? Secunda est, Vtrum soluenti hoc computetur pro perfectione sanctitatis, vt dicit in litera? Tertia, Vtrum debet solui debitum non exigenti siue poscenti.

Ad primum obiicitur sic: Ei cui soluitur debitum, necesse est quod soluatur tempore indigentiæ, quia cum sit præceptum affirmatiuum, obligat pro tempore necessitatis ad soluendum: hoc autem in coniuge est tempus instantis concupiscentiæ: ergo tunc ei est soluendum. Sed ponamus, quòd tunc vir sit impotens propter aliquam causam quam ipse fecit sibi: ergo videtur, quòd ipse peccet mortaliter tunc non soluendo.

2 Item, Solutio istius debiti valet in modum medicinæ: ergo tempore morbi adhibenda est: sed forte tunc non potest vt prius: ergo si post cognoscat, videtur quod debitum non soluat.

3 Item, Ponamus, quòd vir soluit pluries donec euaporante calido & fluente humido plus soluere non possit, & mulier adhuc instet ex incitatione concupiscentiæ: constat, quòd iste non potest soluere: ergo non tenetur, quia inanis est actio quam inopia debitotis excludit: ergo videtur, quòd non semper contingit soluere debitum.

4 Item obiicitur de his qui exercitiis exiccant & infrigidant se, quod non possunt frequenter coire, vel etiam ex ingurgitatione calorem naturalem suffocant, & fœminæ eorum expetunt coitum: quid sit faciendum? constat enim, quòd iure tenentur soluere: ergo peccant omittentes, vt videtur.

Solutio. RESPONSIO ad hoc, quòd contingit reddere debitum.

AD ID autem quod primo obiicitur, dicendum quòd tempore indigentiæ est soluendum secundum facultatem soluentis. De causa autem dicendum, quòd illa vel est ex matrimonio causata, aut ex aliis causis. Si primo modo: tunc hoc est, quia aut concubuit, & tunc sufficienter soluit, quia non tenetur ad immoderatum concubitum; quia si mulier post decentem solutionem conqueratur, potius se exhibet meretricem quam coniugem. Si autem ex alia causa est: aut illa est licita, aut illicita. Si licita: tunc non tenetur soluere, quia Deus eum impotentem fecit. Si autem illicita sit: tunc benè puto, quòd sequens peccatum vxoris aliquo modo imputetur ei, nisi pœniteat & quantum in se est faciat quod in ipso est, quod contineat vxor ex bona voluntate: propter fragilitatem enim superuenientem matrimonio non soluitur matrimonium. Et per hoc patet solutio ad omnia quæsita.

ARTICVLVS II.

An soluere debitum sit pro perfectione sanctitatis matrimonij?

SEcundo quæritur, Vtrum computetur hoc pro perfectione sanctitatis matrimonij? Videtur quod sic: quia hoc expresè dicit Augustinus in litera.

2 Item, Iustitia æquè bona est virtus vel melior, quam castitas: ergo suus actus valet actum castitatis: sed soluens exhibet actum iustitiæ: ergo videtur, quòd computetur ei pro perfectione sanctitatis.

3 Item, Tullius probat in primo de officiis, quòd officium iustitiæ melius est omnibus officiis aliarum virtutum: ergo suus actus plus valet quam actus aliarum: sed reddens exhibet iustitiam: ergo videtur, quòd plus facit, quam si perfectam teneret castitatem.

4 Item Aristot. in 5. ethicorum dicit, quòd vltimum bonum facit iustitia, & est ipsa sicut hesperus in cælo lucens: hoc autem non facit castitas: ergo videtur, quòd iustitiæ actus plus recompensat etiam, quam castitas: & inde vt prius inferatur.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est, quod dicitur Eccli. 26. Non est digna ponderatio continentis animæ. Ergo iustitia non potest recompensari.

2 Item, Supra habitum est, quòd sanctiora sunt coniugia pari voto continentium: ergo vsus coitus minuit sanctitatem: ergo impossibile est, quòd coitus alicui imputetur pro perfectione sanctitatis.

Solutio. AD HOC dicendum, quòd Augustinus hic loquitur de reddente inuitè, cuius tota deuotio est ad continentiam, & tantum debito matrimonij, & fide thori potius ad solutionem cogitur, quam carnali desiderio incitetur.

AD PRIMAS autem rationes dicendum, quòd si iustitia & castitas comparantur secundum hoc quod valent politegiis & ad altetum, vincit iustitia castitatem; si autem comparantur

parantur secundum decorem & honestatem quam habent, vincit castitas iustitiam. Et secundum primum modum procedunt rationes primo inductæ: secundum alterum autem procedunt rationes secundo inductæ. Et per hoc patet solutio ad vtramque partem obiectionum.

ARTICVLVS III.

An debitum debet solui non exigenti?

TErtio quæritur, Vtrum solui debet non exigenti? Videtur, quòd non: quia qui tacet, consentit: mulier ergo vel vir non requirens debitum, videtur in hoc consentire, quòd non soluatur: cum ergo melius sit abstinere, quam vti coitu, videtur quòd talis non debet soluere.

2 Item etiam exigentem precibus potest auertere ne exigat: ergo multo magis non exigenti potest non soluere.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est, quod solutio debiti ordinatur contra damnabiles corruptelas mollitiei, & sodomiæ, & adulterij: sed quidam coniuges sunt ex verecundia non se reuelantes suis coniugibus, & tamen ardent in suis desideriis: ergo videtur, quòd illis sit soluendum, etiam non exigentibus.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum mihi videtur, quòd discretum est soluere etiam non exigenti, qui signa quandoque habet petulantiæ, & etiam illi coniugi qui non contradicit, sed silenter patitur solutionem.

AD HOC autem quod primo obiicitur, dicendum quòd licet non requiritur ex verecundia, tamen ius præuiæ petitionis, scilicet quando contraxit matrimonium, adhuc stat, & tunc in contractu primo semper intelligitur petere nisi reclamet aliquando aliqua de causa. Quod autem obiicitur, quòd qui tacet, laudat: dicendum quòd hoc est verum, quando nihil dixit in contrarium: sed hoc non est in coniugibus qui contrahunt vt debitum eis soluatur.

AD ALIVD dicendum, quòd non est tutum nisi fiat legitima causa temporis aut infirmitatis: & tunc etiam puto, quòd non debet auerti cum instantia & pertinacia.

ARTICVLVS IV.

An vir potest vouere non reddere debitum sine consensu vxoris?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Nam talia non sunt vouenda à coniugatis, nisi ex consensu, &c.] Ponamus enim, quòd alter coniugum voueat sine consensu alterius, vt nunquam exigat. Videtur enim hoc esse licitum votum: quia ipse secundum exigere non est in potestate coniugis, sed tantum secundum reddere: ergo ipse potest vouere illud.

2 Item, Exigere infirmitatis est, reddere autem iustitiæ & necessitatis: sed quæ infirmitatis sunt, abiicienda sunt ab homine quantum potest: ergo videtur, quòd etiam bonum sit homini, quòd voueat, quòd non exigat à coniuge debitum.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est, quòd interdicitur coniugibus ne discedant abinuicem & de communi consensu, nisi vadant ambo ad religionem: ergo multo magis interdici debet isti ne voueat quod vix aut nunquam poterit obseruare manens cum vxore.

2 Item, Prouerb. 6. Nunquid potest homo abscondere ignem in sinu suo, vt vestimenta illius non ardeant? Quasi diceret, non. Ergo existens in matrimonio non potest conseruare se quin ardeat igne: ergo non debet deuouere.

3 Item, Beda dicit, quòd in stulto voto rescinde promissum: constat autem, quòd stultum est votum: ergo rescindendum est: ergo non debet vouere.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd non debet hoc aliquis vouere: & si vouerit, credo quòd etiam per Episcopum poterit dispensari: & tunc arguendus est de stultitia, & pœnitentia iniungenda: & ita debet absolui à voti obligatione: quia si ante matrimonium melius est nubere, quam vri, multo magis in matrimonio hoc est melius.

AD PRIMVM autem dicendum, quòd in sua quidem est potestate: sed interest qualiter etiam sua re quisque vtatur: & hoc pertinet cognoscere ad iudicem, & non est sine aliquo præiudicio alterius coniugis, quia inducit ei verecundiam toties petendi, & quasi inuitè videtur ei cohabitare: & ideo votum illud est stultum & irrationabile.

AD ALIVD dicendum, quòd non omnia quæ sunt infirmitatis in quocunque statu deuouenda & abiicienda sunt, scilicet quando destructio talium non est sine præiudicio aliorum, vt prius patuit in casu isto.

ARTICVLVS V.

An alter coniugum potest abstinere à reddendo debito vt vacet orationi?

DEinde quæritur de hoc quod dicit [Nec ad tempus vt vacet orationi, &c.] Videtur enim hoc esse falsum: quia interdictum Ecclesiæ ponit necessitatem: ergo siue consentiat, siue non consentiat, tunc est cessandum à reddendo debito.

2 Item hoc est in canone scriptum Ioel. 2. Egrediatur sponsus de cubili suo, & sponsus de thalamo suo. Ergo etiamsi alter coniugum præcipiat manere in thalamo, non propter illum est manendum.

Quæstiuncula. IVXTA hoc vltetius quæritur de vouentibus peregrinationes sine consensu vxoris. Videtur enim, quòd facere non possunt: quia dicit in litera, quòd nec ad tempus continere licet nisi de consensu: sed in peregrinationibus magnum tempus abesse est necesse: ergo non licet peregrinationes vouere nisi de consensu.

2 Item, Qui ſine termino debet, ſtatim debet: ſed tale eſt debitum matrimonij: ergo ſtatim debetur: ergo non poteſt ſe vir ſubtrahere per peregrinationem quin reddat.

3 Item, Ponamus, quòd mulier velit vouere peregrinationem, & vir reclamet: conſtat, quòd non poteſt vouere, & votum eius pro nihilo reputabitur: cum igitur in his quæ pertinent ad matrimonium ſint pares, etiam muliere reclamante non poteſt vir vouere huiuſmodi peregrinationem.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum ad primum, quòd interdictum Eccleſiæ reſpicit congruentiam, & non neceſſitatem.

AD ALIVD de Ioel. dicendum, quòd ipſe loquitur de tempore maximi luctus: & tamen etiam in illo non obligat, ſicut patet ex dictis in præcedenti.

Ad quæſtiunculam. AD ID quod quæritur vlterius, dicendum quòd ſi vxor contradicit ex impotentia continendi, & hoc ſcit maritus, credo quòd peccat vouendo peregrinationem, & ex diſpenſatione debet commutare votum. Si autem contradicit ex affectu ſocietatis, tunc credo, quòd propter neceſſitatem terræ ſanctæ & viſitationem liminum Apoſtolorum poteſt peregrinari: quia pertinaciter tunc non contradicit. Et per hoc patet ſolutio ad omnia præter ad vltimum: ad quod dicendum, quòd ideò ſit hoc quia viri habent maius incitans ad libidinem, quam mulieres: & etiam quia in peregrinationibus cautè vadunt viri, & cum vtilitate Eccleſiæ & ædificatione: quorum nullum eſt in mulieribus.

ARTICVLVS VI.

An ſi mulier aliquid vouerit viro conſentiente, ipſa teneatur ad obſeruationem viro poſtmodum repugnante?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Nam cum ad peccatum eiuſdem viri pertinere, &c.] Videtur enim, quòd falſum imponatur hic per Auguſt. hoc enim trahitur de Num. 30. vbi dicitur, quòd ſi maritus non ſtatim contradixit vt audiuit, ipſa mulier voti rea tenebitur. Falſum eſt ergo quod dicit in litera,

2 Item, Auguſtinus dicit, quòd vouere eſt voluntatis, & reddere neceſſitatis: ergo ſi ipſa primo conſentiente, non contradicente marito, vouit, neceſſarium erit, quòd reddat.

3 Item, Si de communi conſenſu vouetur aliquid, conſtat, quòd tenetur: ſed tacens cum audiat, & poſſit contradicere, & non contradicit, conſentit, ſicut dicitur in Digeſtis. Ergo videtur, quòd iſtud intelligitur eſſe votum amborum: ergo tenetur mulier hoc obſeruare, etiamſi vir poſteà contradicat.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd Auguſtinus trahit hoc ex quodam verbo quod dicitur in fine cap. 30. Numerorum, vbi dicitur, Si autem poſteà contradixit, ipſe portabit iniquitatem. Et fortè ſecundum aliam tranſlationem eſt expreſſius.

AD ALIVD dicendum, quòd ſemper reddere eſt neceſſitatis: ſed non intelligitur eſſe votum, quod contradicente marito eſt vſurpatum. Ad id autem quod dicit, quòd maritus primo conſentit, dicendum quòd intelligitur, quòd maritus non conſenſit, ſed potius ante deliberationem diſſimulauit: & poſtquam deliberauit, contradixit: & in tali caſu intelligo loqui Auguſt. quia ſi expreſsè conſenſiſſet, non debet mulier poſteà inclinari ad voti fractionem. Et per hoc patet ſolutio ad vltimum: loquitur enim in tali caſu, quando maritus non tacet, niſi vt deliberans, & non vt expreſsè conſentiens.

ARTICVLVS VI.

An mulier quæ permittente viro continentiam vouerit, viro poſteà prohibente, teneatur reddere debitum?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Quibuſdam videtur, quòd mulier non diſcedens, &c.] Videtur enim, quòd hæc opinio non ſit vera: quia licet votum præcedens matrimonium impediat contrahendum, non tamen dirimit contractum, niſi ſit ſolenne: ergo multo minus dirimit ſuperueniens matrimonium: quia multa impedimenta ſunt quæ præcedentia matrimonium, dirimunt contractum, quæ tamen matrimonio ſuperuenientia non dirimunt ipſum: ſed iſtud ſuperuenit, & non eſt adhuc ſolennizatum: ergo non dirimit matrimonium iam ante contractum: ergo iſte non poteſt cogere vxorem ad debiti ſolutionem ſicut prius.

2 Item, Votum illud non eſt niſi priuatum: ergo non dirimit matrimonium contractum: ſed iſtud eſt contractum & conſummatum: ergo non dirimit ipſum: ergo iſta opinio dicit verum.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd opinio illa falſa eſt: illa autem quam conſequenter ponit pro ſua, eſt vera. Ad primum autem quod obiicitur, dicendum quòd hoc intelligitur de matrimonio quod votum antecedit: quia tunc ſemper ſuperuenit maius vinculum, & frangit matrimonium: ſed nunc votum continentiæ de communi conſenſu ſequitur, & ideo non dirimit matrimonium, ſed ſuſpendit debitum exigendi & reddendi: quia hoc eſt in poteſtate coniugum, & voluntate, vouere & non vouere. Per idem patet ſolutio ad ſequens. Et ideo patet, quòd mortaliter peccant frangendo votum.

Vtrum autem votum illud recipiat diſpenſationem vel non, infra habet determinari in quæſtione de voto.

***

Quibus temporibus cessandum sit à coitu.

ET licet debitum poscenti semper sit soluendum, non licet tamen qualibet die poscere. Vnde Augustinus Christiano cum vxore sua aliquando licet conuenire, aliquando non. Propter processionis enim dies, & ieiuniorum aliquando non licet conuenire: quia etiam à licitis abstinendum est, vt facilius impetrari possit quod postulatur. Idem, Quoties enim vel dies natiuitatis, vel reliquæ festiuitates aduenerint, non solum à concubinarum consortio, sed etiam à propriis vxoribus abstinete. Idem Ambros. Si causa procreandorum filiorum ducitur vxor, non multum tempus concessum videtur ad ipsum vsum: quia & dies festi, & dies processionis, & ipsa ratio conceptus & partus iuxta legem cessare vsum & carnis his debere temporibus demonstrant. B In lib. de quæst. nou. & vet. test. c. 117. 32. q. 4.

ARTICVLVS VIII.

An in matrimonio debitum semper sit reddendum, non autem poscendum?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Et licet debitum semper poscenti sit soluendum, &c.] Quæruntur autem hic tria. Primum autem est de litera, quare potius sit semper soluendum, quam poscendum debitum matrimonij? Secundo, Quare potius ista quæ in litera enumerat, quam alia tempora possunt? Tertio, Vtrum iste obligatur ad quamlibet horam illius temporis æqualiter, vel in aliqua obligatur, & in aliqua non, & in aliqua plus, & in aliqua minus?

Ad primum obiicitur, Rom. 1. super illud, Non solum qui faciunt ea, sed qui consentiunt facientibus: dicit Gloss. quòd consentit, qui cum possit, non contradicit: & consentientes & facientes pari pœna digni sunt. Cum igitur debitum reddens consentiat petenti in sacro tempore, tantum peccat reddens, quantum petens: falsum est ergo, quòd semper sit reddendum debitum, & non semper sit petendum.

2 Item, Non debeo ego peccare venialiter vt alius euitet peccatum mortale: sed constat, quòd omnis circunstantiæ corruptio facit peccatum: ergo & reddere debitum quando non debet, peccatum est: ergo iste non debet reddere etiamsi æstimaret, quòd alius caderet in mortale peccatum: ergo videtur, quòd falsum dicat in litera.

3 Item, Comparticipantes actum vnum, æqualiter agunt vel patiuntur in actu illo: sed isto matrimonio comparticipant coitum reddens & poscens: ergo æqualiter agunt & patiuntur: sed æqualiter agentes & patientes quoad substantiam actus, æqualiter merentur vel demerentur, aliis paribus: ergo videtur, quòd poscens & reddens tali tempore, æqualiter demerentur; sed quod est demeritum, non est faciendum aliquo modo: ergo iste non debet reddere debitum pro aliquo.

4 Item, Non est dandus gladius furioso vt interficiat seipsum: sed peccatum plus interficit quam gladius: ergo non est sibi concedenda facultas peccandi: sed reddens dat talem facultatem peccandi: ergo non debet reddere.

5 Item Aristot. dicit, quòd epicheiches melior est iusto, quia considerat quid in particularibus est agendum: sicut si lex dicat pignus ei qui redimit, esse reddendum, vel depositum ei qui accommodauit; epicheiches tamen non reddit ei, præsentibus latronibus, nec tempore in quo esset in periculo perdendi ex stultitia propria vel violentia aliena. Ergo similiter debet esse in matrimonio: sed reddens scit, quòd non expedit, quòd illi modo reddatur debitum: ergo in tempore illo reddere non debet.

6 Item, In talibus temporibus quiescitur ab operibus necessariæ seruituris, & operarius conductus ab aliquo tunc non tenetur ei operari, cum interdicatur censura ecclesiastica vt non operetur ei: ergo multo fortius quiescendum est ab operibus libidinosis: & debens ei debitum reddere, non debet reddere tunc, & debet compesci per censuram ecclesiasticam ille qui tunc reddit, vt videtur.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est, quod dicit Philosophus, quòd vnumquodque in quo tempore magis valet, magis est eligendum: sed medicina maximè valet tempore ægritudinis; ergo tunc maximè est est eligenda: sed medicina libidinis est matrimonium: ergo in tempore libidinis eligendus est vsus eius, & tunc maximè exhibendus: ergo debetur reddito debiti tempore festi si alter petat ex timore incontinentiæ.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd tenetur reddere tempore cuiuscunque festi, sicut in litera dicitur, & vltima probat obiectio.

AD VLTIMVM autem dicendum, quòd non consentit, sed potius molestè dat ei quod suum est: vnde dolet de libidine, sed præbet remedium tale, quale esse potest ne vsque ad mortales corruptelas infirmitas aggrauetur.

Ad aliud dicendum, quòd non peccat venialiter reddendo, sed potius fortiter meretur ex actu fidei & iustitiæ thori.

Ad aliud dicendum, quòd falsa est propositio de actu naturæ, sed de actu moris est vera: sed in tali casu coniugari non participant vnum actum moris, sed naturæ: quia actus moris causatur ex omnibus suis circunstantiis & forma & fine. Et patet, quòd hæc non sunt eadem: quia in vno est informans libido, & in altero iustitia & fides: in vno finis refrigerium libidinis, in alio meritum secundum iustitiæ exercitium.

Ad aliud dicendum, quòd non datur ei gladius, sed medicina furiæ: sicut si alicui memoria incipit rapi, ad cerebrum perforatur caput: licet detur ei vulnus, tamen hoc ipsum ei est medicina: sed si daretur ei occasio mortalis peccati, tunc daretur ei gladius.

Ad aliud dicendum, quòd reddens tempore libidinis est epicheiches: quia tunc illi cui redditur, maximè valet ad ruinæ præseruationem: & patet per antedicta, quòd inducta nihil valent, quia non sunt similia.

Ad aliud dicendum, quòd non est talis instantia tentationis aliarum concupiscentiarum sicut libidinis, quæ citò hominem præcipitat: & ideo contra hunc morbum magis paratam oportet esse medicinam, quam contra alium.

ARTICVLVS IX.

An liceat in temporibus in litera nominatis coniuges conuenire?

Secundo quæritur, Quare potius ista festa quam alia determinantur? dies enim processionum secundum veritatem non sunt nisi tres quando ipse Christus processionem tenuit, scilicet dies ipapanti, quando cum processione parentum ad templum Dominus venit, & cum processione Simeonis & Annæ & eorum qui redemptionem Israël expectabant, receptus est in templo: & dies palmarum, quando cum magna turba venit Ierusalem, & receptus est cum palmis & oliuis: & alius dies est ascensionis, quando duxit discipulos in montem, & ascendit in cælum. Sunt autem dies alij æquales istis, sicut annuntiationis, passionis, resurrectionis, epiphaniæ: quare ergo illi dies non determinantur sicut isti?

2 Item, Ieiuniorum dies non sunt nisi quadraginta, & quatuor temporum, & alia ieiunia non sunt authentica in Ecclesia: videtur ergo, quòd non oporteat abstinere in aliis ieiuniis.

3 Item, Infra determinat tres hebdomadas ante festum Ioannis, & aduentum, & alia: quæratur igitur, quæ sit ratio istorum?

Solutio. Responsio. Dicendum, quòd Sancti loquuntur de temporibus contrahendi nuptias vltimo capitulo: sed hic loquuntur de tempore exigendi debitum nuptiarum iam contractarum. Vnde dicendum, quòd optimè determinat processionis dies, & ieiuniorum: sed processionis dies sunt duplices, scilicet statuti ex processionibus Domini, sicut inductum est in obiectione: & illi qui causantur ex communi & legitima necessitate, sicut dies rogationum pro peste, & huiusmodi etiam fiunt in particularibus Ecclesiis ad hoc pro voluntate prælatorum instituentium, eò quod in talibus diebus ascendit in Domino spiritus, quia orario est ascensus intellectus in Deum, vt dicit Damascen. & inconueniens est vt vna hora ascendat in Deum spiritus, & in fine sub carne deprimatur. Eadem ratio est de festis magnis, præcipuè beatissimæ Virginis, & Christi: quia tunc commemoratio fit illibatæ castitatis & floris eius Domini nostri Iesu Christi, & incongruum est tunc membrum Christi incontinentiæ & voluptati & corruptioni operam dare. Tempora autem ieiuniorum, sicut quadragesimæ, & quatuor temporum, & vigiliæ, sunt instituta ad macerandam carnem, & inconueniens est vt cum caro abstrahitur à necessariis indiuiduo, quod repleatur sagina voluptatis ordinantis ad salutem speciei. Et per hoc patet solutio omnium quæ quæruntur in isto capitulo. Quod enim in auctoritate Ambrosij dicitur de tempore conceptus & partus, supra habuit quæstionem. De temporibus autem nuptias contrahendi infra quæretur.

ARTICVLVS X.

An in qualibet hora dictorum festorum semper sit abstinendum?

Tertio quæritur, Vtrum quælibet hora illius temporis est inconueniens? Videtur autem, quòd non: quia non totum illud tempus est orationi institutum: ergo quando non dicuntur laudes in horis vel missis, videtur quòd aliquis possit exigere: quia ex hoc in diuinis non impeditur.

2 Item, Per matrimonium summa spiritualitas significatur, tam in persona Christi, quam etiam in coniunctione fidelis animæ cum Deo: sed talibus signis in festiuitate præcipua maximè est vtendum: ergo videtur, quòd tunc instandum sit vsui matrimonij.

Responsio. Dicendum, quòd minimè, sed potius abstinendum, sicut dicitur in litera quia incongruum est valde. Solutio.

Ad primum ergo dicendum, quòd licet non in omni hora horum dierum orationi possimus & laudibus diuinis interesse, tamen semper nos idoneos tenere debemus: & ideo vacandum est ab amplexibus, qui deprimunt mentem ne surgere possit ad cælestia.

Ad aliud dicendum, quòd non tenet: quia actui adiuncta est fœda concupiscentia subiugans in delectationis impetu rationem multo plus quam signum istud exigere possit: & ideo interdicitur propter congruentiam temporis ab Ecclesia,

Hieronymus

Hieronymus videtur dissentire à præmissis.

ILLI autem quod dictum est reddere debitum non esse peccatum, videtur obuiare quod ait Hieronymus, Quicunque vxori debitum reddit, vacare non potest orationi, nec carnes agni edere. Item, Si panes propositionis ab his qui vxores suas tetigerant, comedi non poterant: quanto magis panis qui de cælo descendit, non potest ab his qui coniugalibus paulò ante hæsere complexibus, violari atque contingi: non quod nuptias condemnemus, sed quod eo tempore quo carnes agni manducaturi sumus, vacare à carnalibus operibus debeamus. Hoc capitulum maximè ad ministros Ecclesiæ pertinere videtur, quibus non licebat sacra officia celebrare atque mysteria tempore coniugalis amplexus: quo etiam præsentia Spiritus sancti non datur. Vnde idem ait, Connubia legitima carent quidem peccato, nec tamen tempore illo quo coniugales actus geruntur, præsentia Spiritus sancti dabitur, etiamsi Propheta esse videatur, qui officio generationis obsequitur. C In quodam sermone. 33. q. 4. 1. Reg. 21. Exo. 32. Ioan. 6. Hieron. super Mat. 32. q. 2.

Quibus temporibus non sunt celebrandæ nuptiæ?

NEC solum in opere carnali obseruanda sunt tempora, sed etiam in celebrandis nuptiis, secundum illud, Non oportet à Septuagesima vsque in Octauam Paschæ, & tribus hebdomadibus ante festum sancti Ioannis, & ab aduentu Domini vsque post epiphaniam celebrare nuptias. Quod si factum fuerit, separentur. Item, Nicolaus Papa, Nec vxorem ducere, nec coniugia facere quadragesimali tempore conuenire posse vllo modo arbitror. D

ARTICVLVS XI.

An quando vacandum est orationi, possit aliquis reddere debitum?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Illi autem quod dictum est reddere debitum non esse peccatum] Et quæruntur hic duo. Primum est, Quando vacandum est orationi, possit eadem hora alius debitum petere? Secundum, Vtrum debitum reddens, possit carnes agni edere eodem die? Et gratia huius etiam quæritur, Vtrum poscens debitum, carnes agni debeat manducare?

Ad primum sic obiicitur, Orare præceptum est affirmatiuum: ergo obligat ad aliquando implere: detur ergo tempus quodcunque sit, & in eodem tempore alter coniugum petat debitum: aut soluet debitum, aut non. Si sic; cum igitur simul orare non possit, nec aliquid spiritualium agere, vt dicitur in litera, ipse non implebit præceptum de orando: ergo ipse omittit in tempore quo facere debet: sed omittere in tempore quo facere debet, est peccatum mortale: ergo iste peccat mortaliter. Si autem non soluit debitum: tunc fraudat ægrum medicina tempore periculi: ergo ipse est occasio mortis suæ: sed talis etiam peccat mortaliter: ergo ipse perplexus est, quod falsum est, quia secundum Theologos nullus est perplexus. Si forte dicas, quòd ipse absoluitur à solutione debiti ratione temporis ad orandum constituti. Contra: Apostolus dicit 1. Corinth. 7. Nullo tempore nisi forte ex consensu, &c. Ergo etiam in illo tempore non absoluitur nisi ex consensu alterius coniugis; sed positum est, quòd ipse non consentiat, sed exigat. 33. q. 4. c. Oportet.

2 Idem omnino obiicitur de sacro loco si in sacro loco petatur debitum. Videtur enim, quòd negandum sit: quia si reddatur, lædetur locus sacer: sed locus sacer non est contaminandus: ergo est negandum debitum.

3 Ad idem: quia minus videtur, quòd Ecclesia lædatur per hoc, quòd ibi comeditur & venditur quam per hoc quod ibi concumbitur: sed patet, quod per hoc lædetur in primis diebus duobus: ergo & in coitu. Probatio minoris 1. Cor. 11. Nunquid non habetis domos ad manducandum & bibendum, &c. Matth. 11. Expulit ementes & vendentes de templo.

Sed contra. SED CONTRA hoc videtur esse, quòd in quibusdam terris propter insultus bellantium multis noctibus & multis diebus necesse est cum pueris & vxoribus in Ecclesia confugientes manere: cum ergo non multo tempore debeant carere debito, videtur quòd in Ecclesia possit exigere & reddere.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd semper petenti debetur debitum matrimonij, & in omni hora soluendum secundum opportunitatem & facultatem. Opportunitatem autem voco: quia tamen coitus cum verecundiam quandam habet annexam, non oportet, quòd soluatur in publico coram hominibus, sed omni hora dimisso negotio in quo est, si scit alterum esse in periculosa concupiscentia, tenetur captare secretum cubilis & reddere debitum.

AD HOC autem quod quæritur de præcepto orationis, dicendum quòd nunquam est tempus reddendi ex necessitate, nisi in quo si non faciat, omittat: & hoc est ex duobus causatum, scilicet ex institutione Ecclesiæ, & ex impossibilitate recuperandi. Ex institutione autem Ecclesiæ non obligantur, nisi personæ ecclesiasticæ quæ castæ esse debent quandiu tractant diuina sacramenta: alias autem non obligat Ecclesia, sed monet. Impossibilitas autem recuperandi non potest hic fieri: quia & si modo reddat debitum, postea potest recuperare orationes vel in crastino: & ita patet, quòd non est perplexus: quia non habet necesse alterum facere, eo quod determinate orandi non est institutum aliquod tempus coniugato. Et per hoc patet solutio ad primum.

AD ID quod quæritur de loco, dicendum quòd non tenetur in loco sacro debitum soluere, si aliquis alius locus haberi potest: si autem non potest, tunc soluat cum dolore cordis, & etiam si exigit cum planctu, quòd sine vsu matrimonij esse non potest, non credo, quòd peccet mortalitet.

AD HOC autem quod obiicitur, quod locus contaminatur, dicendum quòd contaminatio loci est duplex, scilicet ex incongruitate operis quod fit in ipso ad consecrationem & actum loci, & ex contrarietate procedens. Illa quæ procedit ex incongruitate tantum, non ita contaminat locum quod indigeat reconciliatione, sed potius illa quæ procedit ex contrarietate: & illa fit ex magnis facinoribus, scilicet stupro, homicidio, & huiusmodi. Ad hoc autem quod vlterius quæritur, dicendum quòd Apostolus non vult, quòd per hoc locus sit contaminatus, sed incongruitas quædam fuit: & ideo correxit eam cum præter necessitatem fieret. Ad id autem quod obiicitur de Matth. dicendum quòd illi negotiationi coniuncta erant latrocinia, & furta, & simoniæ: & ideo expulit de templo. Et ideo non est simile, quia in oratorio vt dicit Augustinus. Nemo aliquid agat, nisi ad quod factum est, vnde & nomen accepit. Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICVLVS XII.

An alter coniugum soluens debitum, eodem die edere possit carnes agni? & an exigens possit accipere corpus Domini? & an eodem die quando acceptum est, possit reddi debitum?

SEcundo quæritur, Vtrum soluens debitum, carnes agni eodem die edere possit? vel etiam eodem die quo carnes agni comederit, soluere debeat debitum? Videtur autem, quòd non: quia in litera hîc dicitur, quòd panis qui de cælo descendit, non potest ab aliis qui coniugalibus paulo ante adhæsere amplexibus, violari atque contingi: ergo habetur propositum.

2 Item, Minus incongruus actus sacramento Eucharistiæ est comedere, quam coire, & peccat mortaliter qui accipit corpus Domini post comestionem: ergo & post coitum: sed nihil est faciendum, quod est peccatum mortale: ergo soluens debitum, non debet carnes agni contingere vel sumere.

3 Item, In lactucis agrestibus pœnitentiæ & dolotis est sumenda Eucharistia: sed impossibile est simul esse in voluptate coitus & dolore: ergo videtur, quòd post voluptatem coitus non sit accipienda Eucharistia. Quod autem impossibile sit, patet per Glossam 1. Corinth. 6. vbi dicit, quòd nihil interim fieri vel cogitari aliquid potest, eo quod totus spiritus sub carnem descendit.

4 Item Gregorius scribit ad Augustinum Anglorum Episcopum, & ponitur in decreto distinctione 6. quòd etiam post nocturnam pollutionem à carnibus agni temperandum est. Ergo multo magis post coitum in vigilia perpetratum.

5 Item, Summæ spiritualitatis rem accipere in maxima carnalitate, est peruersitas: sed Euchartstia summæ est spiritualitatis: ergo videtur quod in maxima carnalitate post coitum non est accipienda.

Sed contra. IN CONTRARIVM est hoc, quod in præcedenti distinctione habitum est à Gregorio, Si quis sua vxore vtitur non cupidine voluptatis raptus, sed tantum procreandorum liberorum gratia, ille profectò siue de ingressu Ecclesiæ, siue de corpore Domini in ministerio sumendo, suo est iudicio relinquendus: quia prohiberi non debet à nobis accipere, qui in igne positus nescit ardere. Ex hoc patet, quòd qui soluit propter iustitiam vel liberorum gratia, ille post talem concubitum potest accipere corpus Domini: quia non refert vtrũ soluat propter iustitiam vel fidem thori, an propter pietatem liberorum procreandorum.

Quæst. 1. ITEM quæratur vlterius, Vtrum exigens causa infirmitatis possit accipere corpus Domini? Videtur, quòd non: quia in præcedenti distinctione ex verbis Gregorij habitum est, quòd etiam ab ingressu Ecclesiæ est tali abstinendum: ergo multo fortius à communione Eucharistiæ erit sibi abstinendum.

2 Item Aug. dictum est, Cresce, & manducabis me: sed iste adhuc pusillus est cui pericu

periculosè sapiunt carnalia: ergo non debet carnes agni edere.

3 Item, In figura dicitur de hoc sacramento Exod. 12. Renes vestros accingetis. Dicit autem Gregorius, quòd lumbos præcingimus, cum carnis luxuriam per continentiã coarctamus: ergo qui non accingit lumbos, non debet carnes agni edere: sed petens debitum ex infirmitate, non accingit lumbos: ergo non debet carnes agni edere.

4 Item, 1. Reg. 21. dixit Achimelech, Si pueri sunt mundi maximè à mulieribus, manducent. Ergo si non sunt mundi, non licebat comedere etiam figuram istius sacramenti. Ergo multò minus licebit accipere rem: ergo post tale debitum exactum non licebit comedere carnes agni.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est, quòd talis concubitus non est nisi venialis, sed propter venialia non debet dimitti: quia sic omnis homo deberet dimittere, cum in multis offendamus omnes: ergo non oportet, quòd iste dimittat propter hoc sumere corpus Domini.

2 Item, A beato Bernardo arguitur Petrus, quia dixit: Exi à me Domine, quia homo peccator sum; quia à peccatore magis vocandus est Deus, sicut à Zachæo, dummodo doleat de de peccatis: sed iste dolet: ergo debet Deo appropinquare quantum potest per Eucharistiæ perceptionem.

3 Item Matth. 9. Non est opus valentibus medicus, sed malè habentibus. Constat autem, quòd summa medicina & medicus est ipse dominus in sacramento perceptus: ergo debet accipi ab ipso qui malè habet in concupiscentia propter quam exigit debitum.

Quæstiuncula 2. VLTERIVS quæritur hîc, Vtrum postquam acceptum est corpus Domini, eodem die parum vel multum post exigi vel reddidi possit debitum? Videtur, quòd non: quia contrarij sunt motus concupiscentiæ, & sacramenti: quia vnum mouet in summum spiritum, & alterum in imum carnalium voluptatum: ergo motus vnius excludit altetum, quia contrarij motus seinuicem excludunt: ergo motus concupiscentiæ in concubitu excludit motum nutrimenti spiritualis: ergo perditur effectus sacramenti: sed omnibus modis cauendum est, ne effectus sacramenti perdatur: ergo omnibus modis cauendum est, ne debitum exigatur vel petitum exoluatur.

2 Item, Ego video, quòd etiam cibi conuenientes qui etiam eiusdem generis sunt, si subito vnus post alium sumatur, secundus euacuat primum, & erit distemperantia ex indigestione: ergo multò magis hoc facient cibus spiritualis & intẽsissima voluptas corporalis immediatè sibi succedentes: ergo voluptas coitus euacuat effectum sacramenti: ergo cauendum est omnibus modis à voluptae coitus post Eucharistiæ sumptionem.

Quæstiuncula 3. VLTERIVS quæritur hîc, Vtrũ à menstruata sumi debeat corpus Christi? Videtur, quod non: quia secundũ legẽ immũda est huiusmodi mulier, vt patet Leuit. 7. ergo de sanctis nihil debet contingere: ergo nec Eucharistiam. Eodem modo sequitur, quòd nec vir pollutus, nec semifluus, sicut Leuit. 7. expressè prohibetur.

IN CONTRARIVM huius est, quòd huiusmodi pœnæ sunt, non culpæ secundum se: punitus autem non debet amplius puniri: ergo nec in hoc debet iterum puniri, quòd abstrahatur ei cibus salutaris. Et quia multum de his quæsitum est in tractatu de Eucharistia, sufficiant ista nunc quæsita. *Sed contra.*

RESPONSIO ad primum, quòd reddens debitum propter fidem thori & iustitiam, vel etiam exigens propter bonum prolis, non debet prohiberi à carnibus agni, sed suo iudicio circa hoc est relinquendus, vtrum ex humilitate, quia tale negotium sine voluptate non fuit, velit abstinere, vel ex deuotione velit accipere. *Solutio.*

AD ID autem quod obiicitur ex litera, Magister respondet in litera. Potest tamen aliter dici, quòd Hieronymus loquitur de his qui suarum vxorum non sunt nimij amatores, id est, nimis ardentes, de quibus supra habitum est, quòd sunt adulteri.

AD ALIVD dicendum, quòd est propter Ecclesiæ institutionem quæ repugnat: sed hic non est aliqua Ecclesiæ institutio in contrarium, sed potius concessio Apostoli dicentis, Nolite fraudare inuicem, &c.

AD ALIVD dicendum, quòd non sunt simul dolor & voluptas secundum actum, sed dolor secundum habitum potest esse cum voluptate secundum actum, & post voluptaetm coitus, quando vadit ad communionem, potest dolere secundum actum & excludere voluptatem quæ fuit prius tempore coitus.

AD ALIVD dicendum, quòd Gregorius loquitur de sacerdotibus conficientibus Eucharistiam in missa: quia illis imponitur maior sanctitas, sicut in litera exponitur dictum Hieronymi: vnde si generaliter accipiatur dictum, dicendum quòd pollutio est signum culpæ præcedentis: & ideo cum bonarum mentium sit ibi culpam timere, vbi culpa non est, multo magis est eis timendum vbi signum præcedentis culpæ inuenitur: sed redditio debiti non est signum nec effectus alicuius culpæ: & ideò non est simile quod inductum est. Tamen de hoc respicienda est nostra quæstio in tractatu de Eucharistia: & ita fiet manifestatio solutionis.

AD ALIVD dicendum, quòd vnum accipere cum alio secundum actum existente esset peruersitas: sed nihil prohibet post carnalitatem cum qua est spiritualitas secundum habitum, accipere id quod est summæ spiritualitatis: quia iam carnalitas cessauit.

AD ID autem quod vlterius quæritur de exigente, dicendum quod ille monendus est ne accipiat, non suo iudicio relinquendus vt primus: si tamen omnibus modis ex deuotione se ingerat, non est prohibendus. Ad id autem quod obiicitur contra, dicendum quòd sicut dictum est in præcedenti distinctione, per hoc non ostenditur nisi incongruitas inuitans ad humilitatem, & non intendit Gregorius imponere necessitatem.

AD ALIVD dicendum, quòd aliud est accipere effectum Eucharistiæ, & aliud percipere. Primum est palati infirmi: secundum palati sani. Et quoad hoc dictum Augustino

fuit, quòd creſceret, & non quoad primum: quia quilibet qui contritus eſt, poteſt Euchariſtiam accipere.

Ad alivd dicendum, quòd omnis habens continentiam conceſſionis coniugalis, habet renes accinctos: & dictum Gregorij intelligitur de accinctione ab illicito concubitu.

Ad alivd dicendum, quòd puerorum mundatio quærebatur ratione idoneitatis, quia panes erant ſacerdotales, & non ratione neceſſitatis.

Ad id quod vlterius quæritur, dicendum quòd illo die non eſt poſcendum debitum, nec etiam reddendum, niſi alter coniunx multum inſtet: ſi tamen fiat, non credo, quòd ſit mortale peccatum. Ad obiectum autem contra, dicendum quòd licet actu ſint contrarij, non tamen habitu: quia vnus eſt ſacramenti vnius, & alter alterius: & vnus charitatis, & alter continentiæ coniugalis, quæ nullam inter ſe habent contrarietatem: vnde actus coitus non eſt contra ſpiritualitatem, niſi ſicut diſpoſitio permanens ad tempus & tranſiens.

Ad alivd dicendum, quòd hoc ideo fit, quia opprimit naturam, & ſuffocat ſequentem calorem digeſtiuum: ſed non fit ſic hic, quia vt iam dictum eſt, delectatio quæ eſt in coitu, non profundatur vt habitus, ſed tranſit ſicut diſpoſitio temporalis.

Ad id quod vlterius quæritur, dicendum quòd talia ſunt infirmitates potius quam culpæ. Et ad obiecta competens ſatis habetur ſolutio in tractatu de Euchariſtia.

Deinde ratione huius vbi dicitur [Quo etiam præſentia Spiritus ſancti non datur, etſi prophetia eſſe videatur] tractanda eſt quæſtio de prophetia vt perfectè videatur quare ſit hoc quod dicitur in litera.

DISTINCTIO XXXIII.

De diuerſis coniugij legibus.

Qualiter fides thori fuerit in patribus antiquis. 32.q.4. c.Recurrat nũc. §. His itaque.

AQVÆRITVR hic de antiquis patribus, qui plures ſimul leguntur habuiſſe vxores vel concubinas, vtrum peccauerint? Ad quod dicimus, Pro varietate temporum varia inuenitur diſpenſatio conditoris. Ab exordio enim temporis inter duos tantum, Adam ſcilicet & Euam inchoatum eſt coniugium, Deo per os Adæ dicente, Homo adhærebit vxori ſuæ, & erunt duo in carne vna, & ſecundum inchoationis modum inter duos tantum per omnem ſucceſſionem temporum contraheretur coniugium, ſi primi homines in obedientia perſtitiſſent. Poſt eorum vero copulam filij & filiæ eorum matrimonio coniuncti ſunt, ſed vnus vni tantum. Ideo autem fratres ſororibus tunc ſunt copulati, quia non erant aliæ mulieres vel viri, quibus Adæ filij vel filiæ iungerentur. Primus omnium Lamech duas legitur ſimul habuiſſe vxores: & hoc in eo arguitur, quia pro expletione carnalis voluptatis id feciſſe perhibetur. Poſtea vero cum iam penè omnes homines falſis diis ſeruirent, paucis in cultu Dei permanentibus conſultum eſt à Deo plures in matrimonio copulare ſibi, ne illis paucis deficientibus, cultus & notitia Dei deficeret. Vnde Abraham viuente vxore ad ancillam intrauit, & ex ea genuit. Iacob etiam liberis & ancillis ſe copulauit. Et filiæ Loth patre ebrio vſæ ſunt. Cum enim cæteris in idololatria relictis Abraham & filios eius in peculiarem populum ſibi Dominus elegiſſet, ritè multarum fœcunditate mulierum populi Dei multiplicatio quærebatur: quia in ſucceſſione ſanguinis erat ſucceſſio religionis. Vnde etiam in lege maledicta erat ſterilis, quæ non relinquebat ſemen

Gen. 2. Genes. 4. Gen. 16. Gen. 29. & 30. Gen. 19. Deut. 7. Deut. 18.

ſuper

ſuper terram. Hinc etiam ſacerdotibus coniugia decreta ſunt, quia in ſucceſſione familiæ, ſucceſſio eſt officij. Non ergo Abraham vel Iacob deliquit, quia præter vxorem filios ex ancilla quæſiuit: nec illorum exemplo præter coniugale debitum, fœcunditatem in aliqua licet alicui quærere, cum illorum coniugia noſtrorum æquentur virginitati: & immoderatus vſus coniugij noſtri temporis, turpitudinem ferè imitetur fornicationis illius temporis. De hoc Auguſtinus ſic ait, Antiquis iuſtis non fuit peccatum, quòd pluribus fœminis vtebantur, nec contra naturam hoc faciebant: cum non laſciuiendi cauſa, ſed gignendi hoc facerent: nec contra morem, quia eo tempore ea fiebant: nec contra præceptum, quia nulla lege erat prohibitum. Idem, Obiiciuntur Iacob quatuor vxores, quod quando mos erat, crimen non erat. Sic patriarchæ coniugibus excipientibus ſemen ſuum miſcebantur, non concupiſcentia perficiendæ voluptatis, ſed prouidentia propagandæ ſucceſſionis, ſicut Apoſtoli auditoribus ſuis admirantibus doctrinã ſuam condelectabantur, non auiditate conſequendæ laudis, ſed charitate ſeminandæ veritatis. Idem alibi, Antiquis temporibus cum adhuc ſalutis noſtræ myſterium velaretur, iuſti officio propagandi nuptias contrahebant, non victi libidine, ſed ducti pietate, qui multo facilius continere poſſent & vellent. Vtebantur tamen coniugibus, & plures vni viro habere licebat quas caſtius habebat, quam nunc vnam quilibet iſtorum, in quibus videmus, quod ſecundum veniam concedit Apoſtolus. Habebant enim eas in opere generandi, non in morbo deſiderij. Item Ambroſius, Dixit Sara ad Abraham, Ecce concluſit me Dominus vt non pariam. Intra ergo ad ancillam meam, vt filium facias ex ea: & ita factum eſt. Conſidera primum, quòd Abraham ante legem Moyſi, & ante Euangelium fuit. Non ergo in legem commiſit Abrahaam, ſed legem præuenit. Nondum enim interdictum videbatur. Secundo conſidera, quòd non ardore aliquo vagæ ſuccenſus libidinis, non petulantis formæ captus decore, ancillæ contubernio coniugalem poſthabuit thorum: ſed ſtudio quærendæ poſteritatis, & propagandæ ſobolis. Adhuc poſt diluuium raritas erat humani generis, erat etiam religionis. Denique & Loth ſancti filiæ hanc cauſam querendæ poſteritatis habuerunt, ne genus deficeret humanum, & ideo publici muneris gratia priuatam culpam prætexit. Item Auguſtin. Iuſt. quamuis cupiat diſſolui & eſſe cum Chriſto, tamen ſumit alimentum, non cupiditate viuendi, ſed officio conſulendi, vt maneat quod neceſſarium eſt propter alios. Sic miſceri fœminis iure nuptiarum officioſum fuit ſanctis viris, non libidinoſum. Quod enim eſt cibus ad ſalutem hominis, hoc eſt concubitus ad ſalutem humani generis, & vtrumque non eſt ſine delectatione carnali: quæ tamen modificata & refrænante temperantia in vſum naturalem redacta, libido eſſe non poteſt. Quod autem in ſuſtentando vitam illicitus eſt cibus, hoc eſt in quærenda prole fornicarius vel illicitus concubitus, & quod eſt in cibo licito immoderatior appetitus, hoc eſt in coniugibus venialis ille concubitus.

Lib. de bono coniugali. cap. 15. & habetur 33. q. 4. cap. Obiiciuntur Iacob.

Idem de bono coniugali. cap. 14.

1. Cor. 7.

32. q. 7. c. Dixit Sara. Gen. 16.

Gen. 19.

Lib. de bono coniugali. cap. 17.

Ibidem. cap. 16.

ARTICV

ARTICVLVS I.

An matrimonium sit naturale vel de iure gentium?

QVæritur hic de antiquis patribus,&c.]In hac distinctione agitur de diuersis coniugij statibus. Quatuor autem hîc quæruntur à Magistro. Primum est, Quare antiqui aliqui plures vxores habuerunt? Secundum de matrimonij comparatione ipsorum ad cœlibatum nouæ gratiæ *ibi*[Quod vero castitas virginalis] Tertio quæritur,Vtrum licuit vnam mulierem habere plures viros *ibi*[Sed nunquid sub lege] Quarto tangit statum cœlibum & cœlibatus *ibi* [Melior est autem virginitas mentis quam carnis] Et hæc de diuisione sufficiant.

Incidunt autem circa principium ratione primi capituli hîc quærenda sex. Primum est, An matrimonium sit naturale? Secundum est, Vtrum habere plures vxores sit naturale, vel contra naturam? Tertium, Vtrum vnam mulierem habere plures viros sit contra naturam vel ordinem naturæ? Quartum, Vtrum soli libidinosi tunc perpetrauerunt bigamiam,sicut videtur velle in litera? Quintum, Vtrum tunc licuit vel aliquando licuit habere concubinam? Sextum, Qualiter bonum matrimonij quod est sacramentum,saluabatur in matrimoniis antiquorum patrum?

Ad primum obiicitur sic:Natura non dictat nisi maris & fœminæ copulationem: sed hoc non facit matrimonium: ergo videtur, quòd matrimonium non sit naturale.

2 Item Aristot. dicit 2.ethic. quòd naturalia sunt eadem apud omnes; sed contractus coniugij non est idem apud omnes: ergo contractus coniugij non est naturalis: ergo nec matrimonium est naturale.

3 Item, Tullius in rhetorica in principio ait,quòd homines in principio sylueſtres erant: & tunc nemo sciuit proprios liberos, nec certas nuptias: sed constat,quòd tunc naturaliter homines viuebant: ergo videtur, quòd matrimonium non sit naturale,sed potius de iure gentium.

4 Item, In principio Digesti veteris, & in institutis dicitur, quòd ius naturale est, quod natura omnia animalia docet: sed non omnia animalia docet natura coniugium: ergo videtur, quòd non sit naturale. Probatio mediæ est, quòd videmus multos canes sequi vnam caniculam, & animalia quædam non habere certas fœminas quibus commisceantur: ergo patet propositum.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est, quod dicitur in principio Pandectarum. Ius naturale est maris & fœminæ coniunctio, quod matrimonium nos appellamus:ergo est naturale. Idem dicitur omnino in institutis. Item Tullius in rhetorica dicit, quòd ius naturale est, quod non opinio genuit, sed innata quædam vis inseruit,vt maris fœminæque coniunctionem: ergo,&c.

2 Item Aristot. in 9. ethic. dicit hæc verba: Homo animal naturale coniugale magis quam politicum, & quanto prius & necessarium magis domus ciuitate.Et sensus est,quòd homo magis naturaliter est coniugalis, quam politicus, & tanto magis, quanto necessarior & prior est ordinatio domus ordine ciuitatis: sed homo naturaliter est politicus, vt probant Aristot. & Auicenna: ergo magis naturaliter est coniugalis: ergo coniugium est naturale.

3 Item ad idem inducit Aristot. aliam rationem,sic dicens,Et filiorum procreatio communis animalibus: & intendit sic arguere: Quibuscunque naturaliter communis est procreatio filiorum, illis etiam modus quo certificentur filij,est naturalis,sicut auibus coniungi ad vnam in speciali antro: ergo & homini coniungi ad vnam sibi debitam in speciali domo: sed hoc est coniugium: ergo coniugium est naturale.

4 Item tertiam rationem inducit Philosophus ibidem, sic dicens, Homines autem non solum procreationis filiorum gratia cohabitant, sed & eorum quæ in vitam: confestim enim diuisa sunt opera, & sunt altera viri & vxoris: sufficiunt igitur ad inuicem ad commune ponentes propria. Est autem hæc ratio: Quicquid confert ad vitam saluantem naturam,naturale est:matrimonium est huiusmodi: ergo matrimonium est naturale. Prima autem à Philosopho per se nota supponitur. Secunda autem probatur: quia cum nati sunt homines & adolescunt, diuisa habent opera, & insufficientia sibi ad naturæ salutem & domus prouidentiam. Cum autem vir & vxor conferunt sua opera, erunt sufficientia in domus ædificationem & naturæ salutem: sed non conferunt nisi matrimonio coniuncti: ergo matrimonium est naturale: & sic constat propositum.

5 Item Aspasius super eundem locum in commento dicit, quòd magis est naturale quod est à genere,quam quod est à differentia, cum tamen vtrumque sit naturale: sed homo naturale habet à differenita quod est animal ciuile & politicum: & propter hoc vnius solius vita,vt dicit Auicenna, non est nisi peior quam potest: à genere autem habet, quod sit coniugale, sicut prius in auibus & leone ostensum est: ergo coniugium magis est naturale,quam politicum.

RESPONSIO. Dicendum,quòd verba Aspasij soluentis hanc quæstionem in commento super nonum ethicæ, valdè notanda sunt,& sunt ista: Non potest esse commixtio maris & fœminæ penitus carens culpa, nisi quæ intendit prolis procreationem: & cum homo sit animal rationale, & ratio non peruersa intendat optimum, non solum intendit generans homo procreare prolem, sed & procreatam educare, & educando prouehere vsque ad perfectionem non solum in bonis corporis, sed etiam in bonis animæ, quæ sunt virtutes & scientiæ: non est autem solus vir generans, nec sola mulier, sed ambo simul sunt vnum generans: oportet ergo quòd ambo simul intendant vna communi intentione prolis procreationem & educationem & prouectionem vsque ad perfectum:oportet igitur *Solutio.*

antequam

antequam conueniant, mutuò sibi consenserint in vnam indiuiduam vitam ad prolis procreationem & educationem & prouectionem vsque ad perfectum: non enim esse potest rationalis intentio generantis recta, nisi vterque generantium in vitam consenserint indiuiduam: cum igitur finis naturalis virtutis generatiuæ, & actus generandi in homine sit proles perfecta vtraque perfectione, & salus speciei non solum est in esse primo, sed etiam in esse secundo, quod est vera hominis consummatio: hunc autem finem non possunt intendere vir & mulier communi intentione generantes, qui magis sunt vnum generans, nisi matrimonialiter copulati: & quod non recto fine fit, peccatum est, patet quòd matrimonium sit naturale, & quòd omnis commixtio extra matrimonium, peccatum est, & transgreditur legem naturæ. Huc vsque sunt verba Aspasij: & determinant totam quæstionem, nec indigent expositione.

Ad primvm ergo dicendum, quòd natura nulli animali aliquid dictat vel instigat, nisi etiam cum hoc det ei instinctum & facultatem optimè secundum modum suæ naturæ perficiendi: & ita etiam matrimonium quoad modum quod sua efficiatur vxor, vt sciatur qui sunt filij proprij, & qui non, erit naturale.

Ad alivd dicendum, quòd in vno substantiali conueniunt omnes, quod est consensus vtriusque, sed in accidentalibus differunt: & hoc non impedit.

Ad alivd dicendum, quòd Tullius intelligit hoc de natura quæ est in generatione tantum considerata, & nullo modo in specie: & si etiam in genere consideretur, adhuc commixtio sua determinatur ad certam liberorum suorum notitiam etiam naturaliter in multis animalibus, vt prius patuit. Et ille peritus qui coniunxit homines in habitationes domorum & ciuitatum, & matrimonij contractum, per ostensionem naturalium rationum hoc fecit: & ideo ex illa ratione non sequitur, quod matrimonium non sit naturale.

Ad alivd dicendum, quòd vt prius dictum est, natura omnia animalia hoc docet, sed diuersimodè secundum diuersitatem specierum: quædam enim docet filiorum procreationem sine determinatione certæ fœminæ: & hoc est in illis in quibus mas nullam habet solicitudinem circa filios educandos, sicut taurus, equus, asinus, canis, & huiusmodi. In aliis autem pater solicitatur circa filios, & ideò quærit sibi certam coniunctionem ad vnam fœminam suæ speciei, & cum illa generat & nutrit filios, sicut aues ferè omnes, & multa animalia gressibilia: nihilominus tamen aliquod matrimonium est in omnibus in quibus est mas & fœmina: sed in animali perfectissimo perfectissimum secundum naturam est matrimonium, & hoc est homo.

ARTICVLVS II.

An habere plures vxores sit naturale?

Secundo quæritur, Vtrum habere plures vxores sit naturale? Videtur, quod sic: quia dicit Aristot. quòd vnus multas implet: ergo videtur, quòd hoc non sit contra naturam.

2 Item, In aliis animalibus frequenter videmus, quòd multæ fœminæ habentur ab vno mare: cum igitur naturale ius sit, quod natura omnia animalia docuit, in homine etiam non erit contra naturam habere plures vxores.

3 Item, In ordine naturæ videmus, quòd vnum mouens ad generationem, mouet multa mobilia, sicut sol omnia inferiora generabilia, & primus motor mouet & quodammodo imprægnat omnia animalia: ergo videtur secundum ordinem naturæ, quòd vnus mas qui est vt mouens, multas habere possit vxores.

4 Item Plato posuit, quòd vniuersalia sint vt ars & masculus: particularia autem sicut artificiati materia & fœmina: quia vna forma vniuersalis imprægnat multa particularia, & vna forma artis est in multis artificiatis: ergo & masculus potest habere multas fœminas secundum ordinem naturæ.

5 Item, Non est caput, cui non cohæret nisi vnicum membrum: sed vir est caput mulieris: ergo oportet, quòd cohæreant ei plures mulieres.

6 Item, In litera dicitur in auctoritate Augustini quæ trahitur de sancta virginitate, quòd antiqui patres non contra naturam hoc faciebant: ergo videtur, quòd homo secudum naturam poterit habere vxores plures.

7 Item videmus, quòd multi homines naturam & rationem excellenter sequentes, sicut Cato & Arabes quidam, plures habebant vxores & habent: ergo videtur, quòd hoc non sit contra naturam.

8 Item, Semen ordinatum ad naturæ multiplicationem proiicere vbi perdatur, præter ordinem naturæ est: sed cum imprægnata est mulier, & clausam habet matricem, siquis tunc cum ea habet coitum, semen proiicit vbi perditur: ergo debet aliam cognoscere: ergo ad minus tempore conceptus potest pluribus vti in matrimonio, vt videtur.

9 Item, Si est contra naturam habere plures, quæratur contra quam naturam? constat enim, quòd non contra sexum est, nec contra mores animalium in genere, nec contra rationem, nec contra speciem hominis: ergo videtur, quòd non sit contra naturam.

Sed contra.

In contrarivm huius obiicitur sic: Illud maximè esse naturale videtur, quod in prima natura condita est constitutum: sed tunc sic fuit institutum, quòd vna esset vnius: ergo hoc est maximè naturale: videtur ergo, quòd contra naturam sit habere plures. Media probatur ex hoc quod habetur Genes. 20. Et adhærebit vxori suæ: & non dixit, Vxoribus.

2 Item, In animalibus aliis videmus, quòd quibus non sufficiunt opera educationis filiorum, sed necesse est aliquid conferre, sicut faciunt aues, præcipuè quæ habent pullos quos necesse est cibari à parentibus, quòd vna sit vnius: ergo cum tale animal sit homo, videtur quòd secundum naturam generis vna sit vnius. Dicit autem Philosophus, quòd hoc maximè naturale est, quod conuenit ratione generis:

generis: ergo videtur, quòd ſecundum naturam hominis vna debet eſſe vnius.

3 Item, Si accipiatur remotius genus quam animal, ſicut vnum quod eſt in vegetabilibus, tunc patet, quòd in eodem ſuppoſito coniunguntur maſculina & fœminina vis: ſed in illis non coniungitur niſi vna vis maſculina cum vna fœmina: ergo videtur, quòd hoc ſecundum naturam debeat obſeruari in omnibus conſequentibus genus in homine: ergo ſecundum naturam tantum vna eſt vnius.

4 Item, In tota natura ſic eſt, quòd vna forma mouens non proportionatur niſi vni materiæ: cum igitur maſculus ſit vt mouens, & fœmina ſicut materia mota, videbitur ſecundum naturam eſſe, quòd tantum vna vni coniungatur: ergo contra naturam erit ſi vnus habeat plures.

5 Item, Secundum Ariſtot. tam in artibus quam in naturis via in paucis magis eſt, quod natura expediat ſe pauciſſimis: ergo videtur, quòd in quærenda generatione via naturalis eſt in paucioribus quam poteſt: hæc autem ſunt duo, ſcilicet maſculus, & fœmina: ergo videtur, quòd præter viam naturæ eſt plures vni coniungi.

6 Item, In tota natura non inuenitur, quòd vnus motor proprius ſit aliorum mobilium: ſed ſecundum naturam in generatione maſculus eſt ſicut motor proprius, & fœmina ſicut mobile: ergo videtur, quòd contra naturam ſit vnum marem habere plures fœminas.

7 Item, In cæleſtibus & elementis nunquam coniungitur niſi vnum agens vt maſculus cum vna fœmina vt patiente, ſicut patet in ſtellis, ſignis, planetis, & elementis, vbi nunquam eſt niſi calidum vnum cum vno ſicco vel vno humido, & frigidum vnum cum vno ſicco vel vnico humido: ergo etiam ſic debet eſſe in hominum coniunctione.

8 Item, Omne agens in natura remittitur ſi multiplicetur ei id in quod agit, & remiſſio ſua erit cauſa impedimenti vel debilitatis effectus: ſed maſculus eſt agens veriſſimè in generatione: ergo multiplicato eo in quod agit, remittetur, & remiſſio eius erit cauſa impedimenti vel debilitatis effectus: ſed effectus eſt productio ſimilis: ergo ſi vnus haberet plures, hoc eſſet impedimentum & debilitas generationis. Probatur autem prima per inductionem in ſingulis, & etiam ſcribitur à Philoſophis in pluribus locis.

Solutio. Responsio. Ad hoc ſine præiudicio aliter dicendum, quòd ſecundum Ariſtot. natura hominis duplex eſt, ſcilicet quæ ex genere eſt, & quæ eſt ex differentia. Secundum illam quæ ex genere eſt, non eſt contra naturam hominis habere plures vxores: & hæc natura eſt in homine ſicut potentia & ſicut imperfecta. Perfecta autem & formalis eſt illa quæ eſt ex differentia: & hæc eſt duplex ſecundum quòd ratio dupliciter ſumitur, ſcilicet vt natura quæ eſt in forma hominis non conſiderans niſi naturalia: & vt ratio deliberatiua eorum qua ſolus inter alia percipit homo, ſicut eſt honeſtum, turpe, conſeruatiuum pacis, & incitatiuum diſcordiæ, conſiliatiuum ciuitatis, & deſtructiuum ciuitatis & domus. Et primo quidem modo adhuc videtur, quòd non ſit contra naturam habere plures. Secundo autem modo videtur eſſe præter naturam. Quod autem ſic ſit, habetur ex litera, ſicut dicit Auguſt. quòd non fuit contra naturam, quòd Iacob habuit plures: & de hoc plurima ſunt in decreto. 32. quæſt. 4. & plurima etiam illorum ponit hîc in litera de Ambroſio, Hieronymo, & Auguſtino. Et ſic non oportet ſoluere niſi ſecundam partem obiectionum: quia omnes primæ obiectiones in duobus prioribus ſenſibus naturæ procedunt.

Dicendvm ergo videtur ad primum, quòd non fuit tunc matrimonium in officium naturæ in genere vel in ſpecie abſolutè inſtitutum, ſed vt in ſpecie ad finem boni moralis relati, cuius perceptiua eſt ſolius hominis natura: quia dicunt Philoſophi, quòd hoc ſolius hominis naturæ eſt diſcernere inter turpe & honeſtum: & ideo etiam poſtea nihil agendo contra naturam quam Deus inſtituit, cum pauci eſſent boni & multi mali, diſpenſatione boni plures habuerunt.

Ad aliud dicendum, quòd animalia vni coniunguntur pluribus de cauſis, & etiam non vni coniunguntur oppoſitis cauſis. Sunt autem præcipuè tres quibus coniunguntur vni, quarum vna eſt, quòd vis maſculi motiua pluribus fœcundandis non ſufficit: & hoc facit quandoque cibi diminutio, quandoque etiam naturæ vigoris deſtitutio. Secunda eſt: quia in fouendo & nutriendo vnum non ſufficit, eò quod intra matricem filij compleri non poſſunt, nec extra compleri poſſunt niſi calore corporum parentum caleſcant, ſicut eſt videre in auibus fouentibus ſucceſſiuè alternatis vicibus. Vnde videmus, quòd aues quarum vna tantum fouet, vel etiam animalia quæ non fouent oua ſua, non ſic ordinantur, quòd certus mas certam habeat fœminam, ſicut patet in omni genere pullorum & anſerum, & etiam in piſcibus, & lacertis, & ſerpentibus. Tertia autem & vltima cauſa eſt ingeniatio quam habet natura ad diſcernendos filios proprios: quia ſicut dicit Ariſtot. animalia non æque memoratiua ſunt, nec æquè diſciplinabilia, & per conſequens neque æquè ingeniatiua circa curas filiorum. Vnde quædam nutriunt alios filios pro ſuis, in quo arguitur perdix vbi dicitur, Perdix fouet quod non peperit. Quædam autem nunquam nutriunt alienos niſi decepta, ſicut bubala quæ non lactat alienum partum, niſi prius perungatur ſtercore ſuo, & tunc lactat decepta. Quædam autem nullo modo in ſuis decipi poſſunt, & omnes alienos abiiciunt, & non impendunt eis curam. Iſtæ ergo ſunt cauſæ quibus certas ſibi vendicant animalia fœminas, & iſtis ceſſantibus non faciunt, ſicut equus, & aſinus, & plura greſſibilia. In homine autem propter induſtriam eſt procreatio plurium fœminarum: & ideo contra naturam ſuam non eſt habere plures, niſi natura vltimo modo accipiatur: quia verum eſt, quòd domus non benè regitur pluribus exiſtentibus vxoribus, & per conſequens neque ciuitas neque gens.

Ad aliud dicendum, quòd vis maſculina

culina quæ est in plantis, est indeterminata & imperfecta: eo quod vt dicitur in libro de plantis, plantæ non habent animam, sed partem partis animæ. Quod autem sit imperfecta, patet ex indeterminatione sua & materialitate: quia immobilis est & indeterminata, generans folia, virgas, & fructus, & in fructu generat multa circunstantia fructum: & ideo oportet, quòd coniungatur in distinctionem quod moueat propter suam imperfectionem. Si autem ex imaginatione aliqua moueret, posset mouere plura: vnde plura non mouet nisi sicut natura, & etiam qualitatibus naturalibus quæ sunt calidum, frigidum, humidum, & siccum. Non autem sic est in animalibus quæ sunt naturæ perfectæ, & mouent ad imaginationem quæ diuersificatur in imaginibus: & ideo vnum mouens in talibus mouet multa.

AD ALIVD dicendum, quòd in paucis est via in actu vno, sed in actibus pluribus non oportet: generatio enim semper completur in duobus minimis: sed multæ generationes per vnum cum multis compleri possunt.

AD ALIVD dicendum, quòd illud intelligitur de motore proximo, & taliter non se habent masculus & fœmina in specie hominis: & ideò nihil probatur per istud. Per illud etiam patet solutio ad sequens.

AD VLTIMVM dicendum, quòd vna simplici actione agens in plura, remittitur, quanto plus illa multiplicantur, sed successiuè agens non potest remitti: quia sicut dicit Aristot. modo implet vnam, & post hoc semine attracto ad vasa seminaria & maturato implet aliam, & tertiam, & sic deinceps.

ARTICVLVS III.

An vnam mulierem habere plures viros sit contra naturam?

TErtio quæritur, Vtrum vnam mulierem habere plures viros sit contra naturam vel naturæ ordinem? Videtur autem, quod non: quia videtur, quòd vir vir & mulier sunt eiusdem speciei: ergo quod non est contra naturam viri, non est contra naturam mulieris: sed habitum est non esse contra naturam viri, coniungi pluribus: ergo nec erit contra naturam mulieris habere plures viros.

2 Item, Fœmina desiderat masculum sicut turpe bonum, & materia formam: video autem, quòd materia desiderat non vnam formam, sed plures: ergo nec fœmina naturali desiderio vnum marem, sed plures: ergo secundum naturam potest coniungi pluribus.

3 Item, Inferiora se habent ad superiora sicut fœmina ad virum, sicut dixerunt Philosophi: sed ego video, quòd terra quæ circulo stellato octauæ sphæræ imprægnatur, non iungitur vni prægnanti, sed multis: ergo videtur, quòd fœmina secundum naturam iungi possit multis.

4 Item, In multis animalibus videmus, quòd multi mares sequuntur vnam fœminam, & nunquam plures fœminæ vnum marem, sicut in canibus, & lupis: ergo videtur, quòd ex genere habetur, quod secundum naturam generis fœmina possit iungi pluribus maritis & maribus.

5 Item, Fœmina se habet in generatione sicut recipiens: sed omne recipiens est receptiuum multorum secundum naturam recipientis: ergo fœmina potest recipere à multis viris: ergo & secundum naturam est iungibilis pluribus viris.

IN CONTRARIVM huius est quod dicit Aristot. quòd vnus multas implet: vna autem non impletur nisi ab vno: ergo licet vir sit iungibilis multis secundum naturam suam, tamen mulier non iungitur nisi vni. *Sed contra.*

2 Item, Iunctio fœminarum ad viros secundum naturam non est nisi propter generationem, quia non nisi ad hoc à Deo & natura distinctus est sexus: sed cum ab vno suscipit fœmina, non est susceptibilis ab alio nisi cum periculo conceptus primi: ergo secundum naturam non est coniungibilis alteri cum susceperit ab vno: sed postquam peperit, potest suscipere ab eodem: ergo ipsa ad generandum sufficienter iungitur vni: habitum autem est ante, quòd via naturæ est in paucioribus quantum potest: ergo secundum naturam fœmina non est coniungibilis nisi vni.

3 Item, Secundum naturam bene sunt multa membra vnius capitis, sed nunquam sunt plura capita vnius membri: cum igitur vir sit vt caput, & mulier sicut membrum, vnus vir potest secundum ordinem naturæ habere plures fœminas, nullo autem modo vna fœmina plures viros.

4 Item, In multis animalibus videmus, quòd mas vendicat sibi plures, & pugnat pro illis vsque ad mortem, sicut cerui, apri, & galli: non autem videmus, quòd fœminæ pugnent pro pluribus maribus vel sequantur plures mares: ergo videtur, quòd secundum naturam generis naturale quidem sit, quòd vir possit habere plures, nullo autem modo sit secundum ordinem naturæ, quòd fœmina vna habeat plures viros simul quos sequatur.

5 Item, Ex hoc nasceretur diffidium œconomicæ & politiarum: vxor enim subditur secundum leges, & canones, & naturales rationes. Detur ergo, quòd vna habeat plures: ergo obediet ambobus, & sequetur eos: ergo cum vnus præcipit vt ædificet domum suam, alter fortè præcipit de domo alia ædificanda: ergo fit destructio, & confusio domus & ciuitatis sequitur ex eo.

6 Item vt dicit Tullius, matrimonium inuentum est, vt certi liberi cognoscantur: sed vna habente plures, nullus sciet certos & proprios liberos: ergo nullus solicitabitur pro eis: ergo peribunt filij, propter quos natura inuenit matrimonium, quod est inconueniens: ergo secundum naturam etiam inconueniens est, quòd vna plures habeat viros.

QVOD VIDETVR esse concedendum, & dicendum ad primum, quod multis de causis nullo modo est secundum naturam, quòd vna fœmina habeat plures: sed quatuor euidentiores assignabo, quarum tres sumam ex natura generis, & vnam ex natura differentiæ. *Solutio.*

Prima ex natura generis ſumpta eſt, quòd nimia concuſſio matricis facit decidere partum, eò quod adhæret conceptus per coctilidones, ſicut fructus ad arborem, & in principio conceptus propter teneritatem coctilidonum, & in fine propter maturitatem & pondus infantis de leui cadit:in medio autem tempore fortius adhæret: & ideo etiam cum vno multum coire periculoſum eſt conceptui,vt dixit ſupra Hieronymus in litera, & ponitur in decreto. 32.quæſt.4. cum diuerſis autem coire omnino contrariaretur. Secunda autem eſt, quòd ex nimio fluxu ſeminis & iniecti & eiecti lubricatur matrix, ita quòd nihil tenet: ideo meretrices non concipiunt: & ideo quæ cum vno nimis ſunt frequentis coitus, minus & rarius concipiunt. Tertia autem eſt, quia licet ſemen mulieris materiale ſit in conceptu,tamen operatur ad conceptum: & ideo oportet in ipſo eſſe debitam maturitatem: ſed debita maturitas non poteſt eſſe in ſemine nimis fluente, quia ad hoc vt maturetur, oportet quòd attractum in vaſis ſeminariis ſtet ad tempus: & ideo non competit,quòd mulier habeat plures. Quod autem hoc non impediat in viro, infra oſtendetur, vbi quæretur,ſi tunc haberi plurimæ poterant. Quarta autem quæ ſumitur ex parte differentiæ eſt, quòd hoc ordinaretur ad deſtructionem œconomicæ & politegiæ, ſicut probatur in obiectione.

Ad argvmentvm ergo primum dicendum, quòd non ſequitur:quia licet vir & mulier ſint in ſpecie vna, ſunt tamen in ſexu differenter ſe habente ad generationem: & ideo non eſt de natùra mulieris, quod eſt de natura viri.

Ad alivd dicendum, quòd eſt ſimilitudo ſecundum quid, ſcilicet in deſiderio imperfecto: quia fœmina eſt imperfecta vt materia: ſed tamen ſicut proxima materia, non eſt plurium formarum,ita nec propria fœmina plurium virorum: ſed non eſt ſimile in hoc quòd materia remota deſiderat plures formas.

Ad alivd dicendum, quòd ſuperiora non ſunt propria mouentia inferiorum, ſed potius communia: ſed ſi accipiatur materia propria, erit vna tantum. Vir autem non eſt ſimilis mouenti proprio & coniuncto, ſed potius ſeparato & communi,vt prius habitum eſt: ſicut recipiens ſemper proprium eſt, licet imprimens frequenter ſit commune.

Ad alivd dicendum, quòd in animalibus eſt diuerſitas, nec multi mares ſequuntur vnam fœminam, niſi quibus nulla eſt ſolicitudo de educatione filiorum: & tale animal non eſt homo: vnde etiam canes non recognoſcunt filios ſuos, nec ſolicitantur pro eis, ſed potius caniculæ: ſed in homine ſic non eſt, ſed imitatur naturam illorum quæ certe diſcernunt filios, & ſpeciali affectu ſolicitantur pro eis.

Ad alivd dicendum, quòd fœmina ſe habet ſicut recipiens proportionatum vni infundenti,& non ſicut recipiens communiter propter cauſas ſuperius inductas: recipiens autem proportionatum non eſt receptiuum multorum. Et hoc modo ſe habent omnia recipientia naturalia, quæ implentur ab actibus illorum,ex quibus recipiunt:in omnibus enim talibus recipiens determinatur, & implens ſeparatum eſt impletiuum multorum.

ARTICVLVS IV.

Vtrum ante legem gratiæ ſoli libidinoſi fuerunt bigami?

Qvarto quæritur, Vtrum ſoli libidinoſi tunc fuerunt bigami? Videtur autem, quòd ſic: quia dicit in litera, quòd primus Lamech legitur bigamiam introduxiſſe ſiue duas vxores habuiſſe: & hoc in eo arguitur, quia pro expletione carnalis voluptatis illud feciſſe perhibetur: ergo videtur, quòd ſoli tales de bigamia in illo tempore fuerunt reprehenſibiles.

2 Item, In litera dicit, quòd coniugia Patriarcharum cœlibatui iſtius temporis comparantur. Ergo videtur, quòd non arguantur de aliquo: ergo nec de bigamia.

3 Item, Quod aliquis dicitur bigamus, hoc eſt ratione ſigni violati, vt ſupra habitum eſt: ſed in coniugio Patriarcharum fuit optimum ſignum: ergo videtur, quòd ex pluribus non arguantur de bigamia. Prima patet ex dictis in quæſtione de bigamia. Secunda ſcribitur 32. quæſt.4. vbi dicit Auguſtinus, quòd generatio Iacob per ancillas ſignificat renatos per malos: ſed generatio per liberas ſignificat renatos per bonos:& vtrique pertinent ad hæreditatem,eò quod ſunt de ſemine patris.

In contrrivm huius eſt,quod bigamus efficitur quis quatuor modis, vt ſupra tactum eſt: & vnus iſtorum eſt,qui ſimul plures habet: plures autem ſimul habuerunt antiqui patres: ergo ipſi fuerunt bigami. *Sed contra.*

Qvod est concedendum.

Ad primvm dicendum, quòd Lamech primus reprehenditur de peccato, & non de bigamia,quia non fuit reprehenſibilis:& etiam tunc non obſtabat ſacerdotio, quia non erat ibi ſacerdotium verum, ſed tantum figura veri ſacerdotij noſtri. *Solutio.*

Ad alivd dicendum, quòd comparatio fit in merito perſonali & vtilitate, quæ eſt pro varietate temporis: ſed non fit comparatio in integritate. Et ſic patet ſolutio ad totum: quia vltimum habet ſignum non ſacramenti, ſed allegoriæ. Sed ad hoc quod ſaluetur indiuiduitas matrimonij, oportet quòd ſignum ſacramentale matrimonij ſaluetur: & hoc non ſaluatur in coniugio antiquorum qui plures habuerunt.

ARTICVLVS V.

An aliquando licuit habere concubinam?

Qvinto quæritur, Vtrum licuit aliquando habere concubinam? & eſt hæc quæſtio vna cauſa 32.Gratiani. Et obiicit de Abraham qui ex concubina quæſiuit ſobolem Geneſ.25. & de Iacob qui ex duabus ancillis quæſiuit ſobolem Geneſ.29. & 30. & de pluribus aliis.

Ergo

Ergo videtnr ; quod hoc licuit aliquando. Item Deuter.22. dicitur, Quisquis concubuit defiorando ancillam, non vapulabit, nec morietur: quia pecunia eius est. Si ergo in Veteri Testamento lege diuina non puniebatur ad mortem corporis: ergo non videtur, quòd modo puniri vel imputari debeat ad mortem animæ.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est, quod dicit Ambrosius li. de Patriarchis, Nemo sibi blandiatur, de legibus hominum omne stuprum adulterium est, nec viro licet quod mulieri non licet: quoniam eadem à viro quæ ab vxore debetur castimonia. Quicquid in ea quæ non sit legitima vxor commissum fuerit, adulterij damnatur crimine. Item, Nulli licet scire mulierem præter vxorem: ideoque coniugij datum est ius, ne in laqueum incidas, & cum aliena muliere delinquas. Ex hoc patet, quòd non licet alicui admisceri ancillæ, vt ex illa quærat sibi liberos.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd nunquam licuit ancillam vel alienam cognoscere, sed ancillam ductam in matrimonium ex instinctu Spiritus sancti: & ita fecerunt Patriarchæ. Et per hoc patet solutio.

ARTICVLVS VI.

Qualiter bonum sacramenti in coniugiis antiquorum saluabatur?

SExto quæritur, Qualiter bonum sacramenti in coniugiis antiquorum saluabatur? Videtur autem, quòd non saluabatur: quia hoc bonum est indiuiduitas relata per signum ad indiuiduitatem fidelis animæ cum Deo & duarum naturarum in Christo: antiqui autem patres diuisi fuerunt in plures: ergo non fuit in coniugiis ipsorum huiusmodi indiuiduitas.

2 Item, Non est indiuiduus qui non est vnicus vnius, vt supra habitum est in quæstione de bigamia: sed antiqui patres non fuerunt vnici vnius: ergo in ipsorum matrimonio non fuit bonum sacramenti.

3 Item, Magis videtur saluari hoc bonum in eo qui successiue non simul vtitur pluribus, quam in eo qui simul vtitur pluribus: & non saluatur: ergo nec in eo qui simul pluribus vtitur: sed tale fuit coniugium antiquorum patrum: ergo in ipsorum matrimonio non fuit bonum sacramenti.

Ad contra. IN CONTRARIVM huius obiicitur, quòd quicquid excedit maius, excedit & minus illo: sed matrimonium antiquorum excedit maius, quam sit matrimonium nostri temporis: ergo excedit & ipsum quod est nostri temporis. Prima patet per se. Secunda scribitur in litera, quòd matrimonium illorum cœlibatum nostri temporis excedit. Inde sic: Matrimonium non dicitur excedere alterum nisi ratione bonorum quæ sunt in ipso: ergo illud matrimonium tot vel plura bona habuit, quot illud: sed istud habet bonum sacramenti: ergo & illud.

2 Item, Quod significat Ecclesiam secundum omnem sui status differentiam, nobilius significat eam, quam id quod significat eam in genere tantum: sed plures Sanctorum patrum vxores significant coniunctionem Ecclesiæ cum Deo secundum omnem status differentiam, vt patet 32.quæst.4. in decreto Aug. supra: ergo nobilius significat coniunctionem Ecclesiæ cum Deo, quam matrimonium in quo vnus vni coniungitur: cum igitur minus signum sufficiat matrimonio pro bono sacramenti: ergo & maius: ergo illa matrimonia bonum sacramenti habebant.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd bonum sacramenti & etiam cœlibatus debitum non saluabatur in illis matrimoniis nisi secnndum quid & imperfectè: in matrimonio autem Noui Testamenti perfectè saluatur. Dico autem imperfectè: quia ibi erat signum coniunctionis Ecclesiæ cum Christo in fide quantum ad Ecclesiam militantem: in nostro autem matrimonio est quoad Ecclesiam triumphantem: Ecclesia enim in fide coniungitur secundum multiplicem statum cum Christo in quo alius sic alius sic vadit: sed triumphans illa est coniuncta in vno statu apertæ visionis facie ad faciem, quæ est tota merces, vt dicit Augustinus.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd matrimonium illorum non dicitur excedere matrimonium nostri temporis, nisi quoad sanctimoniam quæ est castitas animæ, & non in castitatis actu: & hoc non respicit signum hoc quod dicitur sacramentum. Hoc autem quod dicit, quòd matrimonium melius & sanctius sit matrimonium in omnibus bonis: dicendum, quòd hoc falsum est: quia matrimonium sanctius est pari voto continentium: & tamen non est ita perfectum in significando sicut matrimonium consummatum per carnalem copulam, sicut supra habitum est.

AD ALIVD dicendum, quòd ille modus significandi potius est allegoricus ex coniugibus ipsis, quam sacramentalis sumptus ex indiuiduitate coniugij, sicut patet per antedicta.

ARTICVLVS VII.

An vnquam licuerit alicui viro habere plures vxores?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* Consultum est à Deo plures in matrimonio copulare sibi, &c.] Videtur autem, quòd hoc nunquam licuit: quia nihil eorum quæ sunt contra humanum bonum, vnquam fuit licitum: sed plures sibi copulare fuit & est contra humanum bonum: ergo hoc nunquam licuit.

2 Item, Impossibile est vnam rem esse simul duorum non ad inuicem ordinatorum: sed maritus est suæ vxoris: ergo impossibile est suum fuisse ipsum vxorum duarum non ad se inuicem ordinatarum: sed vna vxor non ordinabatur ad alteram, sed ex æquo erant mariti: ergo impossibile est vnum maritum matrimonialiter coniungi pluribus: nunquam autem licuit aliquis concubitus nisi matrimonialis: ergo nunquam licuit sibi plures in matrimonio copulare.

3 Item, Detur, quòd vnus sit duarum, sequitur perplexitas: sit enim quòd ambo sibi petant debitum in vna hora, si ipse soluat vni, constat quod ipse efficitur impotens ad soluendum alteri: ergo retinet & fraudat alteram: & si soluat alteri, per eandem rationem fraudat istam: ergo ipse est perplexus: sed secundum theologum nullus est perplexus: ergo nunquam licuit alicui coniungi pluribus.

4 Item, Ad paria iura iudicantur vir & mulier in matrimonio: mulier nunquam potuit habere plures viros: ergo nec vir plures mulieres: ergo nunquam licuit habere plures.

5 Item, Causa nulla videtur esse quam dicit in litera: quia cum multi tunc essent idololatræ, facilior & melior modus multiplicationis fidelium fuisset per prædicationem quam per fœcunditatem: ergo videtur, quòd ille debuit esse, & non iste.

6 Item, Non sunt facienda mala vt eueniant bona, sicut dicit Apostolus Roman. 3. sed malum est habere plures: ergo non erat hoc faciendum pro aliquo bono quod inde surgere poterat: ergo nunquam licuit causa fœcunditatis & religionis habere plures.

7 Item, Cum maxima esset paucitas hominum, nullus legitur coniunctus pluribus, scilicet nec Adam, nec Seth, neque Noë, neque aliquis filiorum eius. Inde obiicitur sic: Quod non fit propter paucitatem hominum & cultus diuini, non est faciendum propter raritatem cultus tantum: sed coniunctio vnius ad plures non fiebat propter paucitatem materialem hominum: ergo etiam non debuit fieri propter raritatem cultus tantum: ergo nunquam licuit habere plures vxores.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius sunt exempla sanctorum Patriarcharum, qui nullo modo perpetrassent illicitum: & ipsi plures habuerunt: ergo hoc licuit, & licitè fecerunt.

2 Item, Quod nec more nec lege nec natura prohibetur, illud licet: sed habere plures vxores nec more nec lege nec natura prohibetur: ergo illud licet. Prima probatur per hoc quod habetur 1. Corinth. 6. super illud, Omnia mihi licent: vbi dicit Glossa: Hoc licet, quod nullo præcepto prohibetur. Secunda autem scribitur paulo infra in litera: & 32. quæst. 4. Obiiciuntur Iacob quatuor vxores. Et prdbatur in litera.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum sine præiudicio, quòd si consideretur humanum bonum ex fine rationis ordinantis officia humanorum actuum in ciuitate, tunc nunquam licuit habere plures, licet non omnino sit contra naturam, sicut supra dictum est. Et si obiiciatur, quòd ius gentium in legibus permittit habere plures: dicendum quòd aliud est permissio, aliud ordinatio vt ita fiat: & sciendum, quòd in permissionibus lex non ordinatur ad diuinam iustitiam prout est ordinans humanos actus, sed potius prout est permittens quædam facta mala: & ideo nisi fieret dispensatio circa hoc familiari consilio Spiritus sancti, dico quòd nunquam licuisset: & ita etiam dixit Papa Innocentius tertius.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd cum instabat multitudo pertrahentium ad idolatriam, & paucitas Deum colentium in tantum quod (vt narrat Philo in suo Pentateucho) Abraham carcere & igne cogebatur nomen suum lateri impressum venerandum posteritati præbere à ducibus qui venerunt ab Oriente: tunc ex familiari consilio Spiritus sancti vsus habuit, quòd potuerunt accipere plures, vt cum propagatione seminis esset etiam propagatio religionis. Et ex eadem causa fuit, quòd noluerunt accipere vxores nisi de progenie sua, ne animi filiorum per alienigenas subuerterentur à cultu diuino, sicut etiam in Nouo Testamento ad tempus voluit Deus formam baptismi in nomine Christi fieri, sicut notatum habetur supra in tractatu de baptismo, non quòd ita deinceps obseruaretur, sed potius vt nomen suum amabile hominibus efficeretur: & tunc ad veram baptismi formam rediretur.

AD ALIVD dicendum, quòd mos dicitur dupliciter, scilicet verus mos, & ille quem facit necessitas. Verus mos est consuetudo secundum humanum bonum cuilibet deseruiens. Et si quidem mos sic accipiatur, non erat tale matrimonium de more. Si autem secundo modo accipiatur, verum est, quòd tunc tale matrimonium fuit de more, sed mos ille nihil aliud est, quam obseruantia causata ex necessitate periculi, sicut etiam dicimus quòd accipere alienum tempore necessitatis, si necessitas diu duraret, esset de more: non tamen bene sequeretur, quòd simpliciter obsequeretur bonis moribus. Similiter dico de natura si enim accipiatur natura à differentia hominis relata ad finem humanum, nunquam fuit de natura, & ab hac sola natura ordinantur actus & officia humana in ciuitatibus, sicut patet in omnibus libris Philosophorum qui de vrbanitatibus & politegiis sunt locuti. Si autem accipiatur natura aliis modis qui supra notati sunt, tunc non esset contra naturam: multa tamen non contra naturam huiusmodi existentia, illicita sunt: concumbere enim cum muliere non est contra huiusmodi naturam, & tamen illicitum est. Similiter dico de lege: quia est naturalis & scripta: & naturalis videtur sicut & natura. Vnde contra aliquam naturam est, & contra aliquem modum naturalem non est. Sed contra scriptam non fuit: quia nec adhuc fuit data. Et hoc modo intelligit Augustinus. Vnde patet, quòd ex hoc non probatur, quòd simpliciter licuerunt, sed potius ex causa & dispensatione diuina.

ARTICVLVS VIII.

An concubitus Loth cum suis filiabus licuit?

DEinde quæritur de hoc quod dicit [Filiæ Loth patre ebrio vsæ sunt, &c.] Exemplum inconueniens videtur: quia matrimonio filiæ patri non coniungebantur: ergo non est ad propositum.

2 Item videtur esse falsum: quia vinum immoderatè sumptum constringit libidinem: ergo ebrietas tollit libidinem: ergo patre ebrio vti non poterant.

3 Item,

3 Item, Impossibile erat eum coire nisi ad imaginationem: ergo imaginatio præsentauit sibi mulierem: ergo videtur falsum quod dicit in litera Genes. quòd non sensit, nec quando surrexit.

Solutio. Responsio. Dicendum, quòd simile est quoad intentionem facti, non quoad facti substantiam: quia intentione conceptus non libidinis, patri coniungebantur: & ideo excusantur non à toto, sed à tanto. Alij autem patres à toto excusabant: Ambrosius vocat Loth sanctum: sed hoc referendum est ad pœnitentiam per opera sequentia.

Ad aliud dicendum, quòd ebrietas est excessus briæ: est enim bria (vt dicit Haymo super Apoc.) ciphus in quo homo bibere consueuit, & excessus mensuræ quæ bria dicitur. Vel bria dicitur ebrietas: & hoc fit dupliciter, scilicet enormiter, aut moderate. Enormiter fit quando nimius vini humor impedit digestionem, & nimius vapor obstruit meatus imaginationis & rationis: & hæc ebrietas abscindit coitum. Alia autem est moderata, scilicet quando calor vini eleuat spiritus & sanguinem subtilem sursum, sed non oppilat meatus: sed tamen forti motu delet stabilitatem imaginum & confundit, ita quod ea quæ sunt coram oculis, duplicari videntur: & clausis oculis multa occurrunt quasi somnia confusa: & hæc non abscindit coitum, imo incitat ad eum ex calido, & ministrat materiam ex humido, & ex multiplicatione motus sursum in spiritu animali confundit discretionem: & tamen remanet imaginatio non certa. Et talis fuit ebrietas Loth: vnde quod non sensit, intelligendum est, quòd sensit quidem mulierem in genere, non autem discreuit, vtrum hæc vel illa, nec vtrum esset imago vel veritas. Et per hoc patet solutio ad ambo quæsita.

ARTICVLVS IX.

Vtrum antiquorum coniugia nostrorum æquentur virginitati?

Deinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Cùm illorum coniugia, nostrorum æquentur virginitati] De hoc Augustinus dicit lib. de bono coniug. c. 23. Res ipsas si comparemus, nullo modo dubitandum est meliorem esse castitatem continentiæ, quàm castitatem nuptialem, cum tamen vtrumque sit bonum. Homines vero cum comparamus, ille est melior, qui bonum amplius quàm alius habet. De hoc quære in tractatu de virtutibus quæst. de continentia, vbi plurima dixi & disquisitè: & dependet solutio tota ab auctoritate inducta.

ARTICVLVS X.

An immoderatus vsus nostri temporis fere imitetur turpitudinem fornicationis temporis antiquorum?

Deinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Immoderatus vsus coniugij nostri temporis, imitetur fere turpitudinem fornicationis illius] Videtur enim falsum: quia fornicatio illius temporis fuit mortale peccatum, sed vsus matrimonij nunquam.

Responsio. Dicendum, quòd loquitur quantum ad intentionem contrahentium vt in pluribus, qui temporibus istis contrahunt propter infirmitatem libidinis: tunc autem non commiscebantur nisi causa suscipiendæ prolis. Similiter fornicantes conueniunt causa libidinis, & non causa suscipiendæ prolis. Vnde est quædam similitudo in intentione, & non in facto. *Solutio.*

ARTICVLVS XI.

Qualiter Patriarchæ & Apostoli delectabuntur profectu religionis?

Deinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Sicut Apostoli auditoribus admirantibus] Videtur, quòd nihil sit simile: quia omni homini congaudendum est in bonis, & hoc gaudium est honestum & pulchrum: sed delectatio coitus semper est turpis: ergo nihil est simile quod inducit.

Responsio. Dicendum, quòd simile est quoad hoc quod vltima intentio delectabat in vtrisque in profectu religionis: sed actus profectus fuit differens: ibi enim fuit per carnem, hic autem per spiritum: sed tamen hîc & tunc similiter in vno delectabantur Patres Veteris & Noui Testamenti. Hîc autem tota ponenda esset quæstio de continentia, & de statibus eius, & de comparatione statuum: & hæc notata est ante in tractatu de virtutibus cardinalibus, & ideò hîc omnino transeo ipsam. *Solutio.* In 3. dist. 33.

ARTICVLVS XII.

An difficilius fuit continere temporibus antiquis, quam his temporibus?

Deinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Qui multo facilius continere possent & vellent, &c.] Circa difficile enim & bonum est omnis ars & virtus: cum ergo virtus sit circa continere, difficilius erat continere, quam contrahere.

Ad hoc dicendum, quòd est difficultas ex parte sensualitatis: & de illa procedit obiectio. Est etiam difficultas causata secundum rationem ex vi honestatis, sicut difficile est iusto peccare: & de illa loquitur in litera. *Solutio.*

ARTICVLVS XIII.

An sub diuersis legibus eodem modo excusabantur qui habebant plures vxores?

Deinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Considera primum, quòd Abraham ante legem, &c.] Videtur enim, quòd hæc causa nulla est: quia etiam sub lege plures mulieres habue

habuerunt ſicut in principio Regum Elcana & Dauid habuit,& alij plures : patet ergo, quòd nulla eſt cauſa illa.

2 Item, Lex ſcripta non eſt niſi explicatio legis naturalis ; ergo non excuſat, quòd non peccauit in legem ſcriptam : quia peccaſſe potuit in legem naturalem.

Solutio. AD HOC dicendum, quòd non dicit hoc propter excuſationem Abrahæ, ſed propter ſtatum temporis : quia tunc indiguit multiplicatione materiali : & ideo familiari conſilio Spiritus ſancti (inquit) plerique plures habuerunt. Et per hoc patet ſolutio ad ſecundum.

AD PRIMVM dicendum, quòd ante legem tempore Abrahæ multo pauciores erant Deum colentes quam ſub lege : & ideo plus excuſabantur, & magis rationabilis fuit diſpenſatio.

ARTICVLVS XIV.

An concubitus moderatus poſsit abeſſe à libidine?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Quæ tamen modificata, & refrænante, &c.] Videtur enim,quòd nulla modificatio eſt ibi : ſi enim aliqua eſt, illa eſt circa paſſionem circa quam conſiſtit virtus : ſed illa cauſata eſt in vxore vel maior, quanta in meretrice : ergo videtur,quòd non modificetur. Si fortè dicas, quòd modificatur & refrænatur ab aliis, & non in intenſione ipſius paſſionis,quæ eſt delectatio.Contra:In gula video bene etiã,quòd in vnico cibo ardenter delectari eſt vitium gulæ, ſicut patet in Eſau, qui propter vnam eſcam vendidit primogenita ſua Gen.25.& Hebr.12. Ergo cum luxuria in genere maius ſit peccatum, quam gula,videtur etiam luxuria eſſe vbi ſit delectatio vehemens in vna muliere.

Solutio. AD HOC dicendum, quòd refrænatio fit in duobus,ſcilicet in obiecto : quia coarctatur ad vnam, & fit refrænatio in circunſtantiis, ſcilicet vt cognoſcat quam oportet, & quando, & vbi, & quantum, &c. quæ rhetor deminat.

AD OBIECCVM contra, dicendum quòd nimia illa delectatio incidit ex natura corrupta, & non ex ratione præordinante : ſed in gula eſt intenta delectatio talis : & ideò alius peccat,& alter non.

ARTICVLVS XV.

An gula ſit bene definita?

DEinde quæritur ratione huius quod dicit *ibi* [Quod autem in ſuſtentando vitam licitus eſt cibus, &c.] Quæritur inquam hîc de gulæ ſpeciebus,& filiabus eius. Circa primum quæruntur quinque. Primum eſt,Quæ ſit gulæ diffinitio? Secundum eſt, Vtrum gula ſit carnale vitium? Tertium eſt, Vtrum gula ſit circa delectabile guſtui,inquantum eſt guſtus, vel inquantum eſt quidam tactus? Quartum eſt, Vtrum omnis motus gulæ ſit peccatum? Quintum, Vtrum gula ſit capitale vitium?

AD PRIMVM ſic proceditur, & videtur, quòd diffinitio Hugonis de ſancto Vict. Gula eſt immoderatus appetitus edendi, ſit incompetens:gula enim non ſolum committitur circa quantitatem cibi ſicut dicit,ſed etiam circa alia, vt quando nimis ſtudiosè, vel ardenter quæritur : immoderatio autem dicit exceſſum quantitatis : ergo non complectitur rationem gulæ.

2 Item,Ea quorum conceptio eſt cum materia, debet in eorum diffinitione poni materia,vt dicit Philoſophus, cuiuſmodi ſunt omnia naturalia : ſed gula habet determinatam meteriam : cum ergo materia non ponitur in diffinitione eius, videtur diffinitio eius incompetens.

3 Sed videtur, quòd gula ſit tantum circa quantitatem. Contraria enim habent fieri circa idem : ſed medium ſobrietatis cui contrariatur gula,vt vult Philoſophus, determinatur ſecundum quantitatem quoad nos : ergo & gula erit ſolum in exceſſu quantitatis.

4 Item, Inſenſibilis qui deficit in appetitu cibi, non habet moderatum appetitum edendi,quia non peruenit ad medium, nec eſt moderatus : ſed non eſt guloſus : ergo immoderatus appetitus edendi non eſt diffinitio gulæ.

5 Item, Gregor. ponit ſub vno capitali ebrietatem quæ conſiſtit in potu, & gulam quæ eſt ſpecialiter in cibo:& illud capitale hîc diffinitur: ergo debuit poni vtrumque,ſcilicet edendi,& bibendi.

6 Item, Nihil appetit ſuam corruptionem : ſed ſicut dicit Gregor. Dignitas conditionis humanæ per immoderantiam ſauciatur : ergo non poteſt eſſe immoderatus appetitus.

7 Item, Peccatum, vt dicit Auguſtinus, corrumpit modum, ſpeciem, & ordinem : ſed gula peccatum quoddam eſt : ergo non debet ſolum diffiniri per corruptionem modi, ſed etiam aliorum.

8 Item, Sicut dicit Gregor. non refert quid vel quantum ſumatur : ſed immoderatus appetitus reſpicit quid vel quantum ſumatur : ergo de eo non refert : ſed de gula refert,quia vitium eſt;ergo non erunt in vno appetitu edendi.

9 Item, In diffinitione perfecta non ſufficit dicere quid eſt, niſi dicatur propter quid, vt dicit Philoſophus in lib. poſteriorum : ſed in dicta diffinitione propter quid ſit immoderatus appetitus non dicitur : ergo diffinitio imperfecta.

10 Item, In naturali appetitu pauci vel nulli delinquunt : in gula autem multi delinquunt; ergo non eſt gula immoderatus appetitus edendi.

11 Item,Sicut dicit Auguſtinus. Populus in eremo non peccauit, quia deſiderauit, ſed quia ex deſiderio blaſphemauit : ſed conſtat, quòd immoderatè appetiit, vnde dicitur textu,quòd populus flagrabat deſiderio carnium: ergo immoderatus appetitus non eſt peccatum:

tum : gula autem est peccatum : ergo non est immoderatus appetitus edendi.

12 Item, Ille qui ignorat in quanto consistat debitus modus, potest appetere immoderatè: non tamen est gulosus : ergo diffinitio est in plus, quam diffinitum.

13 Item, Ille qui prouocat verbis aliquos ad edendum, gulosus dicitur : non tamen forte appetit immoderatè : ergo diffinitio non conuenit omnibus de quibus dicitur diffinitum.

14 Item, Gulosus non solum delectatur in edendo, sed etiam in bibendo & odorando: ergo etiam ista debet continere diffinitio.

15 Item, Naturalis & moralis sunt scientiæ distinctæ abinuicem : sed gula cum sit vitium, pertinet ad moralem, appetitus autem pertinet ad naturalem : ergo gula non debet diffiniri per appetitum.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd gula dupliciter potest considerari, vel in actu, vel in habitu: & dicta descriptio datur de ea secundum quod est in actu, quia sic nituntur Sancti diffinire vitia. Vnde appetitus sumitur hic pro appetitu in actu, & determinatur per proprium actum gulæ qui est edere, quod est actus supra materiam determinatam, scilicet cibum : & sic debet dari diffinitio actus. Sed quia gula est actus vitiosus, & malum specificatur inquantum est malum, ex corruptione oppositi habitus, ideò completè manifestatur & quantum ad rationem actus, & quantum ad rationem vitij.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd modus dupliciter dicitur. Vno modo secundum mensuram quantitatis : & hoc modo non priuatur hîc. Alio modo secundum determinationem ad medium secundum omnes circunstantias in quibus saluatur medium : & sic modus substantialiter est ipsa virtus, & sic priuatur hîc.

AD ALIVD dicendum, quòd materia determinata includitur in actu edendi qui ponitur in diffinitione gulæ: & ideo non oportet vlterius addere.

AD ALIVD dicendum, quòd Philosophus non intelligit, quòd medium virtutis determinetur secundum quantitatem rei in se, quia sic esset simpliciter medium rei: sed prout stat sub appetitu, & sic determinatur quoad nos saluatis circunstantiis omnibus secundum proportionem appetitus : vnde corrumpitur medium non solum per quantitatem, sed etiam si plura appetat quam oporteat, vel non oporteat : & similiter est de aliis circunstantiis.

AD ALIVD dicendum, quòd insensibilis licet non habeat moderatum appetitum, non tamen habet immoderatum : quia non appetit. Negatio autem composita non fertur vltra terminum cui adiungitur : vnde remanet appetitus affirmatus.

AD ALIVD dicendum, quòd potus nunquam propter se appetitur, sed propter deferendum cibum per membra : & ideo in diffinitione capitalis vitij non debuit poni, sed tantum finis vltimus.

AD ALIVD dicendum, quòd licet nihil appetat suam corruptionem, potest tamen appetere id quod propriam naturam corrumpit, non tamen inquantum corrumpit, sed inquantum est apparens bonum : vnde est fallacia accidentis.

AD ALIVD dicendum, quòd non priuatur hic modus prout diuidit bonum naturale contra speciem & ordinem, sed prout respicit mensuram circunstantiarum secundum determinatum medium: & sic substantialiter est ipsa virtus, & continet illa tria.

AD ALIVD dicendum, quòd non differt quid vel quantum sumatur secundum quod est in re, sed secundum quod refertur ad desiderium, & sic quod moderatus appetitus appetit, respicit priuatio.

AD ALIVD dicendum, quòd licet materia ex qua aliquid fit, non incidat in manu cum aliis : tamen circa quam est actus, est finis & mouens secundum metaphoram : & ideo ex determinatione propriæ matetiæ siue obiecti determtnatur propter quid.

AD ALIVD dicendum, quòd in his quorum appetitus est naturalis, pauci vel nulli decipiuntur, secundum quod eorum naturalis est appetitus : tamen simpliciter loquendo circa illa multi possunt decipi : quia, sicut dicit Philosophus, in communibus secundum quod est eorum appetitus naturalis apud omnes, non multum priuantur, sicut circa hoc quod desideratur cibus ad nutrimentum corporis: sed in propriis quæ quilibet appetit secundum suam concupiscentiam, est peccatum, vt desiderare propter dulcedinem, vel aliquid tale, quod non est commune, sed proprium concupiscenti secundum gulam.

AD ALIVD dicendum, quòd desiderando carnes in se non peccauit populus in earum desiderio : sed secundum statum sub appetitu qui allicitur quibusdam propriis superadditis ad communia: peccauerunt enim, quia tam ardenter desiderauerunt, vt eis desiperent cibaria Domini, & Deum contemnendo blasphemauerunt.

AD ALIVD dicendum, quòd licet ignorans non seruet modum, non tamen corrumpit modum, quia non vult aliquid contrarium modo : immoderatus autem dicit corruptionem modi.

AD ALIVD dicendum, quòd ille qui prouocat verbis ad gulam, gulosus dicitur : prouocat enim ad hoc, vt sint similes sibi : sed ex hoc quod prouocat, non reducitur ad gulam sicut species ad genus, sed per reductionem principij, sicut punctum ad lineam. Vnde non oportet vt secundum hoc conueniat sibi diffinitio gulæ, sicut nec diffinitio lineæ puncto.

AD ALIVD dicendum, quòd gulosus non delectatur in colore & odore propter se, sed refert totum ad delectationem quæ est secundum gustum : sicut dicit Philosophus in fine primi ethic.

AD ALIVD dicendum, quòd sicut moralis potest considerare partes animæ vsque-quo : sicut & medicus considerat naturam oculi vt sciat curare infirmitatem. Similiter autem hæc consideratio pertinet ad naturalem. Potest enim appetitus dupliciter consi-

derari : vel ſecundum quod eſt pars animæ quæ eſt perfectio corporis naturalis,& ſic ſpectat ad naturalem conſideratio eius:vel ſecundum quod comparatur ad proprium obiectum virtutis,vel in ordinationem oppoſitam, & ſic poteſt ipſum conſiderare moralis.

ARTICVLVS XVI.

An gula ſit peccatum carnale?

SEcundo quæritur, Vtrum gula ſit carnale peccatum? Et videtur, quòd ſic: quia dicit Ambroſ. Peccatum vbi oritur,ibi moritur: ſed ſicut dicit Bernard. Ieiunium ſanat peſtes corporis:cum igitur gula ſanetur ieiunio, videtur eſſe peſtis corporis & oris in carne: & ſic eſt carnale peccatum.

2 Item, Illud peccatum dicitur carnale, quod efficitur in carne: ſed ſicut dicitur in collationibus patrum, efficientia quorundam peccatorum conſummatur in carne, vt gula, & luxuria, & quorundam non: ergo gula eſt peccatum carnale.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius eſt, quod dicit Apoſtolus 1.Corinth.6.Omne peccatum quodcunque fecerit homo, extra corpus eſt:& excipit ſolam fornicationem. Gloſſ. extra corpus, id eſt, extra vinculum carnalis concupiſcentiæ. Inde ſic:Nullum peccatum carnale,eſt extra vinculum carnalis concupiſcentiæ: ergo gula non eſt peccatum carnale.

2 Item,Appetere non eſt corporis,ſed animæ: ſed gula diffinitur per appetitum, vt dictum eſt: ergo non eſt peccatum carnale.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd tripliciter dicitur eſſe peccatum carnale. Aut quia habet primam originem ex carne: & ſic omne peccatum in nobis eſt carnale,etiam infidelitas,quia primam originem ex corruptione carnis per peccatum originale contraxit. Dicitur etiam carnale peccatum, quod non perficitur ſine aliquo actu vel motu corporali,licet etiam habeat obiectum ſpirituale: & ſic dicitur ira etiam peccatum carnale, quia ira non fit ſine ebullitione ſanguinis & alia carnali paſſione. Sed infidelitas ſic non eſt corporale vel carnale peccatum: quia conſiſtit ex toto in actu mentis. Dicitur etiam carnale peccatum, cuius obiectum eſt delectabile carni, in cuius coniunctione perficitur delectatio:& ſic diuiditur contra ſpirituale peccatum, cuius obiectum eſt ſpirituale,ſicut ira appetit vindictam, & odium, & ſuperbia,& ſimilia. Et ſic dicitur carnale gula & luxuria: quarum gula eſt circa delectabile guſtui, quia ordinatur ad conſeruationem indiuidui: & luxuria circa delectabile tactui, quia ordinatur ad conſeruationem ſpeciei.

AD HOC ergo quod opponitur primo in contrarium, dicendum quòd ſola luxuria dicit peccatum in corpus, quia per eam diuiditur corpus, & non per gulam, licet vtrumque ſit circa delectabile corporis. Ad Gloſſ. vero dicendum, quòd vinculum dicitur à vinciendo: vnde gula dicitur eſſe extra vinculum carnalis concupiſcentiæ, quoniam ratio in delectatione gulæ non ita vincitur & ſubruitur ſicut à delectatione luxuriæ propter ſui vehementiam.

AD SECVNDVM dicendum, quòd licet gula initietur in actu animæ,tamen completur in actu carnis & circa obiectum carnale, & ob hoc dicitur carnale.

ARTICVLVS XVII.

An gula ſit delectabile guſtui?

TErtio quæritur, Vtrum gula ſit circa delectabile guſtui,inquantum eſt guſtus,vel inquantum eſt tactus quidam? Si enim aliqua duo opponuntur vni, oportet quòd ſecundum aliquod vnum ſibi opponantur, quod ſit circa illud circa quod eſt ſuum oppoſitum,quia oppoſita nata ſunt fieri circa idem, & vnum vni opponitur eodem modo oppoſitionis:ſed temperantiæ opponitur gula & luxuria: oportet ergo, quòd temperantia ſit circa delectabilia tactus: ſi ergo gula ſit circa delectabilia guſtus, erit hoc inquantum eſt guſtus quidam tactus.

2 Item, Sicut dicit Philoſophus, gula eſt circa cibum non inquantum eſt circa delectationem ſaporis tantum, ſed ſecundum quod refertur ad vſum aliquem qui guſtat ciborum ſapores: & in hoc delectari dicitur guloſus: ſed cibus non refertur ad vſum nutrimenti niſi ſecundum obiecta tactus in calido, frigido, humido,ſicco:quia ex his conſtituitur corpus, & ſicut Philoſophus dicit,ex eiſdem nutrimur, ex quibus ſumus: ergo gula eſt circa guſtum inquantum eſt quidam tactus.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius eſt, quod dicit Chryſoſt. Regio gulæ diuiditur in duo, ſcilicet linguam, & palatum: ſed obiecta tactus non appropriantur ſolis his partibus,imo ſunt communes omnibus partibus corporis: ergo gula non eſt circa guſtum vt eſt tactus, ſed prout condiuiditur ſibi.

2 Item, Sicut dicit Philoſophus, amicus dulcis diligit vinum,non quia vinum, ſed quia dulce: ſed maximè guloſus videtur amicus dulcis: ergo diligit & delectatur in cibo, quia dulcis: ſed dulcedo eſt proprium obiectum guſtus: ergo circa huiuſmodi eſt gula.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd gula eſt circa guſtum prout eſt tactus quidam: non enim ſolum quærit delectari in cibo, prout eſt delectabilis ſapor, ſed prout venit in vſum nutrimenti: & hoc non conuenit niſi ſecundum obiecta tactus. Et rationes ad hoc concedimus.

AD ID vero quod primo obiicitur in contrarium, dicendum quòd gula eſt non ſimpliciter circa cibum ſecundum quod eſt conueniens ad nutrimentum membrorum,ſed oportet quod cognoſcatur conueniens:hoc autem fit illis duabus partibus, & ideò appropriantur gulæ.

AD SECVNDVM dicendum, quòd dulcedo cibi delectat propter conuenientiam cibi: conueniens autem eſt ſecundum obiectum tactus: & ideo circa huiuſmodi eſt gula.

ARTICV

ARTICVLVS XVIII.

An omnis motus gulæ sit peccatum? & an semper gula sit peccatum mortale? & an gula sit magis peccatum quam luxuria?

QVarto quæritur, Vtrum omnis motus gulæ sit peccatum? Videtur, quòd sic: quia sicut dicitur in secundo sententiarum, omnis tentatio à carne est peccatum: sed in quolibet motu gulæ est tentatio à carne: ergo quilibet motus gulæ est peccatum.

2 Item, Omnis appetitus in delectatione luxuriæ, est peccatum, adeò vt siquis accedat ad vxorem propter delectationem, peccat: sed omnis appetitus gulæ est propter delectionem cibi: ergo omne tale est peccatum.

Quæstiuncula 1. VLTERIVS quæritur, Vtrum gula semper sit mortale peccatum? Et videtur, quòd sic. In peccato enim contingit triplex esse mouens: aut quando natura præit & libido sequitur: aut quando mouent simul, ita quòd non discernitur quid primo moueat: aut quando libido præcedit, & natura sequitur. Sed quando natura præcedit & libido se immiscet, est peccatum veniale: ergo videtur, quòd quando libido præcedit & natura sequitur, quòd sit mortale: & hæc sit ratio iudicandi aliquid mortale in gula: & hoc multoties contingit.

2 Item, Actus excellentia corrumpit medium: sed maximè est actus excellentia, quando interdicitur ratio, quod fit quando libido præit & natura sequitur: ergo tunc corrumpitur medium virtutis: sed non corrumpitur nisi per peccatum mortale: ergo erit secundum prædictam regulam semper peccatum mortale.

3 Item, Omnis abundantia corrumpit medium: sed gula est semper abundantia consistens, alioquin non esset vitium semper: ergo corrumpit medium virtutis, & ita semper est peccatum mortale.

4 Item, In actibus hominum nihil potest turpius esse, nisi quando mouens est turpe, materia turpis, & finis turpis: sed quando libido præcedit, mouens est turpe, scilicet libido: & finis, quia propter delectationem: & etiam materia siue obiectum, quia circa bonum commutabile: ergo nihil potest esse turpius: ergo est peccatum mortale.

Quæstiuncula 2. VLTERIVS quæritur, Quid sit maius peccatum, an gula, vel luxuria? Et videtur, quòd gula: quia sicut dicit Philosophus, id ad quod magis inclinati sumus, magis contrariatur medio: sed magis inclinati sumus ad delectabilia gulæ, quam ad delectabilia luxuriæ, quia sine illis esse non possumus: ergo gula magis contrariatur medio virtutis, quam luxuria.

2 Item, Sicut dicit Augustinus, vbi est maior corruptio, ibi est minus peccatum: sed magis corrupta est generatiua, quam nutritiua, quia generatiua est etiam infecta: ergo cum luxuria sit circa generationem, gula circa nutritionem, luxuria erit maius peccatum.

Sed contra. SED CONTRA: Vbi est necessitas maior, ibi est minus peccatum: sed maior necessitas incumbit circa delectabilia gulæ, quam circa delectabilia luxuriæ: ergo gula est minus peccatum.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd gula est semper peccatum, non tamen semper est mortale: nec etiam quandocunque præcedit libido & sequitur natura, est peccatum mortale: hoc enim contingit quotiescunque aliquis appetit cibum solum propter delectationem, vel intendens aliquam vtilitatem, vel animæ, vel corporis: quod multoties contingit sine peccato mortali. Sed ad sciendum regulam, qua possumus iudicare quando est mortale, & quando veniale, notandum est, quòd ad determinationem medij in quo consistit medium sobrietatis, tria requiruntur, scilicet ratio determinans, & medium determinatum, & id respectu cuius determinatur, scilicet virtus nutritiua, vt scilicet tantum sumatur, quantum potest conuertere virtus naturalis, & quantum potest sufficere vt conseruetur in suo esse & in suo vigore, & in comparatione ad opus quod debet exercere. Similiter medij corruptio potest secundum ista tria attendi: potest enim esse corruptio medij secundum se, & secundum hoc non potest attendi ratio peccati quin lateat quantum sit determinatum medium: vnde potest corrumpi hoc modo medium salua recta ratione. Si autem attenditur corruptio medij penes id cuius proportione determinatur: si per intellectum separetur determinatio rationis, secundum hoc erit peccatum in natura quæ generatur ex superfluitate vel diminutione cibi. Restat ergo, quòd regula peccati sumatur quando corrumpitur medium ex parte rectæ rationis: ratio autem regulatur ad determinandum medium, vel rationibus naturalibus determinando medium secundum proportionem virtutis nutritiuæ: & si corrumpatur secundum hoc, erit peccatum in natura, sicut & præmium: vel rationibus ciuilibus, vt scilicet determinetur medium in cibis per circunstantias ciuiles, quas decet obseruari in conseruatione ciuium, vt scilicet quando & vbi & quantum oportet secundum conditionem suam & secundum opus suum: & secundum hoc etiam est iterum vitium ciuile in corruptione medij, & non secundum theologum qui considerat rationem peccati secundum comparationem ad reatum diuinæ vltionis. Aliquando verò regulatur rationibus diuinis ad determinandum medium: vt quando determinat minus sumendo, quam requirat virtus naturalis secundum vigorem suum, licet non subtrahat ei quo indiget ad sustentationem esse: vel propter satisfactionem pro peccato, quia cum additione necessarij simul augetur concupiscentia, vel etiam propter aliquod statutum. Et in hoc considerato est mensura peccati: quando enim ratio determinat medium contra præceptum, est peccatum mortale: quando vero non est præceptum contrarium, sed præter præceptum determinat, est veniale peccatum. Et hoc est vniuer-

saliter

ſaliter tenendum in omnibus in quibus poteſt eſſe mortale & veniale peccatum. Prima duo obiecta concedimus.

Ad qu. 1. AD ALIVD autem dicendum, quòd non, quandocunque moueat libido propter delectationem, eſt mortale peccatum: licet enim præcedat libido, non tamen natura vſquequaque ſequitur, vt ponat finem ſuum in illa delectatione, ſed adhuc poteſt regulari, licet ſequatur aliquo modo libidinem. Similiter ad ſequens dicendum.

AD ALIVD dicendum, quòd propter hoc quod latet medium, ſufficit eſſe propriè medium, quantumcunque aliquo modo diſceditur à medio, ſed quando perfectè diſceditur ab ipſo in contrarium.

AD ALIVD dicendum, quòd finis non eſt ſimpliciter turpis: quoniam delectatio cibi non ponitur finis vltimus in quo quieſcatur vt auertatur à Deo, ſed turpior eſt quando ponitur vltimus finis.

Ad qu. 2. AD ID quod vlterius quæritur, dicendum quòd gula eſt minus peccatum, quam luxuria. Et quod obiicitur, Id ad quod magis inclinati ſumus, &c. dicendum quòd dicitur contrariari magis medio, non quia magis differt à medio, ſed quia magis impedit ne perueniatur ad medium, & propter hoc eſt minus peccatum.

AD ALIVD dicendum, quòd generatiua dicitur infecta & magis corrupta propter vehementiam delectationis: ſed talis corruptio inducit infirmitatem: & ideo non excuſat à peccato, vt vult concluſio.

ARTICVLVS XIX.

An gula ſit vitium capitale?

QVinto quæritur, Vtrum gula ſit capitale vitium? Et videtur, quòd non: quodcunque enim vitium quod reducitur ad aliquod ante ſe, non eſt capitale: ſed gula eſt huiuſmodi: ergo non eſt capitale vitium. Probatio mediæ. Si duo opponuntur vni, oportet eſſe aliquod commune ad illa ſecundum quod opponantur, vnum enim vni opponitur: ſed temperantiæ opponitur gula & luxuria: ergo oportet eſſe ad hoc commune vnum vitium ad vtrumque, quod erit prius vtroque, eò quod commune prius eſt proprio.

2 Item, Sicut dicit Commentator ſuper quartum ethic. Fekes eſt, qui auidus ab omni incontinens delectabile venatur: ſed incontinentia quæ eſt circa quodlibet delectabile, prior eſt ea quæ eſt circa aliquod delectabile determinatum, cuiuſmodi eſt gula: ergo non eſt capitale vitium, cum habeat aliquid prius ſe.

3 Si dicas, quòd gula non habet aliquod vitium in re ante ſe, ſed ſolum ſecũdum rationem: hoc autem non aufert ſibi rationem capitis. Contra: Quæcùnque ita ſe habent, quòd cadunt ſub voluntate ſecundum maius & minus, illa poſſunt ſeparari ſecundum actum rationis quam ſequitur appetitus, & circa illa eſſe diuerſa in ordinando actum voluntatis: ſed concupiſcentia in toto minus eſt voluntaria, vt dicit Philoſophus, quam in parte, pauci enim vel nulli deſiderant concupiſcere: ſed ea in quibus determinatur concupiſcentia, vt cibos, venerea, multi deſiderant: ergo circa concupiſcentiam in toto & in parte poteſt eſſe diuerſa inordinatio voluntatis, & ita diuerſum vitium in re, & non ſolum in ratione: & ſic ſequitur id quod prius.

4 Item ſuper id Pſalm. Qui percuſſit primogenita Ægypti: dicit Gloſſ. Primogenita Ægypti ſunt gula & luxuria, quæ primo venter generat: ſed venter non accipitur pro re naturæ, quia ex hoc non per ſe generatur malum: ſed oportet ſumi pro aliquo vitio ventris: quod non eſt gula, quia nihil generat ſe, ſed prius eo: ergo gula non eſt capitale vitium.

5 Item ſicut dicit Iſidor. Ex gaſtrimargia generatur ebrietas & comeſſatio quæ eſt gula: ergo gula non eſt capitale vitium, quia generatur.

Sed contra. SED CVM contraria ſunt quæ maximè diſtant, iſtud vitium eſſet contrarium, cuius actus intenſiſſimus eſt in corruptione medij: huiuſmodi autem actus eſt circa intenſiſſimum delectabile, quod non eſt delectabile in communi, ſed magis delectabile proprium: ergo vitium capitale non erit vitium quod eſt circa delectabile, ſed potius gula quod eſt circa delectabile cibi.

2 Item, Sicut dicit Commentator ſuper ethic. gaſtrimargia dicitur à gaſtir quod eſt venter, & margelo quod eſt inſania. Inde gaſtrimargia quaſi ventris inſania: ſed inſania dicit appetitum vehementem qui non ſubiicitur regimini rationis: talis autem appetitus non poteſt eſſe niſi circa delectabile ventris determinatum, quoniam delectabile in communi, non habet perfectam rationem delectabilis: ergo gaſtrimargia non eſt commune vitium, ſed idem quod gula: cum autem ſit capitale vitium, gula etiam eſt capitale vitium.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd gula eſt capitale vitium: & rationes ad hoc, concedimus: de ratione enim capitalis vitij eſt, quod habet obiectum continens completam rationem delectabilis, ita quod non oporteat referre in aliud, ſed ponitur tanquam finis appetitus quo peruersè fruatur, ad cuius conſecutionem etiam alia in cauſa conuocentur: ſicut vnus princeps in exercitu conuocat ſubditos ſibi in auxilium ſuum, & etiam alios principes: ad cuius ſimilitudinem dicitur caput in vitiis: & hoc totum conuenit gulæ.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd gula non reducitur in aliquod vitium prius quod habet completam rationem delectabilis in ſuo obiecto, ſed in aliquid quod eſt prius ſecundum rationem: & hæc reductio cum non ſit in caput, ſed in genus, non tollit rationem capitis.

AD SECVNDVM dicendum, quòd fekes eſt vnus modus incontinentiæ de ſeptem quos enumerat: non tamen eſt capitale vitium, ſed nec plures ex aliis modis ibi enumeratis.

AD ALIVD dicendum, quòd licet contingat eſſe aliquod vitium quod deordinet

voluntatem

voluntatem circa delectabile in communi: tamen huiusmodi delectabile non habet perfectam rationem delectabilis. Delectatio enim sensibilis est generatio in sensibilem animam, sicut dicit Philosophus, circa quam est gula: perfecta autem delectatio non est nisi in actu coniunctionis conuenientis ad sibi conueniens: actus autem singularium sunt & maximè sensibilis animæ. Vnde delectatio potest esse perfecta duobus modis: aut quia præcedit actum sicut est delectatio spei, aut quia obiectum est commune, & indiget additione vt fiat singulare, & perficiatur in eo desiderium & delectatio: & ideo illud vitium quod erit circa delectabile in communi, non poterit esse capitale, sed potius est circa delectabile determinatum, vt est gula, & luxuria.

Ad alivd dicendum, quòd venter accipitur pro habituali concupiscentia ventris, ex qua oriuntur illa sicut in causa, non sicut in capite, sed sicut ex radice.

Ad alivd dicendum, quòd gastrimargia idem est quod gula, & comessatio non dicitur gula in communi, sed filia eius: est enim comessatio in conuiuiis, quæ fiunt quando quilibet ponit partem suam, vel alio simili modo.

ARTICVLVS XX.

An quinque species gulæ à Gregor. sint bene assignatæ?

Secundo quæritur de speciebus gulæ. Assignat autem Gregor. super 25.Gen. quinque species gulæ, quæ continentur in hoc versu:

Præpropere, laute, nimis, ardenter, studiosè.

Videtur, quòd in hoc quod est nimis comedere, non sit aliqua species gulæ: quia sicut dicit Tullius in lib.de officiis quatuor determinant, scilicet natura, ratio, fortuna, & voluntas: sed natura non est eadem in omnibus, vt penes eam possit determinari quantitas cibi, quia quod vni est nimis, est alij parum: ratio autem sequitur naturam, nec est contraria sibi: nec sunt etiam omnes homines vnius fortunæ, quia vnus est diues, & alter pauper: nec etiam est eadem voluntas: ergo circa hoc quod est nimis, non est vitium gulæ, cum non sit ibi aliquis modus determinatus.

2 Item, Sicut dicitur in collationibus patrum, ieiunium est indifferens: cum ergo suum oppositum consistat in nimis comedere, non est vitium.

3 Item, Culpa & pœna differunt: sed nimis comedere est pœna, & quoad naturam quæ grauatur, & quoad res quæ expenduntur: ergo non est culpa: & ita vere non est sub specie culpæ.

4 Item videtur, quòd circa hoc quod est præpropere, non sit aliqua species gulæ: diuersi enim diuersis horis appetunt cibum, & sine vitio, vel ex natura, vel ex consuetudine: vt legitur in itinerario Clemẽtis de Clemente, quòd quando venit ad Petrum, appetebat cibum ante diem, quia ita consueuerat cum nautis: nec tamen reprehenditur: ergo videtur, quòd non sit tempus determinatum sumendi cibum, quod anticipare sit vitium.

5 Item, Aut tempus ex cuius anticipatione est vitium, determinatur à natura, aut ab Ecclesia: sed non à natura, quia diuersorum natura in diuersis temporibus cibum exigit: nec etiam ab Ecclesia videtur posse determinari, quia non est determinatum per aliquam Scripturam, & maximè quod non conuenit naturæ: ergo videtur nullo modo esse determinatum tempus, & sic idem quod prius.

6 Item videtur, quòd circa hoc quod est lautè, non sumatur aliqua species gulæ: lautè enim idem est quod lautè comedere, quod fit pro munditia quæ requiritur circa cibum: sed munditia non est vituperabilis: vnde Dominus multoties in Veteri Testamento præcepit sanctificationem: ergo circa hoc non est aliqua species gulæ.

7 Item videtur circa hoc quod est ardenter, quòd non sit aliqua species gulæ: illud enim quod non est in potestate nostra, non est vitium: sed ardenter appetere cibum, non est in potestate nostra, sed vel est ex infirmitate, sicut amboliſmo, & tunc potius est pœna quam culpa: vel etiam ex vigore caloris naturalis: ergo circa hoc non est gula.

8 Item videtur, quòd circa omnia ista simul non sit gula: sicut enim dicit Augustinus, omnis humana peruersitas est frui vtendis, vel vti fruendis: sed contingit omnia ista concurrere, nec tamen fruitur aliquis vtendis: ergo etiam nec erit peruersitas aliqua: ergo circa hoc non erit gula.

Responsio. Dicendum, quòd prædicta sunt species & modi accidentales gulæ: & gula diuiditur per ea sicut per accidentia: & numerus earum sic potest accipi ex propriis gulæ. Quod enim prouocat ad immoderatum appetitum comedendi, aut est intrinsecus, aut extrinsecus. Si extrinsecus: hoc potest esse dupliciter: vel quia prouocat species ipsius cibi, sicut quando exquiritur inordinatè electus cibus & pretiosus: sicut dicitur Amos 6. Qui comeditis agnum de grege, & vitulum de medio armenti: & sic est lautè. Vel prouocat adiunctum speciei, quod facit ipsum magis appeti, vt sapor, & alia huiusmodi, de quibus Bernard. dicit, quòd deludunt palatum: & sic est studiosè. Si autem prouocat appetitus qui est intra: sic est dupliciter: quia vel est secundum quod præuenit actum, & sic est præpropere: vel secundum quod est in actu edendi: & hoc iterum dupliciter: quia vel est immoderatus appetitus secundum se, vt quando effundit se totum super cibum, & sic est ardenter: vel in comparatione ad obiectum, quia scilicet nimis appetit de cibo, & sic est nimis. *Solutio.*

Ad id vero quod primo obiicitur, dicendum quòd licet propter diuersitates hominum non possit determinari modus in quantitate cibi in particulari: potest tamen determinari in communi, quod erit regula qua potest aliquis dirigi in pluribus vel omnibus: sicut legislator (vt dicit Philosophus) non potest statuendo legem considerare omnia particularia quin in aliquo casu transgrediatur

aliquis

aliquis legem positam sine pœna: sicut si contra prohibitionem ascendat quis murum vt defendat ab hostibus: si enim legislator esset præsens, discerneret hoc esse faciendum: tamen recta ratio potest determinare tribus modis quantitates cibi in particulari, rationibus diuinis, vel ciuilibus, vel naturalibus: & ita transgrediendo modum, peccat circa hoc quod est nimis comedere.

Ad aliud dicendum, quòd ieiunium in se consideratum indifferens est: secundum tamen quod additur sibi aliqua causa ex rationibus diuinis, vt quia fit propter satisfactionem, vel ad reprimendam concupiscentiam carnis, bonum est: secundum vero quod consideratur sine tali causa, sic vituperabile est, & est vitium insensibilitatis, in quo quis diminuitur in cibo.

Ad tertium dicendum, quòd non eadem ratione est nimis comedere culpa & pœna: sed est pœna in comparatione ad effectum, culpa vero prout in se consideratur sine modo debitæ quantitatis ex causa liberè operante.

Ad quartum dicendum, quòd licet non possit determinari tempus quoad omnes in particulari: potest tamen determinari in communi, secundum quod ratione propria regulabitur in sua operatione: & tempus determinatum est in communi hora sexta, sicut dicit Hugo de sancto Vict. super regulam.

Ad quintum dicendum, quòd tempus comedendi inuenitur determinatum in scriptura, vt dicit Petrus Act. 2. Hi vt æstimatis, ebrij non sunt, cum sit hora diei tertia: reputans post horam tertiam conueniens esse tempus sumendi cibum communiter, quod est in hora sexta. Est & determinatum à natura: tempus enim conueniens sumendi cibum, est quando calor euocatus est ad exteriora: tunc enim venter est vacuus, & ventositates & fumi residen, & tunc appetit: tempus autem euocationis caloris ad exteriora, determinatur secundum motus ipsius solis calefacientis. Initium autem motus solis est à meridie cæli, vbi est status solis hora sexta. Si ergo sumatur cibus, cum oporteat ad hoc tempus dari sumptioni cibi & locationi eius in loco digestionis, illo vtique deseruit pro quarta diei naturalis, qua sol mouetur vsque ad punctum Occidentis: sed quia ad hoc quod fiat digestio, oportet congregare calorem interius, qui fuit exterius per calorem solis: & hoc successiuè completur per constrictionem pororum & subtractionem radiorum solis vsque ad terminum alterius quartæ, quando sol est in angulo noctis, scilicet in parte opposita principio sui motus: deinde alia quarta deseruiet digestioni completæ quousque veniat sol ad punctum horizontis. Sed quia nutrimentum digestum necesse est diuidi per membra, quod non potest fieri sine calore deferente ad singula membra: calor autem cum sit motus congregatus non potest deferre nutrimentum per membra nisi euocetur ad extra per calorem solis, ideo quando sol incipit ascendere, calor incipit deferre nutrimentum: & quando sol peruenerit ad medium, completè distribuitur nutrimentum singulis membris: & tunc est hora sumendi cibum, & est hora sexta. Quod vero motus solis incipiat à meridie cæli, probatur per Psalm. 18. vbi dicit, A summo cælo egressio eius: & loquitur ad literam de motu solis. Potest etiam probari astronomicè: quoniam ab illo puncto incipit sol moueri, vbi diuiditur motus solis in arcus æquales: hoc autem non fit in puncto horizontis, vel in Oriente, vel Occidente: quia sic dies & nox semper essent æquales: sed æquantur in puncto meridiei cæli: quia quantum diminuitur in vna quarta diei, tantum additur in quarta noctis: & ideo ibi stabit motus solis. Potest etiam assignari ratio naturalis: quia quando sol incipit diluculo ascendere, calor excitatur & humidum exhalat: & ita quando solis ascensus completur, humidum iam exhalauit, & membra euacuata indigent cibo, sicut dicit Philosophus in lib. de conseruatione sanitatis, quòd non est tempus sumendi cibum quousque sit homo euacuatus à cibo priori.

Ad sextum dicendum, quòd lautè non dicitur, quando quæritur munditia in his quæ pertinent ad cibum: sed quando quæruntur illa quoad modum, quando lautè inter alia, sicut agnus vnus eligitur ex toto armento.

Ad septimum dicendum, quòd licet in potestate nostra vehementia appetitus non sit, tamen in potestate nostra est, vt exequamur appetitum siue reprimamus ipsum, non effundentes nos ex toto super cibum.

Ad octauum dicendum, quòd licet aliquando in istis non sit perfectus fructus, quando est peccatum veniale: non tamen omnino est vsus, sed est dispositio ad fructum, sicut veniale ad mortale: & ideo est aliqua peruersitas, licet non mortalis.

ARTICVLVS XXI.

An filiæ gulæ sint benè assignatæ?

Tertio quæritur de filiabus gulæ. Assignat autem Gregor. quinque, scilicet multiloquium, scurrilitas, inepta lætitia, immunditia, & hebetudo mentis. Videtur enim, quòd multiloquium proueniat ex debilitate rationis: sed ebrietas quæ pertinet ad gulam, maximè impedit rationem: ergo non est filia gulæ.

2 Item videtur, quòd scurrilitas non sit filia gulæ: vna enim filia non potest esse duarum matrum: sed secundum Isidorum scurrilitas est filia luxuriæ: ergo non est filia gulæ.

3 Item videtur, quòd hebetudo non sit filia eius: pœna enim diuiditur contra culpam: sed hebetudo quædam pœna est: ergo non debet poni inter vitia quæ generantur ex gula.

4 Item videtur, quòd immunditia non sit filia eius: immunditia enim species luxuriæ est, qua aliquis sine coitu delectationem coitus procurat aliquo motu proprij corporis: ergo magis videtur pertinere ad luxuriam quam ad gulam. Si dicatur, quòd talis immunditia non dicitur filia gulæ, sed quæ est in cibis. Contra: Augustinus in lib. de conflictione trium & quatuor, enumerat immunditiam

ditiam de qua dictum est, inter filias gulæ: introducit enim eam sic loquentem, Facinus est sine coitu aliquo delectari motu aliquo membrorum: ergo responsio nulla fuit.

5 Item videtur, quòd inepta lætitia non sit filia eius: inepta enim lætitia est gaudium de malo: sed hæc est in omni peccato, sicut dicitur Prouerb. 2. Exultant in rebus pessimis, & lætantur cum male fecerint: ergo non debet poni specialiter filia gulæ.

6 Item, Isidor. ponit duas, scilicet ebrietatem & comessationem. Gregor. autem aliter. Ergo vel alter superfluus, vel alter diminutus.

7 Item, In collationibus patrum dicitur, quòd à gula nascitur luxuria, à luxuria phylargiria, à qua nascitur ira: ergo ira ista debet computari inter filias gulæ.

8 Item, Quod generatur non secundum vniuocam generationem, non habet nomen filij, sicut dicit Augustinus quòd lumbricus nascitur ex corpore, non tamen dicunt eum filium, nec homo filius solis: sed generatio dictarum filiarum à gula non est secundum vniuocam generationem, cum non sit similitudo in specie: ergo non debent prædicta dici filiæ gulæ.

9 Item dicit Ambros. Turpis generat filiam turpiorem: sed secundum Chrysostom. nihil gastrimargia turpius: ergo non habet aliquam filiam.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd idem vitium dicitur mater & caput, licet alia ratione: dicitur enim caput ex eo quod habet finem perfectæ delectationis quo fruitur, ad cuius consecutionem conuocat alia in considerando quòd recipiat aliquid ab extinseco: vnde ex ratione talis conuocationis dicitur caput. Sed alia ratione dicitur mater: quia mater est quæ generat ex alio, & dicitur mater ex eo ex receptione alicuius extra: sicut conceptione finis producit aliud vitium, vt habeat perfectionem delectationum in eo, sicut gula producit multiloquium, vt sit consummata delectatio non solum in edendo, sed in hoc facit magis delectabile ex vanis verbis. Simile huius est in virtutibus: aliqua enim virtus vt charitas conuocat actum alterius virtutis ad suum finem, sicut credit aliquis in Deum non propter primam veritatem, sed propter amorem: & hoc est importare actum: & dicitur, quòd charitas importat actum aliarum virtutum, sed non elicit nisi actum proprium qui est diligere: dicitur enim elicere illum actum quem producit per modum naturæ, & vnius naturæ vnus est actus proprius. Quia ergo diuersa vitia possunt aduocare aliquod vitium ad suum finem, ideò non est inconueniens, quòd idem vitium dicatur filia diuersorum vitiorum diuersa ratione, quia ratio filiationis est ex fine: vnde secundum diuersitatem finis erit diuersitas rationis. Prædicto ergo modo illa quinque dicuntur esse filiæ gulæ. Et numerus earum sic potest accipi. Quod enim consequitur gulam: aut sequitur eam penes suam materiam, aut penes effectum. Cum autem gula consistat in delectabili secundum gustum, secundum coniunctionem talis delectabilis & effectus eius, multiplicatio est spirituum & caloris excitans vapores: & sic multiplicati per gulam possunt referri ad cor, quod est principium immediatum corporalium passionum, & sic ex dilatatione cordis causabitur etiam inordinata lætitia diffundens se per membra, & resoluens ea à continentia modestæ honestatis: & sic est inepta lætitia. Vel referuntur ad cerebrum, quod est proximum principium animalium operationum: & sic multiplicantur phantasmata, sicut apparet in somno, quanto magis in vigilia nec minus: & inde multiplicantur verba non mensurata ratione, & sic procedit multiloquium, quia vinum, vt dicitur, facit hominem per talenta loqui. Vel referūtur ad vtrumque: & sic producitur scurrilitas, quando aliquis verbis & gestibus illicitis & dissolutis prouocat alios ad risum. Ex parte autem materiæ prout deseruit generatiuæ est immunditia, quæ est species luxuriæ propter multiplicationem materiæ ex gula proueniens: secundum vero quod trahitur ad superiora, producitur hebetudo mentis.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd scurrilitas secundum diuersas rationes est filia gulæ & luxuriæ: secundum enim quod aliquis per illicita facta intendit prouocare meretricem ad vsum & ad delectari cum ea, est filia luxuriæ: sed secundum quod est ex cibo & propter delectationem cibi, est filia gulæ.

AD TERTIVM dicendum, quòd non dicitur hebetudo intellectus quæ est ex natura vel ægritudine, filia gulæ, sed quæ est ex praua actione, qua aliquis afficitur circa delectabilia cibi & efficitur totus carnalis, & non percipit spiritualia: sicut dicit Chrysost. quòd non tam vehementer fluuialium aquarum cursus ripas corrodere & submittere solet, sicut deliciæ & luxus omnia valetudinis nostræ firmamenta faciunt subruere. Si namque medicinalem ingrediaris officinam & accedens interrogaueris, omnes ferè morborum causas illinc inuenies esse. Vilis enim tenuisque mensa sanitatis mater est: & eam propterea medicorum periti ita nominauerunt, non saturari quidem vocantes sanitatem (Cibi namque penuria sanitas est) minus vesci sanitatis matrem appellantes. Si vero mater est sanitatis egestas, patet quod saturitas ægritudinis mater est & infirmitatis morbosque parit. Ipsorum quoque medicorum artem transgredientes, pedum dolores, & capitis grauedines & vertigines, & manuum cruciatus & tremores & remissiones & arcuatus, & longæ febres & æstuosæ, & alia his multo plura (non enim omnia percurrere vacat) non ex indigentia parcoque victu, sed ex crapula & saturitate nasci solent. Homilia 55.

AD QVARTVM dicendum, quòd immunditia pertinet ad luxuriam tanquam species, ad gulam tanquam filia cui materiam ministrat. Aliud solutum est.

AD ALIVD dicendum, quòd non sumitur hic inepta lætitia quæ est de malo quod est commune omni peccato, sicut dictum est.

AD ALIVD dicendum, quòd duo quæ ponit Isidorus, accipiuntur penes generalia in quæ diuiditur obiectum gulæ, scilicet in

cibum, circa quod est comessatio: & potum, circa quod est ebrietas: sed quinque quæ ponit Gregorius, accipiuntur quocunque modo aliquid ex gula nascatur.

Ad aliud dicendum, quòd illa productio est per modum radicis, non per modum matris.

Ad aliud dicendum, quòd non dicuntur filiæ propriè, sed transsumptiuè tantum.

Ad aliud dicendum, quòd vitium potest dici turpius dupliciter: aut secundum quantitatem culpæ, & hoc modo non est turpissimum gula: vel quantum ad ignominiam, & hoc modo nihil turpius ea: quia sicut dicit Gregorius, vitia carnalia sunt minoris culpæ, & maioris opprobrij: nec oportet, quòd dictum Ambrosij vniuersaliter intelligatur.

Non præfertur virginitas Ioannis castitati Abrahæ.

B Quod vero castitas virginalis non præferatur in merito coniugali castitati Abrahæ, Augustinus ostendit inquiens, Sicut non est impar meritum patientiæ in Petro qui passus est, & in Ioanne, qui passus non est: sic non est impar meritum continentiæ in Ioanne qui nullas expertus est nuptias, & in Abraham qui filios genuit. Nam illius cœlibatus, & istius connubium, pro temporum distributione Christo militauerunt, sed continentiam Ioannes in opere, Abraham in solo habebat habitu. Melior est autem castitas cœlibum quam nuptiarum, quarum vnam Abraham habebat in vsu, ambas in habitu. Castè enim & coniugaliter vixit. Esse autem castus sine coniugio potuit, sed tunc non oportuit. Item Hieronymus, Quis ignoret sub alta dispensatione Dei omnes retro sanctos eiusdem fuisse meriti, cuius nunc Christiani sunt? Quomodo Abraham ante placuit in coniugio, sic nunc virgines placent in castitate. Seruiuit ille legi & tempori suo, seruiamus & nos legi & tempori nostro, in quos fines seculorum deuenerunt. Ex his apparet, quòd sancti patres ante legem sine peccato plures habuerunt vxores vel concubinas. Eas enim nunc vxores appellat Scriptura, nunc concubinas. Rachel tamen & Lia ambæ vxores fuerunt, non concubinæ.

Lib. de bono coniugali c. 21.

32. q. 4. c. Quis ignoret.

1. Cor. 10

Gen. 30.

ARTICVLVS XXII.

An benè sentiant Sancti qui dicunt bonum esse omnes homines esse virgines?

Deinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Seruiuit ille legi & tempori suo, seruiamus & nos legi & tempori nostro, &c.] Ex hoc enim videtur, quod Hier. voluit, quòd omnes essent virgines. Et ad idem facit, quod dicitur 1. Cor. 7. Volo autem omnes vos homines esse sicut meipsum, id est, permanere in castitate. Videtur autem hoc esse inconueniens: quia omnibus existentibus castis, mundus dissolueretur: & Deus non vult mundum dissolui: ergo videtur, quòd non vult omnes homines esse castos: ergo cum Apostolus hoc voluerit, ipse suam voluntatem non conformauit cum diuina voluntate, quod est inconueniens.

Solutio. Ad hoc dicendum, quòd quidam dicunt, quòd Sanctis taliter loquentibus reuelatum fuit, quòd ex præsentibus si casti remanerent, numerus electorum impleretur. Sed quia hoc nulla ratione probari potest, ideo alij aliter dicunt, scilicet quòd voluntas ibi est perfecta & conditionata: & est sensus, Volo omnes vos esse sicut meipsum, id est, vellem, si esset possibile. Sed quia non est probabile sanctos imperfectam habuisse voluntatem, ideo dicunt alij, quòd distributio intelligitur diuisim sic, Volo omnes, &c. id est, de quolibet hoc volo diuisim, licet de quolibet nolo idem coniunctim. Aliter potest dici sicut hic innuit Hieronym. quòd Apostolus hoc vult secundum conditionem temporis: vnde sensus est, Volo omnes, &c. quantum opportunum est tempori. Et tamen dicit Hieron. quòd sicut illi fuerunt tempore suo, ita nos nostro. Et per hoc patet solutio ad omnia obiecta.

ARTICVLVS XXIII.

An concubinæ Patriarcharum ancillæ fuerunt, vel vxores?

Deinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Eas enim nunc vxores appellat, &c.] Videtur, quòd non sunt concubinæ: quia si ancilla à domino suo in matrimonium ducitur, ipsa efficitur libera: quia secundum legem matrimonij

matrimonij vxor est de latere, ne sicut ancilla habeatur. Constat autem,quòd tantus Patriarcha non vtebatur fornicario concubitu ancillarum.Ergo fuerunt veræ & liberæ vxores: ergo non sunt dicendæ concubinæ.

2 Item,Cum aliis frattibus acceperunt interea æqualem portionem:hoc autem esse non posset, nisi essent legitimi filij:sed non sunt legitimi, nisi ex vxore libera & legitima: ergo nec concubinæ, nec ancillæ matres illorum filiorum dici debent.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est, quod habetur Genes.25. quòd filiis concubinarum largitus est munera tanquam separaret eos ab hæreditate: ergo non erant filij legitimi.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum hîc puto, quòd ancillæ manserunt vxorio affectu coniunctæ: vt significaretur mysterium futurum:vnde 32. quæst.4. Augustinus reddit rationem, quid significent ancillæ,& quid liberæ.

AD HOC ergo quod primo obiicitur, dicendum quòd verum est in matrimonio quod est vnius cum vna: sed in aliis matrimoniis vbi vnus ex dispensatione Dei habet plures, non oportet quòd sic sit: quia manerent vxores in conditione aptiori ad significandum statum futurum. *Solutio.*

AD ALIVD dicendum, quòd hoc non fuit generale: vnde nec legitimæ, nec de concubina nati alicuius patris pertinebant ad hæreditatem futuram, nisi de quo præceperat Dominus. Et ideo Ismael natus de ancilla eiicitur: & Esau natus de libera, vt sciatur, quia tota hæreditas possessio est ex eligente, & non ex meritis propriis vel alienis. Et sic patet solutio.

Oppositio.

SIQVIS opponat, quòd fidem thori non seruabant illi patres. Dicimus in hoc seruasse fidem thori, quia non aliis, sed propriis vxoribus vel ancillis miscebantur. Ecce quæ fuerit consuetudo in hac re ante legem. Legis vero tempore interdixit Moyses carnalem copulam fieri cum matre, cum nouerca, cum sorore, cum nepte, cum amita, cum matertera, cum nuru, & aliis quibusdam. Permisit autem diuortium fieri dato libello repudij, in quo vir scribebat causas pro quibus vxorem repudiabat. Permisit autem aliam ducere dato priori libello, quod propter duritiam cordis eorum permissum Christus dicit, non vt concederetur dissidium, sed vt tolleretur homicidium. Permisit fieri mala, ne fierent peiora: & hoc permittendo non Dei iustitiam demonstrauit, sed in pectore minuit culpam. C Leu.18. Deut.24. Matt.19.

ARTICVLVS XXIV.

An patres antiqui habentes vxores & ancillas concubinas seruabant fidem thori?

DEinde quæritur de hoc quod dicit[Siquis opponat,&c.] Videtur autem, quòd non fuit in matrimonio illo fides thori: quia fides thori in se habet,quòd alij non misceatur: sed illi mixti fuerunt aliis: ergo fidem thori non seruauerunt.

2 Item, Fides thori vtrumque coniugem ligat æqualiter: sed mulier non habet potestatem sui corporis ad alterum virum: ergo nec vir ad alteram mulierem:cum igitur alteri mulieri iunxerint se viri illius temporis, videtur quòd fidem thori non seruauerunt.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd fides thori seruabatur secundum exigentiam temporis & dispensationis de habendo plures, sicut dicit Magister in litera. Et ideo quoad hoc seruabatur, quòd non aliis nisi propriis vxoribus miscebantur, & intentione prolis: nec mulier aliud petendi tunc habuit potestatem. Et per hoc patet solutio ad primum.

AD SECVNDVM autem dicendum, quòd non æqualiter tunc obligabat vtrumque fides, propter causas supra dictas,& propter dispensationem matrimonij,quæ tunc fuit,cuius dispensationis ratio satis supra habita est.

ARTICVLVS XXV.

Libellus repudij cuiusmodi fuit, & quid scribebatur in eo?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Permisit autem fieri diuortium dato libello repudij, &c.] Quæruntur enim hic tria. Primum est, Cuiusmodi fuit libellus repudij, & quid scribebatur in eo? Secundum, Quare fuit permissus? Tertium,Vtrum peccabant illi qui dimissas ducebant, & vtrum posteà in secundis nuptiis poterant saluari si ad priores nuptias non redibant?

Ad primum obiicitur sic, Deuter.24. dicit Dominus, Si vir duxerit vxorem, & illa non inuenerit gratiam propter aliquam fœditatem in oculis eius, quòd det illi libellum repudij, & dimittat eam. Cum autem dicat textus ali-

quam fœditatem, & non ſpecificet, videtur quòd propter quamlibet fœditatem dimitti poterat.

2 Item Gloſſ. ſuper eundem locum dicit, quòd multæ fuerunt cauſæ, propter quas vir vxorem ſecundum legem dimittere poterat. Videtur ergo, quòd quamlibet fœditatem poterat contra eam allegare.

3 Item, Communiter dicitur à ſanctis Hieron. Auguſt. & Ambroſ. quòd libellum repudij permiſit Moyſes ne fieret homicidium: ſed quælibet fœditas poterat eſſe cauſa odij marito ad vxorem: ad odium autem ſequitur homicidium: ergo propter quamlibet fœditatem poterat vxor dimitti.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius ſic obiicitur, Omne matrimonium quod fuit ante legem naturæ, in qua fuit perfecta multiplicatio fidelium ſpiritualis, ad fœcunditatem ordinabatur: ideo fœda vxor non debebat repudiari, niſi illa in qua fœcunditas inueniri non poterat: ergo tantum fœditates repudiari debebant, quæ impediũt bonũ in corpore & anima conceptum mulierum. Dico autem in corpore, ſicut ſi erat ſterilis ſimpliciter, vel ad ipſum quem maritum habuit; vel ſi erat chronica ægritudine laborẽs, vt lepra, epileptia paralyſi, emorroiſſa, menſtruoſa, & huiuſmodi: hæc enim omnia impediunt conceptum, vel deſtruunt in corpore natum. In anima autem fœda, ſi fuerit contumelioſa, à Deo auertens filias, & huiuſmodi. Si fortè dicatur, quòd ita eſſe debuit ſecundum rationem temporis: ſed tamen viri non ita ſeruabant. Contra: Non quæritur hic de iuſtitia perſonæ, ſed potius de iuſtitia legis datæ per Moyſen: cum igitur lex ius quoddam ſit ſcriptum aſciſcens honeſtum prohibens in contrarium, vt dicit Philoſophus, oportet, quòd cauſas habeat boneſtas: ergo videtur, quòd ſolum his cauſis dari potuit libellus repudij.

Quæſtiũcula. VLTERIVS autem hîc quæritur, Vtrum cauſæ dimiſſionis ſcribebantur in libello? Videtur, quod ſic: quia aliter iniuſtitia videtur eſſe dimiſſio: ergo videtur, quòd ſcribebantur cauſæ dimiſſionis.

2 Præterea hoc ponitur expreſsè in litera, vbi dicit Magiſter & Gloſſ. ſuper Matt. 5. quòd in libello illo ſcribebant cauſas, propter quas dimittebatur.

Sed contra. SED CONTRA: Cauſæ illæ aut erant ſufficientes, aut inſufficientes. Si inſufficientes: tunc præcludebant ei viam ad ſecundas nuptias: & hoc non erat faciendum, quia ſecundæ nuptiæ in eodem loco conceduntur. Si autem non erant ſufficientes: ergo tunc oſtendebatur, quòd iniuſta fuit dimiſſio: ergo nulla: quia iniuſta dimiſſio nulla eſt. Cum ergo adhuc non eſſet dimiſſa ſecundum ius à primo marito, iterum præcludebatur ei via ad ſecundas nuptias: & erat inconueniens, cum ei concedantur ſecundum legem.

Solutio. AD HOC ſaluo iudicio meliori puto dicendum, quòd libellus repudij non dabatur propter quamlibet fœditatem: ſi enim aliqua fuit fœditas quam videre vel ſcire potuit, quando cum ea contraxit matrimonium, videtur mihi, quòd propter illam non potuit eam dimittere, ſed propter fidem matrimonij tenebatur eam ſuſtinere. Similiter ſi fuit aliqua fœditas corporalis, bonum prolis non diminuens, nec auferens, videtur mihi, quòd nec per illam potuit vxor dimitti. Sed ſi obiiciatur, quòd factum fuit, ne fieret maius malum: dicendum, quòd hoc verum eſt: ſed tamen cauſa ponenda erat odij quæ mouere poſſet. Cauſa autem quæ non poteſt mouere ad odium communiter, non potuit eſſe cauſa ſeparationis. Si enim ex voluntate vxorem occidiſſet, lex vindicaſſet in ipſum: & ita vindicauit, quando non erat cauſa quæ poſſet mouere ad odium ſi occidiſſet eam. Cauſæ autem in obiectione inductæ, maxime poterant mouere pro ſtatu illius temporis.

AD PRIMVM dicendum, quòd Dominus dicit aliquam fœditatem: quia multæ ſunt quæ prolem vel tollunt, vel vitiant in anima vel in corpore: & ideo non poſuit in particulari. Poſſet etiam dici, quòd ideò non poſuit in particulari, vt quemlibet caſum particularem in dubio relinqueret: vt ſic magis timerent dimittere. Per hoc patet etiam ſolutio ad ſequens.

AD ID autem quod vlterius quæritur, dicendum quòd cauſæ ſcribi poterant dupliciter, ſcilicet in vniuerſali, & in particulari. In vniuerſali benè putò quod ſcribebantur, ſicut probant duæ obiectiones inductæ. In particulari autem non: quia per hoc præiudicium factum fuiſſet mulieri.

ARTICVLVS XXVI.

Qualiter libellus repudij fuit permiſſus?

SECundo quæritur, Qualiter fuit libellus ille permiſſus? Aliter enim procedunt leges in iudicio factorum exteriorum & cauſarum, & aliter in iudicio conſcientiæ: quia in cauſarum iudicio diſſimulatur minus malum, ne eueniat maius malum: ſed in conſcientiæ iudicio non: Deus autem iudicat ſecundum conſcientiam: ergo nulla lex ab ipſo debuit dari, in qua aliquod malum permitteretur: ergò videtur, quòd ſi iniuſta eſt lex, non eſt data à Deo: ſi autem iuſta, quòd non fuit permiſſio, ſed potius lex ordinans & obligans ad obſeruandum.

2 Item Chryſoſt. ſuper Matth. dicit, Permiſſum eſt à Moyſe repudium malum quidem, tamen licitum hac ratione qua permiſerunt Apoſtoli ſecundas nuptias propter incontinentiam hominum. Inde arguo, quòd ſicut ſecundæ nuptiæ ſunt licitæ in Nouo Teſtamento, ita repudium per libellum datum, fuit licitum in Veteri Teſtamento: ergo libellus ille fuit licitus.

3 Item, Iudicium humanum præcipuè traditum à Deo, exemplatum eſt à Deo diuino: ſed ego video, quòd ſi in cauſam trahebatur, ſententia dabatur ſecundum iudicium Domini pro viro, quod dimittere poterat vxorem, ei dato tali libello. Cum igitur hoc iudicium informatum fuit à iuſtitia quæ exemplata fuit à iuſtitia diuina, ipſum iudicium fuit iuſtum:

ergo

ergo & iustus & licitus fuit libellus, & repudium & omnia quæ sequebantur ex illo.

Sed contra. In contrarivm huius est quod dicit Dominus Matth.19. quòd propter duritiam cordis eorum Moyses præcepit dari libellum repudij:sed quod propter duritiam cordis permittitur,simpliciter est iniustum: ergo libellus ille simpliciter fuit iniustus.

2 Item Chrysost. super Matth.5. Permisit Moyses dari libellum repudij, ne per odium funderetur sanguis: permisit fieri mala, ne fierent peiora. Ex hoc accipitur, quòd dare libellum fuit simpliciter malum: sed omne malum est illicitum: ergo videtur, quòd illicita fuit datio libelli.

3 Item Augustinus in Gloss.super idem,& hoc ponitur hic in litera. Scribit Moyses in Deut.24.quòd si vxor non placeat viro propter aliquam fœditatem, dimittat eam: quod permissum dici exponit Christus propter duritiam maritorum, non vt concedatur dissidium, sed vt tollatur homicidium: & ex hoc sequitur idem quod prius.

Solutio. Responsio. Puto hîc esse dicendum salua meliori sententia, quòd libellus iste simpliciter fuit iniustus, sicut etiam iniustum fuit habere plures: secundum autem tempus & congruentiam hominum fuit iustum. Hoc autem videtur elici ex textu verborum Domini nostri Iesu Christi Matth.19. vbi præmittit Dominus ante sententiam de repudio,qualiter Deus ab initio creauit hominem masculum & fœminam, & quòd essent duo in carne vna, & quod Deus coniunxit homo non separaret, & postea subinfert de libello repudij:vnde etiam super idem dicit Chrysost. quòd fœmina non debet cogitare nisi de vno masculo creato,sicut Deus ipse vnum vni, & vnam vni creauit ab initio. Dicendum ergo ad primum, quòd lex Dei illa, sicut dicit Apostolus Hebr.7. est imperfecta, & nihil ad perfectum adduxit:sed dabatur secundum congruentiam temporis & personarum, vt tanquam pædagogus ad Christum adduceret. Vnde & multa bona significata ex ipsa vxoris dimissione eliciunt in Gloss. super Deuter. Origen. & Gregor. & ideo imperfecta habuit mandata, & dispensata pro tempore.

Ad alivd dicendum,quòd rectum principium vnumquodque corrigit secundum modum possibilem sibi, & non secundum verissimam rectitudinem: & ita etiam facit iudicium causarum quod exemplatur ab ipso: quia videtur mihi, quòd istud fuit iudiciale, non cæremoniale principaliter, nec sacramentale, nec morale: & talia mutantur per varietatem temporum & personarum: vnde illa obiectio non cogit, quòd simpliciter fuit iustum repudium.

Ad hoc autem quod in contrarium obiicitur, dicendum quòd sine dubio lex dictis de causis permisit repudium, & etiam lex Iustiniana: & omnis lex semper permisit repudium præter legem Christi: in quo notatur legis Christi perfectio in sanctitate, pietate,& castitate. Vnde ad obiectum dicendum, quòd duritia cordium tunc erat causa mouens: sed tamen nisi fuisset vtilitas, non concessisset. Eius autem vtilitas superius exemplata est: & ideò secundum tempus iustus fuit libellus, licet non simpliciter.

Ad alivd dicendum, quòd Chrysostomus tangit causam incitantem seu excitantem ad dandam legem iudicialem: sed tamen etiam alia causa erat vtilitatis quæ excusabat pro illo tempore.

Similiter dicendum ad id quòd dicit Aug.

Ad id autem quod supra obiectum est de Chrysost. dicendum quòd non est simile nisi in incitante primo ad dationem legis, quia hic & ibi turpe est: sed hic turpe crudelitatis, & ibi turpe libidinis. Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICVLVS XXVII.

An dimittens vxorem per libellum repudij & repudiata poterant saluari in alio matrimonio?

Tertio quæritur, Vtrum dimittens saluari poterat in alio matrimonio, & etiam dimissa? Videtur,quòd non: quia dicit Christus Matth.5.& 19. Qui dimissam duxerit,mœchatur,sed mœchus & mœcha non saluantur:ergo videtur, quòd in alio matrimonio neuter eorum saluari poterat.

2 Item, Propter duririam cordis permissus fuit libellus: dicitur autem Eccli.3. Duri corde malè habebunt in nouissimo: ergo isti tales male habebunt.

Sed contra. In contrarivm huius obiicitur per hoc quod dicit Hieron. Hoc permittendo non Dei iustitiam monstrauit,sed à peccato abstulit culpam peccandi: vt quod secundum legem agentibus peccatum non videtur, non videtur esse peccatum: sed cuicunque actui abstrahiiur culpa,illo nullus demeretur.Ergo ex tali dimissione & secunda copulatione nulli damnabantur, vt videtur.

2 Item, Tam lex quam prophetia in idem concordant. Malach.2. vbi dicitur, Cum odio habes eam, dimitte eam. Ergo videtur, quòd ille totus populus miserabiliter fuisset neglectus, quòd sapientes eorum scirent ei non esse salutem, & tamen permitterent eis tales copulationes: sed hoc esset nimis absurdum: ergo videtur, quòd tunc saluari poterant aliis coniuncti.

3 Item,Si lex non attenderet nisi duritiam cordis,tunc deberet persuadere reditum: sed è contrario facit,quia dicit,quòd si secundus dimittat eam per repudium vel per mortem, prior non poterat eam reassumere: ergo videtur, quòd licitè fuit in secundo matrimonio.

Solutio. Responsio. Ad hoc dicendum puto, quòd in secundo matrimonio erat eis salus propter legis statutum & temporis congruentiam: sicut etiam in pluribus vxoribus, quod nunquam voluit Deus nisi ad tempus, vt in victimis holocaustorum,quas nunquam voluit Deus nisi per accidens, scilicet ne idolis immolarentur. Et hoc videtur velle Hieron. dicens, quòd à peccato abstulit culpam legislator,quando concessit repudium.

Ad primvm ergo dicendum, quòd

dicit Christus hoc quantum ad abundantem iustitiam in Nouo Testamento esse, implentem imperfectum Veteris Testamenti.

Ad aliud dicendum, quòd hoc dicit Christus quoad principalem causam permissionis, secundum quod erat lex iudicialis: ex statu tamen tempus ordinabatur ad maiorem fœcunditatem: quia illi tempori congruebat, & secundum hoc erat dispensatiua & indultiua: quia sæpè sterilis est ad vnum, quæ non est sterilis ad alterum: & ideò etiam præcepit lex, quòd si pluribus nupsit & fœda fuit quoad plures, non potest redire ad primum, nec primus potest eam recipere. Hoc modo concordat Cato qui dimisit Marciã vt fœcunda esset, & Philosophi ita locuti sunt de repudio. Et quia hoc concordat rationi, videtur ita esse dicendum: quod tamen non omnino assero in ista quæstione, sed quilibet dicat quod sibi bonum videtur.

Cui licebat plures habere, vel non.

Deut.17. 2.Reg.11 SED nunquid sub lege licebat habere plures vxores? Audi quid scriptum est in Deuteronomio: Non habebit rex vxores plurimas, quæ alliciant animam eius. Super quem locum ait Augustin. Manifestum est Salomonem hoc præceptum transisse. Lib.5. in Deuter. c.27. Dauid autem plures habuit, nec præceptum præteriit. Permissum est enim regi plures habere, non plurimas quæ alliciant animam, multiplicare. Cum tamen additur, Vt non eleuetur cor eius, alienigenas prohibitum esse videtur. Verumtamen multiplicatio vxorum generaliter prohibita est. Permissum est autem regi plures habere, sed 1.Reg 1. non multiplicare. Veniente autem plenitudinis tempore quo Christi Galat.4. gratia vbique est dilatata, reducta est lex nuptiarum ad priorem honestioremque institutionem: vt vnus vni in figura Christi & Ecclesiæ coniungatur. Nec quæritur electio muneris in successione generis, sed in perfectione vitæ & synceritate scientiæ, & virginitas fœcunditati præfertur, & sacerdotibus continentia indicitur.

ARTICVLVS XXVIII.

An aliquæ vxores dicantur plurimæ, & quæ sunt illæ?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Non habebit rex vxores plurimas, &c.] Quæritur enim hîc, Quæ sunt plurimæ? si enim dicatur, quòd illæ solæ plurimæ sunt, quæ alliciunt animum eius ad idololatriam. Contra: Vnica potest allicere animum eius: ergo vnica potest esse plurima: hoc autem est falsum: ergo non dicuntur plurimæ.

2 Item, Non determinatur ex lege quot habere debeat, sed plures conceduntur sine determinatione: ergo videtur, quòd nullus sit sibi numerus plurimus. Si autem dicatur, quòd plurimæ sunt illæ quæ excellunt vires suas in pastu, scilicet quòd non potest eas pascere. Contra: Plures potest pascere rex & diues, quam pauper: ergo quæ vni sunt plurimæ, non sunt alteri plurimæ: & de hoc nihil loquitur lex: nunquam enim dicit, quòd diues habeat plures quam pauper: ergo videtur, quòd non sic sit intelligendum.

3 Item, Plures tunc permittebantur propter fœcunditatem: si autem plures sunt, tanto maior est fœcunditas: ergo videtur, quòd nullus numerus est plurimæ: sed potius qui plures habuit quam alius, plus illi tempori seruiuit: sicut qui castior est quam alius, plus seruit tempori nostro, sicut supra dixit Hieron.

Solutio. Responsio, quod vt puto, dicuntur plurimæ excellentes potentia imprægnandi, ad quam tria exiguntur, scilicet calidum perfectè mouens, & semen perfectè digestum, & vigor naturæ: per nimium enim coitum exhalat naturale calidum, & siccum extrahit humidum: & sic corpus infrigidatur per nimium coitum, & eiicitur semen antequam sit digestum: & tunc de facili expirat, & inefficax inuenitur. Nimius etiam coitus ponitur ab Aristot. vna de causis breuioris vitæ, & deperdit vigorem naturæ, ita quòd continuè per eum permanet fœcunditas: & ideo secundum hoc puto esse mensurandum. Potentia autem hæc si omnes æqualiter fœcundare debeat, puto quod excedat mulieres 70. vel circa hoc plus, vel minus, secundum diuersitatem hominum: & ideo Salomon arguitur plurimas habuisse, & Dauid inter plurimas substitisse. Et per hoc patet solutio ad omnia, præter ad vnum: ad quòd dicendum, quòd lex non dixit quot essent habendæ: quia quoad nos necesse est hoc determinari, & ideo numerus variatur: & forte ideò quia lex nunquam hoc nisi per accidens intendit, & ideo non nisi indulgendo circa hoc parum loquebatur.

De

De virginitate mentis & carnis.

MELIOR est autem virginitas mentis quam carnis. Vnde Ambros. Tolerabilius est mentem virginem quam carnem habere. Vtrumque bonum est, si liceat: si non liceat, saltem non casti homini, sed Deo simus. Virgo prostitui potest, adulterari non potest: nec lupanaria infamant castitatem, sed castitas etiam loci abolet infamiam. Idem, Non potest caro ante corrumpi, nisi mens ante fuerit corrupta. Item Isidor. Non potest corpus corrumpi, nisi prius animus corruptus fuerit. Mundata enim à contagione anima caro non peccat. In fine huius capituli aperitur quomodo verum sit, nisi anima prius fuerit corrupta, corpus non posse corrumpi, scilicet peccato. Illud etiam Augustini aduertendum est. Sicut, inquit, sanctius est mori fame, quam idolothytis vesci: ita sanctius est defungi sine liberis, quam ex illicito coitu stirpem quærere. Vndecunque vero nascantur homines, si parentum vitia non sectentur, & Deum rectè colant, honesti & salui erunt. Semen enim ex qualicunque homine, Dei creatura est: & eo malè vtenti, malè erit, non ipsum aliquando malum erit.

E Lib.2. de virginibus, & habetur 32 q.5. c. Tolerabilius.

32.q.4.c. Reuera. Isidorus in synonymis.

Lib. de bono coniug. c.16.

EXPOSITIO TEXTVS.

DEinde notandum, quòd super illud capitulum [Melior est autem virginitas, & cætera] Debet poni tota quæstio de virginitate & viduitate, & de velo virginum: & illa pertactata est diligenter inter illa quæ scripsimus de virtutibus cardinalibus.

DISTINCTIO XXXIV.

De personis legitimis.

NVNC superest attendere, quæ personæ sint legitimæ ad contrahendum matrimonium. Legitimæ iudicantur personæ secundum statuta patrum, quæ diuersa sunt. Aliæ namque fuerunt legitimæ ante legem, aliæ sub lege, aliæ in tempore gratiæ. Item in primitiua Ecclesia quædam erant legitimæ quæ modò non sunt. Earum verò quæ modò legitimæ sunt vel illegitimæ, quędam sunt plenè legitimæ, quędam omnino illegitimæ, quędam mediæ. Plenè legitimæ sunt, quibus non obuiat votum continenriæ, vel ordo sacer, vel cognatio, vel dispar cultus, vel conditio, vel naturæ fragilitas, & si quid est aliud. Penitus verò illegitimæ sunt per votum, per ordinem, per cognationem, per disparem cultum. Mediæ verò sunt nec plenè legitimæ, nec omnino illegitimæ, per frigiditatem, per conditionem. Si enim tales iunguntur ignoranter, commanere possunt quibusdam accedentibus causis, & eisdem deficientibus diuidi.

A *De matrimonio secũdum causam materialem quæ est personarum legitimarum vel illegitimarum.*

ARTICVLVS I.

Quid sit legitimitas personarum contrahentium: & qua lege dicitur legitimum?

NVnc supereſt attendere quæ perſonæ [Hîc incidit pars illa quæ eſt de perſonis legitimis, vel illegitimis: & diuiditur in duas. In prima agit de effectu impedimenti in genere. In ſecunda autem de impedimentis ipſis *ibi* [De his quæ cauſa frigiditatis,&c.] Ad intellectum autem primæ quæruntur tria, ſcilicet quid ſit legitimitas perſonarum contrahentium? Secundo, Penes quid accipitur numerus impedimentorum? Tertio, Quare iſti ſacramento & non alij impedimenta aſſignantur?

Ad Primum obiicitur ſic: Dicit Magiſter in litera, quòd legitimæ perſonæ ſunt, quibus non obuiat aliquod impedimentum matrimonij: ergo legitimitas ipſa eſt immunitas ab impedimentis matrimonij. Videtur autem, quòd malè diffiniatur: diffinitio enim datur per eſſentialia: ſed negationes nulli ſunt eſſentiales: ergo non debet dari per negationem: ſed datur per negationem: ergo videtur, quòd non valeat.

2 Item, Diffinientia ſunt eſſentialia rei prædicata: ſed illa nunquam de re negari poſſunt: ergo nulla diffinitio conſtituitur ex negatis de re: ergo vt prius.

Quæſtiũcula 1. VLTERIVS quæritur magis tangendo rem, A qua lege perſona dicatur legitima? Aut enim à lege vniuerſaliter accepta, vel particulariter. Si vniuerſaliter, oportet quòd legitima perſona ſit ſecundum omnem legem legitima: hoc autem falſum eſt, quia eſt legitima, quando eſt ſecundum vnam legem tantum, ſicut ſupra dixit Nicolaus Papa, quòd ad matrimonium ſufficiat ſecundum legem eorum qui contrahunt, conſenſus. Si autem dicatur à particulari lege legitima. Contra: Aut enim eſt legis naturæ, aut Moyſi, aut Chriſti: & quodcunque dicatur, patet quòd non eſt verum, quia non omnis perſona ab illa lege eſt legitima.

Quæſtiũcula 2. VLTERIVS quæritur de diuiſione quam dat Magiſter, quòd aliquæ fuerunt legitimæ ante legem,&c. Videtur enim hoc non eſſe verum: matrimonium enim eſt de moralibus: ergo vno modo ſe habuit in lege, & ante legem, & poſt, ſicut cætera moralia.

2 Item video, quòd eædem medicinæ corporales exhibentur infirmis ex eadem cauſa in qualibet lege: ergo cum matrimonium ſit medicina infirmitatis, ex eadem cauſa ab initio mundi eiſdem legibus matrimonium debuit omnibus dari: ergo non erant aliæ perſonæ legitimæ ſecundum temporum diuerſitatem.

3 Item obiicitur de alia diuiſione, qua dicit, quòd quædam plenè ſunt legitimæ,&c. Si enim legitimitas diffinitur per negationem & priuationem, vt dicit in litera, & negationes & priuationes non ſuſcipiunt plus & minus, ſiue magis & minus, videtur quòd omnes ſint vel æqualiter legitimæ, vel æqualiter illegitimæ: ergo nihil eſt quod dicit in litera.

4 Item, In aliis operibus non dicitur legaliter iuſtus, niſi qui in omni lege concordat: & ſi diſcordat in quodam, & concordat in quodam, ipſe ſimpliciter dicitur legaliter iniuſtus, ſicut dicit Ariſtot. in 5. ethicorum. Fur enim in quodam concordat legibus, quia forte caſtus eſt: & tamen ſuſpenditur, quia legaliter eſt iniuſtus contrectando rem alienam inuito domino: ergo videtur, quòd etiam in hoc caſu quæ non omnibus legibus concordat, eſt illegitima perſona: ergo nulla debet dici mediè legitima, ſed ſimpliciter legitima, vel ſimpliciter illegitima: ergo ſua diuiſio nulla eſſe videtur.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd Magiſter dat deſcriptionem legitimarum perſonarum per conſequentem ex affirmatione negationem, eò quod notior eſt nobis ex his quæ negat, & ipſe principalius intendit benè intelligi, quam benè diffinire. Diffinitio tamen legitimæ perſonæ eſt, quæ ſecundum leges libertatem habet contrahendi matrimonium cum quocunque voluerit. Et ex iſta ſequitur negatio quam Magiſter ponit in litera: quia legitima eſt, cui non obuiat impedimentum, &c. Et per hoc patet ſolutio ad duo prima.

Ad quæſtiunculam 1. AD ID quod vlterius quæritur, dicendum quòd à lege quæ eſt de perſonis matrimonium contrahentibus ſecundum quod abſtrahit à lege naturæ & Moyſi & Chriſti, dicuntur legitimæ perſonæ. Ad id autem quod obiicitur primo contra hoc, dicendum quòd non valet: quia iſta lex eſt vniuerſalis, non vniuerſaliter ſumpta: & hoc eſt in genere ſumptum quod verificatur ſecundum quamlibet ſpeciem diuidendo: & cum legum ſpecies varientur ex temporibus & ſtatibus diuerſis, ideo bene dicit Magiſter, quòd aliæ fuerunt legitimæ ante & poſt legem Moyſi: & per hoc etiam patet ſolutio ad ſequens.

Ad quæſtiunculam 2. AD ID quod vlterius quæritur, dicendum quòd matrimonium licet ſit de moralibus ſecundum ſuam ſubſtantiam, tamen modus contrahendi eſt iudicialis: & ideò variatur ſecundum leges contrahentium, vt dicit Nicolaus Papa.

AD ALIVD dicendum, quòd morbus non erat ſimilis niſi concupiſcentiæ: ſed morbi alij multi variabantur ſecundum tempora, ſicut paucitas hominum, & paucitas mulierum & virorum, & vnius & eiuſdem cultus, & paucitas extranearum: & ideo lex dabat ſororem, cognatam, extraneam, ſecundum temporis diuerſitatem.

AD ALIVD dicendum, quòd eſt priuatio conſequens ex quadam affirmatione præcedente: & ideò non valet argumentatiò. Aliter poteſt dici, quòd negatio & priuatio dupliciter conſiderantur, in ſe, & in ſua cauſa. In ſe non recipiunt magis & minus. In cauſa variantur ſecundum cauſæ variationem. Vnde cum falſum ſit priuatio: non dicit Ariſtot. quòd magis mentitur qui dicit quinque eſſe centum, quam ille qui dicit quinque eſſe ſex.

AD ALIVD dicendum, quòd non dicit legitimum mediè, quia mediè concordat legibus, ſicut innuit obiectio: ſed quia facilè

ad

ad legem reduci potest: vnde patet, quòd non est simile, quòd pro simili fuit inductum.

ARTICVLVS II.

Quis sit numerus eorum qui matrimonium impediunt?

DEinde quæritur de numero impedimentorum. Notantur autem his versibus:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si forte coire nequibis.
Hæc socianda vetant, connubia facta retractant.

Et rursus sunt alij versus per quos accipiuntur impedimenta, quæ impediunt contrahendum, sed non dirimunt contractum:

Ecclesiæ vetitum, necnon tempus feriatum,
Impediunt fieri, permittunt iuncta teneri.

Videtur autem, quod non omnia ista habent vnam rationem impediendi matrimonium: quia non omnia dirimunt sicut patuit in versibus: ergo non est vna ratio impediendi.

2 Item, Conditio non impedit, nisi velit coniunx iugenuus: ergo non est simile aliis.

Quæstiũcula. ET QVIA de singulis infra obiicietur: quæratur, Vtrum impediant ista matrimonium? Et videtur, quod non: quia quod ordinatur ad maiorem coniugij sanctitatem, impedire non debet coniugium: sed plurima ex his quæ excludunt coitum, ordinantur ad maiorem coniugij sanctitatem: ergo non impediunt matrimonium. Prima patet per hoc quod tanto perfectiora sunt sacramenta, quanto sunt sanctiora. Secunda probatur per hoc quod supra dixit August. quòd sanctiora sunt coniugia pati voto continentium.

2 Item, Si aliquid impedit aliquid fieri secundum naturam, ipsum superueniens ei, destruit ipsum: sed hæc impedimenta superuenientia matrimonio, non destruunt ipsum: ergo non impediunt fieri. Prima patet in omnibus naturalibus causis aliquid operantibus: sicut frigiditas impedit fieri calidum, & superueniens ei, destruit ipsum.

2 Item, Furor non ponitur hîc inter impedimenta: & tamen Magister prosequitur eum in litera: ergo videtur diuisio insufficiens.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum videtur, quòd vna ratio in communi est impedimenti, quæ contracta facit impedimentum speciale: & hæc ratio est contraria legibus, quibus conciliatur matrimonium.

AD OBIECTVM autem dicendum, quòd hoc contingit: quia inæquales sunt differentiæ quæ contrahunt impedimentum in genere: hæc enim differentia tam valida potest esse, quod excludat aliquid essentialium matrimonij, & tunc dirimit contractum: quia nunquam fuit verum matrimonium. Vnde idem est dirimere matrimonium, quod ostendere nullum esse contractum, & ideò nullum esse matrimonium. Aliqua autem non habent tam validam differentiam quæ excludat aliquid essentialium, & illa impediunt debere contrahi: sed quia non impediunt contractum, ipsum manet, essentia matrimonij inuiolata ab eis.

AD ALIVD dicendum, quòd conditio impedit ex parte causæ materialis matrimonij: sed potest accipi si velit, quia quilibet potest facere deteriorem suam conditionem.

AD ALIVD dicendum, quòd non ordinatur ad sanctitatem coniugij, nisi quod coniugium stare permittit: hîc autem non stat coniugium: vnde nec sanctitas coniugij stare potest: sed si staret coniugium, tunc benè concederem, quòd sanctitas esset pari voto continentium. *Ad quæstiunculam.*

AD ALIVD dicendum, quòd hoc in contractibus nihil valet, etiam in contractu frumenti emptionis vel venditionis: quia multa impediunt ante, quæ superuenientia non dirimunt: sicut si peius efficitur frumentum in sua potestate. Et hoc ideò fit, quia ista non fiunt per necessitatem, sed per voluntatem: & ideò prius facta quacunque causa, non potest voluntas contrarium agere: sed naturales causæ per necessitatem suæ essentiæ agunt, & ideo destruunt prius facta si impediebant fienda.

AD ALIVD dicendum, quòd furor continetur sub errore: quia discernere non potest vt consentiat.

AD VLTIMVM dicendum, quòd impedimentum quoddam est verè impedimentum: quoddam autem secundum quid. Illud autem quod est verè impedimentum, est id quod impedit contrahendum, & dirimit contractum. Et hoc potest esse dupliciter: aut enim est contra matrimonium inquantum consistit in dispositione ministrorum Ecclesiæ: aut secundum quod accipitur in se. Si secundum quod est in dispositione ministrorum Ecclesiæ, qui sunt loco Dei in terris, tunc sunt contra matrimonium ea quæ sunt ex institutione Ecclesiæ. Aut igitur illa institutio est de sponsalibus, aut de nuptiis. Si primo modo, tunc est publicæ honestatis iustitia. Si autem est de ipsis nuptiis, aut hoc est propter reuerentiam sacramenti excellentioris cui non competit actus matrimonij, aut est propter habitudinem personarum in matrimonio coniunctarum. Si primo modo, tunc est ordo. Si autem propter ipsas personas: aut est in ipsa persona secundum comparationem ad eos à quibus propagatur, cum quibus est quasi vna caro, quia ab vno cum eis deriuata: aut hoc est propter coniugem cum qua efficitur caro vna. Et primo modo est cognatio tam spiritualis, quam corporalis. Secundo autem modo est affinitas. Si autem respicit matrimonium in se: aut respicit matrimonium secundum causam efficientem cui contrariatur: aut secundum actum in quo consummatur: aut secundum materiam, quæ est legitimæ personæ: aut secundum bona, & præcipuè secundum bonum principale, quod est proles: aut ex parte formæ: & non potest matrimonium pluribus modis considerari. Si primo modo, aut hoc est ex opposito vinculo, aut contrarietate ad efficiens. Si secundo modo, hoc est dupliciter, scilicet aut ex parte rationis, aut ex parte voluntatis liberæ. Et primo quidem modo est error. Secundo autem modo est vis sine violentia.

violentia. Si autem respicit ipsum secundum actum in quo consummatur, tunc est impotentia coeundi, ex quacunque causa contingat. Si autem respicit materiam, hoc non potest esse nisi ex malitia materiæ quæ inducta est ei, & sic est crimen. Si autem contrariatur prolis optimæ dispositioni, sic est conditio, quia nullus vult seruos liberos habere, & aliis obnoxios, quantum est in se. Si verò ex contrarietate fundamenti, tunc est disparitas cultus. Et si est vltimo modo secundum formæ contrarietatem quæ est indiuiduitas, tunc est ligatio cum alia, quia indiuiduus non potest esse aliquis cum duabus. Alia autem duo patent: quia vnum sumitur ex simplici Ecclesiæ prohibitione, aliud autem ex incongruitate temporis causata prohibitione.

ARTICVLVS III.

Quare hoc solum sacramentum habet impedimenta?

TErtio quæritur, Quare hoc solum sacramentum habet impedimenta? Videtur enim, quòd non solum debeat habere: quia etiam pœnitentia dependet à voluntate & actu nostro: & tamen impedimenta nulla ponuntur ei: ergo videtur, quòd nec isti.

RESPONSIO. Dicendum est ad hoc, quòd duplex causa est quare alia non habent impedimenta: quarum vna est, quòd consistunt circa vnum hominem simplicem, & ille ex alio impediri non potest. Alia causa est: quia circa actus spirituales sunt, quos solus Deus operatur in nobis, sine nobis, in quibus ipse nullum potest habere impedimentum: quia nihil est fortius ipso quod impediat ipsum. Vtrumque autem horum deficit in matrimonio: quia à duorum dependet voluntatibus, & duobus agentibus: & consistit eius consummatio in actu corporali: & ideò multiplex potest habere impedimentum. Et per hoc patet, quòd non est simile de pœnitentia, quod inductum est pro simili. *Solutio.*

De frigidis separandis.

B 33.q.1. c. Quod autem interrogasti.

DE his enim qui causa frigiditatis debitum reddere non possunt, consulit Gregor. vt permaneant. Sed si mulier causatur dicens, Volo esse mater, & filios procreare, decreuit vt vterque eorum septima manu propinquorum iuret, quod nunquam carnaliter conuenerint, & tunc mulier secundas nuptias contrahat. Vir autem qui frigidæ naturæ est, absque spe coniugij permaneat. Ait enim sic, Interrogasti de his qui matrimonio iuncti sunt, & nubere non possunt: si ille aliam, vel illa alium ducere possit? de quibus scriptum est, Vir & mulier si se coniunxerint, & post dixerit mulier de viro, quòd coire non possit cum ea, si potest probari quod dicit per iustum iudicium, alium accipiat. Si vero ille acceperit aliam, separentur. Item, Requisisti de his qui ob causam frigidæ naturæ dicunt se non posse inuicem operam carni dantes, commisceri. Iste vero si non potest ea vti pro vxore, habeat eam quasi sororem. Quod si retinaculum coniugale voluerit rescindere, maneant vterque innupti: nam si huic non potuit naturaliter concordare, quomodo alteri conueniet? Item, Si vir aliam vxorem vult accipere, manifestè patet ratio, quia suggerente diabolo odij fomitem, exosam eam habuerit: & ideo eam dimittere mendacij falsitate molitur. Quod si mulier causatur & dicit, Volo esse mater & filios procreare, vterque eorum septima manu propinquorum tactis sacrosanctis reliquiis iureiurando dicat, vt nunquam per commixtionem carnis coniuncti, vna caro effecti fuissent. Tunc videtur mulier secundas posse contrahere nuptias: humanum dico propter infirmitatem carnis eorum. Vir autem qui frigidæ naturæ est, maneat sine coniuge. Quod si & ille aliam coniugem acceperit, tunc hi qui iurauerant, periurij crimine rei teneantur, & pœnitentia peracta priora cogantur recipere connubia. Hoc seruandum est cum vterque idem

33.q.1. c. Requisisti de his.

Rom.6.

fatetur.

fatetur. Sed vir si asserit debitum reddidisse vxori, & illa diffitetur, cui potius fides habenda sit merito quæritur. De hoc ita statutum est. Siquis ita acceperit vxorem, & habuerit eam aliquo tempore, & ipsa fœmina dicit, quod nunquam coisset cum ea, & ille vir dicit quòd sic fecit, in veritate viri consistat, quia vir est caput mulieris. Hoc de naturali impossibilitate statutum est. Ibidem. c. Siquis acceperit. Ephes. 5.

ARTICVLVS IV.

An frigiditas sit impedimentum matrimonij?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [De his autem qui causa frigiditatis, &c.] Videtur autem, quòd frigiditas non debet impedire: quia quod ad coniugij ordinatur continentiam, non impedit matrimonium: sed frigiditas ordinatur ad maiorem coniugij continentiam: ergo non impedit.

2 Item, Constat, quòd omnes vetuli sunt frigidi naturaliter: & tamen vetulus cum vetula contrahere potest: ergo frigiditas non impedit.

3 Item, Si sciunt se esse frigidos & contrahunt, stat matrimonium: ergo frigiditas per se non impedit matrimonium, sed potius concubitum qui consequitur quoddam matrimonium, vt supra est probatum: malè ergo ponitur, quòd frigiditas impediat matrimonium.

4 Item, Impedimentum matrimonij quod est naturale, æqualiter potest euenire vtrique coniugi: sed frigiditas non impedit mulierem: ergo nec virum debet impedire: ergo non debet poni pro impedimento.

5 Item, Nimia caliditas impedit, sicut & nimia frigiditas: quia nimia caliditas exiccat humidum: ergo & nimia caliditas debet poni pro impedimento.

6 Item, In multis masculis inuenitur impedimentũ ex nimia caliditate: ergo videtur, quòd debuit poni pro vno de impedimentis.

7 Item, Nimius humor resoluit neruos: ergo impedit vigorem qui exigitur ad coitum: ergo etiam ille debet poni pro impedimento.

Quæstiuncula. VLTERIVS quæratur hic de his qui habent caliditatem debilem: hæc enim sufficit membra mouere ad concupiscentiam, sed cito euaporat, & debiliter extendit: habens ergo iste vxorem virginem, cum non habeat nisi primum impetum, defiorare non potest: & tamen cognoscere posset corruptam, si talem haberet vxorem. Quid ergo isti est faciendum? Videtur, quòd nihil facere possit: quia si alium corrumpere facit, ipse est causa adulterij, & hoc fieri non debet. Item, Si corrumpat eam manu, hoc est species sodomiæ, cum non fiat instrumento debito: ergo videtur, quòd ipsum oportet carere debito propter quod contraxit matrimonium.

Solutio. RESPONSIO est ad hoc quod frigiditas hic ambit omne impedimentum naturale, & perpetuum coeundi ex quacunque sit causa: sed tamen quia frigiditas generalius est, & intenditur semper ætate procedente, propter hoc istud ponitur: si enim esset accidentale impedimentum, scilicet absciffione veretri, vel sectione testiculorum, vel perpetua arctatione mulieris, cui beneficio medicinæ subueniri non potest, tunc secundum versus supra positos totum sub illo membro continetur, quod est impotentia coeundi perpetua, & hîc continetur sub frigiditate: & hoc ideo quia ius non loquitur de frigiditate inquantum frigiditas, sed inquantum causat impotentiam coeundi: & ideò omnia quæ idem causant naturaliter & perpetuè, vocat frigiditatem.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd consensus coniugalis est in carnalem copulam & illa supponit potentiam coeundi si debitum exigatur: & ideò excludit maritalem copulam frigiditas in eo quod supponit: nec est continentia coniugalis, vbi talis copula per exclusionem debiti si exigatur, excluditur.

AD ALIVD dicendum, quòd vetuli habent caliditatem sufficientem mouere, licet non generare: & ideò conceditur eis matrimonium pro medicina quoad fidem thori: & ideò non est simile.

AD ALIVD dicendum, quòd in coitu mulier est patiens: propter quod dicit Aristot. quòd non proprie dicitur mulier continens, quia non competit ei impetus agentis in coitu: ad pati autem sufficit frigiditas, licet non ad agere: quia dicit Auicenna, quòd frigiditas sistit motum: & ideò cum masculus se habeat vt agens, si superuenit frigiditas, abscinditur motus, & agere non potest, & ideò ex parte sui impedit matrimonium.

AD ALIVD dicendum, quòd non est idem de nimia caliditate: quia caliditas vix vnquam est impedimentum perpetuum: quia cum digeritur humidum extraneum per cibum sumptum continuè, incipit remitti calidum naturale, & temperatur ita, quod id quod ante consumebat, postea incipit resoluere & consumere, & tandem resoluere sine consumptione. Hoc etiam fit processu ætatis: & ideò tradunt Philosophi, quòd multi impotentes in iuuentute ad coitum, processu ætatis coire incipiunt: & multi non generantes in iuuentute, processu ætatis incipiunt generare: & ideò non ponitur impedimentum sicut frigiditas. Si tamen inueniretur impedire coitum per continuos tres annos, separaretur: sed hoc vix accidit: quia etiam quando impotentes sunt generare & coire quoad commixtionem seminum, quia semen consumitur in eis: tunc tamen possunt reddere debitum ex nimio vigore genitalium, quod non est in frigidis. Per hoc etiam patet solutio ad ibi sequens.

AD

AD ALIVD dicendum, quòd nimius humor abſcindens coitum, non eſt niſi ex frigiditate humidum illud inducente & inſpirante: quia frigiditas eſt qualitas actiua, & humiditas paſſiua magis: & ideo humidum per ſe non poteſt eſſe cauſa impedimenti.

AD ID quod vlterius quæritur, ſalua meliori ſententia videtur eſſe dicendum, quòd per applicationem manus via fieri poterit. Ad id autem quod contra hoc obiicitur, videtur eſſe dicendum quod differt applicare manum, vt medicantem, & polluentem. Manus enim applicata vt polluens, inducit mollitiem vel ſodomiam: ſed manus medicans non inducit: ſicut etiam dicimus in mulieribus quibus deſcendit matrix extra os vuluæ: præcipitur enim vt digitis reponant eam, & tamen non dicimus manus illas polluere eas vel corrumpere, ſed potius medicari eis.

ARTICVLVS V.

An mulier volens ſeparari à viro propter impotentiam, debet iurare ſeptima manu amicorum, quòd non eſt cognita a marito?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Decreuit vt vterque eorum ſeptima manu propinquorum, &c.] Hoc enim videtur inconueniens cum Dominus dicat, quod in ore duorum vel trium teſtium ſtat omne verbum: ergo videtur etiam, quod hic ſufficiant duo vel tres teſtes.

2 Item, Apoſtolus etiam in accuſatione preſbyteri dicit ſufficere duos teſtes vel tres. Videtur ergo, quòd iniuſtè notatur hic manus ſeptima.

3 Item, Propinqui ſunt magis ſuſpecti quam alij, quia libenter iuuant ſuos propinquos, vt ſuæ voluntatis effectum conſequantur: ergo videtur, quòd melius eſſet vocare extraneos in iuramentum.

4 Item, Cum opus matrimonij occultum ſit valdè, qualiter poſſunt iurare de hoc quod non viderunt.

5 Item, Per quem modum dandum eſt eis iuramentum?

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd in fauorem matrimonij & propter horrorem ſeparationis vt cæteri terreantur, inductum eſt de teſtium multiplicatione. Quod autem Dominus dicit, ipſe intelligit in cauſis quæ non ſunt adeò fauorabiles, & poſſunt ad notitiam melius venire quam iſta.

AD ALIVD dicendum, quòd preſbyteri crimen melius ſciri poteſt quam actus matrimonij, in quo, vt dicit Auguſt. in lib. de nuptiis & concupiſcentia contra Iulianum, parentes etiam proprios filios quos genuerunt teſtes habere volunt propter impudicam concupiſcentiam quæ eſt in coitu.

AD ALIVD dicendum, quòd nullis ita nota ſunt talia familiaria, ſicut propinquis, qui ſi deſunt, aſſumuntur vicini: qui etiam ſi non ſunt, alij ſumuntur qui exceptione ſunt maiores: & illi omnes propinqui eſſe dicuntur hîc, largè ſunto vocabulo.

AD ALIVD dicendum, quòd non iurant ſynodales ſiue teſtes, quod non commixti ſunt, ſed potius quòd credant illos verum iuraſſe: vnde illi quorum matrimonium ab eis denuntiatur, primi iurant, quòd nunquam carnaliter conuenerunt, & alij poſteà iurant, quòd credunt eos verum iuraſſe.

AD VLTIMVM dicendum, quòd iurare debet vir in hunc modum, quòd continuos tres annos fideliter ſine fraude operam dederit, vt talem. N. tunc cognoſceret carnaliter, & nunquam eandem. N. cognoſcere potuit. Illa autem iurat, quòd ipſum fideliter iuuit vt cognoſceretur, & non impedierit ſine fraude, & tamen ab eo cognita non ſit: & alij poſteà iurant, quòd credunt eos verum iuraſſe.

ARTICVLVS VI.

An ſeparatione facta propter impotentiam, & poſteà compertum eſt per iuſtum iudicium non fuiſſe impotentiam, ſi contraxerint cum aliis, an debeant ſeparari?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Si verò ille acceperit aliam, ſeparentur, &c.] Huius autem extra. de frig. & malef. redditur ratio: quia tunc patet, quòd frigiditas non fuit cauſa quam allegauerunt, ſed potius inſtinctu diaboli quia odio ſe habuerunt, ſeparationem quæſiuerunt: vnde cum Eccleſia ex poſt facto ſe viderit deceptam, rouocat priores nuptias quæ veræ nuptiæ fuerunt. Secundas autem ſeparat quæ apparebant in aſpectu hominum tantum.

Sed contra. SED CONTRA hoc obiicitur: quia ſicut probatum eſt in naturis, aliquis in iuuentute impeditur à coitu, & procedente ætate coire incipit: ergo allegatum viri impedimentum poteſt eſſe primo verum, & poſtea tamen redit facultas: videtur ergo, quòd cum vero impedimento ipſius matrimonium ſeparatum fuit, debeant manere ſeparati.

2 Item, Vna mulier amabilior eſt quam altera: ponamus ergo, quòd aliquis eſt qui non habet calorem ex complexione ſufficientem ad coitum: poteſt tamen excitari accidentibus animæ quæ ſunt amor, concupiſcentia, & huiuſmodi: hoc enim poſſibile eſt ſecundum naturam: quia accidentia animæ etiam tranſmutant corpus in infirmitates & ſanitates, vt dicunt naturales: & ſic videtur, quòd talis eſſet ſterilis in perpetuum ad abominabilem mulierem, & tamen cum amabili coiret. Si ergo iſte ſeparatur à prima, & permittitur ei contrahere cum ſecunda: & iterum quando coit cum ſecunda, redditur primæ, videtur eſſe iniuſtum: quia perpetuum habet impedimentum ad illam, & non ad iſtam.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd hoc contingere non poteſt niſi ex nimio calore: & quia talis debitum poteſt reddere, licet non ſpermatizet vel generet: ideò talis caſus non accidit. Sed omnimoda impotentia coeundi

cauſatur

causatur ex frigiditate quæ semper intenditur ætate procedente:& ideò si per triennium operam dedit,& non potuit coire,præsumitur perpetuum esse impedimentum.

Ad alivd dicendum, quòd fortè in tali casu consultatio habenda esset à responsis sapientum: & sine præiudicio videtur esse dicendum similiter sicut de maleficiato: quia etiam quoddam genus maleficij est abominatio quam concipit ad mulierem: vnde monenda est illa,quòd se exhibeat mundam & ornatu & affabilitate amabilem viro:& ipse est monendus, quòd excogitet causas quibus amabilior fœminæ efficiatur: & si hoc non prodest, videtur esse simile maleficio: & ideo separari possunt,& aliis coniungi.

ARTICVLVS VII.

Si vir cui imputatur impotentia, asserit se debitum reddidisse, mulier vero negat, an sit standum assertioni viri?

Deinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Sed si vir asserat se debitum reddidisse, &c.] Videtur hoc esse iniustum, quando probari potest corporis inspectione: & tunc iudicio multitudinis præualet mulier assertioni viri, sicut dicitur extra. de frig. & maleficiatis. Ergo non statur semper assertioni viri.

2 Item videtur causa nulla esse quam dicit: quia pares sunt in matrimonio: ergo nihil est dictum,quòd ideo viro credendum sit,quia ipse sit maior.

3 Item, Matrimonium est medicina: si autem subtrahitur medicina, æger incidit in periculum: sed si vir mentitur mulieri, subtrahitur medicina: ergo ipsa exponitur fornicationi: ergo videtur, quòd iudicium sit iniustum.

4 Item, Mulier quæ sola iacens continere posset, si cogatur iacere cum viro, ex continua viri imaginatione & contactu, efficitur incontinens: si ergo vir non coeat cum illa,sequuntur aliæ corruptelæ multæ: & ita videtur, quòd tolerabilius iudicium esset, si separarentur.

Responsio. Dicendum ad hoc est,quòd statutum hoc iustum & æquissimum est, tum propter viri constantiam, tum etiam propter hoc quod ipse caput intelligitur mulieris, tum cæteris paribus præter hoc solum, quòd mulier neget, & vir affirmet. Si autem per inspectionem probatur, tunc mulier præualet oculata fide: & tunc cætera non sunt paria. *Solutio.*

Ad alivd dicendum, quòd vir est caput mulieris in regimine, sed in reddendo debito est ei æqualis.

Ad alivd dicendum, quòd medicina non subtrahitur mulieri, sed ipsa deficit in probatione: & ideo iudex qui non aspicit occulta, non potest intromittere se de causa.

Ad alivd dicendum, quòd non est dubium, quin mulier talis magis ad libidinem incitetur: & ideò prouideat sibi, scilicet seorsum iacendo: hæc enim talis vir non negabit: & si negaret, non putò quòd mulier annuere teneretur.

De his qui maleficiis impediti coire non possunt.

De maleficij autem impedimento hoc tenendum decernitur, Quod si per sortiarias & maleficas concubitus non sequitur, hortandi sunt quibus illa eueniunt, vt spiritu contrito & humiliato Deo & sacerdoti de omnibus peccatis confessionem faciant, & lacrymis, orationibus, & ieiuniis Domino satisfaciant, & per exorcismos ac cætera ecclesiasticæ disciplinæ munimina ministri Ecclesiæ tales sanare procurent. Quod si non potuerint, separari valebunt. Sed postquam alias nuptias expetierint illis viuentibus quibus post iunctæ fuerint, prioribus quos reliquerant, etiamsi possibilitas concumbendi eis reddita fuerit, reconciliari nequibunt. Quod in fine huius capituli continetur, ex rigore magis dictum intelligendum est, quam ex canonica æquitate. Vel intelligendum est non posse reconciliari prioribus, nisi iudicio Ecclesiæ, quo diuisio facta fuerat.

C Hismarius Remensis archiep. 33.q.3. c. Si per sortiarias.

ARTICVLVS VIII.

An maleficij impedimento aliquis potest impediri à potentia coeundi?

Deinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [De maleficij autem impedimento, &c.]

Quæruntur autem hic tria. Primum est,Vtrum maleficij impedimento aliquis potest impediri à potentia coeundi? Secundum, Vtrum maleficium potest impediri vel medicari per aliud maleficium? Tertium, Quid sit statutum iuris de maleficatis?

Ad primum obiicitur sic: Diabolus non ha-

bet potestatem in porcos, sine permissione diuina: ergo ad hoc quòd accipiat potestatem in porcos, non potest compelli per maleficium: ergo multo minus compelli potest ad hoc quòd accipiat potestatem in hominem.

2 Item, Si per maleficium aliquis impeditur, oportet quòd hoc sit operatione dæmonum qui ad hoc compelluntur, sed Deo permittente: constat autem, quòd Deus per nullum opus potestatem alicuius relaxat, nisi illud sit bonum & meritorium: sed maleficium non est meritorium: ergo per hoc non datur potestas alicui: ergo non datur potestas ad impediendum aliquem à coitu.

3 Item, Potestas dæmonis non legitur data fuisse nisi Sanctis: sed ille qui facit maleficium, habet in potestate dæmonem: ergo ipse est sanctus: ergo viedtur, quòd maleficium sit sanctum: ergo non fit per incantationem.

4 Item, Opus diaboli non potest nec debet destruere opus Dei: sed maleficium est opus diaboli, matrimonium autem opus Dei: ergo maleficium non potest impedire vel destruere matrimonium.

5 Item, Si maleficiatur aliquis, necesse est fieri aliqua operatione quæ fit circa corpus maleficiati, vel circa animam: dæmon ergo operabitur. Quæratur ergo modus: non enim potest operari per contactum, quia ipse non habet corpus. Similiter non potest operari per imperium, quia supra nihil est constitutus: & non sunt plures modi operationum: ergo dæmon non potest impedire aliquem.

6 Item, Dæmon magis vult aliquem esse in concupiscentiis fœminarum & coitu, quam continentem: cum igitur maleficium aliquem faciat continentem, videtur quòd nullum maleficiat.

Solutio. AD HOC dicendum, quòd nulli dubium esse debet multos esse maleficiatos vi & potestate dæmonum: quia hoc sancti patres dicunt, & Ecclesia super hoc iura promulgauit: & hoc patet etiam omnibus illis qui de necromantia & de factis imaginum aliquid nouerunt.

AD PRIMVM ergo dicendum est, quòd diabolus istam accipit potestatem permissus propter peccata patientium, vel ad exemplum aliorum. Qualiter autem hoc fiat per maleficium, dicendum secundum Theologos, quòd virtute diuina fit compulsio, & est potius vindicta quædam & pœna grauissima peccati, quam exauditio maleficij, scilicet vt qui in sordibus est, sordescat adhuc, & accipiat cooperationem erroris, qui noluit credere veritati. Vnde compulsio fit per Deum & per sanctos Angelos, sed operatio per dæmonem.

AD ALIVD dicendum, quòd non est opus meritorium, sed pestiferum, & sequitur effectus Deo permittente. Vnde etiam quandoque non sequitur effectus: & puto, quod hoc ideo fit, quia Deus ex sua misericordia restringit dæmones huiusmodi. Necromantici aliam assignant causam de qua nihil ad præsens.

AD ALIVD dicendum, quòd potestas dæmonum, id est, super dæmones, coercens à maleficiis, non legitur data nisi Sanctis: sed potestas dæmonis ad operationem erroris sæpè legitur dari infidelibus, & malis hominibus, sicut dabitur Antichristo, & necromanticis quotidie datur.

AD ALIVD dicendum, quòd opus dæmonis propria auctoritate non destruit opus Dei, sed Deo permittente, & homine hoc pati merente: sed sæpè destruit diabolus opus Dei, scilicet charitatem, fidem, & effectus aliorum sacramentorum.

AD ALIVD dicendum, quòd dæmonum operatio est diuersa circa talia: præcipua tamen est per imperium, sicut inuenies notatum super secundum, vbi agitur de operatione dæmonum.

ARTICVLVS IX.

An maleficium sit excludendum per maleficium?

SEcundo quæritur, Vtrum mtleficium sit excludendum per maleficium? Necromantici enim docent vnum maleficium per aliud excludi: sicut patet in lib. hermetis, qui de secretis Aristot. intitulatur. Ergo videtur, quòd hæc via possit inquiri.

2 Item, In medicinis corporalibus eiusdem artis est facere infirmitatem, & curare eandem: ergo & in spiritualibus erit eodem modo: sed Necromantici est conferre maleficium: ergo eiusdem etiam erit auferre: ergo videtur, quòd ad ipsum possit recurri pro medicina maleficij.

Sed contra. IN CONTRRIVM est, quod lex Dei præcipit, quòd interficiatur, qui magos consulit, & quærit à mortuis veritatem: ergo ad ipsos nullus debet recurrere.

2 Item, Hîc in litera non docetur medicina, nisi per ieiunia, & orationes, & huiusmodi: ergo alia medicina non est requirenda, cum dæmon nihil operatur, nisi Deo permittente: si ergo placetur Deus, operatio dæmonis amouebitur.

3 Item Isa. 8. & Ierem. 27. dicitur, quòd non debent ire ad diuinos, qui stridٍent in incantationibus suis, sed ad legem magis & prophetias. Ergo medicina à Necromanticis non debet requiri.

Solutio RESPONSIO, quòd nullo modo quærenda est per incantatorem medicina: sed potius semper tolerandum est maleficium.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd illi vt pestiferi docent nocere: & cum cessant dæmones à læsione, tunc curare videntur, sicut dicitur in vita Bartholom.

AD ALIVD dicendum, quòd non est simile: quia medicina est ars salutaris, & ratione vtens per operationes creaturæ, cui Deus dedit virtutem faciendi curas. Vnde dicitur Eccli. 38. Honora medicum propter necessitatem: etenim creauit illum Altissimus. Et ibidem, Deus de terra creauit medicinam, &c. sed Necromantia est ars pestifera quoad suas operationes, & magis vtitur experimentis, quam ratione, & vi dæmonis vtitur pro antidoto: & ideò Ecclesia condemnauit hanc omnino.

ARTICV

ARTICVLVS X.

An maleficiati debent separari?

TErtio quæritur, Quid iuris super hoc sit statutum? Quod autem hic dicitur in litera, & etiam extra. de frig. & malef. dicitur, & ab vniuersa Ecclesia tenetur, scilicet quòd maleficiatus ad vnam, non est maleficiatus ad aliam: & ideo si iuuari non potest orationibus bonorum, separatur, & datur vtrique licentia alij nubendi, nec vnquam ista licentia reuocatur.

Sed contra hoc opponitur: quia in lib. imaginum docetur fieri imago quæ maleficiat simpliciter: facit enim amare castitatem, & vniuersaliter abscindit coitum: ergo videtur, quòd aliquis potest esse maleficiatus ad omnes: ergo si ille contrahit, & propter impotentiam coeundi separatur, & postea aliam cognoscit, videtur quòd debet redire ad primam eo modo quo frigidus, vt supra habitum est.

2 Item, Sicut frigidus potest curari, ita & maleficiatus: ergo sicut frigidus curatus primis nuptiis redditur, ita maleficiatus, vt videtur.

IN CONTRARIVM est, quòd maleficiatus quando contraxit, persona fuit illegitima: ergo contractus nullus est: ergo non debet restitui contractui qui nullus est. *Sed contra.*

RESPONSIO. Dicendum, quòd ita est tenendum vt dicit litera. *Solutio.*

ET AD primum dicendum, quòd maleficia multa sunt: sed sine destructione corporis, & magna infirmitate non potest deduci ad hoc corpus, quod in nullam moueatur: sed hoc verum est, quòd bene inducitur amor castitatis per Necromantiam, & abominatio coitus, sed tamen manet motus in aliquam propter fomitis incendium, nisi omnino infrigidetur.

AD ALIVD dicendum, quòd curari potest maleficiatus si se totum ad Deum conferat in oratione, compunctione, & satisfactione: sed tamen quia tunc illegitima ad contrahendum persona fuit quando contraxit, ideo absoluitur ab illa. Sed in frigido curato præsumitur, quòd quia contraxit, non omnino frigidus fuit, sed finxit, quando contraxit; & ideo prioribus nuptiis restituitur secundum iudicium Ecclesiæ, quod maximè sequitur exteriores præsumptiones.

De furiosis addit.

FVRIOSI quoque dum in amentia sunt, matrimonium contrahere non valent. Vnde Fabianus, Neque furiosus, neque furiosa matrimonium contrahere possunt: sed si contractum fuerit, non separentur. Item Nicolaus Papa, Hi qui matrimonium sani contraxerunt, & vni ex duobus vel ambobus amentia, vel furor, vel aliqua infirmitas accesserit, ob hanc infirmitatem talium coniugia solui non possunt. Similiter est etiam sciendum de his qui ab aduersariis excæcantur, vel membris truncantur, vel à barbaris execti fuerint.

D Fabianus. 32. q. 7. cap. Neque fu. Ibidem. cap. Hi qui matrimonium.

ARTICVLVS XI.

An furia impediat matrimonium?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Furiosi quoque dum in amentia sunt, &c.] Videtur enim, quòd non debeat impedire: quia non est contra aliquod bonum matrimonij: ergo videtur, quòd non debeat impedire.

2 Item, Aliqui sunt furiosi, qui habent lucida interualla, & tunc discernere possunt: ergo contrahere possunt: ergo non est generaliter verum quod hic dicitur.

3 Item habitum est supra, quòd de iure naturali est maris & fœminæ commixtio: sed hoc naturaliter est in furioso sicut in aliis: ergo ipse potest contrahere matrimonium.

4 Item in litera dicit, quòd si contractum sit matrimonium, non separetur: sed quicunque contractus stat, valuit in ipso contractu: ergo quando furiosus contraxit, contractus valuit: ergo furiosi possunt contrahere.

CONTRA: Voluntarius debet esse matrimonij consensus, vt supra est ostensum: sed furiosus non potest habere voluntarium consensum: ergo non potest contrahere matrimonium. Probatur autem prima ex præhabitis de causa efficiente matrimonij. Secunda autem ex tertio ethicorum, vbi scribitur, quòd inuoluntarium dicitur dupliciter: quia quoddam est per ignorantiam, & quoddam per violentiam. Et inuoluntarium per ignorantiam est, cuius principium est in ipso non sciente singularia in quibus est actus. *Sed contra.*

RESPONSIO. Dicendum, quòd furiosi quandiu sunt in actu furiæ, contrahere non possunt: & huius rationem reddit vltima obiectio. *Solutio.*

AD PRIMVM dicendum, quòd contrariatur bono fidei: quia talis nescit quid sit fides, & ideo non seruat eam: contrariatur tamen principaliter causæ efficienti matrimonium.

AD ALIVD dicendum, quòd aliqui habent lucida interualla, & tunc non ha-

bent furiam ſecundum actum: & ideo contrahere poſſunt.

AD ALIVD dicendum, quòd de iure naturali eſt matrimonium eo modo quo ſupra dictum eſt ex verbis Ariſtot. & Aſpaſij, ſcilicet ſecundum reſolutionem ad finem hominis: quia aliter non eſſet ius, quia ius conſiderat rationem æqui & iniqui, & ideò ſupponit diſcretionem rationis.

AD ALIVD dicendum, quòd intelligitur de illo qui contraxit non tempore furiæ.

De his qui cum duabus ſororibus dormiunt.

Ex Aurelianẽſi concilio vbi ſupra. cap. Qui dormierit.

DE his etiam qui cum duabus ſororibus, vel quæ cum duobus fratribus dormiunt, videndum eſt quid cenſeant canones. Qui dormierit cum duabus ſororibus, & vna ex illis ante fuerit vxor, neutram ex ipſis habeat, nec ipſi adulteri vnquam in coniugio copulentur. Item, Nec propriæ vxori licet ſibi reddere debitum, quam ſibi reddidit illicitam ſororem eius cognoſcendo. Nec poſt mortem vxoris licet ei vel adulteræ copulari in coniugium. Item Zacharias Papa, Concubuiſti cum ſorore vxoris tuæ, ſi feciſti, neutram habeas, & vxor tua ſi non fuerit conſcia ſceleris, & continere non vult, nubat in Domino cui vult. Tu verò & adultera ſine ſpe coniugij maneatis, & dum viuitis, pœnitentiam agite. Quod ait, Cui vult nubat, intelligendum eſt poſt mortem viri. Vnde Gregor. Qui vxores ſuas in adulterio deprehendunt, nec ille, nec illa aliam vxorem accipiat, vel alium virum, quandiu ambo viuunt. Si verò adultera mortua fuerit, vir eius, ſi vult nubat, adultera verò nunquam, etſi mortuus fuerit vir eius, ſed omnibus diebus pœnitentiæ lamenta perſoluat. Hic de illo adulterio agitur, quod cum cognato viri, vel cognata vxoris committitur.

Zacharias Papa ibidem. c. Concubuiſti.

Gregor. ibidem. c. Hi verò qui.

ARTICVLVS XII.

An ille qui cognouit vnam ſororem, poteſt aliam ducere in vxorem?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [De his etiam qui duabus ſororibus,&c.] Videtur iniquum quod hic dicitur: quia licitum fuit matrimonium, & ſuperuenit concubitus cum ſorore vxoris ſuæ: ſed impedimentum ſuperueniens matrimonio, non ſoluit ipſum: ergo videtur falſum hoc dictum in duobus decretis ſanctorum.

2 Item, Vxor non eſt conſcia ſceleris: ergo videtur, quòd iniuſtè ſecum agitur, ſcilicet quod ipſa priuatur ſuo debito in corpore viri: ergo iniquum eſt quod dicit in litera.

3 Item, Deus coniunxit eos primo cum eſſent perſonæ legitimæ; ergo non debent ſeparari: ergo non eſt danda licentia nubendi vxori viuente marito: ergo iniquè loquitur Zacharias Papa in litera.

Solutio. RESPONSIO. Licet Magiſter in litera ſoluat hoc vltimum: tamen puto, quòd ſancti patres loquuntur hîc de impedimento criminis, quod præuenit matrimonium: & tunc planum eſt, quòd ſi fornicariè cognouit vnam ſororem, aliam non poteſt ducere in matrimonium. Vel ſi loquitur de ſequenti crimine: tunc intelligendum eſt, quòd loquitur ſecundum rigorem iuris, ſcilicet quod non debet: ſed tamen ſi periculum eſt de incontinentia, etiam mortua vel viua vxore, datur ei licentia in ſua petendi debitum: & etiam poſt mortem ſuæ vxoris cum alia contrahendi. Per hoc patet ſolutio ad primum.

AD ALIVD dicendum, quòd vxor non amiſit poteſtatem petendi, ſed ille: & ſic loquitur decretum: vnde ſibi illicita eſt ad petendum: ſed non ſoluendum, & non debet iure petere. Puto tamen, quòd licentia debet ſibi dari ab Eccleſia ſi illa non petat ſeparationem à thoro: quia aliter eſſet in periculo.

ARTICVLVS XIII.

An adulter poteſt contrahere cum adultera?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Adultera verò nunquam etſi mortuus fuerit vir eius,&c.] Videtur enim falſum: quia videmus multos adulteros contrahere.

2 Item, Iura dicunt, quòd etiam adulter poteſt contrahere cum ea quam prius polluit per adulterium, niſi in tribus caſibus qui in litera habentur: ergo multo magis contrahere poteſt cum alia.

Solutio. RESPONSIO. De rigore iuris eſt quod dicit hic: vnde tangit Gregor. quid facere debeat de contrarietate ſui criminis, ſed non quid facere oporteat ſi continere non velit.

Non

Non est dimittenda vxor pro aliqua macula seu deformitate corporis.

ILLVD etiam sciendum est, quòd pro aliqua infirmitate vel macula corporali, non licet viro vxorem dimittere, & è conuerso, sed debet alter alteri subsidia prouidere. Vnde Augustinus. Si vxorem quis habeat sterilem, siue deformem corpore, vel debilem membris, vel cæcam, vel claudam, vel surdam, vel si quid aliud, siue morbis, vel laboribus doloribusque confectam, & quicquid, excepta fornicatione, excogitari potest vehementer horribile, pro societate fideque sustineat. P Lib. de sermone Domini in mõte.

ARTICVLVS XIV.

An aliquis possit dimittere vxorem quantulacunque causa, dempta sola fornicatione?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Illud sciendum, quòd pro aliqua infirmitate,&c.] Videtur enim iniustum: quia concitat odium,& frequenter inducit adulterium: ergo ab Ecclesia caueri debet: ergo videtur, quòd possit in tali casu dimitti.

2 Item, Multa sunt grauamina matrimonij, etsi coniunx sit delectabilis: ergo non oportet vt etiam grauetur ex coniuge: ergo videtur, quòd in tali casu dimitti debet.

3 Item, Quædam infirmitates deriuantur ad pueros, sicut lepra, & huiusmodi, & tunc bonum matrimonij destruitur: ergo videtur, quòd tunc matrimonium sit separandum.

RESPONSIO. Dicendum generaliter, quòd nihil superueniens matrimonio, separat ipsum, sicut dicitur in litera. Soluit.

AD OBIECTA autem dicendum, quòd fides thori & charitas Christi debent retrahere ab odio,& grauamina facere sustinere libenter propter Christum.

AD VLTIMVM autem dicendum, quòd proles ex talibus non destruitur, nisi in corpore, & ostensum est supra, quòd secundum corpus non est bonum matrimonij, sed potius secundum animam.

DISTINCTIO XXXV.

Eodem iure vtitur vir & mulier.

HOc etiam notandum est, quòd cum Dominus concedat vxorem dimitti causa fornicationis viro, eadem licentia non tollitur fœminis. Vnde Hieron. Præcepit Dominus vxorem non dimitti, excepta causa fornicationis: & si dimissa fuerit, manere innuptam. Quicquid viris præcipitur, hoc consequenter redundat ad fœminas. Non enim adultera vxor dimittenda est, & vir mœchus tenendus. Item, Apud nos quod non licet fœminis, æquè non licet viris, & eadem seruitus pari conditione censetur. Ex his ostenditur, quòd mulier potest super fornicatione virum conuenire, vt vir mulierem. Vnde Innoc. Papa, Christiana religio adulterium in vtroque sexu pari ratione condemnat, sed viros suos mulieres non facilè de adulterio accusant, viri autem liberius vxores suas adulteras apud sacerdotes deferre consueuerunt. Et ideo mulieribus prodito earum crimine, negatur communio, virorum autem latente commisso, non facilè quisquam ex suspicionibus arcetur: qui tamen submouebitur, si eius flagitium detegatur.

A *De diuortio quod fit propter adulterium.* De morte Fabiolæ, & habetur 32.q.5. c. Præcepit. Ibidem. 32.q.5. c. Christiana.

ARTICVLVS I.

An ius vtriusque in separatione est æquale?

HOc etiam notandum est, quòd cum Dominus concedat, &c.] Habitis impedimentis quibusdam, quæ in ipso iure & natura matrimonium impediunt contrahendum, & dirimunt contractum, tangit Magister de separatione à thoro, in qua non est separatio sacramentalis: de qua quærit quatuor. Primum est, quod ius vtriusque in separatione ista est æquale. Secundum, quod si sunt in simili crimine, neuter coniugum alium potest dimittere *ibi* [Si vero quæritur an adulter] Tertio ostendit, quòd dimissus vel dimissa non potest se alteri copulare, dum viuunt ambo dimittens & dimissa *ibi* [Siquis autem fornicatus, &c.] Quarto & vltimo ratione conuenienti materiæ tangit de his qui se primo polluerunt per adulterium, & postea contrahunt matrimonium. Et hæc de diuisione sufficiant.

Incidit autem quæstio determinata in primo capitulo. Videtur enim, quòd sic esse non debeat: ius enim perficit naturam: sed secundum ordinem naturæ vir excellit mulierem: ergo pari iure non debent censeri in dimittendo seinuicem propter fornicationem. Prima patet per se. Secunda probatur in lib. de animalibus, vbi dicitur, quòd natura particularis nunquam intendit mulierem, sed potius fœmina est mas occasionatus.

2 Item, Tullius dicit, quòd omne ius à natura per rationem profectum est: cum igitur à natura nihil proficiscatur ordini naturæ contrarium, videtur quod nunquam potest esse ius quod ad paria iudicat virum & mulierem in dimittendo.

3 Item etiam secundum legem Christi vir est caput vxoris: caput autem nunquam præciditur saluo corpore, sed membrum aliquod aliud putridum potest abscindi: ergo cum mulier sit sicut membrum, mulier potest abscindi à viro si putrescat per fornicationem, & non è contra vir à muliere.

4 Item, Vnum bonum matrimonij non debet alij præiudicare: sed video, quòd mulier fornicaria incertam facit prolem, vt dicit Tullius: ergo non propter bonum sacramenti ipsa debet tolerari, sed potius abiici, vt ex alia certi liberi nascantur.

5 Item, Si mulier fornicatur, incerti liberi statuuntur ad viri hæreditatem & matrimonium, sicut dicitur Eccli. 3. si autem vir fornicatur, non propter hoc incerti liberi statuuntur in matrimonio & hæreditate: cum igitur impariter se habeant in nocumento, videtur quòd impariter se debeant habere in iure dimittendi seinuicem.

6 Item, In Veteri Testamento Deuter. 24. permittebatur viro dimittere vxorem, & non econtra: ergo videtur, quòd etiam in Nouo Testamento impariter in hoc iure se habere debent.

Sed contra. IN CONTRARIVM est quod illud quod efficitur votis duobus concurrentibus, æqualem in vtrisque debet habere causam: sed tale est matrimonium: ergo æqualiter se habent ambo in causa separationis à thoro.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd ea quæ in litera dicuntur, sine ambiguitate sunt vera.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd vir non in omnibus excedit, sed tantum in regimine & efficacia generationis: sed in constituendo indiuiduitatem matrimonij, & debito, & fide thori, sunt per omnia æquales: quia ista sunt quasi ciuilia, & efficiuntur vtriusque voluntate.

AD ALIVD dicendum, quòd ius omne proficiscitur à natura: sed non oportet, quod proficiscatur ab vna naturæ conditione: est enim in muliere, quòd fœmina est: & hoc est sexus, & propter hoc indiget rectore, & effectiuè generante: & ex hoc proficiscitur, quòd non dominetur in virum, quod subdita est, quod sibi docere non permittitur, quod est potius adiutorium generationis quam generans. Est etiam in ipla, quod homo est habens rationem & liberum arbitrium: & ex hoc proficiscitur, quòd est domina suorum actuum, quod consensu suo facit matrimonium, quod habet debitum sibi acquisitum, & quod fidem potest seruare promissi. Et sic patet qualiter ius istud proficiscitur à natura. Per hoc patet etiam solutio ad sequens: quia non in omnibus est caput, sed in quibusdam, vt patuit.

AD ALIVD dicendum, quòd vnum bonum alij non præiudicat, sed potius conseruat, sicut fides thori certificat liberos. Vnde quod obiicitur, hoc tenuit, quando paucitas hominum separationis meruit dispensationem: sed postquam boni per prædicationem multiplicari inceperunt, laudatur status continentiæ: & ideò non quæritur fructus ventris in alia muliere.

AD ALIVD dicendum, quòd licet peccatum viri non generet dubietatem prolis: tamen peccat in matrimonio, & ideò debitum amittit in corpore vxoris, quod de iure matrimonij acquisierat. Et obiectio illa procedit à non causa: quia non est causa separationis à thoro, incertitudo liberorum, sed potius peccatum quod committit in matrimonium.

AD ALIVD dicendum, quòd in Veteri Testamento hoc non fuit vt ius, sed potius vt dissimulatio in iudicio causarum potius quam in iudicio animæ, sicut ante dictum est in quæstione de libello repudij: & ideo nihil est ad propositum.

ARTICVLVS II.

An viri mulieres suas adulteras debent accusare ad sacerdotes?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Viri autem liberius vxores suas adulteras apud sacerdotes, &c.] Videtur, quòd huius contrarium esse deberet: quia dicit Chrysost. quòd propria passio mulierum est luxuria: ergo minus est eis imputandum si fornicetur: ergo minus vituperabiles in accusatione, quã viri,

2 Item

2 Item in sequenti capitulo infra dicit Augustinus, quòd tantò grauius viros puniri oportet, quantò magis ad eos pertinet in virtute vincere, & exemplo regere fœminas. Et ex hoc sequitur idem quod prius.

3 Item, Propter sexus facilem incontinentiam & inclinationem dicit Philosophus, quòd non propriè dicuntur continentes, sed potius viri: ergo videtur, quòd non adeò vituperabilis sit mulier incontinens sicut vir: ergo non in actione est ita vituperabilis sicut vir.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd duæ sunt qualitates quæ coniunctæ faciunt incitationem ad coitum & facultatem coeundi: hæ autem sunt calidum & humidum: mulieres autem actiuum minus habent, quam viri, quia sunt frigidiores viris in communi quantum pertinet ad complexionem, & ita habent minus incitationem ad coitum, quam viri: & ideò magis vituperabilis est earum incontinentia. Sed verum est, quòd resistunt tentationi coitus debilius, scilicet in hoc quod humidiores sunt viris, & quòd humidum facilè recipit impressiones, & citius flectitur quam siccum: sed hoc est materiale: & ideò simpliciter sunt magis vituperabiles, quam viri. Tamen in matrimonio sunt duæ causæ speciales, quarum vna est, quòd secundum facultatem vnius vir potest in multas generando & non mulier: & huius etiam ratio supra explicata est. Secunda est: quia incertitudo liberorum fit ex peccato mulieris, sed non ex peccato viri: & hoc etiam supra explanatum est.

DICENDVM ergo ad primum, quòd dictum Chrysost. referendum est ad qualitatem passiuam, quæ facit resistere receptioni, & hæc est secundaria qualitas, & actiua est principalis. Per idem patet solutio ad dictum Augustini. quia viri resistere habent ex sicco.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc ideò dicit Philosophus, quia virtus omnis quærit quendam summum statum, eò quod virtus est vltimum potentiæ in re: sed cum continentia dicatur à resistendo & tenendo passiones præcipuè à venereis, & mulieres deficiant in tenendo passiones tales propter humidum abundans, dicit quòd non habent virtutem continentiæ in summo, quia non sunt agentes, sed potius patientes in venereis. Et propterea dixit poëta, Casta est quam nemo rogauit.

Quod fornicariam nequit dimittere vir, nisi ipse expers fuerit & è conuerso.

SI vero quæritur, An adulter adulteram possit dimittere causa fornicationis? Dicimus quia nequit adultera vxor dimitti à viro, nisi & ipse expers fornicationis existat, & è conuerso. Vnde Augustinus. Nihil iniquius est, quam causa fornicationis dimittere vxorem, si & ipse conuincitur fornicari. Occurrit enim illud, In quo quo alterum iudicas, teipsum condemnas. Quapropter quisquis fornicationis causa vult abiicere vxorem, prior debet esse fornicatione purgatus, quod similiter & de fœmina dixerim. Idem, Indignantur mariti, si audiant adulteros viros pendere similes adulteris fœminis pœnas, cum tantò grauius eos puniri oportuerit, quanto magis ad eos pertinet & virtute vincere, & exemplo regere fœminas. Ex his apparet, quod adulter adulteram dimittere non valet, & è conuerso.

B 32. q. 6. §. Ecce.

Lib. de serm. Domini in mõte. Rom. 2.

Lib. 1. de adulterinis cõiugiis.

ARTICVLVS III.

An adulteri teneantur se dimittere & separari, vel possint simul habitare?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Si vero quæritur, An adulter possit adulteram dimittere] Quæritur enim hîc, Vtrum teneantur se dimittere propter fornicationem, vel possunt adhuc cohabitare si velint? Videtur autem, quòd teneantur se dimittere: quia actus separatiuus semper diuidit, nisi aliquid iterato coniugat: sed fornicatio est actus separatiuus: ergo diuidit nisi iterata fiat coniunctio: sed non potest ibi esse coniunctio iterata: ergo necessarium est, quòd maneat diuisio. Probatio assumptæ per destructionem consequentis: inter duas & easdem personas non iteratur coniunctio matrimonialis & legitima: cum igitur prius fuerunt coniuncti, post actum separatiuum non iterabitur coniunctio, ne iniuria fiat sacramento.

2 Item videtur, quòd adulter adulteram dimittere possit: quia adulterium alterius causat separationem: sed in omni natura sic est, quòd quando geminatur causa, tunc confortatur effectus: sed vtriusque adulterio geminatur causa dimissionis: ergo effectus confortatur: ergo multò plus adulter adulteram dimittere potest, quam non adulter adulteram.

3 Item, Maius est peccatum amborum, quam alterius simpliciter: ergo videtur, quòd magis peccant contra matrimonium ambo,

quam alter: ergo magis diuidunt thori cohabitationem peccantes ambo, quam si alter peccaret: ergo videtur, quòd seinuicem dimittere possunt.

4 Item, Ambo in matrimonio ius suum amiserunt: cum igitur hoc eis propter peccatum non acquiratur iterato, videtur quòd peccent posteà commanentes: ergo tenentur separari.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est quod dicit Dominus Ioan.8. Siquis vestrum sine peccato est, primus in eam lapidem mittat: & hoc dixit de adultera: ergo adulter adulteram accusare non potest: ergo nec per accusationem deferre iudici: sed non potest dimittere nisi per iudicium: ergo vxor adultera ab adultero dimitti non potest.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd adulter adulteram non potest dimittere sicut dicitur in litera.

AD PRIMVM autem quod obiicitur, dicendum quòd non simpliciter est actus separatiuus: quia separat à thoro, sed non à sacramento: & ideo obiectio non valet: talis enim vnio & separatio sunt personales, & ideo sæpius inter easdem personas iterari non possunt.

AD ALIVD dicendum, quòd adulterium alterius est causa separationis ex merito fidei seruatæ in reliquo: ideo enim adiudicatur ei, quòd adulter amiserit debitum, quod habuit in corpore alterius, licet reliquus nihil amiserit. Cum autem vterque adulteratur, tunc nihil meretur illa fides, & ideo non possunt separari: quia pro neutro ad pœnam alterius iudicari potest. Obiectio autem procedit ac si merito adulterij solius fiat iudicium: & hoc non est verum. Per hoc etiam patet solutio ad sequens.

AD VLTIMVM dicendum, quòd neuter amisit ius suum: quia quòd vnus amittit ius suum, iudicatur in fauorem fidei seruatæ ab altero: & hoc non fit hîc. Et sic patet ratio iuris assignati hîc.

Quod possunt reconciliari qui separantur causa fornicationis.

1.Cor.7. Matt.19. CSIQVIS autem fornicationis expers fornicariam dimiserit, alij copulari non potest, sed continere oportet, vel ad dimissam redire: sic & de fœmina. Vnde & Apostolus, His qui matrimonio iuncti sunt, præcipio, non ego, sed Dominus, vxorem à viro non discedere, quod si discesserit, maneat innupta, aut viro suo reconcilietur. Et de viro addit, Et vir vxorem non dimittat. Super epist. ad Cor. 32. q.7. cap. Apostolus dicit. De ser. Domini in mõte, & habetur 32. q.7. Ibidem. cap. Domino ad illud. Sed Ambros. ait, Ideo non subdit de viro sicut de muliere, quia licet viro aliam ducere. Sed hoc à falsariis in Ambrosij libro positum creditur: supplendum enim esse in viro quod de vxore præmisit, apertè dicit Augustinus sic, Quare non addit de muliere, quod præmisit de viro, nisi quòd similem formam vult intelligi? vt si dimiserit (quod causa fornicationis permittitur) maneat sine vxore, aut reconcilietur vxori. Idem, Si nec nubere illi conceditur, viuo viro à quo recessit, nec huic alteram ducere viua vxore quam dimisit: multò minus fas est illicita cum quibuslibet stupra committere. Idem, vt non facilè dimittatur vxor, Dominus solam fornicationis causam excepit: cæteras verò vniuersas molestias, si quæ extiterint, iubet pro fide coniugali & pro castitate fortiter sustineri, & mœchum dixit, qui à viro solutam duxit. Mat.22. Ex his ostenditur, quòd si causa fornicationis fit separatio, non potest vir vel mulier in aliam transire copulam. Possunt autem reconciliari & cohabitare sicut prius, si dimissum alter reuocare voluerit.

ARTICVLVS IV.

An vir qui fornicationis expers fornicariam dimiserit, potest alij copulari?

DEinde quæritur de hoc quod dicit [Siquis autem fornicationis expers, &c.] Ex hoc videtur, quod in isto cap. dicitur, quòd penitus sit iniustum: dicit enim Dominus in Euangelio, quòd non omnes capiunt verbum de continentia Matth.19. ergo nec omnibus debet imponi: aut igitur vir dimittet, aut non dimittet. Si dimittit, tunc cum sit imperfectus, sibi imponitur perfectio: hoc autem est laqueus imperfecto, sicut innuit Apostolus 1.Corinth.7. Non vt laqueum vobis iniiciam, sed ad illud quod honestum est, prouocem, & quod facultatem

tatem præbeat sine impedimento se Domino obseruandi. Si autem non dimittat, tunc incentiuum præbet delinquendi: quia stultus est, qui tenet meretricem, vt dicit in litera: ergo videtur iniustum esse quod hic dicit.

2 Item, Ista ex matrimonio non habuit plus quam debitum in corpore viri, & hoc merito fornicationis amisit: ergo cum illo nihil plus habet commune: ergo videtur, quòd licet ista non sit soluta ab illo qui non peccauit in matrimonium, tamen ille sit solutus ab ea: ergo ille potest ducere aliam, licet ipsa alium ducere non possit.

3 Item, Cum tria bona sint matrimonij, video quòd per fornicationem duo expresè violantur, scilicet fides, & sacramentum. Et de fide quidem patet. De sacramento autem etiam patet sic: quia sacramentum secundum esse est ipsa indiuiduitas matrimonij, qua vnum fuerunt in anima & corpore vir & mulier: sed impossibile est illam vnitatem manere in vnione ad alium: ergo cum per fornicationem alter vnit se alij, ipse diuidit se à primo: ergo soluitur indiuiduitas: ergo hæc bona quæ nulla facta sunt, non tenent esse matrimonij inter virum & mulierem: sed bonum prolis melius & certius in alia quæritur, & etiam in animalibus: ergo videtur, quòd nullum bonorum matrimonij impediat, quin ille qui non est fornicatus, contrahere possit cum alia: ergo falsum est quod dicitur in litera.

4 Item, Matrimonium est medicina: sed nulla ars medicinæ est, quæ ægro parat tantum vnum electuarium vel antidotum, sed potius si offenditur in vno, paratur alterum: ergo à simili cum ægritudo concupiscentiæ periculosior sit, quam ægritudo corporis, videtur quòd ei continuè diuersa debent parari antidota. Si igitur offendat vnus coniugum (quia melius est nubere, quam vri) debet facultas dari contrahendi cum altero.

Sed contra. In contrarium huius est, quòd omne inducens lasciuiam & dissolutionem ciuilitatum Ecclesiæ, debet interdici à iure, sicut dicit Philosophus in politegiis: sed coniungi pluribus successiuè est huiusmodi: ergo debet interdici: ergo rectum est ius quod hic ponitur. Probatur media: si enim separatus coniungitur alteri, nascitur odium parentelæ ad parentelam, & dissidium domus puerorum contra pueros: ergo constat propositum.

Ad hoc dicendum, quòd ea quæ in litera dicuntur, sine ambiguitate sunt tenenda.

Ad primum autem quod contra obiicitur, dicendum quòd permittitur & consulitur ei, quod cautione habita vxori parcat, & sic secum remaneat: quia non est meretrix quæ pœnitens est: & si non vult, sibi imputet: nec per hoc præstat incentiuum delinquendi, quia vir iure potest eam disciplinis arcere & sacerdotibus, quod de lapsu secundo non timebit.

Ad alium dicendum, quòd bonum sacramenti non violatur: quia talis separatio non est sacramentalis: quia licet alij sit vnita corporaliter, non tamen sacramentaliter: & vnio corporalis cum alio non contrariatur vnioni sacramentali cum marito, & ideò non scindit eam.

Ad alium dicendum, quòd matrimonium medicina est: si tamen infirmus abhorret medicinam, quæ sola valet contra morbum, non potest ei fieri alia, sed eadem aliter disposita erit salutaris: ita est de muliere primo meretrice, & postea pœnitente.

ARTICVLVS V.

An vir potest fornicariam dimittere, & alteri copulari, sicuti falsò imponitur Ambrosio quòd hoc senserit?

Deinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Quia licet viro aliam ducere, &c.] Hoc enim videtur esse verum: quia sicut antè dictum est, viri habent magis incitatiuum, quam mulieres: ergo amplius debet eis subueniri ex statutis matrimonij: ergo aliquid debet eis concedi, quod non mulieribus: sed hoc non potest esse, nisi vt alias ducat: ergo licet vel licere debet viris alias ducere.

2 Item, Vir multas implet, vt supra probatum est: ergo secundum sexus sui naturam debet ei permitti cum multis contrahere: ergo licitum est quod dicit: ergo non est à falsariis libris Ambrosij impositum, sed potius ex ratione decretum vel dictum.

Responsio, quòd à falsario Ambrosij libro appositum est, & falsum apertè. *Solutio.*

Ad primum autem dicendum, quòd lex continentiæ indicitur dimittenti: aut si non continet, reconciliari, & hoc competit perfectioni Noui Testamenti: nec Deus gratiam negabit, dummodo se pœnitendo præparet ad receptionem, ad quam si se non præparauerit, sibi imputet & non alij.

Ad alium dicendum, quòd hic Philosophus loquitur de natura quæ est sexus ex genere: quia omnis masculus sic se habet: & hoc non est natura propria hominis, sed potius illa quæ est ex differentia. Et quid sit hoc dictum, ex superioribus patet. Hic autem loquitur ius patrum de iure hominis inquantum homo, id est, inquantum vtens ratione & intellectu per considerationem præmij castitatis.

Quæ prædictis videntur obuiare.

Dicit tamen Ioannes Chrysost. Sicut crudelis & iniquus est, qui castam dimittit: sic fatuus est & iniquus, qui retinet meretricem. Patronus enim turpitudinis est, qui celat crimen vxoris. Item Hieron. Cum mulier vnam carnem in aliam diuiserit, & se fornicatione à marito separauerit, non debet teneri: ne

D 32.q.1.c. Crudelis. Ibidem. c. Dixit Dominus.

virum

Prou.18. virum quoque ſub maledicto faciat, dicente Scriptura, Qui tenet adul-
34.q.2. teram, ſtultus eſt & inſipiens. Idem ad Amandum presbyterum ſcri-
Non ſatis. bens de quadam, quæ viro ſuo viuente alij nupſerat, ſic ait, Rem nouam loquor, imo non nouam, ſed veterem, quæ Veteris Teſtamenti
Deut.24. auctoritate confirmatur. Si reliquerit ſecundum virum mulier, & reconciliari voluerit ptiori, non poteſt.

ARTICVLVS VI.

An vir teneatur dimittere adulterum, an tenere eam apud ſe?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Dicit autem Ioannes Chryſoſt.&c.]Hoc enim confirmatur per rationem: quia facilitas veniæ parit incentiuum delinquendi: ſed ſæpè recipere facilitas eſt veniæ: ergo parit incentiuum delinquendi: ergo non eſt ſæpè recipienda.

2 Item ſuper illud Rom.1.Non ſolum qui faciunt, &c. dicit Gloſſ. quòd conſentit, qui dum poſſit arguere,tacet: ſed vir dimittendo mulierem per hoc quod obiicit ei fornicationem, poteſt arguere: ergo peccat tacendo & diſſimulando: ſed receptio fit ex culpæ diſſimulatione: ergo peccat ſæpè recipiendo.

3 Item, Patronum eſſe turpitudinis & lenocinij, eſt peccatum mortale: ſed tenere fornicariam eſt eſſe patronum turpitudinis & lenocinij, vt dicitur in litera: ergo fornicariam tenere & non abiicere, eſt peccatum mortale.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius ſic obiicitur: Sapiens ſibi cauet ne medicinam irrecuperabilem ſibi amittat: ſed vxor eſt medicina concupiſcentiæ irrecuperabilis dum viuit: ergo ſapiens non abiicit eam: ergo non vult ſeparari ab ipſa,quandiu viuit, etiam quicquid faciat.

2 Item Hieronymus dicit ſuper Oſeam, quòd bonum eſt inducere meretricem vt ad continentiam inuitetur: ergo multo maius bonum eſt tenere eam iam ductam: ergo malum eſt dimittere vxorem etiam exercentem meretricium.

3 Item, Si infidelis eſſet,moneretur tenere eam ſpe pœnitentiæ: ergo multò magis fidelem, ſed in moribus aberrantem debet moneri, quod teneat: ergo nullo modo eſt dimittenda.

4 Item, Quandiu eſt cum viro, habet aliquod retinaculum turpitudinis: quando autem dimittitur, nullum habet: ergo videtur, quòd melius ſit eam tenere, quam dimittere.

RESPONSIO. Dicendum,quòd quandiu habetur ſpes & facultas correctionis, tandiu monendus eſt vir ne dimittat vxorem: ſed ſi neutrum iſtorum ſit, potius conſulendum eſt viro, quòd ſubtrahat ſe turpitudini: quia patronus iudicatur turpitudinis,quando commoratur nolenti recedere à fornicatione. Et per hoc patet ſolutio ad primam partem obiectionum. *Solutio.*

AD PRIMVM autem quod in contrarium obiicitur, dicendum quòd ſapiens aliquid habet de timore Dei & amore honeſtatis: & ideò libentius caret medicina quæ non directè medicatur, quia gratia naturæ medicina eſt contra concupiſcentiam, quam ipſe cum infamia & peccati participatione debito ſuo vtitur in muliere nefaria.

AD ALIVD dicendum,quòd verum eſt, vbi eſt ſpes pœnitentiæ: ſed ſi non ſit ſpes, tunc ſtultus eſt, qui talem ducit mulierem.

AD ALIVD dicendum, quòd verum eſt de infideli quæ cohabitat non in contumeliam auctoris matrimonij:meretrix autem talis in qua non ſperatur pœnitentia,cohabitat cum contumelia honeſtatis matrimonij & blaſphemia caſtitatis.

AD ALIVD dicendum, quòd ſi vir poſſet eam retinere à turpitudine,tunc abſque dubio monendus eſt, quòd teneat eam: ſi autem non poteſt, tunc tutius eſt dimittere, ne & ipſe vir pereat in ſcelere mulieris.

Determinatio.

ESED hæc omnia intelligenda ſunt de illa quæ ab adulterio recedere noluit, nec per pœnitentiam peccatum delere. Quod ſi vir ſcienter patitur, conſentire videtur. Si enim in adulterio perſeuerare eligit, patronus turpitudinis, & lenocinij reus maritus habebitur, niſi eam adulterij ream facere voluerit. Si autem à peccato receſſerit, & per pœnitentiam illud purgauerit, poterit viro reconciliari. Vnde Auguſt. Quid tibi durum videtur, vt poſt adulterium reconcilietur coniunx, ſi fides adſit, non erit durum. Cur enim adhuc deputamus adulteros, quos credimus pœnitentia

32.q.1. *Ad Pelagium.* 32.q.1. c. Quod autem.

tentia esse sanatos? Idem, Non erit turpis nec difficilis, etiam post patrata & purgata adulteria reconciliatio coniugij, vbi per claues regni cælorum, non dubitatur fieri remissio peccatorum: non vt post viri diuortium adultera reuocetur, sed vt post Christi consortium adultera non vocetur. Item Gregor. Debet recipere peccatricem, quæ pœnitentiam egit, sed non sepè. Item Hermes, Si vir sciuerit vxorem suam deliquisse, & non egerit pœnitentiam mulier, sed permanet in fornicatione sua, & viuit cum illa, vir reus erit & particeps peccati eius. Quod si mulier dimissa egerit pœnitentiam, & voluerit ad virum reuerti, debet recipere peccatricem quæ pœnitentiam egit, sed non sæpè.

Lib. de adulterinis cõiugiis.

In lib. qui dicitur Pastor.

Lib. de adulterinis cõiugiis.

ARTICVLVS VII.

Qualiter debeat fieri adulterij accusatio?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Sed hæc omnia intelligenda sunt, &c.] Et quæruntur hic nouem. Primum est, Qualiter debeat fieri accusatio? Secundum, Quando maritus admittitur ad accusationem vxoris adulteræ, vel è conuerso? Tertium, Quis sit effectus huius separationis? Quartum, In quibus casibus vir non potest agere ad thori separationem? Quintum, Vtrum post latam sententiam de separatione thori recipere tenetur adulteram si & ipse adulteratur? Sextum, Vtrum mulier post latam sententiam debet reconciliari viro reuocanti eam, etiamsi non vult? Septimum, Vtrum mulier adultera post pœnitentiam adulterij potest repellere virum ab accusatione? Octauum, Vtrum vir adulteratus occultè potest sine peccato agere contra mulierem manifestè adulteram ad thori separationem? Nonum, Vtrum reconciliata adultera debitum quod habuit in corpore viri amiserit, ita quod non possit sine peccato petere debitum, sed tantum reddere?

Ad primum obiicitur sic: Accusatio est propriè de crimine per inscriptionem facta, obligante se accusatore ad legem talionis coram iudice si defecerit in probatione. Videtur autem, quod hoc non possit obseruari in accusatione adulterij: quia accusatio debet esse de scito: illud autem peccatum in occulto fit. Ergo non potest accusari.

2 Si dicas, quòd per suspicionem debet accusari. Contra: Sæpè humanum fallitur iudicium: ergo suspicio non facit ad certitudinem iudicij: ergo nec iudex procedet ad sententiam diffinitiuam.

3 Item, Qualiter facienda est inscriptio? non enim potest intelligi inscribi id quod est probandum: actus autem commixtionis probari non potest, quia rarissimè accidit coram tot fieri illud peccatum, quòd sufficiant ad probationem.

4 Item videtur non posse saluari, quòd se obliget ad legem talionis: quia si detur, quòd non probat, tunc ipse separabitur à coniuge: quia hoc tantum est ac si vxor separetur ab eo: ergo ipse siue probaret siue non probaret, consequeretur propositum suum: & hoc non est ius: ergo non potest fieri modus accusationis in ista causa.

RESPONSIO. Dicendum, quòd accusatio matrimonij propter adulterium manifestum duplex est: vna ad pœnam legalem, altera ad thori separationem. Illa vero quæ est ad pœnam legalem, fit coram iudice seculari per inscriptionem & pœnam talionis: quia tunc eadem pœna debet fieri viro si in probatione defecerit quæ fieret mulieri si probare posset quod dicit. Illa autem quæ fit ad thori separationem, fit per inscriptionem coram iudice ecclesiastico & sine lege talionis: quia non habet locum lex talionis: quia sicut obiectum est, vir consequeretur propositum, siue probaret quod obiicit, siue non. *Solutio.*

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd iudicatur scitum secundum quod violenter est præsumptum ad minus secundum rhetorem, qui ex signis violentis procedit, vt si solum cum sola in lecto vel in tenebris latitantem inueniat. Quandoque etiam tam viri quam mulieres quando sciunt adulteras, insidiantur eis, & cum vestibus deprehendunt in facto, & tunc iudici de facto constare potest.

AD ALIVD dicendum, quòd suspicio dicitur leuis & violenta, secundum quod etiam in dialecticis quandoque signum profundatum inuenitur, quod quasi cum causa conuertitur, & hoc quandoque facit scientiam quasi demonstratiuam sicut causa, & talis est præsumptio in rhetoricis, & hoc bene facit fidem iudici: leuis autem non debet admitti.

AD ALIVD dicendum, quòd inscriptio facienda est sic: Anno ab incarnatione Domini nostri Iesu Christi. M. CC. XLIX. præsidente Domino N.

AD ALIVD dicendum vt patet in principio solutionis.

ARTICVLVS VIII.

Quando admittitur maritus ad accusationem vxoris adulteræ, & an potest fieri per sodomiam, & an de hæresi & reliquis casibus?

SEcundo quæritur, Quando maritus admittitur ad accusationem vxoris adulteræ, vel è conuerso? Videtur autem, quòd quando fornicatio vel adulterium est commissum: quia dicit

dicit Dominus Matth.5. & 19. quòd non potest fieri dimissio excepta causa fornicationis: ergo si sit fornicatio, tunc videtur fieri posse accusatio.

2 Item, Accusatio est de crimine peccante in matrimonium:hoc autem est fornicatio: ergo illo perpetrato potest fieri accusatio.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est, quòd secundum Dominum Matth.18.quilibet prius mouendus est, quam accusetur apud Ecclesiam: ergo videtur, quòd statim existente fornicatione vxor non est accusanda, sed monenda vt resipiscat.

2 Item, In tali fraterna correptione homo tenetur extraneo: ergo multo plus in talibus tenetur vxori: ergo non est statim accusanda.

Quæstiuncula 1. VLTERIVS quæritur hic, Cum turpior modus sit abutendi se in sodomia, vtrum per sodomiam potest fieri accusatio ad thori separationem? Videtur autem,quòd sic: quia magis est peccare contra naturam, quam contra matrimonium: sed sodomia est contra naturam,fornicatio autem siue adulterium est contra matrimonium tantum: ergo sodomia est maius peccatum quam adulterium; ergo magis debet fieri separatio propter sodomiam, quam propter adulterium.

2 Item Genes.38.eum qui fundebat semen in terram Dominus interfecit: ergo multò magis interficiet eum, qui & contra naturam operatur & annihilat semen: ergo videtur, quòd pro enormitate sceleris separandum sit quantum ad thori coniugium.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est, quòd non diuidit se in alium: ergo seruat fidem thori in hoc quod non communicat se alij, & ad aliud non obligat fides thori:ergo videtur,quòd non peccat contra matrimonium:ergo nec puniendus est in matrimonio quoad thori separationem.

Quæstiuncula 2. VLTERIVS quæritur hic de fornicatione spirituali: illa enim maior est, quam corporalis: igitur cum illa per hæresim vel iudaismum vel paganismum suscepta peccet contra matrimonij auctorem, videtur quòd puniendus sit ille qui peccat taliter in matrimonio, quoad thori separationem.

2 Item,In tali fornicatione magis timetur malum prolis, quam etiam in corporali: ergo magis est separanda talis vxor à thoro, quam fornicans corporaliter, ne proles hæresi inficiatur.

Sed contra. IN CONTRARIVM est: quia talis nullo modo peccat contra matrimonium: ergo iniustè agitur secum, si punitur in matrimonio.

2 Item, Ponamus, quòd non cohabitet in contumeliam creatoris, nec doceat hæresim alium coniugem vel filios, videtur quòd tunc non sit separatio facienda.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd in his tribus casibus accusatio potest fieri,qui tacti sunt in obiiciendo.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd multiplex est modus accusationis, per accusationem, per denuntiationem, & per inquisitionem, Obiectio autem tenet de modo denuntiationis, sed non de modo accusationis: quia in modo accusationis potius agitur ad pœnam accusati, quam ad correctionem: sed in modo denuntiationis est è conuerso. Et est instantia: quia in furto possum agere ad rem meam, & furem accusare coram iudice ecclesiastico,non tamen teneor ad admonendum eum primo.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc est verum quando homo agit ad personæ correctionem: & tunc modus accusationis non est iste qui fit per accusationem inscriptam.

Ad quæstiunculam 1. AD ALIVD quod vlteriùs quæritur, dicendum quòd, vt puto, pro sodomia violenter præsumpta & probata vxor potest dimitti, & è conuerso, nisi præsumatur, quòd concubitu muliebri exhibito à vitio sodomitico purgetur.

AD ID autem quod contra obiicitur, dicendum quòd non seruat fidem thori: quia castitatem commaculat, ad cuius custodiam fides thori est seruanda: sed verum est, quòd non vnit se alteri,sed potius amittit castitatem, quam si se alteri vniret.

Ad quæstiunculam 2. AD ID quod vlterius quæritur,dicendum quòd sine dubio pro hæresi vel alia pertinaci infidelitate potest dimitti vxor,quando obiicit carnalem fornicationem: sed quando obiicit spiritualem, tunc oportet consuetudinem allegare, quia aliter non iudicaretur pertinax in suo sensu.

AD ID quod contra obiicitur, dicendum quòd peccat contra fundamentum matrimonij & auctorem: & hoc peius est, quam si contra matrimonium directè peccaret: & ideò superueniens matrimonio, causat separationem à thoro.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc ipsum est contumelia: quia in hæresim à Christiana fide est lapsa, & minus est spes de ea, quam si nunquam fidelis fuisset: & ideò non est simile, quia Apostolus loquitur ibi de his qui in gentilitate contraxerunt, & posteà alter eorum conuersus est: sed hic loquitur de eo qui ante in christianitate existens contraxit,& posteà in hæresim lapsus est.

ARTICVLVS IX.

An effectus separationis sit præcisio a thoro?

TErtio quæritur, Quis sit effectus separationis? Et dicitur communiter, quod præcisio à thoro. Videtur autem, quòd non debet esse: quia nulli de quo timetur,& custodiri potest,danda est libertas peccandi:sed mulier ita egrediens, maiorem accipit peccandi libertatem: ergo non debet ei concedi à marito: ergo non est separanda à thoro.

2 Item Oseæ 2. loquitur de adultera dicens, Ego sepiam viam tuam spinis, & sepiam eam maceria: & semitas suas non inueniet. Ergo sepienda est adultera, & non separanda à thoro.

3 Item Hieronymus in proœmio bibliæ galeato Oseæ describit mulierem adulteram

cubiculo

cubiculo viri clausam,& multo tempore sedere viduam,& reditum viri ad se præstolari:ergo & hoc modo potest hîc fieri.

4 Item,Furiosus seipsum volens interficere,ligatur & benè agitur cum eo:sed mors animæ periculosior est,quam mors corporis:ergo videtur, quòd volens sibi facere mortem animæ,non debet dimitti, sed ligari.

Sed contra. IN CONTRARIVM est quod dicit Papa, quòd nulli iniuriatur, qui suo vtitur iure: sed iste dimittens,vtitur suo iure: ergo nulli iniuriatur: ergo hoc licitè facere potest.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd dimitti potest etiam pro simplici fornicatione: sed etiam dimitti debet, quando sæpius iterat, & non vult pœnitere, causis superius assignatis.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd non potest fieri ei vis:quia coacta seruitia Deo non placent,& vt dicit Damasc. nec compellit virtutem,nec suadet malitiam:& etiamsi exterius ligaretur, cor ligari non posset: & ideò non est liganda.

AD DVO sequentia dicendum, quòd sepienda est spinis à Domino via fornicatoriæ animæ, qui potest hoc modo conuertere: sed vir non potest conuertere, & propter fauorem viri permittitur ei,quòd agat ad separationem, vt sic mulier confusa reuertatur ad seipsam, sicut etiam medicinalis est excommunicatio.

AD VLTIMVM dicendum, quòd non est simile de furioso: quia ille non præuidet suum periculum, sed mulier adultera benè videt.

ARTICVLVS X.

In quibus casibus vir non potest agere ad separationem thori?

QVarto quæritur, In quibus casibus vir non potest agere ad thori separationem? Et dicuntur septem.Primus casus est,si ipse similiter fornicari conuincitur.Secundus,Si ipse vxorem prostituit.Tertius,Si ipsa propter longam viri absentiam virum defunctum credebat. Quartus, Si latenter cognita est ab aliquo in specie proprij viri lectulum subintrante. Quintus,Si fuit vi oppressa. Sextus,Si reconciliauit eam sibi post adulterium perpetratum. Septimus, Si in infidelitate matrimonio contracto alter conuersus dat libellum repudij non volenti cohabitare, & ille recedens nupserit alij, & post illo dimisso conuertatur: tunc enim tenetur eam recipere non obstante eo quod in infidelitate ab alio cognita fuerit.

Obiicitur autem de primo casu:quia duplex culpa auget reatum:ergo & pœnam:cum ergo pœna forn:cationis vxoris sit separatio à thoro,propter duplicem fornicationem magis debent separari.

2 Item, Vterque istorum peccat contra matrimonium: ergo vterque istorum in matrimonio puniri debet: ergo abinuicem separari debent.

3 Item, Fides vtriusque læditur ad alterum: ergo periculosè cohabitant:ergo videtur, quòd concedendum sit eis,quòd agant ad sui inuicem separationem.

De secundo autem opponitur: quia tunc maximè videtur vile contubernium inter virum & mulierem:ergo dandum est ius vt ab inuicem separentur.

2 Item, Circunstantia turpior est à viro prostitui, quam ab extraneo: videtur ergo, quòd aliquod ius introducendum sit per quod à viro separetur: & hoc non potest esse nisi detur accusatio ad separationem: ergo talis non debet impediri quin agat ad thori separationem.

De tertio obiicitur similiter:ponamus enim, quòd sequentis amorem præferat præcedenti, & non velit redire admonita: ergo videtur, quòd ipsa adulterij rea efficitur, vt infra in litera dicetur: ergo potest agi contra eam ad thori separationem.

2 Item, Dubia in meliorem & securiorem partem sunt interpretanda: sed marito diu absente non potest esse certum de sua morte: ergo videtur, quòd ipsa tenetur securius eligere,scilicet continenter expectare:quia in illo nullum est periculum: si ergo non expectauerit, videtur quòd hoc possit ei opponi: ergo contra eam potest agere vir ad thori separationem.

De quarto similiter obiicitur: quia de facili notabilis est vir à viro in tactu & loquela & aliis signis: ergo si ipsa non discernit, videtur quòd non facit quod in se est:ergo rea efficitur: ergo peccatum illud potest ei opponi ad thori separationem.

2 Item, Ignorantia non excusat à toto,sed à tanto: ergo non tota accusatio contra eam tollitur à viro.

De quinto etiam opponitur, si est oppressa: nullo enim metu debet fornicari, quia quoad hoc nullus metus cadit in constantem virum, quia hoc est mortale peccatum: ergo per hoc non absoluitur, quin vir posset agere contra eam.

2 Item, Ipsa aliquid confert ad actionem, quia concedit corpus,licet inuita:ergo non est omnino vis.

3 Item, Violenter corruptæ non velantur: ergo à simili ab actione viri etiam non ex toto absoluuntur: ergo vir in tali casu potest agere ad thori separationem.

De sexto etiam quæritur sic: Aut intelligitur reconciliatio per iudicium Ecclesiæ, aut quiá petiuit ab ea debitum,& illa reddidit. Si primo modo: tunc nullus est casus: quia iam iudicatum est ab Ecclesia, quòd illud adulterium non pro adulterio est habendum, & tunc nullum est ibi dubium. Si autem secundo modo. Contra: Ponatur quòd lite pendente ante sententiam datam ab Ecclesia illa petat debitum: aut negabitur,aut non.Si negauerit: ergo facit iniuriam: quia adhuc non est absolutus ab ea per sententiam Ecclesiæ: ergo non reddit ei quod adhuc suum reputatur: ergo peccat mortaliter, Si autem reddit, tunc reconciliatur ei post adulterium: ergo non potest posteà agere ad thori separationem: & hoc nihil est: ergo iste casus nullus est, vt videtur.

2 Item,Pro beneficio nullus amittit actionem quam habet aduersus aliquem: sed iste reconciliando se illi bene facit: ergo ex hoc non amittit actionem: ergo videtur, quòd etiam post reconciliationem possit agere vt prius ad thori separationem. Prima probatur: quia si detur oppositum, tunc sequitur, quòd aliquis punitur pro beneficio: quia amittere actionem quæ sibi à iure in fauorem conceditur,est maxima pœna. Secunda autem per se constat.

De septimo obiicitur: quia dicit Apostolus 1.Corinth.7. quòd si infidelis discedit, discedat: non enim seruituti subiectus est frater vel soror in huiusmodi. Ergo similiter qui separatur ab infideli coniuge, in nullo est sibi obnoxius: sed per conuersionem non fit ei obnoxius noua seruitute: ergo non tenetur eam recipere: ergo videtur, quòd iste casus sit nullus.

2 Item,Si debet eam recipere,hoc non est, nisi ex vinculo matrimonij quod remansit etiam post abscessionem illius: sed ponamus, quòd fidelis contrahat cum alia antequam illa conuertatur quæ prima vxor fuit dum infidelis esset: ergo si prima posteà conuertitur, tenetur recedere à fideli, & recipere eam, & hoc est contra Apostolum.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est quod dicit Innocentius 2.extra. de diuort. cap.Gaudemus. Et infra, quòd si conuersum ad fidem & illa conuersa sequatur, antequam propter causas prædictas legitimam ille ducat vxorem, eam recipere compelletur: quamuis quoque secundum euangelicam veritatem qui duxerit dimissam, mœchatur, non tamen dimissor poterit obiicere fornicationem dimissæ pro eo quod nupsit alij post repudium,nisi alias fuerit fornicata.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum ad primum casum, quòd ille tenet secundum sententiam Domini in Euangelio Matth.5.& 19.

AD PRIMVM autem quod contra obiicitur, dicendum quòd maius peccatum est in vtroque ex duplici fornicatione, quam ex vna: quia tamen actio ista in fauorem illius indulgetur à iure, qui non est mœchatus, quando neuter meretur fauorem illum, cessabit actio ad thori separationem.

AD ALIVD dicendum, quòd vterque peccat contra matrimonium, & tamen neuter potest agere: quia trabem habet in oculo: & ideo non fit iudicium nisi inquisitionis & pœnitentiæ, & non accusationis ad thori separationem: quia de illo modo agendi intelligitur hoc quod dicitur Ioan.8. Qui sine peccato est,&c.

AD ALIVD dicendum, quòd pro læsa fide vtrique iniungenda est pœnitentia in foro confessionis,vel etiam à visitatore si fuerit denuntiatum: sed actio dicta de causa cessat per modum accusationis.

AD ID quod obiicitur de secundo, dicendum quòd verum est, quòd maius est ibi peccatum si vir prostituat vxorem suam,quam si non prostitueret eam: tamen quia ius illud in fauorem innocentiæ introductum est, non meretur vir prostituens vxorem tali iure gaudere. Obiectio autem procedit ac si ius in detestationem criminis tantum sit inductum. Et per hoc patet etiam solutio ad sequens.

AD ID quod obiicitur de tertio,dicendum est, quòd sine dubio si mulier non vult redire ad priorem postquam sciuit eum viuum, & fugit eum, amorem sequentis ei præferens, reputabitur tunc adulterij rea. Et potest hoc vir ei obiicere coram iudice ecclesiastico ad thori separationem:& in hoc casu non excusatur, sed tantum quando putans virum mortuum cum alio contraxit.

AD ALIVD dicendum, quòd melior pars est rationabilior: & cum ratio nostra in talibus particularibus non potest procedere, nisi ex iudiciis sensibilibus, dicitur satis tuta pars secundum humanum iudicium, quando sufficienter habet sensibilia, ex quibus ratio causetur, sicut est fama per auditum, & expectatio longa vltra terminum conductum de reditu,& huiusmodi.

AD ID quod obiicitur de quarto casu, dicendum quòd quando præsumitur mala machinatio, tunc posset discerni de facili. Sed quando nihil mali præsumitur,tunc talis cautela non adhibetur,nec tenetur adhibere: quia in loco consueto frequentationi sui mariti & hora consueta se exhibet,& ad amplius non tenetur.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc intelligitur de ignorantia iuris,non facti: ignorantia enim facti à toto excusat: & talis est ista ignorantia, quando alius recipitur pro alio, sicut Lia recepta est à Iacob pro Rachele.

AD ID quod obiicitur de quinto, dicendum quòd iste casus intelligitur de vi absoluta, quæ licet non cadat in animum, tamen cadit in corpus: & non intelligitur de metu honoris, vel parentum, vel alicuius alterius: & hæc vis dicta est oppressio potius,quam metus vel violentia timoris. Per hoc etiam patet solutio ad sequens: quoniam constat,quòd nihil confert,sed tantum patitur.

AD ALIVD dicendum, quòd non velantur taliter o pressæ: propter cautelam tamen si omnimoda fit eis vis, possunt meo iudicio velari, sicut notatum est in quæstione de velo virginum, & probatur per rationes satis congruas, & etiam per auctoritates,licet solus Leo Papa aliquid videatur dicere contrarium, quod propter cautelam dictum est amplioris humilitatis. Si tamen aliquis vellet tenere contrariam opinionem, scilicet quod non debent velari, ille potest dicere ad istud, quòd non est simile:quia velum requirit signum potius, quam virtutem & gratiam: sed ius illud in fauorem virtutis & detestationem vitij inductum est, & cum non inueniat maiorem in vno coniugio virtutem, quam in alio, nec vitium quod præcipuè in mente est, non datur licentia alteri obiicicndi huiusmodi fornicationem.

AD ID quod quæritur de sexto,dicendum quòd vtroque modo potest intelligi: si enim reddit ei debitum, aut reddit vt reconciliatæ cui culpam dimisit, aut reddit sicut ei à cuius debito est nondum absolutus per iudicium ecclesiasticum. Si primo modo: tunc tenet casus:

casus: quia non est ius vt semel dimissum iterum repetatur vel obiiciatur in crimen: quia, sicut dicit Propheta, non consurget duplex tribulatio: nec idem peccatum potest esse indultum & punitum ac si non sit indultum. Si autem reddit secundo modo: tunc non obstat ei quin eam adhuc accusare possit. Et per hoc patet solutio primæ obiectionis.

AD ALIVD dicendum, quòd de beneficiis nullus de iure suo aliquid amittit: sed ex beneficio quandoque sequitur amissio, sicut si tu debes mihi centum, & ego remitto tibi propter Deum ex beneficio eleemosynæ, amitto ius petendi à te centum: & hic est ita, ex remissione enim iste amittit ius accusandi.

ET AD quod vlterius obiicitur de septimo, dicendum quòd vltimo inducta decretalis totum ius dicit quod est in casu isto. Ad primum autem quod contra opponitur, dicendum quòd hoc verum est quod dicit Apostolus, quòd in huiusmodi non est frater aut soror subiectus seruituti: sed in alteriusmodi est subiectus, hoc est, si alterius modi efficitur, id est, fidelis sicut maritus.

AD ALIVD dicendum, quòd si aliam duxerit ante suæ coniugis conuersionem, tunc fauore fidei absoluitur: quia fortius est vinculum matrimonij, quod fundatur super fidem Christi, quam id quod in infidelitate contrahitur: & ideò secundum stat matrimonium, & etiamsi illa conuertatur quam prius habuit. Sed quando nullum vinculum stringebat in oppositum, secus fuit, sicut patet in vinculis corporalibus, quòd debile per se stringit: quòd si veniat fortius in oppositum stringens, rumpitur primum, quod cum solum erat, non rumpebatur. Sed tamen notandum est, quòd in eadem decretali parum ante dicitur, scilicet si plures vxores ille intuitu suæ infidelitatis habuit, cum nulli vnquam nisi ex diuina dispensatione plures habere licuerit, quòd vnam de pluribus eligat, si omnes secum conuertuntur, quæ sibi magis congruit: & aliis datur licentia nubendi, quia vxores veræ nunquam fuerunt. Illa autem quam eligit, per contractum nouum fidei Chtistianæ vera vxor eius efficitur.

ARTICVLVS XI.

An post latam sententiam de separatione teneatur vir recipere adulteram si ipse adulteratur?

QVinto quæritur, Vtrum post latam sententiam de separatione thori, teneatur recipere adulteram, si & ipse adulteratur? Videtur autem, quòd sic: quia tunc non habet quod ei obiiciat: ergo videtur, quòd tenetur eam recipere.

2 Item, Ius istud in fauorem continentiæ inductum est: sed cadens in crimen, fauorem iuris non meretur: ergo iste amplius non debet gaudere illo iure: ergo tenetur eam recipere, vt videtur.

3 Item extra. de diuort. scribit Alexander tertius, Ex literis. Et infra, Sanè tu conuocato capitulo tuo, cum ex eorundem consilio vtrique priuati continentiam iniunxeris obseruandam, ita quod castè viuerent abinuicem segregati, memoratus V. furtim cum alia sponsalia & nuptias temerè celebrauit: verum cum factum inquirere laborares, suprà dictus V. seriem rei explicans & exponens ad audientiam nostram fertur appellasse. Vnde fraternitati tuæ mandamus quatenus si ita processit, dictum virum ad vxorem legitimam redire compellas. Ex hoc arguo, quòd cum propter nuptias cogatur redire & recipere primam, multò magis propter fornicationem.

4 Item, Ad ecclesiasticum iudicem pertinet per censuram ecclesiasticam cogere ad criminis vitationem: sed alter non potest si iste fornicans est in crimine: ergo pertinet ad ecclesiasticum iudicem eum compellere vt vitet crimen illud: sed congruè vitare non potest nisi suscipiendo vxorem adulteram: ergo pertinet ad eum, vt cogat talem suscipere primam quam dimiserat.

Sed contra.

IN CONTRARIVM huius est, quod dicitur sic: Quod bene semel diffinitum est, nulla debet iteratione retractari: sed separatio illius semel est diffinita: ergo non debet retractari: ergo non debet cogi, vt amplius eam recipiat, quam semel per sententiam dimisit.

Solutio.

RESPONSIO. Dicendum, quòd de rigore iuris non tenetur eam recipere, sicut vltimo probatum est: sed tamen iudex ecclesiasticus de suo officio compellere eum debet, quòd recipiat. Et per hoc patet solutio ad duo vltima quæ non probant, nisi quòd iudex de suo officio debet talem compellere, vt recipiat eam quam dimisit.

AD PRIMVM dicendum, quòd licet ex post facto non habeat quod obiiciat, tamen quando in iudicio fuit causa, tunc habuit. Et quia tunc res definita fuit, non debet aliqua de causa retractari. Iuris autem istius hæc potest esse causa: quia cum mulier primo fornicatur, non habet causam, cum non sit exacerbata per virum, & matrimonio possit vti in medelam concupiscentiæ: & ideo fornicatio sua detestabilis est, & non habens excusationem. Cum autem vir postea fornicatur, quando nullam habuit concupiscentiæ medicinam, & exasperatus est ab vxore, maius habet pallium excusationis: & ideo de rigore iuris conceditur, quòd non propter hoc conueniri possit ab vxore ad reconciliationem. Et idem est è conuerso de vxore si tenuerit fidem thori, viro adulterante.

AD ALIVD dicendum, quòd fauor ille respicit statum personæ trahentis in causam adulterium, & non statum futurum: cum enim futuri casus incerti sint, in fauorem futuri status non potest aliquod introduci ius, sed potius in fauorem status præsentis.

ARTICVLVS XII.

An mulier adultera teneatur viro reuocanti eam reconciliari post sententiam de separatione thori etiamsi noluerit?

SExto quæritur, Vtrum mulier adultera teneatur viro eam reuocanti reconciliari post senten

ſententiam de ſeparatione thori, etiamſi noluerit? Videtur autem, quòd ſic: quia vir in ea nullum ius amiſit: ſed ipſe ius in corpore vxoris habuit: ergo illa ei reddere tenetur: ergo & reconciliari: ſed vir eam reuocauit. Probatur autem prima ex hoc quod nullum ius amittitur, niſi per peccatum: & vir non peccauit, & ſic conſtat propoſitum.

2 Item, Ipſa non ſeparatur niſi ad viri actionem: ergo ſi vir ceſſet ab actione, ipſa tenetur commanere: ergo etiamſi ceſſet ab effectu actionis, ipſa tenetur redire: ergo ſi reuocata à viro fuerit, redire tenetur.

3 Item, Vnuſquiſque poteſt illi iuri renuntiare, quod in ſuum fauorem eſt inductum: ſed hoc ius in fauorem viri non fornicantis eſt inductum: ergo illi renuntiare poteſt: ergo ſi renuntiat, tenetur ille ad debitum ſoluendum ſicut prius tenebatur.

4 Item, Si non teneretur ad ſeruitutem priſtinam, tunc recuperaret libertatem & commodum ex ſuo peccato: ſed hoc eſt inconueniens: ergo tenetur redire ſi reuocet eam vir.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius eſt, quòd per ſententiam ſeparatus eſt ab ipſa: quod autem per ſententiam iuris fit, iuſtè fit: ergo ſeparatio eſt iuſta: ſed quilibet poteſt vti eo quod per ſententiam iuſtè adeptus eſt: ergo ipſa poteſt licitè manere ſeparata, etiamſi ille eam reuocet.

2 Item, Ipſa timere poteſt de odio & de malo corporis: quia Prouerb. 6. de tali viro cuius vxor eſt fornicata, dicitur, Porro zelus & furor viri non parcet, &c. quilibet autem poteſt ſibi cauere: ergo & iſta poteſt manere ſeparata, etiamſi reuocata fuerit.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum ſecundum legem quod dicit, Quod fauore meo inductum eſt, in damnum meum retorqueri non debet. Vnde vir poteſt eam petere etiam inuitam, ſicut probant primæ obiectiones.

AD ID autem quod in contrarium obiicitur, dicendum quòd ſi illa ſententia fundaretur ſupra veritatem cauſæ, tunc teneret obiectio: ſed non eſt ita: ſed potius inducitur in fauorem illius qui ſeruat fidem thori. Et per hoc patet ſolutio.

ARTICVLVS XIII.

An mulier adultera poſt pœnitentiam adulterij poſſit repellere virum ab accuſatione?

SEptimò quæritur, Vtrum mulier adultera poſt pœnitentiam adulterij poteſt repellere virum ab accuſatione? Videtur autem, quòd ſic: quia dicit Ambroſ. quòd pœnitentia eſt res optima & perfecta, quæ omnes defectus reuocat ad perfectum: ergo reuocat etiam defectum iſtum ad perfectum, pro quo accuſari poterat: ergo de cætero non poteſt accuſari.

2 Item, In litera dicit Gregor. quòd non debet reputari quæ erat, ſed quæ eſt modo ſancta & iuſta: ergo non debet ei obiici adulterium.

3 Item, Iudicium humanum non debet eſſe ſtrictius, quam diuinum: ſed Deus in ſuo iudicio non obiicit præterita, quæ deleta ſunt per pœnitentiam: ergo nec homo debet obiicere: ergo videtur, quòd mulier non debet accuſari pro adulterio per pœnitentiam deleto.

Sed cõtra. IN CONTRARIVM huius eſt, quòd pœnitentia alterius non tollit mihi ius quod in fauorem meum inductum eſt: ſed ius iſtud, ſcilicet accuſatio ad ſeparationem thori, in fauorem meum inductum eſt: ergo per pœnitentiam alterius non deletur, nec tollitur mihi.

2 Item, Si dimittitur ante pœnitentiam, ego non teneor eam recipere pœnitentem: ergo nec pœnitens poteſt me ab accuſatione impedire.

3 Item, Pœnitentia delet culpam, ſed non pœnam, quia in pœnitentia pœnam oportet ſuſtinere: ſed ſeparatio eſt pœna: ergo non tollitur ab eo ſeparatio: ergo accuſari poteſt ad ſeparationem thori.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd pœnitentia debet inducere virum, vt voluntariè ceſſet ab accuſatione: ſed tamen non cogitur ſi noluerit: monendus eſt tamen vt ceſſet, & durus eſt ſi induci non poterit, quia ſibi debet ſufficere, quod Deo ſufficit.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd pœnitentia reuocat defectus quoad immunitatem culpæ, ſed non quoad immunitatem indignitatis & cuiuſcunque pœnæ. Præterea, Pœnitentia valet in foro Dei ſiue confeſſionis: ſed non in foro iudicij ſiue contentionis, quia hoc iudex videre non poteſt, ſed ſolus Deus.

AD ALIVD dicendum, quòd dictum Gregor. conſilium eſt, non præceptum.

AD ALIVD dicendum, quòd iudicium humanum non eſt ſtrictius, nec rectius, quam diuinum: ſed eſt per alia, quia per exteriora quæ certificari poſſunt notitiis hominum: & hoc non eſt pœnitentia: ſed Deus ſolus videt pœnitentiam in corde: & ideò quod ſufficit Deo, non ſufficit homini: & quandoque quod ſufficit homini, non ſufficit Deo.

ARTICVLVS XIV.

An vir adulteratus occultè, ſine peccato poteſt agere ad thori ſeparationem contra mulierem adulteram manifeſtè?

OCtauò quæritur, Vtrum vir adulteratus occultè ſine peccato poteſt agere ad thori ſeparationem contra mulierem adulteram manifeſtè? Videtur, quòd ſic: quia quod occultum eſt, obiici non poteſt: & nihil poteſt eum impedire ab accuſatione, niſi obiectio ſimilis criminis: ergo videtur, quòd vir agere poteſt ad thori ſepationem.

2 Item, Qui eſt in mortali peccato occulto, neceſſitate inſtante poteſt prædicare: ſed prædicare maius eſt multo, quam agere ad thori ſeparationem: ergo qui eſt in adulterio occulto, poteſt etiã agere ad thori ſeparationẽ.

3 Item,

3 Item, Nullum est scandalum de peccato viri: sed de peccato mulieris est scandalum: ergo ipsa debet publicè puniri, sicut dicit Apostolus 1.Timoth.5.Peccantem coram omnibus argue, vt & cæteri timorem habeant. Ergo mulier ista publicè debet puniri: est autem pœna ista in eo in quo peccauit,scilicet in matrimonio: ergo cum non possit puniri nisi separatione à thoro, videtur quòd vir agere potest sine peccato ad thori separationem.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est, quòd mulieri ad exceptionem contra virum non deficit nisi probatio: sed veritas etiam non probata per testes prodest ei & sufficit coram Deo: ergo mulier coram Deo habet exceptionem contra virum: ergo coram Deo peccat,quando accusat eam.

2 Item, Occultum & manifestum circunstantiæ sunt similis adulterij secundum speciem: sed circunstantiæ non alienant peccatum nec infinite grauant vnum super aliud: ergo videtur, quòd peccatum idem in specie simile ius faciat in vtrisque: sed hoc est separationis: ergo vnus habet idem ius contra alterum, quod è conuerso, licet in alia circunstantia:ergo mulier potest excipere coram Deo contra virum.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum,quod vltimo probatum verum est & probabile.Vnde dicendum est ad primum, quòd in iudicio humano potest obiicere sine obstaculo: sed hoc non quæritur, sed potius,vtrum sine peccato id facere possit vel non?

AD ALIVD dicendum, quòd verum est, quòd talis potest prædicare in necessitate, quia prædicatio est animabus necessaria: sed non est ita de thori separatione,quæ est potius ad turbationem,quam ad consolationem.

AD ALIVD dicendum, quòd vetum est, quòd talis poreſt accusare, licet nullum sit scandalum:tamen ipse in conscientia constringitur peccato suo: & ideò propria conscientia magis debet eum inclinare ad vxoris compassionem,quam ad abiectionem.

ARTICVLVS XV.

An mulier post reconciliationem amisit ius petendi debitum à viro?

NOno quæritur, Vtrum post reconciliationem amisit ius poscendi debitum? Videtur autem, quod sic:quia nisi vir esset à debito illo absolutus, ipse teneretur reddere etiam post separationem: hoc autem cum falsum sit, videtur quòd mulier nullum ius habet in corpore viri: ergo cum non restituatur ei ius illud, videtur quòd etiam reconciliata petere non possit.

2 Item, Ius illud non confert nisi matrimonialis consensus:sed ille non repetitur post reconciliationem: ergo ius non confertur ei: ergo non habet ius petendi debitum.

3 Item, Per quæ quis peccat, per hæc & punietur: sed ista peccauit in fide & iure thori: ergo in illo puniri debet: non autem punitur nisi amittendo ius quod habuit: ergo videtur, quòd nunquam de cætero habebit aliquod ius petendi.

Sed contra. IN CONTRRIVM est, quod alia est reconciliatio mariti, quam alterius cuiuscunque amici: ergo aliquid speciale confertur in illa: hoc autem in quo distinguitur ab aliis amicis, non est nisi ius petendi debitum, quia omnia alia prius habuit: ergo ius petendi debitum restituitur ei in reconciliatione.

2 Item,Si detur,quòd non restituitur:ergo ipsa si se ei post reconciliationem neget, non potest repetere: ergo etiam post reconciliationem ea inuita posset intrare religionem, quod falsum & absurdum est: ergo & falsum est, quòd ius poscendi debitum ei non restituatur.

Solutio. RESPONSIO.Videtur vltima pars esse concedenda, scilicet quòd debitum potest petere post reconciliationem,& accipit potestatem in corpore viri sicut prius habuit.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd ius illud dupliciter consideratur,scilicet in habitu siue sacramentaliter tantum, vel secundum ordinem ad actum, qui est potius iuris vsus vel executio. Et primo quidem modo nunquam amittit illud ius mulier adultera dum viuit,sed secundo modo: & hoc restituitur ei,quando fit reconciliatio.

AD ALIVD dicendum, quòd matrimonialis consensus facit ius illud sacramentaliter & habitualiter: & hoc non iteratur, sed propter culpam potest aliquis suspendi ab vsu sui iuris & executione: & hoc relaxatur in reconciliatione.

AD ALIVD dicendum,quòd sufficienter punita est in matrimonio, quando suspenditur ab vsu & solatio mariti, etsi non sacramentaliter & habitualiter à viro separetur.

De illis qui se ante polluerunt per adulterium.

SOLET etiam quæri, An valeat duci in coniugium, quæ prius est polluta per adulterium? De hoc Leo Papa ait, Nullus ducat in matrimonium, quam prius polluit adulterio. Item, Relatum est auribus sanctorum sacerdotum, quendam alterius vxorem stupro violasse, & insuper mœchæ iuramentum dedisse, quòd post legitimi mariti mortem si superuiueret, duceret eam in vxorem, quod & factum est. Tale ergo connubium prohibe-

F 31.q.1. c. Nullus. Ex concilio Tiburiensi. ibidem. e. Relatum.

mus & anathematizamus. His aliisque auctoritatibus vetantur in coniugium copulari, qui se prius adulterio maculauerunt. Sed ècontra Augusł. ostendit dicens, Denique mortuo eo cum quo fuit verum coniugium, fieri potest coniugium cum qua præcessit adulterium. Idem, Posse fieri sanè licitas nuptias ex personis illicitè coniunctis, honesto placito subsequente manifestum est.

Lib. de nuptiis & concupiscẽtia. Augusł. ibidem. c. Denique, & sequẽti.

Determinatio.

G Ibidem.

SED hæc vltima auctoritas de concubinis loquitur, perhibens concubinas posse transire ad honestum placitum nuptiarum, si castitatem & fidem seruare velint. Prima vero auctoritas Augustini de illis agit qui de peccato pœnituerunt, & nihil in mortem viri machinatæ sunt, nec viuente viro fidem adulteræ dedit mœchus, quod eam in coniugio duceret si superuiueret. Qui verò hæc faciunt, aliis præmissis auctoritatibus prohibentur copulari.

ARTICVLVS XVI.

An adultera valeat duci in coniugium?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Solet quæri, An valeat duci in coiugium, &c.] Videtur enim non esse ius quod hic dicitur: quia Ecclesia reiicere non habet, quod Deus licitum demonstrauit: sed Deus demonstrauit illicitum adulteros coniungi posse: ergo Ecclesia non habet hoc reiicere: ergo nec interdicere. Prima patet per se. Secunda per hoc quod in Gloss. dicitur 1. Corinth. 9. sic, Licitum est quod nullo præcepto prohibetur. Ergo constat propositum.

2 Item, Quibus nullum obstat impedimentum, contrahere possunt, cum legitimæ sint personæ: sed istis nullum obstat: ergo inuicem contrahere possunt. Prima constat ex ante dictis. Secunda autem probatur ex hoc, quòd adulterium non obstat, vt planum est, nec etiam homicidium: ergo si ambo coniunguntur, nihil obstabit: ergo si etiam in mortem viri cum effectu machinata sit, ipsa potest contrahere cum adultero: & sic constat propositum.

3 Item, In aliis sacramentis si seruetur forma, & materia adsit, fit sacrumentum: ergo & in isto similiter: ergo hæc verba contractum de præsenti facientia, & vir & mulier: ergo videtur, quòd efficiant verum matrimonium.

4 Item, Alia peccata sunt maiora: quia dicit Gregor. quòd spiritualia sunt maioris ponderis, quam corporalia: & tamen non impediunt, quia superbus cum superba, inuidus cum inuida contrahere potest: ergo adulter cum adultera: ergo videtur non esse ius quod hîc dicitur.

5 Item, Ponamus, quod aliqua occidat virum suum, vt cum alio indeterminatè possit contrahere, videtur quòd illa secundum istud ius cum nullo possit contrahere: sed hoc falsum est: ergo & hoc quod inducit.

6 Item, Magis est tolerandum vnum malum, quam duo: sed adulterium est vnum malum, & separatio ab altero est secundum malum: ergo videtur, quòd propter primum non est præcipiendum secundum.

7 Item, Pono, quòd primo machinati sunt in mortem, & posteà pœnituerint: & quæratur, Vtrum tunc possint contrahere? Videtur, quòd sic: quia pœnitentia deleuit id quod obstabat, scilicet crimen: ergo contrahere possunt post pœnitentiam.

RESPONSIO. Dicendum, quòd tres casus sunt, quorum si aliquis est, non potest contrahere cum ea quam prius polluit per adulterium, scilicet si propter hoc vt cum ista contrahat, machinatur cum effectu in mortem coniugis: si enim tantum facere cogitaret, & ad opus non procederet, non propter hoc impediretur. Secundus est, si fidem dedit ei de contrahendo post mortem coniugis. Tertius, si secum cõtraxit de facto. Hoc autem ordinatur rationabiliter ab Ecclesia, vt plurima homicidia & adulteria euitentur, quæ illius familiaritatis causa fierent, vel fieri possent. *Solutio.*

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd Dominus ideò dedit Ecclesiæ claues & inspirationem Spiritus sancti, vt in talibus ordinet expedientia: & hæc non sunt tam statuta humana, quam etiam diuina.

AD ALIVD dicendum, quòd istis obstat impedimentum criminis.

AD ALIVD dicendum, quòd licet diuisim non impediant, tamen coniuncta impediunt: quia plus possunt coniuncta, quam diuisa, sicut est videre in multis aliis: quia duo mouent lapidem quem neuter solus mouere posset, & sic de aliis facere est videre.

AD ALIVD dicendum, quòd hic non est materia sub debita dispositione, & hoc exigitur in omni re generanda: quia malitia

malitia criminis obstantis est in materia.

Ad aliud dicendum, quòd licet alia quædam maiora possunt esse, tamen non ita directè peccant contra matrimonium: & ideò non impediunt sicut istud.

Ad aliud dicendum, quòd talis mulier habet impedimentum criminis, quod contrahendum impedit, sed non dirimit contractum: quia nullus vir secum fuit in culpa: & ideò propter viri innocentiam qui secum contrahit, permittitur stare contractum.

Ad aliud dicendum, quòd non est malum quod dirimitur tale matrimonium, quia nullum est, vt dicit Augustinus. Si tamen esset malum, non esset malum commune, sed personale, & tale recompensaretur communi vtilitate quæ est in timore aliorum, ne facilè perpetrarent adulterium.

Ad vltimvm dicendum, quòd pœnitentia potest delere culpam: sed tamen remanet aliqua pœna iusta, & illarum ista est vna.

DISTINCTIO XXXVI.

Si pro extrema conditione valeat vxor separari à viro & è conuerso.

NVNC de conditione videamus, an valeat coniugium diuidere? Ad quod dicimus, quia non negatur ingenua posse nubere seruo: sed si nescitur esse seruilis conditionis, liberè potest dimitti cum seruitus eius fuerit deprehensa secundum illud, Siquis ingenuus homo ancillam alterius vxorem acceperit, & æstimat, quòd ingenua sit, si ipsa fœmina fuerit posteà in seruitutem deiecta, si eam à seruitute redimere potest, faciat: si non potest, si voluerit aliam accipiat. Si verò ancillam eam scierat & collaudauerat, post eam vt legitimam habeat. Item ex eodem, Si fœmina ingenua acceperit seruum, sciens quod seruus esset, habeat eum, quia omnes vnum patrem habemus in cælis: vna lex erit viro & fœminæ. Cum dicitur sciens illum seruum, datur intelligi, quòd si nescierit illum seruum esse, non cogitur manere cum ipso. Si enim conditionis dolum patitur, non cogitur adhærere ei cuius fraude decepta est. Si autem scierit vir conditionem mulieris, vel è conuerso, non valet eam dimittere. Vnde Zacharias Papa, Siquis liber ancillam in matrimonio acceperit, non habet licentiam dimittendi eam, si consensu amborum coniuncti sunt, nisi ob fornicationem. De illis agit quibus alterutrius conditio nata est, quando coniunguntur.

A. *De impedimento conditionis, quod respicit statum legis humanæ.*

In cõcilio apud vermeriam, & habetur 29. q. 1. c. Siquis ingenuam.

Ibidem. cap. Si fœmina ingenua.

Ibidem. c. Siquis liber.

ARTICVLVS I.

Quid sit conditio impediens matrimonium?

NVnc de conditione videamus, &c.] In ista distinctione duo determinat. Vnum principale, scilicet de impedimento conditionis. Aliud secundarium de ætate contrahentium *ibi* [Hoc etiam sciendum, quòd pueri] Circa conditionem determinat tria per ordinem in tribus capitulis, scilicet quæ conditio impediat? Vtrum seruus vnius potest contrahere cum ancilla alterius, & an soluatur matrimonium per seruitutem superuenientem matrimonio? & hæc planè iacent in litera. Ad notitiam autem horum capitulorum trium quæruntur hîc quinque. Primum est, Quid sit conditio impediens matrimonium? Secundum, An impediat matrimonium? Tertium, Vtrum impediat ex iure naturali, vel positiuo, vel diuino, vel humano? Quartum de seruo vnius contrahente cum ancilla alterius? Quintum de conditione quæ superuenit matrimonio.

Ad primum obiicitur: Dicunt iura, quòd conditio impediens matrimonium, est seruitus:

tus: seruitus autem est conditio suppositionis, qua persona secundum se & sua est in potestate superioris. Videtur autem, quòd talis conditio non debet esse in humano genere: quia dicit Gregor. quòd natura omnes homines æquales genuit: ergo contra naturam est vnum hominem esse alio inferiorem, & esse in potestate alterius secundum se & sua: sed ea quæ sunt contra naturam, nullo iure statui possunt: ergo nullo iure conditio seruitutis inter homines esse potest.

2 Item, Dicit Gregor. quòd contra naturam superbire est hominem homini præesse velle: ergo idem quod prius.

3 Item, Apostolus dicit, quòd in Christo Iesu non est seruus neque liber: ergo in fide Christi omnes sunt æquales: ergo falsum est, quòd vnus sit dominus alterius: ergo nulla est conditio seruitutis.

4 Item, In primo ordine humani generis dictum est ante peccatum & post peccatum homini, quòd coleret terram, & subiiceret eam sibi: nusquam autem, quòd dominaretur super alterum: ergo videtur, quòd de dignitate naturæ hominis sit, vt non sit seruilis conditionis.

5 Item, Tullius dicit rhetorica, quòd omne ius à natura est profectum: ergo quod non est profectum à natura, est iniuria: sed istud ius de conditione seruitutis, non est à natura profectum: ergo est iniuria. Probatio mediæ. Natura est æqualiter digna in seruo & in domino: ergo impossibile est, quòd vnus alteri ex participatione naturæ præponatur: & sic constat propositum. Si forte dicas, quòd Tullius mentitur. Contra: Ius positiuum necesse est, quòd habeat rationem aliquam æquitatis: illa ergo ratio necesse ratiocinatur ex aliquo habitu regente ipsam, & exemplar aliquod habet ad quod aspicit: sed istud exemplar est necessariò ante ius positiuum: quod autem est ante ius positiuum, non est ius positiuum: ergo exemplar quod imitatur ratio inueniens ius positiuum, non est de iure positiuo: sed nihil est ante, nisi ius naturale & diuinum: ergo necesse est, quòd istud exemplar sit ius naturale & diuinum: sed omne exemplatum perficitur ab exemplari: ergo ius positiuum perficitur à iure naturali & diuino: & hoc est quod dicit Tullius.

Sed contra. In contrarium huius est quod dixit Noë Genes. 9. quod maledictus puer Chanaan, seruus seruorum erit fratribus suis. Si ergo per Patriarchas Dei inspirationem habentes, inducta est seruitus: ergo est de iure diuino.

2 Item de Abraham, Isaac, & Iacob legitur, quòd habuerunt seruos & ancillas: cum ergo inspirationem Dei habuerunt, & nihil contra naturam vel ius egerunt, seruitus est de iure naturali & diuino, vt videtur.

3 Item in Nouo Testamento 1. Petr. 2. & Ephes. 6. & multis aliis locis præcipitur seruis, quòd in omni timore obediant dominis, non tantum bonis & honestis & modestis, sed etiam discolis: ergo conditio seruitutis est de lege Christi: & sic nec contra naturam, nec contra diuina: ergo nec seruitus.

4 Item viddo, quòd propter peccatum traditur homo vt sit in potestate dæmonis: ergo multò magis tradetur in potestatem hominis: ergo potest iusto Dei iudicio vnus effici seruus alterius.

Responsio. Dicendum, quòd conditio seruitutis est in genere humano: quia nisi esset, non impediret matrimonium. *Solutio:*

Ad primvm ergo dicendum, quòd non est deriuata seruitus ex inæqualitate naturæ, sed potius ex inæqualitate operum in pœnam inducta: & ideo non est fauorabilis, sed potius eorum quæ per se fugiũtur, vt dicũt Philosophi.

Ad hoc autẽ quod obiicitur, quòd contra naturam est, &c. dicendum quòd natura dicitur dupliciter, vel potius tripliciter: dicitur enim quandoque natura ipsa species communicabilis indiuiduis, & participata ab illis, sicut dicuntur omnes homines natura homines. Dicitur etiam natura quandoque ratio naturalis: & hoc dupliciter, scilicet ex naturalibus procedens, & in naturalibus consistens, vel ex naturalibus procedens ad ordinem eorum quæ incidunt præter naturam, quantum illa ordinari est possibile. Et primo quidem modo quod est contra naturam, non potest stare: & hoc modo seruitus non est contra naturam, sed potius personalis, & contra statum personæ. Secundo autem modo iterum non est naturalis: quia sic non est naturale nisi ius illud, quod natura omnia ea quæ sunt illius naturæ docet. Sed tertio modo seruitus est naturalis: quia per eam ordinatur culpa quæ inducta est in natura ex vitio personæ. Et per hoc patet etiam solutio ad sequens: quia Gregor. vocat contra naturam, quod est contra naturam primo modo dictam, non autem tertio.

Ad alivd dicendum, quòd seruus considerator dupliciter, scilicet secundum quod est particeps gratiæ vel gloriæ, quæ sunt maximæ perfectiones animæ, & in talibus æquatur domino, vel etiam quandoque præponitur. Considerator etiam secundum opus & facultatem, & in talibus est in potestate domini. Et primo modo loquitur Apostolus.

Ad alivd dicendum, quòd patet solutio ex prius inducta distinctione: quia seruitus ex re innaturali inducta est, quæ est peccatum: sed tamen ex ratione ordinatur & peccatum & pœna peccati, quæ est seruitus.

Ad alivd dicendum, quòd Tullius accipit naturam pro naturali ratione, cuius habitus regit in omni iure positiuo: & ita trahitur ab eo sicut exemplatum ab exemplari, sicut probat obiectio: & ita inde trahitur ordo peccati per pœnam quæ est seruitus: peccatum enim in pœna & per pœnam ordinatur.

ARTICVLVS II.

An seruitus impediat matrimonium, & quo iure?

SEcundo quæritur, An seruitus impediat matrimonium? Videtur, quod non: omne enim impedimentum alicuius contrarietatem aliquam habet ad aliud: sed seruitus nullam habet

habet contrarietatem ad matrimonium: ergo non impedit ipsum. Probatur autem prima: quia nihil impedit aliud, nisi quod in contrarium operatur vel agit: & agens in contrarium, est contrarium necessario. Secunda autem patet: quia seruus potest habere fidem, prolem, & sacramentum.

2 Item, Si impedit: aut impedit ex genere, aut ex differentia addita. Si ex genere: ergo omnis conditio impediret matrimonium, quod falsum est, cum conditio libertatis non impediat. Si autem ex differentia contrahente. Contra: Ergo omnis seruitus impedit, & semper: ergo & seruus cum ancilla contrahere non potest, quod falsum est: ergo conditio seruilis non impedit matrimonium.

3 Item, Secundum naturam ita est, si aliquid ex natura sui aliquid impedit, quòd illud multiplicatum plus impedit: ergo si seruitus impedit matrimonium, multiplicata seruitus plus impedit ipsum: sed hoc est falsum, quia seruus cum ancilla contrahere potest, cum tamen in eis fit multiplicata seruitus: ergo hoc est falsum, quòd seruitus impediat matrimonium.

4 Item, Pœna seruitutis statui matrimonij ante existenti superuenit ex vltione peccati, sicut & aliæ pœnæ: sed ego video, quòd aliæ pœnæ non impediunt: ergo nec ista debet impedire.

5 Item, In signato matrimonio magis est contractus ancillæ cum libero, quam liberæ cum libero: ergo etiam in signo magis debet esse ratum matrimonium ancillæ cum ingenuo, quam ingenuæ cum ingenuo: ergo conditio non impedit matrimonium, sed etiam promouet. Probatur prima ex hoc quod verbum Dei Patris ingenuissimum, nostræ nupsit naturæ in vna persona Filij in thalamo vteri virginalis, cum tamen dicit Philosophus primo meta. quòd multipliciter natura nostra est ancilla. Secunda autem constat.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est, quòd omnis deceptio & fraus rescindunt contractum: sed si ingenuus cum ancilla ignoranter contrahat, ibi est deceptio: ergo contractus rescindendus est.

2 Item, Matrimonium est de bonis partim propter se, & partim propter aliud expetendis, vt dicit Philosophus: libertas autem est de per se expetendis, seruitus autem de fugiendis: ergo libertas conuenit cum ratione boni appetibilis matrimonio, & seruitus contrariatur: sed contrarium impedit: ergo seruitus potest impedire matrimonium.

3 Item, Multa sunt onera matrimonij ex seipso: ergo onerans ex alieno non debet addi oneri matrimonij, quia nimis graue efficeretur: sed seruitus onerat ex alieno: ergo non debet addi matrimonio: sed potius si ignoranter fiat contractus, pro nullo debet reputari à iure, ne nimis graue onus matrimonij efficiatur.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd ex constituto ciuili & Ecclesiæ in fauorem libertatis seruitus ignorata cum opposita conditione, scilicet libertatis, impedit matrimonium contrahendum, & dirimit contractum, nisi velint sponte commanere, postquam coniunx ingenuus scit de conditione seruitutis in alia.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd hoc habet contrarietatem aliquam non ad essentiam matrimonij, sed potius ad consequentia, scilicet ad debiti redditionem, & ad bonum statum prolis: & ideo nimis graue est matrimonium cum illa conditione: propter quod statutum est, quòd sit impedimentum eius.

AD ALIVD dicendum, quòd ex differentia impedit, & argumentum non sequitur: quia differentia non habet contrarietatem ad se in alio indiuiduo, sed potius ad differentiam oppositam: sicut patet, quòd rationale in Platone non contrariatur rationali in Sorte, sed irrationali contrariatur. Ita conditio seruitutis non opponitur seruituti matrimonij, sed potius libertati, & cum illa impedit matrimonium.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc verum est de illo ad quod habet contrarium, sed suum simile magis augmentat: & ideò si posset multiplicari seruitus contra libertatem in matrimonio, bene concedendum esset, quòd magis impediret: sed hoc esse non potest, cum vna sit vnius tantum: & ideo illud argumentum non cogit.

AD ALIVD dicendum, quòd aliæ pœnæ in vtroque sunt coniugum, & non augent onera matrimonij, nec faciunt ipsum vilioris conditionis in bonis suis: sed hæc omnia facit seruitus: & ideo non est simile. Præterea, Aliæ pœnæ secutæ sunt originale, & ista secuta est vitium personale: & ideo non est æqualiter in omnibus: & ideò iterum non est simile.

AD VLTIMVM dicendum, quòd natura nostra ancilla est in hoc quod suorum operum non est tota causa: sed ancillatio illa non tradit eam in potestatem contrarij domini: & ideo æquiuocatio est in argumento: quicquid tamen in nobis sit qui frequenter peccauimus, & ideo serui peccati secundum aliquem modum sumus. Nostra tamen natura prout assumpta est à Christo, liberrima fuit: & ideo falsum supponit obiectio: & patet qualiter intelligitur dictum Philosophi.

ARTICVLVS III.

An impediat ex iure naturali vel positiuo?

TErtio quæritur, Vtrum impediat ex iure naturali, vel positiuo, vel diuino? Videtur autem, quòd non ex naturali: quia hoc, vt dicitur in digesto veteri, est quod natura omnia animalia docet: constat autem, quòd natura non docet seruitutem: ergo videtur, quòd ista conditio non est de iure naturali: ergo nec matrimonium impedit de iure naturali.

2 Item, Si impediret per vim iuris naturalis, oporteret quòd contrariaretur alicui eorum quæ sunt matrimonij in coniunctione maris & fœminæ: sed hoc non inuenitur de facili: ergo per vim iuris naturalis non impedit.

3 Videtur

3 Videtur autem, quòd nec ex iure diuino: quia hoc potius persuadet humilitatem, quam exaltationem. Vnde etiam dicitur 1. Corinth. 7. Seruus vocatus es, non sit tibi curæ: sed si potes fieri liber, magis vtere. Ergo de seruitute etiam de iure diuino persuasum est, quòd liber maneat cum ancilla, vel è conuerso: ergo non impedit matrimonium ex iure diuino. Videtur, quòd nec ex humano iure positiuo: quia totum ius humanum oritur à diuino, vel à naturali: sed istud nec à diuino oritur, nec ab alio: ergo non est impediens de iure positiuo.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd impedimentum istud vim habet à iure positiuo, quod est statutum Ecclesiæ habentis Dei auctoritatem & inspirationem ad ordinationem peccati per pœnas, vt prius habitum est.

AD OBIECTVM autem contra, dicendum quòd quoad hoc est naturale, quòd natura insurgit & punit nociuum: & ideo pœnæ peccati naturali iure stabiliuntur: & hoc modo reducitur ad naturam: sed non oportet, quòd sit naturale vel diuinum sicut vnum præceptorum naturalium vel diuinorum, sed potius iudiciale statutum in pœnam peccantium, & in fauorem libertatis, quæ primo ex animi libertate & nobilitate virtutis exorta est.

De copula serui & ancillæ diuersorum dominorum.

B QVÆRITVR etiam, Si seruus vnius ancillam alterius acceperit, an sit inter eos coniugium? De hoc etiam ita statutum est, Dictum est nobis, quod quidam legitima seruorum matrimonia potestatiua quadam præsumptione dirimant: non attendentes illud, Quod Deus coniunxit, homo non separet. Vnde nobis visum est vt coniugia seruorum non dirimantur, etiamsi diuersos dominos habeant, sed in vno coniugio permanentes dominis seruiant suis. Et hoc in illis obseruandum est, vbi legalis coniunctio fuit, & per voluntatem dominorum. Attende finem huius capituli, vbi videtur innui præter voluntatem dominorum inter seruum & ancillam non posse contrahi coniugium: vel si contrahitur, non esse ratum. Quibusdam tamen videtur inter eos posse fieri coniugium, dominis ignorantibus.

In cõcilio Cabilonensi, ibidem. c. Dictũ est.

Matt. 19.

De viro qui se facit seruum vt dimittatur ab vxore.

C ILLVD etiam notandum, quòd si mulier virum liberum acceperit, & ille vt causam præstet dissidij, se alicuius seruum fecerit, nec ille vxorem dimittere, nec illa ob vinculum coniugij in seruitutem redigi poterit. Vnde illud, Perlatum est ad sanctam synodum, quòd quidam ingenuus ingenuam acceperit vxorem, & post filiorum procreationem occasione diuortij, cuiusdam seruum se fecerit, vtrum & mulierem necessariò tenere debeat: & si tenuerit, an illa etiam seruituti subiici debeat, quæsitum est. Iudicatum est vxorem minimè debere dimitti: non tamen ob Christi legem mulierem in seruitutem redigi, dum ille non ex consensu coniugis se seruum fecerit, quem liberum ipsa maritum acceperat.

In Tiburiensi concilio ibidem. c. Perlatum.

ARTICVLVS IV.

An seruus vnius potest contrahere cum ancilla alterius?

QVarto quæritur de seruo vnius contrahente cum ancilla alterius. Et hoc quæritur propter ea quæ dicuntur in cap. 2. Videtur autem, quòd hoc esse non possit: quia seruitus vnius onerosum reddit coniugium: sed hic est triplex seruitus, vel etiam quadruplex: ergo nimis onerosum efficitur coniugium: est enim hic duplex seruitus dominorum duorum coniugum, & seruitus viri ad vxorem, & è conuerso.

2 Item Matth. 6. Nemo potest duobus dominis seruire. Ergo nec hîc: ergo non possunt duobus

duobus dominis seruiles coniungi. Si fortè dicis, quòd hoc verum est quando iubentur contraria. Contra: Sit quòd vxor petat debitum, quando dominus postulat seruitium: tunc enim iubent contraria: ergo iste est in perplexitate: sed nullus debet esse perplexus: ergo nullus debet tale coniugium contrahere.

3 Item, Sit quòd dominus præcipiat illi, quòd nunquam reddat ei debitum, sed semper in domo domini manens vt inuigilet actibus domini: & similiter dominus ancillæ præcipiat: constat, quòd tenentur obedire, quia Apostolus hoc præcipit: ergo videtur, quòd nunquam est tempus exigendi vel reddendi debitum: ergo nec maritalis societas potest esse inter tales: ergo nec coniugium.

4 Item, Esto quòd dominus præcipiat ei ne consentiat in matrimonium: constat, quòd debet esse obediens, alias dominus puniret eum: ergo videtur, quòd consentire non potest: ergo nec matrimonium contrahere.

5 Item, Quicquid est rei quæ, in me est, meum est cum re mea: sed iste seruus domini sui est: ergo & domini est, quicquid est serui: sed vxor serui est serui: ergo vxor serui est domini: sed vna mulier non potest esse duorum, nihil commune habentium: ergo vxor serui debuit esse illius domini ancilla, cuius ancilla fuerat ante. Obiectio eadem est de seruo in comparatione ad dominum ancillæ. Cum igitur hæc omnia sint inconuenientia, videtur quòd nullum coniugium fit cum seruo & ancilla diuersorum dominorum.

6 Item, Pueri talium seruorum dubiè generantur: licet enim secundum leges quasdam partus sequatur ventrem, tamen consuetudines diuersarum terrarum de hoc dubiæ sunt: quia sicut supra probatum est, homo est animal cuius vterque sexus pro educatione filiorum solicitatur, sed substantia patris magis principalis est in generatione filij, quam etiam matris: ergo videtur, quòd plus pertinet de partu ad patrem, quam ad matrem: si ergo isti generant vnum infantem, ille erit duorum dominorum, & fortè contraria præcipientium, quod esset magna absurditas. Cum ergo multa inconuenientia sequantur ex tali coniugio, videtur quòd tale coniugium sit illicitum.

Solutio. Responsio. Dicendum, quòd talia coniugia licet sint difficilia, tamen sunt licita.

Ad primvm ergo dicendum, quòd seruitus viri in vxorem, & è conuerso, æquiuoca est ad seruilem conditionem: quia vxor non est ancilla viri, nec vir est seruus vxoris: & ideo illa obiectio non concludit inconueniens.

Ad alivd est distinguendum: quia aut seruus contraxit matrimonium consentientibus dominis, suo, & vxoris, aut dissentientibus, aut altero consentiente, & altero dissentiente. Si autem primo modo, tunc soluendum est debitum coniugale: quia qui consentit principale, intelligitur consensisse accessorium. Et ita quando matrimonio consenserunt, concessisse intelliguntur & tempus ad soluendum debitum. Si autem ambo dissentiunt, tunc adhuc distinguendum videtur, scilicet aut quia non est hora soluendi debitum maritale, aut seruiendi dominis. Si primo modo, si est nox, & in cubili secreto est cum vxore, puto quòd tenetur soluere debitum. Si secundo modo, tunc puto, quòd debent seruire dominis. Si autem tertio modo, tunc sub eadem distinctione seruiendum non consentienti.

Ad dictvm autem Apostoli dicendum, quòd interest qualiter aliquis sua re vtatur: & ideò leges sunt, quid debeant facere seruis domini eorum. Vnde Apostolus dicit ibidem, Domini, quod iustum est, impendite seruis, scientes quia vester dominus est Christus.

Ad alivd dicendum, quòd non potest præcipere dominus, vt nunquam sibi ipsi intendat seruus: quia hoc esset contra curam & prouidentiam naturalem. Vnde sicut non potest prohibere, ne intendat sustentationi speciei, est enim tempus operandi & quiescendi in vno die naturali; sicut nox in qua nemo operatur, sicut dicitur Ioan. 9. Et similiter est in vna septimana, sicut tempus feriarum: & tunc non potest seruus sustendi à redditione debiti. Sed verum est, quòd bene potest impediri imperio domini à cohabitatione continua. Ad dictum autem Apostoli patet responsio per antedicta.

Ad alivd dicendum, quòd quoad hunc consensum non est seruus in potestate domini: quia ille consensus habet conditionem libertatis ex seipso, vt supra patuit in quæstione de impedimento violentiæ siue coactionis. Et causa huius est, quia quod ad naturæ permanentiam in solatium mortalitatis natura concessit, non debet poni in potestate cuiusquam: & ideo etiam domino contradicente, dummodo aliis velit seruus, potest liberè consentire in matrimonium.

Ad alivd dicendum, quòd illud decipit secundum æquiuocationem eius quod est suum, vel meum: quia aliter est vir vxoris, & è conuerso, & aliter seruus domini, vt patet ex præhabitis: extraneissimus enim modus habendi est ille quo vir habet vxorem, & habetur ab ea, & propinquissimus ille quo habetur seruus à domino, sicut possessio: & ideo non valet ratio illa.

Ad vltimvm dicendum, quòd si plures tales generarent filios, tunc diuiduntur à dominis in quibusdam Alemaniæ partibus: si autem vnus solus, tunc diuidi non potest, sed vnus ab alio accipit pretium, & tunc est vnius tantum.

ARTICVLVS V.

An vir potest se dare in seruum alteri sine consensu vxoris, & absolui per hoc à redditione debiti? & simile quæritur de muliere.

Quinto quæritur de conditione quæ superuenit matrimonio: & hoc ratione tertij capituli, vbi hoc mouetur in litera. Videtur autem, quòd non sit secundum rationem ius quod determinatur in litera. Dicit enim

Bernard.

Bernard. Quod pro charitate institutum est, contra charitatem non debet militare. Ergo à simili quod pro libertatis fauore institutum est, contra libertatem non debet militare: sed quod ille se seruum facit, est contra liberum vsum vxoris, quo vti debeat viro suo: ergo videtur, quòd debeat rescindere matrimonium, vt ipsa libera contrahat cum alio, cuius possit liberum habere vsum.

2 Item, In omni natura ita est, quòd idem impedit rei generationem, & destruit generatam, sicut patet in frigido, & calido, & in omnibus mixtis, & simplicibus: sed seruitus impedit matrimonij generationem siue contractum: ergo etiam destruit iam contractum si ei superueniat: ergo malè determinatur in litera.

Quæstiũcula 1. ITEM quæritur, Vtrum ille possit se dare seruum alteri? videtur, quod non: quia non habet potestatem sui corporis, vt dicit Apostolus: sed qui non habet potestatem, non potest se dare alteri: ergo iste non potest se dare alteri in seruum.

2 Item, Quod fit cum præiudicio alterius, de iure fieri non potest: sed istud fit cum præiudicio mulieris, quia impeditur vir à solutione debiti mulieris, quod quæsiuit in viro: ergo de iure fieri non potest: ergo se non potest dare alteri.

3 Item, Ipse non potest se Deo dare ad seruiendum in claustro sine consensu vxoris: ergo minus se potest dare homini: quia fauorabilior est seruitus diuina, quam humana.

4 Item, Cum duo sint fauorabilia, & tertium non fauorabile, iura debent esse pro duobus fauorabilibus contra tertium: sed in matrimonio sunt libertas personarum, & matrimonium, quorum vtrumque est fauorabile: & seruitus est tertium, quod non est fauorabile: ergo debent iura esse pro libertate, & honestate matrimonij: ergo non debet concedi, quòd ille se possit facere seruilem in præiudicium matrimonij, & libertatis.

5 Item, Sicut dicit lex in digesto veteri, lib. quarto. de his quæ vi metusve causa fiunt. Si metus cadat in vxorem vel liberos, reputatur cadere in constantem virum: quia viri boni est magis velle pati in seipso, quam turpia pati in vxore vel liberis. Ergo à simili cum vxor quæ remanet libera, multo magis horreat seruitutem in prole, quam in seipsa, non debet in iure aliquid admitti, quod sibi prolem ponat sub seruitute, cum ad hoc contraxit cum ingenuo vt ingenua proles permaneret. Cum igitur seruitus prolis causatur ex seruitute viri in pluribus terris, videtur quòd non debeat admitti in iure, quòd vir se possit dare in seruum.

VLTERIVS quæritur, Vtrum mulier similiter se possit dare in ancillam? Et videtur, quòd sic: quia ad paria iudicantur vir & mulier: ergo & quod potest facere vir, potest facere mulier. *Quæstiũcula 2.*

IN CONTRARIVM est, quod ex hoc expressa sequitur seruitus prolis: quia secundum leges partus sequitur ventrem. *Sed contra.*

2 Item, Vir est caput mulieris: ergo non potest aliquid facere, ad quod non dirigitur a viro: ergo nec sine consensu viri potest se facere ancillam.

RESPONSIO. Sine præiudicio dicendum, quòd si vir se dat in seruum contra voluntatem mulieris, in nullo debito quo tenetur vxori, dominus potest eum impedire: quia hoc in quo fuit vxoris, se alij domino, ea viuente, dare non potest: & ideo etiam conceditur stare matrimonium: hoc enim modo coniunxit eos Deus, & homini non licet separare propter aliquam molestiam quæcunque superuenire potest. *Solutio.*

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd istud non militat contra libertatem: quia mulier remanet libera, & in libero vsu viri in omni debito suo.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc ideo est in natura, quia per necessitatem naturæ agunt naturalia & patiuntur. Sic autem non est in moralibus: vnde culpæ in moribus frænantur pœnis, quæ nullam habent cum eis contrarietatem, licet contrarientur delectationibus peccantium & appetitibus: & ideò etiam propter institutum Ecclesiæ aliquid impedit contrahendum, quod non dirimit contractum. Supra hoc tamen supra habita est alia solutio quæ melior est, quam ista, & ibi respiciatur.

AD ALIVD dicendum, quòd iste potest se dare in seruum saluo omni iure vxoris, tam in corpore, quam in bonis, & in liberis: aliter puto, quòd sit peccatum mortale dominis si ipsum recipiunt: & ideo cessat obiectio, quia nullum præiudicium incurrit vxor. Per hoc etiam patet solutio ad sequens. *Ad quæstiunculam 1.*

AD ALIVD dicendum, quòd obsequium diuinum in claustro annexum est voto continentiæ, quod præiudicat debito matrimonij, & ideo sine consensu vxoris fieri non potest: sed tale non est obsequium domini carnalis: & ideò non valet argumentum.

AD ALIVD sine præiudicio videtur mihi, quòd sine peccato mortali non subiugantur pueri seruituti, si mater antequam pariat eos, non consentiat seruituti.

AD ALIVD dicendum, quòd mulier meo iudicio se in ancillam dare non potest: quia in hoc non ad paria iudicantur.

De ætate contrahentium.

HOC etiam sciendum est, quòd pueri ante 14. annos & puellæ ante 12. annos secundum leges matrimonium inire nequeunt. Quod si ante prædicta tempora copulam inierint, separari possunt, quamuis voluntate & assensu parentum iuncti fuerint. Qui verò in

in pueritia copulati post annos pubertatis nolunt se relinquere, sed in coniunctione permanere, iam ex hoc efficiuntur coniuges, & deinceps nequeunt separari. Item, Sponsalia ante septennium contrahi non possunt: solo enim consensu contrahuntur, qui interuenire non potest, nisi ab alterutra parte intelligatur quod inter eos agitur. Duo illa executi sumus cum aliorum quorundam adiectione quibus coniugium solui potest, nec tamen solui semper necesse est. Nunc de illis quæ personas illegitimas penitus faciunt, addendum est, & primum de ordine. 30.q.1. § Sponsalia.

ARTICVLVS VI.

An masculi ante 14. annos, & puellæ ante 12. annos inire possint matrimonium?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Hoc etiam sciendum, quod pueri ante 14. annos] Videtur enim hoc esse inconueniens: quia secundum leges tutorem accipiunt vsque ad 25. annum: ergo videtur, quòd vsque ad illud tempus non sit ratio confortata ad consensus discretionem: ergo videtur, quod constitutio debet tempus contrahendi ponere in 25. annis.

2 Item, Qui religionem ingrediuntur, non possunt facere professionem vsque ad 18. annum, sicut dicit noua constitutio: ergo cum magis sit obligari Deo, quam homini, etiam ad obligationem quæ fit homini in matrimonio, videtur quòd expectandi sint 19. anni.

3 Item, Ad officium prædicationis & sacerdotij non debet assumi aliquis ante 30. annum: cum igitur vinculum matrimonij sit perpetuum dum viuit coniunx, & habet multas tribulationes adiunctas, sicut dicit Apostolus 1. Corinth. 7. videtur, quòd expectandum sit tempus 30. annorum.

Quæstiuncula. ITEM, Quare aliter in viro determinatur tempus, quam in puella, vt duo anni resecentur.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quod hic quæsita partim determinata sunt supra, vbi de sponsalibus agebatur. Ad omnium ergo harum determinationem habendam sciendum, quòd vis augmentatiua vt in pluribus stat perfecta in 30. anno: & hoc contingit, quia calor naturalis debilitatur ex multa ingestione extranei humidi acquisiti ex nutrimento. Calor autem debilitatur ex euaporatione inquantum secum trahit humidum naturale, & remanet corpus siccum, non extensibile radicalibus membris supra quam extensum est: & ideo stat augmentum secundum causam physicam. Causa autem mathematica est, quia mouens cæleste quod mouet singulariter ad perfectionem indiuidui, completur non minus quam in 30. annis: si enim motus planetarum vltimus accipitur, tunc completur in 30. annis: quia saturnus complet cursum suum in totidem annis, cum quo alij iunguntur omnes, & ipse cum nullo aliorum, sicut dicunt Philosophi, & omnes alij Doctores astrorum. Adhuc, Motus capitis draconis perficitur in minori. Similiter coniunctio minor saturni & iouis perficitur in 30. annis octaua parte anni minus: & coniunctio magna saturni & martis in signo cancri perficitur in 30. annis. Coniunctio autem iouis & saturni de triplicitate in triplicitatem, & coniunctio eorundem de circulo in circulum, fiunt in maiori tempore: sed illæ causant accidentia generalia mundi & prouinciarum, & non personalia nisi secundum quid. Et ideo vltimum spatium perfectionis humanæ est in 30. annis, & citra incipit declarari incrementum, & similiter sibi coniungi motus superior, ita quòd intellectus incipit dominari perfectè ad regimen vitæ & corporis: & hoc per quinque annos: & ideo alius terminus ponitur à legibus super annos 35. Motus autem perfectus capitis & caudæ est in 18. annis, in quo complentur omnes coniunctiones, & præuentiones, & eclipses solis & lunæ, quæ inter omnia astra maiorem habent effectum supra corpora nostra: & ideo tertius terminus ponitur in 14. annis. Modus autem periodi siue datoris vitæ quam hismalite mathematici vocant, est secundum numerum signorum circuli nati qui est 12. anni, vt dicit Albumasar: & ideo quartus terminus ponitur in annis 12. & in 14. Et quia in periodo natiuitatis 7. signa se vident, vt dicunt Abraham & Albumasar, & ideo quintus terminus ponitur in sponsalibus 7. annis. Dicendum igitur, quòd ordinantur isti actus placere sponsalia, & generare posse, & discernere spiritualia, & vim eorum, & regere se posse sufficienter & familiam, & posse habere perfectam notitiam ad instructionem aliorum: quia semper vnus est altior quam alius: ideò sponsalium terminus ponitur in 7. & matrimonium in 12. in puella, & pueri in 14. cuius ratio est supra assignata: & introitus religionis in 18. & regiminis familiæ & prouisionis in 25. & auctoritatis docendi in 30. Et per hoc patet solutio omnium obiectorum.

DISTINCTIO XXXVII.

In quo ordine nequeat fieri coniugium.

A *De impedimẽtis quæ omnino faciunt illegitimum ad matrimonium contrahendum cum omni, propter eccleſiaſticam inſtitutionem.*

SVNT igitur quidam ordines, in quibus nullatenus poteſt contrahi coniugium: & ſi interceſſerit copula, fit diuortium, vt ſacerdotium, diaconatus, & ſubdiaconatus. In aliis verò permittitur ſortiri coniugium, niſi religionis habitum ſumpſerint, vel continentiæ votum fecerint. Vnde Leo Papa, Clericos, lectores, oſtiarios, exorciſtas, acolythos, ſi extra votum & habitum inueniuntur, & continentiam profiteri nolunt, vxorem ducere virginem Eccleſia Romana permittit, non viduam vel repudiatam: quia deinceps nec ad ſubdiaconatum prouehi poterunt, nec laicus vxorem ſortitus niſi virginem, vel bigamus ad clericatum. Item ex Carthaginen. concilio. Placuit Epiſcopos, presbyteros, diacõnos, ſubdiaconos etiam ab vxoribus abſtinere: quod ſi non fecerint etiam ab eccleſiaſtico remoueantur officio. Cæteros vero clericos ad hoc non cogit. Item Leo Papa. Lex continentiæ eadem eſt miniſtris altaris, quæ Epiſcopis & presbyteris: qui cum eſſent laici vel lectores, licitè vxores ducere potuerunt, ſed cum ad prædictos peruenerunt gradus, cœpit eis non licere quod prius licuit. Item in ſexta ſynodo, Siquis eorum qui ad clericatum accedunt, voluerit nuptiali lege mulieri copulari: hoc ante ordinem ſubdiaconatus faciat. Item Calixtus Papa, Presbyteris, diaconibus, ſubdiaconibus, mõnachis, concubinas habere ſeu matrimonium contrahere penitus interdicimus: contracta quoque matrimonia ab huiuſmodi perſonis diſiungi: & perſonas ad pœnitentiam debere redigi, iuxta ſanctorum canonum diſtinctionem iudicamus. Item Gregor. Nullum facere ſubdiaconum Epiſcopi præſumant, niſi qui ſe caſtè victurum promiſerit, quia nullus debet ad miniſterium altaris accedere, niſi cuius caſtitas ante ſuſceptum miniſterium fuerit approbata.

Ex Carthaginẽſi concil. ibidem. cap. Placuit. Diſt. 32. cap. Lex continẽtiæ. Diſt. 32. c. Siquis. Diſt. 18. c. Preſbyteris, Diſt. 27. c. Nullum. Innocentius Papa. 3. diſt. 28. c. Decernimus.

ARTICVLVS I.

An ordo impediat matrimonium?

SVnt igitur quidam ordines,&c.]Hîc agitur de impedimento ordinis: & non ſunt in iſta diſtinctione niſi duo parua capitula, quorum primum eſt de impedimento ordinis: ſecundum de interfectoribus ſuarum coniugum, & incipit *ibi* [His adiiciendum eſt de percuſſoribus,&c.]Circa primum autem capitulum quæruntur ſeptem. Primum eſt, An ordo impediat matrimonium contrahendum, & dirimat contractum? Secundum, Vtrum ſit locale & temporale impedimentum, vel perpetuum & generale? Tertium, Vtrum omnis ordo hoc facit, vel quidam, & quis ſit ille? Quartum de eo qui habens vxorem, vxore conſentiente, eſt ordinatus, vtrum ipſa vxor teneatur intrare religionem? Quintum de eo qui ordinatus eſt vxore neſciente vel reclamante, vtrum aliquod præiudicium ſit factum vxori? Sextum de clericis orientalibus qui ordinantur, vtrum reclamantibus vxoribus poſſint ordinari? Septimum de vxoribus orientalium, qui volentibus vxoribus ſunt ordinati, vtrum poſt mortem clerici mariti ad perpetuam teneantur continentiam?

Ad primum ſic proceditur: Sacramentum non eſt conttarium ſacramento: ſed nihil impedit

impedit aliud,nisi quod est contrarium ei:ergo videtur, quod sacramentum non impedit sacramentum : ergo nec ordo matrimonium.

2 Item aut ordo impedit ex se, aut ex adiuncto. Non ex se : quia sic omnis ordo impediret, quod falsum est. Si autem impedit ex adiuncto,hoc non est nisi votum castitatis : ergo non debet assignari speciale impedimentum matrimonij,sed sub voto contineri : ergo specialis tractatus non debuit esse de isto impedimento, sed in sequenti distinctione sub impedimento voti debuit contineri.

3 Item, Typus & veritas sibi respondent: ordo autem veteris legis erat typus ordinis nouæ legis : ergo respondet sibi : sed constat, quòd sacerdotes Veteris Testamenti habebant & ducebant vxores in ordine existentes : ergo & in Nouo possunt hoc facere : ergo ordo non est vnum de impedimentis matrimonij.

4 Item,Si ordo impedit matrimonium,aut hoc est ratione prolis, aut ratione fidei,aut sacramenti, aut ratione concubitus qui est in matrimonio.Si ratione prolis : ergo proles haberet contrarietatem ad ordinem,quod falsum est,cum à Domino sit imperatum, quòd crescant homines & multiplicentur. Similiter constat,quòd nec ratione fidei, nec ratione sasacramenti. Si dicatur ratione actus hoc esse, hoc etiam non est nisi quia contrariatur actus diuinus. Sed contra:Maximè diuino non contrariatur, scilicet participationi Eucharistiæ, quia matrimonio iuncti percipiunt Eucharistiam : ergo non contrariatur ei minus diuinus: ergo non contrariatur:ergo ordo non impedit matrimonium.

5 Item videtur quòd etiam promoueat: quia ordo constituit in iure Christi qui est sponsus Ecclesiæ fœcundans ipsam gratia ad bona opera : ergo congruit ipsum exprimere hoc in figura : sed figura huius est habitus vxoris,vt dicitur Ephes.5. ergo videtur, quòd congruit ordinatos sacris ordinibus habere vxores : ergo ordo non impedit matrimonium, sed potius matrimonium facit ordinatum meliorem.

Sed contra. In contrarium huius est, quod dicitur Isa.52. Mundamini qui fertis vasa Domini. Si enim hoc in Veteri Testamento imperabatur, multò magis in Nouo est tenendum: sed coitus matrimonij est cum immunditia quadam mixtus:ergo ille qui fert vasa Domini & ipsum Dominum, non debet esse obnoxius ad coitum : ergo nec coniunctus debet esse matrimonio.

2 Item, Cogitare tantum quæ Dei sunt,& diuidi ad cogitandum quomodo placeat vxori, & quæ mundi sunt, & quæ dicuntur, simul esse non conuenit : sed diuinis obsequiis deputatus, debet tantum cogitare quæ Domini sunt:ergo non debet ipse esse obnoxius ad cogitandum quæ sunt vxoris & mundi : sed existentes in sacris ordinibus, diuinis obsequiis sunt mancipati:ergo,&c. ergo non debent habere vxores, quia habens vxorem, sic est diuisus,vt dicit Apostolus 1.Corinth.7.

3 Item, Sicut patet Num.6. & 14. Dominus interdixit ne leuitæ possessionem haberent, sed liberè eis ministrarentur aliorum labores, ne laboribus impediti possent minus vacare obsequiis diuinis : sed magis abstrahit ab obsequio diuino cura vxoris & domus, quam cura colendorum agrorum : ergo cum sit necessitas temporis, magis conuenit ministris altaris interdici vxoris curam & domus, quam colendarum terrarum : sed in Nouo Testamento non est necessitas se propagandi vlterius, vt supra probatum est : ergo in Nouo Testamento conuenit legem continentiæ indici ministris altaris.

4 Item, Sicut dicunt Philosophi, studium altarum scientiarum quærit abstractionem à carne : sed altissima scientia est lex diuina : ergo studentes in ipsa debent abstrahi à carne: sed omnes ministri altaris tenentur studere in illa : ergo, &c. sed nullus est melior modus se abstrahendi à carne, quam per legem continentiæ : ergo videtur, quòd conuenit eis legem continentiæ indicere.

5 Item, Augustinus in libro de ciuit. Dei, inducit Apuleium dicentem, quòd Deum deorum vix aliquis nisi maximè à carne separatus sit,mente conspicere possit : constat autem, quòd sacerdos maximè mente conspicere debet Deum : ergo per legem continentiæ maximè decet eum à carne esse abstractum. Lib.9. c.16.

Solutio. Respondeo. Dicendum,quòd vltimæ rationes probant, quòd congruit ordinem sacrum impedire matrimonium : sed tamen non est necessarium:& hoc est concedendum.Vnde ordo de se congruitatem habet continentiæ: sed necessitas continentiæ causatur à rationali constitutione Ecclesiæ.

Ad primvm ergo sciendum, quòd ordo inquantum est sacramentum,non impedit matrimonium, sed ex annexo,scilicet immunditia coitus;& distractione ad curam vxoris & puerorum. Vnde licet sacramentum sacramento non contrarietur : tamen annexum vni sacramento, potest non conuenire actui & officio alterius sacramenti, & ita impedire ipsum.

Ad alivd dicendum, quòd ordo habet aliquid rationis impediendi etiam præter votum,quia incongruitatem habet,vt patet in omnibus rationibus vltimo inductis. Et ita patet,quòd est speciale impedimentum, vim trahens ab institutione Ecclesiæ. Nec est simile de ordinibus non sacris : quia ratione sanctitatis istius ordinis ordo iste habet incongruitatem ad ea quæ sunt matrimonij : licet tamen sanctitas illa sit ordini substantialis, quia est sanctitas officij, & actus qui est circa altare.

Ad alivd dicendum, quòd perfectior est veritas, quam typus & figura : & ideò plus inuenitur in veritate,quã in typo.Et obiectum illud bene tenet de figura perfecta : sed non in omnibus fuit figura, quia ordo tantum fuit figura ordinis, & non fuit ordinatus figura ordinati, quia illi sacerdotes seruiebant in propagine carnis tempore paucitatis fidelium:sed isti sunt tempore propaginis spiritualis.

Ad alivd dicendum,quòd matrimonium non impedit ratione substantiæ, aut effectus qui est triplex bonum matrimonij, sed ratione eius quod dictum est.Ad id quod con-

tra obiicitur, dicendum quòd multò minus est communicare, quam consecrando efficere corpus Domini, & sibi commisso populo intendere in diuinis: & ideò illa obiectio non procedit.

AD ALIVD dicendum, quòd non promouet, sed impedit, vt dictum est: & hoc quod obiicitur, peccat secundum æquiuocationem: quia metaphorica est similitudo illa, & non ad literam referenda, & est ac si obiiceret, ridens est lætus; pratum ridet; ergo pratum est lætum.

ARTICVLVS II.

An ordo sit impedimentum matrimonij locale, temporale particulare vel vniuersale, vbique & semper?

SEcundo quæritur, Vtrum istud impedimentum sit locale temporale & particulare, vel vbique semper & generaliter? Videtur autem esse locale; quia non vbique impedit, sed tantum in Ecclesia occidentali: ergo, &c.

Similiter videtur temporale: quia non semper impediuit, cum Petrus legatur vxorem habuisse, & Philippus & alij quidam Apostoli & Episcopi.

Similiter videtur esse particulare: quia non omnis ordo impedit, sed quidam, quatuor enim primi non impediunt matrimonium: ergo videtur, quòd sit locale temporale & particulare.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est: quod enim naturale est alicui, vt dicit Aristot. vbique conuenit ei, sicut ignis in Perside, & in Græcia comburit: sed naturale est ordini impedire matrimonium: ergo vbique debet impedire. Prima probata est per Aristot. in secundo eth. Secunda autem probatur per omnes rationes inductas in præcedenti articulo ad hoc, quòd ordo impedit matrimonium.

Item, Sicut dicit Gloss. 1. Corinth. 6. Statuta Ecclesiæ habent auctoritatem à generalitate: sed istud est statutum Ecclesiæ habens auctoritatem: ergo est generale: non ergo est locale: propter hoc enim dicit Apostolus 1. Corinth. 14. Sicut in omnibus Ecclesiis sanctorum doceo.

3 Item Boëtius in prologo libri de Trinitate dicit, quòd Ecclesia dicitur Catholica ab vniuersalitate, eò quod vbique sit diffusa: ergo videtur, quòd etiam id quod impedit in vna parte & vno tempore, semper & vbique debeat impedire matrimonium.

Vlterius videtur, quòd omnis ordo debeat impedire: quia etiam exorcistæ accipiunt vim expellendi dæmones, & lectores potestatem exponendi prophetias: sed ad primum horum requiritur spiritualitas, cui non conuenit carnalitas debiti matrimonialis: & ad secundum requiritur studium, qui non competit cura domus & vxoris: ergo videtur, quòd talibus non licet contrahere: & eadem est ratio de aliis.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum ad primum, quòd quantum est de congruitate, est impedimentum illud vbique & semper: sed quia congruitas ista non dicit nisi aptitudinem & non necessitatem, sed potius necessitas ista causatur ab Ecclesiæ instituto, ideò quantum ad necessitatem separandi matrimonium illud est locale & temporale. Et sic patet solutio ad omnia obiecta præter vltimum: quia argumenta non probant nisi aptitudinem. Quod autem Ecclesia particulariter hoc, & post tempus primitiuæ Ecclesiæ instituit, causa est, quia particulariter & temporaliter & non à tempore primitiuæ Ecclesiæ subditi quidam elegerunt, & se deinceps ad hoc astrinxerunt.

AD VLTIMVM dicendum, quòd illi ordines non impediunt de maxima congruitate, sed de congruitate remota. Ad obiectum dicendum, quòd exorcistæ magis hoc faciunt vi exorcismorum, quos memoriter tenent, quam vi sanctitatis quæ sit in officio ordinis; quia non est actus eorum super corpus Christi verum, sed mysticum, & quantum ad energumenos, qui non sunt verè de corpore mystico, sed in potentia. Et similiter lectores recitant prophetias, quæ sunt lumen veritatis obumbratum figuris. Et ideò non oportet eis indicere legem continentiæ.

ARTICVLVS III.

An omnis ordo sacer impediat matrimonium?

TErtio quæritur, Vtrum omnis ordo sacer impediat matrimonium contrahendum, & dirimat contractum? Videtur autem, quòd non: quia sicut se habet ordo ad sanctitatem, ita se habet ad matrimonium impediendum: sed differenter se habet ad sanctitatem; ergo differenter se habet ad matrimonium impediendum. Prima probatur ex hoc quòd ordo non habet rationem quare impediat matrimonium, nisi ex sanctitate sui actus & officij. Secunda autem patet per se: quia ad maiorem sanctitatem tenetur sacerdos, quam diaconus, & diaconus, quam subdiaconus: cum igitur sacerdotium impediat contrahendum & dirimat contractum, videtur quòd diaconatus impediat contrahendum, & non dirimat contractum, & subdiaconatus non impediat, nec dirimat.

2 Item, Omnis sanctitas quæ est in sacramentis, est ex forma: sed subdiaconus & diaconus non accipiunt ordinem ad formam Eucharistiæ, sed tantum super materiam accipiendam à populo subdiaconus, & ordinandum in altari diaconus: ergo nihil attingunt de sanctitate sacramenti: ergo non oportet, quòd impediant propter hoc matrimonium.

3 Item, Nulli magis indigent medicina contra concupiscentiam, quam ministri altaris: sed matrimonium est medicina contra concupiscentiam: ergo maximè indigent matrimonio: ergo maximè debet eis concedi matrimonium.

4 Item, Non pertinet ad subdiaconum legere Euangelium, sed Epistolam: ad diaconum autem

autem pertinet legere Euangelium & non conficere sacramentum: sed ad sacerdotem pertinet conficere sacramentum: habent ergo se isti ordines in gradibus altioris & inferioris potestatis: hæc igitur potestas debet ascendere quibusdam gradibus sanctitatis: sed hæc sanctitas non bene exprimitur nisi impar continentiæ modus eis indicatur: ergo videtur, quòd non tres isti ordines impediant matrimonium contrahendum & dirimant contractum.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est, quòd omnes isti ordines dicuntur sacri à sanctitate excellenti super communem populum: ergo ad aliquid tenentur, ad quod non omnis populus: sed hoc non potest esse nisi continentia perpetua: ergo ad perpetuam continentiam tenentur.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd de congruitate omnes isti tres ordines impediunt matrimonium contrahendum & dirimunt contractum: & hæc congruitas ad actum reducitur per Ecclesiæ institutionem, vt prius dictum est.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd differens illa sanctitas non est in remouendo se à delectationibus venereorum, sed potius in attingendo perfectionis altiorem modum: vnde quilibet tenetur ad continentiam: sed continentia in subdiacono est sicut virtus simpliciter, in diacono sicut virtus purgatoria, & in sacerdote sicut virtus purgati animi: quia etiam intentio virtutum non est principaliter in recessu à malo, sed in accessu ad bonum.

AD ALIVD dicendum, quòd est sanctitas in sacramentis dupliciter. Vna est quasi forma ipsius sacramenti. Alia est quæ non est forma in sacramento, sed potius in anima in qua efficitur. Dico igitur, quòd sanctitas quæ formalis est in sacramento, est in materia sacramenti vt dispositio quædam, & in loco, & in nutu, & in verbis, & in cæteris huiusmodi, & non est tantum ex forma sacramenti. Sed sanctitas quæ est effectus sacramenti in eo qui percipit ipsum, illa est à forma sacramenti in tali materia. Vnde cum sit sanctitas vt dispositio in materia sacramenti, & loco, & verbis, & ritu qui cheleta à beato Dionys. vocatur: oportet omnes cultui sacramenti appropinquantes, perfectè separari à contagione incontinentiæ: & ideo omnibus illis indicitur continentia perpetua.

AD ALIVD dicendum, quòd matrimonium est medicina indirecta, potius excipiens morbum quam curans. Ministri autem Domini curati debent esse à concupiscentia: & ideo aliam veram & directam curam accipiunt, quæ est spiritualis gratia refrigerans æstum concupiscentiæ, & exercitium spiritualium quod abstrahit animum à cogitatu concupiscibilium.

AD ALIVD dicendum, quòd differens ille gradus pro minimo suponit perfectum recessum ab immunditiis rationem sub carne deprimentibus: sed in exaltatione differunt sicut purgatores & illuminatores & perficientes, sicut dicit Dionys. Quod enim ipse refert ad ordinem diaconi & sacerdotis & Episcopi vocans diaconum purgatorem, eo quòd eiicit immundos à loco sacro: & sacerdotem illuminatorem, propter doctrinam: & Episcopum perfectiorem, propter consummatam potestatem in confirmando & consecrando, hoc nos possumus referre ad subdiaconum & diaconum & sacerdotem, dicendo subdiaconum purgare per doctrinam Epistolarum, diaconum illuminare luce Euangelica, & sacerdotem perficere conferendo Eucharistiam. Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICVLVS IV.

An habens vxorem, si vxore consentiente, sit ordinatus, ipsa vxor teneatur intrare religionem?

QVarto quæritur de eo qui habens vxorem, vxore consentiente est ordinatus, vtrum ipsa vxor religionem intrare teneatur? Videtur autem, quòd non: quia in ea est consentire quantum vult: sed iste ordinatus non tenetur ad castitatem, nisi dum viuit ipse: ergo si illa consentit castè viuere dum viuit maritus, videtur quòd hoc sufficiat ad hoc quod maritus ordinetur: ergo post mortem illius viri ipsa potest nubere alteri: ergo non tenetur intrare religionem.

2 Item, Si fornicatus esset vir, & dimissus propter fornicationem, ipsa non teneretur continere, nisi dum viueret vir: ergo videtur, quòd hoc sufficiat viro ordinato, quòd ipsa contineat dum ille viuit: ergo non tenetur intrare religionem.

3 Item, Ista mulier non tenetur ad castitatem ex hoc quòd ille suscipit ordinem, nisi eo vinculo quo ipsa subiacet legi viri: sed sicut Apostolus dicit Rom.7.& 1.Corinth.7. Mulier alligata est legi quanto tempore vir eius viuit. Quod si dormierit vir eius, liberata est à lege. Cui autem vult nubat, tantum in Domino. Ergo cum illa parte vitæ qua viuit post mortem viri, non subiaceat viro, videtur quòd in illa non obligatur ad castitatem ex hoc quod maritus recipit ordinem: ergo non tenetur intrare religionem.

Sed contra. IN CONTRARIVM est, quòd votum castitatis viri per ordinem quodammodo solennizatur: sed non possunt perpetuo vir & mulier separari, nisi per votum ex vtraque parte solennizatum: ergo mulier talis tenetur ad votum continentiæ perpetuæ solennizatum, vel quasi solennizatum.

2 Item, Quandiu ista non perpetuam vouit continentiam, tandiu timor est de castitate sua, quia votum hoc faceret, si de castitate non timeret: sed quandiu talis est timor, non potest ille vouere continentiam: ergo nec potest ordinem suscipere cui est annexum: sed suscipit ordinem: ergo non timet amplius de castitate vxoris: ergo vouit continentiam perpetuam, quasi solenniter.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd talis mulier tenetur ad castitatem dum viuit, hoc est, ad castitatem perpetuam: sed si iuuenis est, de cuius

cuius lapsu timetur, tenetur intrare religionem: si autem non est talis, debet esse in loco honesto in castitate perpetua.

Ad primvm ergo dicendum, quòd in ea vouere vel non vouere est voluntatis: sed tamen eo modo quo dat licentiam viro, intelligitur etiam ipsa vouere. Votum autem viri solennizatur & perpetuatur per ordinem: & ideò etiam ipsa perpetuat & solennizare intelligitur votum suum. Et hoc ideo est, quia sunt æqualis vinculi: & ideò de simili etiam communi consensu oportet quòd seinuicem absoluant.

Ad alivd dicendum, quòd non est simile: quia vir tunc amittit ius quod ipse habet in corpore mulieris propter peccatum suum: mulier autem est ècontra retinens ius in corpore viri, & ideo remanet libera. Hîc autem non amittit nisi per votum voluntarium consimile in vtroque: & ideò necessarium est perpetuare votum suum.

Ad vltimvm dicendum, quòd mulier eo vinculo impedit, quo subiacet legi viri quoad debitum carnis: sed illud debitum non absoluitur quocunque voto, sed tantum voto perpetuo quod intelligitur solennizari.

ARTICVLVS V.

An ordinatus vxore reclamante tenetur reddere debitum non obstante ordine?

Qvinto quæritur de eo qui ordinatus est vxore reclamante, vtrum aliquod præiudicium sit factum vxori? Videtur autem, quòd sic: quia ille omnimodè habet ordinem: ordini autem est annexum votum castitatis solenne: ergo iste ad perpetuam tenetur castitatem: sed non potest teneri ad castitatem, nisi illa perdat debitum in corpore viri: ergo vxori factum est præiudicium in corporali debito mariti.

2 Item, Fortius præiudicat minus forti: sed fortius est solenne votum in ordine, quam matrimonium: ergo præiudicat illi: ergo dirimit contractum matrimonium: ergo mulieri fit præiudicium.

Sed contra. In contrarivm est, quod vir quando ordinem accepit, in potestate sua carnem suam non habuit: ergo de ipsa nihil facere potuit per votum: ergo iste adhuc vxori reddendus est.

2 Adhuc, Si sine consensu vxoris in religione esset tonsoratus, ipse ei redderetur: ergo multò magis redderur ei, quando tantum ordinem sacrum sine consensu vxoris accepit.

Solutio. Responsio. Dicendum, quòd talis est vxori reddendus, sed non habet potestatem perendi debitum, sed tantum reddendi. Et mortaliter peccauit hoc modo accipiendo ordinem: & etiam post mortem vxoris ad perpetuam etiam si superuixit, tenetur castitatem.

Ad primvm ergo dicendum, quòd votum nullum & stultum fuit: quia de alieno nullus vouere potest, & fuit alienum quoad id quod vxor habuit in corpore suo.

Ad alivd dicendum, quòd non esset votum, sed potius stulta quædam promissio de alieno.

ARTICVLVS VI.

An clerici orientales reclamantibus vxoribus possint ordinari?

Sexto quæritur, Vtrum clerici orientales reclamantibus vxoribus possint ordinari? Videtur, quòd sic: quia non eis fit præiudicium, cum post ordinem possint reddere debitum & commanere sicut prius.

2 Item, Cum tria sint in coniugio, scilicet essentia coniugij, & actus debiti carnalis, & bonum: nullum horum impedit ordo orientalium: ergo videtur, quòd non possit impediri per vxoris contradictionem. Et prima quidem patet per se.

3 Item, Contradicente vxore non impeditur vir à voto terræ sanctæ, vbi contingit eum pluribus annis abesse ab vxore: ergo multò minus inter orientales, vxore contradicente, impeditur ab ordine ex quo ipsa nunquam priuatur debito suo.

4 Item, Reclamatio emendationis saluo iure vxoris nulla est si fiat ab vxore contra virum suam vitam emendantem: sed per ordinis susceptionem emendatur maritus, quia maior gratia confertur ei: ergo videtur, quòd reclamante vxore fieri possit, dummodo saluum sit ius matrimouij.

In contrarivm est quod dicit Apo- *Sed contra.*
stolus 1.Corinth.7. Nolite fraudare inuicem, nisi forte ex consensu. Ergo si non sit par vtrobique consensus, nec ad tempus possunt se à debiti solutione absoluere: sed orientalis tempore suæ vicis tenetur ad castitatem, quam non potest tenere, nisi vxore consentiente: ergo videtur, quòd non potest in ordinem suscipiendum consentire, ad cuius susceptionem sequitur talis obligatio castitatis.

2 Item, Ordinati vxor secundum multos in orientalibus post mortem ordinati tenetur ad perpetuam castitatem: ergo suæ libertatis fit ei præiudicium per ordinem susceptum à viro: ergo non potest suscipi ordo, nisi de vxoris voluntate.

Responsio. Hoc vltimò probatum vi- *Solutio.*
detur mihi esse conueniens, licet antiqui quidam dixerint contrarium.

Ad primvm ergo dicendum videtur, quòd licet in substantia debiti non fiat ei præiudicium, tamen in tempore quodam fit ei præiudicium, scilicet tempore vicis, & in statu futuræ libertatis fit ei præiudicium, sicut probant vltimæ obiectiones.

Ad alivd dicendum, quòd contrariatur quodammodo actui: quia in tempore priuat eam, licet non simpliciter.

Ad alivd dicendum, quòd hoc votum necessarium est pro liberatione terræ sanctæ; si tamen sciret probabiliter periculum vxoris futurum, credo quòd melius faceret non peregrinando.

Ad alivd dicendum, quòd non

totum vxoris ius remanet saluum, sicut patuit ex prædictis.

ARTICVLVS VII.

An vxores orientalium consentientes ordinationi suorum maritorum tenentur continere post mortem eorum?

SEptimo quæritur, Vtrum vxores orientalium consentientes in ordinationem suorum maritorum, teneantur perpetuè continere post mortem virorum? Videtur, quòd non: quia mulier post mortem à lege viri est soluta: ergo cui vult nubat secundum Apostolum 1. Corinth. 7. tantum in domino.

2 Item, Quæ esset causa, quòd non posset nubere? vir enim suus de cætero ex quo defunctus est, non contrahit bigamiam, nec ista mulier tenebatur ei nisi ratione matrimonij: ergo videtur, quòd soluto matrimonio ipsa se iungere possit cui voluerit.

Sed contra. IN CONTRARIVM est, quòd ad paria vir & mulier in continentia & debito matrimonij iudicantur: ergo quale est votum viri, tale necessariò est etiam votum mulieris: sed votum viri est, vt post suam aliam ducere non possit: ergo à simili mulier post mortem viri alium virum ducere non potest.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd vxor post mortem sacerdotis (vt dicunt) alium virum ducere non potest: quando enim consensit in ordinem viri, consentit etiam vel consentire intelligitur consequens ordinem: & hoc est votum continentiæ perpetuæ, quod quidam dicunt causari ab Ecclesiæ institutione, quidam autem à vi voti, quod melius credo, quia intelligitur eo modo solennizatum quo solennizatum est votum viri, vt scilicet post mortem mariti nunquam alium accipiat: sicut nec ille post mortem vxoris aliam ducere potest.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd soluta est à lege viri post mortem eius, sed non à voto, quod intelligitur solennizasse, quando consensit, quòd vir susciperet ordinem.

AD ALIVD dicendum, quòd votum interpretatum ponitur pro causa: & sic patet solutio. Tamen Hugo dicebat contrarium, scilicet quòd licet ei ducere alium: sed dicta opinio est celebrior.

ARTICVLVS VIII.

An verum sit, quòd in aliquibus ordinibus potest contrahi matrimonium, nisi habitus religionis obsit?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [In aliis verò permittitur, &c.] Hoc enim quòd dicit, vel votum continentiæ fecerint, non potest intelligi nisi de voto simplici: quia aliter disiuncta essent nulla: votum autem simplex non dirimit contractum: ergo videtur, quòd in voto simplici permittitur fieri coniugium: ergo nulla est causa quam ponit in litera.

RESPONSIO. Dicendum, quòd intelligitur de voto simplici, & hoc impedit contrahendum & sortiri prohibet coniugium: quia rem sortitur aliquis, quando primò acquiritur, non quando vtitur re iam acquisita. Et per hoc patet solutio obiectionis. *Solutio.*

ARTICVLVS IX.

An aliquis talium teneatur ducere virginem?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Vxorem ducere virginem, &c.] Videtur nihil esse: quia potest accipere virginem, vel non virginem, sicut sibi videtur.

RESPONSIO. Loquitur ex hypothesi, si clericus sacerdos fieri intendit: quia si non virginem duceret, bigamia obstaret ne sacerdos efficeretur. *Solutio.*

ARTICVLVS X.

An aliquis talium potest ducere viduam aut repudiatam?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Non viduam vel repudiatam, &c.] In Nouo enim Testamento nulla est repudiata: ergo pro nihilo videtur illud dicere.

RESPONSIO. Dicendum, quòd repudiata est dimissa qualitercunque, licet vxor non fuerit, quia bigamiam inducit quocunque modo ducitur corrupta. *Solutio.*

De interfectoribus suarum coniugum.

HIs adiiciendum est de occisoribus suarum coniugum, de quibus Nicolaus Papa scribit Radulpho Bituricensi Archiepiscopo: Interfectores suarum coniugum sine iudicio (cum non addis adulterarum vel aliquid huiusmodi) quid aliud habendi sunt quam homicidæ? ac per hoc ad pœnitentiam redigendi, quibus penitus denegatur coniugium. Hic videtur Nicolaus permittere maritis pro adulterio aut alio huiusmodi vxores suas interficere: sed ecclesiastica disciplina spirituali gladio, non materiali criminosos ferire iubet. B 33. q. 2. c. Interfectores.

33.q.2. c. Quicunque propriã

Vnde idem Nicolaus, Inter hæc veſtra ſanctitas addere ſtuduit: ſi cuius vxor adulterium perpetrauerit, vtrum marito eius ſecundum mundanam legem interficere liceat? Sed ſancta Dei Eccleſia nunquam mundanis conſtringitur legibus, gladium non habet niſi ſpiritualem. Item Pius Papa, Quicunque propriam vxorem abſque lege & ſine cauſa interfecerit, aliamque duxerit, armis depoſitis publicam agat pœnitentiam: & ſi contumax extiterit, anathematizatur vſquequo conſentiat.

ARTICVLVS XI.

An crimen impedimentum ſit & quantæ virtutis?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [His adiiciendum eſt de occiſoribus, &c.] Quæritur enim hic de impedimento criminis. Et quæruntur quatuor. Primum eſt, Quantæ virtutis ſit iſtud impedimentum? Secundum, Quæ & quot ſunt crimina matrimonium impedientia? Tertio de tribus caſibus, in quibus per crimen commiſſum diuiditur matrimonium contractum. Quartum, Vtrum licet maritis vxores adulteras interficere, ſicut litera videtur dicere, vel non?

Ad primum ſic proceditur: Nullum impedimentum adeò dignum eſt pœna ſicut crimen: ergo nullum adeò efficaciter debet impedire matrimonium: ergo crimen debet impedire contrahendum, & dirimere contractum.

2 Item, Crimen directè contrarium eſt coniunctioni animæ cum Deo: cum ergo matrimonium ſit huiuſmodi coniunctionis ſignum, crimen fruſtrat ſignatum matrimonio: ergo aufert à matrimonio bonum ſacramenti: ſed ſublato illo aufertur matrimonium, vt ſupra habitum eſt: ergo videtur, quod crimen impediat contrahendum, & dirimat contractum.

3 Item, In omnibus aliis ſacramentis crimen impedit effectum: ergo & in iſto: ergo videtur, quòd dirimat contractum.

4 Item, Nullum eſt impedimentum quod adeo directè contrariatur matrimonio ſicut crimen: ſed alia quædam minus contrariantia dirimunt contractum: ergo & iſtud dirimet ipſum. Probatur autem prima: quia alia ſunt frequenter ſine peccato perſonæ quæ matrimonium contrahit: iſtud autem nunquam. Secunda autem patet per ſe.

Sed contra. IN CONTRARIVM eſt, quòd matrimonium eſt medicina: ſed quanto aliquis eſt infirmior, tanto paratior debet ei eſſe medicina: ergo cum crimen ſit infirmitatis, quanto aliquis eſt criminoſior, tanto minus impediri debet à matrimonio, ne per concupiſcentiam ruat in præceps.

2 Item, Ponamus, quòd iſtud ſuperueniat matrimonio: conſtat, quòd non impedit propter periculum: ergo nec etiam tunc debet impedire, cum idem periculum ſit de incontinentia.

3 Item, Alia impedimenta impediunt frequenter quoad vnam, & non quoad aliam, & in illis non tollitur medicina: ſed iſtud impedit quoad omnia: ergo tollit medicinam: ergo niſi temperetur, deſperabit æger: ergo ab Eccleſia temperandum eſt, ita quòd licet impediat contrahendum, non tamen dirimat contractum.

Solutio. QVOD CONCEDENDVM eſt: quia nullum impedimentum criminis ita impedit contrahendum, quòd etiam dirimat contractum præter adulterium in triplici caſu, ſicut partim ſupra dictum eſt, & iterum infrà dicetur.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd ex ratione reatus maximè impedit, ſed ob hoc non contrahit fortitudinem impediendi, ſed potius ex hoc quod deſtruit eſſentialia matrimonio, ſicut conſenſum, vel debiti redditionem, vel aliquid tale: nullum autem horum deſtruit crimen: & ideò non eſt adeò violenter impediens ſicut alia.

AD ALIVD dicendum, quòd contrariatur coniunctioni ex eo quod deſtruit cauſam coniunctionis quæ eſt meritum, & non ex hoc quòd deſtruat ſignum. Vnde non eſt verum, quòd id quod contrariatur ſignato, contrarietur ſigno, niſi per ſe & formaliter intelligatur, ſcilicet quod contrariatur ſignato, inquantum eſt ſignatum illius: hoc autem modo crimen non contrariatur coniunctioni fidelis animæ cum Deo: vnde non valet argumentum.

AD ALIVD dicendum, quòd impedit effectum matrimonij qui eſt gratia: ſed tamen non impedit matrimonij effectum, id eſt, quòd matrimonium efficiatur: ſicut etiam crimen in aliis ſacramentis ſacramentum non impedit, ſed effectum ſacramenti, qui eſt gratia.

AD ALIVD dicendum, quòd hæc eſt falſa: quia nullum impedimentum ita contrariatur matrimonio ſicut crimen, vt patet ex prædictis.

ARTICVLVS XII.

Quot & quæ ſunt crimina matrimonium impedientia?

SEcundo quæritur, Quæ & quot ſint ſigna criminis matrimonium impedientia? Et conſueuerunt poni ſex, ſcilicet interfectio propriæ coniugis, inceſtus, raptus ſponſæ alterius, inſidians iuri vel debito vxoris, ſicut ille qui proprium filium leuat à fonte, vt per hoc vxoris

vxoris suæ compater effectus, non teneatur ad debitum: occisio presbyteri, & pœnitentia solennis.

Obiicitur autem de primo: quia interficiens propriam coniugem, non peccat nisi in matrimonium quod fuit inter eum & coniugem suam: ergo non debet puniri nisi in illo matrimonio: ergo videtur, quòd liceat ei contrahere aliud matrimonium, contra quod non peccauit.

2 Similiter etiam obiicitur de incestu: in illo enim apparet æstuans concupiscentia: cum ergo medicina illius sit matrimonium, videtur quòd ille maximè debeat per Ecclesiam ad matrimonium inuitari: ergo non debet constitui ab Ecclesia, quòd hoc crimen matrimonium impediat.

3 Eodem modo de tertio obijcitur. Videtur enim, quòd rapiens sponsam debet eam habere: quia inter eam & primum non sunt nisi sponsalia, & inter eam & secundum interuenit carnale commercium: & per hoc soluuntur sponsalia, vt supra habitum est: ergo videtur, quòd ex hoc ipso, quòd rapit eam, efficiatur non sponsa alterius: ergo non impedit matrimonium ex hoc, quòd rapuerit sponsam, sed eam potest habere vxorem.

4 Vlterius de quarto: quia ille nullo modo peccat contra omne matrimonium, sed tantum contra suam coniugem: sicut ergo peccans in contractu vnius matrimonij, non propter hoc impeditur ab alio, ita nec iste impediri debet ab alio matrimonio contrahendo post mortem coniugis suæ.

5 De quinto autem videtur, quòd sit penitus irrationabile: quia presbyter non est persona pertinens ad matrimonium: ergo occidens eum, nihil peccat matrimonium: ergo iniustè punitur in matrimonio.

6 Sextum etiam nihil rationis habere videtur: quia solenniter pœnitens est laudabilis: quia nec apertum vituperium eum retrahit à pœnitentia: sed nihil habet rationis, quòd aliquis puniatur in eo in quo est laudabilis: ergo pro illa pœnitentia non debet pœnitens solenniter puniri: sed magna pœna est impediri à matrimonio: ergo solenniter pœnitens à matrimonio non debet impediri.

Quæstiuncula. VLTERIVS quæritur, Cum hæresis & apostasia à fide & ipsa infidelitas, sint grauiora crimina, quam ista, quare non ponuntur inter impedientia matrimonium? Videtur enim, quòd debeant poni: quia enormia sunt, & contra fundamentum matrimonij peccant: ergo impedire debent matrimonium.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd sex dicta ab antiquis sunt posita crimina impedientia matrimonium contrahendum ex interdicto Ecclesiæ, sed non dirimunt contractum, quinimo dixerunt, quòd si iuuenes sunt talia crimina committentes, Ecclesia debet cum eis dispensare etiam de matrimonio contrahendo, ne aliqua occasio ruinæ detur eis ex incendio concupiscentiæ.

DICENDVM ergo ad primum, quòd in pœna est hoc statutum: satis enim æquum est vt interficiens coniugem, coniugem de cætero non inueniat, licet non peccauerit nisi in vnam: timetur enim, quòd similis furor eum etiam debeat concitare in aliam, vt etiam interficiat illam. Vnde hoc fit non ideò quia peccauerit in secundum matrimonium, quia adhuc non est, sed in criminis detestationem, & propter timorem similis in matrimonio sequenti.

AD ALIVD dicendum, quòd licet incestus significet nimium æstum concupiscentiæ, tamen reddit etiam personam aliquo modo illegitimam ad matrimonium, inquantum non attendit vel timetur non debere attendere matrimonij honestatem, qui naturæ gradus non attendit: sed præcipuè tamen Ecclesia attendit, vt magis vitentur ista crimina propter timorem pœnæ adiunctæ.

AD TERTIVM dicendum, quòd raptor sponsæ alterius dicitur, non quod sponsa remaneat si ille voluerit, sed quia ille rapuit eam quæ fuit sponsa: propter matrimonij enim inchoationem aliquam quæ fit in sponsalibus (vt supra habitum est) vult Ecclesia, quòd hoc crimen quilibet detestetur, & ideò pœnam talem adiunxit.

AD QVARTVM dicendum, quòd non est simile de contractu matrimonij: quia ibi fit damnum temporale tantum, sed hic fit damnum & insidiatio etiam spiritualium, sicut fidei, & huiusmodi: & ideo istud est detestabile.

AD QVINTVM dicendum, quòd enormitas criminis exigit longam & asperrimam pœnitentiam: & ideò interdicitur ei matrimonium, vt nullo alio occupatus possit deflere peccata sua: tali enim consulendum est vt intret religionem: & hæc est ratio ecclesiasticæ institutionis.

AD ALIVD dicendum, quòd solenniter pœnitens non potest de cætero vacare deliciis: quia solennis pœnitentia non fit nisi pro crimine quod totam commouit patriam vel vrbem, vt supra in tractatu de pœnitentia dictum est: & ideò non est congruum illi amplius vacare deliciis cum vxore: & ideò interdicitur ei matrimonium contrahendum.

Ad quæstiunculam. AD ID quod vlterius quæritur, dicendum quòd multis aliis criminibus posset Ecclesia adiungere hoc in pœnam, quòd non contraherent si vellet: sed tamen in præhabitis fecit: quia magis contra matrimonium peccabant vel enormitate sua perpetuum luctum exigebant, sicut duo vltima. Et bene credo, quòd hoc infideli & apostatæ esset consulendum: tamen quia talia peccata cum errore & ignorantia sunt mixta, licet enormia sint in se, facilius tamen apud Ecclesiam impetrant veniam: quia non tantum ex malitia, quantum ex ignorantia processerunt. Vnde 1.Timoth.1. Misericordiam Dei consecutus sum, quia ignorans feci in incredulitate mea. Act.3. Et nunc fratres scio, quòd per ignorantiam feciſtis sicut & principes vestri.

ARTICV

ARTICVLVS XIII.

An in tribus casibus qui polluit aliquam per adulterium, post mortem vxoris eam non potest ducere in matrimonium?

TErtio quæritur de tribus istis casibus in quibus ille qui polluit aliquam per adulterium, post mortem suæ coniugis eam non potest ducere in matrimonium: sicut enim supra patuit, illi sunt, si machinatus est cum effectu in mortem coniugis, si fidem dedit de contrahendo, si contraxit de facto.

Obiicitur autem de primo: sit enim, quòd ex ira vel ex inimicitia machinetur in mortem coniugis prioris, & non ad hoc quod contrahat cum adultera, videtur tunc non impedire: quia tales iræ non faciunt aliquod speciale periculum coniugi, eò quòd etiam sine adulterio talia possunt accidere: ergo videtur, quòd hoc sit generale.

2 Similiter ponamus, quòd quando dedit fidem de contrahendo vel etiam contraxit, illa nesciuit istum esse coniugatum, sed putauit solutum: tunc enim ignorantia excusat totum peccatum: ergo illa iniustè puniretur, si post mortem alterius coniugis non liceret ei contrahere secum.

3 Item, Pono, quòd non fuit verum matrimonium, sed tamen ante separationem per iudicium Ecclesiæ fidem det vel contrahat cum alia: videtur enim, quòd non impeditur: quia cum non sit impedimentum nisi ex matrimonio, & illud nullum sit, illud nullum faciet impedimentum: ergo fiet contractus secundus.

4 Item, Vlterius pono, quòd det fidem de contrahendo vel contrahat, antequam eam polluat per adulterium, & posteà polluat eam per adulterium. Videtur, quòd hoc non impedit: quia ius non est nisi de eo qui duxit in matrimonium eam quam prius polluit per adulterium: sed iste non fecit: ergo hoc non impedit.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd in omnibus istis casibus præter vltimum habent instantiam illi casus tres qui inducti sunt. Sed de vltimo dicendum, quòd ex nouo iure determinatum est, quòd siue fidem ante adulterium daret, siue post, quòd impedit contrahendum cum illa cui fidem dat, & dirimit contractum: quia similes inuidiæ per vtrumque fiunt matrimonio primo: & ideo similiter determinant de vtroque. In aliis autem tenendum est sicut probant obiecta.

ARTICVLVS XIV.

An liceat maritis vxores adulteras interficere?

QVarto quæritur, Vtrum liceat maritis vxores adulteras interficere, sicut in litera videtur dicere in decreto Nicolai Papæ? videtur, quòd sic: quia lex præcipit adulteram lapidari: quod autem lex diuina præcipit, homo exequi tenetur: cum ergo nullus sit adeò offensus ab adultera sicut maritus, ipse potest eam lapidare.

2 Item, Lex dicit maleficos non patiaris viuere: sed malefica maximè est adultera: ergo peccatum etiam est marito, si patitur eam viuere: ergo tenetur eam interficere.

3 Item, Legibus humanis ignoscitur marito, si vno vulnere confodit vtrumque, & adulterum & adulteram: cum igitur leges humanæ exemplatæ sint à diuinis, videtur quòd secundum legem diuinam idem fieri debeat: ergo si interficiat eam, debet ei ignosci.

Sed contra. INCONTRARIVM est quod dicitur Ezech. 18. Nolo mortem peccatoris, sed magis vt conuertatur & viuat. Ergo homo debet eam expectare ad pœnitentiam & non statim interficere.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd Ecclesiastico iudicio nullus interficitur: si autem adulter per iudicium ciuile fecerit eam interfici, ipse videat: bene enim puto, quòd si lex humana in talibus seruetur, non est peccatum.

AD PRIMVM ergo & secundum dicendum, quòd lex timoris fuit lex vetus: & ideo crimina atrociter puniebat, & adulteros condemnabat & alios criminosos: sed lex noua lex amoris est: & ideò Dominus Ioan. 8. adulteram liberabat.

AD ALIVD patet solutio per dicta: quia si lex ciuilis seruetur, peccatum, vt puto, nullum incurritur: sed tamen ex misericordia dissimulandum est, sicut ipse Dominus sua misericordia exaltat iudicium dissimulans peccata hominum propter pœnitentiam.

A De impedimentis quæ omnino faciũt illegitimum matrimonium cõtrahẽdũ cum omni propter propriam obligationem.

DISTINCTIO XXXVIII.

De voto.

NVNC de voto inspiciamus. Votum est testificatio quædam promissionis spontaneæ, quæ Deo & de his quæ Dei sunt, propriè fieri debet. Sunt tamen & vota stultorum, quæ frangenda sunt.

DIVISIO

DIVISIO TEXTVS.

NVnc de voto inſpiciamus,&c.]In hac diffinitione tria inquiruntur,ſcilicet de voto, de quantitate reatus adulterij *ibi* [Cum vir & mulier] Tertio quæritur de fœminis contrahentibus poſt longam expectationem mariti,qui defunctus eſſe credebatur *ibi*[Hic quæritur de illis fœminis] Circa primum duo determinat Magiſter,ſcilicet de voto,& differentiis votorum : & hoc ſecundum incipit *ibi* [Sciendum,quòd votum aliud commune,&c.] Incidunt autem circa primum ſex inquirenda, ſcilicet quid ſit votum?de quo ſit votum?quis poſſit vouere ? an licitum votum reddere ſit neceſſitatis ? & an votum ſit magis obligatorium,quam iuramentum,vel è conuerſo ? quid ſit illud ex quo votum habet vim ſuæ obligationis ? Ad primum aſſumantur diffinitiones quæcunque inueniuntur. Continetur autem hæc in litera : Votum eſt teſtificatio quædam promiſſionis ſpontaneæ, quæ Deo & de his quæ Dei ſunt, propriè fieri debet. Hugo de ſancto Victore in libro de ſacramẽtis parte 12. ſic diffinit votum, Votum eſt ſponſio animi voluntaria. Et quidam Iuriſperiti ſic, Votum eſt alicuius boni cum deliberatione facta promiſſio. Antiqui autem Doctores Theologiæ ſic, Votum eſt conceptio boni propoſiti cum deliberatione firmata qua quis ad aliquid faciendum vel non faciendum ſe Deo obligat. Alij autem ſic, Votum eſt promiſſio melioris boni ex deliberatione firmata.

ARTICVLVS I.

An definitiones voti ſint benè aſſignatæ?

OBiicitur autem contra primam ſic : Omnis teſtificatio coram quibuſdam eſt, qui teſtes eſſe poſſunt:ſed non omne votum ſic eſt: ergo non omne votum teſtificatio eſt. Prima patet ex ratione teſtificationis,quæ nihil aliud eſt, quam inuocatio teſtium ad veritatis aſſertionem.Secunda autem probatur per hoc,quòd quoddam votum eſt priuatum,quod fit tantum coram Deo.

2 Item, Teſtificatio aut eſt per ſignum,aut per teſtes. Per ſignum, ſicut dicimus, quòd verbum eſt teſtis cordis.Si per ſignum.Contra: Quoddam votum tantum fit in corde, quod nunquam procedit ad ſignum aliquod. Si autem per teſtes:tunc non eſſet votum niſi quod per teſtes probari poſſet, quod iterum falſum eſt.

3 Item, Aliud eſt teſtificatio, & aliud eſt de quo fertur teſtimonium quandoque : ergo non eſt teſtificatio : ergo malè diffinitur per teſtificationem.

4 Vlterius obiicitur de hoc quod dicit, Promiſſionis ſpontaneæ. Hoc enim non videtur generaliter conuenire voto : quia quidam Iuriſperiti diuidunt votum dicentes, quòd votorum aliud eſt voluntatis, aliud neceſſitatis : ergo aliquod votum eſt exhibitionis neceſſariæ,potius quam promiſſionis ſpontaneæ : ergo malè diffinitur.

5 Item, Promiſſio ſpontanea eſt votum: quia promiſſio ſpontanea eſt eſſentiale prædicatum voti:ergo videtur,quòd in recto,non in obliquo debet poni in diffinitione.

6 Vlterius quæritur de hoc quod dicit, Quæ Deo fieri debet. Quia vota frequenter fiunt ſanctis : ergo videtur,quòd non ſemper fiat Deo votum.

VTTERIVS obiicitur contra ſecundã. Quia omnis ſponſio facta etiam homini eſt voluntaria, quia non coacta : ergo omnis talis ſponſio eſt votum.

2 Item, Sponſalia ſunt voluntariæ ſponſiones nuptiarum : ergo ſunt vota, quod deriſio eſt dicere : ergo videtur, quòd diffinitio ſit mala.

VLTERIVS quæritur de tertia. Quia aliquod eſt bonum naturæ : ergo promiſſio illius boni cum deliberatione firmata, eſt votum, quod eſt abſurdum.

2 Item,Promiſſio quæ fit homini cum deliberatione firmata, ſi eſt alicuius boni,ſecundum hoc eſſet votum : & ſic multa fierent vota inter ſocios & conciues & amicos tota die, quod falſum eſt : ergo diffinitio nihil valet.

VLTERIVS quæritur de quarta. Conceptio enim boni non proceſſit adhuc in promiſſionem : cum igitur votum ſit promiſſio,vt dicitur in litera, videtur, quòd malè & imperfectè diffinit per conceptionem.

2 Item, Conceptio natura & tempore eſt ante propoſitum : ergo non eſt conceptio boni propoſiti, ſed potius propoſitum bonæ conceptionis : ergo iterum malè per hunc modum diffinitur. Probatur autem prima per hoc, quòd nihil proponitur,quod non ſit corde ante conceptum:multa autem concipiuntur quæ non proponuntur fieri.

3 Item, Non omnis rei eſt deliberatio ſecundum Philoſophum : ſed potius deliberatio eſt propter conſilium dum eſt in dubiis tantum : ergo & deliberatio eſt tantum in dubiis: ſed votum frequenter eſt de his quæ certitudinaliter ſunt bona : ergo non omne votum eſt firmatum deliberatione, ſed potius circa ſuppoſitionem boni.

4 Item, Votum deliberatione non firmatur, ſed potius promiſſione & publicatione & ſolennizatione : ergo videtur, quòd non benè dicit, Deliberatione firmatum.

VLTERIVS quæritur de vltima. Videtur, quòd votum non ſemper ſit melioris boni, quia votum neceſſitatis non eſt melioris boni, ſed communis : ergo non bene ſic diffinitur.

2 Præterea, Cum vnius rei ſit eſſe vnum, & diffinitio declaret eſſe diffiniti, quæritur, Penes quid tot ſumantur diffinitiones ?

RESPONSIO. Dicendum ad hoc vltimum, quòd votum dicitur dupliciter : communiter, & propriè. Communiter autem quælibet promiſſio facta Deo de his quæ ad religionem Chriſtianam pertinent, votum dicitur, & ſic votum eſt promiſſio facta in baptiſmo & in pœnitentia, *Solutio.*

pœnitentia, & in aliis præceptis diuinis ſiue quibus non eſt ſalus,& hoc votũ vocatur præcipuè à quibuſdam Iuriſperitis votum neceſſitatis : quia velit nolit homo, oportet eum ſeruare illa ſi vult ſaluari. Dicitur etiam votum de his facta promiſſio quæ ſupra præceptum ſunt, quæ Deus non requirit à nobis, niſi nos ſponte ad ea obligemus:& de illis dicit Auguſtinus, quòd vouere eſt voluntatis, & reddere neceſſitatis:& ſic dicitur votum proprie. Dicatur ergo,quòd prima diffinitio quæ ponitur in litera,tangit genus & propriam materiam voti in communi,& cui eſt faciendum.Secunda autem non tangit niſi formam voti in genere voti communis. Tertia autem proprium efficiens & materiam : quia deliberatio efficit, & bonum eſt materia. Quarta vero tangit efficiens remotum & propinquum,& cui fit & ad quid,id eſt,finem, quia fit ad obligandum ſe Deo. Quinta autem & vltima eſt data de voto propriiſſimè dicto : quia illud non eſt niſi de meliori bono : & tangit formam in genere per promiſſionem & effectiuum quod eſt deliberatio ſpontanea : & ideò iſta vltima melior eſt inter omnes.

Ad primvm ergo dicendum, quòd teſtificatio hæc eſt per ſignum à deliberatione procedens, quod eſt promiſſio quæ cordis eſt teſtis : & ideò poteſt fieri inter ſe & Deum: quia tunc promiſſio ſua teſtis erit vel contra eum ſi tranſgreſſor voti fuerit, vel pro ipſo ſi illud ſeruet.

Ad alivd dicendum, quòd in corde etiam eſt promiſſio, quæ teſtis eſt inter ſe & Deum : & ideo patet ſolutio.

Ad alivd dicendum, quòd non diffinit hic Magiſter niſi votum propriè ſumptum. Vel poteſt dici, quòd præceptum diuinum dupliciter poteſt attendi, ſcilicet in comparatione ad finem qui eſt ſaluatio, & ſic eſt neceſſarium : vel abſolutè quoad obſeruationem, & ſic eſt voluntarium, quia voluntariè impletum : & ita non repugnat aliquid eſſe voluntarium & neceſſarium.

Ad alivd dicendum, quòd votum propriè eſt confirmatæ voluntatis : & ideo promiſſio propriè loquendo eſt conſequens votum, ſicut teſtificans & confirmans ipſum : & ideo cadit obliquè in diffinitione voti : quia tamen promiſſio materialiter accipitur pro re promiſſa, quia illa confirmatè eſt volita : ideo materialiter dicitur aliquando votum in recto, ſed tamen magis propriè prædicatur obliquè de voto.

Ad vltimvm dicendum,quòd votum non fit ſanctis, niſi per hoc quod Deus relucet in eis quoad ſuffragia : & ideo omne votum refertur ad Deum.

Ad id quod quæritur vlterius de ſecunda diffinitione. Ad primum dicendum, quòd ſponſio à Magiſtro Hugone accommodè accipitur, vt ſit de his quæ pertinent ad religionem.

Ad alivd dicendum, quòd ſponſalia ſunt ad matrimonium ordinata,quod non tantum pertinet ad religionem, ſed ſecundum quod eſt officium naturæ.

Ad id quod opponitur de tertia diffinitione,dicendum quòd hæc eſt voti in communi : & intelligitur ſponſio facta de his quæ pertinent ad religionem. Et per hoc patet ſolutio ad vtrumque obiectorum illorum.

Ad id quod obiicitur de quarta, dicendum quòd conceptio dicitur dupliciter. Vno modo quando aliquid quocunque modo cogitatur : & hæc impropriè vocatur conceptio. Alio modo dicitur conceptio quando claditur corde, & formatur ad actum & ad opus, ſicut dicitur conceptus infans qui formatur. Et hoc modo conceptio ponitur in voti diffinitione. Et patet, quòd hoc modo conceptio dicit aliquid perfectè volitum.

Ad alivd dicendum, quòd conceptio primo modo dicta præit natura & tempore propoſitum, ſed ſecundo modo dicta ſubſequitur : quia nihil prædicto modo formatur, niſi quod antè propoſitum eſt ad volendum & agendum.

Ad alivd dicendum, quòd licet materia voti certiſſimè ſit bona : tamen modus executionis eſt dubius, & poteſtas vouentis,& exitus voti : & quoad illa locum habet deliberatio,& eſt neceſſaria.

Ad vltimvm dicendum, quòd deliberatio firmat votum ſimplex, ſed promiſſio & publicatio & ſolennizatio firmat quoad aliud etiam votum quoddam.

Ad id quod opponitur de quinta, dicendum quòd illa eſt magis propria inter omnes, & datur de voto propriiſſimè dicto,quod ſemper eſt melioris boni quam ſit aliquod bonum quod cadit ſub præcepto.

ARTICVLVS II.

An votum eſt eorum quæ ſunt ſub conſilio?

Secundo quæritur, De quo ſit votum? Videtur autem, quòd de omni bono : cum enim omne bonum actibile ſit voluntariè factum, & votum ſit ſponſio ſpontanea, videtur quòd ſit de omn bono.

2 Item Geneſ.28. Votum vouit Iacob de his bonis quæ erant neceſſitatis, ſcilicet quòd Deus eſſet ſibi in Deum, & quòd decimas hoſtias pacificas eſſet oblaturus : ergo videtur cum hoc ſit neceſſitatis, quòd votum ſit de bono neceſſario ſalutem.

In contrarivm huius eſt, quod dicit Auguſtinus, quòd vouere eſt voluntatis: ergo votum cadit ſuper bonum, quod Deus non requirit ab homine : hoc autem eſt bonum conſilij : ergo votum eſt de bono conſilij tantum. *Sed contra.*

2 Item, Votum propriè eſt melioris boni, vt habitum eſt : ſed melius bonum eſt conſilij: ergo votum eſt de bono conſilij.

3 Item, Nos videmus,quòd ſoli illi dicuntur ſuper ſe habere vota, qui ſe obligant ad conſilia, vt religioſi, peregrini, & huiuſmodi : ergo videtur,quòd votum ſit de bono conſilij tantum.

Sed itervm vlterius videtur, quòd ſit etiam illiciti, ſicut patuit in voto Iepte, qui vouit vt primum offerret Deo quod ſibi reuertenti *Quæſtiuncula.*

nerenti de victoria domum occurreret, & obtulit propriam filiam: ergo videtur, quòd non sit tantum boni melioris de quo est consilium. Si dicas, quòd fuit stultum votum, & ideò non acceptum. Contra: Hebr.11. Iepte numeratur ab Apostolo in catalogo Sanctorum: sed hoc non fieret, nisi Deo votum suum & cætera quæ egit, placuissent; ergo votum illud non fuit stultum, nec impium.

2 Item, Videmus quosdam & præcipuè fœminas vouere, quòd non pectinent caput tali vel tali die profesto quando licet operari, vel quod non comedant hunc cibum, sicut anguillam, vel aliud simile: & de his neque consilium est, neque præceptum: ergo videtur, quòd votum non semper est de bono de quo est consilium.

Item, Quidam vouent sibi periculosa, sicut ieiunia biduana vel triduana, vel cum pane & aqua: & generatur eis periculum in tali vita vel ex infirmitate, vel ex paupertate: constat autem, quòd de periculosis neque est consilium, neque præceptum; ergo videtur, quòd non semper sit votum boni melioris de quo est consilium.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd votum propriè dictum non est nisi de his quæ cadunt sub consilio: votum autem communiter acceptum est de his etiam quæ cadunt sub præcepto: & per hoc patet solutio ad primum.

AD SECVNDVM dicendum, quòd votum Iacob erat de bono consilij: cum enim dicit, Erit mihi Dominus in Deum, intelligitur per cultum specialem ad quem in communi non tenebantur alij, sicut est erectio altaris, præordinatio loci ad templi futuram ædificationem. Et cum dicit, Decimas, &c. hoc erat consiliabile: quia necdum erant ministri, quibus deberentur decimæ, nec etiam multi pauperes, eò quòd habitatores tunc erant rari: & ideo cadebant sub consilio. Quæ autem obiiciuntur in contrarium, sunt concedenda.

Ad quæstiunculam. AD ID quod vlterius quæritur, dicendum quòd sicut dicit auctoritas, Iepte stultus fuit in vouendo, & impius in reddendo. Ad obiectionem autem dicendum, quòd ratione victoriæ quam Dei auxilio habuit, ponitur in catalogo tam Sanctorum, quam eorum qui magna virtute fidei fecerunt, & non ratione eius quod stultè vouit, & impiè soluit: quia Isidorus de talibus dicit, In malis promissis rescinde fidem, & in turpi voto muta decretum.

AD ALIVD dicendum, quòd omnia talia vota potius sunt sortilegia quædam, quam vota, & sunt reliquiæ vanitatis paganorum, qui ad imagines cæli vel dominos horarum vel dierum hæc vel hæc dicebant non esse facienda. Vnde de talibus dixit Apostolus Galat.4. Dies obseruatis & annos. Et si etiam aliquis hæc fecerit in honore Dei & suorum sanctorum, tamen prohibenda sunt, nec pro votis habenda propter idololatriæ similitudinem: quia vt dicit Hieronymus super Oseam, Non tantum idololatria fugienda est, sed etiam eius similitudo. Et dicitur 1.Thess.5. Ab omni specie mali abstinete vos.

AD ALIVD dicendum, quòd in periculum suæ sanitatis & vitæ nullus potest aliquid vouere: & ideo cum est periculum, fugiendum est votum potius, vel pro non voto habendum. Tutum est tamen, quòd in talibus quæratur dispensatio superioris: sed si tardè habeatur illa, etiam sine dispensatione tempore periculi est frangendum. Videtur autem mihi, quòd sufficiens causa periculi est paupertas vel infirmitas. Paupertas quidem, vt si vouit non comedere carnes, & cum mendicat, non dantur ei nisi carnes, vel ea quæ sunt cum carnibus, quæ si non comedat, inedia consumetur. Infirmitas autem, vt si vouit non comedere hoc vel illud, & posteà debilitatur nisi comedat, tunc puto posse solui votum. Et sic patet solutio ad omnia quæsita.

ARTICVLVS III.

Qui sunt qui possunt vouere?

TErtio quæritur, Quis possit vouere? Videtur autem, quòd quilibet: si enim impediatur, hoc non erit nisi ideo quia tenetur homini in contrario voti. Sed contra: Nullus ita tenetur homini sicut Deo: ergo votum Dei nunquam est dimittendum propter obligationem hominis: ergo quilibet potest vouere.

2 Item, Inferior dominus non potest prohibere obsequium domini superioris: sed omnis homo respectu Dei est inferior: ergo obsequium Dei prohibere vel impedire non potest: ergo votum Dei quod est de diuino obsequio, nunquam est dimittendum propter hominem: ergo quilibet vouere potest.

3 Item, Carnali domino qui super aliquem habet potestatem, magis prodest spirituale obsequium exhibitum ab inferiori, quam carnale: ergo propter carnale non debet eum retrahere à spirituali: sed votum est spirituale: ergo non debet eum retrahere à voto propter carnale.

4 Item, Interest qualiter quilibet re sua vtatur, vt dicit lex: constat autem, quòd nunquam melius vti potest, quam ad obsequium Dei: ergo videtur, quòd dominus nunquam melius seruo vti potest, quam vt impleat votum: ergo vouentem impedire non potest.

Quæstiuncula 1. VLTERIVS quæritur, Vtrum monachus vouere potest? Videtur, quod sic: quia in multis habet propriam voluntatem: quod autem suæ voluntatis est in aliquo & arbiter, vouere potest: ergo monachus vouere potest. Probatur prima per dictum Bernard. lib.de dispensatione & præcepto, vbi dicit: Nihil exigat prælatus eorum quæ non promisi. Secunda autem constat ex hoc, quòd nullus monachus omnia bona se seruaturum promittit.

Sed contra. IN CONTRARIVM est, quòd promittit obedienter viuere vsque ad mortem: ergo in nullo habet propriam voluntatem: ergo nihil potest vouere.

Quæstiuncula 2. VLTERIVS quæritur de vxore. Videtur enim, quòd illa multa possit vouere: quia ipsa non est ancilla, & in multis ad paria iudicatur cum viro: ergo vouere potest in multis sicut vir.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est, quod dici-

tur Num. 3. Vbi nulla eius vota approbantur, niſi quorum auctor eſt vir.

2 Ad idem facit dictum Auguſt. ſupra poſitum diſt. 32. cap. 2. Manifeſtum eſt ita voluiſſe legem, fœminam ſub viro eſſe, &c.

Quæſtiũcula 3. VLTERIVS quæritur de filio & filiafamilias. Videtur enim, quòd nec illi vouere poſſunt: quia eadem lex prohibet: & quod lex prohibet, fieri non debet: ergo tales nec per ſe vouere poſſunt.

Sed contra. IN CONTRARIVM eſt, quòd videmus filiosfamilias ad religionem contra voluntatem parentum conuolare, & rata eſſe vota eorum: ergo vouere poſſunt, vt videtur.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd ſeruus in hoc quod ſeruus, & monachus in hoc quod monachus, & vxor in hoc quod vxor, & filius vel filiafamilias in hoc quòd huiuſmodi, nihil penitus ſua auctoritate vouere poſſunt: ſed ſuperioribus ſuis confirmantibus vota eorum, vel cum ſciunt ea & non contradicunt quando poſſunt, vim accipiunt habere vota talium perſonarum. Huius autem hæc eſt cauſa: quia votum eſt ſponſio voluntaria, & tales perſonæ voluntatem liberam in talibus non habent, & ideo vouere non poſſunt.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd licet omnis homo plus obligetur Deo quam homini, tamen Deus non requirit illud obſequium quod factum eſt in præiudicium iuris hominis: & ideo vult Deus vt reddat homini ſuum, & in hoc maximè Deo obſequitur.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc verum eſt, quando ſunt contraria obſequia inferioris & ſuperioris: ſed quando vnum eſt obſequium vtriuſque, tunc ſæpè retrahitur aliquis ab obſequio quod tantum eſt ſuperioris per obſequium inferioris quod eſt de ordinatione ſuperioris: & ita eſt hîc in propoſito.

AD ALIVD dicendum, quòd licet magis fortè prodeſſet carnali domino ſpirituale quam corporale obſequium: tamen Deus non requirit hoc ab ipſo, quod carnali careat pro ſpirituali, niſi liberè hoc velit: & ideo poteſt eum retrahere ſi vult.

AD ALIVD dicendum, quòd illa lex non reſtringit aliquem ad meliorem vſum rei ſuæ qui eſſe poteſt, ſed tantum ad licitum: vnde dummodo licitè vtatur, legifer non intromittit ſe vtrum meliori vſu vtatur, ſiue minus bono. Et ita facit etiam Deus: quia vult, quòd homo gaudeat bonis ſibi conceſſis.

Ad quæſtiunculam 1. AD ID quod quæritur de monachis, mihi videtur (ſaluo maiorum conſilio) quòd quandiu manet in ordine ſuo, nihil ſpeciale inducere per votum ſuum poteſt: quia præiudicium communitati fieret: quia ſi de abſtinentia voueret, non eſſet qui ſibi cibum extra horam pararet, & induceretur abuſus ſeorſum comedendi, qui præcipuè in clauſtris caueri debet, & multa alia inconuenientia. Ad argumentum ergo dicendum, quòd non retinuit voluntatem ſuam in aliquo quod derogaret vitæ communi, ſed fortè in orando præter communem curſum ordinis: & hoc modo poteſt aliquid facere ſpeciale vel vouere.

Ad quæſtiunculam 2. AD ID quod de vxore quæritur, dicendum quòd ſub viri poteſtate eſt: & ideo fortè nihil vouere poteſt, niſi in aliquibus orationibus, præter conſenſum viri: & bene credo, quòd nec vir ſine conſenſu vxoris, niſi in voto fauorabili terræ ſanctæ.

Ad quæſtiunculam 3. AD VLTIMVM dicendum, quòd in clauſtro non debet recipi perſona, niſi quæ ſecundum ætatem eſt ſui iuris: & talis non eſt filiusfamilias ætate, licet ſub patris fortè ſit cura & regimine.

ARTICVLVS IV.

An votum reddere ſit neceſſitatis?

QVARTO quæritur, Vtrum votum reddere ſit neceſſitatis? Videtur, quòd ſic: quia hoc expreſsè dicit Auguſtinus. Item, Prou. 20. ruina eſt homini deuotare ſanctos, & poſt vòtum reſcindere. Item Deuter. 23. Cum voueris votum Domino Deo tuo, non tardabis reddere: quia requiret illud Dominus Deus tuus: & ſi moratus fueris, reputabitur tibi in peccatum. Item ibidem ita, Quod ſemel egreſſum eſt de labiis tuis, obſeruabis & facies ſicut promiſiſti Domino Deo tuo, & propria voluntate & ore tuo locutus es. Item ſuper idem Gloſſ. Iure teneris, quia propria voluntate ſpopondiſti: ſed quod aliquis tenetur, oportet reddere: ergo reddere eſt neceſſitatis. Item Pſ. 75. Vouete & reddite Domino Deo veſtro omnes qui, &c. ibi dicit Gloſſ. Vota quædam ſunt propria ſingulorum, vt caſtitas, virginitas, & huiuſmodi. Ad hæc ergo vouenda nos inuitat, non præcipit vt voueamus, ſed vt vota reddamus: vouere enim vouenti conſulitur, ſed poſt voti promiſſionem neceſſaria redditio exigitur. Ex hoc accipitur, quòd reddere eſt neceſſitatis. Item alia Gloſſa ibidem, Si vouetis, reddite: alioquin de voto rei tenentur & damnationem habent, quia primam fidem irritam fecerunt. Ex hoc accipitur idem quod prius. Item Pſalm. 67. Reddam tibi vota mea, quæ diſtinxerunt labia mea.

2 Item, Promiſſione firmata deliberatione quæ fit homini obligatur aliquis ad reddendum: ergo multò magis obligatur promiſſione facta Deo: ergo tenetur vouens ad reddendum.

Sed contra. IN CONTRARIVM eſt, quòd impoſſibile eſt reddere quandoque, ſicut cum aliqua vouit virginitatem & corrumpitur: ergo impoſſibile eſt reddere: ſed nullus tenetur ad impoſſibile: ergo videtur, quòd non tenemur ſemper vota reddere.

2 Item, Vna cauſa aſſignatur ab antiquis, quòd Deus non obligatur promiſſo, quia non obligatur ex neceſſario, ſed ex ſua libera voluntate: ergo à ſimili cum in votis obligemur ex noſtra libera voluntate, videtur quòd non tenemur ad redditionem neceſſariò.

3 Item, Apud homines impium putatur ſi aliquis ex amicitia promittat alij, & ipſe poſtea angariat eum ad neceſſariò ſoluendum totum: ergo multò magis hoc eſt apud Deum, qui totus eſt ipſa benignitas: ergo videtur, quòd Deus non arctat ad neceſſariò ſoluendum ſibi votum, quod ex libera voluntate promiſſum ſibi eſt.

RESPON

Solutio; Responsio. Dicendum, quòd necessitas est duplex, scilicet ineuitabilitatis siue coactionis absolutæ, & necessitatis conditionis. Prima est necessitas, sicut graue necesse est descendere. Secunda autem, sicut infirmus necesse habet sumere medicinam si à morbo vult liberari: & hoc modo necessitatis necessarium est vota reddere, quia aliter causa damnationis animæ incurritur, id est, mortale peccatum. Et ideo concedatur prima pars auctoritatum & rationum.

Ad id autem quod primo obiicitur in contrarium, dicendum quòd id quod amissum est in quantitate promissi per corruptionem, debet restitui in quantitate doloris in pœnitentia: quia benè redditur, quod redditur per æquiualens secundum reputationem Dei, licet non sit æquiualens secundum valorem rei: ita enim est æquiualens dolor pœnitentiæ ad omne id quod amittitur per peccatum: & ideò per pœnitentiam omne peccatum indulgetur.

Ad aliud dicendum, quòd non est simile de Deo & hominibus: quia Deus nec debet homini, nec potest debere: sed homo totum quod est, & potest & facit, Deo debet, licet Deus hoc totum non requirat ab homine: & ideò quia tamen debet, ipse ad necessariò soluendum ex promissione Deo facta obligatur, nisi fiat recompensatio quæ tunc reputatur voti solutio, sicut infra in voti recompensatione determinatur.

Ad vltimvm dicendum, quòd non est simile, sicut iam patuit: quia homo nihil debet homini ex commisso, sed se totum debet Deo: & ideò, si de hoc quod tamen debet de condigno, se obligat per votum, Deus hoc exigit ab ipso, & reus erit, si non soluerit.

ARTICVLVS V.

An votum sit magis obligatorium quam iuramentum?

Qvinto quæritur, Vtrum votum sit magis obligatorium quam iuramentum, vel è conuerso? Videtur autem, quòd sit magis obligatorium: quia si aliquis solenni voto vouerit se intraturum religionem, ipse arctatur ad intrandum, nec per matrimonium, nec per alium modum potest absolui, nisi impleat: sed si iurasset, ipse multis casibus absolueretur, & pœnitentia iniungeretur de periurio: ergo votum est maioris obligationis, quam iuramentum.

2 Item, Si duo vincula coniunguntur vni quæ in oppositum stringant, & vnum frangatur ab ipso, alterum autem non, sed frangit ipsum: constat illud fortius esse quod frangit, quam quod frangitur ab ipso: sed sic se habet votum solenne & iuramentum castitatis ad matrimonium, quòd iuramentum frangitur, & votum frangit ipsum: ergo votum est maioris obligationis, quam iuramentum. Si fortè dicas, quòd hoc verum est de solenni, sed non de priuato. Contra: Communiter dicitur, quòd solenne & priuatum sunt æqualis obligationis quoad Deum: ergo constat propositum de vtroque voto.

3 Item, Votum propriè ligat ad excellentius bonum: sed iuramentum tantum confirmatio est veritatis in dicto, & quandoque ad nihil ligat, sed de præterito confirmat veritatem: ergo ligare est iuramentum accidentale, & voto substantiale: sed cui ligare est substantiale, illud fortius ligat, quam id cui est accidentale: ergo votum est fortioris obligationis, quam iuramentum.

In contrarivm huius est, quòd fortius ligat, quod ligat ex veritate diuina, quam id quod ligat ex veritate humana: iuramentum autem ligat ex veritate diuina, & votum ex humana: ergo iuramentum fortius ligat, quam votum. Prima constat per se. Secunda autem probatur per hoc quod dicit Apostolus Heb.6. Homines enim per maiorem sui iurant: & omnis controuersiæ eorum finis ad confirmationem est iuramentum. Constat autem, quòd non per maiorem sui vouent. Sed contra.

2 Item, Simplex promissio & contestatio se habent sicut minus & magis ligans: sed votum est simplex vnius hominis promissio, iuramentum autem sicut contestatio: ergo iuramentum plus ligat, quam votum.

Responsio. Dicendum, quòd iuramentum adhibitum sponsioni & votum dupliciter possunt considerari, scilicet quantum ad id ex quo ligant, & quantum ad naturam & modum ipsius vinculi. Si primo modo: tunc non est dubium, quin iuramentum plus liget, quam votum: quia ligat ex contestatione veritatis diuinæ. Si secundo modo: tunc votum plus ligat, quam iuramentum: & hoc ideò est, quia vinculum habet fortitudinem ex bono ad quod ligat, & ex firma deliberatione vouentis siue ligantis se, & votum semper est ex deliberatione, & maius bonum quod non semper est iuramentum: si tamen quandoque etiam iuramentum addatur voto, illud præ omnibus est obligatorium. Patet ergo solutio ad primam partem obiectionum, præter vltimam. Et illam ego concedo: quia illa procedit ex natura vinculi quod iuramento est accidentale: & ideo non in omni est iuramento, sed tantum in illo quod est de aliquo faciendo in futurum. Similiter patet solutio ad duo inducta in contrarium: quia illa procedunt quantum ad id ex quo ligat iuramentum: & hoc planè maius est, quam id ex quo ligat votum. Solutio.

ARTICVLVS VI.

Vnde votum habeat vim suæ obligationis?

Sexto quæritur, Quid sit illud ex quo votum vim habet suæ obligationis? Videtur enim illud debilissimum esse: quia in promittente non sunt nisi tria, scilicet propositum faciendi, deliberatio, & promissio. Aut igitur ab vno istorum vim trahit votum, aut à duobus simul, aut ab omnibus tribus. Si ab vno: constat, quòd hoc debilissimum est: quia propositum hominis est contingens, vt dicit Philosophus, & à causa contingenti nunquam fit

effectus necessarius: ergo nunquam votum fit inuiolabile à proposito hominis solo. Idem sequitur si dicatur causari à deliberatione sola: quia sicut dicitur in libro Sapient.9. Cogitationes mortalium sunt timidæ,& incertæ prouidentiæ nostræ. Constat autem,quòd omnes nostræ deliberationes fundantur supra nostras cogitationes. Ergo omnes deliberationes nostræ sunt incertæ: ergo nihil certum causatur ab eis:ergo nec immobilitas voti. Si autem dicatur,quòd à promissione. Contra: Promissio nostra prima causatur ab aliquo incerto, quia à proposito & deliberatione: ergo & ipsa est incerta. Item, Promissio facta homini, est incerta intantum, quòd etiam quærit homo ab homine maiorem confirmationem per pignus, vel fideiussores, vel iuramentum: ergo & ipsa non est sufficiens ad votum faciendum. Si autem dicatur, quòd à duobus vel omnibus tribus vim habet. Contra: Si omnia tria contingentia cum sint,coniunguntur, nihil generatur inuiolabile; ergo nec generant inuiolabile votum: ergo videtur, quòd nulla sit voti firmitas.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est,quòd omne quod est in effectu,necesse est reduci ad aliquid quod est in causa: sed immobilitas & necessitas redditionis est in voto: ergo necesse est. quòd aliquam causam habeat,quæ causet istam necessitatem.

2 Item, Vbi Apostolus loquitur de immobilitate promissionis diuinæ, ibi reducit firmitatem nostræ consolationis ad immobilitatem dicti & iuramenti diuini, sic dicens Hebr.6. Interposuit consilij sui iusiurandum, vt per duas res immobiles, quibus impossibile est mentiri Deum, fortissimum habeamus solatium. Ergo à simili si firmitas redditionis sequitur votum, necesse est illud reduci in aliquam firmitatem quæ sit in causa voti.

Solutio. QVOD VIDETVR mihi necessario concedendum: vnde dicendum, quòd est in causa voti quæ est deliberatio: quia firmatur deliberatione, vt supra dictum est, & in diffinitionibus voti duo attenduntur, scilicet ipsa rectitudo deliberationis in se, & relatio eius ad exemplar quod imitatur. Et in se quidem non habet firmitatem, sed relata ad exemplar quod est rectitudo prima, qua rectum omne quod promittitur deliberate tenetur,& præcipuè quod promittitur Deo, cui etiam sine promissione nunquam possumus respondere vnum pro mille. Sic, inquam, relata firmissima est: quia iustitia hæc immortalis est & manet in seculum seculi. Ad id ergo quod primo obiicitur,dicendum quòd super omnia illa tria fundatur relata ad exemplar rectitudinis primæ,à qua contrahunt illam firmitatem. Et per hoc patet solutio ad omnia.

De votorum differentiis.

B SCIENDVM vero, quòd votorum aliud est commune, aliud singulare. Commune, vt illud quod in baptismo omnes faciunt, cum spondent renuntiare diabolo, & pompis eius. Singulare, vt cum aliquis sponte promittit seruare virginitatem, vel continentiam, vel aliquid huiusmodi. Item singulare votum, aliud est priuatum, aliud solenne. Priuatum est in abscondito factum: solenne verò in conspectu Ecclesiæ factum. Item priuatum votum si violetur, peccatum est mortale: solenne verò violare, peccatum & scandalum est. Qui priuatum faciunt votum continentiæ, matrimonium contrahere non debent: quia contrahendo mortaliter peccant: si tamen contraxerint, non separantur: quia probari non potest quod occultè factum est. Qui vero solenniter vouent, nullatenus coniugium inire queunt: quibus non solum nubere, sed & velle damnabile est. Vnde Augustinus. In coniugali vinculo si pudicitia seruatur, damnatio non timetur: sed in viduali continentia, & virginali excellentia virtus muneris amplioris expetitur: qua expetita, & electa, & voto oblata iam non solum capescere nuptias: sed etiamsi non nubatur, nubere velle damnabile est. Augustinus, Vouentibus enim virginitatem vel viduitatem, non solum nubere, sed etiam velle damnabile est. Quod Apostolus ostendit Timotheo scribens, Adolescentiores viduas deuita: cum enim luxuriatæ fuerint, in Christo nubere volunt, id est, cum post votum continentiæ in deliciis egerint vitam, non dico nubunt, sed nubere volunt in

Ad Iulianum de sancta viduitate. & allegatur 27.q.1.c. Nuptiarum bonum. Alias Hier. & hab. di. 27.cap. Vouentibus. 1.Tim 5.

Christo,

Christo, quasi tunc non sit peccatum: sed quod sit ostendit subdens, Habentes damnationem: & quare subdit, quia primam fidem irritam fecerunt, etsi non nubendo, tamen volendo: vt voluntatem quæ à proposito cecidit, appareat esse damnatam, siue sequantur nuptiæ, siue non. Damnatur enim propositi fraus: damnantur tales, quia continentiæ fidem primam irritam fecerunt, id est, votum vel in voto violato fidem quam in baptismo professæ sunt. Si autem pro voluntate nubendi damnantur, constat si eam effectui mancipauerint, reuocandum id esse in irritum, easque arcendas redire ad propositum. Vnde Gregorius, Viduas à proposito recedentes viduitatis, super quibus nos consuluisti, credo te nosse à sancto Paulo, nisi conuertantur, olim esse damnatas: quas & nos apostolica auctoritate damnandas, & à communione fidelium atque à liminibus Ecclesiæ arcendas fore censemus, vsquequo obediant Episcopis suis, & ad bonum quod cœperunt, inuitè aut voluntariè reuertantur. Ad Bonifaciũ. & habetur 27. q. 1. cap. Viduas à proposito.

ARTICVLVS VII.

An votum dicatur de voto secundum vnam rationem?

DEinde quæritur de hoc quod dicit [Sciendum quoque, quòd votorum aliud est commune, &c.] Et quæruntur hîc quatuor. Primum est, Vtrum secundum vnam rationem votum dicatur de voto communi & proprio? Secundum, Vtrum transgressio voti communis faciat speciale peccatum, vel peccati deformitatem sicut facit transgressio voti singularis? Tertio quæritur, Quare dicatur commune & singulare? Quartum, Vtrum commune recipiat dispensationem & commutationem, sicut quandoque facit singulare?

Ad primum sic obiicitur: Quæcunque diuidunt vnum commune, illa sunt vnius rationis in nomine illius communis: votum autem commune & singulare diuidunt vnum votum in communi: ergo sunt vnius rationis in nomine voti: ergo votum est vnius rationis prout dicitur de communi & de proprio siue singulari.

2 Item, Vtrumque est sponsio votiua animi de his quæ pertinent ad religionem: & hæc fuit supra diffinitio voti in communi: ergo vna ratione votum prædicatur de vtroque.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est, quod quandocunque aliqua in vna ratione participant genus, vnum non magis propriè recipit prædicationem illius generis, quam aliud: sed votum singulare magis propriè recipit prædicationem voti: ergo non vniuocè dicitur de voto communi & singulari. Prima patet per se. Secunda probatur ex hoc, quòd commune votum non est de voluntariis, sed de necessariis: votum autem dicitur à voluntate.

2 Item, De voti ratione est, quòd à deliberatione vouentis confirmetur: sed votum commune non est à deliberatione vouentis confirmatum, sed auctoritate præcepti: ergo votum non plena ratione prædicatur de communi, sed de speciali: ergo commune & singulare non sunt vniuoca in ratione voti.

VLTERIVS autem quæritur de voto stultorum, de quo ante fecit mentionem in litera: illud enim omninò videtur æquiuoce dici votum cum his duobus: vnde actus voti qui est obligare ad faciendum, non est in illo. *Quæstiũcula.*

IN CONTRARIVM autem huius est, quod votum etiam stultorum est deliberata promissio, sicut & singulare votum: ergo videtur, quòd vna ratione cum singulari voto recipiat prædicationem. *Sed contra.*

RESPONSIO. Dicendum, quòd secundum prius & posterius dicitur votum de communi & de singulari: & est diuisio analogi & non purè vniuoci. *Solutio.*

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd diuisio dicitur dupliciter: quædam enim diuidunt commune per differentias, quæ sunt in illo communi potestate: & de illis non est prima propositio. Quædam autem non diuidunt ipsum propriè, sed dicunt diuersos modos ipsius: & talia sunt analoga in nomine diuisi: & talis diuisio est hîc.

AD ALIVD dicendum, quòd sponsio non est vno modo in necessariis & voluntariis: & ideò ratio illa etiam secundum diuersos modos conuenit voto communi & singulari. Duæ autem rationes quæ sunt in contrarium, sunt simpliciter concedendæ.

AD ID autem quod vlterius quæritur de voto stultorum, dicendum quòd illud minus habet inter tria de ratione voti: tamen per posterius & non omninò æquiuoce accipit prædicationem voti. *Ad qu.*

AD OBIECTVM dicendum, quòd non obligat, ideò quia non verè votum est: sed tamen mutatur votum ex parte vouentis.

ARTICVLVS VIII.

An transgressio voti communis faciat speciale peccatum?

SEcundo quæritur, Vtrum transgressio voti communis faciat speciale peccatum? Videtur

tur autem, quòd sic:quia omnis corruptio boni speciale est peccatum:sed votum commune est bonum: ergo corruptio ipsius est speciale peccatum:sed transgressio est corruptio ipsius: ergo est speciale peccatum.

2 Item sicut dicit Apostolus Rom.7. & Glossa ibidem, per legem scriptam peccatum factum est transgressio: ergo à simili per votum appositum mandato,peccatum fit præuaricatio voti: ergo corruptio voti specialem facit deformitatem.

3 Item, Speciale votum si corrumpatur, apostasia reputatur & est: ergo & votum commune corruptum generat apostasiam: sed apostasia vnum est de maximis peccatis: ergo voti communis corruptio est speciale peccatum.

4 Item, Detestabilius est transgredi hoc ad quod tenentur omnes, quam id ad quod tenentur pauci: sed ad commune tenentur omnes,vt dicitur in litera, ad singulare autem pauci qui se sponte obligauerunt: ergo detestabilius est transgredi votum commune,quam proprium: sed transgressio singularis specialis facit deformitatem: ergo & transgressio voti communis, & multò amplius.

Sed contra. IN CONTRARIVM est: quia secundum hoc omnis homo quolibet peccato peccaret dupliciter vel tripliciter:quia contra bonum moris peccat ipso actu deformi,& contra præceptum diuinum per inobedientiam legis prohibentis peccatum, & contra votum & apostasiam: ergo pro quolibet peccato esset triplex iniungenda pœnitentia, quod falsum est.

Solutio. RESPONSIO. Hoc vltimum est concedendum, & dicendum quòd non sunt in peccato tria,sed vnum in triplici deformitate: & hoc peccatum vocauit Præpositiuus vnum peccatum triplex, vel vnum duplex si duplicem habuit deformitatem:vnde non est iniungenda pœnitentia nisi pro vno, & monendus, quòd subdatur præcepto, & recordetur voti: & nulla alia pœnitentia specialis est iniungenda.

AD PRIMVM ergo dicendum,quòd quando voti transgressio separata est à præcepti transgressione, & ab eo quod est per se peccatum,tunc tenet illa obiectio: sicut est in singulari voto de fine proprio viuere: habere enim proprium non est peccatum nec contra legem Dei: & ideò si deuoueatur,erit proprietas peccatum, quòd non est nisi contra votum: & tunc apostasia voti est speciale peccatum. Sed non est sic in voto communi, quod semper adiunctum est bono per se & præcepto:& ideo apostasia nullum facit peccatum speciale, licet aliquam rationem deformitatis afferat in actu peccati quæ sine ipsa non esset.

AD ALIVD dicendum,quòd illud nihil probat, nisi quòd faciat aliquam deformitatem specialem in actu: & hoc concedendum est. Sed non quælibet specialis deformitas facit speciale peccatum: quia corruptio cuiuslibet circunstantiæ facit specialem deformitatem,non tamen speciale peccatum.

AD ALIVD dicendum, quòd non est simile; quia votum speciale est circa actum separatum ab actu qui cadit sub præcepto, sed non votum commune, vt patet ex prædictis.

AD ALIVD dicendum, quòd detestabilitas peccati ex duobus attenditur, scilicet ex vinculo obligante ad aliquid faciendum, vel ex statu obligati. Et si primo modo attenditur detestabilitas peccati, detestabilius est transgredi commune, quam singulare: quia tria sunt ligantia ad illud, scilicet per se bonum, præceptum,& votum. Si autem secundo modo attenditur: tunc detestabilius est transgredi singulare,quia quanto altior status,tanto turpior casus.

ARTICVLVS IX.

Quare aliquod votum dicatur commune, & aliquod singulare?

TErtio quæritur, Quare dicatur commune & singulare? Videtur enim, quòd nihil sit dicere votum commune: aut enim dicitur commune communitate eius quod vouetur, aut communitate vouentis. Si communitate eius quod vouetur. Contra: Illud commune est, quod singulari voto vouetur, sicut illud quod vouetur communi: ergo videtur, quòd hæc non sit ratio nominum istorum. Si autem dicitur commune communitate vouentis: adhuc non videtur esse ratio, quia communiter fiunt singularia vota, sicut & communia.

2 Item videtur, quòd melius diceretur votum vniuersale, quam commune, quia omnes tenentur ad votum illud: ergo vniuersale deberet dici.

3 Item, Votum est volitum, id est, ad voluntatem electum:sed ad voluntatem electum non recipit communitatem aliquam, sed potius singularitatem:ergo contra rationem voti est, quòd aliquod votum dicatur commune.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd votum commune dicit communitatem obligationis: quia communiter omnes obligat id circa quod est votum, hoc enim est id circa quod est fides & decalogus, quia hoc iubemur confiteri in baptismo.

AD PRIMVM ergo dicendum,quòd communitate eius circa quod est votum, dicitur votum commune. Ad id quod contra obiicitur, dicendum quòd falsum est in illo sensu communis,qui dictus est, si est commune quod pluribus conuenit: & ideò est ibi locus sophisticus æquiuocationis.

AD ALIVD dicendum, quòd non ita bene dicitur vniuersale: quia licet debito sit vniuersale, quia omnes differunt: tamen non est vniuersale obseruantia, sed commune: & ideo melius dicitur commune,in quo saluatur & debitum & obseruantia.

AD ALIVD dicendum, quòd in voto communi duo considerantur, scilicet obligatio, & impletio. Et obligatio quidem non cadit sub voluntate, sed potius sub necessitate: sed impletio est voluntaria, quia aliter non esset laudabilis. Et quoad hoc dicitur votum:

vnde

vnde falsum est, quòd hoc votum dicatur voluntariè electum: hic enim modus interpretationis non competit voto, nisi quando propriissimè sumitur.

ARTICVLVS X.

An votum commune recipiat dispensationem?

QVarto quæritur, Vtrum votum commune recipiat dispensationem? Videtur autem, quòd sic: quia sicut dicit Hugo in parte 12. primi libri sacramentorum, qui bonum quodcunque vouit, sed posteà illud aut implere non potuerit, aut pro maiori parte implere noluerit, poterit secundum licentiam illorum quibus dispensatio in eum credita est, votum eius aut relaxari, aut mutari, ita vt in eius arbitrio non constet vel hoc dimittere quod faciendum vouit, vel aliud pro eo facere, etiamsi maius est quod non vouit. Cum igitur generaliter loquitur hic Hugo, videtur quòd de omni voto intelligitur. Ergo omne votum recipit dispensationem: ergo & commune.

2 Item, Videmus etiam quandoque esse dispensatum circa id ad quod omnes tenentur, scilicet quòd vna sit vnius, & de hoc fuit dispensatum: ergo cum modo non sit minoris potestatis Ecclesia quam tunc, videtur quòd etiam possit circa vota communia dispensare.

3 Item etiam de forma baptismi fuit facta ad tempus commutatio, sicut supra in tractatu de baptismo habitum est: quæ tamen est ab institutione diuina: ergo institutio diuina etiam in aliis non præiudicat, quin possit commutatio & dispensatio fieri: constat autem omnem potestatem esse in Ecclesia quæ vnquam fuit: ergo hodiè quodcunque votum potest dispensari vel mutari etiam commune.

4 Item, Vicarius regis qui plenæ est potestatis in parte sui regni, totum potest in illa parte regni quod potest rex: sed constat vicarium regis cælestis in terris in plena potestate esse summum pontificem: ergo ipse potest quod Christus: sed Christus dispensauit in terris cum Israëlitis rapientibus aliena, & cum Osea accipiente solutam, vt dicit Bernard. & cum Abraham cui etiam imperabat immolare filium: ergo videtur, quòd vicarius idem possit: ergo in voto communi cadit dispensatio & commutatio.

5 Item 1. Machab. 2. Mathatias dispensauit de fractione sabbati, ne simul & lex & cultores perirent: & dixerunt, quòd omni homini mouerent prælium qui pugnarent contra eos: & hoc tamen est de prima tabula: ergo & modo potest dispensari de his quæ continentur tabula, præceptis diuinis: quia constat summum pontificem esse maioris potestatis, quam Mathatias vnquam fuit.

6 Item, Contra Apostolum potest dispensare, vt omnes dicunt: constat autem totam Ecclesiam supponere, quòd illud est antecedēs fidem nostram, quod recipiatur authenticum quod scribunt Apostoli: ergo ipse dispensat de antecedentibus fidem: hæc autem trahunt robur ab auctoritate diuina quæ hæc promulgauit per Apostolos: ergo potest dispensare contra hoc quod instituit Deus.

IN CONTRARIVM huius est, quòd par in parem non habet potestatem: ergo multò minus inferior in superiorem: sed Papa est inferior Deo: ergo non potest dispensare vel commutare in his quæ instituit Deus. *Sed contra.*

2 Item, Si hoc diceretur, sequeretur quòd posset commutare totam religionem Christiana, quod est inconueniens: ergo non habet potestatem dispensandi in talibus.

3 Item, Rex non habuit potestatem reducendi populum in Ægyptum, Deuter. 17. sed istud esset reducere populum in Ægyptum: ergo rex noster Papa non habet de hoc potestatem.

4 Item 2. Cotinth. 13. Secundum potestatem quam dedit mihi Dominus in ædificationem, & non in destructionem. Ergo nec apostolicus habet potestatem in destructionem: sed ista potestas ordinaretur ad destructionem: ergo Papa non habet de hoc potestatem.

RESPONSIO. Dicendum, quòd nullo modo habet potestatem de hoc, quòd dispenset in voto communi, sicut vltimo est probatum. *Solutio.*

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd Hugo loquitur de voto singulari siue proprio, quod propriè votum vocatur.

AD ALIVD dicendum, quòd vnam esse vnius non est de his ad quæ tenentur omnes secundum quemcunque statum, sicut nec quòd filia patrem non accipiat, nec frater sororem: & ideò in talibus dispensatio diuina locum habuit, & homo cuiuscunque auctoritatis, qui à Deo specialiter inspiratus non esset, etiam in illis potestatem dispensandi non habuisset.

AD ALIVD dicendum, quòd de forma baptismi non fuit dispensatum: quia in nomine Christi intelligitur Trinitas: & si dispensatum fuisset, ostensum est supra, quòd oportuit ibi esse specialem diuinæ voluntatis ostensionem: & hoc non negatur cum Deus possit facere quod vult: ipse enim potest tollere & mutare baptismum, si vellet: sed hoc non potest homo facere quantæcunque auctoritatis.

AD ALIVD dicendum, quòd vicarius non potest totum quod rex: quia rex potest mutare iura regni, quod non potest vicarius. Vnde illud fundatur super falsum. Si autem dicas, quòd etiam potest hoc si rex ei daret de hoc potestatem, dicendum quòd tunc non est simile: quia rex cælestis nulli hominum de hoc dedit potestatem, quòd mutet iura ab eo posita circa fidem & mores. Vnde dicit Vrbanus Papa sic: Sunt quidam dicentes Romano Pontifici semper licuisse nouas condere leges: quod & nos non solum non negamus, sed etiam valde affirmamus. Sciendum verò summoperè est, quòd inde nouas leges condere potest, vnde Euangelistæ & Prophetæ aliquid nequaquam dixerunt. Vbi verò apertè Dominus vel eius Apostoli & eos sequentes sancti patres, finaliter aliquid diffinierunt, ibi non nouam legem Romanus Pontifex dare potest,

ſed potius quod prædicatum eſt, vſque ad animam & ſanguinem confirmare debet. Si enim quod docuerunt Apoſtoli & Prophetæ deſtruere (quod abſit) niteretur, non ſententiam dare, ſed magis errare conuinceretur. Sed hoc procul ſit ab eis qui ſemper Domini Eccleſiam contra luporum inſidias optimè cuſtodierunt. Hucuſque verba Vrbani, & ponuntur in decreto. 25. quæſt. 1. & ex his confirmatur iſta determinatio.

AD ALIVD dicendum, quòd determinatio diei ſeptimi non fuit moralis, ſed iudicialis vel cerimonialis, licet ipſa ſanctificatio moralis fuit: & hoc qualiter ſit, expeditum eſt in tertio de præceptis in notulis illis. Et ideò illud non facit ad propoſitum: quia etiam Papa poteſt modum mutare vel etiam diſpenſare de feriando in die dominica, ſi habeat cauſam vtilitatis vel neceſſitatis.

AD VLTIMVM dicendum, quòd contra Apoſtolum vbi vt homo loquebatur, diſpenſare poteſt: quia ibi dictum Apoſtoli eſt dictum hominis vel conſilium: ſed vbi dixit recitando in fide & moribus verbum Dei, ipſe non poteſt diſpenſare: quia ſic diſpenſando contra Apoſtolum, diſpenſaret contra Deum, & hoc eſt abſurdum, quòd dicatur homo id poſſe quantæcunque auctoritatis.

ARTICVLVS XI.

An diuiſio voti ſingularis in priuatum & ſolenne ſit bona?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Item ſingulare votum aliud eſt priuatum, aliud ſolenne, &c.] Et quæruntur hic quatuor. Primum eſt de iſta diuiſione, qualis ſit, & vtrum ſit ſufficiens? Secundum de voto priuato, Vtrum ſit æqualis obligationis cum voto ſolenni, ſicut communiter dicitur? Tertium de modis ſolennizandi votum. Quartum, Vtrum votum ſolenne ſit in vno vel in multis votis?

Ad primum ſic obiicitur: Priuatum & ſolenne non differunt per voti ſubſtantiam, ſed per accidens: ergo eſt diuiſio ſubiecti in accidentia.

2 Item, Subſtantialia non mutantur à ſeinuicem: quia ſicut dicitur vltimo capite lib. metheororum, Sciant opifices alchimiæ ſpecies mutari non poſſe: ſed vnum iſtorum votorum mutatur in alterum: ergo non differunt per ſubſtantiam, ſed per accidens, vt videtur: ergo videtur, quòd hæc diuiſio ſit ſubiecti in accidentia.

3 Item, Publicum eſt ad alterius notitiam procedens, & hoc dicitur ſolenne in litera: ſed eſſe aliquid in notitia alterius accidit ei: ergo eſſe ſolenne accidit voto: ergo vt prius.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius eſt, quòd quorum actus ſubſtantiales ſunt differentes, ipſa per ſubſtantiam differunt: ſed actus iſtorum votorum, ſcilicet voti priuati & ſolennis differunt per ſubſtantiam: ergo ipſa vota differunt ſubſtantialiter. Maior ſcribitur à Damaſ. qui dicit, quòd ſubſtantiæ differunt propriis operationibus. Secunda autem extrahitur de litera, vbi dicit, quòd votum ſolenne dirimit matrimonium contractum, & priuatum non facit hoc.

2 Item, In omnibus potentiis vbi vna potentia poteſt hoc quod antecedens & plus, eſt differentia ſecundum ſpeciem, ſicut vegetabile, & ſenſibile, & rationale; & intellectuale, quorum vnumquodque eſt in alio ſicut trigonum in tetragono: ergo ſimiliter erit in votis: ergo ſolenne poteſt hoc quod priuatum & plus: ergo differunt ſpecie & ſubſtantia.

3 Item, In ordinibus video, quòd ſic eſt, quòd ſequens poteſt quicquid præcedens poteſt & plus, & ſecundum hoc differunt ſpecie: ergo ſimiliter erit in votis: ergo ſubſtantialiter differunt votum priuatum & ſolenne.

VLTERIVS quæritur de ſufficientia illius diuiſionis. Videtur enim eſſe inſufficiens: quia inter ſolenne & priuatum eſt publicum: quod probari quidem poteſt per teſtes, ſed non eſt ſecundum profeſſionem regulæ & habitus approbati: ergo videtur, quòd tria debent eſſe vota. *Quæſtiuncula.*

2 Item in litera dicit, quòd priuatum eſt, quod probari non poteſt, & quod non facit ſcandalum: ſed publicum facit ſcandalum & poteſt probari: ergo non eſt priuatum. Similiter non eſt ſolenne: quia ſolenne non ſolennizatur per teſtes, ſed per habitum & profeſſionem: ergo videtur, quòd tria ſint vota: ergo diuiſio eſt inſufficiens.

Sed contra. IN CONTRARIVM eſt, quod omnes Iuriſperiti dicunt, quòd omne votum dicitur priuatum quod non eſt ſolenne.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd ſolennitas additur ſupra votum ſicut confirmans obligationem voti. Priuatio autem nihil addit ſupra ipſum, quod ſit faciens obligationem fortiorem: & idcircò differunt votum ſolenne & priuatum ſicut habens obligationem ſimpliciter, & confirmatam obligationem. Vnde ſolennizatio eſt aliquo modo dicta faciens ſpeciem quandam voti ſub hoc communi quod eſt votum: ſed priuatum non facit ſpeciem, quia non addit aliquid huiuſmodi. Vnde diuiſio non eſt generis in ſpecies propriè, ſed eſt ſicut diuiſio totius poteſtatiui in partes, ſicut probatum eſt in obiiciendo.

AD ID ergo quod primo obiicitur, dicendum quòd ſolenne addit formam addentem ſuper obligationem in genere: & ideo eſt ſubſtantialis ſpecies voti, & non accidens.

AD ALIVD dicendum, quòd eſt tranſitus priuati in ſolenne, ſicut tranſitus potentiæ ad actum & priuationem, & non ſicut mutatio per accidens. Et habitum eſt, quòd priuatum non dicit propriè ſpeciem niſi ſecundum modum: quia nihil addit generi quod ſit confirmatio vel determinatio obligationis.

AD ALIVD dicendum, quòd non propter hoc dicitur forma ſubſtantialis, quia procedit ad alterius notitiam, ſed potius quia eſt ſpecificans & confortans obligationem, quæ eſt genus & natura generalis voti.

Ad quæſtiunculam. AD ID quod vlterius quæritur, puto eſſe concedendum, quòd neceſſariò ſunt tria vota: primum potentiale ad ſecundum, & ſecundum

&

& primum potentiale ad tertium: & in illo completur voti obligatio. Sed in litera loquitur Magister quantum ad determinationem iuris: quia idem ius quoad impedimentum matrimonij est in priuato & publico: & ideo vnum dicuntur & reputantur.

ARTICVLVS XII.

An votum priuatum æqualis sit obligationis cum solenni?

SEcundo quæritur, Vtrum priuatum æqualis sit obligationis cum solenni? Videtur, quòd sic: quia publicum votum obligat ex eodem ex quo priuatum, scilicet ex promissione facta cum deliberatione: sed quæ ex eodem obligant, æqualiter obligant: ergo priuatum & solenne sunt æqualis obligationis. Si forte dicatur, quòd ipsa publicatio siue solennitas faciat ad obligationem. Contra: Publicatio & solennitas sunt tantum in comparatione ad proximum: ergo nec augent nec minuunt obligationem, quæ est ad Deum secundum se: sed votum omne obligat ex promissione quæ est ad Deum: ergo votum omne, scilicet priuatum & publicum & solenne, æqualis sunt obligationis apud Deum.

2 Item 1. Regum 16. Homo videt quæ parent: Deus autem intuetur cor. Ea autem quæ sunt in corde, æqualia sunt in priuato, publico, & solenni: ergo ea quæ sunt coram Deo, sunt æqualia: ergo sunt obligationis æqualis.

3 Item, Vinculi obligantis in voto fortitudo est ex quantitate boni quod vouetur. Sit ergo hoc æquale in voto priuato, & solenni: ergo videtur, quòd tunc æqualis sit obligatio in vtroque voto.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est, quòd votum solenne impedit & dirimit matrimonium, priuatum autem non nisi impedit: ergo non sunt æqualis obligationis.

2 Item, In litera dicitur, quòd transgressor voti solennis peccat, & scandalum facit: sed transgressor voti priuati non scandalizat, sed peccat tantum: ergo non sunt æqualis transgressionis: ergo nec æqualis obligationis.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quod simpliciter est inæqualis obligatio in votis his: est enim maxima in solenni, & in publico medio modo, & in priuato minima. Quod autem quædam iura dicunt, quòd vnum non minus obligat quam alterum, quidam glossant, id est, non minori tempore, vel non minus in genere, licet minus in specie. Sed melius est vt dicatur, quòd quædam sunt in voto, ex quibus obligat vt substantialibus obligationis: & quædam sunt in eo, ex quibus obligat vt protestantibus & probantibus obligationem. Et quæ quidem primo modo sunt in voto, æqualia sunt in priuato & publico, & solenni: & sic intelliguntur iura, quæ dicunt, quòd ista vota non minoris sunt obligationis. Sed quoad alia sunt obligationis inæqualis: & hæc etiam operantur ad obligationem, licet non adeò substantialiter vt prima.

AD ID ergo quod obiicitur, dicendum quòd diræptio matrimonij causatur ex eo, quod est in voto secundo modo, & non primo modo.

AD ALIVD dicendum, quòd scandalum est in duplici voto secundum ea quæ ordinantur ad notitiam proximi, & non secundum ea quæ sunt substantialia promissioni. Et sic planè patet solutio ad omnia quæsita circa hunc articulum.

ARTICVLVS XIII.

Quis sit modus solennizandi votum?

TErtio quæritur de modo solennizandi votum? Videtur enim, quòd multis modis solennizetur: vnumquodque enim tot modis solennizatur, quot modis ei solennitas adhibetur: multis autem modis adhibetur solennitas ad votum: ergo multis modis solennizatur. Probatur autem prima per diffinitionem solennitatis. Secunda autem probatur ex hoc, quòd auctoritas personæ in cuius manu deponitur votum, est de solennitate, & susceptio habitus, & professio certæ regulæ, & sic de aliis multis quæ fieri possunt.

2 Item in litera habetur, quod priuatum non dirimit contractum: quia probari non potest quod occultè factum est: ergo per contrarium quicquid valet ad voti publicationem, valet ad solennitatem: sed multa sunt talia: ergo multa sunt quæ votum solennizant.

3 Item, In omnibus aliis sacramentis illa dicuntur esse de solennitate sacramenti, quæ ipsum decorant, & non sunt de substantia: ergo in voto videtur, quòd omnis decor voti sit de voti solennitate, & non de substantia, sicut inuitatio multorum in die voti, & confessio voti coram multis, & sic de aliis.

SI FORTE dicatur, quòd secundum Iurisperitos non solennizatur votum, nisi vno modo, vel tribus, secundum diuersas opiniones: quæratur de illo dicto: quia quod Iurisperiti præter rationem dicunt, non est tenendum, quia est potius iniuria, quam ius: cum omne ius rationi innitatur, quæ prima regula iuris est. Dicunt ergo quidam, quòd non solennizatur votum per habitus susceptionem, nec per ingressum religionis, nec per hoc quod fit in manus authenticæ personæ, sed per solam professionem ad certam regulam, siue hanc faciat cum sumit habitum, siue ante habitus susceptionem, siue etiam post. Videtur autem hoc nihil esse: quia constat ab initio votum fuisse solenne: professio autem certæ regulæ non fuit ab initio, quia ante regulas Basilij, Benedicti, August. non inueniuntur regulæ certæ: ergo votum non semper solennizatur per certæ regulæ professionem. *Quæst. 1.*

2 Item, Accidit voto, quòd sit ad regulam certam: nihil autem perficitur per hoc quod sibi accidit: ergo nec votum per certæ regulæ professionem: solennitas autem perficit ipsum, vt prius habitum est: ergo solennitas non fit per certæ regulæ professionem.

3 Item

3 Item sit, quòd aliquis vouerat continuam continentiam in ingressu religionis, constat enim, quòd hoc liberum est ei, ille secundum hoc nunquam posset votum suum solennizare, quod videtur inconueniens, cum solennitas sit de confirmantibus votum.

Quæst. 2. VLTERIVS quæritur de alia opinione, quæ dicit, quòd tria sunt votum solennizantia, scilicet manus personæ authenticæ in qua deponitur, susceptio habitus, & regulæ certæ professio: ista diuisa solennizant votum, aut coniuncta. Si diuisa: tunc quicunque voueret in manus alicuius abbatis, & posteà contraheret, matrimonium dirimeretur: & hoc non est verum.

2 Item, Quicunque habitum susciperet, illius esset solennizatum votum: & hoc iterum falsum est, quia in tempore probationis potest deposito habitu contrahere, vel si contraheret de facto, dirimeretur: & hoc totum falsum est. Si coniuncta. Contra: Id solum quod procedit de libera voluntate vouentis, solennizat votum: sed non est hoc authentica persona, neque habitus: ergo nihil faciunt ad votum solenne.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd, vt communiter dicitur, nihil facit votum solenne, nisi ipsa professio ad certam regulam, in qua approbatus ab Ecclesia continetur modus viuendi. Et huius causa est: quia sola illa facit impossibilem regressum ad vitam secularem.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd solennitas quæ ab Ecclesia est approbata & faciens votum fortius, est sola professio. Alia autem non faciunt solennitatem, nisi solennitas æquiuocè accipiatur, scilicet ad festiuitatem coram hominibus.

AD ALIVD dicendum, quòd est publicatio & probatio duplex. Quædam enim est ex substantialibus voto, & confirmantibus ipsum siue perficientibus: quædam autem ex accidentalibus. Et primo modo non probatur nisi solenne: quia illud probatur ex professione confirmante & perficiente ipsum. Secundo autem modo probatur per accidentalia, id est, quia in notitiam aliquorum processit, quæ tamen notitia non facit ipsum votum maioris confirmationis & perfectionis.

AD ALIVD dicendum, quòd non est simile de sacramentis, & voto: quia sacramenta habent virtutem à diuina operatione quæ fit in ipsis, sicut sæpius supra probatum est: & ideò facta hominum solennia, sunt accidentalia sacramentis. Sed votum trahit robur ab auctoritate hominis: & ideò solennitas addita quæ dicit modum expressæ voluntatis approbatum ab Ecclesia, est substantialis ipsi voto & perficit ipsum.

Adquæst. AD ID quod obiicitur de opinione Iurisperitorum, dicendum quòd illa iudicanda videtur vera, quæ dicit, quòd vno modo solennizatur. Ad obiectum contra, dicendum quòd ab initio fuerunt modo iure approbari à synagoga vel Ecclesia, sicut modus iuris Nazaræorum, qui votum vouebant perpetuum, & Rechabitarum: & huiusmodi illi modi erant loco regulæ certæ.

AD ALIVD dicendum, quòd non accidit voto per accidens, sed potius accidit ad ipsum, sicut perfectio confirmans & corroborans votum, vt prius dictum est. Si autem quæritur, Quomodo Ecclesia potest statuere illum modum solennitatis? Dicendum, quòd solicitudo omnium Ecclesiarum & personarum incumbit summo pontifici, & omnis potestas ordinandi in Ecclesia illa quæ excludunt hæreses & schismata & scandala: & ideò statuit modos viuendi certos, quia si quilibet posset facere conuenticula, tunc cum quilibet nitatur defendere facta sua & verba, vt dicit Philosophus, generarentur schismata & hæreses. Si autem quodlibet votum solenne reputaretur, essent voto solenni obligatæ personæ inter seculares degentes, & à praua & peruersa natione corrumperentur, & scandalum oriretur, & peius damnum induceretur in communi ex tali professione, quam posset aliqua sanctitas personalis prodesse: & ideò rationabile est hoc statutum.

AD ALIVD dicendum, quòd sine professione non reputatur votum solenne propter causas dictas: & hæc argumentatio nihil habet inconueniens.

AD ID quod obiicitur contra aliam opi- *Alq.* nionem, puto planè esse concedendum.

ARTICVLVS XIV.

Vtrum votum solenne fiat vno modo vel pluribus?

QVARTO quæritur, Vtrum votum solenne fiat vno modo, vel pluribus? Videtur autem, quòd pluribus modis: quia quodlibet bonum melius præcepto, cadit sub voto, & quodlibet potest solennizari: ergo votum solenne in pluribus potest fieri. Item, Professio non fit de vno, sed de pluribus, scilicet de obedientia de castitate, de paupertate, de fine carnibus viuere, & huiusmodi: ergo votum illud solennizatur pluribus modis.

IN CONTRARIVM huius est, quòd *Sed contra.* matrimonium dirimit: hoc autem ratione nullius facit, nisi ratione voti castitatis: ergo videtur, quòd solum votum castitatis solennizatur.

RESPONSIO. Dicendum, quòd omne vo- *Solutio.* tum perpetuum solennizari potest primo modo supra dicto: temporale autem votum non potest solennizari, quia professio vult esse perpetua, & per solam professionem solennizatur: tamen potest maior confirmatio adhiberi, sed nunquam accidit perpetuitas, quandiu manet temporale.

AD ID autem quod in contrarium obiicitur, dicendum quòd iste effectus non est voti solennis in genere, sed in specie, scilicet voti castitatis solennizati.

ARTICVLVS XV.

An votum priuatum continentiæ impediat matrimonium, & an sic contrahentes possunt reddere debitum?

DEINDE quæritur de hoc quod dicit [Qui priuatum votum faciunt cõtinentiæ, &c.]

Videtur

Videtur enim falsum: quia si stat matrimonium, tunc oportet, quòd rumpatur vinculum voti: sed hoc non rumpitur: ergo non stat matrimonium. Probatio minoris. Vincula Ecclesiæ non ligantur nisi ratione quantitatis boni quod est in eis: sed maius est bonum in voto, quam in matrimonio: ergo plus ligat: ergo si alterum habet frangi à reliquo, matrimonium frangetur à voto potius, quam è conuerso. Si fortè dicas, quòd matrimonium est maius bonum. Contra: Hoc est hæresis Iouiniani, vt dicit August. quòd matrimonium virginitati & viduitati æquare voluit: ergo multo magis est hæreticus, qui vult anteponere: sed qui dicit matrimonium esse maius bonum, anteponit: ergo est condemnatus hæreticus, qui ita dicit.

Quæst. 1. VLTERIVS quæritur de sic contrahente, Vtrum postea potest reddere debitum? Videtur autem, quòd non: quia qui nihil de se sibi retinuit, nulli in se aliquid dare potuit: sed iste per votum nihil sibi de se retinuit: ergo nulli aliquid in se dare potuit: ergo nulli aliquid tenetur reddere.

2 Item, Constat, quòd iste totum se dedit Deo per votum: quæratur ergo, Per quid absoluitur ab illo? Videtur, quòd per nihil: ergo adhuc tenetur. Si dicatur, quòd per matrimonium. Contra: Ipse per actum matrimonij in carnali copula mortaliter peccauit: sed ex peccato non debet reportare commodum: ergo ex hoc non debet absolui à voto: ergo adhuc tenetur non reddere.

Quæst. 2. ITEM vlterius quæritur, Si potest exigere? Videtur autem, quòd non: quia quantum est in se deuouit carnalem copulam: ergo non potest eam exigere postea.

2 Item, Exigere est velle coitum: & hoc directè est contra votum: ergo cum illo stare non potest: ergo non potest exigere.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est, quòd votum ita repugnat dationi qua alij dat ius in corpore suo, sicut exigenti debitum: sed primum stat & tenetur ei reddere cui ius in corpore suo dedit: ergo videtur, quòd etiam exigere potest.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum ad primum, quòd votum priuatum minoris obligationis est, quam solenne, vt prius satis rationabiliter est probatum. Et benè concedo, quòd matrimonium minus vinculum est secundum se, quam votum, & ideò impedit contrahendum: sed matrimonium cum solennitate ab Ecclesia institutum efficitur potentius, quam votum: & ideò non dirimit contractum illud quod est votum priuatum. Licet enim bonum melius sit castitas, tamen minus bonum in genere, quando fit commune Ecclesiæ præiudicat meliori bono priuato: est autem huiusmodi bonum Ecclesiæ iustitia quæ in facie est pro matrimonio coram Ecclesia, & cautela aliarum personarum viuentium & ædificatio, quòd teneatur promissum.

Ad qu. 1. AD ID quod vlterius quæritur, dicendum quòd sic contrahens reddere tenetur. Ad obiectum contra, dicendum quòd persona quælibet dupliciter consideratur, scilicet in se, & prout est commune membrum Ecclesiæ. Prout in se consideratur, ipsa de se potest facere quicquid vult, quod non cedit in præiudicium sui inquantum est membrum Ecclesiæ: quia hoc cederet in præiudicium communitatis. Vnde dicendum, quòd illa fecit de se quod voluit, inquantum in se consideratur, sed non inquantum est membrum Ecclesiæ: sic enim adhuc cadit ordinatio Ecclesiæ super eam, & sic iure institutionis pro communi vtilitate facta de se alteri, licet peccet mortaliter hoc faciendo. sæpè enim hoc contingit, quòd contrahendo quis peccat mortaliter, & tamen stat contractus: & hoc ideo quia vitium nullum est in ipso contractu, sed potius in ipso contrahente, qui se ad oppositum obligauit.

AD ALIVD dicendum, quòd absoluitur per ius quod alij est acquisitum virtute ecclesiasticæ institutionis, & contra hoc non procedit obiectio, quia bene conceditur, quòd per coitum non absoluitur.

Ad qu. 2. AD ID quod vlterius quæritur, dicendum quòd exigere non potest: quia in omnibus quæ respiciunt personam in se, obligatur ex voto, & tale est exigere: sed non obligatur in his quæ respiciunt eam vt est Ecclesiæ membrum: & sic patet qualiter votum non ita repugnat vni sicut alij.

ARTICVLVS XVI.

An omne votum recipiat dispensationem?

DEinde quæritur de hoc quod dicit [Non solum capescere nuptias, &c.] Ratione enim huius quæruntur hic tria. Primo, Vtrum omne votum recipiat dispensationem, vel non? Secundo, A quo possit dispensari? Tertio, Cui vel quo debeat dispensari?

Ad primum obiicitur sic: Dicit August. quòd vouere est voluntatis, sed reddere est necessitatis: sed quod est necessitatis, non accipit dispensationem: ergo videtur, quòd nullum votum recipiat dispensationem.

2 Item, Causa assignatur, quare præcepta decalogi non recipiunt dispensationem, quia ipse Dominus præcepit ea, & inferior in superioris præcepto non habet potestatem dispensandi: ergo à simili cum Dominus præcepit Deuter. 23. quòd quæcunque quis vouerit, reddat, videtur quòd nullus potest dispensare in eo quod quis vouit.

3 Item, Communiter dicitur, quòd votum, præceptum, & iuramentum, non differunt in solutione, sed in modo obligandi tantum: ergo cum præceptum dispensari non possit, videtur quòd nec votum potest dispensari.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est, quod dicit Magister Hugo, qui dicit quodcunque quis vouit, potest dispensari, vel mutari, dummodo in eius potestate vel voluntate non sit qualiter dispensetur vel mutetur, & auctoritas supra est inducta: ergo videtur, quòd omne votum recipiat dispensationem.

Quæstiuncula. VLTERIVS hîc quæritur de voto continentiæ, Vtrum ipsum possit dispensari? Videtur autem, quòd non: quia non est digna ponderatio continentis animæ: sed omnis dispensatio

satio id quod votum est rependit in æquè vtili vel magis dispensando; ergo votum continentiæ dispensari non potest.

2 Item, Luc. 10. Maria optimam partem elegit, quæ non auferetur ab ea. Hæc autem est pars continentium, qui non cogitant quæ sunt mundi, sed tantum quæ Dei sunt, & quomodo placeant Deo, & sint sancti corpore & spiritu. Ergo videtur, quòd in nihil melius & vtilius possit commutari; ergo nec dispensari.

Sed contra. In contrarium huius est, quòd matrimonium etiam quandoque fuit in præcepto, cum dictum est, Crescite & multiplicamini. Ergo tunc non licuit continere. Constat autem, quòd nullo modo præcepisset Deus, nisi matrimonium vtilius fuisset tunc temporis, quam continentia. Ergo in simili & pro simili causa adhuc reciperet votum dispensationem.

2 Item, Sit quòd per matrimonium multi possint conuerti ad Christum & Ecclesiæ potestatem: cum ergo bonum commune Ecclesiæ, melius sit multo quam personale, videtur quòd tunc cum illa persona per cuius copulationem tot bona fieri possent, liceat dispensare.

Solutio. Responsio. Dicendum, quod in votis duo sunt, scilicet votum temporale, & perpetuum. Votum autem temporale sicut peregrinatio, vel ieiunium, vel aliud huiusmodi, & hoc de licui in aliquid vtilius potest commutari. Votum autem perpetuum dupliciter potest commutari; aut enim commutatur in contrarium actum redditioni voti, aut in non contrarium, qui tamen est præter illum quo votum redditur. Dicendum ergo videtur, quòd illud votum quod non potest mutari, nisi in actum contrarium redditioni voti, non potest dispensari: quia hoc est venire directè contra votum, & frangere votum: & hoc nulli vnquam licuit, neque licebit: & tale est votum solenne de continentia quod nunquam mutari potest: & hæc est causa dicti Eccli. 26. Non est digna ponderatio, &c. Votum autem cuius mutatio non adducit voti fractionem, sed tantum mutationem, potest dispensari, sicut dicit Magister Hugo. sicut quòd religiosus habeat proprium, quia non habet nomine suo, sed nomine Ecclesiæ vel capituli: & hoc non est contra votum, quia etiam prius talem in ordine suo poterat habere potestatem: similiter quòd accipiat curam pastoralem, qui monachus est, quia in cura pastorali etiam est custodia vnius à qua dicitur monachus. Nec approbo solutionem illam Iurisperitorum, qui dicunt, quòd non potest dispensari, quòd religiosus possit habere proprium: sed potius dispensatur vt non sit religiosus, & tunc licet ei habere proprium. Quia non sunt nisi verba: qui enim potest quod est maius, potest & id quod est minus: sed magis est religiosum fieri non religiosum, quam religiosum habere proprium: ergo si Papa potest primum, potest & secundum. Vnde licet sit ibi sophisma compositionis & diuisionis in solutione tali, mihi tamen videtur potius contrarium dicendum, quòd religionem frangere non licet, sed mutare in id quod est præter illud, & non contrarium, vt dictum est.

Ad primvm ergo dicendum, quòd reddere saluatur in æquiualenti simpliciter, vel secundum tempus. Dico autem æquiualens dupliciter, scilicet in genere boni, vel in recompensatione. Æquiualens in genere boni voto, quando mutatur in aliud bonum æquè bonum, sicut si ieiunium mutetur in eleemosynam. Æquiualens autem in recompensatione voto, sicut personale maius bonum, mutatur in commune minus, quod sua communitate recompensat personale bonum, sicut contemplatio vnius mutatur in actionem communitati seruientem, cum tamen status contemplationis melior sit, quam status actionis. Æquiualens autem secundum tempus, sicut quando votum maius in genere, mutatur in id quod vtilius est secundum illud tempus Ecclesiæ, licet in se sit minus, sicut votum terræ sanctæ mutatur in votum alterius crucis.

Ad aliud dicendum, quòd non est simile, quia præcepta decalogi sunt de iure naturali: & ideo illa etiam à Deo, sicut dicit Augustinus non possunt mutari: quia Deus faciendo contra hoc quod fecit ipse rectum, faceret contra suam propriam rectitudinem: sed votum non facit rectum nisi voluntas: voluntas autem est causa variabilis, & effectus eius etiam aliquo modo magis est variabilis, quam exemplum & imago iustitiæ diuinæ.

Ad aliud dicendum, quòd secundum quid illa tria sunt similia in redditione, quia scilicet obligant ad reddendum: sed in modo reddendi non sunt æqualia, quia quædam illorum in æquiualenti cum auctoritate superiorís reddi possunt, quædam autem non, vt dictum est.

Ad id quod vlterius quæritur de voto continentiæ, dicendum quòd non recipit dispensationem ratione supra dicta: quia dispensatio eius cederet in voti fractionem, non commutationem. Ad obiectum contra, dicendum quòd matrimonium fuit in præcepto diuino, & in tali casu adhuc posset licentia dari nubendi: quia in tali casu esset votum irrationabile promissum: quia nihil potest vouerí, quod est contra præceptum diuinum: sed ab homine hoc fieri non potest. *Ad quæstiunculam.*

Ad aliud dicendum, quòd hoc nihil esset: quia non sunt facienda mala, vt eueniant bona. Vnde temporibus beati Matthæi noluit Effigenia nubere regi, cui se Christianum cum omni populo fore promisit, ad quod etiam beatus Matthæus consentire noluit, ita quòd etiam potius mortem sustinuit.

ARTICVLVS XVII.

A quo possit fieri dispensatio?

Secundo quæritur, A quo possit dispensari? Videtur autem, quòd à quolibet prælato; quia in auctoritate prædicta Magistri Hugonis dicitur, quòd ab his quibus dispensatio credita est in Ecclesia: est autem dispensatio credita

credita cuilibet prælato: ergo quilibet prælatus potest dispensare.

2 Item, Prælatus ad hoc est vt cogitet ea quæ vtilitati proximi expediunt: ad hoc autem est necessitas dispensandi: ergo quilibet prælatus dispensandi debet habere authoritatem.

Sed contra. In contrarivm huiusest, quòd in corpore humano quædam officia ita retinet caput in corpore naturali, quòd non ea committit aliis membris: ergo in corpore mystico ita debet esse: sed hoc præcipuè videtur debere esse in dispensationibus: ergo potestas dispensandi debet esse penes caput, id est, Papam tantum.

2 Item, Vis regitiua vitæ, ratio est, & non habet sedem nisi in capite: ergo similiter debet esse in corpore mystico: cum ergo principalius sit in regimine dispensandi potestas, videtur quòd non sit nisi penes Papam.

Solutio. Responsio. Dicendum, quòd absque dubio omnis potestas plenariè dispensandi est in capite Ecclesiæ, sicut probant vltimæ rationes, & in aliis prælatis tantum quantum eis conceditur: & ideo in his dispensare possunt, in quibus expresso iure non prohibentur. Prohibentur autem dispensare in voto rerræ sanctæ, & non in aliis votis temporalibus: & ideò in omnibus temporalibus votis, pensata qualitate personarum & necessitate vel vtilitatis causa, dispensare possunt Episcopi & Archiepiscopi. In votis autem perpetuis quæ sunt religionis, & huiusmodi, non credo quòd dispensandi habeant potestatem.

Ad primvm ergo dicendum, quòd Magister Hugo intelligit, quòd potestas dispensandi sit penes superiores: sed non negat, quin differenter sit penes eos, vt dictum est.

Ad alivd dicendum, quòd regimen est duplex, scilicet vniuersale, & particulare: & ideo in magnis non committitur potestas dispensandi habenti regimen particulare: quia ex hoc contingeret, quòd quandoque surgeret deformitas membrorum contra caput: oportet enim in membris ordinem seruare ad caput: & ideo statuitur in iure, quòd in aliquibus omnium membrorum recursus sit ad caput Ecclesiæ, sicut omnium membrorum quantum ad vim motiuam & sensitiuam recursus est ad caput in corpore organico physico.

ARTICVLVS XVII.

An cum omnibus potest dispensari?

TErtio quæritur, Cum quo debeat dispensari? Videtur autem, quòd cum nullo religioso: quia status contemplationis nihil habet securius & melius: & talis est status omnis religionis: ergo nunquam potest dispensari cum aliquo illorum.

1. Cor. 13. 2 Item, Omnis potestas, vt dicit Apostolus, est in ædificationem, & non in destructionem: sed nulla est ædificatio quando melius destruitur, vt minus bonum ædificetur: fit autem hoc cum de religione sumitur aliquis in officium actionis: ergo videtur, quòd talis dispensatio nunquam fieri possit.

Sed contra. In contrarivm huius est, quòd sancti patres in pluribus decretis faciunt & concedunt, quòd monachi quando digni sunt, etiam in plebanos & in parochianos constitui possunt: ergo multo magis ad minora officia.

2 Item Genes. 47. dicit Pharao ad Ioseph, quòd si nosceret fratres suos industrios viros, constitueret eos super pecora sua. Ergo & in spiritualibus multò magis homines industrij & boni, vbicunque sunt, accipi debent ad custodiam gregis Dominici.

Quæstiuncula. Vlterivs quæritur de votis temporalibus, Vtrum eiusdem speciei votum eodem modo dispensandũ sit, sicut votum abstinentiæ? Et videtur, quòd sic: quia vnius boni in specie recompensatio fit per vnum: sed votum abstinentiæ idem est in specie in quocunque fiat: ergo vno modo compensandum est.

2 Item, Deus in beneficiis suis & dispensationibus non distinguit inter personas: ergo nec homo iudex ecclesiasticus in talibus debet distinguere.

Sed contra. Contra: Aliquis diues plus affligitur abstinentia, quam maxima eleemosynæ collatione, & aliquis pauper è conuerso: sed diuersæ qualitates in dispensando sunt respiciendæ: ergo non per idem debet compensari abstinentia diuitis & pauperis.

Solutio. Responsio. Dicendum ad primum, quòd dispensatio fieri potest, ita quòd votum commutetur & non frangatur, vt dictum est: & bene concedo, quòd vbicunque sit homo, si vtilis est ad regimen, quod assumi debet & obedire tenetur: quia bonum commune melius est, quam aliquod bonum particulare. Vnde quod obiicitur, verum est statu ad statum comparato: sed quando additur boni communitas in altero statu, efficitur ille status melioris boni, quam sit alter qui est boni singularis hominis.

Ad alivd dicendum, quòd ædificatio magna est, quando non abrumpitur bonum eius, sed intermutatur aliquando vt possit prodesse multis, sicut dictum est Ierem. 1. Constitui te hominem super gentes & regna.

Ad quæstiunculam. Ad hoc quod vlterius quæritur de votis temporalibus, dicendum, quòd vota peregrinationis satis etiam possunt de facili dispensari: quia non est peregrinationibus talibus magna peregrinantium emendatio: sed in voto abstinentiæ est cautè agendum, & non ita cum diuite sicut cum paupere est dispensandum: quia pauper non habet vnde sibi satisfaciat, sed diues in his abundat nimis. Vnde si cum diuite dispensetur, magnæ debent imponi eleemosynæ, vel aliquod magnum quid iniungi, quod compenset dolorem famis quam oportuisset sustinere in abstinentia.

Ad obiectvm autem contra, dicendum quòd cæteris paribus est hoc verum quod obiicitur: sed hæ conditiones sunt dispares valdè.

Ad alivd dicendum, quòd Deus corda intuetur, & ideò corda diuersimodè præparata diuersis infundit donis, quandoque diuiti dando plus, & quandoque minus pauperi: sed iudex ecclesiasticus non videt nisi faciem, & ideò diuersæ circunstantiæ in faciei diuersitate debent apud eum dispensationem diuersificare.

De virginibus non velatis.

C. 27. q. 1. c. Hæc verò.

DE virginibus autem non velatis, si deuiauerint, à prædecessore nostro Innocentio Papa tale decretum habemus. Hæ quæ necdum sacro velamine tectæ, tamen in proposito virginali semper se simulauerunt permanere: licet velatæ non fuerint, tamen si nupserint aliquo tempore, his agenda pœnitentia est: quia sponsio earum à Domino tenebatur. Si enim inter homines solet bonæ fidei contractus nulla ratione dissolui: quantò magis ista pollicitatio quam cum Deo pepigit, solui sine vindicta non poterit? Item, Si virgines nondum velatæ taliter publica pœnitentia puniuntur, & à cœtu fidelium vsque ad satisfactionem excluduntur: quanto magis viduæ, quæ perfectioris ætatis, & maturioris consilij existunt, & habitum religionis assumpserunt: & deinde apostatauerunt, atque ad priorem vomitum sunt reuersæ: à nobis & ab omnibus fidelibus, à liminibus Ecclesiæ, & à cœtu fidelium vsque ad satisfactionem sunt eliminandæ, & carceribus tradendæ. Ex his apparet, virgines vel viduas voto continentiæ astrictas, siue fuerint velatæ, siue non, nullatenus coniugium sortiri posse. Quod itidem de omnibus intelligendum est, qui continentiam vouerunt. Quod enim ante erat licitum, post votum fit illicitum. Non est igitur prætermittendum quod Innocentius Papa de viduis & puellis decreuit, quæ Christo spiritualiter nubunt: si postea publicè nupserint, non eas admittendas esse ad pœnitentiam, nisi hi quibus se iunxerant, de mundo recesserint. Si enim de omnibus hæc ratio custoditur, vt quæcunque viuente viro alteri nupserit, adultera habeatur, nec ei agendæ pœnitentiæ licentia conceditur, nisi vnus de illis fuerit defunctus: quantò magis de illa tenenda est, quæ ante se immortali sponso coniunxerat, & post hoc ad humanas nuptias transmigrauit. Attende quòd non solum coniugium talibus negare videtur, sed etiam locum pœnitentiæ. Sed non ita intelligendum est, vt aliquando excludantur à pœnitentia, quæ dignè pœnitentiam agere volunt: sed illæ non sunt admittendæ ad pœnitentiam, quæ ab incestus copula discedere noluerint: quia post religionis propositum non potest Deo reconciliari per pœnitentiam, quæ ad habitum suæ professionis redire neglexetit. Tunc ille qui se coniunxerat ei, defunctus erit, cum ab eius illicitis amplexibus hæc penitus recesserit. Cum ergo dicitur eas non esse admittendas ad pœnitentiam, nisi hi quibus se iunxerant, de mundo recesserint, subaudiendum est eis. Tunc enim eis viri de mundo recedunt & defunguntur, cum ab eorum concupiscentia istæ se alienant: quem sensum similitudo subdita declarat & confirmat.

Ibidem. c. Quæ Christo.

ARTICVLVS XIX.

An votum conditionale debet impleri simpliciter vel solum stante conditione?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [De virginibus autem non velatis, &c.] Hîc enim quæritur de voto conditionato & interpretato. De primo quidem sic: Sit quòd aliquis voueat cum conditione apposita, sicut videtur Iacob fecisse Genes. 28. quando dixit, Si Dominus Deus fuerit mecum in via, &c. videtur quod etiam conditione non obstante debeat votum solui. Domino enim debemus esse & posse sine conditione: ergo siue conditio

ditio apponatur, siue non: videtur quòd debeat solui Domino quod promittitur.

2 Item, Mercenaria seruitus non est Deo grata: sed conditionata est mercenaria: ergo non est Deo grata: ergo vel est conditio non apponenda, vel apposita non attendenda.

Sed contra. IN CONTRARIVM est, quòd votum non obligat ex necessitate, sed ex voluntate: ergo non obligat amplius, quam sicut promittit voluntas: sed voluntas non promittit nisi sub conditione.

Solutio. QVOD CONCEDENDVM est: & ideò nisi velit ille qui vouit, conditione non existente, ipse ad votum non obligatur.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd licet Domino totum quod sumus debeamus, non tamen hoc totum requiritur à nobis: & ideo non obligamur nisi cum conditione vel promissione absoluta.

AD ALIVD dicendum, quòd non est seruitus mercenaria: quia hoc intelligitur de his qui etiam ea quæ sunt necessaria ad salutem, non faciunt nisi propter mercedem temporalem. Hæc autem conditio ponitur ad id quod non est necessarium ad salutem.

ARTICVLVS XX.

De voto interpretatiuo an aliquis intrans religionem & manens vltra tempus professionis, sit professus, & an sit compellendus vt maneat & profiteatur?

SEcundo quæritur de voto interpretatiuo, scilicet quando aliquis habens ætatem, votum in religione non facit, sed moratur amplius, quam sit probationiss tempus, vtrum possit exire si verbo non profitetur, vel ibi manere sit compellendus? Videtur autem, quòd possit exire: quia votum fit verbi promissione: ille autem verbo nihil promittit: ergo potest exire.

2 Item, Multas fœminas hoc modo in partibus Alemaniæ exire permittit Ecclesia, & maritos ducere: quod non fieret, si per ipsum tempus votum esset solennizatum.

3 Item, In quibusdam claustris nigri ordinis non extat memoria, quod vnquam seruata ibi fuerit regula ex integro, sed tantum quædam partes, sicut officium nocturnum & diurnum, & non modus abstinendi: & non intrant aliquæ personæ hac intentione, nisi vt seruent quæ inueniunt: cum ergo non amplius profiteantur, videtur quòd ad amplius non obligentur.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est, quòd consuetudines & institutiones Ecclesiarum sine superioris auctoritate immutari non possunt: sed scimus illas Ecclesias ordini sancti Benedicti esse assignatas, & à nullo maiorum esse mutatas: ergo ad obseruandum ordinem sancti Benedicti tenentur, vt videtur.

Solutio. RESPONDEO sine præiudicio, quòd votum & professionem interpretatiuam omnis homo facit, quando stat vltra tempus communiter probationi assignatum, habens libertatem recedendi si voluerit: sed hoc in quibusdam claustris potest prolongari, secundum quod communitati pro temporis conuenientia videtur expedire. Vnde tutum etiam videtur mihi, quòd in claustris in quibus in periculo castitatis viuunt moniales, multum protelatur donec desperent de hoc quòd aliquis eas legitimo ducat matrimonio: & ideo dissimulatur protelatio in claustris Theutoniæ.

AD ID ergo quod contra est, dicendum quòd tales Ecclesiæ sunt ordinis Benedicti, & mutatio inducitur in obseruantiis ex dissimulatione prælatorum: quod enim vident prælati, & tamen dissimulant, concedere vel indulgere videntur.

Quam grande malum sit adulterium.

CVM vir & mulier legitimè coniuncti sunt, constat alterum altero viuente ad aliam non posse transire copulam: alioquin adulterium committitur, de quo Clemens Papa ait, Quid in omnibus peccatis adulterio est grauius? Secundum namque in pœnis tenet locum, quem primum illi habent qui aberrant à Deo. Grauissimè ergo peccant adulteri, grauiter fornicarij, sed cunctis his grauius incestuosi: quos omnes transcendunt contra naturam delinquentes. Vnde August. Adulterij malum vincit fornicationem, vincitur ab incestu. Peius enim est cum matre, quam cum aliena vxore dormire: sed horum omnium pessimum est, quod contra naturam fit, vt si vir membro mulieris non ad hoc concesso vratur, hoc execrabiliter fit in meretrice, sed execrabilius fit in vxore.

D. 32. q. 6. c. Quid in omnibus.

D. adulter. cõiugiis. & habetur 32. q. 7. c. Adulterij malum.

ARTICVLVS XXI.

An adulterium homicidio & aliis peccatis sit grauius?

DEinde quæritur de hoc quod dicit [Quid in omnibus peccatis adulterio, &c.] Videtur enim falsum: quia homicidium in genere moris, grauius est adulterio, & infidelitas grauior est simpliciter.

2 Item, Adulterium est peccatum ex infirmitate carnis exortum: sed illo grauius est peccatum in Spiritum sanctum: ergo adulterium non est in omnibus peccatis grauius,

Quæstiuncula. ITEM quæritur, Quare in pœnis secundum tenet locum, Si enim dicas, quòd secundum tenet locum, quia secundum præceptum transgreditur. Contra: Tria præcepta sunt in prima tabula, ex quibus nullum transgreditur. Si dicas quod tenet transgressionem secundam in secunda tabula. Contra: Secundum præceptum est, Non occides, & non contra hoc est adulterium. Si fortè dicas, quòd habet transgressionem secundam in negatiuis. Contra: Hoc erit contra literam: quia dicit, quòd primum locum habent hi qui aberrant à Deo: quod non diceret, si prædicto modo intelligeret, sed potius, quòd primum locum tenerent homicidæ. Si vero dicas, quòd secundum locum tenet in pœnis: quia lapidantur sicut aberrans à Deo. Contra: Ius maius peccatum debet magis punire: sed homicidium est maius peccatum, quam adulterium: ergo lege iuris magis debet puniri. Item, Illa quæ fornicatur in domo patris sui, lapidatur sicut dicitur Deuter. 22. Item, Filius contumax lapidatur: quia non vult audire monita patris Deuter. 21. Ergo videtur, quòd nullo modo secundum locum tenet in pœnis,

RESPONSIO. Sine præiudicio dicendum, quòd aberrans à Deo frangit fidem vnitatis spiritus quam habet cum Deo in significato matrimonij quantum ad bonum sacramenti. Adulterans autem frangit fidem thori & indiuiduitatis matrimonij, quæ significat societatem animæ cum Deo: & ideo exemplariter & quoad quantitatem reatus est in secundo loco aberrans à fide: & ideo Dominus per Isaiam aberranti loquitur per modum adulteræ Isa. 27. Coangustatum est enim stratum, ita vt alter decidat, & pallium breue vtrumque operire non potest. Et ibidem 57. Iuxta me discooperuisti, & suscepisti adulterum. Et similiter Ezech. 16. & Oseæ 3. & in aliis multis locis. Et per hoc patet solutio ad totum. *Solutio.*

De illis qui post longam captiuitatem redeunt.

HIC quæritur de illis fœminis, quæ putantes viros suos interemptos, vel in captiuitate, vel ab iniqua dominatione nunquam liberandos, in aliorum coniugia transierunt: si illi qui putabantur periisse remeauerint, vtrum eis reddi debeant, & an secundi fornicati sint, & ipsæ reæ adulterij. De hoc Leo Papa sic ait: Necesse est vt legitimarum fœdera nuptiarum reintegranda credamus, & remotis his quæ hostilitas intulit, cuique id legitimè reformetur quod intulit, procurandumque est, vt recipiat quisque quod proprium est. Nec tamen culpabilis iudicetur, & quasi alieni iuris peruasor habeatur, qui personam eius mariti qui iam non esse existimabatur, assumpsit. Sic enim multa quæ ad eos qui in captiuitatem ducti sunt, pertinebant, in ius alienum transire poterunt, & tamen plenæ iustitiæ est, vt eisdem reuersis reformentur. Ideoque si viri post longam captiuitatem reuersi, ita in dilectione suarum coniugum perseuerant, vt eas cupiant in suum redire consortium, dimittendum est, & inculpabile iudicandum quod necessitas intulit, & restituendum quod fides poscit. Sin autem aliquæ mulieres ita virorum posterorum amore sunt captæ, vt malint his cohærere quam ad legitimum transire consortium, merito sunt notandæ, ita vt ecclesiastica communione priuentur, quæ de re excusabili contaminationem criminis elegerunt. Redeant ergo in suum coniugia statum: quia sicut mulieres quæ ad viros suos reuerti noluerint, impiæ sunt habendæ: ita illæ quæ redeunt, meritò sunt laudandæ. Ex his ostenditur, illos qui taliter iunguntur, vt credant virum interemptum, per ignorantiam, aliquam excusationem habere de peccato, & tantum primam copulam esse legitimam, non secundam, veniam tamen habere,

32. q. 1. c. Cum per beliçam.

si careat

si careat opprobrio malæ voluntatis. Sed siquis relicta in patria sua vxore in longinquam abiens regionem, deinde pœnitentia ductus eam dimittere velit, asserens se aliam habuisse quæ viuit, nec Ecclesia permittat, quæ quod ille asserit ignorat, quæritur an in hac secunda copula sit coniugium? Sanè dicit potest non esse coniugium, & mulierem de crimine excusari per ignorantiam, virum autem adulterium admisisse. Sed exquo ad primam redire volens nec valens, cogitur Ecclesiæ disciplina hanc tenere, incipit excusari per obedientiam & timorem, de hoc quod poscenti mulieri debitum reddit, a qua ipse nunquam poscere debet: & sic de aliis huiusmodi sentiendum est.

Hug.4. sent. c.4.

Hoc habitum non tenetur: imo non debet Ecclesiæ obedire.

ARTICVLVS XXII.

Quid faciendum sit mulieribus quæ putant viros interemptos, vel in captiuitate, vel ab iniqua dominatione nunquam liberandos?

DEinde quæritur de hoc quod dicit [Hic quæritur de istis fœminis, &c.] Videtur enim illis fœminis esse concedendum, vt interim alios ducant: quia matrimonium est in medicinam, & morbus concupiscentiæ medicina tandiu carere non potest.

2 Item, Impeditur bonum naturæ quod est proles: ergo videtur, quòd cum secundo concedit debeat matrimonium.

Solutio. RESPONSIO. In præcedentibus satis est de hoc habitum: quia omnes molestiæ matrimonio superuenientes propter fidem thori sunt tolerandæ: & ideo longa captiuitas cum patientia est expectanda.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd est medicina indirecta, quia gratia magis medicatur: vnde si conuertatur à fidem thori, magis iuuabitur alia quam in matrimonio: & si illa postponatur, tunc viuit potius in concupiscentia quam matrimonij honestate.

AD ALIVD dicendum, quòd bonum prolis in sui ratione habet, quòd honestate matrimonij suscipiatur: & cum hoc hîc esse non possit, non potest per coitum tale bonum prolis procreare.

ARTICVLVS XXIII.

An redeunte marito alter potest manere cum ea quam putat vxorem propter scandalum?

DEinde quæritur de hoc quod dicit in fine distinctionis *ibi* [Ex quo ad primam redire volens nec valens, &c.] Videtur enim hoc esse falsum: quia propter nullum scandalum est aliquid faciendum contra vitæ veritatem: sed esse cum alia postposita sua, est contra vitæ veritatem: ergo non debet esse cum illa propter scandalum vel etiam metum excommunicationis.

AD HOC respondeo, quòd Magister hîc errat, & falsum est quod dicit: quia iste debet potius mori excommunicatus, quam communeat illi quæ non est vxor eius. *Solutio.*

DISTINCTIO XXXIX.

De dispari cultu.

A De impedimentis quæ faciunt omnino illegitimum ad contrahendum matrimonium cum quodam & cum quodam non: quod venit ex cultus disparitate.

POST hæc de dispari cultu videndum est: hæc est enim vna de causis, quibus personæ illegitimæ fiunt ad contrahendum matrimonium. Non enim licet Christiano cum Gentili vel Iudæa inire coniugium: quia in Veteri Testamento prohibitum est, fideles viros infideles ducere vxores, Domino dicente, Non accipias vxorem de filiabus alienigenarum filiis tuis, ne traducant eos post Deos suos. Iuxta hoc Domini præceptum Iudæorum coniugia cum alienis inita Esdras separauit. Hoc idem etiam in Nouo Testamento seruatur. Vnde Aug. Exod. 24. Deut. 7. Esdr. 10.

De adul. coniug. c.21. & habetur 28.q 1.c. Sic enim ad fi. Frod.34. 1.Cor.7. Lib.de Patriarchis.& ponitur 28.q.1.c. Caue.

Ne nubat fœmina, niſi ſuæ religionis viro: vel ne vir talem ducat vxorem. Id enim, vt dicis, iubet Dominus, docet Apoſtolus, vtrumque præcipit Teſtamentum. Item Ambr. Caue Chriſtiane Gentili vel Iudæo filiam tuam tradere, caue ne Gentilem vel Iudæam vel alienigenam, id eſt, hæreticam & omnem alienam à fide tua, vxorem accerſas tibi. Item, Siquis Iudææ, ſiue Chriſtiana Iudæo, ſiue Iudæa Chriſtiano carnali conſortio miſceatur, quæcunque tantum nefas admiſerit, à Chriſtiano cœtu protinus ſegregetur. Ex his aliiſque pluribus teſtimoniis apparet non poſſe contrahi coniugium ab his qui ſunt diuerſæ religionis & fidei.

ARTICVLVS I.

An diſpar cultus faciat perſonam illegitimam?

POſt hæc de diſpari cultu videndum eſt] Hîc agitur de impedimento quod impedit ex parte fundamenti quod deſtruit. Magiſter autem quatuor in hac diſtinctione tangit, ſcilicet quare diſpar cultus faciat perſonas illegitimas? Et quid ſit fornicatio ſpiritualis? Et tertio, Vtrum fidelis dimiſſus ſe alteri poteſt copulare? Et vltimo, Vtrum inter infideles verum matrimonium poſſit eſſe? Et per ſe patet vbi iſta incipiant. Circa primum autem duo inducit. Prima enim opinio eſt, quòd diſpar cultus impedit matrimonium contrahendum & dirimit contractum. Secundo autem contra obiicit, & ſoluit: & iterum patet vbi hoc facit. Incidunt autem hic tria quærenda. Primum eſt, An diſpar cultus faciat perſonam illegitimam? Secundo, Quare hoc potius facit oppoſitum fidei, quam alterius virtutis? Tertio, Ratione cuius articuli fides habet perſonam facere legitimam?

Obiicitur autem ad primum ſic: Quotuncunque duorum vnum quandoque fuit ſine alio, illorum neutrum ab altero habet dependentiam eſſentialem: ſed talia duo ſunt matrimonium, & fides Chriſti: ergo, &c. Probatio mediæ eſt, quòd ante Chriſtum fuit matrimonium, & hodie eſt inter infideles, ſicut probatur per vltimam partem diſtinctionis huius.

2 Item, Quod nulli bono matrimonij eſt contrarium, non videtur facere perſonam illegitimam ad contrahendum: tale autem eſt infidelitas: ergo, &c. Probatio mediæ: quia vna vnius poteſt eſſe infidelis ſeruans fidem thori, & generans filios qui ad religionem Dei nutriri poſſunt.

3 Item, Non fuit dictum ab initio, Erunt duo in fide de vna, ſed potius in carne vna: ergo diſparitas fidei matrimonium in nullo debet impedire, dummodo poſſit ibi ſaluari vnitas carnis.

4 Item, Amicitia matrimonij magis ſtringit, quam aliqua alia: ergo videtur, quòd etiam ſuadendæ ſint tales nuptiæ, quia hac occaſione infideles ad fidem conuertentur.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius multa adducuntur in litera de Eſdra & aliis. Sed per rationem obiicitur ſic: Vbi non eſt fundamentum ſacramentorum, ibi non eſt aliquid ratum ſacramentum: ſed baptiſmus & fides ſunt fundamentum ſacramentorum: ergo vbi hoc non eſt, non eſt aliquid ſacramentum. ſed in diſpari cultu non eſt: ergo, &c. ergo nec matrimonium eſt ſacramentum.

2 Item Malach. 2. Contaminauit Iudas ſanctificationem Domini quam dilexit, & habuit filiam Dei alieni. Diſperdet Dominus virum qui fecerit hoc, magiſtrum & diſcipulum in Iſraël. Ergo diſperdendum eſt matrimonium, in quo eſt filia Dei alieni: ergo diſpar cultus perſonam facit illegitimam.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd hoc quod dicitur in litera, omnino videtur eſſe tenendum.

AD HOC autem quod primo obiicitur, dicendum, quòd matrimonium nunquam fuit ratum ſine fide Chriſti implicita, vel explicita, ita quòd ratum dicatur omnino indiſſolubile. Vnde in naturali lege Geneſ. 27. Rebecca, Tædet me vitæ meæ propter filias Heth: ſi acceperit Iacob vxorem de ſtirpe huius teræ, nolo viuere. Licet ergo infra dicatur inter infideles verum poſſe eſſe coniugium, non tamen eſt omnino ratum: quia aliquo caſu interueniente poterit diſſolui.

AD ALIVD dicendum, quòd contrariatur bono prolis: quia quoad alterum parentem non ſuſcipitur in timore & pietate Chriſti. Similiter fidem non ſeruans ad Chriſtum, nunquam fidem veram ſeruare poteſt ad hominem. Bonum autem ſacramenti eſt in potentia tantum in talibus, & non ducit actu in coniunctionem fidelis animæ cum Deo, ſed tantum potentia. Et ideò omnia illa bona talis matrimonij ſunt imperfecta.

AD ALIVD dicendum, quòd licet non ſit dictum, tamen eſt præintellectum ſicut fundamentum præintelligitur ædificio.

AD ALIVD dicendum, quòd talis amicitia eſt periculoſa, vbi Chriſtianus obligatur infidelis: quia fortè poſſet peruerti, & ideò prohibitum eſt à Domino tales confœderari.

ARTICVLVS II.

Quarè hoc potius conuenit fidei, quam alteri virtuti?

SEcundo quæritur, Quarè potius fides habet hoc, quam alia virtus, & infidelitas potius quam aliquod vitium? Dicit enim Aug. quòd quodlibet vitium ſeparat à Deo: ergo

contraria

contrariatur ei quod sua indiuiduitate illam coniunctionem significat: sed hoc est matrimonium: ergo quodlibet vitium facit personam illegitimam ad matrimonium.

2 Item, Infra in litera dicitur, quòd furtum, auaritia, & alia multa vitia hoc idem faciunt: ergo constat propositum.

3 Item, Fides non est vnitiua, sed potius charitas: quia sicut dicit Apostolus 1. Cor. 6. Qui adhæret Deo, vnus spiritus est. Ergo oppositum charitatis potius debet facere personam illegitimam, eò quod opponitur coniunctioni & vnioni fidelis animæ cum Deo, quam significat matrimonium.

4 Item, Peccatum in Spiritum sanctum est grauissimum, quod nec in hoc seculo, nec in futuro remittitur: ergo copulæ animæ cum Deo & in hoc seculo & in futuro reluctatur: & hoc prætendit matrimonium: ergo potius peccatum in Spiritum sanctum facit personam illegitimam ad matrimonium, quam dispar cultus.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius sunt ea quæ dicuntur in litera. Item adhuc per rationem obiicitur: Sicut dicit Apostolus ad Hebr. 11. fides est substantia rerum sperandarum: quia vt dicit Glossa, facit in nobis subsistere res sperandas. Ergo sine fide nihil subsistit in nobis de rebus sperandis: sed nihil est firmum, quod cum rebus sperandis non subsistit: ergo quod subsistit sine fide, non est firmum: ergo & matrimonium subsistens sine fide, non habet firmitatem perfectam. Quod autem nihil firmum sit, quod cum rebus sperandis non subsistit, probatur ex hoc quod res sperandæ sunt æternæ: & quod nec æternum est, nec cum æterno est, hoc est temporale tantum: temporale tantum existens, nullam habet firmitatem.

3 Item, Quod non placet Deo, non debet esse firmum in contractibus humanis: sed quod sine fide est, impossibile est placere Deo, vt dicit Apostolus Hebr. 11. ergo nullam habet firmitatem: ergo & matrimonium infidelis firmitate carere debet.

4 Item, Nullus contractus potest esse in quo legislator excluditur, & lex contractum rectificans: ergo & in spiritualibus non tenet aliquis contractus, vbi Deus & lex diuina excluditur: sed in matrimonio infidelis sic excluditur Deus & lex diuina: ergo contractus talis non est ratus ad plenum.

Solutio. RESPONSIO. Secundum vltimas rationes dicendum, quòd æquissimum est non esse ratum matrimonium, vbi est dispar cultus.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd licet quodlibet vitium separet à Deo, non tamen quodlibet vitium dissipat omnino fundamentum boni & sacramentorum, sed sola infidelitas: & ideo nihil stat de ædificio, vbi non est fundus fidei: quia dicit August. quòd infidelitas est vitium & peccatum, quo cætera omnia peccata tenentur.

AD ALIVD dicendum, quòd vitia moralia quæ non sunt contra matrimonium, non impediunt matrimonium contrahendum, nec dirimunt contractum, sed possunt dissoluere cohabitationem: non enim oportet cohabitare furi, qui non vult resipiscere, vel etiam vsurario: & quoad hoc intelliguntur ea quæ dicuntur infra in litera. Supra tamen habitum est, quæ vitia impediant matrimonium, & quæ non.

AD ALIVD dicendum, quòd perfectio coniunctionis animæ cum Deo est in charitate, sed desponsatio est in fide & coniunctio prima: & ideo contrarium fidei totum dissoluit sequens, sed non contrarium charitatis, quia non destructa posteriori parte ædificij destruitur præcedens, sed potius è conuerso.

AD ALIVD dicendum, quòd peccatum dicitur alio maius multis modis, sicut notatum est super secundum, sed quantum ad propositum pertinet, dicendum quòd infidelitas maximum peccatum est ratione nocumenti, & eius contra quod est, & ratione actus: peccatum autem in Spiritum sanctum ratione radicis: & ideò infidelitas est maximum peccatum simpliciter: tamen peccatum non ex magnitudine sua habet impedire matrimonium, sed potius ex contrarietate quam habet ad fundamentum vel actum.

ARTICVLVS III.

Ratione cuius Articuli fides facit personam legitimam?

TErtio quæritur, Ratione cuius articuli fides habeat personam facere legitimam? Videtur, quòd sit ratione eius quod est, Vitam æternam: quia vita æterna erit in coniunctione animæ cum Deo, & illam significat matrimonium. Sed iterum videtur, quòd ratione communionis Sanctorum: quia communio Sanctorum erit in indiuiduitate vitæ & societatis, quam iterum prætendit matrimonium.

Solutio. AD HOC dicendum, quòd ratione illius articuli qui est, Sanctam Ecclesiam, fides personam legitimam facit: quia sic ille intelligitur, id est, Credo in Spiritum sanctum, scilicet sanctificantem & vnientem Ecclesiam sicut vna est vnius: sicut enim dicitur ad Ephes. 5. Sacramentum hoc magnum est: ego autem dico in Christo & in Ecclesia.

AD PRIMVM ergo sciendum, quòd vita æterna non est vnio fidelis animæ cum Deo, sed potius visio, & visionem sequitur vnio.

AD ALIVD dicendum, quòd communio Sanctorum consistit in communione bonorum adinuicem: sed significatum matrimonij potius est in relatione ad Deum: & ideo ratione illius articuli fides non facit personam legitimam.

ARTICVLVS IV.

An si quis ducat hæreticam baptizatam quæ nolit dimittere hæresim, debeat eam dimittere?

DEinde quæritur de hoc quod dicit [Vel alienigenam, id est, hæreticam, &c.] Ponamus enim, quòd aliquis sciat aliquam mu-

lierem esse hæreticam, & tamen baptizatam, & ducat eam in matrimonium, & illa posteà nolit hæresim dimittere: videtur quòd iste talis secundum ea quæ dicuntur in litera possit eam dimittere.

2 Item, Maius est segregari à consortio fidelium, quam à societate mariti: sed mulier propter hæresim segregatur à consortio fidelium: ergo multò magis à consortio mariti.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est, quòd baptizatus ab hæretico, est baptizatus: ergo matrimonio copulatus hæretico, verum habet matrimonium: ergo non est separandum.

2 Item, Baptismus est sacramentorum fundamentum: quicquid autem ædificatur super fundamentum immobile, illud est ædificium firmum: ergo istud est firmum matrimonium: ergo non est dissoluendum.

Quæstiuncula. ITEM, Ponamus, quòd aliquis Iudæus, vel hæreticus, vel paganus, velit baptizari, & non inuenit aquam, vel baptizantem qui eum baptizet, & in isto statu contrahit: videtur, quòd stet matrimonium: quia baptismo flaminis etsi non fluminis omnium peccatorum remissionem consecutus est: ergo matrimonio suo quod contrahit cum Christiana nullum peccatum repugnat: ergo stat matrimonium.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est, quòd baptismus est fundamentum sacramentorum: & iste non habet characterem baptismalem: ergo non habet fundamentum: ergo non est firmum ædificium.

Solutio. RESPONSIO ad hoc, quòd vt dicit Hugo., in primo casu stat matrimonium propter baptismum, & videtur mihi rationabiliter dicere.

AD OBIECTVM contra, dicendum, quòd Ambrosius loquitur in litera de hæretico non in forma Ercleſiæ baptizato.

AD ALIVD dicendum, quòd licet maius sit segregari à consortio fidelium, quam mariti: non tamen ordinatur ex contrarietate contra fundamentum matrimonij omne segregans à consortio fidelium, & ideo non dissoluit contractum matrimonium: sed verum est, quod contrahi non debet.

Adquæst. AD ID quod quæritur de secundo casu, dicendum quod non est ratum matrimonium: quia non habet characterem baptismalem, licet rem habeat baptismi. Ad id quod contra obiicitur, dicendum quòd immunitas peccati non iacit fundamentum sacramentorum, sed potius impressio characteris. Vnde non baptizatus, immunis tamen à peccato, si ordinaretur, nihil reciperet de ordine: & habens characterem baptismalem, & non immunis à peccato, si ordinatur, recipit ordinem.

De coniugio fidelis & infidelis & duorum infidelium.

1.Cor.7. BVIC autem videtur obuiare quod Apostolus ait de impari-
bus coniugiis. Ego dico, non Dominus, Siquis frater habet vxorem infidelem, & hæc consentit habitare cum illo, non dimittat illam: & siqua mulier, &c. Sed aliud hoc esse, aliud illud,
Lib. & c. iisdem. & habetur 28. q. 1. cap. Sic enim ad fi. euidenter ostendit Augustinus. Ibi enim agitur de illis coniugiis fidelium & infidelium, quæ contrahuntur ab eis in dispari religione & fide manentibus. Apostolus verò agit de illis, qui vnius eiusdemque infidelitatis fuerunt, quando coniuncti sunt. Sed cum venisset Euangelium, alter sine altera credidit. Intelligisne quid dicam? Attende, vt rem ipsam diligentius explanem. Ecce coniuges duo vnius infidelitatis fuerunt quando coniuncti fuut, nulla de his quęstio est quæ pertineat ad illud pręceptum Veteris & Noui Testamenti, quo ptohibetur fidelis cum infideli copulare coniugium. Iam sunt coniuges, & ambo adhuc sunt infideles. Tales sunt adhuc quales coniuncti sunt. Venitque Euangelij prędicator, credidit eorum vnus vel vna, sed ita vt infidelis cum fideli habitare consentiat, non iubet Dominus vt fidelis iufidelem
Augustin. ibidem. lib. 1. cap. 17. & habetur 28. q. 1. cap. Iam nũc illud. dimittat taliter coniunctum. Nec Apostolus iubet vt non dimittat, sed consulit vt siquis aliter agat, non sit transgressor, sicut & de virginibus consulit. Monet autem quod est luctandi occasio, cum possit licitè relinquere, sed non expedit. Tunc enim non expedit id quod licitum est, quando permittitur quidem, sed ipsius vsus aliis
Aug. ad Pollentium. 1.Cor.7. affert impedimentum salutis, sicut discessio fidelis ab infideli, quam non prohibet Dominus, quia coram illo non iniusta, sed Apostolus ne fiat, consilio charitatis suadet, vt nemo in ea re iussionis necessitate

ceſſitate teneatur, ſed conſilij voluntate liberè faciat. Ex his monſtratur inter infideles coniugium eſſe, & conſilium Apoſtoli non obuiare pręcepto Domini, quo iubet fidelem non iungi infideli: & ſi coniuncti fuerint, ſeparari. Legitur enim, quòd Eſdras Propheta, imo Dominus per eum iuſſit Iſraëlitis vxores dimittere alienigenas, per quas ibant ad Deos alienos, non illæ per maritos acquirebantur Deo. Rectè hoc pręcipit, quia per Moyſen iuſſerat Dominus, ne quis vxorem alienigenam duceret. Merito ergo quas duxerant Domino prohibente, Domino iubente dimiſerunt: quia, vt ait Ambroſ. Non eſt putandum matrimonium, quod extra decretum Dei factum eſt: ſed cum cognoſcitur, emendandum: vt quando fidelis infideli copulatur Sed, vt ait Auguſt. Cum cœpiſſet Gentibus Euangelium prędicari, iam coniunctos Gentiles Gentilibus comperit coniugibus: ex quibus ſi non ambo crederent, ſed vnus vel vna, & infidelis cum fideli conſentiret habitare, nec prohiberi à Domino debuit fidelis infidelem dimittere, nec iuberi. Ideò non prohiberi, quia iuſtitiæ permittit à fornicante diſcedere. Et infidelis hominis fornicatio eſt maior in corde, nec vera eius pudicitia cum coniuge dici poteſt: quia omne quod non eſt ex fide, peccatum eſt, quamuis veram fidelis habeat pudicitiam, etiam cum infideli coniuge, quæ non habet veram. Ideò autem nec iuberi, quia nec contra iuſſionem Domini Gentiles fuerunt ambo coniuncti. Licitum ergo erat per iuſtitiam, fideli infidelem dimittere: ſed licitum non erat faciendum, propter liberam beneuolentiam. Euidenter apparet & inter infideles coniugium eſſe, & Apoſtolum de illis agere, qui in infidelitate coniuncti fuerunt & poſt alter ad fidem conuerſus eſt: cum quo etiam infidelis habitare conſenſit, & hunc non dimittere fideli conſulit Apoſtolus: quia fortè per fidelem ſaluabitur infidelis.

Eſdr. 10. Auguſt. lib. 1. de adult. coniug. c. 18.

28. q. 1. c. Iuſſit Eſdras.

Matt. 19.

Rom. 14.

ARTICVLVS V.

An diſpar cultus matrimonio ſuperueniens diſſoluat matrimonium?

DEinde quæritur de hoc quod dicit [Huic autem videtur obuiare quod Apoſtolus] Videtur enim, ſecundum ea quæ dicuntur in litera huius capituli, diſpar cultus matrimonio ſuperueniens diſſoluere matrimonium: quia diſpar cultus ſuperueniens matrimonio, æqualis vel maioris eſt periculi ſicut antecedens: ergo idem vel plus facit ad ſeparationem matrimonij, quam antecedens, vt videtur.

2 Item, Talis non cohabitat, niſi in contumeliam creatoris: aſſignatur autem hæc cauſa ſeparationis in litera: propter ergo talem cultum diſparem matrimonium eſt ſeparandum.

3 Item, Talis peccat contra matrimonij authorem: & hoc iterum dicitur eſſe cauſa ſeparationis: ergo ſeparari poſſunt tales.

Sed contra. IN CONTRARIVM eſt regula quæ dicit, quòd nullum impedimentorum matrimonio ſuperueniens, dirimit matrimonium contractum: ergo nec iſtud.

2 Item, Fides Chriſtiani ſemel data, firmiter eſt ſeruanda: ſed illi quæ ſit hæretica, eſt fides data: ergo irritari non debet: ergo firmum tenendum eſt matrimonium.

Solutio. QVOD CONCEDENDVM eſt, & dicendum ad primum, quòd non eſt periculum: quia poteſt fieri ſeparatio à thoro, ſi ſit pertinax in hæreſi.

AD ALIVD dicendum, quòd licet non communicet niſi in contumeliam ſi pertinax eſt, tamen ex prima ſuſceptione fidei ſubiacet cenſuræ eccleſiaſticæ: & per illam poteſt prohiberi, vel etiam ſeparari à cœtu fidelium, ita vt iudicio ſeculari liberum ſit in talem vindicare.

AD ALIVD dicendum, quòd in veritate talis peccat contra authorem matrimonij, & ideo punitur in matrimonio quantum ad ſeparationem à thoro: ſed tamen merito fundamenti ſtat matrimonium, quandiu ambo viuunt qui in fide Chriſti contraxerunt.

* * *

ARTICV

ARTICVLVS VI.

An aliquis in Paganiſmo habens plures vxores ſi conuertatur cum omnibus illis, omnes vel vna, & quæ poſsit eſſe vxor?

DEinde quæritur de hoc quod dicit [Merito ergo quas duxerant Domino, &c.] Eſto enim, quòd aliquis in Paganiſmo vel Iudaiſmo habuit vxores plures, & conuertatur cum omnibus illis: & quæratur, Vtrum omnes, vel vna, vel quæ ex omnibus poſſit eſſe vxor ſua? Videtur enim, quòd omnes: infrà enim habetur, quòd inter infideles eſt verum coniugium: ergo cum ſecundum ritum ſuum poſſit habere plures, quælibet iſtarum eſt vera vxor: ſed, vt dicit Auguſt. baptiſmus non diſſoluit coniugia, ſed peccata: ergo videtur, quòd quælibet iſtarum adhuc remaneat vxor ſua: ergo poſt baptiſmum poteſt habere plures.

2 Item, Maiorem libertatem adiicit ſibi baptiſmus, & non tollit aliquam: ergo cum ante baptiſmum ſibi liberum retinere plures erat, erit hoc idem etiam ſibi liberum poſt baptiſmum.

3 Item, Si ſeparentur, tunc videtur, quòd hoc generaret impedimentum conuerſionis: quia iam odirent baptiſmum propter horrorem ſeparationis à ſuis coniugibus: ergo non debent ſeparari, ſed permitti omnes poſt baptiſmum.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius eſt, quod dicit Innocentius, Cum ab initio vna coſta in vnam mulierem ſit formata, nulli vnquam licuit habere plures vxores, niſi ex diuina diſpenſatione & ad tempus pro neceſſitate: ergo nec iſti licuit ante baptiſmum, nec poſt licet ei.

Quæſtiuncula 1. SED TVNC quæritur, Quæ iſtarum ſit vxor? Videtur autem, quòd poſſit eligere: quia ipſe eſt caput.

2 Item, Quia conuerſio ſua fauore eſt digna: & ideò debet ei electio permitti.

Quæſtiuncula 2. VLTERIVS quæritur, Eſto enim quòd aliquis in ſua lege primæ vxori cum qua contraxit, libellum repudij dederit, & poſt eam cum alia ſecundum ritum ſuæ legis contraxit, & cum illa ad fidem Chriſti conuertatur. Videtur, quòd oportet dimittere ſecundam: quia nunquam fuit vera vxor ſua: ergo oportet, quòd ambo iſti conuerſi ſeparentur.

IN CONTRARIVM huius eſt, quod hoc generaret turbationem & impedimentum conuerſionis. *Sed contra.*

RESPONSIO. Dicendum, quòd in prima parte quæſtionis non eſt dubium plures eum habere non poſſe, quam vnam: nec ante licuit ei habere plures ſecundum ius diuinum, ſed potius ſecundum errorem perfidiæ humanæ. *Solutio.*

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd id quod infra dicitur, intelligitur de matrimonio licito: & hoc non eſt contra ius diuinum: & hoc vnius eſt cum vna.

AD ALIVD dicendum, quòd non eſt libertas habere plures, ſed ſeruitus: quia qui facit peccatum, ſeruus eſt peccati. Et Anſelm. dicit, quòd etiam potentia peccandi, nec eſt libertas, nec pars libertatis: quia libertati addita minuit eam, & ablata auget eandem.

AD ALIVD dicendum, quòd id quod eſt de veritate vitæ, propter nullius vnquam turbationem vel ſcandalum eſt dimittendum, præcipuè ex amore honeſtatis Chriſtianæ: ſed quòd vna eſt vnius, magis debet ad conuerſionem trahere, quam illicere valeat amor mulierum.

AD SECVNDAM partem quæſtionis dicendum, quòd nulla eſt vxor niſi prima cum qua contraxit: & ideo omnibus conuerſis ſolum illa manebit. Si autem non vellet ipſa conuerti, tunc puto, quòd liberum eſſet ei eligere de aliis conuerſis quam vellet, & cum illa contrahere de nouo: quia prior contractus non valebat, eò quod inter omnes illas cum quibus ſecundo contraxit in ſuo ritu, nulla habet magis, quam alia, eò quod nulla earum fuit verè vxor eius. Ad obiectum autem dicendum, quòd vir in regimine eſt caput, ſed non in contractu: quia in illo ad paria iudicantur vir & vxor, cum vtriuſque conſenſus requiratur. *Ad quæſtiunculam 1.*

AD ALIVD dicendum, quòd fauor in viro nullus eſt, præcipuè cum ipſe baptiſmum accipiat, vt à vitiis liberetur.

AD TERTIAM partem quæſtionis dicendum ſub diſtinctione, quòd aut prima cui dedit libellum repudij, vult conuerti, aut non. Si ſic, tenetur eam habere. Si non, tunc poteſt contrahere de nouo in fide Chriſti cum ſecunda: & tunc etiam ſi poſteà conuertatur alia, non habet ius poſcendi ipſum, eò quod ius ſuum merito infidelitatis amiſit, cum in nullo ita maritum ſequi debeat ſicut in conuerſione ad fidem Chriſti. *Ad quæſtiunculam 2.*

De fornicatione ſpirituali, ob quam poteſt dimitti coniunx.

CPOTEST tamen licitè dimittere: quia in infideli eſt fornicatio, ſi non corporis, tamen mentis. Cauſam enim fornicationis Dominus excepit. Fornicationem verò generalem & vniuerſalem intelligere cogimur, non modo ſcilicet corporalem, ſed & ſpiritualem, de qua Auguſt. ait, Idololatria & quælibet noxia ſuperſtitio fornicatio eſt. Dominus autem permiſit ex cauſa fornicationis

In Gloſſ. 1. Cor. 7. Siquis. Matt. 5. & 19.

In ſerm. Dom. in mõte. &

nicationis vxorem dimitti, sed non iussit. Et sic dedit Apostolo locum monendi, vt qui voluerit non dimittat: potest tamen licitè dimittere. Si enim fornicatio carnis detestanda est in coniuge, quanto magis fornicatio mentis, id est, infidelitatis? habetur 28.q.1. c.Idololatria.

ARTICVLVS VII.

An propter infidelitatem potest vxor dimitti?

DEinde quæritur de hoc quod dicit [Potest tamen licitè dimittere, &c.] Videtur non valere quod dicit: quia ipsemet dixit in tertio, quòd ex tropicis non est arguendum: constat autem, quòd infidelitas non est fornicatio nisi tropicè loquendo.

2 Item, Fides non est fundamentum, nisi quæ per dilectionem operatur, vt dicit Glossa super 1.Corinth.3. ergo ad hoc quòd vir obiciat ei peccatum, oportet quòd ipse habeat charitatem: & hoc esset graue.

3 Item, Ex hoc sequitur, quòd omne matrimonium extra charitatem contractum, esset sine fundamento: ergo separabile, vt videtur.

RESPONSIO. Dicendum, quod non arguit ex tropicis, licet dictum sit tropicum, sed sequitur quod dicit, quia infidelitas contrarietatem habet ad fundamentum. Solutio.

AD ALIVD dicendum, quòd fides fundat duo, scilicet meritum, & sacramentum. Et quoad fundationem meriti intelligitur illa: quia charitas informat omne meritum. Sed quoad fundationem sacramenti tantum sine re & effectu sacramentali tam in baptismo quam in aliis, sufficit fides informis. Et per hoc patet solutio ad sequens.

Pro quibus vitiis possit dimitti.

SI autem quæris, An propter aliud vitium nisi propter infidelitatem vel idololatriam possit dimitti? Attende quid August. ait, Si infidelitas fornicatio est, & idololatria infidelitas, & auaritia idololatria, non est dubitandum & auaritiam fornicationem esse. Quis ergo quamlibet illicitam concupiscentiam potest à fornicationis genere separare, si auaritia fornicatio est? Ex quo intelligitur, quòd propter illicitas concupiscentias non tantum quæ in stupris cum alienis viris vel fœminis committuntur, sed ob quaslibet quæ animam à lege Dei aberrare faciunt & perniciosè corrumpi, possit sine crimine & vir vxorem suam dimittere, & vxor virum. Item, Rectissimè dimittitur, si viro suo dicat: Non ero vxor tua, nisi mihi de latrocinio diuitias congreges: vel nisi solita lenocinia exerceas, aut siquid aliud facinorosum vel flagitiosum à viro suo expetat. Tunc ille si veraciter pœnitens est, habetque fidem per dilectionem operantem, membrum quod eum scandalizat amputabit. Ex his apparet, quòd non solum infidelitas, sed etiam quælibet concupiscentia, quæ perniciosè turpiterque corrumpit, fornicatio spiritualis est, per quam vir vxorem, vel vxor virum dimittere potest. Consulit tamen Apostolus ne fidelis dimittat infidelem volentem cohabitare, nec à Deo reuocare.

D 27.q.1. c. Idololatria. ibidem vbi supra.

Aug. de fide & operibus & habetur 28.q.1. c. Vxor legitima. Matth. vltim.

1.Cor.7.

ARTICVLVS VIII.

An propter mortale peccatum alter coniugum possit alterum dimittere?

DEinde quæritur de hoc quod dicit [Si autem quæris, An propter aliud, &c.] Videtur enim totum falsum quod hic dicitur in litera: quoniam secundum hoc tota die fierent diuortia, quod falsum est.

2 Item, Aut intelligit de istis vitiis ante matrimonium, aut post. Et constat, quòd neutro modo intelligit, quia ambobus vel altero existente in mortali peccato, contrahunt, & non separantur, & ad cohabitandum coguntur ab Ecclesia: ergo falsum est quod dicit.

3 Item contra Euangeliũ est expressè Matt. 5.& 19.vbi dicitur, quòd qui dimiserit vxorem excepta causa fornicationis, &c. Et cõstat, quod non loquitur nisi de fornicatione corporali & literali.

literali. Item, In Luc. 17. vbi dicit, quòd duo erunt in lecto vno, vnus assumetur & alter relinquetur. Ergo lectus vnus est vnius boni, & alterius mali.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd si litera debeat sustineri, ad sponsalia est referendum: quia bene credo, quòd illa scindi possunt propter mortale peccatum in altero desponsatorum existente, præcipuè, si apponatur in conditione, sicut videtur litera dicere: & si non velit conuerti à peccato. Et de hoc supra notatum est in quæstione de sponsalibus.

Si fideli liceat aliam ducere infideli discedente vel dimissa.

E 28.q.2. quasi per totum tractatur hæc quæstio. 28.q.5. HIC quæritur, Si fidelis dimittat infidelem, vel infidelis à fideli discedat, an liceat fideli aliam ducere? Videtur auctoritas testari, quòd illa viuente alteram ducere non valeat. Amb. enim verba Apostoli exponens ait, Alioquin si disceditis abinuicem, & volentes cohabitare dimittitis, & aliis vos copulatis, adulteri estis: & filij vestri qui de hac copula nascuntur, immundi, id est, spurij sunt. Idem, Siquis habuerit vxorem virginem ante baptismum, viuente illa post baptismum alteram habere non potest. Crimina enim in baptismo soluuntur, non coniugia.

28.q.5. c. Siquis.

Quæ præmissis contraria videntur.

F Ad Hilarium. & habetur 28.q.5. In Glo. 1. Cor. 7. Non est enim. SED contra Ambrosius testatur, Si infidelis (dicit Apostolus) discedit, discedat. Non enim est seruituti subiectus frater aut soror in huiusmodi: quia non debetur reuerentia coniugij ei qui horret authorem coniugij. Non est enim ratum matrimonium, quod sine deuotione Dei est: & ideò non est peccatum ei qui dimittitur propter Deum, si alij se copulauerit. Contumelia enim creatoris soluit ius matrimonij circa eum, qui relinquitur, ne accusetur alij copulatus. Infidelis autem discedens, & in Deum peccat, & in matrimonium: nec est seruanda ei fides coniugij, qui ideo recessit ne audiret Christum esse Deum Christianorum coniugiorum. Si verò ambo crediderint, per cognitionem Dei confirmatur coniugium.

Determinatio.

G 28.q.2. ATTENDE hæc prædictis contraria posse videri, ita vt sibi Ambrosius contradicere videatur. Sed distinguendum est hîc aliud esse dimittere volentem cohabitare, aliud dimitti propter Deum ab illo qui horret nomen Christi. Ibi lex beneuolentiæ non seruatur, hîc veritas custoditur. Et ideò cum liceat dimittere volentem cohabitare, non tamen ea viuente aliam ducere licet. Discedentem verò sequi non oportet: & ea viuente aliam ducere licet. Sed hoc non est intelligendum, nisi de his qui in infidelitate sibi copulati sunt. Sed si ad fidem vterque conuersus est, vel si vterque fidelis matrimonio coniunctus est, & post alter eorum à fide discesserit, & odio fidei coniugem reliquerit, dimissus discedentem non comitabitur: nec tamen illa viuente alteram ducere poterit: quia inter eos fuerat ratum coniugium, quod non potest dissolui.

Quidam

Quidam dicunt coniugium non esse inter infideles & quare.

SVNT tamen nonnulli qui inter infideles asserunt non esse coniugium: quia nec rata, nec legitima est eorum copula. Rata non est, quia solui potest: nec legitima, quia Apostolus ait, Omne quod non est ex fide, peccatum est. Eorum autem coniunctio non est ex fide, & ideò peccatum est. Non est ergo coniugium: quia nullum coniugium peccatum est. Augustinus etiam dicit, Quia non est vera pudicitia infidelis cum infideli. Sed vera negatur esse pudicitia: non quòd infidelium coniugium non sit verum, sed quia non habet illud triplex bonum, quod excusat coitum & meretur præmium. Item illud Apostoli, Omne quod non est ex fide, peccatum est: non ita intelligendum est, vt quicquid fit ab infidelibus peccatum sit: sed omne quod fit contra fidem, id est, conscientiam malè fit, & ad gehennam ædificat. Vel in omni eo quod infidelis facit, peccat: non quia illud facit, sed quia non eo modo illud facit quo debet, non referens ad debitum finem.

H *Hic locus quasi de verbo ad verbum habetur 28.q.1. in prin. Rom.14. 28.q.1.in §. His itaque.*

ARTICVLVS IX.

An vnus coniugum fidelis potest alium dimittere ante mortem alterius?

DEinde quæritur de hoc quod dicit [Hic quæritur, Si fidelis infidelem dimittat, &c.] Videtur enim non esse vera determinatio Magistri sic: In omni vero & legitimo matrimonio vterque coniugum obligatur alteri vsque ad mortem: sed inter infideles est verum & legitimum matrimonium: ergo vterque coniugum alteri obligatur vsque ad mortem. Probatur prima: 1.Corinth.7.vbi dicitur, quòd mulier alligata est legi viri, quandiu vir eius viuit. Secunda scribitur infra in litera.

2 Item, Matrimonium infidelium est perfectum in significando & causando: sed perfectum obligat vsque ad mortem.

3 Item, Minus vinculum est inter dominum & seruum, quam inter virum & vxorem: sed primum non soluitur per conuersionem alterius: ergo nec secundum.

4 Item, Amb. dicit, quòd in baptismo peccata soluuntur, non coniugia: ergo per baptismum non deobligatur viro vxor: ergo ante mortem eius contrahere non potest.

5 Vlterius videtur, quòd si infidelis dimissus contrahat, teneat matrimonium. Aut enim fidelis contrahere potest, aut non. Si non, hoc erit contra literam. Si sic, non potest contrahere nisi solutus à matrimonio quo prius fuit obligatus: sed cum matrimonium sit relatio quædam, & relatio non soluatur in vno nisi soluatur in vtroque relatiuorum, erit infidelis absolutus à matrimonio: solutus autem contrahere potest: ergo infidelis sic dimissus potest contrahere.

6 Item, Iniustum est si debeat aliquis ex iure alieno & non debeatur ex eodem: ergo nullum ius matrimonij obligat infidelem ad debitum, ita quòd non debeatur ei ex eodem: sed non debetur ei, vt dicitur in litera: ergo nec ipse debet aliquid, vt videtur: ergo licet ei contrahere sicut fideli.

7 Item, Ponamus, quòd conuertatur: tunc enim merito fidei non debet priuari libertate contrahendi: esto ergo, quod alter iam contraxit cum alia: ergo & ista post conuersa cum alio potest contrahere.

8 Item, Pœnitentia restituit in integrum, sicut supra habitum est: ergo restituit etiam libertatem contrahendi: & inde vt prius.

9 Item, Si non liceret post conuersis contrahere, multi retraherentur à fide: ergo videtur, quòd non debuit institui ab Ecclesia, quòd posteà non liceat eis contrahere.

IN CONTRARIVM autem huius est, quod dicit Apostolus 1.Corinth.7. Si infidelis discedit, discedat: non enim est seruituti subiectus in huiusmodi frater. Et non dicit, quòd infidelis non sit seruituti subiectus: ergo innuit infidelem adhuc seruitute matrimonij teneri. *Sed contra.*

2 Item, Nullum matrimonium non ratum sufficientem habet stabilitatem: sed matrimonia infidelium sunt non rata: ergo, &c. ergo dissolui possunt.

RESPONSIO. Dicendum, quod ea quæ dicuntur in litera, iuris habet firmitatem. *Solutio.*

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd matrimonium infidelium non est vsquequaque legitimum, eo quòd non est omnino inter legitimas personas: & ideo aliquo casu interueniente potest dissolui.

AD ALIVD dicendum, quòd non est perfectum causando & significando nisi potentia, sicut supra dictum est: fides autem Christi est à qua trahit firmitatem.

AD ALIVD dicendum, quòd licet

vinculum sit vnius seruitutis, non tamen fundatur supra fidem Christi: & ideo à fide nec contrahit robur, nec debilitatem à contrario: sed matrimonium inquantum est sacramentum, supra fidem Christi fundatur, & illa deficiente ratitudinem perfectam non habet.

AD ALIVD dicendum, quòd baptismus non dissoluit coniugium, sed confirmat, dummodo sit persona legitima: vnde quod soluit, hoc est ex defectu personæ siue materiæ.

AD ID quod vlterius obiicitur, dicendum quòd infidelis contrahere non potest de iure: quia in pœnam infidelitatis manet sub seruitute. Et ad argumentum contra, dicendum quod vinculum non manet: sed in pœnam infligitur ei id quod suum ius amittit in libertate contrahendi. Et per hoc patet solutio etiam ad sequens: quia quilibet ex peccato potest ius suum amittere, & exlex fieri.

AD ALIVD dicendum, quòd si conuertatur, adhuc in pœnam obstinationis ligatur pœna non contrahendi. Credo tamen, quòd Ecclesia cum tali in fauorem aliorum potest & debet dispensare.

AD ALIVD dicendum, quòd pœnitentia restituit quoad immunitatem culpæ, sed non quoad immunitatem omnis pœnæ.

Quod legitimum sit coniugium infidelium sed non ratum & quare.

1 COPVLA ergo maritalis quæ est inter infideles, coniugium est legitimum, sed non ratum. Legitimum, quia est inter legitimas personas: sed non ratum, quia sine fide. Coniugium vero fidelium est legitimum & ratum, si tamen legitimæ sunt personæ. Quod autem legitima sit infidelium coniunctio, Augustinus testatur dicens: Vxor legitima societate coniuncta, sine vlla culpa relinquitur, si cum viro Christiano permanere noluerit. Ex hoc etiam probatur, quod infideli ad fidem conuerso Apostolus consuluit infidelem non dimittere: quod non faceret, si non esset inter eos legitimum coniugium. Legitimum est, quod legali institutione vel prouinciæ moribus non contra iussionem Domini contrahitur.

Lib. de fide & operibus. & habetur 28. q. 1. cap. Vxor legitima. 1. Cor. 7.

ARTICVLVS X.

An inter infideles sit verum matrimonium?

DEinde quæritur de hoc quod dicit [Copula igitur maritalis, &c.] Videtur enim, quòd non sit verũ coniugium: quia nulla superædificatio est sine fundamento: sed matrimonium est superædificatio quædam: ergo non est sine fundamento: sed illud est fides: ergo sine fide Christi nullum est matrimonium verum.

2 Item, Maioris spiritualitatis & efficaciæ sunt alia sacramenta, quam matrimonium: & illa non possunt esse sine fide & baptismo: ergo nec istud.

Sed contra.

IN CONTRARIVM huius est, quòd si non esset verum matrimonium inter infideles, omni actu concubitus fornicarij essent: & hoc graue esset dicere.

RESPONSIO. Dicendum, quòd verum est matrimonium, sed non habens vltimam firmitatem: quia habet dispositionem contrariam in materia. Solutio.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd dicitur verum ab honestate contractus, sed firmum à fundamento: vnde fides non fundat coniugij veritatem, sed immobilitatem.

AD ALIVD dicendum, quòd est potius causa quare possit esse sine fide, quam quòd semper exigat ipsam quoad suam veritatem: quia inquantum humanum officium est, & non spirituale tantum, effici potest contractu, & obtinet veritatem ab humano consensu.

DISTIN

DISTINCTIO XL.

De cognatione carnali & spirituali, & prius de carnali.

NVNC superest de cognatione aliquid dicere. Est autem cognatio alia carnalis, alia spiritualis. Primum de carnali cognatione & affinitate inspiciamus. Cognati ergo vel affines in septimo gradu, vel infra, copulari non debent. Vnde Greg. Progeniem suam vnumquenque vsque ad septimam obseruare decernimus generationem: & quandiu se agnoscunt affinitate propinquos vel cognatos, ad coniugalem copulam accedere denegamus: quod si fecerint, separentur. Item Nicolaus pa. De consanguinitate sua nullus vxorem ducat vsque post generationem septimam, vel quousque parentela cognosci potest. Item, Nulli ex propinquitate sui sanguinis vsque ad septimum gradum vxores ducant. His auctoritatibus aliisque pluribus consanguineorum coniunctiones prohibentur vsque ad septimum gradum.

A *De impedimentis quæ faciunt omnino illegitimum ad contrahendum matrimonium cũ quodam, & cũ quodam nõ, quod venit ex propinquitate carnali, quæ est consanguinitas.* Gregor. epist. Galliæ. 35. q. 3. cap. Progeniem suam. Ibidẽ. c. De consanguinitate. Ex con. Lugdu. ibidem c. Nulli.

DIVISIO TEXTVS.

NVNC superest de cognatione, &c.] quæritur de impedimento proueniente ex vicinitate cognationis: & ideo hic primò agit de cognatione carnali. Secundo de affinitate, scilicet dist. 41. Et tertio de cognatione spirituali, scilicet dist. 42. Quarto de cognatione legali *ibi* [Quod autẽ spirituales vel adoptiui filij] Adhuc ista distinctio diuiditur in tres partes. Primo quæritur, In quot gradibus licet alicui coniungi matrimonialiter? Secundo reddit causam quare in tot *ibi* [Quare verò sex gradus computet Isidorus] Tertio obiicit quædam & soluit *ibi* [His autem occurrit] In prima sunt duo capitula. In primo ostenditur in quot gradibus attenditur matrimonialis copula. In secundo ostendit duplicem modum Isidori scilicet, & aliorum, qualiter illi gradus sunt computandi *ibi* [Quomodo autem gradus consanguinitatis.

ARTICVLVS I.

Quid sit consanguinitas?

CIrca principium horum capitulorũ quinque quæruntur. Primum est, Quid sit consanguinitas? Secundum, Vnde dicatur? Tertium, Quid sit linea? Quartum, Quæ sit lineæ diuisio? Quintum, Quid sit gradus computationis in linea? Alia autem huius quæstionis infra suis locis quærentur.

Ad primum ponatur diffinitio Iurisperitorum hæc: Cognatio carnalis est vinculum personarum ab eodem stipite descendentium carnali propagatione contractum. Obiicitur autem contra hoc: quia secundum hoc omnes homines viderentur esse consanguinei: quia omnes homines ab vno stipite descenderunt, scilicet ab Adam & Eua, & sibiinuicem iuncti sunt, & per carnalem propagationem ab Adam & eua seminati: ergo videtur, quòd omnes homines sint consanguinei.

2 Item, Originale peccatum est vinculum personarum, &c. ergo originale peccatum est cognatio carnalis.

3 Item, Sicut multorum collectio descendentium ab vno, facit genus vnum, sicut vult Porphirius: ita etiam facit cognationem carnalem: ergo cognatio carnalis magis est collectio multorum, quam vinculum.

4 Item, Constat, quòd vinculum æqniuocum est ad corporale vinculum, & ad spirituale: ergo non debet ante distinctionem in diffinitione poni.

5 Item, Sicut infra dicitur ab Isidoro, consanguinitas se dirimit paulatim, ita quod propinquitas esse definit: sed descensus ab eodem stipite nunquam se dirimit nec finitur: ergo videtur, quòd diffinitio sit insufficiens, quia non ponitur ibi finita consanguinitas.

6 Item, Cum dicitur, Carnali propagatione, &c. aut intelligitur de propagatione actiua, aut passiua, aut vtraque. Si primo modo: tunc pater erit consanguineus filij, & non è conuerso. Si secundo modo: tunc dictione

semel posita in definitione oportet vti æquiuoce: & hoc est contra artem secundum Auctores.

Solutio. Responsio. Dicendum, quòd dicta diffinitio est conueniens de consanguinitate, de qua hic agitur. Quia de ea hîc agitur prout generat impedimentum matrimonij: & ponitur ibi vinculum vt genus. Personarum autem ponitur vt materia. Differentia autem contrahens materiam, est ab eodem stipite descendentium: sed per hoc quod dicitur, Carnali propagatione contractum, ponitur efficiens proprium. Et sic realis est ista diffinitio tangens tres causas consanguinitatis, formalem, efficientem, & materialem. Finalis autem quæ est nexus amicitiæ, est extra essentiam ipsius, & ideo non ponitur in diffinitione.

Ad primvm ergo dicendum, quòd omnes qui sunt in linea ascendentium & descendentium directè, consanguinei dicuntur secundum hanc diffinitionem: sed in linea transuersali licet quilibet referatur ad stipitem, tamen propter variationem lineæ, variatur etiam eius stipes proximus: & ideo consanguinei non dicuntur hic vltra quartum gradum: sed ibi variatur.

Ad alivd dicendum, quòd originale paccatum non est vnum existens diuersatum personarum vinculum, sed tantum vnum specie existens: sed cognatio carnalis est vna relatio in toto genere vno. Præterea originale peccatum per accidens, scilicet ex natura corrupta sequitur propagationem: sed consanguinitas est effectus propagationis per se per ipsam carnem propagatam.

Ad alivd dicendum, quòd collectio ad vnum non dicit nisi habitudinem inferiorum ad superiorem: sed consanguinitas æqualiter est in habitudine inferioris ad superiorem, & inferiorum ad seinuicem: & ideo melius diffinitur per vinculum, quam per collectionem.

Ad alivd dicendum, quòd licet vinculum sit æquiuocum, tamen determinatur per sequens adiunctum, sicut si dicitur carnis latrabilis; & ideo non generat confusum intellectum in diffinitione.

Ad alivd dicendum, quòd se consanguinitas dirimit: sed hoc non est ex consanguinitate, sed ex gradus distantia, vt infra dicetur: & ideo direptio ipsa potius ponenda est in determinatione numeri graduum, quam consanguinitatis. Quod autem direptio non sit essentialis consanguinitati, patet: quia si esset essentialis, tunc in omni linea dirimeretur: & hoc non est verum, quia in linea ascendentium & descendentium nunquam dirimitur: & huius causa infra dicetur.

Ad alivd dicendum quo carnalis propagatio actiua hîc sumitur: sed non sequitur quod infertur; quia consanguinitas non est essentia actionis, sed potius effectus qui consequitur tam in propagante, quam in propagato, & aliis propagatis ex habitudine substantiæ à qua fit decisio ad ea quæ deciduntur.

ARTICVLVS II.

Vnde dicitur consanguinitas?

Secundo quæritur, Vnde consanguinitas dicatur? Et dicitur communiter, quod ex compositione vocabuli dicitur, quasi societas sanguinis propter propagationem ex vno. Videtur autem, quòd hoc nihil sit, cuius vna ratio est; quia generatio siue propagatio non fit ex sanguine, vt dicunt Physici, sed potius ex superfluo quartæ digestionis: ergo nec propter sanguinem potest dici consanguinitas.

2 Item Genes. 29. dixit Laban de Iacob: Os meũ & caro mea es. Et fratres Ioseph de Ioseph: Caro enim & frater noster est. Ergo potius debet dici concarnalitas, quam consanguinitas.

Responsio. Dicendum, quòd optimè dicitur consanguinitas: quia propinquissimum potentiæ vltimæ ad corpus & ad naturam hominis, est sanguis. Solutio.

Ad primvm ergo dicendum, quòd illud materialiter & per dispositiones vicinas est sanguis benè depuratus, sed per digestionem ampliorem albescit, & per immixtionem spiritus efficitur ampullosum, & apparet magis album.

Ad alivd dicendum, quòd de carne non fit generatio: sed ponitur ibi caro & os pro materia habente in se virtutem formatiuam carnis & ossis: hanc enim filij vnius patris accipiunt ab vno.

ARTICVLVS III.

Quid sit linea consanguinitatis?

Tertio quæritur, Quid sit linea? Et dicitur communiter, quòd linea est ordinata collectio personarum consanguinitate coniunctarum, ab eodem stipite descendentium, diuersos gradus continens. Obiicitur autem de hoc quod dicitur, Ordinata collectio: quia hoc oportet intelligi de vno ordine: & hoc non conuenit, quia tres ordines sunt in linea.

2 Item, Linea est etiam inter personas non consanguineas, sicut affines, & adoptatas, & spirituali vinculo coniunctas: ergo malè dicitur, Consanguinitate coniunctarum.

3 Item male dici videtur, Ab eodem stipite descendentium: quia illi qui sunt in transuersalibus secundum quod in transuersalibus, sunt in linea non relata ad stipitem: ergo non semper ibi attenditur descensus à stipite vno.

4 Item, Cum omnis linea sit infra duos terminos tantum, videntur esse diuersi duo gradus tantum: & hoc iterùm falsum est.

Responsio. Dicendum, quòd non est magna vis in istis, dummodo virtus iuris circa lineas attendatur. Dicendum tamen ad primum, quòd linea satis communiter est diffinita; Solutio.

diffinita: & hoc quod dicitur, Ordinata collectio, est genus secundum quod hic sumitur linea. Materia autem siue subiectum formæ generis tangitur per hoc quod dicitur, Personarum consanguinitate, &c. Efficiens autem tangitur per hoc quod dicitur, Ab eodem stipite descendentium: qui sicut in mathematicis secundum Alpharabium in commento super geometriam Euclidis, motus puncti facit lineam: ita motus & quædam quasi multiplicatio stipitis hîc facit lineam, de qua hîc agitur: hoc autem quod dicitur, Diuersos gradus continens, est vltima differentia complens esse lineæ ciuiliter sumptæ.

Ad primvm autem quod contra obiicitur, dicendum quòd ordo sumitur hîc pro generali habitudine ad vnum, hoc est, ad stipitem: & illa habitudo saluatur in omnibus lineis: nec oportet in diffinitione generis descendere in differentias speciei: quia illæ sunt posterius quam genus, & non diffiniunt ipsum.

Ad alivd dicendum, quòd linea consanguinitatis diffinitur hîc, & non linea in genere, nisi sumatur genus proximum, scilicet consangninitatis.

Ad alivd dicendum, quòd nulla esset linea transuersalis, nisi esset descensus ab vno stipite: quia ille qui est in linea transuersali in parte vna, nullo modo respiceret eum qui est in linea alia, nisi mediante stipite à quo ambo descendunt: vnde falsum supponitur in obiectione.

Ad alivd dicendum, quòd linea ista est sicut signata linea in geometria quæ diuisa est in partes: & ideo potest continere diuersos gradus.

ARTICVLVS IV.

Quæ sit lineæ diuisio?

QVarto quæritur, Quæ sit lineæ diuisio? Et dicitur communiter, quòd diuiditur in tres, scilicet descendentium, ascendentium & transuersalium. Et ascendentium est sicut pater mater, auus aua, atauus atauia, abauus abauia, subauus subauia, &c. Descendentium autem sicut pater mater, filius filia, nepos neptis, abnepos abneptis, subnepos subneptis, trinepos trineptis. Transuersalium autem sicut pater mater, frater soror, filius fratris, filia sororis, qui patrueles & consobrini dicuntur: nepotes fratrum vel sororum fratruelium vel consobrinorum abnepotes, & eorum trinepotes, & sic de aliis. Videtur autem insufficiens hæc lineæ diuisio: quia sicut est habitudo transuersalis ad stipitem, ita est habitudo eiusdem ad se descendentem: ergo duæ lineæ sunt in transuersali, scilicet vna transuersalis, & alia descendens.

2 Item videtur esse quædam lateralis recta: sicut est habitudo in arbore filiorum duorum fratrum, illi enim directè se respiciunt: ergo debuit mentio fieri de illa linea.

3 Item videtur, quòd sit diuisio abundans; transferentes enim (vt dicit Philosophus) secundum aliquam similitudinem se transferunt: sed in mathematicis vbi sunt propriè sumptæ lineæ non sunt nisi duæ species linearum, scilicet simplex quæ est recta, & composita quæ est curua, eò quod simplex est simplicis formæ, curua autem aliam habet formam in concauo, & aliam in conuexo: ergo ius transferens lineas, deberet duas ponere ad similitudinem aliarum, & non tres.

Responsio, quòd hæc diuisio secundum quòd ad propositum spectat, est bona. *Solutio.*

Ad id ergo quod contra obiicitur, dicendum quòd linea omnis referenda est ad terminum suum, & ille est stipes in parte vna: & sine respectu ad ipsum non reperitur habitudo aliqua inter personas: & ideo nulla est descendentium in latere: quia oportet dirigi ad stipitem, & tunc erit transuersalis. Et per idem pater solutio ad sequens.

Ad vltimvm dicendum, quòd in arbore consanguinitatis non potest esse linea curua: aut enim esset regulariter curua, aut irregulariter curua. Si primo modo, sic non potest esse nisi circulatis, & sic rediret matrimonium à ramis ad stipitem: & hoc non potest esse, quia succus descendit in ramos à stipite, & non è conuerso. Si autem irregulariter, tunc nec subiacet arti in mathematicis, nec hic: quia irregulare non obedit arti. Et sic patet, quòd non potest fieri translatio nisi à lineis rectis relatis ad vnum: & hoc non potest esse nisi in ascendendo, vel in descendendo, vel lateraliter, non quidem ad rectum angulum, quia filius & filia non æque altè stant parentibus, sed ad medietatem anguli recti, sicut pater in arbore consanguinitatis.

ARTICVLVS V.

Quid sit gradus?

QVinto quæritur, Quid sit gradus, secundum quod computatur in linea? Et dicunt, quòd gradus est habitudo distantium personarum, qua cognoscitur quanta cognationis distantia personæ inter se differant. Videtur autem inconueniens esse diffinitio: quia gradus sonat habitudinem inferioritatis & superioritatis distantium personarum. &c. ergo malè diffinitur per simplicem habitudinem personarum distantium, &c.

2 Item, Ex gradu inquantum gradus, non cognoscitur quanta sit distantia. &c. sed potius ex gradu inquantum est aliquotus, vel secundus, vel tertius: ergo male attribuitur hoc gradui in genere.

3 Item, In gradibus materialibus de ligno vel lapide non cognoscitur quanta sit distantia ab inferiori vel superiori loco, nisi sciatur quotus sit gradus ab inferiori vel superiori: ergo nec in gradibus istis scitur distantia ex gradu inquantum est gradus, sed potius scitur ex eo inquantum est aliquotus.

4 Item, Non idem est cognitum & principium cognitionis, vt dicit Philosophus: sed gradus est cognitum in his, quærentes enim de consanguinitate oportet gradum cogno-

ſcere qui eſt inter perſonas: ergo gradus non eſt principium cognitionis: ergo malè attribuitur ei eſſe principium huiuſmodi cognitionis ex modo loquendi, cum dicitur, Qua cognoſcitur.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd ſatis conuenienter gradus hic diffinitur: eſt enim habitudo generalis forma, cuius proprium ſubiectum & materia ſunt perſonæ diſtantes: ſed proprius actus eſt differentia qua cognoſcitur, &c. & cognitum exprimitur per hoc quod dicitur, Quanta cognationis ſit diſtantia, &c.

VNDE dicendum ad primum, quòd gradus in genere non ſonat inferioritatem vel ſuperioritatem, ſed abſtrahit ab vtroque, & ita diffinitur hîc: & per hoc patet, quòd eſt gradus inferior & gradus ſupetior: & hæc diuiſio eſt in ſpecies gradus: & ideo gradus in genere vt abſtrahens ab vtroque, eſt ante vtrumque: tamen ſtatus vel ſitus ſuperioritatis & inferioritatis importatur in genere per modum diſtantiæ perſonarum.

AD ALIVD dicendum, quòd ex gradu inquantum gradus, cognoſcitur habitudo in genere, ſed habitudo in ſpecie cognoſcitur ex gradu in ſpecie determinato: & quia cognitio in genere, eſt cognitio imperfecta, ideò non ſtatur in illa, ſed quæritur de ſpecie: tamen quando diffinitur gradus in genere, non debet diffiniri niſi per cognitionem quam facit in genere.

AD ALIVD dicendum, quòd idem eſt in gradibus materialibus: ſed quia non ſtatur ibi, ideo proceſſus videtur eſſe ad ſpeciem.

AD ALIVD dicendum, quòd gradus vt gradus nunquam eſt quæſitum, nec cognitum, vt quod erat ante quæſitum aut dubitatum: ſed potius an ſit conſanguinitas, vel non, illud quæritur, & inuenitur ex gradu. Vnde quòd gradus quæritur, hoc non eſt niſi inquantum eſt principium concludendi conſanguinitatem, ſicut etiam in ſyllogiſmis & theorematibus vnum concluditur per accidens, vt poſtea per illud concludatur concluſio intenta; non enim ſemper proceditur ex per ſe notis, ſed etiam ex illis quæ per prima & vera acceperunt fidem.

De computatione graduum conſanguinitatis.

B QVOMODO autem gradus conſanguinitatis computandi ſint, Iſidor. oſtendit ſic: Series conſanguinitatis ſex gradibus dirimitur hoc modo: Filius & filia, quod eſt frater & ſoror, ſit ipſe truncus. Illis ſeorſum ſeiunctis, ex radice illius trunci egrediuntur iſti ramunculi, nepos & neptis, primus: pronepos & proneptis, ſecundus: abnepos & abneptis, tertius: adnepos & adneptis, quartus: trinepos & trineptis, quintus: trinepotis nepos & trinepotis neptis, ſextus. Attende, quòd ſex gradus tantum ponit Iſidor. quia truncum inter gradus non computat. Alij verò qui ſeptem gradus ponunt, truncum inter gradus computant. Variè namque computantur gradus conſanguinitatis. Alij enim patrem in primo gradu, filios in ſecundo ponunt. Alij primum gradum filios appellant, negantes gradum cognationis inter patrem & filium eſſe, cum vna caro ſint pater & filius. Auctoritates ergo quæ conſanguinitatis cautelam vſque in ſeptimum gradum prohibent, patrem ponunt in primo gradu. Illi vero qui vſque ad ſextum gradum prohibent, primum gradum filios appellant. Atque ita fit vt eædem perſonæ ſecundum hanc diuerſitatem inueniantur in ſexto & ſeptimo gradu. Patrem verò in primo gradu ponit, qui fratres dicit eſſe ſecundum gradum. Hoc modo computat Zacharias Papa, inquiens, Parentelæ gradus taliter computamus. Ego & frater meus vna generatio ſumus, primumque gradum efficimus. Rurſus, filius meus & fratris mei filius ſecunda generatio ſunt, & ſecundum gradum faciunt: atque ad hunc modum cæteræ ſucceſſiones. Inter illos verò qui ſex computant gradus, & illos qui ſeptem computant gradus, nulla in ſenſu exiſtit diuerſitas, quamuis in numero graduum varietas videatur. Vltima enim generatio, ſi à fratribus ſumat initium numerandi, ſeptima inuenitur.

Lib. 9. etym. c. 3. & habetur 35. q. 5. c. Series.

Ibidem. c. Parentelæ.

ARTIC V

ARTICVLVS VI.

An sunt tres modi computandi gradus, & quis sit potior inter illos?

DEinde quæritur de hoc quod dicit [Quomodo autem gradus consanguinitatis computandi sint, &c.] Sunt enim hîc tres modi computandi: & quæremus, Quis rationabilior sit modus? & de consonantia & contrarietate inter illos. Et duo quidem modi graduum sunt secundum canones, quorum vterque dicitur in litera. Zacharias enim Papa sic computat dicens, Parentelæ gradus taliter computamus: Ego & frater meus vna generatio sumus, primumque gradum efficimus. Rursus, filius meus & fratris mei filius, secunda generatio sunt, & secundum gradum efficiunt, &c. Et hæc via celebrior habetur. Isidor. autem sic: Filius & filia, quod est frater & soror, sit ipse truncus. Illis seorsum seiunctis, ex radice istius trunci egrediuntur isti ramusculi, Nepos & neptis, primus. Pronepos & proneptis, secundus, & sic de aliis. Secundum leges autem computatur sic: Pater & mater truncus, frater & soror, primus gradus. Et secundus, filius fratris & filia sororis, quæ sunt nepos & neptis. Tertius gradus & quartus, pronepos & proneptis. Et quintus gradus & sextus, abnepos & abneptis. Septimus gradus & octauus, subnepos & subneptis. Nonus gradus & decimus: & sic de aliis. Ex his facile est videre, quòd illa persona quæ secundum primam computationem est in quinto, id est, extra gradum prohibitum hodie, secundum secundam est in quarto, id est, intra gradum prohibitum hodie & secundum leges in decimo in parte vna, & in nono in parte alia. Ergo videtur esse maxima contrarietas inter ista iura, quæ sic loquuntur.

Obiicitur autem contra primum modum computandi & pro vltimo sic: Sicut descensus est generationis in parte vna per filium, ita in parte alia per filiam: sed duplex descensus duplicem exigit gradum: ergo in duobus gradibus sunt nepos per filium, & neptis per filiam: ergo prima opinio quæ dicit, quòd sunt in vno, falsum dicit: & vltima quæ dicit, quod sunt in duobus, dicit verum.

2 Item, In naturis si duo contrariis motibus moueantur à seinuicem, erit necessariò ibi duplex distantia, & duplex gradus, sicut si a moueatur sursum, & b deorsum: sed duplex descensus est vt duplex in natura motus: ergo in generatione filiorum vel filij & filiæ est duplex distantia & duplex gradus: ergo prima computatio est falsa, & secunda & tertia tantum vera.

Obiicitur autem specialiter contra secundam sic: Filius & filia, quæ sunt frater & soror, in nullo sibi intrinseco materiali vel formali vniuntur: ergo non potest poni truncus vnus, sed potius pater & mater qui sunt caro vna: ergo prima est vera, & secunda & tertia est falsa.

2 Item, Omne quod per generationem distat ab aliquo vno, magis habet similitudinem ramusculi & gradus, quam trunci: sed filius & filia, quæ sunt frater & soror, per generationem descenderunt ab vno, sicut ipso nomine importatur, quoniam non est filius nisi patris filius: ergo filius & filia, qui sunt frater & soror, non faciunt truncum vel stipitem, sed gradus: & inde vt prius.

Obiicitur autem pro prima & secunda contra tertiam sic: Diuersitas materialis tantum in nullo facit speciem gradus diuersam; sed generatio per duos, est diuersitas materialis tantum: ergo non facit speciem gradus diuersam: ergo isti in vno gradu distant à trunco, licet materialiter sint duo.

2 Item, In naturis quæ vno modo motus mouentur ab vno, æqualiter distant, & vnum habent gradum distantiæ: sicut a mouetur b, & eodem modo motus ab eodem a mouetur c: sed frater & soror vno modo motus mouentur ab vno trunco: ergo distant vno gradu tantum, & non duobus: ergo prima & secunda opiniones sunt veræ, & tertia falsa.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd omnes istæ opiniones habent aliquid rationis: sed tamen prima rationabilior est: & ideo illi adhæsit Ecclesia. Illa enim considerat, quòd aliam habet habitudinem persona à qua est descensus, & non descendit secundum rationem sui nominis, sicut pater & mater; quia nomina illa dicunt à quibus est alius, & non dicunt, quòd ipsi sint ab alio, licet quandoque secundum rei veritatem sint ab alio. Considerat etiam, quòd aliam habet habitudinem descendens descensu vno, & aliam descendens descensibus pluribus: & secundum hoc locat truncum & gradum primum & secundum & tertium & quartum, vt primus dicatur descensu vno, secundus duobus, tertius tribus, & quartus quatuor: & in illo finitur consanguinitas hodie. Secunda autem considerat, quòd truncus oritur à quodam alio quod est radix, & ideo locat truncum fratrem & sororem super vnam radicem patris & matris: & non est diuersitas, nisi in ratione, sicut dicitur in litera, inter primam opinionem & secundam. Tertia vero considerat illas duas rationes, quæ positæ sunt pro ipsa, & contra primam opinionem & secundam: & has repetere non oportet. Et sic planum est respondere omnibus obiectis: quia vltimo inductæ soluunt duas primas: & id quod obiicitur contra secundam, planè soluitur per ea quæ considerat secunda opinio: quia aliam accipit rationem trunci, quam prima. Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICVLVS VII.

An omnes gradus prohibiti sunt ad contrahendum matrimonium?

DEinde quæritur de hoc quod dicit [Attende, quòd sex gradus computat Isidorus, &c.] Inueniuntur enim hîc tres causæ assignatæ de numero graduum, in quibus licet vel non licet contrahere: secundum enim computationem Isidori, & secundum antiqua iura,

ſextus gradus eſt prohibitus, & ſeptimus conceſſus: & ille aſſignat cauſam, quia ſex ſunt ætates mundi, & ſex ſtatus hominis, ſcilicet infantia, pueritia, adoleſcentia, iuuentus, virilis ætas, ſenectus & ſenium, quæ Iſidor. pro vno accipit, eò quòd tunc ficcari & putrefieri incipiunt corpora, & vſui matrimonij fieri inhabilia. Secundum Zachariæ computationem ſeptimus gradus eſt prohibitus, & octauus conceſſus: & ille aſſignat cauſam, quia ſeptem diebus omne tempus agitur, poſt quod & Eccleſia in corpore & anima ſponſo Chriſto iungetur. Secundum autem noua iura, per quæ omnibus antiquis abrogatur, quartus gradus eſt prohibitus, & quintus conceſſus: & illius Innoc. aſſignat cauſam extra. de conſang. & affin. quia quatuor ſunt elementa, ex quibus componuntur humores quatuor, ex quibus conſtituitur & complexionatur corpus humanum.

Videntur autem iſtæ cauſæ ridiculoſæ, & nihil facere ad propoſitum, eò quod nulla habitudo cauſati ad cauſam eſſe videatur.

2 Item, Quæ eſt cauſa, quòd Innocent. aſſignat potius quatuor elementa, quam Euangelia, vel quatuor angulos cæli, vel quatuor Euangeliſtas, vel quatuor Ezechielis animalia? in omnibus enim his eadem videtur eſſe affinitas ad cauſatum. Vnde dicitur, quòd non ſine verecundia Eccleſiæ Papa illud pro cauſa allegauit, cum à tanto homine non niſi rationabilia fieri debeant.

3 Item, Quid aſſignabimus pro cauſa, quòd ſecundum conſonantiam legum ad canones hodie octauus gradus ſecundum leges eſt prohibitus, & nonus & decimus conceſſi? niſi enim aſſignentur octo homines qui fuerunt in arca Noë, vel octo beatitudines enumeratæ Matth. 5. Similiter in cauſa Iſidori de ſex mundi ætatibus: non enim videntur plus facere ſex mundi ætates, quam ſex hydriæ poſitæ in Cana Galilææ ad purificationem Iudæorum. Similiter ſeptenarius dierum in computatione Zachariæ Papæ non plus videtur valere, quam ſeptem dona, vel ſeptem ſtellæ habentes motum aplanes in cælo. Videtur autem, quòd melius eſſet tales cauſas non aſſignare: quia literati talia legentes, vilipendunt, & ſuper nihil vel modicum iudicant Eccleſiam fundare ſua inſtituta.

RESPONSIO. Dicendum, quòd in veritate in talibus non magna vis eſt: quia non habent vim niſi à poſitione Eccleſiæ: nec Sancti huiuſmodi numerum aſſignant pro cauſa, ſed pro indicio quod tali numero vtitur Scriptura: & ideo habilior eſt ad inſtituendum aliquid in ipſo. Siquis tamen vellet hîc ſubtilizare, tunc pro cauſa aſſignari poſſet prohibitio quarti gradus: quia vſque ad quartum gradum homines multi ſe vident & ſuam ſucceſſionem, & abominabile eſt, quòd ſuam ſucceſſionem videat homo direptam: ſicut etiam Dominus dixit ſecundum expoſitionem Sanctorum Exod. 2. Vindicans peccata patrum in filios vſque in tertiam & quartam generationem. *Solutio.*

AD CAVSAM autem Innocentij dicendum, quòd in qualibet generatione noua fit mixtio ſanguinis cum ſanguine alieno, & inquantum miſcetur alteri, intantum recedit à primo, & abinuicem. Elementa autem ſunt facilè & difficulter miſcibilia: maximè enim ſubtile (vt Philoſophus dicit) eſt bene miſcibile, & hoc eſt ignis, qui alienatur quaſi in mixtura prima, & in ſecunda aër, & in tertia aqua, & in quarta terra: & ita componentia corpus humanum recedunt à præuiis diſpoſitionibus, & per conſequens à conſanguinitate: & hoc patet etiam in ſeminibus, quæ ſeminantur in terra ſibi non naturali: quia in quarta generatione tranſeunt ad aliam ſpeciem omninò: & hoc intendit Papa.

AD HOC autem quod Iſidor. & Zacharias dicunt, dicendum quòd non eſt cauſa, ſed adaptatio, vt dictum eſt.

AD ID autem quod obiicitur de legibus, dicendum quòd idem eſt octauus ſecundum leges, & quartus ſecundum canones: & ideo non oportet in illo aliam aſſignare cauſam. Et per hoc patet ſolutio ad totum.

Quare ſex gradus computantur.

C Lib. 9. etymol. cap. 6. & habetur 25. q. 4. c. Conſanguinitate.

QVARE verò ſex computet Iſidor. ipſe aperit dicens, Conſanguinitas dum ſe paulatim propaginum ordinibus dirimens vſque ad vltimum gradum protraxerit, & propinquitas eſſe deſierit, tunc primum lex in matrimonij vinculum eam recipiet, & quodammodo incipiet reuocare fugientem. Ideo autem vſque ad ſextum generis gradum conſanguinitas conſtituta eſt, vt ſicut ſex ætatibus mundi generatio & hominis ſtatus finitur, ita propinquitas generis tot gradibus terminetur. In his ſex gradibus omnia propinquitatum nomina continentur: vltra quos nec affinitas inueniri, nec ſucceſſio poteſt amplius prorogari. Secundum alios, ſeptem gradus ideo computantur, ita vt poſt ſeptem gradus ſponſus ſponſæ iungatur, ſicut poſt hanc vitam quæ ſeptem diebus agitur, Eccleſia Chriſto iungetur. His autem occurrit illud quod Gregor. Auguſtino Anglorum Epiſcopo,

Episcopo, à quo requisitus fuerat quota generatione debeant copulari, rescribit sic: Quædam lex Romana permittit, vt siue fratris, vel sororis, seu duorum fratrum Germanorum, seu duarum sororum filius & filia misceantur. Sed experimento didicimus ex tali coniugio sobolem non posse succrescere. Vnde necesse est, vt quarta vel quinta generatio fidelium licenter sibi coniungatur. Sed post multum temporis idem Gregorius à Felice Messinæ Siciliæ præside requisitus, vtrum Augustino scripserit, vt Anglorum quarta generatione contracta matrimonia non soluerentur, inter cætera talem reddidit rationem: Quod scripsi Augustino Anglorum Episcopo, ipsi etiam Anglorum genti quæ nuper ad fidem venerat, ne à bono quod cœperat, metuendo austeriora recederet, specialiter & non generaliter me agnoscas scripsisse. Nec ideo hæc eis scripsi, vt postquam in fide fuerint solidati, si infra propriam consanguinitatem inuenti fuerint, non separentur, aut infra affinitatis lineam, id est, vsque ad septimam generationem iungantur.

35.q.3. c. Quædam lex Romana.

Ibidem.

ARTICVLVS VIII.

Vnde habeat Ecclesia audaciam prohibendi a matrimonio secundum istos gradus?

DEinde quæritur de hoc quod dicit [His autem occurrit illud, &c.] Cum enim Dominus non prohibuerit à matrimonio nisi duodecim personas Leuit. 20. quæ omnes vel sunt truncus, vel in primo, vel in secundo gradu: vnde venit tanta audacia Ecclesiæ, quòd super hoc prohibere audeat, quoniam vsque ad octauum exclusiuè vel inclusiuè, & modo vsque ad septimum exclusiuè? cum enim secundum legem Domini illi qui sunt in tertio, sint legitimæ personæ, videtur quòd si contrahunt, quòd Deus coniunxerit eos: ergo prohibetur homini ne separet.

2 Item videtur hoc facere ad pacem & societatem & vitam iucundam: quia duæ rationes dilectionis erunt inter tales, scilicet coniugium, & consanguinitas: ergo potius debet promoueri matrimonium, quam prohiberi.

AD HOC dicendum, quòd Ecclesia fecit hoc Spiritu sancto inspirata, vt amicitia diuturnior esset, & plures essent rationes nectentes homines in amore & pace, quando multi infra consanguinitatem reputarentur. Et sic patet solutio ad primum: Deus enim nunquam coniunxit illos, qui coniunguntur contra Ecclesiam inspiratam. *Solutio.*

AD ALIVD dicendum, quòd hoc erat quando propagatio fidelium erat carnalis, & parua gratia dilectionis erat hominibus ostensa: sed modo dilectio magna Filij Dei ostensa est, & aliena natura à diuina desponsata: & ideo vincula amoris ad eos extenduntur diuersa & lata in consanguinitate. Et sic patet solutio ad totum.

DISTINCTIO XLI.

De gradibus affinitatis.

NVNC de affinitate videndum est, de qua Gregor. ait: Porro de affinitate, quam dicitis parentelam esse, quæ ad virum ex parte vxoris, seu quæ ex parte viri ad vxorem pertinet, manifesta ratio est: quia si secundum diuinam sententiam ego & vxor mea sumus vna caro, profectò mihi & illi mea suaque parentela propinquitas vna efficitur. Quocirca ego & soror vxoris meæ in vno & primo gradu erimus: filius verò eius secundo gradu erit à me, neptis vero in tertio. Idque vtrinque

A *De impedimento matrimonij quod venit ex propinquitate carnali, qua est affinitas.*

25.q.5. c. Porro

De affinitate.

vtrinque in cæteris agendum est in successionibus. Vxorem verò propinqui cuiuscunque gradus sit, ita me oportet attendere, quemadmodum ipsius quoque gradus aliqua fœmina propriæ propinquitatis sit. Quod nimirum vxori meæ de propinquitate viri sui in cunctis cognationis gradibus conuenit obseruare. Qui verò aliorsum sentiunt, Antichristi sunt. Item Iulius Papa, Æqualiter vir coniugatur consanguineis propriis, & consanguineis vxoris. Item Isidorus, Sanè consanguinitas quæ in proprio viro conseruanda est, etiam in vxoris parentela de lege nuptiarum custodienda est: quia constat eos duos fuisse in carne vna. Ideoque communis est illis vtraque parentela. Item Iulius Papa, Nullum in vtroque sexu permittimus ex propinquitate sui sanguinis vel vxoris, vsque in septimum generationis gradum, vxorem ducere, vel incesti macula copulari: quia sicut non licet cuiquam Christiano de sua consanguinitate, sic nec de consanguinitate vxoris coniugem ducere propter carnis vnitatem. Item Gregor. De affinitate consanguinitatis per gradus cognationis placuit vsque ad septimam generationem obseruare. Nam & hæreditas rerum per legales instrumentorum diffinitiones sancita, vsque ad septimum gradum hæredum protendit successionem. Non enim eis succederent, nisi de propagine cognationis deberetur. His auctoritatibus insinuarur, & quæ sit affinitas, & vsque ad quem gradum sit obseruanda, scilicet vsque ad septimum.

35. q. 5. Æqualiter.

Ibidem. c. Sanè consanguinitas.

Ibidem. c Nullum.

In cõcil. Melden. ibidem. cap. De affinitate.

DIVISIO TEXTVS.

NVnc de affinitate videndum est, &c.] Hîc agit de affinitate, & quatuor tangit in ista distinctione. Primo enim docet gradus affinitatis. Secundo quærit, Vtrum matrimonium verum fuerit inter eos qui propter consanguinitatem & affinitatem separantur? Et quæritur etiam, A quibus accusantibus fiat separatio, & quot *ibi* [Et est sciendum, quòd Ecclesia] In tertio per accidens inducit de fornicatione & speciebus eius *ibi* [Hic dicendum est, quòd aliud est fornicatio] Quarto tangit nomina propria quarundam affinitatum *ibi* [Addendum est etiam illud, &c.] Circa primum duo inducit capitula, quorum primum inducit ius antiquum de gradibus affinitatis. In secundo autem inducit quædam quæ videntur illis contraria, & soluit *ibi* [Sed alij videntur concedere.

ARTICVLVS I.

An affinitas sit?

INcidunt autem hîc tria quærenda. Primum est, An sit affinitas? Secundum, Quid sit? Tertium, Quot sint genera affinitatis?

Ad primum autem sic obiicitur: Quæ fuerunt vnum, postquam separata sunt abinuicem, non sequitur si aliquid vniatur vni, quòd vniatur & alteri: sed consanguinei separati sunt abinuicem ex vno: sed si aliqua persona vnitur vni, non propter hoc vnitur alteri: sed ad hoc quod sit affinitas, oportet esse talem vnionem: ergo videtur, quòd non sit affinitas.

2 Item, Nullus vnitur alicui, quod non reuniatar illi vice versa: sed nullus de consanguinitate vnitur mulieri additæ nisi maritus eius: ergo ipsa non reunitur alicui eorum nisi illi: ergo nulla affinitas contrahitur ad aliquem, vt videtur, nisi ad illum.

3 Item, Si vnio sanguinis, vt dicitur in litera, est causa consanguinitatis, videtur quòd vbi est maxima vnio personæ additæ, ibi maxima sit affinitas: sed inter maritum & mulierem additam maxima est vnio: ergo inter eos maxima est affinitas: sed non est affinitas inter illos: ergo à destructione consequentis nec inter alios & ipsam.

4 Item, Propter quod vnumquodque tale & illud magis, vt dicit Philosophus: sed propter istum qui est maritus additæ mulieris, est affinitas inter eum & omnes alios consanguineos: ergo inter istum & illam est affinitas multo magis: sed non est inter istum & illam: ergo nec inter alios.

4 Item, Constat, quòd si affinitas aliquid est, relatio quædam est: sed relationes innascũtur ex mutatione aliqua, vt dicit Philosophus: ergo vbi non est mutatio, per locum à causa, ibi non est relatio: sed in tota affinitate præterque in viro nulla est mutatio: ergo nulla est affinitas nisi in illo, si est affinitas: sed in illo non est affinitas: ergo nec in aliquo alio, vt videtur.

REBPON

Solutio. RESPONSIO. dicendum, quòd affinitas est, & quid sit, patebit in sequenti articulo quæstionis.

AD PRIMVM autem dicendum, quòd est vnitas absoluta, & vnitas relationis. De vnitate absoluta verum est quod obiicitur, sed de vnitate relationis falsum, sicut patebit in exemplis: quia ego & soror mea sumus diuisi ab vno:& ideo filius sororis meæ adhuc respectu sanguinis ad me tenebit:& idem est de affinitate.

AD ALIVD dicendum, quòd vnione relationis omnes consanguinei vniuntur personæ additæ, & ipsa reunitur omnibus:& obiectio non procedit nisi de vnione carnis in coitu.

AD ALIVD dicendum, quòd non sequitur, nisi vnio esset causa affinitatis per se: & hoc non est verum, quia relatio non habet causam per se, sed innascitur per accidens, sicut etiam filiatio innascitur genito ex hoc quòd ille est generans & alter est genitus. Et est instantia:quia dealbans est causa dealbationis, & similitudo sibi non innascitur necessariò, sed potius ad alia alba.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc non est verum, nisi in causis per se participantibus illud quod causant in aliis, sicut si ignis est causa caliditatis per se, erit ignis maxime calidus: alias consueuit fieri instantia in ebrietate & vino, quia propter vnum est quis ebrius, & tamen vinum non est magis ebrium.

AD ALIVD dicendum, quòd affinitas est relatio: sed non oportet, quòd relationes innascãtur semper ex mutatione vtriusque relatiui:sed sufficit mutatio alterius, sicut ex natiuitate passiua ex patre meo natus efficitur mihi frater,nulla mutatione in me facta,ita est hic:mutatio enim fit in persona addita, & hæc sufficit ad hoc quòd relatio affinitatis in tota innascatur consanguinitate.

ARTICVLVS II.

An definitio affinitatis sit benè assignata?

SEcundo quæritur, Quid sit affinitas?Et dicitur communiter, quòd affinitas est propinquitas personarum ex copula carnali proueniens, omni carens parentela. Sed contra obiicitur:Nulla est maior propinquitas, quam vnio carnis ad carnem, sicut est inter virum & vxorem: & ista non potest dici affinitas: ergo nec aliqua alia.

2 Item, Carnalis copula non interuenit nisi inter duos:ergo nec affinitas.

3 Item, Carnalis copula est modo fornicario sicut legitimo:ergo affinitas ex illo contrahitur:& hoc videtur esse inconueniens,cum affinitas sit de rebus honestis pertinentibus ad vrbanitates, fornicatio autem de rebus detestandis.

4 Item,Ponamus aliquem claustra pudoris alicuius mulieris inuasisse & aperuisse,sed non peruenisse vsque ad operis perfectionem:constat, quòd ibi fuerit caro vnita per contactum alteri carni:ergo affinitas contracta esset secundum hoc: ergo nullus de sua consanguinitate posteà habere eam posset vxorem, quæ sic fornicario concubitu esset attentata: & hoc non dicunt illi qui sciunt iura.

5 Item, Ponamus, quòd per sodomiam eam polluerit manu vel proprio instrumento: constat, quòd ibi fuit turpis copula carnalis: ergo affinitas esset contracta ad suos consanguineos:& hoc iterum iura non admittunt.

6 Vlterius obiicitur de hoc quod dicit, Omni carens parentela. Videtur enim hoc esse falsum: sit enim aliquis meus frater ex patre solo, & aliqua mea soror ex matre sua sola: constat, quòd ille meus frater potest legitimè iungi illi meæ sorori:& illa soror mea erit mihi consanguinea & affinis:non ergo necessarium est, quòd affinitas careat omni parentela.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd affinitas conuenienter diffinita est: propinquitas enim est genus & personarum subiectum proprium. Causa autem est carnalis copula. Et differentia distinguens à consanguinitate, intelligitur per hoc quod additur, Omni carens parentela: illi enim priuationi præintelligitur affirmatio, quæ est in persona addita consanguinitati:quia addi non potest consanguinitati, nisi non consanguinea.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd affinitas est propinquitas in genere relationis, vt dictum est:& non sequitur, si vnio carnis facit eam in aliis,quod faciat eam in carnaliter vnitis, vt prius patuit, sed ibi facit aliam relationem quæ est indiuiduitas viri & mulieris.

AD ALIVD dicendum, quòd non sequitur, nisi esset causa per se & essentialis, vt prius dictum est.

AD ALIVD dicendum, quòd fornicario coucubitu bene contrahitur affinitas sicut in legitimo. Ad id quod contra obiicitur, dicendum quòd duo sunt in concubitu fornicario, scilicet vnio carnis ad carnem: & illa non est turpis, quia est similis illi quæ est in matrimonio. Aliud est actus peruersus & finis malus:& illa non sunt in matrimonio. Dicendum igitur, quòd ex primo fornicarius concubitus facit affinitatem, & non ex secundo:vnde turpe inquantum turpe, potest esse causa honesti, præcipuè causa per accidens, sicut relationes admittunt causam.

AD ALIVD dicendum, quòd talis concubitus non facit affinitatem: quia non fit vnio carnis ad carnem per contactum, sed potius per seminum commixtionem:& ideo nisi talis fiat, non contrahitur affinitas aliqua.

AD ALIVD dicendum, quòd in sodomia quando non vtitur instrumento debito vel non vase proprio, seminum commixtio esse non potest, nec etiam affinitas:nec est ibi vnio carnis ad carnem, vt prius patuit.

AD VLTIMVM dicendum, quòd per se intelligitur illa locutio, scilicet omni carens parentela, secundum quod affinitas, licet in alio respectu possit esse propinquitas sanguinis ad affinem.

ARTICV

ARTICVLVS III.

Quot ſunt genera affinitatis?

TErtio quæritur, Quot ſint genera affinitatis? Videtur enim, quòd plura debeant eſſe quam vnum: quia ſi propter ſanguinis propinquitatem addita perſona mihi efficitur affinis, conſtat quòd meo conſanguineo mortuo manet affinitas in perſona addita: ergo qui vnitur ei, vnitur quodammodo mihi: ergo ſi tunc ducat maritum, ille efficitur affinis mihi: ergo erunt duo genera affinitatis. Eadem obiectione probatur de filio qui naſcitur ex ſecunda copula, quod mihi efficiatur affinis.

2 Item, Sæpè videtur etiam in auibus, quòd diſpoſitio præcedentis copulæ maneat in ſecunda, & quod fœmina facit ouum vnde egreditur pullus priori maſculo ſimilis: & hoc præcipuè experimentatur in columbis: ergo ſic etiam eſt in hominibus: ergo propinquitas videtur tranſire ad ſequentem copulam: ergo maritus affinis meæ & natus ex non conſanguineo videntur ad me habere affinitatem: ergo plura genera videntur eſſe affinitatis.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius eſt, quòd affinitas non cauſatur ex affinitate, ſed ex conſanguinitate: ſed huius ad me nulla eſt conſanguinitas: ergo nulla ad me in tali caſu cauſatur affinitas.

Solutio. QVOD CONCEDENDVM eſt. Et dicendum ad primum, quòd manet ibi affinitas, vt infrà habetur in litera: ſed illa non generat aliam affinitatem, quia non eſt affinitas, niſi ex conſanguinitate quæ hîc non eſt.

AD ALIVD dicendum, quòd tales diſpoſitiones ſunt debiles, & fiunt ex longa infuſione matricis ex ſemine vnius diſpoſitionis, & tunc non cauſant in partu, niſi qualitates aliquas, vt colorem, & non cauſati ſubſtantiam: & ideo in ſubſtantialibus non remanet propinquitas ad primum affinem, licet remaneat ad primum aliqua debilis: & ideo vir mulieris alicuius non poteſt accipere vxorem filiam illius mulieris ex alio viro. Notandum ergo, quòd licet antiquitus tria fuerint affinitatis genera, tamen modo non eſt niſi vnum in perſona addita conſanguinitati per connubium carnale: & ideo illa ſola interdicitur conſanguineis, & non ſoror ſua, vel alia conſanguinea eius, vel filia ex alio marito.

ARTICVLVS V.

Quomodo computantur gradus affinitatis.

DEinde quæritur de hoc quod dicit [Quocirca ego & ſoror meæ vxoris in vno & primo gradu erimus, &c.] Quæritur enim hic de computatione graduum affinitatis: omnis enim propinquitas habens diſtantiam propinquiorem & remotiorem, habet gradus in ſeipſa computandos: ſed affinitas eſt propinquitas huiuſmodi: ergo habet gradus in ſeipſa: ergo non ſunt computandi per gradus conſanguinitatis, vt dicitur in litera, ſed per gradus proprios.

2 Item, Communiter dicitur affinis in primo, & affinis in ſecundo gradu: ergo proprij ſunt aliqui gradus affinitatis.

Quæſt. VLTERIVS quæritur de regula quam dant Iuriſperiti, quòd perſona addita conſanguinitati per quam contrahitur affinitas, mutat genus attinentiæ, non gradum: ſed generata in conſanguinitate mutat gradum, & non genus attinentiæ: vnde verſus.

Mutat nupta genus, ſed generata gradum.

Videtur enim hoc eſſe falſum: quia perſona coniuncta conſanguinitati, cauſat diuerſos gradus affinitatis.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd ſicut affinitas cauſatur ex conſanguinitate, ita gradus affinitatis ex gradibus conſanguinitatis inueniuntur & cauſantur, ſicut dicitur in litera.

AD OBIECTIONEM autem dicendum, quòd gradus proprios habet, ſed aliunde cauſatos: & ideo cum res propriè habet cognoſci ex ſua cauſa, oportet in gradibus affinitatis cognoſcendis recurrere ad gradus conſanguinitatis.

AD ALIVD dicendum, quòd habet gradus, ſed non per ſe cognoſcibiles, vt dictum eſt.

Adquæſt. AD ALIVD dicendum, quòd regula vera eſt & bona: quia perſona addita conſanguinitati, nunquam mutat gradum: ſed ipſo gradu conſanguinei cuius ipſa vxor efficitur, iungitur toti generi: vnde vxor conſanguinei mei, in ſecundo gradu eſt mihi affinis, & ſic de aliis: & meus conſanguineus qui per meam affinem additur generi vxoris ſuæ, iungitur vnicuique de parentela vxoris in eo gradu affinitatis, quo ſibi iungitur vxor illa in gradu ſanguinis. Et per hoc facile patet & veritas regulæ, & intellectus literæ. Obiectio autem non valet: quia non ſic intelligitur, quòd non ferat ſecum diuerſos gradus in diuerſis perſonis, ſed quòd ipſa gradum alium non faciat quam eum in quo eſt ille cui iungitur: ſed mutat genus attinentiæ, quia ipſa eſt affinis mea, cum maritus ſit conſanguineus meus. Sed generata de meo conſanguineo in tertio gradu, efficitur in quarto gradu mihi conſanguinea, & ita generata perſona ex conſanguineo mutat gradum, ſed non genus attinentiæ, quia eſt conſanguinea, ſicut & perſona generans.

ARTICVLVS VI.

An in æqualibus gradibus prohibetur & admittitur affinitas ſicut conſanguinitas?

DEinde quæritur de hoc quod dicit [Nullum in vtroque ſexu permittimus, &c.] Videtur enim hoc eſſe inconueniens: quia affinitas minus vinculum eſt, quam conſanguinitas: ergo paucioribus gradibus debet finiri: ergo videtur, quòd antiquitus non debuit poni vſque ad ſeptimum,

nec

nec modo vsque ad quartum inclusiue.

2 Item ponamus, quòd aliquis in vna parte consanguineus vel affinis sit in quinto, & in alia parte in secundo, & quæramus, Vtrum illi coniungi possint? Videtur, quòd non: quia secundus gradus est prohibitus: sed bene sequitur, isti in vna parte sunt in secundo: ergo sunt in secundo: ergo non possunt contrahere.

Solutio. IN CONTRARIVM huius est consuetudo Ecclesiæ.

AD PRIMVM motiuum dicendum est, quòd in æqualibus gradibus antiqitus & modo prohibetur, & conceditur consanguinitas & affinitas. Ad obiectum autem dicendum, quòd reuera minus vinculum est affinitas, quam consanguinitas: sed tamen propter mixturam sanguinis quæ fit, non potest esse præsumpta diruptio illius mixturæ, nisi in eodem gradu in quo consanguinitas ipsa est directa. Si tamen placeret Ecclesiæ ad pauciores gradus ponere tam in consangu nitate, quam & præcipuè in affinitate, videtetur mihi, quòd satis congrue hoc posset facere.

AD ALIVD dicendum, quòd in computatione consanguinitatis & affinitatis standum est vlteriori gradui: & huius causa est, quia nullus gradus est nisi à trunco causatus: & ideo nullius personæ est respectus ad aliam tam in consanguinitate, quam affinitate, nisi per truncum: vnde qui distat à trunco in quinto, à quolibet descendentium in altera linea distat in quinto vel amplius. Et cum dicitur, quòd isti sunt in vna parte in secundo, intelligitur in secundo non à se, sed à trunco: & ideo inter se distant amplius, quam etiam in quinto: & ideo contrahere possunt, quia quintus à trunco gradus est concessus. Et per hoc patet solutio ad obiectum.

Variæ traditiones de affinitate.

SED alij videntur concedere in quinta generatione inter affines contrahi coniugium, & in quarta etiamsi contractum fuerit, non separari. Ait enim Fabianus Papa, De propinquis qui ad affinitatem per virum & vxorem veniunt, defuncta vxore vel viro in quinta generatione iungantur: in quarta si inuenti fuerint, non separentur. In tertia vero propinquitate non licet vxorem alterius accipere post obitum eius. Æqualiter vir iungatur in matrimonio eis qui sibi consanguinei sunt, & vxoris suæ consanguineis; post mortem vxoris. Ecce hic conceditur in quinta vel quarta propinquitate affinium fieri coniugium. Iulius etiam Papa ait, Statutum est vt relictam patris vxoris suæ, relictam fratris vxoris suæ, relictam filij vxoris suæ, nemo sibi in matrimonium sumat: relictam vxorem consanguineorum vxoris suæ vsque in tertiam progeniem nemo in vxorem sumat. In quarta verò & quinta si inuenti fuerint, non separentur. Ecce quam variè de affinitatis obseruatione loquuntur Auctores. Alij enim vsque ad septimum gradum eam obseruari sanciunt. Alij vero in quinto vel quarto matrimonia contracta non diuidunt. Sed illi veritatis rigorem, isti misericordiæ dispensationem videntur proponere. Potest enim Ecclesia dispensare in copula affinium vsque ad tertium gradum: sicut Gregorius dispensauit in quarto gradu consanguinitatis. Illud autem non est prætereundum quod Gregorius Venerio Episcopo scripsit, Sedem Apostolicam consulere decreuisti, si mulier copula nuptiali extraneo viro coniuncta, cognationi eius pertineat, si eo defuncto cognatio maneat, vel sub alio viro eognationis vocabula dissoluantur, vel si susceptæ soboles possint legitime ad prioris viri cognationis transire copulam. Si vna caro fiunt: quomodo aliquis eorum potest propinquius vni pertinere, nisi pertineat alteri? Hoc minimè posse fieri credendum est. Porro vno defuncto, in superstite affinitas non deletur: nec alia copula coniugalis affinitatem copulæ prioris soluere valet: sed nec alterius coniunctionis soboles placet ad affinitatis prioris viri consortium transire. Siquis ergo sacri-

B

35. q. 3 c. De propinquis.

Ibidem. c. Et hoc quoque.

35. q. 10. c Fraternitatis.

lego & temerario ausu in defuncto quærit propinquitatem extinguere, vel sub altero affinitatis vocabula dissipare, vel si susceptas soboles alterius copulæ propinquitati prioris credit legitimè sociari: hic negat Dei verbum validum esse quod dixit, Erunt duo in carne vna. Ecce hic prohibet, si mortuo primo viro vxor eius alij nupserit, filios de secundo viro genitos ducere vxores de cognatione prioris viri: quia filij mediante matre, ante cognationem prioris viri pertinent, cum quo mater eorum vna caro extiterat. Hæc idem etiam Innocentius Papa ait, Siqua mulier ad secundas nuptias transierit, & ex eis sobolem genuerit, nullatenus potest ad consortium cognationis prioris viri pertingere. Hoc autem obseruandum est vsque ad septimum generis gradum: sed maximè vsque ad tertium & quartum, sicut suprà positum est.

Genes. 2. Matt. 19.

35. q. 10. c. Siqua mulier.

ARTICVLVS VI.

An affinitas maneat post mortem illius cuius gratia est contracta?

DEinde quæritur de hoc quod dicit [Illud etiam non est prætereundum, quod Gregorius, &c.] Videtur enim hoc esse irrationabile: quia cessante causa cessat effectus: sed iunctura copulæ carnalis est causa affinitatis, vt prius est habitum: ergo ipsa cessante cessat & affinitas: cessat autem per mortem: ergo & affinitas.

2 Item, Nulla persona est affinis, nisi adiecta: sed ista post mortem non est adiecta: ergo videtur, quòd non est affinis. Prima constat ex prahabitis. Secunda probatur ex hoc, quod si esset adhuc adiecta isti, non posset adiici alteri: & hoc falsum est, quia per secundas nuptias alij potest adiici.

3 Item, In omnibus relatiuis ita est, quòd cessante mutatione inducente relationem, cessat relatio: sicut si albedo destruatur quæ inducta fuit per dealbationem, cessat similitudo ad alba: ergo hic similiter esse videtur: constat autem, quòd matrimonium fuit istius relationis causa: ergo cessante ipso, relatio quæ affinitas vocatur, destruitur.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd sicut in litera dicitur, & in Euangelio Matth. 10. permanet affinitas post mortem: & ideo arguit Ioannes Herodem propter Herodiadem vxorem fratris sui Philippi, qui duxerat eam.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd in nullo tenet, nisi in causa essentiali & immediata: sed in causa accidentali & remota non tenet, quia destructo ædificatore non propter hoc destruitur ædificium. Ex superioribus autem patet, quòd copula carnalis non est huiusmodi causa affinitatis.

AD ALIVD dicendum, quòd licet non sit adiecta marito qui non est, manet tamen adiecta consanguinitati. Ad probationem dicendum, quòd adiecta marito non potest adiici alij: sed adiecta consanguinitati & soluta à marito benè potest adiici aliis multis successiuè per mortes maritorum & alias nuptias.

AD VLTIMVM dicendum, quòd non est simile: quia albedo est forma in qua fundatur similitudo, sed matrimonium non est forma in qua fundatur affinitas, licet causetur ex copula carnali: sed potius quia vnum fuisset corpus cum aliquo de consanguinitate: & hoc etiam manet post mortem mariti: & ideò stat relatio affinitatis.

ARTICVLVS VII.

An definitio iustitiæ publicæ honestatis sit benè data à Magistro?

DEinde quæritur de hoc quod dicit [Sed nec alterius coniunctionis soboles, &c.] Licet illud sit abrogatum per iura noua quod hic dicit de sobole alterius coniunctionis, tamen gratia huius quæremus de publicæ honestatis iustitia, de qua quæremus tria, scilicet quid sit? Et vtrum habeat gradus, vel non? Tertio, Quid sit iuris de ipsa?

Ad primum dicunt communiter, quòd publicæ honestatis iustitia est propinquitas ex sponsalibus proueniens, robur trahens ab Ecclesiæ institutione propter eius honestatem. Videtur autem contra hoc obiici: quia sponsalia non faciunt vnionem matrimonij vel carnis: ergo cum omnis propinquitas exeat ab aliquo vno, videtur quòd nulla propinquitas deriuetur ex sponsalibus.

2 Item, In naturis sic est, quòd ex hoc quod aliqua materia fuit inclinata tantum ad recipiendam formam vnam, ex hoc non impeditur quin possit iungi alij, & illi vicinæ citius quam remotæ: cum igitur fœmina se habeat ad masculum sicut materia ad formam, videtur quòd ex sponsalibus quæ sunt inclinatio vel dispositio ad matrimonium, nihil inducatur vnde ista fœmina magis prohibeatur à consanguineo sponsi sui, quam ab altero: ergo videtur, quòd nulla sit talis propinquitas.

3 Vlterius quæritur hic de hoc quod dicit, Robur trahit ab Ecclesiæ institutione. Non enim debet institutum Ecclesiæ esse irrationabile: ergo fundatur super aliquid rationis: & quæratur, Quid est illud, & non inuenitur, neque

que in veteri lege, neque in noua, nec etiam in lege ciuili: ergo videtur, quòd potius sit dicendum, publicæ honestatis iniustitia, quam iustitia.

4 Item quare dicit, Propter eius honestatem? Nulla enim honestas videtur in hoc Ecclesiæ generati, sed potius inextricabiles laquei multi ex hoc procurantur animabus.

5 Item, Cum istud pertineat potius ad continentiam, quam ad iustitiam, potius deberet dici, Publicæ honestatis pudicitia vel continentia, quam publicæ honestatis iustitia.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd satis conueniens est dicta diffinitio, & tangit genus, & causam, & confirmans, & finem: & hæc patent per ordinem in diffinitione.

AD PRIMVM ergo obiectum dicendum, quòd est ibi vnio quædam, sicut supra in quæstione de sponsalibus dictum est: & ideo contrahitur ibi vinculum quoddam. Et quia etiam Ecclesia per se diligit honestatem castitatis, de facili recipit occasionem non contrahendi matrimonium cum persona aliqua vel aliquibus.

AD ALIVD dicendum, quòd sponsalia sunt sicut dispositiones propinquæ ad matrimonium: vnde sicut materia habens dispositionem propinquam ad formam aliquam, non vnitur alteri nisi prius in ea fiat corruptio dispositionis prioris: ita etiam non potest persona desponsata, cum alia contrahere, nisi prius corruptis sponsalibus, quæ non sine peccato siue causa corrumpuntur, quia faciunt quoddam vinculum vnionis.

AD ID quod vlterius quæritur, dicendum quòd Ecclesia semper satis habet rationis ordinans vincula amoris & propinquitatis: & hoc habet argumentum Leuit. 18. vbi dicitur, quòd turpitudo vnius propinquorum, turpitudo alterius est: & ideo non est discooperienda: & ita hîc desponsata quodammodo efficitur adiecta consanguinitati: & ideo nullus de consanguinitate illa potest illam habere.

AD ALIVD dicendum, quòd non est iniustitia: quia Deo placet vt confœderentur homines & confirmentur per affinitates quascunque.

AD VLTIMVM dicendum, quòd omnis virtutis opus secundum quod lege ordinatur, est opus iustitiæ quam legalem vocat Aristot. Et quia istud non habet robur, nisi à lege Ecclesiæ, ideo potius dicitur, Publicæ honestatis iustitia, quam pudicitia.

ARTICVLVS VIII.

An propinquitas hæc habeat aliquos gradus, & qui sint illi?

SEcundo quæritur, Vtrum hæc propinquitas habeat gradus? Et videtur, quòd non: quia est debilis: ergo saluatur in vna persona: ergo videtur, quòd non habeat gradus in personis aliis.

2 Item, Affinitas habet gradus per accidens, scilicet per consanguinitatem, vt prius dictum est: consanguinitas autem habet gradus per se: cum ergo propinquitas publicæ honestatis iustitiæ sit vtraque debilior, videtur quòd nec per se nec per accidens habens gradus: ergo nullo modo habet gradus.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est, quòd in quoto gradu ille est, per quem contrahitur in sponsalibus huius propinquitas, toto gradu videtur coniuncta sponsa sua: sed diuersi sunt gradus consanguinei desponsantis: ergo in diuersis gradibus sponsæ adiiciuntur.

2 Item, Gradus potius respicit contrahentes sponsalia, quam contractum: sed contrahentes diuersorum sunt graduum in consanguinitate: ergo & sponsa est in diuersis gradibus propinquitatis publicæ honestatis iustitiæ.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd diuersi sunt gradus istius propinquitatis sicut affinitatis: quia quoto gradu iungitur consanguineus contrahens sponsalia, toto gradu iungitur sponsa in publicæ honestatis iustitia: & ideo prohibetur ei contrahere cum aliquo de consanguinitate illa. Vnde etiam quidam antiqui dicebant, quod hæc propinquitas esset affinitas, licet in veritate non sit affinitas, sed ferè similis illi.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd si gradus protenderetur à persona adiecta vt adiecta, tunc valeret quod obiicitur: sed hoc non est verum, quia non habet gradus nisi consanguinitatis, & illius gradus nunquam mutat, sed mutat genus attinentiæ sicut & affinitas.

AD ALIVD dicendum, quòd non sequitur: quia est medium inter affinitatem & consanguinitatem magis conueniens cum affinitate, quia cum eo conuenit quod non mutat gradum, sed genus attinentiæ: sed cum consanguinitate, quia quodammodo gradus habet. Etiam formaliter argumentum non valet, si hoc est debilius illo, quod in hoc determinato sit debilius: sed valeret è conuerso, & incidit fallacia consequentis.

ARTICVLVS IX.

Quid iuris est de hac propinquitate?

TErtio quæritur, Quid sit iuris de hac propinquitate? Et dicitur communiter, quòd persona desponsata non potest esse coniunx alicuius de consanguinitate desponsantis, nec è conuerso potest sponsus aliquam ducere de consanguinitate sponsæ. Sed tunc quæritur, Esto enim, quòd sponsalia sint contracta ante septennium, tunc enim non valent sponsalia: ergo tunc non impediunt quin aliis de sua consanguinitate possint coniungi si sponsalia frangantur.

2 Item, Sit quòd spado habens ætatem contrahat sponsalia cum habente ætatem, vel perpetuò frigidus, vel perpetuò maleficiatus: constat, quòd iste habet impedimentum matrimonij: ergo & sponsalium: ergo non impeditur desponsata quin valeat alij de sua consanguinitate coniungi matrimonialiter.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd primus

casus de plano est concedendus: de secundo dicunt, quòd ex tali contractu sponsæ generatur impedimentum contrahendi cum alio consanguineo sponsi: quia adhuc non erat impedimentum in actu impediendi propter ætatem: & ideo separatur talis sponsus ab habente huiusmodi impedimentum. Et per hoc patet solutio ad omnia quæsita.

Si coniugium sit inter eos, qui nota consanguinitate diuiduntur.

CET est sciendum, quod Ecclesia infra prædictos gradus consanguinitatis coniunctos separat. Si autem ignoranter coniuncti fuerint in conspectu Ecclesiæ, & postmodum probata consanguinitate eiusdem iudicio separati: quæritur, Vtrum copula illa coniugium fuerit? Quibusdam videtur non fuisse coniugium, quia non erant legitimæ personæ; sed tamen de crimine excusantur per ignorantiam, & quasi coniugium reputatur, quia bona fide & per manum Ecclesiæ conuenerunt. Vnde & filij eorum legitimi habentur. Alij verò dicunt fuisse coniugium, licet non essent legitimæ personæ: quia talium coniunctiones vocant canones coniugia, vbi de personis agitur, quarum testimonio consanguineorum sit dirimenda coniunctio. Vnde Vrbanus Papa, Si duo viri vel tres consanguinitatem iureiurando firmauerint, vel ipsi fortè confessi fuerint, coniugio dissoluantur. Si verò neutrum contigerit, Episcopi eos per fidem Christi obtestentur, quatenus palam fateantur, si se recognoscunt consanguineos. Si se iudicio Episcoporum segregauerint, alia matrimonia non prohibeantur contrahere. Idem, Notificamus tibi, vt cum tres vel duo ex propinquioribus eius qui accusatur, hanc propinquitatem iuramento firmauerint: vel si duo vel tres ex antiquioribus Ianuensibus, quibus hæc propinquitas est nota, qui bonæ famæ & veracis testimonij sint, remoto amore, timore, pretio, & omni malo studio, prædicta firmauerint, sine mora coniugia dissoluantur. Consanguineos verò extraneorum nullus accuset, vel consanguinitatem in synodo computet, sed propinqui ad quorum notitiam pertinet. Si autem progenies tota defecerit, ab antiquioribus & veracioribus, quibus propinquitas tota nota fit, Episcopus canonicè perquirat: & si inuenta fuerit, separentur. Ecce quibus accusantibus vel testificantibus dirimenda sit consanguineorum coniunctio, quæ coniugium vocatur.

25.q.9. c. Si duo viri.

Idem Ricardo Ianuen. episc. vbi sup. cap. Notificamus.

Fabianus Papa ibidem. c. Consanguinitatis.

Distinctio vtilis, quid sit fornicatio.

DHIC dicendum est, quòd aliud est fornicatio, aliud stuprum, aliud adulterium, aliud incestus, aliud raptus. Fornicatio licet sit genus omnis illiciti coitus qui fit extra vxorem: tamen specialiter intelligitur in vsu viduarum, vel meretricum, vel concubinarum. Stuprum propriè est virginum illicita defloratio. Adulterium est alieni thori violatio: vnde adulterium dicitur quasi alterius thori accessio. Incestus est consanguinearum vel affinium abusus. Vnde incestuosi dicuntur, qui consanguineis vel affinibus suis abutuntur. Raptus admittitur, cum puella violenter à domo patris educitur, vt corrupta in vxorem habeatur; siue puellæ, siue parentibus vis illata constiterit,

Hoc totũ vsque ad §. Attendendum. habetur 36.q 1. cap. Lex præteritorum. §. Sed non omnis.

constiterit, hic morte mulctatur. Sed si ad Ecclesiam cum rapta confugerit, priuilegio Ecclesiæ mortis impunitatem meretur. Addendum est etiam illud Alexandri, qui ait, Quod frater sororve vxoris tuæ cognati dicuntur, æquiuocationis iure fit, & necessitate vulgaris appellationis potius, quam vlla cognationis causa. Vxor enim fratris, fratrissa potius quam cognata vocatur. Mariti frater, leuir dicitur. Duorum fratrum vxores, ianitrices vocantur, quasi eandem ianuam intrantes. Viri soror, glos appellatur. Sororis autem vir non habet speciale nomen, nec vxoris frater.

ARTICVLVS X.

An filij & qui sint legitimi?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Vtrum copula illorum coniugium fuerit,&c.] Quæritur enim hic, Qui filij sint legitimi? Et quæruntur tria, scilicet qui filij sint legitimi? Qualiter legitimantur? Et quid valet eis legitimatio? Ad primum communiter dicitur, quòd legitimus filius est, qui de legitimo matrimonio est natus, vel de eo quod in facie Ecclesiæ legitimum reputatur. Contra hoc autem obiicitur. Videtur enim, quòd omnis filius sit legitimus: quia lex naturæ potior & fortior est, quam lex positiua: sed lege naturæ omnis filius est legitimus: ergo, &c.

2 Item, Esto, quòd in facie Ecclesiæ contrahant scientes impedimentum, & hoc taceant: videtur quòd propter hoc non debeant dici filij legitimi, quia dolus nulli debet patrocinari.

3 Item, Esto, quòd clam contrahant ignorantes matrimonij impedimentum: videtur quòd eorum filij sint legitimi, quia ignorantia excusat, sicut habetur Genes. 20. de Abimelech qui rapuit vxorem Abrahæ, & se excusauit per ignorantiam: & Dominus recepit eius excusationem.

Solutio. AD HOC dicendum, quòd secundum iura quadruplex est status filiorum, scilicet naturales, & legitimi de vxore legitima procreati: naturales tantum, vt filij concubinarum quæ vxores esse possunt si ducerentur. Alij legitimi tantum, vt adoptiui. Alij nec naturales nec legitimi, vt spurij, scilicet de adulterio vel de incestu nati.

DICENDVM ergo ad primum, quòd natura est duplex, vt supra dictum est, scilicet generis hominis, & differentiæ. Et filij communiter non nascuntur lege naturæ, nisi primo modo dictæ: & illa est pecorina: & ideo ad bonum hominis quod est bonum rationis, ex illa lege non reputantur legitimi.

AD ALIVD dicendum, quòd in illo casu non sunt legitimi.

AD ALIVD dicendum, quòd talis contractus est contra interdictum Ecclesiæ: & ideo si ignorat, talis reputatur ignorantia affectata quæ non excusat: & filij eorum reputantur illegitimi: quia nec matrimonium legitimum reputatur. Nec est simile de Abimelech: quia in illo non fuit ignorantia iuris, sed facti, quia credidit esse solutam quæ fuit coniugata.

ARTICVLVS XI.

Quis sit modus legitimandi?

SEcundo quæritur de modo legitimandi: quia contra rationem est illegitimum reputare legitimum: ergo secundum iura fieri non debet, quia secundum ius nihil fit contra rationem.

2 Item, In actibus illegitimus non fit legitimus: quia illegitimus actus est vitiosus, & legitimus est ordinatus ciuili virtute: ergo nec in natis fieri debet.

3 Item, Contra naturæ ordinem esse videtur, quòd natura illegitimum naturæ lege, vnquam faciat legitimum, nec è conuerso: quoniam monstra semper reputat peccata, & benè nata decorat & ornat: ergo nec in ciuilibus illegitimum debet legitimari.

4 Item, Sicut est motus de vno contrariorum in aliud, tam in naturis, quam in motibus: ita est è conuerso: sed nunquam fit de legitimo illegitimus: ergo nec è conuerso fieri debet de illegitimo legitimus.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est, quòd tam secundum canones, quam secundum leges illegitimi legitimantur.

2 Item, Sine omni culpa nati ipse nascitur illegitimus: sed in his quæ fiunt ex necessitate (secundum Philosophum & legislatores) innocentiam & misericordiam merentur: ergo talis error misericorditer corrigi potest: possunt ergo legitimari.

Solutio. QVOD CONCEDENDVM est, & dicendum, quòd sex modis illegitimi legitimantur: duobus secundum canones, & quatuor secundum leges. Primus secundum canones est per subsequens matrimonium cum matre illegitimorum contractum. Secundus autem est per specialem indulgentiam & dispensationem Domini Papæ. Et hi duo modi habentur extra. Qui filij sint legitimi. cap. Conquestus est nobis. Primus autem secundum leges est, si pater filium naturalem curiæ offerat Imperatoris: tunc enim propter curiæ honestatem filius legitimus efficitur, siue pater legitimos habeat filios, siue non. Secundus est, si pater decedens in testamento nominet eum hæredem legitimum, & ipse posteà offerat testamentum principi volens fieri legitimus. Tertius est, si nullo filio legitimo existente patreque defuncto, ipse naturalis filius seipsum offerat principi. Hi tres modi habentur in authentico. Quibus modis naturales efficiuntur

legitimi ſui.§.Quoniam de ſuis. Quartus modus eſt, ſi pater eum in publico teſtamento vel cum trium virorum teſtantium ſuſceptione legitimum nominet, nec adiiciat naturalem: tunc enim efficitur legitimus, vt in authentico. Non liceat,&c.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd non eſt contra rationem de ſubſtantia, id eſt, de materia non legitima facere legitimum ad actus legitimos:ſed de forma eſſet verum,quia de contrario non poteſt fieri contrarium, ſed ſubiectum ſub vtroque poteſt eſſe contrariorum.

AD ALIVD dicendum, quòd non eſt ſimile: quia actus talis peruerſitati inſeparabiliter eſt coniunctus,& ideo nullo modo poteſt corrigi: ſed non eſt ita in ſubiectis.

AD ALIVD dicendum, quòd in illegitimis naturæ vel eſt defectus, vel ſuperfluitas eſt in monſtris inſeparabiliter: & ideò non poſſunt corrigi: & hoc modo non eſt in natis, quia per actus voluntatis poteſt corrigi defectus naturalium qui ſic dictus eſi,quia non eſt ſecundum legem poſitiuam.

AD ALIVD dicendum, quòd ſæpè puniuntur legitimi pœna illegitimorum per exhæredationem pro peccato patris vel ſuo, tamen argumenium non valet, quia legiſlator facilior eſt ad indulgentias, quam ad pœnas: ſed in motu naturali ſubiectum ſe habet æqualiter ad vtrumque contrariorum, & ideo æqualiter mouetur de vno in alterum, & è conuerſo.

ARTICVLVS XII.

Ad quid valet legitimatio?

TErtio quæritur, Quid prodeſt legitimatio? Videtur, quòd nihil: naturalia enim bona æqualiter Deus largitur & naturalibus & legitimis & ſpuriis: cum ergo iuſtitia humana ſit exemplata à diuina, videtur ſecundum ius humanum,quòd æqualiter debent illi ſuccedere in bonis temporalibus & ad legitimos actus admitti.

2. Item iniuſtè agitur cum eo cui hoc imputatur in pœnam, in quo nullam habuit culpam: ſed in illegitimam natiuitatem nullus vnquam habuit culpam: ergo nulli debet imputari in pœnam: ergo æqualiter omnes filij debent ſuccedere patri.

3. Item, Secundum Philoſophos, Ariſtot. & Auicen. filius egrediens de domo patris, ſimilis eſt ſemini egredienti de corpore patris: ſed video, quòd in egreſſu ſeminis, patris ſubſtantia æqualiter partitur naturali & legitimo humidum radicale, ad quod poſteà negotietur virtus formatiua ad perficiendam ſubſtantiam conceptus:ergo etiam egredienti filio de domo patris,ſiue ſit naturalis,ſiue legitimus,æqualiter debet partiri partem facultatum,ex qua negotietur procurationem ſuæ domus: ergo æqualiter debent ſuccedere,vt videtur.

AD HOC dicendum, quòd in veritate ad duo prodeſt legitimatio, quorum vnum eſt, quia poteſt ſuccedere patri in hæreditate iure legitimo. Secundum autem, quia admittitur ad legitimos actus. Naturales autem in ſexta tantum ſuccedere poſſunt: ſpurij autem & damnoſo coitu nati, in nullo omninò ſuccedunt:ſolicitudinis tamen Epiſcopi intererit, vt procuret quòd vterque parentum talibus ſecundum quod facultas ſuppetit, neceſſaria procurent. *Solutio.*

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd non eſt ita in voluntariis,ſicut in naturalibus: quia naturalia currunt curſu neceſſario,& ideo non habent peccatum: & ita operatur Deus in natura. Et hoc non trahitur ad exemplum in voluntariis, ſed potius hoc quod dicit. Ego ſum Deus zelotes, vindicans,&c. hoc enim de pœna temporali intelligitur: & ita facit lex quæ punit natiuitatem vnius, vt caueatur ab altero talis illicitus concubitus.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc non fit in pœnam filij, ſed in pœnam patris, vt in filio puniatur: & tamen eſt pœna filio bona, ſi ea ad humilitatem vtatur: ſicut etiam dicit Apoſtolus 1.Corinth.7. Seruus verò es, non ſit tibi curæ: ſed ſi potes fieri liber, magis vtere.

AD ALIVD dicendum, ſicut prius dictum eſt, quòd non eſt ſimile in naturalibus & voluntariis: & cauſa eſt ſuperius aſſignata.

Deinde ratione eius quod dicit *ibi* [Hic vidēdum,quod aliud eſt fornicatio]quæratur de luxuria & ſpeciebus eius omnibus & filiabus.

DISTINCTIO XLII.

De ſpirituali cognatione.

A De impedimento matrimonij, quod venit ex propinquitate ſpirituali.

DE parentalium graduum famoſa quæſtione aliquid licet minus ſufficienter diximus. Iam de cognatione addamus, quæ etiam perſonas impedit vt non ſint legitimæ ad ineundas nuptias. Tria quidem ſunt, conſanguinitas, affinitas, & ſpiritualis germanitas. Conſanguinitas eſt inter eos, qui iunguntur ſecundum lineam generis. Affinitas inter eos, qui genere quidem non ſunt coniuncti,

iuncti, sed mediante genere sunt sociati: verbi gratia, Vxor filij fratris mei quæ non est dè genere meo, per ipsum qui est de genere meo, mihi affinis facta est, & ego illi. Spiritualis proximitas est inter compatrem & commatrem, & inter eos quorum vnus alterum de sacro fonte leuauit, vel in cathecizatione aut confirmatione tenuit. Est etiam inter filios eiusdem hominis carnales & spirituales. Hugo sent. 4. cap. 13.

ARTICVLVS I.

An sit aliqua spiritualis cognatio?

IAm de spirituali cognatione addamus] Quatuor hic dicit de spirituali cognatione, quorum primum est, Quæ sit spiritualis cognatio. Secundum autem, qui sint filij spirituales, & in quot sacramentis spiritualis cognatio contrahitur. Tertio tangit ius quod est de talibus. Quartum est obiectio & solutio quæ videtur talibus aduersari. Incidunt autem hic quæstiones tres circa principium, scilicet an aliqua sit spiritualis cognatio? Secunda est, Quæ sit spiritualis proximitas? Tertia, An impediat matrimonium contrahendum & dirimat contractum?

Ad primum sic proceditur: Aut vnio spiritus transit ad vnionem carnis, aut non. Si sic: ergo in omnibus in quibus est vnio spiritus, transitur ad vnionem carnis: sed inter omnes habentes charitatem est vnio spiritus: ergo inter omnes habentes charitatem transitur ad vnionem carnis: ergo nullus habens charitatem, posset sibi copulare vxorem habentem charitatem, quod falsum est. Si autem non transitur, tunc spiritualis proximitas non impedit matrimonium.

2 Item, Sicut dicit Dionysius 2. ecclesiasticæ hierarchiæ, Compater non efficitur hic anadochus spiritualis filij: sed officium anadochi est officium imbuentis & instruentis: ergo habens officium imbuentis & instruentis non posset matrimonialiter iungi puellæ quam docet & imbuit, quod iterum est falsum: ergo videtur, quòd nulla sit proximitas spiritualis.

3 Item, Quod caro est propinqua carni, facit propagatio ex carne vna: ergo vbi non est propagatio ex vno, ibi nulla est proximitas: sed spiritus vnus cum alio non propagatur ex quodam vno: ergo nulla est in talibus proximitas.

4 Item, Constans est, quòd spiritualis proximitas si est, emanat ex aliqua generatione, sicut & omnis alia proximitas: aut igitur ita est, quòd est generatio secundum esse, aut secundum bene esse. Si primo modo, constat quòd hoc falsum est: quia hoc modo filium suum spiritualem generant parentes carnales non spirituales. Si secundo modo: aut hoc est quoad bene esse virtutis, aut scientiæ. Non primo modo: quia talem habitum (vt dicit Augustinus) non dat nisi Deus. Si secundo modo, tunc quilibet magister haberet proximitatem spiritualem ad discipulum & discipulam: & hoc iterum falsum est: ergo nulla videtur esse proximitas spiritualis.

In contrarium autem sunt omnia quæ dicuntur in litera. *Sed contra.*

2 Item Ephes. 3. Flecto genua mea ad Deum patrem, ex quo omnis paternitas in cælo & in terra nominatur. Constat autem, quòd paternitas in cælo non est nisi spiritualis: ergo spiritualis paternitas est aliquid.

Responsio. Dicendum, quòd spiritualis proximitas est. *Solutio.*

Ad primum ergo dicendum, quòd caro hominis præcipuè Christiani non accipitur vt caro hominis tantum, sed prout est habitaculum Spiritus sancti: & ideo vinculum spiritus habet locum in carne: & ideo illi qui sunt vnum, ab Ecclesia non iudicantur vt diuisi: omnes autem qui iunguntur matrimonio, accipiuntur vt diuisi: & ideo dicendum, quòd transitur ad vnionem carnis, quæ est habitaculum vel debet esse Spiritus sancti per spiritus vnionem.

Ad id quod contra obiicitur, dicendum quòd est vnio sacramentalis, quæ est per modum generationis esse spiritualis, vel confirmationis ipsius, & est vnio habitualis charitatis. Prima autem vnio facit hoc, & non secunda.

Ad aliud dicendum, quòd anadochus ex officio patrinatus non habet docentis vocem tantum, sed etiam operantis ad esse spirituale ipsius qui regeneratur.

Ad aliud dicendum, quòd licet spiritus non fit ex spiritu, &c. tamen secundum rem & characterem sacramenti potest fieri aliquo ministerialiter: & ita quodammodo spiritualis proximitas generatur, quia esse spiritus secundum bonum sacramenti est quodammodo ex spiritu.

Ad aliud dicendum, quòd emanat à spirituali generatione: sed illa est sacramentalis, vt prius dictum est. Et obiectio non est nisi de cooperatione ad aliquid bene esse per modum alterationis, & non per ministrum generantem, sicut fit generatio in spiritualibus sacramentis.

ARTICVLVS II.

Quid sit spiritualis cognatio siue proximitas?

SEcundo quæritur, Quid sit spiritualis proximitas? Et communiter dicitur, quod spiritualis proximitas siue cognatio spiritualis, est spiritualis propinquitas proueniens ex sacramenti datione, vel ad idem tentione. Videtur autem non esse conueniens diffinitio: quia per sacramenti susceptiouem vnitur ho-

mo toti Eccleſiæ, & non ſpecialiter vni perſonæ: ergo ſi contrahit propinquitatem, ad totam Eccleſiam contrahit, & non ſpecialiter ad perſonam vnam.

2 Item, In ſacramentis non operatur homo, ſed ſolus Deus, vt dicit Auguſtinus: ergo nullum eſt ibi factum hominis circa hominem: ſed non contrahitur propinquitas ad hominem, niſi ex aliquo facto hominis: ergo videtur, quòd in ſacramenti ſuſceptione nulla contrahitur propinquitas ad hominem.

3 Item, Efficacior eſt operatio inducens gratiam circa hominem, quam operatio miniſterialis in ſacramento exterius, quæ gratiam non inducit: ſed oratio quæ fit pro alio, vt dicit Gregorius, iuuat prædeſtinationem inducendo gratiam in eo pro quo oratur: ergo ipſa eſt operatio efficacior, quam operatio miniſterialis in ſacramento: ſed non inducit propinquitatem oratio: ergo nec operatio in ſacramento.

4 Item, Propinquitas ſpiritualis aut eſt ex vicinitate eſſentiæ ſpiritus ad ſpiritum, aut ex vicinitate originis ſpiritus ad originem ſpiritus, aut ex vicinitate conſonantiæ ſpiritus ad ſpiritum ad finem vnum. Conſtat autem, quòd non primo modo: quia ſpiritus vnius non eſt vicinior vni ſecundum eſſentiam, quam alij. Nec etiam ſecundo modo: quia origo ſpiritus eſt Deus, qui vno modo ſe habet ad omnes ſpiritus. Nec etiam tertio: quia ſæpè diſcordant compatres, & vnus vult vnum, & alius vult aliud, & vnus bonum, & alter malum. Ergo videtur, quòd nulla ſit propinquitas ſpiritualis inter eos.

4 Item, Ea quæ ſunt naturalia, frequenter fiunt, vt dicit Philoſophus: vnde cum propinquitas carnalis ſit naturalis, frequenter fit vt filius patrem imitetur. Vnde poëta:

Sæpè ſolet ſimilis filius eſſe patri.

Sed conſtat, quòd gratia ſpiritualis efficacior eſt, quam natura: ergo videtur ſi ſpiritualis eſt propinquitas inter aliquos, quod ad minus vt frequenter in imitatione ſpirituali debet manifeſtari: ſed nihil horum videtur: ergo nulla videtur eſſe propinquitas ſpiritualis ex ſacramenti datione.

5 Vlterius obiicitur de hoc quod dicitur, Vel ad idem tentione. Æquiuocè enim operantur ad ſacramenti perceptionem dans & tenens: ergo æquiuoca inter eos, & ſuſcipientem ſacramentum contrahitur propinquitas ſpiritualis: ergo malè diffinitur. Et vlterius ſequitur quòd alia ratione dicitur cognatus pueri ſpiritualis baptizans, & aliter de baptiſmo ſuſcipiens: ſicut aliter dicitur ſana vrina, & aliter ſanum animal.

Solutio. Respondeo. Dicendum, quòd conuenienter diffinitur cognatio ſpiritualis ſuperiori diffinitione: quia ponitur ibi genus, ſiue forma, & cauſa propter quam contrahit vt differentia: eſt enim diffinitio dicens quid, & propter quid, vt facile patet conſideranti eam.

Ad id ergo quod primo obiicitur, dicendum quòd dupliciter contrahitur vnio, ſcilicet conformitate gratiæ, & operatione illius conformitatis. Et conformitate gratiæ ſuſcipiens ſacramentum cõtrahit vnionem ad totam Eccleſiam: & hoc non facit propinquitatem, ſed ſimilitudinem. Operatione autem ad eſſe illius gratiæ habet propinquitatem ad dantem ſibi ſacramentum & tenentem eum in ipſo quando percipit ſacramentum: & hæc propinquitas eſt quaſi propagatæ gratiæ: ſicut carnalis cognatio eſt carnis propagatæ, licet aliter, & aliter: & ideò hoc inducit propinquitatem ſpiritualem.

Ad aliud dicendum, quòd Deus operatur ſolus vt efficiens, ſed tamen operatur etiam homo ad gratiam: ſicut etiam in generatione hominis homo non generat animam, ſed generando operatur ad animam: & ideò efficitur natus propinquus naturaliter, & ſimiliter ibi efficitur propinquus ſpiritualiter.

Ad aliud dicendum, quòd ſupponitur falſum in prima propoſitione: quia operatio in ſacramento nunquam impeditur niſi per accidens, ſcilicet ſi eſt fictus qui ſuſcipit ſacramentum: & tunc etiam non truſtratur à ſacramenti ſuſceptione: & ideo recedente fictione non redditur ei. Sed oratio pro alio ad gratiam impetrandam ſæpè impeditur. Si tamen in hoc non fiat vis, tunc dicendum, quòd diſſimilis eſt operatio in ſacramento, & per orationem: quia operatio in ſacramento eſt quaſi propagando ſpiritualiter in miniſterio, ſed operatio orationis eſt vt inductiua alterius per preces: nulla autem operatio facit propinquitatem, niſi quæ eſt propagatio, vel coniuncta propagationi.

Ad aliud dicendum, quòd non ſumitur hoc modo vnio faciens propinquitatem, & non fit per modum talis conuenientiæ: ſed potius ſicut conueniunt principium & principiatum, quia principiatum eſſe ſuum habet à principio: & ita eſt hîc, niſi quòd non ſunt principium effectiuum, ſed quaſi inſtrumentale & miniſterialiter operans: & talem modũ traductionis conſequitur aliquando cõuenientia, aliquando non: quia poſſibile eſt principiatum alterari poſt ſeparationem à principio: vnde non ſemper tractus corporaliter ſimilis eſt in carne traducenti: ſed niſi eſſent alterationes, ſimilis eſſet. Ita eſt hic: quia ſubſtantiam gratiæ ſacramentalis habet ab ipſis operantibus in miniſterio, & ſimilis eſſet, niſi vtrimque alterationes affectuum facerent diſſimilitudinem: vnde hæc ſimilitudo eſſet in habitu, ſi perficeretur & manifeſtaretur in voluntatum conformitate & fine vno.

Ad aliud dicendum, quòd impedit conformitatem alteratio affectuum ex vtraque parte, non in efficacia gratiæ.

Ad id quod vlterius obiicitur, dicendum quòd in vno communi conueniunt omnes operationes in ſacramentorum perceptione, ſcilicet quod operantur in miniſterio: & quoad hoc vna eſt ratio ſpiritualis cognationis.

***

ARTICV

ARTICVLVS III.

An spiritualis proximitas impedit matrimonium contrahendum?

TErtio quæritur, An impediat matrimonium contrahendum & dirimat contractum? Videtur autem, quòd non: quia vbi plura sunt vincula amicitiæ & societatis, ibi maior est indiuiduitas vitæ: sed cognatio spiritualis vnit spiritus, & coniugium ligat corpora: ergo in tali matrimonio esset maior indiuiduitas: ergo melius est hoc quam aliud, & meliorem sortitur exitum, & delectabilius commanent: ergo non debet impedire matrimonium.

2 Item, Matrimonium consistit in vtraque vnione, scilicet spirituum, & corporum: ergo quod cooperatur ad vnionem spirituum, promouet ad matrimonium: sed cognatio spiritualis promouet ad vnionem spirituum: ergo promouet ad matrimonium: ergo non debet poni pro impedimento.

3 Item, Omnia bona matrimonij inter tales personas saluantur, scilicet fides, proles, sacramentum: ergo videtur, quòd non impediat, sed expediat.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius sunt omnia quæ dicuntur in litera.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd impedit matrimonium contrahendum, & dirimit contractum, sicut litera dicit: quia non placet Deo, quòd vnio spiritualis quæ est inter tales, reputetur non vnio: qui enim in matrimonio vniuntur, distantes reputantur: & hoc respiciens Ecclesia, statuit quòd illud impedimentum vim habeat, præcipue cum etiam lex ciuilis propter adoptionem prohibeat matrimonialiter conuenire. Præterea hoc contra ordinem naturæ est, quòd surculus qui ex radice aliqua ascendit, iterum radici vniatur ad propagandum alium: non minus autem digna est propagatio spiritualis, quam corporalis: & ideo vtramque cognationem impedimentum statuit Ecclesia esse.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd hoc argumentum non valet: quia si hoc attenderetur in matrimonio, tunc filius deberet accipere matrem, quod absurdum est: sed in matrimonio attenditur coniunctio distantium, vt iterum gradus fugiens reuniatur, & remaneat fœdus humani generis, & ciuilis vrbanitas in talibus ita coniunctis. Et per hoc etiam patet solutio ad sequens.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc sufficit, sed oportet esse personas legitimas ad contrahendum, vt sæpè supra habitum est.

ARTICVLVS IV.

Quot sunt species cognationis spiritualis?

DEinde quæritur de hoc quod dicit [Est etiam inter filios eiusdem hominis carnales & spirituales, &c.] Et quæritur hic, Quot sunt species cognationis spiritualis? Videtur autem, quod non sunt nisi duæ: quia de his tantum mentionem facit in litera, scilicet inter suscipientem & susceptum in baptismo, & inter filios suscipientis carnales & spirituales.

2 Videtur autem, quòd sit vna sola: quia non communicantes in spiritu, non communicant etiam in consequente illam communicationem: sed pater carnalis suscipiens, & filius suus carnalis, non communicant in spiritu quoad operationem ministerialem in sacramento, quando pater carnalis suscipit filium spiritualem: ergo non communicant etiam in consequente illam operationem spiritualem, quod est cognatio spiritualis: ergo nulla est cognatio inter filios carnales & spirituales.

3 Item, Si dicitur, quòd est cognatio spiritualis inter eos: constat, quòd non esset secundum gradum vnum, sed duos, vel truncum & gradum: hoc autem nunquam auditum est à Sanctis, quòd gradus in tali cognatione determinent: ergo videtur, quòd nulla sit inter carnales filios & spirituales cognatio spiritualis.

4 Vlterius videtur, quòd sint tres, scilicet compaternitas, paternitas, & fraternitas spiritualis: quia hoc communiter dicitur ab omnibus qui sciunt: & etiam ex litera hæc colliguntur.

5 Item, Eadem ratione qua filius patris spiritualis contrahit fraternitatem, contrahit etiam pater filij spiritualis compaternitatem: ergo necessario erunt tres.

6 Vlterius videtur, quòd quatuor: quia non minor est vicinitas spiritualis ad spiritualem, quam carnalis ad spiritualem, sed maior: sed carnales filij patris spiritualis, cum filio spirituali contrahunt cognationem spiritualem: ergo multò magis spirituales filij eiusdem, cum omnibus spiritualibus habent cognationem spiritualem: ergo omnes filij spirituales eiusdem hominis sunt inter se fratres spirituales: sed hoc genus non determinatur in litera: ergo sunt quatuor species spiritualis cognationis.

7 Item, Propagatio carnis ex vno facit carnalem cognationem inter propagatos: sed melior est propagatio spiritus ex vno: ergo propagatio spiritus ex vno facit cognationem spiritualem inter omnes spiritualiter propagatos: ergo vt prius, quatuor videntur esse species spiritualis cognationis.

Solutio. SOLVTIO. Dicendum, quòd non est nisi triplex species cognationis spiritualis, scilicet paternitas, compaternitas, & confraternitas. Paternitas contrahitur dupliciter, scilicet directè, & indirectè. Directè per actum proprium, qui fit in sacramentum dando, vel suscipientem tenendo. Indirectè autem, quando non per actum proprium, sed per actum illius cum quo est vna caro contrahitur, sicut viro aliquem suscipiente, susceptio hæc facit ipsum patrem spiritualem directè: & quia vir & vxor postquam effecti sunt vna caro, sibi communicant suas actiones, ideo quod facit vir directè, indirectè transit ad vxorem, & efficitur etiam ipsa mater spiritualis. Dico autem postquam effecti sunt vna caro: quia si vir prius quam esset

ſet maritus vxoris, ſcilicet ante contractum matrimonij, vel poſt contractum ante copulam carnalẽ, ſuſciperet aliquem in ſacramento, non tranſiret ad vxorem: & ideo non efficeretur mater ſpiritualis. Sicut autem dixi, quia vir directè & vxor indirectè efficiuntur parentes ſpirituales: ita eſt è conuerſo quando mulier directè, & vir indirectè. Comparternitas autem contrahitur inter carnalem patrem & ſpiritualem, & inter carnalem matrem & ſpiritualem: vnde verſus:

Vnus ſemper erit compatrum ſpiritualis,
Alter carnalis: nec fallit regula talis.

Et contrahitur dupliciter, ſcilicet directè & indirectè, ſicut etiam paternitas ſpiritualis: quia poſtquam vir & mulier efficiuntur vna caro, communicant ſibi ſuos filios. Confraternitas autem non contrahitur, niſi inter puerum & puellam, quæ ſuſcipitur vel tenetur in ſacramento, & filios carnales ſuſcipientis, ſiue ante, ſiue poſt ſint nati: & non tranſit ad fratres vel ſorores eius qui ſuſcipit ſacramentum, ſiue ante ſint nati, ſiue poſt naſcantur: omnes enim illi ſi aliud non obſtat impedimentum, licitè poſſunt coniungi fratribus & ſororibus eius cui ſacramentum datur, vel qui in ſacramento tecetur, vt infra dicetur in litera.

His habitis ad obiecta reſpondendum, dicendo ad primum, quòd ad contrahendum cognationem non eſt neceſſarium communicare in actu mediante quo contrahitur. Et eſt inſtantia: quia filius primus non communicat patri in generatione ſecundi: & tamen quia ſecundus traducitur ab eodem à quo primus ſumpſit originem, ideo ſecundus efficitur ſuper primum. Similiter ego non communico fratri meo in actu generationis: & tamen filius ſuus efficitur mihi in ſecundo gradu per reſpectum mei & fratris mei ad truncum vnde deſcendimus. Similiter etiam eſt hic in propoſito: quia per reſpectum ab eodem à quo illi deſcendunt carnaliter, & illi ſpiritualiter efficiuntur ſpirituales fratres.

Ad aliud dicendum, quòd ideo gradus in hac cognatione non diſtinguuntur, quia nunquam diſtat niſi in gradu primo, qui eſt inter fratres: inter truncum enim & gradum primum non eſt gradus diſtantia. Compater autem & ad patrem & ad puerum ſuſceptum in ſacramento non habet diſtantiam gradus: quia ad patrem carnalem habet ſe ſicut truncus, & ad puerum ſicut ad id quod emanat immediatè à trunco: ſed puer ad filios carnales patris ſiue ſpirituales habet ſe vt fratres qui ſunt in primo gradu, nec vnquam vltra deriuatur.

Ad duo ſequentia concedendum eſt de plano.

Ad id quod vlterius concluditur, quod ſunt quatuor ſpecies, dicendum ad primum, quòd benè conceditur, quòd maior quoad dignitatẽ eſt cognatio ſpiritualis, quam carnalis, ſed quoad dependentiam ad vnum non eſt ita: vnde in propagata ad alterum cognatione ſemper oportet adeſſe carnalem cognationem, ſicut patet quando ſpiritualis propagatur ad filios carnales ſuſcipientis in ſacramento, & ad parentes ſuſcepti: & hoc ideo eſt, quia non poteſt ſpiritus ex ſpiritu, ſed potius caro ex carne propagari. Vnde cum inter filios ſpirituales dantis ſacramentum vel tenentis in eo, & inter tentum in ſacramento, nulla ſit coniunctio propagationis carnis, nulla erit inter eos cognatio ſpiritualis. Directa enim conſtat, quòd non eſt: & indirecta ſine dependentia carnali eſſe non poteſt: & ita non tranſit ad ſpirituales filios iſta cognatio.

Ad aliud dicendum, quòd per idem patet ſolutio.

Qui ſint filij ſpirituales.

30.q.1.c. 9. Ad limina.

Spiritvales filij ſunt, quos de ſacro fonte leuamus, vel in cathecizatione ſeu confirmatione tenemus. Filij etiam & filiæ ſpirituales eorum ſunt, qui trinæ merſionis vocabulo eos ſacro baptiſmate tingunt. Dicitur etiam ſpiritualis filia ſacerdotis, quæ ei peccata ſua confitetur. Vnde Symmachus Papa, Omnes quos in pœnitentia ſuſcipimus, ita noſtri ſpirituales ſunt filij, vt & ipſi quos vel nobis ſuſcipientibus, vel ſub trinæ merſionis vocabulo mergentibus, vnda baptiſmi regenerauit. Sylueſter etiam admonet, vt ad ſuam filiam pœnitentialem nullus ſacerdos accedat, quia ſcriptum eſt, Omnes quos in pœnitentia accipimus, ita noſtri filij ſunt, vt in baptiſmo ſuſcepti: quorum omnium flagitioſa eſt commixtio. Quod autem compater & commater ſibi iungi nequeant, nec pater ſpiritualis: nec mater filiæ, vel filio ſpirituali, ex concilio Maguntinen. docetur. De eo quod interrogaſti, ſi aliquis filiolam ſuam duxerit vxorem, & de eo qui concubuit cum matre ſpirituali, & de eo qui filium ſuum baptizauit, & vxor eius eum de fonte ſuſcepit, hac cauſa vt diſſidium fieret coniugij, ſi poſt in tali copula poſſunt permanere: ſic reſpondendum eſt,

30.q.1. Omnes quos.

In concil. Maguntinenſi.

30.q.1. g. De eo.

est, Si filiolam vel commatrem suam aliquis in coniugium duxerit, separandos esse iudicamus, & graui pœnitentia plectendos. Si verò coniuges legitimi, vel vnus, vel ambo ex industria hoc fecerint, vt filium suum de fonte susceperint: si innupti manere voluerint, bonum est: sin autem, grauis pœnitentia insidiatori iniungatur, & simul maneant: & si præuaricator coniugij superuixerit, acerrima pœnitentia mulctetur, & sine spe coniugij maneat. Ex his apparet, quòd aliquis filiolam suam vel commatrem non potest sibi copulare nuptialiter: & si præsumptum fuerit, separandi sunt. Qui autem legitimè coniuncti sunt, non ideò separandi sunt, quia alter eorum insidiosè filium de fonte leuauit. Quod etiam Nicolaus confirmat dicens, Nosse desideras, vtrum mulier quæ viri filium ex alia fœmina genitum de sacro fonte leuauerit, postmodum possit cum eodem viro copulari. Quos ideo coniungi posse decernimus, quia secundum canones sacros, nisi amborum consensu nullius religionis obtentu debet coniunx dimittere coniugem, cum Apostolus præcipiat, Nolite fraudare inuicem, nisi fortè ex consensu ad tempus, &c. Ideo dictum est nobis quasdam fœminas desidiosè, quasdam verò fraudulenter, vt à viris suis separarentur, proprios filios coram Episcopis ad confirmandum tenuisse. Vnde nos dignum duximus, vt siqua mulier filium suum desidia, aut aliqua fraude coram Episcopo tenuerit ad confirmandum, propter fallaciam vel fraudem, quandiu viuat, pœnitentiam agat: tamen à viro suo non separetur. Item Ioan. Papa, Ad limina sancti Petri homo nomine Stephanus veniens, nostro præsulatui innotuit, quod filium suum in extremo vitæ positum, necdum baptismi vnda lotum, absentia sacerdotum cogente baptizauit, eumque propriis manibus susscepit. Atque pro huiusmodi negotio reuerentia tua præfatum hominem à sua coniuge iudicauit esse separandum. Quod fieri nullatenus debet, dicente Scriptura, Quod Deus coniunxit, homo non separet. Et Dominus non dimittere vxorem, nisi causa fornicationis iubet. Et nos tanta auctoritate freti dicimus non dimittendum esse, & inculpabile iudicandum quod necessitas intulit. Nam baptizandi opus laicis fidelibus, si tamen necesse fuerit, liberè conceditur. Vnde si supradictus homo filium morientem aspiciens, ne animam perpetuò perire dimitteret, vnda baptismi lauit, vt eum de potestate mortis eriperet, bene fecisse laudatur. Ideoque suæ vxori, sibi iam olim legitimè societate, impunè dum vixerit iudicamus manere coniunctum, nec ob hoc separari debere. His aliisque pluribus auctoritatibus edoceetur, coniuges non esse separandos, si post legitimam copulam alter alterius filium de fonte leuauerit, vel in confirmatione tenuerit.

Ibidem. c. Nosse.

1. Cor. 7. Ex conc. Cabilionensi. ibidem. c. Dictũ est.

Ibidem ad limina.

Act. 19. Matth. 5. & 19.

Quid præmissis obuiat.

HIs autem obuiare videtur, quod Deusdedit Papa ait, Peruenit ad nos diaconus sanctitatis vestræ epistolam deferens, quòd quidam viri & mulieres præterito sabbato paschali, pro magno populi incursu nescientes filios suos susscepissent de lauacro. Cupis ergo scire, an propter hoc debeant viri ac mulieres ad proprium

C 30. q. 1. cap. Peruenit.

prium vſum redire, vel non? Nos verò hac re mœſti, priorum inquiſiuimus dicta, & inuenimus in archiuis, id eſt, in armariis apoſtolicæ ſedis, iam talia contigiſſe in pluribus Eccleſiis, quarum Epiſcopis ab hac apoſtolica ſede volentibus ſcire, vtrum viri ac mulieres redirent ad proprium thorum. Beatæ memoriæ ſancti patres Iulius Papa, Innocentius, & Celeſtinus cum Epiſcoporum plurimorum conſenſu in Apoſtolorum principis Eccleſia præſidentes, talia reſcripſerunt & confirmauerunt, vt nullo modo ſe in coniugio reciperent viri ac mulieres, quicunque hac ratione ſuſceperunt natos, ſed ſepararent ſe, ne ſuadente diabolo tale vitium inualeſcat. Item, Siquis filiaſtrum vel filiaſtram ſuam ante Epiſcopum tenuerit ad confirmationem, ſeparetur ab vxore ſua, & aliam nunquam accipiat. Hæc autem vel ad terrorem dicta ſunt, non quod ita eſſet faciendum, ſed ne illud fieret ſummopere cauendum, vel de illis eſt intelligendum, qui prius filios ſuos viciſſim de fonte ſuſceperunt, quam fierent coniuges. Præmiſſis autem auctoritatibus omnino conſentiendum eſt, vt ſiue proprium, ſiue tantum viri filium mulier de fonte ſuſceperit, non ideo à viro ſeparetur, quod & de viro ſimiliter oportet intelligi.

Ibidem. Siquis filiaſtrum.

ARTICVLVS V.

Quibus ſacramentis mediantibus contrahitur iſta cognatio ſpiritualis?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Spirituales filij, &c.] Et quæritur hîc, Mediantibus quibus ſacramentis contrahatur iſta cognatio ſpiritualis? Videtur autem, quòd per Euangelij prædicationem: quia dicit Apoſtolus 1. Corinth. 4. In Chriſto Ieſu per Euangelium ego vos genui. Et ad Galat. 4. Filioli quos iterum parturio, donec formetur in vobis Chriſtus. Sed in generatione ſpirituali contrahitur cognatio ſpiritualis. Ergo prædicator habet cognationem ſpiritualem cum his quibus prædicauit.

2 Vlterius videtur, quòd in pœnitentia: quia dicit in litera Symmachus Papa, Omnes quos in pœnitentia ſuſcipimus, &c. Item in litera Sylueſtri Papæ ſcriptum eſt, Omnes quos in pœnitentia ſuſcipimus, &c.

3 Item ex litera habetur, quòd in catheciſmo, quia hoc dicitur hîc in litera. Item 30. quæſt. 1. habentur plura de hoc. Item catheciſmus inſtruendo generat ad fidem: ergo facit contrahi cognationem ſpiritualem.

4 Videtur autem, quòd in omnibus ſacramentis: quia in quolibet ſacramento operatur miniſter ad ſpiritualem generationem ſuſcipientis ſacramentum: talis autem operatio facit contrahi talem cognationem ſpiritualem: ergo quilibet operans ad ſuſceptionem cuiuſcunque ſacramenti contrahit ſpiritualem cognationem cum ſuſcipiente.

RESPONSIO. Dicendum, quòd de hoc fuerunt variæ apud diuerſos opiniones. Quidam enim dixerunt, quòd in omnibus ſacramentalibus baptiſmi contrahitur talis cognatio, ſcilicet catheciz ationes, exorcizatione, immiſſione ſalis, & huiuſmodi. Sed quia nulli nititur rationi, cum baptiſmus ſit primum ſacramentum & ianua ſacramentorum, & nihil antecedentium regeneret hominem: dicunt alij aliter, ſcilicet quòd tria ſacramenta faciunt tantum ſpiritualem cognationem, ſcilicet catheciſmus, baptiſmus, & confirmatio: ſed hi ſunt Decretiſtæ, quia catheciſmum ſacramentum vocant, quod nullo modo verum eſt, quia ante baptiſmum nullum eſt ſacramentum: & ſi ſanctus vocat ſacramentum, ponitur ſacramentum pro ſacramentali. Ideo dicendum, quòd tantum duo ſacramenta faciunt cognationem ſpiritualem, ſcilicet baptiſmus & confirmatio. Et ratio huius poteſt elici ex notatis ſupra de ſacramentis illis: quia vnum imprimit characterem diſtinguentem ad fidem in ſortem Domini: ſecundum autem robur eiuſdem characteris: & ideo faciunt generationem & complementum generati ſpiritualiter, & ideo faciunt cognationem ſpiritualem. Si autem quæratur de ordine cum imprimat characterem, quare ipſe non facit? Dicendum, quòd duæ ſunt rationes quare ipſe non facit. Vna eſt, quia non imprimit characterem fidei, ſed potius excellentiæ & prælationis: & ille non regenerat. Alia eſt, quia non datur niſi viris: & ideò nullum poteſt procreare matrimonio impedimentum, cum nullus alium ſuſcipiat in ſacramento ipſo. De Euchariſtia autem & extrema vnctione per ſe patet, quòd nullum imprimunt characterem, nec matrimonio ex ſuæ ſuſceptionis modo vllum poſſunt procreare impedimentum.

AD PRIMVM autem dicendum, quòd verbum, vt vult Ariſtot. non habet niſi virtutem perſuaſiuam: & ideo non regenerat, ſed tantum diſponit ad hoc: ſed in operatione ſacramentali eſt gratia ex ipſo opere operato. Per hoc etiam patet ſolutio ad ſequens.

AD ALIVD dicendum, quòd pœnitentia

tia magis trahit robur ex deuotione pœnitentis, quam sacerdotis: & propterea non imprimit characterem. Et quod dicitur in litera, dicendum quòd non debent contrahere: sed tamen si contraxerint, stabit matrimonium.

AD ALIVD dicendum, quòd catheciſmus non completur, niſi in baptiſmo, & ideo non impedit niſi cum baptiſmo exiſtens. Et per hoc patet ſolutio literæ. Aliter tamen dicunt Decretiſtæ ſic, quòd baptiſmus & confirmatio impediunt & dirimunt, ſed cognatio quæ eſt ex catheciſmo adeò eſt exilis & debilis, quod vix impedit contrahendum, & non dirimit contractum. Sed prima ſolutio verior eſt: quia rationem habet, & ſaluat literam.

ARTICVLVS VI.

Quæ commatres, & qui compatres poſſunt contrahere?

DEinde quæritur de hoc quod dicit [Quod autem compater & commater ſibi iungi nequeant, &c.] Videtur enim falſum: ſit enim, quòd aliqua ſit commater alicuius fœminæ ex filio ſuo, vel illius: & poſteà contrahat cum viro nihil habente commune cum alterutra illarum: poſteà moriatur ſua vxor, & ducat illam cuius ipſa commater fuit. Dicunt iura, quòd ſtat matrimonium, & tamen iſte habuit duas commatres.

2 Item ſit, quòd aliquis accipiat vxorem prægnantem ex alio viro: & poſteà pariat poſtquam cognita eſt à viro ſuo ſecundo, & illum puerum mulier alia ſuſcipit in ſacramento. Dicunt iura, quòd mortua ſua poteſt ducere commatrem illius quæ ſic commater effecta fuit. Et idem eſt ſi peperit poſt conſenſum de præſenti, & ante carnalem copulam.

RESPONSIO. Dicendum, quòd iura bene & rationabiliter determinant: quia non communicant ſibi actus ſuos coniugati, niſi in eo in quo ſunt vna caro, & poſtquam ſunt, ſicut dictum eſt de indirecta compaternitate. Et veritas huius quæſtionis eſt in duobus verſibus. *Solutio.*

Qui mihi vel cuius mea natum fonte leuauit,
Hæc mea commater fieri mea non valet vxor.
Si qua meæ natum non ex me fonte leuauit,
Hanc poſt fata meæ non mihi vetabor habere.

De copula ſpiritualium, vel adoptiuorum, & naturalium filiorum.

QVOD autem ſpirituales vel adoptiui filij naturalibus copulari nequeant, Nicolaus Papa teſtatur ita inquiens: Ita diligere debet homo eum qui ſe ſuſcepit de ſacro fonte, ſicut patrem. Inter fratres & filios ſpirituales gratuita & ſancta communio eſt, quæ dicenda non eſt conſanguinitas, ſed habenda ſpiritualis proximitas. Vnde inter eos arbitror non poſſe fieri legale coniugium, quia nec inter eos qui natura, & eos qui adoptione filij ſunt, venerandæ leges matrimonia contrahi permittunt. Item, Si inter eos non contrahitur matrimonium quos adoptio iungit, quanto potius à carnali oportet inter ſe contubernio ceſſare, quos per cæleſte ſacramentum regeneratio ſancti Spiritus vincit. D Ad conſulta Bulgarorum. 35. q. 5. cap. Ita diligere.

ARTICVLVS VII.

Quid ſit adoptio?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Quod autem ſpirituales vel adoptiui filij] Et ponitur hic quæſtio de cognatione ſpirituali. Et quia in diffinitione eius cadit adoptio, ideo quæramus de adoptione ſex. Primum eſt, Quid ſit adoptio? Secundum, Quæ & quot ſint ſpecies adoptionis? Tertium, Quis poſſit adoptare? Quartum, Quis poſſit adoptari? Quintum, Quis ſit effectus adoptionis? Sextum, Quot & quæ ſint ſpecies adoptatorum cognationem inter ſe habentium. Circa autem ipſam cognationem legalem quæremus duo, ſcilicet quid ſit, & qualiter impediat matrimonium, & qualiter non? Et ſic ſunt octo in vniuerſo quæ circa hoc quæruntur.

Ad primum horum ſic proceditur: Dicitur communiter, quòd adoptio eſt extraneæ perſonæ in filium, vel nepotem, vel deinceps aſſumptio legitima. Videtur autem, quòd non ſemper ſit extraneæ perſonæ: quia non extranea maius ius habet in hæreditate: ergo illa potius debet adoptari.

2 Item, Propinquitas naturæ facit gradus in ordine charitatis: ergo multo magis in ordine adoptionis: ergo videtur, quòd non extranea perſona magis debet adoptari, quam extranea.

3 Item, Ius aliquid in hæreditate quantum ad ſucceſſionem dat propinquis: ergo ſine iniuria illorum extraneus non poteſt introduci in hæreditatem in toto vel in parte: ergo adoptio non ſemper eſt extraneæ perſonæ.

VLTERIVS quæritur, Quare dicat, In filium, vel nepotem? Quia conſtat, quòd per *Quæſtiũcula.*

gradus non distat adoptatus ab adoptante: ergo quilibet adoptatur in filium, & nullus in nepotem.

2 Item, Vna est adoptio faciens de extraneo filium qui maximè distat: cum ergo de maximè distante per adoptionem fiat nihil distans, eò quod inter patrem & filium nulla sit distantia, videtur quòd non sit in ea gradus: ergo nihil est dictum, In filium, vel nepotem, vel deinceps.

Solutio. RESPONSIO. Ad hoc dicendum, quòd adoptio inducta est in solatium filiorum perditorum. Et quia contingit nepotes & pronepotes & sic deinceps etiam perdi, ideo in solatium ipsorum etiam adoptio nepotum & deinceps est inducta. Et per hoc patet solutio ad duo vltima inducta.

AD PRIMVM autem dicendum, quòd adoptio de non coniuncto ex iure successionis facit successorem: & ideo oportet, quòd sit persona extranea, quia aliter aliquod ius, scilicet consanguinitatis haberet in hæreditate percipienda.

AD ALIVD dicendum, quòd non est simile: quia charitas perficit naturam, & ideo quemlibet gradum conducit ad proprium charitatis effectū: sed adoptio inducta est in solatium quasi naturæ in illa parte qua perpetuari habet, ne nomen alicuius de sua posteritate deleatur: & ideo non fundatur super successores, sed extraneos.

AD ALIVD dicendum, quòd vir quandiu est in potestate bonorum suorum cum vxoris consensu & principis de suis bonis potest ordinare quod voluerit: & ideò propinqui adoptionem impedire non possunt.

ARTICVLVS VIII.

Quot sunt species adoptionis?

SEcundo quæritur, Quæ & quot sint species adoptionis? Et communiter dicitur, quòd duæ, scilicet arrogatio, & simplex adoptio. Arrogatio autem est adoptio auctoritate principis facta de eo qui sui iuris est, vel per patris naturalis mortem, vel per emancipationem qua transit in potestatem adoptantis. Simplex autem adoptio est adoptio auctoritate magistratus facta de eo qui non sui iuris est, nec transit in potestatem adoptantis. Vnde versus:

Arrogo qui suus est, & habet meus esse necesse.
Patris adopto suum, nec patris desinit esse.

Sed contra hoc obiicitur: quia contra ordinem naturæ videtur esse arrogatio: quia natura nunquam id quod perficit in esse & posse, reuocat in imperfectum: ergo nec ciuilis debet hoc facere: sed suus est perfectus in sui regimine, non suus autem imperfectus: ergo de suo ordine iuris potest fieri non suus: ergo arrogatio per quam hoc fit, est contra ordinem iuris naturalis.

2 Similiter obiicitur de simplici adoptione: omnis enim filius est sui patris: ergo & adoptiuus sui patris adoptantis est: ergo cum adoptatur, ipse desinit esse sui patris naturalis, & incipit esse adoptantis: & hoc est contrarium huius quod hic dicit diffinitio inducta.

3 Vlterius videtur, quòd plures sint species adoptionis: quia non suus de consensu patris naturalis potest transire in suum adoptantis: & ista species non tangitur hic: ergo insufficienter sunt species assignatæ.

VLTERIVS quæritur, Vtrum vniuocè adoptio dicitur de illis duabus speciebus? Et videtur, quòd non: quia vna retinet nomen generis, eo quod nihil addit generi: alia autem addit aliquid: sed talia suum genus nunquam participant vniuocè: ergo nec ista. *Quæstiuncula.*

2 Item, Cum dicitur simplex adoptio, videtur per simplicitatem innui, quòd nihil nisi simplicem naturam habet communis: sed arrogatio habet plus: ergo non dicitur vniuocè de illis.

IN CONTRARIVM est, quòd in vtraque de non filio fit filius: sed hoc est ratio adoptionis: ergo vna ratione dicitur de vtraque specie adoptionis. *Sed contra.*

2 Item, Non differunt nisi materialiter, quia esse emancipatum, vel esse filiumfamilias, sunt differentiæ accidentales: sed materia est per accidens differentia: ergo istæ duæ species sunt materiales, vt videtur.

RESPONSIO. Dicendum, quòd diffinitiones inductæ sunt valdè bonæ, & continentur in eis conuenientiæ & differentiæ duarum specierum adoptionis: & hoc plane quilibet videre potest. *Solutio.*

DICENDVM ergo ad primū, quòd non secundū idem potest vnum & idem esse perfectū & imperfectum secundum naturam, nec etiam secundum ciuilia: sed in natura quidem adoptiuus est perfectus, sed in iure succedendi in aliis bonis est imperfectus: & quoad hoc transit in potestatem patris adoptantis.

AD ALIVD dicendum, quòd suus patris carnalis potest esse adoptiuus: sed non suus patris adoptantis, quia non potest esse in potestate duorum, & ideò non transit in potestatem adoptantis.

AD ALIVD dicendum, quòd non sunt plures. Ad obiectum autem dicendum, quòd quando non hoc fit, tunc pater naturalis emancipat eum de sua potestate: & tunc est species quæ dicitur arrogatio.

AD ALIVD dicendum, quòd sicut probant duæ rationes priores, adoptio dicitur per prius & posterius de arrogatione & adoptione simplici. *Ad quæstiuncu-lam.*

AD ID quod obiicitur in contrarium, dicendum, quòd ratio generis est in vtraque specie: sed in vna nihil additur ei, scilicet in adoptione simplici: in alia autem additur differentia: & ideo illa fortius participat esse adoptionis, quam alia.

AD ALIVD dicendum, quòd in naturalibus sunt accidentia: tamen secundum quòd cadunt iura ciuilia super illos, efficiuntur differentiæ substantiales: & ideo ciuiliter loquendo sunt species adoptionis.

ARTICV

ARTICVLVS IX.

Qui possunt adoptare?

TErtio quæritur, Quis possit adoptare? Et dicitur communiter, quòd tria exiguntur ad hoc quòd quis possit adoptare, scilicet, suus, hoc est, sui iuris existens, & generare potens, & ætatem habens vltra 20. annos. Et de primo quidem nullum dubium est, sed de secundo. Si enim adoptio est in solatium filiorum: & non generare potens magis destituitur ex impossibilitate prolis, quam generare potens, videtur quòd adoptio magis debeat concedi generare non potenti, quam generare potenti.

2 Item, In filiis est successio naturæ patris & hæreditatis: sed ambo ista priuantur ab eo qui non potest generare: ergo illi magis, quam alij debet concedi vt adoptet.

3 Vlterius quæritur de tertio membro, scilicet ætatem habens vltra 20. annos. Videtur autem, quòd in 18. anno debet fieri adoptio: quia tunc generare potest naturaliter: ergo & adoptare.

4 Item, Adoptare posse, sequitur ad generare posse: ergo & tempus ad tempus: sed tempus generationis est in 14. anno: ergo & tempus adoptionis.

Quæstiuncula. VLTERIVS quæritur, si mulier possit adoptare? Videtur, quòd sic: quia mulier tristatur in desolatione filiorum: sed adoptio talibus conceditur in solatium: ergo & mulieri debet concedi.

Sed contra. CONTRA: Mulier nunquam perfectè est sui iuris, sed in potestate viri: ergo nunquam potest adoptare.

2 Item, Nunquam generat actiuè, sed passiuè tantum: ergo nec adoptare potest, nisi fortè iuuando maritum.

Solutio. RESPONSIO. dicendum, quòd illa tria quæ posita sunt, exiguntur: vnde seruus qui non est suus, adoptare non potest, nec in potestate tutorum existens, nec filiusfamilias.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd extremum genus infelicitatis (vt vult Boet.) est aliquando fuisse felicem: & ideo impossibilis generare non destituitur sicut ille qui aliquo orbatus est filio, vel non habet eos: & ideo isti conceditur quod non illi, quia in illo ipsa impossibilitas minuit desiderium filiorum.

AD ALIVD dicendum, quòd licet vtrumque priuetur in eo qui generare non potest: tamen non est anxietas desiderij, quia anxium desiderium non est nisi de re possibili.

AD ALIVD dicendum, quòd licet in 14. anno generatio est possibilis, non tamen est perfecta & stabilis, sed potius in 21. anno, vt dicunt Philosophi.

AD ALIVD dicendum, quòd planè concedi potest de prole perfecta & stabili, in qua stare potest successio hæreditatis & naturæ.

Ad quæstiunculam. AD ID quod vlterius quæritur, dicendum quòd mulier non potest adoptare, nisi in vno casu, scilicet, in rescripto principis & in solatium filiorum perditorum.

AD ID quod contra obiicitur, dicendum quòd illæ duæ rationes satis probant, quod in se mulier non est sufficiens, sed supplementum est ex principis rescripto & dispensatione.

ARTICVLVS X.

An quilibet potest adoptati?

QVarto quæritur, Quis possit adoptari? Et dicitur communiter, quòd masculus & fœmina minor ætate quam adoptans, tantum quod filius eius naturalis esse possit. Videtur autem, quòd hoc nihil sit: quia, vt dictum est, aliquis adoptare potest, quando est maior 20. annis: sed adoptio perfecta est arrogatio: ergo tunc potest arrogare: sed arrogari non potest, nisi qui est sui iuris: ergo tunc potest arrogare eum qui sui est iuris: ille autem est 25. vel amplius annorum secundum leges: ergo ille qui est 20. annorum potest adoptare eum qui est 25. vel amplius annorum: ergo minor ætate potest adoptare maiorem ætate.

2 Item videtur, quòd fœmina non possit adoptari: quia adoptio est in solatium filiorum data, vel ei qui paucos vel nullos habet filios: sed, vt dicit Philosophus, fœmina est mas occasionatus, non intenta finaliter à natura: ergo solatium posteritatis non est in fœmina: ergo non potest adoptari, vt videtur.

Solutio. RESPONSIO dicendum, quòd personæ prædictæ possunt prædicto modo adoptari.

AD OBIECTVM autem primum dicendum, quòd non nisi maior ætate potest adoptare: vnde qui est 21. annorum non potest arrogare aliquem maiorem ætate: & si arrogat aliquem, oportet quòd puerum cuius pater defunctus iam secundum consuetudinem fecit eum esse suum, quando fuit annorum 13. vel 14. quia tunc de consuetudine sui iuris esse dicuntur, quorum pater defunctus est.

AD ALIVD dicendum, quòd licet fœmina non intendatur à natura particulari, intenditur tamen à natura vniuersali: & ideo adoptio potest fieri de ipsa.

ARTICVLVS XI.

Quis sit effectus adoptionis?

QVinto quæritur, Quis sit effectus adoptionis? Et videtur, quòd differens sit effectus in adoptione simplici, & arrogatione: quia simpliciter adoptatus non succedit patri adoptanti, nisi inquantum ille determinat, vel etiam in nullo: sed arrogatus ab intestato succedit per omnia, sicut filius naturalis: sed si emancipat eum pater adoptiuus, tenetur ei assignare quartam omnium bonorum suorum. Similiter si moritur faciens testamentum, tenetur ei relinquere quartam: & hoc ideo: quia arrogatus cedit in potestatem arrogantis cum filiis suis & nepotibus non emancipatis, sed non adoptatus adoptione simplici.

Sed contra hoc obiicitur pro prima parte:

quia aliquid debet ſimplex adoptio valere adoptato : ergo ratione adoptionis ſibi aliquid relinquere tenetur.

2 Item, Sicut dicit Apoſtolus 2. Cor. 12. parentes debent filiis theſaurizare : ſed iſte pater adoptiuus eſt pater : ergo tenetur aliquid filio adoptato theſaurizare : ergo aliquid de bonis ſuis tenetur ei relinquere.

3 Vlterius quæritur ratione alterius partis: quia iniuſtum videtur, quòd arrogatus ab inteſtato ſuccedat per omnia. Magna enim differentia eſt inter filium naturalem & legitimum,& adoptatum per arrogationem : ſed filius naturalis & legitimus non habet plus,niſi quòd per omnia ſuccedit ab inteſtato : ergo adoptatus per arrogationem habet minus:ergo videtur, quòd non per omnia debet ſuccedere.

4 Item quæſtio eſt, Quare datur ei quarta ſi emancipatur vel teſtando moritur pater adoptans ?

Solutio. RESPONSIO. Dicendum ad primum, quòd ſimplex adoptio minimum quod eſſe poteſt habet de eſſe & de ratione adoptionis, & non contrahitur ſub genere adoptionis in communi per differentiam ſpecificam, ſed per modum, vt prius dictum eſt:& ideo potius eſt diſpoſitio ad adoptionem perfectam quam adoptio perfecta : & ideo non obligatur ei adoptans perfectè, quia nunquam tranſiuit in poteſtatem,vt faceret ei vt ſuo. Sed verum eſt, quòd æquitas eſt & vrbanitas, quòd aliquid dimittat ei:& habet hoc ab effectu adoptionis.

AD ALIVD dicendum, quòd non eſt adhuc pater perfectè, cum iſte non ſit ſuus: & ideo ex diſtricto iure non tenetur ei theſaurizare.

AD ALIVD dicendum, quòd adoptiuus habet de beneplacito, quod ille ex natura: nihil enim prohibet,quin beneplacitum alicui confirmet hoc in ſucceſſionis iure, quod alius habet ex hoc quod natus eſt ad illud : & ille fortiori iure quodammodo habet,quia naturali,quam iſte:& hæc eſt differentia filiationis naturalis & adoptiuæ in caſu iſto.

AD VLTIMVM dicendum, quòd ei datur quarta in communi : quia vna cedit ſibi,& vna vxori, & vna conſanguineis vel filio naturali, & tunc remanet quarta quæ datur arrogato. Et quia hæc communior & generalior eſt diuiſio bonorum, ideo in quarta ius collocat ea quæ danda ſunt arrogatis.

ARTICVLVS XII.

Quot ſunt ſpecies adoptatorum ?

SExto quæritur, Quæ & quot ſunt ſpecies adoptatorum ? Et videtur, quòd tres,ſcilicet deſcendentium,lateralium,& legaliter iunctorum. Species deſcendentium attenditur inter adoptantem & adoptatum in filium vel nepotem,& ſic deinceps. Lateraliter venientium attenditur inter filium naturalem & filiam adoptatam, vel ècontra inter filiam naturalem & filium adoptatum. Legalis autem affinitas dicitur attendi inter vxorem adoptantis & adoptatum, vel ècontra inter vxorem filij vel nepotis adoptati & patrem adoptantem.

Sed contra obiicitur ſic : Propinquitas deſcendentium non poteſt eſſe niſi per affectum adoptantis & adoptati : hæc autem ad carnalem non ſunt deriuanda : ergo videtur, quòd nulla ſit inter eos propinquitas carnis.

2 Item, Sicut eſt linea deſcendentium,ita etiam eſt aſcendentium:ergo videtur, quod de vna linea plus eſſe debet quam eſt determinatum.

3 Item, Nulla videtur eſſe cognatio inter lateraliter venientes : quia conſtat,quod carnis affinitas ibi nulla eſt : ſimiliter in actibus animæ & exterioribus non communicant filij parentibus : ergo ex hoc quod aliquis adoptat aliquem, nulla contrahitur propinquitas inter adoptatum & filium adoptantis.

4 Vlterius obiicitur de de tertia : quia vir & mulier non ſunt vnum, niſi in his quæ ſpectant ad matrimonium : ſed adoptio non eſt de illis : ergo videtur, quòd non contrahitur propinquitas ex hoc quòd aliquis adoptatur, inter adoptatum & vxorem adoptantis, vel è conuerſo.

Quæſtiuncula. VLTERIVS quæritur, Vtrum vlterius tranſeat hæc affinitas in patrem, & matrem, & fratres,& ſorores,& ſic deinceps adoptantis & adoptati ? Si ſic : tunc erunt in adoptione gradus ſicut in generatione, quod videtur inconueniens, cum multò minor ſit adoptio, quam conſanguinitas carnalis. Si autem dicitur,quòd non,illud videtur inconueniens, cum tranſeat ad vxorem per modum affinitatis, & non ad cognatos, quia cognatio maior eſt quam affinitas.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd tres ſunt lineæ adoptionis,vt dictum eſt,& ſatis explanatum in principio.

AD ID ergo quod primo obiicitur, dicendum videtur, quòd adoptio eſt propter ſucceſſionem carnis, & ideo reſpicit ad carnis poſteritatem, & ponit propinquitatem ad illam: ſed ſi tantum eſſet in ſpiritu,tunc valere poſſet quod obiicitur.

AD ALIVD dicendum, quòd adoptio non exit domum adoptantis & adoptati,vt infra dicetur: & ideo in illis qui conſtituunt domum,ſicut vxor adoptantis vel adoptati, perpetuam contrahit propinquitatem. Sed lateraliter venientes,quia non ſunt niſi ad tempus in domo,non habent niſi temporalem cognationem, ſcilicet quandiu manent in domo adoptantis filius adoptatus & naturalis : & ideò non aſcendit.

AD ALIVD dicendum, quòd cognatio eſt quandiu ſunt indiſtincti à patre adoptante: quia tunc quodammodo ſunt vnum, & communicant ei in actibus : quia proprios actus non habent, ſed ad nutum eius in domo ſua exiſtentes mouentur.

AD ALIVD dicendum,quòd ſicut eſt in cognatione ſpirituali,quòd vir & mulier communicant ſibi actus ſuos,poſtquam effecti ſunt vna caro:ita eſt in adoptione tam actiua quam paſſiua. Vnde falſum eſt, quòd non niſi in his quæ ſunt matrimonij, vir & mulier ſibi ſuos actus communicent, ſed communicant etiam

ſibi

sibi in aliis: tamen adoptio quodammodo respicit matrimonium, quia adoptio filiorum quodammodo pertinet ad bonum prolis.

Ad quæstiunculam. Ad vltimvm patet solutio per antedicta, quia non transit vlterius: & ratio illius iam ante dicta est.

ARTICVLVS XIII.

Quid sit cognatio legalis?

Septimo quæritur, Quid sit cognatio legalis? Et dicunt, quòd cognatio legalis est proximitas quædam ex adoptione prouenies. Videtur autem, quòd hæc diffinitio sit mala: quia omnis proximitas per accidens radicatur in aliqua per se proximitate, sicut causa per accidens ad per se reducitur, vt dicunt Philosophi, sed hæc non radicatur in aliqua proximitate per se: ergo non est proximitas.

2 Præterea quare dicit, Quædam? signum enim particulare non diffinit, sed consignificat, quando partitur: ergo non debet poni in diffinitione.

3 Item, Signum particulare vult stare pro parte: diffinitio autè debet cõtinere partes essentiales tantũ: ergo malè ponitur in diffinitione. Alia autè quæ de sequenti parte obiici possent, iã sunt obiecta in præcedenti problemate.

Solutio. Rebponsio. Dicendum, quòd illa propinquitas radicatur in propinquitate per se, quæ est naturalis in lateralibus, & affinitas in affinitate legali in linea etiam descendentium fundatur in carnali, non quæ est, sed in eius solatium est inducta propter naturalium filiorum priuationem vel paucitatem: & talis reductio sufficit in positiuis. Et per hoc patet solutio ad primum.

Ad alivd dicendum, quòd non est diffinitio, sed descriptio: vel dicatur, quòd ly quædam non cogit terminum stare pro parte indiuiduali, sed pro specie accepta sub hoc communi quod est propinquitas: & hoc quod additur ex adoptione proueniens, dicit causam quæ supponit quid, & dicit propter quid. Et per hoc patet etiam solutio ad sequens.

ARTICVLVS XIV.

Qualiter cognatio legalis impediat matrimonium?

Octauo quæritur, Qualiter impediat matrimonium? Et communiter dicitur, quòd in prima & tertia linea impedimentum est perpetuum: sed in media quæ est ex latere venientium, non impedit nisi quandiu sunt in potestate naturalis patris & adoptantis filius naturalis, & filia, vel neptis adoptata: hac enim soluta per mortem vel emancipationem, soluitur etiam impedimentum. Similiter solus ille qui adoptatur & illi qui sunt sibi annexi, vt filius, & vxor, & neptis, & deinceps, cognati efficiuntur eorum qui sunt in potestate adoptatoris, & non aliorum.

Videtur autem hoc ius esse irrationale: quia cum Deus has personas non acceptet, videtur quòd Ecclesia non debeat has leges approbare.

2 Item, Quanto maius fœdus, tanto firmior amicitia: sed maius esset fœdus si filius adoptiuus filiam duceret naturalem, quam quod non liceat eam ducere: ergo videtur, quòd hoc ob firmitatem amicitiæ statui deberet.

Solutio. Solvtio. Dicendum, quòd leges volunt ita, sicut dictum est, & canones confirmant.

Ad primvm ergo quod contra est, dicendum quòd Deus multa Ecclesiæ inspiratæ concessit pro tempore promulganda, quæ ipse non promulgauit: quia status primitiuæ Ecclesiæ talia pati non potuit, eò quod tunc personæ erant secundum diuersos ritus coniunctæ, & voluit Deus omnes in vnam Ecclesiam congregari, & nulli facere ad fidem accessum difficilem. Postea autem multæ personæ sunt prohibitæ, quando fides fuit confirmata, tam in consanguinitatis, quam affinitatis & cognationis spiritualis & legalis gradibus.

Ad alivd dicendum, quòd fœdus aliquod cum alio per aliquod proprium habet contrarietatem sicut esse filium & coniungi filiæ: quia non coniungitur filiæ nisi extraneus: & ita est istud impedimentum. Et secundum ordinem naturæ videmus, quòd procedentia ex vno procedunt se separando, sed distantia redeuntia ad vnum se coniungendo procedunt: & hunc ordinem imitantur leges, quia filius naturalis & filia adoptata quasi ex vno procedunt: & ideo separando ire debent: & sic est etiam in aliis duabus lineis.

Si filij qui ante compaternitatem vel post nati valent coniungi.

Hoc autem quidam volunt intelligere de illis tantum filiis, quibus compatres facti sunt. De aliis verò qui ante compaternitatem vel post geniti sunt, concedunt quòd legitimè & licitè iungi possunt. Quibus videtur consentire Vrbanus secundus dicens, Super quibus consuluit nos tua dilectio, hoc videtur respondendum, vt & baptismus sit, si instante necessitate fœmina puerum in nomine Trinitatis baptizauerit, & quòd spiritualium parentum filij vel filiæ ante vel post compaternitatem genitæ, possunt legitimè coniungi, præter illam personam, qua compatres effecti sunt. E

Vbi supra cap. super quibus.

Paſchalis papa.

F Ibidem. c. Poſt ſuſceptum.

PASCHALIS verò ſecundus, poſt compaternitatem genitos copulari prohibet, ſcribens Regino Epiſcopo. Poſt ſuſceptum filium de fonte vel filiam ſpiritualem, qui ex compatre vel ex commatre fuerint nati, matrimonio iungi non poſſunt. Illud etiam notandum eſt, quod in Triburienſi concilio legitur: Siquis ſuæ ſpiritualis commatris filiam fortuitu, & ita contingente rerum caſu in coniugium duxerit, maturiori ſeruato conſilio habeat, atque legitimo connubio honeſtè operam det.

Siquis ducere poſſit duas commatres vnam poſt alteram.

G Cõſtan. Epi. 30. q. 4. c. Sciſcitatur.

SOLET etiam quæri, ſi commatrem vxoris poſt eius obitum quis ducere valeat? De hoc Nicolaus Papa ſic ſcribit, Sciſcitatur à nobis ſanctitas veſtra, ſiquis duas commatres habere valeat vnam poſt alteram? In quo meminiſſe debes

Gen. 1. ſcriptum eſſe, Erunt duo in carne vna. Cum ergo conſtet, quòd vir & mulier vna caro efficiuntur, reſtat virum compatrem conſtitui mulieri, cuius aſſumpta vxor commater erat, & ideo virum illi fœminæ non poſſe coniungi, quæ commater eius erat, cum qua idem fuerat vna caro effectus. Huic autem illud contrarium videtur, Qui

Ex Triburienſi concilio ibidem. c. Qui ſpiritualem. Ibidem. cap. Poſt vxoris. ſpiritualem habet compatrem cuius filium de lauacro ſuſceperit, & vxor eius commater non eſt, licet ei defuncto compatre ſuo eius viduam ducere in vxorem, quos nulla generatio ſpiritualis ſecernit. Item ex Epiſtola Paſchalis Papæ, Poſt vxoris obitum cum commatre vxoris coniugio copulari, nulla rario vel auctoritas videtur prohibere. Non enim per carnis vnionem ad vnionem ſpiritus tranſitur. Sed ſciendum eſt, quòd auctoritas Nicolai de illo agit, qui vxori ſuæ debitum reddidit, poſtquam commater illius extitit. Aliæ verò auctoritates de illo agunt, cuius vxor poſtquam à viro ſuo derelinquitur, illius commater efficitur, nec poſt compaternitatem à viro ſuo cognoſcitur, vel de viro potius agunt, cuius vxor ante defungitur, quam ab eo cognoſcatur.

ARTICVLVS XV.

An geniti ante compaternitatem vel poſt ſunt illegitimi, vel ſolum in compaternitate?

DEinde quæritur de hoc quod dicit [Hoc autem quidam volunt intelligere] Quæritur enim, Quid verũ ſit de iſtis opinionibus? Videtur enim, quòd omnes ante & poſt nati ſint illegitimi ad contrahendum: quia vna caro ſunt à qua deſcenderunt: ergo ſicut vnus eſt illegitimus, ita & alius.

2 Sed videtur, quòd tantum poſterius nati: quia ante illos pater non fuit coniunctus filiolo ſpirituali: ergo ad eos non potuit tranſire cognatio, ſed tantum ad poſteriores.

RESPONSIO. Dicendum, quòd nullus eſt illegitimus, niſi ille mediante quo compaternitas eſt contracta: & ille eſt etiam præcedenter & conſequenter natus illegitimus: & omnes aliæ antiquorum opiniones quæ ſuper hoc fuerunt, ſunt abrogatæ. *Solutio.*

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd verum eſt quantum ad eum cum quo contrahitur compaternitas, & non quoad alium fratrem vel ſororem ſuam.

AD ALIVD dicendum, quòd non poteſt tranſire confraternitas non fratris: ille autem qui non ſuſcipitur in ſacramento, non eſt filiolus: ergo non frater filiorum: ergo nec confrarer: & ſic impedimentum nullum præſtare poteſt in matrimonio.

Si vir & vxor possint simul tenere puerum.

SOLET etiam quæri, Si vxor cum viro simul debeat in baptismo suscipere puerum? De hoc Vrbanus ait, Quod vxor cum marito in baptismo simul non debeat suscipere puerum, nulla auctoritate videtur vel repetitur prohibitum, sed vt ipsa puritas spiritualis paternitatis ab omni labe & infamia conseruetur immunis, decreuimus vt vtrique simul ad hoc aspirare non præsumant. Quia verò piaculare flagitium commisit, qui duabus commatribus vel sororibus nupsit, magna pœnitentia debet ei iniungi. H Ibidem. c. Quod vxor.

ARTICVLVS XVI.

Quot debent esse in pueri susceptione, & an non baptizatus potest suscipere baptizatum, & non confirmatus confirmatum?

DEinde circa hoc quod dicitur [Solet etiã quæri, Si vxor cum viro] Quæritur enim hic, Quot debent esse in pueri susceptione? Et videtur, quòd vnus solus: quia Dion. vnum solum dicit fuisse anadochum in primitiua Ecclesia, qui puerum ad baptismum suscipiebat, qui pro puero spopondit sacras confessiones & abrenuntiationes.

2 Item, Leo Papa idem statuit, vt habetur de consec. dist. 4. Non plures ad suscipiendum de baptismo infantem accedant, quam vnus, siue vir, siue mulier. In confirmatione quoque id ipsum fiat.

Sed contra. IN CONTRARIVM autem huius est totus fere vsus Ecclesiæ.

2 Item, Quia marito suscipiente transit commaternitas ad vxorem: ergo si etiam ipsa suscipit, bis facta est commater, quod est superfluitas & iniuriam facere sacramento: ergo simul vir & vxor non debent suscipere.

Quæst. 1. ITEM QVÆRITVR vlterius, Vtrum alium suscipere possit in baptismo non baptizatus, vel in confirmatione non confirmatus? Et videtur, quòd sic: quia non baptizatus baptismo aquæ potest habere fidem & gratiam: ergo potest esse anodochus ad hoc quod alius suscipiat baptismum.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est, quod dicitur de consec. dist. 4. vbi sic præcipit concilium Maguntinense. In baptismate vel chrismate non potest alium suscipere in filiolum qui non est baptizatus vel confirmatus.

Quæst. 2. SED ESTO, quòd suscipiat, & quæratur, Vtrum contrahatur cognatio spiritualis? Videtur, quòd sic: quia Deus omne id approbat quod facit ad hominum conciliationem: ergo & istud.

2 Item, Sicut baptismus non tollit nisi peccata: ita videtur, quòd æqualiter ante baptismum & post locum habeant sacramentalia: sicut in coniugio patet, quòd manet ante & post baptismũ: ergo videtur, quòd cõtrahatur.

IN CONTRARIVM huius est, quòd baptismus est ianua; ergo ante illum non est ingressus in aliquid spiritualium. *Sed contra.*

2 Item, Dion. ita obiicit in theoria baptismi, Sicut in naturis operari non potest, qui nec per generationem subsistere adhuc habuit: ita in sacramentalibus & diuinis nihil operatur, cui non est datum spirituale subsistere per sacramentum regenerationis: sed operari spirituale quid, est suscipere de baptismo & contrahere cognationem spiritualem: ergo non potest hoc facere qui non est baptizatus.

SED TVNC vlterius pono alterum coniugum esse baptizatum, & alterum non baptizatum, & baptizatum aliquem suscipere in filiolum. Et quæratur, Vtrum cognatio spiritualis transit ad reliquum qui non est baptizatus? Et videtur, quòd sic, quia factus est vna caro cum illo: ergo sibi communicant suos actus: ergo compaternitas transit ad alterum. *Quæst. 3.*

IN CONTRARIVM huius est, quòd non habet fundamentum & ianuam sacramentorum: ergo nihil adhæret ei de sacramentis vel sacramentalibus: sed cognatio spiritualis est aliquid sacramentalium: ergo non transit ad eum cognatio spiritualis. *Sed contra.*

VLTERIVS quæritur, Vtrum liceat omnibus indifferenter suscipere filiolos in sacramento? Videtur autem, quòd non: quia dicitur de consec. dist. 4. Ex concilio Antisiodorensi, Non licet abbati vel monacho de baptismo suscipere filiolos, nec commatres habere. Item ex libro capitulorum, Monachi sibi compatres commatresue non faciant, nec fœminas osculentur. *Quæst. 4.*

IN CONTRARIVM huius est, quòd illorum est instruere in symbolo & Dominica oratione, qui maximè sunt instructi: sed tales sunt monachi & religiosi: ergo ipsorum est instruere alios: sed patrinorum est hoc officium: ergo monachi & religiosi possunt esse patrini. Quod autẽ patrinorũ sit hoc officiũ, probatur per Augustinũ in quodam sermone post pascha Domini, qui sic incipit, Hodiernus dies: in quo sic dicit, Vos ante omnia tã viros quã mulieres, qui filios in baptismate suscepistis, moneo vt vos cognoscatis fideiussores apud Deũ extitisse pro illis quos estis visi de sacro fonte suscipere. Ideoque semper eos admonete vt castitatem custodiant, iustitiam diligant, charitatem *Sed contra.*

teneant ante omnia ſymbolum & orationem Dominicam & voſipſi tenete, & illis quos ſuſcepiſtis de ſacro fonte, oſtendite.

Quæſt. 5. SED EX hoc vlterius videtur, quòd mulieribus non liceat aliquem de baptiſmo ſuſcipere: quia ſicut dicit Apoſtolus 1. Tim. 2. Mulieri docere in Eccleſia non permittitur. Patrini autem officium eſt docere, ſicut probatur ex verbo Auguſt. inducto, & ex theoria baptiſmi, & vltim. ca. Eccleſiaſticæ hierar.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum ad hoc quod primo quæritur, quòd ſufficit vnus tenens, præcipuè in confirmatione: ſed etiam in baptiſmo hoc ſufficit & tutum eſt: & ſi plures ſunt, hoc potius eſt permiſſio, quam ſtatutum quod debeat approbari: permittitur autem ratione amicitiæ quæ inter tales contrahi debet.

AD ALIVD dicendum, quòd vir & vxor ſimul non debent ſuſcipere vnum & eundem filiolum. Sed ſi fiat, tunc non ſequitur, quòd bis contrahatur commaternitas, ſed potius cognatio ſpiritualis alia & alia ratione contrahitur, ſcilicet directè, & indirectè, & hoc non eſt inconueniens.

Ad qu. 1. AD ID quod vlterius quæritur, dicendum quòd non poteſt ſuſcipere qui non eſt baptizatus.

AD HOC autem quod contra obiicitur, dicendum quòd licet habeat fidem & gratiam, tamen non habet eam vt Chriſtianus, ſed vt diſpoſitus ad ipſum: & ideo iure Chriſtianum docere non poteſt.

Ad qu. 2. AD ID quod quæritur vlterius, dicendum quòd nulla contrahitur cognatio, nec compaternitas. Ad hoc autem quod obiicitur, eſt dicendum, quòd Deus approbat ordinatè facta, & ſecundum regulam iuris, cum ipſe ſit ſummus ordo omnia ordinans, vt dicit Aug. Nullus autem ordo permittit, quòd in his quæ ſunt fidei non Chriſtianus imbuat Chriſtianum.

AD ALIVD dicendum, quòd baptiſmus non ſoluit bona inuenta, ſed mala: ſed tamen fundat omnia bona: & ideo in non baptizato ſecundum quod huiuſmodi eſt, nihil fundatur bonorum.

Ad qu. 3. AD ID quod vlterius quæritur, dicendum quòd non tranſit cognatio ſpiritualis. Ad obiectum contra, dicendum quòd licet ſint vna caro, tamen communicatio actuum ſpiritualium non tranſit; quia non eſt in eo fundamentum: ſed eſt etiam aliud quantum ad matrimonij fundamentum perſona non ſatis legitima, nec ſatis eſt ratum matrimonium inter tales, vt patuit ex ſupra dictis.

Ad qu. 4. AD ID quod vlterius quæritur, dicendum quòd non licet religioſis, meo iudicio, ſuſcipere filiolos, ne inter eos & fœminas eis nimia generetur familiaritas diſſoluens eorum religionem, ſicut dicunt decreta patrum. Ad obiectum contra, dicendum quòd aliud eſt inſtructum eſſe & poſſe inſtruere ex habitu ſcientiæ, & aliud ex officio paſtoralis curæ. Primo modo plus quandoque inſtructi ſunt monachi: ſed ſecundo modo non debent inſtruere, niſi clerici quibus eſt commiſſum.

Ad qu. 5. AD ID quod obiicitur de mulieribus, dicendum quòd poſſunt ſuſcipere: quia inſtructio earum eſt per modum excitationis, & non ex officio, vel auctoritate: & hoc ipſum non conceditur religioſis, ne euagandi habeant occaſionem.

De ſecundis & tertiis nuptiis, & deinceps.

31. q. 1. c. Deus maſculum. & cap. ſequenti. 1. Cor. 7.

SCIENDVM eſt etiam, quòd non ſolum primæ vel ſecundæ nuptiæ ſunt licitæ, ſed etiam tertiæ & quartæ non ſunt damnandæ. Vnde Auguſtinus, Secundas nuptias omnino licitas Apoſtolus concedit. De tertiis autem & quartis, & de vltra pluribus nuptiis, ſolent homines mouere quæſtionem. Sed quis audeat diffinire, quod nec Apoſtolum video diffiniſſe. Ait enim, Si dormierit vir eius, cui vult nubat. Non dicit, primus, vel ſecundus, vel tertius, vel quotuſlibet: nec à nobis diffiniendum eſt, quod non diffinit Apoſtolus. Vnde vt breuiter reſpondeam, nec illas nuptias debeo damnare, nec eis verecundiam numeroſitatis auferre, nec contra humanæ verecundiæ ſenſum audeo dicere, vt quoties voluerint nubant, nec ex meo corde præter Scripturæ auctoritatem quotaſlibet nuptias damnare. Idem teſtatur

Ibidem. cap. Aperiant quæſo, ad finē. 1. Tim. 5. Hieron. Ego nunc libera voce exclamo, nec damnari in Eccleſia bigamam, imo nec trigamiam, & ita licere quinto & ſexto, quemadmodum ſecundo marito nubere. Apoſtolus tamen bigamos à ſacerdotali honore excludit. Sed hoc non facit pro vitio bigamiæ, imo pro ſacramenti virtute, vt ſit vna vnius, ſicut vnica vnici. Illud tamen Cæſarien. concilij videtur innuere bigamiam eſſe peccatum. Presbyterum, inquit,

Ibidem, e. De his qui. in nuptiis bigami prandere non conuenit, quia cum pœnitentia bigamus indigeat,

quis

quis erit presbyter qui talibus nuptiis possit præbere consensum? Sed hoc intelligi potest, qui primæ vxori insidiatus putatur desiderio secundæ, vel pro signaculo sacramenti illud dicitur, quod in bigamo non seruatur. Ambros. etiam dicit, quòd primæ nuptiæ tantum à Domino sunt institutæ, secundæ verò sunt permissæ. Et primæ nuptiæ sub benedictione Dei celebrantur sublimiter, secundæ verò etiam in præsenti carent gloria.

ARTICVLVS XVII.

An secundæ nuptiæ sint sacramentum?

DEinde quæritur de hoc quod dicit [Sciendum est, quòd non solum primæ, vel secundæ nuptiæ] Et quæruntur duo. Primum est, Vtrum secundæ nuptiæ sint sacramentum? Secundum autem inducitur ratione omnium præcedentium impedimẽtorum, scilicet vtrum seperandum sit matrimonium quod contrahitur contra Ecclesiæ interdictum?

Ad primum sic obiicitur. Sacramentum est sacræ rei signum: ergo quod cadit à signando, cadit à sacramenti nomine & ratione: sed secundæ nuptiæ non signant: ergo non habent nomen & rationem sacramenti. Probatio mediæ. Signatum matrimonij est, quòd vnica sit vnici tam in sptritu quam in persona incarnata, vt supra patuit: & hoc non saluatur in secundis nuptiis, vt supra patuit in quæstione de bigamia.

2 Item, Omne sacramentum fit benedictione sacerdotum: sed, vt dicitur in litera ex verbis Ambros. secnndæ nuptiæ non fiunt benedictione sacerdotum: ergo secundæ nuptiæ non sunt sacramentum.

3 Item, Omne sacramentum est à Domino institutum, vt supra in communi sacramentorum est probatum: sed secundæ nuptiæ non sunt à Domino institutæ, vt dicitur in litera: ergo secundæ nuptiæ non sunt sacramentum.

4 Item, In quibusdam animalibus dicitur esse talis castitas, quòd secundo non copulantur, vt in turture: ergo multò magis hoc debet esse in homine, cum castitas secundum Philosophum sit naturæ bonum: nihil autem ens contra naturam est sacramentum: ergo secundæ nuptiæ non sunt sacramentum.

5 Item, Nullum sacramentum est peccatum: sed secundæ nuptiæ, vt dicitur in litera, sunt aliquid pro quo homo punitur: ergo non sunt sacramentum.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est totum quod dicitur in litera. Et Apostolus 1.Cor.7. Si dormierit vir eius, cui vult nubat tantum in Domino. Et 1.Timoth.5. Volo iuniores viduas nubere, filios procreare, matresfamilias esse. Ergo secundæ nuptiæ sunt bonum: & constat, quòd non sunt nisi bonum sacramenti: ergo secundæ nuptiæ sunt sacramentum.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd sacramentum sunt, sed non adeò perfectæ significationis. Et per hoc patet solutio ad primum.

AD ALIVD dicendum, quòd duplex est benedictio, scilicet quæ fit in facie Ecclesiæ, & quæ pertinet ad solennitatem. Primam autem habent secundæ nuptiæ: quia in facie Ecclesiæ approbantibus sacerdotibus contrahuntur. Secundam autem non habent: quia signum sunt concupiscentiæ, cui signo non decet sacerdotes interesse.

AD ALIVD dicendum, quòd institutio diuina in sacramentis est de substantia sacramenti, & non de modo: secundæ autem nuptiæ sunt quidam modus sacramenti: & ideo nuptiæ non sunt institutæ inquantum primæ vel secundæ, sed simpliciter: & hoc sufficit primis & secundis, & deinceps nuptiis.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc conuenit illis animalibus ratione speciei, & non generis: & ideo non oportet, quòd homini conueniat: quia homo & equus plus cæteris appetunt coitum: & ideo amplius homini datur medicamentum: licet enim castitas sit rationis bonum, tamen castitas non abiicitur per matrimonium, sed potius sancta & munda in ipso seruatur.

AD ALIVD dicendum, quòd matrimonium secundum non punitur directa pœna: sed bigamiam sequitur irregularitas ex defectu signi, vt supra in quæstione de bigamia satis est expeditum.

ARTICVLVS XVIII.

An matrimonium contra interdictum Ecclesiæ contractum, sit seperandum?

SEcundo quæritur de matrimonio contra interdictum Ecclesiæ contracto, vtrum sit seperandum? Videtur, quòd sic: quia sicut dicit Augustinus super illud Psalm. Passer inuenit sibi domum, vbicunque aliquis reponit pullos operum, nisi in nido Ecclesiæ, conculcantur: sed quod fit contra interdictum Ecclesiæ, est extra nidum Ecclesiæ: ergo debet conculcari, & pro nihilo haberi.

2 Item, Qui vos spernit, me spernit, vt dicitur Luc.10. sed interdictum spernens spernit prælatum Ecclesiæ: ergo ipse spernit Deum: sed nihil est ratum quod fit cum contemptu Dei: ergo tale matrimonium non est ratum.

3 Item, Omne sacramentum consistit in dispensatione ministrorum Ecclesiæ: ergo à destructione consequentis quod non consistit in dispensatione ministrorum, non est sacramentum: sed quod fit contra edictum ministrorum, non consistit in dispensatione ministrorum: ergo non est sacramentum.

IN CONTRARIVM est, quòd solus consensus facit matrimonium, vt supra habitum est, & ille potest etiam esse interdictus: ergo facit *Sed contra.*

go facit matrimonium : ergo non est separandum.

Solutio RESPONSIO. Sicut statutum est in concilio generali, vt dicitur extra. de matrimonio. contra Ecclesiæ interdictum contrahentes,non sunt separandi nisi fortè ad tempus vt peragant pœnitẽtiam de inobedientia,nisi habeant aliquod aliud impedimentum legitimum,propter quod non debeant commanere. Et ideo institutum est vt sacerdotes ante contractum pronuntient tale matrimonium : vt siquis aliquid dicere velit, possit. Et qui non pronuntiat,sed aliter coniungit sacerdos,tribus annis debet ab officio suspendi. Pronuntians autem malitiosè aliquid contra coniungendos, propter pœnitentiam pro peccato, canonicam debet subire vindictam.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd pulli non sunt extra nidum : quia sunt in forma Ecclesiæ & fide, licet aliquis circa tales in moribus sit excessus, qui pœnitentia puniri & corrigi debet : præcipuè cum dicat Augustinus, quòd etiam ab hæreticis in forma Ecclesiæ data sacramenta, in nido Ecclesiæ sunt & tenent.

AD ALIVD dicendum, quòd tales non spernunt formam sacramento substantialem, sed aliquid circa sacramentum, vt tempus, vel modum,quæ sacramento non sunt substantialia, sed accidunt.

AD ALIVD dicendum, vt supra ostensum est,quòd istud sacramentum non consistit omnino in dispensatione ministrorum : & ideo præter eos potest effici, sed per eos debet populo publicari. Et hæc de matrimonio dicta sufficiant.

DISTINCTIO XLIII.

De resurrectionis & iudicij conditione.

De resurrectione secũdum id quod est.

POSTREMO de conditione resurrectionis, & modo resurgentium, necnon & de die iudicij, & misericordiæ qualitate breuiter differendum est. Omnibus quæstionibus quæ de hac re moueri solent satisfacere non valeo, resurrecturam tamen carnem omnium quicunque nati sunt atque nascentur & mortui sunt & Isa.26. morientur, nullatenus ambigere debet Christianus. Ait enim Isaias, Resurgent mortui, & resurgent qui erant in sepulchris. Et Apostolus, 1. Thess.4. Nolumus vos ign. frat. de dor. vt non con. sicut & cæteri qui spem non habent, scilicet resurrectionis. Hoc enim vobis di. in ver. do. quia nos qui vi. qui re. su. non præ. eos qui dor. Quoniam ipse do. in iussu & in vo. ar. & in tu. Dei descen. de cæl. & mor. qui in Christo sunt re. primi. Deinde nos qui vi. qui relin. si. ra. cum illis in nu. obui. Christo in aëra, & sic semper cum Domino erimus. His verbis & veritas resurrectionis, & causa atque ordo resurgentium præclarissimè insinuatur.

DIVISIO TEXTVS.

POstremo de conditione resurrectionis] Hæc est pars de sacramentis, in qua tangitur effectus signatus,& non causatus vel contentus ab ipsis,scilicet de gloria resurgentium,gratia quorum tandem additur de pœna malorum,& iudicio. Magister autem diuidit distinctionem in duas, in quarum prima tangit statum resurgentium. In secunda agit de iudicio, quæ incipit 47.distinct. Item anterior diuiditur in duas. In prima agit de resurrectionem circunstantibus in ratione aliqua causalitatis. In secunda de ipsis resurgentibus secundum quantitatem & qualitatem corporis eorum : & hæc incipit in 44.distinct. Hæc distinctio diuiditur in duas, in tractatum scilicet de causa : & tractatum de dubiis circa causam,& incipit *ibi*[Hic quæritur vtrum electis]Item in prima duas particulas ponit: in primo enim cap.probatur auctoritatibus, quia erit resurrectio: & in secundo tangit causam.

ARTICV

ARTICVLVS I.

An resurrectio mortuorum quandoque erit futura?

QVæruntur ante literam tria, scilicet an erit resurrectio, & quid est? & vtrum naturalis est, aut miraculosa? Ad primum obiicitur auctoritatibus & rationibus. Præter autem eas quæ sunt in litera, tres sunt magis expressæ. Prima est Dan. 12. Multi de his qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt: alij in vitam æternam, alij in opprobrium, vt videant semper. Cum enim nullus dormiat in terræ puluere nisi mortui, constat, quòd de mortuis loquitur. Si autem etiam daretur, quòd in puluere dormit aliquis, constat quòd nullus euigilat in vitam æternam, nisi resurrectio sit futura. Secunda expressior est, Ezech. 37. vbi dicit sic: Ossa arida, audite verbum Domini. Hæc dicit Dominus Deus ossibus his, Ego mittam in vos spiritum, & viuetis, &c. vsque: quia ego sum Dominus. Tertia expressissima est Iob 19. Scio, quòd redemptor meus viuit, &c.

Præter dicta autem sunt argumenta Apostoli 1. Corinth. 15. Et sunt numero tria. Primum est à causa efficiente, vt dicit Gloss. scilicet quòd Christus resurrexit: ergo mortui resurgent: vel si mortui non resurgent, Christus non resurrexit. Et fundatur super hoc, quòd causa posita secundum actum, ponitur causatum hoc modo quo causatum est, scilicet in futuro vel in præsenti. In præsenti quidem, sicut si ædificator secundum actum est ædificans, ædificatio sua est. In futuro autem, sicut si ordo motus solis in obliquo circulo est, qui æquinoctialem secat, erit æquinoctium in duobus punctis sectionis. Ita Christi resurrectio causa est nostræ resurrectionis secundum Gloss.

Secundum est fundatum super hoc, quod fidei non subest falsum: & ideo dicit, Si mortui non resurgent, inanis est fides quæ hoc credit: sed impossibile est fidem esse inanem, cum fidei non subsit falsum, vt patet Hebr. 11. vbi dicitur esse argumentum non apparentium. Est autem argumentum, sicut dicit Ioannes Episcopus, vt principium, & est immobilis veritatis.

Tertium est à veritate prædicationis: quia si mortui non resurgunt, inanis est prædicatio Apostolorum: quia inueniuntur falsi testes: ergo & totum suspectum est, quicquid dixerunt de Christo, quod est inconueniens, cum res prædicata probationem habuerit per miracula, & auctoritatē à voce Patris & testimonio Ioannis, & multorum aliorum, sicut quinque testimonia leguntur Ioan. 1. quæ dant robur doctrinæ Euangelij.

Quartum assumitur à vita Sanctorum: quia miserabiliores sunt omnibus hominibus, si mortui non resurgent: quia tantum in hac vita sperantes sunt in Christo, in qua boni non habent nisi pugnam & tribulationem, sicut Apostolus dicit 1. Corinth. 15. Ad bestias pugnaui Ephesi secundum hominem. Et hæc ratio fundatur super prouidentia: quia sicut dicit Boët. in lib. de consolatione Philosophiæ, prouidentia non casu regitur mundus. Ergo iniustum est, vt eum non præmiet, qui propter suum nomen patitur in hac vita: ergo necesse est, quòd alia vita manifestetur in talibus per resurrectionem.

Quinta ratio Apostoli ad Ephes. 2. est ab operibus naturæ: quia si natura potest aliquid facere de mortuo secundum quid, viuum simpliciter & facit, multo magis credendum est Deum hoc posse facere: sed in natura quod seminatur, non viuificatur nisi prius moriatur: & moritur, & viuificatur: ergo & Deus viuificat illud quod mortuum est seminatum. Et de hoc ita dicit Damasc. lib. 4. cap. vltim. Si Domini sermonibus credere cæcitas non permittit, saltem operibus credet. Tu enim quod seminas, non viuificatur, nisi prius moriatur: & quod seminas, non corpus quod generabitur seminas, sed nudum granum, forte tritici, vel alicuius aliorum seminum. Deus autem dat illi corpus sicut voluerit. Considera in sulcis tanquam sepulchris semina suffossa: quis illis radices imponit & stipitem & folia, & subtilissimos culmos? Nonne qui vniuersorum est conditor, qui omnia construxit præcepto? Ita similiter & crede resurrectionem mortuorum futuram esse diuina voluntate & nutu: concurrentem enim habet voluntati virtutem.

Sexta ratio Apostoli sumitur à differentia naturæ hominis ad alia animalia, quæ non sunt ad imaginem Dei. Vnde sicut anima imaginis Dei capax est & immortalitatis de se, ita ordinem quendam potentiæ pertingendi ad statum immortalitatis influit corpori. Et hanc innuit cum dicit, Non omnis caro, eadem caro. Et hæc habet duos ramos. Vnus concludit ex differentia hominis ad inferiora: secundus ex conuenientia hominis cum superioribus. Et primam ponit dicens, quòd non omnis caro est eadem, sed alia hominum, alia pecorum, alia volucrum, alia piscium: & est sic formanda. Differentium secundum naturam materiæ diuersitas causatur à differentia formæ: sed pecora, volucres, pisces, & homines, differunt secundum naturam materiæ quæ est caro: ergo illa causatur ex differentia formæ quæ est anima: sicut ergo animæ mortali eductæ de potentia materiæ, respondet corpus per coniunctionem mortale tantum: sic animæ immortali non eductæ de materia, sed extrinsecus venienti, respondet corpus habens ordinem ad immortalitatem per resurrectionem, licet moriatur per peccatum. Alius ramus innuitur cum dicit, Sunt corpora cælestia, & corpora terrestria, &c. Et fundatur super dictum Philosophi: quia Pla. dicit, quòd secundum meritum materiæ infunditur forma à datore formarum: ergo cui datur forma cæli, ipsum in natura accedit ad naturam cæli: sed forma cæli, vt motor cæli, est intelligentia, cuius similitudo quædam est intellectualis anima in nobis: ergo corpus cuius ipsa est perfectio, accedit ad naturam cæli, licet distet ab illo per differentiam aliquam: cum igitur cælum, vt dicit Boët. in lib. de Trinit. sit corpus immortale manens, corpus hominis non manens, sed resurgens,

debet

debet pertingere ad immortalitatem. Et hæ sunt rationes Apostoli & bonæ. Inducit autem fidem testium super Christi resurrectionem, quia resurrexit, & quòd visus est Cephæ: & post hoc 11. deinde plusquam quingentis fratribus simul, ex quibus multi manent adhuc, quidam autem dormierunt. Nouissimè autem omnium visus est & mihi.

Damasc. autem quasdam adducit de his, sicut penultimam, & quasdam proprias, lib. 4. vlt. cap. Vadit autem quatuor viis ad probandum. Et prima est ab auctoritate Scripturæ, & inducit illam, quæ est Genes. 9. Sanguinem animarum vestrarum de manu hominis fratris eius, & de manu omnium ferarum requiram. Quomodo requiret sanguinem hominis de manu omnium bestiarum, nisi quia resuscitabit corpora hominum mortuorum? Secunda est in Nouo Testamento. Matt. 22. & Exod. 30. Ego sum Deus Abraham & Deus Isaac & Deus Iacob: non est autem Deus mortuorum, sed viuorum. Tertiam adducit Ioan. 5. Et audient qui in monumentis sunt, vocem filij Dei: & qui audierint, viuent, & procedent: qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui verò mala egerint, in resurrectionem iudicij.

Secunda via est ab operibus Domini: quia suscitando quosdam mortuos probauit, quòd omnes suscitabit virtute suæ diuinitatis. Et sunt hæc verba: Qualiter cognosceretur vel crederetur mortui resurrectio, nisi signalibus indiuidui proprietatibus, ex quibus illud constabat? Sed Lazarum quidem ad ostensionem propriæ diuinitatis & credulitatem suæ resurrectionis & nostræ suscitauit.

Tertia via est per ordinem iustitiæ & prouidentiæ diuinæ, & inducit hæc via tria inconuenientia super negantem resurrectionem. Primum est de iustitia & prouidentia, quæ ordinat quamlibet naturam secundum gradum suæ dignitatis. Secundum est de prouidentia gubernante dignius in natura in maiori bono, quam indignius. Tertium est de iustitia & prouidentia reddente vnicuique secundum merita. Et sunt hæc verba: Si non est resurrectio, in quo ab irrationabilibus distamus? Si non est resurrectio, beatificemus agrestia sine tristitia vitam habentia. Si non est resurrectio, neque Deus est, neque prouidentia: sed casu omnia aguntur: videmus enim plurimos iustos esurientes, & iniuriam patientes in præsenti vita, neque vnum habentes præsidium: peccatores autem & iniustos, in diuitiis & in omni voluptate abundantes. At quis vnquam hoc iusti iudicij & sapientis prouidentiæ opus, qui probè sapiat, existimabit? Erit igitur, erit resurrectio: nam Deus iustus est, & iis qui sustinent eum, mercedis retributor efficitur. Et quia aliquis posset respondere, quòd prouidentia & iustitia saluantur: & hoc quando iniusti puniuntur in anima, & iusti præmiantur in anima, licet corpus non resurgat. Obiicit ècontra Damasc. sic dicens: Si quidem anima sola virtutis certaminibus pugnauit, ipsa sola & coronabitur: & si sola in voluptatibus inuoluta est, sola itaque iustè punietur. Sed quia neque subsistebat separata, neque virtutem, neque malitiam transegit anima sine corpore: rectè ambo simul retributionibus fruentur.

Quarta via est ab operibus naturæ, de seminibus, quæ supra de suis verbis & Apostoli posita est.

Alias duas vias probandi resurrectionem ponit Apostolus Rom. 8. quarum vna est ab expectatione creaturæ. Et fundatur super hoc, quòd nihil vanum à Deo inditum est naturæ: sed desiderium reuelationis alterius status qui competit gloriæ, inditum est naturæ à Deo: ergo non est vanum: ergo ille status reuelabitur: non potest autem, nisi per resurrectionem reuelari: ergo resurrectio erit: & hoc intendit Apostolus ad Rom. 8. cum dicit, Expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat, &c. vsque, à seruitute corruptionis.

Secunda via est à gemitu primitias Spiritus habentium: quia Spiritus sanctus non facit gemere Sanctos pro aliquo, nisi quod acquiretur: gemunt autem Sancti pro gloria resurrectionis: ergo habebunt. Et hoc intendit cum dicit, Non solum autem illi, sed & nosipsi primitias Spiritus habentes, &c.

Isti igitur modi sunt, quibus Sancti patres resurrectionem probauerunt. Vt autem de nostro aliquid sit ibi, obiiciemus ad idem sic: Omne mouens secundum naturam aliquod mobile ab ipso, habet mobile vigori suo mouendi proportionatum: anima rationalis est mouens secundum naturam: ergo habet mobile proportionatum sibi secundum vigorem mouendi: sed vigor mouendi in anima rationali est ad perpetuum motum: ergo mobile oportet esse proportionatum per aliquid ad motum perpetuum: & non potest secundum statum istum hoc fieri in eo: ergo hoc erit secundum alium statum virtute primæ causæ sibi datum: & hoc vocamus resurrectionem. Maior istius rationis scribitur super 11. 1. Philosophiæ in commento vbi dicit Commentator, quòd in vigore mouendi proportionantur motores mobilibus.

2 Item supponitur in 2. de cælo & mundo, vbi soluit Aristot. quare inferiores sphæræ non habent nisi stellam vnam, & octaua plures: & dicit, quòd hoc est propter vigoris proportionem motorum ad mobile. Secunda autem probatur ex hoc, quòd anima rationalis est motor corporis, & sola separatur sicut perpetuum à corruptibili, sicut dicit Philosophus in 2. de anima.

3 Item, Quæcunque secundum gradus naturæ distant abinuicem, & eadem etiam distant in actibus, illos gradus secundum naturam consequentibus: vegetabilia & sensibilia distant abinuicem in gradibus, sicut cuilibet per se patet: ergo distabunt in actibus illos gradus secundum naturam consequentibus: constat autem, quòd vegetabilis est principium vitæ sine sensu & motu, sensibilis autem cum sensu & motu: ergo rationalis erit principium vitæ intellectualis cum incorruptione aliqua, quia illi actus consequuntur istas differentias: sed non contingit pertingere ad incorruptionem secundum statum istum: ergo contingit resurgere ad statum alium.

4 Item, Quæcunque perfectio alicuius separata

parata est ab eo secundum duo velittia opera, & operatur in perfecto aliquod eorum operum, operabitur etiam omnia alia in eodem secundum aliquem statum: anima rationalis perfectio est hominis separata secundum id quod est intelligere, & velle, & incorruptibile esse: ergo si in homine operatur aliquid intelligere & velle, ipsa etiam in aliquo statu operabitur incorruptibile viuere in eodem: sed constat, quòd ipsa operatur intelligere, & secundum nullum organum corporis, & etiam velle: quandoque ergo operabitur viuere incorruptibile: & non potest nisi per resurrectionem: ergo resurrectio erit.

5 Item, Viuere in viuentibus est esse, vt dicit Philosophus, & sentire in sentientibus: ergo & intelligere in intelligentibus, quia eadem est ratio: sed planum est, quia esse viuentium & sentientium est secundum periodum animæ vegetabilis & sensibilis: ergo & esse intelligentium erit aliquo modo secundum mensuram rationalis animæ: sed ipsa est perpetua: ergo influit potentiam ad aliquam perpetuitatem: & non potest hoc fieri, nisi per resurrectionem, ex quo semel est amissa: ergo resurrectio erit, vt videtur.

6 Item fortius obiicitur per aliam viam, quam Philosophus in eth. primo innuit: quia aliquod est bonum hominis inquantum est homo: constat enim, quòd illud, sicut ipse dicit, non conuenit homini secundum vegetabilem & sensibilem, sed secundum rationem. Inde obiicio sic: Omne bonum speciei alicui proportionatum, perceptibile est à specie illa secundum perfectam naturam speciei illius: sed bonum aliquod est proportionatum speciei hominis: ergo secundum perfectam naturam perceptibile est ab illa: perfecta autem natura speciei hominis est in corpore & anima coniunctis: ergo percipiet homo aliquod bonum in corpore coniuncto cum anima: sed bonum illud est beatitudo siue felicitas æterna, vt probat Boet. in lib. de consolatione: ergo percipiet illud cum corpore & anima: & non potest nisi per resurrectionem: ergo resurrectio erit.

7 Item, Quæcunque species secundum potentiam aliquam suæ naturæ perceptibilis est boni alicuius, eadem est perceptibilis summi in bono illo: homo autem per potentiam rationalem est perceptibilis boni rationalis animæ, vt habetur à Philosopho in eth. ergo perceptibilis est summi boni secundum idem: sed bonum summum rationalis animæ est continuari per intellectum & voluntatem primo motori, vt dicit Commentator super 11. primę Philosophiæ: ergo homo percipiet illud. Constat autem, quòd natura speciei hominis non est anima sola: ergo anima sola non percipit illud: ergo oportet per resurrectionem animæ vniri corpus. Fortè ad istas obiectiones attendit Greg. quando dixit in moralibus, Si operibus naturæ attenderemus, certior esset nobis resurrectio futura, quam solem cras oriri.

Sed contra. Svpposita igitur hac parte procedatur in contrarium per hunc modum. Iob 14. sic dicitur, Lignum habet spem: si præcisum fuerit, rursum viresci, & rami eius pullulant. Si senuerit in terra radix eius, & in puluere emortuus fuerit truncus illius, ad odorem aquæ germinabit, & faciet comam, quasi cum primum plantatum est. Homo verò cum mortuus fuerit, & nudatus atque consumptus, vbi quæso est? Hic facit comparationem mortis hominis ad duplicem ligni destructionem, scilicet præcisionem, cui similis est mors accidentalis hominis, & putrefactionem cui similatur mors naturalis quæ est per senium. Et videtur dicere, quod etiam Philosophus dixerat, quòd ad lignum vtroque modo destructum redit vita & iuuentus eius: sed ad hominem nunquam: ergo non resurget.

2 Item ibidem, Quomodo si recedant aquæ de mari, & fluuius vacuefactus arescat: sic homo cum dormierit, non resurget: donec atteratur cælum, non euigilabit, neque consurget de somno suo. Ergo sicut impossibile est aquas maris redire, si recesserint à mari, & fluuios vacuefactos iterum fluere & cælum atteri: ita impossibile est hominem consurgere à somno mortis. Quod autem impossibile sit cælum atteri secundum substantiam & motum, supponitur à dictis Philosophorum, & nos de hoc in 2. disputauimus, vbi de æternitate mundi & motus: & ibi requiratur. Scias autem, quòd in ista auctoritate Iob duæ hæreses sunt radicatæ circa resurrectionem, quarum vna est Iudæorum, scilicet Rabbi Nasse, qui composuit Talmuth, qui dicit Iob resurrectionem non credidisse & negasse: & cum idem dicat, quòd Iob nunquam fuit homo, sed ad formam viuendi & exemplum Moyses exemplariter Iob confinxerit, redit ad hoc quòd Moyses resurrectionem non crediderit, & in isto loco negauerit. Alia est hæresis Philosophorum dicentium non esse resurrectionem: ita quòd resurgat idem numero homo, scilicet similis complexionis. Sicut enim mare, vt dicunt Philosophi, mutatur de loco ad locum secundum mutationem spatiorum quibus mouentur imagines signorum in motu firmamenti, hoc est, cæli octaui, & in 36. millibus annorum redeunt ad statum primum secundum Ptolemæum, & Arist. in lib. de causis proprietatum elementorum: & tunc causant similia primo creatis in terra, & mare redit ad alueum primum, & fluuij fluunt vt prius: & hoc quidam Philosophi vocauerunt annum primum magnum: & medietatem eius, annum magnum vnius habitationis, scilicet 18. millia annorum, in quibus solis axis mouetur in signis septentrionalibus quantum ad habitationem quæ modo habitatur: & tunc destruetur ista, & erit annus habitationis meridianæ per 18. millia annorum, in quibus axis solis percurret signa meridionalia. Et videtur Empedocles ita posuisse, qui dixit omnia in anno isto magno exire de mixto, & omnia in anno magno redire ad ipsum. Quod totum Ecclesia respuit: & nos contra hoc totum specialem tractatum faciemus: & tamen tangendo soluemus quæ sufficiunt huic operi. Dist. 1. a. 10.

3 Redeuntes autē modo obiicimus adhuc per id Psalm. Non resurgent peccatores in iudicio. Sed eadem ratio est de peccatoribus quantum ad naturam & iustitiam reddentem pœnas, & de bonis quantum ad naturam & iustitiam

iuſtitiam reddentem præmia. Ergo videtur, quòd nullus reſurget.

4 Item ratio Apoſtoli non videtur valere: quia granum cadens in terram ſeminatum non moritur, niſi ſecundum eſſe grani, ſed viuit ſecundum generatiuam & formatiuam quæ format in eo plantam & herbam & folia huiuſmodi:homo autem moritur in toto.

5 Item adhuc non videtur valere ratio Domini : quia non ſequitur, ſi non eſt Deus mortuorum, ſed viuentium,quòd propter hoc Abraham Iſaac & Iacob viuant, niſi in anima tantum:& tunc neceſſario non ſequitur ex hoc, quòd reſurrectio erit.

6 Per rationem autem obiicitur ſic : Cuiuſcunque cauſæ perpetuæ ſunt, ipſum cauſatum neceſſe eſt eſſe perpetuum : generationis & corruptionis omnes cauſæ ſunt perpetuæ: ergo generationem & corruptionem neceſſe eſt eſſe perpetuas. Prima patet ex diffinitione cauſæ. Secunda autem probatur in 2. de generatione & corruptione ab Ariſtot. Cauſa enim efficiẽs eſt latio ſolis in obliquo circulo.Materia autẽ indeficiens eſt,cum generatio vnius ſit corruptio alterius,& è conuerſo:ſic enim nunquam ſtabit generatio:generatur enim ex aere aqua,& rurſus ex aqua aer: & ita circularis & indeficiens. Et cum eſſe diuino ſemper participet vnumquodque quantum poſt.Inde ſic currente generatione & corruptione nunquam incipiet ſtatus reſurrectionis, vt dicunt Sancti : ſed generatio & corruptio in perpetuum current,vt dicunt Philoſophi : ergo nunquam erit reſurrectio.

7 Item Philoſophus in 2. de generatione in fine : Quæcunque habent ſubſtantiam corporalem, mota non reiterantur eodem numero:homo eſt ſubſtantia corporalis:ergo corruptus non reiteratur idem numero:ſed reſurrectio eſt in idem numero : ſi ergo non erit in numero, non erit reſurrectio : ſed non erit in idem numero, vt probatum eſt : ergo non erit reſurrectio.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum ad hoc,quòd certius ſecundum Catholicam fidem nobis eſt, reſurrectionem carnis eiuſdem numero in qua nunc viuimus, eſſe futuram, & vnumquenque in eadem recipere bona & mala ſecundum quod meruit,quam quod ſol orietur cras:quod enim ſol orietur, quandoque fallet, ſcilicet in die vltima,quando ſtabit:iſtud autem à diuina veritate eſt acceptum, quæ non fallit, nec fefellit, nec fallere nec falli poteſt. Argumenta ergo primo inducta concedimus : licet enim ratio non ſufficiat ad accipiendum hoc ſine reuelatione:tamen acceptum nititur confirmare,& refutat contrarium. Sic eſt & in omnibus ſymboli articulis.

AD ID autem quod primo contra obiicitur, dicendum quòd Iob non intendit negare reſurrectionem:ſed bene aſtruere, quòd à virtute intrinſeca ſeminali non reſurget homo: ſicut in planta manet virtus ſementiua, per quam redit ad eam vita & iuuentus eius, vt dicit Philoſophus. Et hoc quidem facit in prima. In ſecunda autem quòd non reſurgat radiis imaginum ſtellarum mouentibus intendit aſtruere, ſed virtute diuina ſola, quæ attrit cælum & omnem cæli rationem & vigorem quem habet in mouendo ad generationem. Cum enim duæ ſint cauſæ mouentes in generatione, ſcilicet proximæ quæ ſunt in materia, & vniuerſales quæ ſunt in ſtellis & imaginibus earum, quas deſcribunt in cælo, negat Iob reſurrectionem futuram mouentibus huiuſmodi cauſis. Vnde poſt locum illum in 19. cap. dicit:Credo, quòd redemptor meus viuit. Et hoc non attendit Rabbi Naſſe, quando dixit Iob negaſſe reſurrectionem.

AD ID autem quod obiicitur de hæreſi Philoſophorum, dicendum quòd ſtultitia eſt; quia ſi verum eſt quod dicunt, oſtendo quòd nec tunc erit aliquid ſimilis complexionis: quia dicunt Philoſophi,quòd ſignum ſinè planeta in cauſando eſt ſicut corpus ſine anima imperfectum. Conſtat autem omnibus ſcientibus motus ſuperiorum, quòd redeunte octaua ſphæra in idem punctum vnde incepit,non ſunt reuerſi planetæ in idem,vnde ipſi inceperunt:ergo non cauſabitur aliquid ſimile priori. Et hoc ſufficiat in præſenti:quia error ille ſpecialem habet difficultatem.

AD ALIVD dicendum, quòd reſurrectio aptè vocatur immutatio ad formam gloriæ : & verum eſt, quòd hoc modo non reſurgent,quia cadent in mortem æternam.

AD ALIVD dicendum, quòd nihil in natura ſimile eſt in toto Dei miraculis : quia aliter natura tantum poſſet, quantum poſſet Deus. Sed arguit Apoſtolus à minori : quia ſi poteſt natura debilis & imbecillis mortuo ſecundum quid, reddere vitam nobiliorem, multò magis poteſt creator hominum hoc facere corpori humano, quod eſt vnitum animæ ad ſuam imaginem inſignitæ.

AD ALIVD dicendum, quòd Dominus ſubtiliſſimè arguit:quia ſi anima viuit,quę ſubſtantialiter eſt forma corporis,neceſſe eſt ipſam varè eſſe vnibilem corpori. Cum igitur nihil imperfectum relinquat Deus : quia ſicut dicit Moyſes, Dei perfecta ſunt opera : ipſe vniet eam corpori indiſſolubili:& hoc erit in reſurrectione.

AD ALIVD dicendum, quòd generatio & corruptio comparatæ cauſis proximis,rationem habent perpetuitatis:& hanc ſolam attendit Philoſophus, quia per Philoſophiam altiorem cauſam cognoſcere non potuit. Sed eſt voluntas Dei, quæ eſt cauſa cauſarum omnium, qua ſtabit, quando Deus voluerit. Et huiuſmodi ratio ſuper ſecundum librum diſputata inuenitur. Diſt. 1. a. 10.

AD ALIVD dicendum, quòd Philoſophus loquitur ibi de ſubſtantia materiæ elementorum,ex quorum formis non remanet relatio ad eandem formam in numero, quia ipſa deſtruitur:& de illis verum eſt quod dicit. Sed in corruptione hominis manet relatio ad eandem formam numero manentem : quia illud corpus ſociatur animæ : & ideò reuertetur homo qui moritur, idem in numero.

* * *

ARTICV

ARTICVLVS II.

Quid sit resurrectio?

SEcundo quæritur, Quid sit resurrectio? Dicit autem Augustinus super Genes. ad literam lib. 8. Resurrectio nihil aliud est nisi restitutio in consimilem vitam, Damasc. autem lib. 4. cap. vltim. Resurrectio est secunda eius quod cecidit surrectio. Et parum post, Resurrectio est rursus copulatio animæ & corporis: & secunda eius quod dissolutum est & cecidit, animalis surrectio. Contra primam autem obiicitur sic: Consimilis vita: aut est similis vitæ ante peccatum secũdum statum innocentiæ, aut similis isti secundum statum pœnæ & culpæ. Si primo modo: ergo illa vita cibis egebit & commixtione sexus, quod est contra Dominum in Euangelio dicentem, quòd in resurrectione neque nubẽt, neque nubẽtur, &c. Si secundo modo: ergo erit vita futura in pœnis famis, sitis, & huiusmodi, quod absurdum est: ergo resurrectio non est restitutio in consimilem vitam.

2 Item Augustinus super Genes. dicit sic: Reditum ad id quod sentimus, resurgere appellamus. Sed iam sentimus labores & miserias, & ante peccatum animalem vitam sensimus. Ergo reditus per resurrectionem erit ad talem: ergo nulla resurrectio erit glorioſa.

3 Item August. 4. de Trinit. Resurgere nihil aliud est, quam reuiuiscere, & à morte ad vitam redire. Et ex hoc sequitur idem quod prius. Ex omnibus autem his concluditur, cum tam in primo statu quam in secundo fuerit vita cum potentia moriendi, quòd in resurrectione futura sit potentia moriendi, quod falsum est.

Obiicitur autem de illa quæ est Damascen. quia secunda resurrectio non est, nisi prima præcesserit: sed primo nunquam surrexit corpus hominis antequam sit dies iudicij: ergo nec tunc secundo surget: ergo malè dicit, secunda resurrectio.

2 Item, Secunda non notat numerum & ordinem, nisi actuum eiusdem rationis: sed eleuatio corporis hominis ad hanc vitam, & eleuatio sua ad formam gloriæ, non sunt eiusdem rationis: ergo non secundo tunc surget corpus.

3 Item, Secundum Philosophum 6. topic. Si aliquod commune inuenitur in diffinitione & diffinito, illud nec est pas diffinitionis, nec diffiniti: sed surrectio communiter inuenitur in diffinitione, & diffinito: ergo pars neutrius est: ergo totum quod dicit Damasc. in vtraque suarum diffinitionum non explanat, nisi habitudinem præpositionis quæ est in composito, cum dicitur resurrectio. Item obiicitur de secunda quia quod dissolutum est, videtur idem dicere cum eo quod cecidit: ergo videtur diffinitio nugatoriam habere repetitionem.

4 Item, Diffinitio resurrectionis omni resurrectioni debet conuenire: sed hæc diffinitio non conuenit resurrectioni Domini; quia non est dissolutum corpus eius: ergo non est generalis, nec bona, vt videtur. Quod autem non conueniat resurrectioni Domini, patet per hoc quod dicit Damasc. lib. 3. cap. 28. Ftoras, id est, corruptionis nomen duo significat: significat enim huiusmodi passiones, famem, sitim, laborem, clauorum perforationem, mortem, id est, separationem animæ à corpore, & quæcunque talia. Secundum hoc significatum fterion, id est, corruptibile corpus Domini dicimus. Omnia enim hæc voluntariè assumpsit. Significat etiam ftora, id est, corruptio perfectam corporis in ea (ex quibus compositum est) elementa, dissolutionem & destructionem, quæ magis à multis corruptio dicitur & nominatur. Huius experimentum corpus Domini non habuit, vt ait Propheta Dauid, Quoniam non derelinques animam meam in inferno, nec dabis sanctum tuum videre diaftoron, id est, corruptionem.

5 Item obiicitur de hoc quod dicit, animalis. Potius enim debuit dicere, hominis, quam animalis: quia quod resurget, habet ab eo quod est homo, & non ab eo quod est animal.

6 Item, Secundum omnes istas diffinitiones non resurget homo, sed tantum corpus, vt videtur: cum tamen resurgere sit proprius actus hominis, & non partis hominis. Contra quod videtur dicere Damasc. sic: Animales mortales existentes qualiter resurgent. Et infra parum, Ipsum corpus quod corrumpitur & dissoluitur, idem resurget. Ergo videtur, quòd hominis non sit resurgere, sed tantum corporis, quod non est homo. Lib. 4. c. vlt.

7 Item videtur contrarium debere dicere: quia actio potius est agentis, quam patientis: sed anima aget resurrectionem perficiendo & mouendo corpus: ergo anima potius resurget, quam corpus: & ita malè dicit & diffinit Damasc. resurrectionem.

SOLVTIO. Dicendum, quòd omnes istæ diffinitiones satis bonæ sunt; sed omnia verba Augustinus loquens de resurrectione, communiter & non strictè accepit. Et ad intelligendum hoc sciendum, quòd resurrectio dupliciter dicitur, scilicet communiter, & propriè. Communiter sumpta resurrectio continet sub se relationem ad statum gloriæ, & ad statum vitæ animalis, sicut dicimus Lazarum resurrexisse: & hoc modo non quærimus diffinitionem eius hic. Propriè sumitur, prout diuidit cum suscitatione hoc commune quod est restitui ad vitam extinctam: & sic non competit resurrectioni, nisi ad vitam inextinguibilem, siue sit in pœnis, siue in gloria. *Solutio.*

AD ID ergo quod primo obiicitur, dicendum quòd si volumus concedere de resurrectione strictè sumpta loqui August. quòd similis vita dicitur in specie & veritate humanæ vitæ, licet differat ab hac & illa quæ fuit in statu innocentiæ, in statu & proprietate.

AD ALIVD dicendum, quòd sentire in verbo August. ponitur pro experiri quoad substantialia vitæ humanæ: quia eadem etiam experiemur in resurrectione: quia aliter non resurgeremus: & non dicitur sentire pati eadem per sensus quæ modo patimur.

AD ALIVD dicendum, quòd non est reditus de morte ad vitam perfectè, nisi perfectè vita vincat mortem: & hoc non est nisi quando omnis causa mortis naturalis excludetur, quæ est pugna contrariorum: & hoc modo

non erit resurrectio, nisi post cursum mundi in fine temporum.

Ad aliud dicendum, quòd duæ sunt eleuationes corporalis materiæ. Vna ad formam quæ est anima rationalis: & hæc fit in generatione. Et alia eiusdem ad animam indissolubiliter reunitam: & hæc dicitur regeneratio, Matth. 19. In regeneratione cum sederit filius hominis, &c. Et ideo falsum est, quòd non sunt ibi duæ surrectiones corporis.

Ad aliud dicendum, quòd non oportet, quòd ea quorum ly secundum notat iterationem, sint eiusdem accidentis, sed tantum, quòd sint eiusdem rationis: sicut quando secundo bibo, non oportet, quòd secundus potus sit similis primo in accidente. Et ita est de duplici vita ad quam surgit corpus, quod est eiusdem speciei, & non eiusdem accidentis.

Ad aliud dicendum, quòd id quod dicit Aristot. intelligitur de his quæ eodem modo sumuntur in diffinitione & diffinito: sicut si dicerem, homo albus est animal rationale album. Sed non est sic: cum enim dicitur resurrectio, surrectio dicit habitudinem corporis ad animam recipiendam, & iterationem surrectionis notat præpositio: sed in diffinitione notat terminum motus resurrectionis: quia resurectio motus est, & per duos terminos diffinitur, quorum vnus est casus & dissolutio: alius autem altitudo immortalis vitæ in bonis & malis communiter: & illa importatur per ly surrectio positum in diffinitione: quia componitur à sursum, & erigo: eò quod sic sit figuræ decomposita.

Ad aliud dicendum, quòd illa diffinitio non conuenit resurrectioni Domini: & ipse dat aliam in eodem cap. quæ resurrectioni Domini conuenit, sic dicens: Domini resurrectio est corporis sancti & incorrupti & animæ vnio.

Ad aliud dicendum, quòd animalis est ibi adiectiuum, & est genitiuus eius quod dicitur hic & hæc animalis, & hoc animale: & dicit conditionem corporis cadentis in mortem, & est sensus, animalis, id est, animaliter viuentis corporis, quod cecidit per mortem, & dissolutum est per incinerationem.

Ad aliud dicendum, quòd resurrectio est hominis secundum corpus: & hoc intendit dicere Damasc. & non aliud.

Ad aliud dicendum, quòd resurrectio non dicitur hic tanquam mouentis, sed tanquam eius cuius est actus surgendi siue moti in actu illo: & ideò propriè conuenit homini secundum corpus, non autem secundum animam.

ARTICVLVS III.

An resurrectio sit naturalis, vel miraculosa?

TErtio quæritur, Vtrum sit naturalis, vel miraculosa? Quod autem sit naturalis, videtur sic ostendi: Damasc. 4. lib. cap. 14. dicit, Quod communiter in omnibus inspicitur, non characterizat in his quæ sunt sub ipso atomis: sed resurrectio in omnibus atomis hominis inspicitur: ergo nulla characterizat: ergo ipsa est naturalis.

2 Item, Miraculum, vt dicit Augustinus, est aliquid arduum & insolitum, præter spem & facultatem admirantis apparens: resurrectio autem non apparebit præter spem: ergo non erit miraculosa, sed naturalis. Lib. de vtilitate credẽdi.

3 Item, Quod substantialiter conuenit omnibus indiuiduis eiusdem speciei, oportet quòd causetur à natura communi: sed resurrectio substantialiter conuenit omnibus indiuiduis hominis: ergo causatur à natura communi hominum. Probatio maioris est: quia cum nihil sit in indiuiduis nisi natura communis cum materia & indiuiduantibus, & differant suis materiis & indiuiduantibus, oportet quòd illud in quo omnia conueniunt, sit natura communis, vel causatum ab illa. Secunda autem probatur ex hoc, quòd resurrectio secundum substantiam erit, & non secundum accidens.

4 Item sic, Quicquid causatur à communi natura speciei, naturale est omnibus indiuiduis illius: sed resurrectio sic causatur, vt dictum est: ergo est naturalis.

5 Item, Appetitus materiæ ad formam etiam remotam, naturalis est: ergo multò magis appetitus propriæ materiæ, & formæ propriæ: sed corpori remanet appetitus ille: ergo ille est naturalis: sed appetitus naturalis reductio ad actum, est naturalis: ergo cum etiam resurrectio reducatur ad actum, naturalis videbitur esse resurrectio.

6 Item, Quæcunque materia post separationem formæ ab ipsa, sic manet, quòd non est coniungibilis alij formæ numero vel specie: nec est quod hoc contingat nisi ex dispositionibus ordinantibus eam ad formam primam, & impedientibus à coniunctione cum alia forma: sed impossibile est corpus alicuius vniri cum alia anima, quia aliter resurgeret in duobus: ergo remanet dispositio ad animam primam: sed dispositione reducta ad necessitatem & ad speciem, nihil fit nisi naturale: ergo cum in resurrectione fiat hoc, nihil fit in resurrectione nisi naturale.

7 Item, Omnis materia naturaliter ordinata ad formam aliquam, naturaliter etiam ordinatur ad summum statum secundum formam illam: sed materia corporis humani ordinatur ad animam rationalem, vt ad formam: ergo ordinatur naturaliter ad summum statum secundum formam: ergo naturaliter percipit suum statum: & ille non est nisi in resurrectione. Prima probatur ex hoc, quòd si daretur oppositum, nihil naturaliter attingeret perfectionem suæ naturæ, quod absurdum est. Secunda patet per se.

8 Item, Naturale materiæ est vt obediat motori, quia hoc Deus ei inseruit, vt dicit Augustinus super Genes. Constat autem, quòd naturalius & immediatius habeat se ad motum Dei materia, quam ad motum cæli: sed video, quòd naturaliter egreditur de materia omnis effectus per motum cæli: ergo multò naturalius exibit ipsa in omnem motum Dei: mouet autem Deus voluntate & virtute ad resurrectionem: Lib. 9. c. 19.

rectionem : ergo materia naturaliter mouebitur in formam resurrectionis : ergo resurrectio naturalis erit.

9 Item, Naturalia dicuntur etiam quæ innati sumus suscipere, licet perficere sit ab aliquo agente, vt dicit Philosophus in ethic. & hoc modo dicimus virtutes naturales : sed constat, quòd ex anima rationali innati sumus suscipere formam resurrectionis, sicut supra patuit: ergo resurrectio erit nobis naturalis.

10 Item, Rabbi Moyses dicit, quòd non nisi naturalia delectant & diu manent : sed resurrectio erit manens semper secundum formam quæ dabitur tunc, & est delectabilis nisi ex culpa impediatur : ergo videtur, quòd ipsa non sit nisi naturalis.

Item obiecerunt antiqui sic in ista quæstione. Effectus virtutis collatæ alicui à Deo naturalis est, sicut patet in cæco illuminato à Deo, cui videre est naturale : sed resurrectio erit effectus vocis Dei, cui virtutem suscitandi corpora dabit Deus : ergo erit naturalis. Prima constat per exemplum. Secunda scribitur in Psalm. Dabit voci suæ vocem virtutis.

12 Item, Omni dependentiæ duorum abinuicem naturali correspondet coniunctio naturalis : sed corpus & anima dependent abinuicem naturaliter : ergo respondet eis coniunctio naturalis. Prima patet per se. Secunda autem probatur ex desideriis animarum, Apoc. 7. quæ desiderant recipere corpora.

Sed contra. SED CONTRA : Omnis motus ad formam qui est à natura, est ab aliquo mouente in materia : sed resurrectio est motus ad formam: ergo si est naturalis, est ab aliquo mouente in materia : sed nihil mouet in materia ad formam corporis glorioſi : ergo resurrectio non est motus naturalis. Probatur autem prima in 7. & 11. primæ Philosophiæ, vbi dicitur, quòd nihil transmutat materiam, nisi quod est in ipsa. Secunda autem patet per diffinitiones supra inductas.

2 Item, Nihil eorum quæ sunt naturalia, fit contrario modo naturalibus : sed resurrectio fit contrario modo naturalibus : ergo ipsa nec est à natura, nec naturalis. Prima patet per se. Secunda autem probatur ex hoc, quòd via naturæ est de potentia ad actum, & non de priuatione habitus naturalis ad habitum: in resurrectione autem est regressus de priuatione ad habitum.

3 Item, Philosophus dicit in 2. de genera. & corru. in fine, quòd generatio hominum non est circularis, sed recta, sed elementorum est circularis : ergo si ex homine fit elementum per corruptionem, non debet redire ex elementis homo naturaliter : sed in resurrectione redit ex elementis : ergo resurrectio non est naturalis.

4 Item, Chrysost. dicit, quòd in quibuscunque sola voluntas Dei est mouens, illa sunt miraculosa : sed sicut Damasc. dicit, voluntas Dei sola est mouens in resurrectione: ergo ipsa est miraculosa, & non naturalis.

5 Item Dionys. de diu. nom. cap. 6. Et quod quidem est diuinius, quòd & totos nos, dico animas & coniuga corpora ad perfectam vitam & immortalitatem se promittit transfaturam. Rem quidem antiquitati præter naturam apparentem : mihi autem & tibi & veritati & diuinam & super naturam apparentem. Super naturam secundum nos dico visam autem, non omnipotentem diuinæ vitæ. Ex hoc accipitur, quòd resurrectio non est naturalis : nam causata est super naturam, licet mortuos suscitare sit operatio summæ & diuinæ naturæ.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum ad hoc, quòd mihi videtur, quòd non sit naturalis resurrectio : naturale enim secundum suam naturam, vt dicitur in 4. physicorum, necessario consequitur formæ alicuius naturam, vt sursum ferri ignis : sed resurrectio corporum non sic sequitur naturam hominis, sed potius fit voluntate diuina, vt reddatur vnicuique prout meruit in corpore, siue bonum, siue malum.

AD ID ergo quod primo obiicitur, dicendum quòd Damasc. intelligit de his quæ consequentia sunt substantiam. Et est instantia : sit enim, quòd omnis homo sit albus, tunc albedo inuenitur in omnibus indiuiduis, & tamen non characterizat substantiam vel naturam: & ideo oportet, quòd prædicto modo intelligatur : & in hoc sensu probatur maior.

AD ALIVD dicendum, quòd si vis fiat in hoc, resurrectio mirabilis erit, & non miraculosa, vt dicunt quidam: tamen mihi videtur, quòd spes quæ cadit in diffinitione, est spes naturæ : sicut dicit Gloss. ad Roman. 4. super illud, Contra spem in spem credidit : & sic resurrectio erit miraculosa, quia est præter spem naturæ, licet non sit præter spem gratiæ.

AD ALIVD dicendum, quòd substantialiter conuenire dicitur dupliciter. Vno modo substantialiter conuenit, quod causatur à substantiali causa formali vel materiali : & sic resurrectio non conuenit substantialiter. Sed alio modo dicitur substantialiter conuenire, quod contingit substantiæ : & hoc impropriè conuenit substantiæ : & hoc modo non est necessarium esse illud naturale, quod conuenit substantialiter : & sic probata est minor.

AD ALIVD dicendum, quòd appetitus duplex est in materia : quorum vnus est susceptibilitas formæ tantum, & iste propriè non est appetitus : quia dicit Boët. in lib. de hebdoma. quòd nihil appetit aliud, nisi quod aliquo modo similis est illi : quia appetitus non sonat tantum passiuum, sed etiam actiuum aliquo modo : hæc autem susceptibilitas nihil addit supra substantiam materiæ : & ideo cum ad quodlibet ordinetur, potest reduci in actum per voluntatem diuinam : & tunc est miraculum : quia non est ita in materia, nisi potestas obedientiæ, vt in ea fiat quod Deus vult : & ex hoc non causatur naturalis eductio: Est iterum appetitus in materia, qui est formæ inchoatio in genere vel specie : & ille appetitus non est, nisi formæ sibi debitæ in genere vel specie, & coactiuus, non tantum passiuus : quia ille est vnum principiorum generationis, & hic fit naturalis quando educitur. Sed forma resurgentis corporis non est per hunc modum in cineribus, sed per modum obedientiæ tantum.

AD ALIVD dicendum, quòd non est

ex disposítione aliqua, quod corpus mortuum resolutum in cineres, non est coniugibile alteri animæ, sed potius ex relatione ad animam, quæ ipsum primo animauit, vt dicit Augustinus 21. de ciuit. Dei. quia disposítio dicit qualitatem transmutantem ad speciem: sed relatio rationis est, quæ causatur ex merito bono vel malo illius corporis cum hac anima: ex hac vero causatur ordo eius ad pœnam vel præmium cum eadem anima: & ideo diuina iustitia non permittit, quòd coniungatur alij.

Ad alivd dicendum, quòd summum naturæ duplex est, scilicet, quod potest attingi operatione & bonitate naturæ: & hoc quod est eleuatum supra naturam, & acquiritur ordine diuinæ iustitiæ. Primum est naturale, & non secundum: & talis est perpetuitas quam habent corpora resurgentium.

Ad alivd dicendum, quòd ibi naturale non dicit, nisi ordinem creaturæ ad creatorem: sed naturale secundum quod currit naturalis cursus, est ordo causarum seminalium, secundum quod vnum in alio est potentia & non tantum materiali potentia, sed etiam illa quæ est inchoatio aliqua formæ.

Ad alivd dicendum, quòd illa quæ innati sumus suscipere, ita quòd posse naturæ attingit ea, vna vel pluribus vel omnibus operationibus, sunt naturalia: sicut vna operatione sperma attingit formam speciei, pluribus autem operatio politica habitum, & omnibus generatio speciei perpetuitatem. Sed nullo modo attingibile operatione naturæ, sicut est forma resurrectionis, non potest dici naturale.

Ad alivd dicendum, quòd Rabbi Moysi dictum intelligitur de his quæ à natura causantur, forma naturæ in alium statum transmutante, & de his verum est. Sed forma resurrectionis erit ad alium statum transmutante nos diuina iustitia.

Ad alivd dicendum, quòd Deus dupliciter potest dare effectum, scilicet consequẽtem speciem & naturam alicuius, sicut dedit cæco videre per hoc quod dedit ei visum: & ille actus est naturalis. Dat etiam effectum qui non consequitur naturam speciei illius rei quæ efficit ipsum: & hoc modo dabitur voci virtus mortuos resuscitandi: & ideo non erit naturalis. Et est simile sicut si daretur tibi videre per cubitum, vel manum: actus enim tunc esset miraculosus.

Ad alivd dicendum, quòd corporis corrupti ad animam non est dependentia naturalis, sed iustitiæ diuinæ tantum: & ideo non valet illa ratio. Ex ista quæstione patet, quòd amentes sunt qui reprehendunt Philosophos non loquentes de resurrectione, quia per philosophiam non potest probari resurrectio, sed potius per principia fidei.

De voce tubæ.

B CAVSA enim resurrectionis mortuorum erit vox tubæ, quæ in aduentu iudicis ab omnibus audietur: & cuius virtute excitabuntur mortui, & de monumentis resurgent. Vnde Prophe-
Psal. 67. ta, Dabit voci suæ vocem virtutis, id est, effectum resuscitandi mortuos.
Ioan. 5. Et Ioannes Euangelista ait, Venit hora in qua omnes qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei: & procedent qui bona fecerunt, in resurrectionem vitæ: qui vero mala egerunt, in resurrectionem iudicij. Si vero quæritur, Cuius vel qualis erit vox illa? Apostolus dicit, quòd
1. Th. 4. erit Archangeli, id est, ipsius Christi, qui est princeps Archangelorum.
1. Cor. 15. Vel vox erit alicuius vel plurium Angelorum. Eademque dicitur tuba,
De gratia Noui & veteris Testaméti. quia erit manifesta: & nouissima, quia post eam non erit alia. Hæc tuba (vt ait August.) est clamor, de quo dicitur in Euangelio, Media
Mat. 25. nocte clamor factus est, ecce sponsus venit, exite obuiam ei. Tubæ
1. Th. 5. nomine aliquod euidens & præclarum signum intelligitur. Quod vox
Ioan. 5. Archangeli & tuba Dei ab Apostolo dicitur, in Euangelio vox filij Dei & clamor appellatur: quod signum mortui audient, & resurgent.

ARTICVLVS IV.

An causa resurrectionis erit vox tubæ?

DEinde quæritur de hoc quod dicit [Causa enim resurrectionis mortuorum erit vox tubæ, &c.] Contra hoc enim obiicitur: quia cum superfluum non sit in natura, multò minus erit in operibus diuinis: sed superfluum est, quicquid additur vltra causam sufficienter causantem totum: ergo si in resurrectione tali causæ aliquid addatur, videtur quòd erit superfluum: sed dicit Damasc. Crede resurrectionem futuram diuina voluntate & virtute & nutu.

nutu. Et constat, quòd hæc tria sufficientissima sunt vt causetur totum:ergo vox tubæ superfluit.

2 Item, Tria sunt opera ordinata, scilicet creatio, recreatio, & status resurrectionis: & duo per se Deus operatus est,non per aliquam creaturam:ergo per seipsum etiam operabitur tertium,quod non est minus,quam secundum.

3 Item,Licet superior virtus operetur cum inferiori in actu proprio inferiori, tamen non conuertitur hoc:sed constat, quòd de summis actibus est suscitare mortuos:ergo in illo cum superiori virtute non operabitur virtus inferior:ergo ncc vox tubæ, nec aliquod creatum, vt videtur.

4 Item, Maioris potentiæ est de priuatione restituere habitum, quam de potentia educere: quod patet per hoc, quia secundum est naturale, primum autem non: sed nullus nisi Deus in eductione hominis de potentia coniunxit animam corpori:ergo nullus, Deo excepto, de morte suscitabit hominem, quando iterum coniungetur anima corpori.

5 Item, Damasc. non ponit aliquid procausa, nisi tria, quæ omnia sunt in Deo, scilicet voluntatem, virtutem, & nutum: ergo videtur, quòd ea quæ Magister hic tangit, scilicet ministerium Angelorum, & vocem tubæ, nihil faciant inter causas resurrectionis.

6 Vlterius quæritur, Quid in resurrectione respondeat tribus,scilicet voluntati,virtuti, & nutui, quæ Damasc. ponit in causa resurrectionis.

7 Item, Cum in resurrectione operetur Deus, & homo Christus, & Angeli, quæratur, quid respondeat operationi singulorum?

8 Vlterius videtur, quòd inutilis sit vox tubæ: quia vbi impossibile est audire, ibi pro nihilo canit tuba, sed impossibile est, quòd cineres vel mortui audiant: ergo pro nihilo canit eis tuba.

9 Item, Cum Num. 10. triplex vsus tubæ determinetur, quæratur, qualia tria in resurrectione illis tribus respondeant?

Solutio. Responsio. Dicendum, quòd in litera ponuntur diuersæ opiniones de voce tubæ: secundum tamen probabiliorem sententiam videtur consentiendum Gregorio dicenti, quòd tubam sonare nihil aliud est, quam mundo vt iudicem filium demonstrare. Sicut dicitur Matth. 24. Sicut fulgur exit ab Oriente, & paret vsque in Occidentem: ita erit & aduentus filij hominis. Et hæc euidentia vocatur vox tubæ excitans mortuos.

Dicendvm ergo ad primum, quòd non est superfluum:quia Deus est causa resurrectionis extra genus: sed Christus est vt iudex veniens,causa in genere per formam resurrectionis suæ nostram faciens & ostendens:quia sicut dicit Gloss. 1.Corinth.15. Constat Christum surrexisse, qui est causa efficiens resurrectionis mortuorum. Secundum autem quòd de ministerio Angelorum exponitur: tunc vox tubæ est causa in ministerio & imperata: & sic iterum non superfluit, quia licet prima causa sufficiens sit ad omnia,tamen propter congruentiam & meritorum acquisitionem operatur per ministros.

Ad aliud dicendum, quòd non est simile: quia illa duo opera procedunt ab alto ad imum: & ideò necesse fuit altissimum in illis operari. Sed resurrectio procedit ab imo, scilicet collectione cinerum ad altum: & ideò in ea quantum ad antecedentia aliquid ministrando possunt operari creaturæ inferiores, & in alto consummans est Deus per seipsum.

Ad aliud dicendum, quòd hoc verum est in eo quod istud opus est in alto, sed in eo quod procedit ab imo, potest aliquid citra ipsum operari ministerialiter,scilicet quoad terminum à quo est resurrectio, licet non quoad terminum ad quem, & in quo est consummatio resurrectionis.

Ad aliud dicendum, quòd coniunctio animæ ad corpus erit opus solius Dei, sed quædam sunt opera antecedentia illud, sicut in natura coagulatio sanguinis, coadunatio membrorum similium, & formatio membrorum, & compositio eorum, quæ operatur vis formatiua in semine,ita & in resurrectione est collectio cinerum, & mutatio eorum ad formam membrorum similium,& coadunatio organorum,& compositio eorum in corpore: & hoc Deus operabitur per ministerium Angelorum & Christi hominis.

Ad aliud dicendum,quòd Damasc.non respicit nisi causam efficientem ex auctoritate, & non illam quæ operatur in ministerio.

Ad aliud dicendum, quòd in resurgentibus sunt tria, scilicet participatio incorruptionis diuinæ, eductio habitus de priuatione, & facilitas operis. Et primum propriè respicit voluntas quæ communicat bona: secundum autem virtus, quia est maximæ potentiæ:tertium autem nutus,quia nutu potius quam labore operatur.

Ad aliud dicendum, quòd probabiliter dici potest, quòd collectio cinerum quæ infimum opus est in resurrectione, fiet virtute Angelorum, sed formatio humani corporis mutando cineres ad membra similia, & formãdo organa,& componendo,homini Christo attribuitur, qui reformabit corpus humilitatis nostræ,cõfiguratum corpori claritatis suæ, sicut dicitur Phil.3.sed immutatio in incorruptionem & animatio erit opus diuinum.

Ad aliud dicendum, quòd sicut dicit Isaac, sensus duplices sunt,scilicet naturales, & animales: & ad similitudinem sensus naturalis non animalis possumus dicere, quòd quælibet creatura nutũ potest percipere creatoris, sic Matth. 8: imperauit ventis & mari,& obediunt ei:& ideò talis auditus, id est, vis perceptiua nutus & voluntatis Dei est in cineribus & mortuis.

Ad aliud dicendum, quòd vsus tubarum fuit ad congregandum exercitum: & ille erit in congregatione mortuorum ad iudicium. Item vox tubæ commouebat ad prælium: & hoc erit in hoc quod pro iudice pugnabit orbis terrarum contra insensatos,vt dicitur Sap.5. Erat tertius vsus tubarum, vocatio ad festum, & illi respondet vocatio sanctorum ad gaudia, cum dicetur eis, Venite benedicti patris mei, percipite,&c. Matth.25.

ARTICVLVS V.

An Christus sit causa nostræ resurrectionis?

DEinde quæritur de hoc quod dicit [Veniet hora quando omnes qui in monumentis sunt, &c.] Ex hoc enim videtur elici, quòd Christus est causa nostræ resurrectionis. Et hoc etiam videtur elici ex Glos. 1. Cor. 15. super illud, Si mortui non resurgunt, quæ dicit, quòd Christi resurrectio est causa efficiens nostræ resurrectionis.

2 Item arguitur hic ex textu: quia si aliquid positum ponit aliud, & destructum destruit illud, est causa immediata illius: sed vtrumque illorum facit resurrectio Christi ad nostram resurrectionem: ergo Christi resurrectio est causa immediata nostræ resurrectionis. Probatio mediæ ex textu accipitur: quia vtraque istarum scribitur, si Christus resurrexit, mortui resurgunt: & si mortui non resurgunt, neque Christus resurrexit.

3 Item dicitur Roman. 4. quòd Christus mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. Et ibi innuit Gloss. quòd mors Christi causa est & sacramentum nostræ mortis spiritualis, quando morimur peccato vt iustitiæ viuamus: sed est causa nostræ resurrectionis animæ & corporis, sed non sacramentum. Sed Christi resurrectio est causa, non sacramentum: mors autem causa & sacramentum iustificationis & resurrectionis. Ex hoc arguitur, quòd resurrectio Christi est causa efficiens & exemplar per modum signi sacramentalis nostræ resurrectionis. Et ex hoc arguitur idem quod prius.

4 Item sicut dicit Ambrosius, & habitum est in tertio, Nostra opera iustificationis virtutem & efficaciam accipiunt ab operibus Christi, & aliter non essent grata. Sed minus possunt cineres ad gloriam & incorruptionem, quam etiam liberum arbitrium ad gratiam in resurrectione. Ergo in resurrectione maior erit etiam dependentia cinerum ad resurrectionem Christi, quam liberi arbitri ad iustificationis opera: sed Christus est causa iustificationis operum: ergo sua resurrectio erit causa nostræ resurrectionis.

Sed contra. IN CONTRARIVM autem huius obiiciunt multi sic: Causa est quam necessario sequitur effectus: sed Christi resurrectionem non est secutus effectus nostræ resurrectionis: ergo non est causa nostræ resurrectionis.

2 Item, Causatum esse non potest sine causa, id est, nisi sua causa extiterit, vel existit: sed nostra resurrectio potest fore sine Chisti resurrectione: ergo nostra resurrectio non causatur à resurrectione Christi. Secundam probant dupliciter. Primo sic: Dicit Augustinus, quòd alius modus possibilis fuit nostræ liberationis: & tunc constat, quòd resurrectio nostra subsecuta fuisset sine resurrectione Christi: ergo constat propositum. Secundo sic. Sit, quòd Christus non resurrexit, adhuc verum est, quòd sancti patres crediderunt resurrectionem carnis futuram: & fidei non potest subesse falsum: ergo resurrectio carnis immutabiliter erat adhuc futura: & non per resurrectionem Christi: ergo iterum constat prius habita propositio.

3 Item, Idem est factiuum vnius operis in tota specie vna: sed resurrectio opus quoddam est, quod perfectum est in Christo, & fiet in nobis: ergo idem habebit factiuum & in Christo, & in nobis: ergo resurrectio Christi non est causa nostræ resurrectionis, sed potius nostra & sua vnam habent causam, quæcunque sit illa.

4 Item, Quod est causa vniuersalis in genere aliquo, non causatur secundum id quod causat in aliis: sed Christi resurrectio est causa vniuersalis in genere hominum resurrectionis, vt dicit aduersarius: ergo non causatut secundum id quod causat in aliis: hoc autē est resurrectio: ergo ipse non habuit causam suæ resurrectionis, quod est hæreticum: ergo & illud ex quo sequitur hoc, scilicet Christum esse causam vniuersalis resurrectionis. Probatur autem prima in omni natura: in sole qui est causa vniuersalis omnium generabilium, in intellectu agente, & in omnibus aliis. Secunda autem accipitur ab aduersario.

5 Itē, Si est causa: aut est causa necessaria, aut voluntaria. Si necessaria: ergo ipsa existente statim sequeretur effectus, quod non videmus. Si voluntaria: aut ergo voluntate diuina, aut humana. Si diuina, constat quòd hæc eadem est Patris & Filij & Spiritus sancti: ergo tunc resurrectio non est attribuenda resurrectioni Christi vt causæ, sed potius voluntati diuinæ: & hoc est quod volumus. Si autem humana. Contra: Hæc est infirma & indiget alia: ergo non potest esse causa resurrectionis, quod est excellentissimum operum: & sic iterum constat, quòd resurrectio Christi non est causa nostræ resurrectionis.

Isti etiam respondent ad obiectum Apostoli supra inductum, dicentes, quòd est ex hypothesi argumentum: quia cum Christus sit sic homo, quòd humana natura sit in Christo, hoc idem erit eiusdem naturæ in omnibus: vel si non est in omnibus hoc humanæ naturæ, tunc etiam hoc non fuit humanæ naturæ in Christo.

Sed contra hoc etiam obiicitur iterum: quæcunque enim per vnam naturam conueniunt omnibus quę sunt illius naturæ, vnum illorum non dicitur alio prius in illo: ergo à destructione consequentis cum Christus dicatur primus in resurrectione, ipse non eodem modo participat resurrectioni vt alij: ergo non erat argumentum ex hypothesi. Prima patet per se. Secunda scribitur 1. Corinth. 15. vbi dicitur, Primitiæ dormientium Christus: deinde hi qui sunt Christi qui in aduentum eius crediderunt. Et Apoc. 1. Primogenitus mortuorum, & princeps regum terræ.

2 Item, Potestatem habens se suscitandi, & non habens, non vno modo se habent ad resurrectionem: sed Christus potestatem habuit, alij non: ergo non vno modo se habent ad resurrectionem: ergo nihil valuit argumentum ab hypothesi: & si ita arguit Apostolus, tunc

omninò

omnino nihil sciuit de arte arguendi. Prima constat. Secũda scribitur Ioan. 10. Potestatẽ habeo, &c. vbi dicit Aug. quòd caro habuit potestatẽ se suscitãdi virtute latẽtis in se diuinitatis.

3 Item in Psalm. ipse solus dicitur inter mortuos liber esse. Ergo ipse ad resurrectionem aliter se habuit, quam alij. Hoc idem arguitur Act. 2. vbi dicit Petrus, Quem Deus suscitauit solutis doloribus inferni, iuxta quod impossibile, &c. Et constat quòd hoc de aliis dici non potuit: ergo, &c.

4 Item, Quæ causa posset fingi, quòd Christus causaret nostram iustificationem & ab inferis ereptionem, & non causaret resurrectionem per suam resurrectionem?

Solutio. RESPONSIO, quòd in hac quæstione ratio per se parum vel nihil valet: & ideo sanctis inspirationem diuinam habentibus omnino consentiendum videtur. Et quia ipsi dicunt, quòd Christi resurrectio sit causa efficiens & sacramentalis nostræ resurrectionis, ideo etiam hoc dico nihil mutando de dictis eorum. Vnde dicendum, quòd triplex est causa nostræ resurrectionis, scilicet efficiens æquiuoca, efficiens vniuoca habitualis, & efficiens vniuoca actualis. Causa efficiens æquiuoca dicitur, quando causa cum effectu non est eiusdem speciei, sicut dicitur, quòd sol generat hominem: & sic Pater & Filius & Spiritus sanctus sunt causa efficiens nostræ resurrectionis. Causa vero efficiens vniuoca dicitur, quæ efficit simile sibi in specie, sicut homo generat hominem: & sic Christus resurgens, est causa efficiens nostræ resurrectionis secundum habitum tantum. Causa vero efficiens vniuoca secundum actum siue actualis, erit Christus in iudicio portans insignia nostræ redemptionis: vnde ibi statim sequitur nostra resurrectio. Est igitur triplex causa efficiens nostræ resurrectionis, scilicet causa efficiens æquiuoca, causa efficiens vniuoca habitualis, & causa efficiens vniuoca actualis. Primo modo causa sunt nostræ resurrectionis Pater, Filius, & Spiritus sanctus, voluntate, virtute, & nutu, vt prius habitum est. Secundo autem modo Christus resurgens est causa nostræ resurrectionis habitualis. Et tertio modo Christus in iudicio portãs redemptionis nostræ insignia, & vt iudex iudicando mundo demonstrans, erit nostræ resurrectionis causa actualis.

CONSENTIENDO igitur primis & vltimis auctoritatibus & rationibus inductis, dicendum videtur ad primum, quod contra hoc est, quòd Christi resurrectio dicitur hic Christus resurgens: quia resurrectio Christi abstracta, nullius est causa formalis, nisi fortè Christi resurgentis: Christus autem resurgens est causa in habitu, & illam non necessario sequitur effectus: sicut sciens in habitu est sufficiens causa considerationis, sed tamen non necessario considerat, sed considerabit quando voluerit. Ita est etiam de Christo resurgente in ordine ad nostram resurrectionem.

AD ALIVD dicendum, quòd est potentia duplex, scilicet absoluta, & ordinata sub dispositione immobili de futuris, qua dispositione explicatur per tempora consilium diuinum, quod prædiffiniuit ab æterno. De prima autem potentia fuit alius modus possibilis: & sic patet, quòd non valet probatio proposita. Et est instantia: quia si Deus illam primam nubeculam stare permisisset, qui primos tres dies creauit, ipsa creasset omnes dies: & ideo sol potuit non esse causa diei super terram: & tamen si inferatur, sol non potuit esse causa diei: ergo non est causa: constat, quòd fallacia consequentis incidit: & ita est in proposito. Ad aliam propositi probationem dicendum, quòd patres nostram resurrectionem per efficaciam resurrectionis Christi fore crediderunt. Si tamen aliter ordinasset Deus, tunc aliter esse posset: sed ex hoc non sequitur, quòd non sit causa, vt iam habitum est.

AD ALIVD dicendum, quòd resurrectio Christi cum nostra non est omnino vniuoca, sicut patuit supra in quæstione, Quid est resurrectio? Sed si esset omnino eiusdem rationis, tunc aliquid valeret argumentum: quia Christus resurrexit virtute propria, & non nos, sed virtute Christi resurgentis.

AD ALIVD dicendum, quòd si genus illud esset in omnibus vnum, tunc verissima esset propositio: quia tunc actus ille flueret ab vno aliquo in totum genus. Et ita non est de Christo: licet enim Christus sit verus homo, non tamen purus est homo Christus, & ita habet aliquid influentiæ super alios homines, sicut causa super causatum.

AD ALIVD dicendum, quòd ipse est causa voluntaria, formam causati apud se habens: quia reformabit corpus humilitatis nostræ, &c. Ad hoc quod vlterius quæritur, dicendum quòd est voluntas Dei in homine resurgente, & vnita humanæ: & ita patet quòd non valet illud quod infertur: quia illa solius Christi est resurgentis. Responsiones autem illorum ad dictum Apostoli, sufficienter improbatæ esse videntur.

ARTICVLVS VI.

An vox tubæ erit vnius, aut plurium Angelorum?

DEinde quæritur de hoc quod dicit [Vox erit alicuius vel plurium Angelorum, &c.] Ibidem etiam dicitur 1. Thess. 4. Et quæritur quare dicit, Alicuius, vel plurium? Videtur enim, quòd nullo modo sit vnius, sed plurium: plures enim fuerunt, qui ministrauerunt in custodia: ergo etiã plures erunt ministrantes, vt resurgant ad iudicium, & reddant rationem qualiter Angelis custodientibus obedierunt.

2 Item, Virtutum est facere mirabilia: sed omnium mirabilior est resurrectio: ergo videtur, quòd ad hoc quod fiat resurrectio, conueniant omnes virtutes: ergo plures.

3 Item Matth. 24. non dicitur de vno, sed de omnibus in communi, nam ita ibi dicitur, Virtutes cælorum mouebuntur: & exponitur de choro virtutum à beato Bernard. in 5. ad Eugenium.

Soluti. RESPONSIO. Dicendum, quòd est alicuius & multorum. Alicuius, vt in præposito Ecclesiæ, quia Michaël est præpositus Ecclesiæ & princeps, vt dicitur Daniel. 12. Multorum autem obsequentium circa singulorum rationes, vt supra habitum est. Et per hoc patet solutio ad totum.

De

De media nocte.

C Mat. 35. Vbi supra de gratia Nou. Test. 1. Thes. 5. MEDIA autem nocte dicitur venturus, vt ait Auguſt. Non pro hora temporis: ſed quia tunc veniet, cum non ſperatur. Media ergo nocte, ſcilicet cum valdè obſcurum erit, id eſt, occultum veniet. Dies enim Domini, ſicut fur in nocte, ita veniet. Poteſt tamen non incongruè intelligi mediæ noctis tempore venturus: quia ait Caſſiodor. Hoc tempore primogenita Exo. 12. Ægypti percuſſa ſunt, quando etiam ſponſus venturus eſt. Pluribus etiam locis conteſtantur Auctores, quòd aduentus Chriſti dies dicitur Domini, non pro qualitate temporis, ſed rerum: quia tunc cogita- Dan. 7. tiones & conſilia ſingulorum patebunt. Vnde in Daniele, Vetuſtus dierum ſedit, & libri aperti ſunt coram eo. Libri ſunt conſcientiæ ſingulorum, quæ tunc aperientur aliis. Et tunc implebitur, Nihil Mat. 10. occultum quod non reueletur. Adueniente autem ſummo iudice, non ſolum aëris tenebræ illuminabuntur, ſed abſcondita cordium mani- 1. Cor. 4. feſtabuntur. Virtute ergo diuina fiet, vt cuique opera ſua bona vel Aug. de ciu. Dei. lib. 20. mala cuncta in memoriam reuocentur, & mentis intuitu mira cele- cap. 15. ritate cernantur: vt accuſet vel excuſet hominem conſcientia, eaque teſte damnetur vel ſaluetur.

ARTICVLVS VII.

An ſcibile ſit tempus aduentus Domini ad iudicium?

DEinde quæritur de hoc quod dicit [Media autem nocte dicitur venturus] Quæruntur autem hic tria, ſcilicet an ſcibile ſit tempus aduentus Domini ad iudicium? Secundo, Quæ hora ſit magis conueniens ad veniendum? Tertio, Quare citatio nulla hanc horam præcedat, cum hoc videatur eſſe de forma iuſtitiæ.

Ad primum obiicitur ſic: Cuiuſcunque rei principiorũ ſcitur finis, & ipſius finis neceſſariò ſcietur: ſed principiorũ mundi ſcitur finis: ergo neceſſariò etiã ſcietur finis ipſius mũdi. Probatur autẽ prima: quia corruptis principiis primis, impoſſibile eſt aliquod principiatorum remanere. Secunda autem accipitur ex hoc, quòd principium totius generationis & corruptionis, eſt allatio ſuperiorum, vt dicunt Philoſophi: & ſcitur finis illorum, ſicut accipitur ex propria doctrina mathematicorum: ergo conſtat ambæ præmiſſæ. Et cum finis mundi eſt dies iudicij: ergo conſtat, quòd eſt ſcibilis.

2 Item, Philoſophi ſcripſerunt de magno anno, quo omnia in primum chaos reuerterentur, & nobis tradiderunt principia inueniendi primum, medium, & vltimum illius anni: ergo nobis etiam ſcibile eſt, quando omnia in primum chaos redibunt: hoc autem conſtat, quòd eſt finis mundi & dies iudicij: ergo videtur, quòd nobis ſcibilis eſt dies iudicij.

3 Item, Cuiuſcunque principium eſt in aliquo determinatum & finitum, illius finis ſcitur ex eodem, quia ex fine principij: ſed principium mundi inferioris eſt in motu cæli determinato & finito: ergo finis eius ſcitur ex eodem. Et inde vt prius. Prima patet per ſe. Secunda autem ſcribitur ab Ariſtotele: quia cuiuſcunque principium eſt in tempore vt in numero, illius finis erit in eodem: & hoc propter finem periodi, vt dicunt mathematici.

4 Item, Daniel & Apoſtolus ſcribunt de die iudicij: non autem ſcribitur quod neſcitur: ergo videtur, quòd dies iudicij ſit ſcibilis.

5 Item, Sunt multi qui de hoc loquuntur per reuelationes, quas dicunt ſibi factas: quod autem per reuelationem ſcitur, veriſſimè ſcitur: ergo videtur, quòd ſciatur.

6 Item, Etiam Philoſophi, ſicut patet in Timæo Platonis loquuntur de diluuio per ignem: conſtat autem ſecundum dicta Sanctorum, quòd hoc iudicium erit per ignem: ergo videtur, quòd cum hoc ſciatur, dies iudicij ſit ſcibilis.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius eſt, quòd omnis circularis mobilis & motoris perpetuorum perpetuus eſt motus quantum ad principia motus: talis autem motus eſt cæli: ergo quantum eſt de principiis motus, motus eſt perpetuus. Prima patet ex 8. phyſicorum. Similiter autem & ſecunda patet ex his, quæ diſputata ſunt ſuper ſecundum à nobis. Inde ſic, Stante motu cæli, non erit dies reſurrectionis & iudicij, vt dicitur Iob. 14. Donec atteratur cælum, non euigilabit, neque conſurget de ſomno ſuo. Sed quãtum eſt de principiis motus nunquam non ſtabit. Ergo ex illis principiis nunquam ſcietur finis mundi, vel dies iudicij. Patet autem omnibus etiam modicum ſcientibus, quòd Philoſophi non poſſunt ſcire aliquod

quod futurorum, nisi ex principiis illis, scilicet motoris, & mobilis: ergo non potest per naturales vel mathematicas rationes sciri dies iudicij.

2 Item, Nullus Philosophorum scripsit physicè de fine mundi: ergo videtur, quòd nihil scire potuerunt. Si fortè quis dicat, quòd per reuelationem sciatur. Contra: Probabile est quòd hoc quod Deus non vult reuelare maioribus, per hoc etiam nolit reuelare minoribus: sed noluit hoc reuelare Apostolis: ergo nec minoribus quibuscunque reuelabit. Probatio mediæ. Act. 1. Igitur qui conuenerant, interrogabant eum dicentes: Domine si in tempore hoc restitues regnum Israël, &c.

3 Item ex illo quod dixit, De die autem illa nemo scit nisi solus Pater, neque etiam Filius. Ergo videntur esse trutanni, qui se de reuelatione illa intromittunt.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd nullo modo puto quemquam posse præscire diem iudicij. Et causa redditur in litera ab August. scilicet quia insperatè vult iudex venire. Sed ratio etiam reddi potest: quia per dispositionem motus superioris non potest sciri: sed per reuelationem non vult Deus aliquem scire: & ita nullo modo sciri potest. Quare autem ex dispositione motus sciri non possit, patebit inferius in solutione obiectorum.

DICENDVM ergo ad primum, quòd finis mundi non potest sciri ex motu cæli ex propria scientia mathematicorum: sed finis habitationis regni ciuitatis & habitabilis terræ nostræ bene scitur ex propria scientia mathematicorum, sed non totius terræ: quia quando vna quarta pars habitabilis modo efficitur inhabitabilis propter breuitates diametrorum planetarum & præcipuè solis, tunc eo ipso longitudo longior alterius partis eorundem diametrorum erit in altera parte quartæ: & illa efficitur habitabilis transeunte habitatore & habitabilitate ab vna quarta in aliam: & nihil amplius potest accipi à propria scientia mathematicorum, sicut sciunt omnes qui de arte aliquid perfectè nouerunt: & scribunt hæc auctores Ptol. Malarba, & Albunasar in lib. de coniunctionibus maioribus, & Abraham in lib. coniunctionum saturni & iouis, & Messalach in lib. coniunctionum planetarum. Arist. etiam obiiciendo innuit hoc in fine primi de causis proprietatum elementorum & planetarum.

AD ALIVD dicendum, quòd Philosophi diuersa tradiderunt de magno anno secundum diuersam eius acceptionem: dicitur enim annus magnus planetarum, & hoc multipliciter, scilicet quantum ad vnius planetæ significatum quod instillat sectæ, & sic alij sunt anni maximi saturni & aliorum planetarum, vt dicunt Auctores. Et secundum hoc dicuntur anni medij quibus durat significatum planetæ in ciuitate, vel villa: & minimi quibus durat suum significatum in nato, & alij siderei anni honoris eius. Quandoque autem dicitur annus magnus quoad restitutiones planetarum ad loca & origines suas, vt quilibet à sua origine progrediatur, sicut à principio suæ creationis progrediebatur: & hic vocatur annus magnus à Firmitio Philosopho in lib. de significatis astrorum. Quandoque autem annus magnus dicitur secundum reditum totius sphæræ stellatæ. In omnibus autem illis annis non accipitur status motus, & non est ibi reuolutio vltima, post quam non fit alia: & ideo finis mundi nunquam accipitur, sicut patuit prius, sed finis huius sectæ vel habitationis, vt habuimus, & non finis mundi simpliciter.

AD ALIVD dicendum, quòd inferiora sunt in numero & tempore, sed accipiuntur dupliciter, scilicet secundum totam successionem ipsorum, vel secundum durationem specialem huius vel illius. Primo autem modo sunt in tempore toto, cuius finis per philosophiam non comprehenditur. Secundo autem modo sunt in quadam parte temporis quod scitur: & sic intelligitur dictum Aristotelis dicentis inferiora esse in tempore sicut in quodam numero: vnde ibidem dicit, quòd esse in tempore nihil aliud est, quam quadam parte temporis mensurari.

AD ALIVD dicendum, quòd Sanctis facta est reuelatio de signis antecedentibus: sed, vt puto, determinatum tempus nunquam alicui reuelatum est in toto, vt sciret quantum ab hodie vel alio determinato die est vsque ad diem iudicij. Et Daniel videtur determinatè dicere tempus quod erit inter mortem Antichristi & iudicium, sed quod est vsque ad Antichristi apparitionem non dixit.

AD ALIVD dicendum, quòd omnes quotquot hactenus se de talibus intromiserunt, fatui apparuerunt: & ideo illa obiectio super nihil stabile fundatur.

AD ALIVD dicendum, quòd Philosophi considerant causas diluuiorum particularium secundum eleuationes & depressiones planetarum in signis calidis & frigidis, & secundum dominia calidorum & frigidorum: nullus tamen determinat diem iudicij.

INTEREA autem quæ obiiciuntur in contrarium, nullum indiget solutione, nisi hoc quod dicit, quòd nec filius nouit diem illam. Et ad hoc dicendum, quòd (vt dicit Gloss.) filius dicitur nescire, quia non facit nos scire. Vel melius dicatur, quòd loquitur de filio hominis vt hominis: quia ex natura humana non sciuit hoc, sed diuina in qua idem erat Patri.

ARTICVLVS VIII.

Qua hora erit iudicium?

SEcundo quæritur, Quæ hora sit magis congueniens ad veniendum? Videtur autem, quòd meridies: quia exteriora interioribus congruere debent: sed in die iudicij omnia interiora illustrabuntur: ergo exteriora omnia tunc debent esse illustrata: & hoc est in meridie: ergo illud tempus est maximè congruum.

2 Item, Nulla ratio videtur esse quam ponit in litera, scilicet cum valdè obscurum erit, id est, occultum: non enim debet iudex occultus superuenire, sed potius manifestus: ergo melius congruit, quòd veniat in die, quam in nocte.

RESPON

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd rationes congruentiæ diuersæ possunt assignari, nec magna vis est in eis:cum patribus ergo videtur consentiendum, quòd congruit eum in media nocte venire ex mysterio quod adducit Exod. 11. Cassiod. & ex congruentia iudicandorum, qui hoc merentur, vt incerti de hora semper sint soliciti.

AD ID quod primo obiicitur, dicendum, quòd illa congruentia sumitur ex parte conditionis iudicis tantum, qui semper inhabitat lucem inaccessibilem omnia perlustrantem:sed qualitas temporis iudicij (vt patet in litera) magis sumitur ex parte iudicandorum: & hoc ideo fit,quia iudicium est propter iudicandum, non propter iudicem.

PPR HOC etiam patet solutio ad residuum.

ARTICVLVS IX.

Quare citatio non præcedat iudicium?

TErtio quæritur,Quare citatio non præcedat? Cum enim sit iudex summè iustus, nihil de ordine iuris prætermittit:sed de ordine iuris est citare iudicandum: ergo hoc prætermitti non debet,

AD HOC dicendum, quòd omnes prædicatores citauerunt: præcipua tamen & finalis citatio erit per Eliam & Enoch: & quoad hoc obseruabitur ibi ordo iuris.

ARTICVLVS X.

Qualiter conscientiæ dicuntur libri?

DEinde quæritur de hoc quod dicit [Libri sunt conscientiæ singulorum,&c.] Quæruntur autem hic quatuor, scilicet qualiter conscientiæ dicantur libri? Secundo, Vtrum omnia peccata vel quædam contineant libri illi? Tertio, Vtrum patebunt eis sua & aliena peccata vel sua tantum? Quarto de cruciatu vel consolatione consequente huiusmodi manifestationem.

Ad primum proceditur ex litera, vbi dicit, quòd libri sunt conscientiæ singulorum, quæ tunc aperientur.

1 Item, Richardus de san. Vict. in lib. de iudicio sic dicit: Quid sunt corda iudicandorum, nisi quædam (vt ita dicam)actiones scripturæ?quid vero iudicantium corda in omnem diuinitus veritatem edocta,nisi quædam quasi canonum decreta?Ex hac ergo gemina scriptura omnis trahitur sententia, vnde quilibet iudicandorum absoluitur, vel condemnatur. Ex hoc accipitur, quòd tam iudicandorum,quam iudicantium conscientiæ libri dicantur:sed iudicandorum conscientiæ ponunt causas iudicandi, & iudicantium conscientiæ exhibent canones sententiæ in talibus causis ferendæ.

3 Item ibidem dicit sic:Iudicandos itaque nihil aliud est actionum suarum codices coram iudicibus aperire, quam conscientias illis non posse abscondere. Ex hoc accipitur idem quod prius.

4 Item, Sicut se habet iudicium hominis ad faciem exteriorem, ita se habet Dei iudicium ad cor, sicut innuitur 1. Reg. 16. sed iudicium hominis ad faciem, est secundum faciem,& per testes, vel euidentiam facti manifestationem: ergo iudicium Dei est ad cor secundum cordis apertionem vel manifestationem: ergo corda vt libri quidam debent ibi aperiri.

IN CONTRARIVM est,quod peccata transierunt actu à memoria ad minus multa de peccatis:ergo non sunt scripta in conscientia:ergo quoad illa non potest esse liber. Sed contra.

2 Item,Liber non indiget illustratione:sed corda damnandorum sunt obscurissima: ergo non possunt esse libri manifestantes delicta.

RESPONSIO. Dicendum, quòd sicut dicit Gloss. ad Rom. 1. Notæ quædam peccatorum remanent in conscientia: & illas notas puto esse reatum: & per illum quilibet repræsentat suum peccatum. Similiter Sancti rectificati secundum formam iustitiæ primæ sua rectitudine conscientiæ sunt quædam regula & canon: vnde omnes conscientiæ dissimiles iudicantur ad condemnationem, & congruentes ad absolutionem & salutem, sicut dicit Richardus. Et ex illis duobus procedit iudicium: & hoc est quod dicitur Sap. 1. Qui loquitur iniqua, non poterit latere, & non præterit illum correptionis iudicium. Solutio.

AD ID autem quod contra obiicitur, dicendum quòd transit & actu, & memoria:& tamen manet reatu, nisi per pœnitentiam deleatur.

AD ALIVD dicendum,quòd in lumine duplici vident, scilicet naturalis iustitiæ quæ scripta est in cordibus eorum secundum synderesim, quia illi non contrariatur obscuritas mali meriti,sed saluatur cum ipsa:& in lumine Dei & Sanctorum desuper irradiantium, sicut Sophoniæ 1. dicitur, Et erit in tempore illo: scrutabor Ierusalem in lucernis, & visitabo super viros defixos in fæcibus suis: qui dicunt in cordibus suis,&c.

ARTICVLVS XI.

An omnia peccata vel quædam contineant libri?

SEcundo quæritur, Vtrum omnia peccata vel quædam contineant libri illi? Videtur, quòd non omnia:quia omne quod cordi reuocatur, aut per sensum nouum accipitur,aut ex memoria sicut ex thesauro formarum educitur: sed neutro istorum modorum omnia peccata veniunt ad corda iudicandorum:ergo videtur, quòd non omnia peccata ibi manifestabuntur. Prima patet per se. Secunda autem probatur: quia non est nisi duplex via cognitionis, vt dicunt Philosophi, scilicet recta quæ est per sensus, & reflexa quæ est ex memoria: sed neutro modo omnia adsunt peccata.

2 Item Ierem. 17. Profundum est cor hominis & inscrutabile, quis cognoscet illud?

Ergo

Ergò ibi in toto agnosci non potest: ergo non omnia manifestabit ibi cor.

3 Item, Iudicis in iudicio sedentis non est detegere id quod est occultum: cum ergo ille sit æquissimus iudex, non deteget aliquid occultum: ergo corda non manifestabunt peccata, nisi ea quæ sunt manifesta.

4 Item, Multa peccatorum pœnitentia deleuit, etiamsi non fuit finalis cum perseuerantia, quia omnis vera pœnitentia delet peccata: ergo videtur cum illa sint deleta reatu & actu, quòd tunc non manifestabuntur: ergo non omnia peccata manifestabit cor.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est, quòd omne peccatum accipiet iustam suæ deformitatis condemnationem: sed nihil vniuersaliter condemnatur, nisi in iudicio manifestum: ergo omne peccatum erit in iudicio manifestum.

2 Item 2. Corinth. 5. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, &c. Ergo omnia peccata nostra ibi patebunt.

Solutio. RESPONSIO. Hoc vltimum concedendum est, scilicet quòd omnia ibi patebunt peccata: sed quæ sunt per pœnitentiam deleta, non sunt peccata: & ideò ibi illa ad conscientiam vt iudicanda non reuocantur, licet forte reuocentur ad participandam ingratitudinis quantitatem, scilicet ex quanto dono cecidit, vt propter sequens peccatum acrius puniatur. Et per hoc patet solutio ad vltimum.

AD PRIMVM dicendum, quòd si ibi est nota peccati quæ est reatus, informabitur cor ad noscendum peccatum, alij manifestandum.

AD ALIVD dicendum, quòd non potest modo cognosci: sed tunc diuina virtute cognoscetur ad maiorem confusionem, & iustitiæ diuinæ commendabilitatem.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc verum est, vbi testis est extra de facie: sed vbi testis est intra, cuius statur testimonio, tunc iudicis (quando dat sententiam) est manifestare dicta testium, vt iusta appareat sententia: & ita Dei est ostendere interiora dicta testium, scilicet conscientiarum accusantium, aut etiam defendentium.

ARTICVLVS XII.

An propria & aliena peccata patebunt omnibus?

TErtio quæritur, Vtrum sua & aliena patebunt omnibus? Videtur, quòd non aliena: quia causam non oportet esse notam, nisi iudicibus, hoc est, iudici, & suis assessoribus: ergo videtur, quòd etiam illa causa soli Deo nota erit, & Apostolicis viris iudicantibus cum Domino: ergo non omnibus patebunt aliena peccata & sua.

2 Item, Quæ vtilitas est in hoc quod omnibus manifestentur? Videtur, quòd nulla: quia manifestatio culpæ modo mala est: ergo & ibi melius est occultè punire, quam manifestare omnibus propria & aliena: ergo vt prius.

Sed contra. CONTRA: 1. Corinth. 4. super illud, Quoadusque veniat Dominus, qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium: dicit Glossa, Tunc erunt omnia aperta & nota omnibus, & poterunt etiam de se & de aliis iudicare.

2 Item versus dicitur ab antiquis:

Cunctaque cunctorum cunctis arcana patebunt.

3 Item, Sicut bonis omnia bona manifestantur ad gloriam ipsorum, ita iustum est in malis omnia manifestari mala sua & aliena ad eorum confusionem: sed omne quod congruit & iustum est fieri, fiet: ergo omnia mala propria & aliena manifestabuntur ibi.

Solutio. REBPONSIO. Dicendum, quòd omnia aliena & propria ibi manifestabuntur, sicut vltimo probatum est.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd non solus Deus ibi iudicat, sed iudicabunt etiam Sancti nationes, vt dicitur Sap. 3. sed verum est, quòd solus Deus ibi iudicabit auctoritatiue. De hoc tamen erit quæstio suo loco infra. Nec peccata ibi tantum manifestantur ad iustitiæ euidentiam, sed etiam ad peccantium confusionem, sicut vltimò est probatum.

AD ALIVD dicendum, quòd est ibi hæc vtilitas vindictæ per pœnam verecundiæ: & quòd modo mala est manifestatio culpæ, est propter timorem scandali imitati: & hoc tunc penitus tolletur: & ideò vtilitas sola relinquitur in culpæ manifestatione.

ARTICVLVS XIII.

An ex apertione illorum librorum erit aliquis cruciatus, vel consolatio?

QVarto quæritur, Quid ex hoc prouenit, cruciatus, vel consolationis? Videtur enim, quòd acerbior sit pœna ex pœnitentia malorum, quam ex gehenna. Vnde Hugo, Adueniente iudice vniuscuiusque conscientia ad medium erit reducta: tunc omnis ante oculos culpa reducetur, & mens super incendio suo grauius igne gehennæ cruciabitur. Ex hoc accipitur quod dictum est.

2 Item, Luc. 23. Tunc dicent montibus, Cadite super nos: & collibus, operite nos. Constat autem, quòd hoc dicentes non quærunt euadere, nisi exteriorem iudicis irati visionem in accusatione conscientiæ, non interiorem cruciatum. Ergo aliquid durius est, quam cruciatus gehennæ: sed accusatio conscientiæ grauior est, quam visio iudicis: ergo accusatio conscientiæ grauior est pœna, quam gehenna. Quod autem accusatio conscientiæ grauior sit quam visio offensi iudicis, patet: quia visio non est pœnalis, nisi propter conscientiæ accusationem, & propter quod vnumquodque tale & ipsum magis tale est.

3 Item Sap. 5. dicitur, quòd præ angustia spiritus dicent gementes, Hi sunt quos aliquando habuimus in derisum. Et non dicitur ibi præ angustia inferni: ergo angustia spiritus videtur grauior, quam infernus.

4 Item, In beatis obiectum delectabilissimum est intra, scilicet Deus replens intima ad fruendum:

fruendum:ergo & in aliis peſſimum & triſtiſſimum eſt intra,ſcilicet afflictio ſpiritus.

5 Item, Quod maximè eſt alicui malum, maximè eſt afflictiuum: ſed proprium malum eſt maximè alicui malum:ergo maximè eſt afflictiuum: hoc autem malum animæ (vt dicit Dionyſius) eſt contra rationem eſſe: ergo videtur, quòd tunc hoc eam maximè affligat.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius eſt, quòd pœna minor eſt in agente in contrarium, quam in priuatione ſola: ſed ignis eſt agens in contrarium,& accuſatio conſcientiæ eſt de priuatione boni ſola:ergo eſt vehementior pœna,quam accuſatio conſcientiæ.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd eſt pœna damni, & pœna ſenſus. Pœna damni maxima, eſt priuatio boni increati & creati boni naturalis propter peccati deformitatem. Pœna autem ſenſus duplex eſt, ſcilicet remorſus conſcientiæ interior,& exterior ignis cum aliis affligentibus. Et inter illas credo exteriorem ignem magis eſſe vehementem:quia interior remorſus vel eſt de damno, vel de hoc quod per peccatum ſe ſubdidit affligenti corporali, ſicut eſt ignis, vel huiuſmodi.

AD HOC ergo quod primo obiicitur de dicto Hugonis, dicendum quòd eſt grauius ſecundum quid, ſcilicet quantum ad indignationem:quia plus indignatur ſibi,eo quòd fuit cauſa pœnarum:ſed tamen plus cruciatur ſenſibiliter ex igne.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc ideo dicunt, vt vnam pœnam euitent, non quòd maiorem hanc vel illam reputent: bene enim puto, quòd inter paruas pœnas ſuas aliquæ ſunt, quæ oppreſſiones montium afflictione ſua ſuperent:& ideò maiores oppreſſiones oppreſſione montium libenter commutarent.

AD ALIVD dicendum, quòd gemunt præ anguſtia ſpiritus: & hoc commemoratur ſpecialiter, eò quod eſt cauſa aliarum pœnarum.

AD ALIVD dicendum, quòd non eſt ſimile:quia bonum fruibile eſt intra non incluſum, & extra non excluſum: & illud non habet contrarium:& ideo malum ſibi oppoſitum non eſt intraneum maximè afflictiuum, ſed potius ignis qui non eſt malus in ſe, ſed illis inquantum affligit naturam bonam, vt dicit Auguſtinus.

AD ALIVD dicendum,quòd ſi malum ſonat priuationem & damnum, id eſt, quod maximè adimit bonum: tunc non eſt vera propoſitio: quia maximè afflictiuum eſt in contrarium agens, & maximè malum eſt priuatio proprij & maximi boni. Si autem dicit malum pœnæ ex agente in contrarium: tunc vera eſt: & tunc illa eſt falſa quæ dicit, quòd maximè malum eſt animæ contra rationem eſſe in eodem ſenſu:& in primo ſenſu vera eſt. Et deceptio eſt ibi per æquiuocationem.

ARTICVLVS XIV.

An iudicium extremum fiet in momento?

DEinde quæritur de hoc quod dicit [Et mentis intuitu mira celeritate, &c.] Et quæruntur tria, ſcilicet vtrum iudicium fiat in momento? Et vtrum poſſibile ſit omnia mala in momento accuſari per conſcientiam? Et vtrum iudicium futurum ſit in momento?

Circa primum obiicitur ſic: Apoſtolus 1. Corinth. 15. ſic dicit: In momento, in ictu oculi, in nouiſſima tuba. Momentum autem eſt indiuiſibile, & ictus oculi eſt in indiuiſibili,ſicut probat Iacob filius Alchindi, & etiam Ariſt. in lib. de ſenſu & ſenſato: ergo reſurrectio erit in momento.

2 Item Gloſſa ibidem, Credimus in ictu oculi futuram reſurrectionem, & in membra ſine fine victura, tanta velocitate rediturum antiquiſſimorum cadauerum puluerem. Ex hoc accipitur idem quod prius.

3 Item, Sicut probat Philoſophus in fine 8.Phyſicorum, infinita virtus mouet & operatur in indiuiſibili temporis: ſed cauſa reſurrectionis quæ eſt virtus Dei,eſt infinitæ virtutis: ergo & reſurrectio quæ eſt opus eius, erit in indiuiſibili temporis.

4 Item, Si operaretur reſurrectionem in tempore, oporteret quòd hoc tempus eſſet ſecundum congruitatem reſurgentium, & non ſecundum congruitatem cauſæ reſurrectionis: ſed reſurgentes ſicut & naſcentes aliud tempus exigunt ad formationem, & aliud ad nutrimentum:ergo ibi eſſet ſimiliter,& ſic exigerentur 20. anni ad minus, quod falſum eſt: ergo videtur, quòd non ſit in tempore, ſed in momento futura reſurrectio.

5 Item, Diſtinctum debet eſſe opus diuinum ab opere naturæ in velocitate motus:ſed opus naturæ eſt in tempore: ergo opus diuinum debet eſſe in indiuiſibili temporis, vt videtur.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius eſt, quod dicit Ezech. 37. Acceſſerunt oſſa ad os, & carnes non habebant: & poſtea ſuccreuerunt carnes, & ſpiritum non habebant:& tandem à quatuor ventis cæli venit ſpiritus. Hæc autem non fiunt in momento, ſed in temporis ſucceſſione. Ergo reſurrectio non erit in momento,nec in ictu oculi.

2 Item, Plurium actuum ſibi ſuccedentium non eſt indiuiſibile vnum menſurans:ſed collectio puluerum, formatio corporum, animatio eorum, ſunt actus plures ſibi in reſurrectione ſuccedentes:ergo eorum non eſt vnum indiuiſibile menſurans: ergo reſurrectio non erit in indiuiſibili temporis.

Solutio. RESPONSIO.Dicendum, quòd prima pars obiectorum videtur eſſe concedenda.

AD 1 D quod contra obiicitur, dicendum quòd Ezechiel rudi populo loquebatur. Et ideo quod ſimul factum eſt,per ordinem naturæ non temporis explicauit, ſicut & Moyſes opera ſex dierum, quæ tamen ſimul in vno momento ſecundum Auguſtinum facta ſunt.

AD

Ad aliud dicendum,quòd illi actus non sibi succedunt in tempore, sed in natura materiæ : sicut etiam creatio animæ & infusio & infectio per originale peccatum,sunt tres actus habentes ordinem naturæ, non temporis:vnde colligendo pulueres per Angelos conuertit & format & animat eos Deus.

ARTICVLVS XV.

An sit possibile omnia mala in momento accusari ?

Secundo quæritur, Vtrum possibile sit omnia mala in momento accusari per conscientiam?Videtur autem,quòd non:quia non accusatur quod secundum actum non consideratur : sed impossibile est plura simul intelligere secundum actum siue considerare: ergo impossibile est simul plura accusare,sed potius vnum post aliud. Prima patet per se. Secunda autem scribitur in topicis, vbi dicitur, quòd plura scire possumus, intelligere vero minimè.

2 Item Sapient.5. sigillatim se de peccatis accusant dicentes : Quid nobis profuit superbia, &c. sed talis quæ sigillatim fit accusatio, non fit in indiuisibili temporis : ergo talis accusatio non fit in momento.

3 Item, Augustinus dicit super Genes. ad literam 11. quòd Deus creaturam spiritualem mouet per tempus. Ergo multo magis facit hoc in homine: ergo per tempus, & non per momentum erunt vices cogitationum accusantium aut defendentium in die quo iudicabit Dominus occulta hominum.

Sed contra. In contrarivm huius est, quod dicitur in litera.

2 Item,Motus spiritus in cogitando expeditior est, quam aliquis motus corporum : sed corpora in momento mouentur ad resurgendum,vt iam habitum est: ergo & motus cordis siue spiritus erit in accusando vel defendendo multo magis in momento siue in indiuisibili temporis.

Solutio. Responsio. Videtur mihi dicendum, quòd accusatio duplex erit. Vna de peccatis in genere ad memoriam redeuntibus. Alia autem in specie & numero. Et prima sufficit ad condemnationem in iudicio & absolutionem: secunda autem deseruit vermi conscientiæ. Et prima momentanea erit : secunda autem successiua. Hanc autem solutionem ego eligo: quia nullo modo credo, quòd plura contingit simul intelligi aut considerari secundum actum in specie & numero : sed contingit hoc in eo in quo vnum sunt plura,hoc est, in vniuersali. Alij autem dicunt,quòd simul contingit plura intelligi,& illi aliter soluunt. Hoc autem quia negat Philosophus, & nemo in seipso experiri potest,puto esse falsum.

Dicendvm ergo ad primum, quòd accusatio erit in momento : quia erit de peccatis in genere,& non in specie & numero.

Ad aliud dicendum, quòd damnati ibi potius manifestabunt vermem conscientiæ, quam accusationem suæ damnationis.

Ad aliud dicendum, quòd Augustinus loquitur de modo intelligentiæ super intelligibilia in specie & numero considerata : & hoc modo etiam bene à nobis conceditur : sed per hunc modum non erit accusatio in die iudicij.

ARTICVLVS XVI.

An totum iudicium futurum sit in momento ?

Tertiò quæritur, Vtrum iudicium totum futurum sit in momento?& videtur,quòd non: quia celeriter iudicare deformitas iudicij est, & contra iudicis discretionem : sed ille iudex discretissimus erit : ergo videtur, quòd non momentaneè iudicabit.

2 Item Matth.25. Congregabuntur ante eum omnes gentes : & separabit bonos à malis, & similiter post separabit oues ab hœdis, & statuet,&c. Constat autem, quòd ibi exprimitur ordo iudicij diuini : cum ergo hæc omnia impossibile sit in momento fieri, videtur quòd iudicium nullo modo erit in momento.

3 Item Ioel.3. dicitur, Congregabuntur omnes gentes in valle Iosaphat, & disceptabo cum eis, disceptatio autem iudicij non erit in momento. Ergo videtur, quòd nec iudicium diuinum.

4 Item Matth.25. dicitur, quòd interrogabunt iudicem,quando viderint eum esurientem vel sitientem,& non potauerint eum : sed hæ interrogationes & responsiones fiunt temporis successione : ergo videtur, quòd & iudicium.

5 Item Matth.25. dicunt,Domine Domine aperi nobis. Et respondetur eis,Nescio vos. Hæc autem omnia indigent tempore.Ergo iudicium illud erit in tempore.

Sed contra. In contrarivm huius est, quòd iudicium sequitur intellectus & cognitionis discretionem:diuina autem cognitio non indiget tempore ad discernendum & cognoscendum: ergo nec ad iudicandum.

2 Item, Nihil imperfectionis Deo attribuendum est : sed imperfectum iudicium est, quod est cum inquisitione & tempore, quia procedit ex dubiis ad certa : ergo non est Deo attribuendum : ergo non est dicendum, quòd diuinum iudicium exigat tempus.

Solutio. Responsio. Concedendum videtur, quòd iudicium erit in momento, sicut vltimo est probatum : quia non competit Deo iudicare cum successione.

Ad primvm ergo dicendum, quòd hoc est in humanis, inquantum est imperfectum iudicium humanum : quia cum causa sit sub dubio, & ex allegatis decidenda, temerarium est subitò proferre sententiam : sed ita non est in diuino iudicio,vt iam patuit.

Ad aliud dicendum, quòd humanè loquitur Matthæus, vt à rudibus possit intelligi : sed ille ordo non est nisi naturæ, non temporis.

Ad aliud dicendum, quòd sicut Bernard. dicit, Deus non disceptabit voce corporali

rali cum iudicandis, ſed potius voce interiori per accuſationem & defenſionem propriæ conſcientiæ: & quia hanc mouet Deus per formam rectitudinis primæ ad quam tunc omne illi diſſimile reprehenditur, propter hoc ipſe dicitur diſceptare.

AD ALIVD dicendum, quòd omnes illæ interrogationes erunt in conſcientia & rectitudine iuſtitiæ reſpondente, & erunt de cauſa ſententiæ poſt condemnationem: & ideo non inducunt viciſſitudinem in iudicio, ſed potius in iudicatorum cogitationibus poſt ſententiam ſuæ condemnationis.

AD ALIVD dicendum, quòd omnes iſtæ pulſationes dicunt motus cordis ex conſideratione quorundam operum de genere bonorum, & reſponſio iudicis nihil aliud eſt quam reſponſio naturalis iudicatorij & naturalis legis, quod conuincit eos de iuſtitia ſuæ condemnationis poſt iudicium.

De memoria electorum, ſi tunc præcedentia mala teneat.

DHIC quæritur, Vtrum electis tunc adſit memoria præcedentium malorum, ſicut bonorum? Quædam auctoritates videntur bonos tradere non habituros tunc memoriam præcedentium malorum, id eſt, peccatorum, vel tormentorum. Ait enim Iſaias, Ego creo cælos nouos, & terram nouam: & non erunt in memoria priora, & non aſcendent ſuper cor: ſed gaudebitis in æternum. Item, Obliuioni traditæ ſunt anguſtiæ priores, & abſconditæ ab oculis noſtris. Quæ de futuro exponens Hieron. ait, Obliuioni tradentur priora mala: quia forſitan in futuro priſtinæ conuerſationis memoria omninò delebitur, ſuccedentibus bonis æternis: ne ſit pars malorum, prioris anguſtiæ memorari. Sed hæc & his ſimilia poſſunt accipi ſic, vt non excludant memoriam præcedentium malorum, ſed ex ea moleſtiam & læſionem amoueant. Non enim eorum memoria Sanctos contriſtabit, vel eorum beatitudinem offuſcabit, ſed gratiores Deo reddet. Vnde ſuper Pſalm. 87. ait Gregor. Quomodo in æternum miſericordias Domini canit, qui miſeriæ non meminit? Quomodo autem plena beatitudo, ſi memoria reatus mentem tangit? Sed ſæpè læti triſtium meminimus, & ſani dolorum meminimus ſine dolore: & inde amplius læti & grati ſumus. Ex his apparet, quòd ſi priorum malorum memoriam Sancti habebunt in futuro, non eis tamen erit ad pœnam vel gloriæ derogationem, ſed ad gratiarum actionem. Si vero quæritur, Vtrum peccata quæ fecerunt electi, prodeant tunc in notitiam omnium, ſicut mala damnandorum omnibus erunt nota? Non legi hoc expreſſum in Scriptura. Vnde non irrationabiliter putari poteſt, peccata hic per pœnitentiam tecta & deleta, illic etiam tegi aliis: alia verò cunctis propalari.

Iſa. 65.

Ibidem. In Gloſſ. ſuper illũ locũ Iſaiæ.

ARTICVLVS XVII.

An electis adſit memoria & recordatio peccatorum?

DEinde quæritur de hoc quod dicit [Hic quæritur, Vtrum electis adſit memoria, &c.] Et quæruntur tria, ſcilicet vtrum adſit memoria? Secundum, Vtrum illa ſit practica, an ſpeculatiua? Tertium, Qualiter iudicium diuinum procedat ex depoſitione vnius teſtis, qui eſt conſcientia?

Ad primum obiicitur ſic: Dicit Philoſophus, quòd melius eſt mala neſcire: ergo etiam melius eſt malorum non recordari: ſed in Sanctis fiet quicquid melius eſt eſſe: ergo videtur, quòd Sancti præteritorum malorum non recordabuntur.

2 Item, Optima diſpoſitio hominis ad meritum eſt eſſe ſapientem in bono & ſimplicem in malo, vt habetur per Apoſtolum ad Rom. 16. ſed melior eſt ſtatus gloriæ, quam gratiæ: ergo in ſtatu gloriæ erit hoc ſecundum ampliorem perfectionem: ergo erit ibi ſecundum neſcire mala, & non recordari eorum.

3 Item, Mali cognitio non prodeſt niſi vt euitetur: ergo vbi impoſſibile eſt incidere in malum, ibi ſuperflua erit cogitatio mali vel memoria: ſed in patria impoſſibile erit incidere

dere in malum: ergo superflua erit mali cogitatio, vt videtur: sed constat, quòd ibi nihil superfluum est: ergo non erit ibi aliqua mali recordatio. Pro ista ista parte sunt auctoritates in litera ex Hyeron. inductæ.

Sed contra. In contrarivm huius est dictum Gregorij, quod vim habet obiectionis de Psalm. sicut patet in litera.

2 Item, Sanctorum gloria est in redemptore inquantum redemptor est saluator secundum actum redimens & saluans: sed non contingit hoc sine recordatione periculi de quo saluauit: ergo ibi erit periculi recordatio: sed omne periculum est ex peccato: ergo erit ibi recordatio peccatorum.

3 Item, Propheta benedicens Deum dicit rationem: Qui sanat omnes infirmitates tuas, & qui redemit de interitu vitam tuam. Constat autem, quòd sancti in patria gratissimi sunt de omnibus donis à Deo sibi datis: cum ergo præcipuum donum sit salus à peccatis, videtur quòd de hoc erunt grati: sed non essent grati nisi recordarentur: ergo videtur, quòd recordabuntur peccatorum suorum.

Solutio. Responsio. Dicendum, quòd consentiendum est Gregorio dicenti, quòd erit tunc peccatorum recordatio.

Ad primvm ergo dicendum, quòd Philosophus dicit hoc propter pronitatem malam annexam quibusdam scibilibus, non propter ipsum scire: quia scire semper est bonum, etiam quando malum scitur.

Ad alivd dicendum, quòd est scire illud practicum quod Priscianus docet dicens, quòd verba prohæretica desiderant infinitiuum: vnde scire malum hoc, sensus est, scire facere malum: sed scire, id est, simplicem cognitionem de hoc habere, sicut scire malum, bonum est & etiam de per se appetendis: & hoc modo non loquitur Apostolus.

Ad alivd dicendum, quòd supponitur falsum in propositione: quia etiam prodest vt mens in illa scientia delectetur, & præcipuè in sapientia prophetica quæ resultat in scientia illa: vnde à Tullio scientia ponitur inter per se appetenda: & vna pars felicitatis contemplatiuæ scientia & sapientia est.

ARTICVLVS XVIII.

An illa scientia sit practica vel speculatiua, quam habent electi de suis peccatis?

Secundo quæritur, Vtrum illa scientia sit practica, vel speculatiua? Et videtur, quòd practica: quia est cum affectu gratiarum actionis & gaudij, vt dicitur in litera: sed talis scientia quæ est cum affectu, est practica & motiua, vt dicit Philosophus: ergo illa scientia est practica.

2 Item, Scientia speculatiua est consideratiua differentiarum & passionum eius de quo ipsa est: sed Sancti ita non considerant eisca peccata, vt disputent de passionibus eorum & differentiis: ergo scientiam speculatiuam non habent de peccatis.

3 Item, Speculatiua scientia de aliquo, non est de particulari, sed de vniuersali abstrahente ab omni particulari: sed Sanctorum scientia non est de peccato in vniuersali, sed in particulari, quia est de suo peccato: peccatum autem in vniuersali non est suum, nec tuum, nec meum: ergo videtur, quòd Sancti non habebunt de peccatis scientiam speculatiuam, sed practicam.

Sed contra. In contrarivm huius est, quòd scientia practica mouet secundum speciem apprehensam ad imitationem vel fugam, vt dicit Philosophus: Sancti ex peccati specie apprehensa non sic mouentur: ergo non habebunt de ipso peccato scientiam practicam.

2 Item, In arte video, quòd practica est, quæ speciem artis explicat in materia: ergo etiam in moribus vbi praxis est, species apprehensa explicatut in opere: sed sic non apprehendunt Sancti peccatum: ergo non habent de ipso scientiam practicam.

Solutio. Responsio. Dicendum, quòd de peccato potest duplex scientia haberi: vno modo de ipso peccato secundum se, & alio modo de euentu sequenti peccatum. Et primo quidem modo Sancti non habebunt cognitionem de peccato nisi speculatiuam, quæ simplicis notitiæ scientia vocatur. Sed de euentu sequenti, qui est cura & venia & sanatio & liberatio per misericordiam Dei, habebunt Sancti cognitionem practicam & affirmatiuam: & hoc innuit in litera, quando dicit, quòd sani meminimus dolorum sine dolore, & inde amplius læti & grati sumus. Et per hoc patet solutio ad vtramque partem obiectionum ferè: quia ad primum dicendum, quòd scientia peccati non habet affectum gaudij secundum se, sed per euentum sequentem.

Ad alivd dicendum, quòd Sancti habent vtramque scientiam: sed tamen practica siue exercitatiua gaudij est de particulari, & non de alio.

Ad ea autem quæ obiiciuntur in contrarium, patet solutio: quia illa procedunt de scientia peccati secundum se, & non per relationem ad euentum sequentem.

ARTICVLVS XIX.

Qualiter diuinum iudicium procedat per depositionem vnius testis?

Tertio quæritur, Qualiter diuinum iudicium procedat ex depositione vnius testis? Sicut enim patet Rom. 2. Cogitationum accusantium & etiam defendentium, &c. quilibet conscientiæ testimonio aut absoluitur, aut condemnatur: hoc autem videtur esse contra legem, quæ dicit, quòd in ore duorum vel trium testium stet omne verbum: ergo cum hæc lex à Domino qui iudicabit, sit data, videtur, quòd ab ipso maximè obseruari debeat.

Solutio. Responsio. Dicendum, quòd vera causa huius est, quòd testimonium conscientiæ est confessio: & in lege humana post confessionem culpæ non requiritur aliud testimonium,

præcipue si confessio facta est in iure, quia illa præiudicat confitenti. Similiter etiam erit in bonis in futuro iudicio: quia illud iudicium erit ibi inspectoris cordis, qui etiam erit iudex & testis: sed lex Domini data fuit de iudicio quod est secundum faciem, in quo plurima sunt dubia: & ideo requiruntur dicta testium plurium ad probationem veritatis.

ARTICVLVS XX.

An peccata electorum in iudicio debeant propalari?

DEinde quæritur de hoc quod dicit [Si vero quæritur, Vtrum peccata quæ fecerunt electi, &c.] Videtur enim falsum quod hîc dicit: quia ante habitum est, quòd miseriæ recordabuntur, & ideo miserias canunt: sed per cantum prodeunt in notitiam alterius: ergo alij cognoscent peccata eorum.

2 Item, Si per pœnitentiam sunt deleta, tunc ipsimet illorum peccatorum recordabuntur: sed contrarium ante habitum est in dictis Gregorij: ergo sibiipsi litera est contraria.

3 Item, Nihil eorum quæ faciunt ad lætitiam & gratiarum actionem, debet auferri à Sanctis: sed videre misericordiam Domini in liberatione omnium peccatorum facit ad lætitiam & gratiarum actionem: ergo à Sanctis auferri non debet: ergo ipsi sua peccata videbunt, & etiam omnes alij.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est, quòd tunc aut volent se peccasse, aut nolent. Si volent: tunc peruersa erit voluntas eorum: quia, vt dicit Augustinus, qui aliquid malè vult, non est beatus: ergo ipsi non sunt beati, quod est inconueniens. Si nolent: ergo aliquid est quod nolunt: ergo non habent omne quòd volunt: sed, vt dicit Augustinus, non est beatus, qui non habet omnia quæ vult: ergo illi iterum non sunt beati.

2 Item, Delectatio & tristitia (vt dicit Philosophus) tripliciter fiunt, scilicet ex præsenti, præterito, & futuro: sed bene ordinatus animus tristatur de peruerso opere: ergo si recordatur peruersi operis in præterito, ipse tristabitur: sed sicut dicit aduersarius, sancti recordabuntur peruersi operis in præterito: cum ergo habeant cor bene ordinatum, ipsi tristabuntur: & hoc est maximè inconueniens.

RESPONSIO. Dicendum, quòd litera potest sustineri. Vel dicitur melius per distinctionem, quòd est propalatio peccati vt peccati, & propalatio peccati remissi per veniam & pœnitentiam. Et primo non propalantur Sanctorum peccata, & ita intelligitur litera. Alio autem modo & sancti recordabuntur peccatorum suorum, & aliis etiam in augmentum congratulationis propalantur. Et hoc est quod dicit Gloss. super illud Psalm. 31. Beati quorum remissæ sunt iniquitates, &c. Ita sunt deleta, vt Dominus non videat, id est, æternaliter non puniat: videre enim Dei est peccata punire. Vnde alibi, Auerte faciem tuam à peccatis meis, &c. *Solutio.*

AD ID autem quod contra obiicitur, dicendum quòd non placet eis fecisse peccatum, sed tamen gaudent de remissione: & ideo illam voluntatem non sequitur angustia, quæ offuscet beatitudinem ipsorum. Quod autem dicit Augustinus, intelligitur de his quæ ad beatitudinem spectant: quia & modo non habent omnia quæ volunt, quia conuersionem omnium gentium volunt, & tamen non habent. Dicunt tamen quidam, quòd non volunt se peccasse simpliciter, sed sub conditione, scilicet si Deo placeret. Sed hoc reputo friuolum: quia Deo benè placet quòd nō peccassent, cum sibi nunquam placere possit peccatum.

AD ALIVD dicendum, quòd non relinquitur tristitia ex illa memoria propter abundantem materiam, quæ apparet in remissione, in qua gloriantur loco innocentiæ. Et sic patet solutio ad totum.

De his qui viui reperientur.

EQVÆRI solet, Vtrum illi quos viuos inueniet Christus, si nunquam omnino morituri sint, an ipso temporis puncto, quo rapientur obuiam Christo, ad immmortalitatem mira celeritate sint transituri? Non enim dicendum est fieri non posse, vt per aera in sublime portentur, in illo spatio & moriantur & reuiuiscant. Ad hunc autem sensum, quo existimamus illos in paruo spatio & passuros mortem, & accepturos immortalitatem, Apostolus nos vrgere videtur, vbi dicit, Omnes in Christo viuificabimur. Et alibi, Quod seminas non viuificatur, nisi prius moriatur. Cur autem nobis incredibile videatur, illam multitudinem corporum in aere quodammodo seminari, atque ibi protinus immortaliter & incorruptibiliter reuiuiscere, cum credamus in ictu oculi futuram resurrectionem, & in membra sine fine victura, tanta velocitate rediturum antiquissimorum cadauerum puluerem? Sed vellem de his potius audire doctiores.

Aug. de ciui. Dei. lib. 20. cap. 20.

1. Cor. 15. Ibidem, Aug.

doctiores. Si ergo Sanctos qui reperientur Christo veniente viuentes, eique obuiam rapientur, crediderimus in eodem raptu de mortalibus corporibus exituros, & ad eadem mox immortalia redituros: nullas in verbis Apostoli patiemur angustias, generaliter accipientes illud quod dictum est, Omnes quidem resurgemus, scilicet tam boni quam mali: sed non omnes immutabimur, scilicet in solennitatem resurrectionis. De hoc etiam Ambros. ait, In ipso raptu eorum qui viui reperientur, mors erit & resurrectio: vbi anima quasi per soporem egressa de corpore, eidem in momento reddatur. Econtra verò scribens ad Marcellam Hier. testari videtur, dicens quosdam in fine seculi adueniente Christo non esse morituros, sed viuos repertos in immortalitatem repentè mutandos. Horum autem quid verius sit, non est humani iudicij diffinire.

1. Cor. 15. * Thes. 4. super illud, Quoniã ipse Dominus. Epist. cap. 4.

Quomodo intelligitur Christus iudex viuorum & mortuorum.

HIs autem adiiciendum est dupliciter intelligi quod dicitur, Christus iudicaturus viuos & mortuos. Aut enim viui accipiuntur, qui in aduentu eius viui reperientur, licet in raptu moriantur: & mortui, qui ante decesserant: vel viui & mortui, accipiuntur iusti & iniusti.

F Aug. in enchi. cap. 55.

ARTICVLVS XXI.

An aliqui remaneant viui, & superuestiantur immortalitate in resurrectione?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* Quæri etiam solet, Vtrum illi quos viuos inueniet Christus] Et quætitur hic de termino resurrectionis à quo est resurrectio: & quæruntur hic tria. Primum est, Vtrum aliqui remaneant viui, & superuestiantur immortalitate in resurrectione? Secundum, An resurrectio sit à morte vel à cineribus in omnibus? Tertium, Vtrum idem sit terminus resurrectionis à quo in bonis & in malis?

AD PRIMVM obiicitur sic: Tam in symbolo Apostolorum, quam in symbolo Nicenæ synodi, dicitur iudicare viuos & mortuos: ergo iudicandi differunt per vitam & mortem: aut ergo per mortem præsentem, aut præteritam. Non præsentem: quia tunc omnes viuent vita resurrectionis: ergo per præteritam: ergo aliqui in præterito mortui fuerunt, & aliqui non: non ergo omnes à morte resurgent, sed aliqui superuestientur.

2 Item 1. Thessa. 4. Deinde nos qui viuimus, simul rapiemur cum illis obuiam Christo in aera, & sic semper cum Domino erimus. Ergo illi qui tunc viuent, semper ita cum Domino manebunt: ergo superuestientur.

3 Item 2. Corinth. 5. Nolumus expoliari, sed superuestiri, vt absorbeatur quod mortale est à vita. Constat autem, quòd in Sanctis non est inutile desiderium, & ideo effectum habebit in aliquibus: ergo aliqui superuestientur, vt videtur.

4 Item, Hiero. hoc expresse dicit in auctoritate quæ in litera inducitur, scilicet quosdam in fine seculi adueniente Christo non esse morituros, sed viuos repertos in immortalitatem repentè mutandos.

5 Item, In omni eo quod ordinatè agit, via compendiosior est eligibilior: sed compendiosior & breuior est superuestitio, quam sit vnus transitus à vita in mortem: ergo cum Deus ordinatissime agat, videtur quòd tales non morientur, sed superuestientur.

6 Item, Homo sanctus præcipuè, maioris dignitatis est, quam aliæ creaturæ: sed quædam de aliis creaturis superuestientur: ergo multo magis homo. Probatio mediæ est aer & cælum & alia quæ non corrumpentur primo, vt postea glorificentur.

IN CONTRARIVM huius est, quòd dixit Dominus de peccantibus originaliter: Quocunque die comederitis ex eo, morte moriemini. Ergo necesse est omnes mori per legem concupiscentiæ natos: sed omnes sunt tales præter Christum: ergo omnes necesse est mori. *Sed contra.*

2 Item, 1. Cor. 15. Non viuificatur, nisi prius moriatur. Sed constat, quòd omnia corpora tunc viuificabuntur. Ergo tunc morientur.

3 Item, In diffinitione resurrectionis est, secundà eius quòd cecidit & dissolutum est: ergo oportet omnia cadere per mortem, cum resurrectio sit futura generaliter, sicut dicit symbolum in illo articulo, Carnis resurrectionem.

4 Item, Qui tunc viui reperientur, non erunt melioris conditionis quam Apostoli: ergo non esset iustum, quòd eis concederetur, quod Apostolis non est concessum: sed Apostoli sunt omnes mortui: ergo & illos mori oportebit.

5 Item Dan. 12. Multi de his qui dormiunt in terræ puluere, euigilabunt. Ergo de terræ puluere & non de vita resurgent.

6 Item, Isa. 26. Viuent mortui tui Domine, & interfecti mei resurgent : ergo mortui erunt omnes resurgentes.

7 Item, Ioan. 5, Qui in monumentis sunt, audient vocem filij Dei, &c. Ergo omnes resurgentes erunt mortui.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd omnes resurgent à mortuis, & nullus remanebit viuus, sicut dicit litera ex verbis Augustini.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd non dicuntur viui, eò quod viui remaneant, sed quia tempus communis iudicij eos viuos apprehendet: tunc autem morientur in illo tempore per ignem conflagrationis mundi.

AD ALIVD dicendum, quòd Apostolus similiter dicit viuos, quos illa tempora viuos apprehendent: sed tamen vel in ipso raptu (vt dicit in litera) morientur, vel etiam in ipso igne conflagrante, quod quidam probabiliter æstimant.

AD ALIVD dicendum, quòd est desiderium duplex, scilicet naturale conditionatum, & naturale gratia perfectum. Primum est impossibilium, sicut innuit Philosophus in eth. vbi dicit, quòd voluntas est impossibilium: volumus enim esse immortales: & de hoc loquitur Apostolus. Secundum autem est ordinatum: & per hoc probat resurrectionem futuram Rom. 15. sicut supra dictum est. Ad argumentum dicendum, quòd desiderium quod est in sanctis inquantum sancti sunt, non est vanum: sed quia naturam deponere non possunt, multa sunt in eis desideria conditionata vana, sicut in Petro, quòd alius eum cinxit, & duxit quo non voluit: cum tamen eum sic duci vellet Deus.

AD ALIVD dicendum, quòd si Hieronymus sustineatur, tunc vult dicere, quòd non morituri dicendi sunt, eò quod sine mora ad vitam sunt transituri: quia non expectant gloriam corporis, sicut illi qui modo moriuntur.

AD ALIVD dicendum, quòd compendium est, quòd prius moriuntur: quia & sicut in motu naturali compendium est, vt dispositiones & formæ contrariæ remoueantur antequam foma inducatur: ita est in resurrectione: & ideo per mortem oportet remouere debitum Adæ, & alias conditiones peccati, & tunc primo superindui gloria resurrectionis.

AD ALIVD dicendum, quòd homo maioris est dignitatis: & ideo omnes indignitates diligenter oportet remoueri ab ipso, vt maiori gloria vestiatur, quam aliqua creatura: & ad hoc indiget morte, vt dictum est.

ARTICVLVS XXII.

An resurrectio sit à morte, vel à cineribus?

SEcundo quæritur, Vtrum resurrectio sit à morte, vel à cineribus? Videtur autem, quòd à morte solum: quia sicut dicit Glossa Rom. 4. super illud, Resurrexit propter iustificationem nostram, Ergo resurrectio Christi exemplar est nostræ resurrectionis: sed resurrectio Christi fuit à morte solum, & non à cineribus: ergo & nostra sic erit.

2 Item, In paucioribus est via maior, vt dicit Aristot. sed in paucioribus est, quòd sit à corpore mortuo, quam à corpore incinerato, & posteà reintegrato: ergo erit à morte solum, & non à cineribus.

3 Item, Eadem est resurrectionis ratio in vno & in alio: sed illi qui in ipso momento sui raptus morientur, non incinerabuntur: ergo nec alij debent incinerari, vt videtur.

4 Item, Resurrectio fuit in suscitationibus mortuorum præfigurata: nullus autem suscitatus est à cineribus: ergo nullus debet à cineribus resurgere.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est quod dicitur Genes. 3. Terra es, & in terram ibis. Ergo necesse est corpus in originali peccato conceptum, in terram ire: sed non vadit in terram, nisi per incinerationem: ergo necesse est incinerari.

4 Item Haymo, Omnes in originali peccato natos tenet hæc sententia, Terra es, & in terram ibis. Ergo vt prius.

3 Item Damasc. 3. lib. cap. 27. distinguit duplicem corruptionem, scilicet diuisibilitatem, & putrefactionem: & secundum primum modum corpus Domini vidit corruptionem, sed secundo modo non vidit: sed constat, quòd nihil est in corpore humano, quod non reducatur in præcedens aliquid secundum causam: sed ante corruptionem nihil est, nisi materia composita ex contrariis, & peccatum: sed peccatum non assumpsit Dominus: ergo sua corruptio ordinabatur ad naturam contrariorum vt ad causam, & non ad peccatum: in nobis autem est peccatum: ergo necesse est, quòd secunda corruptio causetur ab eo: ergo omnes incinerabuntur, qui in peccato concipiuntur.

4 Item, In omnis formæ acquisitione & status oportet primo materiam purgari à contrariis dispositionibus: sed dispositiones glorificationi contrariæ, dispersæ sunt in toto corpore: ergo in toto corpore necesse est eas purgari: sed hoc non potest fieri nisi per incinerationem: ergo videtur, quòd omnia incinera- gloriæ subuntur.

5 Item, Tota compages hominis corrupta est corruptione vitij & passibilitatis: ergo necesse est in omnibus resolui antequam forma perinducatur.

6 Item, Multa sunt in corpore humano non de veritate humanæ naturæ: sed omnia illa auferentur: ergo videtur, quòd necesse est resolui omnia corpora.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd in veritate meo iudicio resurrectio communis erit à cineribus, vt probant vltimæ rationes: propter tamen perfectam & omnimodam immunitatem peccati & concupiscentiæ non fuit ita resurrectio Domini, & propter vehementem purgationem fomitis credo, quòd etiam ita fuerit in corpore gloriosæ Virginis, & corpore beati Ioan. Euangelistæ. Sed de his fortè se offeret locus discernendi. Puto tamen, quòd in obiiciendo ex verbis Damasc. causa dicta est, quia non credo posse fieri purgationem infe-

ctionis

ctionis fomitis sufficientem ad gloriam, nisi per incinerationem: & hoc puto intendisse Apostolum 1. Corinth. 17. Caro & sanguis regnum Dei non possidebunt.

Ad primvm ergo dicendum, quòd Christi resurrectio, vt dicit August. 4. de Trinitate, est exemplar nostræ resurrectionis quoad terminum ad quem, & non quoad terminum à quo.

Ad alivd dicendum, quòd quando possibilis est via in paucis, tunc est in paucis: licet enim Deo omnia possibilia sint, tamen ex parte materiæ non cogruit hoc, nisi transmutatione à forma contraria primum facta, sicut patuit in obiiciendo, & probatur in omni natura, quæ semper purgat primo materiam à contrariis formis antequam inducat formam intentam.

Ad alivd dicendum, quòd non est eadem ratio resurrectionis in omnibus, vt prius patuit: sed tamen eadem est in omnibus qui sunt puri homines, præterquam in illis in quibus specialis est accessus ad perfectam peccati immunitatem: & illi omnes meo iudicio incinerabuntur, sicut vult Haymoin commento super Apostolum.

Ad alivd dicendum, quòd suscitatio mortuorum non præsignat resurrectionem mortuorum, nisi in parte: quia nullum signum est quód in omnibus congruat, quia sic esset idem, non simile: præsignat autem quoad vitæ restitutionem, & non quoad terminum à quo.

ARTICVLVS XXIII.

An idem sit terminus resurrectionis à quo in bonis & malis?

Tertio quæritur vtrum idem sit terminus resurrectionis à quo in bonis & in malis? Videtur autem, quod non: quia quorum non est vnus terminus resurrectionis ad quem, eorum terminus à quo non debet esse vnus: sed in bonis & in malis non est vnus terminus ad quem: ergo nec vnus à quo.

2 Item, Quorum resurrectio dissimilis est in causa, eorum debet esse resurrectio dissimilis in terminis: sed dissimiles sunt boni & mali in causa resurrectionis: ergo & in terminis. Media probatur Daniel. 12. Euigilabunt alij in vitam æternam, alij in opprobrium, &c.

3 Item, Hæc sententia, Terra es, & in terram ibis, propter peccatum est inducta, vt prius dixit Haymo: sed differenter se habent boni & mali in peccato: ergo & differenter in sententia: ergo & differenter in termino resurrectionis à quo, quia illa sententia dicit hunc terminum.

4 Item, In bonis anima continet corpus: sed omne meritum animæ per effectum aliquem debet resultare in corpore: ergo effectus illius continentiæ in corpore debet resultare: sed nullo modo melius resultat, quam quod contineatur ab incineratione: ergo videtur, quòd resurrectio malorum debet esse à cineribus, & non resurrectio bonorum.

5 Item, Inconueniens esse videtur vt templū Spiritus sancti, simile efficiatur habitationi diaboli: sed corpora beatorum sunt templa Spiritus sancti, vt dicitur 1. Corinth. 6. ergo non debent similari corporibus malorum, quæ sunt habitatio diaboli: ergo videtur cum illa incinerantur, quod ista non debeant incinerari.

6 Item, Infectio fomitis debilitatur per exercitium iustitiæ: ergo & in bonis & in malis non est æqualis infectio fomitis: ergo nec æqualis pœna illius infectionis: sed hæc pœna est dissolutio: ergo cum mali dissoluantur per incinerationem, videtur quòd boni non debeant incinerari.

In contrarivm huius est, quod omnibus qui fuerunt in Adam per legem concupiscentiæ dictum est, Terra es, & in terram ibis: sed totaliter fuerunt boni & mali ibi: ergo boni & mali æqualiter ibunt in terram: ergo æqualiter incinerabuntur. *Sed contra.*

2 Item Eccli. 17. Deus de terra creauit hominem, & iterum conuertit ipsum in eam. Cum ergo hoc generaliter dicatur, videtur quòd omnes per incinerationem reuertentur in terram.

3 Item Eccli. 40. Occupatio magna creata est omnibus hominibus, &c. Ex hoc accipitur, quòd omnes ad terram quæ est mater omnium, reuertentur.

4 Item Rom. 14. Omnes morimur, &c. Ex hoc sequitur idem quod prius.

Responsio. Dicendum, quòd vltima auctoritatum inductarum videtur mihi esse concedenda, cum quatuor, meo iudicio, sint dispositiones & differentiæ resurgentium, scilicet Christi, & coniunctorum Christo per accessum sanctitatis, & resurgentium cum Christo, & resurgentium in fine mundi. Christus enim quatuor habet in sua resurrectione propria, sicut dicit Greg. in 14. lib. moralium. Nam resurrectio nostra in finē seculi dilata est, illius verò die tertio celebrata. Et nos per illum resurgemus: ipse verò per se, illi enim resurrectionis vim cum Patre & Spiritu sancto Deus exhibuit, quam tamen solus in humanitate percepit. Vnde patet, quòd in quatuor differt sua resurrectio à resurrectione aliorum. Primū est, quòd sua vi resurrexit. Secundum, quòd tertia die, sicut dicit Glossa super illud, Tu autem Domine miserere mei, & resuscita me, &c. quia si non cito resurrexisset, non profuisset eis resurrectio: quia discipuli non credidissent. Tertium est, quòd non incineratus fuit, nec incinerari potuit, sicut dicit Glossa super illud Psalm. 55. Non dabis sanctum tuum videre corruptionem. & Damasc. in auctoritate superius inducta. Quartum est, quòd sua resurrectio est causa nostræ resurrectionis, vt dicit Apostolus 1. Corinth. 15. & in auctoritate Greg. iam inducta habetur. Specialiter autem accedentes ad suam sanctitatem secundum probabilius opinantes, sicut beata Virgo, & Ioan. in duobus ex priuilegio accedunt ad resurrectionem Christi, scilicet quod subito surrexerunt, & quia non à cineribus. Sed resurgentes cum Christo in hoc conueniunt: quia non in finem dilata est eorum resurrectio. Sed aliorum resurrectio in nullo conueniet nisi in incorruptio *Solutio.*

incorruptione resurgentium. Loquendo ergo de resurrectione in communi dilata vsque in finem seculi, dico quòd omnes resurgent ab vno termino resurrectionis à quo, scilicet à cineribus.

Ad primvm ergo dicendum, quòd nullus motus specificatur penes terminum à quo, sed potius penes terminum ad quem: duo enim possunt moueri ab eodem termino à quo, & vnum in album, & alterum in viride: & tamen non vno motu mouentur. Et ita non oportet, quòd differentia resurgentium accipiatur ex hoc quod abiicitur, sed tantum in hoc quod acquiritur per resurrectionem: & in hoc differunt, quia Sancti immutabuntur in gloriam, & non alij. Vnde 1. Corinth. 15. Omnes resurgent incorrupti, & nos immutabimur.

Ad alivd dicendum, quòd dissimiles sunt in causa: sed non oportet, quòd hæc dissimilitudo sit in termino à quo, quia ille abiicitur: sed tantum in termino ad quem, quia in illo fit status.

Ad alivd dicendum, quòd pœnitentia non tollit fomitem secundum essentiam, & fomiti secundum essentiam respondet incineratio: & ideo omnes incinerabuntur.

Ad alivd dicendum, quòd continentiæ nihil respondet in via, sed in patria, scilicet obedientia corporis ad spiritum, cum in malis caro contra spiritum maneat resultans, sicut & hic non fuit contenta sub spiritu.

Ad alivd dicendum, quòd in hoc in quo non est templum Spiritus sancti, potest assimilari habitationi diaboli, scilicet inquantum est conceptum & natum in peccato: sed consequens meritum facit dissimilitudinem in termino ad quem.

Ad alivd dicendum, quòd exercitium iustitiæ non extinguit fomitem: quia sicut habitum est in tertio, non extinguitur nisi per diuinum miraculum: & quia fomiti secundum essentiam correspondet incineratio, ideo omnes necesse est incinerari.

Quomodo omnes incorrupti.

GVMQVE ex prædictis sanè credi valeat omnes resurrecturos, credendum est etiam, quòd omnes resurgent incorrupti: non vtique impassibiles, quia reprobi mortem patientur æternam, sed sine diminutione membrorum omnia humani corporis habituri membra, nec tamen gloria ac spe impassibilitatis induentur.

ARTICVLVS XXIV.

An mali resurgent cum mutilatione membrorum?

DEinde quæritur de hoc quod dicit [Cumque ex prædictis sanè credi valeat, &c.] Et quæruntur tria. Primum est, Vtrum resurgent mali cum mutilatione membrorum? Secundum est, Vtrum dolores qui causantur ex inæqualitate humorum, in eis remanebunt? Tertium, Quid de resurrectione Christi in omnibus appareat, ex quo sua resurrectio est causa nostræ resurrectionis?

Ad primum obiicitur sic: Nulla pœna corrigenda est in peccatoribus: sed mutilatio est pœna: ergo in peccatoribus non est corrigenda.

2 Item, Membris mutilatis non peccauerunt: sed iniustum est, quod aliquis puniatur in eo in quo non peccauit: ergo non resurgent in membris mutilatis.

3 Item, Philosophus dicit in secundo de anima, Sicut tota anima ad totum corpus se habet, ita pars ad partem: vnde si oculus esset animal, visus vtique esset eius anima. Sed pars in cuius diminutione quis nascitur, nunquam fuit animata: cum ergo ab anima habeat corpus, quòd resurgat, videtur quòd illa pars nunquam debeat resurgere.

Sed contra. In contrarivm huius est, quòd error instrumenti corrigi habet ab artifice: sed natura est instrumentum Dei: ergo error naturæ corrigi habet à Deo artifice: est autem error naturæ diminutio & superfluitas: ergo hæc corriget Deus in resurrectione.

2 Item, Anima principaliter est causa peccati, & secundum se totam: ergo quod non peccat in parte diminuta, non est ex defectu voluntatis, sed ex defectu organi, sed voluntas in malis præcipuè pro facto reputatur: ergo tantum peccat ac si organum haberet: ergo cum voluntate peccat in organo: ergo puniri debet in organo diminuto: ergo oportet, quòd restituatur ei in resurrectione.

3 Item, Sicut se habet diminutio in bonis ad meritum, sic in malis ad demeritum: sed bonis pro voluntate merendi quam habuerunt in organo illo, restituetur organum glorificatum: ergo & malis pro voluntate demerendi in organo, debet restitui organum damnatum.

Responsio. Sicut litera dicit, ita est tenendum. Solutio.

Ad primvm autem dicendum, quòd pœna causatur dupliciter, scilicet ex natura, & ex culpa voluntatis. Prima pœna corrigitur: quia non est homini imputanda. Secunda autem non. Dico autem ex culpa voluntatis remotæ, aut propinquæ: remotæ, sicut est inobedientia carnis ad spiritum, quæ manet in damnatis: propinqua autem, sicut est ignis, & vermis conscientiæ, & huiusmodi, quæ causantur

causantur ex peccato voluntario inquantum voluntarium voluntate personæ, & non naturæ.

Ad aliud dicendum, quòd licet instrumentaliter in tali membro sicut in instrumento non peccauerunt, tamen voluntate in eo peccauerunt: & ideo iustum est vt in eo puniantur.

Ad aliud dicendum sicut innuit Cap.14. Augustin. lib. de ciuit. Dei 22. duplex dicitur membrum, scilicet quod virtute inest, & quod mole inest: ita etiam duplex potest dici animatum, scilicet virtute, & actu. Totum autem quod virtute est animatum, resurget, vt dicit Augustinus, & à tali modo animationis habet membrum virtutem resurgendi, & non ab actuali animatione: quia multæ partes animatæ non sunt de veritate naturæ humanæ.

ARTICVLVS XXV.

An dolores causati ex inæqualitate humorum manebunt?

Secundo quæritur, Vtrum dolores qui causantur ex inæqualitate humorum, remanebunt in damnatis? Videtur autem, quòd sic: quia nullum dolorosum debet auferri à corpore, quod addictum est dolori perpetuo: sed febres, lepræ, & huiusmodi, sunt dolorosa: ergo non debent auferri à corporibus damnandorum, quæ addicta erunt dolori perpetuo.

2 Item, Destructa dolendi impotentia naturali cessabit dolor: ergo à destructione consequentis, si non cessauerit dolor, non cessabit dolendi impotentia: sed impotentia hæc est in inæqualitate humorum in omni complexionato corpore: cum igitur corpora damnatorum sint complexionata, videtur quòd non detrahetur eis huiusmodi dolendi impotentia: ergo nec dolor consequens.

3 Item, Omne complexionatum dolens aliena caliditate, possibile est dolere propria, si intendatur extra harmoniam crisis propriæ: sed corpora damnatorum dolebunt aliena caliditate: ergo possibile erit ea dolere propria, si intendatur extra harmoniam, &c. sed constat, quòd possibile est intendi, cum non sit aliqua gratia prohibens: ergo possibile est illa corpora febricitare, & leprosa fieri, & epileptica, & huiusmodi.

Sed contra. In contrarium huius est, quòd vt dicit Philosophus, omnis passio magis facta abiicit à substantia: constat autem, quòd tales passiones magis fiunt intensis qualitatibus complexionantibus: ergo à substantia abiiciunt: ergo possibile est deperire corpora illa, quod est contra Scripturam, quia desiderabunt mori, & mors fugiet ab eis: & Beda dicit, quòd sic moriuntur, quòd nunquam perfectè moriuntur.

2 Item, Bernard. dicit, quòd ignis inferni insequitur culpam, non naturam: & quia culpa inseparabilis est, ideo perpetuus erit ignis: ideo necesse est eos in igne perpetuari: sed hoc fieri non posset, si destrueretur complexio propter inæqualitatem: ergo necesse est, quòd complexio æqualis seruetur: ergo nunquam habebunt infirmitatem ex inæqualitete humoris causatam.

3 Item, Caro corrupta minus dolet: cum ergo impij maximè doleant secundum sensum, necesse est quòd semper caro viua & incorrupta perduret: ergo impossibile est, quòd corrumpatur ex corruptione complexionantium.

Responsio. Dicendum, quòd sicut probat vltima pars obiectionum, ita est tenendum: vnde sicut tunc stabunt contraria in mundo maiori, ita stabit eorum pugna in mundo minori, hoc est, in homine. Qualiter autem patientur ab igne exteriori, infra erit locus differendi. *Solutio.*

Ad primvm ergo dicendum, quòd nullum dolorosum causatum ex voluntate, & dolorem non minuens, aufertur à damnatis: sed febres, & huiusmodi, non à voluntate causantur, & etiam dolorem ignis exteriorem minuunt, eò quod non ita sentit distemperata commixtio, sicut temperata tactum ignis exteriorem.

Ad aliud dicendum, quòd non destruetur impotentia dolendi simplex, sed in quodam quod impediret dolorem perpetuum: causa enim impotentiæ dolendi exterius, est excessus agentis extra supra harmoniam tactus: simile enim commixtioni tactus secundum quod est simile, positum supra tactum, non sentitur, sed excellens: & ideo tantò velocius & fortius sentitur, quantò temperatior est caro tangens: & hoc non aufertur, sed discrasia commixtionis ex putrefactione dolores interiores adducens, aufertur ad maiorem eorum pœnam, vt dictum est.

Ad aliud dicendum, quòd instantia est in statu futuro: quia omnia quæ sunt de corporum commixtione, stabunt in harmonia in qua posuit ea Deus, vt contemplari possit artifex in operibus sapientiæ: & ideo erit tunc affligens extra præter possibilitatem intensionis qualitatum interiorum, & præter complexionis corruptionem.

ARTICVLVS XXVI.

An resurrectio Christi in omnibus resurgentibus appareat, cum sit causa nostræ resurrectionis?

Tertio quæritur, Quid de resurrectione Christi in omnibus appareat, ex quo sua resurrectio est causa nostræ resurrectionis? Videtur enim, quòd nihil suæ resurrectionis appareat in damnatis: quia illi suam imaginem non portauerunt in vita: ergo conformes in nullo ei debent esse in resurrectione.

2 Item, Apostolus Philip. 3. dicit, quòd reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ. Constat autem, quòd sic corpora damnatorum non reformabit. Ergo videtur, quòd nihil habeant suæ resurrectionis.

In contrarivm est, quòd incorruptio corporum damnatorum (vt hîc dicitur in litera) est aliquod bonum: constat autem, quòd *Sed contra.*

hoc

hoc non habent ex merito voluntatis, quia ex hoc nullum bonum merentur: ergo aut hoc causatur à natura, aut à resurrectione Christi: constat autem, quòd non ex natura sufficienter, quia natura de se est mortalis & corruptibilis: ergo causatur ex resurrectione Christi tanquam ex propria causa exemplari.

Solutio. RESPONSIO. Hoc vltimum videtur mihi concedendum: quia incorruptio in omnibus corporibus exemplariter & efficaciter est à resurrectione Christi, siue à Christo resurgente: sed à diuina iustitia continente eos in pœnis est etiam sicut à causa efficiente tantum.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd imago ab Apostolo 1.Corinth.15. vbi dicit: Sicut portauimus imaginem, &c. dicitur imitatio per opus, cui respondet glorificatio: & hanc damnati non habebunt, per ordinem tamen iustitiæ continuantis eos in pœnis habebunt incorruptionem.

AD ALIVD dicendum, quòd ibi loquitur Apostolus de perfecta reformatione, quæ est per immutationem in gloriam: & non de illa quæ est conformitas secundum quid.

DISTINCTIO XLIV.

De ætate & statura resurgentium.

De resurrectione quãtum ad modum, siue quãtum ad qualitatem & quidditatem resurgentium.

SOLENT autem nonnulli percontari & quærere, an in eadem ætate & statura corporis omnes resurrecturi sint? Quidam putauerunt omnes resurrecturos secundum mensuram ætatis & staturæ Christi: ideo quia Apostolus ait, Donec occurramus omnes in virum perfectum, in mensuram ætatis plenitudinis Christi. Sed his verbis non eadem resurgentibus assignatur statura, sed ætas. Omnes enim in eadem ætate resurgent, in qua Christus mortuus est & resurrexit, cuiuscunque ætatis mortui fuerint. Virum autem posuit, non vt distingueret sexum, sed vt significaret perfectionem virium quam tunc habebunt: sed non omnes eandem staturam corporis obtinebunt. Vnde Augustᵉ. Non ait in mensuram corporis vel staturæ, sed ætatis: quia vnusquisque suam recipiet mensuram corporis, quam vel habuit in iuuentute, etiamsi senex obiit, vel fuerat haabiturus si ante est defunctus. Ætas verò erit illa ad quam peruenit Christus, scilicet iuuenilis, vt circa triginta annos. Triginta enim duum annorum & trium mensium erat ætas Christi, in qua mortuus est, & resurrexit. Non est autem fas dicere, quòd in resurrectione accedat corpori magnitudo, quam nec habuit hic, nec erat habirurum diu viuendo: nec maiora corpora redigenda sunt ad modum Dominici corporis. Periret enim multum de illis corporibus, cum nec periturus sit capillus, vt ait Dominus, Capillus de capite vestro non peribit.

Eph.14.

Lib.22. de ciuit. Dei.c.4.

Luc.21. Mat.24.

DIVISIO TEXTVS.

SOlent etiam nonnulli percontari, &c.] Ista pars quæ est de circunstantiis resurgentium in quantitate & qualitate, diuiditur in duas partes. In prima tangitur quantitas, & qualitas & locus. In secunda agitur de suffragiis quæ fiunt pro defunctis ante resurrectionem: & hæc incipit distinctione 45. *ibi* [Neque negandum, vt ait Augustᵉ.] In hac autem distinctione quinque sunt quæstiones speciales in litera tactæ. Prima est de quantitate resurgentium. Secunda de veritate humanæ naturæ resurgentis. Tertia de modo pœnarum tam secundum corpus, quam secundum spiritum. Quarta de abortiuis fœtibus. Quinta de diuersis animarum receptaculis. Et cuilibet potest patere vbi ista incipiunt in litera, & vbi terminantur.

ARTICV

ARTICVLVS I.

An resurgentibus sit statura vna vel diuersa?

INcidunt autem circa primum difficultates quatuor. Prima est, An resurgentibus sit statura vna, vel diuersa? Secundum est, Vtrum corpus glorioſum possit esse in minori loco, quam sit quantitas staturæ eius? Tertium, Vtrum possit esse cum alio corpore non glorioſo in eodem loco? Quartum, Vtrum cum alio glorioſo possit esse in loco vno & eodem?

Ad primum sic proceditur: Eorum quorum vnum est agens specie & numero, & materia æqualiter dispoſita ad actionem agentis suſcipiendam, est productio vna secundum figuram & quantitatem: sed resurgentium agens, &c. ergo eorum est productio vna secundum figuram & quantitatem. Prima constat in omni natura & arte per inductionem. Secunda autem probatur ex hoc, quòd agens (vt patet ex præhabitis) est Deus vel filius resurgens, & cineres sunt actionem suſcipientes, vt patuit ex præhabitis.

2 Item, Quorumcunque productio est ex vno secundum totum suum genus, habent omnia vim illius vnius ad figuram & quantitatem, niſi per errorem deuietur ab illo: sed omnium hominum productio est ex vno, scilicet Adam: ergo in omnibus est vis vna ad figuram & quantitatem staturæ, niſi deuiatum sit ab illo per naturæ errorem: constat autem, quòd omnis error corrigitur in resurrectione, sicut iam habitum est: ergo relinquitur in omnibus vna figura Adæ & statura: non ergo erunt in diuersa quantitate & figura.

3 Item, Philoſophus dicit, quòd quorum forma ſubſtantialis est vna, illorum etiam figura est vna: ergo & quantitas perfectionis secundum figuram: sed resurgentium omnium est forma vna: ergo & figura vna: ergo & statura, inquantum est perfectio illius figuræ.

4 Item in 2. de anima dicit, quòd omnium naturæ constantium terminus est & ratio magnitudinis & augmenti: iſte autem terminus habet poni ab aliqua virtute: constat autem, quòd illa virtus est formæ: ergo quorum est vna forma, illorum est vna magnitudo secundum naturam, niſi sit error: sed error corrigitur: ergo in resurrectione cum omnium forma sit vna, omnium erit statura vna.

5 Si forte quis dicat, quòd secundus secundum naturam sit minor primo generante, quia diuiditur materia ex qua fit generatio: & iterum tertius minor illo. Contra: Constat, quòd hæc diuiſio fit per paria, aut per imparia. Si per paria: tunc secundus medietate debet esse minor primo, quod falſum est: iamdudum enim homines nullius vel inſensibilis fuiſſent quantitatis. Si per imparia: tunc illa imparitas aut est secundum partem determinatam quantitatis, quæ totum mensurat: aut secundum rationem continui, quæ semper manet diuiſibilis. Si prima pars detur: tunc secundus in tota parte debet esse minor quam primus, & tertius quam secundus: & sic sequeretur idem quod prius, scilicet quod diuiſio fieriſſet. Si secundo modo dicatur: tunc secundus semper erit minor primo, & tertius secundo, & sic de aliis: & licet non fiet diuiſio, tamen deuenit ad inſensibile: & hoc est abſurdum. Et hæc est responſio aliquorum nihil scientium de natura seminis: quia corpus naturale secundum philoſophiam non diuiditur in infinita. Et præterea nullam rationem fingere possunt, quare secundus ex minori parte generetur, quam primus, & tertius quam secundus. Et tertium inconueniens est, quòd ex eodem aliquo signato & primus formetur, & secundus, & tertius, quod est abſurdum in philoſophia naturali. Et ideo hæc responſio licet multorum vt abſurda contemnitur à nobis.

IN CONTRARIVM autem huius obiicitur sic. Statura omnis generati secundum naturam accipitur ex quantitate caloris extendentis & humidi extenſibilis: sed hæc inæqualia sunt in omnibus: ergo quantitas eorum inæqualis est secundum naturam: sed in die iudicij nihil addetur quantitati naturali vniuſcuiuſque: ergo in die iudicij erunt resurgentes inæquales in quantitate. *Sed contra.*

2 Item ex litera habetur, quòd quædam sunt minora, & quædam maiora.

RESPONSIO. Dicendum, quòd vnumquodque corporum recipiet tunc quantitatem in longo, lato, & spiſſo, quam habiturum erat in menſura ætatis plenitudinis Chriſti, si natura non defeciſſet per mortem vel infirmitatem vel nutrimenti ſubtractionem, vel erraſſet per ſuperfluitatem vel alium errorem. Quantitas autem illa debet menſurari ad duo quæ in obiiciendo dicta sunt, scilicet calidum extendens, & humidum extenſibile secundum perfectionem organorum & quantitatis. Et quia hoc multipliciter impeditur ex parte materiæ, & ex parte virtutis, & ex parte exercitij siue laboris in quo occupantur iuuenes, & in his omnibus modis secundum defectum vel abundantiam: ideo multiplex contingit error in quantitate hominum, de quibus agitur in naturis: & non est hic locus hos errores inquirendi. *Solutio.*

DICENDVM ergo ad primum, quòd agens est vnum, sed diſpoſitio non est vna: quia prius habitum est, quòd in pulueribus manet relatio ad animam, & ad inſtrumenta naturalia quibus perficit corpus, quæ sunt calidum, frigidum, humidum, & siccum complexionabilia: & secundum horum rationem debitur ei quantitas: quia hæc propriè est quantitas sua.

AD ALIVD dicendum, quòd aliud est deuiare naturam, & aliud est eam esse aliam: quia alia & alia est in homine alio & alio: sed deuiat, quando non perficit id quod ineſt iam per principium actiuum & paſſiuum ſufficienter ad quantitatis perfectionem: vnde licet hominum productio sit ex vno, quia tamen natura est alia & alia secundum principia proxima, non deuiat aliam & aliam constituendo quantitatem, sed potius rectè attingit finem secundum principia accepta ad quantitatis operationem: & ideo in hoc non indiget correctione.

Ad aliud dicendum, quòd ſicut eſt forma vna, ita figura vna & quantitas vna: vnde cum forma non ſit niſi vna ſpecie, non poteſt haberi, niſi quod quantitas ſit vna ſpecie & ſimiliter figura.

Ad aliud dicendum, quòd hoc verum eſt quod Philoſophus dicit: ſed ratio magnitudinis ſumitur ex principiis quæ ſunt in ſemine, & ſunt inſtrumenta virtutis formatiuæ, ſcilicet calidum, & humidum, & hæc ſunt diuerſa in diuerſis embrionibus & ſeminibus conceptis: & ideo naturaliter egreditur diuerſa quantitas & diuerſa figura.

Ad aliud dicendum, quòd illa ſolutio abſurda eſt, vt probatum eſt.

ARTICVLVS II.

An corpus glorioſum poteſt eſſe in minori loco quam ſit, vel exigat maiorem vel æqualem vel minorem vel etiam nullum?

Secundò quæritur, Vtrum corpus glorioſum poteſt eſſe in minori loco, quam ſit, vel exigat maiorem vel æqualem vel etiam nullum? Videtur enim quòd ſit in minori loco: quia corpora glorioſa (vt dicit Apoſtolus) configurabuntur corpori Chriſti: ſed corpus Chriſti poteſt eſſe & eſt in minori, ſicut patet in altari in ſpecie panis parua: ergo & noſtra corpora.

2 Item, Omne ſubtile applicatum glorioſo, eſt in minori parte groſſi corporis: ſed glorioſa corpora ſunt ſubtiliſſima: ergo in loco groſſi corporis applicata, poterunt eſſe in minori parte corporis groſſi.

3 Item, Spiritus non comparatur ad locum diuiſibiliter, ſed indiuiſibiliter: corpora autem groſſa ſunt in loco diuiſibiliter ſecundum æqualem commenſurationem: ergo corpus ſpirituale quod eſt medium inter ſpiritum & corpus, erit in loco quidem diuiſibiliter, ſed tamen ſecundum minorem dimenſionem quam corpus groſſum: ergo erit in minori quantitate loci, quam ſit ipſum.

Sed econtra videtur, quòd ſit ſecundum maiorem dimenſionem, quam ſit ſuus locus naturalis: quia omne corpus ſubtile in natura eſt rarum: & omne rarum plus occupat de loco (vt dicit Philoſophus) quam corpus groſſum: ergo corpus glorificatum plus occupabit de loco, quam idem non glorificatum: ſed non glorificatum occupat locum ſibi æqualem: ergo glorificatum occupabit maiorem.

2 Item, Corpus quantò formalius eſt & ſpiritualius, tantò maiorem occupat locum, vt dicunt Philoſophi: & ideò locus aquæ maior eſt quam terræ, & aëris maior quam aquæ, & ignis maior quam aëris, & locus cæli maximus quantum ad illos cælos qui ſunt in loco: conſtat autem, quòd glorificatum corpus formalius & ſpiritualius eſt non glorificato: ergo idem corpus glorificatum occupat maiorem locum ſe non glorificato: ſed non glorificatum occupat æqualem ſuis dimenſionibus: ergo glorificatum occupat maiorem, quam ſint dimenſiones ſuæ.

3 Item, Ex vno pugillo aquæ (vt dicit Philoſophus) fiunt decem pugilli aëris: ergo aër in proportione decupla ſe habet ad aquam: ſed maior eſt diſtantia ſubtilitatis inter corpus non glorificatum & glorificatum, quam inter aërem & aquam: ergo corpus glorificatum plus quam in decupla proportione occupat maiorem locum, quam idem non glorificatum: cum igitur occupet non glorificatum locum æqualem ſuæ naturali dimenſioni, videtur quòd glorioſum occupat maiorem, quam ſint dimenſiones quas habuit naturaliter.

Vlterius videtur, quòd exigat æqualem: omne enim quod eſt in loco, eſt in loco ſibi æquali, vt dicit Philoſophus: ſed corpus glorioſum eſt in loco: ergo eſt in loco ſibi æquali.

2 Item, Omne quod eſt in loco, ad eundem terminum copulantur particulæ ſuæ, & particulæ loci: ſed corpus glorioſum eſt in loco: ergo ad eundem terminum copulantur particulæ ſuæ, & particulæ loci.

3 Inde vlterius ſic obiicitur: Omne cuius particulæ cum particulis loci ad eundem terminum communem copulantur, habet locum ſibi æqualem: ſed ſic copulantur particulæ corporis glorioſi cum particulis ſui loci: ergo videtur, quòd ſuus locus ſibi ſit æqualis.

4 Item, Omne locatum per ſuas dimenſiones diſtare facit dimenſiones loci, vt dicit Ariſtot. 4. phyſicorum. 5. cap. de vacuo, vbi loquitur de diſtantia lignei cubi: ſed omne quod ſua dimenſione facit diſtantiam loci, habet locum ſibi æqualem: ergo corpora glorioſa locum habent æqualem ſibi.

5 Item, Omne quod circumſcribitur à loco, habet principium, medium, & finem, ſecundum loci principium, medium, & finem: ſed omne tale habet locum æqualem ſibi: ergo quod circumſcribitur loco, habet locum æqualem ſibi: ſed corpus glorioſum eſt in loco, & circumſcribitur loco: ergo habet locum æqualem ſibi.

Vlterius videtur, quòd non ſit in loco aliquo corpus glorioſum ſic: Omne quod eſt in loco, habet dependentiam ad locum: ſed corpus glorioſum non habet dependentiam ad aliquem locum: ergo ipſum non eſt in loco.

2 Item, Vt dicit Philoſophus, locus eſt locati ſaluatiuus: ſed corpus glorioſum nullo indiget ſaluante: ergo nullo indiget loco: conſtat autem, quòd ſuperfluum non eſt in natura, nec in operibus Dei: ergo corpori glorioſo nullus à natura vel à Deo aptatur locus.

3 Item, Omne continens nobilius eſt contento: ſed nullum corpus nobilius eſt glorioſo: ergo corpus glorioſum nullum habet corpus continens: ſed omnis locus eſt continens: ergo à ſuperiori negando nullum corpus glorioſum habet locum.

Responsio. Dicendum, quòd corpus glorioſum habet locum quodammodo, & quodammodo non. Sunt enim conditiones loci eſſe ambiens formalius contento, & continens, & ſaluans, & immobile, ad quod eſt motus naturalis, & eſſe principium generationis, ſicut dicit Philoſophus: & ſi hæ conditiones *Solutio.*

nes

nes loci omnes simul accipiantur, corpus glorioſum non habet locum corporalem: nullum enim eſt formalius continens, & ſaluans, nec immobile ad quod ſit ſuus motus inquantum eſt glorioſum, quod habeat influentiam ſuper ipſum, ſicut principium generationis: & hoc modo etiam orbes inferiores non ſunt in loco, ſicut dicit Commẽtator ſuper phyſicam Ariſt. Si autem accipiatur ambiens quod eſt magis congruens in genere corporum: tunc etiam locus magis largè dicitur: & ſic erit corpus glorioſum in loco in cælo empyreo. Si autem largiſſimè ſumatur locus: tunc erit tantum ambiens æquale ei quod ambitur: & tunc erit corpus glorioſum in loco vbi voluerit, quandoque circa nos, quandoque in cælo empyreo ſecundum voluntatem Dei: & ideo vltima pars rationum ſoluta eſt: quia illa non tenet, niſi de loco phyſicè & propriè accepto. Secundum autem quòd mathematicis datur locus & diuinis corporibus, non concludunt. Omnes autem illas quæ penultimæ ſunt, ego planè concedo, quòd non poteſt aliquis negare rectè ſentiens quin habeant loca æqualia ſibi.

AD PRIMAM autem partem rationum dicendum, quòd corpus Chriſti non eſt ſub tanta ſpecie panis vel vini inquantum eſt glorioſum, ſed potius prout eſt cibus fidelium, fide non dente ſumendus, ſicut diximus in tractatu de Euchariſtia: & ideo non in hoc configurabitur ei corpus noſtrum, ſed tantum in hoc in quo glorioſum oſtenditur.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc non eſt verum, niſi de ſubtili quod complicari & comprimi poteſt in partibus, quia hoc eſt complicatiuum partium, vt dicit Philoſophus: talis autem complicatio & compreſſio cum mutet ſitum partium & corrumpat figuram, non poteſt eſſe in corpore glorioſo, quia aliter nouam acciperet figuram in quolibet loco nouo, & comprimeretur ſua quantitas: & hoc eſt abſurdum dicere de corpore glorioſo.

AD ALIVD dicendum, quòd corpus ſpirituale eſt corpus ſecundum naturam, & habet tres dimenſiones: & hoc non eſt medium in participando locum inter ſpiritum & corpus non glorioſum, ſed potius extremum: quia quanto eſt ſpiritualius ſecundum Philoſophos (niſi aliquid reformet pactum) tanto occupat locum ampliorem & maiorem: & ideo ſupponitur falſum in argumento, ſcilicet quòd ſit medium in participando locum: quia ad minus cum glorioſum ſit corpus determinatum propria figura & qualitate, per id accidit ei habere locum, per quod accidit hoc corpori groſſo: & ideò non oportet, quod ſit in loco maiori.

AD ALIAM partem obiectionum dicendum, quòd hoc non eſt verum, licet hoc quidam minus periti dixerint: ſed eſt in loco æquali ſibi. Et tria argumenta ibi inducta, non tenent, niſi de corpore, quod ſit rarum, ſubtile, formale, ſpirituale, per rarefactionem: ſed non eſt ſic de corpore glorificato, ſi enim rarificaretur, tunc non retineret figuram propriam, nec ſtaturam ætatis plenitudinis Chriſti: ſed ſubtilitas eius & ſpiritualitas eſt per ablationem qualitatum ignobilium, quæ ſunt groſſities, & materialitas, remanente eadem ſubſtantia non rarificata: ſicut dixerunt quidam de ſole, quòd habet partes conglobatas in figura, & tamen eſt corpus ſubtile ſpirituale: & tale corpus groſſum & ſubtile eſt in vna ſtatura, & vna figura. Et per hoc patet ſolutio ad totum.

ARTICVLVS III.

An corpus glorioſum cum alio corpore non glorioſo poſſit eſſe in eodem loco?

TErtio quæritur, Vtrum corpus glorioſum cum alio non glorioſo poſſit eſſe in eodem loco? Videtur autem, quòd ſic: quia Ioan. 20. legitur, quòd ingreſſus Dominus ianuis clauſis ad diſcipulos, dixit eis, Pax vobis. Sed ſi ingrediebatur ianuis clauſis, aliquando fuit in loco oſtij, vel parietis, & non deiecit ipſum. Ergo tunc fuit cum ipſo in eodem loco: ſed omnia corpora glorioſa erunt ſuo corpori configurata: ergo corpora glorioſa cum alio corpore non glorioſo poſſunt eſſe in eodem loco.

2 Item, Ferè ab omnibus ſubtilitas ſiue ſpiritualitas quæ eſt vna dotium corporis, exponitur, quòd ſit tanta, quòd per quodlibet corpus tranſire poſſit non diuidendo ipſum: conſtat autem, quòd dotem talem omnia corpora glorioſa habebunt: ergo omnia corpora glorioſa cum non glorioſis poſſunt eſſe in eodem loco.

3 Item obiiciunt quidam dicentes, quòd mathematici tradant corpus ſolis & aliorum planetarum tranſire per circulos ſuos, & tamen non diuidere ipſos: conſtat autem, quòd multo nobiliora erunt corpora glorioſa, quam cæleſtia: ergo & illa poſſunt hæc facere, & faciunt: ſed hoc non poteſt fieri, niſi ſint cum eis in eodem loco: ergo corpora glorioſa cum non glorioſis poſſunt eſſe in eodem loco.

4 Item, Corpus dicitur dupliciter, ſcilicet à corporeitate, & corpulentia. A corporeitate habet dimenſiones: à corpulentia autem habet repletionem loci. Ergo corpus habẽs corporeitatem tantum, non habet replere locum: ſed tale eſt corpus cæleſte & glorioſum: ergo talia corpora non habent replere locum: ergo cum alio corpore poſſunt eſſe in eodem loco.

5 Item, Corpus ſpirituale quod eſt lux, cum quolibet alio corpore eſt in eodem loco: ſed conſtat, quòd illa corpora ſunt de natura lucis: ergo cum quolibet alio poſſunt eſſe in eodem loco. Hæ rationes ſunt aliquorum quæ de hoc inueniuntur.

IN CONTRARIVM huius obiicitur ſic: Vna diſtantia quantitatis eſt inter terminos eoſdem: ſed idem terminus eſt locus: ergo inter dimenſiones ſuperficiei locantis non eſt niſi diſtantia vna: ſi ergo detur, quòd ſint in eo duo corpora, erunt duo corpora vnius & eiuſdem diſtantiæ ſecundum quantitatem, quod eſt impoſſibile: & ideò duo corpora non poſſunt eſſe in eodem loco. *Sed contra.*

2 Item, Immergatur cubus ligneus in aquam:

aquam : constat, quòd tantum distabit aqua, quanta est distantia quatitatis cubi : aut ergo vna est distantia loci & cubi, aut duæ. Si vna: ergo quicquid est idem vni, est idem & alteri: sed distantia quantitatis locati cubi est idem cum distantia loci cubi:ergo si aliquid locatum est in eodem loco, illud etiam erit idem cum distantia loci: ergo locatum illud erit idem cum quantitate cubi: ergo duo locata sunt vnum locatum, quod est impossibile.Si autem dicas, quòd non sunt idem, sed duæ distantiæ aquæ & cubi. Contra: Inter distantias aquæ locantis non est aliquid implens nisi cubus. Si ergo sit aliquid non cubi quantitas, cum hoc non possit esse nisi locus carens omni corpore, illud erit vacuum: ergo vacuum est aliquid, quod est impossibile. Et hoc vt melius videatur, sit distantia locantis a. distantia autem vnius locatorum b. & distantia alterius sit c. si hoc possibile est, quòd duo corpora sint in eodem loco, inde sic. Quæcunque sunt vni & eidem eadem, ipsa sunt eadem: sed secundum præcedentem demonstrationem,& Arist.verba in 4. physicorum, & expositionem commenti in eodem loco, vna & eadem est distantia a. & b.& vna & eadem est a.& c. per eandem rationem:ergo vna & eadem b. & c. per hanc maximam, Quæcunque vni & eidem,&c. sed quorumcunque vna est distantia numero & eadem, ipsa sunt eadem:ergo eadem sunt b. & c. quod est impossibile: quia sic duo corpora essent vnum corpus.

3 Item, Constat, quòd ad eundem terminum communem loci & locati particulæ copulantur, sicut docet Philosophus in prædicamentis: si ergo sunt duo locata in loco vno, vtrumque illorum copulatur ad vnum communem terminum cum illo: sed vnum sunt, quorum terminus copulationis & continuationis est vnus: ergo duo locata in vno loco corpora, sunt vnum, quod est iterum impossibile. Si forte dicas, quòd hoc non sequitur: quia etiam loci & locati terminus copulationis est vnus: & tamen locus & locatum sunt duo. Contra:Loci terminus & locati est idem, quia secundum Aristot. vna numero distantia est loci & locati: & non different in distantia nec in quantitate, nisi quòd vnum est terminans, & alterum terminatum: sed secundum hoc etiam duo corpora erunt & vnius numero distantiæ, & vnius termini ad quem copulantur, & non differunt sicut terminans & terminatum, sed vtrumque est sicut terminatum: ergo sequitur necessariò, quòd sint numero vnum. Ad hoc dixerunt quidam, quòd hoc non tenet nisi de corpore grosso,& de illo sunt demonstrationes physicæ. Contra:Si hoc esset verum, tunc hæ demonstrationes non sumerentur ab eo quod est commune grosso & subtili siue formali corpori, sed sumuntur ab eo quod est vtrique commune: ergo tenent de vtroque:constat autem quòd distantia quantitatis vtrique communis est: vel si alteri magis conuenit, tunc magis conuenit formali quam grosso, quia maiores habet distantias quanto est formalius.

4 Item Auic. sic obiicit:Sint duo corpora quantuncunque vis formalia.a. & b. & sint in eodem loco qui sit c.sitque centrum loci illius d. & educantur lineæ ad locum superius, qui sit d.g.& ad medium d.f. & ad finem d.h. & sit locus totus c.g.f.h.aut ergo linea d.g. est linea vna, aut duæ. Si dicis, quòd linea vna: ergo duorum corporum est linea vna, & etiam distantiæ loci: ergo distantiæ loci & duorum corporum distantiæ sunt distantia vna:ergo & quantitas vna, & quantum vnum: ergo & res vna, & corpus vnum, quorum quodlibet est impossibile.

Si autem dicas,quòd linea non est vna:ergo inter duo puncta sunt plures lineæ rectæ,quam vna, quod est absurdissimum. Ad hoc dicunt quidam mirabiles homines, quòd istæ determinationes tenent de quantitate mathematica, non de quantitate secundum esse physicum: & concedunt, quòd duo mathematica non possunt esse in eodem loco, sed duo physica benè possunt esse in eodem loco.Sed multipliciter ostenditur, quòd hæc est fatuitas maxima. Vno quidem modo si comparemus dicta istorum, quorum vnum est, quòd corpus non à corporeitate,sed à corpulentia & grossitie habeat replere locum: & aliud, quòd mathematicum non possit esse in eodem loco cum mathematico. Constat autem, quòd mathemathicum nihil habet de corpulentia vel grossitie, sed tantum corporeitatem. Ergo nihil habet de repletione loci: ergo nullum aliud mathemathicum prohibet secum esse in eodem loco. Et nunc dicunt, quòd mathematicum cum mathematico in eodem loco esse non potest,sed physicum cũ physico.Hæc ergo dicta repugnant, & sequitur contra eos, quòd contradictoria sint simul vera, scilicet corpulentiam esse causam, quare duo possunt esse in eodem loco, & eandem non esse causam eiusdem. Alio autem modo: quia ista physica demonstratio non sumitur penes essentiam quantitatis abstractæ, sed potius penes esse quod habet in quanto: & ideò sumit lineam huius corporis & huius distantiæ,& huiusmodi:ergo constat,quòd fictio illa nulla est.Tertio autem modo: quia nullus vnquam Philosophorum iuit hac via:sed ipsi soli sunt homines, & cum ipsis solis morietur sapientia ista.Quarto autem modo: quia cum omnia quanta sint imaginabilia secundum Philosophos, istud quod dicunt, impossibile est imaginari: cum enim duo corpora sint in eodem loco, aut vnũ est in parte loci vna,& aliud in alia:aut vtrumque est diffusum per omnes loci particulas. Si primo modo: ergo non sunt in vno loco proprio, sed communi: & sic centum homines nihil prohibet locari in loco vno,quia in domo vna, vel vno theatro. Si secundo modo: tunc vtrumque est diffusum per vtrumque: ergo partes vnius transeunt per partes alterius: & sic vtrumque est vtrique permixium, quod est absurdum, cum salua & indiuisa sint corpora.

Solutio. Responsio.Videtur mihi dicendum, quòd nullo modo est intelligibile, qualiter duo corpora sint in eodem loco: & ideo dico, quòd hoc secundum naturam & imaginationem ad intellectum sit impossibile:contrarium autem intellectui & naturæ non cogit nos nisi

fides

fides ponere:& ideo dico,quòd corpus glorioſum per hoc quod eſt glorioſum, non habet poſſe eſſendi cum alio corpore in eodem loco.

Ad primvm ergo dicendum, quòd hoc conuenit corpori Chriſti: non per hoc quod glorioſum, ſed per hoc quod diuinum eſt, cuius diuinitas omni eo quod eſt vtitur ad nutum: vnde quando non fuit glorioſum,ſic exiuit de vtero Virginis matris, quòd ſignacula pudoris non aperuit:& tamen aliorum corpora hoc non habent.

Ad alivd dicendum, quòd non ab omnibus à quibus ita exponitur ſpiritualitas,male exponitur:ſed potius quia non ſunt ſpiritus, habent ſpiritus proprietates: & ideò replent locum propter diſtantiam quantitatis quam habent: ſed ſunt ſpiritualia ſubiecta ſpiritui, à quibus id quod eſt animale & corporale & ignobile, ablatum eſt.

Ad alivd dicendum, quòd illorum mathematicorum libri in quibus illa quæ dicunt continentur,ad neminem niſi ad eos peruenerunt,cum Ptolemæus,Abbatemo,Thebit, Geber, Alpharabius, & alij nihil horum ſcribant. Vnde certum eſt ſoliro more eos hoc confinxiſſe,& Philoſophis impoſuiſſe ad ſtabilimentum opinionis eorum.

Ad alivd dicendum, quòd diſtinctio valet ad propoſitum:quia corpus habet replere locum à corporeitate, etiam non exiſtente aliqua corpulentia, ſicut probatum eſt:vnde Philoſophus dicit, quòd mathematicis datur locus.

Ad alivd dicendum, quòd hæc eſt falſa, lux eſt corpus, ſicut dicunt omnes Auctores: & nos aliquid de hoc diximus in ſecundo.

Dist.13. a.2.

ARTICVLVS IV.

An duo corpora glorioſa poſſunt eſſe in eodem loco?

Qvarto quæritur, Vtrum corpus glorioſum cum alio poſſit eſſe in eodem loco? Videtur, quòd ſic ex dictis Magiſtrorum:quia dicunt antiqui, quòd corpus glorioſum habet ſuam quantitem ad nutum voluntatis: ergo ſi vult, per eam replet locum:& ſi non vult, non replet: ergo cum alio poteſt eſſe in eodem loco ſi voluerit. Quod autem ad nutum habeat quantitatem, probant ſic:quia glorificati ſunt beati: ergo habent omnia ad nutum: ergo & quantitatem.

2 Item, Viſibilitatem ſuam habent ad nutum: ergo & quantitatem: videntur enim quando volunt, & quando volunt non videntur.

In contrarivm huius ſic obiicitur: quia remanente quantitate impoſſibile eſt quantitatem ſine ſui contractione fieri minorem, aut ſine extenſione fieri maiorem: ergo impoſſibile eſt quantitatem ita ad nutum habere, quòd ſit maior & minor, & cum alio corpore in eodem loco,& per ſe in loco. *Sed contra.*

Responsio. Ad hoc puto dicendum, quòd glorioſa corpora non habent ita quantitatem ad nutum, vt eam variare poſſint quando volunt: ſed ita quantitatem & qualitatem habent ad nutum,quòd circa eas nihil ſit contrarium voluntati eorum. *Solutio.*

Ad probationem autem dicendum, quòd quando dicitur, quòd beati omnia habent ad nutum, intelligitur de his quæ ſunt de ſubſtantia beatitudinis: & alia ita habere, quòd circa ea nihil fiet contrarium voluntati eorum.Et per hoc patet ſolutio ad totum.

Quod reſurget quicquid fuit de ſubſtantia & natura corporis, & in eadem parte corporis.

Non enim perit Deo terrena materies, de qua mortalium creatur caro: ſed in quemlibet puluerem cineremue ſoluatur, in quoſlibet halitus auraſque diffugiat, & in quancunque aliorum corporum ſubſtantiam, vel in ipſa elementa vertatur, in quoruncunque etiam animalium vel hominum cibum carnemque mutetur, illi animæ in puncto temporis redit, quæ illam carnem primitus vt homo fieret, creſceret, viueret, animauit. Ipſa ergo terrena materies quæ diſcedente anima fit cadauer, non ita reſurrectione reparabitur, vt ea quæ dilabuntur, & in alias atque alias rerum ſpecies vertuntur, quamuis ad corpus redeant vnde dilapſa ſunt: ad eaſdem quoque corporis partes vbi fuerunt redire neceſſe ſit. Alioquin ſi capillus redit, quem tam crebra tonſura detraxit: ſi vnguibus, quos toties depreſſit exectio immoderata & indecens, cogitantibus reſurrectionem carnis & ideò non credentibus occurrit infirmitas, alias informitas. Sed quemadmodum ſi ſtatua cuiuſlibet ſolubilis metalli igne liqueſceret, vel contereretur in puluerem, vel confunderetur in maſſam: & eam vellet artifex rurſum ex illius materia & quantitate reparare,

B Aug.in enchi. cap.88.

Hugo de ſacramentis. parte 1. cap.19.

reparare, nihil intereſſet ad eius integritatem, quæ particula materiæ cui membro ſtatuæ redderetur, dum tamen totum ex quo conſtituta fuerat, reſtituta reſumeret. Ita Deus mirabiliter atque ineffabiliter artifex, de toto quo caro noſtra extiterat, eam mirabili celeritate reſtituet: nec aliquid attinebit ad eius reintegrationem, vtrum capilli ad capillos redeant, & vngues ad vngues: an quicquid eorum perierat, mutetur in carnem, & in partes alias corporis reuocetur: curante artificis prouidentia, ne quid indecens fiat. Indecorum quippè aliquid ibi non erit: ſed quicquid futurum eſt, hoc decebit: quia nec futurum eſt, ſi non decebit.

ARTICVLVS V.

Quid ſit veritas humanæ naturæ?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Non enim perit Deo terrena materies, &c.] Hic enim neceſſe eſt quærere de veritate humanæ naturæ, & quæruntur ante literam tria, ſcilicet quid ſit veritas humanæ naturæ? Secundum, An vna in omnibus hominibus? Et tertium, Vtrum aliquid de nutrimento conuertatur in humanam veritatem?

Lib. de veritate cap. 14.

Ad primum obiicitur ſic: Dicit Anſel. quòd veritas eſt rectitudo ſola mente perceptibilis: & cum hæc diffinitio veritatis ſit de omni veritate; humana autem veritas ſiue humanæ naturæ veritas ſit quædam veritas, videtur quòd non conuertatur cum ipſa diffinitio iſta.

2 Item, Veritas dicitur humani generis quę non ſola mente perceptibilis eſt, ſed etiam corporaliter: ergo videtur, qnòd hæc diffinitio ei non conueniat.

3 Si propter hoc dicatur, quòd veritas ſumitur ſecundum quod Auguſt. dicit, quòd veritas eſt vera rei entitas: ſed hoc iterum competere non videtur: quia vera rei entitas eſt omne id quod modo eſt in corpore hominis, & tamen hoc non apparebit totum in reſurrectione: quicquid autem eſt de veritate humanæ naturæ, totum apparebit in reſurrectione: ergo videtur, quòd ei non comperat prædicta Auguſtini aſſignatio.

4 Si vero dicatur, quòd veritas ſumitur ſecundum Philoſophum Auicennam dicentem, quòd veritas eſt indiuiſio actus à potentia: ſed hæc veritas humanæ naturæ non eſt poſt mortem, quia tunc actus diuiſus eſt à potentia: ſed veritas humanæ naturæ ſemper manet, & in reſurrectione apparebit: ergo veritati humanæ naturæ dicta diffinitio non competit.

Solutio.

RESPONSIO. Dicendum, quòd veritas humanæ naturæ dicitur dupliciter, ſcilicet abſtractè, & concretè. Abſtractè ſecundum hoc eſt indiuiſio potentiæ & actus: quia hæc facit rem habere veram naturam ſecundum actum, id eſt, ſecundum complementum ſuæ formæ, ſicut veritas lapidis eſt à quo eſt verum eſſe lapidis, & veritas hominis à quo eſt verum eſſe hominis. Concretè autem accipiendo tunc veritas humanæ naturæ eſt vera hominis natura: & hæc eſt quæ completa eſt forma naturali hominis, quæ eſt anima rationalis, completione ſubſtantiali, non accidentali, ſicut eſt aliquid in natura hominis per augmentum accidentale, & aliquid decidit à natura hominis per violentiam & detrimentum accidentale, vt infra patebit: & quod quidem inhæret per accidentale augmentum, non eſt de veritate humanæ naturæ. Quod autem habet per violentiam vel detrimentum materiæ, virtute & natura adeſt, licet deſit per accidens: & ideò eſt de veritate humanæ naturæ poteſtate & virtute, vt dicit Auguſt. & hoc modo quæritur hîc de veritate humanæ naturæ: & hoc eſt verum ſecundum quòd opponitur permixto cum natura aliena, ſicut dicimus verum aurum alij metallo impermixtum. Quod autem ſic ſumatur veritas, patet per Hilarium in 5. lib. de Trinitate, vbi ſic dicit: Nulli dubium eſt veritatem ex natura & ex virtute eſſe, vt exempli cauſa dictum ſit, Verum triticum eſt quod ſpica ſtructum, & ariſtis vallatum, & folliculis excuſſum, & in farinam comminutum, & in panem coaptatum, & in cibum ſumptum, reddiderit ex ſe & naturam panis & munus. Ex hoc accipitur, quòd nonnunquam dicitur verum à vera natura ſua perfecta ſecundum virtutem & operationem. Vnde idem, Non huius verbi apprehendo rationem ſi dicatur mihi, ignis eſt, ſed non eſt verus ignis: aut aqua eſt, ſed non eſt vera: & quæro, in quo eiuſdem generis veritas à generis eiuſdem veritate diſſentiat? Quod enim ignis eſt, non poteſt eſſe ne verus ſit, nec natura manens eo poteſt carere quòd vera eſt. Perime aquæ, quod aqua eſt, & per id poteris abolere ne vera ſit. Ex hoc accipitur idem quod prius.

DICENDVM ergo ad primum, quòd diffinitio Auguſtini non conuenit niſi in genere: & ideo oportet addere, quòd ſit rectitudo humanæ naturæ ſola mente perceptibilis.

AD ALIVD dicendum, quòd licet ſit in corpore, non tamen eſt corporea, ſed potius ſpiritualis & formalis: & ideo ſola mente perceptibilis, & non ſenſu vel imaginatione: quia dictio excluſiua poſita in diffinitione veritatis, excludit perceptionem ſenſus & imaginationis.

AD ALIVD dicendum, quòd vera rei entitas ſola illa eſt in qua vt ſubſtantiali forma radicatur entitas ſecundum actum & veritatem: alia autem ſunt accidentalia influentia & effluentia.

AD ALIVD dicendum, quòd veritas humanæ naturæ non eſt poſt mortem, niſi

ſicut

ſicut ipſa natura humana, ſcilicet in potentia: & ideo illud argumentum nihil inconueniens concludit. Et per hoc patet ſolutio ad omnia. Nec debet hîc quæri de diffinitionibus veritatis ſigni vel orationis: quia nos loquimur hîc de incomplexa veritate qua homo dicitur verus homo.

ARTICVLVS VI.

An vna veritas humanæ naturæ ſit in omnibus hominibus?

SEcundo quæritur, Vtrum vna veritas ſit in omnibus hominibus? Videtur, quod ſic: quia quæcunque exeunt ab vno naturaliter, ſunt vnum in illo: ſed omnes homines ab vno exeunt naturaliter: ergo ſunt vnum in illo: ſed illa pars materiæ quæ ſemper apparebit ſub natura hominis, vera eſt veritate humanæ naturæ: ergo videtur, quòd veritas humanæ naturæ ſit vna in omnibus.

2 Item, Vno actu non agitur niſi in vnum: ſed vno actu decimati ſunt omnes qui erant in lumbis decimantis: ergo vnum fuerunt in lumbis eius: hoc autem hîc dicitur veritas naturæ humanæ: ergo omnes vna materia hominis fuerunt in lumbis eius: ergo totum genus humanum à ſimili fuit vna natura materiæ in lumbis Adæ: ſed per naturam materiæ fuerunt in lumbis eius: ergo omnes homines ſunt vna veritas humanæ naturæ, vel habent vnam veritatem humanæ naturæ.

3 Item, Non poterat infici humana natura, niſi vbi tota vna fuit: ſed vna & ſimplici infectione infecta eſt in Adam: ergo in Adam tota vna & ſimplex fuit: ſed omnes habent illud pro veritate humanæ naturæ, quod ſic ab Adam deſcendit: ergo, &c.

Sed contra. IN CONTRARIVM eſt, quòd quodcunque ſignatum naturale non eſt diuiſibile in infinitum, licet mathematicum in infinitum diuidatur: ſemen autem ſignatum fuit naturale: ergo, &c. Et quia nos de hoc multum diſputauimus in 2. Diſt. 30. hæc ad præſens ſufficiant: quia ibi & id diſcuſſum eſt, & opiniones quæ circa hoc ſunt, ſcilicet ſi materia non cointellecta quantitate ſit diuiſibilis, ſicut quidam dixerunt, & vtrum poſſibile eſt eam multiplicari in ſeipſa ſine nutrimenti additione, & huiuſmodi alia.

DICENDVM ergo ad quæſtionem, quòd veritas humanæ naturæ ratione vna eſt in omnibus hominibus, ſed re & ſubiecto eſt plures.

AD PRIMVM ergo obiectum dicendum, quòd homines non ſunt in indiuiduo ſignato aliquo cuius quilibet acceperit partem, ſed ſunt ex vno originaliter, ſicut dictum eſt in ſecundo.

AD SECVNDVM & tertium dicendum, quòd vno actu decimabatur & inficiebatur, quod originaliter fuit vnum, & non per aſſignatam materiæ partem aliquam: hoc enim friuolum reputo, quòd ſecundum hoc totum naturæ opus miraculoſum eſſet, & eſt directè contra Auguſt. in lib. 22. de ciuit. Dei ſicut patebit in ſequenti problemate.

ARTICVLVS VII.

An aliquid de nutrimento vertatur in humanam naturam?

TErtio quæritur, Vtrum aliquid de nutrimento conuertatur in humanam naturam? Videtur, quòd non Matth. enim 15. dicitur, Omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in ſeceſſum emittitur. Sed quod emittitur, non conuertitur in veritatem humanæ naturæ: Ergo, &c.

2 Item ibidem Gloſſa Bedæ dicit ſic: Quiuis tenuiſſimus humor aut liquens eſca, cum in venis & artubus decocta fuerit & digeſta, per occultos meatus, quos Græci poros vocant, in ſeceſſum emittitur.

3 Item, Eadem eſt ratio de quodam & de omni nutrimento: ſed conſtat, quòd aliquod in ſeceſſum emittitur: ergo & omne nutrimentum in ſeceſſum emittitur.

4 Item, Anima per ſe debetur organico corpori: ſed organicum non fit ex nutrimento, ſed potius ex humido radicali & ſeminario: ergo anima per ſe non debetur nutrimentali: ſed alia non eſt humanæ naturæ veritas: ergo nutrimentum tale non eſt de veritate humanæ naturæ.

5 Item, Durum videtur ſi id quod per ſubſtantiam eſt caro bouis, reſurgat: ſed hoc ſequitur, vt dicunt aliqui, ſi nutrimentum conuertatur in veritatem humanæ naturæ. Probatio mediæ. Comeditur enim caro bouis: ſi ergo nutrimentum conuertitur in veritatem humanæ naturæ, caro bouis in illam conuertitur: ſed quicquid eſt de veritate humanæ naturæ reſurget: ergo caro bouis comeſta reſurget.

6 Item, Secundum id erit reſurrectio ſecundum quod fuimus in lumbis Adæ: non autem ſecundum nutrimentalem ſubſtantiam fuimus in lumbis Adæ: ergo ſecundum nutrimentalem ſubſtantiam non erit reſurrectio.

7 Item, Vnius rationis eſt modus veritatis humanæ naturæ in omnibus hominibus: ſed in paruulis recenter natis non eſt nutrimentalis caro de veritate humanæ naturæ: & tamen reſurgent in quantitate ætatis 30. annorum: ergo videtur, quòd nec in aliis caro nutrimentalis ſit de veritate humanæ naturæ.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius obiicitur ſic: Super illud Philipp. 2. Et habitu inuentus eſt vt homo. Dicit Auguſt. quòd quidam habitus mutat hominem & mutatur, ſicut cibus qui muratur in corpus & mutat ipſum in robur: ergo cibus tranſit in corpus: ergo non totus per ſeceſſum emittitur.

2 Item, Quicquid exhauſtibile eſt fame, & reſtituibile refectione cibi, ſubſtantia corporis manente vna & eadem, illud eſt caro nutrimentalis: multa caro hominis ſic eſt exhauſtibilis & reſtituibilis: ergo multa caro hominis eſt nutrimentalis. Prima patet per ſe, & ex hypotheſi dicentium nihil conuerti in corpus de cibo, quia ſi conuertitur, tunc erit id in quod conuertitur nutrimentale. Secunda ſcribitur lib. 22. de

ciuitate Dei. cap. 20. per hæc verba. Quicquid enim carnium exhausit fames, vtique in auras est exhalatum: vnde diximus omnipotentem Deum posse reuocare quod fugit. Ex hoc patet propositum.

2 Ibidem quærit Augustinus. Siquis pascatur carne alterius, & mutet in carnem suam, in quo resurget illa caro? quæ quæstio nulla est si nutrimentum non transit in corpus hominis.

3 Item, Sicut de veritate aquæ est, secundum dictum Hilar. de quo possum dicere, hæc est aqua vel vera aqua: ita de veritate naturæ humanæ est, de quo possum dicere, hæc est natura hominis, vel vera natura hominis: sed talis est caro generata ex hoc nutrimento: ergo caro nutrimentalis est de veritate naturæ humanæ. Et minor patet ibi per verba Augustini.

4 Item, Si natura hominis quæ est materia, multiplicatur in seipsa, vt dicunt, hoc non potest esse nisi vno modorum trium, scilicet per additionem extranei, & per creationem materiæ in qua forma multiplicetur, aut quia seipso sic natum est, quòd vnum educitur ab alio sicut pars à parte. Si primo modo: tunc non differt vtrum addatur cibi substantia vel alia, & sic cibus potest conuerti in corpus & in veritatem humanæ naturæ. Si secundo modo: tunc continuè crearetur ei materia, & iterum illa esset aliena, & inquantum aliena non differt etiam si materia cibi iam creata addatur. Si autem tertio modo. Contra: Quod ex seipso facit aliquid, semper facit illud: natura humana ex seipsa se multiplicat: ergo semper se multiplicat: ergo multiplicatio sui ex seipsa nunquam stabit, quod falsum est, quia si sic esset, etiam augmentum nunquam staret, & nos videmus quòd hoc stat.

5 Item videtur secundum hoc, quòd vehementius debet in tempore esse augmentum quando stat, quam quando incipit: quia quando aliquid educitur ex seipso, minus remanet ibi quàm prius fuit, & ita minus resistit actioni multiplicantis: ergo magis erit tunc velox in multiplicando, quod absurdum est. Si autem dicas, quòd multiplicat sine sui diminutione. Contra: Quod vna pars efficiatur duæ æquè primæ non potest esse, nisi per exitum de potentia ad actum: potentiam autem nihil agit: ergo poneretur ibi aliquod agens præter id quod iam est, quicquid ibi illud sit. Si dicatur, quòd hoc est calor. Contra: Ille non agit nisi rarificando & disgregando: ergo multiplicatum in se corpus est rarius & subtilius, quam non multiplicatum: ergo rariora & subtiliora sunt corpora senum quam infantum, quod absurdum est.

6 Item, Quid simile inuenitur in tota natura, vbi actus de actu educitur per multiplicationem, id est, caro de carne sine mutatione aliqua, & æqualia quanta multa de vno minora quàm ipsa sunt sine additione?

7 Item, Si aliquid veritatis est in philosophia naturali, tunc generatio fit de superfluo nutrimenti, quod descinditur à quarta digestione: sed nihil talium conuertitur in humanam naturam, vt dicit aduersarius: ergo ex nullo talium aliquid generatur: frustrà ergo philosophatum est, quicquid vnquam dictum est à Philosophis secundum istorum mirabilem philosophiam.

8 Item, In primo de generatione, in cap. de augmento, dicit Philosophus, quòd cibus nutrit inquantum potentia caro, auget autem inquantum potentia quanta caro: ergo oportet, quòd conuertatur in corpus humanum.

9 Item, Secundum hoc totum opus naturæ esset miraculosum, quod absurdum est.

10 Item, Ad quid valet calor naturalis in corpore? ipse enim secundum istorum mirabilem sapientiam non agit augendo, & cibus non ponitur in corpore, nisi vt sit materia caloris, ne comburatur subiectum: melius ergo esset vt calor ibi non fuisset: quia sic nec cibo indigeremus, & tunc breuiori compendio perfeciisset Deus opus suum, quod ridiculosum est.

11 Item, Omne quod fit hic ab aliquo actiuo & calore, non agit augmentum: ergo aliquid aliud agit ipsum: non frigiditas, quia illius motus est ad centrum potius diminuendo per constrictionem intus, quam augendo per multiplicationem ad extra. Si dicas, quòd est à forma substantiali, ista noua philosophia est, quòd forma substantialis agat in natura, cum nihil sit ei contrarium.

12 Item, Si validum dictum Bedæ reputatur, dicentis quòd non transit in corpus hominis nutrimentum, quare non ita validum est vt quæratur ab eo remedium contra hydropes contempto Galeno? Dicit enim Beda, quòd hydropes est humor subcutaneus de vitio vesicæ natus: curans autem vesicam, curat hydropem. Galenus autem dicit, quòd curandum sit hepar, eo quod de vitio hepatis nascitur. Et miror ego si hi inquirant curam Bedæ contempto Galeno.

Solutio.

RESPONSIO. Dicendum est, quòd ridiculum est dicere nihil de cibo conuerti in corpus humanum, & talia dicta quorundam theologorum derisibilem apud peritos faciunt theologiam.

DICENDVM ergo ad primum, quòd ly omnis distribuitur pro partibus subiectiuis, non integralibus: quia quæcunque species ibi intrat in os, habet multum impuritatis & parum puritatis: & ideo quælibet species in secessu emittitur, licet non tota.

AD ALIVD dicendum, quòd parum mihi videtur curandum de dictis Bedæ, vbi non loquitur de fide & moribus: quia ipse naturas ignorauit. Ne tamen fugere videamur, dicendum quòd ipse loquitur de parte cibi secundum materiam carnis nutrimentalis & non secundum speciem: quia dicit Philosophus, quòd quælibet caro augetur secundum speciem, & non secundum materiam quælibet augetur: quia materia similium membrorum influit & effluit, sed non species: & hoc modo post decoctionem quælibet secundum speciem nutritur & augetur, sicut probatur in primo de generatione & corruptione.

AD ALIVD dicendum, quòd non est eadem ratio de vno & de omni: quia vnum est secundum naturam per accidens, & vnum

est

est complens quantitatem, & alterum est restaurans deperditum tantum: & ideo falsum est, quòd eadem est ratio de vno & de alio, sicut infra patebit.

Ad aliud dicendum, quòd anima primo debetur corpori organico, & secundo debetur adiuncto organico ad complementum quantitatis organorum, & tertio debetur restauranti deperditum tantum, & quarto ei quod vnitur organico & materiali: & secundum omnes hos modos dicitur esse veritas humanæ naturæ, & prima quæ est ex humido radicali, tota apparebit in resurrectione. Secunda autem ibi est actu in viuentibus, & potestate in infantibus, & etiam tota apparebit, nisi sit accepta de pastu carnium humanarum, vt infra dicetur. De tertia autem ibi apparebit quantum decebit: & de quarta nihil: quia non nisi accidentalem & innaturalem habet vnionem ad animam immortalem.

Ad aliud dicendum, quòd hoc imperitis videtur durum, qui ibi dicunt, quòd caro asini inquantum asini mutat eos, nescientes dicta sapientium, quòd nutrimentum primo est dissimile, & vltimo est simile, & tunc non est caro asini, sed proxima potentia ad carnem hominis. Et est in argumento eorum fallacia figuræ dictionis, vt est iste paralogismus, quicquid comedis, conuertitur in nutrimentum: sed carnem asini crudam comedis: ergo caro asini cruda, conuertitur in tuum nutrimentum.

Ad aliud dicendum, quòd in lumbis Adæ fuimus non secundum aliquam materiam signatam, sed secundum originalem materiam, vt dictum est.

Ad vltimum dicendum, quòd in infantibus est totum nutrimentum, quod ad quantitatis perfectionem deducere debebat, potestate: actum autem, vt dicit Augustinus, supplebit potentia creantis & glorificantis. Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICVLVS VIII.

Quot sunt modi resolutionis? & in quo resurget costa, an in Adam, vel in Eua? & quomodo resurgent qui vescuntur humana à carne?

Deinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Sed in quemlibet puluerem cineremve soluatur, &c.] Et quæratur primo, Quare in litera tot ponat modos resolutionum humani corporis, scilicet puluerem, cinerem, habitus, auras, aliorum corporum substantiam, elementa, cibum animalium & hominum, & carnem animalium & hominum?

Quæstiuncula 1.

Vlterius quæratur de costa Adæ, Vtrum in Adam resurget vel in Eua? Videtur, quòd in Adam per regulam quam dat in litera: quia scilicet primo eam in humani corporis parte anima Adæ viuificauit: ergo in Adam resurget, vt videtur: sed si hoc est verum, tunc Eua non resurget, quia tota sumpta est de costa illa.

Quæstiuncula 2.

Vlterius quæritur grauis quæstio Augustini, scilicet de eo qui nutritur carnibus humanis, in quo resurget illa caro? Si dicitur, quòd in eo qui eam primo animauit, quia ab altero est quasi mutuata: tunc quæritur, Quid resurget in illo qui pastus est carne illa? Videtur enim, quòd ille resurget cum defectu, quod falsum est: quia mortui, vt prius habitum est, resurgent incorrupti.

Quæstiuncula 3.

2 Item, Esto quòd pastus carnibus humanis generet filium de superfluo illius cibi: tunc constat, quòd de humido seminario organica substantia nati formatur. Si igitur hoc restituetur primo, tunc nulla organica substantia resurget in huiusmodi nato: ergo non resurget, quod est inconueniens.

3 Item aggrauetur quæstio sic: Esto enim, quòd aliquis de membris animatis in quibus nihil est præter organicam substantiam, nutriatur, & de illo superfluo generet: constat enim, quòd illud primo modo est de veritate in vtroque, scilicet illo qui sumitur in cibum, & illo qui nascitur ex tali cibo. Constat autem, quòd non potest in vtroque resurgere: igitur alter istorum non resurget, quod est inconueniens.

4 Ad hoc dixerunt aliqui, quòd talem modum cibi impedit ordo naturæ: quia homo debet cibari vegetabilibus & brutis, & non carnibus humanis: & ideò non potest esse cibus ex tali. Sed hoc nihil esse videmus. Dicit enim Aristot. in 7. ethic. de feralibus, quòd carnibus humanis pascantur, vt Medea quæ duos proprios natos vna cœna incorporauit, & in Thren. Ierem. Manus mulierum misericordium coxerunt filios suos: facti sunt cibus earum in contritione filiæ populi mei. Ergo positio facta videtur possibilis.

Sc. ntio.

Responsio. Ad hoc dicendum, quòd in veritate sicut alibi dictum est, duplex est humidum, scilicet radicale, & nutrimentale. Radicale autem est, quod est in substantia seminis quod virtute formatiua formatur in organa. Virtus autem formatiua est in semine ab anima patris tantum, habens calorem pro instrumento cum triplici calido, scilicet animæ, cæli, & ignis: & à calido ignis est dissoluens & distendens, sed à calido cæli in speciem mouens & speciem inducens, à calido autem animæ mouet ad vitam & animam. Similiter est ibi etiam frigidum in triplici virtute: frigidum enim elementi est coagulans, & frigidum cæli terminans ad speciem, & inquantum est instrumentum animæ, continet complexionatum viuificabile. Et similiter est de humido & sicco, sicut dicunt Auctores. Hoc autem humidum est nutrimentale superfluum in generante, & radicale siue seminale in generato: & ideo substantiale est generato, & accidentale generanti. Nutrimentale autem humidum est duplex. Vnum quod vi naturæ trahitur ad nutrimentum humidi seminalis, & hoc inter cætera est magis substantiale post humidum seminale. Aliud autem quod extra acquiritur per cibum, & hoc est ad triplicem vsum, scilicet ad nutrimentum quantitatis secundum perfectionem staturæ, & ad restaurandum deperditum vt continuetur esse & vita: & tertium quod est accidentale, quod de nimietate nascitur cibi, & vocatur à Philosopho augmentum

cum innaturale, ſicut ventroſi efficiuntur illi qui loca digeſtionis infrigidant vel frigida habent, in his enim calor naturalis eſt conuertens, non conſumens; & multa innaſcitur eis viſcoſitas & pinguedo præter naturam. Regula igitur eſt generalis in reſurrectione, quòd nutrimentum ſumptum ex his humidis, in illo reſurget, in quo eſt nobilius animatum ad vitam.

Et hoc ſuppoſito dicendum ad primum, quòd tot ponit, eò quod modi reſolutionum aut ſunt naturales, vel per corruptionem violentam in aliud corpus. Si primo modo: tunc aut reſolutio eſt completa, aut incompleta. Si completa, tunc eſt in elementa. Si incompleta, ita quòd adhuc aliquid remanet, aut quantum ad partes ſubtiles, aut quoad partes groſſas. Si primo modo, tunc dupliciter: aut eim eſt pars magis propinqua ſpiritualis, aut remota. Et primo modo, halitus: ſecundo modo aura, quia vtraque pars eſt aerea vaporabilis propter humidum vaporabile exhalans à corpore & expirans, & craſſum magis dicitur halitus, magis autem tenue & aeri appropinquans dicitur aura. Si autem quoad partes groſſas, aut hoc eſt deſiccatione huimidi continuantis, aut exiccatione humidi extrahentis humidum. Et primo modo eſt puluis, ſecundo modo cinis. Si autem eſt per corruptionem violentam, quæ eſt incorporatio hominis in aliud corpus hominis: aut hoc eſt quantum ad vegetabile, aut quantum ad ſenſibile. Si primo modo, eſt id quod tranſit in ſubſtantiam aliorum corporum ſicut vegetabilium, ſicut dicit poeta,

Luxuriat Phrygio ſanguine pinguis humus.

Et roſæ plantatæ in terra ſanguine hominis ſimata, citius proferunt roſas, vt dicit Hermes in alchimia. Si autem quantum ad ſenſibile: aut ſecundum viam incorporationis, aut ſecundum terminum. Et quidem primo modo eſt hoc quod vocat cibum animalium aut hominum: ſecundo modo eſt hoc quod vocat carnes hominum aut animalium: & ex hoc etiam accipitur, quòd cibus conuetitur in carnes hominum.

AD ALIVD dicendum, quòd Adam dupliciter factus eſt, ſcilicet ſecundum ea quæ exiguntur ad indiuiduum, & ſecundum ea quæ exiguntur ad principium humani generis quod ipſe fuit. Et primo quidem modo coſta nunquam fuit de veritate humanæ naturæ in Adam, ſed ſecundo modo: & ideo reſurget in principiato ab ipſo, & tamen reſurget Adam ſine diminutione.

AD ALIVD dicendum, quòd nutritus de carnibus humanis dupliciter poteſt nutriri. Vno quidem modo de eo quod de virtute humanæ naturæ eſt primo vel ſecundo vel tertio vel quarto, & hoc totum reſtituetur primo. Vel poteſt nutriri de hoc quod quinto modo fuit de veritate, & hoc remanet nutrito, quia nunquam fuit de integritate primi niſi per accidens, & ideò nobilius eſſe habet in ſecundo quam in primo. Ad hoc autem quod obiicitur, dicendum quòd nullus patietur defectum de ſuo: & ſi eſt, Deus ſupplebit, vt expreſsè dicit Aug. de infantibus mortuis.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc reſurget in ſecundo: quia nobilius eſſe habet in ſecundo, quam in primo, eò quòd in primo eſt de humido nutrimentali: & in ſecundo de humido radicali & ſpermatico ſiue ſeminali.

AD ALIVD dicendum, quòd ille caſus eſt difficilis: tamen ſine præiudicio dico, quòd cũ ſecundus cibatur talibus puerperiis quorũ membra formata ſunt & animata, dico quòd ibi eſt duplex humidum, ſcilicet ſeminale, & nutrimentale tractum in matrice: & quia ſpecies non conuertitur, ſed potius etiam de materia multum abiicitur, videtur dicendum quòd de abiecto vt impuro reſtituitur corpus primi: ſed de tracto & ſeminato reſtituitur corpus ſecundi ab omnipotenti Deo, cui moriendo corpora noſtra non pereunt, ſed in melius tranſmutantur: & ita patet, quòd vterque reſurget, & id quod deeſt, ſupplet manus diuinæ ſapientiæ, quæ cuncta creauit.

AD SOLVTIONEM autem inductam videtur concedendum, ſicut probatum eſt in contrarium obiiciendo.

ARTICVLVS IX.

An homo reſurgat idem numero quoad materiam, ita quod materia cuiuſlibet membri redeat?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Ipſa enim terrena materies quæ diſcedente anima fit cadauer, &c.] Videtur enim falſum quod hic dicit: quia dicit Philoſophus, quòd ſicut tota anima ſe habet ad totum corpus, ita pars ad partem: ergo materia perfectibilis viſu, non eſt perfectibilis auditu: ergo incongruenter ordinabitur ſi ad auditum reuertatur: ſed nihil erit ibi incongruum: ergo materia vniuſcuiuſque membri redit in ipſum: ergo falſum eſt quod dicit in litera.

2 Item videtur, quòd non ſit neceſſe totam redire materiam ſicut in litera dicit: quia corpora ſpiritualia minus indigent de materia: ſed illa erunt ſpiritualia præcipuè quoad bonos: ergo minus habebunt de mareria: falſum eſt ergo quod dicit, quòd tota materia redibit.

3 Item, Actus meritorum diuerſi, ſunt facti per diuerſa organa: ergo iuſtum eſt materiam illorum organorum in illis membris reiterari, in quibus actus meritorios exercuerunt: ergo neceſſe eſt, quòd ad eadem membra reuertatur.

4 Item, Sicut eſt veritas quædam corporis vniuerſalis, ita eſt veritas membri particularis, de quo poteſt dici, hæc eſt vera natura manus vel pedis: ergo ſicut virtute veritatis vniuerſalis tota materia redibit ad totum, ita virtute membri particularis pars media redibit ad partem determinatam.

5 Item, Vnum membrum nobilius eſt altero: ergo incongruè agitur ſi nobilius conuertatur in ignobilius, vel è conuerſo: ergo videtur, quòd neceſſe ſit, quòd vnicuique membro reddatur ſua materia.

RESPONSIO. Dicendum, quòd quælibet pars entitatem habet à forma: & ideo *Solutio.*

quæcun

quæcunque variatio fiat in materia siue confusio partium materiæ, semper vna manet veritas ab actu formæ vnius: & hoc intendit Aug. Vnde licet conuersio fieri posset, ego tamen puto, saluo meliori iudicio, quòd quodlibet ad idem membrum in quo erat, redibit: sed tamen possibile est aliter esse, sicut dicit in litera.

Ad primvm ergo dicendum, quòd hoc non facit nisi congruentiam reditus: sed alia erit harmonia partium in resurrectione: & ideo non tenet hoc quod obiicitur.

Ad alivd dicendum, quòd sicut prius patuit, non erit per modum subtractionis partium materiæ glorificatio, sed potius per modum subtractionis proprietatum pertinentium ad statum ignobilitatis.

Ad alivd dicendum, quòd meritum non est membri nisi instrumentaliter: sed sicut actus est totius, ita & præmium: & ideò nulli fiet iniuria in quocunque remuneretur.

Ad alivd dicendum, quòd veritas quæ apparebit in resurrectione, præcipuè est ab animæ immortalitate, & hanc non habet anima à partibus, sed à toto, ex seipsa scilicet, & à Deo: & ideò partes non conferunt huiusmodi veritatem nisi secundum quid, scilicet inquantum sunt vnitæ toti: & ideò etiam in quacunque parte quid resurgat, bene agitur cum ipso.

Ad alivd dicendum, quòd si maneret harmonia quæ nunc est, & nobilitas perpetuitatis esset ex membris, tunc procederet ratio illa: sed, vt supra patuit, neutrum eorum verum est: & ideò potest variatio fieri in partibus materiæ, vt dicit Aug. planè in litera.

ARTICVLVS X.

An omnes capilli & vngues redeant in resurrectione, & an veritas humanæ naturæ sit accidens?

Deinde quæritur de hoc quod dicit [Alioquin si capillus redit, &c.] Videtur enim hoc esse contra Euangelium Matth. 10. vbi dicitur, Et capillus de capite, &c. Ergo videtur, quòd reuertentur omnes.

2 Item, In litera innuit, quòd licet pili ad pilos non reuertantur, tamen ad massam corporis reuertetur materies pilorum & vnguiũ: & hoc non videtur esse necessarium cum sine hoc salua sit tota integritas.

Quæstiuncula. Vlterivs quæritur gratia huius inseparabilitatis, Vtrum veritas humanæ naturæ sit substantia, vel accidens? Videtur autem, quòd sit accidens: quia substantia vniuscuiusque est vno modo: sed veritas est diuerso modo, vt habitum est secundum quinque modos supra: ergo est accidens.

2 Item, Omne quod est consequens esse hominis, est de genere accidentium, vt dicit Boetius: sed veritas consequitur esse hominis: ergo est de genere accidentium.

Sed contra. In contrarivm est, quod vera entitas rei nunquam potest esse accidens: sed veritas est vera entitas rei: ergo, &c.

Solutio. Responsio. Dicendum, quòd pili generantur de fumo sicco nutrimenti, qui exiccatur quando per poros pertingit ad aerem. Vngues autem de sicco terrestri per calorem cordis ad superficiem expulsi. Et ideo, vt dicit August. non sunt de veritate secundum se, sed inquantum ad decorem faciunt: & ideo etiam inquantum decorem perficiunt, resurgent, & cætera amputabuntur.

Ad alivd dicendum, quòd non intendit, quòd reuertantur ad massam, sed est exemplum, quòd non est necesse, quòd omnes partes materiales in eadem membra reuertantur, cum quod minus videtur, etiam quædam partes abiici possunt.

Ad id quod vlterius quæritur, dicendum quòd veritas dicitur esse duplex, scilicet essentialis, & participata. Essentialis est forma substantialis ratione differens: quia dicitur veritas inquantum est principium cognitionis in actu vel habitu: forma autem inquantum dat esse. Participata autem veritas est, quæ habetur à membris à formæ partibus perfectis, & hæc etiam est substantia vel potentia substantiam formæ consequens: & si est potentia talis, tunc quidem est accidens, quod est potentia naturalis, & radicatur vt in sua causa in substantia formæ, quæ perficit materiam & materiæ partes. Et per hoc patet solutio ad totum. *Ad quæstiunculam.*

ARTICVLVS XI.

An resurget idem homo qui mortuus fuit?

Deinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Nihil interesset ad eius integritatem quæ particula materiæ, &c.] Ex hoc enim videtur sequi, quòd non idem homo numero resurget qui mortuus est: quia non est eadem numero imago quæ restituitur.

2 Adhuc, Quoruncunque substantialis forma non est eadem numero, illa non sunt eadem numero: sed forma substantialis hominis morientis & resurgentis, non est eadem numero: ergo moriens & resurgens, non sunt idem numero. Prima patet per se. Secunda patet per hoc, quòd forma substantialis est humanitas, & illa perit in morte, quia homo mortuus non est homo: forma autem quæ cessit in nihilum, non reuertitur eadem numero, quia dicit Philosophus, quòd non est eadem sanitas in mane & vespere.

3 Item, Philosophus in fine de generatione & corruptione, Quæcunque habent substantiam corporalem motam, non reiterantur eadem numero: sed homo sic habet substantiam corporalem motam: ergo non reiteratur idem numero.

4 Item, Quæcunque sunt generabilia & corruptibilia, non participant esse diuinum in indiuiduo, sed in specie: sed homo est generabilis & corruptibilis: ergo, &c. ergo non contingit eum redire secundum idem indiuiduum, sed tantum secundum identitatem speciei.

Responsio. Dicendum, quòd simile quod adducit August. est simile in parte: quia in aere non remanet eadem forma, quæ est figura: *Solutio.*

figuraſed in homine reſurgente manet eadem forma, quæ eſt anima rationalis.

Ad aliud dicendum, quòd duæ ſunt viæ ad hoc reſpondendi. Si enim dicamus cum Auicenna, quòd forma totius eſt alia quam forma partis quæ eſt anima, ſicut forma totius eſt prædicabilis vt homo & animal de hoc homine & illo: tunc illa forma abſtracta ſignificatur licet impropriè per hoc quod dico humanitas, & illa non manet niſi in potentia poſt mortem in principiis componentibus totũ, cuius ipſa eſt forma: & ratione illius formæ non habet indiuiduum, quòd ſit idem numero, ſed habet ſpeciem tantum quæ indifferens eſt ad idem numero & diuerſum: ſed ab anima hac ſic complente materiam & ab hac materia habet, quòd ſit idem numero: & ideo non ſequitur, ſi non habet eãdem formam totius quæ eſt ſpeciei vel generis vel eſſe, quòd non ſit idem numero. Præterea eadem ſpecies eſt, licet eſſe non ſit idẽ quod habuit ante & poſt in hoc indiuiduo: & ideo idem eſt numero in ſpecie cum priori homine, nec ſpecies deſtruitur morte niſi per accidens, ſcilicet ſecundum eſſe hoc quod habet ſecundum hunc ſtatum in iſto. Si autem cum Auerroe & Ariſtot. ſentiamus, quòd forma totius eſt forma materiæ, ratione tamen differens, ſicut videtur velle in ſeptimo primæ Philoſophiæ: tunc planum eſt, quòd ſit idem numero, & non deſtruatur forma ſecundum ſe, vel ſecundum ſuum eſſe, ſed tantum quoad rationem prædicationis de compoſito, eò quod compoſitum eſt diſſolutũ.

Ad aliud dicendum, quòd hoc intelligitur de his quæ omninò habent ſubſtantiam corruptibilem: ſed tale quid non eſt homo, quia anima eſt perpetua, & ab illa potentiam quandam ad incorruptionem acquirit corpus.

Ad aliud dicendum, quòd hoc intelligitur de his quæ generantur ſecundum ſe tota, hoc eſt, quorum forma ſecundum ſe totam educitur per actum naturæ de materia: & tale quid non eſt homo, cuius anima rationalis fit per creationem, ſicut dicit Ariſtot. in primo de cauſis proprietatum elementorum & planetarum, & in 16. animalium dicit, quòd intellectus non educitur de materia, ſicut vegetabile & ſenſibile, ſed ingreditur ab extrinſeco.

Quod ſancti ſine omni deformitate reſurgent.

Aug. In enchi. cap. 91.

HOC autem in corporibus ſanctorum intelligendum eſt, de quibus conſequenter adiungit, Reſurgent ergo ſanctorum corpora ſine vllo vitio, ſine vlla deformitate, ſicut ſine vlla corruptione, onere, difficultate: in quibus tanta facilitas, quanta felicitas erit: propter quod & ſpiritualia dicta ſunt, cum proculdubio corpora ſint futura, non ſpiritus. Ex his apparet, quòd vna erit ætas omnium reſurgentium, ſcilicet iuuenilis: ſtatura verò diuerſa, ſcilicet quam quiſque habuerat in iuuenili ætate, vel erat habiturus, ſi ante eſt defunctus. Nec de ſubſtantia de qua hominis caro creatur, aliquid peribit: ſed omnium particularum ante diſperſarum collectione, reintegrabitur naturalis ſubſtantia corporis. Sanctorum quoque corpora ſine omni vitio fulgida ſicut ſol, reſurgent, præciſis cunctis deformitatibus quas hic habuerunt. Mat. 13.

ARTICVLVS XII.

An latrones mutilati, integri corpore reſurgent?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Hoc autem in corporibus ſanctorum intelligendum eſt, &c.] Quæritur enim de his qui primò ſunt latrones & mutilantur in latrocinio, & poſteà conuertuntur & efficiuntur ſancti, vtrum mutilata eis glorificata reddantur? Videtur, quòd non: quia membrum hoc ſanctitati nunquam cooperabitur: ergo nunquam debet remunerari in glorificatione.

Solutio. Ad hoc dicendum, quòd glorificantur, & ratio per oppoſitum ſupra dicta eſt in malis: quia metitum eſt totius hominis ſecundum animam: & ideo voluntas merendi in membro illo ſi habeatur, reputabitur pro facto, ratione cuius vis illa animæ glorificabitur in ſuo membro ſibi reddito.

ARTICVLVS XIII.

An poſt reſurrectionem mortuorum, ſanctorum corpora ſint impaſſibilia?

DEinde ratione eius quod dicit *ibi* [Sine vllo vitio, ſine vlla deformitate, ſicut ſine vlla corruptione, &c.] Quæritur de impaſſibilitate corporum ſanctorum. Et quæruntur quatuor, ſcilicet an ſint impaſſibilia, & ſecundum quem modum ſint impaſſibilia, & vtrum æqualiter omnia ſint impaſſibilia, & quarto

quæ

quæ differentia sit inter vitio carere & deformitate & corruptione? quæ omnia ponit in litera.

Ad primum obiicitur sic: Quorumcunque vna est potentia cum passibilibus, illa sunt passibilia: corporum glorioſorum vna est potentia cum passibilibus: ergo ipsa sunt passibilia. Prima patet per se. Secunda probatur per hoc, quòd glorioſi & non glorioſi sunt eiusdem naturæ, quæ passibilis est in non glorioſis.

2 Item, Omne compoſitum ex passibilibus, est passibile: corpus glorioſum compoſitum est ex passibilibus: ergo est passibile.

3 Item, Omne heterogenium in partibus, compoſitum est ex partibus diuersa patientibus: omne corpus humanum glorioſum & non glorioſum heterogenium est in partibus: ergo est compoſitum ex partibus diuersa patientibus: ergo est passibile in suis partibus.

4 Item, Siquis dicat, quòd sint impassibilia ex gratia vel gloria, sed passibilia ex natura. Contra: Vnumquodque magis denominatum est à diſpoſitione naturali quam actuali, & à natura potius quam ab alia forma: ergo potius debent dici passibilia, quam impassibilia.

5 Item, Cum omne accidens fluat à subſtantia, non potest fluere à subſtantia accidens contrarium ipsi subſtantiæ: ergo à subſtantia passibili nunquam fluit accidens, quod facit impassibilem subſtantiam illam: ergo nullum accidens potest esse in tali subſtantia, per quod impassibilis esse dicatur: ergo cum gratia & gloria sint accidentalia, videtur quòd non possint dici impassibilia corpora illa à gratia vel gloria.

6 Item, Gratia & gloria sunt perfectiones naturæ: sed perfectio nunquam repugnat perfecto: cum igitur perfectum sit passibile, à perfectione nunquam causabitur impassibilitas, quia passibile & impassibile repugnant.

7 Item, Philoſophus dicit, quòd omnis subſtantia naturalis est passibilis, præcipuè compoſita ex contrariis: si ergo subſtantia illa maneat, semper erit passibilis: sed illa subſtantia manebit in reſurrectione: ergo in reſurrectione semper erit passibilis.

8 Item, Omne complexionatum est passibilibus qualitatibus informatum & diſtinctum: ergo manebit passibile.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est, quod dicitur 1. Corinth. 15. Abſorpta est mors. Non autem abſorbetur mors niſi abſorbeatur passibilitas. Ergo corpora sanctorum tunc non erunt passibilia.

2 Item, Apoc. 21. Iam non erit amplius, neque luctus, neque clamor, neque dolor erit vllus, neque mors erit vltra: quoniam priora transierunt. Ex hoc accipitur idem quod prius.

3 Item 1. Corinth. 15. Seminatur in corruptione, reſurget in incorruptione. Sed omne incorruptibile est impassibile. Ergo erunt impassibilia corpora sanctorum.

4 Item Matth. 13. Fulgebunt iusti sicut sol, &c. Sol autem est impassibilis. Ergo & iusti.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd corpora sanctorum sunt impassibilia [illegible] læsionis.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd potentia passibilitatis est duplex, scilicet diſpoſita, & indiſpoſita. Et indiſpoſita duplex est, scilicet ad vtrumlibet se habens, & coniuncta neceſſitati contrarij actus. Et diſpoſita quidem est in corpore mortali. Indiſpoſita autem aliquo modo fuit in Adam, licet aliqualiter esset diſpoſita ad contrarium; scilicet si non peccaret, quòd non pateretur. Coniuncta autem neceſſitati ad contrarium, est in corpore glorioſo, vbi non est potentia patiendi niſi in radice & impoſſibilitas patiendi est ex formæ perfectione ad gloriam.

AD ALIVD dicendum, quòd componentia corpus humanum, non retinebunt qualitates actiuas & passiuas, niſi prout sunt conſtituentes complexionaliter, sed non quoad hoc quod agant vel patiantur complexionis diſcurſiua: & ideo nunquam inducent læſionem aliquam. Aliqui autem dixerunt, quòd elementa ibi erunt in elementato quoad primum esse elementi tantum. Et qualitates elementales erunt ibi vt in radice & potentia, & non quoad actionem aliquam. Sed primum verius & naturalius est.

AD ALIVD dicendum, quòd corpus illud heterogenium paſſum est omnia illa quæ oportuit pati ad complexionandum & formandum: sed deinceps remouetur ab eo paſſio propter victoriam formæ ex gloria ſuper materiam, quia materia non est possibilis ad receptionem actus violenti alicuius læſiui, ſicut nec materia cæleſtium corporum ex victoria formæ ſuper materiam: omnis enim paſſio est materiæ vel compoſiti, cuius materia per formam non est remota à passibilitate & ad impassibilitatem formæ deducta.

AD ALIVD dicendum, quòd à naturali quod est forma, debet esse denominatio, niſi ita sit, quòd forma materiam in toto perficere & ad se conuertere non possit, ſicut modo forma eorum quæ generantur & corrumpuntur, imperfectè obtinet materiam, ſed tunc obtinebit per habitum gloriæ in toto: & ideò ab actu illius formæ erunt impassibilia, eò quod nec agere potest ad ſeparationem formæ à materia in toto vel in parte.

AD ALIVD dicendum, quòd duplex est accidens, ſcilicet causatum à subſtantia in qua est, & illud non est perfectio ipsius: & est accidens causatum à ſuperiori subſtantia ad perfectionem inferioris, ſicut est gratia & gloria: & hoc non fluit à subſtantia in qua est, nec est ei contrarium, ſed potius est finalis perfectio ipsius, & conuenit cum forma, & non est contrarium niſi materialitati & priuationi: & ideò nihil prohibet ab eo fieri denominationem.

AD ALIVD dicendum, quòd vt patuit, gratia & gloria non habent contrarietatem ad perfectum ab ipsis, ſed potius conuenientiam, quia iuuant formam ad hoc quod est: & non potest ex naturalibus: est enim forma ad tollendam priuationem de materia, & tollit eam: ſed non potest tollere potentiam ad priuationem propter diſſoluentia complexionem, niſi per gratiam & gloriam: & ideo

addatur ei à Deo gratia & gloria: quia leuant naturam ad altiorem statum in quo continuitas corporis solui non potest.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc est verum quoad componentia prima: sed illa nunquam vincuntur per mixti perfectionem, ita quod vlterius agere & pati ad mixti destructionem non possunt.

AD ALIVD dicendum, quòd qualitates complexionales ibi agere non possunt, nisi ad statum mixti, & non ad excessum vnius eorum super alterum, vt iam sæpius dictum est: & hoc per gratiam & gloriam efficitur in tali corpore.

ARTICVLVS XIV.

Quomodo corpora sanctorum dicantur impassibilia?

SEcundo quæritur, Secundum quem modum impassibilitatis dicantur impassibilia? Aut enim impassibilitas dicit priuationem actus patiendi, aut priuationem potentiæ. Si primo modo: tunc hanc dotem etiam habuit corpus Adæ in paradiso, quod falsum est. Si autem priuat potentiam, cum illa radicetur in natura, videtur quòd priuet etiam naturam, & sic illa corpora non essent eiusdem naturæ cum istis, quod falsum est.

2 Item, Passio dicitur à patin Græcè quod est recipere: illa autem corpora alicuius sunt vel esse videntur susceptibilia, eo quod ad minus alterantur secundum sensus, cum videant, & audiant, & secundum alios sensus afficiantur: ergo videtur, quòd non remouetur ab eis omnis impassibilitas, sed quædam.

3 Item, Passio est duplex, scilicet diuisionis continui, & sensus doloris sine diuisione, sicut cum calidum ledit tactum. Aut ergo dicuntur corpora illa impassibilia secundum primum modum, aut secundum secundum. Si dicatur, quòd primo modo, etiam corpora damnatorum erit impassibilia: quia scindi non possunt, nec diuidi, nec corrumpi. Si autem secundo modo: tunc & corpus Adæ in primo statu habuit impassibilitatem dotis, quod falsum est.

4 Item videtur, quòd iste modus impassibilitatis non potest conuenire complexionato corpori: quia tactus non percipit nisi excellentes qualitates tactus: sed excellens agit in id quod tangit, & excessum parit: ergo si corpus glorioſum sensit secundum tactum, de necessitate pati potest secundum tactum, si intendatur id quod tangitur.

5 Item, Aut ista impassibilitas sequitur voluntatem, aut naturæ necessitatem. Si voluntatem: tunc est talis sicut Adæ, scilicet quòd non patitur si peccare noluerit, & si peccare voluerit, patietur. Si autem necessitatem naturæ: tunc oporteret, quòd radicetur in natura impassibili, quod falsum est.

6 Item, Nobilior est voluntas, quam natura, quia voluntas est liberi, & non necessitati addicta: ergo nobilior est impassibilitas quæ sequetur voluntatem, quam ea quæ sequitur naturam, sed corpus glorioſum nobilissimam habet impassibilitatem: ergo videtur, quòd habeat eam quæ sequitur voluntatem. Et si sic, iterum vlterius sequitur, quòd eiusdem est rationis cum impassibilitate Adæ.

7 Item, Habitus perficiens naturam, perficit eam secundum naturæ modum & actum: sed non ita perficit illa impassibilitas corpus glorioſum: ergo non sequitur naturam. Prima patet per se. Secunda autem ex comparatione quam facit August. statuum liberi arbitrij, & immortalitatis, quæ habita est in 2. lib. dist. 25. quia posse non peccare sequitur posse non mori, & ad necesse peccare necesse mori, & ad non posse peccare non posse mori.

RESPONSIO. Dicendum, quòd omnis passibilitas est ex materia, & impassibilitas ex forma; & ideo habitus exaltantes formam super materiam ad tollendum priuationem & dispositiones contrarias formæ, perficiunt impassibilitatem, & illi in homine non possunt esse, nisi gratia & gloria, sic continentes agentia & patientia, vt nunquam agant ad discursiua complexionis vel diuisionem compositionis partium. Hoc autem qualiter fiat, sic intelligi potest, sicut innuit Aristot. & Commentator exponit. Elementa sunt saluata in mixto secundum suas formas substantiales: sed proprietates elementales, scilicet actiuæ & passiuæ primæ qualitates sunt in mixto non secundum proprium actum, sed secundum actum mixti: vnumquodque enim contrariorum alteratum est ab altero ad actum mixti. Continens autem actum mixti est omne illud quod impedit intensionem vnius contrarij super alterum in actu ipsius mixti & vnione miscibilium, sicut faciunt medicinalia cõseruantia sanitatem: sed loco illorum imaginemur poni habitum facientem in corpore alium statum, & non aliam naturam, scilicet in quo statu sic præualet mixti actus, quòd omnino dominetur potentiis miscibilium, ita quòd nunquam intendi vel remitti possint, nec à causa interiori, nec exteriori: & tunc est mixtum inalterabile & impassibile: & hæc est impassibilitas corporis glorioſi. *Solutio.*

DICENDVM ergo ad primum, quòd dicit priuationem potentiæ dispositæ ad patiendum scilicet, non priuationem radicis quæ est tantum in hoc quòd elementa insunt quoad esse primum, quæ paterentur si forma faciens alium statum non impediret. Vnde patet, quòd nihil valent obiecta contra hoc.

AD ALIVD dicendum, quòd fortè non erunt receptibilia secundum sensum corpora. Sed quicquid sit de hoc, infra in quæstione de sensibus corporis glorioſi determinabitur. Sed quantum ad præsens pertinet, si concedantur receptibilia esse: tunc dicendum, quòd non recipiunt agens modo naturæ, sed agens per intentionem spiritualem ad modum animæ: & ex hoc nulla surgit passio læsiua. Et quid sit hoc dictu, infra cum de sensibus agetur, exponetur.

AD ALIVD dicendum, quòd vtroque modo dicitur impassibile, & differt ab illa quæ fuit Adæ in habitu faciente & in statu. Habitus enim faciens impassibilitatem in Adam fuit gratia innocentiæ, sed in glorioſis est gloria.

ſia. Et ſtatus Adæ fuit poſſe non pati: hic autem erit poſſe pati.

Ad aliud dicendum, quòd non ſequitur hoc niſi de his quæ agunt in tactum actione naturæ: ſed tunc qualitates tangentis non percipientur, niſi actione ſpirituali & animæ: & eſt potius perceptio intentionalis, quam corporalis, vt infra determinabitur.

Ad aliud dicendum, quòd iſta impaſſibilitas eſt naturæ, & tamen cauſatur ex merito voluntatis. Et nihil aliud probat illa obiectio & omnes obiectiones vſque in finem. Sed qualiter differat ab immortalitate Adæ, patet ex præhabitis. Qualiter etiam ſit vna & qualiter diuerſa, ad ipſa quæ diſputata ſunt ſuper ſecundum recurratur, vbi agitur de ſtatu Adæ ante peccatum.

ARTICVLVS XV.

An omnia corpora glorioſa ſint æqualiter impaſſibilia?

TErtio quæritur, Vtrum omnia corpora glorioſa ſint æqualiter impaſſibilia? Videtur autem, quòd æqualiter: quia priuationes non accipiunt intenſionem & remiſſionem: ſed impaſſibilitas dicitur à priuatione paſſibilitatis; ergo non recipit intenſionem & remiſſionem: ergo æqualiter eſt in omnibus glorioſis.

2 Item, Non poteſt eſſe amplior impaſſibilitas quam priuatio paſſionis ad interiora & exteriora læſiua: & hoc in omnibus eſt glorioſis: ergo omnes æqualiter ſunt impaſſibiles.

3 Item, Albius eſt nigro impermixtius: ſed ſi nullo modo ſit permixtum, tunc ſignificabit rem ſuam in termino, & impoſſibile eſt fieri intenſionem ſuper hoc. Similiter impaſſibile non videtur poſſe intendi vltra ſeparationem ab omni paſſione. Sic autem ſunt impaſſibilia omnia corpora glorioſa. Ergo videtur, quòd æqualiter ſint impaſſibilia.

4 Item 1. Corinth. 3. dicit Gloſſa, Æqualiter omnes habent, quòd pati non poſſint.

Sed contra. In contrarium eſt, quòd impaſſibilitas eſt præmium: ſed præmia non ſunt æqualia: ergo nec impaſſibilitas corporum ſanctorum ac glorioſorum.

2 Item, Eadem eſt ratio de vna dote & de alia: ſed aliæ inæqualiter habentur: ergo & iſta.

Solutio. Responsio. Dicendum, quòd inæqualiter habetur impaſſibilitas.

Ad primum ergo dicendum, quòd impaſſibilitas licet ſecundum nomen dicat priuationem, tamen fundatur ſuper habitum facientem illam impaſſibilitatem, ſicut in præcedenti problemate eſt dictum. Præterea in comparatione ad cauſam ſuam poteſt intendi, etiamſi in ſe eſſet priuatio.

Ad aliud dicendum, quòd licet plura non priuet in vno quam in alio, tamen fortius reſiſtens habitus priuat in vno quam in alio, & ſecundum hoc vnus impaſſibilior eſt quam alius.

Ad aliud dicendum, quòd æqualiter eſt in omnibus in permixta proportione patiendi: ſed tamen ex inæquali non reſiſtit, vt dictum eſt.

Ad aliud dicendum, quòd Gloſſa intelligitur quoad excluſionem facientium paſſionem: ſed tamen eſt inæqualitas ex reſiſtente, vt dictum eſt.

ARTICVLVS XVI.

An idem ſit vitio carere, deformitate, & corruptione?

QVarto quæritur, Quæ eſt differentia inter vitio carere, & deformitate, & corruptione? quia ita dicit Auguſt. lib. 22. de ciuit. Dei. cap. 20. Neſcio autem quomodo ſic afficimur amore martyrum beatorum, vt velimus in illo regno in eorum cordibus videre vulnerum cicatrices, quæ pro Chriſti nomine pertulerunt, & fortaſſe videbimus. Non enim deformitas in eis, ſed dignitas erit: & quædam quamuis in corpore, non corporis, ſed virtutis pulchritudo fulgebit: nec ideo tamen ſi aliqua martyribus amputata & ablata ſunt membra, ſine ipſis membris erunt in reſurrectione mortuorum, quibus dictum eſt, Capillus capitis veſtri non peribit.

2 Item, In corpore Chriſti cicatrices apparebunt, vt patet Ioan. 20. ergo & in corporibus aliorum martyrum.

Solutio. Responsio. Dicendum, quòd vitium dicit mutilationem quæ eſt in membri diminutione: deformitas autem dicit incongruentem proportionem membrorum adinuicem & coloris ad figuram: corruptio autem dicit potentiam paſſionis. Et hæc omnia ibi tollentur.

Ad obiectum autem dicendum, quòd cicatrices non apparebunt inquantum ſunt corruptiuæ continuitatis, ſed potius inquantum ſunt ſigna conſtantiſſimæ virtutis, qua paſſi ſunt pro iuſtitia & fide: & hoc colligitur ex verbis Auguſt. inductis.

Ad vltimum autem dicendum, quòd Chriſti vulnera non apparebunt, niſi in demonſtrationem reſurrectionis.

ARTICVLVS XVII.

An agilitas conueniat corporibus glorioſis?

DEinde quæritur gratia huius quod dicit *ibi* [Onere, difficultate: in quibus tanta facilitas, &c.] Quæritur de agilitate corporum glorioſorum, quæ eſt vna dotium beatorum. Et quæruntur ſex. Primum eſt, An agilitas conueniat corporibus glorioſis? Secundum eſt, Quid ſit agilitas ſiue virtus quæ ponitur dos? Tertium, A quo cauſatur virtus illius agilitatis? Quartum, Vtrum vno modo inſit ſanctis vel diuerſo? Quintum, An corpora glorioſa moueantur? Sextum, An moueantur in tempore, an in inſtanti?

Ad primum ſic proceditur: Omnis motus alicuius organi corporei contrarium habens

motum ad motorem, inducit lassitudinem & pœnam: talis est motus progressionis omnis hominis: ergo inducit lassitudinem & pœnam: ergo corpora glorioſa nunquam erunt ita agilia, quin ex motu grauentur & lassentur. Prima per se patet: quia causa prædicati est in subiecto. Secunda probatur ex hoc, quòd vt dicit Philosophus in 2. de generatione & corruptione, in omni corpore mixto terra dominatur: sed huius motus est ad centrum, & non ante, & retro, dextrorsum, & sinistrorsum, secundum appetitum voluntatis qui mouet in motu processiuo.

2 Item, Omnis motus à principio distare faciens, inductiuus est corruptionis: talis autem est omnis motus corporis elementati: ergo omnis motus talis corporis inducit corruptionem: sed corpora glorioſa erunt incorruptibilia: ergo non habebunt dispositionem ad huiusmodi motum: ergo non erunt agilia, quia agilitas dicit dispositionem.

3 Item, Omnis incorporatio naturæ intellectualis deprimit eam: sed post resurrectionem anima rationalis est incorporata: ergo deprimit animam ipsum corpus: ergo retardat: ergo impossibile est, vt corpus habeat dispositionem in qua consequatur velocitatem animæ: ergo non est agile, quia talis dos ab omnibus ponitur esse agilitas.

4 Item, Motus indeterminati termini voluntarius vel violentus, non est nisi per elementum quod etiam leue est in aliquo, sicut est aër, & aqua, sicut probatur in 4. de cælo & mundo. Ergo non potest esse talis motus in cælo: ergo frustra ad talem motum daretur agilitas.

5 Item, Omnis motus voluntarius & violentus in fine remittitur: constat autem, quòd remissionis illius est aliqua causa, & non nisi grauitas organi: ergo organum non est vnquam sufficienter agile: ergo nec agilitatem habebit pro dote.

6 Item, Si quis dicat, quòd non remittitur. Contra: Cui conuenit propria passio, illi conuenit subiectum: sed propria passio naturalis motus, est non remitti in fine: ergo ille motus corporis glorioſi est naturalis: ergo naturalis motus eiusdem corporis est ad diuersa loca, ante, & retro, dextrorsum, & sinistrorsum, & deorsum, & sursum, quod est absurdum & impossibile.

Sed contra. 1 IN CONTRARIVM huius est, quod dicitur Isa. 40. Current, & non laborabunt, &c.

2 Item in litera dicitur, quòd tanta est facilitas, quanta est felicitas. Felicitas autem illa est agilitas ad motum: ergo habebunt agilitatem: & hæc sunt verba non Magistri, sed Augustini in ench. cap. 91.

3 Item 1. Corinth. 15. Seminatur in infirmitate, resurget in virtute. Per virtutem autem, vt dicit ibi Glossa quædam, mobilitas intelligitur quæ vocatur agilitas.

4 Item, De ratione beatitudinis est ea quæ sunt de perfectione potestatis habere modo possessionis, id est, ad nutum: sed de perfectione potestatis mobilis in eo quod mouetur, est agilitas: ergo corpora glorioſa illam debent habere modo possessionis, id est, ad nutum.

RESPONSIO. Dicendum, quòd corpora erunt agibilia non tantum ad modum locale, sed in omnia opera quæcunque perpetrare voluerit appetitus qui mouet organa, sicut infra patebit. *Solutio.*

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd grauitas quæ esset in organo ad depressionem virtutis motiuæ si non esset glorificatum, est ex materialitate, & cum tunc omnino vincatur materia per gloriam resurrectionis, cessabit omnino illa grauitas, ita quòd nullum laborem inducet virtuti mouenti.

AD ALIVD dicendum, quòd motus qui mutat aliquid in subiecto, distare facit mobile à suis principiis: sed in quo subiectum vno modo manens, transit ad locum alium de alio, non est talis motus: & ideo perfectis & immortalibus corporibus conuenire potest motus localis, & talis est motus organorum in glorioſis corporibus ad nutum virtutis motiuæ, & ideo nunquam inducet lassitudinem & pœnam.

AD ALIVD dicendum, quòd corpus est cuius motus pertingit ad animam, ita quòd ex ipso accipit perfectionem cognitionis & operis, sicut est corpus animale, in quo perficitur anima scientiis & virtutibus: & de tali verum est, quòd deprimit animam in modo cogitandi & operandi: & hoc intenditur Sap. 9. vbi dicitur, Corpus quod corrumpitur, aggrauat animam. Est etiam corpus siue quod melius est, status corporis, in quo anima nihil accipit à corpore, sed potius omnis gloria corporis est redundantia quædam gloriæ & fulgoris animæ, & illud corpus in nullo deprimit animam, sed obedire aptum erit ad nutum, & illa aptitudo est agilitas eius.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc est verum de motu qui est propter indigentiam cibi vel alterius solatij, quod quæritur in diuersis locis à corpore graui animato: sed motus qui est in demonstratione gloriæ & beatitudinis congruentius est in cælo, quam in alio corpore vel elemento.

AD ALIVD dicendum, quòd ille motus est ad nutum, & ideo non remittitur, nisi prout nutus voluntatis dictauerit: sed obiectum tenet de motu in quo mobile tandem vincit super virtutem mouentem: & hoc nunquam esse potest in corpore, cuius mobilitas tota causatur à felicitate voluntatis: & hoc est quod dicitur in litera, quòd tanta est in eis facilitas quanta & felicitas.

AD ALIVD dicendum, quòd passio naturalis motus est intendi in fine ex victoria generantis super generatum: quantum enim datur generato de forma generantis, tantum etiam datur ei de motu generantis. Et quia per maiorem accessum vincit forma generantis priuationem rei generatæ, & confortatur forma generantis in generato, ideò plus habet de motu. Sed non sic est de motu organorum corporis glorioſi: quia ille est in principio & in fine intensus & remissus ad nutum virtutis mouentis, vt sibi sua agilitas sit possessio: quia secundum Philosophum nihil est

pars felicitatis & modo beatitudinis habitum, nisi hoc quod modo possessionis habetur ad nutum.

ARTICVLVS XVIII.

Quid sit dos agilitatis?

SEcundo quæritur, Quid sit dos ista quæ dicitur agilitas? Videtur enim, quòd non sit sic nominanda: quia 1. Corinth. 15. dicitur, Seminatur in infirmitate, surget in virtute. Dicit ibi Glossa, in infirmitate, id est, immobile, & surget in virtute, id est, mobile, viuum, & vegetarum, & potens, cui nihil noceat: ergo videtur, quòd ista dos dicenda sit virtus.

2 Item ex illa Glossa vlterius ostenditur, quòd eadem sit dos ista cum impassibilitate: quia vnus actus vnius est habitus: sed vnus actus est resistere, & ille est impassibilitatis & virtutis etiam: ergo virtus est impassibilitas.

3 Item quæritur, Quare Apostolus vocat hanc dotem virtutem potius, quam aliam? Videtur enim, quod virtuti potius assimilatur incorruptibilitas, quam agilitas: quia illa dicit robur naturæ, quod est virtus: ista autem non dicit huiusmodi robur: ergo potius illa, quam ista virtus vocatur.

4 Item, Virtus rem suam dicit in termino: quia, sicut dicitur in primo cæli & mundi, virtus est vltimum potentiæ in re: sed quod differenter habetur à diuersis, non potest haberi à quolibet in termino: ergo videtur, quòd illud quòd differenter habetur à diuersis, non possit dici virtus: sed agilitas differenter habetur à diuersis: ergo non potest dici virtus prout conuenit vnicuique, vt videtur.

5 Item, Cum agilitas dicat dispositionem siue potentiam naturalem ad motum localem processiuum tantum, & membra glorioso-rum corporum futura sint habilia ad omnes actus, quare potius ista dos nomen accipit à potentia naturali ad motum processiuum, quam ad aliud exercitium membrorum officialium?

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd hæc dos propriè vocatur agilitas sicut antiqui eam nominauerunt: & benè concedo, quòd agilitas hæc vocatur libera possessio & habilitas omnium membrorum similium & officialium ad omnem actum animæ exequendum, vt scilicet in omnibus corpus obediat motori, & in nullo retardetur.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd 2. Corinth. 5. ista dos non vocatur à sua essentia, sed potius à termino quem potest habere secundum statum perfectissimum humanæ naturæ: quia sic dicitur virtus hoc modo quo beatus Dionysius dicit, quòd virtutum est habere virilitatem in omnes secundum difformitatem operationes fortem & incommutabilem, & ad nullam indicatam diuinarum illuminationum imbecilliter se habere. Sic enim dicit perfectionem omnium organorum in omnem voluntatem Dei explendam secundum animæ imperium: & ab ista proprietate determinat Apostolus.

AD ALIVD dicendum, quòd differt ab impassibilitate: quia illa est potentia ad non patiendum, ista autem actiuæ potentiæ perfectio ad agendum. Et quod Glossa dicit, Cui nihil noceat, debet intelligi de nocumento retrahente potentiam ab operatione ex hoc quod organum non esset expeditum.

AD ALIVD dicendum, quòd nulla aliarum dicit vltimum statum potentiæ ad operandum quam ista, & ideò dicitur virtus. Impassibilitas autem non dicit vltimum ad opus, sed potius resistens læsiuis & nocentibus. Virtus autem præcipuè est vltimum potentiæ actiuæ, cuius vltimum in maximo determinatur, vt dicit Commentator ibidem, sicut Herculis virtus est in vincendo 30. si non plures vincere possit: sed potentiæ passiuæ vltimum determinatur in minimo.

AD ALIVD dicendum, quòd vltimum simpliciter non potest conuenire nisi vni soli: sed vltimum secundum statum conuenit omnibus statum illum sortientibus, & tale vltimum dicitur virtus, quando dicitur, quòd corpora resurgent in virtute.

AD ALIVD dicendum, quòd agilitas licet dicat expeditionem totius corporis ad operationes animæ explendas, tamen cognoscitur maximè in motu processiuo: & ideò dos ista denominatur à perfectione potentiæ naturalis ad motum illum.

ARTICVLVS XIX.

A quo causatur dos agilitatis?

TErtio quæritur, A quo causatur ista dos in corpore glorioso? Et obiicitur sic, Omnis potentia naturalis ad actum corporeum, causatur à membrorum dispositione: agilitas est huiusmodi potentia: ergo causatur à membrorum dispositione. Prima probatur ex hoc, quòd Deus subtilior est, quam natura, & natura ingeniatur quodlibet optimo & conuenientissimo modo quo esse potest. Secunda autem per se patet: quia agilitas præcipuè est in potentia naturali ad motum processiuum.

2 Item, Natura non eiusdem dispositionis instrumenta dat tardo & veloci: ergo videtur, quòd nec Deus. Videmus enim, quòd tardo dat instrumenta grossa & breuia, scilicet crura, sicut mulieribus: veloci autem dat longa subtilia: ergo videtur, quòd sic etiam Deus dat agilitatem.

3 Item, Sicut dicit Aristot. ambulatio nunquam est sine pedibus: ergo nec dispositio ambulationis sine dispositione pedum: ergo motus velocitatis accipitur in dispositione pedum, vt videtur.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est, quòd omnes sic erunt agiles: ergo omnes habebunt dispositionem corporis & crurum ad agilitatem, quod falsum est: quia qui modo habent naturaliter crura grossa, etiam tunc habebunt, quia forma membrorum naturalis etiam tunc manebit.

3 Item, Agilitas illa cauſabitur ex merito voluntatis: ergo potius manifeſtabitur in voluntatis diſpoſitione, quam naturæ corporalis.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd in voluntate & anima conſiſtit illa agilitas, & non in membrorum diſpoſitione.

AD PRIMAM autem partem dicendum, quòd eſt agilitas ad motum indigentiæ naturalis: & de iſta procedunt primæ argumentationes. Et eſt agilitas omnium membrorum ſimul in demonſtrationem gloriæ, & quod motor mobile poſſideat ad nutum: & hæc cauſatur ex diſpoſitione meriti voluntatis. Et per hoc patet ſolutio ad totum.

ARTICVLVS XX.

An agilitas vno modo ſit in omnibus ſanctis?

QVarto quæritur, Vtrum vno modo inſit omnibus ſanctis? Videtur, quòd ſic: quia vnicuique ineſt, quod eſt mobile corpus ad nutum eſſe motoris: & hoc eſt tota agilitas & tanta quanta eſſe poteſt in natura corporea: ergo videtur, quòd omnes ſancti æqualē cum omnibus habeant agilitatem.

2 Item, Si motus eorum localis attendatur, quilibet ſanctorum mouebitur imperceptibili tempore: hoc autem eſt minimum tempus quoad nos: ergo quilibet ſanctorum cum alio æqualiter eſt velox in motu: ergo ad motum habent agilitatem æqualem.

3 Item, Licet ſtella differat à ſtella in claritate, tamen lumen vnius æquè velociter venit à cælo ad centrum ſicut alterius: ſed hoc modo eſt reſurrectio, vt dicit Apoſtolus: ergo licet differant in claritate, tamen non differunt in agilitate.

4 Item, Mezallach in lib. de orbibus dicit, quòd omnis ſtella æquè velociter mouetur cum omni ſtella: ſed quod vna tardior alia videtur, hoc eſt ex quantitate ſui orbis: ſicut orbis ſolis habet ſe ad lunam in proportione multiplici duodecupla, & orbis martis ad orbem ſolis in ſexquialtera, & orbis iouis ad orbem ſolis in duodecupla, & ſaturni ad orbem iouis decupla ſexquialtera & ad orbem ſolis in tricenaria. Ergo videtur, quòd cum ſic ſit futura reſurrectio mortuorum, quòd omnes glorioſi æqualem cum aliis habent motum, licet differant in claritate.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius eſt, quòd corona menſæ Exod. 25. erat in terrafilis, & ſignificabat præmium beatorum: ergo cum agilitas ſit præmium vel pars præmij, eſt in terrafilis: ſed interrafilitas ſignificat quod inæqualiter habetur: ergo agilitas inæqualiter habebitur in ſanctis.

2 Item, Dotes animæ ſunt meliores & nobiliores dotibus corporis: ſed dotes animæ habebuntur inæqualiter: ergo & dotes omnes corporis: igitur & agilitas.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd inæqualiter erunt agiles ſicut vltimo eſt probatum.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd licet tempus imperceptibile ſit, tamen quia tempus diuiſibile eſt in infinitum ſecundum incrementum virtutis mouentis: quia velox, vt dicit Ariſtot. diuidit tempus, tardum autem magnitudinem: & ideò etiam in tempore imperceptibili vnus mouebitur velocius, quam alius ſi voluerit.

AD ALIVD dicendum, quòd quilibet habet quantum vult, in hoc quod non plus vult quam habet & quam Deus vult eum velle: tamen non habet tantum vnus, quantum alius. Et eſt ſimile quia ſint duo æqualiter iuſti, vterque habet quantum vult, quia non vult plus quam habet: ſed non tamen æqualiter habent, quia vnus poteſt eſſe ditior quam alter.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc non eſt ſimile: quia ille motus eſt illuminationis, & non illuminantium: & nos loquimur de motu ipſorum luminoſorum.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc ideò eſt, quia ſecundum naturam nullum corpus mouetur in proprio loco, ſicut idem Philoſophus dicit, quòd motus orbis eſt potius motus ſapientis, quam naturæ: ſi enim ſecundum naturam moueretur, impoſſibile eſſet, quòd motus illius naturæ non velocius moueretur, ſicut maior ignis velocius aſcendit quam minor. Cum ergo ſic ſtellæ moueantur iuſſu ſui motoris, ſiue ille Deus ſit, ſiue non, poſſunt habere motum æqualem, licet diuerſum ſpatium faciat diuerſas mobilium diſtantias. Sed in ſanctis tota vis motus erit ex quantitate ſanctitatis: & cum illa ſit differens, ſic erit differens agilitas. Tamen in verbo inducto Philoſophi dubium eſt, nec ab ipſo, nec ab alio eſt hoc verbum ſufficienter probatum.

ARTICVLVS XXI.

An corpora glorioſa mouebuntur?

QVinto quæritur, An glorioſa corpora mouebuntur? Videtur autem, quòd non: quia omnis motus fit propter indigentiam: ſed nulla eſt ibi indigentia: ergo nullus eſt ibi motus.

2 Item, Nullum locum inueniet in quo aliquid noui inueniat quod non habuit in alio: ſed vbi nulla poteſt eſſe renouatio, ibi nullus poteſt eſſe motus: ergo nullus motus poteſt eſſe in glorioſis corporibus.

3 Item, Ariſtot. in 7. ethic. dicit, quòd omnis motus eſt propter malitiam: nulla eſt ibi malitia: ergo nullus motus.

4 Item, Ariſtot. dicit, quòd bonitatem participare ſine motu, nobilius eſt quam cum motu: ſed optimum dandum eſt corporibus glorioſis: ergo videtur, quòd ſine motu participabunt beatitudinem gloriæ.

5 Item, Mobiliſſimorum cælorum quod eſt empyreum, ponitur non moueri propter ſtatum contemplationis qui in ipſo eſt, cui magis competit quies quam motus: ergo cum in ſe nobiliora & melius ad contemplationem ordinata ſint ſanctorū corpora, videtur quòd ipſis debeat dari immobilitas potius quam motus.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius eſt, quod dicitur

tur Sapient. 3. Fulgebunt iusti, & tanquam scintillæ in arundineto, &c. in quo, vt omnes fere dicunt, notatur agilitas motus sanctorum, qui erit ad velocitatem luminis: ergo mouebuntur tunc.

2 Item, Minus videtur, quòd purè spirituales creaturæ moueantur localiter, quam corporales: & illæ mouentur, sicut probatur per motum Angelorum: ergo & corporalis creatura mouetur: ergo sancti mouebuntur in patria.

3 Item, De perfectione rei mobilis est motus: constat autem, quòd omnis substantia animata habens vim motiuam, est mobilis: ergo de perfectione illius est motus: ergo cum omnes habeant perfectiones sancti in patria, videtur quòd sancti mouebuntur.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum videtur, quòd sancti mouebuntur quando volent, & quocunque volent, absque omni indigentia. Est enim motus duplex quantum ad finem motus: quidam enim est propter indigentiam subleuandam, & quidam ad motiuam potentiam demonstrandam, sicut cursores frequenter currunt vt ostendant habilitatem suam ad currendum, & absque omni indigentia: & ita mouebuntur sancti, vt laudetur sapientia diuina in tanta agilitate eis collata. Et per hoc patet solutio ad primum.

AD ALIVD dicendum, quòd ibi est renouatio situs ad minus: sed verum est, quòd nihil inuenitur de Deo in loco vno quantum ad participationem beatitudinis, quod non inueniatur in alio, licet plus refulgeat in vno quam in alio: sed motus fit in demonstrationem potentiæ motiuæ, vt laudetur sapientia creatoris sic ordinantis membra ad motum.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc intelligitur de motu naturali qui fit propter indigentiam.

AD ALIVD dicendum, quòd Philosophus loquitur de bono quòd contingit acquirere per motum: res enim quæ acquirit bonitatem per motum, non est perfecta, sed indigens. Corpora autem glorificata non acquirunt talem bonitatem per motum: sed quam iam habent, per motum demonstrant.

AD VLTIMVM dicendum, quòd hoc ideo est, quia motiuam virtutem non habent: sed si haberent virtutem motiuam & essent beati, oporteret quòd in actu & motu suo demonstrarent sapientiam conditoris.

ARTICVLVS XXII.

An motus corporum glorioſorum erit in tempore, vel in nunc?

SEXTO quæritur, Vtrum motus ille sit in tempore, vel in nunc? Videtur autem, quòd in nunc: quia demonstrat Iacobus Benalchindi in lib. de diuersitate aspectus lunæ, quòd omne cuius motus est æquè imperceptibiliter ad remotum & propinquum, mouetur in nunc: sed hoc modo, vt dicunt, est motus corporum glorioſorum: ergo est in nunc.

2 Item, Constat, quòd differens est agilitas in sanctis: ille autem qui minorem habet agilitatem, mouetur in tempore imperceptibili: ergo ille qui habet duplam, mouetur in tempore sub duplo: & ille qui habet quadruplam, in tempore sub quadruplo, & sic de aliis. Ergo contingit, quod tandem aliquis mouebitur in nunc.

3 Item, Velocior est agilitas glorioſi, quam alicuius corporis non beati: sed motus luminis non beati est in nunc, vt dicit Philosophus: ergo & corporis glorioſi.

IN CONTRARIVM huius est, quòd omne corpus quantum si mouetur, mouetur commensurando se spatio per quod transit secundum terminum à quo & ad quem, & accipit primum & vltimum in spatio: sed à primo & vltimo in spatio (vt dicit Philosophus) causatur prius & posterius in tempore: ergo mouetur in tempore compoſito ex priori & posteriori: ergo non potest moueri in nunc. Sed contra.

RESPONSIO. Dicendum; quòd mouetur in tempore imperceptibili. Solutio.

AD DVO vltima ergo dicendum, quòd talis processus non valet, nisi contingeret deuenire ad corpus quod infinitam haberet agilitatem: hoc enim moueretur in nũc secundum documenta quæ tradit Arist. ante finem 8. Physic. sed quia non contingit ad aliquod tale venire, ideo quodlibet quod est materiæ velocitatis, citius mouebitur: quodlibet tamen mouebitur in tempore, quia augmentum velocitatis est diuisibile in infinitum, ita tamen quod quodlibet mouetur in tempore.

AD ID quod obijcitur de auctoritate Iacobi Benalchindi, dicendum quòd ipse loquitur de illuminatione: hæc enim fit in nunc, vt vult Arist. & huius causam reddit Commentator: quia non est motus, sed finis motus: sicut & generatio secundum quod est mutatio tantum, & non motus. Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICVLVS XXIII.

An corpori glorioſo conueniat ſubtilitas?

DEinde quæritur de hoc quod dicit ibi [Propter quod & spiritualia dicta sunt, &c.] Quæritur de tertia dote, quæ est subtilitas, siue spiritualitas. Et quæruntur quatuor. Primum est, An corpori glorioſo conueniat subtilitas? Secundum, Vtrum idem sit eam spiritualitare, vel quid sit? Tertium, Quantum sit? Quartum, Vtrum æqualis sit in omnibus glorioſis?

Ad primum obijcitur sic. Grossum in natura non fit subtile, nisi per materiæ rarefactionem: corpus humanum de natura est grossum: ergo non fit subtile, nisi per materiæ rarefactionem: sed materia non rarefit, sicut supra probatum est: ergo corpus humanum in futura resurrectione non erit subtile.

2 Item, Subtile non inuenitur in corporibus, nisi dupliciter, scilicet à dispositione materiæ, aut bene commiscibile. Et à natura non potest dici corpus glorioſum subtile, quia non erunt corpora illa commiscibilia: ergo

fictione autem materiæ etiam non dicitur: quia hoc est tarum, & illa corpora tara non erunt, quia sic vltra propriam staturam & naturalem membrorum figuram extenderentur.

3 Item, Philosophus dicit, quòd subtile est partium repletiuum, & partis partium: hoc autem subtili non conuenit, nisi inquantum quærit terminum alienum: sed omne corpus quærens terminum alienum, malè tenet proprium: sed corpora gloriosa optimè tenent terminos suos, melius etiam quam naturalia: ergo corpora gloriosa non erunt subtilia.

4 Item, In vita beati Gregor. Papæ legitur, quòd ipse missus fuit apocrisarius ad confutandum patriarcham Constantinopolitanum, qui dogmatizauerat corpora nostra in resurrectione futura tenuia sicut venti: ergo hoc dicere est hæreticum: sed constat si sunt adeò subtilia, quòd spiritualia dicantur, quòd sint tenuia sicut venti & vapores: ergo dicere hoc modo tenuia fore corpora sanctorum, est hæresis.

5 Item, In lib. de crepusculis scribitur, quòd subtile corpus spirituale non potest esse actu fulgidum vel lucens: sed corpora sanctorum erunt fulgida & lucentia: ergo corpora sanctorum non erunt subtilia.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est, quod dicit Apostolus 1. Cotinth. 15. Seminatur corpus animale, surget corpus spirituale: sed omne corpus spirituale est subtile: ergo corpora sanctorum erunt subtilia.

2 Item, Phil. 3. Reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ: sed suum corpus adeò subtile fuit, quòd clausis ianuis intrauit: ergo & nostra ita subtilia erunt.

3 Item, Corpora gloriosa visui non subiacent, nisi miraculosè, vt communiter dicitur: hoc autem non potest habere causam, nisi subtilitatem: ergo adeò sunt subtilia sicut aer, vel plus.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd corpora gloriosa absque dubio erunt subtilia: sed hæc subtilitas alia est, quam subtilitas elementorum. Est enim duplex subtilitas, scilicet materiæ, & rarefactionis. Materiæ est, quando corpus componitur de partibus subtilibus nobilibus: sicut dicimus subtilem esse solem, & stellas & cætera corpora ætherea: & isto modo corpora gloriosa erunt subtilia. Secundo autem modo subtile est, quod rarefactum est vel subtiliter comminutum: & hoc modo non erunt subtilia. Et per hoc patet solutio ad primam partem obiectionum: quia omnes illæ concludunt de subtili per rarefactionem, vel per comminutionem dicto: & hoc modo bene conceditur, quòd subtilia non erunt.

Illæ autem obiectiones in contrarium [illegible] verum concludant, non tamen nisi primo modo: nec enim puto esse concedendum, quòd ianuis clausis corpora nostra ingredi possint: & hoc habuisse diuinum corpus inquantum diuinum est: & huius ratio supra est expedita. [illegible] secundum, quòd non ex hoc [illegible] inuisibilia, sed potius ideò, quia oculus [illegible] gloriosus secundum suam potestatem non [illegible] gloriosam, non potest in corpus glorioſum & beatum, nisi quantum permittit Deus.

ARTICVLVS XXIV.

An talis subtilitas sit eadem cum spiritualitate?

SEcundo quæritur, Vtrum idem sit quod spiritualitas, vel quid sit? Videtur enim, quòd non sint futura spiritualia: quia spirituale non est, quod nullam habet spiritus proprietatem: sed illa corpora nullam habebunt spiritus proprietatem: ergo non erunt spiritualia. Prima patet per se. Secunda probatur. Proprietas subtilitatis est non replere locum: & hoc non conuenit corporibus glorioſis: sicut nec aliæ proprietates spiritus.

2 Item, Si secundum Gloss. quæ est 1. Corinth. 15. ideò dicuntur spiritualia, quia cibis non egent: ergo etiam corpora damnatorum erunt spiritualia, quia non egent cibis, quod est inconueniens.

3 Item, Corpora puerorum in limbo etiam cibis non indigent: ergo secundum illam Gloss. essent spiritualia.

4 Item, Si secundum August. lib. 22. de ciuit. Dei. cap. 21. aliquis dicat, quòd ideo erunt spiritualia dicta, quia spiritui per omnia subiacentia. Contra: Hîc Sanctorum corpora obediunt spiritui: ergo habent dotem quæ dicitur spiritualitas, siue subtilitas. Probatio primæ. In Psalm. 69. Sitiuit in te anima mea, quam multipliciter, &c. Et 1. Corinth. 9. Castigo corpus meum, &c.

5 Item, In corporibus sanctorum manebunt partes heterogeniæ & homogeniæ: ergo manebunt ibi ossa: ossa autem, sicut dixit Empedocles, componuntur ex octo partibus, quarum quædam sunt vulcani, & aliæ terræ: ergo nunquam erunt spiritualia si remanent ossa: & ossa manebunt: ergo nunquam erunt spiritualia. Si autem dicatur secundum Aristot. & alios Philosophos, spirituale, vaporabile corpus. Contra: Tale corpus non est tentiuum figuræ: sed corpora glorioſa tenebunt suam figuram naturalem: ergo non sunt taliter subtilia vel spiritualia.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est quod dicitur Matth. 22. quòd in resurrectione homines erunt sicut Angeli Dei: ergo spirituales in corpore.

2 Item 1. Corinth. 15. Resurget corpus spirituale. Item ibidem dicit Glossa, quòd erunt spiritualia. Item August. lib. 22. de ciuit. Dei. cap. 21. dicit hoc: ergo ita est.

Solutio. RESPONSIO. Secundum Gloss. super epistolam 1. Corinth. 15. corpus dicitur spirituale, eò quòd cibis non egeat. Idem etiam secundum modum loquendi innuit Apostolus, eò quod spirituale opponitur animali: & animale est, quod cibis eget ad sui sustentationem. Huic autem addendum est quod dicit August. 22. de ciuit. Dei, scilicet quod spirituale est, quod regimini spiritus non contradicit: & hoc ex quadam habilitate corporis fit, quia stimulus libidinis est in eo extinctus, & forma

spirituali

ſpiritualitas inducta, quæ eſt ſubtilitas hoc modo dicta, prout in antecedenti problemate dictum eſt. Vnde ſiquis eam diffinire velit, puto quòd ſic conuenienter dici poteſt: Subtilitas eſt dos corporis habile faciens corpus vt moueatur à ſpiritu, ex omnimoda fomitis remotione, & groſſitie partium materiæ.

Ad primvm ergo dicendum, quòd ſpirituale hic dicitur ſecundum inductas auctoritates, non à proprietate ſpiritus, ſed quia perfectè à ſpiritu ad vſum poſſidetur nihil reluctans, ſed omnibus modis obediens.

Ad alivd dicendum, quòd non indigentia cibi in damnatis non cauſatur ex aliqua forma nobili, ſed potius ex iuſtitia diuina etiam inter pœnas continente corpora ſecundum ſe groſſa & ignobilia, ne pœna in eis finiatur. Vnde ſi exterius continens ceſſaret, ab intetiori continenti non ſuſtentarentur ſine cibis.

Ad alivd dicendum, quòd pueri hoc non habent ex dote, ſed ab interiori continente: quia aliter in eis deficeret pœna damni, quæ eſt carentia viſionis Dei ſecundum quod viſio eſt mercess beatorum.

Ad alivd dicendum, quòd boni in via non habent perfectam carnis ad ſpiritum obedientiam: quia caro tum ex fomite, tum ex debilitate remurmurat: ſed dos iſta dat ſpiritui corpus ad vſum, qui merito poſſeſſio nominatur.

Ad alivd dicendum, quòd ſine præiudicio bene concedo, quòd os ſemper groſſius erit quam caro: ſed tamen remotis diſpoſitionibus ignobilibus, quæ modo ſunt, ſicut eſt groſſities nimia partium, & indigeſtio, & non bene commiſceri, magis habebit naturæ ſubtilitatem: ſicut dicimus ſolem eſſe ſubtilis naturæ, & aurum eſſe ſubtilis naturæ, cum tamen magis ſit compactum quam aliquod metallum, eò quod ſubtiliores habet partes quam metallum, & ſubtilius ſit commixtum melius digeſtum. Et notandum, quòd directè contra dicta Sanctorum eſt, ſi dicatur ſubtile prout paruum corpus ſubtile vocatur & rarum: quia tale corpus in veritate non eſt organicum, nec animari poteſt anima rationali.

Ad vltimvm bene concedo, quòd ſic ſubtile non vocatur.

ARTICVLVS XXV.

Vnde cauſatur hæc ſubtilitas?

TErtio quæritur, Vnde cauſetur hæc ſubtilitas? Et hæc quæſtio eſt neceſſaria propter diuerſa opinantes de iſta dote. Videtur autem, quòd cauſetur per ablationem repletionis à materia: quia ſubtile eſt, vt dicunt, quod montem ſine montis diuiſione trãſibit: & conſtat, quòd tunc corpora glorioſa (vt dicunt) mouebuntur in cælo ſine cæli diuiſione: & hoc non poſſet eſſe, niſi eſſent adeò ſubtilia, quòd cum corpore quolibet poſſent eſſe in eodem loco: & hoc vlterius eſſe non poſſet, niſi tolleretur ab illis corporibus repletio: ergo videtur, quòd ſubtilitas iſta cauſetur ex ablatione repletionis.

2 Item, Omne ignobile tolletur ab elementis: ergo & ab homine, & multo plus: ſed ex ignobilitate habet replere: ergo repletio tolletur ab ipſo: ergo ex eius ablatione habet ſubtilitatem, vt videtur.

3 Item, Locus & locatum erunt proportionata: ſed locus corporum glorioſorum eſt cælum empyreum: & hoc eſt ſubtiliſſimum corporum, minimè (vt dicunt) replens locum: ergo ita etiam erit corpus glorioſum: ergo vt prius.

4 Item, Auicenn. dicit, quòd homo ideò accipit animam quæ particeps eſt luminis intelligentiæ, quia ex naturali commixtione maximè accedit ad cæli æqualitatem: ſed iſte acceſſus cum natura non poſſit eum perficere, à Deo in gloria debet perfici, quia tunc nihil imperfectum relinquetur: ergo tunc habebimus corpora cæleſtia: ergo vt prius.

5 Item hoc dicit Apoſtolus 1. Corinth. 15. Sunt corpora cæleſtia, ſunt corpora terreſtria: ſed alia quidem cæleſtium gloria, & alia terreſtrium gloria. Ergo cum cæleſtia ſint dicta ſpiritualia ſubtilia ex ablatione repletionis ab ipſis, videtur quòd ſic erunt ſpiritualia & ſubtilia etiam corpora Sanctorum.

6 Item, Hæc dos meritoriè acquiritur per ſpiritum nullum locum replentem: ergo videtur, quòd talis ſimilitudo ſpiritus in corpore relinquitur: ergo corpus tunc repletione loci carebit.

In contrarivm huius obiicitur ſic: Lucæ 24. dicitur, Palpate & videte: quia ſpiritus carnem & oſſa non habet ſicut me videtis habere. Sed corpus non habens replere locum, non reſiſtit tactui, quod probatur per hoc quod etiam replens tenue non reſiſtit tactui, ſed cedit, ſicut aer. Cum ergo corpora glorioſa futura ſint palpabilia, videtur quòd non cauſanda ſit futura eorum ſubtilitas ex hoc, quod tollatur ab eis repletio. *Sed contra.*

Solvtio. Ad hoc dico ſine præiudicio aliorum, quòd non poſſum aliquo modo intelligere, qualiter aliquod corpus ſit corpus, & non repleat locum: ſecundum enim rationem omnem & philoſophiam certus ſum, quòd abſurdum reputatur à Philoſophis, qui ex ipſa quantitate dant corpori replere locum, ſicut & oportet ſecundum rationem. Vnde videtur mihi, quòd licet à multis dictum hactenus ſit, & etiam à me quandoque, quòd ſubtilitas corporum glorioſorum tanta ſit, quòd non repleant locum, eò quod tollatur ab eis vis replendi locum: tamen falſum eſt. Et dicendum videtur, quòd repleant locum, ſicut ſupra eſt probatum, & ſpiritualitatem habent corpora potius ablatione fomitis & proprietatum ignobilium materiæ, quæ ſunt præcipuè tres cauſantes ſua ablatione & oppoſitorum poſitione ſubtilitatem in omni eo quod naturaliter eſt ſubtile, quarum vna eſt groſſities partium commixtarum, non obedientiam commixtioni & continuationi corporis. Alia eſt imperfectum agens ad digeſtionem & continuationem commiſcibilium. Et tertia eſt imperfecta commixtio & continuitas. Vnde *Solutio.*

corpora

corpora glorioſa partes habebunt ſubtiles à Deo ipſo commixtas & continuatas, & oprimè commixtas ad æqualitatem complexionis. His enim de cauſis aliquo modo poteſt intelligi poni corpus humanum ſubtile: quia ſic dicitur caro ſubtilis, aurum ſubtile, & alia corporalia animata, & inanimata quæ nobilia ſunt.

Ad primvm ergo dicendum, quòd argumentum innititur falſo, ſcilicet quòd vis replendi locum ſit groſſities materiæ. Et ratio huius ſupra patuit.

Ad alivd dicendum, quòd non eſt conditio ignobilitatis replere locum: ſed potius eſt conditio quantitatem conſequens illius corporis, quod continetur in alio corpore vt in loco.

Ad alivd dicendum, quòd cælum empyreum ideo non implet locum, non eſt in aliquo: ſed ſi contineretur, repleret locum: & ideo non habet hoc ex natura, ſed quia non ambitur alio corpore: & ideò non oportet, quòd ſuum locatum ei in hoc conformetur.

Ad alivd dicendum, quòd cælorum orbes inferiores implent locum, & ſuppoſitio falſa eſt, & contra Philoſophos, vt ſupra eſt oſtenſum. Per hoc patet etiam ſolutio ad ſequens.

Ad alivd dicendum, quòd meritoriè acquiritur corpori, non ita quod mutetur corpus in non corpus, & ſecundum ſuam naturam non poſſit eſſe humanum corpus: ſed ita quòd efficitur ſpirituale in ſequendo ſpiritum, ſicut mobile obediens per omnia ſuum ſequitur motorem, non retractum aliqua corporis grauitate.

ARTICVLVS XXVI.

An æqualis ſit hæc dos omnibus corporibus glorioſis?

Qvarto quæritur, Vtrum æqualis ſit hæc dos in omnibus glorioſis? Videtur, quòd ſic: omnibus enim perfectè caro ſubdetur, & nullum eorum cibis egebit: ergo videtur, quòd omnia corpora æqualiter erunt ſpiritualia.

2 Item, Defectus naturæ corrigitur à Deo in reſurrectione: ſed defectus quidam naturæ formalis eſt, quòd materiam non ſatis poteſt facere ſubtilem & ſpiritualem: ergo tunc corrigetur: ergo quod naturale eſt, omnibus æqualiter ineſt: ergo ſubtilitas omnibus inerit æqualiter.

3 Item, In oppoſito modo ſunt æquales, quia æqualiter ſunt corpora noſtra animalia: ergo & in ſpiritualitate corpora tunc erunt æqualia.

Sed contra. In contrarivm eſt, quòd in nulla alia dote ſunt æqualia corpora glorioſa: ergo nec in iſta,

2 Præterea, Dos hæc eſt pars præmij: ſed præmia omnia differenter & non æqualiter habentur à Sanctis: ergo & dos iſta.

Solutio. Responsio. Dicendum, quòd hæc dos ſicut & aliæ inæqualiter habentur, ſicut vltimò eſt probatum.

Dicendvm ergo ad primum, quòd licet in omnibus poſſet dos iſta perficere ad actus prædictos, non tamen illi actus ex æquali progrediuntur habitu: & ideo actus in bonitate & virtute non ſunt æquales.

Ad alivd dicendum, quòd non eſt defectus naturæ, ſed natura quædam quæ propter meritum exaltabitur, ſicut & in aliis natura exaltatur: animæ enim humanæ non eſt nimis ſubtile habere corpus.

Ad alivd dicendum, quòd etiam in oppoſito non ſunt æquales: quia vnus eſt animalior, quam alius, ſi animalitas ad actum animalitatis comparetur. Vel poſſet dici, quòd animalitas in homine potius eſt priuatio & defectus, quam habitus: & tunc non ſequitur, ſi aliquid ſunt æquales in priuatione, quòd etiam ſint æquales in habitu: qui enim æquales ſunt in cæcitate, non oportet æquales eſſe in viſu, ſi viſum contingat recipere.

ARTICVLVS XXVII.

An luminoſitas poſsit conuenire corpori humano?

Deinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Sanctorum quoque corpora ſine omni vitio fulgida ſicut ſol, reſurgent, &c.] De luminoſitate enim quæ eſt quarta dos, quæruntur hîc quinque, ſcilicet an luminoſitas poſſit conuenire corpori humano, & quid ſit illa illuminoſitas, & quanta ſit, & vnde cauſetur, & vtrum æqualiter vel inæqualiter eis conueniat?

Ad primum ſic obiicitur: Nullum corpus in quo natura opaca dominatur, poteſt fieri excedens in lumine: corpus hominis eſt huiuſmodi: ergo nequaquam poteſt fieri excedens in lumine. Prima probatur: quia lumen impeditur ex natura opacitatis. Secunda ſcribitur in ſecundo de generatione & corruptione, vbi dicitur, quòd in omni corpore complexionato commixto dominatur terra.

2 Item, Inter corpus luminoſum & opacum, eſt duplex medium, ſcilicet vicinius luminoſo, & hoc eſt diaphanum, quod ſecundum Ariſtot. lumine in ſuperficie & in profundo coloratur: & eſt vicinius opaco, quod eſt coloratum colore albo, & nigro, & mediis coloribus. Conſtat autem, quòd corpus hominis in natura materiæ plus accedit ad opacum. Ergo nunquam poteſt eſſe luminoſum, ſed ſemper remanebit coloratum. Ergo non eſt eius dos luminoſitas, vt videtur.

3 Item, Auicen. dicit in 6. de naturalibus, quòd omne corpus lùminoſum conſtat ex partibus peruiis tantum: corpus autem hominis nunquam conſtabit ex partibus peruiis tantum: ergo nunquam erit perfectè luminoſum.

4 Item, Sicut dicit Apoſtolus 1. Cor. 15. reſurrectio eorum erit ſicut diſpoſitio ſtellarum: ſed ſecundum probabiliorem opinionem, quæ eſt Ariſtot. Auicen. Ptolemæi, & Commentatoris ſui, & Mezeallach, corpora ſtellarum non ſecundum ſe ſunt luminoſa,

ſed

sed colorata? ergo nec corpora sanctorum resurgentium: ergo nunquam habebunt dotem quæ est luminositas.

5 Item, Diuersorum corporum genere & natura, diuersæ sunt proprietates: sed corpora cælestia & humana sunt genere & natura diuersa corpora: ergo diuersæ erunt eorum proprietates: ergo cum cælestia sint luminosa, impossibile est humana fore luminosa. Prima patet per se. Secunda probatur ex hoc quod dicit Aristot. in 10. primæ philosophiæ, quòd cælestia & terrestria non sunt in eodem genere proximo.

6 Item, Corpus vnius qualitatis & proprietatis in superficie, est homogenium: sed corpus humanum nunquam est homogenium: ergo nunquam est in toto luminosum.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est, quod dicitur Matth. 17. super id, Facies eius resplenduit sicut sol: vbi Glossa sic dicit. Non substantiam carnis amisit, sed gloriam futuræ resurrectionis ostendit. Ergo Sancti tunc sicut sol lucebunt. Item Iudic. 5. Qui timent te, sicut sol in ortu suo, ita rutilant. Item Matth. 13. Tunc iusti sicut sol fulgebunt in regno patris eorum. Item Sapient. 3. Fulgebunt iusti, & tanquam scintillæ in arundineto discurrent. Item 1. Corinth. 15. Alia cælestium gloria, alia terrestrium gloria, &c.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd Sanctorum corpora erunt luminosa.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd opacitas à terrestri natura tolletur per meritum quod claret in voluntate: & tunc natura terrestris erit splendore plena.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc tenet in distantia corporum, quam potest facere natura: sed meritum est amplioris potentiæ, quam natura: & ideo de opaco remota opacitate facit superexcedens in lumine, & vltra hoc quod de natura sua est luminosum, & nullum habet meritum.

AD ALIVD dicendum, quòd Auicen. loquitur de corpore quod de natura partium componentium habet luminositatem, & non de illo cui miraculosè datur per meritum.

AD ALIVD dicendum, quòd stellæ in veritate meo iudicio naturaliter coloratæ sunt, sed receptiuæ sunt luminis à sole: & Apostolus non loquitur de dispositione quam habent naturaliter, sed potius de illa quam habent à sole: quia in illa similia erunt eis corpora beatorum, licet excedant in lumine.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc verum est si ab eadem causa insit proprietas: sed nihil prohibet diuersorum corporum genere & etiam natura, vnam esse proprietatem, vnius naturaliter, & alterius per meritum.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc intelligitur de corpore cuius accidentia de sua manant substantia sicut subiecto & causa: sed ita non est in lumine corporum glorioforum, sed potius splendor dabitur eis à Deo.

* * *

ARTICVLVS XXVIII.

Quid sit luminositas in corporibus humanis, & an interiora membra lucebunt?

SEcundo quæritur, Quid sit illa luminositas? In corporibus enim inferioribus luminositas est forma luminis immutans peruium in superficie & profundo, & terminatum in profundo tantum: sed non talis videtur luminositas in corpore glorioso, quia sic corpus gloriosum videretur sicut luminosum: & hoc non est verum: ergo videtur, quòd non est luminosum lumine corporali corpus gloriosum.

2 Item, Omne corpus luminosum facit actu videre se, & alia corpora circumiacentia: corpus gloriosum non ita facit: non ergo est luminosum lumine corporali. Si forte dicis, quòd luminosa & nobilissima visui non subiacent, sicut dicit Alpetragius: sicut primum nobile secundum naturales, & cælum empyreum secundum Theologos: & ita est de beatis corporibus. Contra: Causa huius, quòd alicuius luminosi lumen visui non subiacet, sicut in lib. de crepusculis redditur, est quòd huiusmodi luminosum est peruium & rarum: sed talia non erunt corpora gloriosa, vt supra patuit ex præhabitis: ergo hoc non impedit, quin debeant videri.

3 Item vlterius videtur, quòd non vniuersaliter lumine corporali futura sint luminosa: quia proportio membrorum ad lumen non est vna, quia vnum est magis terrestre, vt os, & vnguis, & ad minus vt caro: ergo non æqualiter erunt luminosa, sed secundum terrestre minus, & secundum aëreum plus.

4 Item, Elementa extra corpus humanum non æqualiter fulgebunt in lumine: ergo nec intra æqualiter fulgebunt ipsa membra in quibus plus vel minus dominantur elementa opaca vel peruia.

5 Item, De pulchritudine corporis organici est, quòd vna pars vmbrosior sit alia: sed quicquid est de pulchritudine, non subtrahitur in resurrectione: ergo & ibi vna pars plus quam alia lucebit.

Quæstiuncula. VLTERIVS hic quæratur, Vtrum interiora membra lucebunt, vt cor, & hepar, vel non? Si sic. Contra: Omne actu lucidum, sicut visus probat in sole, stellis, & flamma ignis, & Philosophus dicit, regit corpora post se existentia: sed exterior superficies corporum glorioforum lucebit actu: ergo teget interiora: ergo luminositas eorum erit inutilis.

Si autem non lucebunt: tunc non lucebit corpus vniuersaliter in omnibus membris. Præterea hoc est inconueniens: quia interiora principaliora debent esse in præmio, sicut principaliora sunt in merendo: ergo magis debent lucere, quam exteriora.

7 Item, Secundum naturam spiritus animales debent esse lucidi, & sanguis rubeus, & venæ albæ, & sic de aliis: ergo non debent se æqualiter habere in lumine.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd lumen illud

illud est corporea forma, à qua corpora gloriosa erunt luminosa.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd Sanctorum corpora in potestate habebunt lumen suum continendi & emittendi quando voluerint, sicut in potestate habent videri & & non videri à non glorioso: à glorioso autem videntur semper. Et hoc quidem dixerunt ante me quidam antiqui, & bene vt puto: quia secundum hoc dictum pauciora inconuenientia videntur sequi. Habent autem hoc in potestate propter hoc quod causatum est à merito voluntatis: & ideo cum volunt, videntur, & cum nolunt, non videntur, & immutant corpora cum volunt, & cum nolunt non immutant, siue in profundo, siue in superficie tantum.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc verum est cuius lumen agit secundum naturæ necessitatem: & hoc non est verum de corpore glorioso, sicut mihi videtur. Ad aliud dicendum, quòd benè concedo, quòd illa solutio ad minus non concordat philosophiæ, licet quidam diligentes figmenta, quandoque eam dederint.

AD ALIVD dicendum, quòd benè puto concedendum esse, quod æqualiter fulgebunt in omnibus membris propter proportionem seruandam: & plus non potest haberi vi argumenti.

AD ALIVD dicendum sicut ad antecedens immediatum.

AD ALIVD dicendum, quòd nullum membrorum erit vmbrosum, nec modo vmbram quærit membrorum, nisi propter sui actus inhonestatem: & hæc inhonestas tunc non est.

Ad quæstiunculam.

AD ID quod vlterius quæritur, sine præiudicio dicendum videtur, quòd differentem lucem habebunt interiora: erit enim sanguis sicut politum aurum rubeum, & spiritus lucidi modo luminis, & netui modo politi argenti, & corpus exterius peruium sicut porosum, & non sicut diaphanum: esse enim peruium sicut porosum non opponitur luminoso. Et per hoc patet solutio ad omnia quæsita.

ARTICVLVS XXIX.

Quanta sit luminositas glorioſorum corporum?

TErtio quæritur, Quanta sit luminositas ista? Videtur autem, quòd sicut solis: quia ita dicitur Matth. 13. Fulgebunt iusti sicut sol, &c. Item Apoc. 12. Mulier amicta sole, &c. ergo erit sicut lux solis, & lunæ, & stellarum. Item sicut scintillæ videtur esse lux illa, sicut dicitur Sapient. 13. Item videtur hoc velle Apostolus 1. Corinth. 15. Alia claritas solis, &c.

Sed contra.

IN CONTRARIVM huius est, quod dicitur Isa. 30. Et erit lux lunæ sicut lux solis, & lux solis erit septempliciter sicut lux septem dierum. Ergo videtur, cum homo melior futurus sit, quòd lux hominis excedet lucem solis plus illuminari quam modo.

Solutio.

RESPONSIO. Dicendum, quòd in veritate communiter tenetur, quòd sol redibit ad lucem 7. dierum primorum, quando magis luxit quam modo, antequam Adam peccasset, & propter mundi innouationem septempliciter adhuc excedet, & luna plena stabit: & tunc homo qui impedimentum peccati non habebit, adhuc septempliciter solem excedet in lumine: quid tamen de hoc sit verum, puto neminem diligenter scire, nisi qui tunc merebitur videre quod continget.

AD EA tamen quæ primo inducuntur, didum quòd Glossa Matth. 17. super id, Et resplenduit facies eius sicut sol: non comparat soli, ideo quod non sit futura maior gloria resurrectionis, & similiter stellis & lunæ: sed quia non habuit maiora nota hominibus, quibus comparet. Et per hoc patet solutio ad totum, præter id quod de sapientia est dictum: ad quod puto dicendum, quòd scintillis comparat propter feruorem charitatis eleuantis Sanctos sicut ignis eleuat scintillas. Et ferè eodem modo exponit Gregor. illud Ezech. 1. Scintillæ quasi aspectus æris candentis.

ARTICVLVS XXX.

Vnde causetur illa luminoſitas in corporibus glorioſis?

QVarto quæritur, Vnde causetur? Videtur enim Philosophus dicere in secundo de anima. cap. de visu, quòd omne luminosum siue lucidum habet lucidum esse ex conuenientia cum perpetuo superius corpore: ergo & corpora gloriosa videntur ita lucem habitura: sed constat elementarum complexionatum & compositum ex heterogeniis non posse conuenire cum superius perpetuo corpore, quod est quintum ab elementis, & simplex, & homogenium: ergo videtur, quòd non ex hoc lucem accipient corpora nostra.

2 Item, Nos videmus, quòd inter elementa quædam lucem accipiunt propter partes ignis, quæ sunt in ipsis, sicut noctilucula, & squamæ & spinæ quorundam piscium, & etiam ipsa flamma ignis: & iterum videtur, quòd hoc non potest esse causa lucis in homine, quia in homine sic non abundat ignis.

3 Item, Sicut dicit Auicen. ex partibus diaphani congregantis secundum bonam commixtionem causatur aliquid lucens, sicut apparet in crystallo, berillo, adamante, rubino, & quibusdam aliis: & iterum constat, quòd homo non congregatur ex huiusmodi partibus: ergo nec ista est in eo causa lucendi.

4 Item, Nos videmus in natura inferiori, quòd quantò maior est distantia corporum à centro, tantò plus habent diaphaneitatis & luminis: constat autem, quòd corpus humanum nunquam absoluetur ab eis quæ sunt circa centrum: ergo nullam vnquam in se habebit causam luminis.

5 Item in lib. qui de sententiis Græcorum in cælo & mundo, sedecim capitulis distinguitur, videtur dici, quòd sol maioris sui luminis quam aliæ stellæ habeat quatuor causas, scilicet puritatem partium, magnitudinem corporis,

poris, donstantiam siue compressionem partium in continuitate, & nobilitate: constat autem, quod quatuor has causas nunquam habebit homo: ergo nunqum habebit causam lucendi septempliciter super solem.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est, quod iusti fulgebunt sicut sol, &c. Ergo iustitia est causa luminis.

2 Item, Apoc. 21. dicitur, quòd Deus lux eius est, & lucerna eius est Agnus. Ergo ille splendor est diuinus causatus à Deo. Isa. etiam 60. dicitur, Super te orietur Dominus, & gloria eius in te videbitur. Ex quo accipitur idem quod prius.

Solutio. RESPONSIO. Ferè omnes subtiliores antiquitus de ista quæstione consueuerunt dicere, quòd homo constat ex quatuor elementis, & quinto corpore quod est cælum: & in resurrectione quatuor elementa non erunt in ipso in actu suarum qualitatum actiuarum & passiuarum, sed tantum in actu quinti corporis qui est lucere: & tamen dicunt nobis prouenturam esse lucem in resurrectione. Sed quia hoc absurdum est tam in mathematicis, quam etiam in naturalibus, quòd corpus quintum alicui misceatur complexionato per substantiam, sed tantum per virtutem: ideo videtur aliter dicendum, scilicet quòd tota lux illa causabitur à merito voluntatis, & ideo etiam voluntati subditur: sunt enim dotes corporum causatæ à dotibus animarum: & lux diuinæ cognitionis in anima, in corpore causat claritatem, in qua videbitur etiam affectu mentis, sicut modo in vitro cognoscitur color vini, sicut dicit Gregor. super illud Iob 28. Non adæquabitur ei aurum vel vitrum. Quid tamen de hoc verum sit, infra inquiretur.

DICENDVM ergo ad primum, quòd per immutationem gloriæ qua immutabuntur corpora glorioſa, accipient conuenientiam cum corpore perpetuo superius, non tamen ita, quòd mutentur in stellas vel in cælum, sed quod dispositiones ignobiles detrahentur ab ipsis quæ sunt ex inferioribus elementi, & superiorum dispositiones quantum possibile est est salua natura assument.

AD ALIVD dicendum, quòd Dominus tunc intercidet flammam ignis, sicut dicit Basilius, & separabit fulgidum lucens à calido vrente: & quantum ad tale fulgidum, nihil prohibet in homine tunc magis manifestari partes ignis.

AD ALIVD dicendum, quòd corpora humana non erunt vnquam meo iudicio perspicua: quia sic oporteret, quòd destrueretur in eis compositio ex elementis aliis. Sed erunt splendentia sicut porosa clara refulgent, in quibus exterius sua interiora patent: & ideo non est in eis talis causa lucendi.

AD ALIVD dicendum, quòd in nobilitate & luminis calcatione conuenient cum sole, sed in aliis non.

AD ALIVD dicendum, quòd in nobilitate conueniunt cum superioribus, licet non in natura materiæ.

ARTICVLVS XXXI.

An corpora glorioſa erunt æqualiter lucida?

QVinto quæritur, Vtrum æqualiter erunt lucida? Videtur, quòd sic: quia quæcũque reformantur ad vnum per similitudinẽ, æqualiter reformantur, nisi impediat natura reformatorum: sed omnia corpora glorioſa reformantur ad vnum, scilicet corpus Christi, vt dicitur Phil. 3. Reformabit corpus humilitatis nostræ, configuratum corpori claritatis suæ: & natura reformatorum non impedit, quia omnia sunt eiusdem naturæ: ergo videtur, quòd æqualia erunt in lumine.

2 Item, Hoc lumen sequitur naturam corporis humani: sed hæc natura conuenit Sanctis æqualiter: ergo sequela lucis est in eis æqualis.

3 Item, Meritum Sanctorum est in anima: ergo & differentia meriti: igitur & in præmio debent differre in anima tantum: sed lumen istud est in corpore: ergo in lumine non debent habere differentiam.

4 Item, In oppoſito est æqualitas, quia damnati æqualiter habebunt corpora opaca: ergo & in proposito, scilicet lumine Sanctorum debet esse æqualitas.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est, quod dicitur 1. Corinth. 15. Alia claritas solis, alia claritas stellæ. Stella autem differt à stella in claritate. Sic erit resurrectio mortuorum. Ergo erit ibi differens claritas.

2 Item, Glossa ibidem sic dicit, Denario vtique id significatur, quem omnes communiter habebunt, sicut est ipsa vita æterna, ipsum regnum cælorum, ipsa claritas resurrectionis: & tamen alius alio magis, alius autem minus fulgebit.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd Sancti differentem accipient claritatem secundum differens meritum voluntatis.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd ad idem reformantur inæqualiter, sed similiter non impediente natura æqualitatem reformationis; sed impediente merito voluntatis.

AD ALIVD dicendum, quòd sequitur naturam corporis humani sicut subiectum, sed meritum voluntatis sicut causam.

AD ALIVD dicendum, quòd meritum differens facit effectum differentem tam in anima, quam in corpore.

AD ALIVD dicendum, quòd dubium est, vtrum damnati differant in opacitate vel conueniant: sed magis credo, quòd differant secundum plus & minus. Si tamen conueniunt, tunc non sequitur argumentum: quia Deus pronior est ad miserendum, quam ad puniendum: & ideo abundanti merito confert etiam in corpore lucem abundantiorem, licet maiori iniquitati non infligat caliginem ampliorem.

***

ARTICVLVS XXXII.

An conuenienter in corporibus glorioſis ſint quatuor dotes?

POſt omnia prædicta præter literam neceſſe eſt quærere de numero harum quatuor dotium. Videtur autem, quòd non ſit niſi vna: quia tantum vna dos confertur ſponſæ: cum igitur transferentes ſe ſecundum aliquam ſimilitudinem ſe transferant, videtur etiam, quòd in ſpiritualibus debeat poni dos vna tantum.

2 Item videtur, quòd duæ tantum: quia duo ſunt quæ dotari poſſunt, ſcilicet corpus, & anima: ergo & duæ dotes.

3 Item videtur, quòd tres per appropriata trium perſonarum.

4 Vlterius videtur, quòd plures, quam quatuor: quia ita dicit Anſelmus in proſologio ante finem: Quid amas caro mea, quid deſideras anima mea? Ibi eſt, ibi eſt quicquid amatis, quicquid deſideratis. Si delectat pulchritudo, Mat. 13. fulgebunt iuſti ſicut ſol. Si velocitas, aut fortitudo, aut libertas corporis, cui nihil obſiſtere poſſit, 1. Cor. 15. erunt ſimiles Angelis Dei: quia ſeminatur corpus animale, & ſurget ſpirituale, poteſtate vtique non natura. Si longa & ſalubris vita, ibi ſana æternitas, & æterna ſanitas: quia iuſti in perpetuum viuent, & ſalus iuſtorum à Domino. Si ſatietas, ſatiabuntur cum apparuerit gloria Dei. Si ebrietas, inebriabuntur ab vbertate domus Dei. Si melodia, ibi Angelorum chori concinunt ſine fine Deo. Si quælibet non immunda, ſed munda voluptas, torrẽte voluptatis tuæ potabis eos Deus. Si ſapiẽtia, ipſa Dei ſapientia oſtendet eis ſeipſam. Si amicitia, diligent Deum plus quam ſeipſos, & inuicem tanquam ſeipſos, & Deus plus illos quam illi ſeipſos: quia illi illum, & ſe, & inuicem per illum, & ille ſe, & illos per ſeipſum. Si concordia, omnibus illis erit vna voluntas: quia nulla illis erit niſi ſola Dei voluntas. Si poteſtas, omnipotentes erunt ſuæ voluntatis vt Deus ſuæ: nam ſicut poterit Deus quod volet per ſeipſum, ita illi poterunt quod volent per illum: quia ſicut illi non aliud volent quam quod ille, ita ille volet quicquid volent illi: & Luc. 13. quod ille volet, non poterit non eſſe. Si honor Rom. 8. & diuitiæ, Deus ſuos ſeruos bonos & fideles ſupra multa conſtituet: imo filij Dei & dij vocabuntur & erunt: & vbi erit filius eius, ibi erunt & illi, hæredes quidem Dei, cohæredes autem Chriſti. Si vera ſecuritas, certe ita certi erunt nunquam & nullatenus iſta vel potius iſtud bonum ſibi defuturum, ſicut certi erunt ſe non ſua ſponte illud amiſſuros, nec dilecto Deum illud inuitis dilectoribus ablaturum, nec aliquid Deo potentius inuitos Deum & illos ſeparaturum. Gaudium vero quale aut quantum eſt, vbi tale aut tantum bonum eſt. Ex hoc patet quod plurima ſunt quæ ſponſa tam in corpore quam in anima æternitate percipiet: ergo non ſunt tantum quatuor dotes corporis.

RESPONSIO. dicendum, quòd non ſunt niſi quatuor dotes corporis, & videtur aſſignari poſſe ab intendentibus numerus ipſarum. Sed ſufficiat acceptio duplex: aut enim accipitur dos corporis ex parte formæ, aut ex parte materiæ, aut ex parte coniuncti, aut ex parte eius quod ſequitur coniunctum ex forma & materia, quod eſt potentia naturalis. Et primo quidem modo ſumitur luminoſitas. Secundo autem modo ſubtilitas, quæ conſiſtit in ſubtiliatione partium materiæ. Et tertio modo impaſſibilitas. Quarto autem modo agilitas. Poſſunt iterum aſſignari & melius penes motum in Deum: & tunc aut eſt dos inclinans ad motum, aut dicens terminum motus, aut motum ipſum. Et primo modo eſt ſubtilitas. Secundo autem modo dupliciter poteſt ſumi, ſcilicet terminus in coniuncto, & terminus in forma. Et primo modo eſt impaſſibilitas accepta ad ſimilitudinem Dei per immutationem qua Sancti immutabuntur ad gloriam: & ſecundum hoc eſt claritas: ſed penes motum ipſum eſt agilitas. *Solutio.*

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd non probatur per hoc argumentum, niſi quòd vna dos eſt in communi: ſed tamen in ſpeciali multa dantur pro dote.

AD ALIVD dicendum, quòd per hoc probatur, quòd homo ſecundum duo dotatur: ſed non ſequitur, quòd dos ſua ſit in duobus tantum.

AD ALIVD dicendum, quòd quartum requiritur quod eſt eſſe conſequens, ſcilicet propria paſſio: quia aliter non eſſet plena perfectio: & tunc erunt quatuor dotes, ſicut patuit in prima aſſignatione.

AD ALIVD dicendum, quòd Anſelm. potius enumerat materias gaudiorum in regno, quam dotes: quia hoc dicitur dos, niſi quod datur ſponſæ ad perficiendam coniunctio nem ſuam cum ſponſo, vt patuit in ſecunda aſſignatione numeri dotium.

Si mali tunc habeant quas hîc habuerunt deformitates.

DE reprobis autem quæri ſolet, An cum deformitatibus hîc habitis reſurgant? Hoc autem Auguſtinus non aſſerit, ſed dubium reliquit, ita inquiens, Quicunque ab illa perditionis maſſa quæ per Adam facta eſt, non liberantur per Chriſtum, reſurgent quidem etiam ipſi, vnuſquiſque cum ſua carne: Matth. 5. ſed vt cum diabolo eiuſque Angelis puniantur. Vtrum verò ipſi cum vitiis & deformitatibus ſuorum corporum reſurgant, quæcunque in eis geſtarunt, In ench. c. 92.

gestarunt, inquirendo laborare quid opus est? Non enim fatigare nos debet incerta eorum habitudo vel pulchritudo, quorum erit certa & sempiterna damnatio. Ecce non diffinit, an tunc habeant deformitates quas hic habuerunt reproborum corpora.

ARTICVLVS XXXIII.

An in damnatis maneant defectus naturales?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [De reprobis autem quæri solet, &c.] Videtur enim, quòd maneant in eis defectus naturales sic: Corpus compositum ex contrariis à talis corruptionibus non continet, nisi gratia: sed gratiam nunquam habebunt: ergo talibus defectibus subiacebunt.

2 Item, Nullum bonum meruerunt damnati: sed iniustè datur, quod præter meritum datur: ergo nullum bonum datur eis: sed vnum de præcipuis bonis, est incorruptio: ergo illa non datur eis: ergo erunt in corporibus corruptibiles ex complexionis corruptione: & ita vt prius.

3 Item, Quod ex peccato est inductum, non debet minui per peccatum: sed corruptiones huiusmodi inductæ sunt ex peccato: ergo cum multa peccata sint addita originali peccato in damnatis, non debet in eis minui huiusmodi corruptio humorum, quæ inducit corporales infirmitates & deformitates.

4 Item hoc videtur Isa. 14. Subtus te sternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes. Et ibidem, Sicut sanie pollutus & obuolutus.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est, quòd omne corpus habens huiusmodi corruptiones, tandem destruetur: sed corpora damnatorum nunquam destruentur: ergo non subiacent huiusmodi corruptionibus.

2 Item, Tales corruptiones sunt à defectu naturæ: omnem enim defectum naturæ author naturæ corriget: ergo & illum: ergo non permittet eum in damnatis.

3 Item, Apostolus 1. Corinth. 15. dicit, quòd omnes mortui resurgent incorrupti, sed soli electi immutabuntur, vt supra habitum est: ergo nulla corruptio est in damnatis.

Solutio. QVOD EST concedendum, quòd damnati nullam habebunt ex vitio complexionis corruptionem febrilem, nec ex vitio compositionis corporis membrorum defectum.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd iustitia Dei in pœnis continet eorum corpora: vnde quod obiicitur, verum est de bonis, vel obiectio fundatur super falsum.

AD ALIVD dicendum, quòd licet nullum bonum meruerunt: tamen esse, viuere, & sentire, & ratiocinari habent, quæ sunt bona: & ita habent incorruptam substantiæ permanentiam, quæ bona est: sed ad augmentum suæ pœnæ est: & ideo licet sit bonum, non tamen datur eis ad bonum, nisi hoc modo quo bonum iustitiæ est bonum simpliciter, licet malum pœnale sit latroni.

AD ALIVD dicendum, quòd non diminuitur in præmium peccati, sed in pœnam, & hoc iustitiæ congruit: sed quòd diminueretur vt est præmium quoddam, esset inconsonum iustitiæ.

AD ALIVD dicendum, quòd Isaias loquitur de pœna temporali Nabuchodonosor, qui in confusionem suam de sepulchro eiectus fuit, & vermibus datus ad deuorandum: sed secundum mysterium refertur ad pœnas spirituales, non corporales.

Quod non consumuntur corpora quæ tunc ardebunt.

SI vero quæritur de corporibus malorum, quomodo in igne ardeant & non consumantur? Augustinus variis exemplis astruit, & sempiternis ignibus ea ardere, & non consumi illa combustione: sicut animus cuius præsentia corpus viuit, & dolorem pati potest, mori autem non potest. Hoc enim erit tunc in corporibus damnandorum, quod nunc esse scimus in animis omnium, alias hominum. E De ciuit. Dei lib. 21. c. 1. & 3.

ARTICVLVS XXXIV.

An corpora damnatorum ardeant, & non comburantur?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Si vero quæritur de corporibus malorum, &c.] Videtur esse impossibile quod dicit, quòd corpora ardeant, & non consumantur. Dicit enim Philosophus, quòd omnis passio magis facta, abiicit à substantia: sed illa passio est maximè facta, quia agens omnem excellit passionem: ergo maximè abiicit à substantia: ergo tandem consumet substantiam.

2 Item, Idem dicit, quòd omnis actio est

per assimilationem, quia agens vult assimilare sibi patiens: sed actio est inter ignem & corpus damnati: ergo tandem ignis assimilabit sibi corpus: ergo videtur, quòd conuertetur in ignem.

3 Item, Constat, quòd ignis mouet corpus: sed motus ignis finitus est: ergo ille motus tandem veniet ad finem: sed nullus potest esse finis, nisi motum assumat speciem & formam mouentis: ergo quandoque damnatorum corpora accipient speciem ignis: ergo quandoque erunt ignis & non humana corpora.

4 Item, Omne recipiens qualitatem alicuius agentis disponentem aliud ad speciem, si vltimabitur in eo qualitas illa, de necessitate recipiet speciem: sed corpora damnatorum recipiunt caliditatem, quæ est qualitas disponens ad speciem ignis, & vltimabitur in eis qualitas illa: ergo necessariò mutantur in ignem: ergo mutantur à specie & natura humana.

5 Item, Omne agens diuidens corpus physicum, de necessitate corrumpet ipsum, si confortatur actio: calor ignis agit diuidendo corpus physicum hominis: ergo si confortatur actio, de necessitate corrumpet ipsum. Probatur prima ex hoc, quòd nullum corpus physicum est diuisibile in infinitum, quin diuidatur à forma physica. Secunda autem supponitur: quia aliter non læderet intus ignis, nisi diuideret corpora: & constat, quòd actio ignis confortata est vehementer: ergo consumet substantiam corporum damnatorum.

6 Item, Corpora damnatorum sunt materia ignis inferni, aut propria, aut aliena. Si propria: tunc corpora damnatorum sunt ignis, quia propria materia ignis habet speciem ignis pro forma. Si aliena: tunc obiicitur sic, Omnis aliena materia ignis transmutatur ab igne si agat in ipsam: sed ignis inferni agit in corpora: ergo transmutat ea: ergo corrumpendo agit in ea.

7 Item, Omne agens tantum agit, quantum dat passiuo de specie: sed ignis inferni maximè agit: ergo plurimum de specie sua dat damnatis: ergo maximè transmutat eos à specie propria, id est, humana: ergo non remanebunt homines.

Sed contra. IN CONTRARIVM est, quod dicitur Apoc. 9. Desiderabunt homines mori, & mors fugiet ab eis. Ergo videtur, quòd nunquam possint consumi ad mortem: ergo videtur, quòd corpora eorum incorrupta semper teneantur.

2 Item, Bernard. dicit, quòd sic moriuntur damnati, quod nunquam permoriuntur. Et ex hoc sequitur idem quod prius.

3 Item Isa. vltimo Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur. Ergo ipsi sine consumptione semper cremabuntur in igne.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd in veritate ea quæ dicuntur in litera, fidelia & vera sunt, & absque dubitatione tenenda. Conseruans autem damnatorum corpora, est iustitia Dei in pœnis: & hæc credenda sunt potius, quam discutienda. Ne tamen omnino nihil videamur dicere, sciendum quòd sensibilia dupliciter agunt in organa sensuum, scilicet actione naturæ, & actione animæ. Actio naturæ est cum consumptione & contrarietate: & puto bene, quòd talis non potest esse in aliquod corpus, nisi ipsum corpus consumatur. Sed actio animæ est per receptionem intentionis ad affectum doloris vel delectationis: & de hoc dicemus secundum possibilitatem nostram in quæstione de sensibus corporum resurgentium infra: & talis est actio in inferno, quæ est ad sensus immutationem, sine consumptione substantiæ.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd Philosophus loquitur de actione naturæ, quæ non est tantum actio ad sensus immutationem: & non de actione animæ, quæ nihil abiicit à substantia.

AD ALIVD dicendum, quòd ibi fit assimilatio talis, qualis est inter sensum, & sensibile, hoc est, quòd species sensibilis fit in sensu per intentionem contristantis, sed non per esse quod habet in materia.

AD ALIVD dicendum, quòd motus fit ad impressionem intentionis, & est finitus, sed non ad formam dantem esse: quia aliter illa corpora in ignem conuerterentur.

AD ALIVD dicendum, quòd recipiunt intentionem qualitatis prout ipsa est excitatio doloris & tristitiæ ex calore: sed non prout est forma transmutans materiam ad speciei abiectionem, & alterius formæ inductionem.

AD ALIVD dicendum, quòd agens actione animæ, non agit diuidendo, sicut patet in omnibus sensibilibus agentibus in organa sensuum, si actio animæ ab actione naturæ diuidatur.

AD ALIVD dicendum, quòd impij sunt materia aliena dissimilis speciei agentis, sicut sensus in potentia suscipit speciem obiecti ad tristitiam, vel delectationem: & ex hoc non sequitur aliqua commutatio corporum.

AD ALIVD dicendum, quòd dat speciem secundum actionem animæ, & non naturæ: & ideo non sequitur, quòd conuertat in ignem. Hæc autem solutio melior est secundum rationem, quæ in hac materia potest esse: & ideo diligenter est notanda.

ARTICVLVS XXXV.

An anima patiatur in corpore, vel à corpore?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Sicut anima cuius potentia viuit corpus, &c.] Ex hoc enim simili videtur Augustinus innuere præhabitum modum solutionis. Vt tamen melius intelligatur, quærantur hic duo, scilicet qualiter animus patiatur in corpore, & quare corpori damnato non potest attribui nisi alter modus passionis, cum duo sint modi passionis animati corporis.

AD PRIMVM sic obiicitur: Omne agens fortius est patiente: sed nullum corpus fortius est animo patiente qui est spiritualis: ergo nullum corporale potest agere in animum. Prima harum scribitur ab August. in lib. 12. super Gen. ad literam: & secunda, & etiam conclusio.

2 Item,

4 Item, Corpus & animus se habent vt motor & mobile: & animus est motor, corpus autem est mobile: sed omnis motor agit in mobile, non patiens ab ipso secundum quòd huiusmodi: ergo animus agit in corpus, non passus ab ipso secundum quod huiusmodi: ergo non potest pati in corpore, vt videtur.

3 Item, Quod nullius est susceptibile transmutationis, nullius est susceptibile passionis: sed anima nullius susceptibilis est transmutationis: ergo nullius susceptibilis est passionis: ergo nec à corpore patitur, nec ab aliquo alio. Prima constat: quia omnis passio est secundum aliquam transmutationem. Secunda scribitur in primo de anima, vbi Philosophus reprobat dicta Platonis.

4 Item, Quod nullum omninò habet contrarium, impossibile est pati omnino: sed anima nullum habet contrarium: ergo impossibile est eam pati, siue in corpore, siue extra corpus.

Sed contra. In contrarium huius est, quod nos experimur timores & tristitias quas non experiuntur non habentia animas sensibiles: ergo anima subiacere videtur passionibus.

2 Item, Damasc. dicit, quòd anima compatitur corpori, licet non commoriatur corpori: ergo patitur.

3 Item, Vult Philosophus, quòd in quibusdam corporis motus perueniunt ad animam & transmutant ipsam: ergo etiam corpus imprimit passiones animabus.

Solutio. Responsio. Dicendum, quòd in veritate ita est, & Augustinus videtur ita determinare, quòd anima non patiatur à corpore in corpore: sed passione facta in corpore anima punit seipsam affectu doloris & compassionis. Quod qualiter sit ad intelligendum, sciendum quòd nullus motus, vel passio affectionis alicuius sit in anima, nisi fiat prius apprehensio de re faciente illam passionem, siue affectionem: apprehensio autem per acceptionem speciei est sensibilis per sensum vel imaginationem: & ideo in corpore non fit passio doloris, nisi per sensum vel imaginationem: hoc autem quod est in sensu, siue in imaginatione animæ, est species spiritualis simplex & non forma corporalis: vnde immediatum faciens dolorem in anima, est intentio spiritualis rei contristantis accepta in vi aliqua animæ: & ideo dicit Augustinus, quòd non patitur à corpore, sed à seipsa accipiente huiusmodi speciem rei contristantis. Et per hoc patet solutio ad primum: quia licet primum agens sit corpus, tamen proximum est intentio spiritualis ab anima apprehensa.

Ad aliud dicendum, quòd anima à corpore vt est corpus non mouetur: tamen motus corporis pertingunt ad ipsam per animæ operationem, hoc modo quo operatio quædam est apprehendere rerum circunstantium formas.

Ad aliud dicendum, quòd anima secundum se accepta, id est, denudata à corpore naturaliter non habet transmutationem aliquam: sed in corpore transmutatur per accidens, scilicet transmutatione facta in corpore. Transmutatur autem modo prædicto: & hoc modo non negat Aristot. sed potius probat, quòd anima moueatur per se.

Ad aliud dicendum, quòd anima secundum se non habet contrarium, neque secundum se patitur: quantum tamen est forma & motor coniuncti, scripit vt contristetur id quod dissoluit coniunctum: & in illius specie apprehensa punitur & dolet. Eius autem quod obiicitur in contrarium, patet solutio per se. Tamen sciendum, quòd licet ista solutio sit secundum Augustinum, est tamen aliquantulum contra dicta Aristot. quia ipse non vult, quòd apprehendere sit agere, sed potius pati: & secundum eum addendum est, quòd motus qui fit per corpus, materialiter se habet ad animam, & non vt agens: sed quia ministrat materiam cognitionis, & anima adhibet formam, ideò verum est quod dictum est in solutione per totum. Hoc etiam supra notatum est.

ARTICVLVS XXXI.

Quare non potest attribui corporibus damnatorum alius modus passionis?

Secundo quæritur, Quare non potest attribui corporibus damnatorum, nisi alter modus passionis? Videtur enim, quòd vrerentur, quia corpora damnatorum sunt calida: sed si calidum ageret tantum actione animæ, & non actione naturæ, non posset dici, quòd essent calida: ergo calidum agit in ea actione naturæ. Probatur prima ex fide. Secunda autem constat per philosophiam: quia non dicitur aliquid calida ex apprehensione calidi, vel etiam ex affectu calidi: & sic constat propositum.

2 Item, Si non ageret nisi actione animæ: tunc esset passio illorum corporum, sicut est passio in somno ad imaginationem terribilium præsentialiter affligentium hominem: & sic non in veritate paterentur, sed phantastiè solum, quod est absonum, quia hoc generaret hæresim: ergo patiuntur actione naturæ.

3 Item, Si paterentur actione animæ & non naturæ: cum actio animæ æqualiter fiat præsente re & absente, non oporteret ibi ignem esse vbi patiuntur, sed sufficeret ignis imaginatio: & hoc iterum est absurdum: ergo videtur, quòd actione naturæ patiuntur.

Sed contra. In contrarium huius sunt obiecta supra inducta: quia illa necessariò videntur concludere, quòd actione naturæ non patiantur, vel etiam si vtraque actione naturæ scilicet, & animæ patiantur.

Solutio. Responsio. Sine præiudicio dicendum, quòd veritatem huius quæstionis neminem puto scire, nisi cui Deus reuelauerit, sicut in sequenti capitulo dicitur ex verbis Augustini. Sine præiudicio tamen dico, quòd actione animæ tantum patiantur, actione dico, quæ est sensus: quia ibi oportet organum actualiter immutare, & etiam speciem sensibilis in anima fieri. Et hoc qualiter sit, possumus imaginari per simile: sicut si ponamus per impossibile separari modo actionem animæ in qualitatibus tactus ab actione naturæ: si enim tunc calidum agat in tactum, necessariò erit præsens tangens: quia

quia aliter non esset tactus, & oporteret fieri immutationem organi; quia aliter non deferretur species ad vim animæ, quæ est tactus, & oporteret speciem non contrarium contrario recipi ab anima: & omne quod agens esset spirituale, nihil abjiceret à substantia, & vno modo substantia sua remaneret si passio remaneret.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd hoc esset verum, si non esset hic actio per sensum: in illa enim quæ est per sensum, corpus disponitur qualitate sensibilis, & denominatur ab ipsa, præcipuè in tactu: sed si fieret imaginando ramum, quæ imaginatio non exigit tactum præsentis rei quæ facit passionem, tunc valeret obiectio.

AD ALIVD iam patet solutio, quòd somnium non est per sensum: & in hoc differt positio ista fidei à dictis quorumdam Philosophorum qui talem somnialem passionem dederunt animabus & peccatoribus.

AD VLTIMVM etiam patet solutio, quia sensus rei exigit experientiam & præsentiam.

Si dæmones corporali igne cremantur.

Super Genes. & de ciuit. Dei. lib. 21. c. 10.

QVÆRI etiam solet, An dæmones corporali igne ardeant? Ad quod Augustinus respondens ait, Cur non dicamus (quamuis miris, veris tamen modis) etiam spiritus incorporeos posse pœna corporalis ignis affligi, si spiritus hominum etiam ipsi incorporei, & nunc potuerunt includi corporalibus membris, & tunc poterunt corporum suorum vinculis insolubiliter alligari. Gehenna illa, quæ stagnum ignis & sulphuris dicta est, corporeus ignis erit: & cruciabit damnatorum corpora

Apoc. 19

hominum, vel dæmonum: sed solida hominum, aërea dæmonum. Vnus enim vtriusque ignis erit, vt veritas ait. De quo igne si quæritur, qualis vel vbi sit? Augustinus

Mat. 25.

De ciuit. Dei. lib. 20. c. 16.

sic respondet, Ignis æternus cuiusmodi sit, & in qua mundi vel rerum parte futurus sit, hominem scire arbitror neminem, nisi forte cui spiritus diuinus ostendit.

ARTICVLVS XXXVII.

An ignis corporeus cruciat dæmones?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *vbi* [Quæri etiam solet, An dæmones igne corporali ardeant?] Videtur autem, quòd non: quia dicit Damasc. lib. quarto. cap. vltim. quòd ignis ille non est corporeus, sed qualis vtique Deus nouit: ergo non ardent igne corporeo.

2 Item, Boet. dicit in lib. de duabus naturis in vna persona Christi, quòd nulla est actio & passio eorum, quorum non est materia vna: sed ignis corporei & dæmonum in corpore eorum non est materia vna: ergo ille ignis non agit in dæmones.

3 Item, Omnis actio est per contactum, vt dicit Aristot. in primo de generatione & corruptione, & in sextodecimo animalium: sed inter ignem & dæmones non est contactus: ergo ignis non agit in dæmones. Probatio mediæ. Contactus est eorum, quorum vltima sunt simul: sed dæmones cum sint spiritus, non habent vltima: ergo constat propositum.

4 Item, Contactus physicus est, quando vtrumque tangentium immutatur ab alio: & constat, quòd ignis à dæmone non immutatur.

5 Item, Actio omnis est inter contraria: sed inter ignem & dæmones nulla est contrarietas: ergo nulla actio: ergo inter eos nulla erit actio, vel passio.

6 Item, Quod insusceptibile est speciei agentis, nihil recipit de actione ipsius, & nihil patitur ab ipso: sed dæmon cum sit spiritus, non est susceptibilis speciei agentis, quia nunquam potest dici spiritus calidus: ergo nihil suscipit de actione ignis, & nihil patitur ab ipso.

IN CONTRARIVM huius sunt ea quæ dicuntur in litera, & sufficiant: quia in litera dicitur, quòd stagnum ignis & sulphuris corporeus ignis erit, &c. *Sed contra.*

RESPONSIO. Absque dubietate corporeus ignis cruciat dæmones: quod fide teneo: quamuis non plenariè sit intelligibile, tamen sic potest dici ad intellectum, quòd ignis ille corporeus potest accipi dupliciter, scilicet vt instrumentum diuinæ iustitiæ vindicantis peccatum commissum contra Deum: & vt elementum corporeum. Et primo quidem modo habet corporeus ignis vim incorpoream affligendi etiam naturam nobiliorem se, dummodo sit sub peccato. Secundo autem modo non habet. Et prima quidem vi quæ datur per iustitiam diuinam, agit in spiritus dæmonum. *Solutio.*

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd Damasc. intelligit de affligente immediato, de quo, vt ante est dictum, affligens est in corpore species, quæ est intentio recepta in spiritu apprehendente suam afflictionem: tamen agens primum est corporeum.

AD ALIVD dicendum, quòd verum est de

de agente secundum vim elementi tantum, vel secundum vim simplicis corporis naturalis: sed agens in vi diuina quæ est vis instrumenti diuinæ iustitiæ ad vindictam iniquitatis, est amplioris virtutis: & ideò agit etiam in illud quòd non est secum communicans in materia.

Ad aliud dicendum, quòd contactus duplex est, scilicet per modum diffinitionis, & per modum coniunctionis corporalis. Et primo modo dicitur contingi quod coniungitur essentialiter, & præsentialiter continetur in aliquo: & hoc modo contingunt dæmones ignem, quia in ipso præsentialiter includuntur: sed non secundo modo. Aliæ autem probationes secundo modo supponunt fieri tactum.

Ad aliud dicendum, quòd est contrarietas hîc ad ignem secundum quod est instrumentum iustitiæ Dei: quia sic suum contrarium est iustitiæ diuinæ contrarium, sicut furtum ponitur esse contrarium furcis vel patibulo.

Ad aliud dicendum, quòd in veritate substantia intellectualis non propriè dicitur calida, sed magis propriè dicitur adusta etiam quam calida, nisi dicatur calida per intentionem calidi apprehensam: & hoc est impropriè dictum, quia illa intentio est spiritualis. Vel fortè potest dici, quòd vt ignis est instrumentum diuinæ iustitiæ, potest imprimere qualitatem suam in substantiam intellectualem. Sed primum melius est, quod non sit calida, sed potius adusta per ignem, prout est instrumentum iustitiæ vindicantis in pœnis: quia cum caliditas forma sit corporalis, non potest intelligi, qualiter sit in substantia purè spirituali: & fortè hac necessitate constrictus dixit Augustinus in litera, quòd dæmones in igne habent corpora aerea: quod tamen non tenet Ecclesia: & ideo primo modo est dicendum.

ARTICVLVS XXXVIII.

An ignis infernalis sit corporeus?

Deinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Ignis æternus cuiusmodi sit, &c.] Videtur hoc esse falsum ratione primæ partis & secundæ. Ratione quidem primæ partis: quia statim in sequenti cap. dicet, quòd constat animas igne materiali corporalibus flammis esse cruciandas: ergo scitur cuiusmodi sit. Pro secunda autem parte dicitur Isa. 14. Infernus subter te conturbatus est in occursum aduentus tui. Ergo infernus est subtus: ergo est in terra.

2 Item, Ibi dicit Glossa, quòd infernus est locus pœnarum, & est subtus: ergo vt prius.

3 Item Eccli. 24. Penetrabo inferiores partes terræ, & inspiciam omnes dormientes. Et loquitur de descensu ad inferos: ergo est in inferioribus partibus terræ.

4 Item Isid. in lib. creaturarum, Sol & luna ad occasum non venient, ne impij sub terra positi sua luce fruantur. Ergo impij positi sunt sub terra: sed impij sunt in inferno: ergo infernus est sub terra.

5 Item Iob 17. In profundissimum infernum descendent omnia mea, &c. Ibi Glossa, Quantum ad celsitudinem cœli aer[illegible] est, quantum ad actis altitudinem [illegible] rius facet, quantum verò ad altitud[illegible] illa loca inferni quæ superiora sunt [illegible] ptaculis inferni, hoc loco profundissimum infernum dicit. Ergo limbus patrum est sub terra, & adhuc inferius illo est infernus, & sic iterum habetur propositum.

6 Item, Omnis ignobilitas debet locum infimum retinere: sed omnis ignobilitas est in inferno: ergo infernus debet esse in loco infimo: ergo in medio terræ esse debet.

7 Item, Contraria merita sunt in Sanctis & impiis: sed Sancti per merita ascendunt ad locum altissimum: ergo impij per contrarium descendere debent ad locum infimum: hoc autem est terræ medium: ergo quoad medium terræ debent disponi damnati.

8 Item, Terram dilexerunt, sicut Sancti cælum: ergo æquè iustum est, quòd isti ponantur in medio terræ, sicut quòd Sancti ponantur in medio cæli.

In contrarium huius est, quòd ad decorem iustitiæ pertinet, quòd in eodem loco quis puniatur, vbi peccauit: sed peccauerunt hic: ergo videtur, quòd infernus hic esse debeat. *Sed contra.*

Responsio. Dicendum, quòd in ista quæstione vltra dicta Sanctorum nihil est dicendum: quia ratio nihil omnino facit hic, sed in toto standum est dictis illorum qui reuelationem à Spiritu sancto acceperunt. Illi autem dicunt, quòd ignis sit corporeus, & infernus in terra: & hoc ideo tenendum & credendum est. Ad dictum autem August. dicendum, quòd ipse dicit non asserendo: sed tamen ipsemet magis putat ita esse, quam aliter: & forte quod August. non fuit plenè reuelatum, aliis Sanctis plenè reuelatum fuit. Et secundum hoc non est contradictio in litera. Vel dicatur, quòd Augustinus dicit non esse dubitandum de specie ignis, sed de modo & virtute qua affligit animas: quia illa est valdè latens. *Solutio.*

Ad aliam partem benè concedo, quòd est sub terra, sicut probatum est: sed dictum Aug. intelligitur de loco determinato, vtrum in centro vel extra centrum sint loca illa: quia etiam secundum poëtas de hoc dubium est. Et Isaac videtur velle, quòd peccatores deprimentur sub orbe tristi, & grauabunt eos ibi peccata sua. Tristis autem orbis vocatur à Philosophis pars orbis sinistra, quæ expanditur supra quartam partem terræ, quæ supponitur quartæ habitabili: & de hac sententia videtur Isa. sicut infrà patebit.

Ad id quod contra obiicitur, dicendum quòd non potest esse: quia omnis habitatio Sanctorum tunc purgabitur: & ideo mundus quoad habitationem istam in qua Sancti meruerunt, innouabitur: & ideo abiicientur ab ipso cadauera fœtida damnatorum, vt etiam profundetur iustitia in loco qui congruit peccato ipsorum damnatorum, sicut probatum est in obiectione.

Si animæ sine corporibus sentiunt ignem corporalem.

GVM autem constet animas igne materiali in corporibus cruciandas, quæri solet, an interim ante resurrectionem corporum animæ defunctorum reproborum materiali igne crementur? De hoc Iulianus Toletanæ Ecclesiæ Episcopus, Gregorij dicta secutus, ita scripsit: Si viuentis hominis incorporeus spiritus tenetur in corpore: cur non post mortem etiam corpore igneo teneatur? Teneri autem per ignem spiritum dicimus, vt in tormento ignis sit videndo atque sentiendo. Quod autem non solum videndo, sed etiam experiendo anima ignis tormenta patiatur, ex Euangelio colligitur, vbi veritatis voce diues mortuus dicitur in inferno sepultus: cuius anima, quòd in igne teneatur, insinuat cum Abraham deprecatur dicens, Mitte Lazarum vt intingat extrenum digiti sui in aquam, vt refrigeret linguam meam, quia cucior in hac flamma. Dum ergo peccatorem diuitem damnatum in ignibus veritas perhibet, quis sapiens reproborum animas teneri ignibus neget? Præcipuè cum humanam animam corporis similitudinem habere doceat Augustinus ita inquiens, Profiteri animam habere posse similitudinem corporis & corporalium omnino membrorum, quisquis renuit, potest negare animam esse quæ in somnis videt vel ambulare se vel sedere, vel huc atque illuc gressu vel etiam volatu ferri: hoc sine quadam similitudine corporis non fit. Proinde si hanc similitudinem etiam apud inferos gerit, non corporalem, sed corpori similitudinem: ita etiam in locis videtur esse non corporalibus, sed corporalium similibus siue in requie, siue in doloribus. In Cassiani etiam voluminibus legitur, quòd non sint otiosæ, neque nihil non sentiant, cum diues ille in inferno se flamma cruciari clamat. Vnde probatur animas defunctorum non solum suis sensibus non priuari, sed nec istis affectibus, scilicet spe, tristitia, gaudio, ac metu carere: & ex ex his quæ sibi in illo generali examine reseruantur, eas quiddam iam incipere ptægustare.

Diabol. 4.c.18.

Ibidem paulo post.

Lucæ 16.

Super Genes. lib.12. c.33.

ARTICVLVS XXXIX.

An ignis corporeus sic esse possit, vt non destruatur?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Teneri autem per ignem spiritum dicimus, &c.] Et quæruntur duo, scilicet an ignis corporeus sic esse possit, quòd non destruatur, & an hoc verum sit, quòd hoc sit eis tormentum, quòd ignem videant & sentiant?

Ad primum sic obiicitur: Locus est conseruatiuus locati, vt dicit Philosophus: ergo omne quod naturaliter est in loco aliquo, si diu est extra suum locum, vbi sit, destruetur: sed ignis inferni est verus ignis, & est à principio mundi extra suum locum: ergo destruetur.

2 Item, Auicen. dicit in prima Philosophia, quòd nulla causa est, quod hæc pars materiæ facta est terra, & hæc pars aer, & alia pars ignis, nisi quod frigiditas tali vel tali loco naturalis vel caliditas inuenit ipsam, & conuertit in aetem vel in terram: sed constat, quod nulla frigiditas terræ est ita naturalis sicut illa quæ est in medio terræ: ergo conuertet in terram, quicquid est in medio: & per consequens ignem inferni conuertet in terram.

3 Item, Elementa conuertuntur adinuicem, & conuertuntur in virtutem & speciem dominantis: sed constat, quod in centro terræ nullum elementum ita dominatur sicut terra: ergo omne quod ibi est, terra conuertet ad naturam & speciem suam: ergo ignis inferni necessario in terram conuertetur.

4 Item Arist. probauit necessario, quod

quantum

quantum datur alicui de natura speciei, tantum datur ei de loco illius naturæ & de motu ad locum illum: ergo & è conuerso quantum datur alicui de loco alicuius naturæ, tantum datur ei de specie & natura locati & in loco illo: sed nullus locus est ita naturalis terræ sicut locus mediæ terræ: ergo quicquid est ibi, naturam & speciem terræ accipiet: ergo in terram conuertetur.

5 Item, Violentia nulla est perpetua, quia aut liberabitur res, aut corrumpetur: constat autem, quòd ignis violenter est deorsum: ergo non perpetuè est ibi, quia vel corrumpetur, vel euolabit si cessauerit prohibens: & ex hoc sequitur idem quod prius.

6 Si fortè dicas, quòd non est ibi violenter, sed naturaliter: quia duplex est motus ignis. Vnus quem habet secundum naturam formæ: & ille est ascendere sursum. Et alius quem habet natura materiæ: & ille est, quandoque deorsum, & tunc etiam ignis mouetur deorsum, quia sequitur suam materiam, sicut lignum inflammatum mouetur deorsum. Contra: Illa non est propria materia ignis, sed aliena: quia propria materia ignis ascendit: ergo ipsa incipit vincere, quando venit ad centrum: & ita iterum ignis peribit.

Quæstiuncula. VLTERIVS etiam hic videtur, quòd ille locus in capacitate non sufficiat: quia quãtò elementum est rarius, tantò maiorem quærit locum: sed ignis est rarissimum elementorum: ergo quærit locum maiorem omnibus elementis: sed medium terræ est locus minimus: ergo videtur, quòd ibinõ possit esse ignis.

2 Item, Cum sit minimæ capacitatis locus ille, videtur quòd non possit capere hominum partem maiorem: & ita nihil esse videtur, quòd dicitur de loco illo. Qualiter autem ignis ille in animas agere possit, ante est habitum in simili, qualiter possit agere in dæmones.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd ignis est ibi in fortissima caliditate, cui caliditati nihil est comparabile: & hoc intelligendum est sic: Ignis cui naturale frigus circumponitur & est in materia solida, semper simul colligitur, & habet caliditatem calcatam & congregatam magis quam ille qui est in materia rara: & talis est ignis infernus.

VNDE dicendum ad primum, quòd Deus ipse conseruat ignem secundum quod est instrumentum iustitiæ vindicantis. Et hoc est quod dicitur Isaiæ 30. Flatus Domini sicut torrens sulphuris succendens eam.

AD ALIVD dicendum, quòd ignis ille non naturaliter ibi generatur, sed potius materia omnis ignobilitatis mundi congregatur ibi virtute diuina.

AD ALIVD dicendum, quòd sequeretur, quòd hoc esset verum, si virtus iustitiæ diuinæ ignem illum non conseruaret.

AD ALIVD dicendum, quòd violentia non potest fieri alicui creaturæ à Deo: quia omni creaturæ innata est obedientia sui creatoris: & taliter ignis ille stat in medio.

AD ALIVD dicendum, quòd ignis ille secundum quod consideratur vt instrumentum iustitiæ diuinæ vindicantis peccata, tunc propriissima materia ignis sunt damnati: & ideo etiam efficacissimè conualescit in eis, & non extinguitur: & hæc est propria consideratio conseruationis ipsius.

AD HOC quod vlterius quæritur, dicendum quòd hoc non est verum, nisi designetur *Ad quæ-* ad quæcundum naturam elementi consideratum: ille *stiuncu-* enim qui habet virtutem vindicandi in pecca- *lam.* tores, magis quærit materiam in qua constant partes eius & congregentur, vt calidior fiat, sicut dictum est: & ideo quærit locum superiorem.

AD ALIVD dicendum, quòd in amplitudine necessaria nunquam deficiet infernus: quia dilatauit animam suam absque vllis terminis: sed tamen bene credo, quod constricti & commassati iacebunt damnati in ipso, & ad hanc capacitatem bene sufficit terræ concauitas.

ARTICVLVS XL.

An idem sit damnatis ignem videre & in igne cruciari?

SEcundo quæritur an verum sit quod dicit, quòd idem sit eis in igne cruciari, quod ignem videre & sentire? Videtur autem, quòd non: intentio enim non habet vrere hoc cui inest: quod patet quando videmus ignem, quia species ignis in oculo non vrit oculum. Similiter quando intelligimus ignem, species ignis non vrit intellectum. Et similiter est de imaginatione. Ergo videtur omnino nihil dicere, quòd hoc sit eis in igne cruciari, quod ignem videre.

2 Item, Si intentiones animæ solum sint & per se non relatæ ad res, non mouebunt ad dolorem vel tristitiam, sicut dicit Arist. sed istæ intentiones ad res referri non possunt sine sensibus corporalibus, qui non sunt ibi: ergo videtur, quòd non mouent animas ad dolorem vel tristitiam.

3 Item, Sensus in actu non fit nisi per harmoniam complexionantium: sed illa non sunt in anima exuta à corpore: ergo non habent sensum in actu: ergo nec visum: ergo non vident ignem.

4 Si forte dicas, quòd de intellectuali visione intelligitur. Contra: Visio intellectualis fit per species abstractas ab omni consideratione & appenditiis materiæ: tales autem species non transmutant aliquid: ergo tali visione nunquam anima transmutatur: ergo videtur, quòd nec patitur nec dolet de tali visione: & sic nihil est quod in litera dicere videtur.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd istud meo iudicio intelligitur de visione intellectuali cum præsentia rei in qua videns teneatur. Et dico, quòd apprehensio ignis duplex est, scilicet vt talis naturæ siue elementi, & hæc non punit: & vt instrumenti iustitiæ vindicantis, & sic apprehenditur vt contrarium iniquitati: & cum teneatur virtute Dei in igne, affligitur in ipso.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd intentio non combutit, sed potius affligit spiritum secundum quod est accepta ignis præsentiã

sentis & continentis spiritum, quam vim habet ignis inquantum est instrumentum iustitiæ diuinæ, vt dictum est: sicut etiam materiam quandiu anima est in corpore, intentio non affligit; sed intentio agentis præsentis & inruentis in corpus, affligit animam, vt supra dictum est.

Ad aliud dicendum, quòd intentio ista refetur ad rem, scilicet ad ignem, qui præsentialiter tenet & agit in spiritum per virtutem supra dictam.

Ad aliud dicendum, quòd sensus non sumitur hîc propriè: non enim in anima exuta à corpore est sensus, nisi in radice potentiæ sensitiuæ: sed sumitur pœnes experientiam afflictionis quæ est per ignem, sicut etiam dæmones qui non habent sensibilem animam, ignem sentiunt, id est, experiuntur, vt prius habitum est.

Ad aliud dicendum, quòd hoc est verum de intellectu speculatiuo, sed non de practico siue affectiuo; qui accipit vt triste speciem apprehensam rei habentis virtutem tenendi spiritum, & agendi in contrarium spiritus est factus: quia ad illam visionem sequitur afflictio maxima.

ARTICVLVS XLI.

An anima sit effigiata vt corpus?

Deinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Profiteri animam habere posse similitudinem corporis, &c.] Videtur mentiri & hæresim dicere: quia Tertulianus propter hoc damnatus est, quia dixit animam esse effigiatam vt corpus, & interiorem hominem esse figuratum vt exteriorem: & hoc expresse videtur hîc dici: ergo videtur hîc esse hæresis Tertuliani.

2 Item videtur impossibile: quia siue corpus sumatur naturaliter, siue artificaliter, siue mathematicè, figura semper est forma ipsius: & omne figuratum est corpus: ergo si anima habet figuram corporis, ipsa est corpus.

3 Item, Nullum corpus est perfectio corporis: sed omnis anima est perfectio corporis: ergo nulla anima est corpus: sed figura est terminus superficiei vel corporis: ergo nulla anima habet figuram corporis: ergo falsum dicit in litera.

4 Item, Probatio nulla est in litera: quia anima non videt huiusmodi somnia, sed homo: & non est inconueniens si ille de se videt corporales actus, cum ipse sit corporeus. Quod autem anima hoc non videat, non latet aliquem aliquid scientem de philosophia naturali. Præterea si anima talia videret, tunc etiam separata talia somnia videret: & hoc ridiculum est dicere, quòd animæ separatæ somnient.

Solutio. Responsio. Augustinus in veritate istud non asserit: quia dubiè dictum est, & magis apparet absurdum & falsum quam verum. Si tamen quis sustinere velit, dicere poterit, quòd figuram corporis habere contingit dupliciter, scilicet per esse, & per intentionem. Primo quidem modo non habet figuram corporis nisi corpus: & ideo errauit Terculianus, qui tali modo figuram corporis attribuit animæ. Per intentionem autem in potentia quæ imaginaria vocatur, anima sensibilis habet figuram corporis quando imaginantur corpora, sicut dicit in litera: & ita intelligitur litera: figuræ enim omnium quantorum in formali siue imaginaria describuntur. Et per hoc patet solutio ad primum.

Ad aliud dicendum, quòd figura secundum esse consideratur in illa obiectione, & etiam in sequenti, sed per intentionem conuenit animæ.

Ad aliud dicendum, quòd Augustinus non intendit, quòd animæ secum ferant imagines acceptas à rebus prout sunt in sensibus interioribus, sed potius infectiones vel merita contracta ex talibus ferunt secum: & hæc infra melius patebunt, & per tales infectiones pœnis subdentur.

ARTICVLVS XLII.

An spiritus sint in locis non corporalibus?

Deinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Ita etiam in locis videntur esse non corporalibus, &c.] Hoc enim videtur absurdum: quia sic nec infernus nec cælum empyreum locus corporalis esse videtur, quod horret fides nostra.

Solutio. Responsio. Dicendum, quòd non intelligit de loco secundum suam substantiam, sed potius secundum actum locandi: quia non corporaliter in loco contineri potest spiritus, sed potius diffinitiue, sicut dicit Damasc. & hoc est quasi spiritualiter contineri.

ARTICVLVS XLIII.

An verum sit, quòd animæ priuentur sensibus & affectibus?

Deinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Vnde probatur animas defunctorum non solum sensibus suis non priuari, sed nec suis affectibus, &c.] Videtur enim esse falsum sic. Quorum actus essentialis corrumpitur, & ipsa necessario corrumpuntur: sed sensuum in morte actus essentialis corrumpitur: ergo & ipsi sensus corrumpuntur. Prima patet per Damasc. dicentem, quòd nulla res propria & essentiali destituitur operatione. Secunda patet per se: quia post mortem nec videt, nec audit, nec aliquid aliorum facit quæ per sensus exercentur.

2 Item Arist. in 9. primæ philosophiæ dicit sic: Si posterius quid manet perscrutandum: nam in quibusdam nihil prohibet, vt scilicet anima talis, non omnis, sed intellectus: omnium enim impossibile forsan. Ex hoc accipitur, quòd anima sensibilis secundum nullam vim post corpus manet: ergo falsum est quod dicit in litera.

3 Item Arist. in primo de anima: Siquidem est aliquid animæ operum aut propria passio,

contingit

contingit vtique ipsam separari: si vero nulla propria ipsius, non erit separabilis. Constat autem, quòd nulla operatio vel passio sensibilis est propria animæ sine corpore. Ergo nulla pars animæ sensibilis separatur: ergo post mortem non manet.

4 Item, Eustracius dicit in Commento 6. ethic. sic: Post rationalem animam non natura confestim, sed vitæ quædam alteræ, scilicet sensibilis, & vegetabilis, quæ est entelechiæ, sunt inseparabiles à corpore existentes, & propriæ ipsorum aduenientes complexionibus, & his dissolutis coabscedentes. Ex hoc expresse accipitur quod dictum est.

5 Item Aristot. in 16. animalium sic dicit: Si operatio aliquorum principiorum non potest esse sine corpore, non erunt talia principia sine corpore. Verbi gratia: non fit ambulatio sine pedibus: & ideò vis ambulatiua non est vnquam sine pedibus. Et loquitur de operatione sensuum. Cum ergo ipsi non sint operantes sine organo corporali, non possunt manere sine organo corporali: ergo illo dissoluto, & ipsi annihilantur.

6 Item, Quæcunque exigunt subiectum quantum ad suum esse, post subiecti corruptionem non habent permanentiam: omnis potentia organica sic exigit subiectum quantum ad suum esse: ergo subiecto corrupto non habet permanentiam: sed omnis vis animæ sensibilis est potentia organica: ergo videtur, quòd omnis vis animæ sensibilis corrupto subiecto nullam habeat permanentiam.

7 Item videmus, quòd debilitato subiecto omnis vis animæ sensibilis debilitatur: ergo & destructo destruitur.

Sed contra. IN CONTRARIVM est, quòd si aliquid non destruitur secundum substantiam, nulla pars eius substantialis destruitur: sed anima rationalis non destruitur secundum substantiam: ergo pars eius substantialis non destruitur: sed hæc est anima sensibilis, quia dicit Philosophus, quòd sicut trigonum est in tetragono, sic sensibile in rationali: ergo anima sensibilis non destruitur post mortem.

2 Item, Constat, quòd in resurrectione corpus quantum ad naturam organorum resurget: sed organa non erunt sine suis potentiis perficientibus ea: ergo & potentiæ tunc erunt: sed non erunt nisi maneant: ergo potentiæ animæ sensibilis manebunt: ergo non destruuntur.

3 Item, In litera nominat linguam & digitum: & constat, quòd non fuerunt ibi illa membra corporaliter: ergo oportet, quòd virtutes siue potentiæ animæ ad minus ibi fuerint: ergo & in anima manent post mortem.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd virtutes animæ sensibilis & ipsa anima sensibilis possunt tripliciter considerari, scilicet in actu, in esse, & in radice. Et primo quidem modo non manent post mortem, scilicet quoad audire, videre, & imaginari, & huiusmodi. Secundo modo iterum non manent: quia esse virtutis organicæ est in organo: vnde non est visus in esse, qui non est in oculo secundum habitum ad minus: & sic est etiam in aliis viribus animæ sensibilis. Tertio autem modo manent: quia substantia animæ rationalis est radix omnium suarum virium rationalium sensibilium & vegetabilium, & ex ipsa oriuntur & procedunt sicut proprietates de subiecto. Et quia illa manet, ideo etiam vires istæ manebunt: & sicut modo processerunt ab ipsa in organa quoad esse & agere, ita & post resurrectionem procedent. Et per hoc patet solutio ad omnia ferè dicta.

AD PRIMVM enim dicendum, quòd sentire & imaginari est actus essentialis sensuum secundum esse acceptorum, & non prout sumuntur in radice: & benè conceditur, quòd secundum hoc esse destruuntur.

AD OMNIA alia est idem modus solutionis. Nota tamen, quòd quidam volunt nouam philosophiam inducere, quòd anima exuta videt & audit & imaginatur, & secum defert imaginationes corporis quas recepit in corpore: quod qualiter probant, non oportet dicere, quia potius derisio est, quam sententia veritatis.

De abortiuis fœtibus & monstris.

ILLVD etiam inuestigari oportet, si abortiui fœtus & monstra resurgent, & qualia. De quo Augustinus ita ait, Occurrit de abortiuis fœtibus quæstio, qui iam nati sunt in vteris matrum, sed non ita vt iam possint renasci. Si enim resurrecturos eos dixerimus: de his qui iam formati sunt, tolerari potest vtcunque quod dicitur. Informes verò quis non procliuius perire arbitretur, sicut semina quæ concepta non fuerunt? Scrupulosè quidem inter Doctores quæri ac disputari potest, quando incipit homo in vtero viuere, an sit quædam vita occulta quæ nondum motibus viuentis appareat? Negari enim vixisse puerperia, quæ ideo membratim execantur, vt eiiciantur ex vteris prægnantium: ne matres etiam, si mortua ibi relinquantur, occidant: impudentia nimia videtur. Ex quo autem incipit homo viuere, ex illo vtique iam mori potest: mortuus

H In ench. cap. 85.

Ibidem. cap. 87.

tuus verò vbicunque illi potuit mors euenire, quomodo ad resurrectionem non pertineat, reperire nequeo. Neque enim & monstra quæ nascuntur & viuunt, quantumlibet citò moriantur, aut resurrectura negabuntur, aut ita resurrectura credenda sunt: sed potius correcta eorum emendataque natura. Absit enim vt illum bimembrem, quem nuper natum in Oriente fratres fidelissimi qui eum viderunt retulerunt, & sanctus Hieronymus scriptum reliquit, vt vnum hominem duplicem, ac non potius duos: quod futurum erat, si gemini nascerentur: resurrecturos existimemus. Ita & cætera quæ nimia deformitate monstra dicuntur, ad humanæ naturæ figuram in resurrectione reuocabuntur.

Ibidem. cap. 86.

ARTICVLVS XLIV.

An fœtus abortiui & monstra resurgent, & an tales habebunt dotes?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Illud etiam inuestigari, &c.] Videtur enim, quòd tales non resurgent: resurrectio enim regeneratio quædam est: sed regeneratio non est, nisi iam nati: cum ergo isti non sunt nati, videtur quòd non renascantur: ergo nec resurgunt.

Quæstiuncula. ITEM vlterius quæritur, Vtrum tales habeant dotes? Videtur, quòd sic: quia erunt immortales: ergo habebunt dotem immortalitatis siue impassibilitatis.

2 Item, Cum isti conseruentur à læsiuis, videtur, quòd corpus compositum ex contrariis conseruari à læsiuis non possit nisi per gratiam: ergo isti tales gratiam habebunt vt videtur.

RESPONSIO. Dicendum, quòd duplex est natiuitas, scilicet in vtero, & ex vtero. In vtero est animatio, quæ dicitur hîc formatio puerperij. Ex vtero autem natiuitatem non habent. Sed resurrectio sequitur primam natiuitatem, & non secundam tantum. Solutio.

AD ALIVD dicendum, quòd tales pueri dotes non habebunt: tamen in ætate triginta annorum resurgent. Ad quæstiunculam.

AD OBIECTVM autem dicendum, quòd, vt puto, nullo agente lædi possunt: & hoc conferente eis diuina bonitate sic resistet compositio materialis corporalis, sicut in Adam restitisset, si peccatum non admisisset: & tamen dotem non habuit ad eam. Et per hoc patet solutio ad totum.

De diuersis animarum receptaculis.

1 PRÆTEREA sciendum est, quòd omnes animæ (vt ait Augustinus) cum de hoc seculo exierint, diuersas habent receptiones: bonæ habent gaudium, malæ verò tormenta. Sed cum facta fuerit resurrectio, & bonorum gaudium amplius erit, & malorum tormenta grauiora, quando cum corpore torquebuntur. Ex his ostenditur, quòd maius erit gaudium Sanctorum in resurrectione & post, quam fuerit ante: & quòd diuersa receptacula habebunt animæ Sanctorum. De quibus idem Augustinus ait, Tempus quod inter hominis mortem & vltimam resurrectionem interpositum est, animas abditis receptaculis continet, sicut vnaquæque digna est vel requie vel ærumna, pro eo quod sortita est in carne dum viueret.

Super Ioan. tract. 49. & in Gl. super illud 1. Thess 4. *Deinde nos.*

De verbis Apostoli.

ARTICVLVS XLV.

An sint quinque receptacula animarum postquam separantur à corpore?

DEinde quæritur de hoc quod dicit [Præterea sciendum, quòd omnes animæ, &c.] Videtur enim, quòd hæc receptacula sint quinque: quia secundum numerum & modum meritorum debet esse modus & numerus receptaculorum. Est autem peccatum mortale, & originale, & veniale, & meritum charitatis, & est originale & veniale & veniale & mortale. Constat autem quod primo respondet infernus, secundo limbus puerorum, tertio limbus patrum ante Christi aduentum, & modo regnum cælorum. Ergo aliqua loca receptaculorum

lorum ſpecialia debent reſpondere quarto & quinto.

2 Item, Eſt receptaculum cum tenebra & ſenſibili pœna purgans, & cum tenebra tantum non purgans: ergo eſt aliquod cum tenebra tantum & purgans, & cum ſenſibili tantum & non purgans: ergo erunt ſex differentiæ iſtorum receptaculorum.

3 Item, Iſte aër ſecundum Petrum, eſt carcer caliginoſus dæmonum: ergo eſt vnum receptaculorum: ergo ſunt plura quam communiter ponuntur.

4 Item, Conſtat, quòd diabolus vbique ſit, eſt in pœnis & in igne: ergo & hîc in carcere iſto: ſed habitum eſt, quòd ille ignis corporeus eſt: ergo hîc eſt ignis corporeus: ſed ignis corporeus præcipuè calidiſſimus, calefacit & exurit corpora vicina: ergo iſte ignis comburere debet domos & vicinos homines: & hoc non videmus.

Solutio. AD HOC dicendum, quòd diuerſa ſunt receptacula animarum, & ſic diuerſificantur. Aut enim ſunt vt terminus, aut vt via. Si terminus: tunc ſunt duo, ſcilicet ſecundum malum meritum infernus, & ſecundum bonum meritum regnum cælorum: ſed terminus ſecundum malum meritum ſiue infernus eſt duplex, ſecundum meritum proprium, & alienum contractum cum natura: & primo reſpondet inferior infernus damnatorum, ſecundo autem limbus puerorum qui eſt infernus ſuperior: & de horum pœna quærere eſt ſuper ſecundum tractatu de originali peccato. Si autem eſt ſecundum viam: aut hoc eſt ex defectu proprij meriti, aut ex defectu ſolutionis pretij: quia iſta duo requiruntur ad perfectam ſatisfactionem, ſicut notatum eſt ſupra tertium diſtinctione 19. Si primo modo: tunc eſt purgatorium. Si ſecundo modo: tunc eſt limbus ſanctorum patrum ante aduentum Chriſti.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd mortale & veniale puniuntur in inferno: quia veniale per accidens habet pœnam æternam, ſcilicet propter coniunctionem ad mortale, ſicut notatum eſt ſuper ſecundum diſtinct. 30. Originalis autem & venialis, meo iudicio, coniunctio eſt impoſſibilis: quia omittendo mortaliter peccabit, quando venialiter peccare poteſt: aut etiam veniale non reputatur. Et de hoc etiam ibidem inuenies.

AD ALIVD dicendum, quòd pœna ſenſibilis non poteſt eſſe ſine tenebris: quia tenebræ ſequuntur ad auerſionem, & ſenſibilis pœna ad conuerſionem: & ideo nullus eſt locus ſenſibilis pœnæ tantum, ſicut nullum eſt peccatum mortale habens conuerſionem tantum. Similiter non poteſt eſſe tenebra purgans: quia non facit purgatorium, niſi in eo qui habet lucem gratiæ, & per pœnam ſenſus. Et patet per prædicta, quòd etiam aliæ differentiæ non ſunt poſſibiles.

AD ALIVD dicendum, quòd iſte aër non eſt locus pœnæ, niſi comparatiuè, ſcilicet reſpectu cæli, ſed eſt locus exercitij: & de hoc inuenies in ſecundo, tractatu de caſu diaboli.

AD ALIVD dicendum, quòd non calefacit corpora vicina: quia ſicut dictum eſt, ignis ille non agit niſi virtute inſtrumenti iuſtitiæ diuinæ: & ideo non vrit niſi hoc in quod dirigitur à iuſtitia diuina, vt condemnatum pro peccato.

DISTINCTIO XLV.

De ſuffragiis defunctorum.

NEQVE negandum eſt, vt ait Auguſt. defunctorum animas pietate ſuorum viuentium releuari, cum pro illis ſacrificium mediatori offertur, vel eleemoſynæ fiunt in Eccleſia. Sed hæc eis tantum proſunt, qui cum viuerent, hæc ſibi vt poſtea poſſent prodeſſe, meruerunt. Eſt enim quidam viuendi modus, nec tam bonus, vt non requirat iſta poſt mortem: nec tam malus, vt ei non proſint iſta quicquam. Eſt verò talis in bono, vt iſta non requirat: & eſt rurſus talis in malo, vt nec his valeat, cum hæc vita tranſierit, adiuuari. Quocirca hic omne meritum comparatur, quo poſſit poſt hanc vitam quiſpiam grauari vel releuari. Nemo autem ſperet quod hic neglexit cum obierit apud Deum pro mereri. Non ergo iſta quæ pro defunctis commendandis frequentat Eccleſia, illi Apoſtolicæ ſunt aduerſa ſententiæ qua dictum eſt, Omnes ſtabimus

A *De ſtatu & conditione bonarum animarum poſt mortem.* In ench. cap. 19. & habetur 12. q 2. c. Tempus.

Rom. 14. ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque secundum ea quæ per corpus gessit, scilicet bona vel mala: quia etiam hoc meritum sibi quisque cum in corpore viueret, comparauit, vt possint ei ista prodesse. Non enim omnibus prosunt. Et quare? Non nisi propter differentiam vitæ quam quisque gessit in corpore. Cum ergo sacrificia siue altaris, siue quarumcunque aliarum eleemosynarum pro baptizatis omnibus offeruntur: pro valdè bonis, gratiarum actiones sunt: pro non valdè malis, sunt propitiationes. Sed pro valdè malis etsi nulla sunt adiumenta mortuorum, tamen qualescunque viuorum consolationes sunt. Quibus verò prosunt, vel ad hoc prosunt vt sit plena remissio, vel certè vt tolerabilior sit ipsa damnatio. Orationibus ergo sanctæ Ecclesiæ, & sacrificio salutari, & eleemosynis quæ pro eorum spiritibus offeruntur, non est dubium mortuos adiuuari: vt cum eis misericordius agatur à Domino, quam eorum peccata meruerunt. Hoc enim à patribus traditum tota obseruat Ecclesia, vt pro eis qui in communione corporis & sanguinis Domini defuncti sunt, cum ad ipsum sacrificium loco suo commemorentur, oretur, ac pro illis quoque id offerri commemoretur. Non est ergo ambigendum ista prodesse defunctis: sed talibus, qui ita vixerunt ante mortem, vt possint eis hæc vtilia esse post mortem. Nam qui sine fide operante per dilectionem, eiusque sacramentis, de corpore exierunt, frustrà illis à suis huiusmodi pietatis officia impenduntur: cuius dum hic essent, pignore caruerunt, non misericordiam sibi thesaurizantes, sed iram. Non ergo mortuis noua merita comparantur, cum pro eis aliquid boni operantur sui: sed eorum præcedentibus consequentia ista redduntur. Nam istam quisque finiens vitam, nisi quod in ea meruerit, non poterit habere post eam. Ecce quibus & qualiter prosunt illa quæ pro defunctis frequentat Ecclesia. Mediocriter malis suffragantur ad pœnæ mitigationem: mediocriter bonis, ad plenam absolutionem, qui non habent tantæ perfectionis merita, vt non indigeant iuuari per pauperes quorum est regnum cælorum, quos sibi fecerunt amicos de mammona iniquitatis. Quorum tanta est perfectio, vt his adiutoriis non indigeant: quales sunt Apostoli & martyres. Vt enim ait Augustinus, Iniuria est pro Martyre orare in Ecclesia, cuius nos debemus orationibus commendari: pro aliis autem defunctis oratur.

Aug. in serm. de verbis Apostoli. & in Glossa super illud Thess. 4. c. Nolumus vos.

Galat. 5.

Rom. 21.

Matth. 5. Luc. 15.

De verbis Apostoli. ser. 17.

ARTICVLVS I.

An suffragia quæ facit vnus, alteri valeant?

NEque negandum est, vt ait August. &c.] Hic agit de suffragiis mortuorum, & tangit duo, scilicet de ipsis suffragiis, & quæstionibus consequentibus: & hoc secundum incipit *ibi* [Solet moueri de duobus] Item in prima introducit duo. Primo enim tangit, an valeant suffragia Ecclesiæ. Et secundo de pompis exequiarum *ibi* [De pompis verò exequiarum] Circa primum in diuersis locis incidunt nouem, quæ omnia tangit in litera: quorum primum est, an valeant sufftragia quæ facit vnus alteri homini? Secundum, Vtrum valeant defunctis? Tertium, Vtrum decedentibus in mortalibus? Quartum, Vtrum his qui sunt in purgatorio? Quintum, Vtrum patribus qui erant in limbo ante Christi aduentum, valuerint? Sexto, Vtrum pueris qui in originali peccato decedunt? Septimum, Vtrum valeant Sanctis in regno cælorum? Octauum, Quæ suffragia magis valeant? Nonum, Per quos fieri debeant?

Ad primum obiicitur sic: Dicit Apostolus 2. Corinth. 5. Omnes nos manifestari oportet ante tribunal Christi, vt referat vnusquisque propria corporis prout gessit. Ergo quilibet recipiet propria: ergo nihil valent aliena, vt videtur: ergo alij non valet, quod facit alter.

2 Item, Siue considereturopus naturæ, siue

siue artis, nunquam opus vnius deriuatur in alterum, sed semper circa materiam suam consistit: ergo etiam sic est in operibus meritoriis, quòd ad alium non potest deriuari, quod facit alter.

3 Item, In peccatis vnus non punitur pro altero: ergo nec in suffragiis vnus pro altero liberatur.

4 Item, Si opus consideretur secundum effectum, non potest efficere habitum bonum nisi circa operantem: ergo videtur, quòd nihil operatur circa personam alteram: & ita vt prius.

5 Item, Quod est ab alio inquantum est ab alio, non est laude vel vituperio dignum: ergo ille pro quo fit intercessio, ex hoc quod alius bene operatur pro ipso, non est dignus laude vel bono aliquo: sed iniustum est dare digno: ergo non oportet ei dari indulgentiam ex hoc quod suffragia fiunt pro ipso.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est, quòd vnus in iudicio hominum satisfacit pro alio: sed mitius & clementius est iudicium diuinum, quam humanum: ergo in iudicio diuino vnus potest suffragari pro alio.

2 Item, Christus satisfecit pro omnibus: ergo & membra Christi pro seinuicem suffragari possunt.

3 Item, Psalm. 118. Particeps ego sum omnium timentium te. Sed constat, quòd hoc modo tantus Propheta non oraret, nisi sciret possibile esse, quòd consequeretur.

4 Item, Genes. 25. deprecabatur Isaac pro vxore sua Dominum, eò quod esset sterilis: qui exaudiuit eum & dedit conceptum Rebeccæ. Ergo oratio & meritum vnius deriuatur in alterum.

5 Item, Ibidem dicit Glossa Gregorij, quòd prædestinatio Sanctorum precibus adiuuatur. Ergo vt prius.

6 Item, Actuum 12. Petrus quidem seruabatur in carcere: oratio autem fiebat sine intermissione ab Ecclesia ad Deum pro eo. Hoc autem non fecisset Ecclesia, nisi iuuaret vnum quod facit alius. Ergo vt prius.

Solutio. RESPONSIO. Absque omni ambiguitate credendum & dicendum, quòd oratio & meritum valet alteri: hoc enim est quod dicitur in symbolo in illo articulo, Sanctorum communionem: quia hic sic intelligitur. Credo in Spiritum sanctum, scilicet communicantem bona in Ecclesia. Et Apostolus 2. Cor. 8. Ex æqualitate in præsenti tempore vestra abundantia illorum inopiam suppleat, vt & illorum abundantia vestræ inopiæ sit supplementum.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd propria dicuntur dupliciter, scilicet quæ per me feci, & quæ mea feci. Et primo quidem modo opera per me facta, dicuntur propria. Secundo autem modo etiam quæ charitate mea feci, dicuntur mea propria: & sic intelligitur dictum Apostoli.

AD ALIVD dicendum, quòd natura non operatur forma voluntatis quæ communicat bona, nec ars, sed potius diuiduntur per materias: sed vnum est principium in Ecclesia, quod est Spiritus sanctus: & hic etiam communia facit bona per totum corpus quod inspirat, scilicet corpus mysticum: & hoc potius assimilatur operi quo vnum membrum iuuat aliud in corpore organico, quam operi naturæ, vel artis.

AD ALIVD dicendum, quòd peccata non habent vnum principium nec vnam formam, sicut supra notatum est in quæstione de pœnitentia de operibus mortuis & mortificatis: sed opera bona habent & formam communem & principium commune: propter quæ omnes boni sunt vnum corpus charitate connexum, sed non mali. Et ideo non est simile de bonis & malis operibus.

AD ALIVD dicendum, quòd illud iuuamen non est per modum efficiendi per opus, sed potius per modum suffragandi apud auctorem omnis boni, vt ipse merito vnius efficiat bonum in alio.

AD ALIVD dicendum, quòd etiam in ciuilitatibus vnus pro alio & liberatur & remuneratur, licet laudabilis vel vituperabilis non fiat: quia quando fit ei aliquid quem diligo, propter me, mihi fieri intelligo.

ARTICVLVS II.

An suffragia valeant defunctis?

SEcundo quæritur, An suffragia valeant defunctis? Videtur, quòd non: quia sicut dicit Philosophus, Viuorum cum mortuis non est communicatio. Sed ad valorem suffragiorum oportet esse communicationem. Ergo videtur, quòd mortuis non valeant suffragia viuorum.

2 Item, Mortui non sunt de foro viuorum. Ergo videtur, quòd non possunt eis valere ea quæ sunt in foro viuorum facta: sed suffragia omnia fiunt inter viuos: ergo videtur, quòd nihil valeant mortuis.

3 Item, Morui sunt sub necessitate: ergo videtur, quòd sit remota ab eis possibilitas adiutorij: ergo & remouetur ab eis iuuamen suffragij.

4 Item, Eccli. 14. Apud inferos non est inuenire cibum, quo tu properas. Ergo videtur, quòd nullum sit ibi refrigerium per suffragium.

5 Item Apoc. 14. Opera illorum sequuntur illos. Ergo videtur, cum nihil addant, quòd nihil sequatur eos de alieno opere. Ergo nihil percipiunt de solatio refrigerij.

6 Item, Psalm. 74. Cum accepero tempus, ego iustitias iudicabo. Sed post mortem Deus accipit tempus. Ergo tunc non iudicat nisi secundum iustitiam. Ergo videtur, quòd nihil est ibi de misericordia per suffragia.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est integer tractatus, quem fecit Dionysius in ecclesiastica hierarchia. cap. vltim. de sanctis dormientibus. Et inter cætera quæ ibi sunt, sic dicit: Quia vero iustorum orationes & secundum hanc vitam & quanto magis post mortem in his qui digni sunt sactis orationibus, operantur, tantummodo eloquiorum nos docent traditiones veræ. Hoc idem in quarto dialog. per

plurima exempla probat Gregorius. Item Beda in hiſtoria Anglorum. Item 2. Machab. 12. Niſi enim eos qui ceciderant, reſurrecturos ſperaret, &c. Item ibidem dicitur, Iudas duodecim millia drachmas argenti miſit, &c. plurima quæ ibi notata ſunt.

Solutio. RESPONSIO. Non eſt dubium defunctis prodeſſe Sanctorum ſuffragia.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd Ariſtot. loquitur de communicatione, quæ in conuiuendo eſt per communicationem contractuum & ſocietatum, & non de communicatione charitatis, quæ in vno corpore ſociat mortuos & viuos, quotquot habent charitatem: & hoc ſufficit ad valorem ſuffragiorum.

AD ALIVD dicendum, quòd mortui qui ſunt in purgatorio, quodammodo adhuc ſunt de foro noſtro, ſcilicet inquantum non ſunt in termino: ſed ſecundum quod ſunt in ſecuritate, differunt ab his qui ſunt in foro Eccleſiæ. Vel dicatur, quòd non eſſe de foro, non impedit ſuffragia: quia communicatio charitatis cauſa eſt ſuffragiorum, & non idemtitas fori.

AD ALIVD dicendum, quòd duplex eſt neceſſitas, ſcilicet ſtatus ſecundum quantitatem meriti, & puritatis. Secundum primum modum ſunt ſub neceſſitate, quia nunquam habebunt minus meritum, quam fuit quantitas charitatis in tempore: ſed ſecundum alterum modum non ſunt ſub neceſſitate, quia depurati poſſunt de die in diem.

AD ALIVD dicendum, quòd loquitur de inferno damnatorum, & non de his qui ſunt in purgatorio.

AD ALIVD dicendum, quòd vt in litera innuitur ex verbis Auguſt. noſtra ſunt opera, vt prius dictum eſt, etiam illa quæ per meritum noſtra fecimus, per hoc quòd communicamus in charitate, quæ eſt forma operis communia faciens opera talia.

AD ALIVD dicendum, quòd iuſtitia eſt vt ei qui communicat Eccleſiæ in charitate, bona Eccleſiæ communicentur: & ideò dictum illud nihil obſtat.

ARTICVLVS III.

An ſuffragia valeant decedentibus in mortali peccato?

TErtio quæritur, Vtrum valeant decedentibus in mortali? Et hoc eſt quærere, Vtrum valeant damnatis in inferno? Videtur, quod ſic: quia in litera dicitur, quòd quibus valent vel ad hoc proſunt vt ſit plena remiſſio, vel ad hoc vt tolerabilior ſit eorum damnatio. Ergo proſunt damnatis ad tolerabiliorem damnationem.

2 Item, Miſericordia ſuperexaltat omne iudicium, vt dicitur Iacob. 2. Ergo ſuperexaltat omne iudicium condemnationis: ergo videtur, quòd ex miſericordia conceditur aliquod iuuamen ſuffragantibus meritis Sanctorum.

3 Item, 2. Machab. 12. dicitur, quòd ſub tunicis eorum pro quibus orauit & obtulit Iudas Machabæus, inuentum eſt de ſacrificiis idolorum. Conſtat autem, quòd idolis immolare peccatum mortale eſt. Ergo ipſe orauit & obtulit pro idololatris in peccato mortali damnatis. Et conſtat, quòd non feciſſet niſi valuiſſet eis ſuffragium: ergo damnatis etiam & idololatris valent Eccleſiæ ſuffragia.

4 Item Dionyſius in auctoritate antè inducta dicit, quòd magis valet oratio defunctis, quam viuis: ſed pro viuis exiſtentibus in mortali peccato oratur, & exauditur ſæpè oratio: ergo multo magis pro defunctis damnatis debet orari, & valebit eis oratio.

5 Item, Damnatus qui fidelis fuit, de Eccleſiæ numero fuit, licet non merito: ergo aliquid melius debet ei eſſe poſt mortem, quam illi qui nec numero nec merito fuit de Eccleſia: ſed conſtat, quod illis qui numero & merito ſunt de Eccleſia, valent ad remiſſionem, illis autem qui nec numero nec merito, nihil valent: ergo illi qui numero fuit non merito, valet ad tolerabiliorem damnationem.

6 Item 1. Timoth. 4. Pietas ad omnia valet, &c. Dicit Gloſſa, quòd etiam ſi lubricum carnis patitur, proculdubio vapulabit, ſed non peribit. Aut enim hoc intelligitur de lubrico veniali, aut mortali. Si de veniali: tunc nihil dicit, quia hoc per ſe expiabile eſt, & non tantum merito pietatis: ergo conſtat, quòd loquitur de lubrico mortali: ergo aliquis prius in mortali decedens, poteſt iuuari ab Eccleſia ad totam remiſſionem: ergo multo magis alij iuuari poſſunt ad tolerabiliorem damnationem.

7 Item, Iudex omnis iniquus reputaretur, qui potius eligeret obſtinationem rei, quam emendationem: ergo etiam Deus vult emendari reos: ſed ſi mitigat culpam & pœnam per ſuffragia Eccleſiæ, ipſi emendantur: ergo videtur, quòd permittat eis valere ſuffragia.

8 Item, Homo remediabiliter peccauit non Angelus: ergo omnis homo remedium aliquod in quolibet ſtatu debet inuenire: ergo & damnati: ergo debent eis ſuffragari merita Sanctorum.

9 Item, Deus in infinitum magis eſt miſericors, quam homo: ſed video, quòd homo nunquam poteſt ita peccare in hominem, quin ipſe pœnam temperaret ſi tota Eccleſia intercederet: ergo multo magis ad interceſſionem totius Eccleſiæ damnatis temperabit Deus pœnas: ergo valent eis ſuffragia Eccleſiæ.

Sed contra. IN. CONTRARIVM eſt, quod dicit Dionyſius ibidem ſic: Propter quod ſummus ſacerdos pro immundis non orat hîc dormientibus: quoniam non ſolum prophetico in hoc auerteretur ordine, & quid hierarchicorum ſuperbe auderet à perfectionis principe monendus. Et ſenſus eſt, quòd indulgentiam non orat damnatis ſummus ſacerdos: quia diuino ordini in hoc aduerſaretur, & admoneretur ſicut ſuperbus à perfectionis principe Deo.

2 Item, Maximus in commento ibidem, Peccatoribus non orat remiſſionem: quia non audiretur pro illis.

3 Item, Auguſtinus de ciuit. Dei. lib. 21. Si ſcirem patrem meum eſſe in inferno, non plus orarem pro ipſo, quam pro diabolo. Ergo vt prius.

4 Item ſuper illud Iob 41. Æſtimabit abyſſum

sum quasi senescentem, &c. Gregorius in lib. 34. moralium cap. 12. Tanto Sancti in æternum magis diuinæ gratiæ debitores se esse cognoscunt, quantò in æternum mala puniri conspiciunt, quæ eius adiutorio vitare potuerunt. At, inquiunt, Et vbi est quòd sancti sunt, si pro inimicis suis quos tunc ardere viderint, non orabunt: quibus vtique dictum est, Pro inimicis vestris orate? Sed citius respondemus: Orant pro inimicis suis eo tempore, quo possunt ad fructuosam pœnitentiam eorum corda conuertere, atque ipsa conuersione saluare. Quid enim aliud pro inimicis orandum est, nisi hoc quod ait Apostolus 2. Timoth. 2. Vt Deus det illis pœnitentiam, & resipiscant à laqueis diaboli, à quo captiui tenentur? Et quomodo pro illis tunc orabitur, quando iam nullatenus possunt ad iustitiæ opera ab iniquitate commutari? Eadem itaque est causa cur non tunc oretur pro hominibus æterno igne damnatis, quæ nunc etiam est, vt non oretur pro diabolo Angelisque eius æterno supplicio deputatis. Quæ nunc etiam causa est, vt non orent sancti pro hominibus infidelibus impiisque defunctis, quia de eis vtique quos æterno deputatos supplicio iam nouerunt, ante illum iudicis iusti conspectum orationis suæ meritum cassari refugiunt. Quod si nunc quoque viuentes iusti mortuis & damnatis iniustis minimè compatiuntur, quando adhuc aliquid iudicabile de sua carne se perpeti etiam ipsi nouerunt, quanto districtius tunc iniquorum tormenta respiciunt, quando ab omni corruptionis vitio exuti, ipsi iam iustitiæ intimius atque arctius inhærebunt? Ex hoc accipitur, quòd nihil valet oratio pro damnatis.

5 Item Augustinus in litera inducitur sic dicens, Animæ quæ sine fide operante per dilectionem eiusque sacramentis de corpore exierunt, frustra illis à suis huiusmodi pietatis officia impenduntur.

6 Item, Communiter cantat Ecclesia, In inferno nulla est redemptio. Ergo nec relaxatio per suffragia.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum videtur mihi, quòd cum in inferno duplex sit pœna, scilicet sensus, & vermis conscientiæ: quantum ad sensum pœnæ nihil omninò prosunt suffragia damnatis. Sed vermis conscientiæ remordet de tribus, scilicet de commissis, & omissis, & quod nec dignus habitus est vt alius pro eo aliquod bonum faciat. Quantum ad duo prima non mitigatur vermis: sed quantum ad tertium potest mitigari, quia quando fit bonum pro eo, non potest dicere, quòd non sit dignus habitus vt pro eo ab alio saltem bonum fieret. Infra tamen sequenti distinctione reuertemur ad hanc quæstionem, & ibi disputabimus de omnibus opinionibus antiquorum, & de litera. Concedo ergo inductas auctoritates simpliciter, dicendo ad primum, quòd damnatio in litera largè accipitur pro punitione: quia sic valent suffragia his qui sunt in purgatorio, vel vt absoluantur, vel vt non statim absoluantur, sed pœna mitigetur aut breuietur.

AD ALIVD dicendum, quòd duplex est misericordia, scilicet liberans, & relaxans. Liberantem autem non sentiunt damnati, sed relaxantem, & non in suffragiis, sed in hoc quod citra condignum puniuntur.

AD ALIVD dicendum, quòd non sicut in idololatris inuentum est idolothytum sub tunicis eorum militum, sed potius sicut eorum qui auaritia veniali aurum quod ad decorem idolorum oblatum fuerat, acceperunt vt victores accipiunt iure belli. Et hoc verum esse probat literæ circunstantia: & quia illi peccauerunt venialiter, eis suffragia Iudæ prodesse potuerunt.

AD ALIVD dicendum, quòd Dionys. loquitur tantum quantum ad conditionem doni perseuerantiæ: quia in hoc melior est defunctus in bono, quam viuus: & ideò non valet quod vlterius infertur, quia viuus emendari potest, & non mortuus, sicut patet in auctoritate Gregorij inducta.

AD ALIVD dicendum, quòd ex hoc quòd fuit in Ecclesiæ numero, multa alia bona consequitur, scilicet originalis dimissionem, & forte multorum aliorum, & retractionem ab aliis peccatis, & præcipuè quod est omnium maximum, euitationem infidelitatis: sed non puto, quòd aliquis plus habeat de suffragiis, quam alius: & in argumento est fallacia consequentis, sicut si sic argueretur, aliquid consequitur: ergo istud.

AD ALIVD dicendum, quòd loquitur de lubrico mortali & vapulatione temporali emēdatoria, pro qua oportet pœnitentiam sustinere: & si loquitur de vapulatione futura, tunc loquitur de lubrico veniali: & tunc argumentum contra non valet, quia licet illud remittatur, tamen virtute pietatis remittitur citius & leuius.

AD ALIVD dicendum, quòd tunc erunt impij in statu quo emendari non poterunt: & tunc est eis iusta pœna. Vnde sicut iudici iniquum esset iustam pœnam ex sententia meritam mutare, ita iniquum esset tunc mutare obstinatam eorum voluntatem: & ideo suffragia Ecclesiæ ad hoc non ordinantur.

AD ALIVD dicendum, quòd remediabilitas peccati valet homini quoad statum emendationis, quem diabolus nunquam habuit, & non quoad statum futuræ damnationis: & hoc est quod dicit Dam. quòd oportet scire, quòd hoc quod in Angelis est casus, est mors in hominibus: quia sicut Angelis post casum non est reditus ad gratiam, ita nec homini est reditus ad pœnitentiam.

AD VLTIMVM dicendū, quòd si iustè dicta esset pœna, nisi iudex iustitiam suam negare vellet, ipse pro toto mundo non mutaret: & ita Deus se negare non potest vel iustitiam suam, sicut dicit Apostolus 2. Tim. 2. Si negauerimus, ille fidelis permanet, seipsum negare non potest. Et ideò non recipit pro illis aliqua Ecclesiæ suffragia.

ARTICVLVS IV.

An ſuffragia proſint his qui ſunt in purgatorio?

QVarto quæritur, Vtrum proſint illis qui ſunt in purgatorio? Videtur enim, quòd non: iuſti enim iudicis eſt non relaxare pœnam iuſtè inflictam: ſed pœna purgatorij iuſtè eſt inflicta: ergo relaxari non debet.

2 Item, Ad hoc quod aliquid agat in aliud, oportet quòd pertingat vſque ad ipſum: ſed virtus viui non pertingit ad mortuum: ergo videtur, quòd non agit in ipſum: ergo non valet ei ſuffragium.

3 Item, Non ſunt de foro Eccleſiæ: ergo opera Eccleſiæ non valent ipſis ſi pro eis fiant.

Sed contra. IN CONTRARIVM eſt totum, quod dicitur in litera. Item, Quorum vna eſt charitas vniens in vno corpore, horum eſt communicatio bonorum adinuicem: ſed vna charitas Eccleſiæ militantis eſt his qui ſunt in purgatorio: ergo eſt communicatio bonorum: ergo neceſſariò bona communicantur eis in purgatorio per modum ſuffragij.

2 Item, Minus videtur, quòd illi qui ſunt in purgatorio ſuffragentur viuis, quam è conuerſo: & ſuffragantur illis: ergo, &c. Probatur prima ex hoc, quòd viui ſunt in ſtatu merendi maiorem coronam, & illi non. Secunda ſcribitur in quarto dialog. Gregorij, qui dicit, quòd Paſchaſius cum eſſet in inferno, adhuc fecit miraculum, ſanando quemdam ad ſe clamantem, & feretrum eius tangentem.

Solutio. RESPONSIO. Abſque ambiguitate tenendum eſt, quòd ſuffragia proſunt eis qui ſunt in purgatorio, ſicut in litera dicitur.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd illa pœna non eſt ita confirmata vt in alium diuidi non poſſit: & ideo relaxari poteſt in toto & in parte.

AD ALIVD dicendum, quòd pertingit virtute, non actu, & faciens pertingere eſt charitas communicans omnia bona quæcumque ſunt in corpore myſtico.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc non impedit, ſicut ſupra in ſecundo huius quæſtionis articulo dictum eſt.

ARTICVLVS V.

An ſuffragia profuerint patribus in limbo?

QVinto quæritur, Vtrum profuerunt patribus in limbo? Videtur, quòd ſic: quia non valdè mali fuerunt, & illis proſunt: ergo & patribus tunc profuerunt.

2 Item, Dum viuerent, ſeipſos dignos fecerunt, vt hæc eis prodeſſe poſſent: ergo profuerunt eis.

3 Item, In loco fuerunt vbi indiguerunt, & digni fuerunt vt talia eis prodeſſe poſſent: ergo crudele fuiſſet nõ recipere ſuffragia pro eis.

Sed contra. IN CONTRARIVM eſt: quia impoſſibile eſt eos purgari: quia nihil habuit purgari, qui nihil habuit purgandum quod ſit peccatum perſonale: ſed in talibus nihil erat purgandum: ergo non purgabantur per ſuffragia Eccleſiæ.

2 Item, Non oportet illi ſuffragari, qui nullam propter ſe experitur pœnam iudicis: ſed tales fuerunt patres in limbo: ergo non profuerunt eis ſuffragia.

Solutio. QVOD CONCEDENDVM EST: & huius cauſa eſt, quia in omnibus ſatisfecerunt, quæ ab homine fieri poterant: ſed tamen quia non erat ſolutum pretium pro debito Adæ, ſpe felici ſolutionem ipſius pretij expectabant, ſicut in principio iſtius libri, tractatu de circunciſione dictum eſt.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd verum eſt, quòd non ſunt valdè mali, quia fuerunt valde boni, qui talibus non indigebant.

AD ALIVD dicendum, quòd dignitas patrum in vita huiuſmodi indigentiam ſuffragiorum exceſſit: vnde potius alios qui erant in purgatorio iuuare poterant, quam iuuarentur ab ipſis.

AD ALIVD dicendum, quòd eſt duplex indigentia, ſcilicet naturæ, & perſonæ. Naturæ indigentia fuit impoſſibilitas ſolutionis pretij pro tota natura quam Adam vitiauit & perdidit: & hãc indigentiam nullus niſi Chriſtus mediator Dei & hominum auferre poterat, & in illa fuerunt patres, & contra hanc non ordinabatur ſuffragium Eccleſiæ, quia impoſſibile erat hoc homini puro. Alia ponitur indigentia perſonæ à perſonali defectu & inſufficientia meriti proprij: & ad eius adiutorium ordinatur Eccleſiæ meritum & ſuffragium: & in tali indigentia non fuerunt patres, ſed potius in abundantia ingreſſi ſunt ſepulchrum, & defoſſi ſecuri dormierunt vſque ad Chriſti aduentum, vt dicitur Iob. 2.

ARTICVLVS VI.

An proſint ſuffragia pueris baptizatis?

SExto quæritur, Vtrum proſint pueris non baptizatis? Videtur, quòd ſic: quia illi non non habent niſi peccatum alienum: ergo debet etiam eis prodeſſe alienum meritum: hoc autem fit per ſuffragia Eccleſiæ: ergo ſuffragia debent prodeſſe talibus pueris.

2 Item, Minus peccatum eſt alienum, quam proprium quantuncumque paruum: & proprium veniale non obſtat ſuffragio: ergo nec alienum: ergo talibus proſunt, qui non habent niſi alienum: tales autem ſunt pueri: ergo ſuffragia proſunt pueris.

3 Item, Illi nullo modo poſſunt dici valde mali: talibus autem proſunt: ergo & illis proſunt.

Sed contra. IN CONTRARIVM eſt, quòd decedunt ſine gratia: ſed decedens ſine gratia, imperceptibilis eſt ad gratiæ perceptionem: ergo nunquam de cætero gratiam percipere poterunt: ſed nunquam dimittitur peccatum ſine gratia: ergo peccatum illorum non dimittitur propter aliquod ſuffragium.

Solutio. ET HOC eſt concedendum.

ET

Et Ad primum dicendum, quòd quandiu sunt in statu merendi, tunc potest eis prodesse meritum alienum, & præcipuè meritum Christi in sacramento regenerationis: sed in alio statu confirmati sunt: & ideò peccatum efficitur immobile, non ex magnitudine peccati, sed ex statu & sententia diuina.

Ad aliud dicendum, quòd vt dictum est, peccatum non facit hoc, sed sententia diuina & status.

Ad aliud dicendum, quòd intelligitur de his non valde malis, qui dum viuerent, se dignos fecerunt vt talia eis prodesse possent: & hoc non fecerunt illi paruuli, qui nihil omninò fecerunt boni vel mali.

ARTICVLVS VII.

An suffragia prosint Sanctis in patria?

Septimo queritur, Vtrum prosint Sanctis in patria? Videtur, quòd sic: quia quanto aliquis dignior est vt prosit ei, tanto magis valet intercessio ab alio pro se facta: sed Sancti dignissimi sunt: ergo maxime valet eis intercessio Ecclesiæ.

2 Item, Humana pietas intercessionem recipit pro augenda hæreditate amici vel filij: sed amor est pietas diuina: ergo citius recipit intercessionem Ecclesiæ vt augeatur eis præmiũ in patria: ergo valent eis intercessiones.

3 Si dicas, quòd non indigent. Contra: Præmium eorum crescere potest, quia non est in summo: ergo hoc maius fieri potest suffragiis bonorum.

4 Item, Plus est in naturis dare esse substantiæ, quam augere quod datum est: ergo similiter est in diuinis, si aliquis alicui impetrat primam gratiam quæ dat esse spirituale, potest etiam in patria huiusmodi gratiæ impetrare augmentum: ergo locum habet suffragium Ecclesiæ etiam in Sanctis.

Sed contra. In contrarium huius est, quod dicitur litera: quia Sancti qui sunt in patria, non indigent: ergo talibus non iuuantur.

2 Item, Minor non iuuat maiorem, sed è conuerso: cum ergo minimus in regno cælorum, maior sit maximo qui est in Ecclesia militante, videtur quòd in nullo suffragatur existenti in ipso. Et hoc est concedendum: & causa est, quia confirmati sunt & crescere etiam merito proprio de cætero in substantiali præmio non possunt.

Solutio.

Ad primum ergo dicendum, quòd licet dignissimi sint, non tamen accipiunt suffragium ecclesiæ, sed potius ex dignitate habent, quòd aliis impendere possunt suffragia.

Ad aliud dicendum, quòd hoc facit humana pietas: quia nullum filiorum sufficienter dotare potest, quin indigeat pluribus: sed quilibet in regno cælorum ita est dotatus, vt non amplius velit quam habet, & confirmatus est in illo.

Ad aliud dicendum, quòd non indiget: & hoc est quod dicitur, quòd substantiale præmium crescere non possit: quia licet maius possit esse, non tamen maius esse potest in isto qui confirmatus est.

Ad aliud dicendum, quòd vtrumque cadit sub merito alieno in statu viæ, sed post hunc statum neutrum cadit sub merito alieno.

ARTICVLVS VIII.

Quæ suffragia magis valeant?

Octauo quæritur, Quæ suffragia magis valeant? Dicitur autem in litera, quòd orationibus & sacrificio salutari & eleemosynis iuuantur: ergo videtur, quòd ista sint præcipua.

2 Item, Ista tria rectè ordinantur contra peccata spiritus: quia dicit Beda, quòd oratione curantur pestes spiritus, & eleemosyna ex rerum amore contractæ: sacrificium autem recipitur pro debitis, eò quòd Christus pro nobis soluit pretium: ergo videtur, quòd ista sunt præcipua.

3 Sed tunc videtur, quòd diminutè ponit: quia ieiunio debent curari pestes corporis: & illa non sunt hîc nominata: ergo, &c.

4 Item, Ecclesiæ vsus est iniungere peregrinationes crucis præcipuè ad terram sanctam pro tota pœna purgatoria in vna, vel decem animabus, vel paucioribus, vel pluribus: ergo videtur, quòd illla maximè valeat ipsis.

Solutio. Responsio. Dicendum, quòd in veritate secundum dicta Gregorij in 4. dialogorum, nihil tantum expetunt animæ pro se fieri, sicut sacrificium salutare. Et hoc idem dicit Beda in historia Ecclesiastica Anglorum. Et deinde orationes & eleemosynas, & alia quæ iniungit Ecclesia. Vnde litera non tangit omnia, sed præcipua.

Ad id ergo quod obiicitur de ieiunio, dicendum quòd ieiunium potius præcidit pestes in corpore ieiunantis: & quia mortui non habent plus domare carnem, ideo ieiunia non habent multum fieri pro ipsis, sed ea quæ dicta sunt: oratio enim est ad Deum, & eleemosyna ad pauperem, in quo consolatur Deus & pascitur: & sic inductus Deus relaxat pœnas defunctorum.

Ad aliud dicendum, quòd Ecclesia hoc facit de potestate clauium potius, quam virtute suffragij: & ideò thesauros suos tunc deriuat ad defunctos, vt fideles citius ad votum inducantur. Et de hoc plura requirenda sunt supra quæstione de indulgentiis.

ARTICVLVS IX.

Qui sunt illi, per quos debent fieri suffragia?

Nono quæritur, Per quos fieri debeant? Videtur, quòd per existentes in charitate: quia dicitur Ioan. 19. Scimus, quia Deus peccatores non audit. Si ergo eleemosyna datur ab eo qui non existit in charitate, vel oratur à tali, videtur quòd non valet suffragium.

3 Item Gregorius, Cum is qui displicet ad intercedendum mittitur, irati iudicis animus ad deteriora prouocatur. Ergo vdetur, quòd

cum tales ſuffragantur, potius creſcat eis pœna, quam diminuatur.

Sed contra. IN CONTRARIVM eſt, quòd ſecundum hoc oporteret quærere quando datur eleemoſyna pauperibus vt orent pro aliquo, vtrum ſint in charitate, vel non: & hoc eſſet difficile.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd ſuffragium licet executiuè ſit viui, tamen vt cauſæ inductiuæ eſt mortui opus: & ideo puto, quòd ſecundum charitatem mortui informatur: & ideò ſi fit ab eo qui non eſt in gratia, valet: ſed tamen melius eſſet, quòd factum eſſet ab eo qui eſt in gratia.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd peccatores non audit pro ſe orantes.

AD ALIVD dicendum, quòd loquitur Gregorius in alio caſu, quando aliquis ex confidentia propria & propriorum actuum nititur intercedere, & non quando eſt ſicut inſtrumentum quaſi ab alio motum, vt dictum eſt prius.

De officiis ſepulturæ.

B DE pompis verò exequiarum idem Auguſtinus ita dicit, Pompa funeris, agmina exequiarum, ſumptuoſa diligentia ſepulturæ, viuorum ſunt qualiacunque ſolatia, non adiutoria mortuorum. Quia ſi aliquid prodeſt impio ſepultura pretioſa, oberit pio vilis, vel nulla. Præclaras exequias in conſpectu hominum purpurato illi diuiti exhibuit turba famulorum: ſed multo clariores in conſpectu Domini, vlceroſo illi pauperi miniſterium exhibuit Angelorum, qui eum extulerunt non in marmoreum tumulum, ſed in Abrahæ gremium. Sit tamen cura mortuos ſepeliendi, & ſepulchra conſtruendi: quia hæc in Scripturis ſanctis inter bona opera deputata ſunt: nec ſolum in corporibus patriarcharum aliorumque ſanctorum, ſed etiam in ipſius Domini corpore qui iſta fecerunt, laudati ſunt. Impleant igitur homines erga ſuos officia poſtremi muneris, & ſui humani lenimenta mœroris. Verum illa quæ adiuuant ſpiritus defunctorum, ſcilicet oblationes, orationes, multo obſeruantius procurent.

Serm. de verbis Apoſt. & de ciui. Dei. lib. 1. c 12. & in lib. de cura pro mortuis gerenda. cap. 2. Lucæ. 16.

Gen. 23. & 25. & 35. & 50.

ARTICVLVS X.

Vtrum peccent illi, qui pompas exequiarum faciunt?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [De pompis verò exequiarum] Et quæritur, Vtrum peccent illi qui tales pompas faciunt? Videtur, quod non: quia ſancti viri hoc fecerunt, ſicut dicitur 1. Machab. 13. Symon ædificauit ſuper ſepulchrum parentum ſuorum ædificium altum viſu, & poſuit ſeptem pyramides.

2 Item Iſa. 2. dicitur, Etit ſepulchrum eius glorioſum. Ergo videtur, quòd hoc fieri debeat etiam circa ſanctorum corpora.

3 Item, Circa ſepulchrum Domini facta ſunt talia: ergo etiam debent fieri circa ſepulchra aliorum.

Quæſtiuncula. VLTERIVS quæritur, Vtrum peccatum ſit talia facere malis? ſcilicet ſepelire eos in loco ſancto, & ornare eorum ſepulchra? Videtur, quòd ſic: quia corpus prophanum non eſt ponendum in loco ſacro: ergo peccat qui ponit.

2 Ad idem narrat Gregorius in dial. quòd quidam malus in loco ſancto ſepultus, per dæmones eiectus eſt.

3 Item, Iſte eſt immundior quam cænum: & conſtat ſiquis ibi poneret cænum, quòd ipſe peccaret: ergo & ille qui ponit ibi impium.

4 Item, Impiis etiam non debetur ſecundum iura niſi ſepultura aſini: ergo peccant qui eos aliter ſepeliunt.

5 Item Iſa. 14. dictum eſt de regre Babylonis malo, quòd non habebit cum regibus conſortium etiam in ſepultura: ergo vt prius.

Sed contra. IN CONTRARIVM eſt, quòd eleemoſyna danda eſt omnibus propter ſuſtentationem naturæ: ſed ſepultura eſt ſpecies eleemoſynæ, ſicut dicitur Iob 7. ergo nulli eſt neganda.

2 Item, Dignitas quædam naturalis ineſt corpori humano: ergo ad horrorem non eſt inhumatum dimittendum: ergo ſepeliendus eſt omnis homo quantuncumque indignus.

Solutio. Ad primam partem harum obiectionum, dicendum, quòd bonorum & ſanctorum ſepulchra ſunt ornanda propter oſtenſionem gloriæ reſurrectionis eorum: & ideo bene concedo inducta.

Ad quæſtiuncullam. AD ALTERAM partem dicendum, quòd omni homini conceditur ſepultura aſini vel hominis, ſicut dicunt iura: & bene concedo, quòd niſi fiat propter terrorem omnis hominis corpus debet humari: propter horrorem enim non humantur latrones, & huiuſmodi ſcelerati homines. Et ſic intelliguntur aliæ obiectiones inductæ. Etiam excommunicati non humantur in loco ſacro, licet propter fœtorem ſepeliantur ſepultura aſini. Et per hoc patet ſolutio ad totum.

De

De duobus æquè bonis, quorum alter plura post mortem habet auxilia.

SOLET moueri quæstio de duobus, vno diuite, altero C paupere, pariter sed mediocriter bonis, qui prædictis suffragiis indigent, & meruerunt pariter post mortem iuuari: pro altero vero, id est, pro diuite, speciales & communes fiunt orationes, multæque eleemosynarum largitiones: pro paupere verò non fiunt nisi communes largitiones & orationes. Quæritur ergo, an tantum iuuetur pauper paucioribus subsidiis, quantum diues ampliori-bus? Si non pariter iuuatur, non ei redditur secundum merita. Meruit enim pariter iuuari: quia pariter boni extiterunt. Si verò tantum suffragij consequitur pauper, quantum diues: quid contulerunt diuiti illa specialiter pro eo facta? Sanè dici potest, non ei magis valuisse generalia & specialia, quam pauperi sola generalia suffragia. Et tamen profuerunt diuiti specialia, non quidem ad aliud vel maius aliquid, sed ad idem ad quod generalia, vt ex pluribus & diuersis causis vnum perciperetur emolumentum. Potest tamen dici aliter, illa plura subsidia contulisse diuiti celeriorem absolutionem, non pleniorem.

Quibus suffragiis iuuabuntur mediocriter boni qui in fine inuenientur.

SED iterum quæritur de aliquo mediocriter bono, qui D talibus indigens suffragiis in ipso consummationis articulo cum reliquis migrabit, si saluus fuerit: pro eo non offertur vlterius sacrificium, vel oratio, vel eleemosyna: nec habebat tantæ perfectionis merita, quæ suffragiis non egerent. Nunquid ergo saluabitur? Existimo eum quasi per ignem transeuntem, saluari meritis & intercessionibus cælestis Ecclesiæ, quæ pro fidelibus semper intercedit voto & merito, donec impleatur Christus. 1. Cor. 13.

ARTICVLVS XI.

An potior sit conditio diuitis quam pauperis, & an melius sit facere suffragia communia quam specialia?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Solet moueri quæstio] Ex hoc enim videtur, quòd potior sit conditio pauperis quam diuitis: & hoc falsum est, quia paupertas laudatur, & diuitiæ vituperantur.

Quæstiuncula. VLTERIVS quæritur, Vtrum melius sit facere suffragia communia, quam specialia? Videtur, quòd melius sit communia facere: quia suffragia particularia trahunt vim à charitate, eò quod charitas communicat bona: ergo quantò communiora, tantò meliora.

2 Item, Hieronymus dicit, quòd meliora sunt communia, quam priuata.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est, quod Gregorius instituit orationes speciales pro famulo & famula: ergo magis valent illæ, quam communes.

2 Item, In litera dicit specialia valere ad specialiorem redemptionem, licet non ad pleniorem: ergo magis valent.

Solutio. AD HOC dicendum, quòd cùm suffragia sint per modum satisfactionis pro peccato, & peccata sint propria non communia, videtur mihi, quòd magis valeant suffragia specialia & propria: & ideò etiam in litera dicit, quòd citius liberatur qui habet multa specialia.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd comparatio intelligitur inter eos qui cætera habent paria. Et nihil prohibet conditionem diuitis secundum quid esse meliorem, quam pauperis, licet simpliciter sit è conuerso.

AD ALIVD dicendum, quòd charitas est forma omnis boni siue communis siue priuati: & ideo in obiectione illa non probatur, quòd meliora sint communia. Vel dicendum, quòd communia sunt meliora quoad coronam æternam, sed priuata sunt meliora quoad emendationem delicti.

AD ALIVD patet solutio: quia dictum Hieronymi intelligitur quantum ad adeptionem coronæ.

Quomodo

Quomodo ſancti glorificati audiunt preces ſupplicantium & quomodo intercedunt pro nobis ad Dominum.

E Hugo de ſacramentis. lib. 2. parte 16. c. vlt.

SED fortè quæris, Nunquid preces ſupplicantium ſancti audiunt, & vota poſtulantium in eorum notitiam perueniunt? Non eſt incredibile animas ſanctorum, quæ in abſcondito faciei Dei veri luminis illuſtratione lætantur, in ipſius contemplatione ea quæ foris aguntur intelligere, quantum vel illis ad gaudium, vel nobis ad auxilium pertinet. Sicut enim Angelis, ita & ſanctis qui Deo aſſiſtunt, petitiones noſtræ innoteſcunt in verbo Dei quod contemplantur. Vnde & dicuntur Angeli orationes & vota noſtra offerre Deo: non quia eum doceant, ſed quia eius voluntatem ſuper eis conſulunt. Vnde Auguſt. Angelis qui ſunt apud Deum, innoteſcunt petitiones noſtræ, vt quodammodo offerant Deo, & de his conſulant: & quod Deo iubente implendum eſſe cognouerint, hoc nobis euidenter vel latenter reportent. Vnde & Angelus hominibus ait, Cum oraretis, orationem veſtram obtuli Deo. Ad omnia quidem ſcienda ſufficit Deo ſua perfectio: habet tamen nuntios, id eſt, Angelos, non qui ei quæ neſcit annuntient (non enim ſunt vlla quæ neſciat) ſed bonum eorum eſt de operibus ſuis eius conſulere veritatem: & hoc eſt quod dicuntur nonnulla nuntiare: non vt ipſe ab eis diſcat, ſed vt ab eo ipſi per verbum eius ſine corporali ſono nuntiant etiam quod voluerit ab eo miſſi ad quos voluerit, totum ab illo per illud verbum eius audientes, id eſt, in eius veritate inuenientes, quid ſibi faciendum, quibus & quando nuntiandum ſit. Nam & nos orantes eum non eum docemus: quia nouit (vt ait verbum eius) pater veſter quid vobis neceſſarium ſit priuſquam petatis ab eo. Nec iſta ex parte cognouit: ſed futura omnia temporalia, atque in eis etiam quid & quando ab illo petituri fueramus: & quos, & de quibus rebus vel exauditurus, vel non exauditurus eſſet, ſine initio ante præſciuit. Non ergo dicitur Angelus orationes noſtras offerre Deo, quaſi Deus tunc nouerit quid velimus & quo indigeamus: quæ omnia antequam fiant, ſicut & poſtquam facta ſunt, nouit: ſed quia neceſſe habet rationalis creatura temporales cauſas ad æternam veritatem referre, ſiue petendo quid erga ſe fiat, ſiue conſulendo quid faciat.

Tob. 12.

In lib. de orando ad Deū.

Tob. 12. Auguſt. lib. 15. de Trinit. c. 13.

Auguſt. ibidem continuè. Matt. 6. Aug. lib. de gratia Noui & Veteris Teſtamenti. Super illud Phil. 4. Gaudete.

Quod dictum de Angelis, attribuit ſanctis animabus.

FSI autem Angeli à Deo per verbum eius diſcunt petitiones noſtras, & quid de his implendum ſit, & quid non. Cur non credamus & animas Sanctorum Dei faciem contemplantium, in eius veritate intelligere preces hominum, & quæ implendæ ſint vel non? Inde eſt quod Deus dicitur exaudire preces quorundam, non ſolum quando effectui mancipat, ſed etiam quando innoteſcit curiæ Angelorum & ſanctarum animarum quid inde futurum ſit vel non: & quod cognoſcunt in Dei voluntate eſſe, volunt & ipſi. Adeo enim

ſupernæ

ſupernæ voluntati addicti ſunt, vt nihil præter eius voluntatem queant velle. Intercedunt ergo ad Deum pro nobis Sancti: & merito, dum illorum merita ſuffragantur nobis: & affectu, dum vota noſtra cupiunt impleri: quod tamen non faciunt, niſi in voluntate Dei, implenda didicerint. Oramus ergo vt intercedant pro nobis, id eſt, vt merita eorum nobis ſuffragentur, & vt ipſi velint bonum noſtrum, quia eis volentibus Deus vult, & ita fiet. Ex præmiſſis conſtat, quòd cum quibuſdam miſericordius agit Deus quam eorum peccata meruerint, ſcilicet cum mediocriter malis, qui ſuffragiis Eccleſiæ iuuantur.

ARTICVLVS XI.

An Sancti audiant preces ſupplicantium?

DEinde quæritur de hoc quod dicit [Sed fortè quæris, Nunquid preces ſupplicantium?] Videtur enim, ſi non audiunt ſancti preces hominum naturaliter, ſed tantum per reuelationem verbi, quòd imperfectiores ſunt nobis: quia nos audimus vota aliorum & per reuelationem, & naturaliter: animæ autem in purgatorio exiſtentes non audiunt, niſi per reuelationem, vt dicit in litera.

2 Item, Si naturaliter audiunt ſiue percipiunt, quæratur, quæ ſit illa cognitio? Scientia enim acquiſita non manet in eis, vt habitum eſt ſuper tertium: & organa quibus fiet abſtractio, non habent: ergo videtur, quòd vota hominum eis per naturam innoteſcere non poſſunt.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum ſine præiudicio, quòd animæ exutæ corporibus, habent formas creationis ſicut Angeli, & illis loquuntur & audiunt ſicut Angeli. Et quid ſit hoc, ſuper ſecundum eſt notatum. Magiſter tamen in litera non facit mentionem de illo modo: quia non eſt gloriæ actus, nec ſubliſſimus in anima, ſed naturalis: quod autem anima non eſt modo in illa cognitione, eſt propter ſenſuum cognitionem, circa quam occupatur, vt dicit Auguſtinus.

DISTINCTIO XLVI.

Si valde malis detur mitigatio pœnæ.

SED quæritur hîc de valdè malis, vtrum & ipſi in aliqua pœnarum mitigatione Dei miſericordiam ſentiant, vt minus quam meruerint puniantur? Quidam autumant eos nullam releuationem pœnæ habituros quod confirmant Iacobi auctoritate dicentis, Iudicium ſine miſericordia fiet illi, qui non fecit miſericordiam. Auguſtinus etiam ait: Miſericordia hîc, iudicium in futuro. Idem diſtinguens quomodo omnes viæ Domini ſint miſericordia, & veritas, ait, Erga Sanctos, omnes viæ Dei miſericordia: erga iniquos, omnes veritas: quia & in iudicando ſubuenit, & ita non deeſt miſericordia: & in miſerando id exhibet quod promiſit, ne deſit veritas. Erga omnes autem quos liberat & condemnat, omnes viæ ſunt miſericordia & veritas: quia vbi non miſeretur, vindictæ veritas datur. Dicens vbi non miſeretur, dat intelligi aliquid à Deo fieri, vbi ipſe non miſeretur. Sed his occurrit quod ait Caſſiodor. ſuper Pſalm. 50. loquens de miſericordia & pietate Dei. Hæ duæ, inquit, res iudicio Dei ſemper adiunctæ ſunt. Ergo & in punitione malorum non eſt iuſtitia ſine miſericordia. Idem de iudicio & miſericordia ait, Hæc duo mutua ſocietate ſibi iunguntur.

A *De ſtatu & conditione malorum poſt mortem.* Iacob. 2. Super octonarium. 19. Matt. 5. Idem Caſſiod. ſuper Pſ 100.

In ench. guntur. In his breuiter omnia opera Dei includit. Auguſtinus quoque reſpondens illis qui reproborum ſupplicia finem habitura contendunt, ita illorum repellit opinionem, aſſerens reprobos perpetuò puniendos, vt eorum ſupplicia mitigari aliquatenus non neget. Fruſtra, inquit, nonnulli æternam damnandorum pœnam & cruciatus ſine intermiſſione perpetuos humano miſerantur affectu, atque ita futurum eſſe non credunt: non quidem ſcripturis aduerſando diuinis, ſed pro ſuo motu dura quæque molliendo, & in leniorem flectendo ſententiam, quæ Pſ. 76. putant in eis terribilius eſſe dicta quam verius. Non enim (inquiunt) obliuiſcetur miſereri Deus, aut continebit in ira ſua miſericordias ſuas. Hoc quidem in Pſalmo legitur: ſed de his intelligitur, qui ſunt vaſa Rom. 9. miſericordiæ: quia & ipſi non pro meritis ſuis, ſed Deo miſerante de miſeria liberantur. Aut ſi hoc ad omnes æſtimant pertinere, non ideò neceſſe eſt vt damnationem opinentur finiri poſſe eorum, de Mat. 25. quibus dictum eſt, Ibunt hi in ſupplicium æternum. Ne hoc modo putetur habitura finem felicitas eorum: de quibus è contrario dictum eſt, Iuſti autem in vitam æternam. Sed pœnas damnatorum certis temporibus æſtiment (ſi hoc his placet) aliquatenus mitigari. Et ſic quippe intelligi poteſt manere ira Dei in illis, id eſt, ipſa damnatio. Hæc enim vocatur ira Dei, non diuini animi perturbatio: vt in ira ſua, id eſt, manente ira ſua, non contineat miſerariones ſuas, non æterno ſupplicio finem dando, ſed leuamen adhibendo vel interponendo cruciatibus: quia nec Pſalmus ait ad finiendam iram ſuam, vel poſt iram ſuam, ſed in ira ſua. Quæ ſi ſola eſſet, alienari à regno Dei, & carere magna multitudine dulcedinis Dei, tam grandis tamen eſt pœna, vt ei poſſint nulla tormenta quæ nouimus, comparari: ſi illa ſit æterna, iſta autem ſit quamlibet multis ſeculis longa. Manebit ergo ſine fine mors perpetua damnatorum: & ipſa omnibus erit communis, ſicut manebit communiter omnium vita æterna Sanctorum. Ecce ita aſſerit hîc pœnas reproborum non eſſe finiendas, quòd non improbat, ſi dicatur eorum ſupplicio aliquod leuamen adhiberi. Vnde non incongruè dici poteſt, Deum etſi iuſtè id poſſit, non omninò tantum punire malos in futuro quantum meruerunt: ſed eis aliquid, quantuncunque mali ſint, de pœna relaxare.

Determinat præmiſſas auctoritates.

B QVOD ergo dictum eſt, iudicium ſine miſericordia fieri illi qui non fecit miſericordiam: ita intelligi poteſt, quòd iudicium damnationis fiet illi, qui non fecit miſericordiam, pro eo quod fuit ſine miſericordia. Vel fiet iudicium & ſine miſericordia liberante & ſaluante: qui tamen in aliqua pœnæ alleuiatione miſericordiam Dei ſentiet. Ita cum dicitur miſericordia hîc, iudicium in futuro: non negatur quin in futuro ſit miſeridiæ effectus, & in electis qui per miſericordiam ab omni miſeria liberabuntur, & in reprobis qui minus quam meruerint cruciabuntur. Sed hîc non ſine cauſa dicitur fieri Dei miſericordia, & iudicium

in

in futuro: quia & hîc multis modis miseretur Deus, quibus non miserebitur tunc. Vocat enim Deus nunc peccatores & iustificat, quod tunc non faciet: & tunc reddens singulis secundum merita sua, manifestè iudicabit, qui nunc occultè iudicat. Cuius occultum iudicium (vt ait Augustinus) intelligitur pœna qua quisque vel exrcetur ad purgationem, vel mouetur ad conuersionem: vel si contemnit, excæcatur ad damnationem. Occultum ergo iudicium Dei, pœna dicitur, qua iudicat purgando, conuertendo, vel excæcando. Iudicia quoque Dei interdum appellantur dispensationes eius de omnibus rebus. Vnde, Quam incomprehensibilia sunt iudicia eius. Et, Iudicia eius abyssus multa. Iudicium autem quo in futuro iudicabit, intelligitur sententia iudicis, qua ventilabitur area, id est, diuidentur localiter boni à malis ministerio Angelorum: & isti in vitam ducentur, illi in supplicium mittentur, qui nunc simul mixti sunt. Luc. 5. Rom. 11. Psal. 35. Matt. 25.

De iustitia & misericordia Dei.

SED quomodo iustitiam Dei & pietatem, id est, misericordiam supra Cassiodorus duas esse res dixit, quæ semper adiunctæ sunt iudicio Dei? Iustitia enim Dei & misericordia non duæ res sunt, sed vna res, id est, vna diuina essentia est, sicut supra pluribus auctoritatibus ostensum est. Quia non est Deo aliud esse misericordem, quam misericordiam: nec iustum, quam iustitiam: sed idem prorsus. Nec aliud est ei esse misericordem, quam iustum: vel misericordiam, quam iustitiam: sed omninò idem, quia non denominatiuè, sed essentialiter hæc de Deo dicuntur. Cur ergo dicit scriptura de operibus Dei, quædam esse misericordiæ, quædam iustitiæ? Si enim iustitia Dei, misericordia est: quæcunque sunt opera misericordiæ, esse videntur iustitiæ, & è conuerso. His responderi potest sic, illis locutionibus quibus huiusmodi operum fiunt distinctiones, vt alia misericordiæ, alia iustitiæ, alia bonitati attribuantur: non diuersitas subiacentis, id est, rei his vocabulis significatæ exprimitur, sed varietas sensuum & effectuum in creaturis monstratur. Cum enim dicitur Deus iustus vel iustitia, essentia diuina prædicatur: & etiam quòd ipse sit distributor, & iudex meritorum, intelligi datur. Ita & cum dicitur misericors, essentia diuina prædicatur: & insuper quòd ipse sit miserorum liberator intelligi datur. Similiter cum dicitur bonus, essentia diuina prædicatur. Et cum dicitur Deus & insuper author omnium bonorum ostenditur. Ita & cum dicitur Deus, essentia diuina prædicatur, & ipse timendus ostenditur. Inde ergo quædam opera misericordiæ, quædam iustitiæ dicuntur: non quin diuina essentia hæc & illa operetur, & quin hæc & illa sint opera diuinæ essentiæ, quæ dicitur misericordia & iustitia: sed quia quædam sunt quibus ostenditur iudex & æquus distributor, quædam quibus ostenditur miserator. Misericors enim dicitur in natura, miserator in exhibitione. Et in quibusdam operibus dicitur effectus esse misericordiæ, in quibusdam effectus iustitiæ: non quòd aliud efficiat iustitia, aliud misericordia Dei si ad essentiam referas: sed quia ex quibus- C

dam effectibus intelligitur iudex, ex quibusdam miserator: vel, vt quibusdam placet, iustus & misericors. Sed secundum hoc occurrit quæstio, Quomodo ex aliis ostendatur iustus, & ex aliis misericors, cum sit idem ei esse iustum & esse misericordem? Si enim secundum eandem rationem dicitur iustus & misericors, ex eo opere quo intelligitur iustus, intelligitur misericors, & è conuerso. Sed dixi supra, quia cum dicitur Deus iustus & misericors, ita eadem diuina essentia significatur, & secundum eam idem prædicatur, vt etiam quædam diuersa intelligantur. Intelligimus enim per hoc eum esse miseratorem & iustum iudicem. Quod euidenter Origen. ostendit dicens, Omnia quæ Dei sunt, Christus est. Ipse sapientia eius, ipse fortitudo, iustitia, sanctitas, ipse prudentia, ipse veritas. Sed cum vnum sit in subiacenti pro varietate sensuum, diuersis nuncupatur vocabulis. Aliud enim significat sapientia, aliud iustitia. Quando enim sapientia dicitur, disciplinis te diuinarum humanarumque rerum instruere intelligitur. Quando iustitia, distributor vel iudex meritorum insinuatur. Ita & prudentia cum dicitur, doctor, & demonstrator bonarum, vel malarum rerum, vel neutrarum intelligitur.

Super Ierem. c. 10. super illud. *Qui fecit terram in for.*

Auctoritatibus probat quædam iustitiæ, alia misericordiæ, alia bonitati attribui.

DVOD autem quædam opera misericordiæ, quædam iustitiæ, quædam bonitati attribuantur, in Scripturis facile est reperire. Et de misericordia quidem & iustitia manifestum est, de bonitate vero & misericordia amplius latet. Sed Augustinus docet illa opera propriè ad misericordiam partinere, quibus aliqui à miseria liberantur. Ad bonitatem verò non solum illa, sed facturam & gubernationem naturalium, ita dicens, Ad misericordiam pertinet, quòd à peccatis mundat, & de miseria liberat. Ad bonitatem verò, quòd cælum & terram, & omnia valdè bona creauit vt essent. Idem, Cæli non indigent misericordia, vbi nulla est miseria: in terra hominis abundat miseria, & superabundat Dei misericordia. Miseria ergo hominis & misericordia Dei plena est terra, non cæli, qui non indigent misericordia, indigent tamen regente Domino. Omnia enim indigent Domino, & misera, & felicia: quia sine illo miser non subleuatur, felix non regitur. Item alibi, Misericordia est erga miseros, bonitas erga quoslibet. Interdum tamen misericordia largè accipitur, vt bonitas.

Super Psal. 135. Super Psal. 32. Idem super illud, Secundum misericordiam tuam memento mei tu.

Quomodo vniuersæ viæ Domini dicantur misericordia & veritas.

EPOST hæc considerari oportet, ex quo sensu vniuersæ viæ Domini dicantur misericordia & veritas. Hoc multiplicem recipit expositionem. Vniuersæ enim viæ Domini misericordia & veritas quibus ad nos venit, vt ait Augustinus super Psalm. intelliguntur duo aduentus. Primus, in quo manifestam & multiplicem

Psal. 24.

tiplicem misericordiam nobis exhibuit: & secundus, in quo requirendo merita, iustitiam exhibebit. Vniuersæ etiam viæ Domini, id est, quibus ad Dominum ascendimus, sunt iustitia, qua à malo declinamus: & misericordia, qua bonum facimus. In his enim duobus omne bonum meritum includitur. Sed cum superius Cassio. dixerit in his duobus omnia opera Dei includi, meritò quæri potest, An in omni opere Domini hæc duo mutuo sibi iungantur? Quibusdam placuit non in omni opere Domini hæc duo concurrere, secundum effectum dico: nam secundum essentiam non diuiditur misericordia à iustitia, sed vnum est. Verum secundum effectum non in omni opere Domini dicunt esse misericordiam & iustitiam: sed in quibusdam fatentur tantum misericordiam, in aliis iustitiam, atque in aliis misericordiam & iustitiam. Fatentur tamen Dominum omnia quæ fecit misericorditer agere & iustè: referentes rationem dicti ad Dei voluntatem, quæ iustitia est & misericordia: non ad effectus misericordiæ & iustitiæ, qui sunt in rebus. Aliis autem videtur, quòd sicut dicitur Deus omnia opera sua iustè facere & misericorditer: ita concedendum sit, in omni opere Dei iustitiam esse & misericordiam, id est, clementiam, secundum effectum vel signum: quia nullum opus Dei est, in quo non sit effectus vel signum æquitatis & clementiæ, siue occultæ, siue apertæ. Aliquando enim manifesta est clementia siue benignitas, & occulta æquitas, aliquando è conuerso.

Ad Psal. 100.

Salutis.

ARTICVLVS I.

An diuisio quam supponit Magister, scilicet quòd aliqui sunt valdè boni, & aliqui valdè mali, sit bona?

SEd quæritur hic de valde malis] In ista distinctione ponuntur duæ quæstiones. Vna ex intentione, scilicet si valdè malis prosint suffragia? Et altera ex incidenti, scilicet vtrum in omni opere Dei sit misericordia & veritas *ibi* [Sed quomodo iustitiam Dei & pietatem, &c.] Quantum ad primum duo dicit, scilicet si valdè malis aliqua fit misericordia. Et secundo determinat in contrarium inducta *ibi* [Quod ergo dictum est] Litera autem primæ partis planè disputata est in litera: ad quam intelligendam tria oportet inquirere, scilicet de diuisione illa quam supponit, quòd sunt valdè boni, &c. & de opinione Doctorum de valdè malis. Et vtrum in omni opere Dei sit misericordia & veritas?

Ad primum sic obiicitur: Omnis diuisio debet esse per oppositа: sed diuisio quadrimembris supra est habita: ergo inter se membra ad minus sunt disparata: ergo mediocriter boni, & mediocriter mali, sunt diuersa genera hominum.

2 Item, Differentia quadrimembris inuenitur in iudicandis, vt infra habebitur: sunt enim iudicandi perfecti: & iudicati damnati, qui sunt vt mediocriter mali: & non iudicati damnati, qui sunt vt valdè mali. Cum ergo genera ista hominum differant in ordine iudicij, videtur quòd hîc habeant differentiam: ergo mediocriter boni & mediocriter mali different.

3 Item, In moribus inuenitur ista diuersitas: sunt enim infideles, quorum malitia omnem aliam quæ est in moribus tantum, excedit: & sunt infideles qui saltem numero sunt de Ecclesia: & sunt boni imperfecti & boni perfecti: & constat, quòd primi sunt valde mali, & secundi mediocriter mali, & tertij mediocriter boni, & quarti valdè boni: ergo omnes isti status inter se differunt.

4 Item, Cùm dicitur, Iste est mediocriter bonus: aut potest inferri, quòd ipse sit simpliciter, aut non. Si sic: ergo cum in isto posset inferri, quòd sit simpliciter bonus, eadem ratione in altero inferretur, quòd ipse sit simpliciter malus: constat autem, quòd bonus & malus differunt: ergo isti simpliciter different. Si autem non possit inferri, quòd mediocriter bonus, sit simpliciter bonus: sed nullus saluatur, nisi qui est simpliciter bonus quantum ad omnis peccati mortalis immunitatem: ergo mediocriter bonus non saluatur, quod falsum est: ergo & hoc falsum, quòd mediocriter bonus, non sit simpliciter bonus.

IN CONTRARIVM huiùs est, quod mediocriter bonus non dicitur nisi per distantiam à bono: non potest autem distare, nisi per immixtionem mali: ergo mediocriter bonus, est immixtus alicui malo. Similiter mediocriter malus non dicitur, nisi per maiorem accessum ad bonum: sed idem est mediocriter accedens, & mediocriter recedens re, licet ratione differant: ergo isti duo status supponunt vnum genus hominum.

Sed contra.

2 Item, In mediis coloribus idem est me-

diocriter album & mediocriter nigrum: ergo similiter erit in medio inter bonum & malum.

3 Item, Idem in litera ab August. attribuitur vtrique statui, scilicet iuuari posse suffragiis: sed quorum est idem attributum, illa sunt eadem in supponendo se illi attributo: ergo isti duo status sunt vnus status.

4 Item, In litera est habitum, quòd nulli valent suffragia, nisi ei qui se dignum fecit vt hæc ei possint prodesse. Ergo & mediocriter malus fecit se dignum, & similiter mediocriter bonus: sed nullus facit se dignum, nisi per gratiam: ergo vterque istorum habet gratiam: sed mediocriter boni & mali supposita gratia in subiecto non faciunt nisi statum vnum: ergo isti duo status sunt vnus status.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd hoc problema oportuit disputare ante sequens: quia aliter sequens non esset intelligibile. Vnde diuersæ opiniones diuersimodè soluunt: dicentes enim suffragia prodesse damnatis, concedunt primam obiectionum partem.

ET AD primum quod est contra, dicunt, quòd distantia à bono non est per immixtionem mali, sed potius per statum imperfectionis venialium, sicut illi distant, qui ædificant lignum, fœnum, stipulam, de quibus supra in tractatu de pœnitentia habitum est. Et accessus ad bonum in mediocriter malis est per bona quæ dicuntur gratis data & de genere bonorum, sicut est fides informis danti eleemosynam, & ieiunia, & huiusmodi, in peccato mortali: & ita non faciunt statum vnum.

AD ALIVD dicunt, quòd non est simile de mediis coloribus: quia illi constituuntur per participationem duorum contrariorum: hic autem non est sic: quia medium inter bonum simpliciter & malum, non est participatione duorum per differentem recessum ab eodem, sed per statum imperfectionis, & per actum peccati mortalis cum participatione bonorum habilitantium ad gratiam.

AD ALIVD dicendum, quòd secundum eos nihil prohibet idem per diuersas rationes attribui diuersis: & ita dicunt hîc, quòd ratione boni habilitantis ad gratiam, ad tolerabiliorem damnationem valent suffragia mediocriter malis. Et ratione gratiæ boni imperfecti valent mediocriter bonis ad velociorem absolutionem à pœnis.

AD VLTIMVM dicunt, quòd est meritum duplex, scilicet congrui, & condigni. Meritum congrui vt eis valeant suffragia habent mediocriter mali: & meritum condigni vt citius per suffragia liberentur, habent mediocriter boni. Dicunt etiam, quòd ista ipsorum opinio magis pia est & inductiua Ecclesiæ ad multa bona: & ideo magis tenenda & eligenda.

E CONTRARIO dicunt alij, quibus ego consentio, quòd secunda pars obiectionum verè concludit. Et ad primum dicunt, quòd ista diuisio non est per oppositas res, sed per oppositos modos rei: medij enim modi sunt eiusdem rei, & tamen diuersarum rationum.

AD SECVNDVM autem dicunt, quòd alius est ordo iudicandorum, & eorum quibus suffragatur Ecclesia: iudicandi enim (vt dicit Apostolus) iudicantur secundum differentiam operum suorum: & hæc quadruplicia sunt secundum genus operum: sed Ecclesia nulli suffragatur, nisi cuius solubilis & diminuibilis est pœna: constat autem nullam pœnam inferni diminuibilem esse manente culpa secundum esse & quantitatem, quæ tota & sola est causa pœnæ infernalis. Et constat, quòd culpa in eis nunquam diminuetur, cum culpa nunquam soluatur vel minuatur nisi per gratiam: & ipsi non sunt gratiæ susceptibiles: ergo constat, quod Ecclesia nulli suffragatur damnato.

PER HOC etiam patet solutio ad sequens: quia alia sunt genera operum, & alius ordo eorum quibus Ecclesia suffragatur, vt dictum est.

AD VLTIMVM dicendum, quòd valde bonus dicitur hîc à statu perfectionis: & ideò dicit excessum vltra simpliciter bonum. Mediocriter autem bonus dicitur à statu imperfectionis, & similiter mediocriter malus. Et si concedatur inferri simpliciter bonus ex mediocriter malo: tamen non potest inferri simpliciter malus ex mediocriter bono: quia simpliciter malus est, qui nihil habet de bono gratiæ gratum facientis: sed mediocriter malus non dicitur ab actu vel habitu malo simpliciter, sed à statu cui immixta sunt venialia, quæ sunt lignum, fœnum, stipula.

ARTICVLVS II.

Quot sint opiniones de suffragiis respectu damnatorum?

SEcundo quæritur de opinionibus antiquorum circa materiam istam. Fuerunt autem antiqui qui dicebant damnatis mediocriter malis prodesse suffragia Ecclesiæ, hoc est, damnatis fidelibus. Et inueniuntur tres modi opinionum suarum: dixit enim Præpositiuus, quòd suffragium vnum minuit aliquotam partem pœnæ, & secundum æquale primo, minuit æqualem partem pœnæ: & ita multiplicatis suffragiis tota pœna posset tolli. Ne autem diceret, quòd liberarentur, & pœna eorum haberet finem, & ita caderet in errorem Origenis, dixit, quòd pœna suspenditur per Ecclesiæ suffragia vsque ad diem iudicij, & tunc relabentur in infernum in corpore & anima simul in æternum cruciandi. Alij dixerunt, vt Porretani, quòd hæc diminutio geometrica est, vt tollatur pars eiusdem proportionis per secundum suffragium, & non semper eiusdem quantitatis: vt si primum suffragium tollit pœnæ centesimam, secundum suffragium æquale primo, tollit centesimam residui, & tertium centesimam illius residui: & sic manet semper pœna, eò quod est diuisibilis in infinitum. Antisiodoren. alium modum inuenit, & dixit, quòd non diminuitur pœna: quia manente causa manet effectus, hoc est, manente culpa manet pœna: sed confortatur sustinens per suffragium, vt facilius possit sustinere pœnam: & de hoc posuit simile, sicut si homo portat graue onus: & cum est in pondere & sudore, facies eius perfunditur aqua frigida, confortatur

tur ad melius portandum,& tamen onus ſuum in nullo eſt leuius.

Obiicitur autem contra primam obiectionem: quia ſicut dicit Gregorius,Nulla eſt animæ & hominis paſſibilitas ab æterno igne,niſi quam fecit culpa. Ergo manente eodem modo paſſibilitate quæ eſt à culpa, & vno modo agente igne, vna erit paſſio ſemper. Conſtat autem, quòd culpa in omnibus damnatis manet eodem modo ſemper immobilis. Ergo ſi eſt diuerſitas, hoc eſt ex parte ignis agentis: ſed hoc eſt falſum, quia dicit Gregorius,quòd vno modo agit, ſicut vnus ſol vno modo agit in eos qui ex diuerſis cauſis infirmantur ſi ſoli exponantur: & tamen iſti non vno modo patiuntur. Ergo conſtat hanc opinionem eſſe falſam.

2 Item hoc eſt contra dicta ſanctorum Dionyſij, Auguſtini, Gregorij, ſuperius inducta.

3 Item, Cum de talibus nihil ſit audendum dicere, niſi per dicta ſanctorum probetur,videtur quod præſumptio fuit talia dicere, eò quod nec rationem nec auctoritatem habent probantem.

Contra ſecundam planè obiicitur: quia duobus exiſtentibus æqualibus in virtute actiua, patiente autem exiſtente fortiori & debiliori ad patiendum & reſiſtendum agenti, magis agit in patiens id quod inuenit patiens debilius ad reſiſtendum, quam id quod inuenit fortius: ſed duo æqualia ſuffragia ſunt agentia, & damnatus primo magis reſiſtere poteſt, quam ſecundo: ergo ſecundum plus tollit de pœna, quam primum: & ita nulla eſt fictio illa.

2 Item quæratur ab eis, quare ſecundum cum ſit æquale primo, minus tollit,quam primum?& non poterunt cauſam aſſignare: ergo cum dictum irrationale ſit,eſt abiiciendum.

3 Item, Iſti incidunt in inconueniens quod effugere volunt:quia licet ſecundum minuat ſimilem in proportione & non æqualem, tamen tot ſuffragia fieri poſſunt, quòd pœna inſenſibilis efficietur: & hoc voluerunt euitare, quia ſecundum eos ſemper aliquid remanet de pœna ſenſibili.

4 Item quæratur, In qua arte hoc didicerunt, quòd pœna diuiſibilis eſſet in infinitum: hoc enim falſum eſt, quia & corpus naturale non eſt diuiſibile in infinitum: ergo multo minus diſpoſitio corporis vel animæ: ſed de mathematico tantum probatum eſt, quòd eſt diuiſibile in infinitum.

Similiter de tertia opponitur. Animæ enim non recipiunt confortationem,niſi per gratiam gratum facientem vel gratis datam:& ipſa non eſt in ſtatu recipiendi gratiam: ergo nulla eſt huiuſmodi confortatio.

2 Item, Similitudo corporalis non habet locum in ſpiritu,quia ſpiritus non habet paſſibilitatem, niſi ex culpa: ergo nulla fiet in eo confortatio,niſi per culpæ alleuiationem:hanc autem impoſſibile eſt alleuiari: ergo nullam damnati aliqui accipient conſolationem.

Solutio. HÆC AVTEM omnia non puto eſſe concedenda, niſi eo modo quo ſupra dictum eſt de verme conſcientiæ. Et qui has opiniones vel potius errores ſequi vult, qui cum ſanctis non concordant, laboret iſta determinare.

ARTICVLVS III.

An in omni opere Domini ſit miſericordia & veritas?

TErtio autem quæritur, Vtrum in omni opere Domini ſit miſericordia & veritas? Videtur, quòd non: quia in opere creationis nec iuſtitia nec miſericordia apparet:quia ſicut dicit Auguſtinus in litera,in cælo nulla eſt miſeria: ergo nec miſericordia:ergo à ſimili cum ante mundum nulla eſſet miſeria, nulla fuit miſericordia: ſed nec iuſtitia,quia illa vnicuique pro meritis diſtribuit: iuſtitia autem dicitur veritas: ergo nec miſericordia nec veritas in opere creationis fuerunt.

2 Item, In iuſtificatione impij non videtur eſſe veritas, nec iuſtitia, ſed miſericordia tantum: quia Deus non debet iuſtificare impium: ergo non apparet ibi iuſtitia.

3 Item videtur,quòd in nullo operum Dei apparet iuſtitia: quia iuſtitia obligat ad debitum: ſed Deus ex debito non obligatur: ergo in nullo opere Dei iuſtitia apparet.

4 Item, In condemnatione prælatorum valdè malorum non apparet miſericordia: quia dicitur Sapientiæ 6. Exiguo conceditur miſericordia: potentes autem potenter pœnam patientur.

5 Item, Secundum præhabita in valdè malorum pœnis non apparet miſericordia, ſed veritas.

Sed contra. IN CONTRARIVM ſunt ea quæ dicuntur in litera,& quod dicitur in Pſalm.118. Omnes viæ eius miſericordia & veritas.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd iſta diſputatio parum valet & multum protelatur in litera,& ſoluitur:& dictum Pſalmiſtæ tribus modis exponitur in vltimo cap. iſtius diſtinctionis. In fine autem penultimi dicit in litera, quòd miſericordia ſæpè accipitur pro bonitate, ſicut & veritas pro iuſtitia. Et tunc leuius eſt videre: quia ſecundum quod miſericordia ponitur pro bonitate, apparuit miſericordia in operibus creationis: veritas autem, quia ibi produxit quod ab æterno in veritate & arte ſua reſplendens præuidit, quia aliter falſum ſubfuiſſet præſcientiæ & prædeſtinationi. Si autem veritas pro iuſtitia ponatur: tunc accipitur iuſtitia, ſicut dicit Anſelm. in proſologio, cap.9. pro decentia diuinæ bonitatis:quia iuſtum fuit,vt ſic ſeipſum manifeſtaret. Et per hoc patet ſolutio ad primum quæſitum: & in argumentis illis eſt æquiuocationis deceptio: quia vtrumque iſtorum in diuerſis ſenſibus accipitur.

AD ID quod obiicitur de iuſtificatione, dicendum quòd ibi reſultat miſericordia principaliter, & etiam veritas promiſſi: quia hoc promiſit: vnde in Pſalm.50. Vt iuſtificeris in ſermonibus tuis,&c. Ibi vna Gloſſa eſt, Vt iuſtificeris in ſermonibus, quibus peccatoribus veniam promiſiſti. Iuſtitia enim eſt ibi, quæ

est decentia diuinæ pietatis. Vnde Anselm. in prosolog. Si parcis peccatoribus, iustum est, decet enim te.

Ad id quod quæritur de pœnis prælatorum valdè malorum & aliorum, habet vnam solutionem quæ iacet in litera in fine istius capituli: quia duplex est misericordia, scilicet liberans, & hanc non experiuntur: & est misericordia relaxans, & hanc habent, quia minus puniuntur, quam meruerunt. Et hoc notat potenter tormenta pati, quòd non recipiunt dimmutionem postquam sunt inflicta. Auctoritas autem Iacobi soluitur in litera. De omnibus autem illis quæ dicuntur in illo cap. Sed quomodo iustitia Dei, &c. expeditum est in primo lib. Et de duobus vltimis quicquid dubitari potest, expeditum est per dicta.

ARTICVLVS IV.

An aliqua sit vita æterna?

Incidenter tamen ratione eius quod dicit *ibi* [Sicut manebit communiter omnium vita æterna Sanctorum, &c.] quæritur hîc de vita æterna, & per oppositum de morte æterna. Et de vita æterna quæruntur quatuor, scilicet an sit, & quid sit, an sit ratione essentiæ vel potentiæ, & an Angeli & homines damnati habeant vitam æternam?

Ad primum obiicitur sic: In cuiuscunque ratione cadit vnum oppositum, illi nullo modo conuenire potest reliquum: sed in ratione vitæ incipientis siue creatæ cadit oppositum æternitatis: ergo non potest conuenire vitæ creatæ, quòd sit æterna: sed hominis & Angeli vita est creata: ergo non est æterna. Prima patet per se. Secunda supponitur à ratione creati quod habet initium: & æternitas diffinitur per non habere initium. Vnde dicit Augustinus, quòd vera æternitas est vera incommutabilitas: sed nulla creatura est incommutabilis, vt dicit idem: ergo nullius creaturæ vita est æterna.

Sed contra. In contrarium huius est quod dicitur Ioan. 3. Vt omnis qui credit in ipsum, non pereat, sed habeat vitam æternam.

2 Item Ioan. 10. Ego vitam æternam do eis. Item est contra symbolum Apostolorum, vbi articulus vltimus dicit, Et vitam æternam.

Solutio. Ad hoc dicendum, quòd vita æterna triplex est optimo modo essendi. Vno modo per essentiam vitæ & æternitatis: & sic Deus solus qui est vita supra omnem vitam, & æternitas super omnem æternitatem, vt dicit Dionysius, est vita æterna. Secundo modo dicitur vt in obiecto viuentium æterna vita: & sic iterum Deus est vita æterna: quia solus est obiectum, quod exhibitum vt est, mouet sanctos ad vitam æternam, secundum quod dicit Aristot. quòd extra cælum nihil est nisi vita beata; quod non potest esse verum, quòd esset ibi vita æterna vel beata, nisi sicut in obiecto, quod intra orbem cæli non includitur, nec extra claditur. Tertio modo dicitur vita æterna participatione viuentium: & sic Sancti habent vitam æternam.

Ad primum ergo dicendum, quòd non est optimum in ratione vitæ dictæ primo & secundo modo: & hæc eadem participata facit tertiam. Vnde licet participatio inceperit, tamen participatum quod vita æterna dicitur, non incepit.

Ad aliud dicendum, quòd commutabiles sunt omnes creaturæ per naturam: sed tamen participando incommutabilem substantiam nunquã exerũt suam mutationem, vt dicit Aug. in 12. confess. & ideò inquantum viuunt vita æterna, incommutabiles efficiuntur.

ARTICVLVS V.

Quid sit vita æterna?

Secundo quæritur, Quid sit vita æterna? Dicitur autem in libro de motu cordis, quòd vita est continuus actus animæ in corpus: sed in lib. de causis in commento 17. propositionis dicitur, quòd vita est processio ex ente primo, quieto, sempiterno, & primus motus: aut ergo accipitur hîc primo, aut secundo modo. Si primo modo: tunc oportet, quòd vita æterna esset à principio intrinseco essentialiter coniuncto: & hoc falsum est: quia à Deo est: & ille non est alicui essentialiter coniunctus. Si secundo modo: tunc vita accipitur secundum quod est causatum vitæ primæ: hoc autem est in omnibus viuis: ergo videtur, quòd eadem ratione esset principium vitæ æternæ & vitæ naturalis in omnibus viuis: & hoc falsum est.

2 Item, In vtroque istorum modorum dicit Aristot. quòd viuere in viuentibus est esse: sed hoc non est verum de viuentibus vita æterna: ergo videtur, quòd vita æterna non propriè dicatur vita.

3 Si forte dicatur, quòd vita sumitur secundum bene esse. Contra: Secundum bene esse conueniens, est secundum accidens: nullum autem accidens per accidens est æternum: ergo vita æterna non est æterna, quod ridiculum. Si forte dicas, quòd non est accidens per accidens, sed per se. Contra: Accidens per se semper sequitur ad subiectum: ergo homo qui esset in vita æterna, semper esset in vita æterna, & nunquam fuisset sine vita æterna: quod iterum ridiculum est.

4 Item, Æternitas diffinitur per vitam: quia dicit Boëtius, quòd æternitas est interminabilis vitæ tota simul & perfecta possessio. Sed res cadens in alicuius diffinitione, non denominatur ab illa. Ergo non debet dici vita æterna.

5 Item Ioan. 17. dicit Dominus, Vt cognoscant te solum verum Deum, & quem misisti Iesum Christum. Hæc est enim vita æterna. Ergo vita æterna cognitio quædam est: & hoc modo non dicitur vita in naturis.

Responsio. Dicendum, quòd vita dicitur dupliciter, scilicet secundum esse, & secundum bene esse. Secundum esse adhuc dupliciter, scilicet propriè, & impropriè. Propriè adhuc dupliciter: & primo quidem modo dicitur vita actus quo est spiritus in quo est: & *Solutio.*

hoc

hoc modo dicitur anima viuere, & Angelus viuere. Alio modo dicitur actus animæ continuus in corpus: & hoc modo dicitur animal viuere: & hoc modo omnis vita creata exemplariter & efficienter est à vita prima: & sic intelligitur dictum de causis introductum: quia, sicut dicit Philosophus, Omne ens est ab ente primo, & omnis vita à vita prima, & omnis intellectus & scientia ab intelligentia prima. Sic etiam loquitur Dionysius de vita cap. 6. de diui. no. vbi sic dicit: Immortalium Angelorum vita est immortalitas, & ipsum indestructiuum Angelici sempiterni motus est ex ipsa, & propter vitam ipsam, quæ est super omnem vitam. Secundo autem modo intelligitur dictum quod adductum est de libro de motu cordis. Impropriè autem dicitur via perfectio vniuscuiusque à forma propria ad esse, & actum qui esse consequitur: sicut lapis dicitur viuus, & aqua, quando perficere potest hoc quod est lapidis, & hoc quod est aquæ. Secundum bene esse autem dicitur vita ad sensus bene esse, & rationis bene esse. Secundum autem esse in sensu dicitur viuere, delectabiliter & voluptuosè viuens, secundum quod dicit Apostolus Coloss. 3. Mortificate membra vestra quæ sunt super terram, quæ sunt fornicatio, &c. Et 1. Timoth. 5. Quæ in deliciis est, viuens, mortua est. Secundum autem bene esse rationis dupliciter dicitur, scilicet secundum bonum rationis in patria & gloria. Et secundum primum modum dicitur Galat. 2. Viuo autem iam non ego, viuit vero in me Christus. Et secundum secundum modum dicitur Matth. 22. Non est Deus mortuorum, sed viuentium. Et hoc modo sumitur vita æterna hîc. Et per hoc patet, quòd si ipsa debeat diffiniri, quòd ipsa erit processio siue actus primæ vitæ in beatos, secundum bene esse gloriæ siue beatitudinis, & actus. Et per hoc patet solutio ad omnia præter vltimum: ad quod dicendum, quòd ibi diffinitur vita æterna per causam, quia immediata cognitio Dei est causa huius vitæ secundum bene esse gloriæ.

Ad id autem quod obiicitur quod sit accidens, dicendum quòd non est accidens, sed potius perfectio naturalis: est enim natura nostra ad actum illum qui est vita æterna, & gloria est eius habitus ad illum: & in talibus dicit Aristot. quòd homo non est alteratus, sed potius perfectus, præcipuè, quia non est accidens quod fluit à subiecto, sed potius à Deo essentialiter per modum gloriæ nos viuificante.

ARTICVLVS VI.

An vita æterna conueniat ratione essentiæ vel ratione potentiæ beatis spiritibus?

Tertio quæritur, Vtrum conueniat ratione essentiæ vel ratione potentiæ? Videtur autem, quòd ratione potentiæ: quia cognitio est vita æterna: & illa non est nisi ratione potentiæ: ergo & vita.

2 Item, Vita non dicitur hîc secundum esse, sed secundum bene esse: bene autem esse est secundum verum & bonum increatum: & vtrumque istorum percipitur ratione potentiæ: igitur & vita inest ratione potentiæ, vt videtur.

3 Item, In istomodo vita est motus in spiritum à Deo qui est vita prima secundum perceptionem gloriæ: hoc autem est secundum quod ipse est summum bonum & summum verum: & constat, quod hoc fit ratione potentiæ: ergo prius.

In contrarium est, quòd vita semper ab interiori procedit: ergo prius est in essentia, quam in potentia. *Sed contra.*

2 Item, Gratia per prius perficit essentiam, quam potentiam: ergo & gloria: hæc autem vita est secundum bene esse gloriæ: ergo prius percipitur ab essentia, quam à potentia.

Responsio. Dicendum, quòd vita gloriæ & etiam gratiæ per prius est in essentia. Est enim hæc vita, vt dictum est, actus primæ vitæ in spiritum secundum influxum gloriæ & beatitudinis: & sic procedit ab ipsa secundum quod ipsa est in beatis spiritibus per gloriam: & hoc in esse primo est spiritus, & secundo potentiæ. *Solutio.*

Ad primum ergo dicendum, quòd cognitio illa non accipitur extra, sicut interior cognitio: quia non est per abstractionem, sed est eius quod se interius manifestat in anima per experimentum vitæ, id est, actus in spiritum à vita prima, quieta, sempiterna, quæ essentialiter est in spiritu beato.

Ad aliud dicendum, quòd bonum illud dupliciter accipitur, scilicet vt distinctum, & indistinctum est. Et primo modo agens in spiritum, dicitur vita. Secundo autem modo sic est, quasi vita potentiæ secundum rationem veri & boni. Et hoc debet sic imaginari, Intelligamus primum non esse verum & bonum, & tamen per gloriam inesse spiritui creato: adhuc ipse in essentia sua beatè viuit in illo, per hoc quod illud influit ei vitam nobilissimam, quæ est per gloriam. Per hoc etiam patet solutio ad sequens.

ARTICVLVS VII.

An damnati viuant vita æterna?

Vltimo quæritur, Vtrum damnati viuant vita æterna? Videtur, quod sic: quia viuunt sine fine in pœnis: ergo æternaliter.

In contrarium est, quòd vita æterna præmium est beatorum: ergo non conuenit malis. *Sed contra.*

2 Item, Non eidem conuenit vita æterna, & mors æterna: sed mors æterna conuenit damnatis: ergo non habent vitam æternam.

Responsio. Dicendum, quòd damnati non viuunt vita æterna, nec habent vitam æternam; viuere enim est habere principium vitæ: & hoc non habent damnati, sed potius per separationem ab illo principio: & ideò sunt mortui simpliciter, sed secundum quid viui, scilicet secundum miseram naturæ vitam. Si autem conceditur, quòd viuunt, non debet concedi, quòd viuant vita æterna: dictum est *Solutio.*

enim, quòd æternum hîc dicitur participatiuè. Et quia sic creatura æternitatem participat, vt dicit Augustinus, inquantum nusquam exerit mutabilitatem suam, sed potius totam vitam suam simul & perfectionē habet in vno, in quo nihil transit & nihil expectatur in futurum. Et ita non viuūt, nisi in pœnis: quia vicissitudinantur in illis. Sed bene conceditur, quòd non videbunt interitum, & viuent adhuc in finem consumptionis secundum pœnarum vicissitudinem. Si autem inueniatur impropriè dictum, quod viuant vita æterna propter carentiam finis in pœnis, non debet concedi, quòd habeant vitam æternam: quia hoc sonat possessionem: nemo autem habet mobilem participationem per modum possessionis (sicut sæpè supra dictum est) nisi qui habet eam ad nutum; & hoc non habent damnati, qui desiderant mortem, & mors fugit ab eis.

AD PRIMVM ergo dicitur, quòd non est idem sine fine viuere, sicut iam dictum est.

ARTICVLVS VIII.

Quid sit mors æterna?

DEinde quæritur per oppositum de morte æterna: si enim mors & vita sunt oppositа, videtur mors æterna esse separatio ab huiusmodi vita.

2 Item, Mors opposita vitæ naturali est separatio animæ, quæ est causa vitæ, à corpore, vt dicunt Philosophi: ergo & ibi erit mors æterna separatio ab huiusmodi principio vitæ.

3 Item, Dionysius reprehendit in Ecclesiastica hierarch. dicentes mortem aliud esse, quam separationem à vita: ergo vt prius.

IN CONTRARIVM huius est, quòd separatio à vita qualibet, est in momento: ergo nulla erit mors æterna. *Sed contra.*

2 Item, Æternum est incommutabile essentialiter, vel participatiuè, vt dictum est: sed neutro istorum modorum dici potest mors æterna: ergo ipsa non est æterna.

3 Item, Si mors non est nisi separatio, & separatio non dicit nisi pœnam damni: ergo illi qui sunt mortui morte æterna, non habent nisi pœnam damni: ergo nullam habent pœnam sensus, quod falsum est, cum patiantur nimium calorem & nimium frigus.

AD HOC dicendum, quòd mors de se non dicit nisi separationem, sicut primo probatum est. *Solutio.*

AD HOC ergo quod contra obiicitur, dicendum quòd mors non propriè dicitur æterna: quia æternum ponitur pro perpetuo quando mors æterna vocatur: & hoc est simile æterno in carentia finis, & non in alio. Et bene concedo, quòd hæc separatio durat sine fine.

AD ALIVD dicendum, quòd causa separationis adiacet continuè, quæ est malitia confirmata & damnata, & hæc causat posse pati pœnas: & ideò passibilium pœnarum passio potius est sequela talis mortis, quam mors: quia sicut anima egrediente corpus marcescit & expirat, & egressus animæ est mors, expiratio autem & putrefactio sunt sequelæ mortis, eo quod ab anima non continetur corpus: ita separatio à principio æternæ vitæ est mors æterna, & sequela huius mortis est passio ignis, eò quod spiritus condemnatus à principio vitæ æternæ non continetur.

DISTINCTIO XLVII.

De sententia iudicij.

De iudicio extremo quãtum admodum secũdum quẽ dabitur.

SOLET etiam quæri, Qualiter dabitur iudicij sententia? Sed non est perspicuum id explicare. Non enim Scriptura apertè diffinit an voce illa proferantur, Venite benedicti: &, Ite maledicti: an virtute iudicis ita fiet, conscientiis singulorum attestantibus: vt modo dicitur futurum, vt iudicis potentiæ effectus ipsius dictione significetur. Illa etiam, Esuriui, & non dedistis mihi manducare, & huiusmodi magis conscientiis exprimenda plurimi putant quam verbis: quia Apostolus in momento & in ictu oculi mysterium consummandum tradit. Sed illud ad resurrectionis statum tantum referunt, non ad iudicium: qui aliis iudicij sententiam, & malorum increpationes, & bonorum præmia verbis exprimenda asserunt.

Matt. 25.

1. Cor. 15.

ARTICV

ARTICVLVS I.

An sententia iudicis in extremo iudicio sit vocalis, vel mentalis?

SOlet etiam quæri, Qualiter dabitur, &c.] Hîc agit de iudicio. Et diuiditur in tres partes. In prima agit de iudicio. In secunda de iudice, & incipit in sequenti distinctione. Tertio de consequentibus iudicium, & incipit distinct. penult. huius libri. In primo harum partium quæruntur quinque, scilicet qualiter dabitur iudicij sententia? Et de sanctis qui cum Domino iudicabunt. Et de ordine iudicandorum. Et de ministerio Angelorum in iudicio. Et an dæmones malis præsint in inferno? Et hæc secundum ordinem inducuntur hîc in litera in quinque capitulis.

Circa primum incidit quærendum, Vtrum sententia illa sit vocalis, vel mentalis? Et de hoc etiam quærit Magister in litera. Videtur autem, quòd mentalis: quia maxima erit multitudo in loco illo: sed maxima multitudo audire vocem vnam corpoream non posset: ergo videtur, quòd vox illa corporea non est. Siquis dicat, quòd miraculosè virtute diuina fiet, quòd omnes audiant vocem illam. Contra: Compendium eligit omnis natura, & omnis sapienter operans: sed compendiosius est, quòd fiat virtute diuina in mente, quam in sermone: ergo videtur, quòd mente non voce exteriori sententia exprimatur.

2 Item, Licet in Euang. Ioan. 5. dicitur, quòd omnes qui in monumentis sunt, audient vocem Filij Dei: non tamen intelligitur de voce vocali, sed mentali: ergo à simili licet de ista sententia Euangelium dicere videatur, quòd sit vocalis, mentaliter tamen debet intelligi.

3 Item, Supra distinct. 44. habitum est in auctoritatibus à Richardo inductis, quòd illa sententia est mentalis: ergo & ista.

4 Item, Testes non deponent vocaliter, sed mentaliter: ergo & sententia est in mente. Prima probatur per hoc, quòd conscientiæ erunt testes.

IN CONTRARIVM huius est, quod Euangelium dicit expresse Matth. 25. Tunc dicet rex his qui à sinistris erunt, &c. Ergo ita est tenendum. *Sed contra.*

2 Item, Sicut patebit in sequenti distinct. iudex iudicabit in forma serui: sed formæ hominis est iudicare iudicio hominis: hoc autem est, quòd sententia scripto proferatur & voce sedentis iudicis exprimatur post consilium vel auditum testium in aure facta: ergo videtur, quòd sententia illa erit vocalis.

RESPONSIO. Dicendum, quòd de ista quæstione nihil est perspicuum dicere: & tamen melius credo, quòd erit mentalis, quàm vocalis. *Solutio.*

AD ID autem quod obiicitur in contrarium, dicendum quòd Euangelium rudibus loquitur, qui spiritualia non capiunt, nisi corporalibus similitudinibus exprimantur: & tamen spiritualiter intelligi debent, sicut & vox tubæ, quæ erit in resurrectione, & alia quæ corporaliter circa resurrectionem exprimuntur: de quibus supra distinctione 44. habitum est.

AD ALIVD dicendum, quòd in forma serui iudicabit, vt videatur iudex & cognoscatur: & non ad hoc vt iudicium tanquam seruus vel homo exerceat: quinimo exercebit iudicium secundum occulta cordium, & hoc est iudicium diuinum & non humanum: & ideo hoc argumentum non valet.

Quod iudicabunt Sancti, & quomodo.

NON autem solus Christus iudicabit, sed & Sancti cum eo iudicabunt nationes. Ipse enim Apostolis ait, Sedebitis & vos super duodecim tribus Israël. Nec est putandum, quòd duodecim Apostolis tantum hoc promiserit Christus. Vbi enim sedebit Paulus, qui plus omnibus laborauit, si non ibi sedebunt nisi duodecim? Per duodecim ergo sedes perfectio tribunalis, id est, vniuersitas iudicantium intelligitur, scilicet omnes perfecti, qui relictis omnibus secuti sunt Christum. Per duodecim tribus vniuersitas iudicandorum. Iudicabunt verò eos Sancti, non modo cooperatione, sed etiam auctoritate & potestate. Vnde, Gladij ancipites in manibus eorum, id est, sententia de bonis & malis in potestate eorum. Si verò quæritur, Quæ erit eorum potestas vel auctoritas in iudicando? Puto non ante sciri, quam videatur, nisi diuina reuelatione quis didicerit. B Sap. 3. Matt. 19. 1. Cor. 15. Mat. 19. Marc. 10. Ps. 149.

ARTICV

ARTICVLVS II.

An sancti aliqui iudicabunt cum Domino?

DEinde quæritur de hoc quod dicit [Non autem solus Christus iudicabit] Et de hoc in hoc cap. quæruntur tria. Primum, Vnde quidam sancti habeant iudicare? Secundum de modo iudicij Sanctorum. Tertium, Vtrum alij Sancti aliquo modo se habeant ad iudicium confirmando vel iudicando?

Ad primum obiicitur per hoc quod dicitur in litera, quòd illi qui relictis omnibus secuti sunt Christum, cum Domino iudicabunt: ergo illi Sancti à paupertate voluntaria habent, quòd cum Domino iudicabunt.

2 Item Iob 36. Non saluat impios, & iudicium pauperibus tribuit. Ergo vt prius.

3 Item hoc videtur ex modo loquendi in Matth. 19. vbi Petrus hoc meritum allegat dicens, Ecce nos reliquimus omnia, & secuti sumus te: quid ergo erit nobis? Et Christus subiungit, Amen dico vobis, quòd vos qui reliquistis, &c. Ergo videtur, quòd à paupertate spiritus habent, quòd cum Domino iudicabunt.

4 Item, Glossa ibidem dicit, Qui reliquerunt omnia, & secuti sunt Christum: hi iudices erunt, qui licita habentes, rectè vsi sunt. Ideo iudicabunt. Ex hoc sequitur idem quod prius

Sed contra. IN CONTRARIVM est quod dicit Richar. de sancto Vict. Apertio librorum est manifestatio conscientiarum: his libris inscribitur, quicquid ab eis memoriter retinetur: his libris quasi inscriptum tenetur, quicquid ab eis plena intelligentia comprehenditur. In aliis itaque huiusmodi libris merita humana, in aliis verò iudicia diuina, in illis qualitas actionum, in illis verò etiam qualitas retributionum: vnusquisque enim in sua conscientia quasi scriptum gerit, vnde eum sua conscientia vel accusat, vel defendit. Qui autem diuinæ contemplationi assistunt, qui in libro sapientiæ quotidie legunt, velut in cordium voluminibus transscribunt quidquid iam perspicua veritatis intelligentia comprehendunt. Quid itaque sunt iudicandorum conscientiæ, nisi quædam, vt ita dicam, actiones scripturæ? Vel quid verò sunt iudicantium corda diuinitus in omnem veritatem edocta, nisi quædam canonum decreta? Ex hoc accipitur, quòd Sancti iudicabunt ex merito contemplationis, qua efficiantur exempla canonum iustitiæ diuinæ, & non ex paupertate voluntaria.

2 Item, Iudicabunt, vt communiter dicitur, Apostoli, & Apostolici viri: Apostoli autem fuerunt, qui decreta vitæ dederunt, & auctoritatem in Ecclesia habuerunt: ergo ab apostolica doctrina & vita & auctoritate in eis est potestas iudiciaria: hoc autem non est paupertas spiritus inquantum huiusmodi: ergo paupertas non est meritum proprium, quo potestatem iudiciariam promerentur.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd tria exiguntur meo iudicio ad merendam iudiciariam potestatem. Primum est abdicatio temporalium curarum, vt studere possit sapientiæ secundum quam dictanda est sententia iudicij. Secundum est habitus luminis, iustitiæ, & sapientiæ, qui iudicium statuit & obseruat. Et tertium est meritum, quod acquirit in iustitiæ illius promulgatione per prædicationem. Et horum primum tangunt obiectiones primæ, licet alia duo supponantur: & propter hoc dicit Dominus, Et secuti estis me. Vnde Hieron. dicit, quòd imperfectum est omnia relinquere: hoc enim & Socrates fecit Philosophus: & ideo iungit quod perfectum est dicens, Et secuti sumus te. Sequens autem tangit Rich. Et tertium tangit obiectum vltimum. Et per hoc patet solutio ad totum.

ARTICVLVS III.

Quis erit modus iudicandi Sanctorum?

SEcundo quæritur de modo iudicij Sanctorum. Et videtur, quòd non iudicabunt, nisi sicut qui ostendunt sententiam: quia ita dicit Richar. Duodecim iudices coram iudicandis decretorum suorum libros aperire & ad cordium inspectionem inferiorum quorumlibet visum admittere sensumque suum in his quæ ad iudicij pertinent rationem reuelare. Iudicandi verò dum in huiusmodi scriptura quasi canonum decretis legunt retributionis sententiam sententieque rationem quam quisque meretur, inueniunt. Huiusmodi itaque scripturam legere, hoc erit eis iudicis sententiam accepisse. Hoc autem erit Apostolicos viros iudicandorum quemlibet iudicare, quod dandæ sententiæ rationem oculis eorum ingerere. Ex hoc expresse accipitur, quòd non iudicabunt nisi sicut libri.

2 Item ibidem parum infra, Iudicantis itaque sententiam ad cordis eius inspectionem vidisse & intellexisse, hoc est iudicium didicisse & accepisse. Ex hoc accipitur idem quod prius.

Sed contra. SED CONTRA hoc est, quòd hic est imperfectus modus iudicandi: sed imperfectus modus iudicandi non debet respondere perfectissimo merito quod est meritum Apostolicum: ergo videtur, quòd non competat eis iste modus iudicandi.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd in veritate plus est ibi, quam modus inspectionis sicut in libro: & hoc significat Richar. quando dicit, Oculis eorum ingerere: verbum enim ingerendi nutum quendam significat ad iudicandos, qui æquipollet cuidam probationi & inflictioni sententiæ: quod etiam in litera significatur, vbi dicitur Psal. 149.

Gladij ancipites in manibus eorum. Et per hoc patet solutio ad totum.

* * *

ARTI

ARTICVLVS IV.

An alij Sancti habebunt se alio & alio modo?

TErtio quæritur, Vtrum alij Sancti se aliquo modo habeant ad iudicium confirmando vel iudicando? Videtur, quòd non: quia non est eadem persona iudicans & iudicata in aliquo iudicio vno: sed alij Sancti iudicabuntur: ergo non iudicabunt in eodem iudicio.

2 Item, Non vnus est modus iudicij accusantis & accusati in iudicio humano: sed iudicium humanum est exemplatum à iudicio diuino: ergo in iudicio etiam diuino non est vnus modus iudicij illarum duarum personarum. Sed idem modus est si iudicati Sancti erunt iudicantes in eodem iudicio: ergo Sancti alij non iudicabunt in eodem iudicio.

Sed contra. IN CONTRARIVM est quod dicitur Sapientiæ 3. Iudicabunt Sancti nationes, & dominabuntur populis. Et ibi nullus excipitur: ergo iudicabunt omnes.

2 Item Matth. 12. Regina Austri surget in iudicio. Et infra, Viri Niniuitæ, &c. sed Sancti sunt meliores, quam regina Austri vel viri Niniuitæ: ergo multo magis Sancti omnes iudicabunt & condemnabunt damnatos.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd omnes Sancti iudicabunt iudicio approbationis & confirmationis sententiæ, sicut probatum est: sed non sicut ingerendo sententiam in lumine cordis sui dictatam & inflictam: quia sic Apostolici viri tantum iudicant.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd diuersa specie iudicij potest vna persona esse iudicans & iudicata respectu diuersorum. Et diuersam speciem voco iudicij, iudicium approbationis & inflictionis sententiæ, & diuersos respectus quorum est: quia iudicabuntur à Deo & Christo & viris Apostolicis, & iudicabunt damnandos tantum. Et per hoc patet etiam solutio ad sequens.

De ordinibus eorum qui iudicandi erunt.

C Super Iob lib. 26. c. 24.

ERVNT autem quatuor ordines in iudicio. Duæ quippè sunt partes, electorum scilicet, & reproborum, vt Greg. in moralibus ait. Sed bini ordines eisdem singulis partibus continentur. Alij enim iudicantur, & pereunt: alij non iudicantur, & pereunt. Alij iudicantur, & regnant: alij non iudicantur, & regnant. Iudicantur, & pereunt, quibus Dominica inclamatione dicetur, Esuriui, & non dedistis mihi manducare, &c. Non iudicantur, & pereunt, quibus Dominus ait, Qui non credit, iam iudicatus est. Eorum enim damnatio toti Ecclesiæ nota est & certa: & ideo dicuntur tunc non iudicari, quia ad conspectum districti iudicis cum aperta damnatione suæ infidelitatis accedent. Qui verò professionem fidei sine operibus habent, iudicabuntur, & peribunt, id est, redarguentur vt pereant. Qui verò nec fidei sacramenta tenuerunt, inceptionem iudicis in se fieri non audient: quia infidelitatis suæ tenebris præiudicati, eius quem despexerant inuectione redargui non merentur. Illi autem saltem verba iudicis audient, qui eius fidem saltem verbo tenuerunt. Illi autem in damnatione sua æterni iudicis nec verba percipient, qui eius reuerentiam nec verbo tenus seruare voluerunt: & ideò illi iudicandi, sed isti non iudicandi dicuntur. Ex electorum verò parte alij iudicantur, & regnant, scilicet qui vitæ maculas lacrymis tergunt, & eleemosynarum superinductione operiunt: quibus iudex veniens in dextera consistentibus dicet, Esuriui, & dedistis mihi manducare. Alij autem non iudicantur, & regnant, qui etiam præcepta legis perfectionis virtute transcendunt: quia non hoc solum quod lex præcipit, implere contenti sunt, sed & quod ad perfectionem consulitur, implere studeant. De quibus Propheta ait, Dominus ad iudicium veniet cum senatoribus populi sui. Salomon de Ecclesiæ sponso loquens ait, Nobilis in portis vir eius, quando sederit cum senatoribus terræ.

Mat. 25. Ioan. 3. Iacob. 2. Matt. 25. Isa. 3. Prou. vlt.

Iob 36. terræ. Et Iob ait, Non ſaluat impios, & pauperibus iudicium tribuit. Hi ergo rectè ſub generali iudicio non tenentur, ſed iudices veniunt: quia & præcepta generalia viuendo vicerunt, & omnibus relictis Chriſtum ſecuti ſunt. Rectè pauperibus iudicium tribuit, qui quantò huic mundo magna humilitate deſpecti ſunt, tantò tunc maiori culmine poteApoc. 3. ſtatis excreſcent. De talibus dicitur, Qui vicerit, dabo ei ſedere mecum in throno meo: ſicut & ego vici, & ſedi cum patre meo in throno eius. Vincens Dominus cum patre, in throno ſedit: quia poſt paſſionis palmam, quòd Patri eſſet æqualis, omnibus claruit. Nobis verò in throno Filij ſedere, eſt ex eiuſdem Filij poteſtate iudicare. Quia enim iudicandi principatum ex eius virtute percipimus, quaſi in throno eius reſidemus. Ex his apparet, quòd etiam perfectiores Sancti cum Chriſto iudicabunt poteſtate: & quare quidam dicuntur iudicandi, alij non iudicandi.

ARTICVLVS V.

An in iudicio erunt quatuor ordines iudicandorum?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Erunt autem quatuor ordines in iudicio] Prius enim in litera ex verbo Gregor. habetur, quòd ſunt quatuor ordines iudicandorum. Sed contra hoc videtur quod dicitur in ſymbolo Apoſtolorum, quòd Chriſtus eſt iudicaturus viuos & mortuos: ergo omnes iudicabuntur: & ſic non eſt niſi vnus ordo.

2 Item idem accipitur 2. Corinth. 5. Omnes nos manifeſtari opottet ante tribunal Chriſti, vt referat vnuſquiſque propria corporis, prout geſſit ſiue bonum ſiue malum.

3 Vlterius videtur, quòd ſint tres ordines: quia ita dicit Richardus, Videntur enim omnes iudicaturi aut iudicandi: & de iudicandis quidem alij ſunt ſaluandi, alij damnandi videntur. Itaque in illo iudicio futuro tres tantum erunt ordines.

4 Vlterius videtur, quòd ſint quinque: ſunt enim quorum ſalus eſt certa, non iudicaturi, vt decedentes infantes poſt baptiſmum: & ſunt quorum ſalus incerta, iudicandi: & ſunt quorum damnatio certa, non iudicandi: & ſunt quorum damnatio incerta, iudicandi: ergo quinque ordines in iudicio. Hos etiam quinque ordines ponit Richardus.

Solutio. RESPONSIO. Ad hæc omnia ſoluitur per diſtinctionem dicendo, quòd triplex eſt iudicium, ſcilicet vniforme, multiforme, & omniforme. Dicitur autem iudicium vniforme præſentis Eccleſiæ quo cogitatur de iudicio futuro, cui non innoteſcit de ipſo iudicio niſi qualitas cauſæ & retributionis in genere, ſcilicet quia bona bonis, & mala malis. Multiforme autem eſt iudicium particulare, quod quilibet in morte accipit, quod eſt ſecundum qualitatem & quantitatem: quia tantum recipit, quantum meruit, & talia qualia meruit: ſed non in omnibus, quia non in corpore: & ideò multiforme, & non omniforme dicitur. Omniforme autem eſt iudicium futurum: quia talibus reſpondebunt talia, & tanta quantis, & in omnibus, quia in corpore & anima: & ideo omniforme dicitur. De illo autem iudicio vltimo, quod dicitur omniforme, eſt dicendũ, quòd dupliciter conſideratur, ſcilicet ſecundum cauſam, & ſecundum effectum. Et ſi quidem in comparatione ad effectum conſideratur: tunc non ſunt niſi duo ordines & ambo iudicandi, ſcilicet viui, & mortui: ſaluati, vel damnati: & ſic intelligitur dictum Apoſtoli 2. Corinth. 5. & id quod adductum eſt de ſymbolo. Si autem in comparatione ad cauſam accipitur iudicium: aut ergo accipitur per comparationem vt nunc, vel vt tunc. Et ſi primo modo: tunc ſunt quinque ordines quos Richar. tangit, ſicut cuilibet etiam per ſe patet: nec vnum ordinem ſexto loco pueri in originali decedentes facere poſſunt, quia nulla propria habent, propter quæ ad tribunal venient: nec veniunt ad tribunal, niſi habentes propria, vel beneficio iudicis gaudentes de ſalute, ſicut pueri qui poſt baptiſmum decedunt. Si vero conſideratur vt tunc: tunc erunt quatuor ordines, vt dicit Gregor. eò quod meritum quod eſt cauſa iudicij, tunc aut erit excellens in bono, aut in malo: aut mediocriter bonum, aut mediocriter malum: & hæ quatuor conſiderationes meriti, quatuor complent ordines iudicandorum. Si autem conſideratur iudicium ſecundum quod erit exercitum & apperebit in actu: tunc ſunt tres ordines, vt dicit Luc. quia Apoſtoli iudicabunt, & alij iudicabuntur omnes vel ad vitam, vel ad mortem, eò quod per ſententiam rectam à lumine cordis Apoſtolici inflictam, vel mortem æternam vel vitam æternam accipient. Et per hoc patet ſolutio ad omnia quæſita & plurima alia quæ quæri poſſunt.

* * *

De

De ordine iudicij, & ministerio Angelorum.

CVM autem in Euangelio legatur, quòd Dominus mittet Angelos suos qui colligent de regno eius omnia scandala & mittent iniquos in caminum ignis. Et item, Exibunt Angeli, & separabunt malos de medio iustorum, & mittent eos in caminum ignis. Et item, Mittet Angelos suos cum tuba & congregabunt electos à quatuor ventis. Et Propheta dicit, Congregate illi Sanctos eius. Ministerio Angelorum illa impleri dubitandum non est. Domino enim veniente ad iudicium, præcedet ante eum ignis, quo comburetur facies mundi huius: & peribit cælum & terra, non secundum substantiam, sed secundum speciem quæ immutabitur: cælum quidem aëreum, non æthereum. Tantum enim ascendet ignis in iudicio, quantum ascenderunt aquæ in diluuio. Ille autem ignis malis qui reperti fuerint viui, erit consumptio, bonis verò non, vt ait Aug. Hoc erit incendium mundi Sanctis, quod fuit caminus tribus pueris. In quibus si aliquid purgandum fuerit, per illum ignem purgabitur. Aliis vero nullam ingeret molestiam. Purgato vero per ignem mundo, & ad iudicium veniente Domino emittetur vox illa magna, qua resurgent omnes mortui: & tunc ministerio Angelorum ventilabitur area, quia boni congregabuntur ibi de quatuor partibus mundi Angelico ministerio: quo & rapientur obuiam Christo in aëra, reprobis in terra quam dilexerunt, remanentibus. Et tunc præconia illa bonorum (Esuriui, & dedistis mihi manducare: & increpationes illæ malorum, Esuriui, & non dedistis mihi manducare, &c.) proferentur vel sono vocali, vel alio modo. Denique proferetur sententia super vtrosque, Venite benedicti: &, Ite maledicti, &c. Et ministerio Angelorum virtute Dei cooperante mittentur mali in caminum ignis, hoc est, in infernum.

D Matt. 13. Matt. 24. Ps. 49. Gen. 1. De ciuit. Dei. lib. 20. c. 18. Marc. 3. Luc. 3. 1. The. 4. Mat. 25. Matt. 13.

Si post iudicium dæmones præerunt hominibus ad puniendum.

ET solet quæri, Vtrum in inferno malis ad puniendum præsint dæmones post iudicium, quos carnifices tortoresque animarum Scriptura appellat? Apostolus dicit, quod Christus tunc euacuabit omnem principatum, & potestatem, & virtutem. Dum enim durat mundus, Angeli Angelis, dæmones dæmonibus, & homines hominibus præsunt. Sed omnibus collectis, iam omnis prælatio cessabit. Hinc quidam putant, post iudicium dæmones non habere potestatem cruciandi homines, sicut modo. Sed vt dæmones virtute Dei cruciant sine creaturæ ministerio asserunt, sic reprobos homines ibi non per operationem dæmonum, sed virtute diuina tantum æternis subiici cruciatibus. Præmissa tamen auctoritas non id cogit sentire: quæ etsi asserat tunc nec dæmones dæmonibus, nec homines hominibus præesse, non diffinit tamen an dæmones præsint hominibus ad torquendum. Vnde quibusdam videtur, eos sic extare hominibus tortores in pœna, sicut extiterunt incentores in culpa.

E 1. Cor. 15.

ARTICVLVS VI.

An ignis qui præcedet iudicium, sit eiusdem speciei cum igne elementali?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Domino enim veniente ad iudicium, &c.] Quod enim dicit de ministerio Angelorum, patet per ea quæ in distinct. 43. dicta sunt. Quæruntur autem circa illum ignem sex, scilicet an sit eiusdem speciei cum igne elementali? Secundo, Quis sit effectus eius in mundo? Tertio, Quis sit eius effectus in hominibus? Quarto, Quò deueniet post peractum officium? Quarto, Vtrum aliquid molestiæ inferet bonis? quia de hoc loquitur in litera. Sexto, Vtrum resurrectionem præcedet, vel sequetur.

Ad primum obiicitur sic: Virtus ignis dominans super alia elementa, non est nisi in sphæra propria: ergo si dominatur alius ignis extra sphæram propriam, non est eiusdem speciei cum igne qui est elementum: sed ille ignis dominabitur extra sphæram propriam: ergo non erit ignis ille elementum. Probatur prima per Aristot. qui dicit, quòd res in forma perfecta & actione, est in loco proprio. Secunda supponitur à dictis in litera & à fide.

2 Item, In circulari generatione elementorum probat Aristot. quòd vnum elementum agit in aliud, & nunquam agit vltra suam speciem: sed ignis ille aget vltra suam speciem: ergo non est elementum. Secunda probatur ex hoc, quòd aget ad mundi glorificationem: quæ gloria multo melior est, quam forma ignis.

3 Item, Actio ignis elementi non est nisi in corpus habens materiam vniuocam sibi: sed ille ignis aget etiam in non vniuocam habens materiam: ergo non est ignis elementum. Primam dat Boet. in fine de duabus naturis in vna persona Christi: quia non est conuersio aliquorum ad inuicem, nisi quorum est materia vna. Secunda scribitur 2. Pet. 3. sic, Cæli qui nunc sunt, igne soluentur. Et Aristot. probat quòd cælum cum elementis non habet materiam vnam nec vniuocam.

4 Item, Ignis non agit in fortius se secundum virtutem ignis elementalis: sed ille ignis aget in fortius se, quia in cælum: ergo non est ignis elementum.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est: quia quorum est vnus actus essentialis, illorum est vna essentia secundum speciem: sed ignis illius & elementi operatio naturalis est vna: ergo sunt vnius essentiæ secundum speciem. Secunda probatur: quia comburere est actio vna secundum speciem. Et prima à Damasc. scribitur.

2 Item, Aqua in diluuio purgans mundum, eiusdem naturæ fuit cum alia aqua: sed duo iudicia diuina sunt, vnum per ignem, & aliud per aquam: ergo & secundum iudicium est futurum per ignem eiusdem speciei cum igne elemento.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd ille ignis erit eiusdem speciei cum igne elementali. Ad omnia autem quæ obiiciuntur in ista quæstione, est ferè vna solutio.

DICENDVM igitur ad primum, quòd ignis ille sicut & ignis inferni agit in duplici virtute, scilicet elementi, & instrumenti iustitiæ diuinæ. Et primo quidem modo habet comburere. Secundo autem modo habet ferri sursum, deorsum, à dextris & sinistris vbicunque inuenerit cremabile ex iustitia diuina & dominari illi.

AD ALIVD dicendum, quòd non agit nisi comburendo & disponendo, & non speciem inducendo: quia speciem inducet Deus, speciem dico quæ est glorificatio elementorum & mundi. Dixerunt tamen quidam, quòd ignis inclusus in vase, ageret ad inducendam speciem cæli: & dicunt hoc esse apud alchimicos expertum. Sed hoc falsum est, & alchimia non dicit nec probat hoc experimentum.

AD ALIVD dicendum, quòd omnes creaturæ infectæ ex peccato, habent materiam ignis secundum quod est instrumentum iustitiæ diuinæ: sicut etiam dictum est de igne inferni. Et quod dicit Boët. intelligendum est de igne agente in virtute naturæ suæ tantum.

AD VLTIMVM dicendū, quòd sicut dicitur in litera, cælum hoc dicitur cælum æreum: & hoc non est fortius igne, quia hoc ab ipso est soluendum.

ARTICVLVS VII.

Quis erit effectus conflagrationis in mundo?

SEcundo quæritur, Quis sit eius effectus in mundo? Videtur enim, quòd duo elementa ignis absumet: sicut enim dicit Beda in Glossa Petri, Vltimus ille ignis, duo elementa in toto absumet; duo vero in meliorem speciem mutabit.

2 Item, Apoc. 21. Primum cælum & prima terra abiit, & mare iam non est. Ex hoc videtur, quòd ille ignis absumet tria elementa, scilicet terram, aërem, qui per cælum intelligitur, & mare quod stat loco aquæ. Ergo videtur, quòd de elementis nullum manebit nisi ignis.

3 Item Aristot. in principio 4. metheorum dicit: Omnia enim hæc materia erunt igni. Ergo videtur, quòd omnia tria elementa ignis consumet.

4 Item videtur hoc secundum rationem: in illa enim mundi conflagratione ignis est vt agens, & tria elementa infecta per ignem vt patientia: patiens autem habet immutari per agens: ergo tria elementa transibunt in ignem: ergo videtur, quòd tria absumentur.

5 Item, Illa tria elementa sunt se contingentia in loco generationis; ergo infecta sunt peccatis hominum: omnia autem infecta debent absumi ab igne: ergo illa tria elementa debent absumi.

6 Item, Glossa super Rom. 10. dicit, quòd in meliorem speciem conuertet elementa: sed non potest esse melior species inferiorum elementorum,

mentorum, nisi quod accipiant speciem elementorum superiorum: ergo tria inferiora accipient speciem ignis: ergo tria absumentur,& solus ignis manebit.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est, quod dicit Glossa 1. Corinth. 7. super illud, Præterit enim figura huius mundi. Glossa, Non substantia. Ergo elementa non dimittent substantiam, sed figuram. Constat autem, quòd si speciem amitterent, substantiam amitterent: ergo speciem non amittent.

2 Item Glossa Apoc. 21. super id, Primum cælum, &c. dicit sic: Status ille in quo prius erant, non est necessarius. Ergo videtur, quòd secundum statum transeunt, & non secundum substantiam.

3 Item Glossa super illud, Mare iam non est: dicit sic, Secundum superiorem statum. Ergo vt prius.

4 Item Glossa marginalis ibidem, Immutatio aëris & terræ dubitabilis non est quin per ignem fiet: sed de aqua dubitatur, nam purgationem in seipsa habere creditur.

5 Item in litera dicitur, quòd peribit cælum & terra non secundum substantiam, sed secundum speciem suam quæ immutabitur.

6 Item ex litera habetur, quòd ignis ille non ascendet nisi quantum ascenderunt aquæ diluuij: ergo non comburet totum orbem: ergo aëreum cælum non omnino transibit.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd in veritate hîc potius est diuinatio, quam quæstio habens scientiam aliquam: quia neminem puto scire, qualiter hoc erit, nisi qui viderit quando fiet: tamen non puto, quòd aliquod elementorum in toto consumetur. Sed est duplex species elementorum. Vna est secundum specificum esse, & ista manebit. Alia est secundum virtutem actiuarum & passiuarum qualitatum, & illa non manebit, nisi vt in radice subiecti manet passio quæ non potest venire in actum. Huius autem causa est: quia qualitates primæ actiuæ & passiuæ datæ sunt elementis ad generationem & corruptionem, quæ sibi succedunt in mundo, donec tot colligantur electi, vt numerus ille impleatur quem implendum Deus ab æterno præuidit: & illo impleto stabunt elementa in alio statu sine permixtione adinuicem, & sine actione & passione in pleno lumine. Sunt tamen diuersi diuersa dicentes de transitu elementorum. Quidam enim dicunt, quòd transibunt aqua & ignis: & hoc ideo, quia ista in excellenti habent virtutes actiuas & passiuas: & tunc actio & passio non erunt. Alij dicunt, quòd aër & aqua in toto transibunt: & hoc ideo, vt puto, quia illa duo media existentia determinatum motum non habent & statum: & fluunt in ipsis motus multi valdè, eò quod aqua sequitur planetarum mutationem lunæ quæ velocissima est, & aër sequitur quinque planetarum orbes, in quibus est plurima motuum diuersitas: & hæc tunc non erunt, & ideo dicunt, quòd tollentur. Est autem veritas, vt puto, quòd non tollentur, sed immutabuntur, vt dictum est: ita quòd erunt elementa continuè luminosa, & terra in superficie exteriori peruia sicut vitrum, & aqua sicut crystallus, aër verò luminosus vt cælum, & ignis vt ipsum lumen cæli tunc esse videbitur. Et per hoc patet solutio omnium obiectorum, quæ per auctoritates sunt facta: & hæc solutio colligitur ex Glossa super Apoc. 21. & 1. Cor. 7. & Rom. 10.

AD PRIMAM autem rationem dicendum, quòd omnia alia erunt materia igni: eo quod ignis habet qualitatem actiuam simpliciter, & alia secundum quid.

AD ALIVD dicendum, quòd ignis non agit nisi consumendo infectionem peccati, & non speciem inducendo glorificationis, vt prius dictum est. Et per hoc patet etiam solutio ad vltimum: quia glorificatio mundi non fit ad speciem elementi, sed ad formam gloriæ quæ respondebit homini secundum statum gloriæ resurrectionis.

ARTICVLVS VIII.

Quis erit effectus ignis in hominibus?

TErtio quæritur, Quis sit eius effectus in hominibus? Dicit autem in litera, quòd malis erit consumptio, &c. Et videtur, quòd diminutè dicat: constat enim, quòd post diem iudicij ianua claudetur: ergo videtur, quòd nullus remanebit in purgatorio: ergo ille ignis etiam purgandos purgabit. Sed tunc videtur, quòd hoc sit impossibile: quia multi sunt qui habent multa purganda: sed ille ignis est momentaneus: ergo non poterit breui temporis spatio vitia purgare.

2 Item videtur, quòd sit bonis consumptio sicut & malis: quia comburet eos & incinerabit, sicut & prius est habitum: ergo non verum dicit, quòd malis sit tantum consumptio.

3 Item, Elementa conflagrabunt: sed elementa mixta in corpore hominis magis indigent purgatione, quam extra: ergo illa etiam quæ sunt in corpore hominis purgabit: ergo incendet & bonos & malos.

4 Item, In litera dicit, quòd peccati comburet infectionem: sed fomes est peccati infectio: ergo comburet fomitem: sed hunc comburere non potest, nisi incendat corpora humana: ergo corpora humana incendet.

Solutio. RESPONSIO. Puto esse verum, sicut probatum est, quòd omnium corpora tam bonorum quam malorum incendet, vt consumatur penitus fomes peccati per ignis incinerationem, qui in aliis consumptus est per putrefactionem corporum.

AD ID autem quod quæritur de purgatione purgandorum, dicendum quòd virtute illa qua aget vt instrumentum iustitiæ vindicantis, aget in animas talium & subitò purgabit eos. Ad obiectum contra, dicendum quòd tres sunt causæ, quare subitò purgare potest. Vna: quia pauca purganda in elementis inueniet: tot enim terrores & signa & persecutiones præcedent, quod pauca remanebunt quæ illo igne purganda sint, propter feruorem pœnitentiæ præsentis. Secunda est, quòd viui voluntariè sustinebunt, & pœna viui plus purgat, etiam necessaria, quam pœna mortui. Tertia est: quia recuperabit calor eius in intensio-

ne quòd omittet in prolongatione temporis. Et ideò ſubitò poterit hoc efficere quod ignis purgatorius diutius facit prolongatus.

ARTICVLVS IX.

Quo abibit ignis conflagrationis?

QVarto quæritur, Quo deueniet poſt actum officium? Videtur autem, quòd debeat remunerari cum Sanctis: quia Deo ſeruiuit in mundi conflagratione. Et Gloſſa ſuper Rom. 10. dicit, quòd omnis creatura quæ cum labore ſuo facit officia, tunc remunerabitur.

2 Item, Ignis nobiliſſimum eſt elementum: quia dicit Ariſtot. quòd ignis eſt ſubtiliſſimum corporum ſphæræ: ſed omne nobile glorificabitur cum Sanctis ſurſum: ergo ille ignis manebit ſurſum.

3 Item, Habet proprietates conuenientes corpori glorioſo, ſcilicet luminoſitatem, & ſubtilitatem, & quòd eſt ſurſum in loco: ſed Deus non deprimet nobile in innouatione mundi, ſed potius exaltabit: ergo ipſe ignem glorificabit in loco ſurſum.

Sed contra. IN CONTRARIVM eſt, quòd dicunt Sancti, quòd inuoluet impios: ergo remanebit in inferno, vt videtur.

2 Item, Afflictiuum impiorum debet eſſe ſecundum congruitatem in loco impiorum: ſed afflictiuum impiorum eſt ignis: ergo in loco impiorum manebit, hoc eſt, in inferno.

Solutio. RESPONSIO ad hoc, quòd ſicut dicit Baſilius ſuper illud, Vox Domini intercidentis flammam ignis, Dominus intercidet ignem, ſicut & alias creaturas, & calidum vſtiuum cum ſicco faciet deſcendere illo motu ignis quo ſequitur materiam ſuam, ſecundum quod eſt inſtrumentum iuſtitiæ iudicantis ad locum damnatorum: & quoad hæc duo & materiam quæ illis ſubſtat, manebit in inferno. Et per hoc patet ſolutio duarum vltimarum obiectionum. Sed quoad luminoſum ſubtile & leue faciet aſcendere ſurſum, & ibi crarificabitur cum aliis elementis ad decorem hominis: quia congruum eſt vt glorificato habitatore, domus eius glorificetur: homo autem in mundo eſt ſicut habitator, & mundus ſicut domus. Et per hoc patet ſolutio ad primam partem obiectionum.

ARTICVLVS X.

An ignis conflagrationis aliquid moleſtiæ inferat bonis?

QVinto quæritur, Vtrum aliquid moleſtiæ inferat nobis? Videtur, quòd non: quia dicit in litera, quòd hoc erit incendium mundi Sanctis, quod fuit caminus tribus pueris. Daniel. 3. Sed de illis ſcribitur, quòd ipſis non nocuit ignis, neque contriſtauit, neque quid moleſtiæ intulit: ergo nec Sanctis inferet aliquid moleſtiæ, vt videtur.

2 Item, Ignis ille non inſequitur niſi infectionem peccati, ſicut in litera dicitur: ergo nihil inueniet in quod agat in his qui ſunt ſine peccato: ergo illos non lædet.

3 Item, Agit inquantum eſt inſtrumentum iuſtitiæ diuinæ: ſed ſecundum iuſtitiam diuinam non ſunt puniendi Sancti: ergo illis non nocebit.

Sed contra. IN CONTRARIVM eſt, quòd Sanctorum corpora qui tunc viui reperientur, erunt infecta fomite habituali ad minus: ergo neceſſe eſt, quòd purgentur: non eſt autem purgans niſi ignis: ergo per ignem purgabuntur.

Solutio. RESPONSIO. Hoc vltimum videtur mihi concedendum.

ET AD primum dicendum, quòd intelligitur de hoc actu quem habebit poſt iudicium quando inuoluet damnatos: tunc enim nihil nocebit Sanctis, quia nihil cremabile in eis inuenietur.

AD SECVNDVM & tertium dicendum, quòd inueniet in corpore habitualem concupiſcentiam quam exterminabit.

ARTICVLVS XI.

An præcedet iudicium ignis conflagrationis vel ſequetur?

SExto quæritur, Vtrum præcedet iudicium vel ſubſequetur ipſum? Videtur, quòd ſequatur: quia dicit Auguſtinus, quòd ſequitur iudicium & reſurrectionem: ergo videtur, quòd ita ſit.

2 Item, Auguſtinus de ciuit. Dei 22. quærit quare ignis non exurit bonos? & reddit rationem: quia corpora eorum erunt impaſſibilia, quibus ignis nocere non poteſt: & illa ratio Auguſtini non ſtaret, ſi ignis reſurrectionem & iudicium præcederet: ergo videtur, quòd ſequatur & reſurrectionem & iudicium.

3 Item, Ignis ille inuoluet impios, vt dicunt Sancti: ſed impij non inuoluentur, niſi poſt ſententiam iudicij: ergo videtur, quòd ſequatur iudicium.

Sed contra. IN CONTRARIVM eſt, quòd incendendo incinerabit viuos: hoc autem fiet ante reſurrectionem: ergo ille ignis erit ante reſurrectionem & iudicium.

2 Item, In litera dicit, quòd præcedet faciem iudicis: ergo & iudicium.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd quoad incendium mundi præcedet, ſed quoad quendam actum ſequetur, ſcilicet quoad inuolutionem malorum: ipſe enim, vt dicit Chryſ. congregabitur circa thronum iudicis: & eſt ille fluuius igneus de quo legitur Daniel. 7. Qui eſt in circuitu ſedis. Et ille ſecum in infernum trahet impios. Et propter hoc ab Auguſt. poſt iudicium ordinatur. Et per hoc patet ſolutio ad totum. De ſequenti autem capitulo habitum eſt in 2. de choris Angelorum, & etiam in tractatu de pœnitentia, quæſtione de igne purgatorio.

DISTIN

DISTINCTIO XLVIII.

De forma iudicis.

SOLET etiam quæri, in qua forma Christus iudicabit? In forma vtique serui iudicabit: quæ omnibus in iudicio apparebit, vt videant mali in quem pupugerunt. Diuinitatem verò eius mali non videbunt. Vnde Isaias, Tollatur impius, ne videat gloriam Dei. Humanitatem videbunt, vt timeant: diuinitatem verò non, ne gaudeant. Diuinitas enim sine gaudio videri non potest. A Isa.26. secundum 70.

ARTICVLVS I.

An Christus iudicabit in forma hominis?

SOlet autem quæri, In qua forma Christus iudicabit?]In hac distinctione agit de iudice, & quæruntur in ea tria à Magistro, scilicet de forma iudicis, de qua duo tangit, scilicet formam in qua iudicabit, & formam in qua mortuos suscitabit. Secundo quæritur de loco in quo iudicabit. Tertio quæritur de statu beatorum post iudicium. Et ista patent per ordinem in quatuor capitulis huius distinctionis. Circa primum capitulum consequenter quærit duo. Primo, An iudicabit in forma hominis? Et secundo, Vtrum in forma gloriosa vel non gloriosa? & hoc est totum quod quærit in litera. Incidit autem quæstio circa primum. Videtur, quòd non in forma hominis iudicabit. Iudicare enim est superioris secundum dignitatem: sed superior natura est diuinitas: ergo secundum diuinitatem competit sibi iudicium: ergo falsum est quod dicit in litera.

2 Item, Iudicium inuincibilem potentiam præexigit in iudice. Vnde Eccli. 7. Noli quærere fieri iudex, nisi valeas virtute irrumpere iniquitates. Sed huiusmodi potentia non est nisi in diuinitate. Ergo iudicium non competit ei nisi secundum diuinitatem.

3 Item, Eiusdem formæ siue naturæ non est iudicare & iudicari: sed iudicabitur ibi forma humana: ergo videtur, quòd non competit ei iudicare: ergo iudicium exercebit secundum diuinam naturam.

4 Item, Potestas iudicandi ordinata descendit à prima auctoritate quæ est in Deo: sed prius competit Filio inquantum Deus, quam inquantum homo: ergo magis debet attribui Deo Christo secundum quod est Deus, quam secundum quod est homo.

5 Item, Arist. in 5. eth. dicit, quòd Deus iudex est iustum animatum. Iustitia autem inflexibilis est magis in diuinitate quam in humanitate: ergo magis competit Christo esse iudicem secundum diuinitatem, quam secundum humanitatem.

IN CONTRARIVM est, quòd iudicis vt sit clemens est scire per experimentum infirmitates iudicandorum: sed hoc non competit secundum diuinitatem, sed magis secundum humanitatem. *Sed contra.*

2 Item, Eiusdem est iudicare cuius est legem ponere: sed secundum formam humanam legem posuit: ergo secundum eandem iudicabit.

3 Item, In forma serui iudiciaria meruit potestatem: ergo secundum eandem habebit iudicare.

RESPONSIO. Dicendum, quòd hoc quod in litera dicit Magister, sunt verba August. & tenenda per omnia: intelligendum tamen, quòd duo circa iudicem attenduntur, scilicet virtus iudiciariæ potestatis, & forma iudicis, vt est iudex proprius horum iudicandorum. Et primum quidem competit Christo secundum diuinitatem, & secundum habet fieri in humanitate. Et quòd ita sit, patet ex verbis August. quæ inducit, vbi infra in eodem loco dicit, Non quòd ipse ex virtute hominis sit iudicaturus, vel quod ipse solus, &c. Et per hoc patet solutio omnium obiectionum: quia prima pars non probat, nisi quòd virtus iudiciariæ potestatis sit ex diuinitate. Sed ex hoc non sequitur, quòd forma illa appareat: quia apparet in forma in qua est iudex horum, prout tales sunt homines, quibus in forma hominis legem posuit, vt conuincantur de transgressione legis suæ, & de malis quæ fecerunt in ipsum. *Solutio.*

ARTICVLVS II.

An diuinitas sine gaudio videri potest?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Diuinitas enim sine gaudio videri non potest, &c.] Videtur enim hoc esse falsum: aut

enim intelligitur de visione intellectuali, vel sensibili. Si de intellectuali, falsum est: quia multi modo Deum vident naturali visione intellectuali, qui non habent gaudium beatorum. De visione autem sensibili intelligi non potest: quia sensibili visione non videtur diuinitas. Si dicat aliquis, quòd hoc est intelligendum de visione quæ est in ipsa diuinitatis præsentia. Contra: Augustinus dicit, quòd ea quæ præsentia sunt intellectui, melius videntur: sed Deus per essentiam suam modo præsens est intellectui: ergo etiam modo per essentiam videtur: & tamen non surgit inde gaudium: ergo falsum est quod dicit.

2 Item, Ponamus, quòd diabolus diuinitatem videat iustam & iudicantem: constat, quòd contremiscet: & tamen diuinitas iustitia sua est: ergo continget diuinitatem videre cum pauore & tremore: non ergo semper cum gaudio.

3 Item, In naturali visione visio quæ extendit se, fit practica, & facit motum in appetitu, & æqualiter se habet ad gaudium & tristitiã secundum quòd res visa nuntiatur, vt amica, vel inimica: sed non ita potest fieri nuntium de diuinitate visa: ergo visio diuinitatis æqualiter potest esse cum tristitia sicut cum gaudio.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd illud intelligitur de visione per speciem gloriæ secundum quod est obiectum beatorum: hanc enim speciem nulla creatura percipere potest, nisi secundum quod perfecta est per glorificationem.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd intelligitur de tali visione intellectuali: sed talem nullus modo habet, nisi beatus & glorificatus.

AD ALIVD dicendum, quòd licet Deus præsens sit in anima, non tamen ibi est per speciem gloriæ, nisi in intellectu perfecto per glorificationem: & ideo quod inest per essentiam, accipitur in speculo & ænigmate: quia sicut dicit Augustinus, Acies humanæ mentis in tam excellenti luce non figitur, nisi per iustitiam fidei emundetur. Et hoc est quod dicitur, quòd mundi corde videbunt Deum.

AD ALIVD dicendum, quòd talis visio est in vmbra, quia non habet intellectus speciem glorificationis: & ideo etiam à Dionysio dicitur intellectus dæmonum & phantasia proterua. Vnde patet, quòd non valet obiectio.

AD VLTIMVM dicendum, quòd non est simile: quia in tali visione non fit motus, nisi secundum speciem apprehensam: & illa communiter se habet secundum quod in genere accipitur. Hic autem accipitur in specie, prout maximè mouet ad gaudium in specie gloriæ, in qua ostenditur beatis: & sic intelligitur litera.

Quod apparebit tunc in forma serui.

B SED cum in forma humana constat eum appariturum, quæritur, An in forma illa glorioſa appareat, sicut verè est, an in forma qualis in passione extitit? Quidam putant à malis talem videri qualem crucifixerunt, id est, infirmi: quia dicit Scriptura, Vt videant in quem pupugerunt. Sed apertè Augustinus dicit formam serui glorificatam à bonis & à malis tunc videri sic: Cum in forma serui glorificata iudicantem viderint boni & mali, tolletur impius, vt non videat claritatem Dei quæ Deus est, quam soli mundi corde videbunt: quod erit eis vita æterna. Forma ergo humana in Christo glorificata videbitur à cunctis: vnde & Christus dicitur iudicaturus, quia filius hominis est. Ita enim legitur in Euangelio Ioannis, Et potestatem dedit ei iudicium facere, quia filius hominis est. Non quòd ipse ex virtute hominis sit iudicaturus, vel quòd ipse solus sine Patre & Spiritu sancto iudicium sit facturus: sed quia ipse solus in forma serui iudicans bonis & malis videbitur. Cum ergo Pater non iudicat quemquam, sed omnem potestatem dedit Filio: non ita est intelligendum, quasi Filius solus iudicet, & non Pater, sed quia forma Filij humana cunctis in iudicio apparebit, non in forma infima, sed glorioſa. Iudicabit autem ex virtute diuinitatis, non sine Patre & Spiritu sancto, & apparebit terribilis impiis, & mitis iustis. Erit enim terror malis, & lumen iustis.

Zach. 12. Super Ioan. tract. 21. & 1. de Trinit. cap. 13.

Ioan. 5.

Ioan. 5.

ARTICV

ARTICVLVS III.

An omnes tam boni quam mali videbunt formam gloriæ humanitatis Christi?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Sed apertè dicit Augustinus, formam serui glorificatam, &c.] Videtur enim hoc esse impossibile: quia omnis visio fit secundum potestatem videntis, & non secundum potestatem rei visæ: ergo & ista: sed non glorioſus oculus non habet potestatem comprehendendi formam gloriæ: ergo impossibile est, quòd videat corpus glorioſum.

2 Item, Impij non habebunt oculos maioris potentiæ tunc, quam nunc sint: sed modo licet sit oculus propè maximum corpus glorioſum, tamen non videt ipſum in forma gloriæ: ergo nec impij tunc videbunt Christum in forma gloriæ.

AD HOC quidam aliquando dixerunt, quòd præsentabit se eis Christus in forma gloriæ: sed ipsi non videbunt eum, nisi in specie non glorioſa: sicut & discipulis se exhibuit glorioſum, sed ipsi viderunt eum in specie non glorioſa, sicut faciem coloratam habentem & habitum peregrini.

Sed contra. SED IN CONTRARIVM huius est, quòd hæc non est potestas oculi glorioſi vel non glorioſi, quòd lucidum videat sub specie colorati: quia nos videmus modo lucidum in forma lucis, & non lucidum in forma & specie coloris: ergo videtur, quòd etiam impij tunc videbunt lucidum in luce, & non in colore: ergo solutio illa nulla est.

2 Item, Discipuli tres ante quos transfiguratus est Christus, viderunt faciem eius in luce, & tamen oculi eorum non erant glorificati: ergo videtur, quòd ista non sit proprietas oculi non glorioſi quæ dicta est.

Solutio. RESPONSIO. Videtur concedendum, quòd omnes tam boni, quam mali, videbunt formam gloriæ humanitatis. Et inter omnes vias videtur mihi pauciora inconuenientia habere illa, quæ dicit glorioſum corpus in potestate habere videri vel non videri, sicut supra notatum est.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd habet bene potestatem: sed illud habet in potestate videri vel non videri.

AD ALIVD dicendum, quòd modo videri non possunt corpora glorioſa quantum est de potestate videntis: sed ex parte rei visæ impediri potest visio: & hanc sententiam directè dicit Gregor. in quadam homilia.

AD ALIVD dicendum, quòd discipuli viderunt eum sicut se exhibuit, scilicet in colore complexionem sequente. Quare autem se talem exhibuit, reddit Gregorius rationem: quia in mentibus eorum talis fuit: & ideò non erat fictio, sed instructio.

ARTICVLVS IV.

An visio Dei in patria debeat dici vita æterna?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Quod erit eis vita æterna, &c.] Vita enim æterna non consistit in visione, sed etiam in amore & fruitione: ergo sola visio non erit vita æterna.

2 Item, Visio passio est: & vita æterna est quidam actus perpetuæ vitæ in animam beatam, vt supra dictum est: ergo videtur, quòd visio non sit vita æterna.

3 Item, Vita potius consistit penes motiuam potentiam, quam intellectiuam: ergo videtur, quòd potius amor sit vita æterna, quam visio.

Sed contra. IN CONTRARIVM est, quòd dicit Augustinus, quòd visio est tota merces.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd de visione Dei in patria quid sit, & vtrum possibilis sit creaturæ, & cætera huiusmodi, disputata sunt in 1. lib. de vti & frui super id, Fruimur cognitis, &c. Hic autem dicendum est, quòd vita æterna consideratur dupliciter, scilicet secundum id quod subsstat in ea, & quasi materiale est: & secundum id quod informat, & est quasi formale. Et primo quidem modo visio est vita æterna propter causam quæ supra dicta est in quæstione de vita æterna. Secundo autem modo delectatio consequens amorem habitæ diuinitatis est vita æterna. Vnde id quod est causa vitæ æternæ, est amor pascens siue pastus in viso habito. Et per hanc distinctionem patet solutio omnium obiectorum.

ARTICVLVS V.

An Christus in forma serui iudicans, videbitur à bonis & malis?

DEinde quæritur de hoc quod dicit [In forma serui iudicans, à bonis & malis videbitur] Videtur enim quod etiam secundum diuinitatem videndus sit corporeis oculis, præcipuè à bonis: quia ita dicit August. 22. de ci. Dei. cap. 29. Et per illos oculos sic videbitur Deus, vt aliquid habeat in tanta excellentia menti simile, quo & in corporea natura cernatur, quod vllis exemplis siue Scripturarum testimoniis diuinarum vel difficile vel impossibile est ostendere. Aut quod est ad intelligendum facilius, ita Deus erit notus atque conspicuus, vt videatur spiritu à singulis nobis in singulis, videatur ab altero in altero, videatur in cælo nouo & in terra noua, atque in omni quæ tunc fuerit creatura, videatur,

Solutio. RESPONSIO. De hoc etiam in prima dist. primi libri est habitum, vtrum sensus conuertatur in rationem. Et dicendum, quòd non: nec Augustinus dicit, sed intedit, quòd creatura corporalis accepta per oculos specie nobiliori & euidentiori quam modo. Deum manifestabit: & sic spiritus noster facilius in visis quam modo cognoscet.

Quare ſecundum formam ſerui dicitur Chriſtus ſuſcitaturus corpora.

C ET ſicut dicitur Chriſtus ſecundum formam ſerui iudicaturus, propter cauſam præmiſſam: ita etiam dicitur ſuſcitaturus corpora mortuorum, ſecundum humanitatem, cum tamen virtute diuinitatis ſit ſuſcitaturus, non humanitatis. Sed hac ratione illud dicitur, quia in humanitate ſuſcepit quod eſt cauſa noſtræ reſurrectionis, id eſt, paſſionem & reſurrectionem. Ideo ei aſcribitur ſecundum hominem ſuſcitatio mortuorum. Vnde Auguſtinus, Per verbum Filium Dei, fit animarum reſurrectio. Per verbum factum in carne filium hominis, fit corporum reſurrectio. Item, Iudicat & ſuſcitat corpora non Pater, ſed Filius ſecundum diſpenſationem humanitatis, in qua minor Patre eſt Chriſtus. In eo quod eſt Filius Dei, eſt vita quæ viuificat animas: in eo quod eſt filius hominis, iudex. Ecce ſecundum formam humanitatis dicitur ſuſcitaturus corpora, & iudicaturus. Iudicaturus autem, quia illa forma cunctis in iudicio apparebit: & ſuſcitaturus, quia in eadem forma meritum & cauſam reſurrectionis noſtræ ſuſcepit. Et quia ſecundum eandem formam vocem dabit, qua mortui de monumentis reſurgent, & procedent. Secundum quod Deus eſt, viuificat animas, non Pater tantum, quia non tantum Pater vita eſt, ſed & Filius cum eo, & Spiritus ſanctus eadem vita eſt, quæ pertinet ad animam non ad corpus. Corpus enim non ſentit vitam ſapientiæ, ſed anima quæ illuminatur à lumine æterno. Licet ergo Chriſtus potentia diuinitatis viuificet animas, & ſuſcitet corpora, & iudicet: non otiosè tamen & præter rationem ei ſecundum formam Dei tribuitur viuificatio animarum, & ſecundum formam ſerui iudicium & reſuſcitatio corporum.

Super Ioan. tract. 23. Ibidem.

De loco iudicij.

D DVBITANT quidam Dominum deſcenſurum in vallem Ioſaphat in iudicio: eò quod ipſe per Ioëlem Prophetam ſic loquitur, Congregabo omnes gentes, & deducam eas in vallem Ioſaphat, & diſceptabo ibi cum eis. In cuius capituli expoſitione ita reperi, Hoc quidam pueriliter intelligunt, quòd in valle quæ eſt in latere montis Oliueti, deſcenſurus ſit Dominus ad iudicium, quod friuolum eſt: quia non in terra, ſed in ſpatio huius aëris ſedebit contra locum montis Oliueti, ex quo aſcendit. Et ſicut Ioannes Chryſoſtom. dicit, Angeli deferent ante eum ſignum crucis: vnde in Euangelio veritas dicit, Et tunc apparebit ſignum filij hominis, &c. Ioſaphat autem interpretatur iudicium Domini. In vallem ergo Ioſaphat, id eſt, iudicij Domini congregabuntur omnes impij. Iuſti verò non deſcendent in vallem iudicij, id eſt, damnationem, ſed in nubibus eleuabuntur obuiam Chriſto.

Ioël. 3.

Mat. 24.

1. Theſſ.

EXPOSI

EXPOSITIO TEXTVS.

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Et sicut dicitur Christus secundum formam serui,&c.]Sciendum est,quòd totum istud iam disputatum est distinct.43. vbi quæsitum est de causis resurrectionis.

ARTICVLVS VI.

An sit aliquis locus in quo sit Deus iudicaturus mundum?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Putant quidam Dominum descensurum] Videtur enim, quòd non contra montem Oliueti, sed contra locum prætorij Pilati, vbi iudicatus est, sedere in aëre debeat: quia congruit,vt ibi iudicet,vbi iudicatus est.

2 Item videtur falsum quod dicit, quòd impij in terra manebunt: quia elementum eis congruentius est ignis afflictiuus & vltimus: ergo super Sanctos debent disponi in igne potius quam in terra.

VLTERIVS quæritur de nubibus in quibus eleuabuntur iusti: quia nubes per resolutionem fiunt de terra & aqua, & tunc à nullo fiet euaporatio vel resolutio: ergo nullæ nubes erunt. *Quæstiuncula.*

RESPONSIO. Disputare de ista materia est potius diuinare,quam disserere. Dicendum tamen, quòd bene congruit sic esse, vt dicunt: & tunc sedebit contra montem Oliuarum, vt significet à iudicio illo misericordiam relaxantem non esse alienam: cuius contrarium significatetur, si sederet contra Golgotha vel prætorium Pilati. *Solutio.*

AD ALIVD dicendum, quòd ignis ille in quo erunt mali, motu insecutionis materiæ suæ descendet deorsum, vt prius dictum est: & ideo benè putò, quòd mali in terra stabunt in igne inuoluente eos & trahente in infernum.

AD VLTIMVM dicendum, quòd meo iudicio nubes hic vocatur densitas lucis resplendentis à corporibus Sanctorum,& non dicuntur hæ nubes hic obscuræ, quæ fiunt ex terræ & aquæ euaporationibus. *Ad quæstiunculam.*

De qualitate luminarium, & temporibus post iudicium.

VENIENTE autem ad iudicium Domino in fortitudine & potestate magna, sol & luna dicuntur obscurari: non sui luminis priuatione, sed superueniente maioris luminis claritate. Virtutes quoque cælorum, id est, Angeli dicuntur moueri non metu damnationis, vel aliqua perturbatione pauoris, sed quadam admiratione eorum quæ viderint. Vnde Iob, Columnæ cæli pauent aduentum eius. Ante diem vero iudicij sol & luna eclipsim patientur, sicut Ioël testatur dicens, Sol conuertetur in tenebras, & luna in sanguinem, antequam veniat dies Domini magnus & horribilis. Magnus verò dicitur, propter magna quæ ibi fient. Cum autem factum fuerit cælum nouum, & terra noua, tunc erit lux lunæ sicut lux solis, testante Isaia, Et lux solis erit septempliciter, id est, sicut lux septem dierum: quia quantum luxit sol in prima conditione 7. dierum ante peccatum primi hominis, tantum lucebit post iudicium. Minorata enim fuit lux solis & lunæ aliorumque siderum, per peccatum primi hominis: sed tunc recipiet sol mercedem sui laboris, quia septempliciter lucebit: & tunc non erit vicissitudo diei & noctis, sed tantum dies. Vnde Zacharias, Et erit dies vna quæ nota est Domino, non dies neque nox: & in tempore vespere erit lux, quia tunc non erit varietas diei & noctis quæ modo est, sed continua dies & lux. Isaias tamen videtur dicere, quòd tunc non luceat sol vel luna, loquens congregationi sanctorum. Non erit ibi, inquit, amplius sol ad lucendum per diem, nec splendor lunæ illuminabit te: sed erit tibi Dominus in lucem sempiternam. Sed his verbis non negat solem & lunam tunc lucere, sed significat his qui tunc erunt in æterna beatitudine, nullum lucis vsum præstare: quia vt ait Hieron. super eundem locum, Cæli & terræ, solis atque lunæ nobis

E

Luc.21. Mat.24. Luc.21.

Iob 26.

Ioël.2. & 3.

Isa.65.

Isa.30.

Zach.14.

Isa.60.

Lib.10.

nobis ceſſabit officium, & erit ipſe Dominus lumen ſuis in perpetuum. Poteſt etiam intelligi illud Iſaiæ ea ratione dictum, quia ſol & luna tunc non habebunt ortum & occaſum ſicut nunc. Vnde Iſidor. illud Iſaiæ quaſi exponens ait, Poſt iudicium ſol laboris ſui mercedem ſuſ-
Iſa 30. cipiet. Vnde Propheta, Lucebit ſeptempliciter, & non veniet ad occaſum nec ſol nec luna, ſed in ordine quo creati ſunt, ſtabunt, ne impij in tormentis ſub terra poſiti, fruantur luce eorum. Vnde
Abac. 3. Abacuc, Sol & luna ſteterunt in ordine ſuo. Ecce aperte dicit ſolem & lunam tunc lucere, ſed ſtabiliter permanere: vbi etiam ſignificat infernum eſſe ſub terra. Si verò quæritur, Quis ſit vſus lucis ſolis & lunæ tunc? Fateor me ignorare, quia in Scripturis non memini me legiſſe.

ARTICVLVS VII.

An in iudicio extremo ſol & luna eclipſim patientur?

DEinde quæritur de hoc quod dicit [Sol & luna eclipſim patientur, &c.] Videtur enim hoc impoſſibile: quia ſol & luna nunquam poſſunt ſimul pati eclipſim: ſed ſol in coniunctione eclipſim patitur, & luna in oppoſitione: ergo falſum eſt quod dicit.

Solutio. RESPONSIO. Ad hoc dicendum, quòd Hieron. multa dicit ſigna debere præcedere diem iudicij, quæ quia neſcio ſi vera ſunt, ideo non pono. Sed iſtud videtur dicendum, quòd ſi ſol & luna obſcurabuntur ſimul, ſicut videtur velle Hieron. hoc non erit per cauſam naturalem coniunctionis vel præuentionis eorum, ſed potius virtute diuina, vt terror hominibus incutiatur, ſicut Lucas innuit 21. Etunt ſigna in ſole & luna, &c. Sequitur, Et in terris preſſura gentium, &c. Vel fortè quia lumine ſolis & lunæ cuncta generantur & viuunt: & tunc ſtabit generatio: ideo etiam defectus dicitur eſſe luminarium.

ARTICVLVS VIII.

An lux ſolis erit maior poſt iudicium, quam fuit ante?

DEinde quæritur de hoc quod dicit [Et lux ſolis erit ſeptempliciter, &c.] Videtur enim hoc eſſe contra rationem: quia lux ſolis data eſt ad mouendum ad generationem inferiorum: ergo ſublata generatione debet auferri eius lumen: non ergo debet tunc amplius lucere, ſed minus.

Solutio. AD HOC dicunt, quòd remunerabitur ſol propter hominis dignitatem, ad cuius generationem mouit, vt numerus electorum impleretur.

AD OBIECTVM autem dicunt, quòd lux non mouebit amplius ad generationem, ſed ſtabit: quia per motum cauſabat generationem. Dicunt autem, quòd ſol in ſex primis diebus ante peccatum hominis pluſquam modo luxit, & tunc redibit ad illam lucem, & inſuper ſepties addetur ei tantum de lumine, quantum habuit in ſex primis diebus. Homines autem in ſeptuplum pluſquam ſol in illis diebus, ſcilicet poſt iudicium. Et quid de hoc verum ſit, nullus ſcit niſi Deus.

ARTICVLVS IX.

An tunc erunt vices diei & noctis?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Et tunc non erit viciſſitudo diei & noctis, &c.] Hoc videtur impoſſibile: quia terra ad oppoſitum locum ſolis ſemper dabit vmbram: & vmbra terræ eſt nox: ergo tunc erit nox.

AD HOC dicendum, quòd nuſquam erit *Solutio.* tunc nox, niſi in centro terræ: quia licet ſol ſtet cum elemẽtis & ſtellis & luna, tamen tantum addetur in lumine, quòd hemiſphærium ſibi oppoſitum erit illuminatum, ſicut & illud in quo ſtabit ſol: & ideo dicitur non eſſe viciſſitudo diei & noctis.

ARTICVLVS X.

An ſol & luna præſtabunt beatis lucem?

DEinde quæritur de hoc quod dicit [Sed ſignificat his qui erunt in æterna beatitudine, &c.] Videtur falſum: quia illi maximè habebunt lucis vſum: quia aliter erit vana.

AD HOC dicendum, quòd intelligit, quòd *Solutio.* non eſt idem vſus lucis qui modo eſt: tunc enim erit ad admirationem ſapientiæ creatoris, & non ad illuminandas tenebras, quæ nullæ erunt niſi in inferno, & illæ non illuminantur.

ARTICVLVS XI.

An infernus ſit in ſuperficie terræ?

DEinde quæritur de hoc quod dicit [Ne impij in terra in tormentis poſiti fruantur luce, &c.] Et quæruntur hic duo de inferno, ſcilicet an ſit in ſuperficie terræ, ſicut

videtur

videtur velle Isid. hîc, an aliquid aeris sit in inferno vel non? Ad primum obiicitur sic: Sicut dicit Philosophia ad Boe. Ptolemæus probauit solam mundi quartam esse habitabilem. Ex hoc sequitur, quòd quarta terræ inferior non sit habitabilis hominibus: sed constat, quod nihil factum est sine causa: ergo videtur, quòd ibi sit habitatio damnatorum, cum ad aliud non videatur pertinere.

2 Item, Isaac dicit, quòd peccatorem depriment peccata sua sub tristi orbe, & erit ibi in igne maximo: & hic est eius infernus. Orbis autem tristis est inferior pars orbis secundum Philosophos. Ergo videtur, quòd ibi sit infernus.

3 Item, Hoc dicit Isaac, quòd non rotabuntur luminaria, ne impij in tartaro positi sua luce fruantur: ergo si rotarentur, impij sua luce fruerentur: sed hoc non posset esse, si infernus esset in centro terræ: sed impossibile est, quòd sit in alia mundi parte: ergo infernus est in parte mundi inferiori.

Solutio. Respondeo. Dicendum, quòd infernus non est in alio mundi hemisphærio. Quod autem sit in aliquo hemisphærio non arbitror scire quenquam: quia secundum philosophiam Theodosij vbi de locis habitabilibus geometricas edidit demonstrationes, illud hemisphærium æquè est temperatum sicut istud: sed verum est quod Ptolemæus dicit, quòd non est visa obseruatio stellarum vel eclipsium alicuius habitantium in illis locis, quæ peruenerit ad nos. Et hoc intendit philosophia dicere in consolatione. Quæ autem sit causa in 2. lib. tractatu de paradiso secundum Augustinum est notatum.

Ad aliud dicendum, quòd Isaac tristem orbem ibi vocat ima terræ, vbi in tartaro damnati recludentur.

Ad aliud dicendum, quòd Isid. ea quæ dixit, non probauit, nec fidei sunt: & ideo ea facilitate condemnantur, qua dicuntur. Vel si aliquis vult eum defendere: tunc dici potest, quòd contingit dupliciter frui luce luminarium, scilicet secundum se, & secundum effectum. Et secundum se quidem non contingit frui, etiamsi rotarentur, sicut probat obiectio. Sed secundum effectum contingeret: quia sicut dicit Ptolemæus, radij stellarum non mouent nisi in centro terræ, quandiu rotatu suo mouent terram ad generationem: & cum tunc, tunc amplius non mouebunt: & tunc quilibet hunc effectum non fruentur.

ARTICVLVS XII.

An aliquid aeris sit in inferno.

Secundo quæro, Vtrum aliquid aeris sit in inferno? Videtur, quòd sic: quia nihil est vacuum: constat autem, quòd damnati non replent totum locum illum, nec aliquod grossum elementum, nec ignis est ibi nisi in damnatis: ergo videtur, quòd aer sit ibi.

2 Item, Homo est animal spirans: & non potest inspirando aliquod elementum viuere nisi aerem: ergo videtur, quòd ibi sit aer.

Solutio. Respondeo. Dicendum, quòd istæ quæstiones friuolæ sunt, nec determinari humano ingenio possunt: tamen magis puto, quòd non erit ibi aer, sed tantum ignis, & frigus, & damnati.

Ad primum ergo dicendum, quòd locus ille plenus est igne, & frigidis materiis, & damnatis.

Ad aliud dicendum, quòd inspiratio & expiratio sunt modo propter pectoris calorem & cordis, ne incendatur humor cordis ex motu: sed tunc non erit humor alterabilis: & ideò non erit respiratio. Sed tamen hoc sine præiudicio dico. Qualiter autem sit in cælo empyreo, infra patebit, cum de senibus glorioſi corporis dicetur.

DISTINCTIO XLIX

De differentia mansionum in cælo & inferno.

A *De statu & conditione bonorum post iudicium.*

Post resurrectionem vero facto vniuerso impletoque iudicio, suos fines habebunt ciuitates duæ: vna Christi, alia diaboli: vna bonorum, altera malorum, vtraque tamen Angelorum & hominum. Istis voluntas, illis facultas non poterit esse peccandi, vel vlla conditio moriendi. Istis in æterna vita feliciter viuentibus, illis infeliciter in æterna morte sine moriendi potestate durantibus: quoniam vtrique sine fine. Sed in beatitudine isti, alius alio præstabilius: in miseria verò illi, alius alio tolerabilius permanebunt. Ex his apparet, quod sicut boni differenter glorificabuntur, alij magis, alij minus: ita & mali

differenter

differenter in inferno punientur. Sicut enim in domo patris, id est, in regno cælorum mansiones multæ sunt, id est, præmiorum differentiæ: ita & in gehenna diuersæ sunt mansiones, id est, suppliciorum differentiæ. Omnes tamen æternam pœnam patientur, sicut omnes electi eundem habebunt denarium, quem paterfamilias dedit omnibus qui operati sunt in vinea. Nomine denarij aliquid omnibus electis commune intelligitur, scilicet vita æterna: Deus ipse quo omnes fruentur, sed impariter. Nam sicut erit differens clarificatio corporum, ita differens gloria erit animarum. Stella enim à stella, id est, electus ab electo differt in claritate mentis & corporis. Alij enim aliis vicinius clariusque Dei speciem contemplabuntur: & ipsa contemplandi differentia diuersitas mansionum vocatur. Domus ergo est vna, id est, denarius est vnus: sed diuersitas est ibi mansionum, id est, differentia claritatis: quia vnum est & summum bonum beatitudo vita omnium, id est, Deus ipse. Hoc bono omnes electi perfruentur, sed alij aliis plenius. Perfruentur autem videndo per speciem, non per speculum in ænigmate. Habere ergo vitam, est videre vitam, id est, cognoscere Deum in specie. Vnde veritas dicit in Euangelio, Hæc est vita æterna, vt cognoscant te verum Deum, & quem misisti Iesum Christum esse vnum & solum verum Deum: hoc est habere vitam, id est, cognoscere te non est ipsa cognitio, quæ tu es, sed per cognitionem habere bonum, quod tu es, id est, vita.

Ioan.14. 1.Cor.15. Matt.20. 2.Cor.13. Ioan.17.

DIVISIO TEXTVS.

POST resurrectionem vero, &c.] Hîc incipit pars quæ est de consequentibus iudicium, & habet duas partes, in quarum prima agit de consequentibus iudicium ex parte bonorum: in secunda de consequentibus ex parte malorum. In prima autem ex parte bonorum sex inducuntur quæstiones, scilicet de differentia mansionum, de beatitudine, de differentia cognitionis beatorum, de differentia & paritate gaudiorum, an beatitudo augeapost iudicium, & quare animæ resumunt corpora, cum sine his beatitudinem habere possint? Et hæc patent in principiis capitulorum istius distinctionis per ordinem. Circa primum capitulum incidunt tria inquirenda, scilicet quid sit mansio, quid sit factiuum mansionis, & vbi est mansio?

ARTICVLVS I.

Quid sit mansio?

AD primum obiicitur ex litera vbi dicit, quòd mansiones sunt præmiorum differentiæ. Videtur enim hoc falsum: quia mansio dicit secundum nomen suum aliquid domus: præmium autem secundum nomen suum nihil dicit domus: ergo diffinitio est inconueniens, quia secundum nomen dari debet.

2 Item, Vnum vno modo se habens, omnium erit præmium: sed vnum vno modo se habens, non habet differentiam: ergo id quod præmium erit omnibus, præmiorum non habebit differentias: sed habebit differentias mansionum, dicente Euangelio Ioan. 14. In domo patris mei mansiones multæ sunt. Ergò videtur, quòd mansiones non sunt præmiorum differentiæ.

3 Item, In inferioribus dicitur mansio locus præparatus habitationi hominum, in quo ab infestantibus & intemperamentis aeris defendatur: cum ergo secundum translationem in cælo dicatur, videtur quòd secundum hunc modum etiam sit in cælo. Et hoc falsum esse multipliciter probatur. Primo quidem: quia non sunt ibi infestantia: hominis autem mansio contra infestantia ædificatur.

Secundo autem: quia vna mansio in inferioribus est plurium, in cælo autem nullo modo: ergo non accipitur ibi mansio per similitudinem ad istam.

4 Item, Vna mansio vnius hominis plura habet loca distincta, scilicet dormitorium, cellarium, refectorium, & huiusmodi: in cælo autem nihil talium est: ergo non benè dicitur mansio, vt videtur.

5 Item, Semper se mutantis non est mansio aliqua: sed in cælo semper mutant se beati: ergo nulla est mansio ipsorum. Prima patet per se. Secunda probatur ex hoc, quòd continuè illuminantur nouis modis, & altius ascendunt in Dei contemplationem, sicut innuit Dionysius in cæ. hierar. ca. 3.

RESPONSIO. Dicendum, quòd mansiones sunt in cælo in domo patris. Gaudium enim illius beatitudinis dupliciter consideratur, *Solutio.*

tur,

tur, scilicet vt gaudium boni infiniti: & sic finitum intrat in ipsum: & hoc modo dicitur domus nos vndique circunstans, & superefluēs mensura prout dicitur Matt. 25. Intra in gaudium Domini tui. Secundo modo consideratur vt participatum secundum proportionem meriti nostri: & sic dicitur mansio, quia illa participatio est ad modum meriti cuiuscunque: & quia plurimæ sunt tales participationes, ideò in vna domo plurimæ sunt mansiones.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd Augustinus loquitur de re mansionis, & non de nomine: quia res eadem est differentiæ præmij, licet ratio nominum mansionis & præmij sit diuersa.

AD ALIVD dicendum, quòd licet Deus vno modo se habeat, & sic sit domus: tamen Sancti non vno modo habent se in ipso participato: & sic ex parte participantium distinguuntur mansiones.

AD ALIVD dicendum, quòd benè & congruè fit translatio: quia licet ibi non sint intemperamenta, tamen essent, nisi mansio esset: & est sicut mansio sancta, vt non sint ibi aeris tempestates.

AD ALIVD dicendum, quòd non est plurium vna mansio commensurata secundum quantitatem & commodum, sed plurium potest esse vna domus. A mansione autem commensurata sumitur translatio ad mansionem cælestem.

AD ALIVD dicendum, quòd illa loca distincta vocantur vel dicuntur mansiones: & id in quo distinguuntur, habet similitudinem domus.

AD ALIVD dicendum, quòd licet Sancti accipiant reuelationem nouam, non tamen mutant statum suæ sortis in beatitudine: & illi statui soli respondet mansio.

ARTICVLVS II.

An omnes beati habeant distinctas mansiones?

SEcundo quæritur, Quid sit distinctio mansionis? Videtur, quòd differens actus: quia mansio respondet merito: meritum autem omne est in actibus: ergo differens actus differentiam facit mansionum.

2 Item, In malis damnatis non est distinguens nisi actus mali meriti: ergo per oppositum etiam in bonis non est distinguens mansiones nisi actus boni meriti: ergo vt prius.

3 Item, De quolibet Sancto dicitur, Non est inuentus similis illi. Constat autem, quòd hoc non intelligitur de essentia virtutis, vt dicunt sancti Doctores, sed de vsu. Ergo videtur, quòd penes vsum virtutis differt quilibet ab altero: sed penes tale aliquid habet distingui mansio, quia vniuscuiusque mansio differt ab alia: ergo videtur, quòd penes vsum virtutis distinguatur: vsus autem virtutis est operatio meritoria: ergo penes opus meritorium distinguuntur mansiones.

4 Item, Nullum bonum est irremuneratum: constat autem, quòd hoc de bono opere intelligitur: ergo præmiorum differentiæ sunt penes operum differentiam: sed istæ sunt mansiones, vt dicitur in litera: ergo penes opera mansiones distinguuntur.

In contrarium huius videtur, quòd penes naturam: quia Angeli, vt dicit Magister in 2. distincti sunt penes naturam: sed mansiones hominum sunt secundum mansiones Angelorum: ergo mansiones hominum secundum naturalem gradum habent distingui.

2 Item, Matth. 25. Dedit vnicuique secundum propriam virtutem. Vbi constat, quòd loquitur de bonis gratiæ, ante quæ nulla sunt nisi naturalia: ergo dona gratiæ dantur secundum virtutem naturæ: & dona gloriæ sunt dona gratiæ: ergo dona gloriæ distinguuntur secundum dona naturæ: ergo & mansiones.

Item, In contrarium horum amborum videtur, quod penes quantitatem charitatis: quia hoc est distinguens, cuius altitudini respondet mansio altior, & inferioritati mansio inferior: sed hoc non est nisi secundum charitatem: ergo differentia mansionum accipitur secundum differentiam charitatis.

2 Item, Quantitas omnis meriti est secundum quantitatem charitatis: ergo quantitas præmij: ergo & differentia mansionum. Probatur prima: quia sicut dicunt Sancti, non habens plura opera, maioris est meriti, sed habens maiorem radicem charitatis.

RESPONSIO. Dicendum, quòd charitas & quantitas charitatis distinguit mansiones, sicut vltimò est probatum. *Solutio.*

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd meritum non est in actibus, nisi secundum quantitatem charitatis: quia substantia meriti non est habentis maius opus, sed ex maiori operantis charitate, sicut accipitur ex 1. Cor. 13. vbi dicit, quod si charitatem non habeam, cætera nihil mihi prosunt etiam excellentia opera.

AD ALIVD dicendum, quòd in malis non est simile: quia mala opera non vniuntur in aliqua forma vna sicut bona: & ideo etiam mansiones in inferno secundum opera bene distinguuntur, sed non in domo patris cælestis. De hoc autem qualiter mala non habent aliquam formam vnam notatum inuenies in secundo.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc facit differentiam præmij accidentalis, quod est in qualitate & multitudine & magnitudine operum: sed differentia mansionum attenditur penes præmium substantiale.

AD ALIVD dicendum, quòd omne remuneratur præmio substantiali vel accidentali.

AD ID quod in contrarium primo obiicitur, dicendum quòd mansiones in Angelis non distinguuntur formaliter penes naturam: sed natura ad hoc ponit dispositionem naturalem, & formalem perficit donum gratiæ & gloriæ. Et hoc etiam super secundum est notatum.

AD ALIVD dicendum, quòd ista donatio est per modum congrui, & non per modum debiti: & ideo non potest vlterius inferri,

quòd mansio distinguatur penes ipsam, sed potius penes quantitatem eius quod inter dona Dei nobilissimum est, quod est charitas.

ARTICVLVS III.

Quomodo & vbi distinguantur mansiones?

TErtio quæritur, Vbi distinguantur mansiones? Et videtur, quòd in purgatorio: quia ibi sunt differentiæ pœnarum: ergo & mansionum.

2 Item, Eorum qui sunt in purgatorio differens est charitas: sed differentia charitatis est causa differentiæ mansionum: ergo eorum qui sunt in purgatorio, differentes sunt mansiones.

3 Item, In limbo puerorum est habitatio perpetua: ergo videtur, quòd ibi sunt differentes mansiones.

4 Item, Quilibet habet ibi suam: & ipsi sunt diuersi: ergo & habitationes diuersæ.

5 Item, In limbo patrum fuit differens charitas & differens meritum: ergo differens mansio, vt videtur.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd differentia mansionum non est nisi in inferno damnatorum, & in cælo sanctorum.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd mansio dicit suo nomine habitationem perpetuam: & hæc non est in purgatorio. Et per hoc patet etiam solutio ad sequens.

AD ALIVD dicendum, quòd cum pueri non habent nisi originale, & illud inquantum est alienum propagatum à patribus, non hanc habent in limbo pueri mansionum differentiam.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc non facit nisi materialem multiplicationem mansionum: & talis non quæritur hîc.

AD HOC quod obiicitur de limbo patrum, patet solutio per antedicta: quia non fuit habitatio perpetua.

ARTICVLVS IV.

Quid sit claritas animæ?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Habere vitam, est videre vitam, &c.] Quæruntur enim hîc duo. Primo quæritur, Quæ sit claritas animæ de qua loquitur in litera? Et secundo, Quid sit videre in specie? de quo etiam facit mentionem in litera. Cætera autem in primo, & supra in præcedenti distinctione de visione Dei in patria hîc quæri possunt.

Obiicitur autem ad primum sic. Videndo nihil efficitur clarum: ergo claritas non est visio, vt videtur dicere in litera.

2 Item, Claritas in corpore consistit in lumine penetrante & illustrante substantiam corporis, & non in visione luminis: ergo similiter consistit claritas animæ in lumine aliquo spirituali: & ita nihil est quod dicis de visione.

3 Item, Anima de se obscura est dupliciter, scilicet ex peccato, & ex hoc quod est de nihilo & mutabilis: ergo duplici indiget glorificatiuo, si debeat fieri beata: sed neutrum horum tollitur per visionem: ergo claritas animæ nullo modo consistit in visione.

4 Item, In Angelis est alia claritas, quam visio intelligentiæ: ergo & in anima erit.

Solutio. RESPONSIO. Bene concedo, quòd claritas erit in anima etiam in substantia, sicut obiectiones probant: sed quod dicitur in litera, dictum est per causam: quia per visionem accipitur claritas sapientiæ, quæ totam animam glorificando penetrat: & huius imaginatio est, sicut siquis videndo lumen, in se per oculos traheret lumen, quod ingressum in ipsum totum faceret clarum. Et per hoc patet solutio ad omnia obiecta.

ARTICVLVS V.

Quid sit videre per speciem?

SEcundo quæritur, Quid sit videre in specie? Ad omnem enim intellectum exigitur informatio: ergo ad intellectum Dei: ergo si Deus intellectu videri debeat, oportet speciem Dei esse in intellectu, sicut formam in subiecto, & sicut passionem quandam animæ in intellectu: ergo videtur, quòd Deus non videatur per speciem quæ ipse est, sed per speciem ab ipso acceptam.

Si dicas, quòd quædam per se sunt in anima, sicut Deus, & intellectus ipse, & huiusmodi: & in illis non exigitur huiusmodi abstractio. Contra: Philosophus dicit, quòd intellectus intelligit se, sicut alia intellectibilia: sed alia intelligit per abstractionem: ergo & seipsum.

2 Item, Aliud est secundum Philosophum esse in anima sicut partem animæ in toto, & aliud esse in anima sicut intellectum in intellectu. Primo enim modo non necessariò intelligitur quod est in anima, sed secundo modo necessariò intelligitur. Ergo non sequitur, quòd illa necessariò intelligantur quæ per essentiam sunt in anima. Ergo illa solutio nulla esse videtur.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est, quod impossibile est illius accipere speciem vniuersalem quod nullam habet: sed Deus nullam habet speciem vniuersalem: ergo impossibile est accipere suam speciem vniuersalem: ergo ab eo nihil est in intellectu, vt videtur, quia species accepta per intellectum, est vniuersale.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd in 3. de hoc plura sunt notata in tractatu de fide. Hîc tamen potest dici, quòd Deus in patria aliter est in anima, & aliter in via & in omnibus: quia in patria est in intellectu lumine gloriæ replens totam animam, & vitam æternam sibi influens, secundum quod beatitudinis est obiectum, vt supra dictum est: & sub illa claritate anima conuertitur immediatè in Deum non accipiendo aliud ab ipso quam ipse sit: sed hoc modo vnita ei in vno spiritu intelliget

telliget eum: & ideò ad hunc intellectum non est necessaria speciei assimilatio formalis quando substantialiter inest.

Ad dictvm autem vtriusque Philosophi dicendum, quòd ipsi verum dicunt de intellectu materiali, qui de potentia ad actum egreditur: nec aliud quam ipsi dicunt intelligi potest, dummodo sciat homo quid dicat aut intelligat. Sed in patria non erit sic: ibi enim incircumscriptum lumen deitatis quod est Deus ipse, vnitur intellectui agenti, & sic effunditur substantialiter super totam animam & implet eam: & hoc modo anima plena erit ipso Deo qui est sua beatitudo. Et hoc est quod obscurè dixerunt Philosophi, quòd si anima post mortem primo motori continuaretur, hoc esset ratione suæ prosperitatis. Et per hoc patet solutio ad omnia obiecta.

Si omnes homines volunt esse beati.

Solet etiam quæri de beatitudine, Vtrum eam omnes velint, & sciant quæ sit vera beatitudo? De hoc Augustinus in 13. lib. de Trinit. ita differit, Mirum est cum capescendæ retinendæque beatitudinis voluntas vna sit omnium, vnde tanta existat de ipsa beatitudine rursus diuersitas voluntatum: non quod eam aliquis nolit, sed quod non omnes eam norint. Si enim eam omnes nosceren̄t, non ab aliis putaretur esse in virtute animi, ab aliis in voluptate corporis, ab aliis atque aliis alibi atque alibi. Quomodo ergo omnes amant quod non omnes sciunt? Quis potest amare quod nescit, sicut supra disputaui? Cur ergo beatitudo amatur ab omnibus, nec tamen scitur ab omnibus? An fortè sciunt omnes quæ ipsa sit, sed non omnes sciunt vbi sit, & inde contentio est? An fortè falsum est quod pro vero posuimus, beatè viuere omnes homines velle? Si enim beatè viuere est (verbi gratia) secundum animi virtutem viuere: quomodo beatè viuere vult, qui hoc non vult? Nonne verius diximus, Homo ille non vult beatè viuere, quia non vult secundum virtutem viuere: quod solum est beatè viuere? Non ergo omnes beatè viuere volunt, imo pauci hoc volunt: si non est beatè viuere, nisi secundum virtutem animi viuere, quod multi nolunt. Itane falsum erit, vnde nec ipse Cicero dubitauit? Ait enim, Beati certè omnes esse volumus. Absit vt hoc falsum esse dicamus. Quid ergo? An dicendum est, etiamsi nihil aliud sit beatè viuere, quam secundum virtutem animi viuere: tamen & qui hoc non vult, beatè viuere vult. Nimis quidem hoc videtur absurdum. Tale enim est ac si dicamus, qui non vult beatè viuere, beatè vult viuere. Istam repugnantiam quis audeat? quis ferat? & tamen ad hanc contrudit necessitas. Si & omnes beatè viuere velle verum est, & non omnes volunt sic viuere: quomodo solum viuitur beatè. An illud ab his angustiis poterit nos eruere, si dicamus nihil esse beatè viuere, nisi viuere secundum delectationem suam: & ideò falsum non esse, quòd omnes beatè viuere velint, quia omnes ita volunt vt quemque delectat. Sed id quidem falsum est. Velle enim quod non deceat, est esse miserrimum. Nec tam miserum est non adipisci quod velis, quam adipisci velle quod non oporteat. Quis ita cæcus sit, vt dicat aliquem ideò beatum, quia viuit vt vult? cum profecto etsi miser esset, minus tamen esset, si nihil eorum quæ perperam voluisset, habere potuisset. Mala enim voluntate vel sola miser quisque efficitur: sed miserior, cum desiderium malæ voluntatis impletur. Qua-

B Cap. 4.

Cicero in Hortensio.

Ibidem. cap. 5. in princ. cap.

propter, quoniam verum est, quòd omnes homines esse beati velint, idque ardentissimo amore appetant, & propter hoc cætera quæcunque appetant: nec quisquam potest amare, quod omninò quid vel quale sit nescit, nec potest nescire quid sit, quod se velle scit: sequitur vt omnes beatam vitam sciant. Omnes autem beati habent quod volunt, quamuis non omnes qui habent quod volunt, continuò sint beati. Continuò autem miseri sunt, qui vel non habent quod volunt, vel id habent quod non rectè volunt. Beatus ergo non est nisi qui & habet omnia quæ vult, & nihil vult malè. Ille quippe beatè viuit, qui viuit vt vult, nec malè aliquid vult. Cum ergo ex his duobus constet beata vita, licet in malis sit aliquis bonus, non tamen nisi finitis omnibus malis est beatus. Cum ergo ex hac vita, qui in his miseriis fidelis & bonus est, venerit ad beatam vitam: tunc erit verè quod nunc nullo modo esse potest, vt sic homo viuat quomodo vult. Non enim ibi volet malè viuere, aut volet aliquid quod deerit, aut deerit aliquid quod voluerit. Quicquid amabitur, aderit, nec desiderabitur quod non aderit. Et omne quod ibi erit, bonum erit, & summus Deus summum bonum erit: &, quod est omnino beatissimum, ita semper fore certum erit. Beatos autem esse se velle, omnium hominum est, Beatos autem se esse velle, omnes in corde suo vident, nec tamen omnium est fides, qua ad beatitudinem peruenitur.

ARTICVLVS VI.

An beatitudo sit bene definita à Philosopho?

DEinde quæritur de hoc quod dicit [Solet etiam quæri de beatitudine, Vtrum omnes eam velint?] Et ad intellectum huius capituli quæruntur duo, scilicet quid sit beatitudo, & an omnes velint esse beati, sicut videtur probare in litera?

Ad primum autem ponatur primo Aristot. diffinitio, quæ in primo ethic. continetur sic: Felicitas siue beatitudo est actus siue operatio secundum perfectam virtutem animi. Sed contra hac diffinitionem obiicitur: quia non contingit perfectam esse animi virtutem in via, eò quod perfectum est cui nihil deest: ergo non contingit aliquem in via esse felicem siue beatum.

2 Item, Secundum eundem Philosophum sicut dicere videtur, perfectam virtutem non videtur habere aliquis, nisi qui nihil habet retardans in se vel in alio: sed nullus talis inuenitur in ista vita: ergo nullus in vita ista inuenitur beatus. Prima probatur ex probationibus quæ sunt in primo ethic. vbi dicit, beati esse non exterioribus indigere, & gaudere pronepotum fortuniis & huiusmodi.

3 Item, Perfectio animæ non est in virtute vna nec subiecto: quia vna hirundo non facit ver, nec vna dies pulchra facit æstatem: sed beatitudo quæ est actus, est vnius aliquis actus, vt dicit Commentator: ergo beatitudo non est secundum perfectam vitutem animi.

4 Item sicut accipitur ex 10. ethic. perfecta virtus non potest esse secundum innaturalem habitum vel operationem, nec etiam secundum habitum communem & operationem: cum ergo dicit Philosophus, quòd felicitas est actus secundum perfectam virtutem, non potest intelligi de communis habitus virtute: ergo videtur, quòd hoc specificare debuit. Probatur prima: quia in perfecta virtute & operatione quæ est felicitas, quæritur bonum humanum vt humanum: & hoc non est secundum innaturalem habitum, nec etiam secundum habitum communem qui habetur ex genere: quia ille nobis communis est cum bestiis: & hoc non est humanum secundum quod humanum: & sic constat propositum.

5 Item, Si felicitas siue beatitudo est actus siue operatio, sicut dicit Aristot. & Commentator eius: tunc nullus est beatus secundum habitum: sed hoc quibusdam difficile videtur, quia dicitur, Beatus vir qui timet Dominum. Et, Beatus qui inuentus est sine macula. Et, Beati pauperes spiritu. Et sic de aliis. Quæ omnia sunt secundum habitum, & etiam secundum actus non humanos, vt est timere, sperare, & huiusmodi.

6 Item, Non dicitur esse beatus habens vnam virtutem quantumcunque perfectam: sed vnus actus est vnius virtutis actus: ergo beatitudo non est vnus actus, nisi vnius virtutis: ergo non est secundum perfectam virtutem animi, sed potius secundum perfectas virtutes: nec est actus, sed potius actiones & operationes multæ: & sic iterum inconuenienter videtur diffiniri.

7 Item, Vniuscuiusque naturæ perfectio

est

est secundum quod attingit & communicat quam maximè operationem naturæ superioris: ergo & animæ perfectio secundum quod communicat maximè operationem naturæ superiorum, quæ est angelica, vel diuina: ergo in tali operatione felicitas magis erat ponenda, quam in Dei perfecta virtute. Probatur prima ex Dionys. & Aristot. Dionysius enim vocat contactum inferioris naturæ ad superiorem summitatem in cæl. hierarchia, in fine primi cap. Aristot. autem loquens de felicitate contemplatiua in 10.ethic. cap.penult. dicit, quòd summa & diis acceptissima est, quam exercent ipsi dij, sicut est contemplatio theorematum, sicut qui mirabiles habent delectationes omnes alias excedentes firmitate & puritate: & sic constat propositum. Sed Boëtius aliter videtur diffinire dicens, quòd beatitudo est status omnium bonorum aggregatione perfectus: status autem non est actus: ergo alter eorum malè diffinit: quia vnus ponit eam in genere actus, & alter in genere status.

8 Item videtur inconueniens illa quæ est Boëtij: quia beatitudo est vnum aliquid: nihil autem vnum fit ex omnium bonorum aggregatione: ergo beatitudo non est status, &c. Prima patet per se & ex dictis Commentatoris super primum ethic. dicentis, quòd beatitudo est vnus actus. Secunda probatur ex hoc, quòd bona omnia non sunt vnius generis, nec vnius speciei, vt dicit Aristot. & ideò non congregantur ad vnum constituendum.

9 Item etiam secundum hanc diffinitionem nullus esset beatus in hac vita: cum tamen hoc dicere videatur Scriptura.

10 Item, Philosophi dixerunt in hac vita esse beatitudinem apud multos perfectos in virtute morali, & perfectos in virtute contemplatiua.

11 Item Aristot. in primo ethic. Solonem Athenienscm reprehendit, quia post mortem dixit esse beatitudines. Ergo inconueniens est dicta diffinitio.

Dicit autem Augustinus in litera, quòd beatus est, qui habet omnia quæ vult, & nihil vult male. Ergo beatitudo est habitus, in quo habentur omnia quæ vult homo, & nihil mali volet quis in illo. Sed contra hanc iterum obiicitur: quia in hac vita nullus habet omnia quæ vult: ergo non est beatus. Si fortè dicatur, quòd beatus est modo, & miser modo. Contra: Bernard. in quinto ad Eugenium sic dicit: Porro miseria & felicitas simul inesse non possunt. Ergo si aliquis est miser, ipse nullo modo est beatus.

2 Item, Sicut se habet gratia gratum faciens ad culpam, sic felicitas ad miseriam: sed gratia nunquam patitur secum culpam: ergo nec felicitas compatitur secum miseriam.

3 Item, Opposita simul inesse non possunt: ergo nullus miser est beatus: sed omnis homo in via est miser: ergo nullus homo in via est beatus: cuius contrarium dicunt Sancti.

Solutio. SOLVTIO. Ad hæc soluenda prænotandum est, quod beatitudo dicitur multipliciter, & non æquiuocè, sed secundum prius & posterius. Dicitur autem secundum statum perfectionis viæ, & secundum statum perfectionis patriæ. Secundum statum autem viæ dicitur tripliciter, scilicet propriè, largè, & per causam. Propriè autem dicitur dupliciter, scilicet secundum virtutem moralem, & secundum virtutem intellectualem: & ideò Aristot. in ethic. facit duos libros de felicitate: primum enim fecit de felicitate morali, secundum autem de felicitate intellectuali. Felicitas autem moralis adhuc dupliciter dicitur, scilicet secundum suum esse, & secundum suum maximum posse. Secundum suum esse felicitas quidem est actus secundum perfectam animi moralem virtutem. Cuius diffinitionis intellectus secundum Commentatorem est iste: Animi virtus non est nisi virtus perficiens animum in agendo: cum autem animus sit idem quod mens, prout ibi sumitur, erit virtus animi perfecta mentis virtus: & hæc est quæ ponit in summa animum: hæc autem est virtus prudentiæ in tanta sufficientia, vt se & alios regere sufficiat. Probat autem Aristot. quòd prudentia non potuit perfectè haberi secundum actum perfectum, nisi omnes aliæ virtutes morales habeantur, sicut legitur in sexto ethic. Supponit ergo perfecta operatio prudentiæ perfectionem omnium aliarum virtutum moralium: quia omnes regit & ordinat prudentia. Et hunc intellectum facile est elicere ex Commento siquis ipsum diligenter inspiciat. Si autem accipiatur secundum maximum posse ista felicitas: tunc erit in maximo bono hominis operatio prudentiæ non impedita: hoc autem bonum est bonum gentis, non tantum hominis, vel ciuitatis, amotis impedimentis quæ sunt tria, scilicet impotentia potestatis, & paupertas, & infortunia periculorum, vel mortis in se, vel in amicis. Et sic dicit Commentum quod translatum est de Græco, quòd potestas & diuitiæ & fortunæ amicorum deseruiunt ad beatitudinem organicè. Et Alpharabius in commento Arabico dicit, quòd impotentia & paupertas & infortunia pronepotis contristant beatitudinem, & ita impediunt optimum actum beati. Et hoc facile colligitur ex litera Aristot. siquis diligenter inuestiget eam, & non secundum falsos quaternos quorundam qui corruperunt illum librum potius quam exposuerunt. Felicitas enim contemplatiua dicitur dupliciter, scilicet secundum esse, & secundum suum maximum posse. Et secundum esse quidem consistit in perfectione actus intelligentiæ speculatiuæ cum delectatione contemplationis quæ non habet contrarium, sicut expressè probatur in vltimo cap. in 10. ethic. perfectio autem speculatiuæ intelligentiæ est præcipuè in simplicium substantiarum speculatione & substantiæ primæ. Secundum autem maximum suum posse habet prædictam speculationem cum remotione impedimenti intus & extra: & sic virtutes morales conferunt ad beatitudinem contemplatiuam, & abundantia exteriorum, & locus solitarius & liber, & huiusmodi. Et propter hoc dicit Auerroes in commento, quòd est felicitas eremitarum.

Largè autem dicitur beatitudo siue felicitas

citas ſecundum quod conſtat ex appetibilibus: quia nihil poteſt mouere appetitum niſi ſecundum hanc ſpeciem veram vel vmbratilem alicuius eorum quæ beatificant, ſicut patebit per auctoritates Auguſtini & Anſelmi in ſequenti quæſtionis articulo: & ſic omnes homines volunt eſſe beati, licet non quærant beatitudinem vbi eſt, ſicut infra patebit.

Per cauſam autem dicitur beatitudo tripliciter, ſcilicet communiter, propriè, & propriiſſimè. Communiter dicitur per cauſam beatitudo omne illud quod eſt cauſa beatitudinis conſequendæ, ſicut timor Dei, luctus, & huiuſmodi. Propriè dicitur beatitudo excellentiores actus meriti, ſicut Matth. 5. dicitur, Beati pauperes ſpiritu, &c. Propriiſſimè ſecundum cauſam dicitur beatitudo perſeuerantia in omni bono merito & excellenti ſecundum actum: & ſic ſumitur beatitudo à Baſilio ſuper Pſalterij principium, vbi ſic dicit: Beatus vir qui non abiit, non qui vadit: qui enim adhuc in hac vita degit, nondum beatificari poteſt propter dubios exitus vitæ. Qui adimpletis omnibus quæ mandata ſunt, finem pacifici cum iuſtitiæ operibus adimpleuit, hic iam ſine vllo diſcrimine, vel ambiguitate beatificari poteſt. Quare ergo dicit iterum, Beati qui ambulant in lege Domini? Non enim eos qui ambulauerunt, ſed eos qui ambulant in lege Domini beatificat ſermo diuinus. Idcirco arbitror, quòd hi qui operantur quod bonum commune eſt, in eo ipſo quod operantur, amplectuntur beatitudinem, & tam ipſi quam opus eorum beatitudinis cellaudationem promeretur. Nondum tamen hi qui malum fugere cœperunt, & ſemel vel bis declinauerunt à peccato, continuò dicendi ſunt beati, niſi cum potuerint in omnibus, vel verbis, vel negotiis effugere malum vt nunquam apprehendantur ab eo, & adhæreant bono. Beatitudo autem ſecundum ſtatum patriæ eſt inhærere Deo, & in ipſo habere omnia quæ appetuntur: & ſic diffinitur à Boëtio beatitudo. His habitis leue eſt reſpondere obiectis.

Dicendvm enim ad primum, quòd perfectionem viæ contingit habere in via, & ad quædam, licet non ad omnia, ſicut ad felicitatem moralem, vel contemplatiuam, licet non ad felicitatem patriæ.

Ad alivd dicendum, quòd hoc dictum eſt de felicitate ſecundum ſuum maximum poſſe: & hanc perfectionem contingit habere ſecundum modum viæ, quando aliquis potentatur in honoribus & exterioribus abundat decenter: & gaudet fortuniis amicorum perfectè operans ſecundum virtutem animi, vt dictum eſt, in bono gentis quod eſt regnum, in quo genus in morali bono ſiue ciuili continetur & gubernatur, &c.

Ad alivd dicendum, quòd felicitas eſt actus vnus: ſed alia operantur ad ipſum neceſſariè vel organicè, vt dictum eſt: & ideò dicit Philoſophus, quod non eſt in vno, nec ſubitò acquiritur.

Ad alivd dicendum, quòd ibi loquitur Ariſtot. de perfectione felicitatis contemplatiuæ, quæ eſt ſecundum actum illius virtutis, quæ perficit hominem, non vt homo eſt, ſed vt aliquid diuinum eſt in eo exiſtens, hoc eſt, intellectuali contemplatiua, & præcipuè illa virtus eſt ſapientia, ſicut ipſe ibidem probat: ſed diffinitio inducta eſt de felicitate morali, quæ potentia quædam eſt ad felicitatem intellectualem, ſicut dicit Commentator. Et hæc ſic ſpecificatur per hoc, quòd dicitur actus virtutis animi: quia animus non eſt niſi humanus, ſicut patuit ſupra in explanatione diffinitionis.

Ad alivd dicendum, quòd benè conceditur, quòd non dicitur aliquis beatus ſecundum habitum propriè loquendo: quoniam, ſicut dicit Philoſophus, Siquis diceretur ſecundum habitum felix, ſecundum dimidium vitæ non differret à dormiente. Et ad probationem patet ſolutio per diſtinctionem ſupra poſitam: quia in auctoritatibus illis beatitudo ſumpta eſt ſecundum cauſam, & communiter, & non propriè.

Ad alivd dicendum, quòd virtutes multæ exiguntur ſicut deſeruientes & ancillantes ad felicitatem: & tamen ipſe eſt actus vnus.

Ad alivd dicendum, quòd eſt verum de felicitate contemplatiua: ſed moralis ſumitur in actibus humanis, qui ſuperiori naturæ non conueniunt, ſicut probat Ariſt. in 10. vbi oſtendit quatuor cardinales virtutes eſſe humanas, non diuinas: & ideo beatitudo ciuilis hoc modo ſumi non poteſt.

Ad alivd dicendum, quòd Boëtius diffinit beatitudinem ſecundum modum patriæ.

Ad hoc quod contra obiicitur, dicendum quòd beatitudo non eſt niſi in genere actus, & ſummum illius actus dicitur ſtatus, & ſumitur ſtatus ſecundum illum modum quo quælibet res quando eſt in ſummo ſui, dicitur habere ſtatum.

Ad alivd dicendum, quòd congregatio bonorum non eſt neceſſaria in felicitatem, ſicut miſcibilia in mixtum, vel eſſentialia in compoſitum ex ipſis: ſed potius ſunt ſicut pertinentia ad ſtatum actus ſummi ſecundum contemplationem: quæ ſummitas eſſe non poteſt, ſi aliquid deeſt perfectioni quod retardat vel contriſtat beatum, ſicut ipſe Boëtius ibidem probat.

Ad alivd dicendum, quòd beatitudo ſumitur æquiuocè vel ſecundum analogiam: & ideo in argumento incidit fallacia æquiuocationis.

Ad alivd dicendum, quòd Solon iſte fuit legiſlator & prætor Athenien. & dixit felicitatem ciuilem impedire ab infortuniis mortuorum: & de hoc reprehenditur ab Ariſt. quia falſum eſt. Sed non reprehenditur de hoc, quòd aliquam felicitatem dicebat eſſe poſt mortem.

Ad alivd quod obiicitur ab Auguſt. dicendum, quòd ipſe non definit beatum, ſed propriam paſſionem inducit verè beati: quia qui verè beatus eſt, habet omnia quæ vult, & nihil vult malè, ſicut in ſequenti problemate oſtendetur. Si tamen concedatur eſſe diffinitio aliqua: tunc per antedicta patet, quòd non valet argumentum quod fit in contrarium.

Ad

Ad aliud dicendum, quòd beatitudo vera & miseria in eodem esse non possunt: sed beatitudo secundum causam, vel communiter dicta beatitudo viæ benè compatitur secum miseriam. Et per hoc patet solutio ad duo sequentia, quæ eodem modo procedunt. Et nota, quòd alij omninò aliter dicunt, sed non est curandum.

ARTICVLVS VII.

An omnes velint esse beati?

Secundo quæritur, Vtrum omnes velint esse beati? Videtur, quòd sic: quia dicit Dion. in lib. de diui. nomi. ca. 4. §. de amore, quòd omnia bonum & pulchrum concupiscunt: & propter illud agunt, quicquid agunt. Ergo multo magis omnes homines volunt esse beati.

Cap. 13. 2 Item Ansel. in lib. de casu diaboli. Ex quodam comodo constat beatitudo, quam vult omnis rationalis natura.

3 Item ibidem parum infra, Omnes bene sibi esse volunt, & male sibi esse nolunt.

Cap. 6. 4 Item Augustinus in 2. confessionum, Est quædam defectiua species, & vmbratica vitiis fallentibus. Nam & superbia celsitudinem imitatur, cum tu sis vnus super omnia Deus excelsus. Et ambitio quid nisi honores quærit & gloriam, cum tu sis præ cunctis honorandus vnus & glorioſus in æternum. Et sæuitia potestatem timeri vult. Quis autem timendus, nisi vnus Deus? cuius potestati eripi, aut subtrahi quid potest, quando, aut vbi, quò, vel à quo potest? Et blanditiæ lasciuientium amari volunt: sed nec blandius est aliquid tua charitate, nec amatur quicquam salubrius quam illa præ cunctis formosa & luminosa veritas tua. Et curiositas affectare videtur studium scientiæ, cum tu omnia summe noueris. Ignorantia quoque ipsa atque stultitia, simplicitatis & innocentiæ nomine tegitur, quia te simplicius quicquam non reperitur. Quid autem te innocentius, quandoquidem opera tua malis inimica sunt? Et ignauia quasi quietem appetit. Quæ vero quies certa præter Dominum? Luxuria satietatem atque abundantiam se cupit vocari, tu tamen es plenitudo & indeficiens copia incorruptibilis suauitatis. Et sic de aliis ibi inducit Augustinus. Ergo nullum vitium mouet appetitum, nisi inquantum aliquid de specie beatificantium est in ipso.

5 Adhuc autem Augustinus ibidem, Peruerse te imitantur omnes, qui longè se à re faciunt, & extollunt se aduersum te. Sed etiam sic te imitando iudicant creatorem te esse omnis creaturæ, & ideo non esse quò à te omninò recedatur. Ex hoc accipitur, quòd omnis homo similitudinem Dei appetit: & illius gratia agit quidquid agit: sed sola talis species beatificat: ergo omnis homo appetit beatitudinem.

6 Adhuc, Nihil appetit aliquid nisi sub ratione alicuius appetibilis: sed non est aliqua ratio appetibilis, nisi species alicuius beatificantis: ergo nihil appetit aliquid nisi sub ratione beatificantis: ergo quicquid appetit, appetit beatitudinem aliquo modo.

7 Adhuc, oppositum eius quod omne appetens fugit, omne appetens appetit: sed quod omne appetens fugit, est id quod facit miserum: ergo omne appetens appetit oppositum illius quod facit appetentem miserum: sed hoc est quod facit beatum siue beatitudo: ergo omne appetens appetit beatitudinem.

In contrarium huius est Aug. in confess. lib. 2. qui dicit sic: Defectum ipsum meũ amaui turpis animæ, & dissiliens à firmamento tuo in exterminium, non de decore aliquid, sed dedecus appetens. Ex hoc accipitur, quòd contingit hominem appetere dedecus, & non aliquid de decore: ergo apperit id quod facit miserum: ergo non semper apperitur beatitudo. *Sed contra.* Cap. 4.

2 Adhuc Augustinus ibidem, Illa poma decerpsi tantum vt furarer. Nam decerpta proieci epulatus inde solam iniquitatem, qua lætabar fruens. Nam & si quid illorum pomorum intrauit in os meum, condimentum ibi facinus erat. Ex hoc accipitur idem quod prius.

4 Adhuc in omnibus argumentis in litera inductis videtur esse fallacia accidentis, sicut patet cum arguit, Beatè viuere est secundum virtutem animi viuere: sed omnis homo vult beatè viuere: ergo vult secundum virtutem animi viuere. Et sic de aliis rationibus, quæ etiam parum scienti nihil valere videntur.

5 Adhuc in litera quærit causam erroris: & videtur in hoc consentire, quòd omnes nouerunt beatitudinem & appetunt eam, sed non quærunt vbi est: & ideo incidit error in operibus eorum. Videtur autem hoc nihil esse præcipuè secundum eum: quia si noscant eam, tunc noscunt verum & increatum bonum: ergo nouerunt vbi quærant beatitudinem: & sic sua ratio nulla est.

Responsio. Dicendum, quòd prima pars auctoritatum & rationum tenenda est: & non solum quòd omnis homo appetat beatitudinem, & propter ipsam agat, quicquid agit: sed etiam, sicut dicit Dion. omne quod appetit, & omne quod est, & etiam id quod non est actu, sed potentia est, appetit in pulchro & bono beatificantibus esse. Hoc autem hoc modo est intelligendum. Beatitudo potest considerari dupliciter, scilicet in essentia, & in ratione beatificantium, quæ sunt aliquo modo in ipsa. Si verò in essentia consideratur: tunc duplex est, scilicet creata, & increata. De increata dicit Basi. super principium Psalterij sic: Est quidem prima & vera ac propria beatitudo vna, sicut & bonum vnum quod est Deus, quemadmodum & Paulus commemorat dicens, In aduentu beati Dei & saluatoris Domini nostri Iesu Christi. Re enim vera illud est solum beatum, quod etiam solum bonum est, ad cuius auxilium vniuersa respiciunt, quod omnes desiderant, quæ est sola incommutabilis natura, imperturbabilis vita, vbi nullus mœror accedet, in qua non est immutatio, quam non continget vlla confusio, fons perennis, indeficiens gratia, siue scientiæ thesaurus. Beatitudo autem creata est illa de qua prius dictum est, tam secundum statum viæ, quam secundum patriæ. Si autem beatitudo *Solutio.* De diui. nom. cap. 4.

consideratur in ipsis beatificantibus vel ratione eorum: tunc quodlibet beatificantium habet imitationem ad beatitudinem increatam: & ex hoc quod est exemplatum ab ipsa, habet mouere appetitum: & sic omne quod est, appetit beatitudinem, secundum quod est exemplatum primæ beatitudinis: & hoc est quod dicit Anselm. in lib. de casu diaboli sic: Dico nunc beatitudinem, non beatitudinem cum iustitia, sed quam volunt omnes etiam iniusti. Omnes quippe volunt bene sibi esse. Excepto namque hoc, quod omnis natura diuiditur bona in duo bona, & duo his contraria mala vsu dicuntur: vnum bonum est quod dicitur iustitia, cui contrarium malum est quod dicitur iniustitia: alterum bonum est, quod mihi videtur posse dici commodum, & huic malum opponitur incommodum. Sed iniustitiam quidem non omnes volunt, nec omnes fugiunt iniustitiam: commodum verò non solum omnis rationalis natura, sed & omne quod sentire potest, vult, & vitat incommodum. Nam nullus vult, nisi quod aliquo modo putat commodum. Hoc igitur modo bene sibi esse omnes volunt, & malis esse nolunt. Ex hoc expressè patet quod dictum est. Ad idem facit quod dicit Basilius super principium Psalterij sic: Imperiti homines dum ignorant beatam naturam, & diligunt, beatam esse putant interdum, quæ nullius momenti sunt dicenda, scilicet diuitias, vel corporis sanitatem, vel honoris gloriam: quorum nihil prorsus est bonum secundum suam naturam, non solum pro eo quòd facile patitur in contraria permutationem: verum quia nequaquam bona esse credenda sunt, quæ bonos efficere non possunt eos qui possident. Quis enim per facultates iustus effectus est? Quis pudicus per sanitatem? Imo verò è contrario interdum facultatem delinquendi præbuerunt his qui vel sanitatem, vel diuitiis competenter vti nescierunt. Expressius autem hoc patet per auctoritates Augustini de. 2. confessionum inductas. Hoc ergo modo omnia volunt esse beata, non solum omnes homines, vt probant tam Philosophi quam Sancti.

DICENDVM ergo ad primum quod contra hoc est, quod Augustinus infra soluit quid in illo furto habens speciem vmbraticam beatificantis appetierit, sic dicens: An libuit facere contra legem, saltem fallacia, quia potentatu non poteram, vt mancam libertatem captiuus imitarer faciendo impunè, quod non liceret, tenebrosa omnipotentiæ similitudine? Quasi diceret, Sic est. Vnde constat, quòd primum quærendo dixit, & motiuum ad actum furti erat omnipotentiæ similitudo, quæ beatificantis aliquam habet rationem & speciem. Cap. 6.

AD ALIVD dicendum, quòd Augustinus disputat contra positionem, & est sua argumentatio potius ad hominem, quam ad rationem. Fuit autem positio triplex, scilicet quòd beatitudo est virtus animi, & quòd est voluptas, & quòd est Deus: & omnes illi ponebant, quòd beatitudo est illa secundum intentionem beatificantis, & secundum esse simul, & secundum hoc bene procedunt suæ rationes. Si autem accipiatur intentio beatitudinis & res suppositа per beatitudinem differentiæ: tunc incidit fallacia accidentis, vt dictum est. Et per hoc patet solutio tam ad literam quam etiam ad omnia quæsita.

Si quid de Deo cognoscit aliquis, quod ibi non intelligant omnes.

SOLET etiam quæri, Vtrum aliquid de Deo cognoscat aliquis magis meritus, vt Petrus, quod non cognoscat aliquis minus meritus, vt Linus? Pluribus videtur, quòd omnia de Deo ad beatitudinem spectantia omnes communiter electi cognoscant, sed differenter. Nihil enim in Deo noscibile maius digniusque videtur, quam eum intelligere trinum & vnum. Hoc autem omnes tunc per speciem cognoscent. Vnde sequitur, vt non sit aliquid beatitudini pertinens incognitum alicui beatorum. Omnes ergo cuncta illa videbunt, quorum cognitio seruit beatitudini: sed in modo videndi different. Alius enim alio magis, alius alio minus fulgebit. 1 Cor. 15.

ARTICVLVS VIII.

An vnus beatorum cognoscit aliquid de Deo quod non cognoscit alter?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Solet etiam quæri, Vtrum aliquid de Deo cognoscat aliquis, &c.] Videtur, quòd falsum dicat: quia secundum dictum beati Dionysij in cæ. hierarch. cap. 3. illuminatores sunt superiores inferiorum: sed hoc non posset esse nisi superior cognosceret aliquid de eo quod inferior non cognosceret: ergo cum hominum beatitudo sit secundum beatitudinem Angelorum, aliquid cognoscit de Deo magis

magis meritus homo, quod non cognoscit minus meritus homo.

2 Adhuc videtur, quòd argumentatio non valeat quam facit in litera: quia ex hoc quod aliquis videt maius, non sequitur quòd videat minus, nisi minus sequatur ex illo maiori: sicut qui scit metaphysicam, non sequitur ex hoc, quòd sciat geometriam, licet ista sit minor quam illa: ergo à simili non sequitur, si ostendit se Deus eis trinum & vnum & sciant hoc, quòd propter hoc videant omnia alia.

3 Adhuc, Quid est beatitudini pertinens quod dicit homines videre? hoc enim non videtur esse nisi quod est summum bonum: ergo videtur, quòd non videant in ipso omnes nisi quia ipse est summum bonum: sed multa alia vident superiores: ergo non habent cognitionem parem.

4 Adhuc, In terrenis intellectibus sic est, quòd magis clarus & subtilis plura comprehendit: ergo & in superioribus ita erit: ergo non æqualem habent cognitionem, vt videtur.

5 Adhuc, In litera dicitur, quòd in modo differant: & quæratur, quis sit modus ille? Videtur enim, quòd vno modo omnes videant, quia omnes immediatè & per speciem: ergo videtur falsum esse quod dicit in litera.

RESPONSIO. Dicendum, quòd hoc quod dicitur, intelligitur de pertinentibus ad beatitudinem: & hæc est cognitio per speciem quæ fidei quoad omnes articulos succedit: in aliis enim differentem habebunt, & habent cognitionem, sicut probant primæ obiectiones, & etiam vnus à seipso differentem, quia successiuè reuelatur ei plus de diuinæ cognitionis secretis. *Solutio.*

AD ARGVMENTVM quod dicit in litera, dicendum quòd per hoc probat, quòd nihil celabit eos de pertinentibus ad beatitudinem. Et est argumentum à minori: sicut, minus videtur, quòd maximum & difficillimum reuelet, quam quælibet alia minora ad beatitudinem pertinentia: sed reuelat maximum: ergo quælibet alia reuelat. Et per hoc patet solutio ad omnia.

De paritate gaudij.

SOLET etiam quæri, An in gaudio dispares sint, sicut in claritate cognitionis differunt? De hoc Augustin. ait, Multæ mansiones in vna domo erunt, scilicet variæ præmiorum dignitates: sed vbi Deus erit omnia in omnibus, erit etiam in dispari claritate par gaudium: vt quod habebunt singuli, commune sit omnibus: quia etiam gloria capitis omnium erit per vinculum charitatis. Ex his datur intelligi, quòd par gaudium omnes habebunt, etsi disparem cognitionis claritatem: quia per charitatem quæ in singulis erit perfecta, tantum quisque gaudebit de bono alterius, quantum gauderet si in seipso haberet. Sed si par erit cunctorum gaudium, videtur quòd par sit omnium beatitudo: quod constat omninò non esse. Ad quod dici potest, quòd beatitudo par esset si ita esset par gaudium, vt etiam par esset cognitio: sed quia hoc non erit, non faciet paritas gaudij paritatem beatitudinis. Potest etiam sic accipi par gaudium, vt non referatur paritas ad intensionem affectionis gaudentium, sed ad vniuersitatem rerum de quibus lætabitur: quia de omni re vnde gaudebit vnus, gaudebunt omnes. D *In libro de ciuitate Dei. In libro de virg. cap. 26.*

ARTICVLVS IX.

An gaudium ab Augustino sit bene definitum?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Solet etiam quæri, An in gaudio dispares sint, &c.] Et quæruntur duo, scilicet quid sit gaudium, & vtrum sit par in omnibus? Ad primum accipiatur diffinitio Augustini, qui dicit, quòd gaudium est diffusio animi in conceptione boni; sed gaudium cum sit in genere passionis, videtur quòd non competat naturæ intellectuali, quia passio secundum Aristot. est inferens vel illata in sensum & sensibilem animam.

2 Adhuc, Diffundi non competit nisi materiali passibili: ergo non competit naturæ intellectuali, sicut Angelo, vel animæ rationali: ergo gaudium illis attribui non debet, vt videtur.

3 Adhuc, Delectatio etiam attribuitur beatis, & quæratur, In quo differat gaudium à delectatione? Videtur, quod in nullo: quia delectatio est diffusio animi in conceptione boni: ergo est idem gaudio.

4 Adhuc, Cum secundum Augustin. & Boëtium

Boëtium non sint nisi quatuor passiones naturales, scilicet gaudium, tristitia, spes, & timor, & tamen possit ad alias reduci delectatio, constat quòd ad gaudium reducetur: ergo est idem illi.

5 Adhuc, Est in conceptione boni præsenti inferentis boni passionem: similiter gaudium: ergo eadem sunt re gaudium & delectatio.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd gaudium satis conuenienter est diffinitum per Augustt.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd est passio spiritualis, & hæc bene competit naturæ spirituali, sicut probat Aristot. contra Platonem qui dicebat, quòd omnis delectatio esset generatio in sensibilem animam: & ostendit, quòd sunt passiones quædam spirituales simplices & simplicium, sicut delectationes contemplationum, sicut quòd diameter est assimeter.

AD ALIVD dicendum, quòd diffundi extensione spirituum, & eleuatione subtilis sanguinis, est passibilis naturæ & virtutis quæ operatur in organo: sed sic non diffunditur spiritualis natura, sed metaphoricè, quando spiritualiter extenditur in omnes boni differentias.

AD ALIVD dicendum, quòd differentia est in ratione nominum: quia gaudium oritur ex delectatione: delectatio enim (sicut probat Aristot. in 10. ethicorum) est superfloritio naturæ in operatione proprij & naturalis habitus non impeditæ: sed gaudium est ostensio illius in delectatione boni concepti: & ita patet, quòd gaudium oritur de delectatione, sicut effectus eius: & istam differentiam etiam ipsa nomina ostendunt. Ad id quod obiicitur, dicendum quòd obiectum fundatur super falsum intellectum eius, quòd delectatio sit diffusio: quia diffusio illa est effectus eius.

AD ALIVD dicendum, quòd non sequitur, si reducitur ad illam, quòd sit idem illi: quia non reducitur ad illam nisi sicut in causam, & non sicut eiusdem essentiæ existentem.

AD ALIVD dicendum, quòd ex hoc non probatur, nisi quod sunt de eadem: & hoc est verum. Sed non sequitur, quòd sint idem: quia sunt de eodem diuersimodè.

ARTICVLVS X.

An in omnibus beatis sit par gaudium?

SEcundo quæritur, Vtrum sit par gaudium, sicut dicit in litera? Videtur, quòd non: naturale enim est non æquè intensum esse gaudium de alieno bono sicut de proprio: sed gratia & gloria non tollunt naturam, sed perficiunt eam: ergo videtur, quòd etiam in patria intensius sit gaudium de proprio, quam de alieno: ergo ratio sua per quam probat in litera, quòd sit par gaudium, nihil valet.

2 Adhuc, In nullo est paritas Angelorum (vt vult Dionysius) cum alio: ergo nec in hominibus: ergo non erit etiam par gaudium.

3 Adhuc falsum est, quòd de omnibus de quibus vnus gaudet, gaudeat alius: quia non percipit vnus, quod percipit alius: ergo cum gaudeat de percepto, non de quo gaudet vnus, gaudet & alius.

RESPONSIO. Dicendum, quòd nullam rationem video hîc veram, nisi illam quam vltimo inducit cap. scilicet quòd sit par ex parte obiecti, non ex parte subiecti, scilicet quia est de pari, quia de vno & eodem omnes gaudent.

AD OBIECTVM autem primum dicendum, quòd hîc considerat gaudium ex parte subiecti gaudentis: & ibi bene conceditur, quòd non sit par gaudium.

AD ALIVD dicendum, quòd in dignitate & perceptione donorum omnes sunt impares quantum ad modum percipiendi: quia vnus limpidius videt, quam alius, & ideo intimius gaudet: sed ex parte obiecti gaudiorum nulla est imparitas, quia summum bonum omnibus æqualiter se repræsentat.

AD ALIVD dicendum, quòd idem percipiunt, licet non sit idem modus ex parte percipientis.

Si maior sit beatitudo sanctorum post iudicium.

EPOST hoc qaæri solet, Si beatitudo Sanctorum maior sit futura post iudicium quam interim? Sine omni scrupulo credendum est, eos habituros maiorem gloriam post iudicium, quam ante: quia & maius erit gaudium eorum, vt supra testatus est Augustinus. Et amplior erit eorum cognitio. Vnde Hieronymus, Peracto iudicio ampliorem gloriam suæ claritatis Deus demonstrabit electis. Si quem mouet quid opus sit spiritibus defunctorum corpora sua in resurrectione recipere, si eis potest sine corporibus summa beatitudo præberi: difficilis quæstio est, nec potest à nobis perfectè diffiniri. Sed tamen dubium non est,

Super Oseæ 6. super illud, Viuificabit nos post tres dies Super Genes. lib. 12. cap. 35.

est, & raptam à carnis sensibus hominis mentem, & post mortem ipsa carne deposita non sic videre posse incommutabilem substantiam, id est, Deum, sicut sancti Angeli vident, siue alia latentiori causa: siue ideo, quia inest ei naturalis quidam appetitus corpus administrandi, quo retardatur quodammodo, ne tota intentione pergat in illud summum cælum, donec ille appetitus conquiescat. Porro si tale sit corpus, cuius sit difficilis & grauis administratio, sicut hæc caro quæ corrumpitur: multò magis auertitur mens ab illa visione summi cæli. Proinde cum hoc corpus iam non animale, sed spirituale receperit æquata Angelis, habebit perfectum naturæ suæ modum, obediens & imperans, viuificata & viuificans, tam ineffabili facilitate, vt sit ei gloriæ, quod fuit sarcinæ. 1. Cor. 15.

ARTICVLVS XI.

An beatitudo Sanctorum erit maior post iudicium quam ante iudicium?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Post hæc quæri solet, Si beatitudo, &c.] Videtur enim falsum: quia corpus quantumcunque purum & clarum sit, ignobilius est quam anima; sed nobilius ignobiliori coniunctum retardatur ab ipso: ergo videtur, quòd anima à corpore retardabitur: ergo minorabitur gaudium eius post resurrectionem: & huius contrarium dicitur in litera.

2 Adhuc, In lib. de causis dicitur, quòd omnis virtus quantò magis est vnita, tantò magis est infinita: sed virtus animæ magis est vnita extra corpus, quam in corpore: ergo magis infinita: ergo extra corpus perceptiua est plurimorum gaudiorum & maiorum, quam in corpore.

3 Adhuc, Cum coniungitur corpori, coniungitur potentiæ: sed omnis forma tantò magis deprimitur, quantò magis potentiæ coniungitur: ergo cum anima sit forma, ipsa deprimitur quando corpori vnitur: ergo vt prius.

4 Adhuc, Animæ separatæ inquantum huiusmodi, maior est conuenientia ad lumen simplex & ideo spirituale, quam animæ vnitæ corpori: sed inter magis conuenientia maius est gaudium: ergo videtur, quòd anima separata magis gaudeat in coniunctione ad Deum, quam corpori vnita: ergo non augetur eius gaudium per vnionem ad corpus, sed potius minuitur.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd augmentum illud potest intelligi extensiuè vt sit de pluribus, vel intensiuè. Et primo modo concedo, quòd augebitur. Secundo autem modo non videtur, quòd augeatur, nisi hoc modo quo dicet in sequenti cap. scilicet quòd quietato desiderio naturali quo dependet ad corpus, fortius intentione conuerteretur in Dei contemplationem.

DICENDVM ergo ad primum, per Augustinum, quòd excelsum humili adhærens in substantia sua nihil læditur: illud autem multa subleuatur humilitate: vnde corpus in illo statu subleuatur ab anima glorificata ad gloriam: & tunc in nullo retardat, sicut supra in dotibus corporis est expeditum.

AD ALIVD dicendum, quòd intellectus non est virtus corporalis etiam cum anima secundum suam substantiam vnitur corpori, & per illum est anima capax Dei: & ideo cum ille non vniatur, non multiplicatur in organis: & ideo in nullo finitatur vel obscuratur.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc est verum cum anima sequitur corpus, & hoc est in via: sed tunc corpus sequitur animam ad formalitatem & spiritualitatem: & ideo non retardabit eam.

AD ALIVD dicendum, quòd intellectus non coniungitur organo: & ideo etiam facta vnione remanet conuenientia, vt dictum est.

ARTICVLVS XII.

An anima iterum appetat vniri corpori?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Si quem mouet quid opus, &c.] Secundum enim hoc videtur, quòd nobilius appetat ignobilius se: sed hoc est contra naturam, vt dicit Aristot. Ad hoc autem dicendum, *Solutio.* quòd Aristot. loquitur de appetitu perfectionis: quia ille semper est in ignobili respectu nobilioris: & hoc modo anima non appetit corpus, sed potius sicut socium passionum & meritorum, vt secum percipiat consolationem & retributionem.

DISTINCTIO L.

Si mali in inferno peccabunt.

De ſtatu & conditione damnatorum & malorũ poſt iudicium, quantum ad vationem & volũtatem.

A HIc oritur quæſtio ex præmiſſis ducens originem. Supra enim Auguſtinus loquens de malis in inferno damnatis, & bonis in cælo glorificatis, dixit, quòd nec bonis voluntas, nec malis facultas eſſe peccandi poterit. Et de bonis quidem conſtat, ſed de malis à quibus voluntatem malam non remouet, quæritur quomodo ſit verum eos non poſſe peccare: imo quomodo verum ſit eos non peccare, cum malam habeant voluntatem? Quidam autumant illam voluntatem non eſſe peccatum, ſed ſupplicium tantum. Alij vero peccatum eſſe fatentur, ſed per illud eos non mereri aliquam pœnam: quia non eſt ibi locus merendi. Illud ergo peccatum dicunt non eſſe meritum ſupplicij, ſed ſupplicium mali meriti, quod in hac vita præceſſit. De hoc autem Auguſtinus ita dicit, Tempus acquirendi vitam æternam in hac tantum vita Deus hominibus dedit, vbi voluit etiam pœnitentiam eſſe fructuoſam. Ideò hîc pœnitentia fructuoſa eſt, quia poteſt hic homo depoſita nequitia bene viuere, & mutata voluntate merita ſimul operaque mutare, & ea gerere, quæ Deo placeant. Quod qui in hac vita non fecerit, habebit quidem pœnitentiam in futuro ſeculo de malis ſuis, ſed indulgentiam in coſpectu Domini non inueniet: quia etſi erit ſtimulus pœnitudinis, tamen nulla erit ibi correctio voluntatis. A talibus enim ita culpabitur iniquitas ſua, vt nullatenus ab eis poſſit vel diligi vel deſiderari iuſtitia. Voluntas enim eorum talis erit, vt habeat ſemper in ſe malignitatis ſuæ ſupplicium, nunquam tamen recipere poſſit bonitatis affectum. Quia ſicut illi qui cum Chriſto regnabunt, nullas in ſe malæ voluntatis reliquias habebunt: ita illi qui erunt in ſupplicio æterni ignis cum diabolo & Angelis eius deputati, ſicut nullam habebunt vlterius requiem, ſic bonam nullatenus poterunt habere voluntatem. Et ſicut cohæredibus Chriſti dabitur perfectio gratiæ ad æternam gloriam: ita conſortibus diaboli cumulabit ipſa malignitas pœnam, quando exterioribus deputati tenebris, nullo illuſtrabuntur interiori lumine veritatis. Ex his apparet reprobos in inferno pœnitentiam ſic geſturos, vt per eam prauam voluntatem non deſerant: & illa maligna voluntas erit eis ad cumulum pœnæ: per quam tamen non merebuntur, quia nullus meretur niſi in hac vita.

Lib. de fide ad Petrum cap. 3. 26.

In enchi. cap. 3.

Mat. 25.

ARTICVLVS I.

An peccent damnati in inferno?

HIc oritur quæstio ex præmissis]Hîc in vltima distinct. agitur de statu malorum post iudicium & resurrectionem. Et quærit Magister tria, scilicet an peccent in inferno damnati?& de tenebris exterioribus, & qualiter se habeant adinuicem beati & damnati?Et patet, quòd primum est in primo cap. secundum in secundo,& tertium in tertio.Incidunt autem tria quærēda ratione primi capituli,scilicet an peccent damnati in inferno?Secundo, Vtrum peccent dæmones? Tertio, Vtrum aliquid boni possint velle damnati?

Ad primum sic obiicitur: Omnis inordinatus motus naturæ rationalis est peccatum:sed in inferno sunt inordinati motus animarum rationalium:ergo & in inferno fit peccatum.

3 Adhuc, Quantò magis est obstinata voluntas,tanto magis peccat in vita ista:ergo obstinatio non minuit peccatum, sed auget: sed damnatus à non damnato quantum ad potentiam peccandi non differt, nisi in obstinata voluntate:ergo plus peccat damnatus,quam non damnatus.

3 Adhuc, Deus non cogit eos ad malum, nec etiam natura: ergo nec ex Deo, nec ex natura, sed ex libertate procedit inordinatus actus eorum: ergo videtur, quòd ita peccent sicut non damnati.

4 Adhuc, Si aliquis sibi necessitatem facit peccandi per illicitum actum, in secundo actu non excusatur, sed duplices meretur maledictiones:sed hoc modo necessitatem sibi procurauerunt damnati: ergo ex obstinatione non excusantur, sed duplices merentur maledictiones.

5 Adhuc, Non debet esse melior status damnati,quam non damnati:sed si non possent peccare, melior esset status ille, quam iste in quo peccare possunt: ergo videtur, quòd peccare possunt.

6 Adhuc,Causa assignatur à Sanctis, quòd Lamech plus peccauit quam Cain: quia visa pœna eius se non correxit; ergo maximè peccat ille qui experta pœna propria à peccato non retrahitur, id est, ab inordinata voluntate:sed tales sunt damnati: ergo ipsi maximè peccant.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est, quod nunquam aliqua culpa extenditur vltra sententiam condemnationis culpæ eiusdem: sed damnati sententiam suæ damnationis acceperunt: ergo vltra illam non extenditur culpa: ergo nec peccant in inferno.

2 Adhuc, Malum & peccatum (vt dicit Augustinus) ordinatur per diuinam iustitiam, quia aliter aliquid inordinatum remaneret in hoc mundo:sed quod ordinatur, necesse est vt statum & finem habeat vltra quem non progrediatur:ergo & peccatum damnatorum necesse est,quòd accipiat finem:sed finis ille congruentius imponi non potest quam in morte, quando incipit ordo iustitiæ condemnantis: ergo non vltra peccant in inferno.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum, quòd mali homines vel animæ non peccant in inferno, sicut vltimæ probant obiectiones.

AD PRIMVM dicendum, quòd inordinatus actus quandoque est vt pœna, quandoque vt culpa. In libera enim voluntate est vt culpa: in obstinata autem ex condemnatione iustitiæ est vt pœna, & sic est in damnatis.

AD ALIVD dicendum, quòd obstinatio dicitur dupliciter, scilicet immobilis voluntas à malo concepto ex pertinacia solius malitiæ, & immobilis voluntas à malo concepto ex confirmante iustitia. Et primo modo non excusat, sed accusat. Sed secundo modo, quia ita est quod ordinauit iustitia diuina, quod quicquid finaliter vult libera voluntas, quod ab illo auerti non possit post mortem:& ideo mali à malo concepto non auertuntur:& ideò dicitur Ezech. 32. Fuerunt iniquitates eorum in ossibus eorum, & arma sub capitibus eorum. Hæc autem obstinatio pœna est, non culpa.

AD ALIVD dicendum, quòd iustitia diuina facit vt infligens istam obstinationem, sed impij vt causa meritoria:sicut & mortē facit iustitia diuina infligens, sed vt causa meritoria impij manibus & verbis accersierunt illam. Et est simile sicut fur primo voluntariè cōtrectat rem alienam,& cum damnatur,ad ostensionem iustitiæ iudicis ligatur immobiliter super collum eius,vt separetur ab eo etiam inuito.

AD ALIVD dicendum, quòd hoc intelligitur de illis peccatis quorum vnum inducit in aliud, sicut ebrietas in fornicationem vel homicidium. Sed hîc non est sic:quia voluntatis immobilitas causatur ex inflictione pœnæ.

AD ALIVD dicendum, quòd non est locus emendæ, vt dicit in litera:& ideò pœna ibi experta non aggrauat.

ARTICVLVS II.

An dæmones peccent apud inferos?

SEcundo quæritur, An eadem ratio sit de dæmonibus? Et videtur, quòd sic:quia dicit Damasc. quòd oportet scire, quòd quod in Angelis est casus, hoc est in hominibus mors: quia sicut Angeli post casum non sunt susceptibiles pœnitentiæ, ita nec homines post mortem. Ergo videtur,quòd propter istam obstinationem etiam eis non debet imputari peccatum quod modo committunt.

2 Adhuc, à Domino condemnatus est dæmon in toto, & homo in parte, scilicet in anima: si ergo condemnatio facit, quòd non debet homini imputari peccatum, multò magis facit, quòd non debet imputari dæmoni.

3 Adhuc, Non potest corrigere voluntatem:sed quod non potest aliter esse,non habet laudem vel vituperium, vt dicit Tullius: ergo iniustum est,vt videtur,si sibi hoc imputaretur in peccatum.

Sed contra. IN CONTRARIVM est, quòd author mali non debet esse meliotis conditionis, quam persuasus in malo:sed video,quòd homo iam est persuasus in malo à dæmone,& imputatur

tatur homini tale peccatum:ergo multò magis dæmoni debet imputari.

Solutio. AD HOC dicendum, quòd vtraque pars opinionis habet pro se: & in secundo plusquam hic inuenitur de ista quæstione. Videtur tamen tutior esse via dicentium, quòd peccent vsque ad diem iudicij, quando finalem quoad maiorem pœnam & carcerem accipient condemnationem: & tunc amplius peccare non poterunt.

AD PRIMVM autem dicendum, quòd non est simile:quia homo post mortem non accipit tempus ex casu, sed dæmoni hoc tempus datum est, quo exerceat electos:& ideò in illo tempore crescit sibi peccatum & etiam pœna. Ex dicto autem Damasc.non intelligitur aliud, nisi quòd in hoc similes sunt,quod insusceptibiles sunt pœnitentiæ.

AD ALIVD dicendum,quòd non habet adhuc finalem condemnationem,vt homo habet finalem in anima & in corpore,licet secundum alteram partem pœnam homo adhuc non sustineat.

AD ALIVD dicendum, quòd licet corrigere non possit statum suæ confirmationis in malo, tamen quilibet actus singularis est sibi voluntarius:& ideò vituperatur.De hoc autem modo confirmationis melius inuenies dictum in tertio quam hîc.

ARTICVLVS III.

An damnati possint velle aliquod bonum?

TErtio quæritur, Vtrum aliquod bonum possint velle damnati? Videtur, quòd sic: quia malum, vt dicit Diony. est inuoluntarium & incausale & infructuosum & pigrum: cum ergo aliquid velint,& hoc non sit malum, & sit bonum vel malum, videtur quòd nihil velint nisi bonum.

2 Adhuc, Quod absolutè & secundum se est priuatio,nullum mouere potest appetitum: sed malum secundum se & absolutè est priuatio: ergo nullum potest per se mouere appetitum: ergo nec appetitum damnatorum: ergo viderur vt prius, quòd velint bonum.

3 Adhuc,Nihil appetit suam destructionẽ sed malum est destructio omnis rei:ergo nihil appetit malũ:ergo nec damnati:ergo vt prius.

4 Adhuc, Diony. dicit libro de diui. no. cap.10. de dæmonibus, quòd bonum & optimum concupiscunt esse,viuere, & intelligere: sed damnati non sunt magis obstinati, quam dæmones: ergo ipsi concupiscunt bonum: & sic habetur propositum.

IN CONTRARIVM huius est, quòd dicit Bern. in Canticis de damnato: In æternum non obtinebit quod vult: & tamen quod non vult, in perpetuum sustinebit. Et dicit, quòd vult iniquitatem quam fecit in seculo viuens. Sed contra.

2 Adhuc,Obstinata in malo voluntas non potestnisi velle malum:ergo,&c.

RESPONSIO ad hoc est,quòd voluntas eorum est duplex, scilicet naturalis,& deliberatiua. Naturalis autem habet potius velleitatem actualem:sed deliberatiua progreditur in actum. Dicendum ergo, quòd naturali voluntate volunt bonum, & deliberatiua volunt malum:& hæc solutio est secundum Diony.de diu. no. cap. 10. Alij autem hîc ponunt aliam distinctionem, quæ à nobis posita est super secundum. Solutio.

AD PRIMVM ergo dicendum, quòd Diony. non loquitur de eo quod est malum in actu interiori vel exteriori,sed de malitia ipsa, hoc est, de malo inquantum malum: hoc enim verum est esse inuolũtarium sicut probat Arist. in 3. ethicorum. Sed istud nullo modo potest esse voluntarium. Et per hoc patet solutio ad sequens:quia non est pruatio pura.

AD ALIVD dicendum, quòd destructio est consequens appetibile sicut & modo:quia qui fornicatur,non intendit diminuere naturale bonum in ipso & destruere gratuitum: & tamen consequitur vtrumque istorum ex fornicatione quam facit: & ita est ibi, quòd appetitus cadit super actum,& destructio consequitur.

AD DICTVM Dionysij dicendum,quòd sicut ipse dicit, ipse loquitur de voluntate dæmonum secundum quod non natura mali, sed inquantum sunt, bonum & optimum concupiscunt, sicut omnis natura concupiscit bonum inquantum est.

Quare dicuntur tenebræ exteriores.

B HIC quæri potest, Quare illæ tenebræ quibus inuoluentur mali in gehenna, dicuntur tenebræ exteriores? Quia tunc mali penitus extra lucem corporalem & spiritualem, scilicet Deum, erunt. Nunc enim etsi patiantur tenebras in cæcitate mentis, non tamen penitus extra lucem Dei sunt, nec corporali luce priuantur. De hoc August. sic ait, Ira Dei & in iudicio erit, & hic est in cæcitate mentis, cum dantur mali in reprobum sensum. Ibi exteriores tenebræ erunt, quia tunc peccatores penitus erunt extra Deum. Quid est enim penitus esse extra Deum, nisi esse in summa cæcitate? Siquidem habitat Deus lucem inaccessibilem. Hæ autem tenebræ

Super Psalm.6. super illa vera, *Turbatus est à furore oculus meus.* 1.Tim.6.

tenebræ hic iam incipiunt in peccante, cum ab interiori Dei luce secluditur, sed non penitus dum in hac vita est. Ecce quare ibi peccator dicitur pati exteriores tenebras, & non hic: quia ibi secludetur penitus à luce Dei, quod non hic. Sed quomodo intelligenda est illa secluſio? An quia non videbunt Deum per speciem? Sed nec aliquis videt hic Deum per speciem. An per dissimilitudinem quam facit peccatum inter Deum & hominem? Sed & hic multi per grauia peccata elongantur à Deo. An quia Deum odiunt, ita vt velint eum non esse? Sed & hic multi Deum oderunt: de quibus scriptum est, Superbia eorum qui te oderunt, ascendit semper. Quæ est ergo illa elongatio? Sanè exteriores tenebræ intelligi possunt quædam malignitas odij & voluntatis, quæ tunc excrescet in mentibus reprobotum, & quædam obliuio Dei: quia tormentorum interiorum & exteriorum doloribus adeo afficientur & turbabuntur, vt ab illis ad cogitandum aliquid de Deo vix, vel raro, vel nunquam mentem reuocent. Vt qui nimio premuntur pondere, adeò stupescunt & turbantur, vt interim in aliam cogitationem non se extendant: sed illuc tendit impetus cogitationis, vbi sentitur vis doloris. Sed in hac vita nullus adeò malus est, vt penitus secludatur à cognitione Dei: quia nec perdit appetitum beatitudinis, & quendam boni amorem quem naturaliter habet rationalis creatura. Illas autem exteriores & profundissimas tenebras reprobos perpessuros post iudicium dicit Augustinus, opponens de illo diuite qui in inferno positus, eleuans oculos vidit Abraham, & in sinu eius Lazarum: cuius comparatione coactus est confiteri mala sua, vsque adeò vt & fratres roget ab his præmoneri: quod ante iudicium factum legitur. Sed post iudicium in profundioribus tenebris erunt impij, vbi nullam Dei lucem videbunt cui confiteantur.

Psal. 73.

Luc. 16.

ARTICVLVS IV.

An apud inferos erunt perpetuæ & exteriores tenebræ?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Hîc queri potest quare illæ tenebrę, &c.] Ad intellectum autem istius capituli tria quæruntur, quorum primum est de exterioribus tenebris. Secundum est, An damnati penitus extra Deum sint sicut dicit in litera? Tertium autem, An Deum odiant, sicut iterum in litera per Psal. probari videtur. Circa primum obiicitur sic: Omnis creatura Deo deseruiens, aliquam ab eo meretur claritatem: sed locus inferni & ignis à principio mundi Deo seruierunt: ergo aliquam sicut cæteræ creaturæ merentur à Deo claritatem: ergo non erunt ibi perpetuæ & exteriores tenebræ.

2 Adhuc, Ignis qui ad aliquid lucet, non facit omnino tenebras: sed ignis inferni ad aliquid lucet: ergo non facit omninò tenebras. Prima patet per se. Secundam scribit Gregorius in 9. moralium super illud, & sempiternus horror inhabitat, sic: Quamuis illic ignis ad consolationem non lucet, tamen vt magis torqueat, ad aliquid lucet. Nam sequaces quosque suos secum in tormento reprobi flamma illustrante visuri sunt, quorum amore deliquerunt: quatenus qui eorum vitam carnaliter contra præcepta conditoris amauerant, ipsorum quoque eos interitus in augmentum suæ damnationis affligat. Et infra, Ignis itaque qui in obscuritate cruciat, credendum est: quia lumen ad tormentum seruat.

Cap. 48. & 49.

3 Adhuc, Nihil videtur sine lumine: sed in inferno damnati seinuicem & pœnas suas videbunt: ergo videtur, quòd sit ibi lumen: & ergo non est ibi carentia lucis interioris & exterioris, sicut dicere videtur in litera.

RESPONSIO. Dicendum ad hoc, quòd dispositionem illius loci solus Deus perfectè nouit, & illi qui ibi sunt: sed nos in seculo hoc ad plenum non possumus, nisi tantum quantum ab ipsis accepimus, qui de hoc acceperunt reuelationem. Dicendum ergo videtur secundum dicta Gregorij, quòd ille locus simpliciter est tenebrosus, & secundum quid lucidus. Simpliciter autem tenebrosus est: quia flamma quæ ibi est & ignis, obscurat simpliciter, & nō lucet nisi ad maius tormentum, & nō ad aliud. Vnde in hoc ignis ille deseruit Deo, quòd non omnia monstrat sua luce obscura, sed tantum ea quæ exaggerant tormenta: & hoc est quod dicit Gregor. parum ante supra dictam auctoritatē in 9. moraliū sic: Fit ergo miseris mors sine morte, finis sine fine, defectus sine defectu:

Solutio.

fectu: quia & mors viuit, & finis semper incipit,& deficere defectus nescit. Quia igitur & mors perimit & non extinguit, dolor cruciat, sed nullatenus pauorem fugat, flamma comburit,sed nequaquam tenebras discutit,quantum per notitiam præsentis vitæ colligitur, supplicia ordinem non habent:quia suam per omnia qualitatem non tenent. Et ibidem parum ante, Horrendo modo erit tunc reprobis dolor cum formidine, & flamma cum obscuritate. His collatis ad prius inducta patet quod dictum est.

Ad primvm ergo dicitur, quòd illæ creaturæ in hoc glorificantur suo naturali modo: quia iustitiæ Dei obsequuntur, & illæ qualitates sunt eis pretiosissimæ, quibus hæc maximè perficere possint, sicut opacitas immensa,& nimius calor,& nimium frigus, sicut dicitur Sap. 5. Quia armabit creaturam in vltionem inimicorum,& pugnabit cum eo orbis terrarum contra insensatos. Sicut ècontra creatura quæ in superioribus erit cum bonis, pro gloria accipit qualitates, quæ beatitudini competunt Sanctorum, sicut lux,quies,& huiusmodi.

Ad alia patet solutio per distinctionem inductam.

ARTICVLVS V.

An damnati sint penitus extra Deum?

Secundo quæritur, Vtrum damnati sint penitus extra Deum? Videtur autem, quòd non: quia Deus est vbique: ergo nihil est extra ipsum. Augustinus. Qui à te recedit, quo it? à te placido ad te iratum. Ergo nullus est extra Deum.

2 Adhuc, Deus est in omnibus continens omnia in esse: ergo est in damnatis: ergo non sunt penitus extra ipsum.

Responsio. De hoc multa dicta sunt in primo libro: dicendum tamen, quòd Deus sonat prouisionem, sicut dicit Dionysius de diui. nom. Prouisio autem sonat curam & influentiam beneficiorum; & quia non influit beneficia, sed pœnas damnatis, ideo extra Deum esse dicuntur. Et hæc solutio (vt puto) est secundum literæ intentionem. Posset etiam dici, quòd quoad malos damnati sunt extra Deum: quia in nullo consentiunt ei, sed quoad dominium non possunt effugere ipsum. Et primo modo loquitur in litera. Secundo autem modo procedunt obiectiones. Et per hoc patet solutio ad totum. *Solutio.*

ARTICVLVS VI.

An damnati odiant Deum?

Tertio quæritur, Vtrum damnati odiant Deum? Videtur, quod non: quia Dionysius dicit, quòd omnia amant pulchrum & bonum quod est Deus. Ergo etiam damnati.

2 Adhuc, Augustinus dicit, quòd Deum diligit, quicquid diligere potest.

Responsio. Dicendum ad hoc, quòd Deus considerari potest dupliciter, scilicet absolutè, & sub iustitia iudicante pro meritis. Primo quidem modo nihil odit Deum, sed secundo modo odiunt eum damnati & dæmones. Et per hoc patet solutio obiectorum. *Solutio.*

De animabus damnatorum, si quam habent notitiam eorum quæ hìc fiunt.

Præterea quæri solet, Si reproborum animæ quæ nunc in inferno cruciantur, notitiam habeant eorum quæ circa suos in hac vita geruntur, & si aliquo modo doleant super infortuniis suorum charorum? Hanc quæstionem Augustin. commemorat ex parte eam explicans, ex parte verò insolutam relinquens: ait enim, Quæret aliquis an vllus dolor tangat mortuos de his quæ in suis post mortem contingunt? vel quomodo ea quæ circa nos aguntur, nouerint spiritus defunctorum? Cui respondeo magnam esse quæstionem, nec in præsenti differendam. Verumtamen breuiter dici potest, quòd est cura mortuis de suis charis, vt de diuite legitur, qui dum tormenta apud inferos pateretur, leuauit oculos ad Abraham,& inter alia dixit,Habeo enim quinque fratres: mitte aliquem ex mortuis, vt testetur illis ne & ipsi veniant in hunc locum tormentorum. Habent enim mortui curam de viuis, quos sciunt viuere, quia nec in locis pœnarum vident eos, vbi diues sine fratribus erat: nec in requie beatorum, vbi Lazarum & Abraham, quamuis longè agnoscebat. Non tamen ideò consequens est eos scire quæ circa charos suos aguntur hic, vel læta, vel tristia.

Super Ps. 108. ibi, *Laudem meam ne tacueris.*

Luc. 16.

ARTICVLVS VII.

An mali habeant notitiam eorum quæ hic fiunt?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Præterea solet quæri, Si reproborum animæ, &c.] Et quæruntur hîc duo. Primum de malis, Vtrum habeant notitiam eorum quæ hîc fiunt? Secundo de bonis, vtrum ipsi eorum quæ hîc fiunt, notitiam habeant?

Ad primum sic obiicitur. Nulla notitia debet auferri à malis, quæ ad cumulum facit damnationis: sed notitia eorum quæ hîc fiunt, est ad cumulum damnationis: ergo non debet eis auferri. Prima patet per se ex dictis Gregorij prius inductis. Secunda probatur sic: Aut enim ea quæ hîc sunt, sunt prospera, vel aduersa. Si prospera, magis puniuntur ex derelictione eorum. Si aduersa, magis puniuntur ex cura quam habent circa suos, quia curam suorum dicit eos habere hîc in litera: & sic constat propositum.

2 Adhuc, Anima exuta corpore, aut habet modum intelligendi quem habent Angeli, aut modum naturalem hominis. Si primo modo: ergo intelligit per formas sibi concreatas quæ sunt ideales formæ totius vniuersitatis & totius cursus naturæ: ergo sicut Angelus per illas formas scit absentia & distantia per locum, ita & anima. Si autem intelligit modo hominis, constat quòd illa cognitio non accipit etiam præsentia nisi per abstractionem & operationem organorum corporalium: ergo anima illa etiam præsentia ante resurrectionem non cognoscit, quod falsum est: ergo relinquitur, quòd primo modo cognoscat: & tunc sequitur, quòd sciat ea quæ hîc aguntur. Si forte dicas, quòd iste modus est proprius bonorum Angelorum, & non malorum. Contra: Iste modus est naturalis: ergo est communis bonorum & malorum: & hoc supponitur ex disputatis supra secundum. Si forte tu velis dicere, sicut quidam confinxerunt, quòd anima egrediens à corpore portat in sensibili sua parte formas sensibiles, & mediantibus illis formis vtitur sensibus post mortem. Contra: Constat, quòd formæ sensibiles non sunt nisi in organo corporis, sicut dicunt omnes Philosophi, nec vis sensibilis animæ accipit eas nisi immixtas & vnitas corpori, quia & hoc modo motus corporis perueniunt ad ipsam: anima autem post mortem nullum organum fert secum: ergo nec formam, quæ non est nisi in organo corporis: ergo nulla est fictio ista.

3 Adhuc, Detur, quòd ferat tales formas secum: constat, quòd illæ non ducunt nisi in particularia, quorum fuerunt formæ: ergo nulla alia mediantibus illis possunt cognoscere: ergo quæ iam hîc fiunt non cognoscunt: ergo constat, quòd iste modus est impossibilis & omninò carens ratione.

Sed contra. IN CONTRARIVM huius est, quod dicitur Iob. 14. in fine de malo mortuo sic: Siue nobiles fuerint filij eius, siue ignobiles, non intelliget.

2 Adhuc super idem dicit Gregorius in Glossa. Sicut viuentes mortuorum animæ quo loco habeantur ignorant, ita mortui qui carnaliter vixerunt, vitam in carne positorum qualiter post eos disponatur nesciunt.

3 Adhuc Augustinus in litera videtur velle, quòd diues de fratribus suis cognouit indirectè & per coniecturas, scilicet quia nec vidit eos in inferno secum, nec etiam in requie cum Lazaro. Ergo ex litera non habetur, quòd mali sciant ea quæ hîc aguntur.

4 Adhuc Aristot. dicit, quòd non transmutant mortuos facta viuorum, siue infortunia, siue eufortunia. Ergo videtur, quòd ad notitiam eorum non perueniunt.

Solutio. RESPONSIO. Dicendum sine præiudicio, quòd mortui mali præsentia quæ hîc geruntur, naturali cognitione cognoscere possent sicut dæmones, si eis permitteretur: sed secundum dicta Sanctorum non permittitur eis. Et huius causa potest esse: quia etiam bonum interioris cognitionis naturalis meruerunt in eis obscurari. Quod autem dæmones modo permittuntur scire, hoc fit ratione exercitij in quo hîc prosunt bonis per tentationes. Et sic patet responsio ad omnia præter primum, ad quod dicendum, quòd non directè esset eis causa pœnæ notitia illa: vnde maior est pœna obscuritas naturalis habitus quem acceperunt ex creatione.

ARTICVLVS VIII.

An boni habeant notitiam eorum quæ hîc fiunt?

SEcundo quæritur, Vtrum boni habeant notitiam eorum quæ hîc geruntur? Videtur, quòd sic: quia in eis huiusmodi naturalis habitus non obscuratur: cum ergo nihil impediret nisi hoc, videtur quòd boni omnia præsentia quando volunt cognoscunt.

2 Adhuc, Sancti orantur ab his quæ sunt hîc: & frustra orarentur si non audirent, nec nostras scirent necessitates: ergo videtur, quòd sciunt eas, & eadem ratione omnia alia.

Sed contra. IN CONTRARIVM est quod dicitur Isaiæ 63. In fine Abraham nesciuit nos. Constat autem, quòd Abraham bonus fuit. Ergo nec alij boni sciunt ea quæ hîc fiunt.

2 Adhuc idem intelligit Augustinus: Mortui nesciunt etiam Sancti quid agant viui etiam eorum filij.

Solutio. RESPONSIO. Non video quomodo boni nesciant ea quæ fiunt hîc dummodo velint scire.

AD DICTVM autem Augustini videtur dicendum, quòd Augustinus loquitur de modo cognitionis, vel quia dissimulant se scire, nisi quantum vult eis Deus subuenire.

Quomodo accipienda sunt quæ de Lazaro & diuite leguntur.

D SIQVIS autem quærat, Quomodo intelligatur quod de Lazaro & diuite legitur? Audiat Augustini responsum dicentis, Siquis putat animas corpore exutas locis corporalibus contineri, cum sint sine corpore, non deerunt qui faueant, & diuitem sitientem in loco corporali fuisse contendant, ipsamque animam corpoream præparasse linguam, & stillam de Lazari digito cupiisse. Sed melius est dubitare de occultis, quam litigare de incertis. Diuitem in supplicio, pauperem in refrigerio esse non dubito. Sed quomodo intelligatur diuitis lingua, digitus Lazari, flamma inferni, sinus Abrahæ, & huiusmodi, vix à mansuetis, & contentiosis nunquam inuenitur.

Super Genes. lib. 8. cap. 5.

ARTICVLVS IX.

Quomodo intelligitur diuitem in inferno habuisse linguam?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Siquis autem quærat quomodo intelligatur, &c.] Cum enim supra 44. distinct. disputatum sit de vitium animæ sensibilis remanentia post mortem, solum remanet hîc quærendum, quid vocetur lingua diuitis, cum constet eum ibi carnis linguam non habuisse?

2 Adhuc, Quare potius quærit refrigerari linguam, quam aliud membrum?

3 Adhuc, Quid est extremum digiti Lazari, & quid stilla fuit guttæ quam petiuit?

Et dicendum, quòd lingua dicitur vis animæ, quæ perficit linguam ad vim gustatiuam & motum locutionis, sicut dicit Gregorius. *Solutio.*

AD ALIVD dicendum, quòd secundum Gregorium peccatum diuitis fuit gula, & loquacitas quæ comes est edacitatis: & ideò linguam præ cæteris membris doluit.

AD ALIVD dicendum, quòd digito fit ostensio, & digitus misericordiæ significat ostensionem: extremum autem digiti extremam in prauitate significat misericordiam liberantem quæ nulla erit ibi. Et gutta aquæ paruum significat refrigerium, quod non consequuntur damnati in lacu in quo non est aqua.

Si se vident boni & mali.

E SOLET etiam quæri, Vtrum vicissim se videant illi qui sunt in inferno, & illi qui sunt in gloria? Sicut Sancti tradunt, & boni malos, & mali bonos vident vsque ad iudicium. Post iudicium verò boni videbunt malos, sed non mali bonos. Vnde Gregor. Infideles in imo positi ante diem iudicij fideles super se in requie attendunt, quorum gaudia post contemplari non possunt.

Super Luc. 16. in Glo. super illud, *Factum est autē.* hom 40.

De chaos inter bonos & malos.

F SED cum Sancti malos in tormentis videant, nonne aliqua compassione erga eos mouentur? Nonne eos de tormentis liberari cupiunt? Recole illud euangelicum quod Abraham diuiti respondit, Inter nos & vos chaos magnum firmatum est, vt hi qui volunt hinc transire ad vos non possint, neque inde huc transmeare. Quid est illud chaos inter bonos & malos, nisi hinc iustitia, inde iniquitas, quæ nullatenus sociari valent? Adeò enim Sancti Dei iustitiæ addicti sunt, vt nulla compassione ad reprobos

Luæ 6.

probos transire valeant, nulla pro eis inter Sanctos fiat intercessio. Quomodo ergo inde volunt aliqui transire ad illos, sed non possunt? Quia si Dei iustitia admitteret, non fieret eis molesta liberatio eorum. Vel ita dicuntur velle & non posse: non quia velint & non possint, sed quia etsi vellent, non possent eos iuuare. De hoc ita Gregor. ait, Sicut reprobi à pœnis ad gloriam sanctorum transire volunt, & non possunt: & ita iusti per misericordiam mente ire volunt ad positos in tormentis, vt eos liberent, sed non possunt: quia iustorum animæ etsi in naturæ suæ bonitate misericordiam habent, iam tunc auctoris sui iustitiæ coniunctæ tanta rectitudine constringuntur, vt nulla ad reprobos compassione moueantur. Super Luc.

ARTICVLVS X.

An boni & mali videbunt seinuicem?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Solet etiam quæri, Vtrum,&c.] Videtur autem, quòd semper seinuicem videre debeant: quia ex hoc mali amplius torquentur, sicut dicitur Sapient. 3. Videntes autem turbabuntur timore horribili, &c. Et Michææ 7. Aspiciet inimica mea,& operietur confusione. Et Psalmo 3. Peccator videbit,& irascetur: dentibus suis fremet,& tabescet.

2 Adhuc, Post diem iudicij potius deberent mali videre bonos, quam è conuerso: quia mali est amplius lædi in bonis aliorum visis: & hoc competit statui damnatorum: boni autem cordis & benè ordinati est lædi in malis aliorum: ergo visa pœna malorum cum optimè sint dispositi boni, per compassionem offuscabitur beatitudo ipsorum.

RESPONSIO. Dicendum, quòd sicut dicitur in litera, ante iudicium vtrique alios vident, & post iudicium boni tantum vident malos: quia nec etiam tunc videre bonos digni habebuntur. Solutio.

AD OBIECTVM dicendum, quòd ita tunc grauabuntur pœnis, quòd intentio eorum nusquam ad aliud quam ad pœnas conuerti potest: & ideò claudetur eis cogitatus de præmiis bonorum in cælo.

AD ALIVD dicendum, quòd tunc natura glorificabitur, ita quòd nec pati, nec compati potest: compati enim non est naturæ perfectæ, sed potius imperfectæ & passibilis, & illius est bona dispositio. Huiusmodi autem confirmatio naturæ chaos dicitur in litera, quod est firmatum inter bonos & malos. Et per hoc patet solutio ad totum.

Quod visa impiorum pœna non minuit beatorum gloriam.

POSTREMO quæritur, An pœna reproborum visa decoleret gloriam beatorum? an eorum beatitudini proficiat? De hoc ita Gregorius ait, Apud animum iustorum non offuscat beatitudinem aspecta pœna reproborum: quia vbi iam compassio miseriæ non erit, minuere beatorum lætitiam non valebit. Et licet iustis sua gaudia sufficiant, ad maiorem tamen gloriam vident pœnas malorum, quas per gratiam euaserunt: quia qui Dei claritatem vident, nil in creatura agitur quod videre non possint. Non est autem mirandum, si Sancti iam immortales reprobos videant mentis intelligentia, cum Prophetæ mortales adhuc videre hæc omnia meruerunt. Egredientur ergo electi, non loco, sed intelligentia vel visione manifesta, ad videndum impiorum cruciatus: quos videntes non dolore afficientur, sed lætitia satiabuntur, agentes gratias de sua liberatione, visa impiorum ineffabili calamitate. Vnde Isaias impiorum tormenta describens,& ex eorum visione lætitiam bonorum exprimens, ait, Egredientur, electi scilicet, & videbunt cadauera virorum qui præuaricati sunt in me. Vermis eorum non morietur, & ignis non extinguetur, & erunt vsque ad satietatem visionis omni carni, id est, electis. Lætabitur enim iustus cum viderit vindictam. Super Luc 16. *Fili recordare.* hom. 40. Hieron. lib. 8. cap. 66. super Isaiam in fine super illud, *Egredientur electi.* Isa. vlt. Isa. vlt. Psal. 57.

ARTICV

ARTICVLVS XI.

An beati videant omnia quæ aguntur in creatura?

DEinde quæritur de hoc quod dicit *ibi* [Quia qui Dei claritatem vident, nihil in creatura, &c.] Quæruntur autem duo. Primum est de veritate dicti quod dicit. Secundum est de sensibus corporis glorioſi, scilicet de visu, & aliis quibus vtentur Sancti in patria. Videtur enim primum falsum: quia omnes vident claritatem Dei: nec tamen vnus videt quod alius: ergo non omnes vident omnia quæ aguntur in creaturis.

2 Adhuc, Secundum hoc vnus alium non illuminaret, & hoc est falsum.

RESPONSIO. Dicendum, quòd visio dupliciter accipitur, scilicet ex parte obiecti, & ex parte medij per quod est visus. Ex parte obiecti non omnia videt qui Dei claritatem videt, sed videt tot, quot Deus vult ei manifestare. Ex parte autem medij nihil est quod non videat, qui Dei claritatem videt: quia Deus est medium sufficienter demonstrans quicquid est creatum vel increatum. Et per hoc patet solutio ad totum. *Solutio.*

Hæc de pedibus sedentis super solium excelsum, quos Seraphin duabus alis velabant, scriptori, etsi non auditori, commemorasse sufficiat: qui à facie exorsus sedentis, per media ad pedes vsque via duce peruenit.

ARTICVLVS XII.

Qui dicuntur pedes & caput sedentis super solium?

HÆc de pedibus sedentis super solium] Istud accipitur de Isaia. Et licet aliter exponatur à beato Dionysio tam in cælesti, quam ecclesiastica hierarchia: hîc tamen intelliguntur caput & pedes occulta quædam diuinitatis æterna caput, & occulta operum sequentium iudicium pedes. Et sunt opera media creationis & recreationis, tam in mediatore, quam in sacramentis: & ille bene est breuis totius libri sententiarum epilogus, in quo & finitur ad laudem & gloriam & honorem Domini nostri Iesu Christi, cui cum Patre & Spiritu sancto est honor & gloria in secula seculorum. Amen.

FINIS.

INDEX

Rerum notabilium quæ tam in textu quam in Commentariis libri quarti Sententiarum continentur.

A

ABrahæ ſinus quid eſt. d.1 a.20
Abraham vxorem ſuam non expoſuit alij, quando dixit ſororem ſuam eſſe, ſed ſibi cauit, certificatus per inſpirationem, quòd non poſſet maculari. d.29.a.2
Abſoluendi poteſtatem duo complent, ſ. ordo & iuriſdictio. d.17.a.40 item.d.18.a.2
Forma abſolutionis propter ſacramenti certitudinem debet fieri per indicatiuam enuntiationem. d.17.a.52
Abſoluendi multiplex poteſtas. d.17.a.58
Deus abſoluit ligando, ſed ſacerdos è contra ligat ſoluendo. d.18.a.1
Homo non operatur niſi vt miniſter, vnde bonus & malus æqualiter habent: ſed Deus operatur vt author & largitor doni abſolutionis. d.18.a.5
Sacerdos non poteſt abſoluere à culpa & pœna æterna, ſed tantum abſoluit relaxando partem pœnæ. d.18.a.7
Abſolutio ſacerdotis non operatur ad ſolutionem debiti mortis æternæ, ſed ad ſolutionem illius quod innaſceretur ſi confeſſio & abſolutio non reciperentur, ſicut iuſtum eſt & debitum. d.18.a.9
Deus authoritate peccata dimittit, & ſacerdos miniſterio. d.18.a.10
Propter peccata Achor totus populus punitus eſt. d.14.a.34
Accidens & ſubſtantia non differunt tantum in modis eſſendi per ſe & in alio, ſed etiam in ſuis eſſentiis. d.12.a.16
Accidentis duplex eſt diffinitio, ſ. ſecundum eſſe quod habet in ſubiecto, & ſecundum eſſentiam accidentis. ibid.
Actus ſunt præuij habitibus. d.14.a.9
Adam non doluit in ſeparatione coſtæ ab ipſo. d.26.a.2
Adam propheticè dixit, Hoc nunc os ex oſſibus meis, &c. d.26.a.3
Adam ſcire potuit propagationem futuram de latere Chriſti, & præſcire caſum. ibid.
Adæ coſta ex qua facta eſt Eua, non fuit de veritate humanæ naturæ in Adam ſecundum ea quæ exiguntur ad indiuiduum, ſed ſecundum ea quæ exiguntur ad principium humani generis quod ipſe fuit. d.44.a.8
Adoptio eſt extraneæ perſonæ in filium, vel nepotem, vel deinceps aſſumptio. d.42.a.7
Adoptio inducta eſt in ſolatium filiorum perditorum. ibid.
Duæ ſunt ſpecies adoptionis, ſ. arrogatio & ſimplex adoptio. d.42.a.8
Arrogatio eſt adoptio auctoritate principis facte de eo qui ſui iuris eſt, vel per patris naturalis mortem, vel per emancipationem qua tranſit in poteſtatem adoptantis. Simplex autem adoptio eſt adoptio auctoritate magiſtratus facta de eo qui non ſui iuris eſt, nec tranſit in poteſtatem adoptantis. d.42.a.8
Seruus adoptare non poteſt, nec in poteſtate tutorum exiſtens, nec filiusfamilias. d.42.a.9
Adoptari poteſt maſculus & fœmina minor ætate quam adoptans, tantum quod filius eius naturalis eſſe poſſit. d.42.a.10
Ex adoptione prouenit proximitas quæ dicitur cognatio legalis. d.42.a.13
In ſeparatione quæ fit propter adulterium, eodem iure vtitur vir & mulier. d.35.a.1
Adulter adulteram non poteſt dimittere. d.35.a.3
Qui adulteram dimiſit, non poteſt alij copulari. d.35.a.4
Quandiu eſt ſpes & facultas correctionis, tandiu monendus eſt vir, nec dimittat vxorem: ſed ſi neutrium iſtorum ſit, potius conſulendum eſt viro, quòd ſubtrahat ſe turpitudini. d.35.a.6
Accuſatio propter adulterium manifeſtum duplex eſt, vna ad pœnam legalem, altera ad thori ſeparationem. d.35.a.7
Poſt latam ſententiam de ſeparatione thori non tenetur vir de rigore iuris adulteram recipere ſi ipſe adulteratur, tamen iudex eccleſiaſticus de ſuo officio compellere

Index rerum.

eum debet,quod recipiat. d.35.a.11
Post sententiam de separatione vir potest adulteram petere etiam inuitam. d.35.a.12
Pœnitentiâ adulteræ debet induci vir, vt voluntariè cesset ab accusatione,sed tamen non cogitur si noluerit. d.35.a.13
Vir adulteratus occultè, non potest agere ad thori separationem contra mulierem adulteram manifestè. d.35.a.14
Mulier post reconciliationem potest debitum petere. d.35.a.15
Vir non potest contrahere cum ea quam prius polluit per adulterium,si propter hoc vt cum illa contrahat, machinatur cum effectu in mortem coniugis, si fidem dedit ei de contrahendo post mortem coniugis,vel si secum contraxit de facto. d.35.a.16.item d.37.a.13
Legibus humanis ignoscitur marito si vno vulnere confodit adulterum & adulteram. d.38.a.14
Grauissimè peccant adulteri. d.38.a.21
Affinitas est propinquitas personarum ex copula carnali prouenies, omni carens parentela. d.41.a.2
Fornicario concubitu contrahitur affinitas sicut in legitimo. d.41.a.2
Vbi non est seminum commixtio, ibi non est affinitas. ibid.
Affinitas non generat aliam affinitatem. d.41.a.3
Sicut affinitas causatur ex consanguinitate, ita gradus affinitatis ex gradibus consanguinitatis inueniũtur & causantur. d.41.a.4
In æqualibus gradibus antiquitùs & modo prohibetur & conceditur consanguinitas & affinitas. d.41.a.5
Permanet affinitas post mortem illius cuius gratia est contracta. d.41.a.5
Publicæ honestatis iustitia contrahitur ex sponsalibus. d.41.a.7
Diuersi sunt gradus istius propinquitatis sicut affinitatis : quia quoto gradu iungitur consanguineus contrahens sponsalia, toto gradu iungitur sponsa in publicæ honestatis iustitia, & ideo prohibetur contrahere cum aliquo de consanguinitate illa. d. 41. a.8
Hæc propinquitas in veritate non est affinitas, sed ferè similis illi. ibid.
Agilitatis dos est libera possessio & habilitas omnium membrorum similium & officialium ad omnem actum animæ exequendum. d.44.a.18
Angeli peccatum quare sit irremediabile,multiplex ratio assignatur. d.14.a.32
Anima non est effigiata vt corpus. d.44.a.41
Virtutes animæ sensibilis & ipsa anima sensibilis possunt tripliciter considerari, s. in actu,in esse,& in radice. d.44.a.43
Animarum quinque receptacula postquam separantur à corpore. d.44.a.45
Animæ exutæ corporibus,habent formas creationis sicut Angeli, & illis loquuntur & audiunt sicut Angeli. d.45.d.12
Animæ sedes est in sanguine. d.12.a.3
Animas è corpore exutas nec cœlum intrare nec infernum ante diem iudicij Græci asserentes damnati sunt. d.21.a.10
Ardentior amator propriæ vxoris adulter est. d.31.a.19
Attritio est dolor informis de peccatis. d.14.a.10

B

BAlsamum non nascitur nisi in oculo solis, vt dicit Moyses Ægyptius.d 7.a.3.ad q.2
Baptismus Ioannis nullam contulit gratiam. d.2.a.3
Baptismus Ioannis non propriè erat Sacramentum,sed erat medium inter Sacramenta nouæ legis & veteris. ibid.& a.6
Baptismus Ioannis dicitur in pœnitentiam quæ præexigebatur, ne baptismus Christi baptizandos à se fictos inueniret. d.2.a.4
Baptismus Ioannis dicitur : quia nihil erat in eo nisi operatio Ioannis. d.2.a.5
In Baptismo duplex operatio,exterior,& interior. ibid.
Baptizatus à Ioanne non spem ponens, & ex hoc ipso aliud baptisma quærens, vt discipulorum Christi, post passionem non baptizabatur, quia iam baptizatus erat baptismo Christi per discipulos Christi. d.2.a.7
Baptismi diuersæ definitiones. d.3.a.1
Forma Baptismi est ista, Ego te baptizo in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti.d.3.a.2
Pronomen,ego,secundum institutionem diuinam non est de forma Baptismi, sed secundum statutum Ecclesiæ. d.3.a.2.ad q.1
Inuocatio Trinitatis est de forma Baptismi secundum institutionem diuinam. ibid.
Verbum,Baptizo,est de forma Baptismi,& sine quo baptismus non est, nisi occurrat casus propter quem aliter ad tempus sit faciendum. d.3.a.2.ad q.2
Forma Baptismi secundum Græcos est ista, Baptizetur seruus Christi N.in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. ibid.
Ritus Baptismi Græcorum tolerari potuit ad tempus, propter scandalum, & ex imperio Spiritus sancti inspirante Ecclesiam. ibid.
Ly nomine dicit essentiam notam se reddentem in effectu gratiæ quam operantur indifferenter tres personæ. d.3.a.2.ad q.3
Nulla alia nomina personarum possunt poni loco istorum : quia tantum exprimunt personas, vt sunt in se perfectæ & distinctæ. d.3.a.2.ad q.4
Tria concurrebant ad hoc quod Apostoli baptizarent in nomine Christi, quorum vnum est significatio nominis quæ implicitè exprimit Trinitatem. Secundum,vt nomen Christi amicabile & reuerendum ostenderetur. Tertium est institutio diuina per instinctum & reuelationẽ Spiritus sancti.d.3.a.2.ad q.5
Eisdem causis concurrentibus hoc fieri poterat in alio nomine sicut in isto. d.3.a.2.ad q.6
Papa non potest idem instituere sicut nec Apostoli potuerunt, nisi per reuelationem Spiritus sancti. d.3.a.2.ad q.7
In nomine vnius personæ non potest fieri Baptismus. d.3.a.2.ad q.8
Si dicatur, Ego baptizo te in nomine Trinitatis,non est baptismus. d.3.a.2.ad q.9

Si

Index rerum.

Si in forma Baptiſmi aliquis apponat quod ſonat corruptionem formæ, non baptizat. d.3. a.2.ad q.10

Si tantum fiat verborum tranſpoſitio, eſt Baptiſmus. d.3.a.2.ad q.11

Si propter linguæ impedimentum vel ignorantiam loquelæ fiat corruptio in fine, eſt Baptiſmus. d.3.a.2.ad q.12

Baptiſmus non debuit incipere ante Chriſti paſſionem. d.3.a.3

Baptiſmus multipliciter inſtitutus eſt, ſ. officialiter, & cauſaliter, & quoad effectum ſalutis. ibid.

Sola aqua eſt materia Baptiſmi. d.3.a 4

Si eſt commixtio tollens ſpeciem elementi, & trahens ad ſpeciem aliam, in illa aqua non poteſt fieri Baptiſmus, ſicut eſt iuſculum pinguium, cereuiſia, & lixiuia quædam. d.3. a.4.ad q

Maximè rationabilis eſt conſuetudo Eccleſiæ Romanæ, quæ ter immergit: ſi tamen ſemel tantum immergatur, videtur baptizans corrigendo, ſed infans nullo modo rebaptizandus. d.3.a.5

Forma baptiſmi non eſt diuidenda ſecundum tres immerſionès, ſed continuò pronuntianda propter periculum infantium. d.3.a. 5.ad q.1

Si nominata tantum vna perſona Trinitatis, baptizandus moriatur vel ſacerdos baptizans, creditur ſupplere ſummus ſacerdos quod miniſter explere non potuit. ibid.

Quando potior pars, id eſt, caput aqua perfunditur, baptizatur, ſed immergendi conſuetudo laudabilior eſt. ibid.

In balneo, vel aqua calida vel thermis fieri poteſt Baptiſmus. d.3.a.5.ad q.2

Baptiſmus poſt paſſionem fuit in præceptum, tunc circunciſio mortua eſt, ſed cum honore ad tumulum deferenda. d.3.a.6

Baptiſmus, paſſio, reſurrectio & aſcenſio ianuam regni cæleſtis aperuerunt ſed differenter. d.3.a.7

Æqualis eſt effectus Baptiſmi in omnibus paruulis. d.4.a.1

Baptiſmus eſt Sacramentum fidei quoad hoc quod eſt fundamentum ſacramentorum, ſicut fides ædificij ſpiritualis. d.4.a.2

Fictio impedit Baptiſmum ex eo quod ponit obicem Spiritui ſancto per diſſenſum actualem voluntatis ad effectum ſacramenti. d.4.a.3

Baptiſmus manet in ficto per manſionem characteris qui vocatur propriè Sacramentum: & ideò recedente fictione, operatur gratiam, eo modo quo eſt cauſa, ſ. diſponens, & Deus tunc efficit gratiam. d.4.a.4

Pœnitentia vbi articulus neceſſitatis, non contemptus religionis ſacramentum excludit, & effuſio ſanguinis ſupplent Baptiſmum qui fit in aqua. d.4.a.6

Baptiſmatum nouem genera. d.4.a.6.ad 9

Paruuli ſine Baptiſmo decedentes non patiuntur niſi pœnam damni. d.4.a.8

Triplex eſt actus gratiæ baptiſmalis, ſ. deletio vniuerſalis culpæ, & diminutio pœnæ, & ordo virtutum in meritis: & quoad primos actus datur gratia æqualiter in omnibus, ſed non quoad tertium. d.4.a.10

In fictè baptizato Sacramentum eſt ſignum gratiæ quam cauſat quantum eſt de ſe. d.4 a.12

Paruulis in Baptiſmo gratia & virtutes dantur in munere non in vſu. d.4.a.13

Verus miniſter Baptiſmi quoad dominium & Eccleſiam eſt habens ordinem & iuriſdictionem & vitam: tempore autem neceſſitatis eſt quælibet etiam vetula, nec ſexum virilem, nec ordinem, nec iuriſdictionem, nec vitam habens. d.5.a.1

Si nullum timetur ſcandalum, nec tempus eſt neceſſitatis, grauiter peccat, præſumens baptizare. d.5.a.1.ad q.1

Tempore neceſſitatis poteſt quis baptizari à Sacerdote ſimoniaco: quia non committitur ſimonia ex parte baptizãdi. d.5.a.1.ad q.2

Ebrius in quo ſuffocata eſt ratio, non videtur poſſe baptizare. d 5.a.2

Hæreticus baptizans in forma Eccleſiæ, etiam cum intentione, baptizat in forma fidei & fide Eccleſiæ. d.5.a.3.item d.6.a.2

Miniſter Baptiſmi idoneus vel dignus eſt, qui habet auctoritatem ex ordine, & iuriſdictionem, ex auctoritate, & idoneitatem ex vitæ merito: tamen neceſſitatis tempore quilibet poteſt baptizare. c.6.a.1

Si naſceretur infans in vtero cum gratia ſanctificationis, ipſe deberet baptizari propter præceptum Domini, & propter characterem. d.6.a.9. ad q.4

Amentes à natura ſi baptizentur, accipiunt virtutem baptiſmi: alij autem dum ratione vtuntur, ſi reclamauerint, nihil vid ntur conſequi, ſi baptizentur in amentia. d.6. a.10

Dormientes ſi baptizentur, & reclamauerint in vigilia, non conſequuntur quicquam: ſi autem annuerint, vel interrogati non reclamauerint in vigilia, videntur conſequi characterem ad minus. ibid.

Ad baptiſmum exigitur ex parte dantis intentio faciendi quod facit Eccleſia. d.6.a 11

Tempus neceſſitatis baptizandi eſt ſemper, quando naſcuntur paruuli: ſed tempus congruentiæ eſt bis in anno, ſcilicet Paſchæ & & Pentecoſtes. d.6.a1.2

Sponſio quæ fit in baptiſmo, non eſt votum niſi valde generaliter & impropriè. q.6.a.13

Paruuli obligantur ad fidem & ad mores qui continentur ſub præceptis, ex ſuſceptione Baptiſmi. d.6.a 14

Cum patrinus pro paruulo dicit, Credo, in perſona paruuli dicit, & tantum valet ibi Credo, quantum Sacramentum fidei paratus ſum ſuſcipere, cum non habeam obicem contrariæ voluntatis & diſſenſus. d.6 a.14.ad q.2

Ante Baptiſmum fit catheciſmus & exorciſmus: poſt catheciſmum ſequitur exorciſmus, vt ab eo qui iam fide inſtructus eſt, aduerſatia virtus pellatur. d.6.a.15

Quæ exiguntur in Baptiſmo, ſecundum diuerſas Eccleſiæ conſuetudines variantur in numero & in ordine. ibid.

Non tota aqua fluminis vel vaſis eſt materia Baptiſmi, ſed tantum illa quæ adhæret per contactum baptizato. d.7.a.3.ad q.3

Index rerum.

In Baptiſmo ſunt tria, ſ. liberatio à dæmone, tinctio in aquis, & remiſſio peccati. d.8.a.2

In Baptiſmo ſufficit vnus tenens: & ſi plures ſunt, hoc potius eſt permiſſio quam ſtatutum quod debeat approbari. d.42.a.16

Non poteſt ſuſcipere qui non eſt baptizatus. ibid.

Beatitudo eſt actus ſiue operatio ſecundum perfectam virtutem animi. d.49.a.6

Beatitudo eſt ſtatus omnium bonorum aggregatione perfectus. d.49.a.6

Qui verè beatus eſt, habet omnia quæ vult, & nihil vult malè. ibid.

Omnis homo appetit beatitudinem, & propter ipſam agit, quidquid agit. d.49.a.7

Quilibet beatus cuncta illa videbit, quorum cognitio ſeruit beatitudini: in aliis autem differentem habent cognitionem, & etiam vnus à ſeipſo differentem, quia ſucceſſiuè reuelatur ei plus de diuinæ cognitionis ſecretis. d.39.a.8

Deus erit omnia in omnibus, erit etiam in diſpari claritate par gaudium. d.49.a.9. & 10

Beatitudo ſanctorum erit poſt iudicium maior extenſiuè, non intenſiuè. d.49.a.11

Beatus videt tot, quot Deus vult ei manifeſtare. d.50.a.11

Bigamia eſt diuiſio vnius in non vnam vxorem vel vxores. d.27.a.19

Qui vxorem ducit per verba de præſenti, & antequam conſummet matrimonium illa moritur, & aliam ducit & carnaliter cognoſcit, non eſt bigamus. d.27.a.20.ad q.2

Bigamia non eſt iniquitas, ſed pœna. ibid.

Qui contrahit cum illa quam ante defloravit, non eſt bigamus. d.27.a.20.ad q.3

Qui contrahit cum ea quam credit virginem & inuenit corruptam, eſt bigamus. d.27.a.20.ad q.4

Bigamiæ adiuncta eſt irregularitas: quia deficit in ea ſacramentum, id eſt, ſignum coniunctionis vnici ad vnicam. d.27.a.21

Cum bigamo poteſt diſpenſari, per Epiſcopum quidem ad minores ordines, ſi neceſſe fuit, & per Papam ad omnes. d.28.a.22

Lamech reprehenditur de peccato, non de bigamia, quia non fuit reprehenſibilis: & etiam tunc non obſtabat ſacerdotio. d.33.a.4

C

VNus effectus non efficitur à duabus Cauſis æquè proximis, niſi altera ſit imperfecta. d.8.a.13

Cayphas non fuit propheta, quamuis prophetauerit. d.19.a.15

Character licet ſecundum nomen ſit in prædicamento relationis, ſicut ſignum diſtinguens: tamen ſecundum id quod eſt, eſt habitus cuiuſdam luminis illuſtrantis imaginem per modum diſpoſitionis non omnino ſufficient r ad ſalutem. d.4.a.5

Character ſecundum eſſe quod importat nomen, dicit ens in prædicamento relationis, ſicut paternitas. d.6.a.3

Character fundatur in habitu ſicut ſimilitudo in qualitate. ibid.

Characteris diuerſæ definitiones. d.6.a.4

Character vt in ſubiecto eſt in intellectu. d.6.a.4.ad q.9

Character eſt indelebilis. d.6.a.5

Virtutes non imprimunt characterem. d.6.a.5.ad q.2

Characterum numerus multipliciter accipitur, ſed probabilior acceptio videtur penes numerum diſtinctionis in ſtatu fidei. d.6.a.6

Characteres differunt in eſſentia. ibid.

Character baptiſmalis ad alia ſacramenta habet ordinem neceſſitatis & fundamenti ſed character confirmationis non habet ordinem neceſſarium ad characterem ordinis, ſed congruentiæ tantum. d.6.a.6.ad q.

Character beſtiæ peccatum eſt mortale. d.6.a.7

Character Chriſti & beſtiæ non ſunt contrarij. d.6.a.7

Character eſt cauſa gratiæ hoc modo quo ſignum ſacramentale eſt cauſa ſcilicet diſponens in ſubiecto. d.6.a.8

Character ſacerdotalis ſolus eſt vt perfectio, ſacramenti, & aliorum ordinum ſunt diſpoſitiones. d.24.a.34

Charitas magna operatur, ſi eſt: ſi verò operari deſinit, non eſt charitas. d.15.a.19

Choreæ & huiuſmodi ludi, ſiue fiant cantu, ſiue inſtrumentis muſicis, ſecundum ſe non ſunt mali, ſed poſſunt fieri mali ex circunſtantiis. d.16.a.43

Quilibet Chriſtianus homo poteſt & debet dicere, Pater noſter, &c. d.16.a.55

Chriſtus ſecundum hominem non fuit ſuſceptibilis poteſtatis dimittendi peccata. d.5.a.6

Poteſtas quam Chriſto dedit Pater præ aliis, fuit poteſtas excellentiæ ad actum, ſ. vt ſolueret ſine officio clauium tanquam Dominus vniuerſæ Eccleſiæ. ibid.

Quando Chriſtus oſtendit ſe diſcipulis in via in ſpecie peregrini, nulla fuit illuſio. d.13.a.2

Chriſtus tripliciter comparatur ad res creatas. 1. vt Deus. 2. ſecundum quod natus eſt de Virgine. 3. ſecundum quod eſt cibus ſpiritualis Eccleſiæ. d.13.a.10

Chriſtus pœnam habuit pro omnibus ſatisfacientem ſufficienter, licet non efficienter. d.13.a.25

Quos Chriſtus ſanauit in corpore, ſanauit etiam in anima. d.15.a.34

Chriſtus potuit multis de cauſis incarnari, & non tantum pro peccato. d.26.a.3.

Chriſtus de coniugata voluit naſci tribus de cauſis, ſ. vt diabolo Sacramentum celaretur, vt ſolatium & obſequium matri & ſibi exhiberetur, & non mater tanquam adultera à Iudæis infamaretur & lapidaretur. d.30.a.8.& 9

Cineris vitulæ rufæ & aquæ quæ fiebat per commixtionem eius, quis fuerit effectus, d.1.a.12

Circumciſio ſecundum Damaſcenum erat ſignum determinans Iſraël à Gentibus cum quibus conuerſabatur. d.1.a.17

Circumciſionis actus principalis eſt remedium peccati

Index rerum.

peccati originalis, & ſanctificatio quædam, ſcilicet qualis per eam tunc poterat præſtari. ibid.
Circumciſio characterē non impreſſit. d.1.a.18
Circumciſio non iterabatur. ibid.
Si aliquis proſelytus circumciſionem fictus accepiſſet, non oportebat vt non fictus iterum circumcideretur. ibid.
Circumciſio de ſe operabatur diminutionem pœnæ, ſed virtus fidei in ipſa operabatur remiſſionem culpæ. d.1.a.19
Fœminæ non circumcidebantur tribus de cauſis.1. quia natura noſtra non eſt corrupta in muliere.2. quia vir principalis eſt in generatione.3. vt oſtenderetur imperfectio ſacramenti,& aliud generalius & melius expectaretur. d.1.a.21
Ad circumciſionem tenebantur, qui ad ſemen benedictū & promiſſum pertinebāt.d.1.a.12
Circumciſio data fuit tribus de cauſis.ſ.vt obedientia mandati Abraham placeret Deo, & in ſignum magnæ fidei Abrahæ,& vt diſcerneretur populus de quo Chriſtus naſci voluit. d.1.a.23
Quare Apoſtolus circumcidit Timotheum, non autem Titum. d.3.a.6
Circunſtantia non eſt omnino accidentalis actui. d.17.a.46
Circunſtantiæ aggrauant peccatum:licet enim non faciant bonum in actu vel gratiæ vel virtutis politicæ, tamen faciunt & augent malum in actu. d.16.a.22
Nulla circunſtantia confert propriè loquendo ſpeciem, vel variat eandem. d.16.a.23
Claues in Eccleſia ſunt, quibus non ſolum ſacramenta,ſed etiam cælum aperitur,& clauditur indignis. d.18.a.1
Claues ſunt diſcernendi ſcientia, & potentia iudicandi,id eſt,ligandi & ſoluendi.q.18.a.2
Non ſunt neceſſariæ niſi duæ claues, ſcientia diſcernendi, & ligandi & ſoluendi poteſtas. d.18.a.3
Scientia non eſt clauis, ſed potius diſcernendi & iudicandi auctoritas, & hanc in ordine recipit omnis Sacerdos:tamen ſcientia dicitur quandoque clauis, eò quod materia eſt in claue. d.18.a.4
Eſſentialis actus clauis eſt ſuper pœnam illam quæ dicitur purgatoria, quia eſt improportionabilis viribus hominis,ſicut pœna purgatorij ſi modo imponeretur ad ſuſtinendum. d.18.a.11
Deus remittit culpam in contritione & relaxat debitum æternæ mortis:committitur autem miniſtris Eccleſiæ relaxatio pœnæ purgatoriæ, & iniunctio expiatiuæ. d.18.a.13
In Veteri Teſtamento Sacerdos legalis claues non habuit, ſed vmbram clauis,id eſt,poteſtatem abſoluendi & ligandi circa immunditias corporales. d.18.a.14
Chriſtus habuit claues excellenter : quia ſine inquiſitione & labore vtebatur & auctoritate diſcernendi, & poteſtate ligandi & ſoluendi. d.19.a.1
Clauis eſt per ſe & principaliter ad aperiendum, & ex conſequenti ad claudendum. d.19.a.2
Clauis eſt pars potentialis ordinis, & non ſeparatur ab ordine. d.19.a.3
Solus Sacerdos accipit claues. d.19.a.4
Reges nullam habent clauem, nec aliquam ſpiritualem iuriſdictionem. d.19.a.5
Multitudo congregationis alicuius quæ reducitur ad vnum, poteſt habere ſpiritualem poteſtatem iuriſdictionis excommunicandi & abſoluendi, ita quod nullus de multitudine illa. d.19.a.6
Mulier nullam habet clauem, nec in foro pœnitentiæ, nec in foro cauſarum,ſed commiſſam ſibi quoad vſum tantum aliquem, poteſt gubernare poteſtatem. d.19.a.7
Nullus poteſt iuriſdictionem ſuam vltra quam ſibi à ſuo ſupetiori permiſſum eſt, in alienum ſubditum extendere excommunicando vel abſoluendo. d.19.a.10
Clericus quandiu miniſtrat in domo Dei, tenetur ad maiorem perfectionem quam laicus. d.24.a.9
Non eſt dubium quin clerici ius habeant in ſua hæreditate, quæ patrimonium eſt. d.24.a.15
Comedere dicitur dupliciter, ſ. carnaliter & ſpiritualiter. d.10.a.2
Conceptum dicit intus captum imperfectum. d.14.a.10
Concupiſcentia lethalis dicitur : quia à letho inducta, non quod ſemper lethum inducat. d.26.a.9
Cognatio carnalis eſt vinculum perſonarum ab eodem ſtipite deſcendentium carnali propagatione contractum. d.40.a.1
Cognatio ſpiritualis eſt ſpiritualis propinquitas prouenies ex Sacramenti datione, vel ad idem tentione. d.42.a.3
Cognatio ſpiritualis impedit matrimonium contrahendū & dirimit cōtractum.d.42.a.3
Non eſt niſi triplex ſpecies cognationis ſpiritualis, ſ. paternitas, compaternitas & confraternitas. d.42.a.4
Cognatio legalis eſt proximitas quædam ex adoptione prouenies. d.42.a.13
Cognationem ſpiritualem duo tantum ſacramēta faciūt,baptiſmus & cōfirmatio.d.42.a.5
In Confeſſione tria ſunt ſe ſe conſequentia. 1. eſt peccati manifeſtatio cum deteſtatione & ſigno deteſtationis. 2. eſt actuum peccati perpetrati enarratio, quod memoriæ occurrit.3.ſui accuſatio : & quoad hæc tria eſt in præcepto, ſed quoad primum ſolum eſt in præcepto diuino. d.16.a.12
Eccleſia Spiritu ſancto edocta, inſtituit quòd omnis vtriuſque ſexus fidelis ſemel in anno confiteretur ſua peccata. ibid.
Confeſſio non eſt de iure naturali ſtrictè ſumpto. d.15.a.13
Confeſſio non erat in naturali lege niſi quantum ad peccati recognitionem inter ſe & Deum : in lege autem Moyſi acceſſit peccati manifeſtatio aliqua, ſed in genere, non in ſpecie:in ſigno, non in verbo : in Nouo autem Teſtamento exigitur enarratio ſpecierum & aliarum circunſtantiarum. d.16.a.14
Confeſſio poteſt eſſe actus plurium virtutum imperatiuè,ſed frequentius virtutis eſt,quæ dicitur pœnitentia:elicitiuè autem eſt actus virtutis quæ dicitur veritas. d.16.a.15

Index rerum.

Confessio est peccatorum sacramentalis delinquentis accusatio, ex erubescentia & per claues satisfactoria, obligans ad peragendum pœnitentiam iniunctam. d. 16. a.16

Confessio est per quam morbus latens, spe veniæ aperitur. ibid.

Confessio est legitima coram sacerdote peccatorum declaratio. ibid.

Fides præcipuè monet ad confessionem ratione articuli qui est de vita æterna. d. 16. a.17

Non oportet circumstantias confiteri, nisi quæ in aliud genus peccati, tamen securum est etiam alias dicere, præcipuè si remordet aliquem conscientia. d.16.a.24

Confessio diuisa & industria, nihil valet. d.16. a.36

Nunquam fit absolutio peccati sine confessione in voto vel effectu existente. d.17.a.1. & 4. item d.18.a.1

Confessio in genere diuinum habet præceptum, sed in specie determinationem accipit per Ecclesiam. ibid.

Si adsit facultas confitendi sacerdoti, non sufficit confessio facta soli Deo. d.17.a.3.& 32

Confessio quantum ad id quod est ex parte confitentis, nihil valet ad iustificationem & meritum vitæ æternæ, nisi confitens sit in charitate, valet tamen ad facilius gratiam impetrandam, & ad alia ad quæ dicuntur valere bona extra charitatem facta. d.17. a.6

Confessio operans in voto cum contritione operatur iustificationem. d.17.a.7

Confessio animam à morte liberat, aperit paradisum, & spem salutis tribuit. d. 17. a.24

Confessio inchoatur coram Deo, & ibi incipit confitens primò accipere vitam. ibid.

Non est publicè confitendum: nec enim præceptum de hoc est, nec consilium, nisi fortè esset crimen quod vniuersam commouerit vrbem. d.17.a.27

Confessio alia est sacramentalis, alia supplicationis. d.17.a.33.ad 9

Sit simplex, humilis confessio, pura, fidelis,
Atque frequens, nuda, discreta, libens, verecunda,
Integra, secreta, lacrymabilis, accelerata,
Fortis & accusans, & sit parere parata. a.36 d.17.

Soli sacerdotes potestatem audiendi confessionem habent. d.17.a.39

Confessio duplex, s. generalis & priuata. ibid.

Non tenetur quis confiteri alibi nisi habenti clauos: & si facit, illa humilitas & rubor minuunt pœnam. ibid.

Non potest aliquis confiteri nisi proprio sacerdoti. d.17.a.40

Duo sunt quæ complent potestatem absoluendi, s. ordo & iurisdictio. ibid.

Non possunt esse plures sacerdotes proprij, possunt tamen alij cooperari vni proprio. d.17.a.41

Si aliquis de licentia sacerdotis confitetur alicui, non tenetur illo anno sacerdoti suo confiteri, nisi periculum infirmitatis incurrat, & aliquid nouum confiteri habeat. d.17.a.42

Priuilegium audiendi confessiones religiosis & honestis personis vtile est concedere. d.17.a.43

Priuilegiatus debet iniungere confesso sibi, quatenus ad minus in generali ostendat se proprio sacerdoti si pastor est, vel etiam perpetuus Vicarius. d.17.a.44

Forma absolutionis propter sacramenti certitudinem debet fieri per iudicatiuam enuntiationem: sed quod præcedit deprecatio, de bene esse est sacramenti, & non de esse. d.17.a.53

Qui non communicant cum sacerdotibus in potentia loquendi & idiomate, possunt per seipsum, vel per signum, per se, vel per interpretem confiteri. d.17.a.54

Interpres debet per sacerdotem obligari ad reticendum: et si non obligetur, tamen tacere tenetur. d.17.a.54.ad 9

Valet confessio facta laico, vbi articulus necessitatis, non contemptus religionis excludit proprium vel alienum sacerdotem. d.17.a.58

Absoluendi multiplex potestas. ibid.

Absolutioper claues, est illud in quo abundat vera confessio à confessione facta in necessitate, sed tamen absolutio quædam est hic, scilicet quæ fit merito vnitatis Ecclesiæ. d.17.a.59

Confessor dulcis, affabilis, atque suauis,
Prudens, discretus, mitis, pius, atque benignus. d.17.a.6

Sacerdos non tenetur scire discernere nisi in communi, scilicet quæ sint capitalia mortalia communia, & quæ venialia ex genere. ibid.

Si sint duo habentes æquale votum confitendi, & in omnibus aliis pares, citius euolat confessus sacerdoti, quam non confessus. d.17.a.61

Pro peccato occulto nunquam debet imponi pœnitentia manifesta, quia hoc esset prodere confessionem. d.17.a.62

Non tenemur ad confessionem venialium, nisi in generali, s. confessione Primæ & Completorij & ante altare. d. 17.a.64

Confitenti venialia non est iniungenda pœnitentia, sed ad memoriam reuocanda satisfactio quotidiana pro venialibus ab Ecclesia instituta, s. tonsio pectoris, Pater noster, Aue Maria, & huiusmodi. d.21.a.12

Confirmatio necessaria est ad salutem, si debeat fidere robustè & sine pauore defendi in impugnationibus hostis. d.7.a.1

Hoc sacramentum est contra debilitatem ex fomite surgentem, ex eo quod non totus purgatur in baptismo, sed remanet debilitatus ad exercitiũ pugnæ. d.7.a.2

Confirmationis forma est ista, signo te signo crucis, & confirmo te chrismate salutis in nomine Patris, & Filij, & Spiritus sancti. Amen. ibid.

Apostoli nunquam confirmabunt sine forma verborum præscripta. ibid.

Confirmatio duplex, vna ad standum in bono vniuersaliter: alia quæ imprimit characterem

Index rerum.

racterem ſacramentalem ad expulſionem timiditatis ex fomite prouenientis. d.7.a.2
Cõfirmatio habet chriſma pro materia. d.7.a.3
Oleum & balſamum non conſecrata, non ſunt nec eſſe poſſunt materia huius ſacramenti. d.7.a.3.ad q.3
Solus Epiſcopus poteſt hoc ſacramentum conferre. d.7.a.4
Hoc ſacramentum confert gratiam ordinatam contra debilitatem relictam ex infirmitate fomitis deprimentis. d.7.a.5
Gratia Confirmationis & baptiſmatis differunt differentiis vltimis, ſ. inquantum ſunt curatiuæ morbi huius vel illius. ibid.
Gratia data in confirmatione, eſt gratum faciens. d.7.a.5.ad q.1
Confirmatio dicitur maior inter ſacramenta, quia datur à maiori miniſtro. d.7.a.6
Confirmationis vnctione datur ſeptiformis Spiritus cum omni plenitudine ſanctitatis & virtutis. d.7.a.6.ad q
Confirmatio datur in fronte ad tollendam malam verecundiam. d.7.a.7
Iſtud ſacramentum conferendum eſt viris & mulieribus æqualiter. d.7.a.8
Confirmandus debet teneri ab alio confirmato: & quia contrahitur ibi confinitas ſpiritualis, mulier non debet tenere maritum, nec è conuerſo: nec homo filium, ſororem, vel fratrem, quia ſufficit ad amicitiam conciliandam inter tales vinculum carnale. d.7.a.8.ad q.4
Confirmatio imprimit characterem. d.7.a.9
Conſanguinitas dicitur quaſi ſocietas ſanguinis propter propagationem ex vino. d.40.a.2
Conſanguinitatis linea eſt ordinata collectio perſonarum conſanguinitate coniunctarum, ab eodem ſtipite deſcendentium, diuerſos gradus continens. d.40.a.3
Conſanguinitatis linea diuiditur in tres, ſ. deſcendentium, aſcendentium & tranſuerſalium. d.40.a.4
Conſanguinitatis gradus eſt habitudo diſtantium perſonarum, qua cognoſcitur quanta cognationis diſtantia perſonæ inter ſe differant. d.40.a.5
Secundum noua iura quartus gradus eſt prohibitus ad contrahendum matrimonium, & quintus conceſſus. d.40.a.7
Contritio eſt actus pœnitentiæ ſi pœnitentia accipiatur vt virtus: ſi autem accipiatur vt ſacramentũ, contritio eſt cõtriti paſſio voluntariè ſuſcepta vel facta pro peccato. d.16.a.6
Contritio duplicem habet contrarietatem ad peccatum: vnam in ſpeciei ſuæ eſſentia, aliam in ſuo toto in quo radicatur, quod eſt gratia gratum faciens. d.16.a.6
Contritio eſt dolor voluntarius pro peccatis ſemper puniens in ſe quod dolet commiſiſſe. d.16.a.7
Contritio eſt compunctio & humilitas mentis cum lacrymis, veniens de recordatione peccati, & timore iudicij. ibid.
Contritio eſt humilitas ſpiritus, annihilans peccatum inter ſpem & timorem. ibid.
Contritio cordis eſt ſacrificium in quo peccata ſoluuntur. ibid.
Vnus & idem dolor in ſubſtantia poteſt eſſe attritionis & confeſſionis, ſicut fides informis poteſt fieri formata. d.16.a.8
Contritio & compunctio differunt: quia compunctio eſt, ſiue ſit pro peccatis dolor pungens, ſiue ſit pro incolatu miſeriæ: præterea compunctio propriè dicit dolorem ſecundum quod pungit pœnitentem, contritio autem dicit eundem, ſecundum quod annihilat peccatum iteratum ſuper ſingulas differentias. d.16.a.8.ad q.1
Attritio eſt dolor ſine gratia gratum faciente, contritio autem cum gratia gratum faciente. d.16.a.8.ad 9.2
Attritio non eſt de naturalibus, imò eſt donum Spiritus ſancti. ibid.
Contritio præcipuè eſt partis animæ quæ dicitur voluntas. d.16.a.9
Contritio fuit in Veteri Teſtamento ſicut in Nouo. d.16.a.10
Fides mouet ad contritionem ex parte intellectus, & timor & affectio amoris ex parte affectus. d.16.a.11
Fides mouet ad contritionem ratione articuli qui eſt de iudicio. ibid.
In contritione quæ primò delet peccata, tenetur pœnitens reuoluere ea omnia de quibus recordatur, ſed non circunſtantias, niſi illas quæ trahũt in aliud genus peccati. d.16.a.25
Non oportet, quod contritio ſit de omnibus circunſtantiis, niſi quantum ad bene eſſe contritionis, ſ. vt ſit feruentior. ibid.
Contritio intendi poteſt abſolutè & ſimpliciter, tam ex parte formæ, quam ex parte materiæ. d.16.a.29
Cauſam ſufficientem & efficientem non habet contritio in ſubiecto, ſed præparantem & diſponentem. d.16.a.30
Dolor contritionis duplex, ſ. ſenſibilis & rationalis. d.16.a.30.& 31
Contritionis minimus dolor ſufficit ad deletionem peccati in culpa tota & æterna pœna, licet pœnitens remaneat debitor pœnæ temporalis, propter paruitatem doloris vel actionis & paſſionis, quia ille dolor poſſet eſſe tantus, quod totam pœnam peccato debitam deleret. d.16.a.31
Dolor dicitur quaſi æquinocè de ſenſibili ſiue naturali, & rationali. d.16.a.31
Dolor actualis ex parte obiecti eſt æqualiter de omnibus peccatis in ſumma, ex parte autem agentis præſupponitur ordo rationis, & eſt de maiori maior, & de minori minor in habitu rationis. d.16.a.32
Dolor contritionis non finitur in hac vita, ſed in alia. d.16.a.33
Quantitas Contritionis debet eſſe tanta, quod pro nulla re proſpera vel aduerſa peccare vellet: tamen ſacerdos huiuſmodi quantitatem non debet exigere, vt coram ſe profiteatur pœnitens, ſed in habitu debet eam per ſigna in ipſo ſupponere. d.16.a.33
Nullus eſt ſtatus contritionis, in quo creſcere non poſſit. d.16.a.35
Nunquam eſt vera contritio, quæ confeſſionem & ſatisfactionem, non articulo neceſſitatis, ſed contemptu religionis excludit: vnde ſi quis verè contritus eſt, habet votum confitendi & ſatisfaciendi. d.17.a.1

Cum

Index rerum.

Cum in voto verè contritorum sit confessio, operatur in voto ad peccati dimissionem, & per consequens ibi operatur supplicatio sacerdotum. d.17.a.53

Corpora damnatorum in igne ardent & non consumuntur. d.44.a.34

Corpora gloriosa habent loca æqualia sibi. d.44.a.2

Nullo modo est intelligibile qualiter duo corpora sint in eodem loco. d.44.a.3

Corpora sanctorum post resurrectionem erunt impassibilia contrariæ læsionis. d.44.a.14

Erunt agibilia non tantum ad motum localem, sed in omnia opera quæcunque perpetrare voluerit appetitus qui mouet organa.d.44. a.17

Mouebuntur in tempore imperceptibili.d.44. a.22

Erunt subtilia & luminosa. d.44.a.23.& 27

Correctio fraterna est admonitio fratris de emendatione delicti ex fraterna charitate procedens. d.18.a.17

Corrigens alium non debet esse in simili notorio vel maiori existens : & si sit in notorio, non potest eum iudicare,nisi cum mortali peccato , nec etiam iudici per modum accusantis denuntiare. d.19.a.18

Ex officio non tenentur ad fraternam correctionem nisi prælati, sed ex charitate omnis homo tenetur corripere fratrem delinquentem. d.19.a.19

Omnis homo omnem hominem cum reuerentia & mansuetudine tenetur admonere & corripere de delicto , sed non vltetius denuntiare potest si est inobediens , quia si prælatus supremus est,non habet iudicem. d.19.a.20

In correctione fraterna seruandus est ordo sicut iacet in Euangelio. d.19.a.21

Correctio fraterna differt à correctione iudicis, quia iudex habet coactiuam correctionem in eum quem iudicat, non frater in fratrem. d. 19.a.22

Creare aliquid ex nihilo , maioris potentiæ est, quam quodlibet ens vertere in quodlibet aliud. d. 10.a 8

Culpam ibi agnoscere,vbi culpa non est, bonarum mentium est. d.21.a.12

Cultus disparitas facit personas illegitimas ad contrahendum matrimonium. d.39.a.1

Cultus disparitas matrimonio superueniens non dissoluit matrimonium. d.39.a.5

D

Dæmon habet libertatem à coactione, sed infirmatam ad bonum & corruptam per habitum deliberatum ad malum trahentem. d.14.a.32

Dæmones nescietunt incarnationis mysterium. d.30.a.8

Dæmones peccant vsque ad diem iudicij,quando finalem quoad maiorem pœnam & carcerem accipient condemnationem, & tunc amplius peccare non poterunt. d.50.a.2

Dæmonis duplex est vis,s. interior , & exterior. d.6.a.15

Immobilitas Damnatorum in malo causa est partim intus , & partim extra : intus sicut dispositio est aptitudo naturæ à qua cadunt , & determinatio status in cuius termino cadunt : extra autem iustitia diuina confirmans in eo quod finaliter elegit damnatus voluntatem. d.14.a.32

Mali homines vel animæ non peccant in inferno. d.50.a.1

Damnati naturali voluntate volunt bonum, & deliberatiua volunt malum. d.50.a.3

Damnati non oderunt Deum absolutè,sed sub iustitia iudicante pro meritis. d.50.a.6

Dauid grauiter deliquit in populi enumeratione. d.14.a.34

Præpositio de quandoque notat materiam , quandoque potestatem , quandoque ordinem tantum. d.11.a.6.ad q.3

Debita humana sunt duplicia : quædam enim sunt quæ voluntariè creduntur debitori : quædam oriuntur ex læsione alicuius iniusta, vel in persona, vel in bonis, vel in honore. d.15.a.1

Debitum triplex est, s.ex commisso, ex dimisso, & ex peccato. d.15.a.12

In reddendo debito & exigendo æquales sunt coniuges. d.31.a.29

Discretum est debitum soluere etiam non exigenti, qui signa quandoque habet petulantiæ. d.32.a.3

Vir non debet vouere non reddere debitum sine consensu vxoris : & si vouerit , votum illud est stultum & irrationabile. d. 32. a.4

Peccat vouendo peregrinationem,si vxor contradicit ex impotentia continendi , & ex dispensatione debet commutare votum. d.32.a.5

Petenti debetur debitum matrimonij & tempore cuiuscunque festi & in omni hora soluendum secundum opportunitatem & facultatem. d.32.a.8.& 11

Reddens debitum propter fidem thori & iustitiam , vel etiam exigens propter bonum prolis,nõ debet prohiberi ab Eucharistia, sed suo iudicio relinquendus , vtrum ex humilitate velit abstinere , vel ex deuotione velit accipere. d.32.a.12

Illo die quo sumptum est corpus Domini,non est poscendum debitum , nec etiam reddendum : si tamen fiat, non videtur esse mortale peccatum. d.32.a.12.ad q.2

In Decalogo prohiberi intelligitur omne peccatum mortale & veniale, & fieri præcipitur omne faciendum. d.16.a.53

Declinare à malo dicitur dupliciter , s. non facere malum simplici negatione , & nolle facere malum,id est,velle non facere malum. d.7.a.1.item d.14.a.19

Delectatio dicitur dupliciter,s.propriè,& improprie. d.16.a.7

Desperans contemnit Deum : quia plus innititur sensui suo , quam verbis Dei & Ecclesiæ consolantis & reuocantis ipsum , & hoc est superbia maxima. d.17.a.29

Deus est vita animæ sicut anima est vita corporis. d.17.a.7

Deus mouet creaturam spiritualem per tempus tantum , sed creaturam corporalem per tempus

Index rerum.

tempus & locum. d.17.a.11

Deus est in homine per gratiam dupliciter, s. gratum facientem, & gratis datam. d.17.a.39

Maledictus est, qui dicit Deum requirere impossibilia. d.27.a.12

Diuinitas sine gaudio videri non potest. d.48.a.2

Deus in patria lumine gloriæ replet totam animam, quæ sub illa claritate conuertitur immediate in ipsum non accipiendo aliud ab ipso quam ipse sit: & ideo ad hunc intellectum non est necessaria speciei assimilatio formalis quãdo substantialiter ineſt. d.49.a.5

Potestas plenariè dispensandi est in capite Ecclesiæ, & in aliis Prælatis tantum quantum eis conceditur. d.38.a.17

Diuortium est separatio Sacramentalis facta ob legitimum impedimentum matrimonij. d.31.a.11

In diuortio quod fit propter adulterium, æquale est ius vtriusque coniugis. d.35.a.1

Adulter adulteram non potest dimittere. d.35.a.3

Si quis fornicationis expers fornicariam dimiserit, alij copulari non potest. d.35.a.4

Dolor duplex est, s. sensibilis, & rationalis. d.15.a.20

Dominus quam potestatem sibi retinuit, & quam ministris dedit, & quam potuit dare & non dedit. d.5.a.4

Dotes corporis non sunt nisi quatuor, s. impassibilitas, agilitas, subtilitas & luminositas. d.44.a.32.

E

Eleemosyna valet ad gratiæ approximationem hic, & in futuro ad tolerabiliorem pœnam. d.14.a.19

Eleemosyna est actus virtutis quæ est misericordia. d.15.a.14

Eleemosyna est opus in quo datur indigenti ex compassione propter Deum. d.15.a.15

Eleemosyna dicitur communiter & propriè. ibid.

Dare eleemosynam de superfluo, vel in extrema necessitate, est de præcepto, in aliis verò est tantum de consilio. d.15.a.16

Eleemosyna secundum quod fit de superfluo, reducitur ad hoc præceptum, non furtum facies: secundum quod fit, indigenti, in quo apparent signa indigentia, reducitur ad hoc præceptum, Honora parẽtes. d.15.a.16.ad q.1

Eleemosyna quæ est de necessario, est essentialis pars satisfactionis; non autem eleemosyna quæ est de superfluo, sed præexigitur ad ipsam sicut fundamentum. d.15.a.17

In eleemosyna sunt duo, s. voluntas communicandi se & sua pauperibus indigentibus Ecclesiæ, & datum ipsum. ibid.

Eleemosyna in specie pœnæ differt ab aliis partibus satisfactionis. d.15.a.18

Eleemosyna vtrũ magis consistat in voluntate interiori, vel in dato exteriori. d.15.a.18

Eleemosyna semper procedit ex compassione spirituali, siue ex voluntate compatiendi, non ex compassione sensibili. d.15.a.20

Sepultura est eleemosyna, quæ impenditur homini gratia corporis quod resurget. d.15.a.21

Eleemosynæ corporales sufficienter numerantur septem, & spirituales septem, his versibus comprehensæ.

Visito, poto, cibo, redimo, tego, colligo, condo, Instrue, castiga, solare, remitte, fer, ora.

d.15.a.21.22.& 23

Eleemosyna in spiritualibus simpliciter melior est, quam in corporalibus. d.15.a.23

Eleemosyna fieri potest de illicito in quo transfertur dominium, vt in vsura secundum quosdam, non autem de eo in quo non transfertur dominium, vt in furto, rapina, deposito. d.15.a.24

Qui habet illicitè acquisita per vsuram vel rapinam, & videt aliquem in extrema necessitate positum, & non habet aliud vnde soluat ei à quo illicitè tulit, debet ei significare si potest, & si non potest, dare debet egenti nomine illius, & absoluitur à debito. d.15.a.24

Eleemosyna fieri potest de meretricio, sed non oblatio ad altare propter scandalũ d.15.a.24

Vxori non licet dare eleemosynas, nisi communes & modicas, sine consensu viri, vel nisi moderatas, viro non prohibente, vel nisi habeat res patrafernales, vel nisi lucretur. d.15.a.25

Filiusfamilias nihil potest dare sine consensu parentum, nisi fortè panem & huiusmodi. d.15.a.25.ad q.1

Monachus existens in cœnobio non debet dare nisi de licentia, vel sub spe ratihabitionis, nisi videret aliquem in extrema necessitate positum, quia tunc etiam de altari recipere posset, & dare illi: si autem est extra, vt in studio de licentia Abbatis, tunc potest facere eleemosynam, quia cum dantur ei expensæ, committitur ei dispensatio de his quæ dantur sibi. d.15.a.25.ad q.2

Seruus & ancilla nihil dare possunt de rebus dominorum suorum sine consensu eorum. d.15.a.25.ad q.3

In largitione eleemosynarum attenditur ordo, secundum quod ipsa informata est charitate. d.15.a.26

Error est, cum falsa pro veris approbantur. d.30.a.1

Error alius personæ, alius fortunæ, alius conditionis, alius qualitatis. d.30.a.3.& 4

Erubescentia duplex est, s. spiritualis, & illa quæ relinquit passionẽ in corpore. d.16.a.16

Eua de osse facta est: tum vt intelligeretur potentia opificis: tum quia si de molli materia accepta fuisset, nimis mollis fuisset effecta. d.26.a.3

Eucharistiæ vtilitates. d.8.a.1

Ad restaurandum spirituale robur deperditum, est cibus spiritualis Eucharistia. ibid.

Eucharistia multas habuit figuras. d.8.a.2

Hoc Sacramentum quare dicitur viaticum & Eucharistia. d.8.a.3

Hoc Sacramentum congruo tempore institutum est à Christo. d.8.a.5. item d.13.a.26

Hæc est forma, Hoc est corpus meum, & non plus. d.8.a.6

Pronomen hoc, demonstrat corpus Christi sub accidentibus, & faciendo ipsum esse ibi demonstrat. ibid.

Index rerum.

Verbum, est, non tantum notat cohærentiam, sed est operatiuum & conuersiuum. d.8.a.6. ad q. 2

Hæc verba, Accipite & comedite, pertinent ad vsum Sacramenti, & non ad confectionem. d.8.a.6. ad q.5

Tutum est apponere, enim. q.d.8.a.6. ad q.6

Hæc forma quæ dicitur super vinum, Hic est enim calix sanguinis mei, noui & æterni Testamenti, mysterium fidei, qui pro vobis & pro multis effundetur in remissionem peccatorum, licet non sit scripta simul in Euangelio, tamen intelligitur à Deo Apostolis tradita. d.8.a.7

Singulæ particulæ huius formæ, conuenienter positæ sunt. ibid.

Prædictæ formæ diuisim explent suos effectus, & vna non expectat aliam. d.8.a.8

Institutioni Eucharistiæ conueniebat vt post cœnam ante passionem institueretur: frequentationi autem, vt in reuerentiam & diiudicationem tanti cibi & sobrietatem deuotionis, ante prandium percipiatur & celebretur. d.8.a.9

Si aliquis habens ordinem & intentionem seruando formam & materiam huius Sacramenti, conficit post prandium, confectum est, sed peccat mortaliter. d.8.a.9

Omnis cibus quem communiter & vsualiter cibum vocamus, hoc est, qui transit in ventrem, etsi non conuertatur ad corpus, impedit celebrationem. d.8.a.10.ad q.1

Infirmi in hora necessitatis possunt sumere Eucharistiam, siue post prandium, siue ante prandium. ibid.

Non est celebrandum post aquæ potum. d.8.a.10.ad q.2

Eucharistia non tantum Sacramentum est, sed etiam Sacramentum sacramentorum. d.8.a.11

In hoc Sacramento tria sunt. 1. est Sacramentum in ratione signi tantum, s. species panis & vini. 2. est Sacramentum & res, & hoc est corpus Christi verum. 3. est res tantum, & hoc est vnitas corporis mystici. d.8.a.11

Effectus Sacramenti huius non est corpus mysticum, sed potius vnitas corporis mystici. d.8.a.11.ad q. & a.12

Istud Sacramentum est simpliciter vnum, sicut & alia: sed tamen propter modum gratiæ quam effecit, sunt in ipso materialiter plura. d.8.a.13

Modi sumendi Eucharistiam, Sacramentalis & spiritualis distincti sunt quandoque, & quandoque coniuncti. d.9.a.1.& 2

Hoc Sacramentum duplicem habet rem contentam, vnam ex vi consecrationis, quæ est corpus Christi verum: aliam sicut causa continet in se virtute causatum, & illa est gratia. d.9.a.1. & 13

Eucharistia manducantes mutat ad se. d.9.a.2

Ad Sacramentalem manducationem plus exigitur quam vnio corporis ad species Sacramentales, & plus quam vnio vel conformitas naturæ potentis intelligere significationem specierum: & videtur exigi fides informis. d.9.a.4.item d.13.a.38

Antiqui propriè loquendo non acceperunt Sacramentaliter nec spiritualiter corpus Christi. ibid.& a.6

Corpus Christi transit in omnem locum, ad quem transeunt species panis & vini, sub quibus ob veritatem rei continetur totus Christus. d.9.a.5

Corpus Christi transit in mentem operando in mente gratiam Sacramentalem. ibid.

Quandiu valent discerni species, tandiu est ibi Christus. d.9.a.5.ad q.

Mali accipiunt in Sacramento verum corpus Christi. d.9.a.7

Existens in peccato mortali & scienter non debet communicare aliqua ratione, etiamsi per excommunicationem cogeretur. d.9.a.8.

Habens remorsum conscientiæ cum proposito non dimittendi peccatum, nullo modo debet sumere Eucharistiam. d.9.a.8.ad q

Communicans indignè plus peccat, quam alio genere peccati, quoad contemptum, sed non quoad actum, & alias circunstantias, ex quibus causatur turpitudo peccatorum. d.9.a.9

Pollutio nocturna in quo casu impediat à communione. d.9.a.10

Nunquam prohibenda est mulier à communione propter menstruum. d.9.a.11

Hæresis est, quod Christus non sit in altari nisi sicut signatum in signo. d.10.a.1

Hæc est vera, Corpus Christi est alibi quam vbi est circumscriptiuè, quia est in Sacramento in quo non est circumscriptiuè. ibid.

Corpus Christi habet quod possit esse in pluribus locis, non inquantum est glorioſum, sed inquantum est cibus: ad hoc autem quod possit esse cibus nos ad se conuertens, oportet quod sit diuinitati vnitum. d.10.a.1

In comestione Sacramentali duo sunt, s. diuisio specierum per masticationem & fractionem, & incorporatio cibantis quæ fit in cibo, s. capiti Christo. d.10.a.3

Sacramentum Eucharistiæ vt est causa & signum gratiæ, conficitur ex visibili elementorum specie, & carne Christi, vt ab vno habeat rationem significandi, ab altero autem rationem causandi. d.10.a.4

Corpus Christi verum est effectiuum vnitatis corporis Christi mystici, quod est Ecclesia. ibid.

Virtus verborum consecrationis creata est & coniuncta increatæ virtuti in ipsa. d.10.a.7

Hæc oratio cum dicta est, in termino finali totam virtutem habet. d.10.a.7.ad q.

Operatio transubstantiationis fit verbo creato, in quo operatur verbum increatum. d.10.a.10

In Sacramento isto est transmutatio, quæ propriè transubstantiatio vocatur, eò quod est à tota substantia panis & vini in totam substantiam corporis & sanguinis Iesu Christi, quantum ad formam substantialem & materiam. d.11.a.1

Illa transmutatio non habet nisi terminos, & non subiectum commune, quod est tertium in mutatione physica. ibid.

Index rerum.

Illa transubstantiatio subita est, non successiua. d.11.a.3

Illa transubstantiatio non est naturalis nec miraculosa, sed mirabilis. d.11.a.4

Non satis congruè potest assimilari illa transubstantiatio alicui motui vel transmutationi quæ est secundum naturam. d.11,a.5

Nullo modo habet mutationem loci adiunctam. d.11.a.5.ad q.

Hæ sunt falsæ, panis potest esse corpus Christi, panis fit corpus Christi, & corpus Christi fuit panis, panis erit corpus Christi. d.11. a. 6

Hæ sunt veræ, de pane vel ex pane fit corpus Christi, panis mutatur in corpus Christi. ibid.

Substantia panis in consecratione non annihilatur: & tamen nec in se manet, nec in aliquo sui in Christo. d.11.a.7

Cum corpore Christi non manet substantia panis & vini. d.11.a.8. item d.13.a.7

Sub alia specie tribus de causis carnem & sanguinem tradidit Christus, s. propter meritum fidei, & ad vitandum horrorem, & derisionem. d.12.a.1

Si in propria forma carnis vel sanguinis aliquibus appareret, sumendum esset, si autem omnibus, non esset sumendum, sed pro reliquiis reseruandum. d.12. a.1. item d.13.a.3

Tunc Sacerdos si præ deuotionis feruore potest, debet iterum celebrare: si non potest, ipsa communio quam in persona Ecclesiæ debuit facere intelligitur in spirituali sumptione. ibid.

Totus Christus quare sub duplici specie sumitur. d.12.a.2

In transubstantiatione panis in corpus Christi est sanguis Christi in corpore, non virtute Sacramenti, sed virtute connexionis: similiter quando vinum transubstantiatur in sanguinem, est ibi corpus sicut connexum, & cætera quæ sunt in persona Christi. d.12.a.4

Istud Sacramentum licet ab vno homine & sæpius celebretur & suscipiatur, tamen dicitur non iterari, quia forma super eadem numero non iteratur. d.12.a.6

Multæ causæ conuenientissimæ assignantur quare debet confici ex pane & vino istud Sacramentum. d.12.a.7

Non nisi de pane frumentino in genere suo potest confici. d.12.a.8

Si ex aliis granis mixtio fiat, ita quod totum appositum absumatur à tritico, tunc potest fieri confectio. d.12.a.8.ad q.2

Si panis corruptus est à specie panis, non habet fieri confectio: si autem tantum dispositus est ad corruptionem, tunc potest fieri: sed peccant conficientes nisi cogeret eos magna necessitas. d.12.a.8.ad q.3

Ex agresta non potest fieri confectio sanguinis, quia adhuc non habet speciem vini. ibid.

De aceto non potest fieri confectio, sed de vino acido, licet non sit tutum de acido conficere propter reuerentiam Sacramenti. ibid.

Eucharistia confici potest in azymo & fermentato de potestate verborum, sed de congruentia & iure & sine peccato non potest confici, nisi in azymo. d.12.a.9

Aqua calici debet admisceri in parua quantitate. d.12.a.10

Aqua nec materia est, nec materiæ pars, sed transit in vinum. ibid.

Sine aqua fit consecratio, licet non apponens peccet. d.12.a.10.ad q.3

Aquæ acutæ, vt lixiuia & colatiua quibus agunt Alchimici, & huiusmodi quæ corruptæ sunt ad aliam speciem, non debent poni in calice: d.12.a.10. ad q.2

Species Sacramentales cum maneant sine subiecto, per se possunt agere & pati admixtionem & putrefactionem. d.12.a.11

Copulatio aquæ & vini sic miscetur in calice, vt mixtio illa non possit separari. d.12.a.12

Christus dedit discipulis suis corpus suum passibile. d.12.a.13

Nomina, verba & participia quæ dicunt passiones naturales vel communes ad naturales & violentas, possunt copulari corpori existenti in pyxide si seruatum fuisset per triduum, sicut patitur, dolet, moritur, sentit dolores, &c. non autem ea quæ dicunt passiones violentas ipsa voce, sicut vulneratur, verberatur, crucifigitur, &c. vnde versus:

Pyxide seruatum poterit copulare dolorem
Innatum: sed non illatus conuenit illi. d.12. a.14.ad q.1

Si quis in triduo corpus Christi consecrasset, fuisset corpus sine anima. d.12.a.14.ad q.1

Non potest esse, quod anima sit in corpore in sacramento, & non in sepulchro. d.12.a.14. ad q. 1

Christus sanguinem suum accepit & suum corpus, quando discipulis dedit, vnde versus:

Rex sedet in cœna, turba cinctus duodena:
Se tenet in manibus, se cibat ipse cibus. d.12. a. 15

Accidentia sunt in Sacramento Eucharistiæ sine subiecto. d.12.a.16.item d.13.a.9

Species Sacramentales vel in nutriendo habent actum substantiæ, vel illarum prima substantia redit. ibid.

Realis est fractio in Sacramento. d.13.a.1

Fractio non est in corpore Christi, sed potius informis tantum. d.13.a.2

Consecratione facta manent omnes species accidentales, & etiam soliditas mathematica secundum esse reale. d.13.a.4

Fractione facta manet vnum Sacramentum, & forma efficitur plures formæ per diuisionem. d.13.a.5

Opinio quæ dicit corpus Christi essentialiter frangi & diuidi, & tamen integrum & incorruptibile manere, nec fidei congruit nec rationi. d.13.a.6

Fractionis & diuisionis non est prima causa materia vel substantia, sed potius quantitas. d.13.a.8

Totus Christus est sub qualibet parte vtriusque speciei. d.13.a.10.& 11.& 13

Corpus Christi habet tres dimensiones cum figura propria, & sine aliqua contractione, sed non comparatur ad formam illam sicut ad locum vel æquale cui commensuratur, sed vt signatum ad signum. d.13.a.10

Index rerum.

Corpus Christi in Sacramento non est vt in loco circumscriptiuè, nec diffinitiuè. d.13. a.10.ad q.

Corpus Christi per se, hoc est, circumscriptiuè, non est nisi in vno loco, s. in cælo empyreo, sed per accidens est in pluribus locis, hoc est, gratia specierum quæ sunt in pluribus locis per se. d.13.a.12

Quid significent partes in quas hostia diuiditur à sacerdote celebrante. d.13.a.14

Fractio significat passionem, communio autem vnionem charitatis ad proximum & ad Deum. d.13.a.15

Sumus digni communione & sanguinis Domini, quia dignos nos æstimat, quando sumus sine mortali peccato secundum nostram conscientiam: indigni autem, quando conscientia accusante sumus in mortali peccato. d.13.a.16

Peccator occultus petens Eucharistiam non debet repelli: notorius autem perseuerans in peccato debet repelli. d.13.a.17

Corpus Christi videri potest & debet à peccatore, sed non multiplicari respectus propter humilitatem. d.13.a.18

Aliter celebrans quam institutum est à Christo, peccat mortaliter. d.13.a.19

Existenti in peccato mortali & petenti Eucharistiam, potest dari hostia non consecrata seorsum quidem posita, non corpori Domini intermixta: tamen non sæpè debet fieri, vt magis de peccato suo territus citius reuertatur. d.13.a.20

Communicaturus specialiter iubetur dimittere debitoribus suis, quia peccatum odij fratrum maximè contrariatur communioni. d.13.a.21

Christus verissimè immolatur, cum sacrificium offertur Deo Patri. d.13.a.23

Corpus Christi quotidie immolatur, licet non quotidie conficiatur: quia in Paraseue immolatio fit absque consecratione. d.13. a.24

Sanguis non reseruatur à die cœnæ vsque in diem Parasceues sicut corpus, propter periculum effusionis. d.13.a.24

Eucharistia nec contra mortale, nec contra veniale ordinatur, sicut ad proprium effectum, sed potius contra debilitatem quæ procedit ex deperditione spiritualitatis. d.13.a.25

Eucharistia ex consequenti delet veniale quod inest, & etiam reatum pœnæ peccati mortalis, quod per pœnitentiam factum est veniale. ibid.

In hoc Sacramento repræsentatur remissio omnis peccati sufficienter, non efficienter. ibid.

Eucharistia est repræsentatio immolationis factæ in passione. d.13.a.26

Si dixerit quispiam non quotidie accipiendam Eucharistiam, alius autem affirmat quotidie, faciat vnusquisque quod secundum fidem suam piè credit esse faciendum. d.13.a.27

Communio spiritualis sæpius iteranda est, etiam eodem die, sacramentalis verò ordinanda est, vt cum solemnitate & honore tanti Sacramenti fiat. d.13.a.28

Qui non communicat secundum statuta canonum, excommunicandus est post sufficientem admonitionem. d.13.a.28.q.2

Patres statuerunt primum vt in quolibet die dominico, & deinceps vt tribus vicibus per annum populus communicaret, nunc autem statutum est, vt semel in anno hoc fiat. d.13.a.28. ad 9.3

Mali Sacerdotes etiam hæretici schismatici & simoniaci hoc Sacramentum conficere possunt. d.13.a.29

A talibus nullus debet Sacramenta percipere, & si scienter percipit, mortaliter peccat. d.13.a.32

Missæ ratione substantialis quod in Missa est, æquales sunt: sed ratione eius quod adiunctum est & est opus hominis, inæquales. Vnde versus:

Vim Sacramenti non mutat vita ministri.
Sicut deterius non fit pro deteriori:
Sic nec fit melius pro presbytero meliori.
Hoc Sacramentum nunquam licet esse siniſtrum:
Quamuis per prauum celebretur sæpè ministrum. d.13.a.31.& 32

Corpus Christi verum, melius est corpore mystico, propriè loquendo. d.13.a.33

Plus peccat malus Sacerdos qui territus simulat se celebrare, quam alter qui æqualiter malus celebrat. d.13.a.35

Dulcedo Sacramenti non sentitur à sumentibus: quia panis iste voluntarius est & sentitur vt vult: vel quia reliquiæ peccati impediunt gustum spiritualem. d.13.a.36

Sine ordine non potest quis hoc Sacramentum conficere. d.13.a.37

Conficeretur sine vestibus sacris & sine altari & à ieiunio: sed mortalissimè peccaret conficiens, & degradandus esset. q.13. a.37.ad 9

Sumere corpus Christi dicit vnionem vel potentiam ad illam, quæ non est in bruto, sed in peccatore: tamen quandiu sunt ibi species discernibiles, tandiu est ibi corpus Domini. d.13.a.38

Homo habens gratiam, vel præsumens ex probabili signo se habere gratiam, potest accedere ad corpus Christi. d.16.a.42

Accedens ad corpus Christi qui confessionem generalem prius fecit, non debet retrocedere propter recordationem aliquorum peccatorum quæ in speciali non est confessus, quia in generali confessione illa dimissa sunt. d.16.a.42. ad 9.1

Ex humilitate bonum est quandoque se elongare. d.17.a.38

Excommunicatio est separatio à communione Ecclesiæ quoad factum & suffragia Ecclesiæ communia. d.18.a.16

Excommunicatio est à qualibet licita communione vel legitimo actu separatio. ibid.

Os, orare, vale, communio, mensa, negatur. ibid.

Excommunicatio duplex, s. maior & minor: illa procedit à tribus, scilicet participatione sacramentorum, ingressu Ecclesiæ, & communione fidelium, hæc non remouet nisi à participatione sacramentorũ. d.18.a.17

Contumax

Index rerum.

Contumax inquantum contumax' potest & debet excommunicari, & pro nullo alio vitio est quis excommunicandus. d.18.a.18

Habens iurisdictionem ordinarij iudicis vel delegati potest excommunicare & absoluere. d.18.a.19

Excommunicatus maiori excommunicatione non potest aliquem communicare. ibid.

Ad iustam formam excommunicationis concurrunt tria, s.vt excommunicatio sit ex animo, & ex ordine, & ex causa. d.18.a.20

Impossibile est excommunicationem semel solutam redire eandem numero. ibid.

Communicans excommunicato, maiori excommunicatione in casu non concesso, est excommunicatus: casus autem non concessi notantur hoc versu:

Vtile, lex, humile, res ignorata, necesse. d.18. a.21

Non tenetur aliquis credere aliquem esse excommunicatum, nisi intersit denuntiationi, vel per denuntiantem intimetur ei, vel ita certificetur per publicam famam, quod nullo modo sibi de hoc dubium possit generari. ibid.

Gratia subtrahitur, magis ac magis, obice rupto,
De vitio ruit in vitium, suffragia perdit,
Ecclesia, satanæ vexandus traditur ille,
Quem ligat ex propriis anathematizatio culpis. ibid.

Potestatem communicandi potest habere multitudo, ita quod nullus singulariter, non autem potestatem absoluendi & ligandi in confessione. d.19.a.6

Multitudo non potest excommunicari. ibid.

Excommunicatus vna excommunicatione, potest etiam alia excommunicari. d.19.a.8

Potest quis absolui ab vna excommunicatione, ita quod non ab alia. d.19.a.8.ad 9

Peccato remisso per contritionem, adhuc potest remanere excommunicatio, & remissa excommunicatione per absolutionem, adhuc potest manere peccatum quoad Deum ibid.

Nullus potest excommunicare maiorem, vel æqualem, vel seipsum. d.19.a.9

Aliquis à vinculo excommunicationis absolui potest etiam inuitus. d.19.a.11

Boni & mali sacerdotes habent clauem, si habent iurisdictionem, habent etiam clauium executionem. d.19.a.12

Excommunicatus ab Ecclesia, debet se gerere pro excommunicato & ab aliis vitari. d.17. a.63.item d.18.a.16

F

FAma est duplex, s. in re pertinente ad veram laudem, & in scientia, vel militia, vel huiusmodi, in quibus non est laus nisi vana. d.15.a.43.ad q.1

Fides duplex est, s. indistincta, & distinctè assentiens credito articulo. d.16.a.52

Flagella quinque modis contingunt: vel vt iustis per patientiam merita augeantur: vel ad custodiam virtutum, ne superbia tentet: vel ad corrigenda peccata, vel ad gloriam Dei, vel ad iudicium pœnæ. Vnde versus.

Iob probat, inclinat Paulum, purgatque Mariam,
In cæco se se manifestat, punit Herodem. d.15. a.4

Fomes non est à Deo, nec macula, nec caligo, nec aliquid huiusmodi. d.18.a.22

Frigiditas seu impotentia coeundi impedit matrimonium contrahendum & dirimit contractum. d 34.a.4

Qui causa frigiditatis separari volunt, debent septimo mane iurare, quod coire non potuerunt. d.34.a.5

Fundamentum multipliciter dicitur, s. fidei, rerum sperandarum & Christianæ religionis & præmij. d.16.a.50.& 51

Furiosi quandiu sunt in actu furiæ, contrahere non possunt. d.34.a.11

G

GAudium est diffusio animi ex cõceptione præsentis boni. d.14.a.26.item.d.49.a.3

Gratia sacramentalis differt à gratia virtutum & donorum: quia habita vna sacramentali non habentur aliæ nec necessariò: & quia non existente peccato non essent sacramenta: & quia in ipsis operatur passio Christi specialiter: quorum nullum per se conuenit gratiæ virtutum & donorum. d.1.a.4

Gratia nullo modo potest dici sacramentum. d.3.a.1

Gratia sanctificationis in vtero datur post animationem. d.6.a.9.ad q.2

Hæc gratia simpliciter maior est quam gratia baptizati. d.6.a.9.ad q.3

Gratia sacramentalis non descendit ex vitæ merito, nec à ministro, sed ex opere sacramenti. d.7.a.2

Omnis gratia sacramentalis est contra periculum. d.7.a.2.ad q.3

Vna gratia sacramentalis non dependet ab alia: nec habita vna, habetur alia. d.7.a.5

Gratiæ augmentum non potest esse nisi trium modorum vno, s. quod augeatur additione similis gratiæ: vel quod quoad feruorem crescat, sed non in se: vel quod Deus nihil addat, sed multiplicet gratiam in se, sicut multiplicauit quinque panes. d.7.a.5 ad q.2

Gratia sacramenti remouet dispositionem morbi per se, & per consequens ordinat ad actum: gratia autem virtutis ordinat ad actum per se & ptimo, in quo consistit meritum. d.7.a.5.ad q.3

Gratia consideratur dupliciter, s. inquantum subiectum informat & actum, & sic ipsa est accidens, & non potest dare vitam: & inquantum est similitudo quædam bonitatis diuinæ & accepta Deo & omne id quod est in ipsa, & sic dat vitam. d.14.a.20

Si fecerimus quod in nobis est, Deus ineuitabilitér dabit nobis gratiam. d.17.a.6

Gratia præueniens & subsequens sunt eædem substantia, licet differant ratione. d.17.a.20

Græcorum error, quòd nullus ante diem iudicij intret cælum vel infernum. d.21.a.10

Gula est immoderatus appetitus edendi. d.33. a.15

Index rerum.

Gula dicitur carnale peccatum: quia eius obiectum est delectabile carni, in cuius coniunctione perficitur delectatio. d.33.a.16

Gula est circa delectabile gustui in quantum gustus est tactus quidam. d.33.a.17

Gula est semper peccatum, non tamen semper est mortale. d.33.a.18

Gula est minus peccatum quam luxuria. d.33.a.18.ad q.2.

Gula est capitale vitium. d.33.a.19

Species gulæ sunt quinque, quæ continentur hoc versu:

Præpropere, laute, nimis, ardenter, studiose. d.33.a.20

Filiæ gulæ sunt quinque, s. multiloquium, scurrilitas, inepta lætitia, immunditia & hebetudo mentis. d.33.a.21

H

HAbitus duplex est, s. perfectus & distinctus, & imperfectus & indistinctus. d.6.a.3

Hæresis est attribuere Deo quod sibi non conuenit.

Hæresis duplex est, s. aperta, & implicita. d.17.a.33.ad q.

Hæreticus est, qui pro alicuius temporalis commodi, & maximè gloriæ principatusque sui gratia, falsas ac nouas opiniones gignit vel sequitur. d.13.a.39

Humanæ naturæ veritas ratione vna est in omnibus hominibus, sed re & subiecto est plures. d.44.a.6

Ridiculum est dicere nihil de cibo conuerti in corpus humanum. d.44.a.7

Humidum duplex est, s. radicale, & nutrimentale. d.44.a.8

Hypocrita est, qui simulat quod non est, repræsentator alterius personæ. d.16.a.37

Hypocrisis est speciale vitium. d.16.a.38

Hypocrisis præcipuè quærit apparere in actibus sanctitatis, & illi sunt partes sanctificationis vel satisfactionis, s. ieiunium, oratio & eleemosyna. d.16.a.39

Hypocrysis & inanis gloria sunt diuersa vitia. d.16.a.40

Hypocrisis non semper est peccatum mortale, sed quandoque veniale, & quandoque maius, & quandoque minus, secundum quod diuersis circunstantiis vestitur. d.16.a.41

I

IGnis tres sunt species, s. lux flamma, & carbo. d.21.a.6

Ignis corporeus cruciat dæmones vt instrumentum diuinæ iustitiæ vindicantis peccatum commissum contra Deum. d.44.a.37

Ignis inferni est in fortissima caliditate, cui nihil est comparabile. d.44.a.39

Ignis qui præcedet iudicium, erit eiusdem speciei cum igne elementari. d.44.a.6

Omnium corpora tam bonorum quam malorum intendet, vt consumatur penitus fomes peccati per ignis incinerationem, qui in aliis consumptus est per putrefactionem corporum. d.47.a.8

Ignem calidum vstiuum cum sicco & materia post iudicium Dominus descendere faciet ad locum damnatorum, sed quoad luminosum subtile & leue faciet ascendere sursum. d.47.a.9

Ignis quoad incendium mundi præcedet iudicium, sed quoad quendam actum sequetur, s. quoad inuolutionem malorum. d.47.a.11

Immolatio dicit actum oblationis ex parte rei oblatæ, & sacrificium dicit eundem actum ex parte effectus. d.13.a.23

Immundis inquantum immundis nihil est mundum. d.15.a.18

Immunditia duplex, s. in se, & quoad nos. ibid.

Indulgentia siue relaxatio est pœnæ temporalis debitæ promissa diminutio. d.20.a.16

Indulgentia est satisfactionis maioris in minorem competens & discreta commutatio. ibid.

Indulgentiæ valent sicut eas valere prædicat Ecclesia. d.20.a.17

Existentibus in statu gratiæ valent indulgentiæ ad diminutionem pœnæ expiatiuæ siue iniunctæ, siue iniungendæ: sed existentibus in peccato mortali valent, illo modo quo vnus alteri potest mereri primam gratiam, & quia vicinant eos gratiæ & faciunt conuersioni magis idoneos. d.20.a.18

Existentibus in inferno nihil prosunt indulgentiæ, sed existentibus in purgatorio multum prosunt. d.20.a.18.ad q.3

Potest esse, quod habens multas indulgenitas, citius liberabitur quam non habens, sed habens voluntatem habendi: sed non liberabitur plenius, nec pleniorem habebit gloriam, sed citiorem. d.20.a.19

Indulgentiæ æqualiter valent, siue à malo siue à bono dentur. d.20.a.20

Episcopus in sua diœcesi potest dare indulgentiam, & quantam vult, nisi à constitutione Domini Papæ distinctè sit limitata. d.20.a.21

Simplex plebanus nullam potest dare indulgentiam. d.20.a.22

In Inferno non erit aër, sed tantum ignis, & frigus, & damnati. d.49.a.12

Quamuis in inferno ignis ad consolationem non luceat, tamen vt magis torqueat, ad aliquid lucet. d.50.a.4

Infirmitas animæ causaliter est peccatum, formaliter autem est distemperatio virium animæ ad seipsas, & ad actus, & ad corpus quod regere habet. d.17.a.17

Iniquitatem qui diligit, quomodo odit animam suam. d.15.a.27

Intellectus non semper sumit à sensu, sed potius quandoque sumit ab intelligentiis separatis, & illarum impressiones sunt in ipso, quando circa strepitus sensuum non occupatur. d.26.a.2

Intensionis causa duplex est, s. efficiens, & illa quæ est per modum præparationis & dispositionis in subiecto. d.16.a.3

Ioannes sciuit Christum esse natum & mundum redempturum: sed nescivit, quòd iste homo

Index rerum.

homo qui venit ad eum inter alios fuit Christus antequam vidit columbam descendentem. d.5.a.5

Quare in noua lege non est aliquid curans Irregularitatem sicut in veteri. d.1.a.10

Irregularitas quare maximè impedit à sacramento ordinis, & non ab aliis. ibid.

Iudicij dies nullo modo sciri potest. d. 43 a. 7

Congruit Dominum media nocte venire ad iudicium. d.43.a.8

Iudicandos actionum suarum codices coram iudicibus aperire, nihil aliud est quam conscientias illis non posse abscondere. d. 43.a.10

Omnia aliena & propria peccata ibi manifestabuntur. d.43.a.12

Iudicium extremum fiet in momento. d.43. a.14

Non irrationabiliter putari potest, peccata hîc per pœnitentiam tecta & deleta, illic etiam tegi aliis, alia verò cunctis propalari. d. 43.a.20

Probabilius est quòd sententia iudicis in extremo iudicio erit mentalis quam vocalis. d.47.a.1

Omnes sancti iudicabunt iudicio approbationis & confirmationis sententiæ, sed sicut ingerendo sententiam in lumine cordis sui dictatam & inflictam Apostolici viri tantum iudicabunt. d.47.a.4

Iudicium triplex, s. vniforme, multiforme & omniforme. d.47.a.5

Christus iudicabit in forma serui. d. 48.a.1

Omnes tam boni quam mali videbunt formam gloriæ humanitatis Christi. d.48 a.3

Congruit vt Dominus descendat in vallem Iosaphat in iudicio, & non in terra sed in spatio huius aëris sedeat contra locum montis Oliueti. d.48.a.6

In iudicio sol & luna ecclipsim patientur. d. 48.a.7

Lux solis erit maior post iudicium quam fuit ante. d.48.a.8

Nusquam erit tunc nox nisi in centro terræ. d.48.a.9

Ius naturale dupliciter dicitur, s. quod dictat natura hominis esse faciendum, & id quod constitutum est à natura naturante. d.16. a.13

Præcedit aliquid in peccatoribus, quo quamuis nondum sint iustificati, digni tamen iustificatione efficiuntur, & contra in aliis quo digni sint obduratione quomodo intelligitur. d.16.a.30.item d.17.a.14

Ad Iustificationem impij quatuor exiguntur, s.motus liberi arbitrij in peccatum, & motus liberi arbitrij in Deum, & remissio culpæ,& gratiæ infusio. d.14. a.12. item d. 17.a.10

Hæc quatuor sunt simul tempore,non natura. d.17.a.11

Iustificatio est reuelatio diuini consilij. d.17. a.9

Iustificatio est remissio peccatorum & consummatio bonorum operum. ibid.

Iustificatio est effectus iustitiæ generalis, qua de impio fit prius. ibid.

Miracnlosa est, vel mirabilis impij iustificatio. d.17.a.12

Iustificatio principalis est effectus bonitatis. d.17 a.13

In omni opere Dei est misericordia & veritas, id est, iustitia, sed istud opus principaliter est misericordiæ. d.17.a.14

Præcedit quoddam in peccatoribus, quo digni sunt iustificatione, & in aliis quoddam,quò digni sunt obduratione. ibid.

Iustificatio est quidam motus à peccato siue malo culpæ ad bonum gratiæ & rectitudinis,& ideò nihil prohibet ad illam diuersa esse monentia. d.17.a.15

Ista secundum ordinem se consequuntur, dilectio, prædestinatio, electio, vocatio, iustificatio, magnificatio: & prima quidem tria nihil ponunt in homine, sed in Deo, alia verò tria ponunt in homine iustificato gratiam gratum facientem, secundum diuersas considerationes d.17.a.16

Iustitia propriè non est hominis ad se,nec hominis ad suos,vt sunt sui,vt patris ad filiumfamilias,vel serui ad dominum, vel viri ad vxorem: sed iustitia propriè est inter eos qui iure suo sunt pares & æquales. d.14. a.6

Iustitiæ nostræ dupliciter considerantur, in comparatione ad nos, & in comparatione ad gratiam informantem quam habemus à Deo,& hoc modo sunt acceptæ Deo.d.15. a.11

Iustitia duplex est,s.congrui & condigni.d.17. a.14

L

Laban supponens Liam pro Rachel, peccauit mortaliter, non autem Lia. d.30.a.5

Lacrymæ mentis sunt completa voluntas ad flendum, si per accidens lacrymæ non impedirentur. d.15.a.36

Lauant lacrymæ delictum, quod voce pudor est confiteri, id est,quod cum pudore aliquis confitetur. d.17.a.23

Latro in cruce, cui fuit dictum, Hodie mecum eris in paradiso, non fuit martyr. d.4 a.7

Legitimus filius est, qui de legitimo matrimonio est natus, vel de eo quod in facie Ecclesiæ legitimum reputatur. d.41.a.10

Illegitimi legitimantur secundum canones & secundum leges pluribus modis. d.41.a.11

Leuitæ habebant ius percipiendi hæreditatem suorum parentum in Veteri Testamento. d. 24.a.15

Quædam sunt in Loco circumscriptiuè, quædam definitiue, quædam sacramentaliter. d.13.a.10.ad q.

Dupliciter contingit aliquid esse in alio vt in loco, s. propriè & impropriè. d.1.a.11

Esse in loco dicitur dupliciter, s. per se, & per accidens: per se, hoc est circumscriptiuè aliquid creatum in pluribus locis non potest esse simul. d.13.a.12

Nihil prohibet aliquod accidens esse in loco per se. ibid.

Loth filiæ quia intentione conceptus non libidinis,

bidinis, patri coniungebantur, ideò excusantur non à toto, sed à tanto. d.33.a.8

M

MAlum dicitur multipliciter, s. formaliter, & effectiuè, & hoc vel vt causa per se, vel vt causa per accidens. d.9. a.12
Nihil est summè malum absolutè. d. 14. a.31
Malum nulla positione augetur per se, sed per accidens. d.16.a.22
Maleficiati multi sunt vi & potestate dæmonum. d.34.a.8
Maleficio nullo modo quærenda est medicina per incantationem, sed potius semper tolerandum est maleficium. d.34.a.9
Maleficiati separari possunt. d.34.a.10
Mansiones sunt in cælo in domo Patris. d.49. a. 1
Charitas & quantitas charitatis distinguit mansiones. d.49.a.2
Differentia mansionum non est nisi in inferno damnatorum & in cælo sanctorum. d.49. a. 3
Martyrem facit causa, non pœna. d.4 a.7
Matrimonium non habet substantialem ordinem contra peccatum, sed principaliter est ad officium, in quo tamen inuentum est remedium contra vulnus quod accidit ex peccato. d.26.a.1
Matrimonium cum sit in officium naturæ, & in remedium concupiscentiæ, potuit habere duas vel tres etiam institutiones diuinas, vnam quoad naturam secundum se, aliam quoad naturam corruptam, & tertiam secundum statum naturæ reparatæ per Christum. d.26.a.5.& 14
Quoad commixtionem sexus idem fuisset modus propagationis in paradiso, vt nunc. d.26.a.6
Conceptus fuisset tunc sine ardore, & partus sine dolore. d.26.a.7
Matrimonium duplex est medicina concupiscentiæ coëundi. 1. ex gratia quam dat in fide Mediatoris contrahentibus. 2. medicatur restringendo legibus diuinis & humanis, quibus excluditur turpitudo quæ coniuncta est concupiscentiæ. d 26.a.8
Coitus matrimonialis potest esse sine peccato, non solutus. d.26. a. 9. & 13. item d.31.a. 27.& d.33.a.1
Prima institutio matrimonij habuit præceptum ex causa defectus multitudinis, quod non obligat multitudine existente. d. 26. a.10
Actus matrimonij, si fiat spe prolis, fide reddendi debiti & in rememoratione boni sacramenti, est meritorius & habet præmium: si autem libido ponatur vltimus finis, est peccatum mortale. d.26.a.11.item d. 31.a.19.& 21
Quatuor sunt in matrimonio. 1. est commixtio sexus ad salutem naturæ. 2. distinctio personarum ad matrimonium legitimarum. 3. effectus eius contra vulnus concupiscentiæ. 4. est honestas quæ circunstat causam efficientem matrimonij, & amicitia quæ consequitur ex ipso, & mutuum obsequium: quoad 1. est de lege naturæ, quoad 2. de lege Moysi, quoad 3. de lege Christi, & quoad 4. de lege ciuili. d.26.a.14
Matrimonium habet formam quæ est consensus per verba expressus. ibid.
Matrimonium gratiam confert. ibid.
Matrimonium est perfectum per consensum. d.26.a.15.item d.27.a.4.& 7
Matrimonium est in genere relationis, & dicit relationem æquiparantiæ. d.27.a.1
Matrimonium est viri mulierisque maritalis coniunctio inter legitimas personas indiuiduam vitæ consuetudinem retinens. d.27. a. 2
Matrimonium est consortium vitæ communis, & coniunctio diuini & humani iuris. ibid.
Matrimonium est duarum idonearum personarum legitimus de coniunctione consensus. ibid.
Ante carnalem copulam non est inter coniuges nisi vinculum spirituale, ad cuius solutionem sufficit mors spiritualis: cum autem alter conuolat ad frugem vitæ melioris in claustro, tunc moritur spiritualiter, & alter est absolutus. d.27.a.3
Solus consensus de præsenti facit matrimonium, & non de futuro. d.27.a.3.ad q
Quia istud sacramentum consistit in quadam cõmutatione siue contractu ipsius personæ contrahentis, quæ non potest fieri sine consensu, ideò consensus requiritur in isto sacramento & non in aliis. d 27.a.6
Secundum quod dicunt Iurisperiti, coniux infra mensem tenetur debitum reddere. d.27. a. 8
Iniustum est, quòd vxor dimittatur post matrimonium consummatum, nisi consentiant vtrique coniuges ad vota continentiæ, & semper fuit iniustum. d.27.a.9
Si ambo intrauerint religionem, ante tempus professionis, ad priores amplexus redire possunt, nisi obstet eis votum aliud quam probationis, sicut est votum continentiæ perpetuæ. d.27.a.10
Nullum impedimentum superueniens matrimonio, dirimit matrimonium. d.27.a.11. item d.34.a.14
Iuramentum cum sponsione de futuro non facit matrimonium. d.28.a.1
Carnalis copula post sponsalia est interpretatus consensus, & facit matrimonium, nisi dissensus matrimonij ab vtroque aut altero exprimatur. d.28.a.2
Qui exprimit verba consensus & contrahere non intendit, tenetur ex animo contrahere si sit æqualitas personarum, non autem si distantia sit multa. d.28.a.3
Ad matrimonium non exigitur consensus parentum, nisi ad bene esse. d.28 a.4
Consensus qui matrimonium facit, est ad cohabitationem maritalem, in qua includitur carnalis copula, nisi impediat votum vtriusque coniugis. d.28.a.6
Vxor non in dominam nec in ancillam assumitur, sed ob coniugalem societatem. d.28 a 7

Index rerum.

Metus qui cadit in constantem virum, excludit matrimonij consensum, vt contractus in irritum reuocetur. d.29.a.4

Error personæ & conditionis de sui natura euacuat consensum & per consequens matrimonium. d.30.a.2.3.& 4

Error fortunæ & qualitatis coniugij consensum non excludit. d.30.a.4

Verum & perfectum matrimonium fuit inter glorioſam Virginem & sanctum Ioseph, testem & œconomum virginalis castitatis eius. d.30.a.8

Christus dicitur bonũ prolis illius matrimonij, quia in matrimonio est susceptus, licet non ex matrimonio, & in ipso educatus. d.30.a.10

Votum castitatis B. Virginis fuit conditionale, & ideo matrimonio non contrariabatur. d.30. a.11

Indiuiduitas animorum maxima fuit in illo sacramento, quæ nunquam fuit inter alios coniuges. d.30.a.12

Matrimonium est de bonis mixtis, quæ scilicet partim vtilitatis causa appetuntur, partim propter propriam vim nos trahunt & propria dignitate nos alliciunt. d.31.a.2

Tria sunt principaliter bona matrimonij, s. fides, proles, sacramentum. d.30.a.2.& seq.

Hæc tria bona matrimonio fidelium & infilium per prius & posterius conueniunt. d. 31.a.5.& 16

Hæc tria bona plenissimè sunt matrimonij consummati, & sunt minus plenè rati. d.31.a.6

Matrimonium non imprimit characterem. d. 31.a.14

Matrimonium est inter eos qui explendæ libidinis causa conueniunt. d.31.a.17

Qui sterilitatis venenà procurant, quia peccant contra matrimonium, inducendi sunt quod de cætero non vtantur matrimonio, sed arctari non possunt. d.31.a.18.

Omnis ardentior amator propriæ vxoris, adulter est. d.31.a.20

Rationabile est vt prægnans se temperet à coitu, si tamen vtatur, non peccat mortaliter. d.31.a.22

Incongruum est vti commixtione carnali tempore orationum constituto, sed non est peccatum mortale exigere. d.31.a.23

Nihil eorum quæ facit maritus cum vxore, seruato debito corpore seu vase, est secundum se motale peccatum, sed potest esse signum concupiscentiæ mortalis, quando scil. non sufficit eis modus quem natura determinat per membrorum dispositionem. d.31. a.24

Iure matrimonij in reddendo debito & exigendo æquales sunt coniuges. d.31.a.29

Matrimonium est naturale, & omnis commixtio extra matrimonium, peccatum est & transgreditur legem naturæ. d.33.a.1

Natura hominis duplex, s. quæ ex genere est, & quæ ex differentia: primo modo non est contra naturam hominis habere plures vxores, sed secundo. d.33.a.2

Nullo modo est secundum naturam, quòd vna fœmina habeat plures viros. d.33.a.3

Nunquam licuit ancillam vel alienam cognoscere, sed ancillam ductam in matrimonium ex instinctu Spiritus sancti. d.33. a.5.& 23

Non licuit simpliciter habere plures vxores, sed potius ex causa & dispensatione diuina, licet non omnino sit contra naturam. d.33. a.7

Quæ impediunt matrimonium contrahendum & dirimunt contractũ, notantur his versibus:

Error, conditio, votum, cognatio, crimen,
Cultus disparitas, ordo, ligamen, honestas,
Si sis affinis, si fortè coire nequibis:
Hæc socianda vetant connubia, facta retractant. d.34.a.2

Quæ impediunt contrahendum, sed non dirimunt contractum, exprimuntur his versibus:

Ecclesia vetitum, nec non tempus feriatum,
Impediunt fieri, permittunt iuncta teneri.

Qui fornicariè cognouit vnam sororem, aliam non potest ducere in matrimonium. d.34.a.12

Pueri ante 14. annos & puellæ ante 12. annos secundum leges, matrimonium inire nequeunt. d.36.a.6

Si vir ordinetur de consensu mulieris, mulier tenetur ad castitatem dum viuit, hoc est, perpetuam: & si iuuenis est, de cuius lapsu timetur, tenetur intrare religionem. d.37.a.4

Crimina impedientia matrimonium cõtrahendum ex interdicto Ecclesiæ, sed non dirimentia contractum consueuerunt poni sex, s. interfectio propriæ coniugis, incestus, raptus sponsæ alterius, insidians iuri vel debito vxoris, sicut ille qui proprium filium leuat à fonte, vt per hoc vxoris suæ compater effectus, non teneatur ad debitum, occisio presbyteri, & pœnitentia solennis d.37.a.12

Si aliquis in Paganismo vel Iudaismo habens plures vxores conuertatur cum omnibus illis, vnam solum & hanc primam cum qua contraxit retinebit. d.39.a.6

Matrimonium infidelium non est vsquequaque legitimum, eò quod non est omnino inter legitimas personas, & ideò aliquo casu interueniente potest dissolui. d.39.a.9.& 10

Secundæ nuptiæ sacramentu[illegible] sunt, sed non adeò perfectæ significationi[illegible] d.42.a.17

Contra Ecclesiæ interdictum contrahentes non sunt separandi, nisi fortè ad tempus, vt peragant pœnitentiam de inobedientia. d.42. a.18

Mentis sanitas & innouatio imaginis differunt ratione, sed non substantia. d.17.a. 19.& 23

Mentis sanitas imperfecta fit per gratiam præuenientem, perfecta per subsequentem. d. 17.a.20

Per solam gratiam sacramentalem propriè loquendo sanatio mentis perficitur. d.17.a.21

Sanitas mentis qua præciditur peccatum, fit subitò, sanitas verò quæ fit reliquiarum peccati purgatione, fit successiuè. d.17.a.22

Metus est instantis vel futuri periculi causa trepidatio mentis. d.29.a.1

Metus quandoque est circa res turpes, quandoque circa honestas. d.29.a.2

Militia secundum se non est illicita. d.16. a.46

Miraculum est, quod fit præter spem, & est arduum insolitum. d.11.a.4

Index rerum.

Miraculum est aliquid arduum & insolitum præter spem & facultatem adiurantis apparens. d.17.a.12

Misericordiæ opera duobus versibus comprehensa :

Visio,poto,cibo,tectum do,colligo,condo :
Instrue,castiga,solare,remitte,fer,ora. d.2.a.1

Misericordia duplex est,s.liberans & relaxans. d.45.a.3

In omni opere Domini est misericordia & veritas. d.46.a.3

Missa dicitur,eò quod cœlestis missus ad consecrandum viuificum corpus aduenìat : vel quia populus per ministerium sacerdotis, preces, vota & oblationes Deo transmittit: vel hostia sacra missa vocatur,quia à Patre transmissa est nobis prius : vel missa ab emittendo dicitur, quia vt sacerdos hostiam consecrare incipit, per manum diaconi & ostiariorum, cathecumenos & non communicantes foras Ecclesiam emittit. d.13.a.34

Mors de se non dicit nisi separationẽ. d.46.a.8

Mortui mali præsentia quæ hîc generantur, naturali cognitione cognoscere possent sicut dæmones,si eis permitteretur, sed non permitritur. d.50.a.7

Non intelligitur quomodo boni nesciant ea quæ fiunt hic dummodo velint scire d.50.a.8

Boni vident malos,non è contra. d.50.a.10

Motus spirituales non habent tempus mensurans eiusdem rationis cum aliis motibus. d.17.a.11

Moyses dicitur sacerdos non officio oblationes offerendi,sed sacra pandendi. d.19.a.14

N

Necessitas est multiplex,s. absoluta,& conditionis,s.finis alicuius. d.7.a.1

Necessitas duplex,s.ineuitabilitatis siue coactionis absolutæ,& conditionis. d.38.a.4

Negotiationem tria præcipuè faciunt illicitam,s.persona,tempus, & modus.d.16.a.46. ad q.1

Nescientia & ignorantia differunt. d.30.a.1

O

Oculus cæcus est æquiuocè oculus.d.30. a.5.ad q.1

Si Oculus esset animal,visus esset anima eius. ibid.

Odium vitij duplex est : vnum quod est dissensus vitij in genere, & sequitur amorem virtutis in genere:aliud speciale cum indignatione & insurrectione contra ipsum,inquantum est in subiecto, & hoc est pœnitentiæ & irascibilis. d.14.a.8

Oleum lucet, vngit,& pascit. d.7.a.2.ad q.2

Offerre cui offerendum est, est bonum in genere. d.1.a.8

Opera mortua viuificari non possunt. d.14.a. 20.item d.15.a.31

Opera mortificata, per sequentem pœnitentiam vnificantur. d.14.a.21

Opera mortificata viuificare est gratiæ propriè & primo, & non conuenit virtuti nisi per posterius, & ideo diuerso modo attribuitur diuersis virtutibus. d.14.a.23

Opera dicuntur viuificari vita dicta metaphoricè:quia scil. restituitur homini, quod faciant in ipso quod faciunt optima opera,& hoc est dignum facere vita æterna. d.14.a.24

Opera remanent post casum in reputatione Dei. d.14.a.30

Opera pœnitentiæ oportet esse in gratia gratum faciente. d.15.a.10.& 30

Opera facta extra charitatẽ non diminuunt incendiũ inferni directè,sed indirectè. d.15.a32

Opera Trinitatis sunt indiuisa. d.17.a.13

Orationes sunt laudes pro securis,& suffragia pro his qui remanserunt in via. d.4.a.9

Ordo est duplex,s necessitatis & congruentiæ. d.6.a.6

Ordinem congruebat diuidi per differentias. d.24.a.2

Ordo secundum quod diuidit sacramentum cum aliis speciebus sacramenti non est genus,sed species : quia omnes ordines inferiores vniuntur & complentur in vltimo, scilicet in ordine presbyterorum. ibid.

Hoc sacramentum diuiditur diuisione totius in partes, quod totum medium est inter integrale & vniuersale. d.24.a.3

Simpliciter est vnum sacramentum,sed secundum aliquid plura. d.24.a.4

Non sunt nisi septem ordines, s. sacerdotium, diaconatus, subdiaconatus, acolythorum, lectorum, exorcistarũ & ostiariorũ. d.24.a.5

Sunt septem ordines propter septiformem gratiam. d.24.a.6

Quatuor in ordinando requiruntur, s.regularitas,ætas scientia & vita. d.24.a.7

Minus in monacha exigitur scientia, & magis in eo qui habet curam. ibid.& a.8

Mortaliter peccat,qui indignum scienter promouet ad sacros ordines, vel ad curam pastoralem, vel ad aliquod ecclesiasticum beneficium. d.24.a.10

Inidoneus promotus peccat mortaliter quotiescunque scienter & sine necessitate administrat ordinem vel officium. d.14.a.11

Cum indigno nunquam ita dispensari potest, quin ipse peccet mortaliter quolibet actu administrationis,quãdiu est indignus.d.14.a.12

Corona est dispositio ad ordinem, non ordo. d.14.a.13

Ordo ostiariorum est primus,& habens actus super corporale ad spirituale ordinatum. d.14.a.16

Ordo ostiariorum imprimit characterem.d.24. a.17

Forma istius sacramenti debet significari per modum traductionis potestatis ab vno in alium. d.24.a.18

Psalmi status non est ordo. d.24.a.20

Potestas ordinis lectoratus est legere prophetias cum auctoritate explanandi eas populo. d.24.a.21

Potestas exorcistarum est pellere vel diminuere vim dæmonis in fomite impedientis sacramentorum perceptionem. d.24.a.22

Ordo exorcistarum vnit in se præcedenter, & characteres præcedentium vniuntur in suo charactere. d.14.a.23

Actus ordinis acolythatus non est ferre candelas,nisi sicut signum ostendit illud cuius est signum:sed actus eius est ignito eloquio & exemplo operari ad accensionem affectus. d.24.a.24

Index rerum.

Acolythis imprimitur character, cum datur candelabrum cum instructione significationis ad fugandas tenebras Aquilonares, id est, diaboli. d.24.a.25

Subdiacono imprimitur character, cum calicem à manu Episcopi suscipit cum verbis ad hoc pertinentibus. d.24.a.26

Ordo subdiaconorum dignior est omnibus inferioribus ordinibus. d.24.a.27

Actus summus & principalis diaconi est ministrare sacerdoti in consecratione corporis Christi immediatè super altare. d.24.a.29

Non habens baptismum non percipit aliquem ordinem. d.24.a.30

Vestes sunt de bene esse, & non de esse ordinum. d.24.a.31

Sanctitas confert idoneitatem sacerdotij, sed non sacerdotium. d.24.a.32

Character sacerdotalis solus est vt perfectio sacramenti, & omnes alij sunt dispositiones. d.24.a.34

Omnes ordines in Ecclesia primitiua fuerunt, & à Christo instituti. d.24.a.36

Ordo est signaculum quoddam, id est, sacrum quoddam quo spiritualis potestas traditur ordinato & officium. d.24.a.37

Character spiritualis vbi fit promotio potestatis, ordo vel gradus vocatur. ibid.

Ordo est sacramentum spiritualis potestatis ad aliquod officium ordinatum in Ecclesia ad sacramentum communionis. ibid.

Ordinũ actus ostenduntur in instrumentis quę porriguntur ordinãdis ab Episcopo. d.34.a.38

Non exigitur nisi porrectio, & tactus est de bene esse. ibid.

Cum nullus possit esse actus excellentior, quam conficere corpus Christi, nullus potest esse ordo post sacerdotium. d.34.a.39

Ordo de se congruitatem habet continentiæ, sed necessitas continentiæ causatur à rationali constitutione Ecclesiæ. d.37.a.1

Quantum est de congruitate ordo est impedimentum matrimonij vbique & semper: sed quia congruitas ista non dicit aptitudinem & nõ necessitatem, sed potius necessitas ista causatur ab Ecclesiæ instituto, ideo quantum ad necessitatem separandi matrimoniũ illud est locale & temporale. d.37.a.2

Omnes sacri ordines de congruitate impediunt matrimonium contrahendum & dirimunt contractum, & hæc congruitas ad actũ reducitur per Ecclesiæ institutionẽ. d.37.a.3

Si vir ordinetur, vxore consentiente, tenetur vxor ad castitatem perpetuam: & si iuuenis est, de cuius lapsu timetur, tenetur intrare religionem. d.37.a.4

Ordinatus vxore reclamante est vxori reddendus, sed non habet potestatem petendi debitum, sed tantum reddendi. d.37.a.5

Clerici Orientales reclamantibus vxoribus non possunt ordinari. d.37.a.6

Vxores Orientalium consentientes ordinationi suorum maritorum tenentur continere post mortem eorum propter votum quod intelliguntur solemnizasse. d.37.a.7

Originale secundum suam essentiam nunquam redit. d.22.a.3

Os in duos vsus congruit, s. locutionem & conceptionem. d.15.a.4

Oza percussus est propter duo. 1. quia pollutus in nocte cum vxore, præsumpsit in mane propior accedere ad arcam. 2. quia cum esset leuita, debuit portare arcam propriis humeris, sed ipse permisit eam boues trahere. d.13.a.18

P

PAscha dicitur multis modis qui hoc versu exprimuntur:

Est azymum pascha, Iesus, agnus, vesperа, cœna. d.13.a.24

Passionibus contingit aliquem mereri vel demereri, secundum quod bene vel male per voluntatem informatur. d.15.a.6

Paradisus corporalis & spiritualis. d.20.a.13

Latro statim cum Christo ingressus paradisum post mortem, quoad requiem & delicias fruitionis, non quoad locum. ibid.

Peccata mortalia directè prohibentur, venialia indirectè. d.16.a.53

Tres modi purgationis à peccatis, s. per pœnitentiam, per confessionem & per baptismum. d.17.a.25

Peccatum dicitur veniale ex genere, vel ex euentu. d.17.a.28

Peccata non habent colligationem in aliquo ente positiuo, tamen habent conuenientiam in priuatione conuersionis ad bonum incommutabile. d.15.a.1

Duplex tribulatio non consurget pro peccato quod simpliciter est vnum. d.14.a.1

Peccator semper doleat & de dolore gaudeat. d.14.a.26

Peccati duplex est radix, s. innata, & facta ex opere peccati. c.15.a.5. item d.16.a.54

Veniale non est peccatum nisi secundum quid. d.15.a.5.ad q.

Peccatum est duplex, s. naturæ & personæ. d.15.a.4

Cum homo voluntariè subdit se peccato, cum scientia eius quod est non posse resurgere per se, quantum est de se, eligit in peccato esse æternaliter, & huic æternitati respondet pœna æterna. d.15.a.5

Si Deus sola ad Peccatores vteretur sententia, omnes damnaret. d.17.a.56

Peccati grauitas attenditur tripliciter, s. essentialis quæ debetur sibi secundum suã speciẽ, vel suum genus, & accidentalis quæ debetur ei ex aliquo extrinseco sibi. d.16.a.27

Peccatum dicitur tenebræ, contagio, fœtor, & macula. d.18.a.8

Omne Peccatum in charitate Ecclesiæ dimittitur. d.18.a.12

Peccatum dimissum nec idẽ numero, nec idem specie, nec æquali reatu vnquam reuertitur, sed ex ingratitudine peccati sequentis dicitur reuerti, quæ maior est quam si ei peccatum dimissum non esset. d.22.a.1

Cæteris paribus ad æquales tenentur gratiarum actiones, cui plura peccata dimissa sunt, & qui seruauit innocentiam. d.22.a.4

De se habet homo quod peccet, sed de se non habet quod resurgat. d.20.a.11

Pœna duplex, s. damni & sensus. d.4.a.8

Pœna quæ iniungitur in satisfactione si discretè est taxata, iusta est. d.14.a.3

Index rerum.

Pœna non eſt mala niſi quia contrariatur naturæ. d.14.a.32

Menſura pœnæ peccati non proportionatur quantitati temporis, vel delectationis, ſed potius quantitati radicis & contemptus & imperij voluntatis. d.15.a.5

Pœna temporalis debita peccato duplex eſt, ſ.non proportionata,& proportionata ex vi clauium. d.16.a.12.item d.17.a.24

Pœna temporalis delet æternam. d.17.a.37

Duplex eſt pœna,ſ.affligens tantum,& promouens cum afflictione. d.16.a.33

Duplex eſt pœna, ſ. purgatoria & expiatiua. d.18.a.11

Pœna duplicem habet comparationem, ſ. ad cauſam infligentem, & ad cauſam meritoriam. d.18.a.22

Pœnæ inferni quare nominantur multis nominibus, purgatorij verò non niſi vno nomine. d.21.a.5

Pœna duplex,ſ.damni & ſenſus. d.43.a.13

Pœnitentia non fuit inſtituta in ſtatu innocentiæ. d.2.a.2

Pœnitentia dicitur ſecunda tabula, inquantum eſt ſacramentum contra morbum qui eſt culpa,ordinatum. d.14.a.2

Pœnitentia eſt virtus & reducitur ad partem iuſtitiæ ſecundum quod eſt ſatisfactiua pro peccatis, Deo debitum honorem reddens. d.14.a.3

Pœnitentia eſt virtus ſpecialis diſtincta ab aliis virtutibus. d.14.a.4

Pœnitentia non eſt de peccato inquantum eſt ſola priuatio, ſed inquantum eſt actus perpetratus cum priuatione. ibid.

Pœnitentia æquiuocè cadit in diuerſis generibus, licet in omnibus ſignificationibus h abeat analogiã ad vnum, quod eſt peccato cõtrariari quod eſt perpetratum.d.14.a.5

Hoc ſacramentum ordinatur contra peccatum perſonale inquantum proprium eſt & perſonale,& eſt virtus & ſacramentum diuerſa conſideratione. d.14.a.5.ad q.1

Pœnitentia eſt habitus diſtinctus per ſe mouens liberum arbitrium in peccati deteſtationem ſub ſpe veniæ,& non eſt iuſtitia, nec propriè iuſtitiæ ſpecies : tamen actus illius qui eſt deteſtari, poteſt imperatus eſſe à iuſtitia. d.14.a.6 & 25

Actus pœnitentiæ non eſt charitatis vel alterius virtutis niſi per medium imperij vel adiutorij. d.14.a.7

Ille habitus qui eſt pœnitentia, eſt in irascibili cum ratione participante aliquid rationis, ſecundum quod ad rationem ordinatur. d.14.a.8

Pœnitentia dicitur prima virtutum non ſimpliciter, ſed ex parte ſubiecti iuſtificabilis: quia ex parte illius prius eſt abiicere vitia quam imbui virtutibus. d.14.a.9

Duo ſunt inter quæ mouetur pœnitens, ſ.ſpes & timor. d.14.a.10

Pœnitentia vtroque timore concipitur, ſ. ſeruili,& initiali. d.14.a.10.ad q.2

Pœnitentia eſt præterita mala plangere, & plangenda non committere. d.15.a.12

Illa definitio conuenit pœnitentiæ inquantum eſt virtus, & inquantum eſt ſacramentum. ibid.ad q.

Fundamentum pœnitentiæ non eſt de cætero non peccare, ſed non habere propoſitum peccandi d.14.a.13

Verè pœnitens, ſalua veritate pœnitentiæ in præſenti,poteſt peccare. ibid.

Per Pœnitentiam lauatur peccator,& mundus eſt,ſi voluntatem habeat de cætero non peccandi. d.14.a.14

Qui commiſſa plangit nec tamen deſerit, pœnæ grauiori ſe ſubiicit. d.14.a.16

Hæc vera pœnitentia eſt, ceſſare à peccato. d.14.a.17

In peccato tria ſunt, ſ. culpa quæ maculat ex priuatione boni gratuiti & vitiatione naturalis, & actus qui inficit potentiam, vitium relinquendo in ipſa, & vulnus quod infligit : & quantum ad 1. tollitur gratia, quantum ad 2. virtute, & quantum ad 3. ſacramento. d.14.a.18

Pœnitentia reſtituit integritatem puritatis à peccato,ſed non integritatem ſtatus ſecundum dignitatem. d.14.a.22

Pœnitentiæ eſt viuificare opera mortificata, ſicut remouentis cauſam mortis à parte materiæ ſiue ſubiecti. d.14.a.23

Pœnitentia eſt quædam dolentis vindicta,ſemper puniens in ſe quod dolet commiſiſſe. d.14.a.25

Dolor de peccatis & gaudium de dolore non contrariantur. d.14.a.26

Ad perfectionem Pœnitentiæ ſecundum eſſe quatuor exiguntur,ſ.reuocatio à malo,dolor de commiſſo,propoſitum non committendi, & diligentia ſatisfaciendi : eſt autem perfecta ſecundum bene eſſe, quando continuatur vſque ad mortem. d.14.a.27

Tres ſunt modi pœnitentiæ,ſ.ſolemnis, priuata & publica. d.14.a.28

Pœnitentia iterari poteſt. d.14.a.29

Per pœnitentiam poteſt quis reſurgere melior, & peior,& æquè bonus. d.14.a.20

Pœnitentia non poteſt eſſe in dæmone, cum peccatum illius ſit irremediabile. d.14.a.32

Pœnitentia in partibus ſuis habet reſtituere in priſtinum ſtatum,ſ.in contritione, confeſſione & ſatisfactione. d.14.a.33

Qui pluribus peccatis eſt irretitus, non poteſt de vno verè pœnitere ſine pœnitentia alterius, & oppoſitum eſt fidei contrarium. d.15.a.1

Per ſententiam ſacerdotis non præuenitur ſententia iudicis : quia eadem eſt ſententia iudicis & ſacerdotis, ſi ordine clauium ſacerdos pœnitentiam iniungit. d.15.a.6

Si aliquis in peccato exiſtens, ſoluat quod iniunctum eſt, non oportet, quod poſtquam pœnituerit, iterum ſoluat:ſed tamen oportet,quod conteratur,& confiteatur,& ſatisfaciat de eo quod non fecit iniunctum eo modo quo debuit. d.15.a.9

Nihil prodeſt orare,ieiunare & alia bona agere, niſi mens reuocetur à peccato. d.15.a.29

Deus non poteſt ſanare de vno peccato,& non de alio. d.15.a.33

Quædam impietas infidelitatis eſt,ab illo qui iuſtus & iuſtitia eſt, dimidiam ſperare veniam. d.15.a.35

Index rerum.

Pœnitentia falsa est, cum spretis pluribus de vno solo pœnitentia agitur: vel cum sic agitur de vno, vt non discedatur ab alio. d.15.a.38

Vera & digna pœnitentia differunt: quia vera dicit pœnitentiam impermixtam contrariis, digna autem dicit debitam pœnitentiæ quantitatem. d.15. a.39. item d.16.a.21

Hoc Sacramentum est vnum. d.16. a.1. item d.22.a.8

Materia istius Sacramenti est dolor voluntarius in signis exterioribus manifestatus, forma verò est gratia informans dolorem illum, vt possit delere peccatum, & res eius est deletio peccati omnimoda in culpa & pœna. ibid.

Pœnitentia habet partes potestatiuas, s. contritionem, confessionem & satisfactionem. d.16.a.2

Pœnitentiæ partes sunt omnes simul operantes secundum quod vna est in actu, & duæ, vel vna in voto: sicut cum contritio est in actu, & confessio & satisfactio sunt in voto. d.16.a.3. item d.17.a.55

Partes pœnitentiæ dupliciter respondent peccato, s. vt medicina tantum, & sic omnes tres partes respondent omnibus peccatis: respondent etiam vt medicina simul & habentes congruentiam in actu & in instrumento agendi, & sic contritio non respondet nisi peccato cordis, confessio peccato oris, & satisfactio peccato operis. d.15.a.4

Contritio non est pars Pœnitentiæ virtutis, sed actus. d.16.a.6

Licet Pœnitentia tres habeat partes, tamen maximè saluatur in contritione, eò quod oportet illam secundum actum in omni pœnitentia esse. d.16.a.7

Pœnitentia instituta est in Paradiso secundum omnes partes, & à Christo in Nouo Testamento accepit innouationem. d.16.a.12. ad q. item q.22.a.11. & seq.

Pœnitentia secundum quod est in genere Sacramenti legis nouæ vel veteris, non est de iure naturali. d.16.a.13. item d.22.a.10

Pœnitentia in tribus partibus suis configuratur Trinitati increatæ: contritio innititur bonitati, confessio sapientiæ, & satisfactio potentiæ. d.16.a.18

Opera Pœnitentiæ dicuntur fructus, non quod eis fruamur propriè hic, vel in futuro: sed quia cum gaudio spei vtimur eis ad obtinendum id quo faciendum est. d.16.a.21

Iudicium Sacerdotis inquantum huiusmodi, est secundum canones pensatis peccatis & statu pœnitentis, & hoc nunquam errat; iudicium autem hominis quod sæpè erroneum est & malitiosum, non tenetur subire pœnitens. d.16.a.28

Pœnitenti religionis obseruantia non potest iniungi, nisi sub conditione si pœnitens eam suscipere voluerit. d.16.a.28.ad q.

Fructus Pœnitentiæ & virtutis non sunt idem: quia virtus est in omnibus bonis, & non pœnitentia. d.16.a.44

Canon debet esse regula iniungendi Pœnitentiam, tamen proportio huius regulæ ad hunc pœnitentem & illum, est secundum arbitrium discreti Sacerdotis. d.16.a.45

Pœnitentia tribus modis agitur, ante baptismum scilicet de prioribus peccatis, post baptismum de grauioribus, quæ post committuntur, est etiam pœnitentia venialium quotidiana. d.16.a.47

Baptismus est primum Sacramentum simpliciter, sed secundum quid & quoad aliquid est pœnitentia prior secundum quendam modum quo ipsa est præparatoria ad interiorem actum compunctionis, & non prout est satisfactoria per vim clauium. d.16.a.48

Pœnitentia est fundamentum Christianæ religionis. d.16.a.49

Fides quoad quendam actum confusæ cognitionis Dei & peccati præcedit pœnitentiam. d.16.a.52

Bonorum & humilium duplex est pœnitentia; s. de bono quod malo permixtum est, & de veniali quod incidit quotidie in vsu vitæ. d.16.a.54

Non tenetur aliquis propalare suam pœnitentiam alicui, nisi Sacerdoti soli. d.17.a.26

Peccatum publicum debet publica pœnitentia puniri. d.17.a.62

Pœnitentiam ex timore non audit Deus, sed illam quæ est ex amore. d.20.a.3

Qui in hac vita pœnitentiam non implent, in purgatorio implebunt. d.20.a.12

Nunquam apertè præscribitur regula pœnitentiæ: sed tamen tria ad minus attendenda sunt. s. peccati qualitas, contritionis quantitas, & status pœnitentiæ. d.20.a.14

In articulo mortis positis non est imponenda quantitas pœnitentiæ, sed innotescenda. d.20.a.15

Pœnitentia secundum quod est Sacramentum; dolorem habet pro materia, & gratiam pro forma, & exteriora signa habet, consistens in tribus partibus, s. contritione, confessione & satisfactione. d.22.a.5

Pœnitentia exterior est signum tantum, & interior signum & res, & dimissio peccati in culpa & pœna est res tantum. d.22.a.6

Pœnitentia virtus non habet institutionem, sed est de dictatis à natura. d.22.a.10

Pollutio nocturna multis de causis accidit. d.9.a.10

Nihil est Potentia in aliquo propriè loquendo, nisi quod vno motore educitur de illo. d.11. a.4.ad q.

Potestas multiplex, s. auctoritatis, innocationis excellétię, ministerij & cooperationis. d.5.a.4

Præuidentia duplex, est, s. speculatiua & practica. d.17.a.46

Prioritas duplex, s. quoad nos & simpliciter. d.14.a.12.

Priuatio non intenditur essentialiter, sed per recessum ab habitu. d.16.a.22

Purgatorij ignis est corporeus. d.20.a.5

Primum affligens est ignis corporeus, habens vim affligendi spiritum ex eo quod est instrumentum diuinæ iustitiæ vindicantis iniquitatem, proximum verò affligens, est similitudo ignis recepta ab animabus punitis. d.20.a.4

Ex ordine iustitiæ non est nisi vnus locus purgatorij,

Index rerum.

gatorij,ſed ex diſpenſatione ſunt multa loca purgatoria. d.20.a.6

Ignis purgatorius finibilis eſt ſecundum rationem purgatoriam, non ſecundum ſubſtantiam. d.20.a.7

Pœna purgatorij etiam minima, maior eſt in triſtitia quam aliqua pœna corporalis huius mundi eſſe poſſit. d.20.a.8

Neceſſe eſt ſecundum rationem & fidem,quod ignis purgatorius ſit. d.21.a.4

Exiſtentes in Purgatorio ſimpliciter vellent non pati pœnas purgatorij, conditionata tamen voluntate volunt, ſ. conditione purgationis & ſalutis. d.21.a.7

Animæ exiſtentes in purgatorio, per dæmones miniſtros pœnarum non puniuntur, licet delectentur dæmones in pœnis earum. d.21.a.9

Quantitas ſecundum ordinem naturæ proximior eſt ſubiecto,quam qualitas. d.12.a.16

Quantitas non poteſt eſſe ſine ſubiecto niſi virtute diuina contineatur. d.12.a.16

Fractionis & diuiſionis non eſt prima cauſa materia vel ſubſtantia,ſed potius quantitas. d.13.a.8

R

REges non vnguntur chriſmate,ſed oleo,in quo notatur fama quam habere debent apud ſubditos, & in ſcapulis, vt recognoſcant ſe poſitos eſſe ad ſupportanda onera ſubditorum Eccleſiæ. q.23.a.8

Relatiua ſunt quæcunque hoc ipſum quod ſunt,aliorum dicuntur. d.13.a.5

Relatio plus eſt ratio quam ens vel eſſentia. ibid.

Religio eſt, quæ cuidam naturæ quam ſuperiorem vocant,coram cærimoniamque affert. d.1.a.7

Religio eſt virtus,quæ cuidam naturæ ſuperiori quam diuinam vocant, curam cærimoniamque affert. d.19.a.24

Libellus repudij non dabatur propter quamlibet fœditatem. d.33.a.25

Cauſa quæ non poteſt mouere ad odium communiter, non potuit eſſe cauſa ſeparationis. ibid.

Cauſæ dimiſſionis ſcribebantur in libello repudij, non in particulari, ſed in vniuerſali. ibid.

Dimittenti vxorem per libellum repudij & repudiatæ erat in ſecundo matrimonio ſalus propter legis ſtatutum & temporis congruentiam. d.33.a.27

Reſtitutio non eſt pars eſſentialis ſatisfactionis,ſed præexigitur per modum fundamenti, nec oportet, quod fiat in charitate. d.15.a.10. & 45

Reſtitutio eſt rei oblatæ redditio vel recompenſatio. d.15.a.44

Qui tenentur reſtituere, exprimuntur his verſibus:

Iuſſio, conſilium, conſenſus, palpo, recurſus,
Participans, mutus, non obſtans, non manifeſtans. d.15.a.42.ad q.

Omne id quod cum dolore amittitur, & cum delectatione & vtilitate vel honeſtate poſſidetur,auferens tenetur reſtituere, quocumque modo auferat. d.15.a.43

Detractor tenetur ad reſtitutionem. d.15.a.43. ad q.1.

Impediens aliquem iniuſtè, ne acquirat præbendam, tenetur ad reſtitutionem ſecundum poſſibilitatem, & arbitrium bonorum virorum, non autem ſi iuſtè impedit. d.15.a.43.ad q.3

Qui arando ſubuertit ſemina,tenetur reſtituere quantum ager ſeminatus pro tempore illo vendi conſueuit. ibid.

Leges quæ de reſtitutione tanguntur Exod.5. ſcilicet quod ouis reddatur in quadruplum, &c. hodie non tenent, niſi ex noua conſtitutione ſanciantur. d.15.a.43.ad q.4

Si is cui reſtitui debet aliquid, ignotus ſit, debet dari pauperibus. d.15.a.44.ad q.1

Si autem ſit multum diſtans, debet ei mitti,vel portari, vel deponi. d.15.a.44.ad q.2

Qui iniuſtè accepit in aliqua expeditione,debet reſtituere ad arbitrium Epiſcopi loci illius qui damnificatus eſt. d.15.a.44. ad q.3

Qui de licentia alicuius Prælati iniuſtè vendicauit ſibi res Eccleſiæ, reſtituere tenetur Eccleſiæ ita vt deuoluatur ad Prælatum ſucceſſorem. d.15.a.44.ad q.4

Reſurrectionem carnis eiuſdem numero in qua nunc viuimus eſſe futuram, certius ſecundum Catholicam fidem nobis eſt,quam quod ſol orietur cras. d.43.a.1

Reſurrectio nihil aliud eſt niſi reſtitutio in conſimilem vitam. d.43.a.2

Reſurrectio,eſt rurſus copulatio animæ & corporis, & ſecunda eius quod diſſolutum eſt & cecidit,animalis ſurrectio. d.43.a.2

Reſurrectio non eſt naturalis, ſed miraculoſa. d.43.a.3

Per Philoſophiam non poteſt probari reſurrectio, ſed potius per principia fidei. ibid.

In Reſurrectione tubam ſonare nihil aliud eſt quam mundo vt iudicem filium demonſtrare. d.43.a.4

Collectio cinerum fiet virtute Angelorum,ſed formatio humani corporis mutando cineres ad membra ſimilia,homini Chriſto attribuitur,immutatio autem in incorruptionem & animatio erit opus diuinum. d.43.a.4

Reſurrectio Chriſti eſt cauſa efficiens & Sacramentalis noſtræ reſurrectionis. d.43.a.5

Nullo modo ſciri poteſt dies iudicij: quia per diſpoſitionem motus ſuperioris ſciri non poteſt,per reuelationem verò non vult Deus aliquem ſcire. d.43.a.7

Omnes reſurgent à mortuis,& nullus remanebit viuus. d.43.a.21

Reſurrectio communis erit à cineribus. d.43.a.22

Reſurgentium diſſimilitudo non eſt in termino à quo,ſed in termino ad quem.d.43.a.23

Omnes reſurgent ſine diminutione membrorum,omnia humani corporis habituri membra. d.43.a.24

Sicut tunc ſtabunt contraria in mundo maiori, ita ſtabit eorum pugna in mundo minori,hoc eſt, in homine. d.43.a.25

Incorruptio in omnibus corporibus exemplariter & efficaciter eſt à reſurrectione Chriſti,ſiue à Chriſto reſurgente. d.43.a.26

Vnum

Index rerum.

Vnumquodque corporum recipiet tunc quantitatem in longo, lato & ſpiſſo, quam habiturum erat in menſura ætatis plenitudinis Chriſti, ſi natura non defeciſſet per mortem vel infirmitatem vel nutrimenti ſubtractionem, vel erraſſet per ſuperfluitatem vel alium errorem. d.44.a.1

Coſta Adæ ex qua facta eſt Eua, reſurget in ipſa, tamen reſurget Adam ſine diminutione. d.44.a.8

Quodlibet ad idem membrum in quo erat, redibit; tamẽ poſſibile eſt aliter eſſe. d.44.a.9

Capilli & vngues inquantum decorem perficiunt, reſurgent. d.44.a.10

Reſurget idem homo qui mortuus fuit. d.44.a.11

Damnati nullam habebunt ex vitio complexionis corruprionem febrilem, nec ex vitio compoſitionis corporis membrorum defectum. d.44.a.33

Pueri abortiui in ætate triginta annorum reſurgent. d.44.a.44

Rex terrenus triplici ex cauſa vtitur miniſtro, ſ. propter imperfectionem ſui, vtilitatem ſubditorum, & ordinis pulchritudinem. d.17.a.32

S

SAcerdotium veteris legis & nouæ non eſt idem. d.24.a.33

Sacerdotij actus principalis eſt conficere Euchariſtiam. d.24.a.35

Sacramenta neceſſaria ſunt ad ſalutem, ſine quibus tempore morbi multa fuit ſalus. d.1.a.1

Nullum Sacramentum ſecundum ſe ordinatur contra veniale. d.1.a.2

Sacramentorum ſufficientia. ibid.& d.2.a.1

Sacramenta ordinanda ſunt ſecundum ordinem defectuum contra quos ordinantur. d.1.a.3

Sacramentum eſt ſacræ rei ſignum. d.1.a.5

Sacramentum eſt inuiſibilis gratiæ viſibilis forma, cuius ſimilitudinem gerat & cauſa exiſtat. ibid.

Sacramentum eſt, in quo ſub tegumento viſibilium rerum diuina bonitas ſecretius operatur ſalutem. ibid.

Sacramentum eſt corporale vel materiale elementum oculis extrinſecus ſuppoſitum, ex inſtitutione ſignificans, & ex ſanctificatione inuiſibilem gratiam conferens. ibid.

Sacramentum eſt cauſa vt diſponens in ſubiecto. d.1.a.5.ad q.

Sacramenta veteris legis nullam virtute propria gratiam contulerunt, ſed per opus operans. d.1.a.9

Sacramenta inſtituta ſunt triplici de cauſa: propter humiliationem, & eruditionem, & exercitationem. d.1.a.13

Verba ſunt in omni Sacramento inquantum eſt Sacramentum Eccleſiæ. d.1.a.15

Multiplex differentia inter Sacramenta veteris & nouæ legis. d.1.a.15

Sacramenta contra quos defectus ordinata ſint. d.20.a.1

Sacramenta quare non fuerunt inſtituta mox poſt hominis lapſum. d.2.a.2

Quædam Sacramenta Patres habuerunt in lege naturæ & Moyſi ſicut nos; quædam autem ſecundum partem, & non ſecundum totum: quædam autem in figura tantum: & quædam nec in toto, nec in parte, nec in aliqua figura determinata. ibid.

Tantum tria Sacramenta quæ ſtatum fidei eſpiciunt, imprimunt characterem. d.6.a.5

Tria Sacramenta non ſunt iteranda, ſ. baptiſmus, confirmatio & ordo: quia imprimunt effectum perpetuũ, id eſt, characterẽ. d.7.a.9

Duo Sacramenta Noui Teſtamenti figuram aliquam expreſſam habere non poterant, ſ. confirmatio & extrema vnctio. d.8.a.2

Sacramenta Chriſtianorum dicuntur anteriora quam Iudæorum, quoad ſpeciem & ritum Sacramenti Euchariſtiæ. d.8.a.4

In Sacramentis multa ſunt ſupra rationem, nihil autem contra rationem. d.10.a.9

Sacramentum multis de cauſis dicitur iterari, vel non iterari. 1. quia cauſa non iteratur, vt in baptiſmo. 2. quia id quod eſt res Sacramenti, non iteratur, ſ. character. 3. quia forma ſuper eadem numero non iteratur, & hoc modo negatur Euchariſtia iterari. d.12.a.5

Vnum Sacramentum dicitur maius alio: quia vel maioris gratiæ collatiuum, vel à maiori datur, vel quia dignior eſt contenta, vel ratione gradus in quo ſuſcipiens collocatur ex poteſtate characteris, vel quia dignioris rei non contentæ ſignificatiuum. d.7.a.6.item d.13.a.25

Sacramenta ſortiuntur formas in orationibus illius modi qui magis competit effectui eorum. d.23.a.4

Omnia Sacramenta nouæ legis inſtituit Chriſtus per ſeipſum. d.23.a.13

Sanctitas eſt in materia Sacramenti vt diſpoſitio quædam, & in loco, & in verbis, & in ritu qui telera à D. Dionyſ. vocatur. d.37.a.3

Sacrificiũ in genere eſt de iure naturali. d.1.a.8

Sacrificia ante legem & idololatriam placebant in figura futuræ oblationis quæ facta eſt per Chriſtum: ibid.& a.11

Moralia cur dicitur cunctus populus audiuiſſe per ſe à Domino, ſacrificia autem ſolus Moyſes. d.1.a.8

Non videtur eſſe verum, quod ſaluandus moriatur in optimo ſtatu in quo fuit tempore vitæ ſuæ. d.14.a.30

Sanitas duplex, ſ. imperfecta, & perfecta. d.17.a.20

Scandalum eſt dictum vel factum minus rectum, aliis præbens occaſionem ruinæ. d.17.a.46

Scandalum eſt, vbi rectè ambulanti deceptio ſubmittitur ad ruinam. d.17.a.46

Scandalum rectè diuiditur in actiuum & paſſiuum. d.17.a.47

Scandalum quandoque dicitur peccatum coniunctum, quandoque ſeparatum. d.17.a.48

Scandalum quandoque eſt mortale, & quandoque veniale. d.17.a.49

Scandalum quandoque dicitur obex lætitiæ vel æqualitatis affectus. ibid.

Scandalum eſt materiale & formale. d.17.a.50

Perfectorum eſt non ſcandalizari. d.17.a.51

Omnibus licet ſi velint, vel nomine ſuo, vel nomine capituli ſui, vel ſui procuratoris ſua

ſua repetere, quia ſcandalum non eſt hic niſi materiale. d.17.a.52

Satisfactio duplex, ſ. ſecundum æquale iuris, & ſecundum arbitrium eius cui facta eſt iniuria: prima ſatisfactione non contingit ſatisfieri Deo ab aliqua creatura pura, ſed ſecunda. d.15.a.11.item d.16.a.20

Satisfactio tripliciter poteſt diffiniri, ſ. ſecundum ſubſtantiam, vt ſatisfactio ſit damni vel iniuriæ illatæ recompenſatio ſecundum iudicium & iuris ordinem, vel arbitrium eius cui iniuria eſt illata: vel ſecundum quod eſt Sacramenti pœnitentiæ, & ſic ſatisfactio eſt peccatorum cauſas excidere, nec ſuggeſtionibus eorum aditum indulgere: vel in comparatione ad finem, & ſic ſatisfacere Deo eſt debitum honorem impendere. d.15.a.12

Satisfactionis opus qualiter differt ab aliis operibus pœnitentiæ, ſ. confeſſionis & compunctionis. d.15.a.13

Satisfactio extra charitatem, an ſit iteranda redeunte charitate. d.15.a.30

Satisfactio ad minus requiritur in voto & lamento interiori. d.16.a.3

In ſatisfactione tria conſideranda ſunt, ſ. pro quo ſatisfit, & quis ſtatus ſatisfacientis, & cui ſatisfit. d.16.a.19

Satisfactio ſecundum quod eſt ſacramentalis, & vim habens à paſſione Chriſti, habet à Deo inſtitutionem. ibid.

Promulgatur à Ioanne, & confirmatur per præceptum à Chriſto Matth.4. ibi, Agite pœnitentiam, &c. d.16.a.20

Senſibile dicitur duobus modis, ſ. ſecundum poteſtatem ſentientis, & ſecundum poteſtatem ſenſibilis. d.10.a.5

Sepulchra bonorum & ſanctorum ſunt ornanda propter oſtenſionem gloriæ reſurrectionis eorum. d.45.a.10

Seruitutis conditio eſt in genere humano. d.36.a.1

Seruitus eſt naturalis, quatenus per eam ordinatur culpa quæ inducta eſt in natura ex vitio perſonæ. ibid.

Ex conſtituto ciuili & Eccleſiæ, ſeruitus ignorata cum oppoſita conditione, ſcilicet libertatis, impedit matrimonium contrahendum & dirimit contractum. d.36.a.2.& 3

Connubium ſerui vnius domini cum ancilla alterius, licet ſit difficile, tamen eſt licitum. d.36.a.4

Si vir ſe dat in ſeruum contra voluntatem mulieris, in nullo debito quo tenetur vxori, dominus poteſt eum impedire. d.36.a.5

Signum duplex, ſ. commune & conuertibile. d.17.a.46

Similitudo eſt rerum differentium eadem qualitas. d.1.a.5

Simonia eſt ſtudioſa voluntas emendi vel vendendi ſpirituale, vel ſpirituali annexum. d.25.a.2

Simonia dicitur hæreſis: quia ponit ſpiritualia viliora temporalibus, pro quibus ea vendit & emit. d.25.a.3

Inferior cum ſuperiori poteſt committere ſimoniam. d.25.a.4

Modi quibus committitur ſimonia, notantur his verſibus:

Munus, lingua, timor, caro, cum fama populari,
Non faciunt gratis ſpirituale dari. d.25.a.5

Simoniaci dicuntur tam venditores quam emptores ſpiritualium: quia etiam Simon emptam gratiam vendere poſteà cogitauit: tamen verſus eſt differentiam notans:

Quod Giezi vendit, Simon conducere quærit.

Simplex à ſimplici duobus modis poteſt differre, ſ. per naturam ſiue rationem, ſicut vnitas & punctus: & poſitione, vt punctus initians à puncto terminante & continuante in medio. d.7.a.5.ad q.2

Somnus eſt quies animalium virtutum cum intenſione naturalium, ſopor autem quies animalium cum intenſione intellectualium. d.26.a.3

Spes eſt protenſio ſiue dilatatio animi in expectatione boni futuri. d.14.a.26

Sponſalia ſunt futurarum nuptiarum promiſſio. d.27.a.12.& 17

Poſtquam iam pueri ſeptennes ſunt, ſponſalia poſſunt contrahere. d.27.a.13

Effectus ſponſalium eſt ligare ad matrimonium contrahendum, quandiu manent ſponſalia. d.27.a.14

Sponſalia dupliciter contrahuntur, ſ. abſolutè & ſub conditione. d.27.a.15

Sponſalia dirimuntur 1. ſi alter ſponſorum tranſeat ad religionem. 2. quando ſponſus non inuenitur. 3. ſi alter ſponſorum poſt contracta ſponſalia incurrerit lepram, aut paralyſim, aut epileptiam, aut turpiter naſo aut oculo fuerit mutilatus. 4. ſi ſuperueniat affinitas. 5. ſi mutuo ſe abſoluerunt. 6. ſi alter eorum fuerit fornicatus. 7. quando ſuperuenit matrimonium cum alio contractum. 8. quando minor venit ad ætatem adultam, & petit abſolui à vinculo ſpõſalium. d.27.a.16

Inſtitutum eſt vt iam pactæ ſponſæ non ſtatim tradantur, ne vilem habeat maritus datam, quam ſuſpitauit ſponſus dilatam. d.27.a.7

Publicæ honeſtatis iuſtitia eſt propinquitas ex ſponſalibus proueniens, robur trahens ab Eccleſia propter eius honeſtatem. d.41.a.7

Suffragia quæ facit vnus, alteri valent. d.45.a.1

Non eſt dubium defunctis prodeſſe ſanctorum ſuffragia. d.45.a.2

Suffragia non proſunt damnatis. d.45.a.3. item d.46.a.2

Suffragia proſunt eis qui ſunt in purgatorio. d.45.a.4

Suffragia non profuerunt patribus in limbo. d.45.a.5

Peccatum puerorum ſine baptiſmo decedentium non dimittitur propter aliquod ſuffragium. d.45.a.6

Suffragia non proſunt ſanctis in patria. d.45.a.7

Suffragium ſecundum charitatem mortui informatur, & ideò ſi fit ab eo qui non eſt in gratia, valet. d.45.a.9

Magis valent ſuffragia ſpecialia & propria quam communia. d.45.a.11

Suſpenſus tripliciter poteſt eſſe ſuſpenſus, ſ. ab officio tantum, à iuriſdictione tantum, vel ab vtroque. d.18.a.19

Index rerum.

T

TEmpus physicum omnis illius motus mensura est, qui vt ad causam reducitur ad motum primi mobilis. d.17. a.11

Inter quælibet duo instantia est tempus, medium. ibid.

Testamentum Vetus & Nouum possunt considerari vt typus, & veritas, & sic est vnum in alio: si autem considerentur quoad materiam præceptorum & motiuum ad implendum, tunc Vetus est multò grauius; sed quoad perfectionem status eorum quæ præcipiuntur, tunc Nouum est magis difficile. d.1.a.16

Testamentum Vetus est in Nouo sicut figura in veritate. d.24.a.33

Timor est motus secundum systolen siue constrictionem in fugam futuri & expectati mali. d.14.a.26

Tonsura in veteri lege figurabatur in Nazareis. d.24.a.14

Tristitia est constrictio animi ex conceptione præsentis mali. d.14.a.26

V

VBi dicitur per accidens, & per se. d.13. a.13. ad q.

Vectigalia & pedagia an sint licita. d.16. a.46

Veniale dicitur tribus modis, s. ex genere, ex euentu, & quando mortale habet aliquid in circunstantia, quare potest excusari per veniam. d.17.a.55. item d.20.a.8

Veniale ex genere nunquam fit mortale. d.20.a.10

Multa venialia post mortem delentur quoad pœnam & culpam. d.21.a.1

Veniale coniunctum mortali punitur in æternum in inferno. d.21.a.8

Non reuertuntur debita venialia nisi per illum modum, quo concedendum per ingratitudinem redire alia. d.22.a.2

Verecundia duplex est, vna scilicet coram Deo de turpitudine actus, & altera coram hominibus. d.17.a.36

Vir constans est, qui non timet non timenda. d.29.a.3

Virginitas secundum quod fuit meritoria, restituitur per pœnitentiam. d.14.a.22

Virtutes infusæ habent colligantiam in gratia, ita quod vna non habetur sine alia: sed vna politicarum generatur in animæ sine alia. d.14.a.1

Virtus sumitur propriè, & communiter. d.14.a.3

Duplex est virtus, s. informans ad bonum, & reformans à malo. ibid.

Aliud est esse actum virtutis alicuius naturaliter siue per se elicitiuè, & aliud per modum imperij vel adiutorij. d.14.a.7

Vis est maioris rei impetus, qui repelli non potest. d.29.a.1

Per vim fit, cuius principium est in alio, nihil conferente vim passo. ibid.

Vis est impetus dominantis retinens rem infra terminos alienos. ibid.

Vis aliqua cadit in constantem virum, alia autem non cadit. d.29.a.2

Vis quandoque est circa res turpes, quandoque circa honestas. ibid.

Vita æterna triplex est. 1. per essentiam vitæ & æternitatis. 2. Vt in obiecto viuentium æterna vita. 3. participatione. primo & secundo modo solus Deus est vita æterna, tertio verò sancti habent vitam æternam. d.46.a.4

Vita dicitur dupliciter, s. secundum esse, & secundum bene esse. d.46.a.5

Vita gloriæ & etiam gratiæ, per prius est in essentia quam in potentia. d.46.a.16

Damnati non viuunt vita æterna, nec habent vitam æternam. d.46.a.7

Damnati sunt mortui simpliciter, sed secundum quid viui. ibid.

Viuere dicitur multipliciter, s. secundum esse, & secundum bene esse: secundum esse dicitur propriè & metaphoricè: secundum bene esse distinguitur secundum sensu, & secundum bene esse secundum rationem. d.14.a.24

Extrema Vnctio est Sacramentum, quod à Domino & Apostolis habuit ortum suæ institutionis. d.23.a.1

Extrema vnctio est Sacramentum ex vnctione per oleum sanctificatum facta, conferens infirmis remedium contra peccati reliquias, & se expedit, alleuiationem ferens infirmitati. d.23.a.2

In isto Sacramento nulla competentior materia est, quam oleum ad vsum infirmorum sanctificatum. d.23.a.3

Istud Sacramentum inquantum Sacramentum de bene esse habet iudicatiuam orationem, inquantum autem exeuntium qui soli gratiæ committuntur, de esse habet orationem deprecatiuam. d.23.a.4

In hoc Sacramento abundantiam gratiæ requirenti materia debet ab Episcopo præparari. d.23.a.6

Non nisi infirmus perceptibilis est huius Sacramenti. d.23.a.9

Solum adultis ætate exhibendum est hoc Sacramentum. d.23.a.10

Non in omni infirmitate, sed cum præsumitur imminere obitus, debet percipi. d.23. a.11

Furiosis & amentibus non est dandum, nisi habeant lucida interualla. d.23.a.12

Institutum est à Christo. d.23.a.13

Duplici ex causa est institutum, s. ad peccatorum remissionem quoad reliquias, & ad corporalis infirmitatis alleuiationem. d.23. a.14

Inunctio in determinatis locis corporis fieri debet. d.23.a.15

Sufficit vngere loca quinque sensuum. d.23. a.16

Plures vnctiones non constituunt nisi vnum Sacramentum, quia sunt omnes ad vnum effectum. d.23.a.17

Si Sacerdos inungens vngendo moriatur, suppleri debet quod deficit, & non iterari

Index rerum.

quod factum est. d.23.a.18
Hoc Sacramentum non imprimit characterem. d.23.a.19
Iteratur sicut quædam alia Sacramenta, si causa eorum iteratur. d.23.a.20
Si vltra annum remanet morbus post acceptam vnctionem, iterari potest vnctio. d.23.a.21
Vocatio duplex, s. exterior & interior. d.17. a.16
Voluntatem nostram sufficit quandoque conformare voluntati diuinæ secundum causam efficientem, vt scilicet velimus hoc quod Deus vult nos velle. d.14.a.12
Voluntas duplex, vt deliberans, & vt natura. d.16.a.7
Voluntas duplex, s. conditionata & simpliciter voluntas. d.21.a.7
Votum duplex est, s. plenum & semiplenum siue imperfectum. d.17.a.2
Votum pro operatione iudicatur. ibid.
Votum dicitur dupliciter, s. communiter & propriè. d.38.a.1
Votum est testificatio quædam promissionis spontaneæ, quæ Deo & de his quæ Dei sunt, propriè fieri debet. ibid.
Votum est promissio melioris boni ex deliberatione formata. ibid.
Votum propriè dictum non est nisi de his quæ cadunt sub consilio, votum autem communiter acceptum est de his etiam quæ cadunt sub præcepto. d.38.a.2
Seruus, monachus, vxor, filiusfamilias, & filiafamilias inquantum huiusmodi vouere non possunt. d.38.a.3
Necessarium est vota reddere. d.38.a.4
Iuramentum adhibitum sponsioni, & votum dupliciter possunt considerari, s. quantum ad id ex quo ligant, & quantum ad naturam & modum vinculi: primo modo iuramentum secundo votum plus ligat. d.38. a.5
Si iuramentum addatur voto; illud præ omnibus est obligatorium. d.38.a.5
Votum habet firmitatem à rectitudine deliberationis relata ad exemplar rectitudinis primæ, qua rectum omne quod promittitur deliberatè tenetur, & præcipuè quod promittitur Deo. d.38.a.6
Secundum prius & posterius dicitur votum de communi & de singulari. d.38.a.7
Transgressio voti communis nullum facit peccatum speciale, licet aliquam rationem deformitatis afferat in actu peccati. d.38.a.8
Votum commune dicitur: quia communiter omnes obligat ad id circa quod est votum, hoc enim est id circa quod est fides & decalogus. d.38.a.9
Papa non habet potestatem dispensandi in voto communi. d.38.a.10
Diuisio voti singularis in priuatum & solemne non est generis in species propriè, sed est sicut diuisio totius potestatiui in partes. d.38.a.11
Solemnitas additur supra votum sicut confirmans obligationem voti, priuatio autem nihil addit quod sit faciens obligationem fortiorem. ibid.
Inter votum solemne & priuatum, est publicum, quod probari quidem potest per testes, sed non est secundum professionem regulæ & habitus. d.38.a.11.ad q.
Obligatio maxima est in voto solemni, & in publico medio modo, & in priuato minima. d.38.a.12
Nihil facit votum solemne, nisi ipsa professio ad certam regulam, in qua approbatus ab Ecclesia continetur modus. d.38.a.13
Votum priuatum continentiæ impedit matrimonium contrahendum, sed non dirimit contractum. d.38.a.15
Qui priuatum votum fecit continentiæ, si contrahat, potest reddere debitum non autem petere. d.38.a.15
Votum quod non potest mutari nisi in actum contrarium redditioni voti, non potest dispensari: & tale est votum solemne de continentia, quod nunquam mutari potest. d.38.a.26
In votis temporalibus dispensare possunt Episcopi & Archiepiscopi, non autem in votiuis perpetuis quæ sunt religionis & huiusmodi. d.38.a.17
Votum conditionale non obligat, conditione non existente. d.38.a.19
Votum & professionem interpretatiuam omnis homo facit, quando stat vltra tempus communiter probationi assignatum, habens libertatem recedendi si voluerit. d.38.a.20

INDEX

INDEX

Locorum ſacræ Scripturæ, qui in Commentariis in 4. lib. Sententiarum explicantur.

EX VETERI TESTAMENTO.

Geneſis.

GEN. 1. QVACVNQVE *die comederitis ex eo, morte moriemini.* d.2.a.2

2. *Erunt duo in carne vna.* d.28.a.6. *item* d.31.a.3

17. *Circumcidetis carnem præputij veſtri.* d.1. a.21

19. *Nec ſtes in omni circa regione.* d.16.a.28

24. *Eliezer dedit Rebeccæ inaures & annulos.* d.27.a.15

49. *Zabulon in litore maris habitabit, & in ſtatione nauium, pertingens vſque ad Sidonem.* d.16.a.46

Exodi.

20. *Non aſcendes per gradus ad altare meum.* d.13.a.24

Leuitici.

5. *Ædes Leuitarum quæ in vrbibus ſunt, ſemper redimi poſſunt.* d.24.a.15

15. *Quidquid tetigerit immundus, immundum erit.* d.6.a.10

18. *Ad mulierem quæ patitur menſtruum, non accedas.* d.9.a.11

Numerorum.

18. *Non habebunt filij Leui hæreditatem in medio fratrum ſuorum.* d.24.a.15

Deuteronomij.

23. *Cum voueris votum Domino Deo tuo, non tardabis reddere.* d.38.a.4

Iudicum.

4. *Debora prophetiſſa iudicauit Iſrael.* d.19. a.7

2. Regum.

6. *Oza percuſſus eſt, eo quod extendit manum vt teneret arcam.* d.13.a.18. *item* d.24.a. 10.& d.26.a.13

Tobiæ.

12. *Bona eſt oratio cum ieiunio & eleemoſyna.* d.15.a.17

Iob.

3. *Quare non in vulua mortuus ſum, &c.* d. 15.a.5

Pſalmorum.

16. *Satiabor cum manifeſtabitur gloria tua.* d.21.a.10

59. *Commouiſti terram & conturbaſti eam.* d.17.a.10

83. *Paſſer inuenit ſibi domum, & turtur nidum vbi reponat pullos ſuos.* d.6.a.2.d.13.a.30

131. *Sicut vnguentum in capite quod deſcendit in barbam, barbam Aaron.* d.12.a. 15. *item* d.17.a.40.& d.23.a.6

118. *Dilexi teſtimonia tua ſuper millia auri & argenti.* d.16.a.31

118. *Particeps ego ſum omnium timentium te.* d.45.a.1

Prouerbiorum.

9. *Sapientia ædificauit ſibi domum, excidit columnas ſeptem.* in prol.

Eccleſiaſtæ.

9. *Nemo ſcit, an odio, vel amore dignus ſit.* d.9.a.8. *item* d.13.a.16.& d.16.a.7

Sapientiæ.

1. *Spiritus ſanctus diſciplinæ effugiet fictum.* d.4.a.2. *item* d.13.a.29

Index locorum Sacræ Scripturæ.

1. *In maleuolam animam non introibit ſapientia.* d.9.a.7.item d.19.a.12
3. *Iudicabunt ſancti nationes.* d.47.a.4
16. *Paratum panem de cœlo præſtitiſti illis ſine labore, habentem in ſe omne delectamentum* d.1.a.15.item d.8.a.1

Eccleſiaſtici.

26. *Non eſt digna ponderatio continentis animæ.* d.26.a.10
34. *Qui offert ſacrificium de ſubſtantia pauperis, &c.* d.15.a.24

Iſaiæ.

1. *Holocauſta arietum & adipem pinguium nolui.* d.1.a.8
3. *Peccatum ſuum ſicut Sodoma pradicauerunt.* d.17.a.36
14. *Perdam Babylonis nomen & reliquias & germen.* d.16.a.25
14. *Subtus te ſternetur tinea, & operimentum tuum erunt vermes.* d.44.a.33
43. *Ego ſum qui deleo iniquitates tuas propter me.* d.14.a.3
43. *Narra ſi quid habes, vt iuſtificeris.* d.16.a.14
54. *Fundabo te in ſaphiris, & ponam iaſpidem propugnacula tua.* d.16.a.49
64. *Omnes iuſtitiæ noſtræ ſicut pannus menſtruata.* d.15.a.11

Ieremiæ.

1. *Priuſquam te formarem in vtero noui te, & antequam exires de ventre ſanctificani te.* d.6.a.9
6. *Luctum vnigeniti fac tibi planctum amarum.* d.16.a.31

Ezechielis.

18. *Si iuſtus auerterit ſe à iuſtitia ſua, & fecerit peccatum, non erunt in memoria iuſtitiæ priores.* d.14.a.21
20. *Dedi eis præcepta non bona & iudicia in quibus non viuent.* d.1.a.8
44. *Sed & Leuitæ qui longè receſſerunt à me in errore filiorum Iſrael, &c. erunt in ſanctuario meo aditui & ianitores.* d.14.a.30

Ioëlis.

2. *Reſtituam vobis annos quos comedit locuſta.* d.14.a.30
3. *Congregabuntur omnes gentes in vallo Ioſaphat, & diſceptabo cum eis.* d.43.a.16

Amos.

1. *ſuper tribus ſceleribus Damaſci, &c.* d.14.a.29

Habacuc.

2. *Iuſtus ex fide ſua viuit.* d.14.a.23

Malachiæ.

1. *Maledicam benedictionibus veſtris.* d.5.a.1

EX

EX NOVO TESTAMENTO.

Matthæi.

Cap. 3. *Facite fructus dignos pœnitentiæ. d. 14.a.12. item d. 16. a.20*

Pœnitentiam agite. d.14.a.3. & 9. item d.16. a.48

5. *Non exies inde, donec reddas nouissimum quadrantem. d.21.a.8*

6. *Panem nostrum quotidianum da nobis. d.13. a.28*

6. *Te autem faciente eleemosynam, nesciat sinistra tua quid faciat dextera tua. d.15. a.16*

6. *Nolite fieri sicut hypocritæ tristes. d. 16. a.37*

7. *Nolite sanctum dare canibus, & margaritas nolite proiicere ante porcos. d.13.a.17*

7. *Eiice primum trabem, &c. d.19.a.18*

9. *Filius hominis habet potestatem in terra dimittendi peccata. d.5.a.6*

12. *Spiritus blasphemiæ non remittetur, nec in hoc seculo, nec in futuro. d.21.a.4*

16. *Dabo tibi claues, &c. d.20.a.17*

18. *Non dico tibi Petre, vsque septies, sed vsque ad septuagies septies. d.14.a.29*

18. *Si peccauerit in te frater tuus, corripe, &c. d.19.a.17.& 18*

21. *Omne quod in os intrat, in ventrem vadit, & in secessum emittitur. d.9.a.5*

26. *Hic est sanguis meus Noui Testamenti, qui pro multis effundetur in remissionem peccatorum. d.8.a.7*

26. *Scitis quia post biduum pascha fiet. d.13. a.25*

27. *Hoc est corpus meum. d.8.a.6*

28. *Ite, docete omnes gentes, baptizantes eos in nomine Patris & Filij & Spiritus sancti. d.3.a.2.& 3. item d.5.a.3*

Marci.

8. *Vade retro me sathanas, scandalum mihi es. d.17.a.49*

Lucæ.

1. *Exultauit in gaudio infans in vtero meo. d.6.a.9*

2. *Ecce positus est hic in resurrectionem & in ruinam multorum in Israël. d.17.a.50*

3. *Baptizato Iesu & orante, apertum est cælum. d.3.a.7*

3. *Facite fructus dignos pœnitentiæ. d.15.a.18*

7. *Lacrymis rigauit. d.15.a.36*

11. *Quod superest, date eleemosynam, & ecce omnia munda sunt vobis. d.15.a.16*

16. *In sinu Abrahæ. d.1.a.10*

22. *Fregit, & dedit discipulis suis. d.13.a.15*

22. *Ego pro te rogani Petre, vt non deficiat fides tua. d.20.a.17*

Ioannis.

13. *Post buccellam introiuit in eum sathanas. d.9.a.8*

14. *In domo Patris mei mansiones multæ sunt. d. 49.a.1.& seq.*

Actuum.

2. *Agite pœnitentiam, & baptizetur vnusquisque vestrum. d.16.a.48*

8. *Tunc imponebant manus super illos, & accipiebant Spiritum sanctum. d.7.a.2*

15. *Fide purificans corda eorum. d.17.a.10.14. & 16*

Ad Romanos.

4. *Lex quidem sancta. d.1.a.7*

4. *Christus mortuus est propter delicta nostra, & resurrexit propter iustificationem nostram. d.43.a.5.& 23*

5. *Vbi superabundauit delictum, superabundauit & gratia. d.14.a.30*

6. *Humanum dico propter infirmitatem carnis vestræ, &c. d.26.a.31*

8. *Diligentibus Deum omnia cooperantur in bonum. d.14.a.30. item d.15.a.4*

8. *Quis nos separabit à charitate Christi. d.16. a.34*

8. *Quos prædestinauit, hos & vocauit; & quos vocauit, hos & iustificauit. d.17.a.16*

8. *Expectatio creaturæ reuelationem filiorum Dei expectat. d.43.a.1*

1. ad Corinthios.

1. *Ego quidem sum Pauli, ego autem Apollo, ego verò Cephæ. d.2.a.5*

2. *Quem nemo principum huius seculi cognouit. d.30.a.8*

3. *Fundamentum aliud nemo potest ponere præter id quod positum est, quod est Christus Iesus. d.16.a.49*

3. *Quidam ædificant super fudamentum hoc ligna, fœnum, stipulam. d.21.a.1*

4. *Qui illuminabit abscondita tenebrarum, & manifestabit consilia cordium. d.43.a.12*

5. *Itaque epulemur non in fermento veteri, nec in fermento malitiæ & nequitiæ, sed in azymis synceritatis & veritatis. d.12.a.8*

5. *Quid ad me de his qui foris sunt iudicare. d.19.a.8*

10. *Ego enim accepi à Domino quod & tradidi vobis. d.8.a.7*

10. *Nolo vos ignorare fratres, quoniam patres nostri omnes sub nube fuerunt. d.1.a.15. item d.4.a.6.& d.24.a.33*

11. *Conuenientibus vobis in vnum, iam non est Dominicam cœnam manducare. d.8.a.9*

11. *Non potestis mensæ Domini esse participes & mensæ dæmoniorum. d.9.a.8*

11. *Alius quidem esurit, alius autem ebrius est. d.12.*

Index locorum Sacræ Scripturæ.

d.12.16

11. *Si nosmetipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur.* d.14.a.6

15. *In momento, in ictu oculi, in nouissima tuba.* d.43.a.14

15. *Seminatur in infirmitate, resurget in virtute.* d.44.a.17. & 18

2. ad Corinthios.

8. *Qui modicum non minorauit, &c.* d.15.a.19

9. *Hilarem daterem diligit Deus.* d.15.a.15

Ad Galatas.

5. *Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.* d.3.a.6

Ad Ephesios.

2. *Omnes nascimur filij iræ.* d.6.a.9

5. *Obtulit semetipsum pro nobis in odorem suauitatis.* d.1.a.8

Ad Colossenses.

1. *Pacificata sunt cælestia & terrestria.* d.3.a.7

1. ad Thessalonicenses.

5. *Ab omni specie mala abstinete vos.* d.16.a.43. item d.29.a.2

1. ad Timotheum.

4. *Pietas ad omnia valet.* d.45.a.3

2. Ad Timotheum.

2. *Fundamentum Dei firmum stat, habens signaculum hoc.* d.16.a.9

2. *Fidelis est, & seipsum negare non potest.* d.20.a.17

Ad Hebræos.

6. *Non rursum iacientia fundamentum pœnitentia.* d.16.a.49

11. *Fides est substantia rerum sperandarum.* d.16.a.49.& 51

Iacobi.

vlt. *Confitemini alterutrum peccata vestra.* d.17.a.39

vlt. *Oratio fidei saluabit infirmum.* d.23.a.4

Apocalypsis.

3. *Tu nomen habes, quòd viuas, & mortuus es.* 14.a.21

6. *Sustinete modicum tempus, donec impleatur numerus fratrum vestrarum.* d.21.a.10

14. *Opera enim illorum sequuntur illos.* d.45.a.2

18. *Quantum se glorificauit & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* d.16.a.31

FINIS.

Index locorum Sacræ Scripturæ.

d.12.16

11. *Si nosmetipsos iudicaremus, non vtique iudicaremur.* d.14.a.6

15. *In momento, in ictu oculi, in nouissima tuba.* d.43.a.14

15. *Seminatur in infirmitate, resurget in virtute.* d.44.a.17. & 18

2. ad Corinthios.

8. *Qui modicum non minorauit, &c.* d.15.a.19

9. *Hilarem datorem diligit Deus.* d.15.a.15

Ad Galatas.

5. *Si circumcidamini, Christus vobis nihil proderit.* d.3.a.6

Ad Ephesios.

2. *Omnes nascimur filij iræ.* d.6.a.9

5. *Obtulit semetipsum pro nobis in odorem suauitatis.* d.1.a.8

Ad Colossenses.

1. *Pacificata sunt cælestia & terrestria.* d.3.a.7

1. ad Thessalonicenses.

5. *Ab omni specie mala abstinete vos.* d.16.a.43. item d.29.a.2

1. ad Timotheum.

4. *Pietas ad omnia valet.* d.45.a.3

2. Ad Timotheum.

2. *Fundamentum Dei firmum stat, habens signaculum hoc.* d.16.a.9

2. *Fidelis est, & seipsum negare non potest.* d.20.a.17

Ad Hebræos.

6. *Non rursum iacientia fundamentum pœnitentia.* d.16.a.49

11. *Fides est substantia rerum sperandarum.* d.16.a.49.& 51

Iacobi.

vlt. *Confitemini alterutrum peccata vestra.* d.17.a.39

vlt. *Oratio fidei saluabit infirmum.* d.23.a.4

Apocalypsis.

3. *Tu nomen habes, quòd viuas, & mortuus es.* 14.a.21

6. *Sustinete modicum tempus, donec impleatur numerus fratrum vestrarum.* d.21.a.10

14. *Opera enim illorum sequuntur illos.* d.45.a.2

18. *Quantum se glorificauit & in deliciis fuit, tantum date illi tormentum & luctum.* d.16.a.31

FINIS.